7769





6
141

COMMENTARIORVM,

AC

DISPVTATIONVM IN TERTIAM PARTEM DIVI THOMAE.

TOMVS SECVNDVS.

Mysteria vitæ Christi, & vtriusque aduentus eius accurata disputatione ita complectens, vt & scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi concionatoribus vsui esse possit.

Autore Patre FRANCISCO SVAREZ Societatis IESV, in Collegio eiusdem Societatis Academiæ Complutensis sacræ Theologiæ professore.

AD RODERICVM VAZQVEZ DE ARZE, supremi Senatus Regij in Hispania Præsidem dignissimum.



Cum gratia, & Priuilegio Regis Catholici.

COMPLVTI.

Ex Officina Ioannis Gratiani, Anno 1592.

Ca I, 11

Fr. Manuel de Paredes ad vsq

COMMENTARIORUM

AC

DISPUTATIONUM

IN TERTIAM PARTEM

DIVI THOMAE.

TOMUS SECUNDUS.

EL REY.



POR quanto por parte de vos el Padre Francisco Suarez de la Cõpañia de Iesus nos fue fecha relacion, que el año passado auades impresso vn libro con licencia nuestra sobre la tercera parte de sancto Thomas, y agora haziades ante nos presentacion del segũdo Tomo que auiades escripto sobre la misma materia, intitulado, COMMENTARIORVM, AC DISPVTATIONVM IN TERTIAM PARTEM DIVI THOMAE Y nos suplicastes os mandassemos dar licencia para le imprimir, y priuilegio por diez años, ó como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro consejo, y como por su mandado se hizieron las diligencias, que la pragmatica por nos hecha sobre la impression de los libros dispone. Fue acordado, que deuiamos de mandar dar esta nuestra cedula para vos en la dicha razon: è nos tubimos lo por bien, y por la presente por os hazer bien, y merced vos damos licẽcia, y facultad para que por tiempo de diez años primeros siguientes, que corren, y se cuentã desde el dia de la fecha desta nuestra cedula, podays imprimir el dicho libro de que de suso se haze mencio por su original que en el nuestro Consejo se vio, que va rubricado, y firmado al fin de Pedro Zapata del Marmol nuestro escriuano de Camara, de los que en el nuestro Consejo residen, conque antes que se venda le traygays ante ellos juntamente con su original, para que se vea si la dicha impression esta conforme a el, y traygays fee en publica forma como por Corrector nombrado por nuestro mãdado se vio, y corrigio la dicha impressiõ por el original, y mandamos al Impressor, que ansi imprimiere el dicho libro no imprima el principio, ni primer pliego del, ni entriege mas, que vn solo libro con el original a el autor, o persona a cuia costa le imprimiere, ni otra cosa alguna para effecto de la dicha correction, y tassa, hasta que antes, y primero el dicho libro este corregido, y tassado por los del nuestro Consejo, y estando hecho, y no de otra manera pueda imprimir el dicho principio y primer pliego, y seguidamente ponga esta nuestra cedula, y priuilegio, y la approuacion, tassa, y erratas so pena de incurrir en las penas contenidas en la dicha pragmatica, y leyes de nuestros Reynos. Y mandamos, que persona alguna sin vuestra licencia no lo pueda imprimir y vender, so pena, que el que lo imprimiere aya perdido é pierda todos, y qualesquier libros, moldes y aparejos, que de los dichos libros tubiere, y mas incurra en pena de cinquẽta mil marauedis el que lo contrario hiziere, la qual dicha pena sea la tercera parte para el juez que lo sentenciare, y la otra parte para el que lo denunciare, y la otra tercera parte para la nuestra Camara. Y mandamos a los del nuestro Consejo, Presidẽtes, y Oydores de las nuestras audiencias, Alcaldes, y Alguaciles de la nuestra casa, Corte, y chancillerias, y a todos los Corregidores, Assistente, Gouernadores, Alcaldes maiores, y ordinarios, y otros qualesquier juezes y justicias de todas las Ciudades, Villas, y Lugares de los nuestros Reynos, y señorios, ansi a los que agora son, como los que seran de aqui adelante, que vos guarden y cumplã esta nuestra cedula, y merced que ansi vos hazemos. E contra su tenor, y forma no vayan, ni passen, ni consientan yr, ni passar por manera alguna, so pena de la nuestra merced, y de diez mil marauedis para la nuestra Camara. Fecha en el Pardo a diez y seys dias del mes de Nobiembre de mil y quinientos y nouenta y vn años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro señor.

Iuan Vazquez.

TASSA.

YO *Pedro çapata del Marmol escriuano de Camara de su magestad doy fee que los señores del consejo de pedimiento y suplicacion del Padre Frãcisco Suarez de la compañia de Iesus, tassaron vn libro intitulado,* Tomus secundus in tertiam partem Diui Thomę, de mysterijs vitæ Christi, *que con licencia y Priuilegio de su Magestad imprimio a tres marauedis y medio el pliego en papel y al dicho precio y no mas mandaron se venda, y que antes que se venda el dicho libro se imprima esta tassa en la primera oja de cada volumen. E paraque de llo conste de pedimiento del dicho Padre Francisco Suarez y mandamiento de los señores del consejo di la presente en Madrid. A veynte y nueue de Agosto de mil, y quinientos y nouenta y dos Años.*

Pedro çapata
del Marmol.

Tiene este libro trezientos y diez y siete pliegos esta tassado a tres marauedis y medio el pliego monta todo el libro en papel treynta, y dos reales y veynte marauedis y medio.

† a Potes

APPROBATIO. P. PROVINCIALIS SOCIE catis Iesu, Toletanæ Prouinciæ, nomine R.P. Generalis eiusdē Societatis facta.



OTES tate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre Claudio Aquauiua Præposito nostro Generali, facultatem concedo, vt secundus tomus commētariorum in tertiam partem D. Thomæ à Patre Francisco Suarez nostræ Societatis sacræq; theologiæ in nostro collegio Complutēsi professore compositus, & eiusdem Societatis grauium, doctorumque hominū iudicio approbatus, typis mandetur, In quorum fidē has literas manu nostra subscriptas, sigilloq; nostro munitas dedimus. Compluti die decima octaua, mē sis Iunij, anni milleſimi, quingenteſimi, nonageſimi primi.

Gonzalus Dauila
Prouincialis.

CENSVRA ET APPROBATIO. R. P. FRA. *Gabrielis Pineli, Ordinis S. Augustini.*



CCE secundę partis super tertiam D. Tho. Commētaria à doctissimo Patre Francisco Suarez in supremum Senatū relata, quam eiusdem Senatus mandato vidi, legi, et cū summa voluptate perlegi per plures dies, et menses, in qua nescias vter maiore laude dignus sit, inter doctores doctior in materia scholæ: an ipse idem autor inter Positiuos diligentissimus indagator sententiæ Sanctorū, qui habent sensum Christi, vt scribit Apostolus. Quare iam tam â conciona-toribus, quamantea ab schola iure suo, et ingenij fælicitate, ac facilitate erit in magno pretio. Quo duce omnes ministri Verbi, de tribus potissimum materijs Baptista, Christo, & Beata Virgine securi procedēt ad ædificationem Ecclesiæ Christi, quæ est corpus eius, & absque omni solicitudine abundabunt materia, & forma sanæ doctrinæ, vt possit vocari operarius inconfusibilis recte tractans verbum veritatis vt, ait Apostolus. Vnde cum magna Ecclesiæ, & ministrorum vtilitate poterit prælo mandari. In Conuētu diui Philippi, ordinis diui Augustini, Matriti, Anno milleſimo, quingenteſimo, nonageſimo primo, die vero exto Mensis Nouembris.

Fra. Gab.
Pinelus.

RODERICO VAZQVEZ DE ARCE SVPREMI SENATVS REGII IN Hiſpania Præſidi digniſsimo

FRANCISCVS SVAREZ è Societate IESV.



VM volumẽ alterũ commentariorũ in tertiã partẽ D. Thomę in manibus edẽdũ haberẽ, ecce mihi, Prę ſes ampliſsime Hiſpaniæque vniuerſæ optatus illuxit dies, quo tua te virtus, egregiuſq; animi cãdor, ac ſingularis eruditio cum generis nobilitate cõiuncta, non ſine diuino numine ad tale, tantũque munus euexerunt, quale iã dudum tua merita poſtulabant. Quare nõ fuit mihi diu ambigua deliberatione cunctandum, cui potiſsimum principi opus hoc, qualecunque eſt, offerẽdum eſſet. Tibi enim multis nominibus debebatur: ſcilicet, cui ego deberem plurimum, & meo nomine, & Societatis noſtræ, quam non ſolũ ſummo ſtudio, animique beneuolentia complexus es, verum etiam eximijs beneficijs tibi in perpetuum deuinxiſti. Ex quo maxima quidem, ac pene certa ſpe ducor, fore, vt noſtrum hoc opus tibi gratum, atque acceptum futurum ſit. Tũ quod ex noſtra Societate profectum, tum maxime, quod in eo arcana æterni iudicis, mediatoriſque Dei, & hominum, vitæ, mortiſque myſteria, inaudita que, ac pene diuina intemeratæ Deiparæ geſta moreſque continentur: & ex ditiſsima ſacrorum voluminum ſupellectili, deque ſanctorum Patrum pellucidiſsimis fontibus

bus depromuntur, atq; nõ exiguo labore nostro, industriaq; tenui illa quidem, si rei magnitudinem spectes, magna, si diligentiam ad rigorem scholasticum redigũtur. Quis igitur mihi iure succenseat, si æterni Præsidis vitam, tanquam exemplaria verorum, Præsidi supremo totius Castellanæ Reip. ante oculos proponam? Aut quis dubitare audeat laborem hunc nostrum tibi fore gratissimum, cui tanti filij, tãtęque matris augustissima est memoria, & iucũdissima recordatio? Etenim cum tot sint occupationum æstus, tot negociorum fluctus in dignitate hac, cuius personam geris, tã grauem, tam seueram, non dubito, quin generosus iste tuus animus terrenorum mole oppressus soleat interdum respirare memoria, præsentiaque illius supremi principis, quem Pater constituit hominũ mediatorem, vt ima summis, terrena superis conciliaret. In eo enim eiusq; intemeratæ matris interuentu sitas spes tuas, & collocatas habes: ad quos infrequenti negociorum labyrintho, tanquam ad sacram anchoram confugere solitus es. Quod si in huius operis nuncupatione eius potissimum ratio habenda fuit, qui posset illud & vellet patrocinio defendere, & splendore nominis illustrare, hoc etiam nomine dignitas, & amplitudo tua, & in nostrum ordinem beneuolentia primum sibi locum non iniuria vendicarunt. Ea enim es autoritate apud omnes, vt nihil sit tam abiectum, nihil tam obscurum, quod clarum, & illustre non sit sub tuo nomine cõstitutum: eadem que erga nos voluntate, vt nemo sanus ambigere possit, te summo studio opus hoc, si res postulauerit, defensurum. Accipe igitur Præses clarissime, hos mearũ lucubrationũ fructus, eosque ad cõmunẽ vtilitatẽ exhibitos, tuo fauore cõmẽda, ac de nostra Societate, exigua illa quidem, sed tibi addictissima, vt hactenus feceris, benemereri perge. Nostrarũ vero partiũ erit, assidue precari Deum, vt vitã tuã vniuersæ Hispanię diu seruet incolumẽ, omniũque cõsiliorũ, ac rerũ tuarũ cursum iubeat esse felicem. Vale.

Amplit. tuæ Illust. ac Reuerend.
perpetuus in Christo seruus.

Franciscus Suarez.

TOTIVS OPERIS ARGVMENTVM ad Lectorem.



NEC multa, nec noua sunt (cãdide Lector) quæ præmittenda duximus his nostris secũdis lucubrationibus de Verbi incarnati mysteriis, cum disputãdi methodum, scribẽdique modũ quem in priori operecontinenter seruauimus, in hoc etiã posteriori studiose persequuti simus. Quã uis (ingenue fatear) longius disputatione mea progressus sum, quam videretur consuetudo Scholastica postulare, quod vt facerem vel inuitus, rationes me grauissimæ compulerunt. Ecquis enim tam erit in dicendo ieiunus, vel in scribendo inops, vt de amplissima dignitate, de moribus excellentissimis, de admirabili vita, & gratia beatissimæ Virginis dicturus, breui id, & compendioso sermone percurrat? Mihi profecto hoc in genere sæpe visa est Theologia nostra (vt medeste dicã) breuis admodũ, & cõcisa cúm materię dignitas, & amplitudo cũ summa voluptate eruditione, atque vtilitate coniuncta, longe aliud à viro theologo postulare suo veluti iure possit. De beata ergo Virgine egimus vberius, nec ratio ipsa permisit, nos esse breuiores in aperiẽdis opulẽtissimis thesauris mysteriorum vitę, mortisq, Iesu Christi Domini nostri: seu negligẽtiores in colligẽdis diuitiis, quas in hisce mysteriis diuina Bonitas velut effudit. Quo fortasse illud assequemur, vt & qui in sacris tẽplis abdita mysteriorũ arcana pro concione explicant, animisque audientiũ defigunt: & qui in scholis acriori disputatione eadem perscrutantur, id efficiant diligẽtius, veritatis rigore obseruato; ita vt & pietas à veritate fulciri, & veritas possit pietatis dulcedine vtilius inuestigari. Est enim sine veritate pietas imbecilla, & sine pietate veritas sterilis, & ieiuna. Adiecimus prętera disputationem de beato Iosepho, & de Diuo Ioanne Baptísta, vt cognitio de Christo domino, & de eius pręcursore, de B. Virgine, & de eius dilectissimo sponso á nobis

integra

integra, & perfecta daretur : vtque labor hic noſter ſplendore illuſtriſsimarum virtutum appareret illuſtrior. Viſum deinde nobis eſt, myſterijs Chriſti domini iam patratis quę peragenda ſperamus, adiungere ; vt qui primum eius aduentum in carne paſsibili pro viribus explicuimus, ſecundum in impaſsibili ſtudio nõ minore ponere-mus ob oculos. Tum vt perfectam de Chriſto domino diſputationem exhiberemus: tum etiam quia ſic nobis eſt in animo totã hãc tertiã D. Tho. partem cõmentationibus illuſtrare, vt omiſſa de quatuor nouiſsimis tractatione, explicationem noſtram in ſeptem ſacramẽtis Eccleſiæ terminemus. Quæ nos eadem cauſa mouit, vt hoc etiam opere cõplexi ſimus vniuerſalem omnium hominum reſurrectionẽ: tum propter coniunctionem, quam habet cum Chriſti domini reſurrectione: tum etiã quia neceſſario præcedit vltimum & vniuerſale iudicium. Hæc ſunt, ſtudioſe lector quæ vniuerſo hoc opere pertractãtur, ex quibus factum eſt, vt & opinionem meam, & forte aliorum expectationẽ ſua longitudine ſuperarit. Verum hoc concedendum eſt amplitudini, & maieſtati myſteriorum : quod tot ac tanta myſteria vel attingenda nõ eſſent, vel certe eſſent pro dignitate tractãda. Nunc vero illud vnũ eſt nobis maxime in optatis, vt labor hic noſter, qualis qualis ille fuerit quoquomodo iuuet, vt Chriſtus dominus, ſanctiſsimaque eius mater eo loco à nobis habeantur, eo diligantur amore; quo vel ipſi digni ſunt, vel nos redere arctiſsime tenemur obſtricti: vtque hæc ſacroſancta myſteria ſumma veneratione colãtur ab omnibus, pro quibus illa eadem operatus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus: â quo tanquam áperenni bonorum omnium fonte, ſi quid occurret laude dignũ, intelliges emanaſſe: ſi quid vero minus conſiderate dictum offenderis, ſolita benignitate condonabis, Vale.

(.?.)

INDEX QVAES-

tionum, & articulorum diui Thomę, quæ in hoc tomo exponuntur.

Prior numerus paginam indicat, posterior columnam.

QVÆSTIO. XXVII.

De Beatę Virginis Marię sãctificatione. 23. 1.

1 Vtrũ B. Virgo fuerit sanctificata ante natiuitatẽ ex vtero. 23. 2.

2 V. fuerit sãctificata ante animationẽ. 26. 1

3 Vtrum per sanctificationem fuerit ei fomes totaliter sublatus. 51. 2.

4 Vtrum per huiusmodi sanctificationẽ fuerit cõsequuta, vt nunquã peccaret. 55. 2.

5 V. per huiusmodi sanctificationẽ adepta fuerit plenitudinẽ omniũ gratiarũ. 56. 2.

6 Vtrum sic sanctificari fuerit propriũ beatæ Virginis. 58. 2.

QVÆSTIO. XXVIII.

De *virginitate Beatæ Mariæ*. 78. 2.

1 V. Beata Maria fuerit virgo in concipiendo. 78. 2.

2 V. fuerit virgo in partu. 80. 2.

3 V. permanserit virgo post partum. 92. 1.

4 Vtrum virginitatem vouerit. 104. 1.

QVÆSTIO. XXIX.

De *Matris Dei desponsatione*. 116. 1.

1 Vtrum Christus nasci debuerit de virgine desponsata. 116. 2.

2 Vtrum inter Mariã, & Ioseph fuerit verum matrimonium. 120. 1.

QVÆSTIO. XXX.

De Beatæ Marię Virginis *Annũtiatione*. 137. 2

1 V. necessarium fuerit annuntiari Beatę Virgini, quod in ea erat generãdũ. 138. 1.

2 Vtrum annũtiatio fieri debuerit per Angelum. 140. 2.

3 Vtrum Angelus annũtiãs debuerit visione corporali apparere. 142. 2.

4 Vtrum Annuntiatio fuerit conuenienti ordine perfecta. 144. 2.

QVÆSTIO. XXXI

De *conceptione Saluatoris quoad materiam, de qua corpus eius conceptum est*. 155. 1.

1 Vtrum caro Christi fuerit sumpta de Adã 155. 2.

2 Vtrum caro Christi fuerit sumpta de Dauid. 157. 1.

3 Vtrum cõueniẽter genealogia Christi ab Euangelistis texatur. 158. 1.

4 Vtrum decuerit, Christum nasci de fœmina. 161. 2.

5 Vtrum corpus Christi de purissimis sanguinibus Virginis formatũ fuerit. 163. 1

6 Vtrum corpus Christi in antiquis Patribus fuerit secundũ aliquid signatum. 115. 1.

7 Vtrũ caro Christi in Patribus fuerit peccato obnoxia. 167. 2.

8 Vtrum Christus in lumbis Ahrahæ fuerit decimatus. 169. 2.

QVÆSTIO. XXXII

De conceptione Christi, quoad actiuum principium. 172. 1.

1 Vtrum Spiritus sanctus fuerit principium actiuum conceptionis Christi. 172. 1.

2 Vtrum Christus debeat dici conceptus de Spiritu sancto. 175. 1.

3 Vtrum Spiritus sanctus debeat dici Pater Christi secundum carnem. 176. 2.

4 Vtrum beata Virgo aliquid actiue egerit in conceptione corporis Christi. 178. 2.

QVÆSTIO. XXXIII.

De *modo, & ordine cõceptionis Christi*. 188. 2.

1 Vtrum corpus Christi fuerit formatum in primo instanti conceptionis. 188. 2.

2 Vtrum fuerit animatum in primo instanti suæ conceptionis. 191. 1.

3 Vtrum in primo instanti cõceptionis fuerit á Verbo assumptum. 192. 2.

4 Vtrum conceptio Christi fuerit naturalis, vel miraculosa. 193. 2.

QVÆSTIO. XXXIIII.

De *perfectione prolis conceptę*. 201. 2.

1 Vtrũ Christus in primo instanti suæ cõceptionis fuerit sanctificatus per gratiam. 201. 2.

2 Vtrum in illo instãti habuerit vsum liberi arbitrij. 203. 2.

3 V. in illo instanti mereri potuerit. 205. 1.

4 Vtrum fuerit perfectus comprehensor in illo instanti. 207. 1.

QVÆSTIO. XXXV.

De *Natiuitate Christi*. 208. 1

1 Vtrum Natiuitas sit naturæ, vel personæ. 208. 2.

2 Vtrũ attribuenda sit Christo aliqua Natiuitas temporalis. 210. 2.

3 Vtrum secundum tẽporalem Christi Natiuita-

tiuitatem, beata Virgo posit dici mater eius.212.2.
4 V.B. Virgo debeat dici mater Dei.213.2.
5 V. in Christo sint duæ filiationes.214.2.
6 Vtrum Christus fuerit natus sine dolore matris.226.2.
7 Vtrum Crhristus debuerit in Bethlehem nasci.227.1.
8 Vtrum Christus fuerit tempore congruo natus.228.2

QVÆSTIO. XXXVI.

De *manifestatione Christi nati* 242.1.

1 Vtrum Natiuitas Christi debuerit esse omnibus manifesta.242.1.
2 V.debuerit aliquibus manifestari.245.1.
3 Vtrum sint conuenienter electi illi, quibus est manifestata.246.1.
4 Vtrum Christus perse ipsum illam manifestare debuerit.247.2.
5 Vtrum debuerit per Angelos, & stellam manifestari.248.2.
6 Vtrum ordine conuenienti fuerit manifesta.250.2.
7 Vtrum stella, quæ Magis apparuit,fuerit vna de cœlestibus stellis.252.1.
8 Vtrum Magi conuenienter ad Christum adorandum venerint.253.2.

QVÆSTIO. XXXVII.

De *legalibus circa puerum Iesum obseruatis.* 271.1

1 Vtrum Christus debuerit circumcidi. 271.2.
2 Vtrum conuenienter fuerit Christo nomen impositum.273.1.
3 Vtrum Christus conuenienter fuerit in tẽplo oblatus,282.2.
4 Vtrum mater Dei conuenienter ad templum purganda accesserit.284.2.

QVÆSTIO. XXXVIII.

*De Baptismo Ioannis.*367.2.

1 Vtrum conueniens fuerit,Ioannem Baptizare.395.2.
2 Vtrum Baptismus Ioannis fuerit à Deo. 396.2.
3 Vtrum in Baptismo Ioannis gratia daretur.398.1.
4 Vtrum alij præter Christum, Baptismo Ioannis Baptizari debuerint.400.2.
5 Vtrũ Baptismus Ioannis debuerit cessare, Christo Baptizato.401.2.
6 V.Baptizati Baptismo Ioannis essẽt postea Baptismo Christi Baptizandi.403.1.

QVÆSTIO. XXXIX.

De *Baptizatione Christi* 415.1.

1 Vtrum fuerit conueniens,Christum Baptizari.416.2.
2 Vtrum Baptismo Ioannis debuerit Baptizari.417.1.
3 Vtrum conuenienti tempore fuerit Baptizatus. 420.1.
4 Vtrum debuerit in Iordane Baptizari. 421.2.
5 Vtrũ Christo Baptizato, cęli debuerint aperiri.432.1.
6 Vtrum conuenienter Spiritussanctus super Christum Baptizatum descenderit in specie columbę.434.1.
7 Vtrum illa columba fuerit verũ animal. 436.2.
8 Vtrum conuenienter,Christo Baptizato, fuerit vox Patris audita,filium protestantis.438.2.

QVÆST. XL.

De *modo conuersationis Christi.*446.2.

1 Vtrum conueniens fuerit,Christum inter homines conuersari.447.1.
2 Vtrum austeram vitam in hoc mundo ducere debuerit.448.2.
3 V.in hoc mundo debuerit pauperem vitã ducere.450.1.
4 Vtrum in hac vita secundum legem conuersatus fuerit.459.2.

QVÆST. XLI.

De *Tentatione Christi.*471.1.

1 Vtrum conueniens fuerit,Christum Tentari.471.1.
2 Vtrum Christus in deserto Tentari debuerit.472.2.
3 Vtrum Tentatio debuerit esse post ieiunium.474.1.
4 Vtrum fuerit conueniens ordo,& modus Tentationis.475.2.

QVÆST. XLII.

De *Doctrina Christi.*489.1.

1 Vtrum conueniens fuerit,Christum Iudęis,& non Gentilibus prędicare.489.2
2 Vtrum debuerit Iudæis sine eorum offẽsione prædicare. 491.2.
3 Vtrum omnia publice docere debuerit. 492.2.
4 Vtrum debuerit suam doctrinam scripto tradere.495.1.

QVÆST. XLIII

De *Miraculis a Christo factis in generali.* 507.2.

1 V.Christ9 debuerit facere Miracula.570.2
2 V.fecerit Miracula diuina virtute. 509.1.
Vtrum inceperit facere Miracula in nuptijs.510.2.
Vtrum Miracula per Christum facta sufficien-

ficienter eius diuinitatem ostenderint 511.2.

QVÆST. XLIIII.

De singulis miraculorum speciebus. 517.

1 V. miracula facta per Christum circa spirituales substãtias fuerint cõuenientia. 513.2.

2 V. conuenienter fecerit miracula circa cę

3 lestia corpora. 515.2.

Vtrum conuenienter circa homines miracula fecerit 518.2.

4 Vtrum conueniẽter fecerit miracula circa creaturas irrationales. 520.

QVÆSTIO. XLV.

De *Transfiguratione Christi.* 542.1.

1 Vtrum conueniẽs fuerit, Christum Trãsfigurari, 542.2.

2 Vtrum claritas Christi in Transfiguratione fuerit gloriosa. 545.2.

3 Vtrum testes Transfigurationis cõueniẽter fuerint inducti. 548.2.

4 Vtrum conuenienter auditum fuerit testimonium paternę vocis in Transfiguratione. 551.1.

QVÆSTIO. XLVI.

De *Passione Christi.* 560.2.

1 Vtrum fuerit necessarium, Christum Pati pro liberatione humani generis. 561.1.

2 V. fuerit possibilis ali⁹ mod⁹ liberationis humanę, quàm Passio Christi. 562.2.

3 Vtrum fuerit aliquis modus conueniẽtior ad liberationem humani generis. 564.1.

4 V. Christus Pati debuerit in cruce. 565.2.

5 Vtrum Christus omnes Passiones sustinuerit. 570.1.

6 Vtrum dolor Passionis Christi fuerit maior omnibus doloribus. 572.1.

7 Vtrum Christus Passus fuerit secundum totam animam. 574.2.

8 V. tota anima Christi in Passione frueretur fruitione beata. 576.2.

9 V. Christus fuerit cõuenienti tẽpore Passus. 618.1.

10 V. fuerit conuenienti loco Passus 620. 2.

11 Vtrum conueniens fuerit, Christum cum latronibus crucifigi. 625.1.

12 Vtrũ Passio Christi sit eius diuinitati attribuenda 630.1.

QVÆST. XLVII.

De Causa efficiente passionis Christi. 645.2.

1 Vtrum Christus fuerit ab alio occisus, an à se ipso. 645.2.

2 V. fuerit ex obedientia mortuus. 647.1.

3 V. De⁹ tradiderit Christũ passioni. 648.2

4 Vtrum fuerit conueniens, Christum pati à Gentilibus. 650.2.

5 Vtrum Christi persecutores eum cognouerint. 652.2.

6 Vtrum peccatum Christum crucifigentiũ fuerit grauissimum. 654.1.

QVÆST. XLVIII.

De modo passionis Christi quantum ad effectũ 658.1.

1 Vtrum passio Christi causauerit nostrã salutem per modum meriti. 658.1.

2 Vtrum per modum satisfactionis. 659.1.

3 V. per modum sacrificij. 660.1.

4 V. per modum redemptionis. 663.1.

5 V. esse Redẽptorem, sit proprium Christi. 664.1.

6 Vtrum passio Christi operata sit nostrã salutem per modum efficientiæ. 666.2.

QVÆST. XLIX.

De effectibus passionis Christi. 667.1.

1 Vtrum per passionem Christi simus liberati à peccato. 667.2.

2 V. simus liberati á potestate diaboli. 669.1

3 V. simus liberati à pęna peccati. 670.2.

4 Vtrum per passionem Christi simus Deo reconciliati. 671.2.

6 Vtrũ Christus sua passione aperuerit nobis ianuam cœli. 672.2.

6 Vtrum Christus per suam passionẽ meruerit exaltari. 674.2.

QVÆST. L.

De morte Christi. 676.1.

1 Vtrum conueniẽs fuerit, Christum mori 676.2.

2 Vtrum in morte Christi fuerit separata diuinitas à carne. 677.2.

3 Vtrum fuerit facta separatio diuinitatis ab anima. 679.2.

4 Vtrum Christus in triduo mortis fuerit homo. 681.1.

5 Vtrum fuerit idem corpus Christi viuẽtis, & mortui. 682.2.

6 Vtrum mors Christi aliquid operata sit ad nostram salutem. 684.2.

QVÆST. LI

De *Sepultura Christi* 737.1.

1 V. fuerit cõueniẽs Christũ Sepeliri. 737.1

2 Vtrum conuenienti modo fuerit Sepulrus. 738 2.

3 Vtrum corpus Christi fuerit in Sepulcro incineratum 741.1.

4 Vtrum Christus fuerit in Sepulcro solũ vna die, & duabus noctibus. 754.1.

QVÆST. LII.

De *Descensu Christi ad inferos.* 755.2.

1 Vtrũ fuerit conueniens, Christum ad infernum

fernum descendere.765.2.
2 Vtrum descenderit ad infernum damnatorum 767.2.
3 V.fuerit totus in inferno 771 1.
4 Vtrum aliquam moram traxerit in inferno.772.1.
5 Vtrum descendens ad inferos sanctos Patres inde liberauerit.774.2.
6 Vtrum aliquos damnatos,ab inferno liberauerit.776.1.
7 Vtrum pueri,qui in originali peccato decesserāt,fuerint a Christo liberati.778.1
8 Vtrum Christus suo descensu liberauerit animas a purgatorio,780. 1.

QVÆSTIO. LIII.

De resurrectione Christi 804.1.

1 Vtrum fuerit necessarium Christum resurgere.830.1.
2 Vtrum fuerit conueniens tertia die resurgere.843.2.
3 Vtrū Christus primo resurrexerit. 861.1
4 Vtrum Christus fuerit causa suæ resurrectionis.869.2.

QVÆSTIO. LIIII.

*De qualitate Christi resurgentis.*870.2.

1 Vtrum Christus post resurrectionem habuerit verum corpus.870.2.
2 Vtrum Christi corpus resurrexerit integrum 874 1.
3 Vtrum resurrexerit gloriosum.875 2.
4 Vtrum debuerit cū cicatricibus resurgere.878.2.

QVÆSTIO. LV.

De manifestatione resurrectionis. 934.2.

1 Vtrum Resurrectio Christi debuerit omnibus manifestari.934.2.
2 Vtrum fuerit conueniens quod discipuli viderent Christum resurgere,836.1.
3 Vtrum Christus post resurrectionem debuerit continue cum discipulis conuersari.938.1.
4 Vtrum debuerit discipulis in alia effigie apparere.940.2.
5 V.veritatem resurrectionis debuerit argumentis declarare.971 2.
6 Vtrum argumenta,quæ Christus induxit, sufficienter manifestauerint resurrectionem eius 974.1.

QVÆSTIO. LVI.

*De resurrectionis Christi causalitate.*977. 2.

1 V.resurrectio Christi sit causa resurrectionis corporum.977.2.
2 Vtrum resurrectio Christi sit causa resurrectionis animarum.979.2.

QVÆSTIO. LVII.

*De ascensione Christi.*1023 1.

1 Vtrum fuerit conueniens Christum ascendere.1023.1.
2 V.conueniat Christo ascendere in cœlum secundum diuinam naturam.127.1.
3 Vtrū Christus ascenderit propria virtute. 1029 1.
4 V.ascenderit super omnes cœlos.1030. 2.
5 Vtrū corpus Christi ascenderit super omnem creaturā spiritualem.1031.2.
6 Vtrum Ascensio Christi sit causa nostræ salutis.104 1.

QVÆSTIO. LVIII.

De Sessione Christi ad dexteram patris 1035.2.

1 Vtrum Christo conueniat sedere ad dexteram Dei Patris.1035 2.
2 V.sedere ad dexteram Patris conueniat Christo secundum quod Deus.1037 1.
3 V.sedere ad dexteram Patris conueniat Christo secundum quod homo.1038.1.
4 Vtrum sit proprium Christi.1039.2.

QVÆSTIO. LIX.

*De iudiciaria potestate Christi.*1060.2

1 V.iudiciaria potestas sit specialiter Christo attribuenda.1060.2.
2 Vtrum conueniat Christo secundū quod est homo.1064.2.
3 Vtrum Christus ex meritis adeptus fuerit iudiciariam potestatem.1067.2.
4 Vtrum Christoconueniat iudiciaria potestas,quātū ad omnes res humanas.1069.1
5 V.post iudicium,quod agitur in præsenti tempore,restet aliud iudicium.1070.2.
6 Vtrum iudiciaria potestas Christi se extēdat ad angelos.1072.1.

FINIS.

INDEX DISPV

tationum & sectionum quæ in hoc tomo continẽtur.

Prior numerus paginam, posterior columnam disignat.

DISPVTATIO I.

De *matris Dei dignitate in communi.* 3.2.

1 VTrum beata Virgo vere, ac proprie fuerit mater Dei, & hominis. 3.2.

2 Quanta sit hæc dignitas matris Dei, & quomodo alia dona gratiæ illam comitentur. 7.2.

3 Quomodo fuerit beata Virgo ad hanc matris Dei dignitatem prædestinata, 9.2.

DISPVTAT. II.

De naturali perfectione, & origine beatæ Virginis. 13.1.

1 Vtrum beata Virgo fuerit naturali modo concepta, & ex quibus parentibus. 13.2.

2 In qua naturali perfectione concepta fuerit beata Virgo. 15.1.

3 Vtrum beata Virgo ex tribu Iuda, & ex stirpe Dauid originem duxerit. 16.1.

DISPVT. III.

De tempore, quo primum beata Virgo sanctificata fuit. 28.2.

1 An beata Virgo fuerit sanctificata in vtero matris. 29.1.

2 Vtrum peccauerit in Adamo, & ideo ex vi suæ cõceptionis fuerit originali peccato obnoxia. 30.1.

3 Vtrum potuerit ante animationem sanctificari. 33.1.

4 An potuerit in ipso momento conceptionis sanctificari. 34.1.

5 An fuerit ab originali peccato præseruata, & in primo suę conceptionis instanti sanctificata. 36.1.

6 Qua certitudine tenendum sit, beatam Virginem fuisse sine peccato conceptam. 50.1.

DISPVT. IIII.

De perfectione primæ sanctificationis beatæ Virginis. 59.2.

1 Vtrum beata Virgo in prima sanctificatione acceperit consummatam gratiam, aut in quo perfectionis gradu. 60.1.

2 Vtrum omnes habitus virtutum, & donorum acceperit. 62.1.

3 Vtrum per primam sanctificationem donum perseuerantiæ, & confirmationem in gratia acceperit. 63.1.

4 Vtrum in prima sanctificatione ita fuerit confirmata, vt nec venialiter peccare potuerit. 66.1.

5 Vtrum in prima sanctificatione fomes originalis peccati fuerit in B. Virgine extinctus. 70.1.

6 Vtrum B. Virgo in prima sanctificatione originalem iustitiam acceperit. 73.2.

7 Vtrum habuerit vsum rationis a suæ conceptionis, & sanctificationis initio. 74.2.

8 Vtrum sanctificata fuerit per propriam dispositionem. 77.2.

DISPVTATIO. V.

De *integritate, seu corporali virginitate Deiparæ.* 94.2

1 V. B. virgo Christum concipiendo virginitatem, seu corporis integritatem amiserit, ibidem.

2 V. filium pariendo virginitatem amiserit. 99.1.

3 V. post partũ semper virginitatem seruauerit 104.1

4 Quomodo Christus legitur habuisse fratres, si mater eius semper virgo permansit. 106.2.

DISPVTATIO. VI.

De virginitate Mariæ, quantum ad virtutẽ animi spectat.

1 Vtrum B. virgo semper habuerit propositum virginitatis seruandę. 105.2.

2 An propositum virginitatis seruandæ voto firmauerit: & quo tempore. 109.2.

3 An in seruanda, & vouenda virginitate prima fuerit. 104.1.

DISPVTATIO. VII

De Virginis matrimonio cum sponso suo Ioseph 121.2.

1 V. inter Mariam, & Ioseph verum matrimonium Intercesserit. 122.2.

2 Quo tempore fuerit matrimonium perfectum, inter Mariam, & Ioseph. 126.1.

3 In qua ætate Ioseph, & Maria matrimonium contraxerint. 128.2.

DISPVTATIO. VIII.

De sancto Ioseph sponso B. Virginis 130.1.

1 Qualis fuit dignitas, in qua Ioseph ex diuina electione fuit constitutus. 131.2.

2 Quã sanctitatis perfectionem sanctus Ioseph fuerit consequutus. 143.1.

DISPVT. IX.

De modo & circunstantijs annuntiationis angelicæ. 146.2.

1 Quis fuerit Gabriel angelus diuinę incarnationis nuntius. 147.1.

2 V. angelus apparuerit Virgini in specie visibili atque humana, & de perfectione reuelationis Virgini factæ. 148.2.

3 Qualis fuerit perturbatio ex loquutione angeli in Virgine facta: vnde ve orta. 151.1.

4 V. B. Virgo in angelica annuntiatione statim Christum conceperit. 152.2.

5 Quo loco, & tempore facta sit hæc annuntiatio. 154.1.

DISPVTATIO. X.

De *causis, quę humanam Christi conceptionem ex Virgine operatæ sunt.* 180.1.

Quomodo

INDEX DISPVTATIONVM,

1 Quomodo B. Virgo materiam miniſtrauerit conceptioni Chriſti. 181. 1.
2 Vtrum ſolus Spiritus ſanctus fuerit cauſa efficiēs conceptionis humanæ Chriſti. 184. 1.
3 V. potuerit B. virgo Chriſtū ex viro cōcipere. 187. 1

DISPVT. XI.

De tēpore, & modo conceptionis Chriſti. 195. 1.
1 V. potuerit conceptio Chriſti fieri in inſtanti. 195. 1.
2 V. facta ſit in inſtanti. 196. 2.

DISPVT. XII.

De relationibus quæ ex Chriſti natiuitate inter eum & matrem conſequuntur. 217. 1.
1 V. in B. Virgine ſit relatio realis matris ad filium. 217. 1.
2 Vtrum in Chriſto ſit relatio realis creata filij ad matrem. 218. 2.
3 Vtrum perſeuerent nunc in Chriſto, & Virgine relationes matris & filij. 225. 2.

DISPVTAT. XIII.

De Natiuitate Chriſti ex vtero matris. 230. 1.
1 Vtrum vere, ac proprie Chriſtus natus fuerit ex Virgine. 230. 1.
2 Vtrum Chriſti natiuitas abſque dolore matris, & ſordibus puerperij perfecta ſit. 232. 1.
3 Quo in loco natus ſit Chriſtus. 235. 2.
4 Quotempore. 239. 1.

DISPVT. XIIII.

De prodigijs, quibus Chriſti natiuitas manifeſtata eſt præſertim Magis. 255. 1.
1 Quibus ſignis, quibuſq; perſonis Chriſti natiuitas manifeſtata ſit. 255. 1.
2 Quot, & cuius conditionis Magi fuerint. 257. 2.
3 Ex qua regione venerint. 260. 1.
4 Quo loco, & tempore Chriſtū adorauerint. 263. 2.
5 De ſtella, quæ Magis apparuit. 266. 1.
6 Quomodo viſa ſtella, Magi cognouerint Chriſti natiuitatem. 269. 2.

DISPVTAT. XV.

De Myſterio circumciſionis 275. 1.
1 V. licuerit, vel decuerit Chriſtū circūcidere. 275. 1
2 De nomine Ieſu, Chriſto impoſito 278. 1.

DISPVTAT. VI.

De Chriſti præſentatione, & Virginis purificatione. 286. 1.
1 V. debuerit B. Virgo Chriſtum in tēplo præſentare, ac redimere, & pro eo ſacrificiū offerre. 286. 1.
2 V. ex obligatione legis B. Virgo ad templum purganda venerit. 291. 2.

DISPVTAT. XVII.

De reliquis myſterijs vitæ Chriſti vſque ad annum ætatis trigeſimum. 295. 2.
1 Cur Chriſtus in Aegyptū fugere voluerit. 294. 1.
2 Quando, & ad quem locum Chriſtus ex Aegypto redierit. 298. 2.
3 Quid egerit Chriſtus, quamque viuendi rationem cum parentibus tenuerit 301. 2.

DISPVTAT. XVIII.

De perfectione meritorum, & gratię B. Virginis. 305. 2.
1 Vtrum B. Virgo toto tempore vitæ ſuæ potuerit in gratia creſcere per propria merita. 305 2.
2 V In ſingulis actibus momentis quaſi continue meruerit. 309. 2.
3 V aliquod augmentum gratiæ obtinuerit ex opere operato, & quibus modis. 313. 1.
4 Quantam gratiæ perfectionem, ac intenſionē fuerit conſequuta. 316. 1.

DISPVTAT. XIX.

De ſcientia B. Virginis in ſtatu viæ. 323. 2.
1 Vtrum B. Virgo habuerit in hac vita perfectam diuinarum rerum cognitionem. 323. 2.
2 Quibus modis in ea profecerit. 325. 2.
3 V. habuerit ſcientiam diuinorum myſteriorū per ſe infuſam. 328. 2.
4 V. per ſpeciales reuelationes nonnulla cognouerit. 331. 2.
5 Vtrum habuerit humanam ſcientiam rerum naturalium. 333. 2.
6 V. in ea aliqua fuerit ignorantia. 335. 1.

DISPVTAT. XX.

De gratijs gratis datis B. Virgini. 337. 1.
1 V. habuerit B. virgo gratias gratis datas ad cognitionem pertinentes. 337. 1.
2 Vtrum habuerit gratias, quę circa ſermonem verſantur. 339. 2.
3 Vtrum habuerit gratias ad operationem pertinētes. 340. 2.

DISPVTAT. XXI.

De glorioſa morte, & aſſumptione B. Virginis. 341. 2.
1 V. corporalem mortem paſſa fuerit. 342. 1.
2 Vtrum paulo poſt mortem glorioſa ſurrexerit, & in cœlum aſſumpta fuerit 344. 2.
3 De perfectione eſſentiali beatitudinis. 348. 1.
4 V. habeat omnes perfectiones gloriæ accidentalis corporis, & animæ. 351. 1.

DISPVTAT. XXII.

De adoratione B. Virgini debita. 352. 2.
1 V. cultu religioſo adoranda ſit. 353. 1.
2 Ob quam potiſſimum rationē. 355. 1,
3 Cuius ſpeciei, & virtutis actus ſit hæc Virginis adoratio. 357. 1.

DISPVTAT. XXIII.

De B. Virginis interceſſione, atque inuocatione 360. 1.
1 Vtrum B. Virgo ante ſtatum beatitudinis fuerit aliquo modo noſtræ ſalutis cauſa. 360. 1.
2 V. nunc etiam pro nobis intercedat. 362. 2.
3 V. B. Virgo ſit a nobis oranda. 365. 1

DISPVTAT. XXIIII.

De Ioanne Chriſti præcurſore. 367. 2.
1 V. Joannes Baptiſta fuerit præcurſor Meſsiæ, in lege promiſſus. 368.
2 Quod nam fuerit munus præcurſoris. 370. 1.
3 Quanta fuerit eius ſanctitas. 374. 1.
4 V. malo culpę, & defectibus, qui ex illo fluunt ſubiectus fuerit 382. 1.
5 Quæ gratiæ gratis datæ, & ſingularia priuilegia in Ioanne fuerint. 389. 2.
6 Quæ ſit excellentia gloriæ S. Ioannis. 393.

DISPVTAT. XXV.

De baptiſmo Ioannis. 405. 1.
1 An conſtiterit ex aliqua materia, & forma. 405. 1.
2 V. ad dandam gratiam fuerit inſtitutus, vel cuius rei gratia. 407. 2.
3 Quādo fuerit datus, quantuncūq; duraverit. 410. 1.
4 Vtrum fuerit ſacramentum alicuius legis. 412. 2.

Diſpu

ET SECTIONVM.

DISPVTATIO. XXVI.

De tempore, & ætate, in qua Christus baptizatus est 422 2.

1 Quo die, ac mense baptizatus sit Christus. 423. 1.
2 Quo ætatis anno. 426. 2.

DISPVT. XXVII.

De ijs, quę in baptismo Christi acciderũt 439. 2

1 V. baptizato Christo, vere fuerit cœlũ apertũ. 440. 1
2 Vtrum spiritus sanctus vere in specie columbæ desenderit, ita vt externis oculis cerni posset. 442. 1
3 Vtrum baptizato Christo, vox Patris vere audita fuerit, & obquam causam. 444. 1.

DISPVTAT. XXVIII.

De ratione, seu statu vitæ, quem Christus in hoc mundo habuit. 451 2.

1 Cur nõ instituerit Christus vitam eremiticã. 452. 1
2 V. religiosæ vitæ statum coluerit. 454. 1.
3 V. vitam austeram agere debuerit. 461. 1.

DISPVTAT. XXIX.

De recessu Christi in desertum, & ijs, quę ibi acciderunt 477. 2

1 Cur Christus in desertum secesserit. 478. 1.
2 Quomodo quadraginta diebus sine sensu famis ieiunarit. 481. 1
3 Quo loco, & tempore ieiunauit, & a Dęmone tẽtatus est. 483. 2.
4 Quibus in rebus, quo ve ordine, ac modo tentatus fuerit. 487. 2

DISPVTATIO. XXX.

De Christo Doctore, eiusque doctrina. 498. 1.

1 V. Christus ad docendos homines venerit, & perfecte munus illud obierit. 498. 1.
2 Vtrum decuerit Christum cum offensione & scandalo Iudæorum docere. 500. 2.
3 Quanto tempore Christus prædicauerit, 502. 2.

DISPVTATIO. XXXI.

De efficacia miraculorum Christi ad doctrinam eius suadendam. 524. 1.

1 V. miracula Christi fuerint simpliciter necessaria ad suadẽdã, & cõfirmãdã eius doctrinam. 524. 1.
2 V. miracula Christi doctrinã eius ita confirmarẽt vt ad credendum cogerent. 527. 2.
3 Vtrum miracula Christi coegerint angelos adcredendum Christo prædicanti se esse Messiam, ac Deum 531. 2.
4 V. ex Christi miraculis cognouerint Iudæi Iesum fuisse Messiã promissum, verumq; Deum. 537. 2.

DISPVTAT. XXXII.

De ijs, quæ in transfiguratione Domini acciderunt. 552 2.

1 V. transfiguratio facta sit per nouã claritatem corpori, vel faciei Christi inhærentem. 552. 2.
2 V. Moyses & Elias vere cum Christo apparuerint in eius transfiguratione. 556 2.
3 Quibus circunstantijs, quove ordine, facta sit trãsfiguratio. 559. 2.

DISPVTAT. XXXIII.

De passione Christi in genere. 577 2.

1 Quę passionũ genera Christus sustinuerit. 578. 1.
2 Quam graues, & acerbi fuerint dolores passionis Christi. 580. 1.

DISPVT. XXXIIII.

De ijs, quæ Christus Dominus vsque ad comprehensionem passus est 585. 2.

1 Quam ob causam, & quo pretio Iudas Christum vendiderit. 585. 2:
2 V. sudor sanguineus Christi in horto verus, ac naturalis fuerit. 591. 1.
3 Quæ mirabilia acciderint in Christi comprehensione. 593 2.

DISPVT. XXXV.

De ijs, quæ Christus Dominus vsque ad latã mortis sententiam passus est 597. 2. [598. 2.

1 Quoties Petrus Christum negauerit, & quomodo
2 Quoties, & quã acerbe flagellat⁹ sit Christus. 604. 2
3 Quæ, & quanta passus fuerit Christus, quando spinis fuit coronatus 606. 2.

DISPVT. XXXVI.

De crucifixione Christi. 609. 1.

1 Quam inique fuerit Christus ad crucis supplicium damnatus. 609. 1.
2 V. Christus crucem, in qua suspensus est, proprijs humeris gestauerit. 611. 1.
3 An vere Christus fuerit cruci affixus. 613. 2.
4 V omni no nudus, & spinis coronatus fuerit crucifixus. 919. 2.

DISPVT. XXXVII.

De ijs, quæ Christus in cruce pendens ante mortem passus, & operatus est. 631. 1.

1 Quomodo milites vestimẽta Christi inter se diuiserint, & qd genus peccati, & iniuriæ hoc fuerit. 631. 1
2 Cur fuerit titulus super crucem Christi impositus 632. 2.
3 Quando, & qnomodo vinum & acetum felle mixtum fuerint Christo ad bibendum data. 635. 2.
4 V. Christus verbis, quæ in cruce protulit, testamẽtum condiderit 639. 2.

DISPVT. XXXVIII.

De morte Christi quoad substantiam, & causas eius. 685. 2.

1 V. Christ⁹ vere, ac naturaliter mortu⁹ fuerit. 685. 2
2 Quænam substantialis vnio in Christi morte dissoluta sit. 689. 1.
3 V. in morte Christi aliqua noua generatio, vel hypostatica vnio interceserit. 691. 1.

DISPVT. XXXIX.

De prodigijs, quæ in morte Christi domini acciderunt. 694. 1.

1 V. in morte Christi tenebrę factæ sint in vniuerso orbe, & quæ earum causa fuerit. 694. 1.
2 Quæ prodigia, & quomodo facta sint mortuo Christo, & in cruce pendente 696. 2.

DISPVT. XXXX.

De tẽpore passionis & mortis Domini. 699. 2

1 Quo anno ętatis Christus diem obierit. 699. 2.
2 Quid fuerit Pascha Iudęorũ, & quo tẽpore celebrare, & ab Azymorũ festo quomodo differret 703. 2
3 V. Christus cœnam celebrauerit, lege præscripto tempore, & decima quarta luna. 712 1.
4 V. Christus mortuus fuerit primo die solenni, ac festiuo azymorum. 717. 1.
5 Qua die hebdomadæ, & mẽsis fuerit mortuus. 726. 2
6 Qua hora passus sit, ac mortuus. 728. 2.

DISPVT. XXXXI.

De ijs, quę post mortem circa Christi corpus facta sunt. 743 2.

1 V. Christi corpus in cruce pẽdens post mortem fuerit ita lancea vulneratum, vt ex latere eius sanguis, & aqua manauerit 743. 2.
2 Quomodo fuerit de cruce depositum, & ad sepulturam præparatum, quidue tunc B. Virgo passa fuerit. 747. 2.
3 V. expediens fuerit Christum sepeliri. 751. 2.

Disputa-

INDEX DISPVTATIONVM,

DISPVTAT.XLII.

De loco, ac statu animarum Sanctarum ante Christi mortem. 756.1.

1 V.fuerint gloriosæ.756.1.
2 In quo loco fuerint.761.2.

DISPVTAT.XLIII.

de statu animæ Christi a corpore separatæ. 782.2.

1 An statim fuerit impassibilis.783.1.
2 V.vere ac proprie descenderit ad inferos 788.1.
3 Quid Christus ibi operatus sit 797.2,
4 Ad quæ loca inferni descenderit,quantumque ibi moratus sit.801.1.

DISPVTAT. XLIIII.

De resurrectione secundum se 804.2.

1 Quid sit resurrectio.804.2. (here debeat.806.2.
2 V.& resurgit,eãdemnumero animã, & materiã ha
2 V.requirat eadem accidentia.812.2.
3 V.resurrectio sit mutatio instantanea.815.2
4 V.sit supernaturalis mutatio,a Physica generatione
5 essentialiter distincta.817.2.
6 V.sit possibilis.820.2.
7 V.sit naturæ debita à Deo eius autore.825.2.
8 V.possit naturali ratione ostendi.828.2.

DISPVTAT.XLV.

De Christi resurrectione, & causis eius. 833.2.

1 V Christus vere resurrexerit.834.1.
2 Quæ fuerint causæ resurrectionis Christi.839.1.

DISPVTAT.XLVI.

De tempore resurrectionis Christi 845.1.

1 V.tertia post mortẽ die,eaq; Dominica resurrexerit
2 Qua hora resurrexerit.850.1. [846.1.
3 Quot fuerint transactę horę a morte Christi vsque ad resurrectionem.857.1.

DISPVTAT.XLVII.

De perfectione naturali Christi resurgẽtis 880.1

1 V.corpus Christi gloriosum habuerit omnes partes solidas corporis humani 880.1.
2 Quomodo in eo vulnerũ cicatrices permanserit,882.2
3 V.in eo sint sanguis & alij humores.886.1.
4 V.sit perfectæ magnitudinis,ac pulcritudinis. 891.1.
5 V.in eo sint facultates animæ vegetantis.893.1.
6 V.in eo sint omnes sensus,& actiones eorum.895.2.

DISPVT. XLVIII.

De supernaturali perfectione corporis Christi post resurrectionem. 902.1.

1 V.aliquã supernaturalẽ perfectionẽ habeat.902.1.
1 Quæ,& qualis sit claritas eius.909.1.
2 Quomodo sit factum impassibile.915.1.
3 Quid sit agilitas eius,& adquid.921.2.
4 V.possit simul esse in eodem loco cum quolibet a-
5 lio corpore,& quomodo.928.1.

DISPVTAT.XLIX.

De apparitionibus Christi resurgentis 942.1.

1 V.Matri suę priusquã cæteris apparuerit.942.1.
1 Quæ,&quot fuerint mulieres quibus apparuit.944.
2 Quo ordine eis apparuit.951.1.
3 Quoties apparuit ipso resurrectionis die.960.2.
4 Quoties post diem illum.969.1.

DISPVTAT. L.

De resurrectione generali mortuorum. 981.1.

V futura sit generalis hominum resurrectio.981.1
1 V.Omnes homines iusti resurrecturi sint.988.2.
2 V.Homines damnati resurrecturi sint.993.1.
3 V.Christus effecturus sit resurrectionem per se,vel
4 Angelos.995.1.
V.Christus sit causa exemplaris nostræ resurrectio
5 nis,quantum ad terminum ad quem.1002.2.
6 V.etiam quoad terminum a quo.1007.2,
7 De loco resurrectionis.1011.1.
8 V.omniũ resurrectio futura sit in die iudicij.1013.1
9 V.simul tempore futura sit.1019.1.
10 V.diurno,vel nocturno tempore.1022.1.

DISPVT. LI.

De ascensione Christi. 1040.2.

1 V.Christus vere ac proprie in cœlũ ascẽderit.1040.2
2 Quibus circunstantijs.1045.2.
3 V.Christus per ascensionem consequutus sit, vt se-
4 deat ad dexteram Patris.1049.2.
V.post ascẽsionẽ aliquãdo Christ⁹ descẽderit.1057.2

DISPVT. LII.

De iudiciaria Christi potestate. 1073.1.

1 Quæ sit potestas iudicandi Christo data.1073.1.
2 De actibus eius particulari iudicio.1078.2.

DISPVT. LIII. [1085.1.

De secũdo Christi aduẽtu ad vniuersale iudiciũ.

1 An sit futurum vniuersale iudicium.1086.1,
2 An Christus secundo venturus sit ad vniuersale iudi
3 cium peragendum.1089.2.
3 Quo in loco futurum est hoc iudicium.1095.2.
4 Quo tempore futurum sit.1097.2.

DISPVT. LIIII.

De Antichristo. 1102.1.

1 V.sit aliquis singularis homo.1102.2.
2 V.iã venerit,vel futurus sit,& ex quo genere.1106.1
3 Qui sint futuri mores eius,1110.1.
4 Quæ sit futura eius doctrina.1112.1.
5 Quale sit futurum eius regnum.1115.2.
6 De eius persecutione,& fine illius.1119.1.

DISPVTAT. LV. 1122.1.

De bonis Præcursoribus secũdi aduẽtus Christi.

1 V.Elias & Enoch,nunc viuant.1122.2.
2 Quid acturi,vel passuri sub Antichristo 1128.1.
V.Ioannes Euangelista,vel aliquis alius futurus sit
3 præcursor secundi aduentus.1131.2.

DISPVT. LVI.

De signis secundi aduentus. 1131.2.

1 V.ante iudicium prædicandum sit euangelium in
vniuerso mundo.1136.2.
V.Proxime ante iudicium Vrbs,& Romanum im-
perium extinguenda sint.1143.1.
3 Quę sint futura signa in cœlis.1147.1.
4 Quę in cęteris rebus sensibilibus.1153.1.

DISPVT. LVII.

De aduentu iudicis,& forma iudicij. 1155.1.

1 An ignis præcedet Christũ ad iudiciũ veniẽtẽ.1155.1
2 V.etiam signum crucis præcedet.1162.2
Qua gloria & maiestate Christus veniet.1164.1.
3 V.aliqui sessuri sint cũ Christo ad iudicandũ.1166.1.
4 V.omnes homines iniqui sint iudicandi.1170.2.
5 V.Paruuli iudicandi sint.1173.1.
6 V.omnes homines iusti iudicãdi sint.1175.2
7 V.omnes Angeli iudicandi sint,1179. [1181.1.
8 Quomodo sint omnia opera in iudicio manifestãda.
9 Quomodo fit proferenda sententia,&iudicium cõ-
10 summandum.1184.2.

DISPVT. LVIII.

De statu Christi,& totius vniuersi post iudicium peractum. 1186.1.

1 V.Post reditum Christi in cœlum statim mundus re
nouandus sit.1186.2.
Qualis futura sit mundi renouatio.1188.2,
2 Quo ordine perficienda sit.1198.2.
3 V.Christus post mundi instaurationem perpetuo sit
4 in cœlis regnaturus.1202.1.

FINIS.



COMMENTARII, ET DISPVTATIONES P. FRANCISCI SVAREZ E SOCIETATE IESV IN TERTIAM PARTEM D. THOMAE.

A QVAESTIONE VIGESIMA SEPTIMA ad quinquagesimam nonam.

PRAEFATIO.

POstquam D. Thomas priorē huius doctrinæ partē absoluit, in qua diuinum Incarnationis mysteriū diligenter, & accurate perscrutatus est, posteriorem aggreditur, in qua de Christi domini Vita, Morte, Resurrectione, atq; æterna felicitate nō minus copiosè, & eruditè disputat. Cuius disputationis initiū à Deiparæ cognitione non immerito auspicatur. Erat enim hęc tractatio ad huius materiæ complementum maximè necessaria. Nam sicut æterna Christi processio absque æterni Patris fide credi nō potest, ita temporalis eius generatio, quæ ex matre sine patre initium habuit, sine præuia eiusdem Deiparæ cognitione comparari non poterat. Cognitio enim effectus cognitionem causæ supponit: cum autem B. Virgo Christum vt hominē genuerit, sub hac ratione causam illius esse necesse est. Recte igitur ad scientiam de filio consequēdam, per matris cognitionem paratur via neque enim poterāt, qui & sanguine, & dilectione adeò coniuncti sunt, disputatione seiungi, nec par erat in tam longo de Christo sermone, de Virgine tacere. Quanquam verò in hoc, sicut in præcedēti tomo omnes D. Thom. quæstiones suo sint ordine á nobis elucidandę, quia tamē in animo est integram, ac copiosam de B. Virgine tractationem instituere, ab eius dignitate, & prędestinatione vsque ad vltimam exaltationem rem totā arcessendo, & omnia mysteria, quę in illa Deus operatus est, & omnes gratias, merita, scientiam, omnemq; illius perfectionem diligēter perscrutando; ideò posteriorem hanc de Christo tractationē in duas præcipuas partes distribuam, in quarum priori de B. Virgine, & vita Saluatoris vsque ad trigesimum ætatis annum (quoniam hæc duo inter se connexa sunt,) simul disputabo, & quęstiones D. Thom. à 27. vsque ad 37. exponam, in alia verò parte de reliquo tempore vitę Christi, ac de illius prædicatione, morte, Resurrectione, Ascensione, & secundo eius aduentu, secundoque in cœlum redditu disserendum erit.

Sciētia de Christo cū Deiparæ cognitione coniuncta.

Neque existimandum est, prędictis disputationis materiam, ex ea præsertim parte, quę ad B. Virginem spectat, esse ab instituto scholastico alienā, vel quia doctores scholastici breuissimè illam attingunt,

vel quia certis Theologię principijs fundari non potest, sed solum probabilibus rationibus aut pijs coniecturis. Ego enim post ipsius Dei, ac Christi cognitionem, nullam, aut vtiliorem, aut viro Theologo digniorem esse existimo. Neque intelligo cur de gratia angelorum, deque illorũ meritis, ac statu viæ, ac deniq; de eorum gloria, cæterisque scientiæ, & gratiæ donis, & ministerijs, seu officijs tam accurate Theologi disputent, de Angelorũ verò regina, eiusque dignitate, gratia, scientia, meritis, ac singulari felicitate longè maiori diligentia differendum, non sit. Cum hęc doctrina & per se dignior, ac iucundior, & ad pietatẽ magis sit accommodata, & (vt Arist. dixit) melius sit, de rebus altioribus, vel pauca cõiectari, quam inferiores certitudine etiam mathematica cognoscere, eo vel maxime, quod maior, ac certior cognitio potest de gratia, & gloria B. Virginis, quam Angelorum, ex principijs fidei ratiocinãdo, colligi. Quocirca ne quis existimet doctrinam hanc non habere firmum in Theologia fundamentum, quoniã de illa in diuinis literis pauca videtur scripta, breuiter de signabo loca, ex quibus argumenta petenda, & controuersię omnes sunt definiendæ.

Principio ergo in testamẽto veteri, frequens est Beatæ Virginis mentio prophetica, vel aperta, vel figurata, nã vt Bernar. ait in sermone, *Signum magnum, Longe ante patribus est cælitus repromissa, mysticis præfigurata miraculis, oraculis annunciata propheticis*, & epist. 174. dicit *Patriarchis, & Prophetis fuisse præcognitam*. & Homil. 2. in *Missus est*, dicit, *a patribus esse præfiguratam, & a Prophetis promissam*, Et Ildefonsus serm. 2. de assumptione, dicit à *Prophetis esse prædictam, & a Philosophis sanctis præfatam*. & Augustl. lib. de assumptione, in initio, *Sola*, inquit, *meruit Deum, & hominem paritura suscipere, facta thronus Dei, & aula Regis æterni, secundum quod nos docuisti per sanctos tuos Patriarchas, Prophetas, & Apostolos figuris, & sermonibus quibus credimus, & certi sumus quia nunquam fefellisti*. Propter quod Hieronym. Mich. 6. illam vocat *Vaticinium Prophetarum*. Andreas verò Cretens. sermo. de assumptione, *Summam diuinorum oraculorum*, appellat. Quinimo addere possumus, sicut Paulus de Christo dicit, in capite libri de illo esse scriptum: A ita de Beata Virgine in sacræ scripturæ initio scriptum esse, *inimicitias ponam inter te, & mulierem, ipsa conteret caput tuum*. His enim verbis Deum ipsum Mariam Virginem prędixisse, communis est antiquorũ Patrum sententia, vt infra tractantes de sanctificatione beatæ Virginis commodiori loco trademus. Totum prętera cantico rum librum, non solum per accommodationem, sed etiam in sensu aliquo ab Spiritu sancto intento, Virginem præcinere, omnes ferè patres, qui illum interpretantur, intelligunt. Prętertim Bernard. & Rupert. ibi, & lib. 7. de Processione Spiri. sancti. cap. 13. vnde Apponius in fine Canticor. Infelicem esse dicit, qui hoc non credit. Sunt præterea in scriptura veteri Virginis proprietates, & perfectiones in varijs personis, & rebus prefiguratæ, quas hoc loco congerere nõ oportet, tum quia vulgares ferè sunt, & in sanctis patribus facile reperiuntur, tum etiam quia in singulis quæstionibus, vbi oportuerit pręcipuas earum commodius attingemus. Non nulla etiam ex libris Psalmorum, & Sapiẽtialium Ecclesia ad Virginem accõmodat, ex quibus interdum non leue argumentũ sumi potest.

Bernar. Ildefons. Augustin. Hierony. Andr. Cre. Bernard. Rupert. Apponius. *In veteri testamẽto vbi mentio de B. Virgine*

Secundo, in nouo testamẽto pauca quidẽ verba de Virgine scripta sunt, quoniã tota Euangelistarũ, & Apostolorum intẽtio ad Christum referebatur, quia illo cognito, eiusque fide satis fundata, non poterat matris eius excellẽtia, aut ignorari, aut occultari. In illis verò paucis verbis, eisq; grauissimis, quædam pręcipua capita indicata sunt, quę, omnia quæ de Virgine dici possunt, virtute continent. Quod in cæteris ferè rebus, etiã in gestis à Christo, quæ ab Euangelistis narrantur, obseruare licet. Est enim totum Euangelium breue, ac cõcisum, *quoniam verbum abbreuiatum fecit dominus super terram*, ad Rom. 9. vt notauit Eus. lib. 2. de Demõstrat. c. 40. & Tert. lib. 4. cõtra Marcio. c. 16. cum enim non possent Euangelistæ singula persequi, ea, quæ maximè necessaria erãt, attigerunt, vt ex eis reliqua intelligeremus. *Roman. 9. Euseb. Tertullia.*

Dubium.

Percontabitur autẽ fortasse aliquis, cur Christus dominus, qui fidem Centurionis, Magdalenæ charitatem, & Ioãnis laudes interdũ prædicauit, nunquám de matre sua quidpiam simile locutus sit? Respõdetur primo ad temperantiã quandam, & mo- *Respondeo*

modestiam id spectare potuisse quidquid enim de Virgine diceret, ad ipsam referri & pertinere videretur. Deinde, tunc præcipue studuit diuinam suam originem homines docere, qua cognita facile erat excellentiam humanæ conceptionis, matrisq; suę dignitatẽ percipere. Deniq, vbi resipse, & opera, quibus Christus matrẽ honorauit, clamabãt, verba nõ erãt necessaria.

Cur Christus incarnatio nẽ de sua matre prædicauit.

Tertio præter ea, quæ in scripturis canonicis cõtinentur, sunt alia multa de Beata Virgine per traditionẽ, quæ ab ipsis Apostolis manauit, & per manus patrũ adnos vsque peruenit, cõmuni sensu Ecclesię, & definitione recepta, vt cõstat ex Dionys. c.3. de diuin. nominib. & epi. 4. ad Caium, Ignat. epi. 1. & 2. ad Ioã. 5. ad Trallianos, & 8. ad Phyli. Irenæ. Epiph. Hierony. Aug. & alijs antiquissimis patribus, quorũ testimonia in sequentibus indicabimus. Illud vero obseruatione dignum censeo, videlicet ex quatuor primis cõcilijs generalibus quę Gregorius, vt quatuor euãgelia venerator, primũ Nicenũ honorem Filij, & cõsequenter honorem etiam patris contra Arium defendisse, secundũ scilicet Cõstãtinopolitanum primum diuinitatem Spiritus Sancti statuisse cõtra Macedo. Tertiũ vero, scilicet Ephesinum, ad tuendam matris Dei dignitatem contra Nestoriũ, esse congregatum. In quo tã multa dicta sunt de laudibus Virginis, vt vix aliquid addi posse videatur, quæ postea in quarto concilio Chalcedonense, & in 5. & 6. Synod. & in cæteris vsque ad Trident. confirmata sunt, & amplius explicata.

Dionys. Ignat. Irenæ. Epiphan. Hierony. Augus.

Con. Ephesinum ad tuendã virginis dignitatem contra Nestoriũ congregatum.

Quarto tandẽ, non sine singulari Spiritus sancti consilio factũ est, vt nonnulla virginis mysteria, & priuilegia nec scripta sint, nec certa traditione recepta, vt occasio daretur fidelibus, amplius meditandi, & recogitandi hæc mysteria, loquẽdiq; ac scribendi de Virgine, ex principijs traditis plura ratiocinando, & colligẽdo. Quo circa rationibus etiam in hac materia vtẽdum est, quæ vel in dictis principijs, vel in ipsa rerum natura, & decentia fundatę multũ ponderis, & efficacitatis in Theologia habent vt recte Canus notauit. lib. 12. de locis. c. 14. & ex vsu sanctorum patrũ satis constat, vt videre licet apud Aug. li. 83. q. q. 49. & 50. & Cyri. lib. 5. Thes. c. 7. Ansel. libr. 2. cur Deus ho. c. 5. & in alijs, quos priori tomo disp. 1. & ferè indiscursu totius materiæ retuli, vbicunque enim de mysterijs, & perfectionibus Christi tractant, rationibus & coniecturis ex decentia rei sumptis vtũtur, Reliquũ est vt in stitutum nostrum aggrediamur. Prius verò quam D. Tho. quæstiones explicare incipiam, vnam vel alteram disputationem, quæ totius materię fundamenta cõtineat, præmittendam duxi.

Canus. Augus. Cyrill. Anselm.

DISPVTATIO. I.

In tres sectiones distributa de matris Dei dignitate in communi.

SIcut initio huius doctrinę de Christo, & incarnatione primũ statuimus, ac demõstrauimus Christũ esse Deum, acincarnationẽ esse factã quoniã hoc erat fundamentum omnium, quæ de hoc mysterio dicenda erant, ita in his disputationibus de beata Virgine, præmittere oportet illam esse matrem Dei, & explicare, qualis & quanta fuerit hæc dignitas, & quomodo ad illã fuerit beata Virgo prædestinata quoniam ex hoc fundamento ratio omnium: quæ de Virgine dicemus sumenda est. Hæc igitur in præsenti disputatione trademus.

SECTIO PRIMA.

Vtrum beata Virgo vere, ac proprie fuerit mater Dei & hominis.

HÆc quæstio potissimum versari cœpit in Ecclesia post annũ quadringẽtesimum, tempore Cõcilij Ephesini, quia licet ante illa tempora hæretici, qui negarunt Christum esse verum Deum, aut verum hominem vera humana carne constãtem, cõsequenter negarent Virginem fuisse veram matrem Dei, aut hominis, ex ijs tamen, qui Christum Deum, & hominem confessi sunt primus fuit Nestor, qui negare ausus est Mariam Virginem verè, ac propriè fuisse matrem Dei, vt constat ex historia Concilij Ephesini, & ex Vincẽtio Lyrenensi, lib. cõtra prophanas vocũ nouitates, & Cassiano. lib. 1. & 2. de incarnatione, & Theophyl. Ioa. 9. in fine, in quo errore versari etiam hoc tempore nonnul-

Vincẽ. Lyrin. Cassian. Theophyl.

los hæreticos refert Cani.lib.3.de Bea.Virgin.c.22. Fundamẽtum huius erroris fuit, vel quia vnionem veram humanæ naturæ cum verbo diuino negauit, & consequenter veram, ac propriam communicationem idiomatum, vel quia saltẽ negauit hanc vnionem factam esse in vtero Virginis: Hinc enim consequẽs esse videtur, licet Beata Virgo fuerit mater Christi, nõtñ Dei, quia nec cõcepit, nec peperit Deũ.

Veritas tamen est Beatam Virginem vere, ac proprie fuisse matrem Dei, vt definitum est in concilio Ephes. & Chalcedo. & in 6. Synod. act. 4. & 11. & habetur etiã in, 7. Syno. act. 4. & 7. in Conci. Lateran. sub Matt. 1. can. 3. & in alijs frequẽter. Vt autem veritatẽ hãc ex proprijs principijs probemus, oportet nonnulla supponere.

Cõ. Ephes. Cõ. Chal. 6. Synod. & 7. Con. Laterã.

Primum est Beatam Virginem propriè esse matrem huius hominis, scilicet Christi. Ita enim expresẽ dicitur Ioan. 2. *& erat mater Iesu ibi.* & Luc. 1. *vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me?* & cap. 2. *Symeõ dixit ad Mariam matrem eius* Matth. 1. &, 2 *accipe puerum, & matrem eius.* Dices simili bus testimonijs probaretur Ioseph fuisse patrẽ Christi. Respondetur, hoc ipsum explicare veritatem, tum quia propterea Luc. 3. additũ est, *vt putabatur, filius Ioseph,* quod de Virgine nunquam est dictum: tũ etiam, quia de Ioseph o nunquam dicitur in euangelio genuisse Christum: de Virgine autem dicitur concepisse, & peperisse filium. Hoc etiam confirmat illa frequens appellatio, qua Christus in euãgelio *filius hominis,* vocatur, vt notauit Iren. lib. 3. contra hæres. c. 32. & eãdem efficaciam habet quod dicitur, *filius Dauid* vel *Abraham,* media enim generatione ex Virgine matre, ab illis descẽdit. Vnde Isai. 11. dicitur, *egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Sicut ergo flos verẽ producitur ex arbore: ita Christus ex Virgine, vt notauit Hieron. ibi. & Leo Pap. ser. 4. de natiuit. Ambros. lib. de benedictionib. Patriarchar. c. 4. & lib. 2. de Spirit. Sanct. c. 5. Tertul. lib. 5. contra Marcion. c. 8. & lib. contra Iudeos, c. 9. Rupert. Abbas lib. 2. in Isai. c. 6. & lib. 11. de victoria verbi cap. 28. 52.

Virgo Maria vera Christi mater. Ioan. 2. Luc. 1. & 2. Matth. 1. et 2. Luc. 3. Irenæ. Isai. 11. Hieron. Leo pap. Ambros. Tertulian. Rupert.

Secundo hoc confirmatur. Nam Christus in cruce moriens, se esse filium Virginis professus est, cum dixit Virgini, *ecce filius tuus.* Ioann. 19, illo enim exemplo, vt Aug. tract. 119. Chrysost. homil. 84. & Cyril. lib. 12. c. 84. notarunt, parentes honorandos, & illorum curam à nobis gerendã esse docuit. Recognouit igitur, & honorauit Virginem vt matrem, & ideo in extrema angustia positus tantam illius curã habuit, vt notarunt etiam Cyprian. lib. de cardinalib. Christi operib. capite, seu concione de resurrect. Christi, dicens *nunc materno moueris affectu, & thalamum humanitatis tuæ, cubiculario dilecto commendas, & prouides sedulo benedictæ inter mulieres apostolicam clientelam, & obsequium virginis discipulo tradis,* & Ambros. lib. 10. epist. 82. in fine, *testabatur,* inquit, *de cruce Christus & inter matrem, atque discipulum diuidebat pietatis officia.* Denique Hieron. t. 1. epist. 47 de vitando suspecto contubernio, agens de subiectione Christi ad virginem, *venerabatur,* inquit, *matrem cuius ipse erat pater: colebat nutricium, quem nutriuerat, gestatumque se meminerat alterius vtero, alterius brachijs: vnde & in cruce pendens commendat parentem discipulo, quam nunquam ante crucem dimiserat.* eandem veritatem eleganter docuit Nazi. orat. 51. seu epistol. 3. ad Cledon. prope initium.

Aug. Chrisost. Cyrill. Cyprian. Ambros. Hieron. Greg. Nazian.

Dices quid igitur tam illo loco, quam Ioan. 2. & alijs locis, virginem mulierẽ vocat, nunquam vero matrem? & quod difficilius est, cur Matth. 12. matrem negare visus est, dicens, *quæ est mater mea?* Ad priorem partem respondetur, Christum illo modo fuisse locutum, quia ita decebat, tũ propter Christi modestiam, & grauitatẽ: tum etiam (ait Aug.) *propter exemplum nostrum,* dixerat enim ipse Matth. 23. *nolite vocare vobis patrem super terram.* Fortasse etiã in illo loco Ioan. 19 matris appellationem vitauit, ne virginem amplius commoueret, vt ibi notauit Lyra. In alio vero loco Ioan. 2. id fecit, vt indicaret, illud opus, & miraculum, quod beata virgo postulabat, esse diuinæ virtutis, non humanitatis proprium, quam solam âmatre susceperat, vt Aug. notat tract. 8. in Ioan & lib. de fide, & symbolo. ca. 4. vel certe, sicut se vocabat *filium hominis,* ita virginem per antonomasiam, mulierem appellabat, vt eam esse indicaret mulierem illam, per quam damna primæ mulieris instauranda forent.

Obiectio. Ioan. 2. Matt. 12. Respõsio. Matth. 23. Virginẽ cur mulierẽ nõ matrẽ Christus appellat. Aug.

Ad aliam verò partem respondetur nõ negasse Christum matrem suam, sed illis verbis reprehendisse eos, qui se concionã

tem

tem importunè interpellabant, secũdo A cuisse, propter consanguineos non esse opus Dei omittendum, tertio quorundã iactantiam frenare voluisse, qui de Christi consanguinitate gloriabantur, significãdo eam sine spirituali coniunctione nihil prodesse: hanc vero per se multum valere. Ita ferè Chrys. homil. 45. in Matth. & Aug. lib. de sancta virginit. c. 3 & lib. de fide contra Manichæos, & Tertul. libro de carne Christi. c. 7. vbi optime locum hunc contra hereticos ad fidei veritatem confirmandam retorquet.

Chrisost. August. Tertullia.

Quarto addunt Hil. can 12. in Math. & Greg. homil. 3. in euangelia & Ambro. lib. 6. in Lucam, hoc facto significasse Christum, ecclesiam quæ credidit, synagogę fore præferendam, ex qua ipse erat secundum carnem.

Hilar. Greg. Ambros.

Secundo supponendum est humanitatẽ B Christi, eodem temporis momento quo perfecte formata fuit in vtero Virginis, & existere incępit in rerum natura, fuisse assumptam, & vnitam Deo hypostaticè. Hoc clare demonstratum est superiori tomo. disputatione. 16. sectione. 1. vnde concludimus hunc hominem Christum semper á primo instanti cõceptionis suæ fuisse Deum hominem, nunquanque purum hominem extitisse. Quæ quoniam eo loco satis confirmata sunt, plura hic addere non oportebit.

Tertio hinc facile cõcluditur intenta veritas, Beatam scilicet virginẽ verè ac propriè esse matrem Dei. Probatur ex dictis, quia virgo concepit, & peperit Deum, ergo est mater eius. Antecedens constat ex dictis. Quia concepit hunc hominem, & hic homo in ipsa conceptione fuit Deus, concepit ergo Deum. Vnde, & scriptura sacra sic apertè loquitur nam ad Galat. 4. filius Dei, hoc sensu dicitur *factus ex muliere*. & ad Rom. 1. dicitur, *factus ex semine Dauid secundum carnem*, & Luc. 1, *quod ex te nascetur sanctũ, vocabitur filius Dei*, Vocabitur, inquit, non falsa appellatione, sed vera, & non solum post natiuitatem ex vtero: sed in ipsamet cõceptione in vtero, de qua angelus loquebatur, rationem reddens, quare Spiritus Sancti virtute esset efficienda, quia nimirum ipse Deus concipiendus erat, vt notauit Cyril. Alexandr. lib. de fide ad Reginas, citans Athana. lib. de incarna. Christi. Et hoc etiam confirmat locus Isa. c. 7 *ecce virgo concipiet, & pariet filiũ, & vocabitur nomẽ eius Emanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus*, vt dicitur Matth 1. Hanc denique veritatem confitetur Elisabeth Luc. 1. dicens, *vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me?* illa enim vox, *domini*, diuinam indicat personam, vt Damasce. inquit, lib. 3. de fide c. 12, & Greg. lib 9. regist ri, epist. 61. *eadẽ*, inquit, *virgo & ancilla domini dicitur, & mater, ancilla enim domini, quia verbum ante sæcula vnigenitus æqualis est patri, mater vero, quia in eius visceribus ex sancto spiritu, eiusque carne factus est homo*, & infra subdit rationem tactam, *quia non prius in vtero virginis caro concepta est, & post modum diuinitas venit in carnẽ, sed statim verbum factum est caro*, similia docet lib. 18. moralium, c. 27. post med. aliâs c. 35 & eodem modo loquuntur omnes alij antiqui patres. In lyturgijs Iacobi, Basilij, & Chysost. sepe vocatur *incontaminata mater Dei nostri*. Greg. Nazia. orat. 51. quæ est epistol, prima ad Cledonium, *si quis*, inquit, *sanctam Mariam deiparam non credit, extra diuinitatem est*, Athanas. scripsit librũ seu concionem de sanctissima deipara. Irenæ lib. 3 c. 27. & 32. Epiphan. lib. 3. hæres. 78. Cyril. homil. 6. contra Nestor. Augustinus Serm. 2. de annunciatione, & sæpe aliâs. Leo. Pap. epist. 83. & 97. & hac ratione vocant etiam virginem *thronum, thalamum, tabernaculum, & templum Dei*, & similibus titulis, qui passim in sanctis patribus reperiuntur. Confirm. tandem ex dictis supra de communicatione idiomatũ. Nã Deus est mortuus, quia hic homo est mortuus, ergo Deus est conceptus, & natus, atque adeó filius virginis: quia hic homo est filius eius, ergo & ècontrario virgo, sicut est mater huius hominis, ita Dei. Vltimo addi potest cõiectura, seu cõgruentia. Quia nimirum voluit Deus, se se omnibus modis hominibus communicare, & (vt ita dicam) omnes cognationis, & affinitatis modos perfectionem importantes cum illis contrahere, vnus autem, & valde perfectus est, vt Deus non tantum fit homo, sed etiam filius hominis, & vt quędam humana persona creata sit cõiũcta Deo, quantum esse potest in ratione personæ. Vnde etiam factum est, vt non solum humana in Christo natura, sed etiã persona creata in virgine super omnes angelorum choros fuerit exaltata.

Beata virgo vera, ac propria mater Dei.

Galat. 4. Rom 1. Luc. 2.

Cyril. Alex. Athanas. Isai. 7.

Matth. 1. Luc. 1. Damascen Greg. Pap. Athanas. Irenæ. Epiphan. Cyrill. August. Leo Pap. Nazianz.

Circa veritatem autem hanc multæ occurrebant difficultates, quarum intelligẽtia pendet ex modo, quo Beata Virgo Christum dominum concepit, quod in quæstionibus sequentibus, D. Thom. copiosissimè disserit, & ideo in eum locum eas remittemus. Ad fundamentum vero contrarij erroris ex dictis patet responsio. Supponit enim falsum fundamentum scilicet Christum prius conceptum fuisse purum hominem, quám eius humanitas fuerit à verbo assumpta.

Respondeo ad argumẽta opposita

Non vero desunt, qui respondeant hos hæreticos etiam in illarione errare, quia etiam si illud ita fuisset existimant, verbũ, & Deum verè dici posse filium Mariæ, quia assumere naturam ab alio genitam, sufficit, vt aliquis dicatur filius eius, à quo fuit talis natura. Probatur, tũ quia formalis terminus generationis est ipsa natura, tum etiam, quia ille homo semper est idem manente eadem natura, etiam si B subsistentia mutetur: tum denique, quia semper retineret eandem relationem filiationis, quæ per humanitatem inest supposito.

Dubium.

Nihilominus hæc sententia mihi non probatur. Censeo enim non potuisse proprie Verbum, aut Deum dici filium virginis, si in ipsomet instanti conceptionis nó terminasset humanitatem in vtero virginis. Quod benè docuit D. Th. infra. q. 35. ar. 4. & apertè colligitur ex omnibus patribus, supra citatis, omnes enim ad conuincẽdum Nestor. supponunt tanquã principium necessarium vnionem factam esse in eodem humanę conceptionis momento, & disertis verbis Nazianz. orat. 51, *si quis formatum hominem fuisse, Deumque postea subisse dicat, damnationi obnoxius ei hoc enimnõ Dei generatio fuerit, sed generationis fuga.* & exemplis declaratur, quia si humanitas Christi non esset tempore mortis vnita Verbo, licet post resurrectionem vniretur non posset vere dici, Deũ fuisse mortuum. Et similiter, si prius tempore esset purus homo, & peccaret, & postea illa humanitas assumeretur à Verbo, non posset vere dici Deus, peccauisse, ergo simile erit in præsenti. Ratio autem est, quia hęc communicatio idiomatum fundatur in vnione hypostatica, & ideo in ijs, quæ tempore antecedunt vnionem, & in alio supposito fiunt, non potest esse communicatio idiomatum, cùm hęc non sit inter personas diuersas, sed in eadem. A

Respon. Verbũ non posset dici proprie filius Virginis, nisi in instanti conceptionis humanitatem terminasset in vtero virginis.

Secundo quia in eo casu Verbum nullo modo terminasset conceptionem, seu generationem ex virgine, non ergo posset dici conceptus, vel natus ex illa, ergo nec posset dici filius, neque virgo mater Dei. Negatur ergo ad hanc denominationem, seu communicationem sufficere assumptionem naturę ab alio productæ, sed necessarium esse hanc assumptionem fieri, ita vt persona assumens terminet aliquo modo ipsam conceptionem, & generationem, illam assumat eo modo, quo assumptibilis est, quod fieri non posset, nisi eodem instanti cõceptionis fieret assumptio. Et ideo non est satis, quod semper maneat eadem humanitas, vel idem homo formaliter loquendo, quia generatio terminatur ad suppositum, & ad humanitatem vt hic, & nunc subsistentem, & per hæc patet ad fundamentum contrariæ sententiæ. De relatione autem filiationis, an maneat in assumpta natura, nec ne, infra dicam. Nunc dicere sufficiat, vel non manere, vel in eo casu, de quo agimus, non ita manere, vt possit Deum, aut Verbum denominare, quia nec manet omnino integra, sicut antea erat, nec ratio fundandi illam, quæ fuit generatio passiua. vllo modo fuit terminata, vel assumpta à Verbo.

Dubium.

Sed hinc oritur grauis difficultas, huius loci propria. Quia tota actio virginis terminata fuit in humanitate prius natura, quam assumeretur à Verbo, & ex vi actionis eius non fuit secuta assumptio: sed solum ex voluntate, & efficientia Dei, ergo non potest propter hoc dici mater Dei. Patet consequentia. Tum quia ipsa nullo modo effecit, vt Deus sit homo, sicut, si quis efficeret calorem, & non vniret illũ ligno, non posset dici efficere lignum calidum: tum etiam, quia quoad hoc idem valere videtur ordo naturæ, quod temporis si autem Deus post totam illam actionẽ virginis assumptionem per aliquod tempus distulisset non posset dici virgo mater Dei, licet postea fieret assumptio, vt ostensum est, ergo idem est de ordine naturæ, quia hæc denominatio non tam pẽdet ex tempore, quam ex naturali connexione actionũ. Tertio denique quia alias posset Verbum denominari mutatũ à mutatione, quæ prius natura præcessit inhumani-

manitate, posset etiam dici causatum, & effectum.

Propter principalem difficultatem responderi potest, Beatam Virginem attigisse per veram ac Physicam efficientiã vnionem humanitatis cum Verbo. Sed hæc responsio, & minus probabili fundamento nititur, vt in 1. tom. disput. 8. sect. 1. ostẽsum est, & non satisfacit. Quia, esto, beata virgo effecisset hanc vnionem, id solũ fuisset instrumentaliter, & non per modũ matris generantis, ergo hoc genus efficientiæ nihil refert ad explicandum, quomodo Beata virgo sit mater Dei.

Respõsio. Aliter ergo respondetur, vt beata Virgo proprie ac verè dicatur mater Dei, satis esse, quod in eodem instanti temporis, in quo anima Christi vnita est corpori concurrente Beata Virgine concursu materno, (siue ille actiuus sit, siue passiuus, B hoc enim nunc non disputo) in eodem (in quam) momento anima, corpus & humanitas vnita sunt Verbo, sicut è contrario Iudæi dicuntur interfecisse Deum, quia per actionem eorum dissoluta est vnio animæ cum corpore, & consequenter humanitas vt sic separata est a Verbo. Et vtriusque ratio est, quam D. Tho. attigit in fra. q. 35. art. 1. quia sicut agere, ita & nasci seu generari, est proprium suppositorũ. Hoc autem optimè declaratur supponendo, quod. 1 tomo disput. 17. sectio 1. &. 2. tractatum est, scilicet animam, & carnem Christi prius natura esse vnitam Verbo, quàm in se. Hinc enim fit, animam, & carnem Dei ex vi actionis, seu concursus beatæ virginis fuisse inter se vnita adcomponendum non tantum humanitatem, sed etiam hunc hominem, atque adeò beatam C Virginem esse matrem huius hominis, & consequenter Dei per communicationẽ idiomatum. Sicut in generationibus aliorum hominum, prius natura creatur anima subsistens & statim per actionem generantis vnitur corpori subsistenti, & ita generatur non propriè hæc humanitas, sed hic homo. Et similiter in resurrectione Christi, tota actio versata est in vnione animæ ad corpus, & tamen per illam dicitur resurrexisse Deus, quia per illam actionem inter se vnita fuerunt corpus, & anima subsistentia per subsistentiam Dei, & consequenter ex vi illius factum est, vt Deus esset homo.

Beata Virgo quomodo ratione conceptionis sit vere, ac proprie mater Dei.

A Et per hæc alia patet ad omnia, quæ in illa difficultate attinguntur, præter quam ad vltimam illationem. Ad quam breuiter respondetur. Deum quidem recte dici genitum, vel conceptum ex Virgine, quia generatio (vt dictum est) vel conceptio terminatur ad suppositum, non dicit autem mutatum, vt in. 1. tomo sæpe dictum est, tum quia mutatio proprie denominat subiectum, non terminum: tum etiam quia illa mutatio, per quam humanitas vnitur Verbo, antecedit ordine naturæ ipsã vnionem. Deinde non denominatur Deus causatus, vel effectus, quia simpliciter non est factus, sed est factus homo. Et eadem ratione non est dicenda beata Virgo absolute causa Dei, quia nomen causæ non determinat productionẽ, neque effectionem: at verò, cùm dicitur mater Dei, in ipso nomine matris determinatur humana generatio, per quam Deus factus homo ex virgine processit. Videantur, quæ supra dicta sunt de idiomatum communicatione.

Maria virgo cur causa Dei nõ possit dici.

SECTIO SECVNDA.

Quãta sit hæc dignitas matris Dei, & quomodo alia dona gratiæ illam comitentur.

DVplici modo potest ratio huius dignitatis â nobis concipi, & explicari primo absolute, & simpliciter considerando quid ipsa in se sit, secundo per cõparationem ad alias gratias, seu dignitates supernaturales, & vtrunque modum breuiter prosequemur.

Primo igitur hæc matris dignitas absolute sumpta moraliter potius, quàm physice consideranda videtur. Physicè enim solum hęc interueniunt in hoc munere matris. Primum, quod Beata virgo verè, ac proprie concurrit ad fabricandũ corpus Dei. Secundo hinc factum est, vt aliqua substantia virginei corporis, ex qua fuit Christi corpus & in principio constitutũ & postea auctum, quandiu sanguine vel lacte matris nutritum fuit, vnita sit hypostatice Verbo Dei. Propter quod dixit Petrus Damian. serm. de natiuit. Mariæ, *Cũ Deus in alijs rebus sit tribus modis, in Virgine fuit quarto, speciali modo, scilicet per identitatem, quia idem est, quod ipsa.* Hinc taceat, *& contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tantæ dignitatis immensitatem.* & Augustin. serm. de assumpt. virg. ca. 5. *Caro, in-*

Dignitas matris Dei absolutè & in se sumpta, qualis, & quanta sit.

Petr. Damian.

Augusti.

quit, *Christi, caro est Mariæ*, & infra, *caro Christi, quanuis gloria resurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen mansit, quæ susceptа est de Maria*. Ex quo potest facile credi, illam substantiam carnis, quam Christus assumpsit ex virgine: nunquam fuisse omnino dimissã, aut continua caloris naturalis actione resolutam, sed eandem omnino fuisse semper conseruatam Verbo Dei vnitam. Quodpartim physica ratione: partim probabili coniectura fit verisimile. Illa enim substantia carnis ex purissimis virginis sanguinibus desumpta fuit & optimè disposita, & in mediocri quantitate. Rursus in tempore infantiæ, quia alimentum est facile, & fere sine resistentia conuertitur, parum illius substantiæ per eius actionem resoluitur præsertim in Christo, qui temperatissimo, & conuenientissimo cibo alebatur, scilicet, *vbere de cęlo pleno*, vt Ecclesia canit. De reliquo autẽ tẽpore vitæ Christi, fit nõ dissimilis cõiectura. Quia totũ illud fuit tẽpus augmenti, aut stat⁹, in quo humidũ radicale ferè integrũ perseuerat, nulla illius resolutione facta. Probabile deniq; est, ex speciali prouidentia, & volũtate ipsius Christi hoc fieri potuisse. Tertio prẽter hoc genus causæ, seu cõcursus, nihil aliud reale, ac Physicum ex vi huius dignitatis in virgine resultat, prẽter relationem realem matris ad Christum hominem Deum, nihil enim aliud fingi, aut excogitari potest. Quarto vero hinc efficitur, vt moraliter, & secundum prudentem existimationem, virgo retineat supremũ quendã, & excellẽtẽ dignitatis gradum, propter singulare: quã cũ Deo habet coniunctionẽ, & propinquitatem. Vnde etiam fit vt singulare ius habeat ad bona Dei filij sui, vt infrequẽtibus explicabim⁹. Vt verò, quanta sit hæc dignitas, melius declaremus, accedamus, ad alteram partem, & illam cum dignitate gratiæ, & filij adoptiui conferamus. Nam cũ alijs, nullam comparationem facere necesse est, nam per se notum est, & esse inferiorem vnione hypostatica, & esse supra omnem aliam dignitatem, quæ gratiã, seu amicitiam Dei formaliter nõ includat.

Substantia carnis a Christo assumpta ex Virginenũ quã a Verbo dimissa.

Dignitas matris quid Physicũ ad datperſonæ Virginis.

Dubium. Augusti.

De hac vero dignitate gratiæ est difficultas. Sanctienim videtur illãpreferre dignitati matris Dei. Augustlib de sancta virginit.c.3. *Beatior*, inquit, *fuit Maria, concipiendo mente, quam ventre*: & infra. *Felicius gestauit corde, quam carne*. Et epistol.38 dicit, *maternum nomen, etiam in virgine esse terrenũ in comparatione cælestis propinquitatis, quam illi contrahunt, qui voluntatem Dei faciunt*: nimirum per gratiam. Et Iustinus. q.156. ad orthodox dicit Beatam virginẽ beatiorem esse prædicandam ob virtutẽ, quam habuit propter quam meruit esse mater Dei, quam ob ipsam matris dignitatem. Quod videtur sensisse Christus dominus. Luc.10. cum mulieri dicenti, *beatus venter qui te portauit*, respondit, *quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*. Ac si apertè diceret beatitudinẽ hanc illi esse præferendam. Et similia sunt illa verba Matt.12. *quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei, quicunque enim fecerit voluntatem patris &c.* quę verba tractans Cyprianus. serm.de passione domini, dicit, *prætulisse Christum matri, auditores verbi, & pauperes spiritu*. Quod non de personis, sed de meritis, & officijs necessario intelligendum est. Ratio denique adiungi potest ex dictis. Quia dignitas matris solum addit personæ virginis relationem quandam ad Deum, vel hominem: dignitas verò filij adoptiui addit gratiã, gloriã, virtutes omnes, ac verã sanctitatẽ, & reddit hominem Deo amicũ, & innocẽtẽ, quatenus pecatũ excludit, & inde consequitur relatio filij adoptiui, quę est ad Deũ, vt Deus est ergo

Iusti. Mar.

Luc.10.

Matth.12.

Cyprian.

In contrarium vero est. Quia hæc dignitas matris est altioris ordinis, pertinet enim quodãmodo ad ordinem vnionis hypostaticę, illã enim intrinsecè respicit, & cum illa necessariã coniunctionẽ habet. Propter quod Aug. initio libri de assumptione inquit. *Huius dignitatis, & gratiæ effectum nec cor concipere, nec lingua valet exprimere*, Et Bernar. serm.de assumptione, & de natiuit. virg. & super illa verba, *signum magnum*, &c. & homil.2. *in missus est*, varijs modis hanc dignitatem exaggerat indicãs infinite superare, quidquid sub Deo homine excogitari potest. Et Laurent. Iustinian. serm. de purificatione, & serm. de assumptione, *tanto*, inquit, *dignitate cæteris est effecta excellentior, quanto propinquior erat Verbo*. Et ad eundẽ modũ loquitur Ansel. lib. de excellentia Beatæ Marię præsertim in initio his verbis *super eminentem omni, quod post hominẽ Deũ creatũ est, excellẽtiã beatæ matris Dei, quomodocunq; & saltẽ lipiẽti oculo cordis contẽplari anhelans, horreo, & valde*

Augusti.

Bernard.

valde timeo, et c. 2. *quauis hoc solũ de sancta Virgine prædicari, quod Dei mater est, excedat omnẽ altitudinẽ, quæ post Deũ dici, vel cogitari potest.* Et similia habent Cyril. lib. de fide ad Reginas. Et Orig. homil. 1. ex varijs. Et cõfir. quia ex hac matris dignitate colligunt patres omnes beatã Virginẽ, non solũ excellentẽ gratiã accepisse, sed etiam omnes gratias, & virtutes, & omnia dona, & priuilegia gratię inter alios sanctos diuisas, ac distributas, in vna virgine fuisse simul cõgregatas. Vnde Bernar. Epis. 174. *quod vel paucis, inquit, mortalitũ constat esse collatũ, nõ est fas suspicari, tantæ Virgini fuisse negatum.* Et Antiquus quidã scriptor, qui propter modestiã *Idiotæ* nomen sibi imposuit, lib. de contẽplatione beatæ Mar. c. 2. t. 3. Biblior. sanct. propter hãc causam docet omnia spiritualia charismata, perfectissima in Beata Virgine fuisse & Bonau. in speculo Mariæ. c. 5. 6. & 7. ad hoc cõfirmandũ accommodat illud Eccles. 1. *Omnia flumina intrant in mare, & mare nõ redundat.* Quia omnes huiusmodi gratiæ, Mariæ capacitatẽ, matrisq; dignitatẽ non excedũt. Et in hãc sententiã refert Aug. & Bernar, qui multa ad rem præsentem tractat, in quodam sermone. 2. de Natiuit. Domini, qui inter opera ei⁹ dubia ponitur, & in alio simili serm. de Beata Mar. Huic etiam sententię fauet Augustin. sermo. 17. de Natiuit. Domi. qui est. 21. de tempore, & eodem principio vtitur Damascen. orat. 1. de dormitione Virginis, & Athans. serm. de sanctissima Deipara, dicit Beatam virginem esse plenam gratia, quia *omnibus gratijs abundauit*, & causam explicans inquit. *Ex te pro dijt Deus noster, omnem tibi largiens gratiam.* Sic Cyprian. serm. de Natiuit. Christi, *Matri*, inquit, *plenitudo gratiæ debebatur.* Et etiã Sophron. serm. de assumpt. (qui inter opera Hierony. habetur) *cæteris*, inquit, *per partes, Mariæ autem se totam infudit gratiæ plenitudo* Quę verba vsurpauit etiam Petrus Chrysol. serm. 143. & Laurent. Iustinian. serm. de Assumpt. Virginis. Et Petrus Damian. in simili concione, vbi tractans illa verba, *quæ est ista, quæ progreditur, quasi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* inquit, *Vniuersus puluis pigmentarius in Virgine proiectus est, quando in ea virtutũ conuentus reuerendũ sibi thalamũ cõsecrauit, & si cæteris per partes spiritus adfuit, Mariæ tamẽ tota plenitudo gratiæ superuenit.* Similiter Ambr. quẽ Bonau. referr. (& colligi potest ex lib. de instit. Virg. c. 13. & 14.) hoc dicit esse proprium Virginis, *vt omnibus fæcunda sit gratijs*, sic etiã Hieron. t. 3. epist. 140. ad Principiã de expositione Psal. 44. circa illa verba. *Et ipse tanquã sponsus procedens de thalamo suo*, inquit, *Nam & sancta Maria, quia concepeperat eũ, in quo omnis plenitudo diuinitatis habitat corporaliter, plena gratia salutatur.* Optimè Methodius orat. de purificatione, *Euge euge*, inquit, *quædebitorem illum habes, qui omnibus mutuatur, Deo enim vniuersi debemus: tibi autẽ etiã ille debet, proinde qui dixit, honora patrem tuum, & matrẽ tuã, vt is, decretum a se promulgatũ obseruaret, & alios excederet, omnem matri & gratiã, & honorẽ impendit.* Vnde Albert. Mag. lib. de Beata Mar. c. 69. 70 & 71. dicit principiũ ex terminis per se notum esse, virgini perfectius collatas esse, omniũ sanctorum gratias. Quod ego intelligo ex terminis matris, & filij, qui Deus sit, & principium omnis gratiæ, & hoc deniq; supponunt omnes Theologi, D. Tho. & cum eo Caie. q. 27. art. 5. &. 6. Antoni. 4. p. tit. 15. Durand. in 3. d. 3. q. 2. & alij. Comparatur ergo hæc dignitas matris Dei tanquã prima forma ad suas proprietates, & ecõuerso, aliæ gratiæ comparãtur ad ipsam, sicut dispositiones ad formam, est ergo hęc dignitas matris excellentior, sicut forma perfectior est suis proprietatibus, & dispositionibus. Aliãs nõ recte ex minori dignitate colligerent sancti, aliam multo maiorem, & excellentiorem.

Vt respõdeamus huic quæs. aduertendũ est, primo considerari posse in virgine cõiunctionẽ maternã, quam habet cũ Christo vt homo est, præscindẽdo in illo dignitatẽ personę increatę, solamq; excellentiã gratiæ, & sanctitatis contẽplando, & hoc modo certũ est, nõ habere virginẽ dignitatem aliquã, quæ cũ dignitate gratiæ valeat cõparari, quia vt sic non consideratur vt mater Dei, & hoc modo possent nõ male exponi verba illa sanctorum, quibus spiritualis conceptio Christi corporali præferri videtur. Et similiter verba illa Christi. *Quinimo beati, qui audiũt Verbũ Dei & custodiũt illud*, mulier. n. illa, quæ virginis vterũ beatũ dixerat, nihil de Christi diuinitate cogitabat. Alio ergo modo consideranda est hęc dignitas, quatenus est singularis quędã coniun-

D.Tho. Caiet. coniunctio cum Deo, quam egregiè D. Thom. & Caiet. *Affinitatem cum Deo*, vocarunt. 22. q. 103. art. 4. ad. 2. & hoc modo, vix possunt hęc Dei maternitas, & filiatio adoptiua comparari, sunt enim diuersorum ordinum, & mutuo se se quodammodo excedunt.

Dignitas filij adoptiui dignitati matris Dei præferri quomodo poßit.

Dici tamen potest primo, si præcisse cõferantur ita, vt vna ab alia omnino separetur præferendam esse dignitatẽ filij adoptiui, vt conuincunt, quæ ad hanc partem confirmandam adducta sunt, & hac consideratione merito dicitur, si dignitas, matris absq; gratia, & filiatione adoptiua futura esset, multo melius esse & eligibilius, filium Dei esse, quam matrem. Quo sensu recte etiam exponitur dictum Augustini & alia quæ supra adducta sunt.

Dignitas matris Dei altior dignitate filij adoptiui.

Secundo vero addi potest dignitatẽ matris Dei moraliter consideratam & prout B includit omnia, quæ quodãmodo ex natura rei, & secundũ ordinem diuinę sapientiæ illi debẽtur, altiorem esse dignitate filij adoptiui. Hãc sententiam satis confirmant, quæ ad demonstrandam priorẽ partem adduximus. Et illi fauet etiã D. Tho. 1. p. q. 25. art. 6. ad. 4. dicens hanc dignitatem esse suo genere infinitam, quia est suprema quædam coniunctio cum persona infinita. Nec potest dici tantum coniunctio carnalis, sed etiam spiritualis, quia licet media conceptione carnis facta sit, tamen ad Deum ipsum aliquo modo terminatur. Vnde idem D. Tho. 22. q. 103. art. 4 ad. 2. dixit, ratione huius dignitatis deberi Virgini excellentiorem adorationem, quã alijs sanctis, *Quia sua operatione fines diuinitatis propinquius attigit*, Ita D. Tho. loquitur, Et ratione declaratur ex dictis, quia sicut, ratione vnionis debetur humanitati Christi summa gratia, & gloria: ita ratione diuinæ maternitatis debetur Virgini suo modo magna quædam plenitudo gratiæ, vt exposuit D. Tho. supra quæst. 7 art. 10. dicens, *In Virgine fuisse plenitudinem gratiæ tali dignitati proportionatam.* Quomodo etiam dixit Augustin. lib. de nat. & grat. cap 36. *Inde nouimus tantam gratiam illi esse collatam, quia Deum concipere meruit, ac parere.* Et Sophron. serm. de assumpt. *Talibus decebat Virginẽ obpignorari muneribus, vt esset gratia plena, quæ dedit cælis gloriam, terris Deum* Et ad eundẽ modum loquitur Anselm. lib. de conceptu virginali cap. 18. C

D.Tho. Aguſt. Sophro Anſelm.

Ildefonsus lib. de Virginit. Mar. c. 2. & Richard. de S. Vict. lib. 2. de Emanuel. c. 26 & omnes alij supra adducti. Et plura alia testimonia sanctorum congeremus infrà de excellentia gratiæ Virginis disputãtes. Et ratione confir. quia dona gratię quamuis in se perfectissima sint, dantur tamen à Deo vt perfectiones necessariæ ad exercenda munera, quæ ad Deum pertinẽt, & tunc maxime Deus illa confert, quãdo ipsemet hominem aliquẽ in tali munere, vel dignitate cõstituit: hac enim ratione Ioanni Baptistę tot gratię priuilegia contulit propter munus Præcursoris, iusta illud. Luc. 1. *præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.* Et Apostoli propter similem rationem abũdantiam gratię acceperunt, ad Rom. 1. *Per quẽ accepimus gratiã.* & Apostolatum. Et Num. 11. dictum est Moysi. *Auferam de spiritu tuo, & tradam eis*, Scilicet septuaginta viris. Quia communicato cũ eis munere, oportuit etiam spiritũ, & diuinum auxiliũ cum eisdem cõmunicare. Tandem hanc totam excellentiam debitã esse quodãmodo huic dignitati ita potest explicari. Quia decet matrem honorari à filio, imo ratione maternę dignitatis habet singulare ius ad bona filij, ergo hac ratione dignitas matris est quodãmodo ratio, & principium dignitatis gratię, quam quodammodo eminenter continet secundum ordinẽ diuinę sapientię, ergo sub hac ratione dignitas hæc excellentior est, & simpliciter maius Dei beneficium existimari debet eligi virginem in matrem Dei, quã eligi. v.g. Petrum ad gloriam, quia illa electio hanc in virtute, & eminentiori modo continet.

Ildefon. Richard. Vict.

Iuxta munerũ proportionem diuersa gratiæ priuilegia Deus confert. Luc. 1. Rom. 1. Num. 11.

SECTIO. III.

Quomodo fuerit Beata Virgo ad hanc matris dignitatem prædestinata.

IN hoc dubio seruata proportione tractari possunt omnia, quę tomo. 1. circa artic. 3. quæst. 1. de Christi prædestinatione disputata sunt, & multa, quæ de prædestinatione aliorum hominũ disputari solent, vt tamen quæ ad præsentẽ locũ pertinẽt breuiter cõplectamur supponamus generalia principia, vel certa, vel quæ in superioribus probabiliora iudicauimus.

Primo ergo certum est beatam Virginẽ fuisse abæterno electam, & prædestinatã

tum

Virgo ab æterno in matrẽ Dei electa.

tum ad gratiam, & gloriam, tum etiam ad dignitatẽ matris Dei, ante omnia illius meri ta pręuisa. Hoc constat partim ex certa sententia, qua cõstat omnes homines prędestinatos, eligi absque proprijs meritis, partim ex ijs, quæ tom. 1. disputat. 8. diximus, vbi ostendimus beatam Virginem, nullomodo meruisse, vt in matrem Dei eligeretur. Et hanc veritatem docere intendunt sancti patres, cùm dicunt Verbum diuinum elegisse sibi matrem, eamq; sola sua voluntate abæterno præordinasse. Ita sentit Aug. lib. 2. de peccator. merit. & remis. c. 25. & Bernard. homil. 2. in *missus est*. Et Cyprian. in serm. de Natiuit. Christi, in hoc sensu per antonomasiam vocat virginem *vas electionis*.

August. Bernar. Cyprian.

Secundo dicitur beatam Virginem nostro modo intelligendi prius secundum rationem prędestinatam esse, & electam vt esset mater Dei, quàm ad tantam gratiam, & gloriam. Hæc conclusio etiam est clara, B suppositis ijs, quæ in præcedẽti sectione dicta sunt, & quæ de huiusmodi signis rationis, in dicto art. 3. explicauimus. Ideò enim Beata Virgo prædestinata est ad tantam gratiam, & gloriam, quia electa est in matrem Dei. Ordo enim executionis manifestat ordinem intentionis. Sed in re ipsa talis gratia, & gloria data est Beatæ Virgini, vt esset ita disposita, sicut matrẽ Dei decebat, ergo ideó fuit electa ad tantã gratiam, & gloriam, quia in Dei matrem erat prælecta.

Beata Virgo ideo in tantam gratiã, & gloriam prædestinata, quia in matrem Dei electa.

Tertio hinc colligo beatam Virginem electam esse tam ad maternitatem, quàm ad talem gloriam per se, & absolute ante prævisum originale peccatum. Ita docent C omnes, qui de prędestinatione Christi proportionali ratione opinantur, præsertim Galatinus lib. 3. cap. 1. Et probatur ex dictis in illo artic. 3. Primo quia verisimilius est omnes prædestinatos, esse electos ad gratiam, & gloriam ante prævisum originale peccatũ, ergo multo certius est beatam Virginem fuisse eodem modo electã ad gloriam, ergo & ad maternitatem diuinam. Secunda consequentia patet, quia electio ad maternitatẽ in ordine finis antecessit, vt ostensum est. Prima verò probatur, quia vel inter electos non est ordo, sed omnes simul in eodem signo rationis electi sunt, vel si aliqua ratio ordinis considerari potest, potius electio beatæ Virginis antecessit, quàm subsecuta sit aliorũ electionem, quia est altior & excelentior, & ad maiorem Dei gloriã spectans. Vnde sanctus Bernardinus Senensis serm. 51. de beata Virg. cap. 4. *Tu*, inquit, *ante omnem creaturam in mente Dei prædestinata fuisti, vt Deum ipsum hominem procreares.* Quã sententiam ex Anselmo refert, & eandem significat Rupert. lib. 2. in Cantica. Secundo probatur, quia Christus Deus homo prędestinatus est, seu electus ante præuisum originale peccatum, ergo & eius mater, probatur consequentia. Quia non tantum per se prædestinatus est vt homo, sed etiã vt filius hominis, hic enim incarnationis modus scilicet, vt fieret in vtero Virginis, & vt Deus haberet matrẽ in terris, non includit imperfectionem ex peccato manantem, perse ergo intendi potuit, sicut ipsa incarnatio, atque adeò sub illam intentionem, seu electionem cecidit, prout intelligitur antecedere pręsciẽtiam originalis peccati. Vnde Ecclesia sancta ad virginem accommodat testimoniũ illud, quod in supra dicto loco de Christo explicuimus, *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, & illud, *Ab initio, & ante sæcula creata sum, &c.* Quia videlicet mater non fuit à filio disiuncta, etiam in electione diuina. Quod videtur insinuasse Andreas Cretens. in serm. de assumpt. dicens de beata Virg. *Hæc est declaratio profundorum diuinæ incomprehensibilitatis, hic est scopus, qui excogitatus est ante secula.* Deinde addi possunt coniecturæ. Prima quia si gratia Angelorũ, & gloria, per se est intẽta à Deo ante pręuisionem omnis peccati, cur non magis excellentissima gratia, & gloria Virginis beatæ, & consequẽter dignitas matris? Secunda quia hęc dignitas singularis est, & ab omni alia creata distincta, ergo per se pertinet ad consummatam perfectionem operum Dei, fuit ergo per se intenta. Tertia quia hoc modo illustrior fit diuina gratia erga humanum genus, quia non est contentus Deus naturam humanã assumere, sed etiam honorare voluit personam creatam humanam, quãtum in ratione personæ capax fuit. Et ideò vtrumq; per se Deus intendit. Quarta quia si aliorum hominum generatio per se intenta fuit, vt cum August. & D. Thom. supra docuimus, cur non magis humana Christi generatio ex matre?

Galatinus.

Virgo per se ante prævisionẽ originalis peccati ad gloriã, & maternitatem electa.

Bernardi. Senens.

Rupert.

Andr. Cretens.

Quinta

Quinta denique, quia sicut mulier ex solo viro facta fuit, & per se â Deo intenta ante peccatum: ita generatio viri ex sola muliere, quę non minus mirabilis futura erat, per se debuit intendi propter perfectionem diuinorum operum, quę ex mirabili quadam varietate consurgit. Quæ ratio fundamentum habet in Leone Pap. & alijs patribus, quos tom. 1. disputa. 3. sectio. 1. citaui, quibus addi possunt Damascen. lib. 4. de Fide cap. 15. & Cyril. Ierosolymit. catechesi. 12. Augustin. serm. 7. de Natiuit.

Leo Pap. Damasc. Cyril. Ierosol. August.

Sed contrà, quia sicut de Christo, ita & de Beata Virgine sæpe sancti, indicant. fuisse prędestinatam matrem Dei occasione peccati. Vnde August. serm. 11. de Natiuit. postquam multa in laudem Beatæ Virginis dixerat, ita concludit. *Ideo omnes istos cursus naturæ Virgo Maria in Domino nostro Iesu Christo suscepit, vt omnibus ad se confugientibus fœminis subueniret, & sic restauraret omne genus fœmnarum, sicut omne genus virorum Adam nouus receperat Dominus Iesus Christus.* Et clarius in expositione super Canticum *Magnificat*, quę habetur in fine. 9. tomi. *Eua propter superbiam*, inquit, *abiecta est, Maria vero propter humilitatem est electa.* Et Iustin. Martyr de logo cum Thryphone satis post med. Homo, inquit, *natus de Virgine, v per quam viam fraude serpentis intrauit inobedientia, per eandem sequeretur venia.* Confirmatur, quia sequitur, ante præuisum originale peccatum prædefinisse Deum totam seriem generationum ab Adamo vsque ad virginē, quia non potuit beata Virgo per seminalem rationem, & naturali modo ab Adamo descendere, nisi ex his parētibus, & progenitoribus. Consequens autem videtur creditu difficile.

Obiectio. August. Iust. Mar.

Respon. Ad patres respōdeo, in illis & similibus locis, non explicare primam rationē, neq; ordinem huius prædestinationis; sed proximum finem, quem Deus intendit in modo executionis eius, vt plane constat ex verbis Iustini, & ex priori testimonio Augustini vbi non de electione, sed de illius executione loquuntur. Augustinus verò in posteriori loco, quāuis nomine electionis vtatur, tamen solum de illa loquitur quoad effectum eius, quod euidenter cōstat, quia dicit, Mariam esse electam, *Quia factori suo humiliter se subdens, ancillam se*

A *nominauit*. Certum est autem si loquamur de prima electione ordine intentionis, nō ideó Mariam fuisse electā, quia futura erat humilis, sed potius, quia electa est, ideò illi datum esse, vt esset humilis: in te tamen effectum illius electionis consecuta est, quia per humiliratē congruè se disposuit.

Ad confirmat. quanuis illatio illa pendeat ex quęstione Physica, scilicet, an hoc individuum possit ex alijs parentibus naturaliter generari, quidquid tamen de hoc sit, concedo sequelam. Est enim illud consequens verum, & facile supposita diuina præscientia, & efficacia diuinę voluntatis, vt facile constare potest ex ijs, quę dicto art. 3. diximus.

Quarto ex dictis colligitur, quid respō dendum sit, interroganti, An si homo non B peccasset, Beata Virgo futura esset mater Dei? Dicēdum est enim, si solum habeatur ratio illius primę electionis, qua Beata Virgo per se electa est, ex vi illius futurā fuisse, etiam si homo nō peccasset, sicut futuri fuissent alij homines, eorumq; generationes. Quia illa electio, & motiuum eius, nihil inuoluit necessariò pendens à peccato, & hoc suadent omnes coniecturæ primó aductæ: si autē huic electioni cōiūgatur tota ratio diuinæ prouidētiæ, & præscięntia futuri peccati, saltem cōditionata, sic verè dici potest necessarium fuisse peccatū, vt Beata virgo esset mater Dei. Quæ doctrina constat ex ijs, quæ in simili quæstione de Christo Domino diximus, est enim eadem proportionalis ratio.

Si homo non peccasset, quomodo Virgo futura esset mater Dei.

Supereſt tamen difficultas circa priorē C partem. Quia si homo nō peccaret, & verbum fieret homo, non assumeret carnem ex materno vtero, ergo nec Beata Virgo futura esset mater Dei, nec potuit per se eligi in matrē nisi occasione peccati. Antecedens probatur, quia si Deus fieret homo absque occasione peccati, assumeret corpus à principio perfectum, & gloriosum, cui perfectioni repugnat concep tio in vtero matris. Respondetur primū, sub obiectum illius electionis per se, & intrinsece non cecidisse illud, quod in argumēto sumitur, nec ex tali electione hoc necessariò inferri, potuisset enim Deus fieri homo immorralis, non in statu gloriæ, sed in eo statu, quē haberēt homines viatores Adamo nō peccāte per se enim decere potuit Christū esse viatorē cū conditione

Dubium.

Respond.

corporis

corporis statui hominis accommodata, vt & illis mereretur, & suo exemplo viam ad beatitudinem demonstraret. Addo Augustinum lib. 1. de peccator. merit. c. 27. & 28. dubitare, an homine non peccante, homines concipiendi essent in paruis, & debilibus corporibus, ita vt nec lingua, nec membris vti possent. Quia non obstante, inquit, *Exigua vteri capacitate, posset omnipotentia creatoris, filios nondum edi os, grandes statim facere.* Si igitur de omnibus hominibus ita Augustinus existimauit, non improbabiliter posset aliquis dicere, etiam si Christus concipiendus esset glorioſus, & perfectus, hoc nihil obstare, quominus ex materno vtero progrederetur. Præsertim quia durante illa vita immortali, in qua homines post certum, ac definitum à Deo tempus, essent, ad beatitudinem transferendi, potuisset facile beata Virgo statim post filij conceptionem, & animo, & corpore simul cum filio fieri glorioſa. Itaque non est cur dicamus dignitatē matris Dei per se, aut necessariò à peccato pendere.

Augusti.

Si Deus fieret homo absque occasione peccati, quomodo assumeret corpus glorioſum ex vtero virginis

DISPVTATIO. II. in tres sectiones distributa.

De naturali perfectione, & origine Beatæ Virginis.

EXplicata dignitate matris, ad quam beata Virgo prædestinata fuit, consequens est, vt tempus, & modum, quo dignitatē hanc consecuta est, & perfectiones omnes, quibus ratione illius nobilitata est, explicemus. Quia verò gratia naturam supponit, ideò in disputatione hac, omnia, quæ ad naturalem eius perfectionem, & originem pertinēt, præmittemus, dicturi postea de supernaturali perfectione.

SECTIO. I.

Vtrum Beata Virgo fuerit naturali modo concepta, & ex quibus parentibus.

Virgo ex copula carnali viri, ac fœminæ vt

PRimum omnium tanquam certum statuendum est Beatam Virginem procreatam esse ex viri, & fœminæ commixtione carnali, admodum aliorum hominum. Quanquam enim hoc neque in sacra Scriptura legatur, neque in Concilijs expresse definitum sit, habetur tamen certa traditione, & communi consensu totius Ecclesiæ. Est enim singulare priuilegium Christi, quod ex fœmina sine opera viri conceptus sit. Vnde Luc. 1. dicit Angelus ad Virginem, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Et causam subdit dicens. *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei*, fuit ergo hæc propria prærogatiua Filij Dei, & ad eius singularem honorem spectat, vt alteri communicata non fuerit. Præterea sequitur hęc veritas ex alio principio fidei, quo cōstat indiguisse Virginem redemptione, quia nimirum descendebat ex Adamo per seminalem generationem. Adde in grauissimis etiam hystorijs mentionem fieri parentum Virginis, sub proprijs eorum nominibus, scilicet Ioachin, & Annæ, vt constat ex Nicephor. lib. 1. c. 7. & lib. 2. cap. 3. vbi ex Hippolyto Portuensi hanc hystoriam refert. Idem Epiphan. hæres. 78. in fine, & 79. circa medium, vbi expresse inquit *tametsi hystoria Mariæ, & traditio habēt dictum esse patri ipsius Ioachin in deserto, vxor tua concepit, non tamen, quod sine coniugio, neque sine semine viri hoc factum sit*, & ibi damnat hęresim Collyridianam, quæ aiebat Mariam humanæ naturę prorsus fuisse expertem. Plura habet Epiphan. orat. de laudibus Virg. in tom. 7. Bibliot. Damascen. lib. 4. cap. 15. & orationibus de Beata Virgi. & Andreas Ierosolymit. oratione de Dormitione Deiparæ, & German. Constantinopolitanus, oratione de oblatione Mariæ in templum, Gregor. Nyss. orat. de sancta Christi Natiuitate, Simeō Metaphra. & alij, qui hystoriam de Beata Virg. scripserunt.

alij homines nata.

Nicephor.

Epipha.

Damasc. Andr. Ierosol. German. Constan. Gre. Nyss. Simeō Metaphr.

Neque obstat quod Augustinus lib. 23. cōtra Faust. cap. 9. hystoriam hanc de parentibus virginis apochryphan reputet, tum quia solum dicit, non habere autoritatem canonicæ scripturę quod & nos fatemur: tumetiam, quia solum illam reijcit, quatenus Faustus asserebat Ioachinum fuisse sacerdotē ex tribu Leui, quod citatæ hystoriæ non dicunt, neqꝫ verū est vt infrà videbimus. Quo loco obiter aduertendum est omnes prædictos autores honorificè loqui de his parentibus Virginis, sentientes, illos nobiles, & honestę cōditionis, ac

Augusti.

Parentes virginis nobiles.

status fuisse. Quod notandum est contra hæreticos huius temporis, qui iniuriosè de virgine, & eius parentibus loquuntur, contra quos videri potest Canis. lib.1. de Beata Mar.cap.4. & lib.4.capit.7. Notat etiam Damasc. nomina horum parentum non vacare mysterio, quia *Anna, gratiam*, seu *misericordiam*, *Ioachin* verò, *Dominus firmabit*, seu *suscitabit*, interpretari possumus. Quo indicatum est eos genituros fuisse filiam, per quam Deus, & misericordiam suscitaret, & gratiam confirmaret.

Canisius. *Damas.*

Dico secundo hæc beatæ Virginis conceptio non sine aliquo miraculo, & supernaturali virtute perfecta est. Ex dictis patet. Referunt enim Annam fuisse sterilem, & vitam sine prole vsque ad senectutem produxisse, & orationibus conceptionem Virginis impetrasse. Ita referunt Nicephor. Epiphan. Damascen. & Gregor. Nyss. locis supra citatis, & autor libri de ortu Virginis, qui nomine Hieron. inter opera eius habetur. Vnde concluditur ratio, nam sterilem, senem, & ex sene concipere, non fit sine miraculo, sed beata Virgo hoc modo concepta fuit, ergo. Cõfirm. primo ex Damasceno orat.1. de natiuit. Mar. quia decuit, vt ad summum miraculum via per miracula sterneretur, & vt in fabricanda Virgine gratia naturam iuuaret, ac præueniret, & vt parentes Virginis ad talem fructum suscipiendum se se desiderijs, & orationibus disponerent.

Conceptio virginis miraculosa.

Nicepho. Epiphan. Damasc. Gre. Nyss.

Dices, Maius miraculum videtur concipi ex sene sterili, quàm ex sola muliere iuuene, & fœcunda. Nam in priori opere deest tàm efficiens, quàm materia sufficiens, & vtrumque supplet Deus: in posteriori verò, materia proportionata supponitur, Deusq; solum vices causæ efficientis assumit. Respond. negando antecedens, quia in priori opere non omnino deest virtus efficiens, & materialis causa, sed vtraque concurrit licet imperfecta, ideoq; diuina virtute iuuantur, quanquã conceptio in reliquis omnibus fiat naturali modo, & per carnis concupiscentiã: at verò posterior conceptio, quę ex sola fœmina fit virtute Spiritus sancti, longè altiori modo fit. Quod à posteriori declaratur, primo quidem, quia qui concipitur virtute Spiritus sancti, ex vi conceptionis suę, non est obnoxius originali peccato, qui verò concipitur ex virili semine, quantunuis senili, & sterili, ex vi conceptionis debitum habet contrahendi originale peccatũ, vt Aug. notauit lib.3. contra Iulian.c.11. Deinde, quia modus conceptionis ex Spiritu sancto proprius est Christi (vt diximus) alia verò conceptio ex parente sterili, & sene multis alijs sanctis cõmunicata est, vt Ioãni Baptistę, Isaac, &c. Vnde etiam sumitur coniectura hunc saltem posteriorem modum miraculosę cõceptionis beatam Virginem decuisse.

Obiectio.

Respond.

Augustin.

Ex quo etiam verisimile est, hanc virginis conceptionem fuisse parentibus diuinitus prænuntiatam, vt aperte refertur in d.lib. de Natiuitate Mariæ, nomine Hieronymi, & Epiphan. hæres.70. & satis indicat Gregor. Nyss. supra dicens, *Annam cum prolem a Deo postularet, nutu diuino fuisse cõfirmatam*, Cuius verba Nicephor. vsurpauit. Et quidem si conceptio Isaac, & Ioan. Baptistę, parentibus diuinitus nunciata fuit verisimile admodum est parentes virginis hoc beneficio non fuisse priuatos. Vnde Damascen. supra de beatissima Anna loquens inquit, *Quemadmodum prisca illa Anna, cum sterilitatis morbo laboraret, per orationem, ac promissionẽ Samuelem procreauit: eodem modo hæc etiam per obsecrationem, & promissionem Dei genitricem a Deo accepit vt ne hæc quoque, cuiquam ex illustribus matronis cederet.*

Hieron. Epiphan. Gre. Nyss. Nicepb.

Conceptio virginis parentibus prænunciata.

Damas.

Vltimo verisimile ex dictis fit (quod in eodem lib. d. Hieron. dicitur) diuinitus reuelatum esse parentibus nomen Mariæ, sicut nomen Isaac reuelatum fuit Abrahę Genes.17. & nomen Ioannis Baptistę, Zachariæ, Luc.1. Vbi etiam Elisabeth indicatur fuisse reuelatum, vt ibidẽ notauit Ambros. non est autem verisimile singulare hoc diuinæ prouidentiæ genus, & amoris indicium alijs concessum, virgini fuisse denegatum quod indicauit Ambros. lib. de instit. Virginis c.5. dicẽs, *Vnde & speciale? Maria domini hoc nomen inuenit, quod significat Deus ex genere meo*, Quam nominis etymologiam, non inuenio, vnde Ambros. sumpserit. Nam iuxta proprietatem linguę Hebraicæ, aut Syriacæ, *Maria* potius *stella maris*, seu *Domina* interpretatur, vt constat ex Hyerony. lib. de nominibus Hębraicis, & Damas. lib.4. c.15. & alijs patribus quos Canis. congerit, lib.1. de beata Virg. c.1. vbi de hoc venerando nomine copiosè, & eleganter disputat.

Nomẽ Mariæ diuinitus reuelatum parentibus.

Genes.17. Luc.1. Ambros.

Hieron. Damas. Canis.

SE-

SECTIO. II.

In qua naturali perfectione concepta fuerit beata Virgo.

INquiri hoc loco cõsequenter poterat, quo tempore Beata Virgo cõcepta sit, Sed in hac quæstione explicanda, nihil est quod immoremur, supponimus enim ex Niceph.lib.2.c.3. quarto decimo, vel decimo quinto ætatis anno (quod infra suo loco definiendũ est) filium suum cõcepisse, vnde, si quæ in superioribus dicta sunt de tempore, quo incarnatio facta est, cõsiderentur, facile erit tempus cõceptionis, seu natiuitatis Virginis, ad veram chronologię rationem reducere, saltem quod ad numerum annorum pertinet. Nam quod ad mẽsem attinet, ecclesiastica traditione habemus, octauo Septembris die natam fuisse, atq; adeo octauo Decembris die fuisse cõceptam. Quo autem die hebdomadæ nata, vel concepta fuerit, incertum est.

Nicephor.

Tempus natiuitatis Virginis.

Omissa ergo chronologica quæstione, de naturali perfectione Virginis breuiter dicendum est, corpus beatissimæ Virginis fuisse in sua specie, & sexu maxime perfectũ. Ita docent omnes patres, qui de beata Virgine scribunt. Nec potest sine temeritate negari, cum nulla autoritas, vel ratio obstet, & per sese decens, ac mysterio Incarnationis maxime cõsentaneum sit. Primo quia ex illo corpore Christi corpus formandum erat: ad diuinam ergo prouidẽtiam pertinuit accommodare medium fini, & materiã effectui aptam præparare, præsertim cum diuina virtus, quæ in hoc opere singulari modo operabatur, facillime hoc posset perficere. Secundo quia decuit Christum, & Virginẽ esse inter se simillimos, non solum moribus, sed etiam & corporis perfectione, & affectibus, hęc enim similitudo, & ad conciliandum amorem, & ad maiorem perfectionem pertinet, vnde hoc fuisse beatæ Brigittæ reuelatum, legitur in 1.lib.c.50.& 51.reuelationum eius.

Corpus beatæ Virginis in sua specie maxime perfectum

Vnde colligunt multi, Beatam Virginẽ propter optimam corporis complexionẽ cum magna moderatione animi coniunctam, nunquam in verum, ac proprium morbum incidisse, & Sophron. in Epist. Synodica, quæ habetur in.6.Synod.Act. 11. dicit, corpus Virginis ab omni contagione fuisse liberum, & eius carnem, *immaculatam, & purissimam*, vocat, quæ, *sancta & immaculata*, dicitur in eadẽ.6. Synodo. Actio.18.in edicto Constantini. Et conjecturæ adductæ de Virginis perfectione, & cum Christo similitudine, hoc satis confirmant, vt recte Caieta. docuit opusculo de spasmo Virg. & Galatinus lib.7. ca.10. quanquam Abulens. quæst.13.in capit. 12. Leuit. contrariũ ex parte sentiat, sine fundamento tamen, vt latius tractabimus infra de Christi conceptione disputantes.

Cõplexio, Virginis qualis.

Sophro. 6. Synod.

Caiet. Galatin. Abul.

Secundo colligitur Beatã Virginem prædita fuisse honestissima corporis pulchritudine, vt late docuit Antoni. 4. p. theologali tit.15.c.10.§.2. & colligitur ex Ricardo Victorin. cap.26.in Cantica, vbi dicit fuisse, *vultu Angelico, tam corpore, quã mente* accommodans illud. *Tota pulchra es amica mea*, Vnde Greg. Nazi. in Christo patiente med. sic inquit. O *Virgo, formæ quæ ritore cæteras præis.* & Andreas Ieroso. serm. de assumptione sic ad Virginem loquitur, *Eximia pulchritudo, a Deo sculpta statua, recte descripta.* Vnde pulchritudo Rachel, & similium mulierũ veteris testamenti figura fuit pulchritudinis Virginis. Huic deniq; veritati consentanea sunt, quę de forma Virg. refert Niceph. lib.2.c.23. Ratio præterea sumpta ex similitudine cum Christo quẽ priori Tom. ostendimus etiam in corpore fuisse pulcherrimũ, hoc ipsum cõfirmat. Deniq, ratione naturali hoc colligi potest ex principio posito. Nam corporis pulchritudo ex optima complexione, & proportione mẽbrorũ nascitur, corpus autẽ Virginis fuit optime tẽperatum, omnia etiã eius mẽbra perfectã proportionẽ habuerunt, ergo. Addunt verò grauissimi Theologi talẽ fuisse Virginis pulchritudinem, vt eã intuentes non nisi ad castitatẽ, & pudicitiã excitaret. Ita docuit D. Tho. in.3.d.3.q.1.ar.2.quæstiũcula.1.ad. 4. qui merito adũgit, hunc fuisse singularis gratiæ effectũ, quia sola naturalis forma, aut virtus, vel modestia ad illũ nõ sufficeret. Præsertim cum addat Alen. 3.p.q.9.m.3. art.1. Beatã Virginẽ suo aspectu cõcupiscentię motus extinxisse. Quod videtur prius docuisse Ambr. lib. de instit. Vir. c.7 vbi sic inquit. *Tanta erat eius gratia, vt non solum in se virginitatem seruaret, sed etiam, si quos inuiseret, integritatis insigne conferret.* Idem docuit S. Bonauent. in.3. distinct.3.

Pulchritudo Virginei corporis quanta.

Antonin. Ricardus Vict. Gre. Naz. Andr. Ieroso lym.

Nicephor.

Pulchritudo Virginis castitatis incentiuum D. Thom.

Alen.

Ambros.

Bonauent.

Anima Virginis perfectissima.

1.part,artic.2.q.3. Gab.q.2.art.3.dub.1.

Vltimo addendum est Beatam Virginem animam perfectissimam fuisse fortitam. Hæc conclusio fortius persuaderi potest omnibus testimonijs,& rationibus, quibus perfectionem corporis confirmauimus. Primo quidē, quia perfectio animæ magis necessaria est,quām corporis. Secūdo quia similitudo in perfectione animę nobilior est,quām corporis. Tertio quia anima accommodari debet corpori, & è contrario. Quarto denique,vt perfectissima gratia haberet proportionatū naturæ fundamentum. Quanta vero fuerit tota hęc perfectio,& an cū perfectione Adæ, aut Euę confetri possit,nec multū refert neq; in hoc certū aliquid definiri potest.

SECTIO. III.

Vtrum Beata Virgo ex tribu Iuda,& ex stirpe Dauid origenem duxerit.

D.Thom.

DE genealogia Christi tractat D.Tho. infra.quæst.31.art 1.2.&.3.disputans enim de Christi Conceptione,consequenter disserit de illius genealogia, & origine secundum carnem. Quia tamē genealogia Christi,& Virginis eadē est, quoniā Christus nō habet humanam originem nisi per matrem,ideo breuiter hoc loco rem totā expediemus, Faustus igitur hęreticus(vt est apud Augustlib.23. contra illum,ca.3. &.4.)asseruit Christum,si nō fuit genitus ex Ioseph,non potuisse esse ex familia Dauid,quia Beata Virgo non erat ex illa tribu sed ex Leuitica,cum esset cognata Elisabeth Luc.1. Gnostici autem hęretici de stirpe Marię portentosum librum scripserunt,quem confutat Epipha. hęres.26.

Augusl.

Luc.1.

Epiphani.

Beata virgo de tribu Iuda.

Dicendum vero primo est Beatam Virginem duxisse originem ab Abraham, & Iacob ex tribu Iuda per familiam Dauid. Est res certa de fide. Quia ex scriptura cōstat Christum fuisse promissum Abrahę, Genes.18.&.22 & Iacob, Genes.28. constat etiam fuisse de tribu Iuda.Gen.49. & ad Hæbr.7. & filium Dauid,Matth.1.ad Rom.1.& ex varijs locis Euangeliorū constat,cōmunem sensum omnium Hæbreorum fuisse, Messiam futurum fuisse filiū Dauid. Matth.22.Marci.12.Luc.20.Ioan. 7.Quod etiam satis conuincitur ex promissionibus factis Dauid.2.Reg.7.& Psa.

Genes.18. 22. 28. & 49.

Hæb.7.

Matth. 1. & 22.

Rom.1.

Marc. 12.

Luc 20.

A 131.quas in Christo fuisse impletas testatur Angelus Luc.1. Denique etiam inter gentes adeó hæc fama percrebuit vt Vespasianus,& Domitianus,omnes,qui erāt de stirpe Dauid, interficere tentauerint, eo quod ex illa progenie regem nasciturū audissent,qui omnibus dominaretur. Euse.lib.3.hist c.11.&,15.Hæc autem omnia non possunt in Christum conuenire nisi ratione matris,cum secundum carnem patrem non habuerit.

Ioan.7. 2.Reg. 7. Psal.131. Luc.1.

Euseb.

Dices,Christus dicitur in Euangelio filius Ioseph,ergo vt dicatur filius Dauid, aut Iudæ,satis est,quod Ioseph, fuerit ex tribu Iuda,& familia Dauid,etiam si Beata Virgo non esset ex illa tribu,quia Christus fuit veluti adoptatus filius *Ioseph* iure coniugij inter Mariam,& Ioseph, hoc autem satis esse indicant Origenes libr.1. B super Epist.ad Rom.& Augustlibr.2. de consensu Euang.c.2. Respondetur certū esse debere Christum non tantum hac ratione,sed quia vere carnem sumpsit ex filia Dauid,dici,ac vere esse ex familia Dauid,vt bene docuit Aug.li.23.cōtra Faus. c.8.9.&10.& Euseb.lib.7.de Demōstrat. Euangelic.ca.5.&,6.& indicat Athanas. lib.1.de humana nat. susceptа non longē à fine. Et probatur,quia aliás sicut Christus,non vere fuit,sed existimabatur filius *Ioseph*: ita non verē esset de tribu Iuda, quod est contra Paul.nec secundum verā successionem,& originem à Dauid descēderet contra illud Psal.131.*de fructu ventris* C *tui ponam super sedem tuam.* Quod testimonium de Christo interpretans Petrus Actor.2.citat.*De fructu lumbi eius sedere super sedem eius*,& Tertul.lib.de carne Christi,cap 21.similiter legit,*De lumbis Dauid*, Constat igitur Beatam Virginem contentam fuisse in lumbis Dauid. & propterea Christū dici,*Fructum lumborum eius.* Quod exposuit Isai.c.11. dicens, *Egredietur virga de radice Iesse,& flos de radice eius ascendet.* Supra enim ex Hierony.& alijs patribus interpretati sumus,hanc virgam esse Virginem,florem autem,Christum qui propterea dicitur,*Leo de tribu Iuda*, *radix Dauid.* Apoca.5. Ac denique Paul.ad Rom.1 *Qui factus est*(inquit)*ei ex semine Dauid secundum carnem*,Nec interpretatio Origenis admittenda vlla ratione est, quia sola adoptio,vel potius existimatio non satis est,vt dicatur,*factus secundum carnem ex semine*

Obiectio.

Orlgen. Auguslt. Respon.

Augusl. Euseb. Athanas.

Psal.131. Petri.

Tertulia. Isai.11.

Hieron.

Apoc.5. Rom.1.

semine Dauid, sicut non posset vllo modo dici, *factus ex semine Ioseph*, Augusti. vero in priori loco solum dicit, si nō esset alius modus explicandi locum Matthei illum posse sufficere. Consideratis tamen alijs scripturæ locis, certum est quod diximus.

Obiectio. Sed hinc insurgit grauis difficultas sequitur enim Matthęum, nō recte narrasse genealogiam Christi, deducendo illā vsq; ad Ioseph, quandoquidem hoc non satis est, vt Christus ostendatur esse ex familia Dauid. Neque enim satisfacit vulgaris respō sio, nimirum *Matthæum* hoc fecisse, vt cō suetudinem scripturæ seruaret, narrandi genealogiam per paternam lineam. Cur enim oportuit morem hunc in Christi genealogia seruare, cum mos naturæ in illius conceptione seruatus non fuerit, qui ex matre sine patre procreatus est? Quod verò quidam aiunt, cum Matthęus Hebræis scriberet, recens conuersis ad fidem, non fuisse expediens, vt statim in initio Euangelij, tantum mysterium illis proponeret, ne illos â fide deterreret, hoc, inquam, friuolum est. Nam statim in eodem capite primo Euangelij, clarissime idem mysterium proponit dicens, *Quod enim in ea natū est, de spiritu Sancto est*,

Respōsio. Respōsio communis patrum est, non oportuisse vsitatum scripturę veteris morē in initio noui testamenti statim immutare. Quia explicata origine Ioseph, consequenter constabat Virginē esse ex eadē tribu, quia lege lata Numer. vltimo, fœminas necessariū erat, viris ex eadem tribu in matrimonium dari, ita Chrys. hom. secunda in *Mat.* Hier. Ansel. Theophyl. Euthy. & alij in primum cap. *Mat.*

Num. vlt. *Chrysost.* *Hierony.* *Anselm.* *Theophy.* *Euthy.*

Obiectio. Sed instabit aliquis, quia hæc lex, nec fuit vniuersalis, nec semper seruabatur, constat enim Dauid duxisse Michol ex tribu Beniamin, lib. primo, Reg. 18. & Iudic. 21. filij Israel iurarunt, se nō daturos filias suas filijs Beniamin in vxores, propter quoddam crimen: quod est signum id facere antea licuisse, tam in illa tribu, quam in alijs. Ac denique certum est, inter tribum regiam, & Leuiticam: sępe esse contracta matrimonia, vt constat Exod. 6. vbi Aarō accepit vxorē Elisabeth ex tribu Iuda, & secundo Paralip. secund. Ioiada Pontifex habuit vxorē Iosabeth filiam regis Iuran. Vnde non video cur Phylo. Iudæus,

1. Reg. 18 *Iudic. 21.* *Exo. 6.* *2. Parali. 2* *Philo.*

A lib. 2. de monarchia versus finem dixerit, alijs quidem sacerdotibus licuisse ex alijs tribubus vxores ducere, eo quod non expediret plebem in totum submoueri a sacerdotum affinitatibus, Pontifici autem non permitti nisi ex sacerdotali genere vxorem accipere. Nisi fortasse regiam tribū non excludat, quia regales fœminę, aliqua ex parte ex sacerdotali genere descendebant. Et augetur difficultas, quia illa lex citata ad summum præcipit coniuges esse contribules, non verò ex eadem familia, sic enim habet, *nubant, quibus volunt, tantum vt suæ tribus hominibus*, ergo ex narratione Matthæi non potest colligi Virginem fuisse ex familia Dauid, esto concedamus esse ex tribu Iuda.

Respōsio communis est, eam legem habuisse locum in fœminis succedentibus in B hæreditate paterna, vt plane colligitur ex citato capite vltimo Numer. si occasio ferendi legem illam, & illius ratio consideretur, vnde septuaginta, & Chaldaica paraphrasis, clarius dixerūt, *omnis filia hæres*, idemque colligitur, ex Tobię 7. Tunc autem oportuisse hanc filiam hęredem, seu vnigenitam dari propinquiori, vt familia seruaretur, vt indicatur in eodem cap. vltimo. Numer. in verbo illo. *Ducent vxores de tribu, & cognatione sua*, & infra, *vt hæreditas permaneat in familijs*, & â simili colligitur ex Deuteronomio. 25. & Ruth, tertio & quarto. Virgo autem *Maria* erat filia vnigenita, & hęres Ioachin, vnde concluditur fuisse propinquissimam Ioseph, atque adeo ex tribu Iuda, & familia Dauid. Hanc respōsionem late, & eleganter declarat Eusebius Emissius. hom. de natiuitate Mariæ. Sed adhuc non est euacuata difficultas, hæc enim respōsio supponere videtur, quod probandum erat. Fautus enim, vel quiuis alius qui negaret virginem esse de tribu Iuda, sed sacerdotali, ex patre sacerdote, consequens est, vt negaret illam esse filiam hæredem, quia in tribu Leuitica non erant hæreditates: ergo ex Matthęo nullum argumentum contra eum, qui hoc modo contenderet, sumi potest. Respondeo igitur Matthæum nō intendisse eo loco probare Christum esse ex tribu Dauid, sed simpliciter narrare historiam: supposuit autem id, quod eo tempore erat inter Iudęos notissimum, Mariam scilicet fuisse filiam vnigenitam, &

Respōsio communis. *Tob. 7.* *Deute. 25.* *Ruth. 3. et 4.* *Euseb. Emiss.* *Obiectio.* *Respōsio.*

hæredem, & ex eadem tribu, & familia ex qua erat Ioseph. Et quia Iudæi, ad quos scribebat, in hoc repugnaturi non erant, sufficiens esse duxit familiam, & lineam Iosephi describere. Et ex motione spiritus Sancti, cuius nutu scribebat, visitatiorem scripturæ morē seruare voluit. Primo vt scripturarum consensio, & conuenientia in ipso statim noui testamenti exordio appareret. Secūdo vt inter Mariā, & Ioseph verū intercessisse matrimoniū, vel eo constaret, quòd Ioseph vt capiti deferebatur. Adde spiritum Sanctum, præcipuum sacræ scripturæ autorem, non tantū Matthęo, sed etiā Luca ad scribendam Christi genealogiam vsum fuisse, voluisseq; omnibus modis declarare Christum esse ex Dauid, vt in sequentibus amplius declarabitur. Et hoc confirmat, quod Lucas, c. 2. refert, ascendisse beatam Virginē cū Ioseph in Bethlehem ciuitatem Dauid, vt describerentur, tanquam de eadem stirpe generati, vt Hieron. notauit, & tanquam habentes propriam facultatem, & hæreditatem in illa tribu & familia. Vt enim colligitur ex Iosepho, lib. 18. antiquit. c. 1. illa descriptio magis fiebat intuitu facultatū, seu hæreditatum quam personarum.

Lucæ. 2.

Hieron.

Ioseph.

Origo virginis ex Iuda & Dauid per lineam paternam.

Auguſt.

Secundo dicitur Beatā Virginē descendisse ex Iuda, & Dauid per lineā paternā, & nō tantū maternam. Hanc assertionē constituo propter Aug. qui dicto loco lib. 23. contra Faust. videtur sentire, ad veritatē sacræ scripturę dicentis Christum esse ex Iuda, & Dauid, retinendam, satis esse, si beata Virgo saltem per maternam lineam, ab illis descendisse credatur. Quod non displicet, D. Th. q. 31. ar. 2. ad. 2. in fine. Cō

D. Thom.

clusio tamen posita est D. Tho. in. 4. d. 30. q. 2. art. 1. q. 3. ad. 4. & diserte asseritur ab

Ambroſ. Damaſce.

Ambros. lib. 3. in Lucā & Damas. lib. 4. c. 15. & ab alijs patribus quos statim referā, & videtur satis probari ex promissionibus citatis. Nam si Christus per masculinam lineam descendisset ex Leui, potius ad illum, quam ad Iudam, vel Dauid pertinuisset promissio. Sed præterea, probatur ex Paulo ad Heb. 7. vbi affirmat Christū esse de tribu Iuda, & negat esse de tribu Leui, ergo & Beata Virgo fuit de tribu Iuda, & non de tribu Leui, absolute, & simpliciter loquendo, quia (vt dictum est) Christus non sortitur tribum, nisi per Virginē ergo descendit Beata Virgo per lineam paternam ex tribu Iuda: & non ex tribu Leui, patet consequentia. Primo, quia absolute magis denominatur aliquis ex paterno, quam ex materno genere. Secundo quia saltem non potest vere de aliquo negari, quod sit ex illa tribu, seu origine, ex qua est pater eius. Christus autem, & consequenter Virgo simpliciter negatur esse ex stirpe sacerdotali, vt notauit etiam D. Tho. supra. q. 22. art. 1. ad secundū. Tertio quia distinctio tribuum in paterna linea conseruabatur, vt indicauit, D. Thom. super ad Heb. 7. & clarius notauit Ianſen. in concord. c. 6. & potest facile ostendi, Quia filiæ Leui dabantur in matrimoniū filijs Iuda, & econtrario, vt ostensum est, ergo, vt tribus non confunderentur, per lineas masculinas necessario distingui debuerunt. Quarto denique confirmatur ex supra dictis. Quia, si beata Virgo fuisset filia sacerdotis, etiam si haberet matrem ex tribu Iuda, non habuisset hereditatem paternam, quod est cōtra omnia supra dicta, ergo Ioachin pater Virginis non fuit extribu Leui, fuit ergo ex tribu Iuda, nam solum inter has tribus potest esse controuersia. Neque Augustin. in citato loco contrarium dicit, quanuis confutando Faustum, vt illum conuincat, varios modos explicet, quibus beata Virgo potuit ex Dauid originem trahere. D. Tho. autem in priori loco citato, nihil aliud fecit, quām Augustini verba referre. Aduertendum vero est, testimonio Pauli, & rationibus factis recte conuinci, Virginem per lineam paternam descendisse ex tribu Iuda. Quod vero eandem lineam traxerit ex familia Dauid, non satis potest, illo testimonio probari. Suaderi autem potest alijs testimonijs, quibus prædicatur Christus filius Dauid, eiusq; regni successor. Reliquæ etiam coniecturæ adductæ, seruata proportione hoc satis demonstrant.

D. Thom.

Ianſen.

Dico tertio Beata Virgo per lineam paternam descendit ex Dauid per Nathan, & filios eius, quanuis verisimile sit aliqua alia via habuisse originem ex Salomone. Prior pars huius conclusionis non est certa sed probabilis. Docuit illam Damascen. lib. 4. cap. 15. vbi etiam genealogiam describit, iuxta quam, si vera est, genealogia Virginis est eadē, quam descripsit Luc. xc. 3. exceptis tribus primis generationib⁹. q.

Damaſce.

a Le

à Leui vsque ad Virginem: tamen a Leui vsque ad Adam est omnino eadem: eam vero compleuit Damascen. dicens, Leui genuisse, Pantheram, hic Barpantheram, hic Ioachin patrem Virginis, vnde juxta eandem descriptionem, Ioseph, & Maria erunt in quarto gradu consanguinitatis, non naturali, sed legali: quia Ioseph dicitur fuisse legalis filius Heli, & pronepos Leui, qui erat atauus beatę Virginis, sed hæc deductio Damas. habet difficultates infra attingendas. Melius ergo confirmabitur con. ex Luc. 3. simulque deseruiet, ad conciliandam genealogiam Christi, quam Matth. 1. ibi describit Lucas, cum ea, quam Matthęus, c. 1. descripsit. Primo ergo probatur conclusio ex dicto c. 3. Lucæ, vbi sic dicitur, *& ipse Iesus erat incipiens, quasi annorum triginta, vt putabatur, filius Ioseph, qui fuit Heli, &c.* vbi Euangelista deducit lineã vsque ad Nathan filium Dauid, & deinde vsque ad Adam, sed verisimile est ibi narrare genealogiam Virginis, & non Ioseph ergo. Probatur minor primo quia ita exponunt illum locum graues, quanuis recentiores autores, Caietanus, Iansen. Dionys. Chartu. Arias Montanus, Gagneius, Palatius, & alij expositores Matth. 1. & Luc. 3. Galatin. lib. 7. c. 12. Ioannes Dried. lib. 3. de dogmat ca. 5. p. 4. in fine & Ioannes Lucidus lib. 7. de emendatione temporum c. 1. Cano. 11. de locis, capi. 5. Soto in 4. d. 30. q. 2. art 1. & idem sentit Canis. lib. 1. de Deipara, c. 3. vbi hanc sententiam ex Hosiandro refert, lib. 1. Harmon. Euan. c. 16. & probare videtur, idē Eras. annot. in cap. 3. Lucę. Citari autem solent in hāc sentētiam Hierony, vel autor lib. de ortu Virg. & Aug. lib. 2. de quęstionib. Euangelior. q. 5. sed his locis nullum est verbū de hac re. In libro autem primo quæstion veteris, & noui testamenti. q. 56. & libr. 2. q. 6. qui nomine Aug. in t. 4. continentur, indicatur hæc expositio, quatenus ibi dicitur, cum Lucas ait, *qui fuit Heli.* nō de Ioseph, sed de Christo loqui. Quod statim exponemus. Citatur etiam pro hac sententia Damascen. lib. 4. c. 15 Sed immerito illius enim sententia iam explicata est.

Luc. 3. *Matth. 1.* *Caiet Iansen. Chartus. Arias Mōta. Gagnei. Palatius. Galatin. Dried. Ioann. Lucid. Canus. Sotus, Erasm. Augusti.*

Secundo hęc expositio facile accommodatur textui. Cum enim Lucas ait, *& ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli*, optime intelligitur illud relatiuum, *qui*, non referre Ioseph, sed Christum, qui dicitur fuisse Heli, non filius, sed nepos. Cū enim Euangelista ex professo sermonē de Christo haberet, & solum per occasionem nominasset Ioseph, non est credibile totam sequentem genealogiam ad Ioseph, & nō potius ad ipsum Iesum retulisse, ita vt verbum illud, *qui putabatur filius Ioseph*, per parentheſim legatur, quę constructio vere quadrat, cum textu Græco, vbi non fit ascensio, seu narratio per relatiua: sed solum per genitiuos hoc modo, *& ipse Iesus erat vt putabatur filius Ioseph. τοῦ ἡλὶ* Quia vero Euangelista præmisserat Iesum non habere patrem nisi existimatum, & matris nolet mentionem facere, immediate transcēdit ad auum. Vnde nihil obstat, quod in alijs generationibus ibi numeratis proximus parens referatur, id enim in Christo fieri nō potuit, quia ascēdēdo nō habebat patrē verum, neque hominem progenitorem, propinquiorem auo, neque hoc est nouum in Euangelio, quia Matthęus. c. 1. eisdem verbis numerans varias generationes, interdum transijt immediate ad nepotem, quia non decuit interiacentes numerare. Deinde, etiā si exponamus illud relatiuum, *qui*, referre Ioseph, non est necesse vt dicatur esse Heli, quia fuerit filius eius naturalis: sed quia erat quasi legalis filius ratione coniugij cum beata Virgine, cuius naturalis pater erat Heli, sic enim interdū gener socerum suum patrē vocare cōsueuit. Est itaque verisimile, cum Matthæus narrasset naturalem genealogiam Ioseph, quæ ad Christum comparata, legalis quodam modo dici potest, Lucam econtrario veluti legalē originem Ioseph, naturalem autem Christi descripsisse. Cum enim prę mississet Lucas Ioseph non esse verum patrem Christi, sed tantum existimatū, non erat, cur illius naturalē genealogiā statim subiungeret: sed potius genealogiam Virginis, & Christi secūdū carnē. Et cōfirmari potest hæc expositio. Quia ferē omnes interpretes fatentur. Ioseph nō fuisse naturalē filiū Heli, quia Matthæus dicit fuisse genitū ex Iacob, & ideo alij dicunt esse adoptatum, vel legalē, multo ergo facilius exponi potest, quod sit filius, vt ita dicā, cōiugalis, & quodā modo naturalis iure matrimonij, nisi quis velit priorē illā Aug. sentētiā hic aplicare dicēdo fuisse etiā adoptiuū filiū Heli patris naturalis Virginis.

Matth. 1.

Nec committitur æquiuocatio, etiam si in alijs, qui in illa linea describuntur, intelligendi sint patentes naturales, quia non sine causa Euangelista vsus est illo communi, & præciso termino, *qui fuit* Heli, *qui fuit* Matthath. &c. & à verbo *generãdi*, & alio simili abstinuit. Vnde deueniendo ad Adam dixit, *qui fuit* Dei, cùm tamen non fuerit proprie filius Dei, quod in omni sententia necessario dicendum est, vt notauit D. Tho. q. 31. art. 3. ad 3.

Vltimo tãdem suadetur hæc expositio, Quia non est verisimile, Euangelistas omnino prætermisisse propriam, ac naturalem Christi genealogiam, quæ per virginẽ seu eius patrem texenda erat, præsertim cum non sit in scriptura inusitatum, originem fœminarum describere, quando singularis ratio occurrit. Sic enim Iudith, illius fœminæ prosapia describitur propter singularem excellentiam illius, & ad extollendam victoriam, quam de Holoferne reportauit, quę sicut in alijs: ita & in hoc Beatæ Virginis figura fuisse videtur, Solet tandem conclusio posita confirmari ex verbis Ierem. 22. vbi de Iechonia dicitur. *Non sedebit de semine eius vir super solium Dauid.* Vnde videtur colligi Christum, qui super solium Dauid sedit, non fuisse de semine Iechoniæ, atque adeò nec Salomonis per masculinam lineam. Sed hoc testimonium non admodũ vrget, quia satis commode exponi potest de regno temporali Iudæorum, in quo nec Christus dominus Iechoniæ successit vt cum Ambrosio lib. 3. in Lucam notauit D. Thom. q. 31. art. 2. ad tertium.

Iudith. 3.

Ierem. 22.

Ambros. D. Thom.

Sed occurrunt in hac sententia, & in expositione posita graues difficultates prima est quia videtur pugnare cũ tota antiquitate, & communi patrum sententia, tractãtes enim loca Matth. 1. & Luc. 3. omnes supponũt vtrũque Euangelistã narrare Ioseph originem, & ideo in his conciliandis ad modũ laborant, & quanuis diuersas expositiones assignent nullus tamen ante Ioannem Annium dixit, illũ Heli, cuius Lucas meminit, fuisse patrem naturalem Beatę Virginis. Vnde illa tandem à patribus est recepta sententia quę dicit Ioseph fuisse naturalem filium Iacob, legalem autem Heli. Fuisse enim dicuntur Iacob, & Heli vterini fratres, & Heli duxisse vxorem, & mortuum esse sine liberis,

1. obiectio.

Ioan Annius.

A Iacob autem accepisse vxorem eius vt susciteret semen fratri suo iuxta legem Deutero. 25. & ex illa genuisse Ioseph, qui propterea dicitur filius Iacob naturalis, Heli autem legalis. Nec obstat, quod Ioseph nõ vocaretur eodem nomine, quo pater eius legalis. 5. Heli, quod obijcit Aug. lib. 2. quæstionum Euan. qu. quinta. hoc enim non erat necessarium, vt ipsemet respondet lib. quæstionum in Deut. quæ. 46. *Deute. 25.* *August.*

Quia vero Iacob, & Heli diuersos patres habuerunt, ideo distinctæ illorum genealogiæ ab Euangelistis narrantur. Cuius sententiæ primus author dicitur fuisse Iulius African. in epist. ad Aristidem, cuius meminit Hieron. de viris illustribus, qui dixit accepisse se hanc historiam ab ijs, qui saluatori propinqui fuerunt secundũ carnem. Sed eam prius docuit Iustin. q. 111. ad B gentes sequitur Hieron. Matth. 1. Ambros. Luc. 3. Anselm. Beda, & alij ferè antiqui in eisdem locis Damascen. lib. 4. c. 15. Nazian. in carmine de genealogia saluatoris Euseb. lib. primo, hist. c. 6. Niceph. lib. 1. c. 11. & Aug. cum in illa sæpe hæsitasset, vt lib. 2. de cons. Euang. c. 4. & lib. 3. contra Faust. c. 3. & lib. 28. c. 3. & locis supra citatis. Tandem vero lib. 2. retract. ca. 7. 12. & 55. illam probat, & retractat aliam, quam prius docuerat. 5. Heli fuisse patrẽ Ioseph solum ratione adoptionis, vel fuisse auum ex parte matris, quod hęc reuera nullo nitebantur fundamento. Prædictos denique patres Secutus est D. Tho. C q. 31. art. 3. ad 2. & vehemens cõiectura est, eos patres, qui prope Christi tempora vixerunt historiam hanc diligentissime inquisiuisse. *Iul. Afric. Hieronym. Iustin. Ambros. Anselm. Beda. Damasce. Nazian. Euseb. Nicephor. August.*

Secunda obiectio.

Secũda difficultas est, quia hæc sententia supponit Heli fuisse patrem Beatæ Virginis, cùm tamen omnes patres dicant illum fuisse Ioachin, vt supra vidimus.

Tertia obiectio.

Tertia est, quia iuxta supra dictã sententiam beata Virgo nõ descẽdisset ex Zorobabel, & Salathiel, quia hi fuerũt ex domo Dauid per Salomonẽ: in recta, & masculina linea: cõsequẽs est cõtra Lucã, qui inge nealogia, quã describit, hos duos cõstituit

Quarta obiectio.

Quarta & vltima est, quia sequitur ex hac sententia, Beatam Virginem non fuisse ex genere Dauid, per regalem lineam: consequens autem videtur parum consentaneum Patribus, & scripturæ. Ambros. enim, libro. 3. in Lucam contrarium

Ambros. Hieron.

aperte

aperte affirmat. Et Hieron. Ierem. 22. in fine expresse dicit Christum fuisse de semine Sedechiæ per Salathiel, Zorobabel, &reliquos, & idem habet Zachar. 4. & Ierem. 38. aperte sentit Christum descendisse ex Salomone, & Ezechia, & Theodore. Ierem. 22. in fine. Vnde Bernard. in serm. *signum magnum*, loquens de Virgine, *ex regibus*, inquit, *orta generosa ex stirpe Dauid.*

Theodore.
Bernard.
Ps.131.

Et confirmari potest ex illo Psal. 131. *de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* vbi ad literam sermo est de Salomone, & & de Christo in persona eius. Et hoc sensu videtur Christus dici in scriptura esse ex semine, seu ex domo Dauid. Luc. 1. & *erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui.* Proprie enim, *domus Dauid*, significat regalem prosapiam iuxta communē phrasim scripturæ, secūdo, Reg. 7. tertio, reg. 12. & 13, & sæpe aliàs, & hoc modo dicitur *Ioseph de domo Dauid.* Luc. 1. & 2. & similiter *semen Dauid*, absolute dici videtur stirps regia, quæ per Salomonem descendit.

Luc. 2.
2. Reg. 7.
3. Reg. 12. 13.
Lu. 1. & 2.

Respōsio, ad primam obiectionē. Ad primam difficultatem respondetur, illā Patrum interpretationem, esse quidē probabilem, non tamen certam, neque ab eis simpliciter affirmari: sed eo modo, quo ab Africano tradita est, qui his verbis suā expositionem concludit, *siue res ita se habeat, siue alio modo, ita existimandum est quando certū defit testimonium, ob id, quod clarior ac verior expositio proferri non potest*, itaq; non sunt fundati in certa aliqua historia vel traditione, Imo historia, quam Euse bi. & Damasc. referunt non consonat cū Euangelio Lucæ, ipsi. n. dicunt Melchi genuisse Heli Lucas vero inter *Melchi*, & Heli ponit Leui, & *Matthath.* ita vt *Melchi* genuerit Leui, Leui, Matthath. hic Heli, ergo illa historia stare non potest, nisi fortasse mēdosi sint codices, & *Melchi* posuerint loco Matthath. Imo in codice Damas. alius est apertus error. Ibi enim dicitur Melchi filius Leui, cum tamen Lucas econtrario Leui dicat esse filiū Melchi, Melius ergo sequendo hanc sententiam dixit Euthy. in Lucam, c. 6. Matthath duxisse vxorem, & ex ea genuisse Heli, illo autē mortuo aliū Matthath duxisse eandē, & ex ea genuisse Iacob, & ita Heli fuisse maiorem natu, & prius duxisse vxorem, quo mortuo sine liberis, Iacob frater eius eandem duxit ad suscitandum semen fratris, & genuit Ioseph, & hoc modo nihil video posse obijci contra hanc sententiam, quo falsa esse conuincatur. Redditur autem dubia, & incerta, tum quia probabile est opportuisse fratres esse germanos, & eiusdem patris familiæ, ac hereditatis, vt vnus posset alteri semen suscitare, vt recte ponderat Corneli. Iansen. tum etiam quia ipsimet illius defensores, inter se non consentiunt in explicanda illo modo genealogia Ioseph. Nam præter dicta, plures illum faciunt naturalem filium Iacob, legalem autem ipsius Heli. Ambrosius vero ècontrario facit illum naturalem filium Heli, & legalem Iacob. Refert etiam Hieronym. super ad Tit. 3. suo tempore hanc quęstionem fuisse valde controuersam, & quendam Iudæum, qui se Christianum simulabat solutiones quasdam, quasi ex adytis, & oraculo detulisse, vt corda simplicium peruerteret: ipse autem Hieron. rem vt dubiam, & controuersam relinquit. Solum ergo videtur illa responsio probabiliter tradita nihil autem obstat, vt aliqua expositio a posterioribus inuenta, si facilior, & expeditior appareat, præferatur. Addo conclusionem positam non pendere ex hac expositione recentiorum. Damascenus enim, qui antiquiorem sequitur, nihilominus nostram sententiam docet, cuius authoritas grauissima est,

Ambros.
Hierony.
Damas.

Ad secundam respondetur, eundem fuisse Heli, qui, Ioachin, siue quia binomius fuit, siue quia in scriptura, & vsu Hebręorum, nomina Ioachin, & Eliachin, vt synonima vsurpantur, Quarto, reg. 23, 2. Para lip. 36. Eliachin autem breuitatis causa dici potuit Heli. Ita Ioanes Annius in commentarijs Breuiarij temporum, falso Phyloni ascripti, quem alij secuti sunt.

4. Reg. 23
2. Para. 36
Ioā. Anius

Ad tertiā, Annius eo loco existimans cū Euthimio, Salathiel, & Zorobabel, de quibus Lucas, & Matthæus scribunt, esse eosdem, multa falsa, & improbabilia de his genealogijs docet, quæ, quia scripturæ repugnant & âIansenio, & alijs satis refutantur, omittenda censui. Dicendum est ergo generationes illas, & personas omnes, quas numerant Matthæus â Salomone vsque ad Iacob, & Lucas â Nathan vsq; ad Heli, esse diuersas, vt constat ex numero generationum, & ex magna nominum diuersitate, & ex Patrum interpretatione. Et italicet in nominibus interdum

Euthym.
Iansen.

conueniant, non oportet personas esse easdē. Quo circa Salathiel, & Zorobabel, quorum meminit Lucas, non sunt ijdem quos Matthæus recensuit, vt recte docuit Aug. lib. 5. q. in. Deut. quæ. 46. & ita non procedit difficultas posita.

Augusti.

Ad quartam respondetur ea omnia, quę in illa adducuntur, confirmare posterioré nostræ assertionis partem, nimirum beatam Virginem descendisse etiam ex Salomone, & ex alijs regibus Iuda, per aliquā maternam lineam vt recte D. Tho. docuit qu. 31. articul. 3. ad secundum. Vbi si attente legatur, totam nostram conclusionem astruit, approbat enim sententiam Damasceni asserentis beatam Virginem, & Ioachin patrem eius descendisse ex Melchi, qui a Nathan genus duxit, subiungit vero D. Tho. *tamen credendum est, quod etiam ex Salomone originem duxerit, secundum aliquem modum per illos patres, quos enumerat Matthæus, qui carnalem Christi generationem dicitur enarrare*, Hæc D. Tho. Et est facilis coniectura. Nam illæ familię, cùm essent propinquæ, sępe matrimonio iungebantur, vt Damascen. & alij citati Patres significant. Ex his colligo, licet certum sit Mariam, & Ioseph fuisse ex eadem tribu, & familia, non tamen satis constare, in quo gradu consanguinitatis propinqui fuerint. Quidam vero prædictas duas sententias coniungentes dicunt, fuisse consobrinos filios duorū fratrū. Admittunt enim Iacob, & Heli verè fratres fuisse eo prorsus modo, quo affirmat cōmunis opinio, sumūt vero ex nostra sententia Heli non fuisse legalē patrē Ioseph, nec habuisse eā dē vxorem, quā Iacob, sed fuisse patrem Virginis, & ita recte quidē concludunt tamen rē incertā affirmant, quia sine fundamento has opiniones cōponunt.

D. Thom.

A

B

C

Beata Virgo ex tribu Leui quomodo.

D. Thom Bonauen. D Anton. Nazianz. Epiphan. Hilar. Ambro. Augusti.

Quarto & vltimo dicendū est in hac dubitatione. Beatā Virginē aliqua ex parte duxisse etiā originē ex tribu sacerdotali, seu Leuitica. Ita sentit D. Tho. supra. qu. 29. art. 1. ad. 4. clarius infra. q. 31 ar 3. ad. 3. Bonauen. in. 4. d. 30. art. 1. q. 2. in fine. Anton. 4. p. tit 15. c. 3 § 3. & est sententia Nazian. carmine de genealogia Saluatoris. Epiph. hęresi. 78. post med. Hilar. can. 1. in Matth. Ambr. lib. 3 in Luc. & lib. de benedictionib. Patriar. c. 3. & 4 Augusti. lib. 83. quæst. q. 61. Probatur autē â nonnullis ex dictis Patribus, ex eo, quod Lucas narrat A generationē Christi per Nathan, indicantes illū fuisse sacerdotē. Vnde Nazian. cū dixisset Dauid dedisse regnū Salomoni, de Nathan subdit, â *patre, sacrificum duxit genus alter eodem.* Et quod magis mirandū est, Aug. dixit hunc Nathan fuisse illū prophetā, qui Dauid reprehendit. Quod etiā asseruit Origenes. homi. 28. in Lucā. Lyrā. & Burgens. Matth. 1. idē Lyrā. & Albert. Luc. 3. Sed hoc vltimū merito retractatum est ab Aug. lib. 1. c. 26. quia hic Nathan fuit filius Dauid ex Bethsabee genitus, vt cōstat, secundo reg. 5. 1. Paralip. 3. & 14. nō ergo potuit esse ille Propheta, qui reprehendit Dauid propter adulterium cū eadem Bethsabee, ex qua etiā natus est Salomon, qui nihilominus dicitur. *vnigenitus matris suæ.* Prouer. 4 quia fortasse fuit primogenitus, vt colligi potest ex. 1. regum. 12. & interdū primogenitus more Hebræorū dicitur vnigenitus, presertim tempore infantię, de quo Salomon in prouerbijs loquebatur. Vel certe dicitur vnigenitus amore, & affectu, quia ita diligebatur, ac si esset vnicus, quanuis re vera habuerit fratres, nō solum Nathā, sed etiam alios. Ex quo etiā aperte concluditur hunc Nathā. non fuisse sacerdotem cum non fuerit de tribu Leui. Vnde recte D. Tho. dicta q, 31. art. 3. ad Tertium vidit hoc argumentum non esse efficax ad probandum Christum, aut Virginem esse aliquo modo de genere sacerdotali, et recurrit ad symbolicam argumentationem, scilicet, quod Lucas narrans genealogiam, per eū, qui habebat nomen illius Prophetæ, per quem Deus expiauit Peccatum Dauid, indicauit sacerdotalem dignitatem Christi, & aliqualem originem. Et ita tacite exponit Aug. lib. 2. de consensu euangelistar. c. 4.

Origen. Lyra. Burgens. Albert. Augusti. 2. Reg. 5. 1. Paraly. 8. & 14. Prouer. 4

1. Reg 12. *Vnigenitus in scriptura quis dicitur.*

D. Thom.

Secundo probari potest cōclusio ex Luc. 1. vbi Elizabeth dicitur cognata beatæ Virginis, quę tamē erat ex filiabus Aaron. Sed neq; hoc argumētū videtur omnino efficax varijs enī modis hoc potuit cōtingere. Primo quod mater Elisabeth fuerit dē tribu Dauid, & hoc modo potuerūt Elizabeth, & Maria esse cognatæ, etiā si Deipara nullo modo descenderet ex tribu Leui. & hunc modum indicat Ambros. lib. 3. in Luc. & Theophyl. Matth. primo, & sequitur Dried. dicto lib. 3. de dogmatib. tract. 3. capitul. 5. part. 4. ad finem, Iansen. c. 3. concor. Secūdo vero modo fieri potuit vt Ioa-

Luc. 1.

Ambros. Thoppby. Dried.

Iansen, vt Ioachin pater Virginis acceperit Annã A ex tribu Leui cognatam Elisabet. Quẽ modũ ex Hippolito refert Niceph. lib. 2. hist. c. 3. vbi dicit Annã fuisse filã Mattham sacerdotis, & si hoc verum est, satis constat conclusio posita. Tertio hoc esse potuit, etiam si Anna haberet patrem ex tribu Iuda. Nam potuit habere matrem ex tribu Leui, imo idẽ in Ioachin accidere potuit. Quia (vt supra diximus) hę tribus facile matrimonio iungebantur. Et hinc etiam vix fieri potuit, quin aliqua ex parte beatissima Virgo ex Leuitica tribu descenderet. Accedit coniectura sanctorum patrũ ex significatione sumpta. Decuit enim vt Christus, qui futurus erat Rex & sacerdos ex vtraque tribu regia, & sacerdotali descenderet. Neque obstat quod Paul. ad Heb. 7. negat esse ex tribu Leui, intelligit enim absolute & simpliciter, idest per masculinam lineam, ita vt posset esse sacerdos legalis. Sic enim inquit. *ex Iuda ortus est dominus, ex qua, nullus altario præsto fuit.* Quod intelligi necessario debet de linea masculina, nam multi sacerdotes habuerunt matrem ex tribu Iuda, vt de filijs Aaron constat, & eodem modo exponendus est D. Tho. ne sibi contrarius sit supra. q. 22. art. 1. ad. 2. Et hæc satis sint de præambulis disputationibus. Iam ad D. Tho. literam accedamus.

Nicephor.

Hebr. 7.

D. Thom.

QVAESTIO, XXVII. de Beatæ Virginis Mariæ sanctificatione in sex articulos diuisa.

Post prædicta, in quibus de vnione Dei, & hominis, & de his quæ vnionẽ consequuntur, tractatum est. Restat considerandum de his, quæ filius Dei incarnatus, in natura humana sibi vnita gessit vel passus est. Quæ quidem consideratio quadripartita erit. Nam primò considerabimus de his, quæ pertinent ad ingressum eius in mundum. Secundò, de his quæ pertinent ad progressum vitæ: ipsius in hoc mundo. Tertio, de exitu ipsius ab hoc mundo, Quarto, de his quæ pertinent ad exaltationem ipsius post hanc vitam. ¶ Circa primum quatuor consideranda occurrunt. Primò quidem de conceptione Christi. Secundo, de eius natiuitate. Tertio de eius circũcisione. Quartò de eius baptismo. ¶ Circa conceptionẽ autem eius oportet primò aliqua considerare quantum ad matrem concipiẽtem: secundo quantum ad modum conceptionis: tertio, quantum ad perfectionẽ prolis conceptæ.

In q. præce

¶ Ex parte autem Matris occurrunt quinque consideranda. Primo quidem de sanctificatione eius: secundo de Virginitate eius: tertio de desponsatione eiusdem, quarto de annũciatione ipsius: quinto de præparatione ipsius ad concipiendum.

¶ Circa primum quæruntur sex.

¶ Primò, vtrũ Beata Virgo mater Dei fuerit sanctificata ante natiuitatem ex vtero. ¶ Secundo, vtrùm fuerit sanctificata ante animationem.

¶ Tertio vtrum per huiusmodi sanctificationem fuerit sibi totaliter sublatus fomes peccati. ¶ Quarto, vtrum per huiusmodi sanctificationem fuerit consecuta, vt nunquam peccaret. ¶ Quinto, vtrum per huiusmodi sanctificationem adepta fuerit plenitudinem gratiarum. ¶ Sexto, vtrum sic sanctificari, fuerit proprium sibi.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrũ Beata Virgo mater Dei, fuerit sanctificata ante natiuitatem ex vtero.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod beata Virgo non fuerit sanctificata ante natiuitatẽ ex vtero. Dicit enim Apostolus. 125 3 dist. 3. q. 2. ar. 1. q. 3. Et quol. 6.

1. ad

q 5. arti. 1. cor. et op. 2. 3. c 231. Et Ps. 45.

1. ad Cor. 15. Nō prius quod spirituale est sed prius, quod est animale, deinde quod est spirituale. Sed per gratiam sanctificantem nascitur homo spiritualiter in filium Dei secundum illud Ioann. 1. Ex Deo nati sunt. Natiuitas autē ex vtero est natiuitas animalis. Non ergo beata Virgo fuit prius sanctificata, quàm ex vtero nasceretur. ¶ 2. Præterea. Aug. dicit in Epistola ad Dardanum. Sanctificatio qua efficimur templum Dei, non nisi renatorum est. Nemo autem renascitur nisi prius nascatur. Ergo beata Virgo non fuit prius sanctificata, quam ex vtero nasceretur. ¶ 3. Præterea, Quicunq; est sanctificatus per gratiam, est mūdatus à peccato originali & actuali. Si ergo beata Virgo fuit sanctificata ante natiuitatē ex vtero, consequens est, quod tunc fuerit emundata ab originali peccato. Sed solum originale peccatum poterat eam impedire ab introitu regni cælestis. Si ergo tunc mortua fuisset, videtur, quod ianuam regni cælestis introisset. Quod tamen fieri non potuit ante passionem Christi: habemus enim fiduciam in introitum Sanctorum per sanguinem eius: vt dicitur Hebræo. 10. Videtur ergo, quod beata Virgo non fuerit sanctificata antequam ex vtero nasceretur.

In epist. 57 à medio to. 2.

¶ 4. Præterea, Peccatū originale contrahitur ex origine, sicut peccatū actuale ex actu. Sed quandiu aliquis est in actu peccandi, non potest à peccato actuali mundari. Ergo etiam nec beata Virgo à peccato originali mundari potuit dum esset adhuc in ipso actu originis, in materno vtero existens.

Sed contra est, quòd Ecclesia celebrat natiuitatem beatæ Virginis, non autem celebratur festum in Ecclesia nisi pro aliquo sancto. Ergo beata Virgo in ipsa sua natiuitate fuit sancta. Fuit ergo in vtero sanctificata.

Respondeo dicendum, quod de sanctificatione beatæ Mariæ, quod scilicet

A fuerit sanctificata in vtero, nihil in scriptura canonica traditur: quæ etiamnec de eius natiuitate mentionem facit. Sic vt tamē Aug. in sermone de Assumptione ipsius Virginis, rationabiliter argumentatur, quod cum corpore sit assumpta in cælum (quod tamen Scriptura non tradit) ita etiam rationabiliter argumētari possumus, quod fuerit sanctificata in vtero. Rationabiliter enim creditur, quod illa quæ genuit Vnigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus alijs maiora priuilegia gratiæ acceperit. Vnde, vt legitur Luc. 1. Angelus ei dixit. Aue Maria gratia plena. Inuenimus autem quibusdam alijs hoc

In lib. de assumptione beatæ Mariæ, cap 6. præcipue, to. 9.

B priuilegialiter esse concessum, vt in vtero sanctificarentur, sicut Hieremias, cui dictum est. Hierem. 1. Antequam exires de vulua, sanctificaui te, & sicut Ioannes Baptista, de quo dictum est Luc. 1. Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. Vnde rationabiliter creditur, quod beata Virgo sanctificata fuerit, antequam ex vtero nasceretur.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd etiā in beata Virgine prius fuit id quod est animale, & post id quod est spirituale quia prius fuit secundum carnem concepta, &

C postea secundum Spiritum sanctificata. ¶ Ad secundum dicendum, quod Augustin. loquitur secundum legē communem, secundum quam per sacramenta non regenerātur aliqui nisi priusnati. Sed Deus huic legi sacramentorū, potentiam suam non alligauit, quin aliquibus ex speciali priuilegio gratiam suam conferre possit, antequam nascantur ex vtero. ¶ Ad tertium dicendum quod beata Virgo sanctificata fuit in vtero à peccato originali, quantum ad maculam personalem, non tamen fuit liberata à reatu, quo tota natura tenebatur obnoxia, vt scilicet non intraret in paradisum nisi per Christi hostiam, sicut

& de

& de sanctis Patribus dicitur, qui fuerunt ante Christum. ¶ *Ad quartum dicendum, quòd peccatum originale trahitur ex origine in quantum per eam cõmunicatur humana natura, quam proprie respicit peccatum originale: quod quidem fit quando proles concepta animatur. Vnde post animationem nihil prohibet prolem conceptam sanctificari: postea enim non manet in materno vtero ad accipiendam humanam naturam, sed ad aliqualem perfectionem eius, quod iam accepit.*

COMMENTARIVS.

DOctrina D. Tho. in hoc artic. clara est, & expositione non indiget. Solum pro ijs, quę de conceptione Virginis à nobis dicenda sunt, duo occurrunt notanda. Alterum est circa corpus articuli, in quo D. Tho. propter rationabilem argumentationem concludit excipiendam esse beatã Virginem à lege communi nascendi in peccato, quamuis talis exceptio in sacra Scriptura non sit expressa, ne priuilegium, seu donum gratiæ alicui concessum, Deiparæ credatur esse negatum. Alterum est in solutionibus argumentorum. Si enim recte argumenta considerentur, nõ minus, imo magis procedunt contra sanctificationem virginis in ipsamet conceptione, quàm in reliquo tempore ante natiuitatem eius, & ideò oportet solutiones ita accõmodare, vt vtriq; quęstioni satisfaciant. Quod breuiter faciam per singula discurrendo.

Primum ergo argumentum est. Quia prius est id, quod animale, quàm quod
1. Cor. 15. spirituale. 1. ad Corint. 15. ergo beata Virgo prius est animaliter (vt ita dicam) ex hominibus cõcepta, vel nata, quàm spiritualiter ex Deo. Respondet D. Tho. concedẽdo totum argumentum, quantum ad Virginis conceptionem. Sed addendum est, id, quod est animale, seu naturale, non oportere esse prius tempore, quã id, quod est spirituale; sed satis esse, si supponatur ordine naturæ tanquam subiectum suæ formę. Sicut in Adamo, cũ primũ à Deo creatus fuit, prius fuit id, quod animale, quàm id, quod spirituale est, idest, natura quàm gratia, non tempore, sed ordine naturę, id ergo satis est.

Secundum argumentum fundatur in testimonio Augustini epist. 57. dicentis, neminem renasci, nisi prius nascatur. *August.* Responsio verò D. Tho. est, hoc esse verũ de lege communi, quæ singularia priuilegia nõ excludit. Quæ responsio optime etiã conceptioni accommodatur. Quanuis addi possit neminẽ omnino renasci, nisi prius in vtero nascatur, seu concipiatur, prius (inquam) non tempore, sed naturæ ordine, vt dictum est, quanquam (vt opinor) non fuerit hæc Augustini intentio.

Tertium argumentum est. Quia si beata Virgo fuisset sanctificata in vtero, & ab originali peccato liberata, potuisset tunc gloriã consequi, si mortua esset ante Christum. Responsio verò est negando consequentiam, quia licet eius persona fuerit liberata à culpa, non tamen à reatu, quo tota natura erat obnoxia, donec pro illa exhiberetur satisfactio. Quę solutio optima est, & eadem omnino ratione locũ habet, etiam si beata Virgo fuerit ab originali peccato præseruata, vt iterum in sequẽtibus dicemus.

Quartum argumentum est. Quia peccatum originale cõtrahitur ex origine, sicut peccatum actuale ex actu, ergo non potest remitti in ipsa origine, sicut nec peccatum actuale, cùm actu committitur. Responsio verò D. Thom. est argumentum concludere, peccatum originale non fuisse remissum Virgini in ipsa conceptione, & animatione, quæ est propria origo prolis, non verò procedere de reliquo tempore ante natiuitatem ex vtero, quia in illo proles non accipit naturam humanam à parentibus, sed in illa perficitur.

Respondendum tamen est, neutrũ probari posse illo argumento, aliàs, non solum dicendum esset beatã Virginem fuisse cõceptam in peccato originali, sed etiam impossibile fuisse aliter fieri, suppositã origine ex Adamo per seminalem generationẽ, consequens autem improbabile esse infrà ostendam. Dicendum est ergo cum Aug. *August.* lib. 6 contra Iulian. c. 4. nõ posse originale peccatum, cum actuali in omnibus comparari, vt patet. Quia manente voluntate in peccato impossibile est, vt remitatur peccatũ eidem supposito, vel in volũtate, vel in illo membro, per quod peccatum

Differētia inter peccatum originale, & actuale quoad remissionem.

commitit, & tamem, licet peccatum non fuisset remissum Adę, potuisset filijs remitti non est ergo exacta simllitudo, & differētia est, quia peccatum originale, quod filius Adæ contrahit, est numero distinctū à peccato, quod personæ Adæ inhęsit, & ideò tolli potest, vel impediri sine illo: at verò in eodē supposito peccatum, quod est in voluntate, vel in actu externo ab illa manante, idem numero est, nam actus exterior formaliter constituitur in esse peccati ab interiori actu.

Ad argumentum ergo in forma, negatur similitudo, quia nō est exacta, sed aliqualis ad rem explicandam. Vnde non necesse est, vt in omnibus teneat. Et ratio differentiæ clara est ex dictis. Quia actus interior in se est vnus, & idem, & ideò, dum est, non potest non esse facta cōpositione.

Peccatum actuale, vt sic cur remiti nō possit dū fit.

Quòd si comparetur ad actum exteriorē ab illo manantem, est veluti forma eius in esse peccati, & ideò etiam fieri nō potest, quin actus exterior, dum ita fit ab interiori, non sit peccatum: at verò proles concepta ex Adamo solum comparatur ad illum, vt subiectum recipiēs influxum culpę à radice infecta, tanquam à causa suo modo efficiente. Vnde sicut potest Deus impedire influxum causæ efficientis, vel actum, ne influat habitum: ita potest per influxum gratiæ impedire, ne Adam influat originalem culpam in prolem conceptam. Pręcipue, quia peccatum Adæ iā reuera non existit, & quanuis existeret, peccatum originale denuo esset in prolem transfundendum, numero distinctum à peccato capitis, potest ergo impediri, & præueniri, ne illud transfundat. Sicut, dū homo actualiter peccat, impediri potest, ne internum peccatum voluntatis transfundat in membra externa, præueniendo, & impediēdo, ne illa ad peccatū moueat.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm beata Virgo fuerit sanctificata ante animationem.

153. 3.di 3. q. 1. artic. 1. & quo 6.q.5. arti.1. cor.



AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd beata Virgo sanctificata fuerit ante animationem. Quia (vt dictum est) plus gratiæ est collatum Virgini matri Dei, quàm alicui Sanctorū. Sed quibusdam videtur esse cōcessum, quod sanctificarentur ante animationem: quia vt dicitur Hiere. 1. Priusquam te formarē in vtero, noui te. Non autem infunditur anima ante corporis formationem. Similiter etiam de Ioan. Bap. dicit Ambro. super Luc. quòd nondum inerat ei spiritus vitæ, & iam inerat ei Spiritus gratiæ. Ergo multo magis beata Virgo ante animationē sanctificari potuit. ¶ 2. Prætereà, Conueniens fuit (sicut Ansel. dicit in libro de conceptu Virginali) vt illa Virgo ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi. Vnde & Canticor. 4. dicitur. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Sed maior puritas fuisset beatæ Virginis, si nunquā anima eius fuisset inquinata cōtagio originalis peccati. Ergo hoc ei præstitum fuit, vt antequam animaretur caro eius, sanctificaretur. ¶ 3. Prætereà, Sicut dictum est, non celebratur festum nisi de aliquo Sancto. Sed quidam celebrant festum conceptionis beatæ Virginis: Ergo videtur quòd in ipsa sua cōceptione fuerit sancta & ita quod ante animationē fuerit sanctificata. ¶ 4. Prætereà, Apostolus dicit Romanorū. 11. Si radix sancta, & rami: radix autem filiorum sunt parentes eorum. Potuit ergo beata Virgo sanctificari etiā in suis parentibus ante animationem.

& opus. 3. cap. 231. art. præce.

Libr. 1. in Luc. in tit. de turbari Zacha. confirmat. parū ante medium to. 5. c. 18. parū a principio

art 1. huius q. argu. sed contra.

¶ Sed contra est, quod ea, quæ fuerunt in veteri Testamēto sunt figura noui, secundum illud. 1. ad Corint. 10. Omnia in figura contingebant illis. Sed per sanctificationem Tabernaculi, de qua dicitur in Psalm. 45. Sanctificauit tabernaculū suum Altissimus, videtur significari sanctificatio matris Dei, quæ tabernaculum Dei dicitur: secundum illud Psal. 18. In sole posuit tabernaculum suum. De tabernaculo autem dicitur Exod. vltim. Postquam cūcta perfecta sunt, operuit nubes Tabernaculum testimonij, &

gloria

gloria Domini impleuit illud. Ergo etiã beata Virgo nõ fuit sanctificata nisi postquam cuncta eius perfecta sunt, scilicet & corpus & anima.

¶ Respondeo dicendum, quòd sanctificatio beatæ Virginis, non potest intelligi ante eius animationem, duplici ratione. Primo quidẽ, quia sanctificatio, de qua loquimur, non est nisi emundatio à peccato originali: sanctitas enim est perfecta mũditia, vt Dionys. dicit in. 12. cap. de diuin. nom. Culpa autem non potest emundari nisi per gratiam: cuius subiectũ est sola creatura rationalis. Et ideò ante infusionem animæ rationalis beata Virgo sanctificata non fuit. Secundò, quia cum sola creatura rationalis sit susceptiua culpæ, ante infusionem animæ rationalis proles concepta nõ est culpæ obnoxia. Et sic quocunq; modo ante animationem beata Virgo sanctificata fuisset, numquam incurrisset maculam originalis culpæ: & ita non indiguisset redemptione & salute, quæ est per Christum: de quo dicitur Matth. 1. Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Hoc autem inconueniens est, quòd Christus non sit saluator omnium hominũ vt dicitur primæ ad Timoth. 4. Vnde relinquitur quod sanctificatio beatæ Virginis fuerit post eius animationem.

ca 12. parũ a principio

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd Dominus dicit, ante formationẽ in vtero se Hieremiam nouisse, notitia scilicet prædestinationis: sed sanctificasse dicit eum non ante formationem, sed antequam exiret de vtero. Quod autẽ Ambros. dicit, quòd Ioanni Baptistæ nondum inerat spiritus vitæ, cùm iam haberet Spiritum gratiæ, non est intelligendum, secundum quod spiritus vitæ dicitur anima viuificans: sed secundũ quod spiritus vitæ dicitur aer exterius respiratus. Vel potest dici, quòd nondũ inerat ei spiritus vitæ, ideſt anima, quãtum ad manifestas & completas operationes ipsius. ¶ Ad secundum dicendũ, quòd si nunquam anima beatæ Virginis fuisset cõtagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est vniuersalis omnium saluator. Et ideò sub Christo, qui saluari non indiguit, tanquam vniuersalis saluator, maxima fuit beatæ Virginis puritas. Nam Christus nullo modo contraxit originale peccatũ. sed in ipsa sui conceptione fuit sanctus, secũdum illud Luc. 1. Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei. Sed beata Virgo contraxit quidem originale peccatum, sed ab eo fuit mundata antequã ex vtero nasceretur. Et hoc signatur Iob. 3. Vbi de nocte originalis peccati dicitur: Expectet lucem, ideſt, Christum, & non videat (quia nihil inquinatum incurrit in illam: vt dicitur Sapien. 7.) nec ortum surgentis auroræ, ideſt, beatæ Virginis, quæ in suo ortu à peccato originali fuit immunis.

A B

¶ Ad tertium dicendum, quòd licet Romana Ecclesia conceptionem beatæ Virginis non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum illud festum celebrantium. Vnde talis celebritas non est totaliter reprobanda. Nec tamen per hoc quod festum conceptionis celebratur, datur intelligi, quòd in sua conceptione fuerit sancta: sed quia quo tempore sanctificata fuerit ignoratur, celebratur festum sanctificationis eius potius quàm conceptionis in die conceptionis ipsius.

C

¶ Ad quartum dicẽdum, quòd duplex est sanctificatio. Vna quidem totius naturæ, inquantum scilicet tota natura humana ab omni corruptione culpæ, & pœnæ liberatur: & hæc erit in resurrectione. Alia verò est sanctificatio personalis, quæ non transit in prolem carnaliter genitam: quia talis sanctificatio nõ respicit carnem, sed mentem. Et ideò si parentes beatæ Virginis fuerunt mundati

loco citato in argum.

dati à peccato originali, nihilominus beata Virgo peccatum originale contraxit, cum fuerit concepta ſecundum carnis concupiſcẽciam ex commixtione maris & fœminæ, dicit enim Auguſt. in ca. 12. circa princ. to. 7. *lib. de nuptijs & concupiſcentia, omnem quæ de concubitu naſcitur, carnem eſſe peccati.*

COMMENTARIVS.

TItulus huius articuli attentè notandus eſt. Quærit enim D. Tho. de tempore ante animationem, & in reſponſione trãſilit ad tẽpus animatione poſterius, omittens momentum ipſum, in quo animatio perficitur, in quo tota difficultas ſita eſt. Cuius occaſio videtur ſanè fuiſſe, quia ſupponit. D. Tho, neceſſe eſſe prolem nõ ſanctificatam ante animationem in ſe, neque in radice ſua, in ipſa animatione eſſe peccato obnoxiã. Et propterea in corpore articuli reſpondet beatam Virginem ſanctificatam eſſe poſt animationem. Et ſi quidem illa particula, *poſt*, ſolum naturæ ordinem ſignificaret, nulla eſſet controuerſia. Et reuera argumentum Symbolicum, quo D. Thom. vtitur in argumento, *ſed contra*, nihil aliud requirebat, ita enim concludit virginem non eſſe ſanctificatam, donec eius corpus, & anima perfecta ſunt, & vnita. At vero in corpore articuli manifeſte intendit loqui de ordine temporis. Nam pro inconuenienti infert, quòd aliàs beata Virgo nũquam incurriſſet maculam originalis culpæ. Ratio autẽ eius difficile deduci poteſt. Omiſſa enim prima ratione, quæ clara eſt, & recte concludit beatam Virginem nõ potuiſſe in ſe, ac proprie ſanctificari ante animationem, in ſecunda idem colligit ex eo, quòd aliàs beata Virgo nunquam fuiſſet obnoxia peccato, quia ante animationem non erat capax peccati, vnde vlterius infert ergo quacunq; ratione fuiſſet ſanctificata ante animationem, non fuiſſet obnoxia peccato, ergo nunquam incurriſſet originale peccatum, ergo non indiguiſſet redemptione, quod eſt inconueniens, vnde tandem concludit ſanctificatam fuiſſe poſt animationem. Quæ vltima illatio videtur ſupponere, non poſſe aliquam perſonam in eodem momento eſſe obnoxiam culpæ, & eſſe ſanctam, atque adeò idem eſſe prolẽ aliquam eſſe obnoxiam peccato originali, & eſſe in peccato originali. Nam ſi hæc duo diſtincta ſunt, ratio non procedit, potuit enim beata Virgo exvi ſuæ originis, eſſe obnoxia culpæ, & ideò indigere redẽptione, & nihilominus in eodem momento, in quo erat obnoxia, præueniri, ne illã contraheret. Sed de hoc latius in diſputatione ſequenti. Ex qua etiam pendẽt, quę D. Tho. in ſolutionibus argumentorũ docet, præſertin in ſolutione ad ſecundum, & tertium, in qua vltima ſatis indicat, ſi præſentem eccleſię faciem vidiſſet, aliter de immaculata virginis conceptione docturum fuiſſe.

DISPVTATIO. III. in ſex ſectiones diſtributa.

De tempore, quo primum Beata Virgo ſanctificata fuit.

DIcturi de donis gratię beatę Virgini collatis, triplicem eius ſanctificationẽ diſtinguere poſſumus. Prima tunc facta eſt, quando primum in iuſtitia, & gratia eſt conſtituta. Secunda ſpecialiter tribui ſolet illi tempori, in quo Deum in vtero ſuo concepit. Sed nos latius ſecundam eius ſanctificationẽ vocamus, totum tempus vitę, in quo incredibile gratię, & meritorum augmentũ comparauit. Tertiam ſanctificationem voco eam, quę eſt per gratiam in beatitudine conſumatam. De prima agit potiſsimum D. Tho in hac quæſtione, quam hic etiam nos explicabimus. De ſecũda verõ, & tertia in fine harum diſputationum de beata Virgine dicemus. Circa primam autem ſanctificationem, duo occurrunt cõſideranda, ſcilicet, quando facta ſit, & qua perfectione (an enim facta ſit, nõ eſt quod quæratur, quia nihil eſt certius, magiſq; extra controuerſiam.) De primo ergo dicemus in hac diſputatione. De ſecũdo in ſequenti. Quia verõ per primam ſanctificationem hominis ex Adamo communi modo concepti, peccatum originale tollitur, ideo ſimul videndum erit, an & quomodo Beata virgo huic peccato ſubiecta fuerit.

SE-

SECTIO. I.

An Beata Virgo fuerit sanctificata in vtero matris.

D.Tho. IN hoc dubio nihil ferè addendum occurrit ijs, quæ D.Tho. docuit in art. 1. Veritas enim certa est beatam Virginē fuisse sanctificatam, prius quam ex vtero matris nasceretur. In qua cōsentiunt omnes Theologi cum D.Tho. hic, & Magistro in 3.d.3. Alens 3 p.q.9. Marsil. in 3.q.4. & in eius confirmationem multa congerit Canisius li.1.c.5. & sequentibus, & Anton. Cordub. lib.1.q.44. conclusi.4. vnde Rupert. Abbas lib.6 in Cant.c.1. tractans illa verba, *Quæ est ista, quæ ascendit quasi aurora. Quando nata est*, inquit, *Virgo Beata, tunc vera nobis surrexit aurora.* & Nicephor. lib. 1.c.1. *inuenta est*, inquit, *Beata Virgo Maria, dignum, Deumque decens verbi domicilium, etiam ante Natiuitatem Deo consecrata.* Omnia denique tam testimonia, quàm rationes, quibus infra demonstrabimus Virginem in sua conceptione fuisse sanctificatam, veritatem hanc fortius probabunt. Nunc sufficiat ratio D.Tho. quam breuiter roborare oportet. Fundatur enim in illo principio, quia priuilegium gratiæ, & sanctitatis ad maiorem puritatem, & gratiæ excellentiam pertinens, quod quibusdam hominum concessum est, non est negatū beatæ Virgini, sed sanctificari in vtero concessum est aliquibus, ergo. Maioré satis supra tractauimus disputa. 1. sect. 2. Minorem probat D.Thom ex sanctificatione Ieremiæ, & Ioannis Baptistæ. Nec desunt, qui priuilegium hoc ad alios extēdant. Sed sine probabilitate, ac fundamēto. Imo & de Ieremia sunt, qui dubitent. Nam licet Ieremiæ primo dicatur, *Ante quam te formarem in vtero, noui te, & ante quam exires de vulua, sanctificaui te, & prophetam in gentibus dedi te*: existimāt tamen posse hoc explicari secundum diuinā electionem, & prædestinationem. Ita sentit Abulens. Iudic.13.q.17. quia ibi etiam Samson dicitur *Nazaræus ex vtero matris*, id est, sanctificatus. Et Paul. ad Galat. 1. de se dicit fuisse *segregatum ex vtero matris*. Quod secundum prædestinationem necessario intelligendum est, & tamen Hyeronymus Ieremiæ primo videtur inter se conferre, & equiparare illa duo loca Pauli, & Ieremiæ, quod etiam facit Irenæus lib. 5. c.15. vnde Bernard. Epist.174. dictam expositionem probabilē esse existimat. Cui multum fauet Aug. epist 57.q.2. & Anastas. Nycenus in quæstionib. sacræ script. q.59 tom.6. Bibliot. & suaderi potest. Nā eodē modo dicitur Ieremias sanctificatus in vtero, & effectus prophera, certum est autem non accepisse donū prophetiæ in vtero matris, sed ex illo fuisse deputatum, & electum in propheram, ergo eodem modo potest dici sanctificatus in vtero.

Sed in primis de Ioanne Baptista nulla potest esse dubitandi ratio, quanquā Augustin. nō nihil dubitare videatur: tamē verba Euangelij sunt adeò expressa, vt nullā aliam commodam expositionem admittant. Dicit enim Angelus Luc.1. *& Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* Luc.1. Et ita docent omnes patres ibi. Ambros. Theophyl. Origen. homil.4. Chys. serm.2. de Ioanne Baptist. Hieron. Bernard. & alij statim referendi. Deinde quanuis hoc satis esset ad præsentem rationem firmandam: tamen etiam de Ieremia, verius, ac fere certum est fuisse in vtero sanctificatum, vt D.Tho. hic, & infrà art. 6. docet, ac fere Theologi in.3.d.3. Bonauent. art.1 q.3. Richard. art.1. q.2. Durand. q.2. & placet etiā Bernar. in dicta epist. & Hieron. qui Ieremię. 1. comparat sanctificationē Ieremiæ cum sanctificatione Ioannis Baptistæ & Origen. homil. in Ieremiam. Dicit enim, eam sanctificationem datam esse Ieremiæ in vtero matris, quæ data est Abrahæ, quando Deo credidit. Idem Athanasius orat. 4. contra Arian. circa med. Nazian. orat. 1. post med. *§. Sed ne omnium voces*, Ambros. Luc. 1. D. Ioannes Maxētius dialogo 1. cōtra Nestor. tom. 5. Bibliot. & Leo Pap. serm. 10. de Natiuit. propter hāc fortasse causam natiuitatem Ieremiæ ponit inter eas, quæ non sine aliquo miraculo factæ sunt, & Tertul. lib. de anima c.26. in fine idē indicat. Et hæc sententia est magis consentanea textui scripturæ, quia (vt recte D.Tho hic notauit, art. 2. ad secundum) illud primum verbum, *Antequam te formarem in vtero, noui te*, prædestinationē significat, & ideò dicitur esse ante formationem in vtero: secundum autem verbū significat executionem, seu iustitiæ infusionem, vt patet tum ex proprietate verbi: tum ne idem iterū repetatur: tū deniq; quia

Magist. Alens. Marsil. Canis. Anto. Cordub. Rupert. Nicephor. *Beata Virgo in vtero matris sanctificata.* Dubium. Ierem.1. Abulens. Galat.1. Hieron. Irenæus. Bernard. Augustin. Anastas. Nyzen. *Resp. Ioan. Baptista in vtero matris sanctificatus.* Luc.1. *Ambros.* *Theophy.* *Lact.* *Origen.* *Chrysost.* *Hieron.* *Ieremias sanctificatus in vtero matris.* *D.Thom.* *Bonauent.* *Richard.* *Durand.* *Bernard.* *Hieron.* *Origen.* *Athanas.* *Nazianz.* *Ambros.* *Ioan. Maxent.* *Leo Pap.* *Tertullia.*

quia propterea dicitur facta, non ante formationem, sed ante natiuitatem ex vtero. Tertium autem illud, *Et prophetam in gentibus dedi te*. cum ibi non signetur tempus, potest satis commode referri ad illud, in quo factum est: vel (si intelligatur factum in vtero, dicendum est donum prophetiæ non esse habituale, & permanens, & ideò non dici aliquem cõstitui prophetam per huiusmodi donum, nec per actuale, aliàs non diceretur propheta, nisi cũ actu prophetat, dicetur ergo constitui per specialem Dei deputationem, & fortasse per aliquam sanctificationem ad hoc ordinatam, cum parato Dei auxilio pro tempore opportuno.

Dubium. Sed quæret aliquis, quàm sit certa hæc assertio? Quidam enim solum piam & probabilem illam appellant, vt Caiet. Tom. 2. *Catharin. Caiet. Cordub.* opusculor. tract. 1. c. 1. Alij verò hoc reprehendunt, & existimant simpliciter esse de fide, vt Catharin. lib. 4. contra Caietan. & Cordub. supra. Sed media via videtur incedendum. Est itaque, vt minimum temeraria contraria sententia, cùm sit contra omnium catholicorum sensum, nullo contradicente, & non possit habere vllũ probabile fundamentum, nisi fortasse, quod non habetur in scriptura, ac si sola illa essent credenda, quę in scriptura habentur, quod est hæreticum dogma. Deinde quáuis non sit aperta hęresis hoc negare, quia hæc veritas non est expresse definita, aut tradita tanquam de fide, esse tamen censeo erroneũ, vel errori proximum. Quia est contra communem sensum sanctorũ, & quia Ecclesia celebrat festum natiuitatis Mariæ, vt patet ex Cõcil. Lugd. in c. 1. *Conc. Lugdun.* de consecrat. d. 3. non celebrat autem, nisi quod sanctum est. Qua ratione vtuntur D. Tho. hic, Bernard. Ildefons. & alij. Est autem huius festi celebritas antiquissima, nam Petrus Damianus, & Germanus Cõstantinopolit. ante mille annos conciones in hoc festo habuerunt. *D. Tho. Bernard. Ildefons. Pet. Dam. German. Constanti.*

SECTIO. II.

Vtrum Beata Virgo peccauerit in Adamo, & ideo ex vi suæ conceptionis fuerit originali peccato obnoxia?

Beata Virgo a Christo redempta. PRimum omnium statuendum est beatam Virginem fuisse à Christo redemptam, quia Christus fuit vniuersalis redẽptor totius generis humani, & pro omnibus hominibus mortuus est, ad Rom. 5. 2. ad Cor. 5. 1. ad Timot. 2. & sæpe aliás. Ab hac autẽ generali scripturæ regula aliquẽ excipere, cõtra fidẽ esse, censet Aug. lib. 1. de peccat. merit. & remiss. c. 27. &. 28. & & lib 3. cap. 3. & lib. 6. contra Iulian. c. 8. Et videtur planè communis Ecclesiæ sensus. Nam scriptura docet totam humanam naturam collapsam esse in Adamo, & per Christum esse instauratam, & ideò simpliciter *mediator Dei, & hominum* appellatur. Denique ab hac redemptione virginem eximere, esset aliquo modo dignitati Christi derogare. Hoc posito difficultas est, an beata Virgo indiguerit hac redemptione, quia peccauit in Adamo, & de se fuit obnoxia originali culpæ, an verò sine his posit stare vera redemptio. *1. Timot. 2. Augustin.* *Rom. 5. 2. Cor. 5.*

Prima sententia negat virginem peccasse in Adamo. Ita tenet Catharinus lib. de peccato originali cap. vlt. & lib. de concep tione ad synod. Tridentinam. p. 1. c. 1. & Galat. lib. 7. c. 10. & Viguerius in institutionib. c. 18 § 5. Ad quam sententiam intelligendam, supponendum est ex materia de peccato originali, vt omnes posteri Adæ dicantur in illo peccasse, non satis esse, vt omnes fuerint in illo contenti tanquam in primo parente, & naturali principio hominum futurorum omnium. Quia hęc sola ratio per se sumpta non satis est, vt peccatum parentis deriuetur ad filium, neq; vt filius in parente peccare dicatur. Oportuit ergo, vt Deus speciali lege, & pacto voluerit constituere Adam quodammodo vt caput cæterorum, & in eius voluntate posterorum voluntates ponere, vt veluti omnium nomine præceptum impositum aut seruaret, aut transgrederetur, ita vt eo in diuina obedientia perseuerante omnes posteri quasi hereditario iure iustitiam, & gratiã Dei obtinerẽt, illo autẽ peccãte omnes essẽt Deo inuisi, & inimici. Potest ergo intelligi, Deũ in hoc ipso pacto beatã Virginem excepisse, propter merita Christi præuisa, quia nullam inuoluit repugnantiam, quo minus hoc Deus facere potuerit, quia sicut liberè voluit, pactum illud cum Adamo inire, ita eadem libertate potuit matrem suam iam præuisam illa lege liberare. Quòd si hoc potuit, verisimile est fecisse. Quia (vt supra tractatum est) *Catharin. Galatin. Viguer.* *Cur homines peccauerint in Adamo.*

præ-

prædestinatio Christi, & matris eius, præ scientiam originalis culpę antecessit, & totum hoc priuilegium, dignitasque consentanea est dignitati matris. Ex hoc autem principio sequitur dictorũ autorum sententia (quanquã illud non satis explicẽt) scilicet beatam Virginem non peccasse in Adamo. Quia licet in illo fuerit contenta tanquam in naturali parente, non tamen fuit in eo pacto comprehensa, at sine hoc pacto nullus peccasset in Adamo, ergo. Et confir. primo, quia sentiendo hoc modo de Virgine, & Christi, & matris eius dignitas illustratur. Quia & ipsa purior esse intelligitur, magisq; à peccato aliena, & maiori gratię priuilegio pręuenta, & Christi meritum ostenditur efficacius. Quia nõ solum post lapsum vel in se, vel in parente matrem liberare: sed etiam præuenire potuit, ne in ipso parente caderet. Vnde non fit, vt non sit eius redemptor: sed potius vt altiori modo illam redemerit. Sicut si quis, cùm mulier aliqua in seruam venditur, in ipso contractu quempiam eius filium exciperet, ne seruus nasceretur, meritò diceretur illum à seruitute liberasse. Sic igitur dicetur Virgo à Christo redempta, etiam si in Adamo nõ peccauerit, quoniam ex meritis eius præuisis ita exempta est, vt in illo peccare nõ potuerit. Et hinc vlterius sequitur in hac sententia, beatam Virginem in re ipsa, & de facto reuera nõ fuisse obnoxiam originali peccato, idest, non habuisse debitum contrahendi illud, ex vi conceptionis suæ. Quia nullus habet hoc debitum, nisi in quantum in Adã peccauit, in hoc autem sensu potest dici obnoxia, quia nisi propter Christum fuisset exempta in illo pacto, ex vi modi, quo concepta est, peccatum originale contraheret. Hæc sententia licet speciem quandam pietatis præferat, tamen nec scripturis sanctis, nec patribus videtur consentanea.

Virgo peccauit in Adamo. Rom. 3. & 5.

Dicendum ergo censeo primo, absolutè, & simpliciter fatendum esse beatã Virginem in Adam peccasse. Probatur primo quia Paul. ad Roma. 3. & 5. absolute dicit omnes pececauisse in Adam, & ideo indiguisse redemptione, ergo non potest magis beata Virgo ab vna, quàm ab alia generali clausula excipi. Et ita vtranque exceptionem æquè falsam reputat *Augustinus* lib. 2 de peccator. merit. cap. 26. 21. & 35. Et hoc

August.

A planè conuincit locus Paul. 2. ad Corint. 5. vbi sic argumentatur, *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Vbi necesse est vtramque partem distributionis æquè vniuersalem esse. Sicut ergo certum est Christum mortuum esse pro beata Virgine (aliàs non redimisset illam, quia per mortem nos redemit) ita certum est beatã Virginem fuisse mortuam saltem in Adamo. Et eandem vim habent verba Pauli 1. ad Corint. 15. *Sicut in Adam omnes mortiũtur, ita & in Christo omnes viuificabuntur,* Sicut ergo beata Virgo in Christo vitam habuit, ita & in Adam fuit mortua. Et similia sunt illa ad Roman. 5. *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam, in omnes homines in iustificationem vitæ.* Quę testimonia in hũc sensum sæpe tractat Augustinus de natura. & B grat. c. 4. & lib. 6. contra Iulian. c. 1. & 8. et lib. 2. de peccat. merit. cap. 20. 29. & 35. & epist. 28. ad Hierony. Et confirmatur, quia aliàs sequitur, beatam Virginem non fuisse redemptam à Christo, neque eum fuisse pro illa mortuum. Si enim beata Virgo fuit illo modo exempta in pacto, & in ipso Adamo, etiam si Deus noluisset Christum mori, nec redimere homines, nihilominus non esset in peccato concepta, nec indigeret redemptione, quia non peccauerat in Adamo. Ergo signum est, si ita fuisset exempta de facto non fuisse redemptam, neque Cristum pro illa mòrtuum. Confirmatur tãdem. Quia aliàs beata Virgo non contraxisset mortem, alias ve corporis pœnalitates ex Adamo. Consequens est omnino falsum, & contra Paul. C ad Rom. 5. dicentem, *mortem in omnes homines per peccatum introiisse.* Vnde colligũt sancti neminem pati mortem, nisi vel ratione peccati, quod, ad ipsum pertineat, vel vt pro aliorum peccatis satisfaciat, quod est proprium Christi. Vnde Augustinus lib. 4. cõtra duas epistolas Pelagianor. c. 4. *Pati,* inquit, *mortem sine meritis mortis, de vno solo mediatore catholica fides nouit.* Habuit ergo beata Virgo meritum mortis saltem in Adamo. Idem confirmat lib. 1. de peccator. merit. c. 4. & sæpe aliàs. Quare tam ipse, quàm alij sancti (quos infrà referemus) vocant carnem virginis, *carnem peccati*, carnem autem Christi, tantum *in similitudinẽ carnis peccati*. Quia illa verè habuit mortẽ carnis ex peccato Adami cõtractã: hic verò

2. Cor. 5.

1. Cor. 15.

Rom 5.

Augustinus.

Rom. 5.

Mors ex peccato manauit.

Augustinus.

volũ-

volũtarie assumptã, *vt fratribus assimilaretur.*

Beata Virgo originali peccato obnoxia.

Dico secundo Beatissima virgo ex vi suæ conceptionis fuit obnoxia originali peccato, seu debitum habuit contrahendi illud, nisi diuina gratia fuisset impeditum, de quo infrà dicetur. Hæc conclusio sequitur tam ex fundamento in principio posito, quàm ex præcedenti conclusione. Et probatur primo à priori ex dictis, quia beata Virgo peccauit in Adamo, ex quo tanquam ex radice infecta per seminalem rationem est orta, sed hęc est tota ratio contrahendi originale peccatum, quod est ex vi conceptionis, nisi gratia Dei præueniat, ergo. Secundo à posteriori, quia aliàs non esset magis redempta, quàm Angeli. Quia, (vt ex Zozymo Papa, docet Augustin. epistol. 157. & lib. 3. contra Iulian. cap. 3.) *Nullus redimitur, nisi is, qui sub peccato seruit*, ergo ad veram redemptionem necesse est vel esse in peccato, vel saltem esse ita subditum necessitati contrahendi peccatum, vt sine gratia singulari redemptoris vitari non possit. Confirmatur, & explicatur exemplo supra posito de muliere quæ serua efficitur excipiendo in ipso contractu aliquem ex filijs, ne seruus nasci possit. Hoc enim posito, qui postea mulierem illam á seruitute redimeret, reuera non redimeret filium, quia non erat obnoxius seruituti, sed de se liber erat nascitu rus: sic ergo, si beata Virgo non fuisset (vt ita dicam) vendita in Adamo, & de se seruituti peccati obnoxia, non fuisset verè redempta. Christus enim illos solos redemit, quos Adam vendidit, & quantum in ipso erat, fecit captiuos. Quid autem propriè sit hoc debitum contrahendi peccatum, & quo modo in Virginem conuenire potuerit, explicabimus in sectionibus proximè sequentibus.

Dubium.

Quæret aliquis quam sit certa sententia his conclusionibus explicata. Non nulli existimant esse hæreticum vel saltem erroneum illam negare, quod tenet Cordu. citans D. Tho. & Gerson. lib. 1. suarum quæstionum. q. 44. con. 5. propter testimonia adducta. Alijs videtur esse tãtũ probabiliorem opinionem, & contrariam nullis cẽsuris esse dignam, sed esse probabilem, quia Conc. Trid. sess. 5. post traditam totam doctrinam de peccato originali, in fine, declarat non esse mentis suę in illa virginem comprehendere ergo non est erroneũ a tota illa doctrina Virginem excipere, & tamen inter alia ibi docuerat Conc. omnes peccasse in Adam. Mihi videtur dicendum non posse sine errore negari Beatam Virginem ex vi peccati Adæ ita fuisse obnoxiam maculę, & peccato cõtrahendo, vt si per Christũ non esset vere ac proprie redempta illud cõtraheret, hoc enim probant aperte testimonia adducta. Nec Con. Trid. facultatem cõcedit illa de torquendi ad falsos & improprios sensus, solum agit de præseruatione Virginis à reali contractione originalis peccati, de qua sola loquitur Sixtus. 4. in sua extraua gãti, ad quam se Conc. remittit. Si quis autem contendat potuisse Virginem esse obnoxiam peccato Adæ contrahendo, atque adeò proprie redempram per Christum, & nihilominus non peccasse in Adamo, sed habuisse solum debitum peccandi in illo, fuisse autem propter Christum præseruatã, non solum ne peccatum Adæ cõtraheret, verũ etiam ne in ipso peccaret: talis opinio nõ posset cẽsura notari, quia vt cunq; saluat scripturarũ locutiones. Mihi tamen nullo modo probãda videtur quia nec consequenter loquitur, neq; omnibus testimonijs adductis potest plenè satisfacere, neque ad tuẽdam virginis dignitatem est necessaria.

Responsio.

Responsio ad fundamentum cõtrariæ sententiæ.

Ad fundamentum contrariæ sententię, primum dicitur, illud solum esse coniecturam habentem quãdam pietatis speciem, quę satis esse non debet, vt tantum auctoritatis pondus relinquamus. Deinde illa coniectura nullam vim habet. Quia vt Augustinus docuit lib. 6. contra Iulia cap. 4. *Peccatum originale quatenus consideratur in actione alterius alienum est, fit autem propriũ tantum cõtagione propaginis.* Sicut ergo alienum peccatum non derogat propriæ innocentiæ, & puritati, ita nec peccatum Adæ quandiu in eo consideratur & reipsa aliqua macula ex illo contracta nõ est. Sic igitur quôd beata virgo de se fuerit obnoxia peccato, (si illud reuera nunquã habuit) nõ derogat perfectę eius sanctitati, & puritati: sed tantũ ostendit naturæ originem, & infirmitatem, quæ ita per gratiã sanari potest, vt nullus in ipsa persona defectus appareat, vt infrà videbimus. Aliunde verò conuenientissima ratione diuinæ prouidentiæ factum est, vt Beata Virgo simul cum tota natura in voluntate

tate Adæ fuerit constituta, vt perfecta, & vniuersalis dignitas redemptoris, & efficacia gratię eius redderetur illustrior, & in matre sua perfectius eluceret, vt in sequẽtibus magis explicabitur.

SECTIO. III.

Vtrum potuerit Beata Virgo ante animationẽ sanctificari.

SErmo est de duratione temporis, nam de naturę ordine postea dicendum. Dupliciter autem potest intelligi sanctificatio ante animationem, primo formaliter per propriam infusionẽ formalis sanctitatis, secundo in radice, scilicet in parentibus, aut in semine, ita illa disponendo, vt non possent esse organa, per quæ originale peccatum in Virginem transfunderetur.

Dico iam primo, impossibile fuit beatã Virginem ante animationem formaliter sanctificari. Probatur apertè ratione D. Thom. hic. Quia proprium subiectum formalis sanctitatis est persona, seu anima rationalis, ergo ante animationem per rationalem animam, non est subiectum capax formalis sanctitatis, ergo eo tempore nõ potuit fieri formalis sanctificatio.

Dico secundo. Neque in ipso semine, vel in fœtu inanimi, potuit beata Virgo sanctificari radicaliter, si propriè loquamur. Probatur, & explicatur. Quia in semine non est aliqua qualitas, nec priuatio physicę qualitatis, ratione cuius sit veluti instrumentum ad peccatum originale introducendũ, vt hac ratione intelligi possit veluti mundari semen, & ita prolem in illo tanquam in radice sanctificari. Quia in semine nulla qualitas est prẽter connaturales illi, & si quid aliud fingitur, planè commentitium est, & merito ab omnibus Theologis reiectum, vt friuolum & carẽs fundamento. Quia originale peccatum, non inducitur per actionem Physicã, sed morali quodam modo, vt expropria materia suppono, nulla ergo actio Physica intelligi potest, qua mundetur semen, vt in radice fiat hæc sanctificatio. Solum posset intelligi quædam extrinseca lex Dei, qua statuat deputare hoc semen, vt per illud proles sancta, & sine peccato concipiatur. Sed hæc non est propria sanctificatio in radice, sed solum est decretum Dei de sanctificanda huiusmodi prole in ipso conceptionis momento. Et eodem modo posset intelligi in ipsis parentibus proximis, vel remotis excipere Deum prolem aliquam à lapsu culpæ, vt v.g. si statueret ex talibus parentibus concipi filios, vel ne potes sine originali culpa. Et hoc fortasse modo dixit D. Thom. in 3. dist. 3. quæst. 1. art. 1. potuisse Beatam Virginem in parentibus sanctificari ante animationem: quanquam hæc reuera non sit propriè sanctificatio. Quia supposito lapsu in primo parente, semper naturalis cõceptio de se est inefficax, vt ex vi illius inducatur gratia, vel iustitia, & ideò ex vi cõceptionis semper concipitur proles carens gratia, & iustitia, atque adeò in peccato. Quòd autem Deus decreuerit illam conferre alicui, vel omnibus filijs talium parentum, extrinsecum certe est, nullamque propriam sanctificationem in parentibus efficit: nisi fortasse fingamus ipsis parentibus talem modum gratię, aut diuinæ beneuolentiæ fieri, vt per illam quasi debeatur ijs præseruatio, & sanctificatio prolis. Nam si hoc fieret, reuera esset quidam modus sanctificationis, seu præseruationis in ipsis parentibus, & fortasse non implicat contradictionem talis modus, vt D. Thom. in genere dixit, vanum tamen esset, & sine fundamento dicere beatam Virginem esse hoc modo sanctificatam ante animationem. Quanquam enim Deus habuerit æternum decretum præseruandi prolem talium parentum, tamen sola illa prædestinatio non sanctificat, donec executioni mandetur, mandatur autem in ipso instanti animationis prolis, & non in parentibus, quia in illis nullum habuit effectum, neque ijs data est aliqua specialis gratia, ex qua necessario consequeretur sanctificatio prolis, quod esset proprie in parentibus, vel in radice sanctificari. Certum ergo est non potuisse Virginem proprie sanctificari ante animationem, & multo certius non fuisse prius tempore sanctificatam, quàm in rerum natura extiterit. (†)

D. Thom.

Beata Virgo in parentum semine sanctificari non potuit.

SECTIO. IIII.

An Beata Virgo potuerit in ipso momento cõceptionis sanctifi.ari.

CErtum est absolutè,& simpliciter loquendo, ac nulla facta suppositione posse Deum sanctificare animam rationalem in eodem instanti,quo illam creat,infunditq; corpori,sicut sanctificauit Adamum, & sanctificaret omnes eius posteros, si is non peccaret. Difficultas ergo oritur ex suppositione facta, quod beata Virgo contenta fuit sub lege Adamo posita,& in eo peccauit. Videtur enim cum hac suppositione pugnare, vt sine peccato concepta sit. Primo quidem,quia diuinum decretum est immutabile, sed diuina lex,& decretum fuit,vt Adamo peccante omnes posteri priuarentur iustitia, atque adeó inimici Dei conciperentur, ergo huic decreto repugnat, vt aliquis sub illo contentus sine peccato concipiatur, ostensum autem est Beatam Virginem sub illo esse comprehensam,ergo. Et explicatur á contrario. Nam si Adam nõ peccasset,impossibile esset aliquẽ eius filiũ sine iustitia concipi, quia hoc repugnaret diuino decreto,quo promisit iustitiam omnibus posteris, si Adam in illa perseueraret, ergo similiter econuerso. Secundo quia Beata Virgo fuit obnoxia peccato originali(vt dictum est) ergo saltem in primo instanti suæ conceptionis fuit obnoxia, quia,antequã existeret,nõ potuit habere debitum contrahendi peccatum, ergo facta hac suppositione, non potuit in illo primo instanti habere gratiam,quia repugnat, simul esse in gratia, & esse obnoxium peccato, aliàs etiã post sanctificationem mansisset Beata Virgo toto tempore vitæ peccato obnoxia,ergo facta illa suppositione necessario consequens fuit,vt saltem in primo instanti in peccato conciperetur. Et hanc sententiã existimant multi esse iuxta mentem D. Thom. Hac enim ratione,ex hoc, quòd beata Virgo ex vi suæ conceptionis fuit obnoxia originali peccato, intulit,fuisse sanctificatam post animationem. Quæ consequentia,vt bona sit, supponit non potuisse simul esse obnoxiam, & in ipsa conceptione sanctificari. Eadem est sententia Alexand. Alens. 3.part. quæst. 9. *Alexand. Alens.*

A m.2.artic.1. Et idem sentit Richard in.3. distict.3.artic.1.quæst.1.& omnes,qui existimant, non potuisse Beatam Virginem verè, ac propriè esse à Christo redemptam, nisi fuisset in peccato originali concepta,vt etiam D. Tho. indicat, tam hic, quam Prima secundę quęst.81.artic 3. & qui eius sententiam sequuntur, vt Capreol. Ferrar. 4. contra Gent. capit. 50. & alij. *Richard.* *D.Tho.* *Ferrar.*

Nihilominus dicendum est, potuisse Beatam Virginem prędestinari ab originali peccato,& in primo tuę conceptis instanti sanctificari. Præter omnes autores,qui affirmant ita factum esse (quos sequenti sectione referam) docet hoc expresse Palud.in.3.dist.3.quæst.1.art. 1. & idem sentit Bonauent. p.1.illius distinctionis, art. 1.quæst.1. Anton.1.p.Theologali tit 8.c.2 Et probatur ostendendo nullam esse repugnantiam. Quia licet Deus contulerit Adæ originalẽ iustitiam ea lege, vt si mandatum transgrederetur,totam posteritatẽ suam,(quod in eo erat) illa priuaret,nihilominus post præuisum peccatum Adę potuit Deus velle,vt peccatum in re ipsa non transfunderetur in Virginem,sed prę uenire,& impedire illud per gratiã ei infusam in primo conceptionis eius instanti, quia hęc voluntas nõ repugnat cũ priori lege,& pacto. Quia illa prior lex nõ includit absolutam,ac definitam Dei voluntatem,vt peccante Adamo, omnes eius filij sine gratia conciperentur, sed vt perderent ius ad gratiam,& ideo, quantum esset ex vi conceptionis, sine illa conciperentur,non tamen priuauit se Deus iure, & libertate misserendi, cuius vellet, & quando vellet: sicut etiam ex vi prioris pacti,& peccati Adę,omnes homines incurrunt pœnam mortis, à qua tamen potest Deus,quos voluerit,præseruare,vt constat ex D. Thom. prima secundæ, quæst. 82.art.3.ad primum. Et similiter, omnes ex vi eiusdem peccati etiam extra vterum nascuntur sine gratia,& in peccato, & tamen potuit Deus priuilegium aliquibus concedere. Ac denique, si Rex legem ferat sub pœna mortis, non ideò absolute vult omnes transgressores re ipsa pati eiusmodi pœnam:sed vult esse reos mortis, ipse tamen potest illam dispensare, seu remittere. Non est ergo repugnantia vlla, quòd Beata Virgo fuerit sub illa lege *In primo cõceptionis instanti sanctificari* B. *Virgo potuit.* *Palud.* *Bonauent.* *D.Anton.* *D.Thom.*

lege contenta, & ideó in Adam peccauerit, & nihilominus potuerit Deus priuilegium illi concedere ne re ipsa peccatum contraheret.

Responsio ad argumẽta in oppositum.

Vnde ad primam dificultatem neganda est consequentia. Clarè enim ex dictis cõstat inter illas Dei voluntates non esse repugnãtiam, quia altera est generalis, & veluti antecedens, altera particularis, & consequens. Quin potius addo, etiam si dicamus (vt probabile est) Deum ante præuisum originale peccatũ prędestinasse Virginem, sicut ad diuinam maternitatem, ita & ad perpetuam sanctitatem, & innocentiam, quę illam decebat, potuisse nihilominus illam sub lege Adæ posita comprehendere, & rursum præuiso Adę peccato, vt suum primum propositum erga Virginẽ firmum maneret, velle propter Christum, illam ab omni labe præseruare, nihil enim hęc inter se pugnant, sed potius sunt valde cohærentia, rationique consentanea.

Vnde etiam obiter intelligitur potuisse Beatam Virginem in mente Dei semper, & in omni ignorationis esse præordinatam ad perpetuam sanctitatem, omnique ex parte perfectam, quanuis in radice, & in alio permissa fuerit iustitiam amittere. Quia nihilominus potuit in re nunquam illa carere, amittere autem in alio, non derogat perfectæ puritati & sanctitati, vt dictum est.

Ad confirmationem verò illius difficultatis respondetur, exemplum non esse simile, (quidquid sit de illius veritate) & ratio est, quia Deus non potest esse autor culpæ, sicut põt esse iustitiæ, & ideò Adã non peccante, non posset Deus facere, vt vel vnus posterorum eius in peccato cõciperetur, potest autem facere, vt non obstante illius peccato, filius in iustitia concipiatur. Dices, posset saltem Deus facere, vt Adam non peccante, filius nihilominus sine iustitia conciperetur, quanuis non in peccato. Respond. probabile esse promissionem iustitię fuisse absolutam & fuisse efficacem, & ideò illa stãte, & Adamo prę seruante, non potuisse non impleri. Quia in bonis conferendis Deus est liberalior, & non priuat illis, pręsertim spiritualibus, sine causa ex parte nostra, & ideó *dona Dei* dicũtur esse *sine pœnitentia*. Itẽ quia illa priuatio iustitiæ nõ est per se amabilis, atq; adeò nec per se intẽtata: at verò, quòd filij Adę ipso peccante careant gaatia, ad vindicatiuam iustitiam pertinet, cuius remissio interdum per se amabilis est, ac diuinę misericordię consentanea, & ad aliquem finem conueniens.

Obiectio.

Responsio.

Et ex hoc facile respondetur ad secundã dificultatem, quæ duobus modis explicari potest, primo si dicamus non oportere, vt B. Virgo in propria persona fuerit obnoxia peccato, sed solum in radice, idest, in parentibus, seu in semine, & formatione fœtus toto tempore generationis vsq; ad animationem, ita vt in primo instanti animationis nõ fuerit obnoxia, si fuit prę uenta per gratiam, sed in toto anteriori tẽpore. Ita opinantur Catherin. & Cordub. sect. 2. citati, quia hoc (inquiunt) satis est, vt B. Virgo fuerit propriè redempta, sicut dominus arboris, habet sibi obligatos fructus, antequam nascantur, & ideò potest illos vendere, vel redimere. Et iuxta hũc modum facile intelligitur, quo modo B. Virgo potuerit simul esse obnoxia peccato, & nunquã esse in peccato, quia scilicet fuit obnoxia in alio, & antequã existeret, caruit autẽ peccato in se, simul ac esse incepit.

Catharin. Cordub.

Beata virgo in propria persona peccato originali obnoxia in primo instãti suæ conceptionis.

Secundo & verius (mea sententia) explicatur hęc difficultas, si dicamus, Beatam Virginem in propria persona fuisse peccato obnoxiam in primo instanti suæ conceptionis, & nihilominus in eodem potuisse carere peccato, & præueniri gratia Dei. Quod facile patebit, si semel intelligatur, quid sit, obnoxium esse peccato originali. Ad quod explicandum aduertendum primo est, hominem, prius natura esse hominem, quàm sit sanctus, vel peccator, quia esse naturale, tam ad gratiam, quàm ad culpam per modum subiecti ad accidentariam formam comparatur, & ideò prius etiam natura intelligitur homo esse filius Adæ, quàm intelligatur actu esse in statu gratiæ, vel peccati, quia hic ordo naturæ solum est ordo causæ, quo intelligitur hæc proles ab hoc naturali principio Physicè manare, prius quàm intelligatur aliquid aliud illi superaddi.

Obnoxium esse peccato originali quid sit.

Secundo addendum est, in natura lapsa ex hac naturali origine statim consequi influxũ originalis culpæ, nisi Deus per gratiã præueniat, & impediat illud. Vnde fit in illo primo instãti, quo proles concipitur, causas eius proprias ita esse dispositas,

vt omnino necessario veluti influxuræ A sint originale peccatum, nisi á Deo prę-
uniantur. Et hoc est esse obnoxium peccato originali, & quia hanc necessitatem, & ve luti propriarum causarum debilitatem ha bet proles, non solum ante quã animetur, sed etiam in ipsomet instanti animationis, vt intelligitur natura antecedere omnem gratiæ infusionem, ideò verissimè dicitur in primo instanti, & in propria persona esse obnoxia peccato.

Tertio hinc facile intelligitur hoc nihil obstare, quo minus Deus in eodem instan ti possit gratiã infundere. Quia hæc duo non repugnant scilicet effectũ procedere a causis, à quibus habiturus esset aliquam imperfectionem, si non impedirentur, & nihilominus causas de facto impediri. Et
Caiet. hanc sententiam benè docuit Caiet. opus- culo de conceptione c. 3. dicẽs, hoc modo B melius intelligi B. Virginem potuisse esse proprie redemptam in propria persona, etiam si in illa non habuerit originale pec- catum. Quia illamet gratia, qua præuenta est, fuit gratia redemptionis, & impediuit culpam necessario emanaturam ex causis proximis, Deo non impediente.

Quarto deniq; addendum est inde non fieri hominem sic iustificatum semper, aut post primũ instans conceptionis manere peccato obnoxiũ, in primo enim instanti homo est quasi in dispositione proxima, & causę possunt tunc influere originale peccatũ, postquam verò per gratiã prę- uenientẽ impeditę sunt, prorsus euanescũt, vt amplius hominẽ maculare nõ possint, & ideo omnis homo, qui ab originali libe ratur, hoc ipso amplius non manet illi pec
Obnoxiũ esse peccato Originali vt sic, non importat culpam. cato obnoxius. Vnde intelligitur esse ob- C noxiũ peccato originali, prout natura an- tecedit ipsum peccatum, non esse culpam, cũm illam naturæ ordine antecedat, nec reatũ pœnę, cúm hic culpã consequatur, sed solum esse necessitatẽ quandam incur rendi culpam, & veluti ordinẽ ad causas deficientes, quę necessitate quadam illam influũt, vel deniq; impotentiam quandã vitandi huiusmodi culpam, nisi Deus eam impediat.

SECTIO. V.

An Beata Virgo fuerit ab originali peccato præseruata, & in primo suæ conceptionis instanti sanctificata.

PRima sententia affirmat fuisse concep tam in originali peccato, & nihilomi- nus in primo instanti suæ conceptionis fuisse sanctificatam. Ita sentit ex parte Henric. quod lib. 15. quæst. 13. Sed est im *Henric.* probabilis sententia. Quia gratia, & pec- catum originale priuatiuè opponuntur, vt constat ex propria materia, & latè tra- ctat Durand. 3. d. 3. quæst. 2. Respondet *Durand.* autem Henric. licet non potuerit Beata Virgo in primo instanti esse in peccato originali, & recipere gratiam, ex parte ta- men agentis scilicet Dei, in eodem primo instanti fuisse infusionem gratiæ, manen- te peccato originali pro illo instanti. Sed rogo, quid sit Deum infundere gratiam in illo instanti? nam si est verè illam efficere, & producere intrinsecè, necesse est in illo instanti gratiam esse, & consequenter in B esse Virgini, quia non fit extra subiectum: Aut non est efficere gratiam, & sic nihil aliud est, quàm Deum esse veluti para- tum ad infundendam gratiam immediatè post illud instans, quod forte non fuit impossibile, non tamen de hoc loqui- mur.

Est ergo secunda sententia, quæ ait Vir ginem fuisse conceptam in originali, & Paulo post fuisse sanctificatam. Hanc te- nuerunt ferè antiqui scholastici ante Sco tum. D. Thom. hic, & in. 3. distict. 3. vbi *D. Thom.* Bonauent. Albert. Magn. Richard. Dur. *Bonauent.* Paluda. Capreol. Alens. & Henric. locis *Albert.* citatis Gregor. in. 2. dist. 30. quæst. 2. An- *Mag.* toni. 1. part. tit. 8. c. 2. Turrecrem. opuscu- *Richar.* lo de hac re, Caiet. etiam proprio opuscul. *Durand.* & hic, Ferrar. 4. contra Gent. cap. 50. Fun *Palud.* damenta huius sententiæ ad quatuor ca- *Capreol.* pita reuocãtur. Primum sumitur ex scrip *Alens.* tura, vbi sunt locutiones generales, vt *om* *Henric.* *nes in Adam peccauerunt*, ad Rom. 5. & alibi, *Greg.* á quibus regulis neminem licet excipere, *Antonin.* sine Patrum, aut ecclesiæ traditione, quæ *Turrecre.* in proposito nulla est. Propter quod Al *Caiet.* bert. Magn. videtur erroris damnare con- *Ferrar.* trariam sententiam, & D. Thom. quæst. 4 *Rom. 5.* de malo art. 6. dicit esse erroneũ, aliquos *Conci. A-* ex Adamo genitos per seminalem genera- *rausic.* tionem, immunes facere ab originali. Secũ *Conc Mi-* dũ caput est ex similibus definitionibus, *leuit.* Concil. Arausic. Mileuit. & Florent. Po- *Conc, Flo-* test confirmari, quia Pius. V. abstulit pro *rent.* prium officium conceptionis, quia in eo *Pius. V.* dicebatur Beata Virgo *immaculata, & præ-*

seruata.

Capreol. Canus.

ſernata. Tertium caput ſumitur ex Patribus. Capreo. numerat ad. 40. Caiet. videſ non eſſe ad rem reduxit ad. 15. Cano lib. 7. c. 1. addit quædã alia teſtimonia dicẽs, nullum ſanctorũ docuiſſe contrarium, ſed de hoc poſtea.

Ex Patribus quatuor modis poſſunt argumẽtari, primo ex generalibus locutionibus, quas omitto, quia comunes: illæ tantum habent aliquam vim, quæ ſimul omnes includunt in peccato, & excipiunt ſolum Chriſtum. Leo pap. ſerm. 1. de natiuit. *Sicut nullum a reatu, &c.* Cyril. lib. 16. in Leuit. á principio multa habet. Inter alia, *Solus Ieſus eſt, qui nunquã inuenitur extra ſancta, ſolus, qui peccatum non fecit,* ſimilia habet dia log. 1. de Trinit. poſt med. Ambr. lib. 2. in Lucam. c. de circunciſione. *Solus per omnia ex natis de fœmina ſanctus dominus Ieſus.* Quę verba cõmendat multũ Aug 2. contra Iulian. in prin. & de Perfectione iuſtitię circa med. dicit aliũ præter Chriſtũ excipere eſſe contra Paul. Idem primo de peccat. merit. c. 29. & ſæpe aliàs. Et tract. 4. in Ioan. dicit ſingulare fuiſſe Chriſto non habere carnem peccati, quia non fuit ſemine viri conceptus: *Quis,* inquit, *innocens? omnes ex illa traduce veniunt, de qua Dauid. In iniquitatibus conceptus ſum, ſolus ille agnus, qui non ſic venit.* Idem Fulgent. de fide ad Petr. c. 2. expreſſe Greg. lib. 11. moral. in fine, & lib. 18. c. 27. aliàs. 35 circa illud, *Non adæquabitur ei aurum de Æthiopia,* vbi tamen etiam de natiuitate loquitur.

Leo pap. Cyrill. *Ambroſ.* *Auguſtin.* *Fulgent. Greg. Pap.*

Secundo ex illis Patribus, qui in particulari loquũtur de Virgine, ſed nõ ſatis aperte. Primo, Aug. lib. 2. de peccat. merit. c. 24 dicit de Chriſto, *non ſumpſit carnẽ peccati, licet de materna carne peccati,* Secundo idem Aug. in id Pſal. 34 *Ego autẽ, cum mihi molesti eſſent,* dicit, *Mariã ex Adã conceptã, fuiſſe mortuã propter peccatum.* Tertio Ambr. ſermo. 6. in Pſal. 118 dicit *Carnẽ Chriſti in matre fuiſſe obnoxiam peccato.* Quarto Euſeb. Emiſſen. ſer. 2. de Chriſti natiuit. dicit. *Ab originali nexu immunis, neq; ipſa Dei genitrix fuit.* Quinto Anſel. lib. 2. cur Deus ho. c. 16. *Virgo,* inquit, *in iniquitatibus cõcepta, & in originali peccato nata eſt, quia & ipſa in Adam peccauit.* Sexto Bernardin. Senen. ſer. 51. a. 1. c. 4. dicit per ſanctificationẽ Virginis remotũ eſſe ab illa originale peccatũ, & ablatã prõptitudinẽ ad malũ. Septimo Vincẽ. Ferr. ſerm. 1. de natiu. Mariæ, dicit

Auguſtin. *Ambroſ.* *Euſeb. Emiſſen.* *Anſelm.* *Bernardin. Senenſ.* *Vincent. Ferrer.*

Chriſtũ in primo inſtãti cõcep. Virginẽ verò eadẽ die, vel hora fuiſſe ſanctificatam.

Tertio ex Patribus, qui dicũt B. Virginẽ eſſe *mundatã.* Nã hæ locutiones ſupponũt culpam. Ita loquitur Nazi. orat. 38. & 42 ferè circa med. S. Maxi. ſerm. de aſſumpt. Remig. Pſal. 21. Bed. Luc. 1. & citatur in Gloſ. ordinaria, & Fulg. ſerm. de laudib. Virg. ait, *Cum dixit Angelus, gratia plena, oſtẽdit ex integro iram excluſam primæ ſententiæ, & plenã benedictionis gratiã reſtitutam.* Difficilius loquitur Chryſip. præsby. Ieroſoly. ſerm. de B. virg. tom. 7. Bibliot. *Cum omnibus,* inquit, *ſurgat de lapſu, in quo illam conſtituit vel Euæ cognatio.* Et applicat illud Pſal. 44. *Obliuiſcere populũ tuum, &c.* & Richar. de S. Vict. lib. 2. de Emanuele. c. 26.

Greg. Nazian. Maximin. Epiſ. Remig. Bed. Fulgent. *Chryſip. Ieroſolym.* *Richard. Vict.*

Vltimo ſunt Patres, qui manifeſte docẽt hanc ſententiam, è quibus duos reperio, Bernar. epiſt. 174. & Rupert. lib. 1. in Cantic. circa princip. Referuntur alij duo Anton. Padua. ſerm. de nariuit. Mar. & Erardus vel Gerardus Epiſcopus, & martyr ſermone de natiuit. Mariæ.

Bernard. Rupert. Anton. Paduan. Gerard. Epiſcopus.

Quarto ſunt rationes. Prima eſt illa vulgaris, quia alias virgo nõ fuiſſet á Chriſto redẽpta. Secũdo ex Paul. 2. ad Cor. c. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo oẽs mortui ſunt.* Et apertè loquitur de morte ſpirituali, ſed Chriſtus eſt mortuus pro virgine, ergo. Tertio quia in B. virgine fuit radix originalis peccati, ſcilicet libidinoſa conceptio. Quarto fuerũt in illa fructus, & pœnę originalis peccati, ſcilicet, mors, & ſimilia. Quinto quia aliàs ſi virgo mortua fuiſſet ante Chriſtũ, vidiſſet Deũ ſtatim, quia nõ habuerat impedimentũ originalis, conſequens eſt falſum: aliàs Chriſtus nõ patefeciſſet virgini per mortẽ ſuã ianuam regni cœleſtis. Sexto quia alias tollitur Chriſto ſingulare priuilegiũ eius, indicatũ ab Angelo illis verbis. *Quod ex te naſcetur ſanctũ.*

2. Cor. 5.

Dicendũ nihilominus eſt B. Virginẽ in ipſo primo inſtanti conceptionis ſuæ fuiſſe ſanctificatã, & ab originali peccato præſeruatã. Hanc ſententiã docuerunt graues Theologi in 3. d. 3. Scot. Aureol. apud Capreol. Gab. Thomas de Argentina, Almai. Dionyſ. Chartuſ. Ioan. Bacon. Franciſcus Maironis, qui referunt Alexan. Alenſ. in fine vitæ mutaſſe ſententiã, idem Scot. in 3. d. 18. q. vnica. §. hoc viſo, Marſil. in. 2. q. 20. & in. 3. q. 4 Abul. Paradoxa prima. c. 21 & in prologo Bibliæ c. 6, Exo. 34. q. 8. Get

Scot. Aureo Gabr. Thom. Argent. Almain. Dionyſ. Chartuſ. Ioann. Bacon. Franciſc. Mair. Alenſ. Marſil. Abuleſ.

Gerson. Lypom. Dried. Rophens. Clicthou. Galat. Nico. Cuss an. Iacob de Valent. Viguer. Castr. Veg. Cordub. Catharin. Couarrub. Nauarr.

son,opusculo de cõceptione, Lypoma. in cathe. gen 15. Dried.3.de dogmatib. tract. 2.capit. 4.part.1. circa finem fol.127. Rophens.disputat.2.contra Luther. Clicthoueus opuscul.de purit. Virgin. c. 5. &. . Galatin. lib.7.cap.5.Nicola. Cusian. lib. 5.exercitat.circa id,*cælum,& terra transibũt &c.* &.8.circa illud,*sicut lilium inter spinas.* Iacobus de Valentia in Psalm. 13. Viguer. cap.18. §. 5. Castr. verbo peccatum, hæresi.9.Vega lib.2.in Trident.cap.6. Cordub.lib.1.quæst.44.Catharin.opuscul.de hac re,& ex Canonistis referunt aliquos, & sequuntur,Couar.cap. Alma mat. p.2. §. 5.num.2.& Nauar.prælud.8.n.9. Probatur conclusio illis quatuor fundamentis contrariæ sententiæ,vt possint singula singulis conferri, & in omnibus appareat manifestus excessus. Primo ergo ex scriptura petendum non est clarum testimonium,vbi hoc asseratur: esset enim temerarium hoc postulare,cùm alia priuilegia Virginis,quę tanquam certa tenet ecclesia,non requirant huiusmodi scripturę testimonium.

Primum fundamentum ex scriptura sacra

Possumus ergo primo argumentari ab authoritate negatiua.Quia scriptura non negat datum esse virgini hoc priuilegiũ, ergo saltem ex hoc capite nõ est negandũ, & si aliunde sit sufficiens ratio,& fundamentum,erit asserendum. Antecedens patet.Quia neq; negat in particulari de Virgine, neq; in vniuersalibus locutionibus, vt sumitur ex Trid.sess.5.vbi declarat virginem non comprehendi sub definitione suageneralí de peccato originali,& consequenter idem declarat, vel certè dat declarandi facultatẽ,delocutionibus scripturę, quia Concilium id definit,quod censet in sacra scriptura doceri.Idem argumentum sumitur ex Sixto. 4.definiẽte non esse cõtra fidem dicere virginem esse conceptam sine peccato,ergo neq; contra scripturã, non ergo negatur hoc in generalibus illis locutionibus scripturæ. Secundo patet à simili,quia tan sunt generales locutiones ille de actuali peccato.*Non est homo,qui nõ peccet.* 2.Paral.6.&,*in multis offendimus omnes,* Iacob.3. Idẽ de natiuitate in peccato, *Graue iugum super filios Adam a die exitus eorum de ventre matris eorum,* Eccles. 40. ita exponẽte Aug.epist.57.Et Iob.c.14.de hoc etiã loquitur,*Nemo mundus a sorde,* Et August.lib.3 de peccat.merit. c. 6. in quibus

Conc. Tri. Sixtus. 4.

2 Parali.6 Iacob.3.

Eccles.40 August. Iob. 14.

A omnibus nõ intelligitur excludi Virginis priuilegiũ:pari ergo modo in proposito, si aliàs sit sufficiens ratio, vel autoritas. Tertio illa testimonia,quibus beata Virgo dicitur *plena gratia,* iuxta omniũ(etiam D. Tho)expositionẽ,omnia priuilegia,& dona gratiæ cõplectuntur, quæ secundũ rectam rationẽ decent matrẽ Dei. Vnde ex illis sufficienter colligunt Patres,& Theologi sanctificationẽ in vtero,innocentiam ab omni peccato actuali: pari ergo ratione in illis locis censetur cõtineri hoc priuilegium. Ostendemus enim infrà non minus decere,nec minus congruentrem connexionem habere cũ dignitate matris. Sic etiam applicari potest illud,*Benedicta tu in mulieribus,& benedictus fructus ventris tui*, idest, quia benedictus tuus, ideò & tu benedicta,tali ergo benedictione benedicta intelB ligitur,qualis decebat talẽ fructũ. Sic etiã verbum illud.*Quia fecit mihi magna &c.* hoc totum virtute continet. Mensura enim priuilegiorũ Virginis potẽtia Dei dicitur, quæ parcendo maximè & miserendo manifestatur,& decuit singulari modo manifestari in matre. Quarto licet ex sensu spirituali nõ sumatur efficax argumentũ, tñ supposito sensu,& explicatione ecclesiæ, multũ confert.Et ita fauet id Cant.2.*Sicut lilium inter spinas,sic amica mea, &c.* & c.4. *Tota pulcra es,*& infrà.*Hortus cõclusus,fons signatus,*&.c. 6.*Quæ est ista,quæ ascẽdit,quasi aurora,*& Iob.3.*Expectet lucẽ, & nõ videat neque ortũ surgentis auroræ.* Quod D. Tho. hic art.1.explicat de nocte culpę originalis,& applicat natiuitati virginis ex vtero.Sed potest æquè benè acõmodari natiuitati in vtero.Sic etiã Psal.45.*Sanctificauit tabernaculũ suũ altissimus* Quod D.Th. hic intelligit de Virgine,& Method.serm. de purificat.Indicatur autẽ ibi singularis sanctificatio,congrua tabernaculo Dei,de quoPsa.88 *Thronus eius,sicut Sol.* &c. Quod de virgine exponit Damasc.lib. 4.c.15.& Petr. Damia.serm.de assumpt. dicẽs,ideò Virginẽ cõparari Soli,quia ita lucet inter sanctos,sicut sol inter stellas.*Præterea* totus Psal.84.86.&.92.facile ad hoc mysterium applicari possunt. Quinto vri possimus loco illo Gen.3.*Inimicitias ponã inter te & mulierẽ.* Quã mulierẽ esse Beatam Virginẽ Patres omnes statim citãdi intelligũt, inter quam,& dæmonẽ perpetuum dissidiũ ibi prædicitur,& additur.*Ipsa conteret caput*

Mensura priuilegiorum Virginis,potẽtia Dei.

Cantic.2. &.6.

Iob.3.

D.Thom.

Psal. 45. D. Thom. Method.

Psal.88. Damasc. Petr. Damian.

Psal. 84. 86.&.92.

Genes.3. *Inter Virginem,& dæmonem pugna qualis.*

caput tuum, ita enim legimus in Vulgata, & legit Augustin. 12. Genes. ad liter. cap. 39. & lib. 2. de Genesi contra Manichæos c. 18. Ambros. de Fuga sæculi. c. 7. Greg. 1. moral. cap. 19. aliás. 38. Bernard. serm. 2. in *missus est*, & serm. *signum magnum*. Eucher. Beda, & alij in Genes. per caput autem dæmonis recte intelligitur vel peccatum originale, quod fuit omnium origo, & radix, & propter quod principaliter fuit ordinata Christi redemptio, vel certe intelligitur omnis dæmonis potestas. Cum qua prophetia non recte consonat, quod aliquando fuerit virgo dæmoni subiecta. Et licet aliqui Patres legant, *Ipse conteret*, referendo ad Christum, vt Irenæ. lib. 4. c. 78 Cypria. lib. 2. ad Quirin. c. 9. Petrus Chrysol. serm. 173. & Hierony. in quæstionib. Hebrai. sensus tamen in idem redit. Quia beata Virgo à Christo, & per Christum intelligitur hoc totum priuilegium habuisse. Et hinc relinquitur expeditum primum fundamentum secundæ sententiæ. Illa enim omnia testimonia non excludunt priuilegium speciale, quando sufficienti fundamento asseritur.

Augustin. *Ambros.* *Greg.* *Bernar.* *Eucher.* *Beda.* *Irenæus.* *Cyprian.* *Petr. Chrysolog.* *Hierony.*

Secundum fundamentum ex Ecclesiæ autoritate.

Secundum fundamentum ex Ecclesiæ autoritate sumendum est, & primum omnium magni ponderis est totius Ecclesiæ ferè vniuersalis consensus, in quo, consideratione dignum est antiquos Patres pauca de hoc virginis priuilegio esse locutos. Quod mirum esse nõ debet, tum quia Spiritus sanctus paulatim suam Ecclesiam docet (vt Greg. dicit homil. 26. in Ezechiel.) tum etiam, quia alijs fidei mysterijs grauioribus, magisq; necessarijs explicandis, ac defendendis distinebantur. Postquam vero ante quingentos annos veritas hęc clarius cæpit doceri, ita insedit fidelium animis, creuitque paulatim eius fides, vt iam ferè omnium consensione recepta sit. Et præsertim ab hinc ducentis annis fermè omnes Ecclesiastici scriptores, Episcopi, vniuersæ ferè religiones, & Academiæ sub scripserunt, adeò vt in Academijs Parisiensi, Valentina & alijs, nulli ad doctoratus Theologiæ gradum aditus pateat, qui prius sub iuramento non promisserit, nunquam se veritatem hanc oppugnaturum, non est autem verisimile, permissurum fuisse Spiritum sanctum vniuersam Ecclesiam in re tanti momenti grauiter errare, imo credendum est, ex illius inspiratione, hunc vn iuersorum fidelium sensum, affectumque manasse.

Greg.

Communis totius Ecclesiæ consensio de priuilegio Virginis.

Huc accedit ab Ecclesia festũ cõceptionis celebrari, qui mos in Ecclesia Græca ante mille annos est ortus, vt Galatin. refert lib. 7. cap. 4. & in Calendario Græcorum signatur hoc festum die. 9. Decembris, vt videre licet in. 4. Tom. Bibliot. sanc. in Latina verò introduci cepit, ante quingentos ferè annos, vt ex epistolis Bernardi constat. Et ex quadam epistola Diui Anselmi ad Episcopos Angliæ, in qua (vt fertur) scribit non esse verum amatorem Virginis, qui hoc festum non celebrat. Tandem verò Ecclesia Romana ante ducentos annos celebritatem hanc generaliter amplexa, cultoribus eius singulares indulgentias impertit. Vnde quodammodo videtur, conceptionem Virginis canonizasse. Non est ergo pium credere Ecclesiam in re tam graui decipi, aut falso fundamento niti.

Galatin. *Bernard.* *Anselm.*

Obiectio.

Dicetur fortasse non celebrari hanc cõceptionem eò, quòd sancta sit, sed quia fuit magnum Dei beneficium, initiumque maiorum. Sed hoc nulla ratione probandum est, quia (vt ex sensu fidelium constat) Ecclesia non celebrat hoc festum, tantum in gratiarum actionem respectu Dei, sed etiam in honorem Virginis: non esset autem virgo honore digna propter conceptionem suam, nisi in illa sancta fuisset. Deinde D. Tho. Bernard. & Ildefons. putant satis probari virginem, tempore nati uitatis suæ fuisse sanctam, quia Ecclesia natiuitatem celebrat, ergo idem iudicium ferrent de conceptione, si festum celebrari conspicerent. Denique Galatin. lib. 7. cap. 5. dicit, in quibusdam martyrologijs expresse poni festum conceptionis, propter summam puritatem, & sanctitatem illius, & ex dicendis hoc fiet euidentius.

Responsio.

D. Thom. *Bernard.* *Ildefons.* *Galatin.*

Obiectio.

Iam verò dicunt alij non celebrari festum conceptionis, sed sanctificationis, quocunque tempore sit facta, vel certè, (si celebratur dies conceptionis) non ideò esse, quia in primo instanti, sed quia illo fortasse die sanctificata fuit. Sed hoc etiam est contra Ecclesiæ mẽtem, quę semper intendit speciale virginis priuilegium, & immunitatem hoc festo die celebrare, cuius rei manifesta sunt signa. Primo, quia Bernard. dicta epistol. 174.

Responsio.

Bernard.

hoc sensu intellexit mentem Ecclesiarum, quæ hoc festum colere incipiebant. Nam si solam sanctificationem celebrarent, non esset, cur illas reprehenderet, Deinde concilium Basilien. sess. 36. diserte dicit antiquam esse Ecclesiæ consuetudinem celebrandi hoc festum in honorem immaculatæ virginis conceptionis. Tertio in quodam officio Romano de hoc festo, quod Sixti quarti auctoritate confirmatum est, sæpe hoc expresse dicitur, & intentio huius festi declaratur. Et eodem modo loquitur Sixtus quartus in extrauag. Cum præexcelsa, & extrauag Graue nimis, de reliquijs, & veneratione sanctor, vocans *conceptionem puram, & immaculatam*, & concedens indulgentias hoc piè credentibus, & colentibus. Et ita etiam intellexit hæc decreta Concilium Trident. sess. 5. vbi illa confirmat. Vnde idemmet Sixtus quartus, dicit, non peccare eos, qui sentiunt, beatam Virginem fuisse conceptam sine peccato, & propterea festum eius celebrant, est ergo hæc sine dubio intentio, & ratio huius festiuitatis. Adde eodem modo dicere aliquem posse, cùm Ecclesia celebrat natiuitatem Virginis, non ideò esse, quia in ipsamet natiuitate sancta fuerit: sed quia intra illum diem fuit sanctificata: at hoc pane falsum est, & absurdum, vt ex dictis constat, ergo idem est in præsenti. Et ratio generalis est. Quia Ecclesia propriè colit, & celebrat ipsa mysteria, & priuilegia sanctę conceptionis, & natiuitatis.

Conc Basilienſ. *Sixt. 4.* *Cõc. Trid.*

Tertio augetur vis huius fundamenti. Quia hęc celebritas, & persuasio initium sumpsisse dicitur ex diuina reuelatione, cuius famam percrebuisse suo tempore Bernardus refert, nec relinquit vt falsam, sed vt dubiam, Bonauent. autem, & Henric. illam admittunt, nescio tamen, quo sensu interpretantur. Marsil. tres reuelationes refert, quas dicit fuisse graues, & miraculis confirmatas. Habetur etiam reuelatio de hoc mysterio facta sanctæ Brigittę lib. 1 cap. 9. & lib. 6. cap. 49. & 55. Ad quam extenuandã Caiet ex Anton. 1. part. Theolog. titul. 8. cap. 2. ait contrarium fuisse reuelatum sanctæ Catherinæ Senensi. Sed neque Anton. neque alij, dum scripserunt viram beatæ Catherinæ, huius reuelationis meminerunt, sed tunc inuenta videtur, quando necessaria visa est ad minuendam autoritatem aliarum.

Bernard. *Bonauent.* *Henric.* *Marsil.* *Caiet.* *Antonin.*

Quarto maximè hoc confirmat esse in Ecclesia religionem institutam, & approbatam in honorem immaculatæ conceptionis, in cuius regula cap. 3. dicitur, *animam Virginis a primo instanti creationis fuisse sanctam.* Quam regulam, & institutum probarunt Iulius secundus, Leo decimus, & Alexand. sextus concedendo priuilegia, vt patet ex compendio Mendic. verbo communicatio. §. 18. & conceptio §. 10. 12. & 13. Quinto fauet decretum Basilien. Concil. sessione. 13. vbi non simpliciter definit hoc de fide, sed esse pium, consonum fidei, & scripturæ, vetatque docere contrarium. Et licet illud Concilium non sit legitimum (vt constat ex actis eius, & ex Concil. Lateran. sub Leone. 10. sess. 10.) non propter aliquam hęresim, sed propter schisma, quia sub obedientia Papę nõ processit, in his tamen, quę ad Pontificẽ non spectant, magnam habet autoritatem, & saltẽ magnũ, circa hanc veritatẽ, Ecclesiarũ Episcoporum consensum ostendit, Sexto tandem fauet Concil. Triden. sess. 5. quatenus á generali decreto de originali peccato beatam Virginem excipit, eamq; *immaculatam* vocat, & decretum Sixti. 4. confirmat.

Religio instituta in honorẽ immaculatæ conceptionis B. Virginis. *Iulius 2.* *Leo. 10.* *Alexan. 6.* *Conc. Basilien.* *Conc. Lateran.* *Conc. Trid.*

Ex quibus expeditum relinquitur secundum fundamentum sententiæ præcedentis. Sicut enim Conc. Trid decretum suum interpretatur, ita significauit antiquorum Conciliorum decreta esse intelligenda, eadem enim est omniũ fides. Quæ expositio per se erat necessaria, quia illa concilia non solũ de conceptione: sed etiã de natiuitate loquuntur, vt patet in concilio Mileuit. can. 2. & 4. Illa verò officij mutatio a Pio V. facta nihil obstat. Neque enim id feciſſe credendus est, quia aliquid falsum in illo officio cõtineretur, sed quia omnia voluit ad antiquum morem reuocari: sicut etiam beatam Annam, & sanctũ Rochum e Calendario expunxit. Quo nihil eorũ sanctitati derogatum est. In eo verò, quod festũ conceptionis, & natiuitatis eodẽ officio celebrari voluit, vtriusque solennitatis propria ratione retenta, huic nostræ sententiæ non parum fauit.

Conc. Mileuit.

Tertium principale fundamẽtum huius sententiæ, ex patrũ authoritate petendũ est, quorum testimonia in varios distingui ordines posſũt. Primus ea cõtinet, quę in specie

Tertiũ fundamentum ex patribus

Damasce. specie de Virgine, & originali peccato loquuntur. Primo Damascen. orat. 1. de natiuit. Mar. Virg. de illius conceptione agēs sic loquitur. *Natura gratiam antecurrere ausa non est, sed tantisper expectauit, dum gratia fructum suum produxisset.* Et infra, *O beatos Ioachimi lumbos, e quibus immaculatum semen effluxit, o præclaram Annæ vuluam, in qua, tacitis incrementis formatus fuit sanctissimus fœtus,* & infra, *forte illud excelsi brachiū obtusum naturæ ligonem spiritu sancto, tanquā digito suo, exacuens, viuam scailam sibi ipsi condidit,* & infra, *O sanctissima, quæ principatus & potestates fefellisti, immaculata conseruata in Dei sponsam.* Quibus verbis satis aperte, & eleganter, & mysterium explicat, & rationem, & modum illius indicat. Multaq; similia habet oratione secunda, & inter alia dicit, ventrem Annæ fuisse, *locum, in quo Deus sanctificationis arcam condidit.* & orat. 3. dicit. *conceptionem Virginis fuisse collapsi generis nostri excitationem, & integram restitutionem.* Et orat. 1. de assumptione, *gratiæ* (inquit) *abyssum inuenit, quæ animam non minus, quam corpus Virgineū custodiret.* Et ora. 2. *Ad hunc,* inquit, *paradisum serpens aditum non habuit,* & infra vocat eam, *immaculatam quæ cum terrenis affectibus nihil habet commune,* & introducit Virginem hoc modo ad filium loquentem, *animam meam tibi charam accipe, quam a peccati labe puram seruasti,* & ideo lib 3. de fide, c. 2. Virginem vocat, *semper sanctam,* quia nimirum nunquam insta tu peccati fuit.

Laur. Iustiniā. Secundo Laurent. Iustinian. sermo. de annuncia. *Ab ipsa,* inquit, *conceptione in benedictionibus est præuenta dulcedinis, & a damnationis alienæ chirographo prius est sanctificata, quam nata.* Clarius in lib. de casto cō nub. Verbi, & animæ c. 7. circa medi. ait. *Quot quot ex ipsa nati sunt propagine, exceptis duntaxat mediatore Christo Iesu, & eius matre, sub hac peccati lege sunt conditi.* Idem in fasciculo amoris c. 7. circa finem. Et lib. de gradib. perfectio. c. 1. post med. diserte inquit *Ab originali delicto nullus excipitur præter illam quæ genuit mundi saluatorem.* Solent vero nonnulla loca huius sancti in contrariū citari, quę omisi, quia nullam omnino difficultatem habent. Et de illis videri potest

Phylipp. Stanchar. Idiota. Epistola Philippi Stancharij, quæ in fine operum eius habetur. Tertio quidam antiquus pater, (qui ob humilitatem Idiotæ nomen sibi imposuit, & ante octingentos annos scripsit librum de contemplatione Virginis, in cap. 2. & 6. veritatem hanc ex professo tractat, & definit, & ideo verba eius omitto. Quarto referri solet Cyrill. Alexand. lib. 6. in Ioan. c. 15. vbi sic inquit, *excepto solo Christo, & beatissima eius matre etiam excepta, omnes in peccato nascimur:* ipsum autē de natiuitate in vtero loqui patet, tum ex contextu, tum, quia si de natiuitate extra vterum loqueretur, plures deberet excipere. Notauit quidem hunc locum Feuardent. in lib. 3. Irenæi. c. 23. ne quemquam tamen minus doctum decipere ret, adnotare debuisset, illum librum non esse Ciril. Sed Chlycthouei. Potest tamē hic locus Cyril. vt cunque refarciri exho mil. 6. in Concil. Ephes. habita, & habetur 6. Tom. illius. c. 6. vbi de laudibus virginis mire loquitur, & inter alia sunt hæc verba, quæ ad prętentem causam facere possunt. *Salue sancta Deipara pretiosum totius orbis thesaurū, lampas inextinguibilis, per quā diabolus cœlo decidit, & prolapsum plasma in cælum recipitur,* & infra, *Quis vnquam de architecto audiuit, quod suum ipsius templum construxerit, & in eo habitare prohibitus sit.* Quinto. Sedulius lib. 2. paschalis de miraculis, Christi in princi. (habetur Tom. 8. biblio.) qui ante mille centum annos scripsit, post quam lapsum primi hominis, & totius humanigeneris descripsit, inquit, feciſſe Deū

Vt vnde culpa dedit mortē, pietas daret inde salutem, & subiungit.

Et velut in spinis mollis rosa surgit acutis.
Nil, quod lædat habēs matrēq;, obscurat honore
Sic Euæ de stirpe, sacra veniente Maria.
Virginis antiquæ facinus, noua Virgo piaret.

Huius autem doctoris tanta est autoritas, vt non nulla carmina, quibus Ecclesia in laudē Virginis vtitur, ex hoc eius libro desumpta sint. Sexto addere possumus sāctū Vincentium Ferrerium, qui licet inter dum subobscurius loquatur, tamen in hanc sententiam plane inclinat, in serm. primo de natiuit, dicit enim, Virginem eadē die, & eadem hora conceptionis fine dilatione fuisse sanctificatam, & subdit. *Quādo corpus beatæ Virginis fuit perfecte organizatum, & anima illi coniuncta per creationem tunc altissimus sanctificauit tabernaculum suū* & serm. 2. de natiuit. Virg. ad illius cōceptionem accommodat verba illa, *fiat lux,* & addit, *nō credatis, quia fuerit sicut in nobis, qui in peccatis cōcipimur: sed statim, ac anima fuit*

Vincenti. Ferrer.

creata, fuit sanctificata, & statim Angeli in cælo celebrauerunt festum conceptionis,

In secũdo ordine numerabimus patres qui de Virgine loquẽtes generaliter, & absolute docent eam fuisse omni culpa liberam, & immunem. Quorum princeps sit
August. Aug in illo lococelebri de natu. & grat. c. 36. *Excepta Virgine matre, de qua, cum de peccatis agimus, nullam prorsus habere volo quæstionem, inde enim scimus, quod plus gratiæ ei collatum est ad vincendum omni ex parte peccatum, quia eum concipere meruit, & parere, quem scimus nullum habuisse peccatum,* Quæ quidem verba (quidquid alij cõtendant) non possunt ad actualia peccata coarctari. Primo quidem, quia toto illo libro generatim tractat de peccato, vt contra Pelagianos concludat neminem esse sine peccato, etiam infantes. Quod non potest de actuali: sed de originali peccato verum esse. Cum ergo ab hac generali clausula Virginem excipiat, eodem sensu loqui necesse est, quia si originale peccatum habuisset illam excipere non oporteret. Secũdo quia ẽconuerso, si de solis actualibus loqueretur, non oportuisset solam Virginẽ excipere, multi enim sunt, qui tantum habuerunt originale peccatum: vt innocentes, neque enim illo loco de solis adultis tractabat. Tertio ex ipsis verbis, quæ sigillatim ponderanda sunt, dicit enim, *cum de peccatis agitur, nullam de Virgine se velle habere quæstionem,* ergo neque hanc, in qua versamur. Dicit deinde, *omni ex parte vicisse peccatum,* ergo ex parte originalis, & ac-
Bernard. tualis, vt nomine Bernardi exponitur in quodam sermone super Canticum, *Salue Regina,* qui inter opera eius habetur. Tandem rationem subdit: *quia concepit Deum, qui nullum habuit peccatum,* sicut ergo hic nõ solum actuale: sed omne omnino peccatũ de Christo negatur, ita & in prioribus verbis negatur de Virgine, vt (sicut idem Aug. dixit, serm. 20. ad fratres in eremo) *talis suo modo sit mater, qualis & filius.* Quarto coniungo hunc locum cum alio eiusdem
August. August. quinto contra Iulian. c. 9. vbi generalem regulam constituit. Eum, qui in adulta ętate peccatum non fecit, in infantili ætate peccatum non contraxisse: sed beata Virgo in adulta ætate peccatum non fecit, vt ex priori testimonio, vt minimum constat, ergo ex principijs August. necessario concluditur beatam Virginem in in-

A fantili ætate nõ contraxisse peccatum. Nisi quis fortasse subterfugiat, & posterius illud testimonium de eo tantum exponat, qui sua vi, & natura vitare potuit omne peccatum, seu potius impeccabilis fuit. Sed hæc euasio gratis, & præter vim verborum confingitur, & seruata proportione integrum manet argumentum. Sicut enim is, qui natura sua est impeccabilis, ex vi suę conceptionis immunis est ab originali peccato, ita quę per virtutem gratię nunquam peccauit, eadem ab originali cul-
Cyprian. pa præseruata fuit. Secundus testis sit Cyprian. lib. de cardinalib. Christ. operib. ca. de natiuit. Christi, vbi de beata Virgine sic loquitur. *Non substinebat iustitia, vt illud vas electionis communibus lassaretur iniurijs, quoniam plurimum a cæteris differens, natura communicabat, non culpa,* & infra, *matris plenitudo*
B *gratiæ debebatur, & Virgini abundantior gloria, qua carnis, & mentis integritate esset insignis.* Tertio Ambros. serm. 22. in Psalm. 118.
Ambros. circa illa verba. *Quære seruum tuum, domine* inquit, *suscipe me, non ex Eua, sed ex Maria, vt in corrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiã, ab omni integra labe peccati.* Et lib. de instit. virg. c. 5. *Non de terra, sed de cælo vas sibi hoc per quod descenderet, Christus elegit, & sacrauit templum pudoris.* Quarto, Hierony. circa
Hierony. illud Psal. 77. *eduxit eos in nube diei,* per *nubẽ* Virginem allegoricẽ interpretatur, quam dicit, *dicit* vocari, quia semper fuit in Luce & nunquam in tenebris. Et quanquã non certo constet hoc opus esse Hierony. non est tamen dubium, quin antiquum habeat grauem autorem. Fauet etiam idem Hiero-
C ny. super Ecclesiastes decimum vbi conferens Virginem cũ Patriarchis & Prophetis, dicit illam fuisse, *liberam omni peccato, et cortice peccati.* Quinto, Sophronius Epist.
Sophroni. Synod. in. 6. Synod. act. 11. dicit beatã Virginem *ab omni contagione corporis, animæ, & mentis fuisse liberatam,* & in codice Vaticano habetur, *ab omni corporis et animæ, mẽtis labe fuisse liberam,* & ita vertit Turrian. in pa-
Turrian. nopl. Sexto, sic etiam. 5. Brun. in Psal. 101.
Brunus. vocat eam *ab omni peccato liberam,* Septimo, eodem modo loquitur Richard. Victorin. c. 26. & 42. in Cant. & lib. 1. de Emanuele cap. vltimo. Octauo, Petr. Damian.
Richard. Victor. Petr. Damian. serm. de natiuit. Virg. ait. *Quid vitij in eius corpore, aut mente vendicare sibi potuit locum, quæ totius diuinitatis meruit esse sacrarium.* Et serm. de annunciat, habet hęc verba notã-

da.

da. Cū fecerit Deus omnia ſua opera valde bona, hoc melius fecit, conſecrans ſibi in ea reconciliatorium aureum, in quo ſe poſt tumultus Angelorum & hominum inclinaret, & requiem inueniret. Tandem. Arator lib. 1. in act. Apoſtolor. in princip. tomo. 8. bibliot. ante mille annos ſic ſcripſit.

Arator.

A Nato formata ſuo, mala criminis Euæ
Virgo ſecunda fugat: nulla eſt iniuria ſexus.
Reſtituit, quod prima tulit.

Tertio principaliter ſunt teſtimonia, quibus Virgo dicitur, *immaculata, incontaminata, purior Angelis.* Nam cum hæc ſpiritualis puritas conſiſtat, non ſolum in poſitiua perfectione gratiæ, ſed etiam in carentia culpæ, neceſſe eſt ad veritatem harum locutionum, quod Virgo caruerit omni culpa, non minus, quàm Angeli beati. Ita demum loquuntur, Iacobus in liturgia, quā ſexta Synod. can. 32. veneratur, ibi autem ſæpe repetit. *Commemorantes ſanctiſsimam, immaculatam, & glorioſiſsimam dominam noſtram matrem Dei,* Circa finem vero addit, *dignum eſt, vt te vere beatam dicamus, & omnibus modis irreprehenſam, honorabiliorem, quā Cherubim, tibi, o plena gratia, vniuerſa creatura gratulatur, quæ es templum ſanctificatū, &c.*

Iacobus A poſt.

Secundo, Andreas Apoſtolus (vt in eius geſtis refert Abdias lib. quarto hiſtor.) dixit, *ſicut primus Adam, formatus fuit ex terra ante quam eſſet maledicta, ita ſecundus Adam formatus eſt ex terra Virginea nunquam male dicta.* Tertio, in ſepti. ſynod. act. 3. vocatur *immaculata, & omni ſenſibili, & intelleſtuali natura purior.* Quarto, conciliū Francfor. Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ vocat, *immaculatam, prorſusque puram.* Quinto, Ephrem, in lamentatione Virginis, & in oratione ad Virginem ſic incipit, *Immaculata prorſusque pura Virgo Deipara.* Sexto, Origen. hom. prima ex varijs, vocat eam *immaculatam & dignam matrem, digni & immaculati filij.* Septimo, Andreas Cretens. ſermo. de aſſumptione multa habet ſimilia, & Euthy. ſerm. de Zona Virginis. Octauo præcipuè notari ſolent verba Anſelmi lib. de conceptu Virginali, c. 18. *decuit Virginem ea puritate nitere, qua maior ſub Deo nequit intelligi,* cum ergo maior ſit puritas, quæ carentiam peccati originalis includit, & hæc merito dici poſsit eſſe ſub Deo; quando quidem non ex propria vi, & natura, ſed per gratiam Chriſti habetur, hęc puritas ſine dubio decuit Dei matrem. Vnde D.

Andreas Apoſt. Abdias. 7. Synod. Con. Franfort. Ephrem, Origen. And. Cretens. Euthy. Anſelm.

A Thom. in primo d. 44. q. vnica, art. 3. ad, 3. exponens hoc Anſelmi teſtimonium, dicit, beatam Virginem habuiſſe tantam puritatem, vt ab actuali, & originali peccato fuerit immunis. Nono, Theodoret. lib. 3. in cant. circa illa verba, *ſexaginta ſunt reginæ, ſanctiſsimam, & immaculatiſsimam Dei genitricem Mariam,* appellat, & infra inquit. *Inter tot animas omnium hominum qui ſaluantur, vt electa columba, eſt vna illa ſola, quæ Chriſtū genuit Virgo mater, puella Maria, quæ purita te profecto Cherubim, & ſeraphim antecellit.* Decimo, Fulbertus Carnotens (vt Caniſ. refert, lib. 1 c. 7.) ſic Virginem ſalutat, *Aue Maria electa, quæ immaculata ſemper extitiſti ab exordio tuæ creationis, quia paritura eras creatorem totius ſanctitatis.* Citatur etiam S. Dominic tract. de corpore Chriſti, qui eodem modo de perpetua ſanctitate, & puritate Virginis loquitur, & Greg. Neocęſariens, in expoſitione ſalutationis angelicę, dicens, *ſolam Virginem fuiſſe ſanctam & prorſus impollutam corpore & ſpiritu.* Et Anſelm. in lib. de exordio humanę ſalutis & Richard. Victorin. ſerm. de immaculata Virginis cōceptione. itē in ſermonibus de aſſumptione, quæ ſub nominibus Hieron. & Aug. feruntur, & frequentiſsime apud Patres huiuſmodi locutiones reperiuntur. Denique Chryſip. Ieroſolymi. presbyter in ſer. de S. Maria. Aue, inquit, *ſolis ortus, qui nullum ferre poteſt occaſum.*

D. Thom. Teodoret. Fulbert. Carnot. Canis. Dominic. Greg. Neocæſar. Anſelm. Richard. Vict. Chryſip. Ieroſolym.

Quarto principaliter vti poſſumus illis patrum teſtimonijs, quibus docent omne gratię beneficium alijs collatum, perfectiori modo datum eſſe virgini, vt ſupra late retulimus. Vnum enim ex præcipuis beneficijs diuinis eſt creatio in gratia, & perpetua innocentia. De quā ratione pluta infra dicam. Nunc notanda ſunt verba Hippolyt. orat. de ſanctificat. *Qui dixit honora patrem, & matrem, vt decretum a ſe promulgatum obſeruaret, omnem gratiam matri, & honorem impendit.*

Hippolyt.

Quinto confirmati hoc nō immerito poteſt ex Patribus aſſerentibus, per beatam Virginem deſtructum eſſe originale peccatum, & dæmonis imperium. Neq; enim originali culpę ſubdi oportuit, illam per quam peccatum ipſum expellendum erat. Id autem multis docet Cyril. illa homil. 6. in Concil. Epheſi. & Irenæ, lib. 3. contra hęreſ. c. 33. vbi dicit beatam Virginem, *ſibi, & vniuerſo generi humano factam eſſe ſalutis cauſam.*

Cyrill. Irenæ.

Auguſt. ſam. & Aug. ſerm. 35. de ſanctis, *Hæc primæ*, inquit, *matris damna reſoluit auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria.* Et ad eundē modum loquitur Epiphan. hæreſ. 78. Et Andreas Creten. orat. de dormitione Dei par. *ſola*, inquit, *præter naturam fuit electa ad naturam renouandam, ſola deſeruit opifici vniuerſæ naturæ.* Laurentius etiam Iuſtini. de connub. Verbi, & animę. c. 9. propter hanc cauſam vocat Virginem, *interemptricem peccati.* Similia habet Innoc. 3. ſer. 2. de aſſumpt. & S. Brun. ſerm. de natiui. Marię accommodans illud Iob. 40. *nunquid illudes ei, aut ligabis eum ancillis tuis*, dicit Virginem eſſe, *cui dominus ligauit Leuiatan.* Denique Heſychius cōcione. 2. de bea. Vir. Tō. 7. bibliot. ſanct. inter alia vocat eam, *præclarum noſtræ naturæ ornamentum, gloriam luti noſtri, quæ Euam pudore, Adamum commiſeratione liberauit, audaciam dæmonis contriuit, quam concupiſcentiæ fumus non attigit, neque vermis voluptatis læſit.* Optima etiam ſunt verba Anſel. lib. de excellent. Vir c. 9. quę infra iterum referemus.

Epiphan. And. Cretenſ. *Innocen. 3 S. Brund.* *Iob. 40.* *Iſichius.* *Anſelm.* B

Reſpōſio. ad teſtimonia Patrū in oppoſitū

Sexto, quæ citantur incontrarium, partim nobis fauēt, partim facile exponi poſſunt: pauca vero contradicunt. Primo enim generales ſanctorum locutiones eundem ſenſum habent, quem ſimiles ſcripturę, & conciliorum, eandem enim fidē docent. Vnde non excludunt Virginis priuilegia, cūm verō ſolum Chriſtū excipiunt, intelligunt ſolum eum ex vi ſuę conceptionis fuiſſe ſanctum adeum modum, quo ſacra ſcriptura de Deo dicit, *ſolus habet immortalitatem nemo bonus, niſi ſolus Deus*, ſcilicet â ſe, & de ſe. Illis enim loquendi modis non excluditur omnis accidentalis participatio, ſeu communicatio per gratiam, vt recte dixit Ambro. lib. 3. de fide ad Gratian. c. 2. Hāc vero interpretationem prædictis Patrum locutionibus neceſſario adhibendam eſſe, conſtat. Quia non ſolum de originali, ſed etiam de actuali peccato loquuntur, vt patet apud Aug. lib. 5. contra Iulian. c. 9. & eodem modo dixit Clemens Alexand. lib. 1 Pedag. c. 2 *proprium eſt ſe Dei, nihil omnino peccare.* Et Nazi. orat. 4 5. *viri ſimul*, dicit, *eum vitæ ſtatum, qui omni prorſus peccato vacat Deum ſupra humanæ naturæ modum conſtituiſſe.* & in multis ex ſupra citatis idem facile animaduerti poteſt.

Ambroſ. *Auguſ. Clemens Ale. Greg. Nazien.* C

In ſecundo ordine citatur primo Aug. qui ſolum dicit carnem Virginis fuiſſe, *carnem peccati.* Quod verum eſt, non quia illa caro aliquādo fuit ſubdita peccato aut informata anima carēte gratia: ſed quia fuit mortalis, & paſsibilis ex debito peccati, cui de ſe erat obnoxia, ſi per Chriſti gratiam non fuiſſet præſeruata: Chriſti autē caro ſolum fuit, *in ſimilitudinem carnis peccati.* Quia has pœnalitates non contraxit ex peccato, ſed illas aſſumpſit, vt nos peccato liberaret. Et idem fere ſenſus eſt ſecundi teſtimonij eiuſdem Auguſt. quanquam ibi non dicit ſimpliciter Virginem mortuā fuiſſe propter peccatum, vt in argumento citatur, ſed cum addito, ſcilicet propter peccatum Adę. Ambroſius verō, qui tertio loco ponitur, eundem ſenſum patitur, quanquam re vera non dicat, pro vt refertur, carnem Chriſti, in matre fuiſſe obnoxiam peccato, ſed in parētibus, v. g. in Adamo, & alijs. Obſeruandum vero eſt carnem Chriſti quę proprie ſignificat corpus, vel humanitatem eius, non poſſe dici obnoxiam peccato, neque in ſe, neque in matre, neque in parentibus, quia ab illis non per ſeminalem rationem deſcendit, ſed altiori modo. Vnde ſolum materialiter, vel (vt Auguſt. loquitur) *ſecundum corpulentam ſubſtantiam in illis continebatur*, ſolum ergo dixit Ambroſ. carnē Chriſti, pro vt fuit in parentibus: ſeu potius ipſam carnem parentum, in qua caro Chriſti aliquo modo continebatur, fuiſſe peccato obnoxiam. Quarto vero, Euſeb. Emiſen. non magis fideliter refertur. Nō enim abſolute dicit neminem caruiſſe originali peccato, neque etiam Virginem. Sed verba eius ſunt. *Per ſe neque ipſa Deipara immunis fuit.* Quod eſt veriſsimum: ſolus enim Chriſtus per ſe, & vi ſua immunis fuit. Dum vero hic autor addit particulam, *per ſe*, ſatis indicat per Chriſtum Virginē fuiſſe immunem. Quintus qui adducitur, eſt Anſelm. qui non ſolum de conceptione, ſed etiam de natiuitate loquitur, & ideo eius verba in omni ſententia expoſitione indigent. Deinde illa verba non ſunt Anſelmi, ſed Boſij, qui ad Anſelmum veluta liquid obijciens loquitur. Cui Anſelmus nihil reſpondet, præter quam. Virginem, *ab omni labe fuiſſe mundatam*, ideſt, præſeruatam, vt commode exponi poteſt, ex doctrina eiuſdem Anſel lib. de cōceptu Virginali. c. 7. vbi dicit eum, qui ex ſemine, & cum libidine conceptus eſt, hoc ipſo dici poſſe

Anſelm.

posse in peccatis conceptum, quia inde habet necessitatem contrahendi peccatum, & quia ipse per se non potest habere iustitiam, quam deseruit in Adamo. Non ergo requirit ex vi illius locutionis peccatum re ipsa contractum, aut carentiam iustitiæ sed necessitatem contrahendi peccatum, & indigentiam gratiæ Christi, vt ca. 8. explicat. Quid autem ipse de Virgine senserit, alijs locis satis explicuit, quę in superioribus retuli. Sextus erat Bernardin. Senens. qui aperte præmittit se velle ab hac quæstione abstinere, & ideo nihil in particulari dicit, sed generalibus vtitur verbis. Sanctus autem Vincent. qui septimo loco ponitur, nostram potius cõfirmat sententiam, vt ostensum est.

Alia testimonia, quæ in tertio ordine referuntur, optime, & proprie de præseruatione intelliguntur, vt ipse etiam Caie. fatsus est. Oportet enim in hominis generatione duo distinguere, primum est ipsa conceptio seminis, quæ merito, *immunda* vocatur a Patribus, & *subdita peccati*, quia fit cum libidine, & concupiscentia, & alijs imperfectionibus ex peccato contractis, & quia de se est veluti origo originalis culpæ. Alterum est corporis animatio, quæ est propria conceptio, de qua nũc agimus & hæc, quanquam de se possit dici peccato obnoxia, tamen, si coniunctam habeat sanctificationem, non proprie dicitur immunda, quia per ipsam sanctificationem mundatur, dicitur autem hęc sanctificatio proprie, *mundatio, & purgatio*, (quanuis sit etiam præseruatio) quia non solum habet pro termino, à quo simplicem negationẽ sanctitatis: sed etiam culpã, non quæ præcessit: sed quę futura necessario esset, nisi gratia præueniret. Propter hanc ergo causam, dicunt sancti Virginem fuisse, *purgatam, & mundatam*, quanquam Nazian. non sine mysterio, *præ purgatam* dixerit.

Ex Patribus, qui vltimo loco referuntur, Gerardum videre non potui, neque Antonium Paduanum, nam in concionibus eius, quæ circunferuntur, nihil huius modi reperitur. Rupertum verò fateor illius fuisse sententiæ, & eius æqualem Bernardum, cuius ætate cæpit festum conceptionis celebrari: priuatim tamen, & sine pontificia autoritate, propter quod (vt ipse expresse dicit) timuit ad illam sententiã accedere. Vnde si nunc viueret, & presentis Ecclesię faciẽ videret, & Romanorum Pontificum autoritatem impense fauentem huic sententię, dubium non est, quin illam veneraretur. Idemque existimandũ est de D. Tho. qui tantum Ecclesiæ autoritati, & consuetudini vbique defert, vt prę ferendam dicat cuiuscunque doctoris sancti autoritati, vt videre est. 22. q. 10. artic. 12. & hac. 3. p. q. 68. art. 10. *D. Thom.*

Vltimo loco rationibus confirmanda est nostra sententia ex rei decentia, & sapientissima Dei prouidẽtia sumptis. Vt enim dixit Aug. lib. 3. de lib. arbi. c. 5. *quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, id scias fecisse Deum*. Quod tunc maxime verũ est, quãdo contrarium aliquo modo incõgruum, aut Deum minime decens apparet. Prima ergo ratio sumitur ex parte Christi Dei hominis, quatenus verus est filius Virginis. Decebat enim Deum puritatis, & sanctitatis amatorem talem sibi, formare matrem, quæ omnino esset pura & sancta, & ab omni peccato aliena. Ad quod maxime confirmandum valent omnia, quibus, D. Tho. art. 4. probat in Virgine nullum fuisse actuale peccatum, & quę citat ex secunda ad Corint. 6. *quæ conuentio lucis ad tenebras*. & Prouerb. 17. *Gloria filiorum patres eorum*, & Sapientiæ primo, *in maleuolam animam non introibit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis*, & Cant. 4. *tota pulchra es amica mea & macula non est in te*. Maior enim macula est originale peccatum, quam aliquod actuale, & magis facit subditum demoni. Confirm. si quis nobilitatis auidus, & honoris posset sibi condere, & eligere parẽtes, sine dubio eligeret, quãtum posset, omni ex parte nobiles ergo. Dices forte, hoc tantum probare de eo tẽpore, quo Beata Virgo concepit filium, quia tunc oportuit, vt esset omnino pura. Tamen hoc falsum est, vt ex supra dictis constat. Aliàs ex hoc principio non posset probari, toto tempore vitæ ante conceptionem filij, fuisse præseruatam ab omni peccato veniali, & motu concupiscentiæ: & habuisse alia priuilegia gratiæ. Ad dignitatem ergo filij non tantum pertinet puritas matris eo tempore quo illum cõcepit: sed simpliciter toto vitæ tempore. Quod ita declaratur. Nam eo tempore, quo Beata Virgo concepta fuit, iam existebat persona illa, quę eam sibi condebat, & prępa-

Quartum fundamentum ex ratione, Auguſt.

Prima ratio.

D. Thom. 2. Cori. 6

Prou. 17. Sap. 1. Cantic. 4.

Obiectio.

Responsio

rabat in matrem: ergo ad prouidentiã eius & sapiẽ

& sapientiam pertinuit, ex tunc illam prę A uenire, & purissimam custodire. Vt si filius Regis aliquam fœminam in suam spõsam educaret, omnem adhiberet curam, vt summa semper honestate, & nobilitate viueret. Et confirmatur tandem hæc ratio ex similitudine, quam esse oportuit inter filium, & matrem, præsertim in moribus, & gratia, & animæ, ac corporis puritate. Decuit ergo, vt in carentia originalis peccati essent similes, licet non ęquales, est enim originale peccatum, *habitus dissimilitudinis ad Deum, homini ingenitus*, vt Diony. loquitur, c.2. de Ecclesias. Hierarch. huiusmodi habitum per baptismum expelli dicẽs, & per gratiæ infusionem, quæ hominem facit similem Deo, non ergo decuit huiusmodi habitum vel vno momento esse in Virgine, quam oportuit filio esse simillimam, cum illi data sit veluti, *in adiutorium simile sibi*.. Vnde Augu. lib. de assumptione Virg. c.5. simili cõiectura vtitur, vt ostendat carnem Virginis non vidisse corruptionem, quia nec illam Christi caro vidit.

Dionys.

August.

Dici potest, totam hanc rationem præcise consideratam recte procedere, si aliunde priuilegium hoc non esset, contra dignitatem Christi, vt est vniuersalis redemptor. Propter hoc adiungitur. Secũda ratio nam hoc ipsum priuilegium Virgini cõcessum maxime redundat in gloriam Christi, vt redemptor est, & hanc eandem dignitatem non parum illustrat, ergo ex parte ipsius Christi nihil est, quod ad hanc veritatem credendam non inducat. Antecedens patet, quia vt supra dictum est, ex Diony. c.8. de diuin, nom. circa finem, & August. circa id Psal. 85. *eruisti animam meam ex inferno inferiori*. Duplex est redimendi modus, vnus erigẽdo lapsum, alter preueniẽdo iã iã lapsurũ, ne cadat, iuxta illud Psal. 143, *Redimisti seruum tuum degladio maligno*, idest, custodisti, ne interficeretur. Ex his autem posterior modus est sine dubio opus maioris gratię, & beneuolentiæ, & cęteris paribus maioris efficaciæ, ac potestatis, ergo decuit, vt Christus matrem suam nobilissimo modo redimeret. Pręsertim, quia ad gloriam Christi pertinuit vterque redemptionis modus. Neq; enim aliquis ita erit impius, vt neget, merita eius potuisse ad vtrunque sufficere, cûm sint infinita, & multo efficaciora ad influendã gratiam, quam peccatum Adæ ad culpam. Si autem fuerunt illa merita efficacia ad hũc effectum, oportuit sanè in aliquo manifestari, ergo maxime in matre eius. & vnicè, ac singulariter in illa, tum propter singularem cum Christo coniunctionem: tum quia proprio, ac singulari modo ad redẽptionem cooperata est, illius pretiũ de sanguinibus suis quodammodo conferendo, quatenus ex illis caro Cbristi formata est. Propter quod, quanuis Christus hominũ sit salus: tamen Beata Virgo singulari modo eum vocat *salutare suum*, Luc. primo. Quod bene confirmant verba sancti Bernardini senens. serm. 51. c 3. dicentis, Christum dominũ magis venisse in carne mortali pro beata Virgine redimenda:, quam pro omnibus hominibus, etiam si omnes simul cum illa conferantur, & propter hanc causam illam vocat *primogenitam redẽptoris*, & in hãc sententiam refert glossam in id Cant. 4. *vulnerasti cor meum soror mea sponsa*.

2. Ratio.

Diony.

August.

Duplex modus redemptionis.

Psal. 143

Merita Christ in Virgine redimenda qualiter cluxerint.

Luc.

Bernardi. Senens.

Gloss.

Cant. 4.

Tertia ratio ex muneribus Virginis colligi potest. Dat enim Deus vnicuique gratiam eo tempore, modo, & perfectione quo secundum rectam, & prudentem rationem maxime congruit fini, dignitati, & officio, in quo ab ipso Deo constituitur, vt disputat. prima Sect. secunda explicatum est: sed prima dignitas Virginis fuit, esse matrẽ Dei, quo titulo illi debetur maximus amor, & honor, & cũ hac coniuncta est alia, scilicet singulari modo cooperari redemptioni: cui fini nihil potest magis esse contrarium, quam peccatum. Et ex his sequitur tertia scilicet, vt singulari modo sit domina omniũ, & regina Angelorum. Nam (vt recte dixit Ansel) *sicut Deus omnia creando pater est, & dominus omnium: ita beata Virgo suis meritis cuncta reparando mater est & domina rerum*, non decebat autem dominam esse inferiorem seruis, scilicet sanctis angelis in perpetua sanctitate, & vitæ innocentia ac puritate.

Tertia ratio,

Dignitas matris Dei quanta.

Anselm.

Et hinc concluditur quarta ratio in quodã principio supra posito fundata. Quia nullum gratiæ beneficium alicui purę creaturę collatum Virgini negatũ est: sed creari in gratia est magnum gratię beneficium quod Adę, & Euæ collatum est, & perfecta innocentia excludens omnem culpam communicata est angelis, ergo vtrunque multo perfectius concessum est Virgini.

Quarta ratio.

Nec

Nec refert, quod gratia præseruans à peccato statim contrahendo nulli concessa sit tũ quia hinc fit Virginẽ magis indiguisse hoc beneficio, quã cæteros, ideoque potiori iure atque ratione illi fuisse tribuẽdũ tũ etiam, quia nihil mirum est, quod aliquid maius matri, quàm cæteris concedatur.

Quintara tio. Quinta ratio sit. Quia Christus dispensauit cum matre in alijs legibus, vt in lege fomitis, in illa, *In dolore paries filios*, & in illa, *In puluerem reuerteris*, ergo multo magis oportuit, vt in hac lege cum illa dispensaret, qua omnes nascimur *filij iræ*, Quia nõ est minus potens ad dispensandum in hac, quam in cæteris, neque erat minor causa dispensandi, sed maior, cùm ad honorem matris, & filij hoc magis necessarium sit, quàm reliqua. Vnde non est mirum, quod dispensatio singularis sit, quando quidem causa vnica est, & singularis, sicut etiam caruisse dolore in partu, & Paulo post mortem resurgere ad perpetuam gloriã corporis: ac denique carere omni inordinato motu fomitis propria, & singularia priuilegia sunt ipsius Virginis. Vt etiam Bernard. notauit dicta Epist 174. Ex quibus etiam veluti inductione quadam concluditur, mysteria gratiæ, quæ Deus in Virgine operatus est, non esse ordinarijs legibus metienda, sed diuina omnipotentia, supposita rei decentia, absque vlla scripturarum contradictione, aut repugnantia.

Priuilegia Virginis singularia.

Bernard

Sexta ratio confirmat precedentẽ Quia sicut maius malum est originale peccatum quam corruptio carnis, vel similes defectus: ita præseruatio ab hac culpa erat bonum magis necessarium, magisque decẽs matrem Dei, quam cætera omnia, cur ergo Deus, qui alia concessit hoc negaret, cum neque ad Christi dignitatem pertineat, neque expediat, sic enim Augus. lib. de assumptione c. 4. & 10. quanquam autoritate non cogeretur, propter solã vim rationum dixit, sentire se non posse carnẽ Virginis vermibus, & corruptioni fuisse traditam. Et si doctores catholici, qui de perpetua Virginitate Beatæ Virginis disputant, prudenter dicunt, quanquam nulla esset autoritas, rationibus satis posse cõuinci, cur non simili ratione sentiemus animam Virginis, nunquam fuisse aut dæmoni subiectam, aut peccati macula infectam? Quæ ratio ita commode explicari, & ponderari potest. Nam si beatæ Virgini daretur optio, quid potius vellet carere à principio originali culpa, an corpus suum post mortem illæsum seruari, sine dubio illud primum eligeret. Imo addit Cordub. lib. primo quæst. Theologic. q. 49. ad finẽ, potius eligere debuisse carere originali peccato, quam esse matrem Dei. Quia si hæc precise comparentur, magis est detestanda culpa, quàm quodlibet aliud malũ, seu quám carentia cuiuscunque boni: ergo eadem ratione sapientissimus Deus, & filius Virginis multo magis existimandus est, hoc malo illam liberasse, quam reliquis. Nec verisimile est subleuando Virginem ad tam excellens bonum, tantũ tanque indecens malum in illa permisisse.

Cordub

Septima ratio. Septima ratio præcedentem declarat, & confirmat. Quia Deus non permittit aliquod malum nisi propter aliquod maius bonum, vt docet Dionys. ca. 4. de diuin. nominib & Aug. sæpe, qui ex infinita Dei bonitate, sapientia, & potentia, id euidenter colligit, sed permittere in virgine hũc lapsum, nec per se amabile est, nec vllum adfert bonum, sed potius multa bona iam explicata impediret. Dicet fortasse aliquis non esse hanc nouam permissionem præter eam, qua Deus permisit lapsum Adæ. Sed hoc non recte dicitur. Quia diuina prouidentia, quæ ad omnia particularia descendit non tantum generatim, & confuse: sed etiam in indiuiduo, & sigillatim omnia disponit, vel permittit, & in singulis momentis omnium curam habet, & præsertim existimandum est, prouidentiã val de specialem habuisse erga matrem suam, seu in illa condenda, & disponenda, non ergo est verisimile absque magna causa, & necessitate permisisse vt peccatum originale contraheret. Dicet aliquis potuisse hoc permitti ad maiorem Virginis humilitatem. Sed si hęc ratio esset valida, potius veniale, quam originale peccatum permittendum fuisset. Quia quo illud magis voluntarium est, eo magis ad humilitatẽ conferre potest, Deinde, illa ratio ad vtrunq; est inefficax. Quia perfectior modus obtinendi, seu exercendi humilitatẽ est, quãdo id fit ex perfecto lumine, & cognitione, quàm si fiat ex alicuius mali experientia. Quod humilitatis genus perfectissimum in Christo fuit, & illum beatissima Virgo imitata est, & ideo nõ indiguit pec-

Septima ratio.

Dionys, Augus.

Obiectio.

Respõsio.

Obiectio

Respõsio.

cato

Octaua ratio.

cato, propter humilitatis perfectionem.

Octaua ratio potest ex effectibus colligi, duplices enim sunt effectus originalis peccati, alij culpam includunt, vel ad illam inclinant, vel indecentiam quandam, ex illa contractam continent, alij sunt mere pęnales absque vlla indecentia. Priores non fuerunt in Virgine, & ideo caruit omni culpa actuali, inordinatoque motu etiam primo primo, & corpus eius propter eãdem causam non fuit in cineres redactum. Si ergo hi effectus propter solam indecentiam, seu habitudinem ad culpam non fuerunt in Virgine, multo minus fuit ipsa culpa. Et ideo dixit Augustinus supra, hos effectus præsertim fomitis, & actualis culpę habere infallibilem connexionem cum originali culpa. Alij vero effectus, cum nihil indecens, sed solam pœnam afferant, permanserunt in Virgine, quia & ad conseruandam fidem, & ad meriti augmentum, & ad maiorem cum Christo similitudinem conferunt, vt late Damascen. tractat duabus orationib. de assumptione. Neque ex his effectibus colligi potest originalis culpa, quæ actu præcesserit. Quia sicut remisso nobis originali peccato relinquuntur hæ pœnæ propter supra dictas causas: ita præseruata Virgine ab originali culpa, nõ fuit necessarium hos effectus impediri, nec decuit, vt dictum est.

Augustin. Qui nã effectus originalis culpæ fuerunt in Virgine

Damascen.

Nona ratio

Nona sumitur ex simili, nam Ioãnes Baptista propter munus præcursoris, Christi q; præsentiam fuit sanctificatus in vtero matris, sed matris dignitas infinite superat dignitatem præcursoris, & coniunctio Virginis cum Christo, & præsentia Christi in Virgine est longe altioris ordinis, & rationis, vt indicauit Angelus illo singulari Verbo, *Dominus tecum*, ergo debuit beata Virgo sanctificari non solum in vtero matris, sed etiam â principio suæ conceptionis, vt non solum in quantitate gratię, vel aliquali temporis acceleratione, sed etiam in priuilegio veluti alterius rationis, superaret.

Decima ratio.

Decima ex alijs diuinæ gratię effectibus quos Deus in ordine ad incarnationem diuini Verbi operatus est. Nam vt pararet viam Christo, ante multa tempora quosdam homines singulariter elegit, eisque abundantem gratiam contulit, vel vt essent quasi ex primarijs Christi progenitoribus, quibus fieret peculiaris Christi promissio, vel vt Christi mysterium singulari reuelatione cognitum alijs predicarent, & propter hanc etiam causam peculiarem populum elegit, & sanctificauit magnisque donis, & beneficijs affecit, vt ex illo Christus nasceretur. Qui ergo credibile est, moram aliquam prætendisse Deum in sanctificanda, & pręparanda ipsamet matre, ex qua proxime, & immediate carnem erat sumpturus, & non potius statim â principio conceptionis domum suam sanctificasse. Pręsertim cum aduersarij fateantur, vel eadem die, vel eadem hora, vel etiam immediate post primum instans hoc factum esse, & Spiritus Sanctus eadem facilitate potuerit in ipso primo momento gratiam infundere, & hoc sit magis cõsentaneum fini huius operis, vt declaratum est.

Vndecima ratio.

Vndecimam rationem addere possumus ex parte aliorum hominum sumptã. Multum enim ad gloriam hominum, & ad cõplementum beneficiorum Dei erga illos spectat, vt non solum quædam natura humana in Christo, sed etiam aliqua creata persona humana fuerit perpetuo innocẽs & nunquam subdita dæmoni. Addo etiã, ad quandam consummatam diuinorum operum ac regni cælestis perfectionẽ hoc pertinere, tum ob maiestatem, & dignitatem reginę: tum etiam, vt omnes modi gratiarum, & misericordiarum Dei in illo resplendeant.

Duodecima ratio.

Duodecimo ita concludere possumus. Quia Theologi ad persuadẽdum fuisse in Virgine, alias perfectiones, non vtuntur efficacioribus rationibus, quam huiusmodi, quæ in decentia rei nituntur, & eas putant esse efficaces, quia debuit beata Virgo esse idonea Dei mater. Cur ergo in prę senti materia non existimabimus eas efficaces, aut certe efficaciores? cũm carentia peccati originalis, quæ suo modo substantiã vitæ spiritualis attingit, magis ad idoneã dispositionem matris Dei pertineat, quã aliæ perfectiones, quę licet decentes sint, per se tamen, & formaliter sanctitatẽ nõ augẽt, nec minuunt, vt sunt Virginitatis integritas in partu, carnis incorruptio, carẽtia omnis inordinati motus &c. Et augetur vis huius rationis, quia si eis nõ obstantibus negatur hoc priuilegiũ esse Virgini cõcessum, debilitãtur plane rationes omnes, quibus similes gratias aut de Virgine, aut de ipso Christo persuadere solemus

mus. Quod si dicatur alias gratias semper niti maiori aliqua autoritate: in primis existimamus nō ita esse, si attēte, quæ dixi mus pōderentur, & maxime si tēpora di stinguantur, consideretur que ętas illa, in qua, v. g. resurrectio, & assumptio beatę Virginis prędicari cæpit. Deinde (quid quid de autoritate sit) nunc de illa nō agi mus, sed de rationū pondere, & efficacia.

13. ratio.

Vltimo prudentem, & quasi practicā rationem ita conficio. Nam Ecclesia sua autoritate nobis concedit facultatem ita interpretandi scripturas, vt Virginē sub peccato re ipsa contracto non comprehē dant, & non solum dat nobis licentiā be ne, & digne sentiendi de puritate, & sanctitate Virginis, sed etiam nos inuitat, & concessis indulgentijs inducit: quis ergo potest recta ratione aliter de Virgine sen tire? cum pręsertim recta ratio, & pietas postulet, vt quam possimus, optimam exi stimationē de illa habeamus. Et vnusquis B que ita esse debeat erga illam animatus, & affectus, vt si in eius arbitrio, & potestate situm esset, hanc gratiam, & priuilegiū illi concedere non dubitaret. Ergo saltem in iudicio ferendo, quod nobis concessum est, euidenti ratione conuincimur, vt in illius fauorem inclinemur.

Responsio ad argumēta in oppositum.

Virgo non est simpliciter in se spiritualiter mortua,

Tandem hoc idem suadent solutiones rationum contrariæ sententiæ, quæ ex dictis colligi facile possunt. Prima enim, quæ in redemptione fundatur, potius contra rium probat, vt vidimus. Secunda vero fundata in testimonio Pauli, solum probat Virginem fuisse mortuam in Adamo, non vero in se propter speciale priuilegium, loquendo de spirituali morte. Neque enim Caietano concedimus (quidquid ipse contendat) absolute, & simpliciter ita loquendum esse, Virginem fuisse C spiritualiter mortuam, cum absolute nunquam caruerit spirituali vita, nec in se peccatum, & spiritualem mortem contraxerit, cuius contrarium propositione illa, de indiuidua persona prolata, significatur. Secus vero est, si sit sermo cum illo addito, *in Adamo*, sic enim est vera locutio, quia solum significat secundum quid, & in alio fuisse mortuam. Neque refert Paulū simpliciter concluisse, *Ergo omnes mortui sunt* in generali enim locutione facilius hoc permittitur, tum quia est locus priuilegio, tum etiam quia ex contextu, & ex alijs lo

Rom. 5.

cis facilis erat sensus, vt ad Rom. 5. *sicut in Adam omnes moriuntur &c.* Ad tertiam rationē iam dictum est, Christi meritum efficacius esse ad præseruandam matrē, quā fuerit radix infecta ad influendum peccatū. Quarta itē ratio ex effectibus sumpta contrariū probat, vt vidimus. Sexta quæ fundatur in singulari Christi priuilegio, ex præcedentibus sectionibus expedita est, singulare enim priuilegiū Christi est, sanctū esse ex vi conceptionis suę, hoc autē non communicatur Virgini, sed quędā eius participatio, vt declaratum est. Quo loco optime quadrant verba Vlpiani: in lege. Princeps. ff. de legib. dicentis. *Princeps legibus subditus non est. Augusta vero licet sit subdita, princeps tamen eadem priuilegia illi concedit, quæ ipse habet.*

Vlpianus.

Ad quintam vero rationē, quæ aliā quæ stiunculā indicat, scilicet, si beata Virgo fuisset mortua ante Christum, quid futu rū esset. In primis dicitur eandem interrogationē habere locū in omni sententia. Quia ad quæstionem hanc parum refert, quod B. Virgo fuerit a peccato præseruata, vel statim post cōceptionē mundata. Secūdo vero dicitur data hypothesi, probabilius videri, in eo euentu descensuram fuisse in sinum Abrahę, nec visurā fuisse Deū, donec Christus morte sua regni ianuā aperiret, iuxta lagē Dei ordinariā. Ita docent D. Tho. hic art. 1. ad 3. & Alens. 3. p. q. 9. m. 3. art. 2 § 3. alij Doctores in 3 d. 3. Cordub. lib. 1. q. 47 & probatur ex generalibus scripturæ sacræ regulis, adiūcta ratione, quia Adā peccādo sibi, & vniuerso generi humano regni cęlestis ianuā occlusit, & ideo, donec satisfactū esset pro tota natura, nulli omnino patere potuit, C Hęc autem ratio secundum legem communem, & ordinariam procedit.

Si virgo ante Christū esset defuncta, in sinū descendisset Abrahæ.

D. Thom. Alens. Cordub.

Dubitari autē posset, an in illo euentu dispēsaturus esset Deus cū virgine, est enim hoc verisimile, ne Dei mater omnino sancta, & innocēs post absolutā viā, in alio quo inferni loco detineretur, ne statim ad patriā euolaret. Inquā sententiā videtur inclinare Sco. d. 3. q. 1. & Gers. sermone quo dā de incarnatione, & in Parisiēsi schola dicitur esse cōmunis. Aliūde vero nō videtur decere, vt anima aliqua foret perfecte B. & in statu omnino impassibili, antequā Christus pateretur, & anima eius ad illū statū pueniret. Deīde quia cūilla dilatio

Dubium.

Scot. Gerson.

tantum quędam pœna, quę sanctitatis, & amicitię diuinę perfectionem nihil minueret, neq; indecens est, neq; incõgruũ, vt anima Virginis illam sustineret, veluti patienter expectans Christi animam, nolens perfectè beari, donec illa passiones suas finiret. Et hęc posterior sententia sicut communior est: ita & verisimilior, quanquam dicere possimus, sapiẽter prouidisse Deum, ne similis euentus accideret, vt omnia incommoda cessarẽt.

Responsio

A

SECTIO .VI.

Qua certitudine tenendum sit Beatam Virginem fuisse sine peccato conceptam.

Ratio dubitandi est, quia Ecclesia celebrando festum conceptionis, videtur canonizasse, seu autoritate sua declarasse Beatam Virginem fuisse sanctam in ipso conceptionis momento, ergo veliam hoc est de fide, vel saltem tam certum, quàm indubitatum est, Summum Pontificem in canonizatione sanctorum errare non posse.

B

Propter hanc fortasse causam hęretici huius temporis dicunt, esse grauem culpã & errorem contra fidem, festum conceptionis celebrare, vt refert Canis. lib. 1. c. 8 & Pauia lib. 5. defensionis fidei circa finẽ. Aliqui verò catholici, iudicio prorsus cõtrario, putant esse de fide sentẽtiam à nobis supra definitam. Ita sentit Almai. de potestate Ecclesiæ c. 16. Clicthoui autem super Damas. lib. 3 c. 2. dicit contrariam sententiam esse impiam, & contra Ecclesiæ definitionem. Titelman verò Ioan. 2. ait nõ sine impietate pertinaciter defendi. Denique Parisienses in eadem dicuntur esse sententia, propter Concilij Basilien. autoritatem.

Canis. Pauia. Almaih. Clicthou. Titelman.

C

Tertia opinio est, hãc sententiam de immaculata Virginis conceptione, specie tãtum esse piam, & probabilem, re tamen vera falsam, & ita incertam, vt nulla ratione possit Ecclesia illam definire. Ita Caiet. opusc. citato. c. 5. & Canus lib. 4. de locis, c. 4. & lib. 7. c. 3. & lib. 12. c. 11. Fundamentum est, quia Ecclesia, sine Dei reuelatione non potest aliquid definire contra generales canones scripturę, & cõmunionem Patrum sententiam, & expositionẽ.

Caiet. Canus.

Dico tamen primo veritatẽ hanc scilicet Virginẽ esse cõceptam sine peccato originali, posse definiri ab Ecclesia, quando id expedire iudicauerit. Probatur, nam in primis, Ecclesiam posse controuersiam hanc in alterutram partem decidere, aperte supponũt Sixtus quartus, & Pius. V. in suis decretis, & idem senserũt omnes Patres Concilij Basiliens. & docuit expresse Abulens. supra, & tandem Caiet. in fine opusculi negare, nõ audet, sed non potest terminare hanc litem definiendo contrariam sententiam, cum falsa sit, poterit ergo hanc nostram definire. Secundo hoc ita declaratur. Quia hęc veritas est supernaturalis, multum referẽs ad Ecclasiæ vtilitatem, & pietatem, & peruenire res potest ad eũ statum, in quo absque noua, & explicita reuelatione habeat Ecclesia sufficientia motiua ad veritatem hanc definiendam, ex implicita, & tacita Dei reuelatione sibi sufficienter proposita, ergo. Antecedens declaratur, quia sępe Ecclesia sua autoritate, assistẽte sibi spiritu sancto, similes controuersias definiuit, absq; noua reuelatione expressa, vt potest manifestis exemplis ostendi, in quæstione de habitibus infusis, de canonica autoritate aliquorum librorum sacræ scripturæ, de carentia omnis peccati venialis in ipsa met Virgine. Addi etiam potest exemplũ de resurectione eius, de gloriosa assumptione, & de sanctitate natiuitatis eius, ex his enim aliqua iam sunt de fide, alia verò sunt fidei proxima, & nullus dubitat, quin tandem possint definiri. Ad hanc ergo definitionem satis est, vt aliqua supernaturalis veritas in traditione, vel scriptura implicitè contenta sit, vt crescẽte cõmuni consensu Ecclesię, per quã sæpe Spiritus sanctus traditiones explicat, vel scripturam declarat, tandẽ possit Ecclesia definitionem suam adhibere, quæ vim habet cuiusdam reuelationis respectu nostri, propter infallibilem Spiritus sancti assistentiam. Quòd autem hęc veritas huius ordinis sit facile hoc modo declaratur. Quia sępe in scriptura indicata est, vt vidimus: deinde ab antiquissimis Patribus, & (vt creditur) etiam ab Apostolis est tradita, ad hæc vniuersali Ecclesię consensione paulatim recipitur non sine magno animarum fructu, nec sine motione (vt creditur) Spiritus sancti, qui plenitudinem gratiæ Virginis ita esse intelligendam, sensim Ecclesiã docet

Sixtus. 4. Pius. 5. Con. Bas. Abulens. Caiet.

Quid nam necessarium sit, vt quid piam ab Ecclesia definiri possit.

docet. Potest igitur hic Ecclesiæ consensus ita crescere, vt tandem possit Ecclesia absolute, & simpliciter rem definire, neque contraria sententia habet probabile fundamentum.

Dico secundo hactenus nihil esse in hac controuersia ab Ecclesia definitum, ideoque sententiam nostram non esse de fide. *Conc. Trident. Sixt. 4. Pius. V.* Hæc conclusio colligitur ex concilio Trident. Et ex decretis Sixti. IIII. & Pij. V. & constat, quia nulla extat talis definitio. Nam concilium Basilienſe, nec propriam & expressam definitionem edidit, neque illud concilium habet certam, & infallibilem autoritatem. Addo, neque ex festi celebritate colligi posse tantam certitudinẽ, quanta in alicuius sancti canonizatione esse solet, quia ipsemet Pontifex, qui hoc festum approbat, declarat se solum probare sententiam illam vt piam, magisq; probabilem. Quod satis est, vt pie, & sine vllo periculo, possit hoc festum celebrari, quia primario fundatur in sanctitate Virginis, consequenter verò respicit circunstantiam temporis, vt pie creditam. Et idẽ dicendum est de approbatione religionis quę in honorem conceptionis facta est. Alię vero reuelationes supra relatę non satis sunt certę, nec sufficienter propositæ, vt ad certam fidem faciendã sufficiãt.

Dico tertio non posse vere dici impiũ, aut temerarium asserere, Virginem fuisse conceptam in peccato originali, tum quia Pontifices declararunt, non esse peccatũ graue illam opinionem defendere, & tenere, vt patet ex extrauag. Sixti, iiij. & ex motu proprio Pij. V. anni. 1570. Si autẽ illa sententia esset temeraria, vel impia, cũ materia sit valde grauis, peccatũ graue esset eam defendere, tum etiã quia sententia illa habet graues autores, & fundamenta, propter quæ, saltem superioribus temporibus fuit satis probabilis, & nunc etiam vt cunque tolerabilis est, & probabilis. Vbi obseruandum est, falso Medinam hoc loco docere, Ecclesiam, vel Pontifices tradere hanc opinionem esse probabilem, nunquam enim hoc dicunt, sed solum nõ esse erroneam, neque esse peccatum mortale illam asserere. Quod valde diuersum est. Adde, quod in vno tempore est probabile, discursu temporis posse improbabile fieri.

Asserere Virginem fuisse inoriginali peccato conceptam non est temerarium. Sixti. 4. Pius. V.

Dico quarto sententiam asserentẽ beatam Virginem fuisse immunem ab originali culpa, consentaneam magis esse non solum rationi, sed etiam sanctorum Patrum doctrinæ, & Ecclesiæ autoritati, vt ex supra tractatis satis constat. Quo circa iam hoc tempore existimo sententiã hanc tam esse probabilem, quam intra latitudinem opinionis esse potest. Quia reuera Sixtus quartus plurimum illi fauet, cuius decretum concilium Tridenti, approbat, & tota Ecclesia in illam vehementer inclinat, quo fit, vt contraria sententia nullo vel firmo, vel satis apparenti fundamento iam niti possit.

Quãta probabilitas in opinione de immaculata conceptione Virginis.

Vltimo tandem aduerto, ex præcepto Pij. V. non licere, vulgari sermone ad populum de hac cõtrouersia disputare, qua lege non prohibemur veritatem hanc simpliciter docere, confirmare, ac persuadere, sed interdicitur solum disputatio, controuersia, & contentio. Prohibitum etiã est sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne quis alterutram istarum opinionum damnet, vt errorem in fide, aut eius assertores dicat, mortaliter peccare quod intelligendum puto per se, seu ex vi talis assertionis. Nam ratione scandali posset quis interdum peccare, intempestiue tragedias excitando, ex quibus facile generã tur odia, contentiones, & similia incommoda, quæ iuxta debitum caritatis ordinem vitanda sunt.

Decretum. Pij. V.

Ex hac vero Ecclesiæ prohibitione colligit Cast. lib. 1. de iust. hær. pun. c. 8. hæreticum esse cũ, qui pertinaciter asserit alterã ex his sententijs esse de fide, quia huiusmodi homo in fide errat, asserẽdo esse certũ, quod Ecclesia declarat esse incertum. Sed hęc sententia non placet. Quia is nõ errat in ijs, quæ Deus reuelauit, nec Ecclesia dicit esse reuelatũ a Deo, aut esse de fide, hoc esse incertũ. Sed solũ docet ita esse, ex ipsa rerũ euidẽtia, præcipitq; ita doceri ad scandala, atque schismata vitanda: esset ergo ille temerarius, & inobediens, non tamen hæreticus.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrũ per sanctificationẽ fuerit beatæ Virgini fomes totaliter sublatus.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod beata Virgo non fuerit emundata ab infectione fomitis. Sicut enim 1 3 d. 3 q. 1 ar 2. & ibi. dẽ in expo-

sitione primæ partis tex. Et op. 3.c.231.

enim pœna originalis peccati est fomes, qui consistit in inferiorum virium rebellione ad rationem, ita etiam pœna originalis peccati est mors & cæteræ pœnalitates corporales. Sed beata Virgo fuit subiecta huiusmodi pœnalitatibus. Ergo etiam fomes ab ea totaliter remotus non fuit. ¶ 2. Præterea, Secundæ ad Corin. 12. dicitur. Virtus in infirmitate perficitur: & loquitur ibi de infirmitate fomitis, secundum quam patiebatur stimulum carnis. Sed nihil quod pertinet ad perfectionem virtutis, fuit beatæ Virgini subtrahendum. Ergo non fuit beatæ Virgini totaliter subtrahendus fomes. ¶ 3. Præterea, Damasce. dicit, quod in beatam Virginem superuenit Spiritus sanctus purgans eam ante conceptionem filij Dei. Quod non potest intelligi nisi de purgatione à fomite: nam peccatum non fecit, vt Augustin. dicit inli. de Natura, & gratia. Ergo per sanctificationem in vtero non fuit libere mundata à fomite. ¶ Sed contra est, quod dicitur Cantic. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Fomes autem ad maculam pertinet, saltem carnis: ergo in beata Virgine fomes non fuit.

lib. 4 orth. fi. cap. 15.

c.36.to.7.

Respondeo dicendum, quod circa hoc sunt diuersæ opiniones. Quidam enim dixerunt, quòd in ipsa sanctificatione beatæ Virginis, qua fuit sanctificata in vtero, totaliter fuit ei fomes subtractus. Quidam vero dicunt, quod remãsit fomes quantum ad hoc, quod facit difficultatem ad bonum, sublatus tamẽ fuit quantum ad hoc, quod facit pronitatem ad malum. Alij vero dixerũt quod sublatus fuit fomes, inquantum pertinet ad corruptionem personæ, prout impellit ad malum, & difficultatem facit ad bonum: remansit tamen inquantum pertinet ad corruptionem naturæ prout scilicet est causa traducendi originale peccatum in prolem. Alij vero dicunt, quod in prima sanctificatione remansit fomes secundum essentiam, sed ligatus, in ipsa autem conceptione filij Dei fuit totaliter sublatus. ¶ Ad horum autem intellectum oportet considerare quod fomes nihil est aliud, quam inordinata concupiscentia sensibilis appetitus, habitualis tamen, quia actualis concupiscentia est motus peccati. Dicitur autem concupiscentia sensualitatis esse inordinata, inquantum repugnat rationi, quod fit, inquantum inclinat ad malum, vel difficultatem facit in bono. Et ideo ad ipsam rationem fomitis pertinet: quod inclinet ad malum, vel difficultatem faciat in bono. Vnde ponere quod remanserit fomes in beata Virgine non inclinans ad malum, est ponere duo opposita simul. Similiter etiam videtur oppositionem implicare, quod remanserit fomes, inquantum pertinet ad corruptionem naturæ, non autem inquantum pertinet ad corruptionẽ personæ. Nam secundũ Augustin. in libro de Nup. & concupiscentia. libido est, quæ peccatum originale transmittit in prolem. Libido autem importat inordinatam concupiscẽciã, quæ non totaliter subditur rationi. Et ideo si totaliter fomes subtraheretur, inquantum pertinet ad corruptionem personæ, non posset remanere, inquantum pertinet ad corruptionem naturæ ¶ Restat ergo vt dicamus, quòd vel totaliter fomes fuerit ab ea sublatus per primam sanctificationẽ, vel quod si remãserit, quod fuerit ligatus. Posset enim intelligi quod totaliter fuerit sublatus fomes hoc modo, quod præstitũ fuerit beatæ Virgini ex abundantia gratiæ descẽdentis in ipsam, vt talis esset dispositio virium animæ in ipsa, quod inferiores vires nunquam mouerẽtur sine arbitrio rationis, sicut dictum est fuisse in Christo, quem constat peccati fomitẽ nõ habuisse, & sicut fuit in Adam ante peccatum, per originalem iustitiam. Ita

c.24.10.7.

q.15.art.2

quod

quod quantum ad hoc gratia sanctificationis in Virgine habuit vim originalis iustitiæ. Et quamuis hæc positio ad dignitatem Virginis matris pertinere videatur, derogat tamen in aliquo dignitati Christi, absque cuius virtute nullus à prima damnatione liberatur. Et quanuis per fidem Christi, aliqui ante Christi incarnationem sint secundũ spiritum ab illa damnatione liberati: tamen quod secundum carnem aliquis ab illa damnatione liberetur, non videtur fieri debuisse nisi post incarnationẽ eius, in qua primo debuit immunitas damnationis apparere. Et ideo sicut ante immortalitatem carnis Christi resurgentis, nullus adeptus fuit carnis immortalitatem: ita inconueniens esse videtur dicere, quod ante Christi carnem, in qua nullum fuit peccatum, caro Virgini matris eius, vel cuiuscunque alterius, fuerit absque fomite, qui dicitur lex carnis, siue membrorum. Et ideo videtur melius dicendum, quod per sanctificationem in vtero non fuerit sublatus beatæ Virgini fomes secundum essentiam, sed remanserit ligatus, non quidem per actum rationis suæ, sicut in viris sanctis, quia non statim habuit vsum liberi arbitrij, adhuc in ventre matris existens, hoc enim est speciale priuilegium Christi: sed per abundantiam gratiæ, quam in sanctificatione recepit, & etiã perfectius per diuinam prouidentiam sensualitatem eius ob omni inordinato motu prohibentem. Postmodum verò in ipsa conceptione carnis Christi, in qua primo debuit refulgere peccati immunitas, credendum est quod ex prole redundauerit in matrem, totaliter fomite subtracto. Et hoc figuratur Ezech. 43. vbi dicitur: Ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem, id est per Beatam Virginem, & terra, id est: caro ipsius, splendebata maiestate eius, scilicet Christi.

Ad primum ergo dicendum, quod mors & huiusmodi pœnalitates, de se non inclinant ad peccatum. Vnde etiam Christus licet assumpserit huiusmodi pœnalitates, fomitem tamen non assumpsit. Vnde etiam in Beata Virgine, vt Filio conformaretur (de cuius plenitudine gratiam accipiebat) primo quidem fuit ligatus fomes, & postea sublatus, non autem liberata fuit à morte, et alijs huiusmodi pœnalitatibus. ¶ *Ad secundum dicendum, quod infirmitas carnis ad fomitem pertinens, est quidem in sanctis viris perfectæ virtutis occasio, non tamen causa sine qua perfectio haberi non possit. Sufficit autem in Beata Virgine ponere perfectam virtutem ex abundantia gratiæ, nec oportet in ea ponere omnem occasionem perfectionis.*

¶ *Ad tertium dicendum, quod Spiritus sanctus in Beata Virgine duplicem purgationem fecit. Vnam quidem quasi præparatoriam ad Christi conceptionem, quæ non fuit ab aliqua impuritate culpæ vel fomitis: sed mentem eius magis in vnum colligens, & à multitudine sustollens. Nam & Angeli purgari dicuntur, in quibus nulla impuritas inuenitur: vt Diony. dicit. 6. cap. Eccles. hierar. Aliam vero purgationem operatus est in ea Spiritus Sanctus mediante conceptione Christi, quæ est Spiritus sancti opus. Et secundum hoc potest dici, quod purgauit eam totaliter a fomite.* c. 6. par. 3. à medio.

COMMENTARIVS.

REfert, D. Th. quatuor sentẽtias, quarũ postremã eligit, & alias refutat. Prima est, beatę Virgini fuisse sublatũ fomitẽ â principio, quatenus ad malum inclinat, non vero quatenus operationem bonidificilem reddit. Quã sententiã ait D. Tho. repugnantia dicere, quia propria ratio fomitis in hoc consistit, vt inclinet ad malũ & inde est, vt difficultatẽ faciat in bono. Sed responderi posset, nõ esse de ratione fomitis. vt vtrũq; illorum effectũ efficiat, sed habere veluti extẽsionẽ quãdã in obiectis, vel effectibus suis, & ideo posse tolli *Obiectio.*

quoad vnum effectum, & nõ quoad aliũ: præsertim quia non semper difficultas in bono oritur ex propensione ad malum, sed ex natura talis obiecti, vel materiæ, vel ex inclinatione ad aliud connaturale bonum, vt difficultas ieiunij oritur ex naturali appetitu cibi, non inordinata, sed bona. Et sepe opus virtutis fit difficile propter corruptibile corpus, quod lassatur absque inclinatione ad malum. Respõ detur distinguendam esse difficultatem in actu virtutis, quam habet ex se, & ex obiecto, ab illa, quam habere potest ex repugnãtia appetituum, vel habituum operantis, prior non spectat ad fomitem, etiam si interdum oriatur ex mortali corpore, vel ex natura appetitus, cuius actio, vel passio est materia virtutis: vt difficile est pati mortem acerbam, sustinere graue dolorem, potum amarissimum degustare, quæ difficultas etiam in Christo fuit, posterior autem difficultas dupliciter inueniri potest, primo ex deliberatione, & consensu operantis, qui permittit inferiorem appetitum explicare naturalem propensionem in aliquo motu, & hoc etiam non pertinet ad fomitem: cum non sit præter rationis ordinem, neque difficultatẽ augeat, quę in re ipsa est, sed tantum ostẽdat illam. Quomodo se gesit Christus, quando orabat. *Pater si possibile est.* Alio modo potest contingere hæc difficultas ex inordinato motu, & repugnantia appetitus, & hæc proprie pertinet ad fomitem. Quia (vt supra, cum de Christo disputarem, dixi) fomes nihil aliud est, quam quædã inordinatio appetitus veluti proxime dispositi ad operandum præter rationis ordinem. Et quanquam imperfectio fomitis maxime appareat in motibus, quibus ad malum inclinat: tamen etiam si versentur circa bonũ naturę conueniens, hoc ipso, quod rationem præueniunt, & inordinate fiunt, ad fomitem pertinent.

Responsio

peccati fomes quid sit.

Quapropter potentia, quę huiusmodi motus patitur, de se indifferens est, vt tã ad malum, quam ad bonum inclinet, quia non mouetur ab aliquo principio, quod inter bonum, & malum discernat, sed ab obiecto sensibili, quod de se æque mouet etiam si rationi contrarium sit, & ideo recte D. Tho. dixit non posse auferri fomitem, vt difficultatem efficit in bono operando, nisi etiam auferatur, vt inclinat ad malum. Quod potissime verum est, si intrinsecam appetitus dispositionem consideremus, extrinsece enim posset Deus impedire omnem motum fomitis circa mala obiecta, permittendo illum circa bona, id vero solum esset per extrinsecam prouidentiam, vel negando concursum. Sed hic modus est imperfectus, & in Virgine locum non habuit.

Secunda sententia, quam D. Tho. refert, asserebat Virgini sublatum esse fomitem, vt ad personam pertinet: non vero, vt spectat ad corruptionem naturę, & est causa traducendi originale peccatum. Quam sententiam ex parte docuit Alen. 3 p. q. 9. m. 2. art. 1. qui hoc modo opinatur de tempore ante incarnationem. D. Tho. vero existimat esse in illis dictis repugnantiam, quia per libidinem traducitur originale peccatum, teste Augu. lib. 1. de nuptijs. c. 24. & lib. 2. cap. 26. extincto autem fomite quoad personam, tollitur inordinata libido, ergo tollitur ratio traducendi originale peccatum, ergo necessario extinguitur fomes etiam quoad corruptionẽ naturæ. Vnde sentit D. Tho. vtroque modo extinctum fuisse fomitem in Virgine, quando illi ablatus est. Sed difficilis est hęc ratio, & sententia D. Tho. quia fomitem extingui quoad corruptionem naturæ nihil aliud esse videtur, quam personam esse ita dispositam, vt licet filium generet, vel concipiat, in illum non transfundat originale peccatum. Sed hoc modo non necessario tollitur fomes quoad naturam, licet tollatur quoad personam. Nam licet demus ita fuisse extinctum fomitem in Virgine, vt sine vllo inordinato libidinis motu, posset etiam naturali modo cõcipere, sicut fieret in statu innocentiæ, & est probabile, vt docuit Abulens. parado xa prima c. 40. & 41. & Cordu. dicto lib. 1. quæst. 45. quanquam (inquam) hoc demus, nihilominus proles sic concepta per seminalem generationem ex vi conceptionis esset obnoxia originali peccato, tum quia hoc potissimum transfunditur ex vi paterni seminis: tum etiam quia simpliciter trahitur ex peccato Adę per naturalem originem ab illo ductam. Non vero pendet ex sanctitate, aut perfectione proximi parentis, vt late docet. Augustinus. libr. de peccato originali capit. 33. & li. 1. de nuptijs c. 26. & lib 2. c. 27 & ideo

Alenſ.

Per libidinem peccatum originale traducitur.

Auguſt.

Abulenſ.

Cordub.

Auguſt.

& ideo non video, quo modo propriè au A fetri posit fomes in ordine ad naturæ co rruptionem, quantunuis extinguatur in ordine ad personam. Quod satis probabi liter docuit Albert. in 3.d.3.q. 6. negans fuisse extinctum fomitem in Virgine respectu corruptionis naturæ. Quod verũ esse existimo quantum ad communem legem generandi filium in originali peccato, si ex humano semine illũ conciperet, quã quam, quoad proprium sensum inordinatæ concupiscentiæ, quæ proprie nomen fomitis meretur, omnino illi fuerit sublatus, vt dicemus.

Tertia sententia â D. Tho. relata est, in prima sanctificatione fuisse Virgini fomitem extinctum, quæ illi etiam non placet. Quarta, quam eligit est, in prima sanctificatione fuisse ligatum, in secunda verò, id est, in conceptione filij fuisse extinctum. B Sed hęc D. Tho. sententia habet magnam difficultatem, quam statim disputabimus. Solutiones argumentorum non indigent expositione.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum per huiusmodi sanctificationem fuerit consecuta, vt nunquam peccaret.

153 3.d.3.q.2. art.3.& di. 13.q.1.art. 2.q.1. cor. Et, 4.d.6. q.1.a.1.q 2. cor. Et op.3.c.228 & 231. Et opu.7.c.6. prin.col.2. Et opu.60. ca.3. arti.præc. c.12.tom.3 In.q.ex nou.test.q. 73.circa, med.to. 4.

AD quartum sic proceditur. *Videtur, quod per sanctificationem in vtero non fuerit beata Virgo præseruata ab omni peccato actuali. Qua vt dictum est, post primam sanctificationem fomes peccati remansit in Virgine. Motus autem* C *fomitis etiam si rationem præueniat, est peccatum veniale, licet leuissimum: vt Augustinus dicit in lib. de Trinit. Ergo in beata Virgine fuit aliquod peccatum veniale.* ¶ 2. *Præterea. Super illud Lucæ. 2. Tuam ipsius animam pertransibit gladius, dicit Augustinus in quæst. veteris & noui Testamenti, quod Beata Virgo in morte Domini, stupore quodam dubitabit. Sed dubitare de fide, peccatũ est. Ergo beata Virgo nõ fuit præseruata immunis ab omni peccato.* ¶ 3. *Præterea, Chrysost. super Matth. exponens illud, Ecce, mater tua, & fratres tui foris stãt, quærentes te, dicit. Manifestum est, quod solum ex vana gloria hoc faciebant. Et Ioan. 2. super illud, Vinum non habent, dicit idem Chry. quod volebat illis ponere gratiam, & se ipsam clariorem facere per Filium: & fortassis quid humanum patiebatur, quemadmodum & fratres eius dicentes. Manifesta te ipsum mundo. Et post pauca subdit. Nondum enim, quam oportebat, de eo opinionem habebat. Quod totum constat esse peccatum. Ergo Beata Virgo non fuit præseruata immunis ab omni peccato.* ¶ *Sed contra est quod Augustinus dicit in lib. de natura & gratia, De sancta Virgine Maria propter honorem Christi, nullam prorsus cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quod concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

Ho. 45. in Matt. to. 2.

Homi. 20. in Ioa. cir. medi. illus tom. 3.

ca. 36. ante med. to. 7.

Respondeo dicendum, quod illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat & disponit, vt ad id, ad quod eliguntur, inueniantur idonei, secundum illud secundæ ad Corint. 3. Idoneos nos fecit ministros noui Testamenti. Beata autem Virgo fuit electa diuinitus, vt esset mater Dei: & ideo non est dubitandum quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit, secundum quod Angelus ad eam dicit, Inuenisti gratiã apud Deum: ecce concipies, &c. Non autem fuisset idonea mater Dei, si peccasset aliquando: tum quia honor parentum redundat in prolem, secundum illud Prouerb. 17. Gloria filiorum, patres eorum: vnde & per oppositum, ignominia matris ad filium redundasset: tum etiam, quia singularem affinitatem habuit ad Christũ, qui ab ea carnem accepit. dicitur autem secundæ ad Corinth. 6. Quæ conuentio Christi ad Belial? tum etiam, quia singu-

gulari modo Dei filius, qui est Dei sapiẽ tia, in ipsa habitauit: non solum in anima, sed etiam in vtero. Dicitur autem Sap. 1. In maleuolam animam non introibit sapiẽtia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Et ideo simpliciter fatendum est, quod beata Virgo nullũ actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale: vt sic in ea impleatur quod dicitur Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.

Ad primum ergo dicendum, quod in beata Virgine post sanctificationem in vtero remansit quidem fomes peccati, sed ligatus: ne scilicet prorumperet in aliquem motum inordinatum, qui rationem præueniret. Et licet ad hoc operaretur gratia sanctificationis: non tamen ad hoc sufficiebat: alioquin virtute illius gratiæ hoc ei fuisset præstitum, vt nullus motus posset esse in sensualitate eius, nisi ratione præuentus: & sic fomitem non habuisset, quod est contra supradicta. Vnde oportet dicere, quod complementum illius ligationis fuit ex diuina prouidentia, quæ non permittebat aliquem motum inordinatũ ex fomite prouenire. In corp. & arti. præce.

Ad secundum dicendũ, quod illud Verbũ Simeonis, Origenes, & quidam alij doctores exponunt de dolore, quem passa est in Christi passione. Ambro. autem per gladium dicit significari prudentiam Mariæ, non ignaram mysterij cælestis: viuum est enim verbũ Dei & validum, & acutius omni gladio acutissimo. Ho. 18. in Luc. in medio, & deinceps, to. 3. Amb. lib. 2 in Lucæ. in c. cuius tit. est de Simeone, & Anna. to. 5

Quidam verò per gladium dubitationem intelligunt. Quæ tamen non est intelligenda dubitatio infidelitatis, sed admirationis & discussionis. Dicit enim Basilius in Epistola ad Optimum, quod beata Virgo assistens cruci, & aspiciens singula post testimonium Gabrielis, post ineffabilem diuinæ conceptionis notitiam, post indigentem miraculorum ostensionem, animo fluctuabat, ex vna scilicet parte videns eum pati ab iecta, & ex alia parte considerans eius mirifica. A

Ad tertium dicẽdum, quod in verbis illis Chrysostomus excessit. Possunt tamen exponi, vt intelligatur in ea Dominum cohibuisse non inordinatum inanis gloriæ motum quantum ad ipsam, sed id, quod ab alijs posset æstimari.

COMMENTARIVS.

REspondet D. Tho, affirmatiue. Quã conclusionem efficacissime probat in corpore articuli, & adeo clare, vt nulla ex positione indigeat. De quibusdam verò sanctorum testimonijs, quæ in solutionibus argumentorum explicat, dicemus latius in disputatione sequenti. B

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum beata Virgo per huiusmodi sanctificationẽ adepta fuerit plenitudinem omnium gratiarum.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod beata Virgo per sanctificationem in vtero, non obtinuerit gratiæ plenitudinem, siue perfectionem. Hoc enim videtur pertinere ad priuilegium Christi. Secundũ illud Ioan. 1. Vidimus eum quasi vnigenitum à Patre, plenũ gratiæ & veritatis. Sed ea quæ sunt propria C *Christi, nõ sunt alteri attribuẽda. Ergo beata Virgo plenitudinẽ gratiarũ nõ accepit in sanctificatione.* 156 3. dist. 3. q. 1. ar. 2. q. 3. c. & d. 13. q. 1 ar. 2. q. 1. c. Et opus. 8. Et opu. 60. c. 3. co. 2. Et Ioã. 16 co. 3. Et Ro 8. le. 5. co. 1. fi

¶ 2. Præterea. Ei quod est plenũ & perfectũ non restat aliquid addẽdũ: quia perfectum est cui nihil deest: vt dicitur in tertio Physi. Sed beata Virgo postmodũ additionẽ gratiæ suscepit, & quando Christũ cõcepit (dictũ est enim Luc. 1. Spiritus sanctus superueniet in te) & iterum quando in gloria est assumpta. Ergo videtur quod nõ habuerit in sua prima sanctificatione plenitudinẽ gratiarũ. li. 2. tex. 65 & 64. to 1

¶ 3. Præterea, Deus nõ facit aliquid frustra, vt dicitur in 1. de Cælo. Frustra autem habuisset quasdã li 1. tex 32

gra-

& li.2.tex. 59 tom.2. gratias, cùm earum vsum nũquam exercuit: nõ enim legitur aut docuisse, quod est actus sapientiæ: aut miracula fecisse, quod est actus gratiæ gratis datæ. Non igitur habuit plenitudinem gratiarum.

¶ Sed contra est, quod Angelus ad eã dixit Lucæ.1. Aue gratia plena. Quod exponẽs Hiero. in sermone de Assumptione dicit, Bene gratia plena: quia cæteris per partes præstatur, Mariæ verò se totã simul infudit gratiæ plenitudo.

In fol.2.a prin. serm. tom.2.

¶ Respondeo dicendum, quòd quantò aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principij, vnde Dionys. dicit.4.ca.Cœl. hierar. quòd Angeli qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus diuinis, quàm homines. Christus autem est principium gratiæ, secundum diuinitatem quidem autoritatiue, secundum humanitatem verò instrumẽtaliter: vnde & Ioann.1. dicitur, Gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Beata autem virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem: quia ex ea accepit humanam naturã. Et ideo præ cæteris maiorem debuit à Christo gratiæ plenitudinem obtinere.

cap.4. ante medium.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd vnicuique à Deo datur gratia secundũ hoc ad quod eligitur. Et quia Christus, in quantum est homo, ad hoc fuit prædestinatus & electus, vt esset filius Dei, in virtute sanctificãdi, hoc fuit sibi proprium vt haberet talem plenitudinẽ gratiæ, quòd redundaret in omnes: secundũ quod dicitur Ioann.1. De plenitudine eius nos omnes accepimus. Sed beata Virgo Maria tantã gratiæ obtinuit plenitudinem, vt esset propinquissima autori gratiæ: ita quòd eum qui est plenus omni gratia, in se reciperet, & cum pariendo, quodam modo gratiam ad omnes deriuaret.

A ¶ Ad secundum dicendum, quòd in rebus naturalibus, primò quidẽ est perfectio dispositionis, puta cũ materia est perfectè ad formam disposita. Secundò autem est perfectio formæ, quæ est potior, nam & ipse calor est perfectior, qui prouenit ex forma ignis, quàm ille qui ad formam ignis disponebat. Tertiò autem est perfectio finis: sicut ignis perfectissimè habet proprias qualitates, cũ ad locum suum peruenerit. Et similiter in beata Virgine fuit triplex perfectio gratiæ. Prima quidem quasi dispositiua per quã reddebatur idonea ad hoc quòd esset mater Christi: & hæc fuit perfectio sanctificationis. Secunda autem perfe-
B ctio gratiæ fuit in beata Virgine ex præsentia filij Dei in eius vtero incarnati. Tertia autem est perfectio finis, quã habet in gloria. Quòd autem secunda perfectio sit potior quàm prima, & tertia quàm secunda, patet quidem vno modo per liberationem à malo. Nam primò in sua sanctificatione fuit liberata à culpa originali: secundò in conceptione filij Dei, fuit totaliter à fomite mundata: tertiò verò in sui glorificatione, fuit liberata etiã ab omni miseria. Alio modo per ordinem ad bonum. Nam primò, in sua sanctificatione adepta est gratiã inclinantem eam ad bonum: in conce-
C ptione autem filij Dei consumata est eius gratia confirmans eam in bono, in sui verò glorificatione consumata est eius gratia perficiens eam in fruitione omnis boni. ¶ Ad tertium dicendum, quòd nõ est dubitandum, quin beata Virgo acceperit excellenter donum sapientiæ, & gratiam virtutum, & etiam gratiã Prophetiæ: non tamen accepit vt haberet omnes vsus harum, & similium gratiarum, sicut habuit Christus, sed secundũ quod conueniebat conditioni ipsius. Sapientiæ enim vsum habuit in contemplando, secũdum illud Luc.2. Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferẽs in cor-

de suo. Non autem habuit vsum sapientiæ quantum ad docendum: quia hoc nõ conueniebat sexui muliebri: secundum illud 1. ad Thimoth. 2. docere autem mulierĩ non permitto. Miraculorum autem vsus sibi non competebat dum viueret: quia tunc temperis confirmanda erat doctrina Christi miraculis, & ideò soli Christo & eius discipulis, qui erant baiuli doctrinæ Christi, conueniebat miracula facere. Propter quod etiam de Ioanne Baptista dicitur Ioannis. 10. quòd signũ fecit nullum: vt scilicet omnes Christo intenderent. Vsum autem prophetiæ habuit, vt patet in Cantico, quod fecit, Magnificat anima mea Dominum, &c.

COMMENTARIVS.

IN titulo articuli obseruare oportet, sermonem esse de prima Virginis sanctificatione. De qua in tota quæstione est sermo, & in superioribus articulis, in quibus eisdem verbis quæstionem proponit. Vnde huic sensui accommodanda est responsio articuli. Respondet enim D. Thom. præ cæteris habuisse Virginem maiorem gratiæ plenitudinẽ, quia est Christo coniunctior, quàm cæteri. Non explicat autem D. Thom. de qua plenitudine loquatur, intensiua scilicet, vel extensiua, vnde videtur sentire de vtraq; esse intelligendum, & de omni gratiarum genere, quod à Christo vt à primo gratiæ fonte manat. Non est autem intelligendum, habuisse Virginem totam hanc plenitudinẽ in prima sua sanctificatione, quia neque tunc habuit perfectam cum Verbo coniunctionem, sed quia tunc sanctificabatur ad hanc coniunctionem, tunc habuit plenitudinem primæ sanctificationi accommodatam, & quasi in radice, seu in semine, habuit totam plenitudinem gratiæ, quam postea consecuta est.

Solutio ad primum facilis est. In solutione vero ad. 2. & 3. extendit D. Tho. sermonem ad secundam, & tertiam Virginis sanctificationem, & ad alias gratias, quas in discursu vitæ accepit, nonnulla tamẽ docet difficilia, quæ in sequẽti disputatione examinanda erunt.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrùm sic sanctificari fuerit proprium beatæ Virginis.

157. 3. d. 3. q. 1. ar. 2. q. 1. 4 Et quol. 6. q. 5. artic. 1 cor. in fi. Et opu. 3. cap. 131. Et ps. 45. co. 5. Ex art. 3. & 4. huius quæst.

AD sextum sic proceditur. Videtur quòd sanctificari in vtero post Christum proprium fuerit beatæ Virgini. Dictum est enim, quod propter hoc beata Virgo fuit sanctificata in vtero, vt redderetur idonea ad hoc, vt esset mater Dei. Sed hoc est proprium sibi: ergo sola ipsa fuit sanctificata in vtero. ¶ 2. Præterea, Aliqui videntur propinquius accessisse ad Christum, quàm Hieremias, & Ioannes Baptista, qui dicũtur sanctificati in vtero, nam Christus specialiter dicitur filius Dauid, & Abraham propter promissionem eis specialiter factam de Christo. Isaias etiam expressissimè de eo prophetauit: Apostoli etiam cum ipso Christo conuersati sunt: nec tamen legũtur sanctificati in vtero: ergo neque etiam Hieremiæ, & Ioanni Baptistæ conuenit sanctificari in vtero. ¶ 3. Præterea, Iob de se dicit Iob. 31. *Ab infantia creuit mecum miseratio, & de vtero egressa est mecum.* Nec tamen propter hoc dicimus eum sanctificatum in vtero: ergo neque etiam Ioannem Baptistam, & Hieremiã cogimur dicere sanctificatos in vtero. ¶ Sed contra est, quod dicitur de Hieremia, Hiere. 1. *Antequam exires de ventre, sanctificaui te.* Et de Ioanne Baptista dicitur Luc. 1. *Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.*

¶ Respondeo dicendum, quòd Aug. In epistola ad Dardanum, dubiè videtur loqui de horum sanctificatione in vtero. Potuit enim exultatio Ioannis in vtero (vt ipse dicit) esse significatio rei tantæ (scilicet quòd mulier esset mater Dei) à maioribus cognoscendæ, non à paruulo cognitæ: vnde in Euangelio nõ dicitur, credidit infans in vtero, sed exultauit.

Est epis. 57 circ. med. & deinceps to. 2.

Videmus

Videmus autem exultationem non solũ paruulorum, sed etiam pecorum esse: sed hæc inusitata extitit, quia in vtero, & ideò sicut solẽt miracula fieri, facta est diuinitus in infante, non humanitùs ab infante. Quanquam etiam si vsque adeò est in illo puero acceleratus vsus rationis & voluntatis, vt intra viscera materna iam posset agnoscere, credere, cõsentire (ad quod in alijs paruulis ætas expectatur, vt possint) & hoc in miraculis habendũ puto diuinæ potentiæ. Sed quia expressè in Euangelio dicitur, quòd Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ, & de Hieremia expressè dicitur, Antequã exires de vulua, sanctificaui te: asserẽdũ videtur eos sanctificatos in vtero quãuis in vtero vsum liberi arbitrij nõ habuerint. (De quo Aug. quæ ead.epi.dictato.2. *stionẽ mouet) sicut etiã pueri, qui sanctificãtur per Baptismũ, non statim habent vsum liberi arbitrij. Nec est credẽdũ aliquos alios sanctificatos esse in vtero, de quibus Scriptura mẽtionẽ nõ facit, quia huiusmodi priuilegia gratiæ, quæ dãtur aliquibus præter legẽ communem, ordinantur ad vtilitatem aliorum (secundũ illud 1. Cor. 12. Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem) quæ nulla proueniret ex sanctificatione aliquorũ in vtero, nisi Ecclesiæ innotesceret. Et quanuis iudiciorum Dei non possit ratio assignari, quare scilicet huic & non alij hoc munus gratiæ conferat: conueniens tamen videtur fuisse vtrumq; dictorum sanctificari in vtero ad præfigurandam sanctificationem per Christum faciendam. Primò quidem per eius passionem, secũdum illud Hebr. vlti. Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est: quam quidem passionem Hieremias & verbis & mysterijs apertissimè prænunciauit, & suis passionibus expressissimè præfigurauit. Secundo per Baptismũ, primæ ad Cor. 6. Sed abluti estis, sed sanctificati estis. Ad quem quidẽ baptismum Ioannes suo Baptismo homines præparauit.*

Ad primum ergo dicendum, quòd Beata Virgo quæ fuit à Deo electa in matrem, ampliorem sanctificationis gratiã obtinuit, quàm Ioannes Baptista, & Hieremias, qui sunt electi vt speciales præfiguratores sanctificationis Christi. Cuius signum est, quòd Beatæ Virgini præstitum est, vt de cætero non peccaret, nec mortaliter, nec venialiter: aliys autẽ sanctificatis creditur præstitum esse, vt de cætero mortaliter non peccarent, diuina eos gratia protegente. ¶ *Ad secundum dicendum, quòd quantum ad alia potuerunt Sancti esse Christo coniunctiores, quam Hieremias & Ioannes Baptista, qui tamen fuerunt ei coniunctissimi quãtum ad expressam figuram sanctificationis ipsius, vt dictum est.* ¶ *Ad tertium* Incorp.ar. *dicendũ, quòd miseratio, de qua ibi Iob loquitur, non significat virtutem infusam, sed quandam inclinationem naturalem ad actum huius virtutis.*

COMMENTARIVS.

INtentio D. Tho. in hoc articulo fuit disputare, an Ioannes Baptista, & Ieremias fuerint sanctificati in vtero. De qua re disputatione præcedenti, ad demonstrandam Virginis sanctificationem, satis diximus. Addit verò, & merito D. Tho. De nullo alio credendum esse fuisse in vtero sanctificatum. Est enim præter generalem regulã sacræ scripturæ, à qua nullus excipiẽdus est sine eiusdem scripturæ, vel Ecclesiæ sufficienti autoritate. Quod verò hic attigit D. Thom. de Ioanne Baptista, an in vtero matris vsum rationis habuerit, in sequenti disputatione differendum erit.

DISPVTATIO. IIII. in octo sectiones distributa.

De perfectione primæ sanctificationis Beatæ Virginis.

Non

NON agimus de perfectione essentiali, constat enim gratiã sanctificantem Virginis, eiusdem rationis fuisse cum gratia, quę alijs cõmunicatur, vt per se notũ est, & ex ijs, quę de gratia Christi supra dicta sunt facile ostẽdi põt? Disputamus ergo de perfectione veluti accidentaria huius sanctificationis, quæ cõsistere potest, vel in intẽsione, vel in statu talis gratiæ, vel in extẽsione, seu multitudine gratiarum, & virtutũ, vel in effectibus, quos per talem gratiam perficere potuit, vel denique in modo obtinẽdi talem gratiam per proprium actũ, vel dispositionem. De quibus omnibus sigillatim dicemus. Et quanuis hoc loco prę cipuè de prima sanctificatione sermo sit, si quid tamen occurrerit, quod ad reliquũ vitę tempus pertineat, & breuiter expediri possit, breuiter erit quasi per transennam expendendum.

SECTIO. I.

Vtrum Beata Virgo in prima sanctificatione acceperit consumatam gratiam, aut in quo perfectionis gradu.

Gratia Virginis in prima sanctificatione non fuit consumata.

PRimum omnium certum existimo gratiam Virginis in prima sanctificatione non fuisse consumatã. Probatur, quia gratia dicitur esse consumata in statu gloriæ: Beata autem Virgo à principio fuit in statu viatoris, non cõprehensoris. Hoc enim fuit singulare priuilegium animę Christi, vt omnes Theologi docent & meritô. Quia illi soli fuit gloria cõnaturalis ratione vnionis, statũ autem viatoris nõ propter se, sed propter nos habuit: Virgo autẽ per se, & propter se fuit viatrix, vt sibi gloriam mereretur, quam connaturalem non habebat, & ideò, dum fuit in via, non comprehendit. Et confirmatur, quia Beata Virgo per fidem ambulauit iuxta illud, *Beata quæ credidisti*, Luc. 1. non ergo fuit in termino. Et hę rationes probant non solum de prima sanctificatione, seu de primo instanti, sed etiam de toto tempore vitæ mortalis. Primum ante filij conceptionem. Quia non decuit aliquam animam videre Deum ante animam Christi. Deinde ante mortẽ eiusdem Christi, quia non decuit aliquam animam præter animã Christi videre Deũ, ante oblatã satisfactionẽ pro tota natura.

Luc. 1.

De reliquo verò tempore solum probari potest ex ratione viatoris. Probant autem dictæ rationes, Beatam Virginem nõ fuisse simpliciter in termino, quandiu in corpore mortali vixit. An verò interdum in raptu, seu ad breue tempus viderit Deum, dicemus infra.

Secundo hinc sequitur Virginem non accepisse in prima sanctificatione gratiam summè intẽsam, quam habitura erat, quia accepit gratiam viatoris de cuius ratione est, vt possit augeri. Est enim principium merendi, meritum autem est causa augmẽti. *Iustorum enim semita, quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem,* Prouerb. 4. Quæ ratio procedit non solũ de primo instanti, sed de quolibet alio tẽpore vitæ mortalis, quanquam nonnulli negare hoc tentauerint de tempore post conceptionem filij, sed sine vlla probabilitate, vt infra ostendam. *Prou. 4.*

Tertio addo in prima sanctificatione fuisse datam Virgini intensiorem gratiam, quam vlli hominum, vel Angelorũ in sua prima sanctificatione. Si hæc comparatio fieret cum sola prima sanctificatione aliorum infantum, esset clarissima, existimo enim, etiam Ioannem Baptistam, perfectiorem gratiam seu intensiorem accepisse in vtero matris, quàm omnes paruulos, cum sanctificantur, etiam si innocentes martyres includamus. Tum quia de illo dictum est, *Spiritu sancto replebitur, &c.* & alibi, *non surrexit maior Ioanne Baptista*, quod de prima sanctificatione à multis exponitur: tum etiam quia singulari modo, & priuilegio, & ad munus altissimum fuit sanctificatus: certum est autem tanto excellentius fuisse sanctificatam Virginem quàm Ioannem, quanto eius dignitas fuit maior, vt D. Tho. art. 6. ad primum loquitur. Comparatio autẽ facta generalior est respectu omnium hominum & angelorũ. Et hanc existimo esse mentem D. Tho. hic art. 5. tractat enim ibi (vt notaui) de prima sanctificatione virginis, & docet in ea datam illi esse plenitudinem gratiæ, quã plenitudinem per comparationem ad alios explicat, quia scilicet post Christum sanctior præ cæteris effecta est. Ratio etiam eius hoc conuincit, quia scilicet præ cæteris cõiunctior fuit Verbo, & Christo, qui est fons gratiæ. Nec refert, quod in primo instãti nondum haberet illam coniunctionẽ, satis

Gratia Virginis in prima sanctificatione quã intensa fuerit.

satis est enim, habuisse ordinem ad illam, ex diuina prædestinatione. Vnde propter hunc finē sanctificata est, & veluti ad hanc formam paulatim dispositā, & ideò tantò perfectius initium habuit, quantò terminus & finis altior futurus erat: tantoque melius dispositā est, quantò propter meliorem formam: tanto denique meliora iacta sunt fundamenta, quanto ædificium altius erigendū erat. Et confirmatur quodā principio supra posito, nullum donū gratiæ collatū esse puræ creaturæ, quod simili, vel perfectiori modo nō fuerit datū Virgini, sed sanctificari à principio cū tanta gratię intēsione vel perfectione est magnū beneficium, & gratiæ donum, ergo perfectius datum est Virgini quàm cęteris omnibus. Secūdo ab effectu declarari hoc potest, quia ex vi huius primæ gratiæ, Beata Virgo cōfirmata est in bono, & caruit omni propēsione ad malū (vt infra dicemus) hic autem effectus, vt perfecto & connaturali modo fiat, magnam gratiæ intensionem, & perfectionem requirit. Vnde ex hoc effectu; perfectissimo modo fuisse Virginem sanctificatā colligunt Bernar. epist. 174. & Laurent. Iustinia. serm. de natiuit.

Bernar. Laurent. Iustinian. Gratia Virginis in prima sanctificatione intensior, quā suprema, et consumata gratia Angelorum, et hominum. Psal. 86.

Quarto addo, pium, & verisimile esse credere, gratiam Virginis in prima sanctificatione intensiorem fuisse, quàm suprema gratiam, in qua consumantur angeli, & homines. Solet ad hanc veritatē accomodari illud Psal. 86. *Fundamenta eius in montibus sanctis*, quia fundamenta sanctitatis Virginis posita fuerunt, vbi alij sancti consumantur. Quia, *diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob*, neque mirum, *quia altissimus, qui illam fundauit, in ea factus est homo*. Licet enim in mystico sensu argumētari, præsertim cūm Ecclesia huiusmodi scripturas Virgini accommodet.

Greg. Pap. Isai. 2.

Et in eundem sensum videtur Gregor. lib. 1. Reg. c. 1. explicare illud Isai. 2. *Et erit præparatus mons domini in vertice montiū*. *Potest*, inquit, *huius montis nomine Beatissima Virgo designari. &c*, in vertice autem montium fuisse intelligi potest, quia gratia, quæ in alijs fuit finis & terminus, illi initium, ac fundamentum fuisse videtur. Ratio verò propria huius conclusionis sumēda est ex

D. Tho.

D. Tho. hic, quia scilicet Beatissima Virgo coniunctissima fuit Verbo. Quam rationē

Caiet.

Caietan. existimat non procedere respectu Angelorum, quia illi (inquit) in erant con-

A iunctiores Deo ratione beatitudinis, sed immerito, nam D. Thom. loquitur de coniunctione alterius ordinis, secundum dignitatem matris, & ex hac infert maiorem coniūctionem in genere gratię. Potest autem amplius hęc ratio explicari, ex Laurentio Iustiniano, dicto serm. de natiuit. Virg. Quia Beata Virgo in instanti suæ sanctificationis plus amabatur à Verbo, quàm vllus Angelus, vel homo, sed gratia respondet amori, & est quasi obiectum eius, ergo maior gratia illi data fuit, quám haberent Angeli, etiam beati. Maior patet, quia ex illo instanti amabat illam Verbum, vt futuram sui matrem. Totus autem hic amor debetur matri, & tota hæc perfectio gratiæ optimè quadrat cum tanta dignitate. Vnde eleganter Petrus Damian. serm. de annunciat. dixit. *Attende Seraphin, & videbis, quidquid maius est, minus Virgine, solumque opificem opus istud supergredi.* Et S. Vincent. Ferrer. serm. 1. de natiuit. Mar. aperte sentit hanc sententiam, dicēs, fuisse sanctificatam Virginem in vtero matris, supra omnes sanctos, & supra omnes Angelos, accommodans illud Psal. 41. *Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei*. D. autem Bernar. serm. de natiuit. Marię, & clarius Damascen. solum dicunt, Beatam Virginem, etiā ante filij conceptionem fuisse Angelis præstantiorem. Quia licet nondum in re ipsa esset mater effecta, tamen iam erat ad hanc dignitatem destinata, & ipsamet persona Verbi illā amabat, & sanctificabat, vt personam ad se valde pertinentem, & futurā matrem suam. Quæ ratio etiam de prima sanctificatione procedit.

Laur. Iust. *Pet. Dama.* *Vincē. Fer.* *Psal. 41.* *Bernard.* *Damascen.*

Sed contra, quia gratia viatoris nunquā potest in intēsione equari gratiæ comprehēsoris. Propter hoc, fortasse, principium Caiet. hic art. 5 negat hanc conclusionem. Sed existimo illud esse valde falsum (vt latius in materia de gratia, & charitate disputatur) aliàs dicēdum esset Beatam Virginem, etiam in fine vitę suæ, non habuisse intensiorem gratiam, quám infans haberet in cœlo, quod est incredibile, & plane falsum. Quin potius probabilissimum est habitualem gratiam, præsertim quæ est in essentia animæ, intrinsecè non mutari in patria, quia idem numero habitus charitatis, & gratiæ manet, atque adeò eadem intensio quantum ad gradus in hac vita receptos, qui fortasse in vno, & eodem non augen-

Obiectio. *Caiet.* *Responsio.*

gentur vltra terminũ in via acquisitũ, præ A sertim si homo in via accepit omne augmẽ tum suis meritis debitum. Quod si fortasse respectu eiusdem, gratia sit intensior in patria, quám in via, illud tamen, quod additur, non potest esse semper maior intensionis gradus, quàm sit in viatore habente perfectissima, & intensissima merita, cui ex vi illius gratiæ, quam habet in via, debetur maior gloria, quàm sit in multis beatis & hoc sensu negari non potest, quin gratia viatoris sit interdũ intensior, licet perfectio status beatifici, alia ratione sit excellentior. Et eodem sensu dicimus, primam gratiam Beatæ Virginis fuisse intensiorẽ, quia ex vi eius, si cum illa sola transiret ad patriam, maiorem, quám vllus angelorum gloriam fuisset habitura, & in hoc dubio nobiscum sentit Medina hic art. 5. qui piè & doctè D. Tho. interpretatur. B

SECTIO. II.

Vtrum Beata Virgo in prima sanctificatione omnes habitus virtutum, & donorum acceperit.

QVæstio hæc solum propter doctrinæ complementum est proposita, est enim facillima, & ideo breuissimè expedienda.

Primo ergo certum est, datas esse Virgini simul cum gratia omnes virtutes per se infusas, & omnia Spiritus sancti dona, Hoc constat, quia hæc omnia veluti ex natura rei gratiã consequuntur. Vnde Athanasius. Athanas. serm. de Sanctissima Deipara, ad Virginem applicans illud, *Sanctificauit tabernaculum suum altissimus*, dicit descendisse in eã Spiritum sanctum, cum omnibus suis virtutibus essentialibus. Bernard. verò serm. quodam de assumptione, ad eandem Virginis sanctificationem accommodat illud Prouerb. 9. Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septẽ*, quas dicit esse, septẽ Spiritus sancti dona. Neque oportet ab hac vniuersali propositione excipere virtutes illas, quas propter imperfectionem beatitudini repugnantem, quam includũt, in anima Christi fuisse negauimus, vt sunt fides, & spes. Nam cùm Beata Virgo fuerit sanctificata vt viatrix, fide, & spe indiguit, quãquam in gradu perfectissimo suę gratię proportionato illas habuerit. Et si vera sunt principia supra posita (vt re vera sunt) ex eis colligitur habuisse Beatam Virginem perfectiorẽ fidem, quàm Adã, vel vllus hominum, aut angelorum habuit in via. De qua re dicam plura in sect. vlti. huius disputat. Et infra in disput. de cognitione, & scientia Beatæ Virginis.

De quibusdam autem virtutibus, quæ dicunt imperfectionem cõtrariam, vel virtuti heroicæ, & perfectæ, vt est cõtinentia, vel perfectæ innocentiæ, vt est pœnitentia, dubitari potest, an fuerint in Virgine. Sed huius dubioli resolutio ex ijs, quæ de Christo diximus, petenda est. Cõtinentia enim significat virtutem in statu imperfecto, & sub hac significatione non fuit in Virgine, quanquam propterea nulla virtute caruerit, quia continentia nõ significat virtutem re, & essentia á ceteris distinctam. De pœnitentia verò dubiũ etiã non est, quin Beata Virgo habuerit virtutem illam, quæ in nobis pœnitentia vocatur, siue sit eadẽ, quæ religio, vel charitas, siue distincta à reliquis. De nomine autem erit quæstio, an sub hoc nomine illi tribuẽda sit. Nam quia pœnitentia in rigore significat retractationem, vel detestationem alicuius actionis proprię, ideò videri potest negãdũ esse, Virginem habuisse pœnitẽtiã, quia certissimũ est nunquã habuisse talem actum, neque egisse aliquid retractatione dignum. Quia verò pœnitentiæ virtus nõ actum, sed habitum significat, ideò ferè omnes simpliciter docent, fuisse Virginem capacem huius virtutis, quia de se capax erat peccati, quanuis diuina gratia præuenta fuerit, ne illud committeret, vt dicemus. C

Virtus continentiæ, & pœnitentiæ in Virgine quomodo fuerit.

Secundo addimus, datas esse Virgini in prima sua sanctificatione omnes virtutes morales etiam per accidens infusas. Hæc conclusio est tantum probabilis, suadetur tamen, quia hæ virtutes infusæ sunt Adamo, & similiter Euæ in sua prima sanctificatione, ergo multo magis Virgini, cui nullum gratiæ donum negatum est, quod alijs est datum. Quia altiori modo fuit mater viuentium, quàm Eua: imo & mater omnis gratiæ, & virtutis. Secundo, quia (vt infrà dicemus) appetitus Virginis per suam primam sanctificationem, fuit perfectissimè ordinatus, & temperatus, ita vt nullũ fomitis, vel concupiscentiæ motum senserit, sed hic effectus accommodatissime fit

Omnes virtutes morales per se infusæ datæ Virgini in prima sanctificatione

Omnes virtutes morales suo genere acquisitæ Virgini in prima sanctificationis infusæ.

per

per virtutes suo genere acquisitas, & cõ- A naturales, illæ enim sunt, quæ nostros affectus moderantur. Nam virtutes per se infusæ, cum sint altioris ordinis, secum facile compatiuntur effrænatas passiones, ergo. Tertio denique quia valde decuit, vt Beata Virgo fuerit in hac perfectione simillima Christo, neque est vlla autoritas, ratiò, vel coniectura, propter quam hoc gratiæ priuilegium illi negetur, ergo.

SECTIO. III.

Vtrum Beata Virgo per primam sanctificationem donum perseuerantiæ, & confirmationẽ in gratia acceperit.

B

QVæstio hæc superflua videri posset, nisi hæretici huius tẽporis impio, & sathanico spiritu, grauissima Virgini imponerent crimina, quibus

Ambros. respondere cogimur, & cum Ambr. epist. 79. dicere, *Claudat ora sua perfidia, nec matrẽ Domini aliquo audeat temerare conuitio.*

B. Virgo in prima sanctificatione in gratia cõfirmata.

Sit ergo conclusio de fide certa, B. Virginem nunquam amisisse gratiam, quam in prima sanctificatione accepit, atque adeò in illa fuisse confirmatam, & infallibile perseuerandi donum accepisse. Fundamentũ sumitur ex consensu, & traditione Ecclesiæ, quę hoc modo intelligit plenitudinem gratiæ Virginis. Neque ad hoc probandũ possum plura ex scriptura, & patribus afferre, quam disputat. præced. sect. 5. attuli, & omnes rationes ibi adductę hoc fortius conuincũt. Cõfirmari autem potest. Primo, quia hoc priuilegiũ datum est alijs sanctis. Athanasius serm. 4. contra Arian.

Athanas. circa med. dicit, plures sanctos fuisse *puros, & omnis criminis expertes*, & specialiter nominat Ieremiam, & Ioannem Baptistam. Idem August. in Enchirid. c. 64. dicit, ho-

Augustin. minibus interdum per gratiam concedi, *vt hanc vitam sine crimine transigant, licet non sine peccato*, ex quo constat nomine *criminis* mortale peccatum Patres intelligere. Idẽ docet lib. de nat. & grat. c. 36. Confir. secũdo nam Ecclesia celebrans natiuitatẽ Virginis, hoc ipso sentit, iam tunc habuisse inamisibilem sanctitatem, quia Ecclesia non veneratur publico solẽni ritu, nisi eam sanctitatem, quæ perpetuo duratura est. Plura dicemus sect. sequenti.

Obiectio. 1. Primo verò obijciũt, quod in fide dubitauit, cùm Angelo respondit, *Quomodo fiet istud?* Vnde Chrysost. homil. 49. in Genes. introducit Gabrielem ita dicentẽ, atq; respondentem Virgini. *Ne quæras naturæ modum, quoniam supra naturam sunt quæ fiũt. At qui propter hoc ipsum fiet, quoniam virum non cognoscis. Itaque, quã ob rem dubitas, eam ob rem crede.* Et infrà dicit, ea de causa Gabrielem adduxisse cõceptionem Elizabeth sterilis, & senis, vt Virginem ad suscipiendam fidem, quam non satis capiebat, manu duceret, & eodem fere modo loquitur August. lib. quæst. noui, & veter. testam. q. 51. Respondetur, Beatam Virginem in eo facto tantam fidei perfectionem ostendisse, vt fidem etiam Abrahę superarit, teste Ambros. lib. 2. de Abraham. c. 8. tantũ enim abest, vt illo verbo, *quomodo fiet istud*, dubitaret, vt potius rem certo faciendam supponeret, modum autem, quo perficiẽda erat, inquisierit. Nam quia filij conceptio, castitatis voto videbatur contraria, ad se pertinere putauit, quis esset futurus modus talis conceptionis, interrogare, & discere, quid officij in eo negatio ipsa esset prestitura. Ita fere Ambros. & alij in Lucam Bernar. homil. 4. in *Missus est*. Hãc verò fuisse mentem, & fidem Virginis satis probant verba Elizabeth Luc. 1. *Beata, quæ credidisti*. Propter quod Irenæus. lib. 3. c. 33 audet dicere, *quod Eua alligauit per incredulitatem, hoc Mariam soluisse per fidem, quia & altissima mysteria statim credidit, & sine mora obediendo consensit.* Quod confirmari potest ex facto Zachariæ, ille enim reprehensus est ab Angelo, pœnaq; affectus propter aliqualem dubitationem, & incredulitatem: Beata autem Virgo non ita; sed de ijs, quæ interrogauit, instructa, & statim summo Dei beneficio est affecta, nullá ergo culpam, neq; imprudentem moram habuit in credendo, sicut Zacharias. Quã differẽtiam vtriusq; verba satis ostendũt, ille enim respondit, *vnde hoc sciam?* Virgo autem minimè, sed, *quomodo fiet istud?* quod rectè ponderauit Ambros. lib. 1. de officijs c. 18. Chrysostomus ergo in citato loco pie explicandus est, dubitationem enim vocat, prudẽtem interrogationem & aliquam fortasse moram in credendo, non culpabilem, sed cordatam, vel certè, non loquitur de dubitatione circa rem reuelatã, sed circa modum, quẽ Virgo cupiebat edisserere, vt in simili dixit Aug. lib. 16. de Ciuita.

Chrysost.

Augus.

Respõsio

Ambros.

Fides virginis in incarnationis mysterio quanta.

Bernard.

Luc. 1.

Irenæus.

Ambros.

De quo Virgo dubitauerit. in mysterio Annũtiationis.

August.

uita c.24. Quod autem dicit, Angelum adduxisse exemplum Elizabeth, nō intelligit adduxisse, ad confirmandam illam in fide, sed solum ad explicandum mysterium, vt Augustin. etiam notauit proximo loco citato, quod ex ipso facto constat. Nam si exē plum Elizabeth esset Virgini propositum, vt ex vno signo aliud crederet, oportuisset non statim vtrumque credere, sed alterū prius experiri, B. autem Virgo non ita fecit, sed statim vtrique fidem adhibuit, & postquam Dei voluntatem, & dispositionem probè intellexit, sine mora consensit.

Chrysost. Vnde idem Chrysost. hom. 1. in Lucam Virginem in toto hoc negotio valde laudat, *& fidam sermonis Angelici* appellat. Ad locum Aug. respond. librum illum non esse Au-

D. Thom. gust. D. Thom. autem infrà quæst. 30. art. 4. ad 2. pie verba illa exponit, de dubitatione admirationis, non incredulitatis.

Obiectio. 2. Secundo accusant B. Virginem grauissimi peccati, & negligētiæ, quòd filium perdidit. Quod peccatum ita exaggerant impudentissimi hæretici, vt cū peccato Euę

Feuardent. illud cōferant. Ita refert Feuardēt. in scholijs super Irenæum lib. 3. c. 33. Sed facile conuincitur horum impietas. Nam ipsum Euangelium Virginem excusat dicens, *Et*

Responsio. Bed. *non cognouerunt parentes eius.* vt enim notat Beda, vterque parens existimauit, alterum secum filium adduxisse. Quòd si hæc causa non probatur, quia non satis constat solere vxores separatas à viris in domū reddire, certè non est difficile intelligere, facile fuisse puero Iesu, sine culpa, & negligentia parentum à via deflectere. Credibile enim est Mariam, & Ioseph reddijsse simul cum alijs cognatis, & comitatu, & potuisse puerum simul cum alijs, vel parū antecedere, aut detineri, & occultè ab eis diuertere. Quod eò facilius accidere potuit sine culpa parentum, quò ipsi minus erant soliciti, quia filij virtutem, & sapientiam agnoscebant, nihilque sine illius volū tate euenire posse certò sciebant, & ideo B. Virgo illi dixit, *fili, quid fecisti nobis sic?* Significās illud nō potuisse nisi ex Christi volūtate euenire. At dicēt, in hoc ipso verbo quodam impacientiæ, vel superbiæ genus latere. Sed impiè, ac temerè iudicant, illa enim verba, non nisi insignem fidem, & charitatem redolent, quibus propterea Christus simili charitate respondet. *Quid est, quod me quærebatis?* Quasi diceret, ob

A nullam aliam causam potuisse se matrem relinquere, nisi ob gloriam patris. Sed dicunt tandem, non posse Virginem excusari, quòd nimia solicitudine inter cognatos, & notos illum quæsierit, hoc enim non nisi ex vili quadam, & valde humana de Christo existimatione oriri potuit. Sed facile hoc etiam ex communi Patrum sententia reijcitur, qui in hoc etiam perpendunt magnam Virginis prudentiam; quæ licet in se culpam non agnosceret, quia tamen ignorabat, quid iam Christus agere disponeret, an scilicet vellet ipsam relinquere, & negotium humanę salutis publicè aggredi, merito erat solicita: &, quod in se erat studebat facere, ne à filio separaretur. Præsertim cum ea Simeonis verba persæpe mente reuolueret. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

B Tertio obijciunt, quòd in morte filij in fide defecerit, & de filij diuinitate dubitauerit, sicut illi prædixerat Simeon. *Et tuam ipsius animam, &c.* Id enim de gladio infidelitatis, & dubitationis intelligit Orig. homil. 17. in Luc. insinuat Hilar. in id Ps. 118. *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas.* Et Autor libri quæst. nou. & vet. testam. qui est inter opera August. q. 73. Basilius citatus à D. Tho. hic art. 4. ad 2. in epist. ad Optimum. Theophyl. Luc. 2. licet subdubitans, citantur etiam à quibusdam Chrysost. enarrat. in Psal. 13. Euthym. Luc. 2. & Tertul. lib. de carne Christi. c. 7. quòd dicāt matrem incredulam fuisse, sicut & fratres, & apud Surium in homilijs Chrysost. & Amphilochij de purificatione legimus B. Virginem dubitasse de filij sui resurrectione, quanuis ibidem Chrysost.

C eā nihil vnquā peccasse fateatur. Respōdetur primū temerè, & sine fundamēto verba illa Simeonis in falsum illum sensum detorqueri. Nam gladius Christi, mors Christi dicitur iuxta communē scripturæ phrasim, quę animam Virginis pertransisse dicitur, quia eam summo dolore affecit. Ita Ambros. Bed. Oecume. Euthy. Luc. 2. Damasc. lib. 4. c. 15. Cassiod. in Psal. 104 Paulinus ad Augustin. & Augustinus ad ipsum, epist. 58. & 59. inter epistolas Aug. Grego. Nyss. orat. 2. de resurrectione, Bernard. serm. *Signū magnum*, dicit amorē Virginis fuisse morte fortiorem, quia Christi mortem suam fecit, idem fere Sophro. vel Hierony. serm. de assumpt. Ephrem, in lamentat.

Obiectio.

Responsio.

Obiectio.

Origen.

Basil. *D. Thom.* *Theophyl.* *Euthym.* *Tertul. l.* *Chrysost.*

Responsio

Ambros. *Bed.* *Oecumen.* *Euthym.* *Damasc.* *Cassiodor.* *Augustin.* *Gre. Nyss.* *Bernard.* *Sophron.* *Hierony.* *Ephren.*

Rupert. mentat. Virginis. Rupert. 13. in Ioan. dicēs tunc sensisse Virginem dolores, quos in filij partu non senserat, tuncq; singulari modo matrem nostram effectā esse, quia nos spiritualiter peperit.

Nec desunt, qui putent tantum fuisse dolorem Mariæ, vt re vera eam interfecerit ita, vt cum Christo mortua verè fuerit, licet postea resurrexerit: quod tamen sine fundamento confictum est, & contra omnes Patres statim citandos. Et licet Epiphan. hæres. 78. dicat, id posse intelligi de *Epiphan.* morte corporali: addit tamen Virginem non esse passam eam mortem tempore passionis Christi. Alij ergo dixerunt gladium Christi pertrāsisse Virginis animam, quia ita illam affecit, vt extra se ferri, & spasmū B pati eam coegerit, vt S. Bernard. loqui videtur opusculo de hac re ideſt, de lamentatione Virginis (si tamen illius est autor) & *Bernard.* *Laur. Iust.* Laurent. Iustin. de Triumph. Christi agone circa finem. *Bonauent.* Bonauent. lib. de vita Christi. c. 77. 79. & 80. *Lodulph.* Lodulphus de vita Christi. p. 2. c. 64. & 70. *Chartus.* Diony. Chartus. Ioan. 19. Vide etiam Sixtum Senens. li. 6. annotat. 126. Sed si sermo sit de proprio spasmo, vt significat corporalem defectum cū perturbatione sensuum, languore, & contractione membrorum, &c. nullo modo ponendus est, in Virgine, vt ostendit Caiet. opusculo de hac re. Quia illa fuisset magna imperfectio derogans multū excellenti gratiæ Virginis, & dominio, quod habebat in omnes suos motus, actus, & potē C tias. Vnde Ioan. Euāgelista refert eo tēpore, quo Christus vehementius patiebatur, Virginem stantem permansisse, & nec animo, nec corpore concidisse. Vnde Ambros. de obitu Valentiniani, nec fleuisse illam affirmare audet, *Stantem, inquit, lego flētem, non lego.* Anselm. de excellentia Virginis cap. 5. gladium mortis Christi, animā Virginis penetrasse dicit, quia tanto dolore illam affecit, vt nisi speciali Dei gratia, & fauore confortaretur, viribus prorsus deficeret. Vnde potius colligitur ex magna fide, quam tunc habuit, profectam esse magnam fortitudinem, & constantiam, quam tunc ostendit. Quod etiam habet Bernar. in concione super illud, *Stabat autem iusta crucem.* Optimè Ambros. de instit. Virginis cap. 7. & epist. 82. Addunt etiam interdum Patres eo tempore exercuisse Virginem, actum summæ obedien-

Constantia Virginis in morte Christi quanta.

Ambros.

Anselm.

Bernard.

Ambros.

A tiæ, & charitatis eaga homines, voluntarie offerendo filium pro illis, *quo actu* ait Bonauent. in. 1. d. 48. q. vlt. *& Deum, & homines sibi maxime deunxisse.* De quo etiā bene Abulens. quæst. 14. prologi Matth. & Gerson tract. 2. de Cantico decachordo. Quādo ergo aliqui graues autores videntur ita exaggerare Virginis dolorem, vt spasmū, vel aliquid simile illi tribuere videantur, non intendunt imperfectionem aliquam illi tribuere, vt priuationem sensuum, cōtractionem membrorum, vel quid simile, sed solum vehementem dolorem, cum ingenti admiratione & quasi stupore de qua re infra. q. 51. forte plura Addo præterea, per se esse incredibile Virginem Spiritu sancto plenissimā, & quæ tot viderat mysteria, passionemque filij, omnes circunstantias, & rationes eius iā habebat præcognitas, tam facile dubitasse. Denique; cura, quam Christus in cruce de matre sua habuit, sufficiens testimonium esse debet, fidem, & charitatem nunquam in matre defecisse.

Bonauent.

Abulens. *Gerson.*

Ad Patres ergo, qui in obiectione citantur, verba Origenis (si illius sunt) nullam patiuntur expositionem: verisimile tamē est, ab aliquo indocto vel hæretico fuisse inserta. Ipse enim homil. 1. ex varijs egregiè sentit de Virginis innocentia, & sanctitate. Et D. Thom hic art. 4. ad secundum, refert Origenem exposuisse verba Simeonis de gladio doloris, non dubitationis. Basilij locum videre non potui, quia illa epistola non extat. D. Tho. autem illum piè exponit de admiratione quadā, & stupore, quo ita interdum suspenditur animus visa re noua, vt quasi dubitare videatur. Et eodem modo exponitur August. quanquam liber ille (vt dixi) incerti sit autoris. Ad Chrysost. Respondeo, inter eius opera nullam esse enarrationem in Psalm. 15. si tamen fortasse alicubi reperiatur, eodē modo exponendus est. Euthym. falso citatur, imo expressè docet cōtrarium. Theophyl. vero, nihil satis affirmat. Tertul. Denique, aut intellectus non est, aut infideliter citatur. Verba enim eius sunt, *fratres domini non crediderunt in illum, mater vero non demonstratur adhæsisse illi.* Vbi non loquitur de fide eius, sed de consuetudine sequendi, seu committandi Christum, vt patet ex verbis, quę subiungit, *cum Martha, & Maria alia, in commertio eius frequententur.*

Respōsio ad testimonia Patrū.

SECTIO. IIII.

Vtrum Beata Virgo in prima sanctificatione ita fuerit in bono confirmata, vt nec venialiter peccare potuerit?

Gre. Arim. OMissis hæreticis, inter scholasticos Gregor. in. 2. distinct. 30. quæst. 2. artic. 1. ausus est dicere Virginem interdum venialiter peccasse, ne illam fateretur fuisse à peccato originali immunem, quia iuxta Augustini regulam, nullus est in peccato originali conceptus, qui non interdum venialiter peccauerit. Cui sententiæ nonnullæ Patrum locutiones interdum fauere videntur. Sed nihilominus hæc sententia ab Ecclesia reiecta, & damnata est.

Augusti.

B. Virgo numquã venialiter peccauit.

Dicendum est ergo, Beatam Virginem in prima sanctificatione fuisse in bono cõfirmatam, & donum gratiæ, ac singulare Dei auxilium accepisse, vt nec leuissimam culpam vnquam committeret. Hęc veritas, quoad rem, quæ in illa intenditur, scilicet, Virginem numquam peccasse venialiter, de fide est, & definita esse fertur in Concilio Claramontano sub Vrbano secundo (vt refert Vega lib. 14. in Trident. capit. 18.) Concilium etiam Trident. sess. 6. can. 23. licet directe hoc non definiat, id tamen supponit, dum docet Ecclesiam tenere, Beatam Virginem ex speciali Dei Priuilegio omnia venialia peccata vitasse. Et hanc esse antiquorum Patrum traditionem, & consensum: constat ex ijs, quæ disputatione præcedenti sect. 5. adduximus. Præsertim ex illo celebri loco Augustin. lib. de nat. & grat. cap. 36. *Cum de peccatis agimus, nullam de Virgine matre haberi volo quæstionem, &c.* & ex Bernard. epistol. 174. & sermon. 2. de assumpt. *Absit* (inquit) *vt proprij quidquam inquinamenti hæc aliquando habuisse dicatur.* Et ex Rupert. lib. 7. de glorificatione Trinitatis. c. 13. & lib. 6. in Cant. circa principium Richar. de sancto Victor. lib. 2. de Emanuele cap. 30. & lib. super Cantica capit. 39. vbi inquit, *Omnes Virgines esse species Christi, Beatam autem Virginem esse specialem eius speciem, quæ speciem suam nunquam per aliquod peccatum mortale, vel veniale maculauit.* Denique constat hæc traditio ex communi consensu Theologorum in. 3. dist. 3. qui varijs rationibus, & coniecturis hanc veritatem confirmant. Nobis verò sufficere videntur, quæ disput. præced sect. 5. adductę sunt, & quas D. Tho. in hoc art. 4 & opuscul. 6. art. 3. & quodlib. 6. artic. 7. docuit.

Conc. Claramont. Vega. Conc. Tri. Augusti. Bernard. Rupert. Ric. Vict.

A

D. Tho.

Quanquam verò certum sit Beatã Virginem nunquam peccasse. Dubitant tamen Theologi, an ab exordio suæ sanctificationis facta fuerit impeccabilis. Quidam enim simpliciter affirmãt, vt Gabrie. in. 3. dist. 3. quæst. 2. art. 3. sequens Okam, & Almainus dist. 12. quæstio. 2. Alij absolute negant toto tempore vitæ mortalis fuisse impeccabilem, sed potius potuisse peccare, quanuis auxilium gratię receperit, vt nunquam peccaret, ita Durand. d. 3. q. 4. Alij verò distinctione vtuntur dicentes in prima sanctificatione datum esse Virgini solum, vt nunquam peccaret, in secunda vero, ideſt in filij conceptione additum esse, vt nec peccare etiam posset. Ita sentit D. Tho. hic art. 4. ad primũ, clarius in 3. d. 3. q. 1. art. 2. Bonauen. art. 2. q. 1. Alens. 3. p q. 9. m. 3. art. 2. §. 2. & fuit hæc sententia Richar. Victor. lib. super Cãt. cap. 26.

Dubium.

Gabr. Okam. Almain.

Durand.

B

D. Thom. Bonauen. Alens. Ric. Vict.

Sed vix intelligo supposita fidei doctrina, quę possit esse diuersitas inter has opiniones, quæ ad rẽ pertineat. Primo enim certum est Beatam Virginem in hac vita, nũquam fuisse impeccabilem ab intrinseco ad modum beatorum, quia fuit tantum viatrix, vt supra dictum est. Deinde certũ etiam est à prima sanctificatione habuisse talia gratiæ dona, & auxilia, vt infallibiliter nũquam peccaret, quia talis gratia necessaria est ad nunquam venialiter peccandum, & hoc est speciale priuilegiũ, quod iuxta Concilium trident. illi concessum est. Vnde fit simpliciter concedẽdum esse in prima sanctificatione fuisse confirmatã in bono, vt nunquam peccaret, quia hæc confirmatio idem est cũ prędicto priuilegio, seu gratia speciali: ex quo etiam fit, vt in sensu composito peccare non potuerit, aperte enim repugnat cum tali dono gratiæ peccatum existere, seu componi, vt per se constat. Tertio addo, hoc donum non constitisse in solis habitibus infusis, vel in sola aliqua inhærente qualitate, quia secluſa visione Beata, & Dei amore necessario, qui illam consequitur, nulla qualitas inhærens per se sola potest efficere, vt infallibiliter homo nunquã

C

Responsio

B. Virgo quomodo fuerit impeccabilis.

nunquam peccet, nisi adiungatur, singularis Dei prouidentia, & protectio per actualia, & specialia Dei auxilia, vt expresse docuit D. Tho. q. 24. de verit. art. 9. & constat ex ijs, quę supra diximus de Christi impeccabilitate, & de carentia fomitis, quæ iterum sect. sequenti attingemus.

Addo tamen, quarto accepisse Virginem in prima sanctificatione perfectionem gratiæ habitualis, & virtutũ omnium huic insigni effectui confirmationis in bono proportionatam. Quia licet posset Deus cum minima gratia habituali per auxilia actualia ita custodire Virginem, vel alium hominem, vt infallibiliter numquam peccaret, suauis tamen ratio diuinę prouidẽtiæ postulat, vt is, cui tale donum confertur, intrinsecè disponatur per habitus virtutum perfectissimo, & hęroico modo, prout necessarium est, vt homo facile, & iucundè omnia virtutũ opera in quacunq; opportunitate operetur, quod valde necessariũ est ad vitandum omne peccatum, etiam veniale. Quod magis ex ijs, quæ sect. sequenti dicemus constabit. Ex quo sequitur confirmationem hanc in bono datam Virgini in prima, vel secũda sanctificatione, formaliter seu in essentiali modo non fuisse diuersam, sed solum potuisse differre secundum magis, & minus, quatenus maiora dona gratiæ habuit Beata Virgo in secunda sanctificatione, quàm in prima. Vt si Deus confirmauit in gratia beatũ Ioannem Baptistam, & sanctum Thomam, v.g. modus confirmationis formaliter idem est, quamuis Ioannes in maiori gratia fuerit confirmatus. Et ratio est. Quia vtraq; confirmatio fit per dona eiusdem rationis, & habet effectus, & relinquit libertatem eiusdem rationis. Sicut enim B. Virgo post primam sanctificationem in sensu composito peccare non poterat, & nihilominus libere implebat præcepta: ita & post secundam, non est ergo inter eas formalis differentia.

Virgo non magis impeccabilis post secundam sanctificationem quam post primam.

Ex quo tandem concludo simpliciter, ac formaliter loquendo non magis fuisse impeccabilem B. Virginem post secundam sanctificationem, quàm post primã. Quia post vtrãque ex vi intrinsecæ dispositionis peccare poterat, vnde in sensu diuiso, atque simpliciter dici potest habuisse semper potentiam peccandi, habuit enim libertatem, qua *potuit transgredi, & non est transgressa*, quanuis in sensu composito in nullo tempore, vel statu, potuerit peccare, vt dictum est. Potest autem nonnulla differentia assignari inter statum, quẽ B. Virgo habuit antè, vel post conceptionem filij. Nam ante conceptionem, licet esset præordinata in matrem Dei, tamen nondum in se receperat dignitatem aliquam, cui hæc confirmatio in bono deberetur, licet Deus perfectioni suæ sapientiæ, & prouidentiæ deberet vt illam conferret Virgini, quam in matrem suam prædestinauerat: at verò post conceptionem filij habuit Beata Virgo in se singularem matris dignitatem, cui veluti ex natura rei debita erat hęc gratia confirmationis in bono. Et hac ratione dici potest magis impeccabilis post secundam, quàm post primam sanctificationem, vt si decreuisset Deus naturam aliquam prius in se existentem postea sibi hypostatice vnire, decuisset certè, vt illam à peccato præseruaret, etiam eo tempore, quo ante vnionem existeret, nihilominus tamen longè aliter esset impeccabilis post vnionẽ, quàm ante illam. Ita igitur suo modo dici potest in præsenti materia, quanquam exemplum non sit omnino simile, sed proportionale.

Cõfirmatio in bono vt de Virgine debita.

Circa doctrinam hanc occurrebant difficultates de concordia huius confirmationis in bono cum libertate arbitrij, sed hæ & communes sunt omnibus confirmatis in gratia, & cum his ferè coincidunt, quę supra circa Christi impeccabilitatem tractatæ sunt. Illinc ergo petatur earum resolutio. Obiectiones verò non nullæ contra conclusionem fidei hoc loco soluendę sunt. Prima est, quia sępe scriptura dicit neminem esse, qui non peccet, & eodem modo loquũtur sancti, & Concilia, vt videre est in Mileuit. can. 6. & .8. vbi etiam definit propterea omnes verè posse dicere, & orare, *Dimitte nobis debita nostra*. Quam orationem, vt pote à Christo traditam, Beatam Virginem frequenter fudisse nullus negabit. Respondetur, hos generales sermones, speciale Virginis priuilegium non excludere, vt Concilium Tridentinum declarauit, imo Augustinus libro de Spirit. & lit. capit. .2. dicit, *Si quis de aliquo sancto affirmet nunquam peccasse, non proprijs viribus, sed gra-*

Obiectio.1

Conc. Mileuit.

Responsio

Conc. Trid. August.

Augusti. *tia, & dono Dei, non multum esse cum illo contendendum, sed potius, si id sufficienter ostendat, illi esse gratulandum.* Hæc Augusti. Quia verò de nullo alio præter quam de Virgine priuilegiũ hoc satis ostendi potest, ideo ad nullum alium extendendum est, vt in materia de gratia latius traditur. Ad illud verò de oratione dominica dicunt quidã, licet Beata Virgo nunquam peccauerit, non tamẽ semper, & in omni actu suo hoc certo cognouisse, sed interdum dubitasse, & ideo potuisse dicere. *Dimitte nobis debita nostra.* Sed hoc existimo falsum, & contra excellentem Virginis perfectionem. Dominabatur enim suis omnibus actibus perfectissimè, & in omni opere suo perfectè cognoscebat, & considerabat, quid B secundum rectam rationem fieri posset, & oporteret. E ideo perspicuè, & clarè videbat, quale vnumquodq; opus suum existeret, neq; aliquid operata vnquam est, quod nõ prius certò existimaret Deo gratum, acceptumq; fore. Alioqui, si vel inconsideratè, vel cum aliqua practica dubitatione operaretur, nõ posset ab omni culpa, vel imperfectione fomitis excusari. Dicendum est ergo, potuisse Virginem pro alijs, seu pro vniuersa Ecclesia illa verba proferre. *Dimitte nobis debita nostra.* Pro se verò gratias potius de acceptis beneficijs agebat, eorumque perpetuam durationẽ postulabat.

Obiectio 2 Secundo obijcitur B. Virgini, quod humana ambitione miraculũ à filio postulauerit, eamq; ob rẽ ab ipso fuerit reprehensa Ioan. 2. vt Chrys. homil. 20. & Theophil. ac Euthym. videntur exponere, & videtur fauere Athanas. serm. 4. cõtra Arian. quatenus dicit fuisse matrem á Christo increpatam, & Iræneus lib. 3. contra hæres. c. 18. dum inquit, Dominum repellendo eius in tempestiuam festinationem dixisse, *Quid mihi, & tibi est mulier?* Respondetur nullum ambitionis signum, sed potius eximiæ fidei, & charitatis in ea Virginis petitione fuisse, vt effectus probauit, exaudiuit enim Christus matris orationẽ, quare nulla ratio permittit credere ex inani gloria fuisse profectam. Vnde Cyril. lib. 2. in Ioann. cap. 22. fidem Virginis in hac petitione ostẽdi dicit, quia omnia credidit filio possibilia, quanuis nondum Christus miracula edidisset, & capit. 24. *Magnam,* inquit, *autoritatem, & dignitatem deferri fi-*

Ioann. 2. Chrysost. Theophyl. Euthym. Athanas. Irenæus.

Responsio

Cyrill.

A *bi a Domino mater non ignorauit, quæ persuaso, vt par erat, filio, ministros præparat.* Et Euseb. Emiss. serm. in dominicam secundam post Epiphan. Virginem, ait, Spiritu sancto plenam illud miraculum prouidisse, quod filius facturus erat. Et Bernard. sermon. 46. super Cantic. prudentiam verborum Mariæ ponderat. *Quia non precatur, non imperat, sed tantum defectum vini nunciat, quia cum beneficis, & ad liberalitatem propensis non gratia violenter exprimenda, sed solum est occasio proponenda.* Cõstat igitur verba illa Christi, *quid mihi & tibi est mulier?* nullã reprehẽsionem cõtinere. Vt enim recte dixit Iusti. martyr. q. 136. ad Gent. *Non verbo matrem obiurgauit, qui facto honorauit.* & Cyril. dicto lib. 2. c. 23. *Quantus,* inquit, *honor parentibus debeatur, facile ostendit, cum statim ad actum propter matrem accedat.*

Euf. Emis. *Bernard.* *Iust. mart.* *Cyrill.*

Sensus autem illorum verborum Christi varie à sanctis exponitur, 1. Iustin. martyr. supra dicit, sensum Christi solũ fuisse dicere matri, neque ad illam, neque ad se pertinuisse, vinum prouidere. Vnde ait, *quid mihi, & tibi?* ideſt, quid ad nos attinet? quod si ex magna charitate tua vis, vt miraculose illis subueniam, dic ministris, vt faciant, quæ ego præcepero, &c. quam expositionem habet etiam Epipha. hæres. 51. & 79. & Euthym. ibi. Et est probabilis expositio, cum qua ita connectenda sunt verba sequentia. *Nondum venit hora mea,* ideſt, si ex charitate cupis, vt illis subueniam, prius quam vini defectus omnibus inuitatis manifestus sit, non hoc ad nos pertinet, sed potius oportet, vt omnes prius intelligant vinum defecisse, vt miraculum euidentius fiat, & ideo nondum venit hora illud faciendi. Quę expositio quoad hoc vltimum verbum, videtur fuisse Irenęi. lib. 3 contra Valen. cap. 1. est etiam Chrysost. homil. 21. in Ioann. & Augustin. serm. 41. de tempore, & Euthymij c. 1. in Ioan.

Epipha. Euthym. *Irenæ. Chrysost. August. Euthym.*

Solum obstat huic expositioni, quia verba illa. *Quid mihi, & tibi,* iusta phrasim Hebraicam non significant, quid ad nos? Sed quid mihi tecum est? vt Ioel. 3. *Quid mihi, & vobis Tyrus, & Sidon?* Luc. 8. *Quid mihi, & tibi Iesu fili Dei?* Et eodem sensu Matth. 27. dixit vxor Pilati ad illum. *Nihil tibi, & iusto illi,* ideſt. nihil rei tibi cũ illo sit, vel noli quidquam negotij habere cum illo.

Ioel. 3. *Luc. 8.* *Matth. 27.*

Posita

Posita ergo hac verborum significatione est secunda expositio August. tract. 8. in Ioan. Christum illa verba ad suam diuinitatem retulisse, virtus enim faciendi miracula conuenit Christo ratione diuinitatis, ad quam etiam ostendendam miracula ordinanda erant, non ad demostrandam generationem ex matre. Propter hanc ergo causam dicit, quid mihi tecum est, quod scilicet ad miraculum perficiendum pertineat? non enim ex te diuinitatem, sed humanitatem habeo. Quam expositionē habet idem August. tract. 19. in Ioan. & lib. de fide & symb. c. 4. & lib. 2. de symbolo ad catechumenos cap. 5. Greg. lib. 8. epist. 42. Bed D. Thom. Glos. & alij in Ioan. & ferè idem sensit Greg. Nys. orat. in illud dictum Apostoli, *tunc erit & ipse subiectus, &c.* cúm inquit Christum his verbis quasi repulisse matrem, eò quòd veluti iure materno miraculum postularet. Quod etiam indicauit Athanas. serm. 4. cōtra Arianos, & August. supra. Sed non est intelligendū hos sanctos docere, Virginem opus illud quasi iure materno sibi debitum præcepisse, aut postulasse (id enim de fide, & humilitate B. Virginis sentire, indignum est) præsertim cum verba eius tantā erga Christum reuerentiam præse ferant, vt nec expressè rogare, sed solum indigentiam, & occasionem bene faciendi proponere ausa fuerit, vt Bernard. supra notauit. Intelligendum ergo est, propter circunstantes illo modo Christum matri respondisse, ne opus illud ex naturali affectu, aut potestate profectum putarent, vt in simili dixit Christus Ioan. 11. &. 12. & hoc modo est etiam hæc expositio subtilis, & probabilis.

August. *Greg. pap.* *Beda.* *D. Tho.* *Gloß.* *Gre. Nyß.* *Athanas.* *August.* *Bernard.* *Ioan. 11. & 12.*

Tertia verò expositio addi potest, vt Christus de se vt homine loquatur, & sensus sit. *Quid mihi, & tibi*, idest, quid mihi tecum est? quod non simpliciter, & absolute est intelligendum, sed in ordine ad negotium, de quo agebatur, seu respectu miraculi perficiendi, ac si diceret, non est hoc opus tale, vt ex humano respectu, vel consanguinitate pendeat, sed ex diuino obsequio, & volūtate. Ita fere Greg. Nys. supra, & Maximus, sermone secundo Epiphaniæ, & Bernar. serm. 1. & 2. Dom. primæ post Epiphan. In quo sensu non sunt hæc verba reprehensionis, sed instructionis propter circunstantes, vt circa expositionem August. diximus, nam hę duæ expositiones fere in idem recidunt.

3. expositio. *Gre. Nyß.* *Maxim.* *Bernard.*

Ad testimonia ergo in principio citata respondetur, Chrysost. & qui eum secuti sunt, excessisse (vt D. Tho. inquit.) Vnde eorum sententia, iam erronea est, vt diximus: piè autem exponi possunt, eos non sensisse in Virgine fuisse ambitionis, aut vanæ gloriæ motum, sed solum iudicari suspiciosè ab ijs, qui præsentes aderant, potuisse, & ideo Christum Dominum eo modo respondisse. Ad Athanas. dicendum est, Christum re vera non reprehendisse Virginem, quia vera, & rationabilis reprehensio culpam aliquam supponit, sed fortasse Athanasius increpationem vocauit illam admonitionem, seu instructionem potius, quam Christus illis verbis insinuauit non tam propter Virginem, quàm propter alios circunstantes, vt declaratum est. Et idem dicēdum est ad Irenæum. Non enim potest verè dici Beata Virgo passa fuisse repulsam, cùm, & quod petijt impetrauerit, & Christus non propter aliquem defectum Virginis, sed quia nondum erat tempus opportunum ad patrandum miraculum, illud aliquantulum differre voluerit, vt ex illis verbis patet, *nondum venit hora mea*, quod quidem Virginem latere potuit sine illius culpa. Non enim tenetur, qui orat, scire, quando sit oportunum tempus obtinendi, quod postulat, pręsertim cùm Beata Virgo non impertunè petierit, vt statim miraculum fieret, sed solum aliorum indigentiam, suamq; intercessionem insinuauerit. Vnde factum est, vt non solum non fuerit à Christo repulsa, sed potius vt propter amorem eius, Christus aliquantulum miraculum præuenerit, vt Cyril. dicto lib. 2. in Ioann. capit. 23. & Ambros. sermon. 16. in Psalmū. 118. circa finem, adnotarunt.

Reponsio. ad testimonia Patrū. *Cyrill.* *Ambros.*

Tertio obijcitur Virgini, quód Matth. 12. Marc. 3. Luc. 8. Christum publicè prædicantem, ex humana quadam ambitione interpellauerit. Propter quod videtur à Christo acerbè reprehensa, illis verbis, *Quæ est mater mea?* Ita fere Chrysost. homil. 45. in Matth. Sed respondetur facile, Primo in toto illo facto nullum esse imprudentię aut ambitionis indicium, quo possit ad culpam imputari, non solum Virgini, verum nec alijs fratribus Christi,

Obiectio. 3. *Matth. 12.* *Marc. 3.* *Luc. 8.* *Chrysost.* *Responsio.*

qui ipsum quærebant. Fieri enim potuit, vt bono animo, & conuenienti modo illum quærerent: casu autem acciderit, vt alij astantes, & audientes, Christum importunè alloquerentur. Vnde nulla est prorsus ratio irrogandi aliquam culpam Virgini, cùm Euangelistæ non dicant ipsam vocasse, vel interpellasse Christum, sed turbam, vel fratres Domini, quos sicut accusare non oportet: ita nec excu-
Augustin. sare necesse est, vt Augustin. notauit tract. 28. in Ioann. Quocirca, quanuis demus illa verba Christi reprehensionem aliquam continere, non tamen propterea existimandum est illam ad Virginem esse directam, sed ad turbam, vel fratres, si illa digni fuerunt, non est autem necesse dicere illa verba reprehensionis fuisse, sed solum instructionis, vt circunstantibus indicaret, propter carnaliter coniunctos
B non esse Dei opus intermittendum, vt Augustin. lib. de fide contra Manich. &
August. Bernard. Bernard. serm. 2. dominicę primæ Epiphaniæ, notarunt. Vel docere etiam voluit coniunctionem sanguinis cum Christo sine spirituali nō prodesse, hāc verò per se se multum valere. Ita Augusti. lib. seu ser-
August. Tertulli. Hilar. mo. de Virginita. capit. 3. & Tertul. lib. de carne Christi cap. 7. & indicat Hilar. Canone. 12. in Matth. circa finem, dum ait. *Christum non fastidiosè de matre sua sensisse, sed docere voluisse, propinquitatis ius, atque nomen, non iam de conditione nascendi, sed de Ecclesiæ communione retinendum.* Addit etiam eo facto significatam esse Synagogæ repulsam. Quod etiam dixit Greg. homilia. 3. in
Greg Pap. Ambros. Euangelia. Quę omnia mirè complexus est Ambrosius. lib. 6. in Lucam ante medium.
C

SECTIO. V.

Vtrum in prima sanctificatione fomes originalis peccati fuerit in Beata Virgine extinctus.

Fomes peccati quid sit

QVid fomes peccati sit, supra quæsti. 15. cum de Christo ageremus, explicatum reliquimus. Supponimus ergo esse ipsam naturalem inclinationem appetitus sentientis, quatenus inordinatè, & absque rationis consensu, sensibilia interdum potest appetere, quę imperfectio originalis peccati effectus est,
A quanuis non semper auferatur ablata originali culpa, vt in renatis constat. Quia verò hic fomes principium est, & origo ferè omnis peccati actualis, quod in lapsis hominibus reperitur, ideo illi, qui in Beata Virgine actuale peccatum admittunt, fomitem etiam necessario ei tribuunt: at vero catholici omnes, sicut negant B. Virginem aliquando venialiter peccasse, ita consequēter negant habuisse vnquam vel in appetitu, vel in voluntate motum aliquem indeliberatum præuenientem rationem, & consensum liberum volūtatis.

Primum ergo sit veluti fundamentum certum huius quæstionis, B. Virginem nū quam habuisse actum fomitis, seu (vt ita loquar) fomitem in actu secundo. Ita docet D. Thom. hic artic. 4. ad primum. Ca-
B. Virgo actum fomitis nunquā habuit. *D. Thom.* ietanus in opusculo de spasmo Virginis,
B & alij Theologi statim citandi, & hic videtur esse consensus omnium patrum, quos disputat. prēced. sect. 5 retuli, generatim enim docent nihil indecens, nihil vē inordinatum in Beata Virgine fuisse. Vnde Ber-
Caiet. *Bernard.* nar. in sermone circa illa verba, *signum magnum, nihil*, inquit, *in ea non dico tenebrosum, sed obscurum saltem, vel minus lucidum, sed nec tepidum quidem aliquid, aut non feruentissimū liceat suspicari.* Et idem est, quod Richard. de S. Victor. lib. 2. de Emanuel. c. 28. dicit.
Ric. Vict. *Virgini omnem ociositatem fuisse sublatam, solam pœnam fuisse relictam,* & c. 29. Virgini ac commodat illud Psal. 45. *auferens bella vsq; ad finem terræ*, quia in Virgine nullū inter-
Psal. 45. num bellum, sed summa pax fuit. Vnde cō cludit illam solam inter puros homines impleuisse in hac vita omni ex parte præceptum illud, *diliges dominum Deum tuum ex toto*
C *corde, mente, & animo*, Quia non tantum rem præceptam, sed quodāmodo etiam finem; & modum præcepti, assecuta est, & c. 31. *in cæteris sanctis magnificū fuisse*, inquit, *quod a vitiis non sunt expugnati, in virgine autē quod nec impugnata fuit.* Et hoc sensu Da-
Damas. mas. orat. de assumpt. Virginem vocat *immaculatam, quæ cū terrenis affectionibus nihil habuit commune*, Et eodem fere modo loquitur Sophro. in epist. sępe citata, quæ in. 6.
Sophro. Synod. Act. 11. refertur. Deniq; si Ambr.
Ambros. lib. de institut. Virg. c. 7. dixit, Virginidatū esse, *vt præsentia sua, integritatis insigne aliis conferret*, quid mirū, quodin se nunquā in ordinatū motum senserit? Ratione verò hoc ipsum demonstratur primo, quia

decuit

decuit Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequeat intelligi. Secundo quia hic est quidam effectus originalis peccati, magnam indecentiam, & cum culpa magnam habens affinitatem, isti enim motus de se mali sunt, & culpabiles nisi ignorātia, vel impotentia illos vitandi, excuset. Vnde argumentor tertio ex principio supra posito, quod B. Virgo nunquam venialiter peccauerit. Nam licet posset Deus non obstante fomite, & motibus eius, impedire omnem culpam in Beata Virgine, tamen cùm sapientissimè, & suauissimè omnia prouideat, accommodat fini media, & causam disponit, prout expedit, ad intentum effectum. Quia ergo B. Virginem ab omni culpa præseruaturus erat, eandem fecit ab omni inordinatu motu liberā, quia moraliter difficillimum est pati inordinatos motus, & venialiter saltem nunquam delinquere. Vnde fit nullam mentis distractionem, vel variarum cogitationum intellectus, aut phantasiæ inuoluntarias immutationes, passam vnquam fuisse. Hæc enim omnia imperfectionem magnam cōtinent, & ad fomitis inordinationem pertinent.

Obiectio. Dices huiusmodi motus, si rationem culpæ non attingant, non sunt cōntra perfectionem sanctitatis, sed potius ad illius augmentum conferre possunt, non est ergo cur negemus in B. Virgine fuisse permissos. Respond. sanctitatem perfectam omni ex parte excludere omnem motum diuinę legi contrarium, & ideò Christus hanc perfectionem assumpsit, & participationem eius cum matre communicauit, quæ ad crescendum in gratia, hac occasione non indiguit, hoc enim ad statum incipientium pertinet, ipsa verò inde incepit vbi alij post longam pugnam consummantur.

Responsio C

Hac ergo certissima veritate supposita, in qua potissimum res in hac quæstione intenta consistit, in modo vel loquendi, vel explicandi hanc rem Theologi dissentiūt. Quidam enim dicunt fomitem fuisse quidem in Virgine ligatum à prima sanctificatione, non tamen fuisse prorsus extinctū vsque ad secundam. Alij verò á prima sanctificatione dicunt fuisse fomitem omnino illi sublatum. Priorem sententiam docet D. Thom. hic, quem Caiet. & alij sequuntur, & fuit sententia Albert. in. 3. distinct. 3. vbi Bonauent. 1. par. distinction. artic. 2. quæst. 2. eandem tenet, & Richar. artic. 1. quæst. 3. & 4. Durand. quæst. 3. inclinat etiam Richard. de S. Victor. lib. 2. de Emanuel. capit. 26. & 27. Fundamentum D. Thom. est, quia non decuit carnem aliquam omnino liberari à lege fomitis, & peccati, donec filius Dei assumeret carnem sanctam, & à fomite liberam. Sicut non decuit corpus aliquod humanum ante Christi corpus gloria, & immortalitate donari. Possūt autem in huius sententiæ cōfirmationem citari Cyprian. lib. de Cardinalib. Christi operib. c. de natiuit. Christi. vbi dicit, *in Christi conceptione Spiritu sancto obumbrante, originale incendium extinctum fuisse.* Et Cyril. Ierosolymit. Cateches. 17. dicens, *Spiritum sanctum in Virginem veniendo, & eam obumbrando, sanctificasse eam, quo posset cum, per quem sunt omnia, suscipere.* Et Nazian. oration. 38. & 42. qui ait Spiritum sanctum in anima, & corpore purgasse Virginem, vt Christum conciperet, & Arnob. Psalm. 14. in princip. clarius dicit, *Iesus immaculatus virgineam aulam ingressus, ipsum tabernaculum à maculis carnalibus liberauit, & dedit sanctificationem potius quam accepit.*

Bonauent. *Richard.* *Durand.* *Ric. Vict.* *Cyprian.* *Cyril. Iero solym.* *Gre. Naz.* *Arnob.*

D. Thom. *Caiet.* *Albert.*

Secundam verò sententiam docet aperte Alens. 3 part. quæst. 9. m. 2. art. 1. idem Scot. Gabr. Almai. Mai. distict. 3. & ferè reliqui autores, qui docent B. Virginem ab originali culpa fuisse præseruatam. Cui sententiæ fauent Patres in primo puncto huius sectionis citati. Et ratio adiungi potest, quia à prima sanctificatione Virginis statuit Deus nullum motum fomitis in illa permittere, ergo non solum ligauit, sed etiam extinxit in ea fomitem. Quorsum enim fomitem in actu primo (vt ita dicam) in ea relinqueret, cùm omnē actū secūdum esset impediturus? maximè cùm huiusmodi fomes imperfectum quid sit, & de se ad malum incliner.

Alens. *Scot.* *Gabr.* *Almain.* *Mai.*

Vt differentiam harum opinionum, remque totam aperiam, operæ pretium erit exponere, quid sit ligare, vel extinguere fomitem, & qua ratione duo hæc inter se differant. Conueniunt enim, quia vtroque modo infallibiliter fit, vt appetitus nullum inordinatum motum habere possit in sensu composito, ideſt, posita illa gratia, vel priuilegio, quo fomes ligari, vel extingui dicitur. Cùm enim appetitus,

Ligari, extinguive fomitem quid sit.

seu fomes sit potẽtia de se naturaliter operans, præsertim in ijs motibus, qui libertatem anteuertunt, non potest infallibiliter impediri, ne hoc modo operetur, nisi careat aliquo principio ad operãdum requisito, videlicet obiecto, cõcursu Dei, alioue simili. Quia si haberet omnia requisita ad operandum, cùm sit potentia naturalis, statim operaretur. In quo multum differt à potentia libera, & ideò necessario fit, vt siue fomes extinctus sit, siue ligatus, infallibile sit numquam habiturum actum fomitis, atque adeò vt facta illa suppositione non possit illum habere. Cùm ergo hic effectus communis sit, vt explicemus, quę differentia esse possit inter ligatum fomitem, & extinctum.

Aduertendum secũdo est tribus modis intelligi posse fieri hunc effectũ, primo per solos habitus, vel qualitates inhærentes, ita perfectas, vt per solam intrinsecam informationem contineant appetitum, ita vt ex vi illarum nullo modo moueri possit contra rationem. Et si hic modus possibilis est, per illum propriæ dicetur auferri fomes, quia per eum tolletur intrinsecè priuatio iustitiæ, & inordinatio appetitus. Et ita videtur sentire Caiet. Durand. & multi alij. Fateor tamen me nunquam potuisse intelligere, quo modo per solos habitus inhærẽtes possit hic effectus fieri sine alia actuali, & extrinseca prouidentia Dei, vel clara eius visione, quia illæ qualitates quę solum sunt per modũ actus primi, non possunt efficere, vt existens obiectum, & applicatum appeti tui illum non moueat. Quia appetitus de se naturaliter operatur circa obiectum applicatum, nisi per actualem motionem à superiori potẽtia contineatur, quam naturalem inclinationem, & efficaciam non videntur soli habitus posse impedire. Nam sicut vitia non sufficiunt ad tollendam inclinationem ad bonũ: ita nec virtutes, licet perfectissimæ sint, possunt tollere naturalem inclinationem appetitus ad sensibilia, quæ interdũ rationi repugnant, & ad illa nonnunquam mouebitur, nisi aliunde præueniatur, vt lacius dicitur in Prima Parte, tractando de statu innocentiæ, & de originali iustitia.

Caiet. Durand.

Per solos habitus inhærẽtes auferri fomes cur nõ possit.

Secundo modo intelligi potest fieri hic effectus, per solam extrinsecam Dei prouidentiam, vel impedientem obiecta, quæ A possent huiusmodi motus excitare, vel negantem concursum suum ad eosdem, & hic modus sine dubio fuit possibilis, & posset meritò dici ligatio fomitis. Tertio modo potest intelligi hic effectus fieri, partim per habitus, & virtutes perfectas, partim per diuinã gratiã excitantẽ, præuenientem, & adiuuantẽ. Et hic modus possibilis est, & ex suo genere in homine puro viatore maximè perfectus. Quia includit gratiam, & hæroicas virtutes, & diuinum auxilium necessarium. Nam quia homo non videns Deum, neque ipsum semper actualiter amat, nec per rationem superiorem de omnibus, agendis semper considerat, nec potest per se se omnes occasiones præuenire, ne appetit9 excitetur prius, quàm ratio vigilet, ideo necessarium est hoc diuinum auxilium, quod hominem custodiat. B Et hic modus, si perfectas virtutes includat, meritò dici potest extinctio fomitis, cùm per illum, & appetitus inferior intrinsecè perficiatur, & subordinetur superiori, & ipsa superior ratio ex diuino auxilio semper, cùm oportet, attendat, & præueniat, ne ab inferiori præueniatur.

Ligatio, extinctioue fomitis fieri quomodo possit,

Ex his igitur facile est de supra dictis sententijs iuditium ferre. Simpliciter enim dicendum censeo in B. Virgine á prima sanctificatione fomitem extinctum fuisse, quanuis hic effectus in secunda sanctificatione auctus fuerit, & perfectus. Probatur quia in primis dici non potest in Virgine solum fuisse impeditos huiusmodi motus per solam extrinsecam prouidentiam, vt ea ratione dicatur tantum fuisse ligatus, C tũ quia ille modus est valde imperfectus, & ideo non est, cur Virgini tribuatur: præsertim cùm non sit consentaneus ordinario modo prouidentiæ Dei, qui causis secundis principia tribuit intrinseca ad huiusmodi effectus, & ipse solũ supplet ea, quæ per intrinseca principia fieri à causis secundis conuenienter non possunt. Tũ etiam quia Beata Virgo à principio habuit gratiam, & virtutes omnes per se, & per accidẽs infusas valde perfectas, quibus coniunctũ est illud diuinum auxiliũ.

A primæ sanctificationis instãti in virgine, peccati fomes extinctus.

Quòd si fortè dicatur, non fuisse illi à principio datas virtutes in gradu adeo perfecto, vt ad extinguendum fomitem censeri possit sufficiens, vel saltem non esse illi datam quandam aliam qualitatem, quæ intrinsecè, ac proprie perficit hunc effectum.

Obiectio.

Responsio effectum. Respondetur primũ hoc, quod dicitur de quadam alia qualitate commentitium est, & intelligi certe non potest, vt ex supra dictis constat, & ex ijs, quę supra de extincto fomite in Christo, & alibi de iustitia originali Adę dicta sunt. Deinde siue per huiusmodi qualitatem, siue per virtutes infusas in gradu perfecto, vel solas, vel (quod verius est) cõiunctas diuinę custodię dicatur extingui fomes, sine causa negatur datum fuisse Virgini in prima sanctificatione perfectę virtutis gradum ad hunc effectum necessarium. Quia Adæ, & Euæ in prima sanctificatione data sunt gratia, & virtutes in gradu hęroico ad hunc effectum sufficiente, sed copiosior gratia, & perfectiores virtutes datę sunt Virgini in prima sua sanctificatione, vt ex principijs supra positis constat.

Bernard. B Vnde Bernard. epist. 174. *ego*, inquit, *puto quod copiosior sanctificationis benedictio in eã descenderit, quæ ipsius non solum sanctificauerit ortum, sed & vitam ab omni peccato deinceps custodierit immunem*, vbi loquitur de intrinseca perfectione gratiæ sanctificantis quæ (vt supra dicebamus) non posset sufficienti modo disponere ad superandum perfecte omne peccatum, nisi esset etiam sufficiens, in suo genere, ad fomitem extinguendum. Et confir. tum ratione facta pro secunda sententia, tum etiam alia ratione supra indicata, quia Deus, qui suauiter omnia disponit, tribuit causis secundis virtutes intrinsecas effectibus accommodatas: tum denique quia Beata Virgo C ante conceptionem filij dicta est, *plena gratia*, quam plenitudinem proportionaliter habuit a prima sanctificatione: includit autem hęc plenitudo omnem effectũ decentem eam, quę futura erat mater Dei, tota autem hæc perfectio illam maxime decet, vt ostensum est.

Responsio ad argumẽta in oppositum. Neque in contrarium obstat fundamẽtum primæ sententiæ, nihil enim Christi dignitati derogat, quod hanc perfectionẽ matri communicauerit inferiori modo, quam in ipso fuit: ipse enim per se habuit omnem & animæ, & corporis sanctitatẽ, Virgo autem per ipsum: ille vt Deus homo habuit in sua voluntate humana perfectum dominiũ in omnes actiones suas, & in omnia obiecta, quæ illas poterant excitare, & vt beatus semper actu considerabat omnia, vnde etiam per intrinsecam prouidentiam, & virtutem omnia poterat præuenire, B. autem Virgo pro statu viæ non fuit tantæ perfectionis capax. Sicut autem non derogat sanctitati animę Christi, quod antequam illa extiterit, ex merito eius multæ animę fuerint sanctificatæ, etiam in gradu valde perfecto, & eximio, ita non derogat puritati, & sanctitati carnis Christi, quod ante formationem eius caro matris fuerit perfecte sanctificata vsque ad extinctionem fomitis, sed hoc potius commendat prouidentiã, charitatem, & efficaciam meriti ipsius. Nec est simile de perfectione gloriæ, illa enim est perfectio pertinens ad terminum, in quo nullus hominum cõstitui debuit, nec in anima, nec in corpore ante Christum, hęc autem est perfectio accommodata, & communicabilis viatori.

Ad patres respondetur potius à nobis stare. Cyprianus enim, non de fomite peccati, sed de sensibili voluptate loquitur, quam B. Virgo in conceptione filij, spiritu sancto obumbrante, non sensit. Et similiter Arnob. non tractat de fomite, sed de æstu libidinis, & sordibus puerperij, & has vocat carnales maculas, à quibus B. Virgo in conceptione, & partu præseruata fuit. Et idẽ fere est sensus Cyril. Nazianz. & aliorum docentium Virginem in conceptione filij ab omni carnis immunditia, & indecentia fuisse immunem. Addi etiam potest ex *D.* Tho. hic art. 3. ad tertiũ Virginem in filij cõceptione ampliori sanctificatione fuisse donatam, cum maiori mentis illuminatione, & totius animæ ad Deum collectione. Et hęc solet a sanctis vocari, *purgatio*, non à culpa, sed ab externis impedimentis, a remissione animi, ab ignorantia negatiua, seu nescięntia, vt Dionys. loquitur, c. 6. de cælest. hierar. p. 3. post med.

Responsio ad testimonia patrum

D. Thom.

SECTIO. VI.

Vtrum beata Virgo in prima sanctificatione originalem iustitiam acceperit.

RAtio dubitandi oritur ex præcedenti dubio, quia scilicet, dicta extinctio fomitis est effectus formalis originalis iustitiæ. Difficultatem hãc tractat late Cordub. lib. 1. sui quæst. q. 46. vbi refert quosdam autores simpliciter asserentes, B. Virginem ha-

Cordub.

Carthusia. Canis. Cardin. Cusan. Durand. Caiet.

Anselm.

ginem habuisse originalem iustitiã. Quod etiam sentit Carthusian.lib.de præconio, & dignitate Mariæ, & Canisius lib.1.de Deipara c.9.referẽs Cardinalem Cusanũ lib.8.suorum operum circa illud, *sicut lilium inter spinas.* Indicat etiam Durand.in,3.d. 3.q.3.& Caie.1.2.q.109.art.2.dum inquit in B.Virgine fuisse, *donum integritatis naturæ*, quod sola ratione à iustitia originali distinguit,& fauet Ansel.libr. de conceptu Virginali,c.20.vbi de Christo loquens ait à sua origine iustitiam originalem habuisse.Quod non potuit alia ratione dicere, nisi quia fomite caruit,ergo idem proportione seruata dicendum est de Virgine,cũ etiam fomite caruerit,vt sicut iustitia originalis,quę communicata est Adæ,vt primo naturę principio communicata fuit Euę,quæ in adiutorium simile sibi data est,ita suo modo Christo,& Beatę Virgini sit data. B

Iustitia originalis quid sit.

Ad explicandam exacte hanc difficultatem oporteret diligenter inquirere, quid iustitia originalis sit,quos effectus habeat, & quomodo,sed quoniam hoc est á præsenti instituto alienum,suppono iustitiã originalem fuisse quoddam donum sanãs naturam constituendo perfectum ordinẽ inter Deum,& hominem,& inter partes seu appetitus hominis inter se,ita vt inferiora superioribus,& omnia Deo essent perfecte subiecta.Hoc autem donum(vt opinor)nihil intrinsecum erat in homine, prẽter gratiam in essentia animę existentem,& virtutes omnes per se, & per accidens infusas in gradu hęroico, quibus adiungebatur specialis Dei prouidentia, & C custodia,vt latius in.1.p.q.95.ostendi.

Ex quo colligitur primo,fuisse in Virgine potissimos effectus originalis iustitiæ, non tamen omnes,qui ad statum innocentię,seu originalis iustitię,pertinebant.

Primum constat,quia habuit superiorẽ rationem , seu portionem perfectissime subiectam Deo,& inferiorem rationem, & appetitum superiori, absque vlla discordia,vt ostensum est.Et ideo recte dicitur habuisse integritatem naturę in ordine ad humanas operationes. Secundum etiam est euidens,quia fuit capax tristitię timoris,&doloris,& similium affectionũ, quę in statu originalis iustitiæ non erant. Et similiter habuit corpus passibile,quod defatigabatur,& morti fuit subiectum , a quibus omnibus præseruabatur homo in illo statu.

Secundo hinc concluditur,si iustitia originalis sumatur pro collectione omnium horum effectuum,seu pro dono , quod omnium illorum principium sit, in B.Virgine non fuisse originalem iustitiam,quia non habuit totam collectionem effectuũ, nec principium eius.Nihilominus tamen verisime dici potest habuisse donum originalis iustitiæ,quoad precipuos,& quasi formales effectus eius, constat enim hos effectus,qui consistunt in subiectione ad Deum,& rationem superiorem,& perfecta subordinatione potentiarum esse precipuos:constat etiam illud donum , quo hi effectus fiebant in Virgine,fuisse eiusdem rationis cum dono collato Adę ad similes effectus præstandos. Quia(vt dictum est)non fuit aliud prætergratiam, & virtutes perfectas sub diuina prouidẽtia, & custodia,& hoc sensu multi doctores in, 2.d.29.& 30.dicunt, fomitem non excludi nisi per originalem iustitiam.Et eodem modo possumus loqui de Virgine (quidquid Corduba supra contendat) quanquam quia B.Virgo non habuit hoc donum ex vi suę originis,neque cum omnibus effectibus originalis iustitiæ(vt dictum est)ideo magis expedit non simpliciter ita loqui,sed cum limitatione,& declaratione sufficienti,quę ex dictis facile cõstat.

Donum originalis iustitiæ quomodo fuerit in Virgine.

SECTIO .VII.

Vtrum B.Virgo habuerit vsum rationis a sua conceptionis,& sanctificationis initio.

HActenus explicuimus,quanta fuerit perfectio,multitudoque donorum gratię sanctificantis,quæ in prima sanctificatione B.Virgini sunt data,de alijs vero donis seu gratijs gratis datis, quia non in prima sanctificatione,sed posterius data esse censemus,inferius suo loco dicendum est.Solum igitur superest explicandum id,quod vltimo loco supra proposuimus,quo modo scilicet B. Virgo fuerit sanctificata,vtrum sine propria dispositione(vt ordinarie infantibus contingit)an vero altiori modo,& per propriã dispositionem more adultorum. Huius autem decisio pendet ex quęstione,quam in hac

in hac sectione præmittimus. In qua indi cantur multa. Primum, an in primo instanti habuerit vsum rationis, & actum eius, cum perfecta cognitione, & iudicio. Secũdum, quid per illum actum cognouerit, aut cognoscere potuerit. Tertium, qualis fuerit illa cognitio. Quartum, an hic vsus rationis, vel facultas illa vtendi perseuerauerit in Virgine tota infantili ætate.

Bernardi. Senens. Caiet. Viguer. Virgo habuit instanti conceptionis actualẽ rationis vsum habuit.

Dico ergo primo, Beata Virgo habuit actualẽ vsum rationis in primo instanti conceptionis, & sanctificationis suæ. Ita docet expresse Bernardinus Senens. sermo. 51. de B. Virgine. c. 2. art. 1. & Caiet. hic arti. 3. & Viguer. in institutionib. ca. 5 § 3. versiculo. 9. Probatur autem ex principio supra posito, quia priuilegium gratiæ alicui puro homini concessum, non est verisimile B. Virgini fuisse negatum: sed vtique tempore suæ sanctificationis datũ est Ioanni Baptistæ, vt patet ex illo verbo Luc. primo, *exultauit infans in gaudio in vtero meo*, vbi aduertere oportet, verbũ, *exultandi*, interdum analogice, seu metaphorice sumi in scriptura, & tribui rebus etiam inanimatis iuxta illud Psal. 113. *montes exultauerunt, vt arietes.* Propter quod Iansen. ca. 4. concord. censet hanc exultationem Ioannis non fuisse cum cognitione, nec ibi gaudium significare proprium gaudij affectum, sed motum aliquem externum, seu gesticulationem, quæ gaudij effectus esse solet. Nã vox Græca Ἀγαλλιάσις hoc proprie significat. Sed nõ est, cur vbi proprietas verborum stare potest, ad metaphoras confugiamus, certum est autẽ vocem *exultationis, & gaudij*, propriè significare actum vitę, qui cognitionem supponit, quam propriam significationem etiã vox Græca commodius admittit, & iuxta illam, perfectior, magisque accommodatus sensus redditur. Præsertim quia (vt notauit Origen. homil. 7. in Lucam) licet verbum, *exultandi*, simpliciter dictum, metaphorice interdum in scriptura sumatur: tamen, *exultare in gaudio*, nunquam inuenietur secundum metaphoram dictum.

Luc. 1. *Psal. 113.* *Ianſen.* *Ioãnes Baptista vsum rationis in vtero matris habuit.* *Origen.*

Quo factum est, vt fere omnes Patres tã Græci, quam Latini in hac expositione cõsentiant, Ambros. lib. 1. in Luc, *Habebat intelligendi sensum, qui exultandi habebat affectum.* Idem de institut. Virg. c. 13. libr. 2. de Virginib. in princip. & libro. 4. de fide ad Gratian. c. 4. Leo Pap. serm. 10. de natiui.

mbros. *Leo Pap.*

Præcursor, inquit, *Christi spiritum Prophetiæ intra viscera matris accepit, & nondũ editus, genitrici domini signa exultationis ostendit*, clarius Hieron. epist. 7. ad Lętam. *Audiebat* (inquit de Ioanne) *verba domini per os virginis personantis.* & Bed. Luc. 1. *Prior* inquit, *Elizabeth vocem audiuit, sed Ioannes prius gratiam sensit, illa Mariæ, iste domini sensit aduentum.* Idem Pet. Chrysol. serm. 88. Augustin. lib. 2. de consens. Euangelist. c. 15. & (si illius sunt opera) in oratio. de quinque hęresib. c. 14. & lib. 3. de mirabilib. sacrę scripturæ. c. 1. Origenes homilia. 4. in Lucam, dicit Ioannem in vtero cognouisse Christum, quem Iudæi, post multa facta miracula ignorarunt. Idem docet hom. 7. & homil. 2. ex variis in hunc sensum exponit illud verbum Ioannis Baptistæ, quod Ioan. primo habetur. *Qui post me venit ante me*, ideſt, *ante conspectum meum factus est.* vnde sic inquit, *Qui ordine temporum post natiuitatem meam factus est in carne, ante conspectum meum, dum adhuc essem in viscęribus matris, prophetico spiritu vidi illum coram me conceptum in vtero Virginis.* Idem sentit Chrys. homil. prima in Lu. & Theophyl. Luc. primo qui ita exponit, Ioannẽ Baptistam fuisse plus quam Prophetam, quia ex vtero matris habuit Propheticã cognitionem: in eadem sententia est Cyri. Ierosolym. catechesi. 3. & Nicephor. lib. 1. hist. c. 8. & Simeõ Metaphrast. orat. de vita, & dormitione deiparę, apud Surium, tom. 5. Ac denique in Conci. Basilien. sess. 43. dicitur, Ioannem in vtero matris Christum cognouisse. Vnde Ecclesia in eius officio canit. *Senseras regem thalamo manentẽ.* Solus Augustin. Epist. 57. ad Dardan. (quẽ D. Thom. hic art. 6. imitatur) videtur hoc in dubium reuocasse. Sed Augustin. eo loco non tantum de vsu rationis, sed de tota Ioannis Baptistę sanctificatione quæstionem mouet, & nihil ibi negat, sed inquirẽdo procedit, D. autem Thom. à Caietano exponitur non *assertiue*, sed, *aduersatiue*, fuisse locutus, scilicet, quamuis Ioannes Baptista non habuisset vsum rationis in vtero matris, non propterea esse negandũ fuisse sanctificatum.

Hierony. Beda. *Petr. Chrysolog.* *Auguſt.* *Origen.* *Ioann. 1.* *Chriſoſt. Theophyl.* *Cyri. Iero. Nicepho. Simeon Metaphr.* *Conc. Baſilienſ.* *Auguſt. D. Thom.*

Mirum est autem, non defuisse, qui cũ admitterent hoc priuilegium Ioanni fuisse concessum, nihilominus negauerint datum Virgini, quia hæc non est perfectio ad maiorem sanctitatem pertinens, sicut

bre

breuiori, aut longiori vita viuere. Hęc enim sententia improbabilis mihi videtur. Quanquam enim rationis vsus absolute sumptus, non necessario pertineat ad maiorem sanctitatem, tamen si ille vsus sit per actum fidei, seu cognitionis diuinæ, & sit fundamentum sanctificationis, & meriti, multum ad perfectionem gratiæ, & sanctificationis pertinet. Deinde, licet diutius in via, seu mortali vita durare, per se ad perfectionem non pertineat, (præsertim si post illam finitam, ad statum, & terminum beatitudinis à Deo præfixum statim transeundum sit) quandiu tamen in hac vita viuimus, frequentius, & diuturnius in Dei contemplatione, & actuali amore versari, sine dubio est magna perfectio sanctificantis gratiæ. Sicut in beatis summa quædam perfectio est, nunquam huiusmodi actus interrumpere, nam quo magis in via illis similes efficimur, eo magis ad perfectionem accedimus. B

Dico secundo. Hęc rationalis cognitio quam B. Virgo in eo momento habuit, potissimum circa Deum, & Christum dominum versata est. Hoc fere nō indiget probatione. Patet enim, tum ex adducto exēplo de Ioanne Baptista, qui Christum in vtero matris cognouit: tum etiam, quia hæc cognitio est ad sanctificationem pertinens, alia vero non erat eo tempore necessaria.

Dico tertio, Hæc cognitio fuit per actū perfectum fidei. Hæc conclusio non est certa, quia potuit Deus dare B. Virgini in C eo instanti scientiam aliquam infusam supernaturalem mysteriorum, & non est improbabile hoc fecisse, de quo infra disputabimus, cum de scientia Virginis ex professo agemus: est autem certum, & consequens ad ea quę dicta sunt, cognitionem quam tūc Virgo habuit, fuisse super naturalē, & verisimilius est fuisse fidem, quā constat, habuisse Virginem aliquādo iuxta illud. *Beata quæ credidisti*, hęc enim est sufficiens, & accommodata viatori, & ad perfectionem sanctificationis, illa sola est necessaria. Quam verò expressa, & distincti fuerit hęc fides Virginis, & quæ mysteria per illā cognouerit, in prędicta disputatione commodius tractabimus.

Obiectio. Responsio Dices, Ioannis cognitio vocatur Prophetica à citatis Patribus, quę tamen videtur perfectior, quam cognitio fidei. Respondetur non semper esse perfectiorem, neque aliam in substātia à cognitione fidei, vt latius in. 22. tractatur. Dices rursus, cū fidei cognitio à sensibus pēdeat, quo modo potuit B. Virgo habere actum fidei, antequam posset phantasmatibus vti? Respondetur, potuisse Deum, vel ita eleuare intellectum Virginis, vt sine dependentia à sensibus per lumen fidei, & species aliquas per se infusas operaretur, sicut in perfecto quodam gradu Prophetię interdum fit, vel etiam potuisse interiorem sensum, seu phantasiam ita confortare, vt in tellectui cooperari valeret. *Obiectio: Responsio*

Dico quarto. Probabile est facultatem vtendi ratione datam Virgini in primo instanti in ea semper durasse. Hæc conclusio est contra Caiet. hic art. 4. qui ita interpretatur D. Tho. dicentem, esse specia le priuilegium Christi habere vsum liberi arbitrij in vtero matris, intelligendū enim dicit, de vsu rationis permanente. Conclusionem tamen positam tenet Bernardinus Senensis citato loco. qui argumentū sumit à Ioāne Baptista, de quo idē sentit Iacobus Christopolitanus super Cāti cū *magnificat*, & potest fieri verisimilis, Primo exillo principio, quod ita vidētur sancti de Ioanne Baptista sentire, multo ergo magis est nobis ita de Virgine sentiēdum. Antecedens patet ex Ambr. lib. 2. in Luc. c. de mora Marię cum Elizabeth, dicit Ioānem creuisse in gratia illis tribus mensibus ex præsentia Virginis, &c. sequenti dicit. *Tempus siletur infantiæ, quia præsentia Domini matris in vtero roboratur, qui infantiæ impedimenta nesciuit*, & infra. c. de prophetia Zachariæ ait, *Zachariam ideo locutum esse ad filium, & tu puer, &c. quia eum audire poterat, qui salutationem Mariæ audierat.* Quæ omnia sumpsit ex Orig. homil. 8. & 9. in Lucam. Secundo cōfirmari hoc potest, ex fide digna historia, qua fertur, B. Virginē, tertio suæ ætatis anno intelligētē, quidē, ac cōsentiētē fuisse in tēplū à parentibus oblatā. Ita tradit Greg. Nyss. oratione de Christi natiuit. & Damascen. lib. 4. fidei. c. 15. Euodius & alij quos infra referam. Verum est tamen, non omnes patres disertè affirmare B. Virginem, eo tempore rationis vsum habuisse, satis tamen indicant, & expressius habetur in illa historia, quæ nomine Hieronymi circū fertur, & Antonin. 1. p. historiali ti. 4. c. 6. *Facultas vtendi ratione data Virgini in cōceptione qualis. Caietan. Bernardin. Senens. Iacob. Christopolit. Ambros. Origen. Gre. Nyss. Damasce. Euodius. Antonin.*

§. 10.

§ 10: dicit, *nihil illi tunc defuisse ad perfectã ætatem, & iam tunc ascendisse mente ad quindecim gradus perfectionis, in quindecim Psalmis cantici graduum significatos*, & idem sentit, Dionys. Chartus. in 1. p, vitę Christi. § 2. ergo fuit accelleratus vsus rationis Virgini in ea ætate, ordinaria enim lege naturæ, non poterat tunc ratione vti. Quod, vsitato exemplo Ioannis Baptistę, confirmare possumus. Ille enim (sicut virũ decebat) à tenera ætate, quando iuxta naturæ leges, nondum ratiocinari poterat ab spiritu sancto motus, & illuminatus, in eremum abijt, vt diuinę contemplationi vacaret, vt Chrysost. indicat homil. 38. in Matth. & Orig. homil. 9. in Lucam, & clarius Nicephor. lib. 1 hist. c. 14. Sic ergo. B. Virgo (sicut decebat Virginem) templum adijt, vbi continua ferè *Dei* contemplatione frui posset. Ergo verisimile est, hunc rationis vsum quem sæpius in infantia Virginem habuisse conspicimus, cõstãtem, ac perpetuum in ea fuisse. Tertio accedit, quod Dei opera perfecta sunt, eiusque dona sine pœnitẽtia, neque auferuntur sine culpa, præsertim quando dantur in vtilitatem, & perfectiorem sanctificationem suscipientium: vnde fit, vt sit, etiam hæc maior perfectio Virginis, eius statui, & dignitati valde consentanea. Nihilque derogat Christo, est enim illi proprium habuisse in vtero matris vsum rationis in clara Dei visione, & in facultate vtendi omni scientia, & in omni materia pro suo arbitrio, atque adeò in tali vsu rationis, quo posset perpetuo vigilare, & omnem inferiorum potentiarũ motum præuenire, de quo vsu videtur *D.* Tho. art. 4. loqui, B. autem Virgo tantum habuit facultatem vtendi ratione in ijs, quę ad Dei, & Christi cognitionem pertinebant.

Dionys. Chartus. Chrysost. Origen. Nicephor. A B C D. Thom.

Obiectio. Sed obijci potest, quia sancti supra citati loquentes de accelerato vsu rationis Ioannis Baptistę, dicunt fuisse per modũ propheticæ reuelationis, quę non solet dari permanenter, & per modum habitus, sed actualis motionis. Et confirmatur quia videmur multiplicare miracula sine necessitate. Oportebit enim consequenter dicere B. Virginem potuisse in infantia intelligere sine conuersione ad phantasmata, vel certe Deum miraculosè disposuisse, aut cõfortasse sensus eius, vt per fecte possent rationi cooperari. Satis ergo esse videtur, quod per actualem & trãseuntem reuelationem rationis vsum habuerit, tum in primo instanti sanctificationis: tum etiam fortasse postea pro alicuius temporis, seu occasionis opportunitate. Respondetur hunc modum dicendi etiam esse probabilem, & iuxta illum posse non difficile accommodari omnia, quę ex Patribus, & historijs attulimus: prior tamen, quem elegimus, verisimilior videtur, & diuinæ bonitati, atque prouidentiæ magis consentaneus, & certè saltẽ ex eo tempore, quo B. Virgo fuit in templo præsentata, non videtur dubitandũ, quin facultatem habuerit perfecte intelligendi, ac diuina mysteria contẽplandi. Hoc enim munus semper in templo exercuisse Patres omnes docent, (nec enim ob alium finẽ illuc oblata est) non potuit autẽ etiã eo tempore ratione vti absque speciali gratia, & priuilegio. Eadem ergo ratione dicere possumus similem gratiam anteriori tempore accepisse. Præsertim cum Antoni, dicat, eo tempore iam Virginem mẽte ascendisse ad supremum gradum perfectionis.

Responsio

Antonin.

SECTIO. VIII.

Vtrum beata Virgo sanctificata fuerit per propriam dispositionem.

HÆc quæstio ex præcedenti definita est. Dicendum est enim B. Virginem fuisse sanctificatam per propriam dispositionem, Ita docet S. Bernardin. loco supra citato. Et probatur ex dictis. Primo quia in illo instanti B. Virgo habuit cognitionem Dei, non est autem verisimile habuisse illam ociosam, & quasi emortuam. Habuit ergo simul actum liberi arbitrij in Deum, quo illum super omnia dilexit: nã in hunc potissimum finem data est ei hæc cognitio, & omnes coniecturę, quibus ad cognitionem probandam vsi sumus, efficacius de spe, & amore procedunt, ergo. Secundo quia sanctificari per proprium actum est perfectior modus, (ut D. Tho. infra probat, q. 34 art. 3.) Ergo credendũ est hoc modo fuisse sanctificatam Virginem. Et confir. quia nullus sanctificatur sine proprio libero cõsensu, nisi veluti per accidens propter impotentiam vtendi ratione

Bernardi. Senens. Virgo per propriã dispositionem primo sanctificata.

D. Thom.

tione,ratio enim perfecta, ac propria in A eundi amacitiam diuinam,& veluti spiritualem despōsationem,quæ in prima sanctificatione fit,vtriusque partis consensum requirit:sed in Virgine non erat hęc impotentia,nam(vt ostensum est) ratione vti poterat,ergo.Tertio quia propter has rationes tam Angeli,quam Adam sanctificati fuerunt per propriam dispositionem, et idem dicendum est de Ioanne Baptista,nam gaudium illud,quo exultauit signum amoris fuit,multo ergo magis asserendum hoc erit de Virgine Beata.

Obiectio, Dices ergo non est operata beata Virgo in illo instanti per habitus gratię, & charitatis,dispositio enim ad infusionem gratię,& donorum,non procedit ab habitibus,(vt suppono)consequens autē non videtur verum,quia ille est imperfectus modus operandi.

Responsio Respondetur.Dupliciter intelligi potest hęc sanctificatio per propriam dispositionem,vno modo, vt sit hęc dispositio præparans subiectum ad receptionem habitus,& tunc verū est talem dispositionem non effici ab habitu, nam potius habitus infunditur,quia dispositio effecta est, non vt efficiatur: alio modo potest hæc dispositio intelligi, nō vt præparans,sed vt perficiens,& vt sanctificationem consummans , & quando dispositio talis est,ab habitu, seu principio intrinseco procedit.Potest ergo dici, beatā Virginem fuisse sanctificatam per propriam dispositionem hoc posteriori modo, et ita facile expeditur difficultas posita.Mihi tamen verisimilius est,fuisse priori modo sanctificatam. Ille enim est magis accommodatus viatoribus ratione vtentibus,& omnibus pensatis ad maiorem perfectionem pertinet , nā qui se ad gratiam disponit,quodammodo se sanctificat,& cū diuino auxilio, est sibi aliquo modo causa gratię,quod maioris perfectionis est,quam ex habitu primum actum elicere,vel solum ex auxilio.

Qualis dispositio fuerit in Virgine ad gratiam in sua cōceptione

In prima sanctificatione Virgo meruit de cōdigno gloriam.

Ex hac doctrina infertur,meruisse Virginem in prima sanctificatione sua de condigno non gratiam,sed gloriam.Hoc constat ex generali principio,quod in materia de gratia traditur,nimirum vltimā dispositionem ad gratiam esse meritoriam, quod,cúm ad perfectionem spectet, etiā in Virgine locum habet,imo etiā Christū Dominum in primo instanti conceptionis meruisse:simili argumento probat *D.* Tho.infra,q.34.art.3.Certum est autem non potuisse B.Virginem per eam dispositionem gratiam mereri , quia principiū meriti non cadit sub meritum:gloriam autem mereri potuit,quia illa caruit , qua priuatione supposita maioris perfectionis est,obtinere illam ex merito,quám sine illo.Et confir. argumento sępe facto, quia Angeli,& Adam meruerunt primā gloriam per eum actum , quo se ad gratiā dispoſuerunt,& idem de Ioanne Baptista credibile est,de quo sancti aiūt, *ſuo merito patri loquelam restituisse*,vt Grego. Nazian.orat:12.quæ est prima de pace , & Ambros.serm.64.& super Lucam , vbi Beda & alij.Et Ecclesia canit.*Hinc parens, nati meritis,vterque abdita pandit*,ergo multo magis credendum est Virginem meruisse gloriam â prima sua sanctificatione.De qua hęc dicta sufficiant. Nam de merito Virginis,& augmēto gratiæ,alijs q;donis, & gratijs illi collatis,infra commodiori loco disputabimus.

D. Thom.

Greg.Nazianz. Ambros. Beda.

QVAESTIO. XXVIII.

De Virginitate Beatæ Mariæ, in quatuor articulos diuisa.

DEinde considerandum est de Virginitate matris Dei. Et circa hoc quærūtur quatuor. ¶ *Primò, vtrum fuerit Virgo in concipiendo.* ¶ *Secundò, vtrum fuerit Virgo in partu.* ¶ *Tertiò vtrum permanserit Virgo post partum.* ¶ *Quartò vtrum votum Virginitatis emiserit.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum beata Maria fuerit Virgo in concipiendo.

158

AD primum sic proceditur. Videtur, quod mater Dei non fuerit Virgo in concipiendo Christum.Nulla enim proles quæ habet patrem & matrem,ex Virgine matre concipitur.Sed Christus non solum

4.cō.c.45 Et opu.3.c. 232.Et op. 60.c.4.

lum dicitur habere matrem, sed etiam patrem. dicitur enim Luc. 2. Erant pater eius & mater mirãtes super his, quæ dicebantur de illo, & infra eadem mater dicit, Ecce enim pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Ergo Christus non est conceptus ex Virgine matre.

¶ 2. Præterea, Matth. primo probatur, quod Christus fuerit filius Abrahæ, & Dauid, per hoc quod Ioseph ex Dauid descendit. Quæ quidem probatio nulla esset, si Ioseph pater Christi non fuisset. Ergo videtur quod mater Christi eum ex semine Ioseph conceperit, & ita non videtur fuisse Virgo in concipiendo. ¶ 3. Præterea Galat. 4. dicitur, Misit Deus filium suum factum ex muliere. Mulier B autem consueto modo loquendi dicitur, quæ est viro cognita, ergo Christus non fuit conceptus ex virgine matre.

¶ 4. Præterea, eorũ quæ sunt eiusdẽ speciei, est idem modus generationis, quia generatio recipit speciem à termino, sicut & cæteri motus, sed Christus fuit eiusdem speciei cum alijs hominibus, secundum illud Philip. 2. In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Cum ergo alij homines generentur ex commixtione maris, & fœminæ, videtur quod etiam Christus simili modo C fuerit generatus, & ita nõ videtur fuisse cõceptus ex Virgine matre. ¶ 5. Præterea, Quælibet forma naturalis habet materiam sibi determinatam, extra quã esse non potest: Materia autem formæ humanæ videtur esse semen maris, & fœminæ. Si ergo corpus Christi non fuerit conceptum ex semine maris & fœminæ non verè fuit corpus humanum, quod est inconueniens, videtur igitur non fuisse

Obiectio. cõceptus ex Virgine matre. ¶ Sed cõtra est, quod dicitur Isa. 7. Ecce, virgo cõcipiet. ¶ Respondeo dicendũ, quod simpliter confitendum est matrem Christi Vir

Vt patet ex Augu. li. de ginem concepisse, contrarium enim pertinet ad hæresim Hebionitarum, & Cherinti: qui Christum purum hominem arbi trabantur, & de vtroque sexu eum natum putauerunt. Quòd enim Christus sit conceptus ex Virgine, conueniens est propter quatuor. Primò propter mittentis Patris dignitatem conseruandam: cum enim Christus sit verus, & naturalis Dei filius, non fuit conueniens, quod alium patrem haberet, quàm Deum, ne dignitas Dei patris, transferretur ad alium. Secundò, hoc fuit conueniens proprietati ipsius Filij, qui mittitur, qui quidem est Verbum Dei. Verbum autem absque omni corruptione cordis concipitur: quinimo cordis corruptio perfecti Verbi conceptionẽ non patitur. Quia ergo caro sic fuit à Verbo Dei assumpta, vt esset caro Verbi Dei, cõueniẽs fuit quod etiam ipsa sine corruptione matris conciperetur. Tertiò hoc fuit conueniens dignitati humanitatis Christi, in qua locũ peccatum habere non debuit per quã peccatum mundi tollebatur, secundum illud Ioan. primo. Ecce agnus Dei (scilicet innocens) qui tollit peccatum mundi: non poterat autem esse, quod in natura iam corrupta, ex concubitu caro nasceretur sine infectione originalis peccati. Vnde Augu. dicit in libro de Nuptijs & concupiscentia. Solus nuptialis concubitus ibi non fuit, scilicet in matrimonio Mariæ & Ioseph: quia in carne peccati fieri non poterat sine vlla carnis concupiscentia, quæ accidit ex peccato: sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato. Quarto propter ipsum finem incarnationis Christi: quæ ad hoc fuit, vt homines renascerentur in filios Dei, nõ ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo, idest ex ipsa Dei virtute. Cuius rei exemplar apparere debuit in ipsa conceptione Christi. Vnde Augusti. dicit in libro de sancta Virginitate. Oportebat caput nostrum insigni miraculo secundum carnem nasci de Virgine, vt significaret membra sua de Virgine

hæresi. c. 8 et. 10. to. 6

c. 12. in prĩcipio. to. 7.

cap. 6. ante medium to mo. 6.

Ecclesia

Ecclesia secundum spiritum nascitura. A Ad primum ergo dicẽdum, quòd sicut Beda dicit super Lucam pater Saluatoris appellatur Ioseph, non quod verè iuxta Photinianos pater fuerit ei: sed quod ad famam Mariæ conseruandam pater sit ab omnibus æstimatus. Vnde & Luc. 3. dicitur. Vt putabatur filius Ioseph. Vel sicut August. dicit in libr. de Bono cõiugali. Eo modo pater Christi dicitur Ioseph, quo & vir Mariæ intelligitur, sine commixtione carnis, ipsa copulatione coniugij: multo videlicet coniũctius quàm si esset aliunde adoptatus. Neque enim propterea non erat appellandus Ioseph pater Christi, quia non eum genuerat concumbendo: quando quidem pater esset etiam ei, quem non ex sua coniuge procreatum aliunde adoptasset. ¶ Ad secundum dicendum, quod sicut Hiero. dicit super Mat. cum Ioseph non sit pater Domini saluatoris, ordo generationis eius vsque ad Ioseph deducitur. Primo quidem, quia non est consuetudinis Scripturarum, vt mulierum in generationibus ordo texatur. Deinde ex vna tribu fuit Ioseph, & Maria, vnde & ex lege eam accipere cogebatur vt propinquam. Et vt Aug. dicit in li. de Nuptijs & concupiscentia, fuit generationum series vsque ad Ioseph perducenda: ne in illo coniugio virili sexui vtijs potiori, fieret iniuria, cum veritati nihil deperiret, quia ex semine Dauid & Ioseph erat, & Maria. ¶ Ad tertium dicẽdũ, quod sicut Gloss. dicit ibidẽ, mulierẽ pro fœmina posuit, more locutionis Hebræorum: vsus enim Hebrææ locutionis mulieres dicit, non virginitate corruptas, sed fœminas. ¶ Ad quartum dicendum, quod rãtio illa habet locũ in his, quæ procedũt in ẽsse per viã naturæ: eo quod natura sicut est determinata ad vnum effectum, ita etiam est determinata ad vnũ modũ producendi illum. Sed virtus supernaturalis diuina cum sit infinita, sicut nõ est determinata ad vnum effectum: ita non est determinata ad modum producendi quencunque effectum. Et ideo sicut virtute diuina fieri potuit, vt primus homo de limo terræ formaretur: ita etiã fieri potuit, vt diuina virtute corpus Christi formaretur de Virgine absq; virili semine. ¶ Ad quintũ dicẽdũ, quod secundum Philosophũ in lib. de generatione animaliũ, semen maris nõ est sicut materia in cõceptione animalis, sed sicũ sicut agẽs: sola autẽ fœmina materiã subministrat cõceptui. Vnde per hoc quod semẽ maris defuit in cõceptione corporis Christi, nõ sequitur quod defuerit ei debita materia. Si tamẽ semẽ maris esset materia fœtus cõcepti in animalibus, manifestũ est, B quod nõ est materia permanens in eadẽ forma, sed materia transmutata. Et quãuis virtus naturalis nõ possit trãsmutare ad certã formã, nisi determinatã materiã, virtus tamẽ diuina, quæ est infinita, potest transmutare omnẽ materiã in quãcunq; formã. Vnde sicut transmutauit limum terræ in corpus Adæ, ita in corpus Christi trãsmutare potuit materiam à matre ministratã, etiã si non esset sufficiens materia ad naturalem cõceptũ.

li. 1 in Lu. c. 8. secundum ciusordinẽ a me d 10. to. 2.

li. 1. de nupt ijs & cõc. c. 11. parũ a princ. to. 7.

Ma. c. 1. super illud Christi generatio sic erat, to. 9.

ca. 11. non longe a fi. to. 7.

Est Aug. li. 23. con. Faustũ ca. 7. in medio to. 6

li. 1 c. 2. & 19. tom 4.

ARTICVLVS SECVNDVS.

V. mater Dei fuerit Virgo in partu.

C AD secundum sic proceditur. Videtur quod mater Christi nõ fuerit Virgo in partu. Dicit enim Ambro. super Lucã. Qui vuluam sanctificauit alienam, vt nasceretur Propheta, hic est qui aperuit matris suæ vuluam, vt immaculatus exiret. Sed apertio vuluæ virginitatem excludit. ergo mater Christi non fuit Virgo in partu. ¶ 2. Præterea, nihil in mysterio Christi esse debuit, per quod corpus eius phantasticũ appareret. Sed hoc non videtur vero corpori, sed phantastico conuenire, vt possit per clausa transire, eo quod duo corpora simul esse nõ possunt.

159 Opus. 5. ca 232. l. 2. in Luc. in ca cuius tit. est de circũ salua toris infini to. 5.

sunt. Non igitur debuit ex matris vtero clauso corpus Christi prodire, & ita non decuit quòd esset virgo in partu.

Est ho. 26. in Euang. Paulo a princ.

¶ 3. Præterea, sicut Grego. dicit in homil. Octauarum Paschæ, per hoc quod ianuis clausis ad discipulos post resurrectionem intrauit Dominus, ostendit corpus suum esse eiusdem naturæ, & alterius gloriæ. Et sic per clausa transire, videtur ad gloriã corporis pertinere. Sed corpus Christi in sua conceptione nõ fuit glorioſum, sed passibile, habens similitudinem carnis peccati: vt Apostolus dicit Rom. 8. Non ergo exiuit per Virginis vterum clausum. ¶ Sed contra est, quod in quodam sermone Ephesini concilij dicitur: Natura post partum nescit vlterius Virginem: gratia verò, & parientem ostendit, & matrem fecit, & virgenitati non nocuit. Fuit ergo mater Christi virgo in partu.

¶ Respondeo dicendum, quòd absq; omni dubio aserendum est matrẽ Christi etiam in partu virginem fuisse. Nã Propheta non solum dicit, Ecce virgo cõcipiet: sed etiam addit, Et pariet filium. Et hoc quidem conueniens fuit propter tria. Primò quidem, quia hoc competebat proprietati eius, qui nascebatur, qui est verbum Dei. Nam verbum non solum in corde absq; corruptione concipitur, sed etiam absque corruptione ex corde procedit. Vnde vt ostenderetur, quod illud esset corpus ipsius verb Dei, conueniens fuit, vt de incorrupto Virginis vtero nasceretur. Vnde in sermone quodam Ephesini concilij legitur. Quæ parit carnem puram à virginitate cessat: sed quia natum est in carne Verbũ, Deus custodit virginitatem, seipsum ostendens per hoc Verbum. Neque enim nostrum verbum cum paritur, corrumpit mentem: neque Deus Verbum, substantialem partum eligens peremit virginitatem. Secundò, hoc est conueniens quantum ad effectũ incarnationis Christi. Nam ad hoc venit vt nostram corruptionem tolleret. Vnde non fuit conueniens, vt virginitatem matris nascendo corrumperet. Vnde Aug. dicit in quodã sermone de natiuitate Domini, Fas non erat, vt per eius aduentum violaretur integritas, qui venerat sanare corrupta. Tertio fuit conueniens, ne matris honorem nascendo diminueret, qui parentes præceperat honorandos.

In ser. 6. a med. to. 1

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd Ambr. dicit hoc, exponens illud, quod Euangelista de lege induxit. Omne masculinum adaperiens vuluã, sanctũ Domino vocabitur. Quod quidem, vt Beda dicit, consuetæ natiuitatis more loquitur: non quòd Dominus sacri ventris hospitium, quod ingressus sanctificauerat, egressus deuirginasse credẽdus sit. Vnde illa adapertio nõ significat reserationem communem clausuri pudoris virginei: sed solum exitum prolis de vtero matris. ¶ Ad secundum dicendum, quòd ita Christus voluit veritatem sui corporis demonstrare, quod etiam simul eius diuinitas declararetur: & ideo permisit mira humilibus. Vnde vt corpus eius verum ostenderetur, nascitur ex fœmina, sed vt ostẽderetur eius Deitas, nascitur ex Virgine: talis enim partus decet Deum: vt Ambrosius dicit in hymno Natiuitatis. ¶ Ad tertium dicendum, quòd quidam dixerunt Christum in sua natiuitate dotem subtilitatis assumpsisse, sicut quando ambulauit siccis pedibus super mare, dicunt eum assumpsisse dotem agilitatis: sed hoc non conuenit his, quæ supra determinata sunt: huiusmodi enim dotes corporis glorioſi proueniunt ex redũdantia gloriæ animæ ad corpus, vt infra dicetur, cum tractabitur de corporibus glorioſis. Dictum est autem supra, quòd Christus ante passionem permittebat carni suæ agere, & pati, quæ propria: nec fiebat talis redundantia gloriæ ab

li. 1. in Lu. ca. 7. secundũ eius ordinem to. 2

In hym. qui canitur in vesperis natalis domini.

q. 14.

Non compleuit. q. 14. arti. 1. ad. 2.

anima ad corpus. Et ideo dicendum est, quod omnia ista facta sunt miraculose per virtutem diuinam. Vnde Augusti-
Tra.121 a med.to. 9. dicit super Ioan. Moli corporis, vbi diuinitas erat, ostia clausa non obstiterunt: ille quippe non eis apertis intrare potuit quo nascente virginitas matris inuiolata permansit. Et Dionysius dicit in
In epist.ad Caium mo nac.incipit Quæris tu quidem. quadam Epistola, quod Christus super hominem operabatur ea, quæ sunt hominis, & hoc monstrat Virgo supernaturaliter concipiens, & aquâ instabilis, terrenorum peduum sustinens grauitatem.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum mater Dei permanserit Virgo post partum.

160 Opus.3.c. 232. AD tertium sic proceditur. Videtur, quod mater Christi non permanserit Virgo post partũ. Dicitur enim Matt.1. Antequam conuenirent Ioseph & Maria, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Non autem Euangelista diceret, antequam conuenirent, nisi de conuenturis: quia nemo dicit de non pransuro, antequam pranderet. Ergo videtur, quod beata Virgo quandoque conuenerit carnali copula cum Ioseph, & ita non permanserit Virgo post partum.

¶ 2. Præterea, ibidem subditur ex verbis angeli loquentis ad Ioseph: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Coniugium autẽ consummatur per carnalem copulam. Ergo videtur, quod quandoq; carnalis copula interuenerit inter Mariã, & Ioseph, & ita videtur, quod non permãserit Virgo post partũ. ¶ 3. Præterea, ibidẽ post pauca subditur. Et accepit cõiugẽ suã, & non cognoscebat eam, donec peperit filiũ suũ primogenitum. Hoc autem aduerbium, donec, consueuit determinatũ tẽpus signare, quo impleto fiat id, quod vsque ad illud tempus non fiebat. Verbum autem cognoscẽdi ibi ad coitũ refertur, sicut & Genes. quarto dicitur, quod Adam cognouit vxorẽ suã. Ergo videtur, quod post partũ beata Virgo fuerit carnaliter à Ioseph cognita. ergo videtur, quod nõ permãserit Virgo post partũ. ¶ 4. Præterea, Primogenitus nõ potest dici nisi qui habeat fratres subsequentes: vnde & Rom. 8. dicitur. Quos præscIuit & prædestinauit cõformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Sed Euãgelista nominat Christum primogenitũ matris eius. Ergo habuit alios filios post Christum: & ita videtur, quod mater Christi non manserit Virgo post partum. ¶ 5. Præterea, Ioan. 2. dicitur, Post hæc descendit Capharnaũ ipse, scilicet Christus, & mater eius, & fratres eius. Sed fratres dicuntur qui ex eodem parente geniti sunt. Ergo videtur, quod beata Virgo habuerit alios filios post Christũ. ¶ 6. Præterea, Matth. 27. dicitur, erant ibi, scilicet iuxta crucem Christi, mulieres multæ à longe, quæ secutæ erant Iesum à Galilæa, ministrãtes ei: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Ioseph mater, & mater filiorum zebedæi. Videtur autẽ hæc Maria, quæ hic dicitur Iacobi & Ioseph mater, esse etiã mater Christi: dicitur enim Ioã. 19. quod stabat iuxta crucẽ Iesu Maria mater eius. Ergo videtur, quod mater Christi non permanserit virgo post partum.

¶ Sed contra est, quod dicitur Ezec. 44. Porta hæc clausa erit, & nõ aperietur, & vir non transibit per eã, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eã. Quod exponens Augustinus in quodam sermone dicit. Quid est porta in domo Domini clausa, nisi quod Maria sempererit intacta? Et quid est, homo non transibit per eam, nisi quod Ioseph non cognoscet eam. Et quid est, Dominus solus intrat, & egredietur per eã, nisi quod Spiritus sanctus imprægnauit eam, & Angelorũ Do-
Inser.14. de natali Domini qui est.18.de temp. non longe aprincipio, tomo. 10.

rum dominus nascetur per eam? Et quid est, clausa erit in æternũ, nisi quod Maria virgo est ante partum, & virgo in partu, & virgo post partum.

¶ Respondeo dicendum, quod absque omni dubio detestandus est error Heluidij, qui dicere præsumpsit matrem Christi post partũ à Ioseph esse carnaliter cognitam, & alios filios genuisse. Hoc enim primo derogat Christi perfectioni, qui sicut secundum diuinam naturam vnigenitus est Patris, tanquam perfectus per omnia filius eius, ita decuit, vt esset vnigenitus matris tanquam perfectissimũ germen eius. Secundo hic error iniuriam facit Spiritui sancto, cuius sacrarium fuit vterus virginalis, in quo carnẽ Christi formauit, vnde non decebat quod de cætero violaretur per commixtionem virilem. Tertio derogat dignitati, & sanctitati matris Dei, quæ ingratissima videretur, si tanto filio contenta non esset, & si virginitatem, quæ in ea miraculose conseruata fuerat, sponte perdere vellet per carnis concubitum. Quarto etiam ipsi Ioseph esset ad maximam præsumptionem imputandum, si eam quam reuelante angelo de Spiritu sancto Deum concepisse cognouerat, polluere attentaret. Et ideo simpliciter est asserendum, quod mater Dei sicut virgo concepit, & virgo peperit, ita etiam & virgo post partũ in sempiternum permansit.

Ad primum ergo dicendum, quod (sicut Hieron. dicit in lib. contra Heluidium) intelligendum est, quod hæc propositio Ante, licet sæpe consequentia indicet, tamen nonnunquam ea tantum quæ prius cogitabantur ostendit: nec necesse est vt cogitata fiant, cum ideo aliud interuenerit, ne ea quæ cogitata sunt, fierent. Sicut si aliquis dicat, antequam in portu pranderem nauigaui: non intelligitur quod in portu prandeat postquam nauigauerit: sed quia cogitabatur in portu pransurus. Et similiter Euangelista dicit, Antequam conuenirẽt, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto: non quia postea conuenerint: sed dum viderentur conuenturi, præuenit conceptio per Spiritum sanctum, ex quo factũ est, vt vlterius non conuenirent. ¶ Ad secundum dicendum, quod sicut Aug. dicit in lib. de Nupt. & concupiscẽtia. Coniux Ioseph, vocatur mater Dei ex prima desponsationis fide, quam per concubitum non cognouerat nec fuerat cognituru. Vt enim Amb. dicit super Lucam: non virginitatis ereptio, sed coniugij testificatio & nuptiarum celebratio declaratur. ¶ Ad tertium dicendũ quod quidam dixerunt hoc non esse intelligendum de cognitione coitus, sed de cognitione notitiæ. Dicit enim Chryso. quod non cognouit eam Ioseph antequã pareret, cuius fuerit dignitatis: sed postquã peperit tũc cognouit eã: quia per ipsius prolem speciosior, & dignior facta fuerat quam totus mundus: quia quem totus mundus capere non poterat, in angusto cubiculo vteri sui sola susceperit. Quidam vero hoc referunt ad notitiam visus: sicut enim Moysi cum Deo colloquentis glorificata est facies, vt non possent intendere in eum filij Israel: sic Maria claritate virtutis Altissimi obumbrata, cognosci non poterat a Ioseph, donec pareret: post partũ autẽ a Ioseph agnita inuenitur specie faciei, non tactu libidinis. Hieronymus autem concedit hoc esse intelligendum de cognitione coitus: sed dicit quod vsque vel donec, in Scripturis dupliciter potest intelligi. Quandoque enim designat certum tempus, secundum illud Galat. 3. Propter transgressionem lex posita est, donec veniret semen, cui promiserat. Quãdoque vero signat infinitum tempus, secundum illud Psalmi. 113. Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri: ex quo non est intelligendum, quod pòst impetratam misericordiã

Tit. huius li. est de per petua virg. Mariano procul a princip. li. tomo. 3.

ca. 11. non longe a prin. to. 7.

li. 2. in Lu. cap. 1. a mẽ tom. 5.

Homi. 1. in Matth. in ope. impe. super illud & non cognouit eam donec. to. 2.

In fi. comment. ad 1. c. Matt. to mo. 9.

ricordiam, oculi auertantur à Deo. Et secundum hunc modum loquendi significantur ea, de quibus posset dubitari, si scripta non fuissent: cætera vero nostræ intelligentiæ derelinquuntur. Et secundum hoc Euangelista dicit matrem Dei non esse cognitam à viro vsque ad partum: vt multo magis intelligamus cognitam nō fuisse post partum. ¶ Ad quartum dicendum, quod mos diuinarum Scripturarum est, vt primogenitū vocent non solum eum, quem fratres sequuntur, sed eum, qui primus natus sit. Alioquin si non est primogenitus nisi quem sequuntur fratres, tandiu secundum legem primogenita non debentur, quandiu & alia non fuerint procreata. Quod patet esse falsum, cum intra vnum mensem primogenita redimi mandentur secundum legem. ¶ Ad quintū dicendum, quod quidam, sicut Hieronymus dicit super Matth. fratres Domini de alia vxore, Ioseph filios suspicantur. Nos autem fratres Domini, non filios Ioseph, sed consobrinos Saluatoris, Mariæ materteræ Domini filios intelligimus. Quatuor enim modis in Scripturis fratres dicuntur, scilicet natura, gente cognatione, & affectu. Vnde fratres Domini dicti sunt, non secundū naturam, quasi ab eadem matre nati, sed secundum cognationem quasi consanguinei eius existentes. Ioseph autem, sicut Hieronym. dicit contra Heluidium, magis credendus est virgo permānsisse, quia aliam vxorem habuisse nō scribitur, & fornicatio in sanctum virum nō cadit. ¶ Ad sextum dicendum, quod Maria, quæ dicitur Iacobi & Ioseph mater, nō intelligitur esse mater Domini, quæ in Euangelio non consueuit nominari, nisi cū cognominatione huius dignitatis, quòd sit mater Iesu. Hæc autem Maria esse intelligitur vxor Alphæi, cuius filius est Iacobus minor, qui dictus est frater Domini.

circa finē. comment. ad 12. cap. Mat. to. 9

contra Helui dium in vlti. fol. ante fin li. to. 3.

A COMMENTARIVS.

HI articuli in sequenti disputatione explicabuntur. Nihil enim circa literam D. Tho. dicendum occurrit, præter ea, quę de re ipsa tractanda erunt.

DISPVTATIO. V.

In quatuor sectiones distributa.

De integritate, seu corporali virginitate Deiparæ.

POST tractatum de conceptione, & sanctificatione B. Virginis conuenienti ordine dicendū sequitur de statu, seu ratione viuendi, quē in hac vita elegit, vel ad quem potius electa est. Quod in hac, & sequenti quæstione effecisse videtur D. Tho. de statu matrimonij, & virginitatis eius disputans, simul parans viam ad tractandū de conceptione filij, ad quam hæc aliquo modo ordinata sunt. Quia vero virginitas & perfectior, & prior est matrimonio, ideo prius etiam de illa disputatio occurrit. In qua duo distinguenda sunt, alterum quasi materiale, quod in corporis integritate consistit absq; vlla experientia libidinis ex cōmistione, aut voluntaria seminis resolutione proueniētis: alterum est velut formale, quod est propositum seruandi virginitatem, & prædictā libidinē nunquam experiendi. De priori parte hic agimus, dicturi de altera in disputatione sequenti.

SECTIO. I.

V. B. *Virgo Christum concipiendo virginitatem seu corporis integritatem amiserit.*

HÆc quæstio supponit in primis B. Virginē verē, ac realiter concepisse Christū Deū hominē in vtero suo. Quod ex principio supra posito, quo ipsam verā Dei, & Christi matrē esse ostēdimus, aperte sequitur, & inferius latius discutiēdū est. Secūdo suppono, B. Mariā vsq; ad cōceptionē filij virginē permansisse, quod est de fide certū ex verbis illis Luc. 1. *Missus est Gabriel Angelus ad Virginē desponsatam viro.* Ex quo cōstat fuisse virginē cū tradita fuit Iosephin spōsā. Quod ex alio principio supra posito probari potest, scilicet quia nūquā peccauit. Et ex iis quę Patres docēt ḋ vitæ genere, quod B. Virgo ante matrimoniū instituit, tertio enim ætatis anno in tēplū oblata est, ibiq; vndecī ānis inter virgines vixit, erat enim in templo

Luc. 1.

Cedren. in templo,(vt Cedrenus in compendio historiæ refert) secretus locus arę vicinus in quo virgines solæ versari solebant, inter quas Deipara vsque ad matrimoniũ mansit,& angelicam potius,quam humanam vitam egit,vt Ambros.lib. 1.& 2. de Virginib. late disserit.Grego Nyss. orat. de ortu Saluatoris,& Greg.Nicomediẽs. orat.de oblatione Virginis in templo.Damascen.lib. 4.cap.15.Andreas Cretens.& alij supra citati.De qua re iterum inferius redibit sermo. Quod autem postquã desponsata est Ioseph,vsque ad Angeli aduẽtum Virgo permanserit ,ex citatis verbis Angeli euidenter constat.

Locus intẽplo. Salomonis dicatus Virginibus.
Ambros.
Greg.Nyssen.
Gre. Nic.
Damasce.
And.Cret.

His positis,hæretici quidã dixerunt Virginem concepisse Christum ex Ioseph,atque ita in conceptione Virginitatem amisisse. Ita dixerunt Ebionitæ , vt Clemens refert lib.6.constitut.c.6.vbi hos Iudęos fuisse significat:nã(vt Epiphanius refert hęres.30.)Moysi legem obseruabant,vbi eundem errorem illis tribuit,quanuis addat, in ijs,quæ de Christo docuerunt varios,& inconstantes fuisse.Quæ fuit fortasse causa,vt Irenæus lib.1.c.26. de istis tractans,hunc tacuerit errorem, dicens, Ebionem non similiter, ac Cherintum de Christo sensisse,vnde c.25.Cherintum,& Carpocratem autores facit huius erroris. Quod sensit etiam Tertul.libr.de præscriptionib.hęreticor.cap.48.& lib.de carne Christi cap.18.& lib.de velandis virginibus,cap.6.Euseb.libr.3.hist. cap.21. Epiphan.hęres.27.& 28.Augusti; Damascen. & Isidor.in catalogis hęresum,Theodor. lib.2.hęreticar.fabular.& Nicephor.lib.3. hist.c.3.qui duo postremi Ebionem,alios prędecessisse significant.Quod parũ refert cõstat enĩ hos hæreticos æquales ferè fuisse. Hũc errorẽ sequutus est postea Theodotus, vt cõstat ex Epiph.hęre.54.Fundamentũ eius ferè nullũ est,vt videbimus.

Clemẽs Papa.
Epiphani,
Irenæ.
Tertull.
Euseb.
Epiphan.
Augusti.
Damasc.
Isidor.
Theodore.
Nicephor.

Dicendum est ergo primo,B.Virginem non ex viri semine,sed sola Spiritus sancti virtute,& operatione Christum Dominum concepisse.Est articulus fidei. Et probatur primo ex Euangelio Matth.1.*Inuenta est habens de Spiritu sancto* , & infra, *quod in ea natum est,de Spiritu sancto est,* & infra , *& non cognoscebat eã, donec peperit filiũ suũ primogenitum*.& Luc.1.*Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obũbrabit tibi*: Quod testimonium Ariani quidam male interpretantes(vt Augusti. refert,lib.3.contra Maximin.cap.17.)*Spiritum sanctum & virtutem altissimi*,tanquam duo diuersa distinguebant, aiebantq; Spiritum sanctum dispositse materiam mundando,& sanctificando Virginem,virtutem autem altissimi,idest,diuinam sapiẽtiam,formasse Christi corpus,quæ expositio,quanuis præsenti intentioni nihil obstet,& in aliquo sensu sit probabilis(vt videbimus inferius quę.31.art.pri.)tamẽ in sensu ab illo hæretico intento , scilicet vt opera Trinitatis diuideret,& Spiritũ sanctum negaret Christi corpus fabricaste hæretica est,quia & ex errore circa mysteriũ Trinitatis procedit, & testimonio Matthæi repugnat.

Matth.1.
Luc.1.
Augusti.
Virginitas Mariæ in scripturis manifeste significata.

Secundo probatur conclusio ex veteri testamento,in quo locus illustrior est,ille *Isai.7. Ecce virgo concipiet*, quem in sequẽti sect. fusius tractabimus,nunc alijs vtemur minus quidem apertis:ad veritatem tamen confirmandam sufficientibus,adiũcta pręsertim Patrum expositione. Primus sit Genes.3.vbi Christus dicitur, *semen mulieris*, nulla viri mẽtione facta,quod ponderauit Irenæus lib.4.c.78.Cyp.lib. 2.ad Quirin c.9.sic etiam Tertul. libr.3. contra Marcion.cap.20.& Augusti.expo nens promissionem illam Psal 131.*de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*,ponderant,dictum esse *de ventre,& non de fœmore*,quia Christi conceptio ex fœmina, & non ex viro futura erat. Quod etiam indicauit Irenæus lib.3.cap.18. Secundus sit ex lege lata Leuit.12.*Mulier, quæ suscepto semine,&c.*nam quia futura erat mulier quæ absque semine conciperet,ne sub illa lege comprehenderetur, addita est illa particula,*quæ suscepto semine*, vt notarunt Orig.homil.8.in Leuit.Basi.Isai.7.Theophyl.& Bed.Luc.2.Euseb.Emis.Bernar. & Laurent.Iustinian.concionib.de purificatione.Tertius sit ex Isai.53.*Ascendet sicut virgultum coram eo,& sicut radix de terra sitiente*,vtrãque enim similitudine hoc mysterium explicatum est.Nam sicut virgultũ,seu ramus ex sola arbore oritur absque alterius seminis cõmistione: ita Christus ex Virgine,vt notauit Origenes homil.17.in Genes.dicitur etiam virgineus vterus,*terra sitiens*, quia, *nullo humano semine fœdatus,aut humectatus est* , vt exposuit Hieronym.qui notat, Aquilã vertisse

Isai.7.
Genes.
Irenæ.
Cyprian.
Tertull.
Augusti.
Psal. 131.
Leuiti. 12.
Origen.
Basil.
Theophyl.
Beda.
Eus.Emis.
Bernard.
Lau.Iusti.
Isai.53.
Origen.
Hieronym.

de terra inuia, vt mirabilem Virginis conceptionem apertius exprimeret, quãquã alij exponant, Christum comparari virgulto ex sitienti terra ascendenti, ad significandum Christi ortum pauperem, & in externa specie vilem, & miserum. Qui sensus sumi potest ex Tertulli lib. contra Iudæos, c.14. & lib.3. contra Marcionẽ cap.7. & 17. & non est contemnendus, est enim egregius, & illi fauet multum translatio septuag. interpret. quę in noua editione sic habet, *Annunciauimus, quasi paruulum in conspectu eius, & quasi radicem in terra sitiẽti.* Prior tamen pulchra etiam est, & optime litere quadrat. Quartus sit ex Isai.19. *Ascendet dominus super nubem leuem* ideſt, *nullo humano semine prægrauatam*, vt Cyril. & Hierony. inquiunt, quanuis tropologicum esse sensum fateantur, eum tamen maxime probat Ambros. de institut. Virginis, c.13. & Anselm. Matt.2. Quinto addere possumus illud Ierem.31. *nouũ creauit dominus super terram, fœmina circundabit virum.* Vtitur enim, *creationis*, nomine, vt solum Deum ostendat esse autorem conceptionis, quam vocat quiddam *nouum*, quia non vsitato modo, & opera viri futura erat. Sic Hierony. ibi, & Cyp. serm. de natiuit. Augusti. serm. 9. de temp. Bernard. homil. 2. in *Missus est.* Sexto, Danielis secundo dicitur Christus, *lapis abscisus de monte sine manibus*, ideſt, de virgine sine hominis opera, ita Irenæus lib.3. c.28. Augusti. tract. 9. in Ioan, & tract. 1. in primã canonicam Ioannis, Hierony. ibi, & epist. 22. de custodia virginitatis, vbi aduertit, *manus accipi pro opere nuptiarum*, iuxta illud Canticor. secundo, *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*, & epist. 75. contra Vigilantium refert horrendam blasphemiam illius hæretici, qui montem illum interpretabatur esse dęmonem, cui humana natura per vitia adhęserat. Sed hoc nõ potest in humanitatem Christi cadere, & ideo dici non potest ex diabolo abscisa, sed ex virgine sumpta, quę merito montis nomine significata est, propter suam excellentiam, vt eleganter tractat Greg. lib. primo Reg. c. primo deniq; hãc expositionem indicat Iustin. dialog. contra Tryphon. prope med. vbi refert, aliquos Gentiles prophetiam illam ad suorum deorum fabulas accommodasse. Vltimo tandem non prætermittimus locum

Tertull. Isai.19. Cyril. Hierony. Ambros. Anselm. Ierem.31. Hieron: Cyprian. Auguſt. Bernard. Dan.2. Irenæ. Auguſt. Hierony. Cant.2. Greg. Pa. Iuſt. Mar.

A

B

C

Prouerb.30. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro.* quod explicans subdit, *& viam viri in adolescentula*, nam licet in vulgata frequentius legatur, *in adolescentia* tamen prior lectio interdum in vulgata reperitur, & in hebræo est vox, *alma*, quę virginem significat. Et ita esse legendum dicit Nicola. Lyran. qui locum hunc de Christi conceptione intellexit, quem Iansen. sequitur, & Galatin. lib. septimo, eundem sensum ex Hebræis referens. Addę Ambros. libr. de Salomone totum hunc locum de Christo intelligentẽ, etiam in illo Verbo, *viam aquilæ in cœlo*, mysteriũ conceptionis Christi pie admodum contemplatũ esse.

Prou. 30. Nic. Lyr. Iansen. Galatin. Ambros.

Tertium scripturarum argumentum ex huius mysterij figuris conflci potest. Prima dicitur fuisse Adam ex terra Virginea, solius Dei opera formatus. Ita Cyri. Ieroſolymit. catechesi. 12. post med. Auguſt. serm. 5. de natiuit. Ambros. serm. 37. Adã, inquit, *de terra virginea natus est, Christus de matre virgine procreatus, illius maternum solum, nõdum scisum fuerat, istius maternum secretum, nunquam est concupiscentia violatum. Adam Dei manibus plasmatur e limo, Christus Dei spiritu formatur in vtero.* Idem Maxim. homil. 3. de natiuit. Irenæ, libr. 3. cap. 31. Basil. Isai. 7. Secunda fuit Melchisedech, *sine patre, & sine matre*, vt notatur ad Hebr. 7. quia Christus vt Deus non habet matrem, & vt homo patre caruit. Ita Lactant. lib. 4. cap. 12. 13. 14. & supra, q. 22. plura in hanc rem adduxi. Tertia est virga Aaron, quę floruit Numer. 17. Ita Auguſtin. sermon. 18. de tempore, Bernard. homi. 2. in *Missus est.* Quarta est, lex digito Dei scripta in tabulis, Deuteron. 9. Ita Auguſt. supra. Quinta ex eodem est, *panis quem in eremo terra produxit, cuius semen in terram arator nullus induxit.* Exod 16. Sexta, Vellus Gedeonis plenum rore cęlesti vniuersam terram irrigans, Iudic. 6. vnde Psal. 71 *descendet sicut pluuia in vellus.* Ita Ambro. serm. 13. Bernard homi. 2. in *Missus est*, Septima. Rubus ardens incombustus Exod. 3. vt bene Gregor. Nyſ. in vita Moysis fol. 7. & late Bernard. in serm. *signum magnum*, & optime. Orige. homil. 1. in varia loca, vbi alia congerit. Octaua, omnes mulieres steriles, quæ miraculosè conceperunt, mysterium hoc adumbrasse affirmat Chryſ. homil. 49. in Geneſ.

Virginitas Mariæ in scripturis præfigurata. Cyri. Iero. Auguſt. Ambros. Maxim. Irenæ. Basil. Hebre. 7. Lactant. Nume. 17 Auguſt. Bernard. Deuter. 9 Auguſt. Iudic. 6. Psalm. 71. Ambros. Bernard. Exod. 3. Gre. Nyſ. Bernard. Origen. Chryſoſt.

Quar

Quartum argumentum est ab ecclesiæ autoritate, & traditione. Omnia enim cõcilia, qnæ de incarnatione differunt, hoc in primis supponunt, & definiunt, vt in Cõ. Ephes. Concil. Ephesi. Chalcedon. quinta & sexta Synodis, concilijs Toletanis. 1. 6. & 11. Cõ. Chalc. 5. & 6. Synod. & in alijs passim videre licet. Ex Patribus verò, quæ adduximus, satis esse possent: sed præterea designabimus nonnulla præclariora loca, vt est ille Naz. orat. Si quæ est epist. prima ad Cledonium, dicẽtis, *Si quis Christum per Virginem tanquam per canalem fluxisse non autem in ea diuino modo, quia absque opera viri, humano, quia iuxta pariendi consuetudinem, formatum esse dixerit, athæus est*, & Aug. epist. 3. ad quam ipse lectorem mittit in Enchiri. c. 34. Fulgent. lib. de incarnat. & grat. cap. 6. Ignati epistolis ad Magnesianos, & Smyrnẽses. Clemen. lib 7. constitu. c. 36. Ambro. de instit. virg. c. 14. Hilar. lib. 10. de Trini. vbi dicit, vocari Christum, Primæ ad Corinth. 15. *hominem cælestem*. propter conceptionem ex Spiritu Sancto, optime Tert. in apologet. c. 21.

Nazianz. August. Fulgent. Ignat. Clemens. Ambros. Hilar. Tertull.

Quinto vt hoc mysterium suadeant, & credibilem faciant, vtuntur Sancti varijs exemplis ab ipsis naturalibus rebus petitis. Euodius. epist. 3. ad August. quæ habetur in fine secundi tomi operum Augus. vtitur exemplo vermis, qui ex ligno, ex quo coalescit, sine sexus commistione generatur. & accommodat illud Psalmi, *ego sum vermis, & non homo*. Et similia exẽpla animalium, quę sine commistione generantur, congerit Lactant. lib. 4. cap. 12. & Ambros. lib. 5. Hexemeron, c. 20. specialiter vtitur vulturis exemplo, dicens. *Quid aiunt, qui nostra solent ridere mysteria, cum audiunt, quod Virgo genera uit? non ne aduertimus, quod dominus ex ipsa natura plurima exempla ante præmisit, quibus susceptæ incarnationis decorem probaret, & astrueret veritatem?* & similia ferè verba habet Basil. homil. 8. Hexemeron satis post med. circa illa verba, *educant aquæ reptile*, & in capit. 7. Isai. Augustin. lib. de bono coniugali capit. 2. & lib. 3. de mirabilib. sacræ scripturæ, cap. 2.

Euodius. Lactant. Ambros. Basil. August.

Sexto adducuntur rationes, & coniecturę: potissima autem ratio, & â priori est, Dei voluntas, & omnipotentia, cui *non erit impossibile omne verbum*, vt Angelus dixit, & ostendi facile potest, tum ex A alijs Dei operibus: tum quia nulla in hoc apparere potest contradictio, aut repugnantia. Cõgruentię autem sunt. Prima ne Christus, vel eius humanitas ex vi conceptionis esset originali culpæ obnoxia. Id enim præter dignitatem personæ suæ, parumque consentaneum Redemptoris muneri fuisset. Ita Augusti. lib. 3. de peccat. merit. cap. 12. Fulgent de incarnat, & grat. cap. 4. D. Thom. hic. Dixi autẽ (Christus, vel eius humanitas) quia (vt tratat Ansel. lib. 2. cur Deus homo. cap. 16.) qua tenus Christus significat Deum hominẽ, quacunque ratione conciperetur, nõ potuisset originale peccatum contrahere, quia hoc ipso, quod conceptio terminaretur ad diuinam personam, ab illa sancti ficaretur, omnisque macula peccati excluderetur. Hoctamen esset ratione vnionis, B qua non obstante, si conceptio esset ex semine viri, considerata vi ipsius, & conditione illius humanitatis, vt intelligitur prius natura formata, quàm vnita Verbo de se esset obnoxia originali culpę, et ideo non decuit humanitatem à Verbo assumẽ dam per huiusmodi conceptionem existere, sed per aliam, quæ ab influxu originalis culpæ prorsus esset aliena, vt elegãter Ansel. pro sequitur lib. de conceptu virginali â cap. 11. vsque ad, 18. Secundo quia decuit Dei filium non humano, sed quasi diuino semine, idest Spiritu Sancto concipi. Ita. S. Maximus, serm. 3. de natiuita. domini, & Tertul. lib. de carne Christi, c. C 12. Damascen. etiam lib. 3. c. 2. & Chrys. homil. 1. imperfecti in Matth. dicunt, Spiritum sanctum in conceptione Christi fuisse loco seminis & D. Tho. infra, quęs. 32. art. 2. Qui tamen modus loquendi non placet Hieronymo, epist. 17. ad Damasum de explanatione symb. tom. 9. (si tamen illius est) cuius sententia vera est, loquendo de semine propriè, vel vt est quid decisum ex substantia personæ operantis, vel vt habere potest rationem causæ materialis. Alij vero Patres loquuntur de semine tãtum, quoad vim effectiuam, quã dicunt in hac conceptione per Spiritũ sãctum suppleri debuisse. Tertiam cõiectuam posuit autor imperfecti in Matth. homil. 1. his verbis. *Neque enim dignum erat, vt vnigenitus Dei, nõ propter se, sed propter hominẽ nascẽs, more nasceretur humano, homo enĩ in carne nascitur, vt corruptioni subiaceat, Christus autem*

Ansel. Maxim. Tertull. Damasce. Chrysost. D. Thom. Hierony.

stus autem natus est, vt sanet corruptionem. Si A *cut ergo non est consequens, vt corruptibilis homo ex incorruptibilitate virginitatis nascatur, sic non erat consequens, vt filius Dei, qui ideo nascebatur, vt corruptibilitatem sanaret, ex corruptione coniugij nasceretur.* Quarta esse potest, quia decuit, vt sicut mulier ex solo viro facta erat: ita vir aliquis ex sola muliere procrearetur. Ita Cyril. Ierosolymita. catechesi. 12. propè finem, & Damascen. lib. 4. c. 15. Alias rationes proposuit hic, D. Tho. satis congruentes, & probabiles, quæ in eo legi possunt, & quæ ab eodem afferuntur infra, q. 31. a. 4.

Cyril. Iero sol.
Damasce.
D. Thom.

Obiectio. Contra hanc conclusionem, (præter primum & secundum argumentum D. Tho. in art. 1. quæ contra illã directè procedũt, & ab illo sufficientissime soluuntur) nihil video ex scripturis obijci posse: ex ratione verò obijcitur, quia sequitur cõcep B tionem Christi, non fuisse naturalem: sed supernaturalem, consequens autem, præter quam quod repugnat Ambrosio lib. de incarnat. dom. sacramento. c. 6. videtur plane falsum, quia aliàs Christus non fuisset verè conceptus humana conceptione Respõdetur, potius Ambrosiũ in illo loco aperte docere supra naturã fuisse, Virginem concipere sine semine viri, & cæteri sancti hoc ponunt inter magna Dei miracula. Præsertim Eutychianus Pap. epist. 1. & Ansel. dicto lib. de cõceptu virginali, & Isai. 7. vt singulare, ac diuinum signũ ponitur, *Ecce Virgo concipiet.* & Angelus Luc. 1. vt notaret hoc esse diuinę omnipotentiæ opus, dixit, *quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Et ratio est manifesta, quia principium, & modus illius conceptionis supra naturã fuerunt, quanquam terminus illius conceptionis, & materia, ex qua perfecta fuit, naturalia fuerint. Et hoc modo ait Ambros. multa in illa conceptione fuisse secundũ naturam, quia scilicet corpus per illã formatum naturale fuit, & dispositiones habuit humano corpori connaturales, & in vtero matris naturali modo incepit esse, & nutriti, & eodem sensu verè fuit Christus cõceptus humana cõceptione quoad materiam, & terminum, non quoad modum, & principium efficiens, vt dictum est. Et ex iis magis explicata manent, quę D. Thom. docet ad quartum, & quintum eiusdem articuli primi, quæ ad hanc etiã C

Ambros.
Responsio
Eutychia. Pap.
Anselm.
Isai. 7.
Luc. 1.
D. Thom.

conclusionem pertinent.

Ex his dico secundo, B Virginem concipiendo filium non amisisse Virginitatem suam, nec vilam libidinis voluptatem sensisse. hæc cõclusio est etiã articulus fidei, & continetur in symbolo, & in scripturis, ac patribus supra citatis. Et sequitur ex præcedenti, non enim erat Spiritui Sancto necessarium virginale claustrum rumpere, vt opus suum posset perficere, quia non operatur corporeo organo, & substantia, ac virtus eius intimè est vbique præsens, vt ibi operari possit sine vlla interiacentis corporis diuisione. Deinde, non decebat spiritum sanctum huiusmodi effectum sine vlla causa, vel vtilitate operari, nec motum aliquem indecentem, aut concupiscentiam excitare, quin potius ipso, *obumbrante originalis peccati incendium extinctum est*, vt Cyp. dixit serm. de natiuit. & Bernard. late in sermonib. super, *Missus est*,

Cyprian. Bernard.

Solẽt verò occasione hac, scholastici interrogare, vtrum naturaliter possit Virgo cõcipere. De qua re videri potest D. Tho quodlib. 6. art. 18. Richard. in. 2. d. 20 & Marsil. qu. 13. Abulens opusculo circa illa verba Isai. 7. *Ecce virgo concipiet.* Mihi enim nõ est in animo rem ab instituto alienam disputare. Illud enim certissimũ est, sine virili semine, non posse naturaliter humanam perfici conceptionem, quia fœmina, vel nullam, vel insufficientem habet vim humanæ generationis effectricem.

D. Thom. Richard. Marsil. Abulens.

Ex hac vero conclusione simul cum præcedẽti, colligo cum Bernardo in sermone. *Signum magnum, illud molestissimum tædium, quo omnes grauidæ laborare noscuntur, solam illam non sensisse, quæ sola sine voluptate concepit.* Quod eleganter prius docuerat Aug. serm. 11. de natiuit. dicens, *plena sunt viscera, & nullum nouit virginis conscientia, cum esset grauida, salubri leuitate plaudebat, lumẽ enim, quod intra se habebat, pondus habere non poterat.* Quæ verba vsurpauit etiam Fulgent. serm. de laudib. virg.

Bernard. Augustin. Fulgent.

Contra hanc vero secundam conclusionem procedit, tertium argumentum D. Tho. fundatum in verbis Pauli ad Galat. 4. *misit Deus filium suum factum ex muliere. factum*, enim perinde dictum est, ac conceptum, vt notauit Tertul. lib. de velandis Virginib c. 6. & Ambros. lib. 1. de fide c. 6. dicens, *esse factum ex muliere per carnis susceptio*

Obiectio. D. Thom.
Tertull. Ambros.

suſceptionem. Idē ſermone quinto in Pſal. 118. Auguſt. lib. 23. contra Fauſt. c. 7. Alij verò Patres legunt *natum de muliere*, vt Cyprian. lib. 2. ad Quirin. cap. 8. & Iren lib. 3. cap. 18. quod tantundem valet, præſertim ſi ad natiuitatem in vtero referatur quāquam eadem difficultas ſit de natiuitate ex vtero, quia (vt dicemus) etiam illa fuit ex Virgine. Reſpondetur cum D. Thom. nomen *mulieris* non eſſe nomen corruptionis, ſed ſexus. Vnde Angelus Luc. 1. ad Mariam ingreſſus, ante quam conciperet, eam tacitè mulierem vocat, dicens, *Benedicta tu in mulieribus* ſeu *inter mulieres*, vt legit, & notat Tertul. ſupra, & idem notari poteſt in ſimilibus verbis Eliſabeth, Luc. 1. ſic etiā Luc. 10. de Martha, quam virginem fuiſſe Eccleſia tradit, dicitur, *mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam*, imò eandem eſſe mulierem illam, quam dominus à fluxu ſanguinis ſanauit, opinatur Ambroſ. lib. de Salomone. c. 5. ita etiā Geneſ. 2. & 3. Eua ſtatim, ac formata eſt, cùm adhuc Virgo eſſet, *mulier* appellatur, vt notauit Aug. lib. de fide contra Manich. c. 22. & ſerm. 63. de verbis Domini. Hierony. contra Eluidium. Optimè Origen homil. 8. in Leuit. Vbi præterea aduertit, nomen *mulieris* eſſe poſſe nomen ætatis, ſicut *vir* non ſolum ſignificat maſculinum ſexum, ſed interdum connotat maturiorem ætatem, quę pubertatis annos excedat: *ſic*, inquit, *mulier ſignificat fœminam prouectæ ætatis, iam ad matrimonium habilem*. Quod notauit etiā Cyril. lib 8. in Leuit in principio, & patet ex Geneſ. 24. *Si noluerit mulier ſequi me, &c.* cùm tamen illa ſine dubio virgo futura eſſet, apta verò ad nuptias. Et hoc modo intelligi poteſt, quod Tertul. ſupra dicit, Mariam vocari *mulierem* propter deſponſationem cum Ioſeph, & quod ait Auguſtin. vocari *mulierem* propter filij conceptionem. Addo deniq; fortaſſe alluſiſſe Paulum ad locum Geneſ. 3 *inimicitias ponā inter te, & mulierem*, vt ſignificaret, Beatam Virginem eſſe illam expectatam mulierē, quæ ſalutem mundo erat allatura: ac propterea ſingulariter, & per antonomaſiam mulier appellari poteſt, vt ſupra etiam diſput. 1. ſect. 1 notatum eſt.

Auguſt. Cyprian. Irenæ. — Reſponſio Luc. 1. — Tertull. Luc. 10. — Ambroſ. Geneſ. 2. & 3. Auguſt. Hieron. Origen. — Cyrill. Geneſ. 24. — Tertull. — Auguſt. — Geneſ. 3.

SECTIO. II.

Vtrum Beata Maria filium pariendo Virginitatem amiſerit.

PRimus error in hac quæſtione fuit Beatam Virginem, quanuis in conceptione filij Virgo permanſerit, in partu tamen Virginitatem amiſiſſe. Ita ſenſit Iouinian. Quanquam enim Hieron. libris contra illū, nunc eius lapſum tacueri; Auguſtinus tamen illius meminit lib. de hęreſib. c. 82. & lib. 1. contra Iulian. ferè in principio, vbi dicit hunc hæreticum ita ſenſiſſe, *ne Chriſtum cum Manicheis phantaſma crederemus, ſi matris incorrupta virginitate diceremus exortum*. Et eiuſdem erroris, tacito nomine Iouiniani, meminit Ambr. epiſt. 81. ex epiſtola tamen 80. quæ eſt Syricij ad Ambro. & ex Ildefonſo lib. de Virgini. Mar. c. 1. ſatis colligitur eundē Iouinianū fuiſſe huius hæreſis autorē. Quem poſtea ſecuti ſunt in Germania hæretici dicti Lolhardi, quorū dux fuit Gualterus, vt Tritemius refert in chronico, anno milleſimo trecenteſimo decimo quinto. Et Sander. lib. 7. deuiſib. monar. hęreſ. 163. vbi dicit, Proteſtantes hoc tempore idem ſentire. Vnde hæreſ. 87. & 219. refert Buccerum, & Molinæū in eandē incidiſſe. Poſſunt in huius hęreſis fauorē citari quædam dicta Patrum, quæ in ſequentibus exponemus.

Auguſt. — Ambroſ. Ildefon. — Tritem. — Sander.

Secunda ſententia hīc referri poteſt ex Dur. qui cùm rectè de Virginitate Mariæ ſentiat, quia tamen putat fieri non poſſe, vt duo corpora ſeſe in vno loco penetrēt, dicit, fieri potuiſſe in corpore ſanctiſsimę Virginis, vt parere poſſet, partium, & naturalium viarum dilatationē ſine ruptione tamen aliqua, vel diuiſione, ſicut Auguſt. lib 14. de Ciuit. c. 26. & D. Tho. 1. p. q. 98 art 2. ad. 4. exiſtimarunt, futurā fuiſſe hominum natiuitatem in ſtatu innocentię ſi duraret. Et hanc Durandi opinionem Palud. diſt. 44. q. 3. art. 3. probabilem exiſtimat, licet contrariam vt tutiorē amplectatur. Vt veritatē definiamus ſupponendum eſt B. Virginem verè, ac propriè peperiſſe Chriſtum, quod infra. q. 35. cōſtituendum eſt.

Durand. — Palud.

Dicendum igitur eſt primò, Beata Virgo pariendo filium virginitatem non perdidit, ſed integerrima, prorſuſq; incontaminata permanſit. Probatur primo, vnico ſcripturę teſtimonio, aliud enim in ſequētem ſectionem omittimus. Iſaię igitur. 7. dicitur. *Ecce virgo cōcipiet, & pariet*: Ex quibus verbis myſterium hoc confirmant Patres omnes Græci, & Latini. Irenę. lib. 3.

Maria in partu Virgo permanſit. — Iſai. 7. — Irenæ.

contra hæres.c.9.18.21.24.26.& lib. 4.c. 40. Iustin. in dialogo contra Tryphon. longe post initium. Euseb. lib.7.de demõstra. cap.2. & lib.5.hist.c.8. Epiphan. hæres.30. prope finem, & hæres.77. in epist. Athanasij ad Epictetum, quã ibi refert. Grego. Nyss. orat. in Sanctam Chris. natiuit. circa princip. Basil. homil. 25. de humana Christi generatione, & in.7. caput Isai. Tertul. lib. cõtra Iudæos c.9. & lib. de carne Christi c.23. in fine & lib.3. contra Marcio. c.3. Cypr. lib.2. cõtra Iudæos, c.9. Ruffinus in exposit. symb. optimè Hiero. Isai.7. & lib. 1. contra Iouin. circa med. Ambros. dicta epist.81. August. serm.2. & 4. de natiuit.

Iustin. *Euseb.* *Epiphan.* *Gre. Nyss.* *Basil.* *Tertul.* *Cyprian.* *Ruffin.* *Hieron.* *Ambros.* *August.*

Duobus tamen modis eludi potest hoc testimonium, primo negando cũ Hebræis prophetiam illam dictam esse de Christo, tum quia neque Emanuel appellatus est: tum etiam, quia neque infans pugnauit cõtra Regem Assyriorum, nec accepit virtutem Damasci, aut spolia Samariæ, quæ omnia ibi prædicuntur. Quod si illis obijcias, quia nullus alius natus est de Virgine. Respondent concedendo: negant tamen ibi esse legẽdum Virginem parituram, sed puellam, siue adolescentulam, quam significare dicunt Hebraicam vocem. *Alma*, ibi positam. Vnde ipsi ad Ezechiam, & matrẽ eius prophetiam accommodant. Sed primo, euidenter constat accommodationem hanc stare non posse, quia Ezechias, vt minimum nouẽ annis prius natus erat, quàm hoc Isaias prædiceret, vt ibi Hierony. ostẽdit. Secundo vox, *Alma*, in alijs locis scripturæ Virginem significat, nam Genes. 24. Rebecca *Alma* dicitur ante desponsationẽ, vbi Latinus interpres recte vertit Virginem, neque altera significatio in Scriptura inuenietur. Imò ait Hierony. significare hanc vocem specialiter *Virginem iam nuptui aptam*, ideſt, quæ ad conuenientem ætatem iam peruenit. Dicitur etiã significare *Virginem absconditam*. Sunt quoque, qui dicant vocẽ *Alma*, absque aspiratione scriptam, *Virginem nubilem* significare, tamen cum aspiratione, prout hoc loco est in Hebreo, eã, quę *Virgo semper manet* significare. Adde septuaginta interpretes, & Chaldaicam paraphrasim, *Virginem*, vertisse. Tertio nisi ita exponatur, friuolum est, & nullius momenti signum, quod attulit propheta. Quale enim signum, aut quam admirabile prodigium est, quod adolescentula

Obiectio *Responsio* *Hieron.* *Genes.24.*

A corrupta filium pariat? Quarto Hebræorum coniecturę illos potius conuincunt, quis enim vnquam fuit Emanuel præter Christum? qui verè fuit, & appellatus est *Nobiscum Deus*. Propheta enim rẽ potius, & sensum, quàm materialem vocis appellationem, contemplabatur. Quis etiam infans Damascum, & Syriam debellauit præter Christum? non quidem iuxta corticem literæ, quæ sine spiritu occidit, & in nullo homine reperietur impleta (vt bene Tertul. notat) sed metaphorico sensu, quanuis ad literam intento, mundum, infernum, & vniuersam dæmonis potestatem, in verbis illis intelligendo. *Tertull.*

Secunda euasio est hæreticorum (quibus Erasmus fauet) dicunt enim. cùm Virgo paritura dicitur, non oportere intelligi componendo, sed diuidendo, nam, quæ B fuit Virgo, pariet, non quod virginitatem in partu retineat. Propter quod etiam Iansen. in concordia Euangelica capit.5. dicit, ex solis verbis Isaiæ non conuinci satis Virginẽ parituram permanendo Virginẽ. Sed in primis (si hęc verba, quoad partũ in sensu diuiso interpretantur) etiam quo ad conceptionem erunt eodem sensu intelligenda, quia eodem contextu dicitur, *Ecce Virgo concipiet, & pariet*, consequens est absurdum (vt argumentum supra indicatum conuincit.) Nam quale signũ, vel prodigium esset, vt, quæ fuit Virgo, conciperet, & pareret? quo argumento sæpe vtuntur Sancti supra citati. Secundo ita exposuit hunc locum Matthęus capit.1. dicens *Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophetam dicẽtem, ecce virgo in vtero habebit, & pariet filiũ*, C vbi apertè significat prędictũ esse ab Isaia, Virginem permanentem integram, concepturam, & parituram. Affert enim hoc testimonium Isaiæ, vt conceptionem Christi ex Spiritu sancto confirmet. Vnde multi intelligunt illa non esse verba solius Euangelistæ, sed Angeli loquentis ad Ioseph, & persuadẽtis miram Virginis conceptionẽ. Ita Chrysost. Theophyl. Euthym. Irenæus. lib.4. contra hæres. cap. 40. optimè Ambros. epist.81. & Aug. serm.14. de natiuit. quanquam Hierony. & Anselm. indicent esse verba solius Euangelistæ, quod ad prę sentem quęstionem non multum refert. *Obiectio.* *Erasm.* *Iansen.* *Matth.1.* *Chrysost.* *Theophil.* *Euthym.* *Irenæ.* *Ambros.* *August.* *Hieron.* *Ansel.*

Secundo adduci possunt in conclusionis confirmationem non nullę ex figuris,

&

& alijs obscuris indicijs, quibus supra diximus Virginitatem Mariæ fuisse adumbratam in veteri testamento. Multa enim non solum de conceptione, sed etiam de partus tempore procedunt. Accommodari etiam solent verba Psal. 21. *Tues, qui extraxisti me de ventre*, significatur enim (inquit Cyril. Ierosoly. catechesi. 12.) mirabili modo, & diuina virtute de vtero exiuisse. Vnde Aug. epist. 120. c. 12. *quid est, inquit, tu es, qui extraxisti me de ventre, si ad ipsum Iesum de Virgine procreatũ refertur? an inde significare voluit partum Virginis seruata Virginitate mirabiliter vt cum Deus fecisse dicitur, quod illic mirabiliter factũ est, nemini incredibile videatur.*

Psal. 21. Cyril. Ier. Augusti.

Tertio traditur hæc veritas à Patribus, & ab Ecclesia definita est. Loca sunt eadẽ, quæ in præcedenti sectione indicata sunt. Et specialiter videri possunt Leo Pap. epistol. 10. cap. 21. & serm. 4. & 5. de natiuit. Hormisd. Papa in epist. 1. ad Iustinianum Augustum cap. 3. Agapetus Pap. epist. ad Antimum, *sine Verbi potentia*, inquit, *nec cõciperet Virgo, nec pareret, & sine veritate carnis obuoluta pannis infantia non iaceret.* Idem Damascen. lib. 4. c. 14. Theodoret. serm. 10 de prouidentia.

Leo Papa. Hormisd. pap. Agapet. pap. Damas. Theodor.

Hic etiam addi possunt Patres qui dicũt fuisse in templo locum, in quo Virgines separatę à nuptis orare solebant, & ad eũ solitam esse accedere B. Virginem etiam post partum, vt videre licet in Basil. hom. de humana Christi genera. Greg. Nyss in simili hom. Orig. tract. 26. in Mat. Cyril. Alex. lib. contra Antropomorphit. ca. 27. Theophyl. Mat. 23. qui dicunt, Zachariam fuisse interfectum à Iudæis quòd Mariæ integritatem defenderet.

Basil. Gre. Nyss. Origen. Cyril. Alexan. Theophyl.

Quarto ad gẽtilium persuasionem, vtũtur Patres testimonijs etiam ex Sybillarũ prędictionibus, & hystorijs Gentium de sumptis, vt videre licet in Lactantio lib. 4 diuinar. institut. cap. 6. & 18. Euseb. lib. 4 de vita Constantini, Augustino lib. 1. de consensu. Euangelist. cap. 20. lib. 18. de Ciuit. cap. 23. & oratione contra Iudæos, Paganos, & Arianos, quæ inter opera illius habetur in tomo sexto. Multa etiam congerit latè Canisius lib. 2 de Beata Maria. c. 7. Sed specialiter refert Epiphanius in vita Ieremiæ, Ægyptios ab illo Prophera didicisse, omnia illorum simulacra fuisse casura eo tempore, quo in Ægyptum ingressura erat cũ suo infante Virgo enixa,

Lactan. Euseb. August. Canis.

A Deo similis. Nota etiam est historia de lamina aurea tempore Constantini inuenta, in qua scriptum erat. *Christus nascetur ex Virgine*, cuius D. Thom. etiam meminit secunda secundæ, q. 2. artic. 7. ad tertium, & alia etiam prodigia, quæ ad eandem veritatem confirmandam Deus operatus est attigit infra quæst. 36. & Bonau. tom. 2. opusc. tractatu de quinque festiuitatibus pueri Iesu, cap. 2. D Antoni. 1. p historiali, tit. 5. Abulens. prologo in Genes. c. 7.

D. Thom. Bonauent. Antonin. Abulens.

Quinto, ratio præcipua est diuina volũtas, quę supponit hoc non implicare contradictionem, nec censeo expedire nunc argumenta Duran. dissoluere, quibus impossibile esse existimat, vt duo corpora locum occupantia in eodem spatio penetratiue existant, tum quòd difficilia non sint, tum quod alijs locis tractantur, & inferius, cum de Christi resurrectione disputabimus, ea breuiter attingemus. Possumus autem huius diuinę dispositionis cõgruentes rationes afferre. Prima, quia non decebat Dei Verbum priuare matrem integritate, quam facile seruare poterat, perficere, & consecrare, cũm esset Deus. Vnde Ignatius epist. 13. ad Heronem, *decebat*, inquit, *creatorem non consueto, sed peregrino, & admirando vti partu vt pote omnium opificem*, & ferè similia verba habet Cyril. lib. 8. contra Iulian. non longe à fine, & Augustin. serm. 7. de natiuit. dicit hoc modo fuisse natum, *vt cum hominem testaretur partus humanus, & Deum probaret æterna virginitas.* Propter quod Proclus Cyzicenus homil. de Christi natiui. in Conci. Ephe. tom. 6. cap. 7. sic argumentatur. *Si ea, quæ genuit Virgo non permansit, neque is, qui natus est, aliud, quam purus homo extitit.* Et eodem modo argumentatur Theodotus Ancyranus in eodem Concil. & tom. cap. 10. & in appendice. 5 cap. 2. denique Leo Pap. serm. 1. de natiuit. propter hanc causam dixit, *Nec damnum credit pudoris, Deigenitrix mox futura*, & infra, *Merito Virgineæ integritati nihil corruptionis intulit partus salutis, quia custodia fuit pudoris editio veritatis*, & serm. 2. *Noua*, inquit, *natiuitate genitus est natus ex Virgine, sine maternæ integritatis iniuria, quia futurum hominum saluatorem talis ortus decebat, qui & in se haberet humanæ substantiæ naturam, & humanæ carnis in quinamenta nesciret*, & infra, *Non cogitetur parientis conditio, sed nascentis arbitrium, quia sic homo natus est*

Ignat. Cyrill. August. Proclus Cyzen. Theodotus Ancyran. Leo pap.

vt

vt volebat, & poterat, & infra. *Oportuit,* inquit, *vt primam genitricis integritatem nascẽs incorruptio custodiret, & complacitũ sibi claustrum pudoris, & sanctitatis hospitium diuini spiritus virtus infusa seruaret, quæ statuerat deiecta erigere, confracta solidare, & superandis carnis illecebris multiplicatam pudicitiã donare virtutis, vt virginitas, quæ in alijs salua non poterat esse generando, fieret in alijs imitabilis cõfitendo, renascendo.* Quibus vltimis verbis aliam coniecturam indicat, quam attigit etiam Greg Nazian. orat. 38. de natiuit. in princip. dicens. *Christus ex Virgine, mulieres virginitatem colite, vt matres Christi esse possitis.* Et infra satis post med. similem aliã rationẽ innuit his paucis verbis. *Et procreationem honore affici, & virginitatem præferri oportebat.* Sic etiam Ambros. epist. 81. *speciale sibi donum virginitatis Christus elegit, & integritatis munus exhibuit, atque ipse representauit, quod elegit in matre.* Et Cyril. Ierosoly. catechesi. 124. *nascebatur, vt virgines faceret. Multo ergo magis debuit virgineum conseruare corpus.* Augustin. serm. 11. de tempore, *diligamus præ omnibus castitatem, quia vt placere hanc sibi Christus ostenderet, pudicitiam vteri virginalis elegit.* Et lib. de Sãcta virginit. c. 4 *Christus nascendo de Virgine approbare virginitatem maluit, quam imperare.* Eandem rationem attigit Damasc. lib. 4. de fide cap. 25. Vltimà tandem addi potest ex Irenæo lib. 3. c. 33. & Fulgentio serm. de duplici Christi natiuit. quia sicut ex Virgine initiũ sumpsit humanæ naturę ruina, ita decuit, vt per Virginem salus hominibus adueniret.

Gre. Nazi. — Ambros. — Cyri. Iero. — August. — Damasce. — Irenæ. — Fulgent.

Sed obijci potest quorundam Patrum doctrina, qui dicunt Christum nascendo vuluã matris aperuisse, quod putant singulare fuisse in Virgine, quia alijs mulieribus aperitur vulua in conceptione, Virgini in partu. Et ita interpretantur legem Exod 13. & Numc. 8. latã, *Omne masculinũ ad apariens vuluam sanctum Domino vocabitur,* intelligendam esse singulariter de Christo. Ita Epipha. hęres. 78. circa finẽ, *Hic est,* inquit, *qui vere aperuit vterum matris.* Chrysost. Greg. Nyssenus, & Amphilochius homilijs de purificatione, seu de occursu Domini. Origen. homil. 14. in Luc. Theophy. Luc. 2. Ambros. lib. 2. in Luc. cap. de circuncisione, & oblatione saluatoris. Obscurissimè ac durissimè Tertu. lib. de carne Christi cap. 23. vbi addit, ideo Paulum dixisse *factum de muliere,* non de Virgine, quia *agnouit ad apertæ vuluæ nuptialem passionem.* Quæ testimonia, ita vt in cortice sonant, intellexisse, & credidisse, videtur Erasmus Luc. 2. & ideo male de hoc mysterio sensisse.

Obiectio. — Exod. 13. — Numer. 8. — Epiphan. — Chrysost. — Gre. Nyss. — Amphilo. — Origen. — Theophi. — Ambros. — Tertull. — Erasmo.

Dicendum verò est, in scriptura sacra, *claudere vuluam* propriè significare infœcundam, & sterilẽ reddere, vel relinquere aliquam fœminam, vt constat Gene. 20. 29. & 30. & 1. Reg. 1. igitur *aperire vuluam* ẽcontrario significabit conferre alicui fœcunditatem. In hoc ergo sensu exponendi sunt Sancti Patres, cùm dicunt *Christum aperuisse vuluam matris,* idest, dedisse illi fęcunditatem, quam nullus alius filius matri suæ conferre potuit. Vtuntur autem illa metaphora, vt declarent partum Virginis, & Christi natiuitatem veram, & realẽ fuisse, & non tantum phantasticam, & apparentem, quam expositionẽ sumo ex Hierony. dial. 2. contra Pelagianos in princip. vbi sic inquit. *Solus Christus clausas portas vuluæ virginalis aperuit, quæ tamen clausæ iugiter permanserunt.* Quibus verbis nemo (credo) sanæ mentis intelliget, voluisse dicere Hierony Christum prius rupisse claustrũ Virginis, vt egrederetur, postea veró illud quasi assuisse, & in statum pristinum restituisse. Hęc enim intelligentia valde obtusa est, & à mente tanti doctoris aliena, & decori Virginis, ac integritati, & Christi potentiæ, ac maiestati contraria, aperuit igitur portas relinquendo clausas, quia fęcũditatem, vimque pariendi dedit conseruata integritate. Ac si quis diceret, aperuisse Christum sepulcrum suum, clausum relinquendo, quia ita illo clauso vsus est, ac si esset apertum, vt eleganter exposuit Amphilochius hom. de purificatione. Sic etiã dixit Euthym. Luc. 2. *Solus Christus nondũ apertam, supernaturaliter aperuit, & clausam naturaliter conseruauit.* Sic etiam Ambros. epist. 81. ita dicit Christum exiuisse de vtero Virginis, *sicut aqua exiuit de petra.* Ex quo loco satis constare potest mens Ambrosij. Et eodem ferè modo exposuit Gregor. Nyssenum D. Thom. infra quæst. 37. art. 3. ad primum. Et eadẽ est ratio de alijs. Nam licet Tertul. obscurus sit, tamen ex lib. de carne Christi cap. 20. satis constat illum de virgineo partu rectè sensisse. Addo vero primum, illum modum loquendi non esse nobis vsurpandum sine sufficienti, & aperta expositione, quia & metaphoricus

Genes. 20. 29. & 30 — 1. Reg. 1. — Quomodo Christus dicatur matris aperuisse vuluã — Hieron. — Amphilo. — Euthym. — Ambros. — D. Tho.

ricus est, & facile potest falsum sensum ge nerare. Deinde illam expositionem prędi ctæ legis non esse literalem, sed mysticam, propriè enim *filius adaperiens vulvam* dicitur omnis primogenitus communi modo natus, quia licet vulua aperiri incipiat in conceptione, tamen in primo partu, claustri ruptio quasi perficitur, & consummatur. Vnde lex illa de omnibus primogenitis, non solum hominum, sed etiam iumentorum intelligebatur.

Dico secundo Christum exiuisse de vtero matris sine vlla virginei corporis dilatatione, immutatione, aut iniuria ad eũ modum, quo exiuit de sepulcro, vel ingressus est ad discipulos ianuis clausis, non transiliendo, nec dilatando, aut immutando, sed simpliciter penetrando interiacentia corpora, simulque cum illis in eodem loco existendo. Hanc conclusionem existimo certam. Primo ex communi consensu reliquorum Theologorum (vno excepto Durando) qui reuera explicarunt communem Ecclesiæ sensum, hanc enim existimationem, & fidem de hoc mysterio fideles omnes cõcipiunt. Secundo, Patres omnes valde exaggerant hoc miraculũ Virginei partus: at verò si per solam partium dilatationem accidisset, neque excessisset modum natiuitatis, qui in statu innocentiæ futurus erat, paruũ sanè, aut fere nullum miraculum fuisset, antecedẽs constat ex Augustin. epist. 3. & Concil. Toleta. 11. in princip. de hoc speciali miraculo dicentibus. *Si haberet exemplum, non esset singulare, fateamur ergo Deũ aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse.* Idem Augustin. lib. contra Felicianum Arian. c. 8. *Hoc fides credat, intelligentia non requirat, neq; aut non inuentum putet incredibile, aut non repertum, non credat singulare.* Et Ambros. lib. de institut. Virginis cap. 5. præfert miraculum natiuitatis ex Virgine, miraculo resurrectionis Christi, & Cyril. homil. contra Nestor. dicta in Concil. Ephes. *O rem*, inquit, *admirãdam, miraculum hoc me stupidum reddit.* Sophron. etiam in illa epist. actionis 11. 6. Synod. hoc dicit esse vnum ex maximis miraculis diuinę virtutis. Qui omnes id explicant exemplis illis de Christi exitu de sepulcro lapide obserato, & de ingressu ad discipulos ianuis clausis. Quo etiam vtitur Greg. homil. 26. in Euangel. Augustin. serm. 18. 156 & 160. de tempore, Chryso.

Nulla in vtero Virginis Christũ parientis facta mutatio

Conc. Tol.

Augustin.

Ambros.

Cyrill.

Sophron.

Gre. pap. Augustin. Chrysost.

A homil. 2. de symb. Proclus Cyzice. supra citata homil. circa finem D. Thom. quodl. 6. art. 8. & in 4. dist. 44. q. 2. art. 2. Tertio, sententia Durandi multum derogat Virgineę puritati, & integritati, cùm tamen Patres non solum minuntam negent, sed etiam auctam esse affirment in filij natiuitate. Vnde Gregor. Nyssen. in vita Moysi. *A virgine*, inquit, *deitatis lux assumpta carne illuxit hominibus, eamque omnino incorruptam seruauit, virginitatis viriditate nullo pacto commutata.* Amplius, Augustin. serm. 15. de tempore, *Creuit*, inquit, *in eius partu integritas corporis potius, quam decreuit, & virginitas ampliata est potius quam fugata.* Et eleganter Petrus Chrysolo. serm. 142. *qui ingreditur, & egreditur, & introitus sui, & exitus nulla vestigia relinquit diuinus habitator est, non humanus*, & infra. *In tuo conceptu, in tuo partu, creuit pudor, aucta est castitas, integritas roborata.* Apertius Guarricus homil. 2. de laudib. Virginis, *nequaquam Rex gloriæ vincula laxauit, aut dilatauit.* Et Nicepho. Constantinopolit. in epist. ad Leonem, quæ habetur in Concil. Ephes. tom. 5. cap. 22. circa mediũ sic inquit. *Virginem, quæ supernaturaliter, & ineffabiliter pepererat, post partum Virginem conseruauit, virginitate illius secundum naturã, nulla ex parte demutata aut labefactata*, & Proclus Cyzicen. supra, *Naturæ*, inquit, *portas reserauit Emanuel vt homo, sed virginitatis claustra non violauit, neque perrupit vt Deus, ita enim ex vtero est egressus, sicut per aurem ingressus: ita natus sicut conceptus, qui impatibiliter fuerat illapsus, impatibiliter est elapsus.* Quarto denique, hic modus fuit decentissimus, & facilis diuinæ omnipotẽtiæ; quo posito facile intelligitur, B. Virginem potuisse suum fœtum emittere sine vlla resistentia partium interiacentium, quia diuina virtute factum est, vt non impedirent, quominus corpus Christi posset in eundem locum subintrare, atque pertransire non immutando illas, neque ex proprijs locis remouendo.

Proclus Cyzic. *D. Thom.* *Gre. Nyss.* *Augustin.* *Pet. Chrysolog.* *Guarric.* *Nicephor. Constanti.* *Proclus Cyzicen.*

Dices, naturales viæ strictiores sunt, quàm vt intra se possint capere corpus pueri, nisi vel ipsę dilatentur, vel corpus quasi comprimatur, aut propriarum partium penetrationem subeat. Sed hoc argumentum magis videtur contra Durand. vrgere, quia difficilius intellectu est, & corpus solidum, & grandioris quantitatis trã sire per poros alterius interiacentis corporis

Obiectio.

ris propter solam dilatationem absq; vlla diuisione, vel penetratione. Respondetur ergo potuisse fortasse Christum superiori aliquo, & miraculoso modo nobis ignoto, sui corporis partes intra illas angustas vias collocare sine dilatatione. Secundo, si fortasse intercesit aliquis modus penetratio nis propriarum partium inter se, id intelligendum est factum esse absq; vlla imperfectione, nec exterioris figurę immutatione, vel si hoc visum fuerit difficile, dici potest cũ Abulensi Parado.1.cap.56.& sequentibus & quęst.49. in primum caput Matth. corpus Christi per se, & quasi directe exiuisse per naturales meatus. Quòd si necesarium fuit secundum aliquas partes sui corporis, quasdam alias partes virginei corporis penetrare, ita factum esse, quia hoc neque imperfectionem includit, neque veritati partus, & natiuitatis derogat, sed in hoc mysterio securius, magisq; consentaneum Christianę modestiæ est, fateri ineffabili, & incomprehensibili modo Christum exiuisse de vtero matris, quàm talem modũ in particulari curiosius inquirere.

Responsio

Abulens.

A

B

SECTIO. III.

Vtrum Virgo post partum semper virginitatẽ seruauerit.

SVpponendum est licet virginitas, vt ad mores, & virtutem pertinet, non amittatur nisi per voluntariam claustri virginalis ruptionem, aut seminis resolutionem, vt constat ex D. Tho. secunda secundę, quæst.152.art.1.& quodlib.6.ar. 18. tamen, vt solum dicit corporalem virginitatem, seu integritatem, amitti per quãcunq; ruptionem claustri virginalis, siue voluntariè fiat, siue licitè, siue illicite, quia hæc virginitas, de qua modo agimus, in sola ipsa naturali perfectione, & corporis integritate consistit.

D.Thom.

C

Suppono deinde B. Virginem non amisisse hanc corporalem virginitatem per aliquam vim, & inuolũtariam coactionem, nec per concubitum illicitum, nec per aliquem alium extraordinarium modum, vt solet interdum hæc integritas auferri per instrumenta artis Medicæ, necesitatis causa. Hęc enim omnia sunt indecentissima, quę nullus etiam hæreticus vnquam virgini attribuit, & supra etiam ostendimus nunquam in Virgine fuisse actum turpẽ. Ostendimus etiam nunquam ægrotasse, ac denique certum est, non fuisse permissurum Deum, vt Beata Virgo hanc vim, vel necesitatem subiret. Tota ergo quęstio ad hoc reuocatur, an Beata Virgo voluntariè, & per actum honestum, qualis est actus matrimonij, amiserit virginitatem. Hærerici dicti Antidicomarianitæ, idest, Mariæ contrarij, affirmarunt, B. Virginem post partũ Christi, filios alios ex Ioseph o concepisse. Cuius hęresis autorem fuisse Eluidium testatur Hierony. lib. contra illum, indicat Ildefonsus lib. de virginitate Mariæ.c.2.& August.hæres.84. Origenes tamen homil.7. in Lucam, & Hil.can.1. in Matth. Eluidio antiquiores, huius hæresis mentionem fecerunt. Hierony. etiam contra Eluid. fatetur Terrullianũ in hũc errorem ante Eluidium lapsum esse, & indicat ille vehemẽter lib. de Monogam.c.8. lib. de carn. Christ.c.23.& sæpe aliàs. Hũc verò errorem penè iam extinctum ante annos viginti quinque excitauit Lucas Sternberger, eumque multi ex nouatoribus secuti sunt, vt referunt Prateol. verbo Lucas Sternberger, & Canisius lib.2. de B. Maria.

Hieron. Ildefons: August. Origen. Hilar. Tertul.

Prateol. Canis.

Dicendum verò est B. Virginem perpetuam virginitatem coluisse, neque virũ vnquam cognouisse. Est de fide. Et primò probatur vnico testimonio veteris testamenti, Ezechie.44 *Porta hæc clausa erit, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Quo loco, licet sub metaphora, ad literam sermo est de Virgine sanctissima, vt ibi testatur Hierony. & sentiunt alij Patres, qui ad hanc veritatem confirmandam hoc vtuntur testimonio, scilicet idem Hierony. dialogo secundo contra Pelagian. August. serm.2. &.14. de natiuit. Ambros. dicta epist. 81. Chrys. homil. de Ioãne Bap. tom.3. Damascen. lib. 4.c.15.& alij, Et cum ipso contextu, & ratione eius optimè quadrat hic sensus, dicitur enim illa porta semper clausa permansura, *quia dominus ingreßus est per eam.* Vnde additur illa particula, *erit clausa Principi*, idest, in illius honorem, & reuerẽtiam. Et potest cõfirmari ex illo verbo Virginis Luc.1. *Quomodo fiet istud*, quo propositum perpetuæ virginitatis ostendit, vt sequenti disputatione latius ponderabimus. Adducunt etiam nonnulli ex Patribus

Ezech 44 Maria post partum virgo permansit. Hieron. August. Ambros. Chrys. Damascen.

Luc.1.

bus argumentum ex eo, quód Christus in cruce pendens matrem Ioanni commendauit dicēs, *Ecce mater tua*, & ēconuerso. Ioānem matri dicens, *Ecce filius tuus*. Ex hoc enim facto, & verbis, non obscurè colligitur non habuisse alios filios ex Ioseph, aliàs illis potius, quàm Ioanni commendanda videretur, & ideò Christus singulariter dixit, *ecce filius tuus*, ideſt, quem loco vnici filij tui habeas.. Hoc argumentum accipi potest ex Ambros. Luc. 1. & epist 79 Epiphan. hæres. 78. & Hierony. contra Heluidium.

Ambros. *Epiphan.* *Hieron.*

Secundo, præsertim habetur hæc veritas traditione, consensu, & definitione Ecclesię, nam in cōcilijs sępe dicitur deipara, *Semper virgo immaculata*, vt in. 5. Synod. can. 6. & 6. Synod. Act. 11. dicitur *Mariæ virginitas ante partum, in partu, & post partum intemerabilis*. Item 7. Synod. Act. 3. in confessione Tarasij. Concil. Lateran. sub Martino. 1. can. 3. Idem tradit Siricius Pap. cū Conc. Rom. in epistola decretali, quę habetur tom. 1. Conciliorum, & inter epistolas Ambrosij est. 80. Idem Ambros. cum concilio Mediola. in rescripto, seu epistol. 81. Idem, de institutione virginis capit. 7. Confirmatur hęc traditio, quia in vniuersa Ecclesia *Virginis* nomen absolute dictū, & quasi per Antonomasiam Deiparæ attribui consueuit, vt Augustinus nouit in Enchirid. c. 34. Vnde Epiphan. supra sic inquit. *Quis vnquam, aut quo sæculo ausus est proferre Mariæ nomen, & interrogatus non statim intulit virginis vocem? ex ipsis enim nominibus etiam virtutis signa elucent.* Et hoc modo dicitur in symbolo Apostolorum, *natus ex Maria virgine*. Sic etiam loquuntur frequēter Patres concilij Ephesini, & Calcedonēsis. Athanas. sermone de sanctissima Deipara. Hil. can. 1. in Matth. Maximus homil. de cruce, & sepultura Domini, oprimè, & ex professo Hieron. epist. 22. ad Eustoch. de custodia virginitatis, vbi de modestia, & pudicitia Virginis eleganter loquitur. Itē Greg. Nyss. orat. de sancta Christi nativitate. med. qui cū Basi. homil. 25. de humana Christi generatione dicit, Mariā dispensatione diuina fuisse matrimonio coniunctā Ioseph, vt ille custos esset famæ, & virginitatis eius, nō vt ex illa filios procrearet. Notanda tamen sunt verba, quæ inferius Basil. subdit. Cùm enim retulisset sententiam eorum, qui sentiunt, Mariam post

Symbolo Apostol. *Conc. Ephesin. & Chalcedon.* *Athanas.* *Hilar.* *Maxim.* *Hierony.* *Greg. Nyss.* *Basil.*

A Christi nativitatem nuptialia opera viro non negasse, inquit. *Nos vero, licet nihil hoc doctrinæ pietatis officeret. Nam donec dispensabatur Christi generatio, necessaria erat virginitas, quid vero postea sit factum, ad mysterij huius doctrinam, non anxie coniungendum est. Verum tamen, ne hoc eorū, qui Christum amāt, ferre cogantur aures, quod genitrix Dei aliquādo desierit esse virgo, has rationes sufficere putamus.* Quibus verbis indicare videtur Basil. veritatem hanc ad fidei certitudinem non pertinere. Sed quia existimo hoc semper fuisse certissima fide creditum, exponenda censeo hæc verba solum de incarnationis mysterio, cui, & miraculosæ conceptioni, & natiuitati Christi non est directe contrarius ille error, quanquam reuera aliàs sit contra fidem, & Ecclesię traditionem. Vnde Augustin. in lib. de Eccles. dogB matibus. c. 69 *firma*, inquit, *fide credendum est, nec blasphemiæ Heluidij acquiescendum.*

Augustin.

Tertiò afferri possunt congruentes rationes: quatuor optimas attigit D. Tho. hic. art. 3. Prima est ex parte Christi, nam sicut est vnigenitus patris, ita decuit, vt esset & matris. Nec refert quod Matth. 1. dicatur, *primogenitus Virginis*. Nam (vt notarunt Damascen. D. Thom. & alij) in Scriptura sacra hæc appellatio non dicit semper relationem ad secūdo genitum, sed solum negationem prioris, sicut quando in lege præcipiebatur offerri primo genitus, sine dubio intelligebatur etiá vnigenitus. Notat verò Cyri. lib. 2. de fid. ad reginas in probatione, quod Christus vnus sit Dei filius, ex Euangelio Lucæ, Christum dominum, ideo interdum dici primogenitum, quia inter multos fratres primatum sortitus est, licet ex semper virgine natus fuerit. Secunda ratio ex parte Spiritus sancti est, quia non decuit sacrariū Spiritus sancti humano semine fœdari. Tertia ex parte Virginis, *incontinentis enim, & ingrati animi signum fuisset, diuinitus conseruatam virginitatem prodere, & thalamum conceptionis Christi* C *polluere*, vt Siricius Papa loquitur. Quarta huic similis est ex parte Iosephi, qui (vt Euangelium indicat) erat singulariter iustus, & omnia mysteria probe nouerat. Vnde non est verisimile ausum fuisse Beatam Virginem attingere. Vnde Bernard. ait, castitatem eius fuisse in Patriarcha Ioseph prefiguratam. Quinta sit, quia decuit cōsilium virginitatis non tantum á Christo,

D. Tho. *Matth. 1.* *Christus cur dicatur in Euangelio primogenitus.* *Cyrill.* *Siric. pap.* *Bernard.*

sed

sed etiam ab eius matre perfectissimè, custodiri, vt omnibus virginibus Euangelij ipsa esset perfectum virginitatis exemplũ. Propter quod á sanctis Patribus, *dux, magistra, & Virgo virginum* appellatur.

Obiectio Matth. 1.

Sed vrgebat contra hanc veritatẽ Heluidius ex Matth. 1. *Cũ esset desponsata mater Iesu, Maria, Ioseph, antequã cõuenirẽt, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Et infra. *Non cognoscebat eam donec peperit filium*, nã prior particula indicat habuisse animum conueniendi, & propter hanc causam fuisse matrimonio coniunctos: posterior verò particula, *donec*. Significat post partum

Responsio

Christi cognouisse illam. Respondent Patres vtráque particula solum negari, quòd eo tempore factum non erat, nihil verò affirmari, quòd posteriori tempore efficiendum esset, vel factum sit. Sensus ergo prioris particulæ est, *antequam cõuenirent*, ideſt, sine eorum coniunctione, vt si vulgari sermone quis dicat, *antequam sacrum audirem, discessi*. Non indicat postea audisse, nec habuisse animum audiendi.

Matth. 6.

Sic Matth. 6. dicitur. *Scit pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis*, ideſt, vobis etiam non petentibus. Ita D. Thom. hic, ex

D. Thom.

Hieron. contra Heluid. Idem est sensus alterius particulæ, *donec*, tantum enim negat id fuisse factum vsq; ad illud tempus,

August.

vt late tractat August. lib. 83. quæst. q. 69. id comprobans ex illo Psal. 109. *donec ponã inemicos tuos*, & alijs similibus. In quibus

Psal. 109.

illud obseruatione dignum est, solere præcipue hac particula indicari tempus illud, in quo potissimũ existimari posset id euenisse, quod factum esse negatur, vt Genes. 8. dicitur, *misit coruum, qui non reuertebatur, donec siccarentur aquæ*. Si enim aliquo tempore esset reuersurus, maxime illo, quo aquę terram operiebant, nam post illam exiccatam non erat, cur reuerteretur, dum ergo negatur redijsse, donec terra exiccaretur, nõ affirmatur postea rediisse, sed potius tanquã per se notũ, & clarũ relinquitur, multo minus postea esse reuersũ. Sic ergo in præsenti testimonio negatur coniũctio cũ marito vsq; ad filij partũ, quia eo tempore videri poterat necessaria: de sequenti verò tempore non affirmatur, imo vt clarum supponitur, multo minus eo tẽpore interueniſse. Ita notarũt (præter Hieron. Basil. Damasc. Epiphan. & alios supra citatos) Ambros. lib. de Noe, & arca. c. 17.

Particula Donec, in scriptura quomodo vsurpetur.

Hieron. Basil. Damasce. Epiphan. Ambros.

A & Gregor. 8. moral. cap. 40. significat etiã August. lib. 1. de Trin. cap. 8. Bernar. hom. 72. in Cantic. Chryso. homil. 5. in Matth. quem Theophyl. & Euthym. ibi imitantur, Anselm. 1. ad. Cor. 15. & hanc esse censeo literalem expositionem. Quidam verò aliter exponunt scilicet, *antequam conuenissẽt*, non quo ad torum, in quo nunquam conuenerunt, sed quo ad cohabitationem in eadem domo, quomodo postea conuenerunt. Similiter, quod dicitur, *non cognouit eam*, non ad carnis, sed ad mentis cognitionem refertur, quia antequam Virgo filium pareret, Ioseph non satis eius dignitatem, & excellentiam agnoscebat, in qua cognitione postea maximè profecit, vt Epiphan. supra indicat, & Chrysost. hom. 5. imperfecti. Sed non placẽt hæc. Prior quidem pars, quia vis verbi *conuenissent*, plus

Gre. pap. August. Bernard. Chrysost. Theophyl. Euthym. Anselm.

Epiphan. Chrysost.

B significat, quam cohabitationem in eadem domo, præsertim, quia existimo eo tempore iam cohabitasse Mariam & Ioseph. Posterior vero pars, quia, nõ satis quadrat contextui. Multo autem minus verisimile est, quod D. Tho. in catena refert, ex Hilar. quem inueuire non potui, hoc esse referendum, ad sensum visus: vt sicut Moyses videri non poterat præclaritate vultus sui, ita nec Beata Virgo, quandiu filium in ventre portauit.

D. Thom.

SECTIO. IIII.

Quomodo Christus legitur habuisse fratres, si mater eius semper Virgo permansit.

C VNum ex præcipuis fundamentis, quo Heluidius nitebatur, erat, quia in Euangelio, sæpe fit mentio quorundam fratrum Christi, quos ipse dicebat fuisse filios Virginis ex Ioseph o, & ideó oportet diligenter explicare, qui isti fuerint, & cur fratres Christi dicantur. Quod D. Th. tetigit in hoc ar. 3. ad. 5 & 6.

D. Thom.

Prima igitur sentẽtia in præsenti quæstione fuit Heluidij asserentis, hos *fratres Domini* fuisse filios Beatæ Virginis, quoniam cùm Christus vt homo nõ habuerit Patrẽ, necessariũ putauit eos fuisse filios matris eius, vt posset eius fratres appellari.

Secunda sententia, & grauissimorum Patrũ fuit, hos fuisse filios sancti Ioseph, non ex Beata Virgine, sed ex alia vxore, quam ante Virginem duxerat. Vnde fit ita fuisse hos dictos *fratres Domini*, sicut Ioseph

seph dictus est pater eius, scilicet appellatione, & existimatione, & *veluti quadã adoptione*, vt aliquãdo dixit Aug. cõtra Faust. Asserunt autem, qui ita sentiunt, Ioseph prius, quàm Mariam Virginẽ duceret, habuisse vnã, vel forte plures vxores, ex quibus genuit Iacobum fratrẽ domini, & fratres eius. Cuius rei probabile argumentũ est, quia Ioseph iam erat senex, cùm duxit Virginem, vt videtur esse cõmunis traditio ecclesię, quã frequens, ac vulgaris pictura ostendit, ergo non est verisimile toto illo tempore abstinuisse á nuptijs, cum in lege veteri continentia non esset in æstimatione, & dignitate, duxit ergo vxorẽ illa ætate: ex qua verisimile etiam est habuisse filios, nam sterilitas, tũc quoddam genus opprobrij erat. Vnde credi potest, Deum nõ priuasse illum hoc beneficio. Hęc fuit communis sententia Gręcorũ, quam docuit Epiphan. hęres. 51. ante med. & hæres. 78. & in Anchorato, Theophy. Matt. 23. & 27 & Ioan. 19. & ad Gala. 1. & 1. ad Corin. 9 sequitur Euthy. Matt 12. & 27. & Ioã. 19. Oecumen. super Acta Apost. in principio & c. 2. Idẽ Euseb. lib. 2, hist. c. 1. Nicephor. lib. 1. c. 7. cum. 21. & lib. 2 c. 3. vbi in hãc sententiã refert Hyppolith. Portuensem, & lib. 3. c. 10. Orige. Matt. 13. vbi dicit, hanc sententiã inuentã esse ad perpetuã B. Mariæ virginitatem tuendam Idẽ Gre. Nys. orat. 2. de resurrect. Christi. Ex Latinis docuit hoc etiã Hilar. can. 1. in Matth. & Ambro. ad Galat. 1. & de institutione virginis c. 6. Nec contradicit Aug. in expositione eiusdem epistolę, vbi sub disiunctione inquit, Iacobum domini fratrẽ, vel ex filijs Ioseph de alia vxore, vel ex cognatione Mariæ matris eius, intelligi debere. Eandẽ sententiam secutus est Platina in vita D. Petri, quanquam sub disiunctione, vt infra dicam. Addit verò Orige. opinionem hanc ortam fuisse ex quodã euangelio Hebręorum Petro ascripto, aut Iacobo, quod à Seleucio hæretico scriptum esse, testatur Inno. 1. epist. 5. ad Exuperi. c. 7. Aug. li. de fid. cont. Mani. c. 38.

Augusti. *Epiphan. Theophyl. Euthym. Oecumen. Euseb. Nicephor.* *Origen.* *Gre. Nyss.* *Hilar. Ambros. August.* *Platina.* *Origen.*

Tertia sententia hic referri poterat asserens, hos dici *fratres domini*, quia erant filij sororũ Virginis, & nepotes S. Annę. Sed infra occurret cõmodior locus illã tractãdi.

Dicendũ ergo primo est hos fratres domini non fuisse filios B. Virginis, idq; non solum certa fide, & traditione haberi, sed etiã ex euangelijs colligi posse. Prior pars huius assertionis ex præcedenti sectione constat, cùm ostensum sit Deiparã perpetuó virginem permansisse. Posterior pars probatur, quia ex euangelijs colligi potest, hos, qui dicũtur *fratres*, habuisse aliã matrẽ præter Virginem. Quod ita probatur. Nã Ioã. 19. legimus fuisse iuxta crucẽ tres mulieres, matrẽ Domini, sororemq; eius Mariã Cleophæ, & Mariã Magdalenæ. Matt. autẽ 27. & Marci 15. numerantur *Maria Magdalena, Maria Iacobi, & Ioseph mater, et mater filiorũ Zebedæi*, seu *Salome* (vt Marcus inquit) illã verò matrem Iacobi, & Ioseph (qui alijs locis dicuntur *fratres domini*) non fuisse Deiparam, certũ esse videtur. Primo, quia vbicunq; fit mentio Deiparæ cũ alijs mulieribus, ipsa primo loco numeratur, prout dignitatẽ eius decebat, vt patet Ioã. 19. vel certè vltimo loco, & singulariter separata ab alijs, vt Acto. 1. *cum mulieribus, & Maria matre Iesu*. Et confirmatur secundo, quia Matth. c. 28. agens de resurrectione Christi sic inquit. *Vespere autẽ Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalenæ, & altera Maria videre sepulcrum.* Vbi constat illam alterã Mariam fuisse, quam c. 27. vocauerat Mariã *Iacobi, & Ioseph matrem*, de qua ibidẽ subdiderat. *Erat autẽ ibi Maria Magdalenæ, & altera Maria sedentes contra sepulcrũ*, quod ex Marci. 16. apertius colligitur, & Luc 24. illa ergo *Maria Iacobi*, nõ erat B. Virgo. Probatur cõsequentia, argumẽto facto, quia inter illas duas Marias de Magdalena fit mẽtio præcipua, & indicatur fuisse feruentiorẽ in fide, & charitate, & in priuilegio, quod à Christo suscepit vidẽdi illũ ante alios in die resurrectionis, vt patet ex Marci. 15. At verò, si Maria Iacobi fuisset B. Virgo, in nulla istarũ rerũ fuisset Magdalenæ postposita. Vnde est tertiũ argumentũ, quia incredibile est B. Virginem fuisse aliquã ex mulieribus, quę ad vngendũ corpus Christi mortuũ tanta solicitudine iuerunt in die resurrectionis, quia (vt ex ipso facto, & Euangelijs colligitur) quanuis illæ mulieres, pie agerent, impetfectã tamen habebant fidem, magnaque ignorantia circa Christi mysteria laborabant. Adde Luc. 24. deliramenta visa esse Apostolis, quæ hæc Maria Iacobi cum alijs narrauit. Quis autem credat tam fuisse stupidos, vt non maiorem fidem, & reuerẽtiam illi deferrent,

Ioann. 19. *Matth. 27.* *Marci. 15.* *Marci. 16.* *Luc. 24.* *Marc. 15.* *Luc. 24.*

Bernard. si mater domini fuisset? Vnde Bernard. tracta. de passione Domini ca.2. dicit, Deipa ram non fuisse officiosam circa corpus domini defunctum, quia de fide resurrectionis eius erat certissima, & in omnibus mysterijs ab Spiritu sancto edocta, & instructa. Et communis Ecclesię sensus esse videtur B. Virginem domi, gloriosum expectasse aduentum filij, eiusque ibidem ante omnes alios cōspectu meruisse frui. Quarto est optima coniectura D. Tho. hic art.3. ad.6. B. Virginem in euangelio non cognominari nisi á filio. Appellatur enim *mater Iesu*, vel *de qua natus est Iesus*. Vnde Lucas, qui in euangelio ca.24. alteram *Mariam Iacobi* nominauerat, Act.1. Virginem vocat *Mariam matrem Iesu*, propter quod ab Ignatio appellatur *Maria Iesu*, quia hæc erat maxima eius dignitas. Cur enim prætermisso Christo vocaretur *mater Iacobi, & Ioseph*, si illa eadem esset *mater Iesu*? Quinto tandem hoc docent Patres, Hieron. Matth. 12. &.27. & contra Heluid. & lib. de viris illustribus in Iacobo. Beda lib. 4. in Marcum cap. 44. D. Thom. lect. 4. in cap. 11. Ioan. Euthym. suo c.68. in Matth. 27. vbi contrariam sententiam *absurdam* vocat.

D. Thom. Luc. 24. Acto. 1. Ignat. Hieron. Beda. D. Thom. Euthym.

Ex his ergo aperte concluditur, quod intendimus, scilicet, Iacobum, & Iosephū nō fuisse filios B. Virginis, sed alterius Marię, & tamen isti dicuntur *fratres domini*, ergo hæc appellatio non inde sumpta est, quòd ex eodem vtero fuerint nati. Eadē autem ratio est de omnibus alijs, quibus hæc appellatio in scripturis tribuitur.

Secundo colligo lapsos fuisse nonnullos antiquos ex Græcis, qui existimarunt B. Virginē fuisse illam Mariā, quæ cum Magdalena venit ad vngendū Christum in die resurrectionis. In qua sentētia fuerūt Gregorius Nyss. & Theophy. locis supra citatis, & Nicepho. lib. 1. hist. c. 33. & indicat Sedulius lib. 5. Paschalis circa finem, dicit enim, Virginē in die resurrectionis iuisse sūmo mane ad corpus domini vngendum. Est enim hęc sentētia ab omni ratione aliena, vtpotē di. Intelligendū est autem, hos autores nō sensisse cū Heluidio, quia non dicūt, B. Virginem vocari *matrem Iacobi, & Ioseph*, quia illos genuisset, sed quia erat spōsa Ioseph, cuius ipsi erant filij. Vnde inconstanter loquitur Nicepho. qui illam Mariā Iacobi dicit fuisse vxorē Iudæ Apostoli, sentiens illam Mariā, quæ iuit cū Magdalena ad sepulcrū non fuisse Mariā Iacobi, quod repugnat Euangelio, sed de his mulieribus multa ibi cōmentatur Nicephor⁹, quæ nec autoritatem, nec fundamentum habent.

Gre. Nyss. Theophyl. Nicephor. Sedul. Nicepho.

Tertio, pro infra tractandis, probabiliter ex dictis colligo, Mariam Cleophæ sororē Virginis, cuius Ioā. meminit c.19. esse eandem, quæ ab alijs dicitur *Maria Iacobi*, & *Ioseph*. quę est sententia Hieron. contra Heluid. quā tenet etiam D. Tho. lect. 5. super ad Gala. 1. & Chrys. homi. 89. in Matt. vbi dicit Mariam Iacobi fuisse sororē matris domini. Constat autē in Ioan. 19. Mariam Cleophæ vocari *sororē domini*, & probatur. Quia in euangelijs præter B. Virginem, & Mariam Magdalenam, non fit mentio alterius mulieris sectatricis Christi, quę Maria vocaretur, nisi vnius tantū. Nā mater filiorum Zebedæi nunquā vocatur *Maria*, sed *mater* tātum *filiorum Zebedæi*. Quod etiam ex euangelio Matthæi non obscurè colligitur, cùm ita loquitur. *Maria Magdalenæ, & altera Maria*, indicat enim in toto illo negotio passionis, & resurrectionis Christi nō interueniſſe nisi alterā Mariam præter Magdalenā, quia de B. Virgine ibi non erat mentio, nec esse poterat vt dixi: ergo illa Maria, cuius Matthæus, & Ioannes meminerunt erat eadem, igitur Maria Iacobi est eadem, quæ alio nomine appellatur *Maria Cleophæ*. In scriptura enim fœminæ interdum á filijs, interdum à maritis cognominantur. Hęc ergo quę *mater Iacobi, & Ioseph* dicitur, dicitur etiam *Maria Cleophæ*, quia fortasse illius erat vxor (vt infra dicā) Hunc autē Cleophā fuisse fratrem Iosephi sponsi Virginis Euseb. ex Hegesip. tradit, lib. 3 hist. c. 10. aliás. 11. & Nicepho. lib. 1. c. 33. & li. 3. c. 9. idemq; multi ex antiquis autoribus sequūtur. Quod pro ijs, quę dicemus, annotandum est.

Euseb. Hegesipp. Nicepho.

Dico secundo, Hi, qui in euangelio dicūtur fratres domini, non fuerunt à Ioseph sponso Virginis geniti, neq; hac de causa illo nomine appellantur. Hāc conclusionē docuit Beda Ioan. 2. Mar. 6. & Luc. 8. Theodo. ad Gal. 1 Ansel. Mat. 12. & probatur, primo testimonio omnium illorum Patrum, qui docent Beatum Iosephum fuisse virginem. Hieronym. in Matth. & lib. contra Heluid in fine, *relinquitur*, inquit, *virginem permansisse cū Maria, qui Pater domini meruit appellari*. August. serm. 14. de natiuit. introducit Angelum ita loquētem cum Ioseph.

Beda. Theodore. Anselm. Hieron. August.

Habę

Ioseph Mariæ sponsus virgo semper fuit.

Habe ergo, Ioseph, cum Maria coniuge tua cõmunem virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus nascitur Angelorum. Sit Maria sponsa Christi in carne sua virginitate seruata, sis autem & tu Pater Christi, cura castitatis, & honorificentia virginitatis. Et infra, *gaude Ioseph, virginitati Mariæ, qui solus meruisti virginalem affectum possidere coniugij, quia per meritum virginitatis ita separatus es a concubitu vxoris, vt pater dicaris Saluatoris.* In quibus verbis non solum veritatem docet, sed etiam congruentissimas rationes indicat. Idem Rupert. lib. 1. de gloria, & honore filij hominis in Matth. quod confirmat, tum quia decuit virginem permansisse eum, qui *Pater Domini meruit appellari*, tum etiam, quia custos futurus erat virginitatis Mariæ. Quam congruentiam ita confirmat D. Thom. lect. 5. in epistolam ad Galat. quia si Dominus noluit matrẽ virginem, nisi Virgini commendare, quomodo sustinuisset sponsum eius non fuisse, & perstitisse virginem: & eandem sententiam indicat Bernard. serm. 2. in *Missus est*, circa finem. Clarius eam docet Hugo de S. Victor. quæst. 5. in epist. ad Galat. Petr. Damia. epist. 11. cap. 4. dicit hanc esse *Ecclesiæ fidem*, idest vniuersalem, ac piam credulitatem. Eam denique communiter secuti sunt scholastici in 4. dist. 30. vbi Palud. q. 2. artic. 2. Maior. quæst. 4. & alij, quos referemus art. sequenti, vbi D. Thom. dicit Ioseph simul cum Maria virginitatem vouisse. Sequitur etiam Gerson. sermone de natiuit. Mariæ consideratione 3. Lipoma. in vita sancti Ioseph. Secundo probatur conclusio, quia ex dictis in prima conclusione constat, matrem Iacobi, & Ioseph fratrum Domini, simul vixisse cum Beata Virgine, ergo non est verisimile fuisse vxorem Ioseph, neque illum habuisse simul duas viuentes vxores. Primo, quia licet in lege veteri interdũ licuerit duas simul habere vxores, tamen neque constat illam consuetudinem vsque ad Christi tempora durasse, nec probabile est Ioseph ea fuisse vsum, præsertim cũm pauper esset, nec facile posset tantam alere familiam. Secundo quia non decebat Beatam Virginem secum habere sociam eiusdem mariti coniugem, neque habere virum, qui affectum suum, & officium cum alia communicaret, sed illud maximè indecens erat, quod eodem nimirum tempore, quo cum Virgine habitabat, mulierem aliam cognosceret. Tertio, maximum impedimentum illi fuisset ad ministerium, & officium, ad quod assumebatur. Oportebat enim esse expeditum, & liberum omnibus alijs curis, & obligationibus, vt posset Virgini, & puero Iesu deseruire, & cũ eis itinera agere, &c. Quarto, satis videtur hoc colligi ex verbo Angeli Matth. 2. *Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, vbi indicatur vnam tantum habuisse coniugẽ. & præsertim vocatam Mariam. Illa ergo Maria Iacobi nõ erat vxor sancti Iosephi, ergo nec eius filij erant geniti à Ioseph. Supponimus enim, & illos fuisse legitimè natos, & Iosephum virum iustũ non fuisse fornicarium. Tertio probatur quia in euangelio habemus alios parentes horum fratrum Domini præter Ioseph, nam Iacobus minor, & *frater domini* dicitur *Iacobus Alphæi*, Matt. 10. Marc. 3. Luc. 6. Actor. 1. in quibus locis alter Iacobus maior dicitur *Iacobus Zebedæi*, constat autem sic esse dictum, quia erat filius eius, vt patet Matt. 27. Est enim hęc phrasis scripturę, vt filius à patre cognominetur. 1. Machab. 1. *Alexãder Philippi*, ergo *Iacobus, Alphæi* dicitur, quia erat filius eius, nõ ergo erat filius sancti Ioseph. Quis enim audeat dicere eundem esse Alphæum, qui Iosephi aut sponsum Virginis fuisse binomium, vel aliter appellari in euangelio, quàm Ioseph?

Dicet aliquis hanc rationem supponere Iacobum Alphæi esse eundem, qui *frater domini* dicitur, quod tamen non omnes fatisse concedent. Respondetur hic inculcari difficultatem infra tractandam, & ideo breuiter nunc dicitur, illud suppositum esse verisimum, vt constabit apertè conferendo inter se loca Matt. 10. 13. & Acto. 1. vbi *Iacobus Alphæi* numeratur inter Apostolos, & vnus Iacobus Apostolus, *frater domini* dicitur, quem constat non esse aliũ, quàm *Iacobum Alphæi*. Nam de Iacobo Zebedæi omnes consentiunt, non esse vocatum fratrem domini. Similis ratio hic addi potest, quia Simõ vnus ex fratribus domini fuit filius Cleophæ, vt ex Hegesippo antiquo, & graui autore refert Euse. lib 3. historiæ. c. 10. & 26. alias. c. 11. & 32. Niceph. lib. 3. c. 2. & 9. Constat autẽ Cleopham fuisse distinctũ à Ioseph, & (vt fertur) fuisse fratrẽ eius. Respõderi solet illũ fuisse filiũ naturalẽ Ioseph, vocari autem filiũ legalẽ

Rupert.

D. Thom.

Bernard.

Hug. Vict.

Petr. Damian.

Palud.

Maior.

Gerson.

Lipoman.

Matth. 2.

Matth. 10.

Marc. 3.

Luc. 6.

Acto. 1.

Matth. 27

Machab. 1.

Obiectio.

Responsio

Matt. 10. & 13.

Actor. 1.

Euseb. Niceph.

Cleophæ, cuius vxorem Ioseph duxerat, vt semen eius excitaret, iuxta legem Deuteron. 25. Sed hæc responsio apertè repugnat menti Hegesippi, & Eusebij, qui sine dubio loquuntur de filio naturali, & deinde est conficta sine fundamento. Adde nō omnes filios genitos à fratre appellatos esse secundum legem filios alterius fratris defuncti, sed solum primogenitum vt patet ex Deutero. capi. 25. cum expositione Augustini quæst. 46. super Deuteron. Alia, quæ in secunda sententia dicuntur de ætate sancti Ioseph, infra quæst. 29. examinabuntur.

Dico tertio, hi fratres domini, solum ita appellati sunt propter aliquam consanguinitatem veram, vel existimatam, quam cū Christo domino secundum carnem habuerunt. Hęc est sententia D. Hieronymi contra Heluid & Augustini lib 22. contra Faust. cap. 35. & tract. 10. & 28. in Ioann. Bedæ lib. 1. in Marc. suo cap. 23. & lib 3. in Luc. suo cap. 30. & aliorum, quos infra referā. Et sequitur necessario ex dictis, quia (vt Hieronymus ait) quatuor modis solēt in scriptura fratres appellari, primo propriè, & in rigore, quia verè sunt naturales fratres, vt Iacob, & Esau, & hunc modum iam exclusimus. Secūdo latissimè, scilicet affectu, & amore, quomodo Christus Ioan. 20. Apostolos *fratres* suos vocat. Tertio etiam latè, gente, seu natione, quomodo Deuter. 17. omnes Israelitæ *fratres* dicuntur, & hi duo modi non sufficiunt in præsenti, vt per se constat, quia his modis, omnes Iudæi possent fratres Christi vocari, superest ergo quartus, & medius modus scilicet, vt propter aliquam specialem propinquitatem carnis *fratres* dicti fuerint. Est enim hęc phrasis frequens in scriptura, vt constat ex Genes. 13. vbi Loth, & Abraham dicuntur *fratres*, cùm tamen constet ex cap. 11. Loth, fuisse nepotem Abraham. Similiter cap. 29. Iacob, & Laban dicuntur *fratres*, & similia facile occurrent. Et videri possunt apud Hieronymum dicto libro contra Heluidium, & Augustin. lib. 16. de Ciuit. c. 19. & Epiphan. hæres. 39.

Declarandum verò breuiter superest, quæ nam fuerit propinquitas horum, qui *fratres* Christi dicuntur, cum ipso Christo. Fuit enim vulgaris quædam sententia hos fratres Domini fuisse consobrinos Christi filios sororum Virginis. Dicunt enim Annam matrem Virginis post mortē Ioachim nupsisse alteri viro, qui Cleophas nominaretur, & ex illo peperisse Mariam Cleophæ matrem Iacobi, & aliorum ex fratribus domini. Rursus verò, defuncto Cleopha Annam nupsisse alteri, scilicet Salome, & ex eo tertiam peperisse filiam, quā in euangelio dicūt vocari *Mariam Salome*, & matrem filiorum Zebedæi, Ioannis scilicet Euangelistæ, Iacobiq; maioris. Hanc sententiam docuit Glossa ordinaria super cap. 1. epist. ad Galat. & Hugo de Sancto Victore ibidem in q. supra citata, quam sequitur Echius in sermone de festiuitate sanctæ Annæ, & fauet Beda Actor. 1. dicens Mariam Iacobi fuisse *materteram Christi*, atq; adeó naturalem sororem Virginis, & idem habet Glossa interlinealis Actor. 1. Denique Ioann. 19. expressè vocatur Maria Cleophę *soror Mariæ* Virginis. Diximus autem supra, hanc eandem esse Mariam Iacobi. Vnde Hieron. cōtra Heluid. apertè docet hanc Mariam Iacobi fuisse sororem Virginis. Idem habet Matth. 12. & 27. idē in lib. de scriptoribus Ecclesiasticis in Iacobo, & Isidor. in lib. de vita & morte sanct. Patrum.

Sed hæc sententia nec verisimilis est, neque vllo nititur probabili fundamēto. Primum, quia (vt ex antiqua Patrū traditione ostendimus) Anna vsq; ad senilem ætatem sterilis fuit, posteaq; diuino dono Virginē concepit, quî ergo credibile est post partū Virginis, & mortē Ioachim ad secundas, & tertias transijsse nuptias? Secūdo, quia supra ex euangelijs ostendimus, prēter B. Virginem, & Mariā Magdalenam non fieri mentionē nisi alterius Marię, ergo sine fundamento duæ aliæ introducūtur. Et quāuis alia ratione probabiliter admitti possent, distinguendo Mariam Iacobi à Maria Cleophę (vt facit Greg. Nyss. orat. 2. de resurrect. quē alij sequūtur) tamē, quod hęc opinio dicit de Maria Salome, omnino est improbabile, & nō satis consideratū. Quia in Euangelio nunquam hæc vocatur Maria, sed simpliciter *Salome*, vt patet Marc. 15. quod non est nomē viri, sed fœminę, vt rectè Hieronym. notauit, & ex Iosepho, & Hegesippo, & alijs historiographis constat. Nam sicut à Ioanne, *Ioanna* ita à Salomone, *Salome* dicta est. Et verisimile est (quod notauit Orige. tract. 35. in Matth. sub finem) hanc Salome fuisse matrem

D. Hieron. Augustin. Beda.

Ioann. 20.

Deuter. 17

Genes. 11. & 13. Genes. 29.

Hieron. Epiphan. Augustin.

B

C

Gloss. ordi. Hug. Vict. Echius. Beda.

Gloss inter lin. Ioann. 19. Hieronym.

Isidor.

Gre. Nyss.

Marc. 15. Hieron. Ioseph. Hegesipp.

Origen.

Matth.27. Marc.15. matrem filiorum Zebedæi. Nam Matthæus cap.27. & Marc.c.15. earundem trium mulierum videntur facere mentionem, & alter vocat tertiam illarum *matrem filiorum Zebedæi*, alter verò. *Salome*. Quod autẽ hęc fuerit filia B. Annæ, & quód filij Zebedæi fuerint consobrini Christi, gratis confictũ est sine testimonio scripturæ, vel alicuius antiquę historiæ. Tertio, decuit B. Virginem vnigenitam esse matri suæ, vt certius constaret miraculosè fuisse in senectute, & ex sterili conceptam, & ita obseruatum videmus in illustrioribus personis, quæ hoc modo conceptæ sunt, vt in Isaac, Ioãne Baptista, & similibus. Quarto, nec D. Hierony. nec vllus ex antiquis Patribus historiam hanc de triplici Maria, tribusque *Hierony.* filiabus Annæ docuit. Nam Hierony. cum alijs antiquis supra citatis solum Mariam Cleophæ dicunt esse sororem Virginis, quod etiam dicit Euangelium: alterius autem sororis non meminerunt, sicut neque Euangelium. Quo modo autem illa fuerit soror, non explicant: non est autem necesse fuisse sororem naturalem in primo gradu. Nam sicut supra dicebamus consobrinos, vel consanguineos vocari *fratres* in scriptura: ita fœminę vocantur *sorores* propter aliquem consanguinitatis gradũ. Addo præterea, quanuis admitteremus Annam habuisse aliquam aliam filiam præter Virginem, conuenientius foret consequenter asserere illam fuisse filiam Ioachim, quam illas secundas, & tertias nuptias Annæ confingere, grauitati, ac temperantiæ illius parum consentaneas, & amo ri, quem erga Beatam Virginem habuisse *Virgo vnigenita Ioachim, et Annæ.* credendum est. Quanquam neque hoc verum esse existimem, nam ferè omnes antiqui Patres explicantes primum caput Matthæi, & genealogiam Christi, docent, vel supponunt Beatam Virginem fuisse vnigenitam, & hæredem parentis sui Ioachim. Quod sanè dignitatem eius maxime deceoat. Addo denique, si ætatum, ac temporum ratio diligenter supputetur, facile intelligi posse, Simonẽ, qui fuit vnus ex fratribus Domini, & postea successit Iacobo in Episcopatu Ierosolymitano, & *Euseb.* tandem (teste Euseb. lib.3. hist. cap.10. & 26.) martyrio affectus est decimo Traiani anno, cum ad centesimum, & vigesimum ætatis suę annum peruenisset, constare inquam posse, hunc Simonem pluribus annis fuisse ętate grãdiorem Christo, quod apertè repugnat cum prędicta opinione. Quia cùm B. Virgo conceperit Christũ, statim ac fuit apta ad concipiendum, si Simon erat filius minoris sororis Virginis, necesse est, vt post Christum fuerit conceptus. Et fere idem argumentum de Iacobo fieri potest, qui septimo Neronis anno, hoc est sexagesimo tertio, á natiuitate Christi mortuus est, si tamẽ verũ est quod *Epiph an.* Epipha. addit hęres. 78. illum, cũ nonagesimum sextum ætatis annum ageret, martyrio fuisse coronatum. Et fere eodem argumento concludi potest, Ioannem Euangelistam non fuisse filium tertiæ sororis virginis, quia oportuisset aliquot annos natum fuisse post Christum: cùm tamen cõstet in principio imperij Traiani, ab ortu Christi centesimo anno, cum ipse iam nonagesimum nonum ætatis annum ageret, defunctum esse. Propter quæ merito D. Thom. lect. 5. super ad Galat. 1. historiam hãc de tribus filiabus Annæ reijcit. Et eiusdem sententiæ videntur esse Euthym. & *D. Tho. Euthym. Theophyl. Ianſen. Caniſ. Canus.* Theophyl. Ioann. 19. Iansen. c.143. concordiæ. Canisius lib.1. de B. Maria. c.4 circa finem. & indicat Canus. lib.11. de locis. cap. 5. ad. 2.

Qui nam in euangelio fratres Christi dicãtur, & quomodo.

Quarto ergo dicendum est, incertum esse, propter quem gradum consanguinitatis, vel propinquitatis hi fuerint dicti fratres Christi, imò neque an verè consanguinei fuerint, vel tantum putati. Et si humanæ historiæ fides habenda est, ex illa solum colligitur, hos fuisse existimatos consobrinos Christi ex parte Iosephi existimati Patris eius. Hoc ita declaratur. Nam (vt supra ex Eusebio lib.3. histo. cap. *Euseb. Hegesippi.* 11. & Hegesippo retulimus) Cleophas erat frater Iosephi sponsi Virginis, & Simeon frater Domini, erat filius Cleophæ (vt ex eisdem autoribus retulimus) & Maria mater Iacobi, & Iosephi. est eadem cum Maria Cleophæ, sic dicta, quia erat vxor eius, ergo qua ratione Iosèph existimatus est pater Christi: eádem Cleophas haberi potuit Patruus Christi, & filij eius consobrini Christi, hac ergo ratione appellari potuerunt *fratres Christi*. Hæc sententia sic explicata sumitur ex pluribus autoribus citatis, & ex Chrysosto. Actor. 1. & homil. 5. in Matth. dicit Iacobum fratrem Domini, ita esse vocatum *fratrem Domini*, sicut Ioseph appellatus *Chryſoſt.*

est pater eius. Miror tamen, cur ibi Chrys. numeret Ioannem inter *fratres domini*, cùm in Euangelio nunquã hoc nomine nuncupetur. Approbat etiam hanc expositionẽ Aug. lib. q. super Matt. q. vlt. Et hinc etiam intelligi potest, cur Maria Iacobi dicta fuerit *soror* virginis, quia nimirũ ambæ erant vxores duorum fratrum, & ideo inter se *sorores* dicebantur. *Augus.*

Dubium. Vna tantũ supereſt difficultas circa dicta, quę hoc loco prætermittenda nõ est. Nam in euãgelio Iacobus minor frater domini, dicitur *Iacobus Alphæi*, ex quo supra docuimus fuisse filiũ eius. Quo modo ergo nũc dicimus fuisse filiũ Cleophæ? quo loco se se insinuat grauis illa quęstio, an Iacobus Alphęi fuerit idẽ, qui Iacobus frater domini, *iustus* appellatus, & primus Ierosolym. Episcopus ab Apostolis cõstitutus. Est enim grauissimorũ virorũ opinio, qui hos distinctos fuisse sentiũt, atq; adeó non duos tantũ, sed tres fuisse, Iacobi nomine appellatos, duos ex numero duodecim Apostolorũ, scilicet Iacobum Alphęi, & Zebedæi, & tertium cognominatũ *iustum*, & *fratrẽ domini*. Hæc sentẽtia sumpta est ex Clemente in libris recognitionum, in quibus sępe videtur distinguere Iacobum fratrẽ Domini à Duobus Apostolis. Sed quia illi libri apocryphi censentur, apertius, & probabilius fundatur hęc opinio in autoritate eiusdem Clemẽtis lib. 2. constit. Apostolicar. c. 59. vbi hunc Iacobũ videtur inter septuaginta duos discipulos numerare, dicens. *Nos, qui digni facti sumus, vt essemus testes aductus ipsius, cum Iacobo fratre domini, & alijs septuaginta duobus, & septẽ diaconis.* Sed hic locus etiã exponi posset. Clarius ergo in lib. 6. c. 12. & 14. sigillatim numerat duodecim Apostolos, & inter eos Iacobũ Zebedęi, & Iacobũ Alphæi, & postea addit, *Iacobũ fratrem domini*, & *Paulum*. Idem fit expressẽ in Missa, qua vtuntur Æthiopes in quadã deprecatione per Apostolos, & alios sanctos. Et hanc sententiã secutus est Epipha. hæres. 76. & Dorotheus in synopsi, & Nicepho. 2. lib. hist. c. 44. Et insinuat Cyri. Ieroso. catechesi. 14 eandẽ secutus fuit Hiero. Isai. 17. & ad Galat. 1. & in eam videntur inclinare omnes, qui dicunt, Iacobum minorẽ fuisse filium Alphæi. Iacobum autẽ fratrem Domini filium vel Iosephi, vel Cleophæ, vt Chrys. Theodoret. Theophy. & alij supra citati.

Epipha. *Doroth.* *Nicepho.* *Cyri. Iero.* *Hierony.* *Chrysost.* *Theodore.* *Theophyl.*

Fauet etiã huic sententiæ Anacletus Papa in epist. 2 decretali, vbi primũ ait Iacobũ fratrẽ domini fuisse ordinatũ Episcopũ Ierosolym. à Petro, Ioãne, & Iacobo Apostolis: indicat ergo illum non fuisse Apostolum, quia infra ipse subdit, omnes Apostolos á Christo accepisse parẽ potestatem. Vnde cõmunis sententia est omnes fuisse immediate à Christo, vel Spiritu sancto Episcopos ordinatos, ergo Iacobus, qui ordinatus fuit ab Apostolis, fuit extra Apostolorũ numerum. Fauet præterea Nicol. 1. ad rescripta Vulgarorũ. c, 92. quẽ refert Turria. in schol. ad Clementẽ lib. 6. c. 12. pag. 81. vbi dicit eas Ecclesias habendas esse patriarchales, in quibus Apostolos sedisse cõstat, scilicet *Romanã Alexandrinã*, & *Antiochenã*. Et infra dicit, *Ierosolymitanam Ecclesiam, etiã esse in honore habendam*, sentit ergo Iacobũ, qui in illa sedit, nõ fuisse Apostolum. Tandẽ videtur posse colligi hęc sententia ex 1. ad Corint. 15. vbi Paul. de Christo post resurrectionẽ loquẽs, inquit, *Visus est Cephæ, & post hoc vndecim, deindè plus quam quingentis fratribus, deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus, deinde tanquã abortiuo visus est & mihi.* Quibus verbis videtur ab Apostolis Iacobum distinguere. Quod si vera est hæc sententia facile expedirur difficultas tacta, nam cũ hæ personę distinctæ fuerint, quãuis eodẽ nomine appellatæ, nil mirũ est, si diuersos patres habuerint, Alphęum scilicet, & Cleopham. *Auaclet. papa.* *Nicol. pap.* *Turrian.* *1. Cor. 15.*

Altera verò opinio est, tantũ fuisse duos Iacobos discipulos, & Apostolos domini, atq; ita eundẽ fuisse Iacobum minorem, & Alphęi, cognominatũ *iustum*, & *fratrem domini*, Apostolum, & primum Ierosolymorum Episcopum. Quę sentẽtia est sine dubio verior, & solidior, vt latè probat Hierony. contra Heluid. & tenet Euseb. Cęsarien. lib. 2. hist. c. 1. cum Clemen. Alexand. lib. 6. stromat. idem Isidor. lib. de vita, & obitu sanctorum Pat. & sentit Chrysost. homil. 47. in Ioan. vbi dicit Iacobum fratrem domini fuisse Apostolum, & homil. 42. in Matthæ. vbi dicit Iacobum Alphæi fuisse lapidatum à Iudęis, & homil. 33. dicit Iacobum Alphæi, & Iudam Thadęum fuisse fratres. Et cõlligi potest primo hæc sententia ex Paul. ad Galat. 1. vbi Iacobum fratrem domini Apostolum vocat, *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini*: cùm tamen in scriptura *Hierony.* *Euseb.* *Clement.* *Alexandr.* *Isidor.* *Chrysost.* *Galat. 2.*

scriptura nullus vocetur Apostolus præter duodecim,& Paulum,&c.2.hunc Iacobum columnam Ecclesię vocat cum Petro & Ioanne, significans fuisse eiusdem dignitatis & autoritatis. Vnde Actor.15. in Concilio Apostolorum Iacobus Apostolica autoritate sententiam dicit. Præterea,Canonica epistola,quã à Iacobo scriptam habemus,scripta sine dubio fuit à Iacobo Ierosolymorũ Episcopo,vt est omnium communis sentẽtia,vt patet ex Hieron. rony.lib.de Scriptori.eccles.in Iacobo,& Euseb. Euseb.lib.2 hist.c. 22. Vnde & ad Iudęos dispersos ex Ierusalem scripta est, & tamen Conc.Tri. & in titulo eius,& in Conc.Triden. sess.4.scripta à Iacobo Apostolo dicitur. Hieron. Quod etiam affirmat idem Hieron. lib.2. Epiphan. contra Pelagia. & Epiphan.in epist.ad Ioã. Hierosolym. Tertio maxime vrget Ecclesię autoritas, tantum enim celebrat vnius Iacobi minoris festum,& illum dicit fuisse Iacobum Alphæi Apostolum fratrẽ domini, & à Iudæis fuste fullonis occisum. Quarto,est argumentum Hierony. quia in Euangelio vocãtur *Iacobus minor,& maior*, vt distinguantur,& cognoscantur. Hęc autem relatio tãtum est inter duos,& si plures essẽt,non satis illo modo distinguerentur. Deniq; de cæteris Apostolis legimus in historijs,in quibus Prouincijs prædicauerint,& vbi mortui, vel martyrio coronati fuerint,de Iacobo autem Alphęi nihil legimus. Nicephor. Nam quæ Niceph. lib. 2.c.40. commentatur,nullum fundamentum, nec autoritatem habent. Signum ergo est hũc esse Iacobum, cui Ierosolymitana Ecclesia commissa est,& in ea vsq; ad martyriũ permansit, est ergo idem, qui frater domini. Quod non obscure colligitur ex historia Hegesippi, quam refert Nicephor.lib. 2. Hegesipp. Nicephor. hist.c.22. Quæ coniecturæ si recte ponderentur,maioris sunt ponderis,quã quæ in contrarium afferebantur,nam locus Pauli Responsio ad argumẽta oppositæ sententiæ. 1.ad Corint.15.nihil ad causam facit, quia potuit Christus post resurrectionẽ interdũ apparere soli Iacobo,interdũ verò omnibus Apostolis simul,& hoc narrat Paulus. Ex quo non potest inferri Iacobũ non fuisse Apostolũ,sicut etiã dicit apparuisse Petro singulariter,& postea dicit apparuisse Apostolis. Cyril.autẽ Ierosoly. ibi citatus eodem modo loquitur. Hieron. verò suam sententiã emendauit. Locus autẽ Clemẽtis forte fuisse corruptus est,nam illi libri non censentur in rebus omnibus esse integri, & incorrupti. Alij verò autores Græci ibi citati in ijs rebus, quę ad historiam pertinẽt,nõ sunt magnæ autoritatis. Quod verò de ordinatione Iacobi Anaclet dicit intelligendum est,non quoad cõsecrationem, seu potestatem ordinis, sed quoad specialem institutionem, & designationẽ, per quã Ierosolymitana Ecclesia commissa est speciali curæ Iacobi Apostoli,ita vt ille esset proprius, & specialis illius Episcopus. Quod non habuit immediate à Christo,sed á Petro(vt dicit Chry Chrysost. sost.homil.87.in Ioan.) Deniq; locus Nicolai primi potius fauet nostræ sententię,nã concedit Ierosolymitanã Ecclesiam esse patriarchalem,licet propter Petri autoritatẽ Antiochenam Ecclesiam illi præferat.

Hac ergo supposita sententia ad difficultatem positã varijs modis responderi potest. Primo enim Hieron.(quẽ Beda sequitur) dicit probabile esse Mariã matrem Iacobi non esse dictam *Mariam Cleophæ*, quia esset vxor eius,sed á patre vel familia fuisse sic nominatã. Sed hoc nõ admodũ placet,quia non habet fundamentum in historijs,imo neq; est consentaneũ illis, vt supra ex Hegesippo, & Euseb. citatum est. Hegesipp. Euseb. Alij, vt Cæsar Baronius, dicunt quatuor fratres domini,qui in Euangelio numerantur,non fuisse inter se fratres,sed Iacobũ & Ioseph fuisse fratres, & filios Alphæi, & Mariæ,Simonem verò,& Iudam fuisse filios alterius Marię,& Cleophæ. Sed hoc etiam displicet,tum quia non habet fundamentũ,& sine causa distinguit duplicẽ illã Mariam,tũ quia Iudas frater domini censetur idẽ,qui Iudas Apostolus canonicæ cuiusdã epistolę scriptor,vbi se *fratrẽ Iacobi* appellat. Vnde Luc. 6. Iudas Apostolus Luc.6. vocatur *Iudas Iacobi*. Respondendũ ergo videtur altero ex duobus modis. Primus est,si dicamus eundẽ hominem fuisse Alphęũ,& Cleophã,illum tamen, vel fuisse binomiũ,vt frequenter in scriptura sacra contingit,vel certè nomen eius fuisse Alphæũ,cognomen autẽ fuisse Cleopham,à *gentilitate,vel familia*(vt Hierony.dixit) & Hieronym. hanc sententiã videtur insinuasse Chrys. Chrysost. Theodo & Theophy.ad Gala.1.cũ dicũt, Theodor. Iacobũ fuisse filiũ Cleophę, & vocari in Theophyl. Euãgelio Iacobũ Cleophę. Quod enim ad voces attinet,nunquã hoc nomine vocatur,sed in re ita appellatur, quãdo *Iacobus*

Alphæi dicitur. Secundus modus est illam A Mariam prius fuisse nuptam Alphæo, & ex illo genuisse Iacobum, & Ioseph: postea verò mortuo Alphæo, nupsisse Cleophæ, & ex illo habuisse Simonem, & Iudam, inde verò factum esse, vt omnes dicerentur filij Cleophæ, & consequenter fratres Domini, quanuis Iacobus verè fuerit filius naturalis Alphæi. Qui modus dicendi non displicet D. Thom. ad Galat. 1. lect. 5. & est probabilis, quauuis incertus. Vt cunque tamen in hoc dicatur, non refert ad præcipuam intentionem nostram, quia quomodocunq; in hoc sentiatur, dicendum est hos fratres domini non fuisse filios neq; Mariæ, neq; Ioseph, sed solum B consanguineos Christi, aut veros, aut existimatos.

D. Thom.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum mater Dei virginitatem vouerit.

161. 4. di. 30. q. 2. ar. 1. q. 1 & 3. & Matt. 1.

AD quartum sic proceditur. *Videtur quod mater Dei virginitatẽ non vouerit. Dicitur enim Deutero. 7. Non erit apud te sterilis vtriusq; sexus. Sterilitas autem sequitur virginitatem. Ergo seruatio virginitatis erat contra præceptum veteris legis. Sed adhuc lex vetus habebat statum antequam Christus nasceretur, ergo non potuit licitè Beata Virgo vouere virginitatem pro tempore illo.* ¶ 2. *Præterea, Apostolus primæ ad Corinth. 7. dicit. De virginibus autem præceptum Domini nõ habeo, consilium autem do. Sed perfectio consilij à Christo debuit inchoari, qui est finis legis: vt Apostolus dicit Roma. 10. Non ergo conueniens fuit, quòd Beata Virgo votum virginitatis emitteret.* ¶ 3. *Præterea, Apostolus dicit primæ ad Timoth. 5. quòd vouentibus castitatem, non solum nubere, sed etiam velle nubere, damnabile est. Sed mater Christi nullum peccatum damnabile commisit: vt suprà habitum est. Cùm ergo desponsata fuerit (vt habetur Luc. 1.) videtur, quòd ipsa virginitatis votum non emiserit.* ¶ *Sed contra est, quod Augustinus dicit in libro de sancta Virginitate: Annuntianti angelo Mariæ respondit, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quod profectò non diceret, nisi prius se virginem Deo vouisset.*

q. 27. ar. 4.

cap. 4. cir. princ. to. 6

Respondeo dicendum, quòd sicut in Secunda parte habitum est, perfectionis opera magis sunt laudabilia, si ex voto celebrentur: virginitas autem in matre Dei præcipuè debuit pollere, vt ex suprà dictis rationibus patet, & ideo cõueniens fuit, vt virginitas eius ex voto esset Deo consecrata. Verùm, quia tempore Legis oportebat generationi insistere tam mulieres quàm viros (quia secundũ carnis originem, cultus Dei propagabatur antequam ex illo populo Christus nasceretur) mater Dei non creditur antequam desponsaretur Ioseph, absolutè virginitatem vouisse: sed licet eam in desiderio habuerit, super hoc tamen voluntatem suam diuino commisit arbitrio. Postmodum verò accepto sponso, secundum quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum virginitatis emisit.

2. 2. q. 88. art. 6.

Ar. 1. huius quæst.

Ad primum ergo dicẽdum, quòd quia C *videbatur esse lege prohibitum, non dare operam ad relinquendum semen super terram, ideo non simpliciter virginitatem vouit Dei genitrix: sed sub conditione, si Deo placeret. Postquam autem innotuit hoc esse Deo acceptum, absolutè vouit antequam ab Angelo annũciaretur.*

Ad secundum dicendum, quòd sicut gratiæ plenitudo perfectè quidem fuit in Christo, & tamen aliqua eius inchoatio præcessit in matre: ita etiam obseruatio consiliorum, quæ per gratiam Dei fit, perfectè quidem incepit in Christo, sed aliquo modo fuit inchoata in Virgine matre eius.

Ad tertium dicendum, quòd verbum

bum illud Apostoli est intelligendum de illis, quæ absolutè castitatem vouẽt. Quod quidem mater Dei non fecit ante quam Ioseph desponsaretur: sed post desponsationem ex communi voluntate, simul cum sponso suo votum virginitatis emisit.

COMMENTARIVS.

DVO respondet D. Thomas. Primum affirmat Deiparam virginitatem vouisse, quia modus operandi ex voto perfectior est, deinde explicat, quo tempore hoc votum emiserit, &, coniungendo solutionem ad primum cum corpore articuli, dicit ante contractum matrimoniũ non vouisse absolute virginitatem: sed solum sub conditione, si Deo placeret. Quia hoc videbatur lege prohibitum Deuter. 7. eo, quod tempore legis, quoniã diuinus cultus per carnalem originem propagabatur, oportebat generationi insistere. Post matrimoniũ verò contractum, ante Angeli annunciationem, inquit, agnouisse hoc esse bene placitum Deo, & tunc simul cum sponso absolutum votum virginitatis emisisse. Quæ doctrina difficultatem habet non paruam, in sequenti disputatione tractandam. Ex illa verò infert D. Thomas in solut. ad. 3. licuisse Virgini matrimonium contrahere, quia non absolutè, sed sub conditione tantum virginitatem vouerat. In solutione vero ad. 2. indicat, perfectionem castitatis voto consecratæ Deo, in Beata Virgine initium sumpsisse. Quod quomodo intelligendum sit, iam explicabimus. In argumento tertio citat, D. Tho. ex Paul. primę ad Corint. 5. verba illa, *Vouentibus castitatem, non solum nubere, sed etiam velle nubere damnabile est.* Quæ non intelligit D. Tho. dicta esse à Paulo, sed ex illo loco esse desumpta, quatenus ibi dicit, viduas illas, quę, *primam fidem*, id est, castitatis promissionem, irritam fecerunt, & nubere volunt, habere damnationem: citantur autem ex Hieronym. verba illa, in capitul. vouenti. 17. quæst. 1. quæ apud ipsum formaliter non reperiuntur. Quanuis eandem rem doceat, libro. primo contra Iouinia. columna, 14. vbi dicit, *Virginibus consecratis Deo, nõ licere quod antea licebat.* Scilicet nubere. Reperitur vero illa sententia apud August. lib. de bono viduitatis cap. 9.

Deute. 7

1. Corin. 5. Hierony. August.

DISPVTATIO. VI.

In tres sectiones distributa.

De Virginitate Mariæ, quantũ ad virtutem animi spectat.

QVanuis id, quod est in virginitate veluti materiale, ad corpus pertineat, forma tamen, & perfectio eius in animo residet, & in voluntate seruandi integritatem, castitatemque consistit, vt late D. Tho. docet, 22. q. 152. Et licet verum sit virginitatem simpliciter non amitti per solum internũ propositum coeundi, seu experiendi libidinem ex resolutione seminis prouenientem, donec in huiusmodi externum actũ prodeat: multum tamẽ per eiusmodi propositum remittitur de perfectione, & integritate virtutis virginitatis, quæ in animo residet, & ideo ad hanc perfectionem pertinet, quędam perpetuitas, & quasi immobilitas in huiusmodi voluntate seruandi virginitatem. Inquirẽdum ergo superest an sicut in corpore: ita etiam in anima habuerit Deipara summam, & integerrimam virginitatis perfectionem.

D. Thom.

SECTIO PRIMA.

V. B. *Virgo semper habuerit propositum virginitatis seruandæ.*

SVppono, non esse quæstionem de proposito illicito castitati contrario, nam fides, quæ docet nullum in virgine fuisse peccatũ, euidẽtissimẽ docet per huiusmodi propositum, aut desiderium, nunquam sui animi virginitatẽ violasse, aut minuisse. Est ergo quæstio de voluntate honesta, & licita, qualis in virgine aliqua esse potest voluntas contrahendi, & consummandi matrimonium. Hæretici enim huius temporis dicunt B. Virginem ante filij conceptionem habuisse animũ consummandi matrimonium, & ideo illud contraxisse, quã quam postea ex Dei reuelatione voluntatẽ mutauerit. Fundamentum eorum est,

quia huiusmodi propositum nunquam A coeundi, secluſa Dei dispensatione, esset contra illam legem naturæ, *Crescite, & multiplicamini*. Sed hoc fundamentum hereticum est, perfectioni, & consilio virginitatis contrarium, quod docuit Paul. primæ ad Corin. 7. & contra naturalem rationē, quia lex illa neminem obligat ad contrahendum matrimonium, nisi in communis necessitatis articulo, extra quem, per se loquendo, consilium est, vt castitas coniugio præferatur.

1. Cori. 7.

Igitur omissa hæresi, apparens ratio dubitandi esse potest. Primo, quia Beata Virgo habuit voluntatem contrahendi matrimonium, & consequenter tradendi alteri dominium corporis sui, ergo necesse est, vt habuerit etiā animū reddendi debitū coniugi petenti. Hoc enim, seruata iustitiæ lege, illud necessario consequitur. B Secundo, quia propositum virginis semper esse debuit nō solum licitum, sed etiā de meliori bono, quia semper, quod magis beneplacitum Deo esse intellexit, id optauit, ac proposuit, sed propositum virginitatis in ea lege non fuisset de meliori bono, quia eo tempore meliores erant nuptiæ, quām continentia, vt D. Tho. hic dicit. Quod præcipue verum videtur, in illis fœminis, quę erant de tribu Iuda, propter spem Messiæ, quod indicat Augustin. tom. 6. lib. de bono coniugali. c. 9. dicens, in illis primis tēporibus debuisse sanctos viros vti coniugio propter Dei populum propagandum, ex quo Christus nasciturus erat, Idem, lib. 14. contra Faust. cap 13. tractans hæc verba ex Deu. 25. *Maledictus qui non suscitauerit semen in Israel*, quę tamē in vulgata æditione nō habentur. Vnde videtur etiam, nec licitum futurum fuisse tale propositum, quia fœminę illius temporis habebant speciale præceptum generationi vacandi, vt patet Exod. 23. *Non erit infœcunda, nec sterilis in terra tua*, & Deutero. 7. *non erit apud te sterilis vtriusque sexus*.

D. Thom.

Augusti.

Deute. 25.

Exod. 23.

Deuter. 7.

C

Dicendum nihilominus est. B. Virginem à principio vsus rationis, habuisse absolutum, & firmum propositum seruandi perpetuam virginitatem. Hanc conclusionē insinuat D. Tho. hic dum ait, B. Virginē, *semper habuisse virginitatem in desiderio*, non enim loquitur de imperfecto desiderio, quod, *vellcitas*, dici solet (hic enim actus non satis est ad perfectam virginitatem, cùm de se non excludat contrariam voluntatem, neque est, cur attribuatur Virgini cum hac imperfectione) est ergo sermo de voluntate deliberata, & de efficaci amore castitatis, quòd ex parte Virginis erat. Eandem sententiam docet Magist. in. 4. d. 30. & ibi Bona. art. 1. q. 2. Scot. q. 2. arti. 2. supplemen. Gab. quæstio. 1. arti. 2. post sextā. c. Richard. artic. 2. q. 1. Mai. quæ. 4. Durand. q. 2. Sotus, q. 2. art. 2. ad primum Abulen. Matth. primo. quæst. 30. Henrri. quol. 9. q. 11. Albert. Magn. lib. de B. Maria. Hug. de S. Vict. lib. de perpetua virginitate *Marię* ca. 1. Quam ex scriptura, & Patribus sequenti sect. ostendā. Nunc ratione vtor. Primo, quia Bea. Virgini tribuendus est perfectissimus virtutis castitatis, & virginitatis gradus, hic enim Dei matrem decebat, vt vniuersa Ecclesia, eiusque sancti *Doctores* sentiunt, præsertim, quia post Christum futura erat perfectissimum exterioris, & interioris castitatis exemplar (vt elegantissime tractat Amb. lib. 2. de virgin.) sed ad hanc perfectionē pertinet perpetuum propositum seruandi virginitatem ergo. Secundo, B. Virgo ab infantia mota est ab Spiritu sancto, vt quod melius, ac gratius Deo esset, id amaret, & quantum in ipsa est, perficeret, vt in superioribus visum est. Sed virginitas de se melior est, ac *Deo* gratior, teste Paulo primæ ad Corint. 7. vbi rationes affert, quę in B. Virginem aptissimè cadunt, scilicet, vt virgo semper cogitet, quæ domini sunt, vt tota sit Deo dicata, corpore, & Spiritu, neque habeat cor diuisum &c. Ergo credendum est, ex prædicta Spiritus sancti motione semper Virginem hūc statum amauisse, & proposuisse.

Virgo semper habuit propositū virginitatis seruandæ.

Magist.
Bonau.
Scot.
Suppl em.
Gab.
Richard.
Maior.
Durand.

Sotus.
Abulens.
Henrric.
Albert.
Mag.
Hug. Vict.
Ambros:
1. Cori. 7.

Dicetur fortasse tum temporis nō fuisse melius virginitatem seruare, quia licet secundum se melior sit virginitas: tamen eo tempore erat prohibita.

Obiectio.

Propter hanc rationem quidam existimant, B. Virginem, antequam speciali reuelatione cognoscerer beneplacitum esse *Deo*, vt perpetuam virginitatem seruaret, nunquam concepisse absolutum propositum omnino abstinendi ab opere cōiugali, sed solum habuisse desiderium conditionatum virginitatem seruandi, si *Deo* placitam esse cognosceret, & hāc esse putant mentem D. Tho. hic. Quod si interroges quan

ges, quando incepit B. Virgo cognoscere gratam esse Deo virginitatem suam? Nihil sanè certum, aut fundatum respondere possunt. Quocirca, quanuis admittere mus, non potuisse virginem habere hoc absolutum propositum absque reuelatione diuina, qua intelligeret, vel Deum cum illa dispensasse, ne obligaretur lege, quæ tunc omnes obligabat ad procreandum filios, vel ob alias causas se non teneri illa lege: nihilominus dicendum esset Bea. Virginem â principio habuisse hanc reuelationem, cum primum scilicet potuit de suo statu, & castitate deliberare. Quia certum est ante annunciationem Angeli habuisse hoc absolutum propositum virginitatis, vt verba illa ostendunt. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* quæ infra ponderabimus, ergo consequenter dicendum est, ante annunciationem Angeli habuisse illam reuelationem, si ad habendum licitè illud propositum erat necessaria, ergo cùm non sit maior ratio de vno tempore, quàm de alio, magis etiam cõsequenter dicetur habuisse illam â principio, quàm aliquo alio posteriori tempore, quia hoc spectat ad maiorem virginis perfectionem, nullaque est ratio, cur dubitemus ita esse factum. Et confirmatur, quoniam aliàs, si lata erat lex ad generationem obligans, & Virgo aliquo tempore existimauit se obligari illa lege, oportuit, vt habuerit propositum seruandi illam legem, sicut alias, & ita potius habuisset eo tempore animum generandi filios, quam seruandi virginitatem. Vnde etiam dici posset, ex hac voluntate, & intentione contraxisse matrimonium, & in ea permansisse, donec postea voluntatem Dei intellexit. Hæc autem omnia multum derogant perfectioni virginitatis eius.

Respõsio.

In lege veteri nullum præceptum fuit castitatem prohibens.

Dicendum verò vlterius est, in lege veteri nullum fuisse præceptum, quod omnes, ac singulos obligaret ad generandum filios, quod ve castitatẽ prohiberet. Quæ sententia apertè colligitur ex Hieronym. lib. primo contra Iouinianum, & ex alijs Patribus, quos statim referam. Et eam docuit Abulens. in Leui. cap. 30. q. 32. & Sotus supra, & Medina hic. Et probatur primo, quia vel tale præceptũ erat naturale, & hoc non, quia iam tunc erat genus humanum satis propagatum, & quanuis multi virginitatem seruarent, posset per alios tam genus humanum, quàm Dei populus sufficienter conseruari, & augeri, vel erat hoc præceptum positiuum diuinum illius legis proprium, & hoc non, quia nullum tale præceptum in tota lege inuenitur. Illa enim testimonia Exod 23. & Deutero. 7. non continent præceptum, sed promissionem. Nam sicut Deus promittebat illi populo carnali, si legem seruaret, pluuiam temporibus suis, & fructus terræ, ita & filiorum procreationem spondebat. Vnde Deuteron. 7. post illa verba. *Non erit in te sterilis vtriusque sexus*, additur, *neq, in hominibus, neque in gregibus tuis*, non poterat autem præceptum pecoribus imponi. Omnia etiam præcedentia verba promissiones temporales continent. Denique in ipsismet verbis hoc contemplari licet, aliud enim est, non esse sterilem, aliud non abstinere â coniugio. Hoc posterius potest esse materia præcepti, quia est in hominis potestate: illud autem prius præcipi non poterat, cùm non sit in hominis voluntate, sed sit vel naturale, vel speciale Dei beneficium. Vnde Exodi 23. post illa verba. *Non erit inte infœcunda, nec sterilis*, subdit Deus. *Numerum dierum tuorum implebo*, vt intelligamus vtranque esse diuini muneris promissionem. Et hinc etiam contraria ratione sterilitatẽ cõminabatur Deus legis præuaricatoribus. Vnde quod interdum Patres citant dictum esse in veteri lege, *Maledictus sterilis qui non fecit semen in Israel*, vt videri potest in Hieron. Isai. 56 & August. 14. contra Faust. cap. vltimo, intelligendum est, vel â contrario sensu, vel quia Deuterono. 25. frater qui nolebat vxorem fratris sui defuncti ducere ad suscitandum semen eius, quadam veluti infamia notabatur, nullũ ergo est fundamentum ad asserendum huiusmodi præceptum. Et confir. nam Isai. 56. *Spadonibus*, ideſt, virginibus, & seruantibus castitatẽ, simulque alia diuina præcepta custodientibus, promittit Deus, *nomen æternum, & locum insignem in domo sua*, vt Augustin. & Hieron. supra exponunt. Et Cyril. lib. 5. in Isai. tom. 3. ergo virginitas non erat cõtra Dei præceptum, & voluntatem. Significatur etiam illo loco, (vt notauit Bernardus. homil. 3. in *Missus est*) sterilitatem non esse ignominiosam apud Deum, quanquã inter homines illius populi, veluti in quodam opprobrium haberetur. Nec D. Th. hoc lo

Deuter. 7.

Exod. 23.

Hierony.

August.

Deute. 25.

Isai. 56.

August.

Hierony.

Cyril.

Bernard.

Abulens.
Sot.
Medin.

hoc loco apertè docuit fuisse in lege vete ri hoc præceptum, quanuis in solutione ad primum habeat illa verba, *videbatur esse lege prohibitum non dare operam ad relinquendum semen super terram.* In quibus nihil simpliciter affirmat, sed dicit, ita apparere potuisse, quia hoc aliquo modo insinuabatur, & statui illius legis, & promissionibus eius videbatur consentaneum. Vnde
D. Thom. idem D. Tho. licet in. 4. d. 30. q. 2. art. 1. ad primum eodem ferè modo loquatur, quo in præsenti, distinctione tamen. 33. ar. 2. ad 2. apertè docet, post factam sufficientem humani generis propagationem vel populi colentis Deum, non fuisse peccaturum, qui in lege Moysi virginitatem seruaret, quia non ageret contra, sed supra præceptum.

Ex quibus vlterius infero, non solum licuisse B. Virgini absque speciali reuelatione habere firmum propositum, & absolutum seruandi virginitatem, sed etiam hoc fuisse melius, & consultius. Probatur quia quanuis fortasse in statu integræ naturæ status continentiæ non esset melior quia tunc actiones (vt ita dicam) animales, & onera matrimonij, & filiorum nihil impediret spiritus perfectionem (vt sen-
D. Thom. sit D. Tho. 1. p. q. 98. art. 2. ad 3.) tamen in statu naturę lapsæ, virginitas est ex suo genere melior, & appetibilior secundum honestam rationem, quia magis abstrahit hominem à sensibili amore, & delectatione, & à terrenis curis, & solicitudinibus, ergo etiam in lege veteri, cùm non esset specialis prohibitio, hoc erat ex suo genere melius, & cõsultius, præsertim post illius populi sufficientem propagationem: ergo etiam in B. Virgine hoc fuit melius, & perfectius. Non enim refert, quod ipsa erat veluti in statu integrę naturæ, & ideo absque impedimento spiritus videtur potuisse generationi carnali incumbere, hoc (inquam) non obstat, quominus melius ei fuerit virginitatem seruare, tum quia hoc ex se, & ex obiecto suo est melius, quãuis fortasse Virgini propter speciale auxiliũ gratiæ non esset necessarium. Sicut etiam non indigebat B. Virgo afflictione, & maceratione carnis suæ, ad castitatem seruandam, & nihilominus certum est, vsam fuisse his corporis afflictionibus, vt potè se melioribus cæteris paribus, & statui naturæ lapsę magis consentaneis. Tũ etiã, A quia quanuis fomite careret, tamen corpus habebat corruptibile, quod grauari poterat, & onerari corporis laboribus, & solicitudinibus. Et ex hac parte melius illi erat, etiam ad perfectionem spiritus, status virginitatis. Ac denique: quia licet ipsa frueretur illo speciali priuilegio: tamen fortasse non semper agnouit habere sese illud, & ideo id semper statuit, quod per se melius est homini fragili, & lapsæ naturæ subiecto. Et maximè respectu aliorum oportuit, vt eam iniret viuendi rationem quæ secundum se melior est, sicut etiam in Christo domino, qui multo magis omni fomite carebat, vsu venisse conspicimus. Vnde confirmatur hæc veritas, quia B multi viri sanctissimi in illa lege virginitatem, vt meliorem coluerũt, vt de Ieremia, Elia, & alijs, testatur Ignatius epistola ad Phyladelphienses, & de Elia. Amb. lib. 1. de virginib. in prin. Quibus adiũgit tres pueros, Damascenus lib. 4. c. 25. vbi eleganter de Danielis corpore dicit, ita fuisse, *virginitate solidatum, vt bestiarum dentes illi infigi nequiuerint*, Quod etiam notauit Hierony. lib. 1. contra Iouinian. qui in Prolog. super Ieremiam illum virginibus annumerat, & de Ioanne Baptista constat virginitatem seruasse: & tamen vir eximię sanctitatis, & perfectionis à Iudæis est habitus. Quod C etiam de Iacobo fratre domini notat Epiphan. hæres. 30. dicens, illo tempore, *etiam Iudæos virginitatem magnificasse*. Adde ex Iosepho. lib. 13. antiq. c. 8. & lib. 2. de bello Iudai. Essenos in magna sanctitatis æstimatione inter Iudęos fuisse, inter alia, eo quod perpetuam castitatem seruarẽt. Neque Augustinus vnquam hoc negauit, sed in libro de bono coniugali c. 9. & lib. 14. contra Faust. c. vlt. dicit, illis primis temporibus generis humani debuisse, *sanctos vti necessario vsu nuptiarum, propter Dei populũ propagandum, per quem & saluator nasceretur*, nunquam tamen dixit, non potuisse esse consultius multis virginitatem seruare. præsertim eo tempore, quo lex vetus iam senuerat, & Dei populus satis propagatus erat. lib. aut. 32. contr. Faust. cap. 10. & li. de bono cõiuga. c. 22. indicat, fuisse tunc præceptum, vt frater excitaret semen fratris defuncti, tamen non necesse est intelligi de proprio præcepto, cum nullum sit in lege, neque ita, vt esset prohibitũ à nuptijs abstinere, sed in eo casu, si frater du-

Qui nam in lege veteri Virginitatis studiosi fuerit Ignat. Ambros. Damasce. Hierony. Epiphan. Ioseph. August.

cere vo

re volebat, consultius fortasse erat vxorem fratris accipere. Simpliciter ergo nihil obstare potuit B. Virgini, quominus semper efficacius virginitatem amauerit, & seruare proposuerit, quàm vllas hominum, solo Christo excepto.

Obiectio. Sed dicet tandem aliquis, potuisse Virginem formidare, ne virginitate sua aduentus Messiæ impediretur, si fortasse mater eius ex ipsa generanda erat. *Responsio* Sed non est, quod hoc timore à suo virginitatis proposito arceretur, tum quia erat prudentissima, & sapientissima: vnde non ignorabat sui muneris esse id amare, & eligere, quod perfectius est, nec propterea diuinã prouidẽtiam, & promissionem impediri posse, quia si aliquid aliud diuinitus ordinatum esset, facile erat Deo voluntatẽ eius mutare, & aliud propositum inspirare: tũ etiam, quia experiebatur sese speciali Spiritus sancti prouidentia gubernari, in ijs præsertim rebus, quæ ad perfectionẽ, & sanctitatem pertinent, vnde non dubitabat, quin ille virginitatis amor quo flagrabat, ab Spiritu sancto esset, & si quid aliud Deo magis placitum foret, sperabat se ab illo fore instruendam & regendam, sicut toto vitæ suæ tempore experta erat. Denique, cum esset in scripturis versata probe sciebat Christũ ex virgine esse nasciturum, ergo etiam poterat formidare, ne amittendo virginitatem Christi originem impediret. Cùm igitur esset humilis, & prudens nihil horum spectabat, sed in maiorem perfectionem, quæ in Virginitate posita est, incumbebat. Nihil ergo fingi, inueniri ve potest, quod eam à virginitatis proposito retardaret.

Et per hæc satis responsum est ad secũdam rationem dubitandi in principio positam. Prima vero soluetur commodius sectione sequenti, nunc solum dicitur, propositum consummandi matrimoniũ non esse de substantia illius, vt notum est, ex c. sufficiat. 27. q. 1. *Augustin.* Aug. lib. de bono coniugal. c. 25. quomodo autem non sit contra iustitiam, carere illo, dicetur, secti, seq. & disput. sequen.

SECTIO SECVNDA.

An Beata Virgo propositum virginitatis seruandæ voto firmauerit, & quo tempore.

HÆretici, qui propositum negãt, multo magis reijciunt omne votum, sed non est, quod cum illis amplius contenda mus. Ex catholicis vero tribui solet hæc sententia Martino de Magistris, in lib. de temperantia. q. 5. de virginitate. *Martin. de Mag.* Sed hic autor eo loco solum dicit Mariam decreuisse apud se, siue voto, siue simplicis mẽtis definitione, se perpetuo virginitatem seruaturam, vbi quanuis alterum non definiat, neutrum tamen negat. Et in sequẽtibus tam piè, & doctè loquitur de virginitate Mariæ, vt potius affirmare videatur. Itaque inter catholicos cõcertatio nõ est, quin, B. Maria virginitatem vouerit. Quod, quia statim probandum est agendo de tempore, in quo votum emisit, nũc vt certum supponatur. Tota ergo cõtrouersia est quando emisserit hoc votum.

Prima sententia est emisisse illud post cõtractum matrimonium cum Ioseph, simul que cum illo, & non antea. Ita opinatur *Sotus.* Soto in. 4. d. 30. q. 2. art. 2. ad primum, & *Durand.* ibi *Durand.* q. 2. rem dubiam relinquit. Citatur etiam *Abulens.* Abulens. Matt. 1. q 30. Fundamentum est. Primùm, quia tale votum ante matrimonium emissum impediret illud saltem ne licitè contrahi posset, quia vt dicitur. 27. q. 1. *Vouentibus virginitatem, non solum nubere, sed etiam velle nubere damnabile est.* Vnde Hieron. lib. de scriptoribus eccle *Hieron.* siasticis in Tiberiano eum reprehendit, quòd, *vt canis reuersus ad vomitum, filiam de uotam Christi virginem, matrimonio copulauit.* Confirmari potest, quia illud votũ eo tempore non fuisset de meliori bono. Sed hęc confirmatio nullam vim habet, vt ex dictis sectione præcedenti patebit.

Secunda sententia distinguit inter absolutum, & conditionale votum, & affirmat ante cõtractum matrimonium, atq; adeò à principio suæ deliberationis, B. virginẽ emisisse votum virginitatis sub conditione, nisi *Deus* aliud de se statueret: absolutum autem votum fecisse solum post desponsationem cum Ioseph. Hanc sententiam tenet D. Th. hic, & in. 4. d. 30, q. 2. art. 1. quam ibi sequuntur. Capreol. q. 1. Palud. q. 2. Richard. art. 1. q. 2. Maior. qu. 4. Et Sotus profitetur se eandem sequi sententiam, ita tamen illam explicat, vt prot sus euertat, & in alium sensum mutet intelligendo per votum conditionatum desiderium vouendi. Nonnulli verò ex alijs *D. Thom. Capreol. Palud. Richard. Maior. Sotus.*

autori-

autoribus ê contrario ita illam explicant, vt in re fateantur votum illud à principio fuisse absolutum. Citatur verò tam pro hac, quàm pro præcedenti sententia Augustin. in cap. Beata Maria, 27. qu. 2. sed caput illud neque apud Augustinum reperitur, & tam obscurè loquitur, vt ad omnẽ sententiam accommodari possit.

Vt ergo tam sententia D. Thom. quàm res ipsa explanetur, aduertendum est dupliciter posse intelligi conditionale votũ sub ea scilicet conditione, *si Deo placuerit*, Primo, vt conditio suspendat voti obligationem, donec impleta sit, ideſt, vt Beata virgo vouerit seruare virginitatem, statim, ac Deus sibi reuelaret hoc illi esse bene placitum. Ita videtur Sotus intellexisse hanc conditionem, quia tale votum parũ differt à desiderio vouendi. Et quanuis re uera aliquid addat, tamen per se loquendo non esset prudens vouẽdi modus, sub conditione dependente, & quasi expectãte futuram Dei reuelationem. Quare nõ est verisimile hunc fuisse sensũ D. Th. nec prudẽter posse hoc de virgine sentiri. Nã reuera talis modus vouendi videtur esse quoddam genus tentandi Deum, & nimis curiosè inquirendi voluntatem eius. Et præsertim, si verum esset materiam talis voti eo tempore fuisse prohibitam, esset enim, ac si quis nunc voueret se occidere, si Deus reuelaret hoc sibi placere. Quod si fortasse dicant Beatam virginem vouisse illo modo ex speciali Spiritus sancti instinctu, seu reuelatione, & quia ex magna familiaritate cum Deo assueta erat his reuelationibus diuinis, & se à Deo singulariter regi ferè in rebus omnibus experiebatur: si hoc (inquam) dicatur, cum nullo firmo fundamento, sed coniectura tantũ dici possit, conuenientius sanè diceretur ab eodem Spiritu sancto didicisse virginẽ á principio, suam virginitatem illi placere & ideo statim voto illam consecrasse. Secundo ergo modo intelligi potest conditio, non quę voti obligationem suspendat, sed quę illi veluti terminum ponat, donec de contraria Dei voluntate constet, ita, vt sensus sit, Ego voueo, & me obligo ad seruandam virginitatem, quandiu mihi Deus non reuelauerit aliud sibi placere. Qui modus vouẽdi per se bonus est, & si explicitè declaretur conditio, indicat animum perfectè subditum Deo. Et ex hac parte aliquid fortasse perfectionis addit, (vt Paludan. docet) nimirum quendam specialem actum obedientię, tamen quanuis non addatur, in omni voto ex natura sua implicite includitur. Quo fit, vt votum hoc modo conditionatum in re ipsa parum differat à voto absoluto. His positis, vt à certioribus initium sumamus.

Sot. Votum conditionale quotuplex, & quale.

Palud.

Ante filij conceptionem absolutum virgo castitatis emisit votũ.

Dicendum primo est, Beatam Virginẽ ante filij sui conceptionem absolutum, & perfectum votum castitatis emisisse. Hãc assertionem posuit D. Tho. hic solutione ad primum, & in ea consentiunt cęteri Theologi præcedenti sectione commemorati, & statim referendi. Et colligitur ex cap. sufficiat, & cap. B. Maria 27. q. 2. & ex sanctis Patribus, quos statim referam. Et fundatur primo in eiusdem virginis verbis Luc. 1. vbi Angelo annunciante filij cõceptionem respondit. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* quę verba non indicant dubitationem (vt contra hæreticos supra latè tractauimus.) sed indicant apertè, non solum habuisse virginem propositum non cognoscendi virum, sed etiã ita esse ligatam, seu impeditam, vt licitè non posset illum cognoscere. Nam licet vsque ad illud tempus non cognouisset virum: imo etiam si propositum haberet non cognoscendi, si tamen sibi esset integrum suo arbitrio licitè illum cognoscere, non esset, cur tam solicite quæreret, *Quo modo fiet istud?* Quia posset illi facile respõderi, liberam habere facultatem cognoscẽdi virum, vt filium conciperet, ergo sensus illorum verborum est, *Virum non cognosco*, ideſt, mihi non licet illum cognoscere, nec est iam positum in voluntate mea. Vnde ex his verbis ita intellectis colligit votum hoc August. lib. de sancta virgini. c. 4. & indicat serm. 14. de natiuitate. Bernard. serm. 4. de assumptione circa finem dicens, verbis illis indicasse virginem, *immobile propositum castitatis*. Et homilia. 4. in *Missus est*, in princip. dicens, virginem non dubitasse, sed inquisiuisse modũ, qui non esset suę virginitati contrarius. Quod prius indicauerat Ambros. lib. 2. in Lucã, quanuis non tã aperte, sicut & Ansel. homil. in illud Euangel. *Intrauit Iesus in quoddam castellum*, Luc. 10. hæc verba ponderãs dicit, B. Virginem fuisse miratã, quia *certissime sciebat nũquam virum cognituram*. Vbi significat habuisse diuinam reuelationem,

Luc. 1.

August.

Bernard.

Ambros.

Anselm.

Luc. 10.

& in li-

& in libro de excellentia virginis, capi 4. apertius indicauit votum dicens, *Deiparã virginitatem suam Deo consecrasse.* Idem sentit Bed. lib. 1 in Lucam c. i. dicens, B. Virginem, *ostendisse illo verbo suæ mentis propositum, quia prima fœminarum tantæ se virtuti,* idest virginitati, *manciparat*, in quo vltimo verbo votum indicat. Clarissimè, & elegantissime Gregorius. Nysenus homil. de sancta Christi natiuit. cuius verba statim attingam. Hunc locum, contemptis sanctis Patribus, variè eludũt hęretici, negantes Virginem interrogasse, de modo conceptionis, sed vel dubitasse, vel quasi attonitam, & extra se positam non satis, quid diceret, animaduertisse. Sed horum impietatem satis refutauimus supra. Et ipsa Angeli respõsio satis clarè docet, B. Virginem simpliciter, ac prudenter de modo interrogasse. Aliqui verò Catholici obijciunt potuisse B. Virginem intelligere, statim in illo eodem momento fuisse cõcepturam, & ideo absque voto interrogare potuisse, *Quomodo fiet istud?* Sed hoc etiam friuolum est, nam Angelus absolute annunciauit. *Ecce concipies, & paries filium,* & non dixit, *subito nunc concipies,* Sicut alijs sæpe in scriptura reuelata est filiorum procreatio, vt Zacharię, Lucę primo Abrahæ, Genes. 18. & tamen nullus intellexit, statim, ac subito, nec alio, quâm naturali modo, prolem fuisse procreandam. Et ideo nullus de modo interrogauit, sicut B. Virgo, quia illis licitum erat naturali modo generare filios. Zacharias verò dubitauit propter impotentiam senectutis. Vnde inter illius verba, & verba Beatæ Virginis, & responsiones Gabrielis ad ipsos magnum est discrimen, vt supra põderauimus. Adde, si ex verbis Angeli Virgo intellexisset, vel suspicata esset, subito statim fuisse concepturam, eadem ratione existimasset eodem momento fuisse parituram. Nam Angelus simul dixit, *Ecce concipies & paries,* at hoc posterius est planè falsum, & absurdum, ergo & illud prius sine fundamento confingitur.

Alij dicunt potuisse virginem statim intelligere sibi annunciari Messiæ conceptionem, quia maiestas verborum Angeli hoc satis pręseferebat, & ideo cum aliâs esset in scripturis doctissima, statim intellexisse, fuisse se virginem concepturam, quia iam ante credebat ex Isaiæ. 7. Messiam ex virgine fuisse nasciturum. Quæ obiectio reuera est difficilis, videtur enim eneruare vim dictorum verborum, quia si virgo iam mysterium intellexerat, non erat cur de Virginitate esset solicita, ergo non ex prædicto affectu protulit illa verba, sed solum vtmodũ inquireret. Respõderi tamen potest. Primo. B. Virginem quando illa verba protulit, nondum intellexisse sibi nunciari Messiæ conceptionẽ, quia Angelus non videtur satis apertè docuisse filij diuinitatem, vsque ad illa verba *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.* Nam in his disertê explicuit mysterium, in prioribus verò magis obscurê: quia in alijs etiam reuelationibus, quibus vel Abrahæ, vel Manuę filius promittebatur, dicebatur illum fore magnum, & insignem virum &c. Accedit, quod cum B. Virgo esset humillima, non statim fortasse cogitatione ascendit ad tam excellentem dignitatem suam. Vnde Aug. ser. 2. de annunciat. post illa verba facit angelum loquentem ad virginem in hunc modum. *Recole Maria in libro Esaiæ Prophetæ virginem, quam parituram legisti, & gaude, atque exulta, quia tu esse meruisti. Tu ibi præfigurata es virgo, tu Ecce concipies in vtero, non de viro, sed de Spiritu sancto.* Et statim concludit Virginem respondisse. *Ecce ancilla.* Præterea, quia si iam Virgo sciuisset sine opera viri esse concepturam, nihil erat, quôd amplius interrogasset, quia iã consequens erat, vt crederet diuina virtute filium fuisse concipiendum, & amplius inquirere, nihil aliud erat, quã curiosê nimis diuina mysteria scrutari, Vel certe si interrogare volebat, num aliquid ipsa in eo mirabili opere præstitura esset, non diceret, *quomodo fiet,* sed quid me oportet facere, nec causam redderet, *quia virum non cognosco,* sed potius diceret, cum necesse non sit virum cognoscere. Nec Angelus responderet eam instruendo, filium illum fore concipiendum sine opera viri, at non solum docet, sed etiam rationem reddit, nimirum quia ille homo futurus erat per se sanctus, & verus filius Dei. Superest igitur, vt dicamus ad illam primam Angeli vocem, statim (quod naturale, & per se obuium erat) cogitasse virginem de naturali modo concipiendi, & quia hic propter votum non licebat, interrogasse, *Quomodo*

Beda. Greg. Nysen. Obiectio. Responsio Luc. 1. Genes. 18. Obiectio. Isaia. 7. Repõsio. August.

modo fiet istud? atque ita exponit hūc locū A Athana. serm. de sanctisi. Deipara. Sed in in hac responsione, illud in primis displicet, Bea. Virginem non intellexisse in illis verbis, *Ecce concipies*, &c. sibi annuntiari conceptionem Messiæ, ac filij Dei, quia (vt infra, q. 30. art. 4. dicemus) verba Angeli satis apertè hoc significabant, ergo nō est verisimile Virginē, ea nō intellexisse, tum quia iam erat animo pacatissimo, præsertim postquam Angelus dixit, *Ne timeas Maria*, tum etiam, quia præter quā quòd magno ingenio pollebat, erat illuminatissima in rebus diuinis, & tota in se collecta attentissimè audiebat, vnde cùm respondit, *quomodo fiet istud?* iam crediderat, non autem credidisset, nisi prius percepisset, quod sibi dicebatur. Propter quod dicūt aliqui, non oportere B. Virginem antea cognouisse Messiam concipiendū ex Virgine. Sed hoc valde displicet, est enim & cōtra doctrinam sanctorum, & cōtra perfectionem B. Virginis. Habebat enim perfectam fidem huius mysterij, & intelligebat Isaiam, quem legebat. Verisimilius sanè diceretur, quanuis id antea sciret, non tamen statim ad omnia attendisse, & hoc indicat, Augustinus supra, & fit verisimile cōiecturis adductis, & sufficienter expedit difficultatem. Tamen, D. Ambros. lib. 2. in Luc. cap. de Mariæ interrogatione, aperte sentit, quando Maria hoc interrogauit, iā intellexisse & credidisse, se virginem concepturam, & pariturā, *legerat enim*, inquit, *hoc Maria Isa. 7. ideo credidit futurum, sed quomodo fieret, ante non legerat.* Quod si hoc asserere velimus, dici adhuc potest, eam ignorasse modum, & an nihilominus conceptio futura esset opera viri, poterat enim Deus vtrunque coniūgere, sicut nonnulli dicunt, futurum fuisse in statu innocentiæ, scilicet, vt absque læsione clausuri virginalis, mulieres ex viris cōciperēt, ac parerēt. Quia ergo ignorabat modū, sollicita esse potuit, & de complexu virili cogitare, quia quomodocūq; fieret, suo voto, & proposito repugnabat, vel tādē dici pōt licet Virgo priuatī mysteriū intelligeret, se tamen gessisse ac si id nesciret: tū vt ipsa suū immobile propositum ostēderet: tū vt Angelus suæ cōceptionis modū diuina autoritate restaretur, sicut infra dicemus de Ioanne, quando misit ad interrogandum Christum *tu quis es.*

Præterea piè tantū, ac probabiliter pō derari solent in confirmationem huius veritatis verba illa. *Missus est Angelus Gabriel ad virginem desponsatam viro.* Illa enim absoluta *virginis* appellatio, præsertim cum desponsatione coniuncta, non quancunque integritatem sed immobilem, Deoque cō secratam virginitatem indicant, cuius rei nonnullum etiam inditium est, quod cùm ante aliquot menses esset desponsata, virgo adhuc permaneret. Ratio verò ad confirmandam hanc veritatem, quód ad votū attinet, non est alia, nisi quam D. Tho. tetigit, scilicet quia virginitas voto firmata eo gratior est Deo, quo perfectior est, sacratior, & immutabilior. Quod verò attinet ad circūstantiā temporis, illa est, quia *nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia*, vt iam latius dicam.

Dico ergo secundo, B. Virginem emisisse hoc votum ante contractum matrimonium cum Iosepho. Ita sentiunt communiter Theologi in. 4. dist. 30. Richard. arti. 2. q. 1. Bonau. q. 2. Mai. q. 4. Scot. q. 2. Albert. Magn. Henrric. ac ferè cæteri schola stici sect. præced. citati. Et eandem habet Hugo Victor. lib. de perpetua virginitate Mariæ, c. 1. & videtur esse sentētia, D. August. lib. de sancta virginit. c. 4. vbi ex responsione Mariæ ad Angelum colligit eius virginitatis votum, & subdit. *Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro iusto, non violenter ablaturo, sed potius custodituro, quod ipsa iam vouerat.* Vbi licet expresse non dicat fuisse votum absolutum, satis tamen significat fuisse idem votum, quod in aduentu Angeli, & post matrimonium habuit. Et idem significat Greg Nyss. homil. de natiuit. vbi primum dicit virginem traditam esse Iosepho, nō vt virginitatem eius auferret, sed vt conseruaret potius, & custodiret, & rationē subdit. *Quoniam Deo dicatam, & consecratam carnem, veluti sanctum quoddam donarium intactam seruari oportebat.* Reliqui Patres supra citati, licet indefinite loquantur, sentiunt tamen votum castitatis in Virgine non minus antiquum fuisse, quàm propositum. Et reuera est par vtriusque ratio quia sicut votum debuit esse de meliori bono: ita etiam fuit propositum, vt ostensum est. Quod si admittamus leges, & mores illius ætatis non permisisse virginitatem, vel saltem non æstimasse illam meliorem

Richard. Bonau. Maior. Scot. Albert. Henrric. Hug. Vict. Augusti.

Gre. Nyss.

rem, vel negandum erit Virginem habuisse & propositum, & votum, non solum ante, sed etiam post contractum matrimonium, quod falsissimum est, vel certe dicendum est in ea sententia, diuino nutu, & consilio virginitatem appetijsse, & voluisse. Quo posito, probabilius, & magis consequenter dicetur habuisse hanc diuinam reuelationem ante matrimoniũ contractum, quàm post illud. Deinde sicut votum per se, & natura sua repugnare videtur fidelitati, & iustitiæ matrimonij: ita & propositum non reddendi debitum nutura sua pugnat cum eisdem virtutibus. Quid enim iniustius, quàm fieri debitorem, animo, & intentione non soluendi debitum, ergo si beata Virgo habuit á principio propositum immobile virginitatis, non potuit reuera contrahere non mutando propositum, nisi ex diuino instinctu, & reuelatione, qua sibi constitit Ioseh um nunquam petiturũ debitũ, sed potius in idem virginitatis propositum consensurum. Qua reuelatione posita, nec matrimonium repugnabat proposito, neque voto, habuisse autem Beatã Virginem hanc reuelationem, antequam matrimonium contraheret aperte docẽt. *Gre.Nyss.* Greg. Nyssen. supra, & *Bonau.* Bonau. in lib. meditationum vitæ Christi, cap. 3. & ferè alij Patres, ergo pari ratione potuisset ex eadem reuelatione matrimonium contrahere, etiam si votum antea emisisset, ergo nihil est, cur dubitetur, quòd illud emiserit. Primo, quia summo affectu semper amauit castitatem, ergo verisimile est effecisse, quantum in se erat, vt hoc propositum esset immutabile: ita vt propria voluntate retractari non posset. Studuit enim semper puritatem angelicam imitari, & quam illi per naturam, voluit ipsa per voluntariam promissionem habere immutabilem. Secundo, quia hoc modo virginitas Mariæ fuit semper perfectior, & gratior Deo. Tertio, quia multę virgines ferè ab incunabulis per castitatis votũ se Deo consecrarunt ergo multo magis hoc credendum est de principe omnium virginũ quæ illarum est dux, & perfectissimum exemplar.

Anselm. Vnde Anselm. lib. de excellentia virginis capit. 4. *sic*, inquit, *Virgo tenera, & delicata regali stirpe progenita, & speciosissima totam intentionem suam, totum amorem suum, totum studium suum ad hoc intendit, vt corpus, & animam suam Deo virginitate perpetua consecraret. Sciebat enim, quod quanto sanctius eã seruaret, tanto sublimius eî qui omniũ castissimus imo ipsa castitas est, appropinquaret. Amplectẽdo itaq; quod acceptabilius Deo esse cognouit, legẽ superauit.* Neq; existimo necessariũ esse, morosè disputare de cõditione illa, *nisi aliud Deo placuerit*, prout paulo antea à me explicata est, quia (vt rectè notarũt Palu. Scot. & alij) illa conditio, etiam si expresse addatur, non tollit vim, & perfectionem voti absoluti, quia in omni voto intime includitur: imo in omni promissione imbibitur huiusmodi ordo ad voluntatem eius, cui fit, nam si ipse non acceptat, vel si remittit, aut nõ vult rem promissam obligatio cessat. Quod non solum hac ratione in Deo locum habet, sed etiam quia est supremus legislator, & dominus, qui potest omnem huiusmodi obligationem dispensare, & irritare. An verò, cùm beata Virgo votum emisit, contenta non fuerit hac conditione, prout in ipso voto includitur, sed in corde suo illam distincte explicauerit, res incerta est, & quæ non multũ referre videtur. Quare si D. Tho. (vt Paludan. illum explicat) solum hoc docere voluit, facile illi consentiam, quia fortasse hoc aliquid perfectionis addit, præsertim, si non fuit à principio beatę Virgini reuelatum, quid Deus de corpore eius disposuisset. Nam si de hac diuina voluntate à principio certior facta est per Spiritus sancti reuelationem (vt est probabile) iam non erat illa conditio necessaria, quia de diuino beneplacito iã illi cõstabat. *Palud.* *Scot.* *D.Thom.* *Palud.*

Ad fundaméta contrariarũ opinionũ, nihil est, quòd respondeamus, nam ex dictis soluta sunt. Dicunt vero aliqui, cum beata Virgo, ante matrimonium esset sub potestate parentum, non potuisse, vel saltem non debuisse votum emittere, præsertim cùm ab illis posset statim irritari: est autem verisimile parentes non consensisse in huiusmodi voto: tum quia erat vnigenita (vt creditur) tum etiam, quia eo tempore virginitas in opprobrium, & ignominiam vertebatur. Respondetur tamẽ. Primum, parentes Virginis fuisse sanctissimos, vt ecclesiastica habet traditio, quam Grego. Nyss. & alij referunt. Quare nihil est, quod de eorum consensu, etiam si necessarius esset, dubitetur, quia *Responsio* *Gre.Niss.*

nec de temporali hæreditate nimium erãt solliciti, nec ab hominum æstimatione, & iudicio pendebant. Vnde Bernardus, homilia. tertia, in *Missus est*, ita Virginem facit loquentem, & verba possunt ad parentes etiam accommodari. *Melius est mihi maledictum incurrere, quam castitatem violare, nam licet video maledictum, sed non peccatum, hæc enim maledictio quid est, nisi hominum exprobratio?* Addo denique, licet sterilitas in ijs, qui generationi vacabant, in aliquod opprobrium tunc cederet: fortasse tamen voluntariã castitatem in simili existimatione non fuisse, vt ex ijs, quæ supra retulimus, colligi potest. Deinde verisimile est, quod ex B. Augustino refertur in dicto capitul. beata Maria, vigesima septima, quæstio. secunda, illam in corde votum emisisse, non tamen expressisse ore, donec iam desponsata simul cum viro suum votum expresit. Quare non erat, quod parentes consuleret, cùm ab Spiritu sancto regeretur, & certa esset gratius esse Deo, quod vouebat. Neque etiam erat, quòd irritationem timeret, tum quia parentes illius votum ignorabant: tum etiam, quia licet illud agnoscerent, non fuissent ausi filiæ voluntatem, cuius sanctitatem, & diuini spiritus singulare regimen probe nouerant, immutare.

Bernard. Auguſt.

SECTIO. III.

V.B. *Virgo in seruanda, & vouenda virginitate prima fuerit.*

QVæstio intelligi potest, vel de ordine temporis, vel de dignitate, & perfectione castitatis, & in vtroque sensu breuiter expediri potest.

Primum enim (quod ad ordinem temporis attinet) licet multi ante Virginem castitatem seruauerint (vt supra vidimus) nullus tamen ante illam creditur hoc votum emisisse. Ita sentit Bernard. homilia. secunda, & tertia, in *Missus est*, & in sermone, *Signum magnum*, accommodans illud Psalmi. quadragesimi quarti, *Adducentur regi virgines post eam. Nam primatum*, inquit. *sola vendicat sibi*, Et Ruper. libro tertio in cantica circa finem, *Votum virginitatis*, inquit, *prima vouisti.* & Beda, Lucæ. primo. *Prima*, inquit, *fœminarum tantæ se virtuti mancipare curauit.* Et prius hoc indicauit Ambrosius libro de institutione virginis capitul. quinto, dicens, *egregia Maria, quæ signum sacræ Virginitatis extulit, & intemeratæ virginitatis pium Christo vexillum leuauit.* Et Hieronymus epistola secunda ad Eustoch. longè à princip. *Mihi*, inquit *virginitas in Maria dedicatur, & Christo.* Facit etiam, quod Epiphan. hæres. 78. dicit, fuisse consuetudinem antiquę Ecclesiæ vouere Deo virginitatem *in honorem, & imitationem beatæ Mariæ*, Docuit etiam hanc sententiam Abulens. quarto Reg decimo octauo quæst. decima nona, Chartusian. in vita Christi, part. prima capit. secundo. Vualdens. citans Bedam tomo secundo, de sacramentis. capi. 130. Rationes ad hanc sententiam confirmandam nullæ ferè possunt adduci, cùm res potissimum pendeat ex historia. Solum potest esse coniectura, (quam hic indicauit. D. Thomas ad secundum.) Quia cùm votum virginitatis ad statum perfectionis pertineat, decuit, vt in lege gratiæ haberet initium in Christo, & in matre eius.

Ambrosius libro. primo de virginib. in princi. & in exhortatione ad virgines, & Greg. Nyssen. lib. de virginitate ca. 9. qui ex scriptura sacra id conatur elicere, quia nunquam à marito, sed à fratribus semper nominatur. Tertio obijci potest, de filia Iephte, quam nonnulli existimant voto fuisse consecratam Deo. Ita enim exponunt locum Iudicum, vndecimo, Batablus, & alij. Non enim intelligunt, patrem sacrificasse filiam Deo occidendo illam, sed consecrando virginitatem Deo. Quarto obijci etiam possunt inter Iudæos Esseni, qui (vt supra diximus) virginitatem seruabant. & cum religiosorum more viuerent, verisimile est illam vouisse. Et inter Gentiles virgines vestales, quæ falsę Deæ virginitatem vouebant. Cur ergo negabimus, nonnullos fideles

Ambros. Virgo in vouẽda virginitate prima fuit. Hieron. Epiphan. Abulens. Carthusia. Vualdẽsis. D. Thom. Dubium. Ambros. Gre. Nyss. Batabl.

les virginitatis amatores vero Deo virginitatem vouisse? Adde, hoc non pugnare cum imperfectione status veteris, & naturalis legis. Quia licet rariores essent, non tamen defuerunt in illis statibus aliqui sancti viri, qui opera perfectionis, & consilii custodirent.

Responsio. Ad has obiectiones, nihil aliud habeo, quod respõdeam, nisi rem hanc esse incertam, & non admodum ad Deiparæ laudes pertinere. Quod enim ipsa perfectum votum virginitatis emiserit, ad perfectionẽ eius pertinet: quôd vero ante ipsam nullus hoc fecerit, ad eius commendationem nõ admodũ refert. Illud verô certum est ex sacra scriptura, de nullo alio colligi posse ante Virginem hoc votum emisisse. Et hoc sensu, vt minimum erit etiam certum, ipsam esse primam in virginitate vouenda. Deinde dici etiam potest prima, quæ proposita est tanquam dux, & exemplar huiusmodi voti, & hunc existimo esse sensum sanctorum Patrum. Addo tamen fortasse etiâm in re ipsa fuisse primam, quia omnia, quæ in contrarium proponuntur, facile expediri possunt. De illis enim Prophetis fatemur id esse incertum, & nescisi: tamen quia id scriptum non est, & illis temporibus hoc non erat in vsu, ideo verisimile existimatur, eos non vouisse:

Ad secundum de Maria sorore Moysis, licet verum esset virginem permansisse: tamen non potest inde inferri virginitatem vouisse. Deinde (quod de virginitate eius dicitur) incertum est. Nam Iosephus libro. tertio, antiquit. capit. secundo, & sexto, refert, Hur fuisse maritũ illius Marię, & Beseleel fuisse filium eius. *Ioseph.* Vnde ad coniecturam Greg. Nyss. facile dicitur, eã potius a fratribus, quã a marito in scriptura nominari, nõ quia marito caruerit, sed propter eximiã fratrum dignitatem, & autoritatem.

Ad tertium de filia Iephte, (& si illam expositionẽ admittamus) nihil efficitur. Quia illa nec vouit virginitatẽ, nec eã voluntarie, seruauit: sed *deplorãdo*, (vt ipsa dixit) *virginitatem suam*. Nec pater etiam vouit virginitatem filiæ, sed vouit immolare Deo, quod sibi domum venienti primũ occurreret, & quia filia, prima fuit, quæ egressa est in occursum eius, voluit in ea seruare votũ, immolãdo illam (vt dicit hęc expositio) non vt pecudẽ, sed modo personæ humanæ accommodato dicando illam cultui diuino, vnde factum est, vt innupta permanserit. Secundo vero dicitur, veriorem esse communem Patrum expositionem, Iephte immolasse filiam interficiendo illam, siue hoc temerè fecerit, siue instinctu Spiritus sancti motus, quod non est huius loci fusius tractare. Sed videri potest. Chrysostomus. tomo. primo, homilia de Iephte. Athanasius, in diuinæ scripturæ Synopsi, Augustin. libr. quæstionum in Iudicum, quęstion, 49. & libr. quæstion. noui, & veteris testamenti, quęstio. quadragesima tertia, Hieronym. primo contra Iouinian. Epiphan. hæres. 55. Ambrosius, libr. tertio de officijs. Videri etiam possunt Philo, & Iosephus, qui hoc affirmant, ille in libro. Antiquitatum Biblicarum: hic vero libro. quinto. Antiquit. capitul. duodecimo. Denique idem sensit. Concil. Francford. in, secunda parte eius.

Iephte qualiter se erga filiam habuerit. *Chrysost.* *Athanas.* *Augusti.* *Hierony.* *Epiphan.* *Ambros.* *Philo.* *Ioseph.* *Con. Frãc.*

Ad quartũ de Essenis, referũtur quidẽ castitatem seruasse: non tamen vouisse, neque eam vt perpetuam, & immobilem custodisse. Lege Iosephum libr. 2. de bello Iudaico capitul. septimo, & Epiphan. hęres. decima sexta. Et idem dicitur de virginibus vestalibus. Nam post certum ętatis tempus nuptui dabantur, vt refert Alexander ab Alexandro, libro quinto, dierum genialium, & indicauit Ambrosius, libro. primo, de virginib. Ad aliam denique coniecturam dicitur, probare quidem id non repugnasse, non tamen factum esse.

Ioseph. *Epiphan.* *Alexand.* *Ambros.*

Secundo (quôd ad dignitatem, & perfectionem attinet) dicendum est absque vlla dubitatione, in virginitatis perfectione, inter omnes puras creaturas Deiparam primatum tenuisse. Hæc conclusio constat ex communi doctrina Patrum, & ex omnibus dictis. Ratione verô declaratur, quia virginitas Marię, quoad propositum, & animum, fuit tanto efficacior, & vehementior, quanto ex maiori charitate, & gratia procedebat, quoad immobilitatẽ habuit hoc propositum perfecto voto cõfirmatum: quoad intentionem ex perfectissimo Dei, & puritatis amore hoc fecit, quoad executionem verô, tam perfecte illud seruauit, vt omni prorsus motu contrario, aut repugnante caruerit, imo alios

Maria inter omnes creaturas purissima.

etiam ad castitatem prouocauerit, vt supra ex sanctis Patribus diximus, ergo. Deinde caruit omni contrario, quod virginitatis perfectionem posset minuere, nam & ipsum coniugium, quod in alijs ad virginitatem tollendam ordinari solet, in illa fuit ad eius custodiam, testimonium, & honorem institutum. Habuit deinde, comitantes omnes virtutes, temperantiã, humilitatem, & alias, quæ illius perfectionem possent augere. Fuit denique eius virginitas propter altissimum finem à Deo ordinata. Nam & ad filij generationem ordinata est (quod est admiratione dignissimum) & ad consecrandum Deo thalamũ ex quo factus homo nasceretur, quo nihil potest perfectius, ac excellentius intelligi.

Obiectio. Dices perfectior est virginitas voto solenni consecrata Deo, quàm simplici, Beata autem Virgo non habuit votum solenne continentiæ, tum quia per illud non est facta inhabilis ad contrahendum matrimonium: tum etiam quia hæc solennitas post Christum, imo autoritate Ecclesiæ introducta est, vt Pontifices docuerunt. *Respõ.* Respõdetur hanc solennitatem non esse per se loquendo ad perfectionem virginitatis necessariam. Fuit quidem valde vtilis, & conueniens imperfectis hominibus, qui ad perfectionem tendere student, & facile mutari possunt: at vero in beata Virgine, quę semper fuit in statu perfectionis, & animum in virtute immobilem habuit, illa extrinseca solennitas non fuit necessaria: imo nec conueniens, quia (vt iam dicemus) oportebat illam matrimonium contrahere, quod non solum virginitatis perfectionẽ non impediret, verũ potius iuuaret.

Solennitas in voto quo modo sit necessaria.

QVAESTIO. XXIX.

De matris Dei desponsatione, in duos articulos diuisa.

DEinde considerandum est de desponsatione matris Dei. ¶ Et circa hoc quæruntur duo. ¶ Primo Vtrum Christus debuerit de desponsata nasci. ¶ Secundo, Vtrum fuerit Verum matrimonium inter Mariam matrem Domini, & Ioseph.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Christus nasci debuerit de Virgine desponsata.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod Christus non debuerit de Virgine desponsata nasci. Desponsatio enim ad carnalem copulam ordinatur. Sed mater Domini nunquam voluit carnali copula vti: quia hoc derogaret Virginitati mentis ipsius. Ergo non debuit esse desponsata. ¶ 2. Præterea, quod Christus ex Virgine nasceretur, miraculum fuit, vnde Aug. dicit in Epist. ad Volusianum, ipsa Dei virtus per inuiolatæ matris virginea viscera, membra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia, membra iuuenis introduxit: hic si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Sed miracula fiunt ad confirmationem fidei: vnde debent esse manifesta. Cum igitur per desponsationem hoc miraculũ fuerit obũbratum, videtur non fuisse conueniẽs, quod Christus de desponsata nasceretur. ¶ 3. Præterea, Ignatius martyr, vt Hieronym. dicit super Matth. hanc causam assignauit desponsationis matris Dei, vt partus eius diabolo celaretur, dum eum putat non de virgine, sed de vxore generatum. Quæ quidem causa nulla esse videtur: tum quia diabolus ea quæ corporaliter fiunt, perspicacitate sui sensus cognoscit: tum etiam quia postmodum per multa euidentia signa dæmones aliqualiter Christum cognouerunt, vnde dicitur Mar. 1. quod homo in spiritu immundo exclamauit dicens, Quid nobis & tibi Iesu Nazarene, Veni sti ante

162 4.d.30.q.2.ar.1.q.2. & 3. & Matt.1.co, 23

Epist.3. ante medium illius, to.2.

c.1. in Mat. super illud, Cũ esset desponsata, to mo, 9.

sti ante tempus perdere nos: scio quòd sis sanctus Dei. Non ergo videtur conueniens fuisse, quòd mater Dei esset desponsata. ¶ 4. Præterea, Aliam rationẽ assignat Hiero. ne lapidaretur mater Dei a Iudæis, sicut adultera. Hæc autẽ ratio nulla esse videtur: si enim non esset desponsata non posset de adulterio condemnari. Et ita non videtur rationabile fuisse, quòd Christus de desponsata virgine nasceretur. ¶ Sed contra est quod dicitur Matth. 1. Cùm esset desponsata mater eius Maria Ioseph, & Luc. 1. Missus est Gabriel Angelus ad Mariã virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph.

Super illud Mat. 1. Cũ esset desponsata, to. 9.

Respondeo dicendum, quòd conueniẽs fuit Christum de despõsata virgine nasci: tum propter ipsum, tum propter matrem, tum etiam propter nos. Propter ipsum quidem Christum, quadruplici ratione. Primo quidem ne ab infidelibus tanquam illegitimè natus abiceretur. Vnde Ambrosius dicit super Luc. Quid Iudæis, quid Herodi posset ascribi, si natum videretur ex adulterio persequuti? Secundò, vt consueto modo eius genealogia per virum describeretur. Vnde dicit Ambros. super Luc. Qui in seculum venit, seculi debuit more describi, viri autem persona quæritur, qui in senatu & reliquis curijs ciuitatum generis asserit dignitatem. Consuetudo etiam nos instruit Scripturarũ, quæ semper viri originem quærit. Tertio, ad tutelam pueri nati, ne diabolus contra eum vehementius nocumenta procuraret. Et ideo Ignatius dicit ipsam fuisse desponsatam, vt partus eius diabolo celaretur. Quarto, vt à Ioseph nutriretur: vnde & pater eius dictus est, quasi nutritius. Fuit etiam conueniens ex parte Virginis. Primò quidem: quia per hoc redditur immunis à pœna, ne scilicet lapidaretur a Iudæis tanquam adultera: vt Hieronym. dicit. Secundo, vt per hoc ab infamia liberaretur. Vnde dicit Ambros. super Luc. quòd desponsata est, ne temeratæ virginitatis adureretur infamia, cui grauis aluus corruptelæ videretur insignè præferre. Tertiò, vt ei a Ioseph ministerium exhiberetur: vt Hieron. dicit.

l. 2. in Luc. cap. 1. inter prin. & medium, to. 5.

li. 3. in Luc. non procul apri. illius. tom. 5.

Vt refert. Hier. 1. ca. Mat. to. 9. & Beda super. 3. cap. Luc. tom. 2.

Super illud Mat. 1. Cũ esset desponsata, tom. 9 li. 7. in Lu. nõ procul a prin. l. to. 5

Ex parte etiam nostra hoc fuit conueniens. Primò quidem, quia testimonio Ioseph comprobatum est, Christum ex virgine natum. Vnde Ambros. dicit super Luc. Locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset & dolere iniuriam, & vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramẽtum. Secundo, quia ipsa verba Virginis matris magis credibilia redduntur, suam virginitatem asserentis. Vnde Ambros. dicit super Luc. Fides Mariæ verbis magis adsciscitur, & mendacij causa remouetur. Videretur enim culpam obumbrare voluisse innupta mendacio prægnans: causam autem mentiendi desponsata nõ habuit, cum coniugij præmium & gratia nuptiarum partus sit fœminarum. Quæ quidem duo pertinent ad firmitatem fidei nostræ. Tertiò, vt tolleretur excusatio virginibus, quæ propter suam incautelam non vitant infamiam. Vnde Ambros. dicit. Non decuit virginibus sinistra opinione viuentibus, velamen excusationis relinqui, quòd infamata mater quoq; Domini videretur. Quarto, quia per hoc significatur vniuersa Ecclesia: quæ cum virgo sit, desponsata tamen est vni viro Christo, vt August. dicit in lib. de sancta Virginitate. Potest etiam, & quinta ratio esse, quòd mater Domini fuit desponsata, & virgo: quia in persona ipsius & virginitas & matrimoniũ honoratur, contra hæreticos alteri horũ detrahentes.

Loco antea dicto, & cõtra Heluidium lib. de perpetua virginitate Mariæ, to. 3.

Libr. 2. in Luc. c. 1. ante medium, tom. 5.

Libro. 2. in Luc. . . . ante med. to. 5

l. 2. in Luc. nõ procul á princ. to. 5.

ca. 12. ante med. to. 6.

Ad primum ergo dicendum, quod beata Virgo mater Dei, ex familiari instinctu Spiritus sancti credenda est desponsari voluisse, confidens de diuino auxilio, quod nunquam ad carnalem

li 2 in Lu. non procul à prin. lib. tom. 5.

copulam perueniret. Hoc tamen diuino commisit arbitrio, vnde in nullo detrimentum passa est virginitas. ¶ *Ad secundum dicendum, quod sicut Ambrosius dicit super Lucam, maluit Dominus aliquos de suo ortu, quàm de matris pudore dubitare. Sciebat enim teneram esse virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris: nec putauit ortus sui fidem, matris iniurijs astruendam. Sciendum tamen, quòd miraculorum Dei quædam sunt, de quibus est fides: sicut miraculum virginei partus, & resurrectionis Domini, & etiam Sacramẽti altaris, et ideo Dominus voluit ista occultiora esse, vt fides eorum magis meritoria esset. Quædam verò miracula sunt ad fidei comprobationem: & ista debent esse manifesta.* ¶ *Ad tertium*

li 3. ex c. 7 & 8. collig. tom. 3.

dicendum, quod sicut Augusti. dicit. in 2. de Trinit. diabolus multa potest virtute suæ naturæ, à quibus tamen prohibetur virtute diuina. Et hoc modo potest dici, quòd virtute naturæ suæ diabolus cognoscere poterat matrem Dei non fuisse corruptam, sed virginem: prohibebatur tamen a Deo cognoscere modum partus diuini. Quod autem postmodum eum aliqualiter cognouit diabolus esse filium Dei, non obstat: quia iam tempus erat, vt Christus suam virtutem contra diabolum ostenderet, & persecutionem ab eo concitatam pateretur. Sed in infantia oportebat impediri malitiam diaboli, ne eum acrius persequeretur, quando Christus nec pati disposuerat, nec virtutem suam ostendere: sed in omnibus alijs infantibus se similem exhibebat. Vnde Leo Papa in sermone de Epiphania dicit, quod Magi viderunt, & adorauerunt pucrum Iesum quantitate paruulũ, alienæ opis indigum, fandi impotem, & in nullo ab humanæ infantiæ generalitate dissimilem. Ambrosi. tamen super Luc. videtur hoc magis referre ad membra diaboli. Præmissa enim hac ratione,

In ser. 4. de epiphania in medio, incipit hic ser. Iustum & rationabile.

lib. 2. in Lu. c. 1. circa medium tom 5.

scilicet de fallendo principem mundi, subdit. Sed tamen magis fefellit principes seculi: dæmonum enim malitia, facile etiam occulta deprehendit, at verò qui secularibus vanitatibus occupantur, scire diuina non possunt. ¶ *Ad quartum dicendum, quòd iudicio adulterarum lapidabatur secundum legem non solum illa, quæ iam erat desponsata vel nupta, sed etiam illa, quæ in domo patris custodiebatur, vt virgo quandoque nuptura. Vnde dicitur Deutero. 22. Si non est in puella inuenta virginitas, lapidibus obruent eam viri ciuitatis illius, & morietur, quia fecit nefas in Israël, vt fornicaretur in domo patris sui. Vel potest dici secundum quosdam, quod beata Virgo erat de stirpe Aaron: vnde erat cognata Elisabeth, vt dicitur Lucæ. 1. Virgo autem de genere sacerdotali, propter stuprum occidebatur: legitur enim Leuit. 21. Sacerdotis filia, si deprehensa fuerit in stupro, & violauerit nomen patris sui, flammis exuretur. Quidam referunt verbum Hieron. ad lapidationem infamiæ.*

Commentarius.

VNdecim rationes congerit D. Thomas, vt ostendat oportuisse matrem Dei, quanuis ex sponso cõceptura non esset, illius tamen societate, & vinculo non carere, ex parte Dei, seu Christi, ipsius Virginis, & nostra desumptas, quas optimis Patrum testimonijs confirmat, & omnes sunt aptissimę, & perspicuæ: solum duę pati difficultates possunt quas ipsemet D. Thomas. retigit in argumento tertio, & quarto, Omissis ergo clarioribus.

Prima quæ difficultatem patitur est, (quam D. Thom. in primo membro tertio loco posuit) Deiparam scilicet fuisse nuptam, vt partus eius celaretur diabolo dum Christum putat non ex virgine, sed ex Ioseph generatum. Quam ex Ignatio retulit Hieronym. Matth. 1. & eam tuntur alij Patres, vt Ambros. libr. 2. in Lucam in princi-

Ignat. Hieronym. Ambros.

Damasce. Basil. Bernard. Rupert. principio,& Damascenus,libr.4. de fide capit.15. Basil homilia.de humana Christi generatione, Bernardus. homilia. tertia in *Missus est*,& homilia.4.in vigilia natiuitatis, Rupertus. libro. vndecimo.de Victoria Verbi,ca.19.Non tamen desunt Theologi,qui propter tertium argumentum,D.Thom.hic,eam contemnant, vt *Scot. Abulens.* Scotus.in.4.distin.30.quæst.2.& Abulens.quęstio.31. in primum caput Matth. Quia generatio, & integritas virginalis sunt res corporeæ, quas Angelus euidenter potest intueri,ergo non obstante matrimonio,potuit dęmon euidenter cognoscere Virginem nunquam cum Ioseph conuenisse,& non solum absque opera viri : sed etiam absque naturali mora filium concepisse,& pòst illius partum, virginale claustrum eius integrum permansisse. Quod si cum D. Thoma respondeas,dæmonem non semper omnia actu intueri , & diuina prouidentia potuisse fieri,vt hęc omnia nunquam aduerteret.Instat Scotus , nam hoc ipsum fieri potuit sine coniugio. Et sicut nunc existimauit dęmon Virginem concepisse ex Ioseph: ita tunc ex alieno viro concepisse putaret. Sed non videtur assecutus Scotus pijssimam sanctorum Patrum mentem , tantam enim habuerunt de puritate , & castitate Virginis existimationem , vt non crediderint potuisse in prauam suspicionem venisse,etiam apud dęmonem. Vnde,si non potuisset existimare,illam concepisse ex proprio marito , potius suspicaretur, sine opera viri , quàm ex prauo concubitu concepisse. Diuturna enim experientia , & obseruatione probè cognoscebat Virginis sanctitatem , & puritatem. Expertus etiam erat , nunquam se potuisse vel minimum prauum motum in ea excitare:cùm tamen aliàs non ignoret nullam ferè fornicationem fieri,nisi ipso autore, & incentore. Denique expertus erat nunquam Virginem vel otiosum verbum esse locutam,nedum cum homine aliquo sermonem turpem miscuisse. Et ideo omnibus pensatis , vel nullo modo, vel egerrimè posset induci,vt Beatã Virginem turpiter concepisse sentiret. Vtergo saltem commodius illi occultaretur mysterium,ipseque facilius , & securius à curiosa obseruatione , & inquisitione abstraheretur , aptissimum medium fuit , Virginem esse desponsatam viro.

Damasce: Theophyl. Vnde Damascenus,libr.4. capitul.15. & Theophyl.Met.primo, dicunt, Dæmonem propter Isaiæ Prophetiam, solicite obseruasse Virginem,ideoque Mariam nupram fuisse,vt facilius ille decipi potuisset.

Obiectio. Abulens. Sed occurrit Abulens. quia non erat necessarium hoc mysterium occultari dæmoni magis,quam alia Christi miracula. Illi verò etiam D. Thomas. respondit,id oportuisse,ne statim á principio dæmon agnosceret Christum esse Messiam in lege promissum. Quod facile coniectaret, si intelligeret eum sine opera viri de virgine esse conceptum. Non enim ignorabat vaticinium Isai. capitulo. septimo, *Isai.7.* in Messia promisso esse implendum. Deinde,quia cognito hoc mysterio , scilicet hunc hominem, solius Dei singulari virtute,& opera esse formatum,consequenter,vel intelligeret,vel suspicaretur illum non esse instar aliorum , nec in peccatis conceptum , & alia similia,quæ ante passionem oportuit latere dæmonem , ne Christi mortem,nostramque redemptionem impediret.Et ita factum esse docent citati sancti Patres , & eleganter Leo *Leo Papa.* Papa,sermone.2.de natiui. Et alij plerique quibus immerito,& sine fundamento cõtradicit Abulens.

Secunda ratio , quæ nonnullam difficultatem habet, est quinta apud D. Thomam,seu prima in secundo membro, scilicet,oportuisse Deiparam esse desponsatam,ne lapidaretur,vt adultera. Quæratio est Hieronymi.Matth. primo. In qua *Hieronym.* statim occurrit difficultas,quam, D. Tho- *Obiectio.* mas argumento quarto attigit. Videtur enim inuoluere repugnantiam quandam, quo modo enim posset esse adultera , si non esset desponsata? Responsio verò *Responsio* est sensum Hieronymi.non esse, potuisse illam,si non esset desponsata,puniri propter existimatum peccatum adulterij, sed potuisse puniri eadem pœna , qua adulterę puniebantur. Quia virgo , quæ in domo parentum fornicabatur , lapidibus obruebatur,Deuteronom.vigesimo. *Deute.22.* secundo,& si erat filia sacerdotis,flammis *Leuiti.21.* exurebatur, Leuitici. vigesimo primo. Sed hoc posterius (quanuis ex aliorũ opi-

nione hic â D. Tho. referatur) re tamen vera in Deipara non habet locum, vt constat ex superius tractatis. Cætera clara sunt in articulo. Solum responsio ad primum indiget maiori explicatione, quam in sequẽti disputatione commodius trademus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum inter Mariã & Ioseph fuerit verum matrimoniũ.

163 4 d. 30. q. 2. art. 2. & opu. 60. c. 1. co. 3. Et Mat. 1. co. 20. ad fin. Tit. lib. est de sancta virginitate beatæ Mariæ aliquantulũ aprin. m. 3. In 1. capi. Mat. to. 9.

AD secũdum sic proceditur. Videtur, quod inter Mariam & Ioseph non fuerit verũ matrimonium. Dicit enim Hier. cõtra Heluidium, quod Ioseph Mariæ custos fuit potius, quàm maritus eius. Sed si fuisset verum matrimonium, verè Ioseph maritus eius fuisset. Ergo videtur quod non fuerit verum matrimonium inter Mariam & Ioseph. ¶ 2. Præterea, super illud Matth. 1. Iacob genuit Ioseph virum Mariæ, dicit Hieronymus. Cum virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum, sed recordare cõsuetudinis Scripturarum, quòd sponsi viri, & sponsæ vxores vocãtur. Sed verum matrimonium non efficiturex sponsalibus, sed ex nuptijs. Ergo nõ fuit verum matrimoniũ inter beatã Virginẽ & Ioseph. ¶ 3. Præterea, Matth. 1. dicitur, Ioseph vir eius cũ esset iustus, & nollet eam traducere, scilicet in domum suam ad cohabitationẽ assiduam, voluit eam occultè dimittere, ideſt tempus nuptiarũ mutare: vt Remigius exponit. Ergo videtur quod nõ dũ nuptijs celebratis, nondum esset verum matrimonium: præsertim cum post matrimonium contractum non liceat alicui sponsam dimittere. ¶ Sed contra est, quod August. dicit in libro de consensu Euangelistarum, Non erat fas, vt Ioseph ob hoc a coniugio Mariæ separandum Euangelista putaret, quòd non ex eius cõcubitu, sed Virgo peperit Christũ.

li. 2. c. 1. ante medium, tom. 4.

Idem habet

A *Hoc enim exemplo magnificè insinuatur fidelibus coniugatis, etiam seruata pari consensu continentia, posse permanere, vocarique coniugium, non permixto corporis sexu.* Aug. li 23. contra Faustum cap. 8 in fine,

Respondeo dicendum, quod matrimonium siue coniugium dicitur verum ex hoc, quòd suam perfectionem attingit. Duplex est autem rei perfectio, prima, & secunda. Prima quidem rei perfectio consistit in ipsa forma, ex qua speciẽ sortitur: secunda vero perfectio consistit in operatione rei, per quam res aliqualiter suum finem attingit. Forma autem matrimonij consistit in quadam indiuisibili coniunctione animorum, per quam B *vnus coniugum indiuisibiliter alteri fidem seruare tenetur. Finis autem matrimonij est proles generanda, & educãda. Ad quorum primum peruenitur per concubitum coniugalem: ad secundum per alia opera viri & vxoris, quibus sibi inuicem obsequuntur ad prolem nutriendam. Sic igitur dicendũ est, quòd quantum ad primam perfectionem, omnino verum fuit matrimonium Virginis matris Dei, & Ioseph: quia vterque cõsensit in copulam coniugalem: non autẽ expresse in copulam carnalem, nisi sub conditione, si Deo placeret. Vnde & Angelus vocat Mariam coniugem Ioseph,* C *dicens ad Ioseph, Matthæi. 1. Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.*

Quod exponens Augustinus in libro de Nuptijs, & concupiscentia dicit. Coniux vocatur ex prima desponsationis fide, quam concubitu nec cognouerat, nec fuerat cogniturus. Quantum verò ad secundam perfectionem, quæ est per actum matrimonij, si hoc referatur ad carnalem concubitum, per quem proles generatur, non fuit illud matrimonium consummatum. Vnde Ambrosius, dicit super Lucam. Non te moueat, quod frequenter Mariam Scriptura vocat coniugem, non enim virginitatis

ca. 11. circa princ. tomo. 7.

l. 2 in Luc. ca 1. à me. tom 5.

creptio,

ereptio, sed coniugij testificatio, & nuptiarum celebratio declaratur. Habuit tamen illud matrimonium etiam secundam perfectionem quantũ ad prolis educationẽ. Vnde Augustinus dicit in lib. de Nuptijs, & concupiscẽtia: Omne nuptiarum bonum impletum est in illis parẽtibus Christi, proles, fides, & sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum: fidem, quia nullum adulterium: sacramentum, quia nullum diuortium, solus ibi nuptialis concubitus non fuit.

ca. 11. in fi. tom. 7.

Ad primum ergo dicendũ, quòd Hieron. accipit ibi maritum ab actu matrimonij consummati. ¶ *Ad secundum dicendum, quod nuptias Hiero. vocat nuptialem concubitum.* ¶ *Ad tertium dicẽdũ, quòd sicut Chrysost. dicit super Matthæ. Beata Virgo sic fuit desponsata Ioseph, quòd etiam esset domi habita. Nam sicut in ea, quæ in domo viri concipit, intelligitur conceptio maritalis: sic in ea, quæ extra domum concipit, est suspecta conceptio. Et ita non esset sufficienter prouisum famæ Beatæ Virginis per hoc, quod fuit desponsata, nisi etiam fuisset domi habita. Vnde quòd dicitur, vt nollet eam traducere, melius intelligitur, idest, nollet eam diffamare in publicũ, quàm quòd intelligatur de traductione in domum. Vnde & Euangelista subdit, quòd voluit occultè dimittere eam. Quanuis tamen esset domi habita propter primam desponsationis fidem, nondũ tamen interuenerat solennis celebratio nuptiarum, propter quod etiam nondum carnaliter conuenerant. Vnde sicut Chrysosto. dicit, Non dicit Euangelista, antequam duceretur in domum spõsi, etenim intus iam erat. Consuetudo enim fuit veteribus, vt sponsæ in spõsorum domibus haberentur. Et ideo etiam Angelus dicit Ioseph, Ne timeas accipere Mariam coniugem tuam, idest, non timeas nuptias eius solenniter celebrare. Licet alij dicant, quòd non dum erat in domum inducta, sed solum desponsata. Primũ tamen magis consonat Euangelio.*

homil. 1. in Matth. in ope. imperfecto in fo. 2. ante fin. tom. 2.

homi. 4. in Matt super illud ante. quã conuenirẽt. to. 2.

HIC articulus non indiget alia expositione, præter sequentem disputationem.

DISPVTATIO SEPTIMA in tres sectiones distributa.

De Virginis matrimonio cum sponso suo Ioseph.



T disputationem hanc commodius tractemus, & seriem, ac ordinem rerum quę ad vitam, & statum virginis pertinent, in his disputationibus, quoad fieri possit teneamus, supponendum hoc loco breuiter est, quomodo B. Virgo vitam transegerit ab ortu vsque ad desponsationem suam. Referunt enim grauissimi, & antiquissimi Patres tribus tantum annis in domo parentum mansisse, tertio verò ætatis anno fuisse in templo præsentatam, cuius præsentationis festũ ecclesia celebrat, vt suo loco dicemus agentes de cultu Virgini debito. Dicunt præterea, B. Virginem mansisse in templo, ibique in diuinis laudibus, & altissima cõtemplatione vitam transegisse, vsque ad desponsationem suam. Cũm enim in lege veteri filij primogeniti Deo offerrentur, quanuis à parentibus redimi possent (Leuit. 27.) non tamen ad hoc tenebantur, sed poterant eos ad templi ministerium, seu diuinum cultum ibi relinquere, Deoq; dicare, sicut legimus fecisse Annam matrẽ Samuelis .1. Reg. 1. cũ qua confert Annã virginis matrem Grego. Nyss. oratione de Christi natiuit. Quanquam vero lex de offerendis primogenitis ad offerendas filias non obligaret, poterant tamen parentes voluntarie eas offerre, ac diuino muneri consecrare. Vnde intelligimus fuisse in templo locum aliquem accõmodatum, in quo possent virgines Deo dicatæ tutè habitare vt expressius, quàm alij, indicauit Ambros. lib. 2. de virginib. & colligi potest ex 2 Machab. 3. in verbis illis, *Sed & virgines, quæ conclusæ erant procurrebãt ad Oniã*, Et Exod. 38. fit mentio mulierum, quæ *excubabant in ostio tabernaculi*. Facit etiã, quod

Puericia Virginis qualis.

Ambros. 2. Macha. 3

Exod. 38.

4.Reg.11 4.Reg.11.dicitur, Ioſaba filiam Regis Ioram furatam eſſe Ioas filium Ochoziæ, quẽ ſex annis ſecum habuit clam in domo Domini. Deniq; Luc.2. dicitur de Anna Prophetiſſa, quod *non diſcedebat de tẽplo ieiunijs & orationibus ſeruiens, nocte, & die*, erat ergo in templo locus, vbi huiuſmodi perſonæ poſſent habitare. Vnde etiã Ioſephus lib. 8.antiquit.c.3.refert fuiſſe in tẽplo varias cellulas, quæ ad huiuſmodi habitationem poterant eſſe accõmodatiſsimæ. Vbi licet de templo Salomonis loquatur, idem tamen proportionaliter intelligi poteſt de templo poſtea reædificato. Plura de hoc loco legi poſſunt in Caniſ.lib.1. de Deipara cap.12.

Luc.2.

Locus in tẽplo Salomonis deputatus virginibus.

Ioſeph.

In hoc ergo loco Deipara Virgo permanſit vſq; ad nubiles annos, *Soli Deo vacans, & forma virtutis effecta*, vt Ambroſ.dicit lib.2.de virginib. Quos enim Deus ſingulariter ſibi conſecrat, ab infantia ſeparat à cura ſenſibilium rerum, vt ſibi liberius vacare poſsint. Quod in multis, & præſertim in Ioanne Baptiſta cernimus, & multo perfectius credendum eſt hoc eſſe conceſſum Virgini. Vnde etiam referunt autores graues, toto illo tempore accepiſſe Virginem cibum miniſterio Angelorum. Quod ex Hieronymo refert Bonau.in lib.meditationum vitæ Chriſti.c.3.& Greg. Nicomedienſ.homil.de oblatione virginis in templo, & Cedrenus in compendio hiſtoriæ. Et facile credi poteſt, nam ſimile priuilegium conceſſum legimus Paulo primo Eremitæ longo vitæ tempore. Quid ergo mirum, quòd fuerit conceſſum Beatę Virgini: eo præſertim tempore, quo vitam tantum contemplatiuam profitebatur, ne vel minimum de illius cura remitteret, vt cor pori neceſſaria curaret. Denique, indubitatum eſt toto illo tempore B. Virginem ardentiſsimis deſiderijs, ac frequentiſsimis orationibus incarnationem filij Dei poſtulaſſe, tanto maiori amore, merito, atq; efficacia, quám omnes ſuperiores Sancti, ac Prophetę, quanto eos perfectione gratię, & ſanctitatis ſuperabat, vt in ſuperiori tomo in fine diſput.8.fuſius diximus.

Habitatio, & exercitia Virginis in templo, qualia.

Hieron. Bonauen. Greg.Nicomed. Cedren.

Addunt denique Patres conſuetudinẽ illius populi fuiſſe, vt huiuſmodi virgines, quæ in templo manebant, cúm primum cõuenientem expleſſent ætatem, á ſacerdotibus ad paternas domos remitterentur, vt nuptui traderẽtur: parentes autem B. Virginis fuiſſe mortuos poſt annos vndecim, quibus B. Virgo in templo vixerat. Sacerdotes verò inijſſe conſilium, quid de ſacro illo corpore ſtatuerent, quia nec decebat, nec vſitatum erat, vt mulier iam adulta in templo verſaretur, & aliunde timebant alicui viro ius, & poteſtatem in corpus illud facere, tandem vero diuina inſpiratione, & inſtinctu decreuiſſe, eam tradere nomine deſpõſationis, cuidam viro ad cuſtodiendam eius virginitatem idoneo, qualis Ioſeph ex eadem familia, & tribu inuentus, & exiſtimatus eſt. Ita ferè Greg. Nyſ. homil. de Chriſti natiuit. Damaſcen. lib.4. de fide, c.15 Nicepho. ex Euodio, lib.1.c.7 & lib.2.c.3. Andreas Cretenſ. orat. de dormitione Virginis, & Simeon Metaphraſ. orat. de ortu Virginis. Indicãt etiam Origen. tract.26. in Matth & Theophyl. Matth.23 & alij autores ſupra citati. Vt ergo hoc vltimũ explicetur, tractandum ſuper eſt, qualis fuerit deſponſatio virginis cum Ioſeph, & quo tempore, modo ve facta.

Gre. Nyſ. Damaſce. Nicephor. Euod. Andr. Cretenſ. Simeõ Metaphra. Origen. Theophyl.

SECTIO. I.

Vtrum inter Mariam, & Ioſeph verum matrimonium interceſſerit.

RAtio dubitandi ſumi poteſt ex hiſtoria nuper relata, qua ſignificatur illud non fuiſſe verum matrimonium, ſed veluti quoddam pactum ad mutuam tantum cohabitationem ordinatum, & vt Ioſeph, B. Virgini miniſtraret, eiuſque virginitatis cuſtos, & teſtis exiſteret. Vnde Hierony. Matth.1. dicit Ioſeph fuiſſe *nutricium, non maritum*, & Bernard.homil.2. in *Miſſus eſt. Virum*, inquit, *nominat, quia homo virtutis erat, non quia maritus*. Sic Petrus Chryſol. ferm.175. *Ioſeph*, inquit, *maritus ſolo nomine, cõſcientia ſponſus*. Et fere eodem modo Hilar.can.1 in Matth. dicit Virginẽ fuiſſe *ſponſam, non vere coniugem*. Et Chryſoſt.homil.4.in Matth. *Coniugis*, inquit, *nomine ſponſum intelligit*. Eodem modo loquitur Greg. Nyſ. dicta homil.de natiuit. Gregor. Magn.homil.26.27.in Euangelia. Epiphan.hæreſ.78.obſcurius verò loquitur Cyril Ieroſolymit.catechеſi.12.circa finem dicens. *Meminimus Iacob, qui prius, quam Rachel acciperet, dicebat ad Labam, da mihi vxorẽ meam, ſicut enim illic ante nuptiarum conſtitutionem, cum tantũ promiſsio interceſsiſſet, vxor*

Hierony. Bernard. Petr.Chryſolog. Hilar. Chryſoſt. Gre. Nyſ. Gre. Mag. Epiphan. Cyri. Iero.

Iacob

Iacob nominatur: sic & Maria propter solam desponsationem vxor Ioseph vocabatur. Indicat ergo non fuisse verum matrimonium.

Cyprian. Ambros. Confirmatur primo ex Cyp. serm. de passione domini, Ambros. epist. 79. & lib. 2. in Lucam in princip. & lib. de institut. Virginis. c. 6. & 7. dicentibus Christum in cruce separasse matrem á Ioseph, eamque Ioāni tradidisse, vt indicaret inter eos verum coniugium non intercessisse. Quod etiam

Chrysost. indicauit Chryso. homil. 5. in Matth. post med. Confir. secundo, quia votum castitatis repugnat cum vero matrimonio, imo & propositum nunquam accedendi ad virum: quia matrimonium intrinsecè includit consensum in copulam coniugalem: diximus autem supra habuisse Virginem propositum, & votum absolutum virginitatis, ergo.

Dicendum vero est, B. Virginem verũ, ac proprium matrimonium ratum cũ Ioseph contraxisse. Hanc veritatem esse de fide docent omnes Theologi in. 4. d. 29. & 30. & sentit D. Tho. hic, & probatur. Primo ex Luc. 1. *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph*, & c. 2. *Ascēdit Ioseph in Bethlehē, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore.* Matth. 1. *Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph.* Vbi verbum illud, *desponsata*, matrimonium ratum significat, vt cōstat ex verbis sequentibus, primo, ex illo, *Antequam conuenirent.* Quo verbo significatur, quantum erat ex parte vinculi, potuisse honestè conuenire. Deinde ex illo, *Ioseph autem vir eius.* Nam in rigore hæc vox vinculum matrimonij significat. Præterea hoc cōfirmat illa solicitudo Iosephi propter Mariæ cōceptionem, quam propterea *voluit occulte dimittere.* Non enim dicitur proprie dimitti, nisi vera vxor. Vnde Angelus tandem diserte dixit. *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Coniux enim vocatur*, inquit Aug. lib. 1. de nupt. & concup. c. 11. *ex prima fide desponsationis*, quam ibidem vocat *vinculum coniugale*, & *fidele cōiugium.* Et eandem ferè sententiam habet Hieron. contra Heluid. Secunda ratio in scriptura fundata est, quia in Euangelio Iosephus vocatur *pater Christi*, nimirũ quia talis putabatur, non alia certè ratione, nisi quia Virginem matrem Christi vxorem duxerat. Neque enim cogitandum est, fuisse Christum existimatum filium Iosephi spurium, aut illegitimè natum, hæc enim cogitatio erronea esset: nã potius ad hanc suspitionem tollendam hoc matrimonium institutum fuit, vt Patres docent.

Verum matrimonium ratum inter Mariam, et Ioseph. *D. Thom. Luc. 1, & 2.* *Matth. 1.* *Augusti.* *Hieron.*

Nisi quis fortasse dicat, sicut fuit Ioseph existimatus pater Christi: ita fuisse existimatum maritum Virginis, non quia reuera talis fuerit: sed quia exterius talis apparebat cohabitando cum Virgine, & alia exteriora onera matrimonij cum illa sustinendo, vt. v. g. suis laboribus familiam sustentans, & Virginem ac Christum in Ægyptum ducens, ac reducens, &c. Sed hęc euasio est contra vim verborum scripturæ, & sine vllo fundamẽto in traditione, vel scriptura, & ideo erronea est, præsertim cùm nulla sit causa ad veritatem huius matrimonij negandam. Quin potius, cùm B. Virgo indiguerit viro aliquo, qui sibi esset in peregrinationibus comes, & in rebus ad hãc vitam transigendam sibi, & filio puero necessarijs fidelis minister, multo magis decuit illũ fuisse verum maritum: id enim ad decentiam & bonum vtriusq; nomen maxime pertinebat. Et confirmatur hęc ratio quia propter hanc causam Matthæus, c 1. Christi genealogiam vsque ad Iosephum traxit Et sicut Lucas narrat Gabrielẽ præ dixisse Virgini nomẽ, Iesus, Christo imponendum: ita Matthæus refert idem nomẽ nuntiatum fuisse Iosepho, tanquam proprio vito, & veluti capiti, & gubernatori illius familię. Tertio probatur eadem veritas ex traditione Patrum, ex quibus nonnulla referuntur in decretis. 27. q 2. & videndus est etiam Augusti. supra, & lib. 23. contra Faust. c. 8. & lib. 2. de consensu Euãgelist. c. 1. Ambros. de institut. Virginis. c. 6. & Luc. 1. vbi illa ratione vtitur. *Quia maluit*, inquit, *Dominus quosdam de sua generatione, quam de matris pudore dubitare*, indicãs hoc matrimonium fuisse necessarium ad vitandam Virginis infamiam. Qua ratione vtuntur etiam Basil. homil. 25. de humana Christi generatione, Origen. homil. 6. in Lucam, Bernar. hom. 2. in *Missus est.* Chrysost. Hierony. & cæteri expositores Græci, & Latini, Matth. 1 Quarta ratio hoc loco solum esse potest, quia hoc matrimonium verè, & essentialiter perfici potuit absq; vllo detrimento virginitatis, & aliàs fuit valde cõueniens, ergo. Maiorem ostẽdemus respondendo ad rationem dubitãdi in principio positam, Minorem verò satis

Obiectio. *Responsio.* *Matth. 1.* *Augusti.* *Ambros.* *Basil.* *Origen.* *Bernard.* *Chrysost.* *Hieron.*

D.Tho. satis ostendit D.Thom.hic art.1. cuius ra A tionibus nihil ferè addi potest. Confirmatur tandem, quia sicut virginitas, & fœcũditas in Virgine coninncta fuerunt: ita decuit statum virginitatis, & coniugij summa perfectione in eadẽ virgine copulari. Nam ex virginitate habuit summam corporis, & spiritus puritatem, & integritatẽ, ex matrimonio verò, societatis, & vnitatis vinculum, & subiectionem, ac obedientiam, quam vxor marito debet. Quo factum est, vt & vtrumq; statum non ignorauerit, & tam virginum, quàm coniugum fuerit exemplar.

Obiectio. Sed dicet aliquis omnes rationes, quas D.Tho.affert, sumptas esse ex parte Dei, & diuinæ prouidentiæ, quę hoc matrimonium specialiter ordinauit, oportere tamen rationem aliquam reddere ex parte B Virginis, quę ipsam ad matrimonium contrahendum inclinauerit. Cùm enim ipsa virginitatem vouisset, certum est non cõtraxisse matrimonium propter filiorũ procreationem, qui solet esse veluti proprius & intrinsecus matrimonij finis, nec etiam potuit illis rationibus moueri, quæ ex parte diuinę prouidentię afferuntur, cûm illæ omnes mysterium incarnationis respiciãt, & futuram prolis conceptionem mirabilem, de qua ipsa ante Gabrielis annunciationem nihil potuit cogitare. Nisi fortasse

Cedren. quis dicat, ex Cedreno in compendio historiæ, Mariam anno.12. ętatis suæ reuelatione diuina cognouisse futuram se matrem Dei, & hominis. Quod est prorsus C falsum, & absurdissimum, & planè repugnans cum ijs, quæ de Angelica Annunciatione Lucas narrat. Turbatio enim Virginis, eiusque cogitatio, ac interrogatio planè indicant eam fuisse antea prorsus tanti ignaram mysterij, quod tunc per Angelũ didicit, vt omnes Patres intelligunt. Res-

Responsio. August. pondetur ergo primo ex Augustin.lib.de sancta virginit.c.4.sic scribente. *Licet, virginem se antea Deo vouisset, quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabãt, desponsata est viro, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa iam vouerat.* Itaque nubere voluit, vt in externo statu, & vitæ genere suæ genti se se accommodaret, & morem gereret, & fortasse etiam, vt sacerdotibus, & parentibus (si viuebant, hoc enim incertum est, obediret. Secundo vero addendum est, hoc fecisse ex diuina reuelatione, seu speciali instinctu. Vnde potissima ratio nubendi illi fuit, quia intellexit hanc fuisse diuinam voluntatem, quanuis rationem eius eo tempore non cognosceret, neque amplius inquireret, quàm diuinum beneplacitum.

Responsio ad argumẽta oppositæ sententiæ. Ad rationem dubitandi in principio factam vt respondeamus, distinguenda sunt tria, quæ in matrimonio possunt interuenire. Primũ est vinculũ matrimonij, quod perficitur mutuo consensu, quo coniuges adinuicem sibi tradunt ius, & potestatem in sua corpora, vt constat ex Nicolao Pap. in cap.sufficiat.27.q 2. Secundum est mutua cohabitatio in eadem domo, cum mutuis obsequijs, &c. quæ neque ad matrimonium sufficit, vt de se constat, quia sine vinculo reperiri potest inter fratrem, & sororem, nec est necessaria, vt etiam per se notum est, quia est quid posterius, & valde extrinsecum. Tertium est vsus matrimonij, per carnalem copulam, & hanc etiam constat nõ esse de essentia veri matrimonij, vt tradunt omnes Theologi in. 4. d.30. & rectè tractat Vualdens. 2. tom. de sacramentis.c. 130. & colligitur aperte ex dicto cap.sufficiat, & ex Florentino Concil.in decreto Eugenij, vbi definit matrimonium perfici mutuo consensu, qui sine dubio copulam antecedit, & Trident.ses.24 vbi distinguit matrimonium ratũ à consũmato, & supponit illud esse verũ matrimonium. Et idem habet communis traditio, & consensus Ecclesiæ, imo à principio fuit verum matrimonium inter Adam, & Euam in Paradiso terrestri, in quo carnalem copulam non habuerunt. Sicut ergo in rebus, quæ vsu non consumuntur, dominium distinguitur ab vsu, & absque illo haberi potest, ita in matrimonio potest dari potestas, & dominium in corpus coniugis absque vsu copulę carnalis, & in traditione illius dominij, vel potestatis consistit vera ratio matrimonij, vt ex Paulo primę, ad Corint.7. colligitur dicente. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir &c.*

Nico.pap. Quæ nam in matrimonio interueniant. Vualdens. Conc.Flor. Carnalis copula nõ est de essentia matrimonij Conc.Tri. 1.Cor.7.

Ambros. Ad sanctos ergo in principio citatos respondetur verbis Ambrosij, *Virgo desponsata viro coniugis nomen accepit. Non enim defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis.* Quo circa nomine *sponsalium* citati Patres matrimonium ratum, non consummatum intelligunt. Quod si interdum matrimonij, aut mariti nomen fugere vidẽtur,

tur, solum hoc faciunt, vt significent non peruenisse ad dictum statum copulæ coniugalis. Vnde (vt Hierony. notat) in scriptura sacra *sponsa* dici solet, quæ nupta est, & interdum dicitur *accipi in coniugem*, quãdo matrimonium consummatur, vt de Rebecca, Lia, & Rachel constat Genes. 24. & 29. quanquam hic vsus vocum non semper sit idem, vt patet ex illo exemplo, quo Cyril. Ierosolym. vtebatur, quod est prudenter interpretandum. Non enim affertur, quia in omnibus sit simile, sed quia á fortiori concludit. Nam, si Rachel propter solam promissionẽ vocata est *coniux*, multo magis B. Virgo propter sponsalia, quãuis nulla copula intercesserit.

Hierony. *Genes. 24. & 29.* *Cyri. Ier.*

Ad primam confirmationem respondetur, Patres ibi citatos eodem sensu esse intelligendos. Vnde Chrys. solum inde concludit B. Virginem non habuisse alios filios præter Christum, vt scilicet excludat matrimonij consummationem, non veritatẽ. Quod autem Ambros. & Cyprian. in illa coniectura supponere videntur, scilicet, tẽpore mortis Christi Iosephum superstitẽ fuisse, incertum est, & non admodum verisimile. Quin potius ex eo, quód Christus matrem suam Ioanni commendauit, inferri certius posset, eo tempore Ioseph fuisse mortuum. Nam illo viuente, non quæsiuisset Christus fideliorem alium Virginis socium, ac ministrum. Nisi forte dicatur, fuisse adeò senem, vt alterius ope indigeret. Sed credibilius est fuisse iam mortuũ, vt docent Epiphan. hæres. 78. Vincent. sermone de S. Ioseph. Petrus Comestor. c. 38. suæ hist. Et probabile est ante trigesimum annum ętatis Christi obijsse. In Euãgelio enim, vsque ad duodecimum ætatis annum Christi Domini, fit eius mentio, & non amplius, neqs in nuptijs Cana Galileæ, neque in historia passionis, neqs alijs in locis, vbi fit mentio matris, & fratrum Domini, quod est signũ illum fuisse iam mortuum. Nam cùm viuebat, fere semper simul cum Virgine coniũgebatur, & nominabatur.

B

C

Mors Ioseph. *Petr. Comest.* *Epiphan.* *Vincent.*

Ad secundam confirmationem, quidã dicunt, ante sponsalia conuenisse inter Ioseph, & Mariam, neutrum ab altero petiturum fore debitum, & ita veluti sub hac conditione contraxisse, vt neuter peteret, aut redderet debitum. Hanc enim conditionem non esse cõtra substantiam matrimonij, defendit Palud. in 4. d. 30. q. 2. & Carthus. in vita Christi. p. 1. c. 3. Abulens. c. 30. Numer. q. 32. Gerson serm. de natiuit. Mar. & creditur fuisse opinio Hugonis de S. Victore, sed falso. Et ratio esse potest, quia cùm dominium (vt dictum est) distinguatur ab vsu, conferre illud poterat sub conditione nunquam vtendi tali re, quia hæc cõditio non est cõtraria traditioni dominij. Quod patet, quia potest habere aliquem effectum, vt in præsenti materia, si quis contrahat cum hac conditione, manet inhabilis ad contrahendum cum alio. Item si postea velint coniũgi, & non vti illa cõditione, non erunt fornicarij. Item, quia si in huiusmodi casu maritus inferat vim vxori, licet peccet contra iustitiam, & pactum initum, non tamen erit fornicarius. Sed quidquid sit, an hæc conditio sit contra substantiam matrimonij, vt D. Tho. & eius discipuli communius opinantur, & indicatur, in .c. vlt. de cõditionibus appositis, de quo infra suo loco dicendum est, non censeo tamen fuisse in præsenti matrimonio necessariam. Primo, quia D. Tho. hic, & precedenti quæstione contrarium aperte sentit, scilicet inter Mariam, & Ioseph nihil esse actum de seruanda virginitate, nisi post matrimonium contractum. Secundo, quia illa conditio, nõ est consentanea matrimonio (esto) non esset contra substantiam eius. Tertio, quia sola nõ sufficit ad perfectionem voti castitatis. Nam, qui absolutum votum virginitatis emisit, non posset sua autoritate contrahere matrimonium, etiam sub illa conditione, vel intentione, præsertim animo perseuerandi in illo statu. Nam si id faceret animo trãseundi ad religionem, non esset intrinsecè malum, vt Scotus, & alij docuerunt, & colligitur ex cap. cõmissum de sponsali.

A

Palud. *Carthusia.* *Abulens.* *Gerson.*

D. Thom.

Dicendum ergo est, cum Hugone Victori. lib. de Virginit. Mariæ, quẽ. S. Tho. Albert. Magn. & cęteri scholastici secuti sunt, & fuit etiam sententia antiquorum Patrum (vt supra vidimus) B. Virginem ex diuina reuelatione contraxisse matrimonium. In omnibus enim rebus speciali Spiritus sancti directione regebatur, præsertim in re grauissima, & quę ad statum totius vitæ pertinebat, & ad mysterium incarnationis proximè ordinabatur. Eadẽ autem reuelatione intellexit B. Virgo suũ sponsum libenter in perpetuam virginitatem

Hug. Vict. *D. Thom.* *Albert. Magn.*

tatem fuisse consensurum, nullumq; detrimentum perfectioni suæ virginitatis allaturum. Et hinc etiam intelligitur, potuisse B. Virginem consentire in verum matrimonium, non consentiendo actualiter, & explicitè in carnalem copulam, neque absolute, neq; sub illa conditione, si Ioseph debitum petijsset. Quia iam erat certa, illum nũquam petiturum, vnde superuacaneus, & ociosus fuisset talis actus. Dico autem actualiter, & expressè, quia in radice, & in causa, videtur habuisse hunc consensum, consentiendo in matrimonium, quod de se ad talem copulam ordinatur, & ita videtur loqui Caietanus, & August. in citato capitulo B. Maria. 27. q. 1. sed velle hoc modo in radice, non est propriè velle, & maximè quando per contrariam voluntatem directe quis proponit vitare actum, & hoc modo consensus in coniugale vinculum, nihil omnino derogat virginitati, & propositum virginitatis non pugnat cum consensu contrahendi vinculum coniugale. Sicut non repugnat voluntas tradendi, vel accipiendi dominium, & non vtendi.

Caietan.

SECTIO. II.

Quo tempore fuerit matrimonium perfectũ, inter Mariam, & Ioseph.

DVplex perfectio matrimonij potest hoc loco cõsiderari. Prima est essentialis, quæ consistit in ipso contractu: altera est accidẽtalis consistens in aliqua solennitate, seu publica cęremonia, & in cohabitatione viri, & vxoris in eadẽ domo. Omitto enim carnalem copulam, quã iam excluſimus.

Matrimonialis contractus inter Mariã, & Ioseph ante incarnationẽ factus. Origen. Luc. 1.

Primo ergo certum est, matrimoniũ inter Mariam, & Ioseph quoad essentiam, & contractum ante filij Dei incarnationẽ perfectum esse. Hæc est communis sententia Patrum, & Theologorum quos supra citaui, eamque optimè confirmat Orig. homil. 6. in Lucam. Colligitur enim apertè ex illo verbo Luc. 1. *Missus est Angelus Gabriel a Deo ad Virginem desponsatam viro*, iam enim ostendimus illam desponsationem, verum matrimonium fuisse. Ratio etiam hoc suadet, ex fine illius matrimonij sumpta. Illud enim Deus ordinauit, ne aliqua infamia ex parte filij Virgini accresceret: oportuit ergo, vt eo tempore, quo cõcepit, iam habe-

A ret sponsum, ex quo posset existimari honestè, & absq; turpitudine concepisse.

Difficultas ergo supereſt de perfectione accidentali quoad cohabitationem, vel solennitatem aliquam. In quo est prima sententia Caiet. hîc, qui negat fuisse eo tempore nuptiarum solennitatem celebratam, fundatur in illis verbis Angeli, *Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuã*, nondum ergo illam acceperat. Quod non potest intelligi, nisi de modo accipiendi, quando cum solennitate nuptiali, & sacer dotali benedictione sponsa viro tradebatur. Ex quo vlterius infert, quòd eo tempore nondum Ioseph acceperat Virginem in domesticum consortium. Vnde etiã negat fuisse perfectum matrimonium quoad cohabitationem in eadem domo. Quod cõ firmare conatur ex Luc. 1. vbi dicitur Bea

B ta Virgo redijsse ex domo Zacharię, nõ in domum Ioseph, sed *in domum suam*. Idem tenet Abulens. Matth. 2. post quæstionẽ 33. & fauet Ansel. Matth. 1. exponens verbum illud, *Noli timere accipere Mariam*, hoc modo, scilicet nuptiali conuentu, & assidua cohabitatione. Et exponens verbum illud *cum nollet eam traducere*, inquit, *in domum suam, & assiduam cohabitationem.*

Caietan. *Luc. 1.* *Abulens.* *Anselm.*

Secunda sententia media esse potest, scilicet tempore anunciationis Angelicæ Mariam, & Ioseph, iam cohabitasse in eadem domo, nondum tamen interuenisse solẽnem celebrationem nuptiarum. Et cõiectura est quia propter hanc causam, nõdum carnaliter conuenerant.

Dico secundo, probabilius est Mariam, & Ioseph, cohabitasse in eadem domo tempore cõceptionis Verbi diuini, quæ est ex

C presa sententia Chrys. homil. 4. in Matt. quam etiam indicant Greg. Nyss. in orat. de Christi natiuita. & Epiphan. hæres. 78. & eam sequuntur Iansen. Titelm. & alij Matth. 1. & D. Tho. hic ait. esse hoc *magis consonum Euangelio*. Quod fortasse dixit propter verbum illud Matth. 1. *voluit occulte dimittere eam*, quo indicatur iam antea fuisse ad cohabitandum admissam. Vt enim Ambros. dicit lib. 2. in Luc. in principio, *Quã non accepit, nemo dimittit, & ideo, qui volebat dimittere, fatebatur acceptã.* Et ratio S. Tho. est optima, quia aliás non esset satis prouisum famæ Beatæ Virginis. Nam quãdo sponsa concipit in domo sponsi, meritó reputatur cõceptio maritalis, si verò ante

Maria, & Ioseph in eadẽ domo tempore cõceptionis Christi cohabitant. Chryſoſ. Gre. Nyſ. Epiphan. Ianſen. Titelman. D Thom. Matth. 1. Ambroſ.

cohabi-

cohabitationem concipiat, semper est dubia, vel suspecta conceptio. Respõdet Caiet. licet non cohabitarent, talem tamen, ac tantam potuisse inter eos intercedere familiaritatem, vt omnis vitaretur infamia, presertim, quia verisimile est Ioseph ascẽ disse cum Maria in domum Elisabeth, ibique habitasse mensibus tribus. Sed certè, si nondum cohabitabant, non est admodũ verisimile Ioseph iuisse cum Maria, & habitasse cũ illa in domo Zacharię. Cur enim in aliena domo simul habitarent, qui nondum habitabant in propria? Accedinde quãuis hæc, & similia sufficere possent, vt multi bonam existimationem haberent, aut nõ temerè iudicarent, non tamẽ sufficerẽt ad vitandam suspitionem, & dubitationẽ aliquam, & nonnullum incontinentiæ, ac leuitatis indicium. Deinde, verbum illud, *Noli timere accipere Mariam*, non significat denuo fuisse in domum Iosephi traducendã, sed (vt Chrys. & Ambros. expressè exponunt) monetur Ioseph, vt sponsam, quam domi habebat, & proposito, & animo dimiserat, domi retineat, ita, vt sensus sit, *Noli timere accipere*, idest, tecum illam habere, & cum illa simul viuere, & cohabitare, omnemque timorem, & suspitionem abijcere, & propositum mutare. Quam expositionem etiam Theophyl. & Euthym. amplexi sunt. Præterea, verbum illud, *& nollet eam traducere*, non significat, idest, in domũ suam adducere, sed significat infamare, & vt adulteram accusare vt communiter expositores intelligunt. Et Origenes homil. 1. in diuersos, & D. Tho. hic, & est certa expositio, si vis Græci verbi considerare, est enim, παραδειγματίσαι, quod hoc significat. Quod etiã patet ex verbis illis, *Cũ nollet traducere, sed occulte dimittere*, vnũ enim alteri contraponitur. Denique hoc etiam patet ex causa, quæ redditur, scilicet, *Cum esset iustus*. Hæc enim non erat ratio, propter quam nollet eam in domum accipere, quãquam enim id facere posset, si esset adultera, non tamen esset ad hoc necessaria magna iustitia. Recte ergo intelligitur, quia erat iustus, noluisse eam traducere, quod à Patribus dupliciter exponitur. Primo quod reuera, viso euidenti effectu conceptionis, sibi persuaserit adulterium commissum, & iniuriam sibi esse illatam, fuisse autem magnæ iustitiæ opus patienter illam ferre absque reuelatione, accusatione, vel infamia: voluisse tamen illam occultè dimittere, ne peccato consentire videretur. Ita ferè Chrys. supra, Greg. homil. 26. in Euangelia Augustin. epist. 54. & serm. 16. de verbis domini, & serm. 14. natiuit. Iustinus dialog. cõtra Thriphon. satis post med. Amb. de inst. Virgin. c. 5.

Altera expositio est, Ioseph nihil mali potuisse iudicare, aut suspicari de Virgine, sed hinc adductum rei, quam cernebat, euidentia, inde verò eximia, quam ex pertus erat, Virginis sanctitate permotũ, in quendam veluti stuporem, & admirationem raptum, omne iuditium sustinuisse. Quod sanè fuit magnum iustitię opus, scilicet in tam graui negotio non commoueri, nec nimia aliqua passione, aut affectione obcæcari, sibique persuasisse, fieri id sine peccato potuisse, & ideo noluisse eam traducere, quanuis, quia de hac re nihil illi satis constabat, ad opus iustitiæ pertinere putauit, à tali muliere separari, eãque occultè dimittere. Quam expositionem docuit autor imperfecti. in Matt. homil. 1. his verbis. O *inæstimabilis Mariæ laus, magis credebat castitati eius, quam vtero eius, plus gratiæ, quam naturæ, conceptionem manifeste videbat, & fornicationem suspicari nõ poterat: posibilius esse credidit mulierẽ sine viro posse concipere, quã Mariĩ posse peccare.* Hieron. ibi, Hoc, *testimonium* Mariæ *est, quod Ioseph sciẽs* Mariæ *castitatẽ, & admirãs, quod euenerat, celat silentio, cuius mysterium nesciebat.* Quæ fuit etiam expositio Orig. hom. 1. ex varijs, & Bernar. homi. 2. in Missus *est*. Indicant etiam Basil. homil de humana Christi generatione, Theophyl. Matth. 1. qui sentiunt Ioseph ante aduentum Angeli, non solum se continuisse, ne prauum aliquid de Virgine sentiret, sed etiam cognouisse eam concepisse de Spiritu sancto, iusta illud, *Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto*. Sed hoc & per se est difficile creditu, cùm non habuerit reuelationem, nec aliquod sufficiens principium, ex quo id cognoscere, & non est consentaneũ illis verbis Angeli, *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*. Hæc enim ratio non fuisset cõueniens, si antea Ioseph hoc agnouisset, & ea de causa cum Virgine permanere, & cohabitare timuisset. Neq; illa verba, *Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto*, ita intelligenda sunt, vt Ioseph in

uenerit,

Chrysost. Greg. pap. August. Iust. mart. Ambros.

Ioseph ante Angeli reuelationem, nihil turpe de Maria prægnante suspicatur.

Autor imperfecti.

Origen. Bernard. Basil. Theophyl.

uenerit, & intellexerit ipsam concepisse de Spiritu sancto, sed ita, vt inuenerit, & cognouerit Mariam, quæ ex Spiritu sancto conceperat, esse pregnantem. Vltimò tandem, nihil fauet Caietano verbum illud, *Caiet.* *Reuersa est in domum suam*, quia illud verbũ tãtũ significat redijsse in propriã domũ, in qua habitabat, quæ non dicitur *sua*, quia ipsa sola separata á Ioseph, in ea habitaret (hoc enim nec fundamentum habet, nec est hæc proprietas verbi) sed dicitur sua, vt distinguitur ab aliena, siue fuerit paterna domus, siue domus spõsi, seu vtriq; cõmunis, in qua ambo habitabant. Sicut paulo inferius, dicuntur Maria, & Ioseph redijsse *in ciuitatem suã*, scilicet, in qua habebant proprium domicilium.

Tertio verisimilius existimo ante conceptionem filij Dei, fuisse illud matrimonium perfectum, etiam quoad omnem solennitatem accidentalem, & sacerdotalem benedictionem, si fortasse interuenire solebat. Hæc cõclusio (vt ingenue id fatear) non potest satis ex scriptura probari. Ad illam verò persuadendam satis esse videtur, quod in Euangelio nullum omnino sit fundamentum ad hoc negãdum. Nam verbum illud, *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, non oportet intelligi de solenni traditione, seu acceptione, quia phrasis illa, *accipere vxorem*, multiplex est in scriptura. Interdum enim significat, *vxorem ducere*, vt patet Genes. 4. & 6. interdum eã cognoscere, vt exponit Lyra locum Deuteron. 20. *Quis est homo, qui desponsit vxorẽ, & non accepit eam?* quanuis possit etiã hic locus intelligi de receptione ad cohabitandum, quę est alia illius vocis significatio, sicut Gene. 12. dicitur, *Accipe eam, & vade.* Hoc ergo vltimo modo sumi in citato loco Matth. Chrysostom. & Ambros. supra exposuerunt. Nam quia Ioseph decreuerat illam dimittere, monetur, ne timeat cũ illa cohabitare, vt supra dictum est. Supposito ergo, scripturam nullo modo repugnare, sine dubio est magis consequens, & rationi consentaneum, vt nulla solennitas huic matrimonio defuerit ante conceptionem filij Dei. Primum quidem, quia non est verisimile sponsam solitam esse traduci ad cohabitandum cum sponso ante expletam omnem matrimonij cęremoniã, & solennitatem, sicut nunc fieri videmus in familijs bene institutis, & ordinatis. De

Matrimonium inter Virginem, & Ioseph ante Christi conceptionem omni ex parte perfectum.

Genes. 4. & 6.

Deut. 20.

Genes. 12.

Chrysost. Ambros.

A inde verò, quia cuiusdam incontinentiæ excessus est, quòd sponsi copulentur ante perfectam omnem matrimonij cæremoniam, fuit ergo fini huius matrimonij cõsentaneum, & ad vitandam omnem suspicionem valde conueniens, vt ante filij cõceptionem fuerit matrimonium omni ex parte perfectum. Quo circa suppositа hi storia, quam in capite huius disputationis præmisimus, verisimile mihi est, Beatam Virginem non redijsse à templo in domũ parentum, qui fortasse iam mortui erant, vt Cedrenus refert in compendio historię: sed post expletam omnem matrimonij solennitatem, ab ipsis sacerdotibus immediatè datam esse Ioseph, vt Gregor. Nyss. & alij Patres ibi citati indicant. *Cedren.* *Gre. Nyss.*

B

SECTIO. III.

In qua ætate Ioseph, & Maria matrimoniũ contraxerint.

QVòd ad B. Virginem attinet, Ioannes Annius recẽs Chronographus dixit Beatam Virginem peperisse Christum ante expletum decimũ quartum annũ, vnde necesserio fit consequens fuisse nuptam decimo tertio ætatis anno nondum peracto, Nam (vt antiqua historia, & Patres citati in initio huius disputationis referunt) B. Virgo concepit filium quarto mense à desponsatione sua. Quam sententiam sequitur Driedo lib. 3. de dogmatibus tractatu. 3. c. 5. p. 4. in fine. Alia verò extrema sententia est Caietani Luc. 1. qui probabile credit fuisse Virginem 14. annorum, & certum putat, vt minimũ habuisse 19. annos, quando filium peperit. Ex quo, eodem argumento, colligitur, vno, anno, & paulo mplius ante illã ætatẽ fuisse nuptã. Mobetur autẽ Caiet. sola coniectura, scilicet, vt esset firmo, & perfecto corpore ad concipiendum filium. *Ioan. Annius.* *Dried.* *Caiet.*

C

Communis tamen, probabiliorque sententia est, Virginem fuisse nuptam paulo post inchoatum decimum quartum annũ, vndecim enim ferè annis in templo mansit, & tunc tradita fuit Iosepho, & post quatuor menses Angelicum nuntium habuit, agens verò decimum quintum annum filium peperit. Ita refert ex Euodio Nicephor. lib. 2. histor. capit. 3. & eiusdem sunt *Virgo decimo quarto ætatis incho ato anno Ioseph o nupta.* *Euod.* *Nicephor.*

Gre. Nyſ. Damaſce. sunt sententiæ Greg. Nyſ. Damasce. & alij supra citati, quorum autoritas maiorẽ fidem facit, quàm coniectura Caietani. Ætas enim quatuordecim annorum sufficiens est, & aptissima in fœmina ad concipiendum filium. Præsertim si habeat corpus optimè dispositũ, quale erat corpus sanctissimæ Virginis, & ita ex recentioribus sequuntur hanc sententiam, Abulens. Matt. 2. q. 101. Ioannes Lucidus, tractatu de vero die passionis Christi, & alij, qui annales, vel chronologias scripserunt.

Abulenſ. Ioã. Lucid.

Secundo, de ætate sancti Ioseph fuit sententia Epiphanij hæres. 78. eum fuisse vt minimum octogenarium, quando Virginem duxit. Sequitur Nicepho. lib. 1. hist. c. 7. & Abulens. super c. 7. Isai. & paradoxa. 1. c. 8. & in. 2. cap. 73. & Matth. 1. q. 32. Numer. 30. quæst. 31. & Ioann. Gerson, serm. de natiuit. Mar. considerat. 3. Vigue rius, in institutionibus. cap. 2. §. 9. Cedrenus in compendio historiæ. Huic sententiæ fauet antiqua pictura, quę non cõ contemnendam autoritatem habere solet. Et confirmari potest, nã Beatus Ioseph mortuus est ferè duodecimo anno ętatis Christi: ergo verisimile est eum fuisse valde senẽ, quando Christus natus est, & similiter, quãdo Virginẽ duxit. Sed hęc sententia probari certè nullomodo potest.

Epiphan. Nicephor. Abulenſ. Cedren.

B

Ioſeph non erat ſenex, quando Mariam duxit vxorem.

Primo, quia decuit, vt in matrimonio illo seruaretur ea proportio inter virum, & vxorem, quę communi vsu, & consuetudine seruari solet. Secũdo, quia oportuit, vt Ioseph esset in ætate ad generandũ idonea, quia aliàs nõ posset sub illius vmbra, fama, & ęstimatio Virginis illæsa seruari. Tertio, oportuit ipsũ esse viribus valẽtiorẽ, vt posset tot peregrinationes sustinere, & ad familiã suã alendã, & sustentandã laborare, ad hos ergo fines ætas octogenaria erat valde improportionata. Quarto, quãdo sãcti, & Doctores dicũt sanctũ Ioseph simul cum B. Virgine post matrimonium cõtractum virginitãtem vouisse, certè supponunt illum non fuisse senem, neque ad actum matrimonij ineptum. Et augetur hæc coniectura ex eo, quòd docẽt Ioseph permansisse virginem, & in cœlibatu vsque ad desponsationem cum Virgine. Nã cùm iuxta consuetudinem illius populi ferè omnes vxores ducerent, non est admodum verisimile expectasse Ioseph tam longum ętatis tempus ad vxorem ducendam.

C

A Quinto, etiam scriptura non nihil fauet, nam Luc. 1. dicitur *Angelus missus ad Virginem desponsatam viro*, non seni, & cap. 3. *vt putabatur filius Ioseph*. Profecto, si ille octogenarius fuisset, vel non tã facile hæc fama percrebuisset, aut certè Virgo in suspitionẽ aliquã venisset. Vnde Isai. 62. de tempore aduentus Messiæ dicitur, *habitabit iuuenis cum Virgine*, quod non incommodè ad hoc mysterium applicant Glos. ordinar. & Nicol. Lyra. Tandem, nullum est fundamẽtum, vt cõtrarium credatur, quia nulla est historia, nullaq; ratio decẽtię, aut castitatis hoc requirit. Quia quòd ad exteriorẽ speciem attinet, nullam indecentiam habet, quòd virgo habitet cum iuuene, aut saltẽ viro mediocris, & maturæ ætatis, sponso, ac marito suo. Præsertim, cùm ipsũ matrimonium ad hoc fuerit ordinatum, vt talis virgo existimari posset ex viro suo concepisse. Quòd verò spectat ad rem ipsam, idest, ad obseruandam castitatem vtriusq; coniugis, non erat necessaria senilis ætas: sed Spiritus sancti robur, ac virtus: alioquin non tam fuisset virtutis opus, & voluntatis, quàm impotentia quædam. Quo circa, sicut Patriarcha Ioseph, qui (teste Bernardo) figura fuit sponsi Virginis, in iuuenili ætate perfectissimè castitatem seruauit, & fidelitatem domino suo: ita multo maiori ratione, de nostro sancto Ioseph existimandum est.

Luc. 1. & 3. Isai. 62. Gloſ. ordi. Nico. Lyr. Bernar.

Certum ergo videtur Ioseph non fuisse octogenarium, & verisimilius est, non fuisse senem: qua verò ętate fuerit, iuuenis ne, vel vir triginta, quadraginta ve annorũ, definiri non põt, cùm ex historijs nihil habeamus. Solum ergo dici põt aptissimæ fuisse, cõueniẽtissimęq; ætatis: hoc enim ad Spiritus sancti prouidentiam spectabat. Vnde potius verisimile est fuisse maturę ætatis, quam iuuenilis, quia (vt sancti, & historię referunt) Beata Virgo illi data est magno consilio, & prouidentia sacerdotum, potius vt illius virginitatẽ custodiret, quàm vt violaret, & ideo verisimile est quæsiuisse virum maturæ ætatis, prudentiæ, ac virtutis.

Ætas Ioſeph, quando Virginẽ in matrimonium accepit.

Et hinc facile respondetur ad cõiecturas contrarię sententiæ. Illa enim cõsuetudo picturæ, propter quãdã decentiã, & ad vitã dãvulgi opinionẽ introduci potuit. Vel fortasse, cũ Ioseph esset maturę ætatis, & vir iustus partim laboribus, partim corporis

Reſponſio ad argumẽta in oppoſitum.

afflictionibus effecerat, vt prouectioris, quàm reuera esset, ætatis appareret. Ad aliâ coniecturâ de morte eius, quanuis veri simile sit (vt supra dicebâ) ante trigesimũ ętatis Christi annum fuisse vita functum, non tamen existimo statim post duodecimum annum obijsse. Dũ enim Lucas. c.2. *Luc 2.* ait, descendisse Christum post duodecimũ ętatis suę annum cũ parentibus suis in Nazareth, & fuisse *subditum illis*, satis significat aliquot annis cum vtroq; vixisse, & non est incredibile vixisse Ioseph ferè vsq; ad annos prædicationis Christi, vt illum simul cum Virgine suis laboribus sustentaret. Nullum ergo ex hac coniectura pro cõtraria sententia sumi potest argumentum, præsertim, cùm tã in minori, quam in grãdiori ætate homines mori contingat.

DISPVTATIO. VIII. in duas sectiones distributa.

De sancto Ioseph Beatæ Virginis spõso.

QVanuis in præcedenti disputatione nonnulla de hoc sancto viro dixerimus, quæ cũ disputatione de desponsatione Virginis videbantur esse coniũcta, tamen & perfectio doctrinę, & reuerentia, ac deuotio illi debita, exactiorque ipsius mysterij expositio postulare videntur, explicemus, quis, & qualis fuerit sanctus hic Virginis sponsus, cuius genealogiam tam accuratè scripsit Matth. vt nihil de illa dicendum nobis supersit, præter ea, quæ supra tractando de genealogia Christi, & Virginis attigimus. Quo circa de ijs, quæ ad corpus eius, seu naturalem conditionem pertinent, nihil dicemus, nam de ætate, virginitate, statu, ac morte eius satis in superioribus diximus. De arte verò, seu corporali munere, quo ad hanc vitam transigendam vsus est, nihil dicere possumus præter id, quod in Euangelio indicatur, scilicet illum fuisse Fabrum. An vero fuerit faber lignarius, vel ferrarius, incertum esse dixit Caiet. Matth. 13. in fine. Nam Sancti *Caiet.* *Ambros.* ambiguè loquuntur, vt videre licet in Ambros. lib. 3. in Lucam, in principio, qui vtrumque indicat, Hilar. Can. 14. in Matth. *Hilari.* Anselm. Matth. 13. Bed. lib. 2. in Marc. suo *Ansel.* cap. 23. qui indicant fuisse Fabrum, *Ferrum igne vincẽtem*. Iustino, dialog. cũ Tryphone *Iustin.* A longe á medio, qui indicat fuisse fabrũ lignarium, & Christum illũ interdum iuuisse. Sed expressius id docet D. Tho. Matt. 13. & ibi Lyran. Carthusian. & alij. Quod licet ab eis non satis probetur: videtur tamen per se magis credibile, magisque consentaneum, ac decens. Propter quod hæc opinio, veluti communis quędam conceptio, omnium ferè animis insedit. Omissis ergo his, quę ad corpus, & externas actiones, seu fortunæ bona pertinent, solum dicemus de ijs, quæ ad animam spectant, & de dignitate, ac munere, ad quod diuinitus electus est. *D. Thom.*

SECTIO. I.

Qualis fuerit dignitas, in qua ex diuina electione Ioseph fuit constitutus.

B DVobus modis possumus Iosephi dignitatem explicare. Primo ratione absoluta declarando proprietates, actus, & nomina huius dignitatis. Secundo ratione comparata, conferendo scilicet hanc dignitatem cum munere Apostolico, cum dignitate Præcursoris, & similibus, quę ad status hominum, vel ad gratias gratis datas pertinent. Nollumus enim comparationem facere cum gratia gratum faciente, seu cum dignitate filij Dei adoptiui, supponimus enim sine vlla controuersia, hanc infinita quadam ratione superare, vt à fortiori constat ex his, quę de dignitate matris Dei supra disputauimus.

Prima igitur dignitas Beati Ioseph est verè, ac propriè fuisse Virginis sponsum, & excepto vsu carnalis copulæ habuisse omC nia iura, & munera veri sponsi. Quam dignitatem inquit Damasce. orat. 3. de natiui. Virg concessam esse Ioseph *singulari Dei dono, & per dispensationem omni sermone præstantiorem*. Atq; in ea virtute cõtinentur, quæ de hoc sancto viro dici possunt. Etenim si Gregorio Nazianzeno, ad laudandum vno verbo Gorgonię sororis suę maritum, scribere licuit, orat. 11. in hęc verba, *Vultis vno verbo virum describam? Virum illius, nec enim scio, quid amplius dicere necesse sit*, quo modo ad laudem sancti Ioseph, non multo magis nobis sufficiet, dicere. *Vir Mariæ*? hęc ergo fuit prima eius prærogatiua. *Ioseph verus Mariæ sponsus.* *Damascen.*

Secundo, hinc factũ est, vt patris Christi nomen, & existimationem obtinuerit, vt

Ioseph Christi pater putatiuus.

vt cõstat ex Luc. 3. *vt putabatur, filius Ioseph,* Matth. 13. *Non ne hic est fabri filius?* & Ioan. 6. *Non ne hic est filius Ioseph?* Aduertit autem Augustinus lib. 2. de consensu Euangelistar. c. 1. licet opinionem parentis solum apud hos habuerit, qui Christi diuinitatẽ, & admirabilem conceptionem ignorabãt, appellationem verò non ab illis solum, sed etiam ab Euangelista, & ab ipsa etiam B. Virgine accepisse. Lucæ enim. 2. dicit Beata Virgo, *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Et Euangelista dicit, *Cum inducerent Iesum parentes eius,* & iterum, *Erant pater, & mater eius mirantes super ijs, quæ dicebãtur.* Ex quo intelligi potest, non sine singulari Dei ordinatione nomen hoc illi esse impositum, quia nec B. Virgo, nec S. Lucas absque speciali Spiritus sancti instinctu locuti sunt. Propter quod Bernard. homil 2. in *Missus est,* ex hac patris Christi appellatione conijciendum existimauit, quis, & qualis fuerit B. Ioseph. Solent enim nomina sapienter imposita rei dignitatem, naturã, vel conditionem, in qua fundantur, indicare. Cùm ergo æternus pater summa sapientia, & prouidẽtia hoc nomen sibi proprium cum hoc viro communicauerit, satis significauit, ad quantam dignitatem eũ euexerit, cum nomine simul officium, & curam paternam, magna ex parte tribuendo. Quod recte confirmatur, & explicatur exemplo. Christus enim Dominus, cum morti esset propinquus, de Ioanne Euangelista dixit Virgini, *Mulier, ecce filius tuus.* Ex qua appellatione colligunt omnes sancti singularem amorem, quem Christus ad Ioannem habuit, quem tanto honore affecit, vt nomen sibi proprium cum illo cõmunicauerit, non vacuum nomen imponẽdo (quia opera Dei perfecta sunt) sed eũ quodammodo in locũ suum substituẽdo, & erga matrem suam singularem amorem, & curam tribuendo. Multo autem excellẽtior est parẽtis Christi, quam filij Virginis appellatio, non solum quia patris appellatio ex se maiorem autoritatem præsefert, sed etiam, quia dignitas Christi dignitatem Virginis infinite excedit.

Luc. 2.

Bernard.

Nomen patris Christi quã glorioſum.

Tertio igitur hinc fit, B. Ioseph non solũ patris Christi nomen, sed etiam rem, quæ huic nomini subest, participasse, quãtum excepta carnali generatione ab homine participari potest. Itaq; habuit affectum, solicitudinẽ, & (vt ita dicã) patris autoritatẽ.

Hinc Damas. dicta orat. 3. nõ longè à fine, dicit, Ioseph um loco patris fuisse assumptum, & Bernar. hom. 3. circa finẽ dicit, eũ fuisse *seruum fidelẽ, & prudentem, quem constituit Dominus suæ matris solatiũ, suæ carnis nutritium, solum deniq; in terris magni consilij coadiutorem fidelissimũ, vt non immerito illi accõmodari posit, quod de alio Ioseph scriptum est, constituit eum dominũ domus suæ, & principem omnis possessionis suæ.* Hinc etiã Irenæus lib. 4. contra hæres. c. 40. dicit, postquam monitu Angeli sine vlla hæsitatione Ioseph credidit Spiritus sancti mysterium, & Mariam accepit, *in reliqua,* inquit, *vniuersa Christi educatione, gaudens obsequium præstitit, vsq; in Ægyptum suscipiens profectionem, & inde regressum, & in Nazareth transmigrationem.* Hinc deniq; Rupert. lib. 3. de diuin. offic. c. 18. & lib. 1. de gloria, & honore filij hominis in Matth. circa illa verba, *Iacob autẽ genuit Ioseph,* comparans totam illã generationum seriem scalæ Iacob, inquit, *supremum scalæ gradũ, cui dominus innixus est, fuisse Iosephũ. Sed quo modo,* interrogat, *Deus, & Dominus huic homini innixus est?* respondet, *Vtiq; tanquã tutori pupillus, quippe qui in hoc mundo sine patre natus est, ita innixus est huic B. Ioseph vt ipse fuerit infantulo pater optimus, cuius solatio paterno puer cum Virgine puerpera fustẽtaretur.* Et eàdem fere consideratione Andreas Ieroſolym. serm. de annunciat. B. Ioseph, *tutorem Virginis* appellat. Addit tandem Aug. lib. 2. de consen. Euangelista. c. 1. aliam huius nominis rationem, his verbis. *Neq; enim propterea non erat appellandus Ioseph pater Christi, quia illum non genuerat, quãdo quidem recte pater etiã esse potuit eius, quem non ex sua coniuge procreatũ, aliunde adoptasset.* Per adoptionem enim, etiam is, qui omnino extraneus est, filius efficitur, & qui adoptat, pater vocatur, & suo modo existit: Ioseph verò cum, quẽ sibi coniux, sine ipsius opera, per Spiritus sancti virtutem genuerat, tanquam dilectissimum filium à Deo datũ acceptauit, & quodãmodo adoptauit, vt propterea nobiliori quadã ratione, quæ imperfectionem excludat, quodãmodo filius eius effectus sit. Nisi velimus dicere Christũ elegisse sibi Iosephin patrẽ, seq; quodammodo filium eius constituisse. Quod alia etiã ratione explicari potest. Per verũ enim matrimoniũ cũ Virgine cõtractũ, quodammodo corporis eius dominus effectus est, quia (vt Pau. inquit)

Damasce.

Bernard. Opera Ioseph, erga Christũ vere paterna

Irenæ.

Rupert.

Ioseph Christi tutor, & Virginis.

Andr. Ier.

August.

mulier corporis sui potestatem non habet, sed vir. Hinc ergo factum est, vt fructus corporis virginei quodãmodo ad Ioſephum pertinuerit. Vt enim dicitur inſtituta de rerum diuiſione. §. cum in ſuo ſolo, verſiculo, ex diuerſo, *quod in alieno ſolo naſcitur, vel ædificatur, ſub illius dominiũ cadit, cuius eſt ſolum.* Vnde etiãſi miraculoſe in horto alicuius fons naſceretur, illius eſſet, cuius eſt hortus. Quia ergo terra virginea de benedictione domini cõcepit, ad Ioſeph, cuius erat terra, fructus illius benedictionis pertinuit, vt Deut. 33. in benedictionibus Patriarchæ Ioſeph prefiguratũ erat. Addo tãdem, virũ, & vxorẽ per matrimonij vinculũ effici quodãmodo vnũ. Nam licet per carnalem copulã efficiãtur vna caro, tñ per vinculum ipſum efficiuntur vnũ cor, vna voluntas. Vnde fit, vt bona habeant quodammodo cõmunia, ita vt quod eſt ſub vnius dominio, & poteſtate, ad alterum ex conſequẽti aliquo modo pertineat. Quia ergo B. Virgo vera fuit mater Chriſti, non potuit Ioſeph verus eius ſponſus ratione parentis non participare, carnali ſemper generatione excepta.

Deuter. 33.

Ioſeph caput, & ſuperior Virginis quomodo fuerit.

1. Cor. 11.
1. Petr. 3.
Geneſ 18.
Auguſt.

Quarto tandem ex prædicta radice ortũ eſt, vt B. Ioſeph aliquo modo fuerit caput, & ſuperior Virginis, & Chriſti, vt hominis. Primum patet, quia teſte Apoſtolo 1. ad Corinth. 11. *Caput mulieris vir.* Propter quod Petr. 1 Can. c. 3. præcipit, vt *mulieres ſubditæ ſint viris ſuis*, afferens exemplum Saræ, quæ Abrahæ obediebat, eumq; dominum ſuum vocabat, Geneſ. 18. ergo & B. Virgo agnoſcebat, & reuerebatur ſpõſum ſuum, tanquam virum, & caput ſuum. Neque obſtat, quod Auguſt. opuſculo de aſſumptione Virginis. c. 4. dicit B. Virginem fuiſſe exemptam ab illa lege, *Sub viri poteſtate eris*, ipſe enim ſe ſtatim explicuit dicẽs, *non fuiſſe ſub poteſtate viri*, id eſt, *mariti, quæ in tegerrimis viſceribus de Spiritu ſancto Chriſtũ ſuſcepit.* Ac ſi diceret, quantum ad vſum carnalis copulæ, non fuiſſe ſub viri poteſtate. Addo etiam ex D. Tho. infra. q 30. art. 2. ad 2. in ijs, quę pertinent ad myſteriorũ Dei cognitionem, & ad priuilegia gratiæ ſuſcipienda, non debuiſſe pendere à viro, nec ſub eius eſſe poteſtate: at verò in externis, & domeſticis rebus, potuit ſuo modo eſſe ſubiecta viro, ad illum enim familiæ gubernatio pertinebat. Vnde quando aliquid huiuſmodi agẽdum erat ex diuino inſtinctu, illi fiebat reuelatio, vt patet de fuga in Ægyptum, & de reditu ex Ægypto, vnde etiam impoſitio nominis Ieſu illi iniuncta eſt, Matth. 1. *& vocabis nomen eius Ieſum.* Altera pars, quę ad Chriſtũ pertinet, conſtat ex Luc. 2. *& erat ſubditus illis.* Quanquã enim hoc magis ſignificet vſum quam debitum, quia reuera Chriſtus propter dignitatem ſuæ perſonę, nulli heminũ proprie ſubiectus fuit, tamen ad dignitatẽ Ioſeph declarandam ſatis eſt, quòd præciſè conſiderata humana conditione, & origine, Chriſtus futurus erat iure ſubditus Ioſeph, & quódlicet ratione diuinitatis eſſet exemptus, tamen de facto voluit illi eſſe ſubiectus, eique tanquam patri, ac ſuperiori, obedientiam, honoremque deferre.

Matth. 1.

Chriſtus Ioſepho quodammodo ſubditus.

Luc. 2.

B

Amoris, vinculũ inter Mariã, & Ioſeph, ac Ieſum, quale.

Ex quibus etiam licet intelligere, interceſsiſſe inter Mariam, & Ioſeph, & inter Ieſum, & Ioſeph ſingulare vinculum mutui amoris, ac perfectiſsimę amicitiæ, quę intrinſice oriebatur ex dignitate, & ſtatu, ad quem hic vir aſſumptus eſt, pertinet enim ad virtutem, & ſanctitatem vxoris, vt virum ſuum diligat, & omne bonum præſertim animę illi exoptet, & procuret. Sed Beatiſsima Virgo in omnibus fuit perfectiſsima, ergo etiam in hoc amore excelluit. Accedit ratio gratitudinis, quæ benefactoribus debetur, & nulla alia re, magis quàm amore perſoluitur, B. autem Ioſeph multa paſſus eſt, multosq; labores propter Virginem ſuſtinuit, & quidem amore, ac voluntate, vt par erat, ſingulari, & maxima, ergo. Tandem accedit morum ſimilitudo, frequens, ac diuturna familiaritas, & cohabitatio, abſq; vlla occaſione diſsidij, vel rixæ, quæ non poteſt non parere ſummum quendam amorem, ac beneuolentiã mutuam. Quę rationes eàdem fere proportione in Chriſto domino procedunt, tantoque fortius, quanto ille perfectius, quàm Virgo omnia operabatur. Vnde Rupert. lib. 2. in Cant. poſt med. exponens verba illa cap. 2. *dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia. Quæ*, inquit, *ſunt lilia, niſi dilectus ſponſo Ioſepho, & ego dilecta, vere ambo lilia, videlicet pro virginalibus nuptijs, & cohabitatione caſtiſsima.* Ex his ergo ſatis cõſtat, quanta fuerit huius ſancti dignitas, & quam excellens miniſterium eius, & officium per ſe, & abſolute conſideratum.

Rupert.

Iam verò officium hoc cum alijs conferendo

Obiectio. rendo dubitari potest, an hęc dignitas maior sit, quàm dignitas Præcursoris, vel Apostolorum, aut Euangelistarum, quod ad munus, & officium attinet, vt gratiam, & sanctitatem omittamus, de qua statim. Ratio dubitandi esse potest, quia hoc ministerium Ioseph videtur fuisse proximè coniunctum cum ipsamet Christi persona. Itẽ videtur maximè accessisse ad dignitatem matris Dei. Item videtur fuisse aptissimũ ad perfectius exercendas omnes actiones vitæ actiuæ, & contemplatiuæ, quám vllum aliud munus purę creaturę, sola Dei matre excepta. De quo enim tã propriè, sicut de Ioseph potest dicere Christus, *esuriui, & dedistis mihi manducare? &c.* Itaque illud fuit excellens in munere huius sancti viri, quòd omnes ferè labores, & actiones suas proximè circa Christi personam exercebat. Vnde, sicut peccatum crucifigentiũ Christum, maximũ in suo genere fuit propter personæ dignitatem: ita opera pietatis, & beneficientiæ circa personam Christi, in hoc viro fuerunt eximij cuiusdam valoris, tanto maiori ratione, quanto ipse ex perfecta cognitione, & amore illius personæ operabatur. Aliunde verò simul cum hac parte vitæ actiuæ, habuit statum accõmodatissimum ad fruendum meliori parte vitæ contemplatiuæ. Nam in primis in matrimonio virginitatem vouit (vt supra vidimus) & talem duxit vxorem, vt sola eius societas, & frequens familiaritas satis esset ad virtutem omnem, & præsertim religionem, & pietatem erga Deum addiscendam. Cui si adiungatur diuturna Christi conuersatio, frequens, & intima, & quasi continua occasio audiendi diuina mysteria ex ore eius, & orandi ad illum, & cum illo, nihil certè magis ad perfectionẽ vitæ contemplatiuæ desiderari potest. Cùm ergo ille status perfectior sit, qui has duas vitas perfectius coniũgit, videtur sanè status sancti Ioseph, & consequenter dignitas eius, & officiũ omnibus alijs præferendum.

Dignitas Ioseph quãta.

Dignitas Apostolorum quãta. Anselm.

D. Thom.

In contrarium verò esse videtur, quia Apostolica dignitas, videtur á sanctis Patribus omnibus prę ferri. Vnde Anselm. Matth. 3. de Ioanne Baptista dicit, *officio ministerij fuisse minorem Apostolis, Maius enim ministerium*, inquit, *non fuit, quam Apostolatus.* Et idem docet D. Thom. eodem loco Matth. 3. Quomodo interpretantur

A aliqui verba illa Pauli ad Rom. 8. *Nos autem primitias spiritus habentes*, nimirum in ministerio, & officio, iuxta illud ad Ephes. 1. *Secundum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis, in omni sapientia, & prudentia, &c.* Et potest explicari, quia ministerium Apostolicum videtur esse altioris rationis, magisque spirituale. Ordinatum enim fuit quasi ad generandum Christum in mentibus fidelium, & ad procreationem filiorum Dei, qui finis videtur esse altior, & eleuatior. Vnde actiones etiam Apostolici muneris, quatenus ad vitam actiuam pertinere poterant, altioris ordinis sunt. Quia actiones sancti Ioseph pertinebant ad opera misericordiæ corporalia, actiones verò Apostolicæ ad spiritualia. Quod verò spectat ad partem vitæ cõtemplatiuę, necesse est in Apostolis fuisse B perfectissimam, quia constituti fuerunt in summo perfectionis gradu, & abundantiam spiritus omnibus modis acceperunt. Denique, certum videtur ministeria legis gratię attigisse supremum gradum perfectionis, & dignitatis, sed in hac lege primus, & dignissimus gradus, quem Christus instituit, fuit Apostolicus, iuxsta illud primę ad Corinth. 12. *Posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos*, qui propterea, *fundamenta ecclesiæ* dicuntur Apocal. 21. & ad Ephes. 2. ergo.

Roman. 8. Ephes. 1.

1. Cor. 12. Apoc. 21. Ephes. 2.

In hac cõparatione, quam á nemine video satis esse discussam, ac declaratã, nihil temerè affirmare volo. Probabiliter tamẽ dici posset, hęc munera esse quodammodo diuersorum ordinum, & ideo non posse tã proprie comparari, habere tamẽ se mutuo sicut excedens, & excessum. Sentio equidẽ C Apostolicũ munus esse supremum omniũ eorum, quę in ecclesia Christi, prout ab eo in lege gratiæ instituta est, inueniuntur, vt Ansel. supra, & D. Tho. Matth. 3. expresse docuerũt, & testimonia, & rationes factę probant. Nihilominus tamẽ non existimo improbabile: munus, seu ministerium sancti Ioseph, quatenus quodãmodo est altioris ordinis, posse dici perfectius. Intelligo enim, quędã esse ministeria præcisè pertinẽtia ad ordinẽ gratiæ gratum facientis, & in hoc ordine intelligo Apostolos habuisse supremũ dignitatis fastigium, & indiguisse fortasse pluribus gratiæ (præsertim gratis datæ, & sapientiæ) donis, quam reliquos. Alia vero sunt ministeria, quę attingunt

Responsio.

Comparatio inter munus Ioseph, & Apostolorũ.

ordinem vnionis hypostaticæ, qui ex suo genere perfectior est, vt de dignitate matris Dei supra diximus, & in hoc ordine intelligo constitutum esse ministerium sancti Ioseph, & esse veluti in infimo gradu illius, & ex hac parte excedere reliqua, tanquam in superiori ordine existens. Vnde D.Tho. supra attente dixit, Apostolos esse maiores officio noui testamenti: officiū autem Ioseph, non pertinuit ad nouum Testamentum, neque proprie ad vetus, sed ad vtriusque autorem, *& lapidem angularem, qui fecit vtraq; vnum.* Quid verò sentiendum sit de munere præcursoris comparato ad apostolicum munus, ex hoc ferè discursu intelligi potest, & infra id latius attingemus. B

SECTIO. II.

Quam sanctitatis perfectionem sanctus Ioseph fuerit consecutus.

HÆC quæstio eisdem modis, quibus præcedens tractari potest, scilicet absolutè, & comparatè. Priori quidem modo solum affirmare possumus Ioseph fuisse perfectissimum, ac eximiæ sanctitatis virum. Quod facile probari potest. Primo, quia Deus vnicuiq; confert sanctitatem, & gratiam ei muneri accōmodatam, in quo illum constituit, vt recte docuit D.Tho. supra ad Ro.8.lect. 5 & nos supra diximus, cùm de prima Virginis sanctificatione agemus. Sed Deus contulit huic Sancto altissimū quoddā munus, ad quod dignè exercendum summa puritate, & sanctitate indigebat, ergo. Secundo ita explicatur, quia ante matrimoniū cum Virgine contractū, iam erat vir iustus, & perfectus, vt cōstat, tum ex verbo illo Matth. 1. *Ioseph autē vir eius cum eſſet iustus*: tum ex eo, quòd sancti, & historiæ supra citatæ referunt, propter summam sanctitatis opinionem iudicatum esse idoneū, cui B. Virgo committeretur, idque non absq; singulari Spiritus sancti in spiratione, tum deniq; ex eo, quod vsque ad illud tempus integrā seruauit virginitatem, & castitatem, quam postea simul cum Virgine Deo consecrauit: at verò dubitari non potest, quin post matrimonium cum Virgine, mirum in modū in sanctitate, & virtute creuerit, cœlestē vitam in terris agens. Vnde elegantissimè Rupert. Abbas lib.1.de gloria, & honore filij hominis in

Sanctitas Ioseph quā ta.

D.Thom.

Matth.1.

Rup.Abb.

A Matt. circa id, *Ioseph fili Dauid.* sic inquit. *O coniugium verum, & sanctum, coniugium cæleſte, non terrenū. Quomodo enim, & in quo coniugati fuerunt? nimirū in eo, quod vnus ſpiritus, & vna fides erat in eis.* Et infra dicit, ideo Christū fuisse *de cælo cæleſtem, quia tota coniugum vita, ſiue coniūctio fuit cæleſtis, & Spiritus ſanctus amborum coniugalis amor, quorum vtique cōuerſatio erat in cælis, in ambobus præſidens, coniugem viri huius fidei commiſerit, & de carne Virginis hominem formans, paternum viro huic, qui naſcebatur infantis amorem peni tus infuderit.* Vnde vlterius intelligitur post Christum natum longe maius fuisse in Ioſepho sanctitatis augmentū. Tum quia cū Christum probe cognosceret, illius frequē ti conuersatione, & cōtinua præsentia, ad frequentissimos, & feruentissimos charitatis actus excitabatur: tū etiam quia verbis, & exēplis Christi plurimū moueri poterat. Nec dubitare licet, quin ab eodē fuerit toto illo tempore singulariter præuentus, & adiutus. Nam si Christus ipse promisit eum, qui propter nomen ipsius *dederit potum aquæ frigidæ, non perditurum mercedem ſuam*, quomodo dubitari potest, quin tot charitatis opera, non modo in nomine suo, sed etiam sibi ipsi à Ioſepho facta, absque compensatione abire permiserit? Accedit, verisimile esse B. Virginem eximię gratiæ dona, & auxilia, sponso suo, quē singulariter diligebat, exoptasse, suisq; orationibus impetrasse. C Nam si verum est (vt reuera est) vnum ex efficacissimis medijs ad obtinenda à Deo gratię dona, esse deuotionē erga Virginē, eiusque intercessionem, quî credi potest, Sanctissimum Ioseph Virgini dilectissimum, ac deuotissimum, per illam non obtinuisse eximiam sanctitatis perfectionem? Refert Nazian. oratione. 11. de sorore Gorgonia, eam vnū hoc ad omnia accedere cupisse, *vt maritus quoq; perficeretur, vt ſic tota corpore conſecraretur, ac non dimidia tantum ex parte initiata diſcederet, ipſiusque aliquid imperfectum relinqueretur*, atq; hoc precibus ab eo impetrasse, qui voluntatem timentium se facit. Si ergo hoc fuit insigne charitatis in Gorgonia, quòd viri imperfectionem, suam quodāmodo existimauit, quòd que perfectionem eius desiderauit & obtinuit, multo altiori ratione ac modo huiusmodi amor Virgini est attribuendus.

Ex conuerſatione Virginis, & Ioſu, Sanctitas Ioſeph multum aucta.

Tertio

Tertio habemus in Euangelio non obscura huiusce sanctitatis signa. Primum enim, in facto illo Matt 1. cū sponsam concepisse intellexit, summam animi moderationem, & prudentiam ostendit, quod eleganter pōderat Chrys. homil. 4. in Matth. vbi inter alia dicit, quod sicut Christus existens in vtero per matrem Ioannē sanctificauit: ita per eandem summam quandam gratiam Ioseph communicauit, qua illius difficilimi negotij pondus, tam forti, ac prudenti animo sustineret, *ac propterea* inquit, *tantam philosophiam mentis ostendit.* De qua re elegāter etiam loquitur Petrus Chrysolog. serm. 145. & alij quos disputatione præcedenti sect. 2. retuli. Deinde, in reuelationibus per Gabrielem Archangelum illi factis, tū eius excellentia, & dignitas ostenditur: tum maximè fides, & obedientia declaratur. Nam Angelo prius incarnationis mysterium reuelanti, & postea fugam in Ægyptum præcipienti, quanquā mysterium esset altissimū, & externa specie res ipsæ inter se non multum cohærere viderentur, promptissimè, & sine vlla hęsitatione credidit, & obediuit. Propter quod Rupert. lib. 1. de gloria, & honere filij hominis in Matth. illius fidem cum fide Dauid, & Abrahæ comparat, & addit, fuisse Ioseph vsque ad illud tempus *iustum virum*, ex tunc vero, *iustißimum*. Bernard. etiā homil. 2. *in Missus est*, addit comparationem cum Patriarcha Ioseph cuius nostrum Ioseph, dicit, *non tantum nomen sortitur esse sed & castimoniam adeptum, innocentiam aßecutum, & gratiam.* Elegantissimè vero Chrysostom. homil. 5. in Matthæ. *Vidisti*, inquit, *obedientiam, vidisti animum facile sacris sermonibus fidem accommodantem, vidisti mentem omnino vigilem, & nulla prorsus corruptione violatam.* & homil. 8. plurimum eius obedientiam exaggerat, quòd in re obscura, & perplexa nihil prorsus loquatur, neque interroget, sed ad nutum obediat, tētationes omnes cum gaudio sustinens. Constat ergo sine vlla dubitatione, hunc virum, excellentissimum quendam attigisse sanctitatis gradum. Quantus verò, vel qualis ille sit, cum nobis non sit reuelatū, non potest distinctius dici, aut explicari.

Matth. 1.

Chrysos.

Petr. Chrysolog.

Rupert.

Bernard.

Dubium. Supereſt vero vt de quæstione comparata, nonnihil dicamus. Nam licet hæc etiā reuelata non sit, & ideo incerta sit, & soli Deo, ac beatis cognita: possumus tamen A nonnihil probabilibus rationibus, aut indicijs coniectare, quod his præsertim temporibus, cum omni rigore explicare oportet. Aliqui enim, pia fortasse deuotione moti, nimium asseuerāter sanctum Ioseph supra omnes Apostolos, & Angelorum choros constituunt, vt videlicet eo ordine, quo á Matthæo c. 1. nominantur, *Iesus, Maria, Ioseph*, eodem in cœlesti gloria sedeant, & perfectione beatitudinis fruantur, quia officio, & dignitate, & amore fuerunt coniunctissimi. Sicut enim humanitas Christi eò abundantiorem gratiam obtinuit, quo propinquior fuit Verbo, & sta tim B. Virgo, quæ proxima fuit filio: ita existimatur. S. Ioseph quasi tertium locū in abundantia gratiæ obtinuisse, quia post Virginem propinquissimè attigit Christū, familiariusq; tractauit, & singularem coniunctionem cū illo habuit. Alij verò nimiū forte timidi, temerarium, aut etiam erroneum existimant, illum Apostolis æquare, nixi fortasse, D. Tho. autoritate, qui exponens verba illa Pauli ad Ephes. 1. *Secundum diuitias gratiæ eius, quæ superabūdauit in nobis*, ita exponit, ideſt, *abūdantius fuit, quā in alijs*, & subdit, *Ex quo apparet temeritas illorum (vt non dicam) error, qui aliquos sanctos præsumunt comparare Apostolis in gratia, & gloria, manifeste enim patet ex verbis istis, quod Apostoli habent gratiam maiorem, quam aliqui alij sancti, post Christū, & Virginem matrem.* & infra hoc confirmat ex Apostolo ad Roman. 8. dicente, *Nos ipsi primitias spiritus habentes*, cum Glossa addente. *Tempore prius, & cæteris abundantius.* Vnde iterum concludit. *Temerarium est ergo aliquem sanctum Apostolis comparare.* & idem sentit super ad Roman. 8. lect. 5. quanuis ibi nullam notā, seu censuram adhibeat. Et potest confirmari hæc sentētia. Primo, quia gratia noui testamēti maior est, quàm gratia veteris, & ideò maximum cum maximo cōparando, videtur certe sancti noui Testamēti, antiquos excedere, sed Apostoli sunt principes inter sanctos noui Testamenti, excedunt ergo perfectiores sanctos legis veteris, vel naturæ, & ideo expressè D. Tho, illos anteponit Moysi q. 12. de verit. artic. 14. ad. 5. & Abrahę, Isaac, & Iacob lect. 3. super ad Ro. 11. vbi inquit, propter hāc causam cōparare Paulū, Patriarchas radici, Apostolos vero pinguedini oliuę, sed S. Ioseph pertinet ad vet⁹ testamentū, cū ante Christū mortuus,

Matth. 1.

D. Thom. Ephes. 1.

Rom. 8.

Gloss.

fuerit q;. Cõfir. tandẽ, quia si Ioseph fuisset tã excellẽs in sanctitate, nõ permisisset Spiritus sanctus tanto tempore ignotum esse ecclesiæ, nec minori religione coli, quàm Apostolos, & alios insigniores viros.

Sed in primis videndum est, an hæc sententia ita absolute intellecta fundamentũ habeat in citatis locis Pauli. Verba enim illa ad Ephes. 1. nihil nos cogunt, tum quia verbum illud, *superabundauit in nobis*, perinde est, ac si diceretur, quã copiosè in nos effusa est, vt Adamus exponit. Hieron. vero, qui legit, *quæ abundauit in nobis*, non solum in Apostolis, sed in omni ecclesia de Gentibus congregata interpretatur. Chrys. verò serm. 1. vtranq; expositionem coniũgens, *vbertim*, inquit, *nobis gratiam impartiuit. Nequit enim sermone comprehendi, quibus beneficijs amati, & honorati sumus.* Et eodem ferè modo exponunt Theophy. Theodoret. & reliqui. Ac deniq; quanuis de solis Apostolis, & per propriſsimam comparationem locum exponamus, non oportet intelligi de gratia quó ad dona, quæ dicuntur gratiæ gratum facientis, sed de gratijs gratis datis, quæ ad Apostolicum munus necessariè fuerunt. Quam expositionem iuuant sequentia verba. *Quæ superabundauit in nobis, in omni sapientia, & prudentia*, vt D. Anselm. exponere videtur. Alia autem verba ad Rom. 8. *Nos autem primitias spiritus habentes*, à multis exponuntur cum Ambrosio, & Ansel. & Chrys. qui eleganter, hoc tractat sermo. 14. ad Rom. de omnibus Christianis, qui dicuntur habere *primitias spiritus*, quia habent primos fructus, et pinguedinem spiritus, scilicet veram Dei cognitionem, & amorem, ac verę fœlicitatis spem. Imo Græci videntur exponere de omnibus hominibus, qui dicuntur habere *primitias spiritus*, quia habent spiritũ rationalem, & ad æternã hæreditatẽ sunt procreati. Locutus enim Paulus antea fuerat, de irrationali creatura, *quæ ingemiscit, et parturit vsq; adhuc*, & statim subdit, *Non solum autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, &c.* Quod si velimus de solis Apostolis verba exponere, illi dicuntur habere *primitias spiritus*, quia ipsi receperunt prima dona, & quasi primos fructus spiritus in lege gratię, itaque quasi ordine temporis primitias acceperunt. Quód si etiam intelligantur de maiori spiritus abundantia, (vt Glossa dicit) comparatio intelligi potest fieri cum illis solis, qui eo tẽpore fuerunt, & post illos futuri erant, vt ita acceperint abundantius, sicut prius, & respectu eorundem. Itaq; ex his locis nullum firmum argumentum sumi posse video cõtra eos, qui Sanctum aliquem Apostolis faciunt æqualem.

Deinde censura illa D. Tho. vniuersaliter, & sine vlla exceptione intellecta, neq; in se, neque in eiusdem doctoris sancti doctrina potest consistere. Ipse enim super tertium cap. Matth. exponens illa verba, *Cuius non sum dignus, &c.* interrogat, *Nunquid ergo maiores Apostoli Ioanne?* respondet, *non merito, sed officio noui testamenti.* Et sumpsit ex Anselmo eodem loco, qui expressè dicit, in cœlo non esse minorem Ioãnem, quàm Apostolos, in ó esse illis maiorem. Confirmat Chrys. homil 17. in. c. 11. Matth. & August. serm. 21. de sanctis, qui est secundus de natiuitate Ioannis, & Ambros. serm. 64. vbi habet illa verba, *Præcellit cunctis, eminet vniuersis, antecedit Prophetas, supergreditur Patriarchas, & quisquis de muliere est, inferior est Ioanne*, ergo nõ potest doctrina D. Tho. ita vniuersaliter intelligi, vt nullam liceat exceptionem facere. Quôd si aliqua admittitur, non est, cur temerariũ, aut improbabile cẽseatur, sanctum Ioseph excipere, eumq; Apostolis comparare, vel etiam præferre. Quia probabile est Iosephum perfectiorem gratiam esse assecutũ, quàm Ioannem baptistam, quia excellentius munus habuisse videtur, & maiorẽ opportunitatem, pluresq; occasiones crescẽdi in gratia, & charitate. Et hinc sumitur cõfirmatio, quia Deus confert gratiam ministerio, & dignitati accommodatam, vt eisdem locis citatis D. Tho. dicit, sed ostendimus probabile esse Iosephi munus eo fuisse excellentius quò ad altiorem ordinem pertinuit. Quid ergo mirum, quod maiorem gratiã acceperit? Et confir. tandẽ, nam lib. 8. constitut. Apostolicar. c. 46. aliás. c. 52. dicunt omnes Apostoli, se elegisse septem Diaconos, *ex quibus*, dicunt, *est B. Martyr Stephanus, qui non minus, quam nos Deum dilexit*, faciunt ergo Stephanum sibi æqualem in vera sanctitate, quæ in Dei dilectione consistit: ergo non esset temeritas Stephanum alicui Apostolorum æquare, sed non esset præter rationẽ existimare sanctum Ioseph æqualẽ Stephano, vel superiorem in sanctitate, ergo.

Adamus. Hieron. *Chrysost.* *Theophyl. Theodoret.* *Anselm.* *Ambros. Chrysost.* *Gloss.* *D. Tho. Ioann. Baptista sanctior ne Apostolis fuerit.* *Anselm.* *Chrysost. August. Ambros.*

In hac

Ioseph cũ Apostolis in sanctita te conferre non est temerarium.

In hac igitur comparatione non existimo esse temerarium, neque improbabile sed pium potius, & verisimile, si quis forte opinetur, sanctum hũc reliquos omnes in gratia, ac beatitudine antecellere, quia ex scriptura nihil est, quod repugnet neq; in Patribus aliquid reperio. Et si quę sunt generales locutiones, quibus Apostolos prę ferre videãtur, intelligi possunt facere cõparationem regulariter cum alijs sanctis, & non excludere speciale aliquod priuilegium, & præsertim loqui de posterioribus sanctis: non verò de ijs omnibus qui cum Christo vixerunt, & ipsis Apostolis contemporanei fuerunt. Deinde ex vsu Ecclesię, & autoritate, nullum potest sumi argumentum: aliàs concludendũ esset, S. Ioseph esse inferiorem Laurentio: imo & Doctoribus, & omnibus sanctis, quos Ecclesia maiori solennitate colit, quod falsum esset, & sine fundamento.

Quia Ecclesia non semper nititur maiori sanctitate, in modo colendi aliquẽ sanctum, alias esset Laurentius existimandus sanctior multis Apostolis, considerat ergo alias rationes, & circunstantias, ministerium videlicet, quod in Ecclesia habuit, singularem aliquam vtilitatem, vel Ecclesię ędificationem maiorem, denique notitiam, & cognitionem, & alia huiusmodi. Adde etiam eos prę sertim colere, qui ad nouum testamentum pertinent. Itaq; ex cultu Ecclesiæ non potest efficax argumẽtum sumi. Aliunde vero coniecturæ, & rationes factæ piæ sunt, & non parum vrgentes, quapropter in hac pia existimatione nullum est periculum, nulla temeritas. *Responsio.* Nihilominus tamen cordati, ac prudẽtis hominis esse existimo, nihil temere, aut nimium asseueranter affirmare, quia reuera vbi deest scripturæ autoritas, aut Ecclesiæ traditio, nulla potest esse sufficiẽs certitudo, in re præsertim ex diuina electione, ac prędestinatione pendente, cuius cõsilia inscrutabilia sunt, & abditissima mysteria.

Multo autem minus censeo esse asserẽda, vel credenda quædam priuilegia, quæ nonnulli huic sancto tribuunt, vt fuisse sanctificatum in vtero matris, caruisse fomite, vel omni actuali peccato, vt videre licet in Gersone, sermone quodam de natiuitate Mariæ, & Iacobo Christopolitano, exponẽte canticum Virginis. Hęc enim, & similia, quę sunt prę ter generales canones scripturę, non sunt sine conuincente ratione, & magna autoritate Ecclesiæ, vel sanctorum Patrum approbanda. Denique, quę dona scientiæ, aut sapientiæ, aut quę gratię gratis datæ huic sancto donatæ fuerint, incertum nobis est: illud solum ex Euangelio habemus recepisse interdum Angelicas illustrationes, & Propheticas reuelationes. De alijs verò solum dicere possumus, ea vt minimum accepisse, quę suo muneri conuenienter obeundo fuerunt opportuna, reliqua vero ignota nobis esse. Vnde in his donis, & gratijs facile credi potest superatũ fuisse hũc sanctum non solum ab Apostolis, sed etiã ab alijs, quibus, ad vtilitatem Ecclesiæ magis erant necessaria.

Gerson. Iaco. Christop.

Illud verò aduertere non prętermittam, ex quadam satis recepta sententia, probabile fieri, sanctum hunc corpore, & animo glorioso cum Christo regnare, quia cum ante Christum mortuus fuerit, verisimile est fuisse vnum ex illis, qui tempore mortis, vel resurrectionis Christi surrexerunt, quos, multi sentiunt adimmortalem vitam animi, & corporis transijsse, vt suo loco dicemus. *Hieron.*

QVAESTIO. XXX.

De beatę Marię virginis annuntiatione in quatuor articulos diuisa.

Deinde considerandum est de annuntiatione beatæ Mariæ Virginis.

¶ *Et circa hoc quæruntur quatuor.*

¶ *Primo, vtrum conueniens fuerit ei annuntiari, quod in ea generandum erat.* ¶ *Secundo, per quem erat ei hoc annuntiandum.* ¶ *Tertio, per quem modum ei annuntiari debebat.* ¶ *Quarto, de ordine annũtiationis.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum necessarium fuerit annũtiari beatæ Virgini, quod in ea erat generandum.

164 3.di.3.q.3. arti.1.q.1. & dist.30. art.4.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod non fuerit necessarium Beatæ Virgini annuntiari, quod in ea fiẽdum erat. Annuntiatio enim ad hoc solum necessaria esse videbatur, vt Virginis consensus haberetur. Sed consensus eius non videtur necessarius fuisse: quia conceptus Virginis prænuntiatus fuit prophetia prædestinationis, quæ sine nostro completur arbitrio, vt dicit quædam gloss. Matth. 1. Non ergo necessariũ fuit, quod talis annuntiatio fieret. ¶ 2. Præterea, Beata Virgo Incarnationis fidem habebat, sine qua nullus esse poterat in statu salutis: quia vt dicitur Roman. 3. Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes. Sed de eo, quod aliquis per certitudinẽ credit, non indiget vlterius instrui. Ergo beatæ Virgini non fuit necessarium, vt ei Incarnatio filij Dei annuntiaretur. ¶ 3. Præterea, Sicut beata Virgo corporaliter Christum concepit, ita & quælibet sancta anima concipit ipsum spiritualiter. Vnde apostol. dicit Gal. 3. Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Sed illis, qui spiritualiter debent Christum concipere, talis conceptio non annuntiatur. Ergo nec beatæ Virgini fuit annuntiandum, quod esset in vtero conceptura filium Dei: ¶ Sed contra est, quod habetur Lucæ. 1. quod Angelus dixit ei, Ecce concipies in vtero, & paries filium.

Gloss. ord. super Ma. 1. capit. super illud, vt adimpleretur.

Respondeo dicendum, quod congruum fuit beatæ Virgini annuntiari, quod esset Christum conceptura. Primo quidem, vt seruaretur congruus ordo cõiunctionis filij Dei ad Virginẽ, vt scilicet prius mens eius de ipso instrueretur, quã carne eum conciperet. Vnde Augusti. dicit in li. de virginitate, Beatior est Maria percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnẽ Christi. Et postea subdit, Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde, quã carne gestasset. Secũdo, vt posset esse certior testis huius sacramenti, quando super hoc diuinitus erat instructa. Tertio, vt voluntaria sui obsequij munera Deo offerret, ad quod se promptam obtulit dicens, Ecce ancilla Domini. Quarto, vt ostenderetur esse quoddam spirituale matrimonium inter filium Dei, & humanã naturam, & ideo per annuntiationem expectabatur consensus Virginis, loco totius humanæ naturæ.

cap. 3. amedio. tom. 6

cap. 3. in fine, tom. 6.

Ad primum ergo dicendũ, quod Prophetia prædestinationis completur sine nostro arbitrio causante: non tamen sine nostro arbitrio consentiente. ¶ Ad secundum dicendum, quod beata Virgo expressam fidem habebat Incarnationis futuræ: sed cum esset humilis, non tam alta de se sapiebat: & ideo super hoc erat instruenda. ¶ Ad tertium dicẽdum quod spiritualem conceptionem Christi, quæ est per fidem, præcedit annuntiatio, quæ est per fidei prædicationem, secundum quod fides est ex auditu: vt dicitur Roman. 10. Nec tamen propter hoc aliquis pro certo scit se gratiam habere, sed scit veram fidem esse, quam accepit.

COMMENTARIVS.

LIcet D. Tho. de necessitate interroget, respondet tamen fuisse conueniens, seu congruum, quia sine vllo dubio non fuit hæc annuntiatio simpliciter necessaria. Potuisset enim Deus sacramentum conceptionis Christi in Virgine perficere nulla reuelatione præmissa, eiusque consensu nõ expectato, cur enim hoc repugnat? Multo tamen conuenientius fuit, eam prius admoneri. Quod quatuor optimis rationibus probat, D. Tho.

Annuntiatio de Christi cõceptione cur virgini facta.

Primã

Leo Papa. Primam attigit Leo Pap.serm.1. de natiui A tate dicens. *Virgo regia Dauidicæ stirpis eligitur, quæ sacro grauidanda fœtu, diuinam, humanamque prolem prius conciperet mẽte, quam corpore*, Nam licet, B. Virgo expressam, ac distinctam fidem de mysterio incarnationis habuisset, non tamen cognouerat in ipsa, per ipsam, & cum ipsa fuisse perficiendum, donec per Angelum instructa est, Ambros. vt supra diximus, & docuit Ambros. lib. 2. in Luc. cap. de interrogatione Mariæ, & Auguſt. Auguſt in. lib. de sancta virginit. cap. 4. Et colligitur ex colloquio inter Mariam, & Angelum, præsertim ex Mariæ interrogatione, & ex verbo illo Elisabeth, *Beata, quæ credidisti.* Itaque tunc primum credidit illud mysteriũ, vt ad se pertinens, & vt ex B ipsa perficiẽdum. Oportuit enim, vt hoc modo Verbũ prius mẽte conciperet, quã carne, cuius propriam, & maximè literalẽ rationem attigit Leo Papa in prędicto sermone subdens. Leo Papa *Et ne superni ignara consilij ad inusitatos paueret effectus*, (ita enim legẽdum est, iuxta emendatiores codices, quãuis alij habeant, *affatus*) *quod in ea operandũ erat, colloquio discit angelico*, etenim, si beata Virgo cõceptionem filij prius in se fuisset corporaliter experta, quãm quid illud esset, vnde, à quo, vel cuius rei gratia fieret, intelligeret, merito conturbari posset, C & pauere.

Secunda ratio D. Tho. ex parte nostra assumpta est, factam scilicet esse Virgini hanc reuelationem, vt posset esse nobis testis, & magistra tanti mysterij. Cui addi potest, per hanc reuelationem factum esse, vt præcipuum testimonium virginitatis eius, & modi admirabilis, quo filium suũ concepit, haberemus.

Tertia ratio sumpta est ex parte ipsius Virginis, & accommodari etiam potest, ex parte ipsius mysterij. Primũm enim, decuit tantum beneficium summa reuerentia, ac religione suscipi, & ideo oportuit Leo Pap. prius, *tam mire fuisse creditum, quam promißum*, vt Leo Papa inquit serm. 6. de natiuit. Deinde, ipsi Virgini vtilissimum fuit ad tantam dignitatẽ proprijs actibus præparari, eamque, quoad fieri poterat, promereri. Quod in hac angelica annuntiatione præstitit exercendo fidem eximiam, obedientiam, humilitatem, magnanimitatẽ, singularem prudentiam, suæ virginitatis solicitudinem, ac erga Deum summam quandam pietatem, & amorem. Hi enim, & similes actus in illo virgineo colloquio mirabiliter elucent.

Quarta ratio, D. Tho. in suaui ordine diuinæ prouidentiæ fundatur. Sicut enim Deus per gratiam suam, tametsi efficacissimam, nullam personam ratione vtentẽ ad amicitiam suam sine consensu illius pertrahit: ita cùm per hoc mysterium B. Virgo ad singularem cum Deo coniunctionẽ ineundam leuaretur, (futura enim erat, veluti Spiritus sancti sponsa) ad suauem diuinæ prouidentiæ dispositionem pertinuit, voluntarium eius expectare consensum. Imò addit D. Th. B. Virginẽ in eo facto totius humanę naturę gessisse personã & in admirabile matrimonium, quod inter Deum, & homines perficiendum erat, consensisse. Vnde de hoc mysterio non incongrue intelligitur illud Canticor. tertio *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Et Petrus Chrysol. sermo. 140. Sic inquit, *Ad virginem Deus aligerum portitorem mittit. Nam dat arrham, dotem suscipit, qui fert gratiam, fidem refert, & tradit munere virtutis, qui mox virginei consensus resoluit sponsionem.* *Cantico.3.* Petr. Chrisolog.

In solutione primi argumenti notanda est illa propositio. *Prophetia prædestinationis sine nostro impletur arbitrio.* Quæ supponit celebrem illam diuisionem Prophetiæ, in prophetiam præscientię, prædestinationis, & comminationis, quam tradit idem D. Tho. 22. q. 174. art. 1. & quæst. 12. de veritate art. 10. Quę solet ita explicari, vt prophetia prędestinationis impleri sine nostro arbitrio causante, non tamẽ sine illo cõsentiẽte. Quæ distinctio data est à D. Th. vt breuiter argumentum expediret. Sciendum verò est, prophetiam prędestinationis generaliter dici posse omnem illam, quæ est de effectu à Deo prædefinito, quæ certitudinem accipit ex prædefinitione diuina quæ interdum versari potest circa effectum, qui non pendet ex libero arbitrio, nec consentiente, nec operãte. Vt, v. g. si Deus prędestinasset infantem iustificare absq; illius, vel alterius operatione. Interdum *D. Thom.* *Prophetia prædestinationis quomodo sine nostro impleri arbitrio possit.*

dum verò cadere potest in effectum exequendum per liberum arbitrium consentiens, non vero operans, seu causans, quale est præsens mysterium: nonnunquam verò esse potest de effectu exequẽdo per liberum arbitrium consentiens, & operãs vt sunt actus liberi arbitrij prædefiniti à Deo, vel effectus supernaturales, quos causa libera, vt instrumentum, vel minister Dei operatur, qui etiam possunt esse prędefiniti. Cum ergo D. Tho. dicit, prophetiam prędestinationis compleri sine nostro arbitrio causante non vero sine illo consentiente, permissiuè vtrunque intelligendum est: Hoc enim ad argumentum soluendum sufficit, nisi velimus dicere cum eodem, D. Tho. dicto loco de veritate ad, 6. omnem prophetiam alicuius effectus pendentis à libero arbitrio, vt sic esse prophetiam præscientiæ: vt vero sit á Deo, esse prædestinationis. Aut effectus supernaturales, quia non pendent ex naturali virtute liberi arbitrij, nunquam dici proprie esse ab illo operante, sed cõsentiente motioni Dei. Prior verò doctrina solidior videtur, magisque satisfacere, et
Caietanus. clarior est, quàm ea, quam Caieta. hic notat, quæ non mihi videtur admodum necessaria.

Solutio ad secundũ, & quæ Caie. ibi aduertit supra tractata sunt.

In solutione ad. 3. notetur illa propositio. *Qui credit, licet non sciat se esse in gratia, scit tamen esse veram fidem, quam accepit*, Vbi si verbum scire propriè cognitionem euidentem significet, ad rei credibilitatẽ, non ad veritatem referendum est, si tamen solum significet cognitionem certam, (vt D. Tho. reuera intendit) ponderanda sunt verba eius. Solum enim dicit eum, qui credit, scire veram esse fidem, quam accepit, hoc enim necesarium est credere, quia aliàs non crederetur obiectum esse infallibiliter verum: non tamen dixit, D. Tho. eum, qui credit, scire se habere supernaturalem fidem. Quia cùm hoc non solũ pendeat ex veritate obiecti, sed etiam ex modo, quo homo assentitur, non potest sub certitudinem fidei cadere. Vnde cum D. Thomas. ait, *nec tamen propter hoc aliquis pro certo scit, se gratiam habere*, non videtur intelligere de sola gratia iustificante, sed etiam de ipsa gratia, quę datur ad supernaturaliter credendum, per habitum, vel actum infusum, hoc enim potius ad argumẽtum pertinebat, quàm illud aliud.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum annũtiatio beatæ Virginis fieri debuerit per Angelum.

AD *secundum sic proceditur.* 165
Videtur, quod beatæ Virginis 3. di. 3. q. 3. ar. 2. q 1. et 2.
non debuerit annuntiatio fieri per Angelum. Supremis enim Angelis fit reuelatio immediate à Deo: vt Dionys. dicit. 7. cap. Cæleſt. hierar. Sed mater Dei est super omnes Angelos exaltata. Ergo videtur, quod immediate a Deo debuerit sibi annũtiari incarnationis mysterium, & non per Angelũ. ¶. 2 *Præterea, Si in hoc oportebat seruari communem ordinem, secundum quem diuina hominibus per Angelos reuelantur, similiter diuina ad mulierem per virum deferuntur, vnde & Apostolus dicit. 1. ad Corinth. 14. Mulieres in Ecclesijs taceant: si quid autẽ volunt discere, domi viros suos interrogent. Ergo videtur, quod beatæ Virgini debuerit annuntiari mysterium Incarnationis per aliquem virum: præsertim quia Ioseph, vir eius super hoc fuit ab Angelo instructus: vt legitur Matth. 1* ¶ 3. *Præterea, Nullus potest congrue annuntiare quod ignorat. Sed etiam supremi Angeli non plene cognouerunt Incarnationis mysterium, vnde dicit Dionys.* cã. 7. am.
7. Cæleſt. hierar. ex eorum persona esse intelligendam quæstionem, quæ ponitur Isa. 63. Quis est iste qui venit de Edom? Ergo videtur, quod per nullum Angelũ potuit conuenienter annuntiatio Incarnationis fieri. ¶ 4. *Præterea, Maiora sunt per maiores nuntios annuntianda. Sed mysterium Incarnationis est maximum inter omnia quæ per angelos sunt hominibus annuntiata. Ergo videtur, quod si per aliquem angelum debuit annuntiari, quod ille debuerit esse de supremo*

premo ordine. Sed Gabriel non est de supremo ordine, cum sit de ordine archangelorum, qui est penultimus: Vnde Ecclesia cantat, Gabrielem archangelum scimus diuinitus te esse affatum. Non ergo huiusmodi annũtiatio per Gabrielem archangelum conuenienter facta est. ¶ Sed contra est, quod dicitur Luc. 1. Missus est Gabriel angelus a Deo, &c.

¶ Respondeo dicendum, quod conueniens fuit matri Dei annuntiari per angelum diuinæ incarnationis mysteriũ, propter tria. Primo quidem, vt in hoc etiam seruaretur diuina ordinatio: secũdum quam mediantibus angelis diuina ad homines perueniunt. Vnde Dion. dicit cap. 4. Cælest. hierar. quod diuinum
c. 4. a med. Iesu benignitatis mysterium angeli primo edocti sunt: postea per ipsos ad nos cognitionis gratia transiuit. Sic ergo diuinissimus Gabriel Zachariam quidem docuit, prophetam Ioannem ex ipso nasciturum: Mariam autem quomodo in ipsa fieret thearchicum ineffabilis Dei formationis mysterium. Secũdo hoc fuit conueniens reparationi humanæ, quæ futura erat per Christum. Vnde Beda dicit in homil. Aptum humanæ restaurationis principium, vt angelus a Deo mitteretur ad Virginem partu consecrandã diuino: quia prima perditionis humanæ fuit causa, cum serpens a diabolo mittebatur ad mulierem spiritu superbiæ decipiendam. Tertio, quia hoc congruebat
gloss. ordi. super Lucam cap. 1.
In, 2. fol. a princi. ser. to. 2.
virginitati matris Dei. Vnde Hiero. dicit in sermone Assumptionis, Bene angelus ad Virginem mittitur: quia semper est angelis cognata virginitas. Profecto in carne præter carnem viuere, nõ terrena vita est, sed cælestis.

¶ Ad primum ergo dicendum, quod mater Dei superior erat angelis, quantum ad dignitatem, ad quam diuinitus eligebatur: sed quantum ad statum præsentis vitæ, inferior erat angelis. Quia & ipse Christus ratione passibilis vitæ, A modico, ab angelis minoratus est: vt dicitur. Heb. 2. Sed tamen quia Christus simul fuit viator & comprehensor, quantum ad cognitionem diuinorum nõ indigebat ab angelis instrui. Sed mater Dei nondum erat in statu comprehensorum, & ideo de diuino conceptu per angelos instruenda erat. ¶ Ad secundum dicẽdum, quod (sicut Aug. dicit in sermone de Assumptione) beata Virgo Maria vera æstimatione à quibusdam generalibus excipitur: quia nec conceptus multiplicauit, nec sub viri, id est mariti, potestate, fuit, quæ integerrimis visceribus de Spiritu sancto Christum suscepit, & ideo non debuit mediãte viro instrui
In libello de assump. beatæ Mariæ, ca. 4 a med. to. 9.
B de mysterio incarnationis, sed mediante angelo. Propter quod etiã ipsa est prius instructa, quam Ioseph: nam ipsa instructa est ante conceptum, Ioseph autẽ post eius conceptum. ¶ Ad tertium dicendum, quod sicut patet ex autoritate Dionysii inducta, Angeli incarnationis mysterium cognouerunt, sed tamen interrogabant, perfectius scire cupiẽtes a Christo huius mysterij rationes, quæ sunt incomprehensibiles omni creato intellectui. Vnde Maximus dicit. Quod Angeli nouerint futuram incarnationem, ambigere non oportet. Latuit autem eos inuestigabilis Domini conceptio: atque modus, qualiter totus in genitore, totus manebat in omnibus, nec non & in Virginea cellula. ¶ Ad quartum dicendum,
circa prin. corp. ar.
C quod quidam dicunt Gabrielem fuisse de supremo ordine angelorum, propter quod Greg. dicit. Summum angelum venire dignum fuerat, qui summum omniũ nuntiabat. Sed ex hoc non habetur, quod fuerit summus inter omnes ordines, sed respectu angelorum: fuit enim de ordine archangelorum. Vnde & Ecclesia cum archangelum nominat, & Greg. ipse dicit in homil. de centum ouibus, quod archangeli dicuntur, qui summa annuntiant. Satis est ergo credibile, quod sit
ho. 34. ante medium illius.
hom. 34. in euang. ante mediũ eius.
summus

summus in ordine archangelorum. Et sicut Greg. dicit, hoc nomẽ officio suo congruit, Gabriel enim Dei fortitudo nominatur. Per Dei ergo fortitudinem nuntiandus erat, qui virtutum dominus, & potens in prælio, ad debellandas potestates aereas veniebat.

COMMENTARIVS.

TRibus modis fieri poterat hęc reuelatio, vel proximè ab ipso Deo, vel per Angelum, vel per hominem, inferior enim creatura, non erat apta ad tãtum ministerium, neque etiam expediebat fieri per hominem, cûm B. Virgo, tam perfectione naturę, quàm gratiæ cęteris esset superior, & ideo decuit fieri per Angelum, vt suauis diuinæ prouidentiæ ordo seruaretur, vt D. Tho. in prima ratione tetigit. Neque oportuit excipi Virginẽ ab hoc ordine generalis prouidentię, quia licet dignitate esset superior, tamen conditione naturæ, & statu viatricis erat inferior, vt in solutione ad primum dicitur. Ad quod etiam confirmandum optima est secunda coniectura D. Tho. quam sumpsit ex Beda homil. de incarnatione, quæ est vltima de sanctis tempore hyemali. Et C eam attigit Fulgent. serm. de duplici Christi natiuitate, sub finem. *Venit*, inquit, *ad Euam diabolus, vt vitam malignus auferret. venit ad Mariam Gabriel, vt vitam reddendam hominibus nuntiaret*, & sermone de Laudi. Mariæ, *Quoniam diabolus*, inquit, *per serpẽtem Euæ locutus, per Euæ aures mundo intulit mortem, Deus per Angelum ad Mariam pertulit verbum, & cunctis sæculis vitam effudit*, & Petrus Chrysol. serm. 142. sic inquit. *Audistis agi, vt homo cursibus eisdem, quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitã. Agit cum Maria Angelus de salute, quia cum Eua Angelus egerat de ruina, vt nostræ perditionis initio conueniens, nostræ reparationis principium responderet*, & paulo inferius aliam rationem indicat his verbis. *Audistis fragilem nostræ carnis naturam ad portandam totam Deitatis gloriam, angelica exhortatione roborari, sicut enim Christus interdum per Angelum, confortari voluit* Luc. 22. *ita decuit Virginem per Angelum animari.* Differt tamen, quia licet Christus confortatus fuerit, non tamen illuminatus, neque instructus, propter eminentem eius gloriam, & scientiam: Beata autem Virgo, cum esset purè viatrix potuit etiam instrui.

Beda. Fulgent. Petr. Chrisolog.

Tertia coniectura D. Tho. & solutio ad primum clara sunt. In solutione vero ad secundum indicat D. Tho. ex singulari priuilegio Virginis factum esse, vt immediate, & non per virum, imo prius, quàm vir, de mysterio incarnationis fuerit instructa. Sed fortasse etiam sine speciali priuilegio hoc intelligi potest, quia nulla videtur esse lex vniuersalis, quod omnis reuelatio mysteriorum Dei, ad mulierem per virum descendat. Quod enim Paul. primę ad Corint. 14. dicit, *Mulieres in Ecclesia taceant, si quid vero volunt discere, domi viros suos interrogent*, intelligitur, in ijs, quę ad communem Ecclesiæ doctrinam, & cognitionem pertinent, quę vir scire potest, & debet: tamen in diuinis reuelationibus, & extra ordinarijs Dei donis nulla est generalis, vel ordinaria lex, vt mulier non nisi per virum à Deo, vel Angelis illuminetur. Vt in Rebeca videre licet Gen. 25. & ex. 27. etiam colligitur, & in scriptura multa exẽpla similia facile reperientur.

1. Cori. 14.

Gen. 25. & 27.

De solutione ad tertium, quomodo Angeli ante hanc annuntiationem mysterium incarnationis cognouerint, in 1. p. q. 57. copiosè differitur. De solutione autem ad quartum dicemus disputatione sequenti.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Angelus annuncians debuerit beatæ Virgini visione corporali apparere.

AD tertium sic proceditur. *Videtur, quòd Angelus annuntians non debuerit Virgini apparere visione corporali. Dignior enim est intellectualis visio, quam corporalis, vt Augustin. dicit. 12. super Gen. ad literam. Et præcipue ipsi Angelo est magis conueniens: nam visione intellectuali videtur Angelus in sua substãtia, visione autem corporali videtur in assumpta figura corporea. Sed sicut ad annuntiã-*

166 3. di. 3. q. 3. art. 1. q. 2. lib. 12. c. 25 & 10. & 14. tom. 3.

nuntiandum conceptum diuinum decebat venire summum nuntium, ita etiam videtur, quòd decuerit esse summum genus visionis. Ergo videtur quòd Angelus annuntians apparuerit Virgini visione intellectuali. ¶ 2. Præterea, Visio imaginaria videtur etiã esse nobilior, quam visio corporalis: sicut imaginatio est altior potentia, quam sensus. Sed Angelus apparuit Ioseph in somnis secundum imaginariã visionem: vt patet Matth. 1. &, 2. Ergo videtur, quod etiam apparere debuerit Beatæ Virgini imaginaria visione, & nõ corporali. ¶ 3. Præterea, Corporalis visio spiritualis substãtiæ, videntes stupefacit: vnde & de ipsa Virgine cantatur. Expauescit Virgo de lumine. Sed melius fuisset quòd a tali turbatione mens eius esset præseruata. Non ergo fuit conueniens, quod huiusmodi annuntiatio fieret per visionẽ corporalem. ¶ Sed contra est, quod Augu. in quodam sermone inducit beatam Virginem sic dicentem, Venit ad me Gabriel archangelus, facie rutilans, veste coruscans, incessu mirabilis. Sed hæc nõ possunt pertinere nisi ad corpoream visionem. Ergo corporea visione Angelus annuntians beatæ Virgini apparuit.

In ser. 14 de natalido mini ante medium, to. 10.

¶ Respondeo dicendum, quod Angelus annuntians apparuit matri Dei corporea visione: & hoc conueniẽs fuit. Primo quidem, quantum ad id, quod annuntiabatur, venerat enim Angelus annuntiare incarnationem inuisibilis Dei, per quam visibilis fieret. Vnde etiam conueniens fuit, vt ad huius rei declarationẽ, inuisibilis creatura formam assumeret, in qua visibiliter appareret, cum etiam omnes apparitiones veteris Testamenti ad hanc apparitionem præordinentur, qua filius Dei in carne apparuit. Secũdo fuit congruum dignitati matris Dei, quæ non solum in mente, sed in corporeo ventre erat Dei filiũ receptura, & ideo non solum mens eius, sed etiam sensus corporei erant visione angelica refouendi. Tertio, cõgruit certitudini eius, quod annuntiabatur: ea enim, quæ sunt oculis subiecta, certius apprehendimus, quam ea quæ imaginamur. Vnde Chrysosto. dicit super Matth. quòd Angelus non in somnis, imo visibiliter Virgini astitit: nam quia magnã valde reuelationem accipiebat ab Angelo, egebat ante tantæ rei euentũ, visione solenni. ¶ Ad primum ergo dicendum, quod intellectualis visio est potior, quam visio imaginaria vel corporalis, si sit sola: sed ipse Augustin. dicit quod excellentior est prophetia, quæ habet simul intellectualem, & imaginariam visionem, quàm illa quæ habet alteram tantum: beata autem Virgo non solum percepit visionem corporalem, sed etiam intellectualem illuminationem, vnde talis apparitio nobilior fuit. Fuisset tamen nobilior si ipsum Angelum intellectuali visione in sua substantia vidisset, sed hoc non patiebatur status hominis viatoris, quod Angelum per essentiam videret.

Hom. 4. in Mat. parũ ante medium, to. 2.

l. 12. super Gene. c. 9. circa medium to. 3.

¶ Ad secundum dicendum, quòd imaginatio est quidem altior potẽtia, quam sensus exterior: quia tamen principium humanæ cognitionis est sensus, ideo in eo consistit maxima certitudo: quia semper oportet, quod principia cognitionis sint certiora. Et ideo Ioseph, cui Angelus in somnis apparuit, non ita excellentem apparitionem habuit, sicut beata Virgo.

¶ Ad tertium dicendum, quod sicut Ambros. dicit super Luc. perturbamur, & a nostro alienamur affectu, quando perstringimur alicuius superioris potestatis occursu. Et hoc contingit non solum in visione corporali, sed etiam in visione imaginaria. Vnde Gene. 15. dicitur, quod cum sol occubuisset, sopor irruit super Abrahã, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum. Talis tamen perturbatio hominis, non tantum homini nocet, vt propter eam debeat angelica apparitio

l. 1. in Luc. in tit. de angeli apparitione insine illius, to. 5.

paritio prætermitti. Primo quidem, quia ex hoc ipso, quòd homo supra se ipsum eleuatur (quod ad eius pertinet dignitatẽ) pars eius inferior debilitatur, ex quo prouenit perturbatio prædicta: sicut etiam calore naturali ad interiora reducto, exteriora tremunt. Secundo, quia sicut Orig. dicit super Luc. Angelus apparẽs sciens hanc esse humanam naturam, primum perturbationi medetur, vnde tam Zachariæ, quam Mariæ post turbationẽ dixit, Ne timeas. Et propter hoc, vt legitur in vita Antonij, non difficilis est beatorum spirituum malorumque discretio. Si enim post timorem successerit gaudium, a Domino venisse sciamus auxilium: quia securitas animæ, præsentis maiestatis indicium est. Si autem incussa formido permanserit, hostis est qui videtur. Ipsa etiam turbatio Virginis, cõueniens fuit verecũdiæ virginali, quia vt Ambro. dicit super Lucam, trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri affatus vereri. Quidam tamen dicunt, quod cum beata Virgo assueta esset visionibus Angelorum, non turbata fuit in visione Angeli, sed in admiratione eorum, quæ ei ab Angelo dicebantur, quia de se tam magnifica non cogitabat. Vnde & Euangelista non dicit, quod turbata fuerit in visione Angeli, sed in sermone eius.

Hom 4. in Lu in princip. tomo. 3

l. 2. in Luc. ca. 1. cuius titulus est. De salutat. Mariæ to. 5.

COMMENTARIVS.

QVanuis D. Tho. de visione corporali in titulo loquatur: tamen reuera intendit interrogare de apparitione in specie corporis humani. Interdũ enim apparet Angelus sub specie corporea, non tamen humana, vt malus Angelus apparuit Euæ in specie serpentis: tamen in præsenti mysterio pro comperto habuit D. Tho. si Angelus apparuit in specie visibili, illam humanam esse debuisse: tũ quia omnis inferior forma fuisset tam Virginis cõspectu, quã tãto mysterio indigna: tũ etiã quia ad colloquẽdũ modo humano, & docẽdũ aliquẽ vel instruendũ, omnis alia forma est improportionata, et quo dãmodo mõstrosa. Vnde nũquã me legisse memini, bonũ Angelum apparuisse vnquã ad loquendũ, vel instruendũ hominẽ in alia forma visibili, quam humana, nam licet interdum soleant imaginariè tãtum loqui absque vlla specie exterioribus sensibus obiecta, vt cum Gabriel locutus est in somniis cum Ioseph. Matth. 1. & 2. & sæpe aliãs: tamen cũm in externa specie apparent, & loquuntur, docẽtque homines, id potissimum faciunt in specie humana. Docet ergo D. Tho. Angelum in hac specie Virgini apparuisse, de qua re, quoniã lõgiorem tractationem requirit, dicemus in sequenti disputatione.

Matth. 1. & 2.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum annuntiatio fuerit conuenienti ordine perfecta.

167

AD quartum sic proceditur. *Videtur, quòd annuntiatio eius non fuerit conuenienti ordine perfecta. Dignitas enim matris Dei dependet ex prole concepta. Sed causa prius debet manifestari, quã effectus: ergo primo debuit Angelus Virgini annuntiare conceptum prolis, quàm eius dignitatem exponere, eam salutando.* ¶ 2. *Præterea. Probatio aut prætermitti debet in his quæ dubia nõ sunt, aut præmitti in his, quæ dubia esse possunt: sed Angelus primo videtur annuntiasse id de quo Virgo dubitaret, & dubitando quæreret, dicens, Quomodo fiet istud? & postea probationem adiunxit, tum ex exemplo Elisabet, tum ex Dei omnipotentia, ergo inconuenienti ordine annuntiatio per angelum est effecta.* ¶ 3. *Præterea, Maius non potest probari sufficienter per minus. Sed maius fuit virginem parere, quam vetulã. Ergo non fuit sufficiens probatio angeli, probantis conceptum virginis ex cõceptu senis.* ¶ *Sed cõtra est, quod dicitur Romanor. 13. Quæ a Deo sunt, ordinata sunt. Angelus autem missus est*

a Deo ad hoc, quod Virgini annuntiaret vt dicitur Lu. 1. ergo ordinatissimè fuit annuntiatio per angelum completa.

¶ *Respondeo dicendum, quod annuntiatio congruo ordine per angelum est perfecta. Tria enim Angelus intendebat circa Virginem. Primò quidem, reddere mentem eius attentam ad tãtæ rei considerationem: quod quidem fecit, eã salutando quadam noua, & insolita salutatione. Vnde Origen. dicit super Lucam, quod si sciuisset ad alium quempiã similem esse factum sermonem (vt pote quæ habebat legis scientiam) nunquam eam quasi peregrina talis salutatio terruisset. In qua quidem salutatione præmisit idoneitatem eius ad conceptum, in hoc quod dixit. Gratia plena: expressit conceptum, in hoc quod dixit, Dominus tecum: & prænuntiauit honorem consequentem, cum dixit, Benedicta tu in mulieribus. Secundo autem intendebat eã instruere de mysterio Incarnationis, quod in ea erat implendum. Quod quidem fecit in prænuntiando conceptum, & partum, dicens, Ecce concipies in vtero, &c. & ostendendo dignitatem prolis conceptæ, cum dixit. Hic erit magnus: & etiam demonstrando modum cõceptionis, cum dixit, Spiritus sanctus superueniet in te. Tertio intendebat animum eius inducere ad consensum, quod quidem fecit exemplo Elizabeth, & ratione ex diuina omnipotentia sumpta.*

Hom. 6. in Luc. âmed. illius to. 2.

¶ *Ad primum ergo dicendum, quod animo humili nihil est mirabilius quàm auditus suæ excellentiæ: admiratio autem maximè attentionem animi facit. Et ideo angelus volens mentem Virginis attentam reddere ad auditum tanti mysterij, ab eius laude incepit.* ¶ *Ad secundum dicendum, quod Ambrosius expresse dicit super Lucam, quod beata Virgo de verbis angeli non dubitauit. Dicit enim. Quanto temperantior est Mariæ responsio, quam verba sacerdotis? Hæc ait. Quomodo fiet istud? ille respondit. Vnde hoc sciam? Negat ille se credere, qui negat se scire, ista se facere profitetur, nec dubitat esse faciẽdum, quod quomodo fieri possit, inquirit. Augustinus tamen videtur dicere, quod dubitauerit. Dicitur enim in lib. Quæstionum veteris & noui Testamenti: Ambigenti Mariæ de conceptu, possibilitatem angelus prædicat. Sed talis dubitatio magis est admirationis, quam incredulitatis. Et ideo probationem angelus inducit non ad auferendam infidelitatem, sed magis ad remouendam eius admirationem.* ¶ *Ad tertium dicendum, quod sicut Ambros. dicit in Hexameron, ob hoc multæ steriles præuenerunt, vt partus credatur Virginis. Et ideo conceptus Elisabeth sterilis inducitur, nõ quasi sufficiens argumentum, sed quasi quoddam figurasse exemplum. Et ideo ad confirmationem huius exempli subditur argumentum efficax ex omnipotentia diuina.*

l. 2. in Luc. c. 2. cuius titul. est: De Mariæ interrogatione, &c. to. 5.

in lib. q. ex nouo Test. q. 51. in princi. res. to. 4

COMMENTARIVS.

IN hoc articulo eleganter explicat D. Thom. colloquium inter Virginem, & Angelum, & in corpore articuli angelica verba, in solutione vero ad secundum verborum Virginis sensum explicat. Ter enim locutus est Angelus, bis autem beata Virgo, & in singulis aliquid notatione dignum est.

Primum Angeli verbum salutationem continet, qua & debitam reuerentiam Angelus Virgini exhibuit, & illam attentam reddidit. Dicit autem D. Tho. in illo verbo, *Dominus tecum*, expresisse Angelum cõceptum, idest, Dominum ex Virgine concipiendum. Non enim existimandum est Angelum tunc nuntiasse, Dominum iam fuisse conceptum ex Virgine, nondum enim facta erat conceptio, quanquam non nulli antiqui cõtrarium dixerint, vt disp. seq. tractabimus. Posuit ergo D. Th. participiũ illud, *cõceptũ*, loco nominis, ac si diceret, nũtiasse illi filiũ, & significasse illi, esse

Verba salutationis angelicæ qualia.

electã, vt singulari modo Dominus in ipsa esset. Quę expositio est Augustini sermo. 14. de natiuit. & aliorum. Fortasse tamen simplicior, & planior sensus est, *Dominus tecum*, ideſt, Dominus te singulari fauore, & amore prosequitur, quauis ferè in idem recidat. Quia licet non expressè, & in particulari: tamen generatim. & quasi confusè indicauit Angelus singularem in habitationem Dei in ipsa, quæ per conceptionem futura erat.

Augusti.

In secundo verbo, seu locutione explicat Angelus mysterium. Vbi statim occurrit illa difficultas supra tacta. An in illis verbis satis Angelus expresserit, prolem concipiendam futuram fuisse Messiam, ac verum Deum. Et sane D. Tho. hic aperte docet in illa secunda locutione, instruxisse Angelum Virginem de mysterio incarnationis, & non solum conceptionem, & partum: sed etiam dignitatem prolis concipiendę ei declarasse, quanquam modũ conceptionis non explicuerit vsque ad illud tertium verbum, *Spiritus sanctus superueniet in te*, &c. Et quidem si verba singula ponderentur, videtur hoc satis verisimile: sed præsertim vrget illud, *& filius altissimi vocabitur*, quo satis aperte filius ex Maria concipiendus prædicatur *filius Dei*, & in fine illorum verborum dicit, *regnum eius fore æternum*, & ita omnes Patres ex his verbis colligũt, esse Christum verum Messiã, & verum Deum, vt videre licet in concilio Ephesi. tom. primo cap. 5. in probationibus, quod *Christus sit Deus ex euangelio, Lucæ*, & est opus. Cyril. lib. 2. de fid. ad reginas, & in Ambros. lib. 2. in Luc. c. de Mariæ turbatę consolatione. & ita omnino sentiendum existimo, Angelum his verbis satis mysterium explicuisse. An vero B. Virgo, totum illud statim plenè intellexerit, dubitationem habet ex interrogatione eius exortam. De qua iam supra diximus.

Dubium.

Responsio

Con. Ephe. Cyril. Ambros.

Tertio loquitur Angelus proponẽs modum conceptionis, & exemplo declarans, ac cõfirmãs illũ. Dicit autẽ D. Tho. hoc fecisse Angelum, vt Virginem ad consensum induceret, non dicit ad fidem (quia iã Virgo plene crediderat, vt recte ad secũdum explicat) sed ad consensum, ideſt, vt mater fieri vellet. Quod nõ ideo factũ est, quia de obedientia Virginis Angelus formidaret: sed vt magis eâm animaret, ac totam rem faciliorem redderet, & modo hominibus accommodato ac sensibili exemplo illam veluti manuduceret.

Quarto, circa primum verbum Virginis, quo interrogauit, *Quomodo fiet istud?* recte explicat D. Tho non fuisse verbũ dubitantis, sed iam credentis, vel admirãtis. De qua re satis multa diximus supra in quæst. 27. tractando de innocẽtia Virginis. Vnde non probo, quod Medina hoc loco dicit, B. Virginem voluisse illa interrogatione probare, atque discernere, an ille spiritus, qui sibi apparebat, Dei esset, an dęmonis. Est enim hoc non solũ contra D. Tho. & Ambros. (quem citat) sed etiam contra synceram Virginis fidem, hoc enim est dicere, ipsam dubitasse, cum dixit, *Quomodo?* an illa esset reuelatio diuina, nec ne: cũm tamen sancti dicant, eam iam credidisse, & modum inquisiuisse. Dicendum est ergo statim, ac B. Virgo audiuit ab Angelo, *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum*, &c. ita fuisse interius illuminatam, vel (vt Ambros. ait) *ita recognouisse Angelum*, vt illum esse bonum, verumque Dei nuntium non dubitauerit, Et ideo statim, ac audiuit, *Ecce concipies in vtero*, &c. fidem adhibuit, ac credidit, vt idem Ambros. super Lucam, & sancti supra citati affirmant. Reliqua, quę ad hanc interrogationem pertinent, supra explicata sunt.

Verba Mariæ ad Angelum quæ-lia.

Medin.

D. Thom. Ambros.

Quinto, circa aliud verbum Virginis, quo suum præbuit consensum, nihil D. Thom. notat, quia nihil dubitationis habet, sed admirationis quam plurimum. In singulis enim verbis latet mysterium: summamque Virginis prudentiam, & virtutẽ singula ostendunt: non tamen est nostri instituti hęc latius ponderare, sed ad sacrarum scripturarum expositores hoc spectat, qui legendi sunt, præsertim Ambro. lib. 2. in Luc. Ber. in homil. super *Missus est.* Aug. & alij Patres in Concio. de Annunt.

DISPVTATIO. IX.

In quinque sectiones distributa.

De modo, & circunstantijs Annuntiationis Angelicæ.

QVe hactenus de Beatissima Virgine disputauimus, tempus illud potissimum cõprehendũt, q̃ filij cõceptionem antecessit nunc

nunc verò dicere incipimus de ijs, quæ il li acciderunt, ab eo tempore, quo Dei est mater effecta. Et ideò quasi communis iã erit, & coniuncta de matre, ac filio disputatio, simulque explicandus erit modus, quem in exequendo incarnationis mysterio diuina sapientia, omnipotẽtiaque seruauit. Habemus autem ex Euangelio initium perficiendi hoc mysterium proximè ab annuntiatione Angeli sumptum esse, cuius rei causas, ac rationes in commentario primi, & secundi articuli explicatas reliquimus. Multa etiam, quæ ad intelligentiam illius admirabilis colloquij pertinẽt, partim in cõmentario articuli quarti: partim superius disputando de innocentia, & virginitate Mariæ tradita sunt, & in sequentibus alia dicenda erunt, explicando effectum huius Annũtiationis, & quãdo, quomodoue peractus sit. Igitur solum superest, vt de modo, ac circunstãtijs huius Annũtiationis, & de ijs, quę in ea Virgini acciderunt pauca dicamus.

SECTIO PRIMA.

Quis fuerit Gabriel Angelus diuinæ incarnationis nuntius.

EX qua hierarchia, aut ordine hic Angelus fuerit, scriptura nõ exprimit, & Patres variè sẽtire vidẽtur, vnde res videtur esse incerta, & ambigua. Primũ enim Bernar. homil. 1. de Annuntiatione dicit, non fuisse ex minoribus Angelis, qui frequenter mittuntur: postea verò addit, propterea dici, *Missum esse a Deo*, quia ab eo immediatè intellexit mysterium, quod nulli præterquam ipsi ante Virginem declaratum est, & quia ab eodem immediate est missus, nullo excellentiori spiritu inter Deum, & ipsum interueniẽte. Ex quibus verbis colligi videtur, illum, vel fuisse supremum Angelorum, vt per nullum superiorem mitti, vel illuminari potuerit, vel saltem esse ex supremis ordinibus, qui â Deo immediate illuminantur. Et sanè videtur consonum dignitati mysterij, vt supremus omnium fuerit, quandoquidẽ suprema legatio illi commissa est: tum etiã quia missus est ad instruendam Virginem quæ dignitate, & gratia erat omnibus ordinibus Angelorum superior, ergo decuit vt per supremum Angelum instrueretur.

Bernard.

A Alij verò sancti interdũ, *Angelum*, interdum, *Archangelum*, eũ appellant. Irenę. lib. 5. cõtra hæres. c. 25. *Archangelum* vocat. Idẽ Ambro. lib. primo de Spirit. sanct. c. 7. Augu. serm. 14. de natiuit. Hesichius, homi. 1. de sancta Deipara, homilia tamẽ. 2. vocat, *Angelorum principem*, sicut Greg. homil. 34. in Euangelia, & *Archangelum*, & *summum Angelorum* vocat, & Andreas Ierosolymi. homi. de Annuntiatione, *Archangelum* vocat, & *vnum ex præcipuis Angelorũ*. Vnde ex his appellationibus nullum firmum argumẽtum colligi potest. Nã etiã Ecclesia Michaelẽ nũc *Angelum*, nũc *Archãgelum*, nũc *principem Angelorum* vocat. Quia sicut nomen *Angeli*, & commune est omnibus cælestibus spiritibus, & infimo ordini accõmodatur: ita etiam nomen *Archangeli*, quã quã vna significatione propriũ sit secũdi ordinis infimę hierarchię: tamẽ alia ratione vniuersaliori omnis Angelus, qui primatũ aliquẽ habeat inter cælestes spiritus Archãgelus vocari potest. Nõ cõstat autẽ certò sub qua significatione Gabrieli tribuatur.

Irenæ. Ambros. Auguſt. Heſich. p. Greg. Pa.

Andr. Iero ſolym.

B In re tamẽ incerta, D. Tho. sententia verisimilior est, eum scilicet fuisse ex vltima hierarchia, & caput, ac principem secundi ordinis Archangelorũ. Cõiectura est, quia teste Dionysio de cæles. hierar. c. 3. Angelorum ordines, & hierarchię officijs, ac ministerijs distinguntur, *neque alicui* (inquit) *fas est operari, nisi quod officij sui diuina sanxit institutio*: ex omnibus autẽ ordinibus duo vltimi infimæ hierarchię, ad custodiendos homines, vel res, quæ ad illos pertinent, annuntiandas destinati sunt, ita tamen, vt

Gabriel diuinæ nũtius incarnationis ex qua nã hierarchia fuerit angelorum Dionyſ.

C infimus Angelorum ordo ad res inferioris ordinis, Archangelorum autem ordo ad altiora mysteria nuntianda destinetur, ergo Gabriel, qui ad annuntiandum missus est, ex his ordinibus fuit. Nõ enim oportuit hierarchicũ illũ ordinẽ immutari, aut Deũ dispensatione aliqua vti, cũ necessarium nõ sit. Quia verò ad annuntiãdum suprem um omnium mysteriorum mittebatur, decuit, vt supremus esset in vtroque illo ordine, fuit ergo Archangelorum primus. Quę tota ratio in Dionysij, & Gregorij doctrina in locis citatis fundata est. Et confirmari potest, quia verisimilius est Gabrielem non fuisse supremum omnium Angelorum, quia Michael Angelus superior est illo, vt ex Daniel. 8.

Hieron. *Rupert.* 8 colligitur,& ibi Hieronymus notauit, & clarius Rupert.lib.5.in Apoca.in principi.& significat Ecclesia tã in officio sancti Michaelis,quã in quotidianis precationibus,seu litanijs,ergo signum est, solũ fuisse summum eorum Angelorum,qui nuntiorum munere funguntur. Quia si propter altitudinem mysterij missus fuisset aliquis alterius ordinis,vel hierarchiæ,certe eãdem ratione mittendus fuisset omnium supremus,vt supremummysterium nuntiaret,non ergo est habita ratio magnitudinis mysterij secundum se: sed vt annuntiandi,seu annuntiationis eius , & ideo missus est supremus in officio annũtiãdi.

Dubium. *Dan.8.& 9.* *Luc.1.* Sed ex prædicta ratione , & assertione nascitur dubium,An idem fuerit Gabriel Angelus,qui Danieli apparuit,ca.8. &.9. & Zachariæ,Lucæ primo,& qui hoc mysterium Marię annuntiauit? Nam quod idem fuerit. Primum ex eodem nomine colligitur. Deinde hoc affirmant Hieron. *Hierony.* *Irenæ.* *Ambro.* *An.Ierosol.* Daniel.8.Irenę.supra,Ambros.serm. *63.* & Andreas Ierosoly.loco citato.In contrarium vero est.Primo,quia si hic fuit supremus Archangelus,quia ad supremum mysterium nuntiandum mittebatur , non videtur decuisse,vt ad inferiores legationes mitteretur.Cur enim eiusdem dignitatis nuntius ad Christi,& Ioãnis Baptistę conceptionem nuntiandam mitteretur? Deinde,ex identitate nominis,non potest iudicari,quòd fuerit eadem persona:interdum enim diuersę personę Angelicę eodem nomine vocantur,vt notauit Abu- *Abulens.* lens.in 23 cap.Exod.q.81.& in 13.cap.Iudicum.q.35.Et ratio est,quia nomina Angelorum ex officijs,seu ministerijs sumuntur: vnde licet personę diuersæ sint,propter officij similitudinem,eodem nomine appellari cõtingit. Eó vel maximè,quòd idem nomen iuxta varias Ethymologias potest diuersa mysteria, seu diuersas pro- *Proclus Cyzicen.* prietates indicare,ideoq; & diuersis personis attribui,vt in præsenti nomine videre licet.Proclus enim Cyzicenus in quadã *Con.Ephe.* homilia,quę habetur in Conci.Ephes.tomo.6.cap.7.Gabrielis nomen interpretatum dicit idem sonare,quod *Deus & homo*,quæ Ethymologia(si vera est) accommodatissima est ad huius mysterij nuntiũ *Theophyl.* nominãdum.Theoph.verò Lu.primo,interpretatur,idest,*Homo Dei*,seu,*Vir Dei*, quomodo accommodari potest ad eũ An

A gelum,qui cum Daniele loquebatur. Hieronymus autem Daniel.8 & lib. de nominib.Hæbraicis in Lucam,& Bernard. homil.3.in *Missus est*,& Eusseb.Emis. homili. in idem Euangel.interpretantur, *fortitudo Dei*,seu,*robustus Dei*, Quę interpretatio huic etiam mysterio maximè quadrat. *Hieron.* *Bernard.* *Euse.Emi.*

Res sanè videtur incerta, non oportet tamen â communiori Patrum sensu discedere,nec in scriptura sacra ambiguitatem illã,seu diuersitatẽ personarũ Angelicarũ sub eodem nomine,sine sufficienti fundamẽto introducere. Quãuis ergo hic Gabriel supremus sit Archangelorũomnium, & ideo ad supremũ Dei opus nuntiandũ missus fuerit:nõ est aliquod inconueniẽs, quod aliquid aliud aliquando nũtiauerit. Præsertim, quia omnes aliæ legationes, quæ de hoc Angelo leguntur,ad hoc mysterium specialiter ordinabantur.Nam Danieli nuntiauit tempus aduentus Christi, & præclarum illud signũ septuaginta hebdomadarum dedit:Zachariæ verò dixit illa verba.*Ipse præcedet ante illum*,idest, ante Christum,*in spiritu,& virtute Eliæ*,In quibus significauit,iã proximè instasse Christi aduentum.Ex quo etiã verisimile est, quòd Bernard.supra indicat,eundẽ fuisse Angelum,qui Matthæi.primo.&.2.Iosepho apparuit,& qui Virgini filium nuntiauerat.Quia totum illud erat veluti vnũ ministerium,ad eundem proximum finẽ ordinatum. *Respõsio.* *Bernard.* *Mat.1.et.2*

SECTIO. II.

V. *Angelus Virgini apparuerit in specie visibili,atque humana,& de perfectione reuelationis Virgini factæ.*

RAtio dubitãdi est,quia verisimile est factã fuisse Virgini reuelationẽ perfectissimã,tũ propter mysterij altitudinẽ,tũ propter ipsius Virginis perfectionẽ,maximãq; capacitatẽ,sed reuelatio eó est perfectior,quò intellectualior,purior,& abstractior ab omni sensu,imaginariaque visione,vt docet D.Th.22.q.174. art.2 & 3.vnde inter reuelationes quę aliquo modo cõcernũt sensũ,seu per illum fiũt illa erit perfectior,quæ abstrahit à sẽsu exteriori,& in ipso interiori fit , quia hæc magis ad intellectualem accedit, ergo hęc reuelatio Virgini facta,vel fuit purè intellectualis,vel saltẽ ab exteriori sensu abstracta,ergo nõ fuit necesse,vt Angelus illius re- *D.Thom.*

lius reuelationis nuntius externo sensui in humana specie apparuerit.

Nihilominus certum arbitror esse, Gabrielem in specie humana, exteriusque sensibili apparuisse Virgini. Quod primo fundari potest in illis verbis Lu. primo, *Ingressus Angelus ad eam dixit*, & postea, *dixit autem Maria*, ac tandem concludit, *& discessit Angelus ab ea*. Ille enim ingressus, & discessus corporalem motum indicat. Illa etiam mutua collocutio, sensibilis sine dubio erat. Quis enim dubitet, beatã Virginem sensibili voce esse locutam? loquebatur ergo ad eũ, qui sensibiliter audire apparebat, quiq; eodẽ modo loquebatur. Secundo est hæc sententia sanctorum. Ambros. lib. primo de officijs, ca. 8. & lib. 1. in Luc. Orig homil. 4. in Luc. Euseb. Emis. dicta homil. in *Missus est*. & Per. Chrysolog. serm. 140. Hierony. tom 1. epist. 7. ad Lętam de institutione filiæ, & epist. 22. ad Eustoch. de custodia virginita. circa finem. Optime Augustin. serm 14. de natiuitate, cuius verba hic retulit D. Tho. in argumento, *sed contra*. Tertio, ratio potissima est, quia ita placuit Deo, qui Angelum mittebat. Congruentiæ vero, & cõiecturę sunt optimæ, quas D. Tho. affert. Suma earum est, quia hic erat modus suauior, & humanę naturæ accommodatior. Sic enim Angelus præsentia sua quodam modo repręsentabat eum, quem nuntiare veniebat, Virginemque non solum in mẽte: sed etiam in corporeis sensibus poterat recreare, & confortare. Ac deniq; hic reuelationis modus non impediebat, sed potius ad perfectiorem Virginis cognitionem, & fidem iuuare poterat.

Angelus in specie visibili apparuit Virgini. *Luc. 1.* *Ambros.* *Origen.* *Euse. Emi.* *Petr. Chrysolog.* *Hierony.* *August.* *D. Thom.*

Secundo probabiliter credi potest, Angelum non tantum in externa specie, sed etiã in sua substantia apparuisse, ac visum esse à B. Virgine. D. Tho. hic art. 3. ad primum non putat esse consentaneum statui viatoris, quòd B. Virgo Angelum per essentiam viderit, sed licet verum sit hoc esse supra ordinarias leges hominum viatorũ: tamen non est dubium, quin viatori homini hęc visio communicari possit, cûm etiã ipsius Dei intuitio ex priuilegio singulari interdum tribui possit, vt de Paulo, & Moyse idem D. Tho. sentit. Quod si hæc clara Angeli cognitio potuit facile B. Virgini tribui, cur non erit verisimile illi esse datã? legimus enim aliquibus alijs sanctis, sanctis, seu virginibus datum esse interdũ vt Angelos vel animas clarè, & in substantia sua intueãtur, ergo valde probabile est sępius hoc esse communicatum Beatę Virgini eo tẽpore, quo viatrix fuit, ergo si aliquãdo, certe maxime in Annũtiatione huius mysterij, ad hanc cognitionem eleuatã esse credibile est. Deinde hoc expresse affirmat Athanas. (Si tamẽ liber est eius) in libro quæstionũ ad Antiochi. q. 12. Quod non aliter confirmat, nisi quia decuit, B. Virginem perfectius videre Angelũ, quã antiquos Prophetas, cûm illis apparebãt.

Virgo angelũ in sua essentia vidit. *D. Thom.* *Athanas.*

Dices, si B. Virgo clarè Angelũ vidisset, nõ fuisset turbata, nec cogitasset, *qualis esset eius salutatio*. Quia clarè vidisset esse Angelũ sanctũ, & verè Dei nũtiũ. Respõdetur illius turbationis varias causas assignari â Patribus, vt sectione sequẽti videbimus. Nũc verò dicitur, si turbatio illa solũ fuit admiratio quædã ex sũma humilitate proueniẽs: eò quòd prẽter existimationẽ, quã de se habebat, tã honorificè salutabatur, potuisse eã admirationẽ simul esse cũ clara visione Angelica: si tamẽ (quod probabilius videtur, & textui Euãgelico, ac expositioni Patrũ magis cõsentaneũ) turbatio illa, & cogitatio fuit, quia nõ statim cognouit, an salutatio illa â bono spiritu proficisceretur: dicẽdũ cõsequẽter est, Angelũ in principio tãtũ in specie visibili se ostendisse: postea verò, & fortasse quando dixit illa verba. *Ne timeas Maria*, diuina virtute factum esse, vt vsque ad intuendam substantiam Angeli fuerit euecta. Quo factũ est, vt statim omnino sedata fuerit turbatio, & intentissimo animo illum audierit:

Obiectio. *Responsio*

Ad difficultatem ergo in principio tactam, respondet hic D. Tho. ad primũ, & secundũ: visionem intellectualem esse perfectiorem, quam imaginariam, si hæc sola sit, si autem cum imaginaria intellectualis concurrat, perfectius hoc esse. Et eadem ratione dicit perfectiorem esse reuelationem, quæ fit per externos sensus, quam quę fit sola imaginaria visione, quia cum sensibus externis cõcurrit, & operatur simul imaginatio, multumque ab illis iuuatur, vt rem certius, & distinctius apprehẽdat. Quã doctrinam confirmat ex Aug. li. 12. Gene. ad lit. c. 9. & eandẽ indicat Chry. homil. 4. in Matth. Vbi hac ratione ostendit, perfectiorem fuisse reuelationem factam Virgini, quàm Ioseph, cũ ei Angelus

D. Thom. *August.* *Chrysost.*

in somnijs apparuit. Ne tamen doctrina hęc pugnare videatur cũ eodem D. Tho. in citato loco ex, Secunda, Secũdę, aduertere oportet, reuelationem intellectualem propriê dici, quæ non habet ortum â sensu, vel imaginatione, sed immediate fit ipsi intellectui per lumen infusum, & species intellectuales, vel denuo infusas, vel pręexistentes, & diuina virtute ad supernaturalem aliquam apprehensionem, seu conceptionem faciendam applicatas: & hoc genus reuelationis dupliciter fieri potest. Primo, eleuando intellectum ad cognoscendum sine operatione phantasiæ, & hic modus est valde extraordinarius, quia non est accommodatus animę vnitæ corpori passibili, & ideo raro, & tantum ex singulari priuilegio conceditur. Aliter igitur fit hęc reuelatio modo magis humano, & cooperante phantasia ipsi intellectui, non tam quia motus sit ab ipsa, quam quia ipsâ mouet, & applicat, vt secũ operetur. At vero imaginaria, seu sensibilis reuelatio dicitur, non quia ad intellectum non pertingat, (illa enim est valde imperfecta, & vix meretur propheticæ reuelationis nomẽ) sed quia primario fit per sensibilem aliquam, vel imaginariam repræsentationem, ex qua oritur mentis cõceptio: illique quodammodo commensuratur. Prior ergo intellectualis reuelatio ex suo genere perfectior est, quia est abstractior, & spiritualior, & hoc modo locutus est D. Th. in Secunda Secundę: si tamẽ simul cum illa cognitione sensus etiam cõcurrant, & ad hoc etiam diuinitus iuuentur, nihil de perfectione minuetur. sed potius augebitur, & hoc est, quod D. Thom. hic docet. Vnde sentit ita factũ esse in hac reuelatione Virgini facta, quod explicãdũ superest.

Reuelationum varia genera.

Aduertendum ergo secundo est, in hac reuelatione distinguendam esse personam loquentem, à mysterio reuelato. De persona, scilicet, de Angelo Gabriele, iam dictũ est, cum qua intellectuali perfectione Virgini patefactus est. De mysterio autem ipso. Primo, non oportuit, vt saltem antequam esset per actum, clare, & prout in se est Virgini demonstraretur: imo nec necessariũ fuit, vt ei reuelaretur illo intellectuali modo, qui omnino abstrahit â coòperatione phantasiæ, quia oportuit, vt prius illud per fidem crederet, modo accommodato homini viatori. Secundo, non est illi reuelatum hoc mysteriũ reuelatione imaginaria proprie dicta, sed reuera intellectuali. Quia nulla sensibilis imago sẽsibus, vel imaginationi eius obiecta est, per quã mysterium conciperet: sed nuda veritas est menti proposita, quanuis medio auditu, verboq; sensibili, quod non repugnat intellectuali reuelationi. Quia auditus est sensus disciplinę, vnde per illum excitari potest intellectus, vt sublumine diuino interius cooperante, tam perfectè apprehẽdat obiectum, ac si immediatè illi proponeretur (agimus enim de apprehensione seu conceptione abstractiua, quæ per species alienas fit, & est fidei accommodata) hæc igitur conceptio perfectissimè fit per auditum, quia verba sunt expressa signa intelligibilis veritatis, quibus optimè mens instruitur, & mediãtibus illis facile potest ad intellectualem cognitionem abstractiuam perfectè eleuari. Hoc igitur modo propositum fuit hoc mysterium Virgini per verba Angeli, quibus excitata mens eius, & diuina virtute, & lumine interius eleuata, & adiuta, perfectissime concepit mysterium ipsum, quantum per fidei cognitionem fieri poterat, & ita habuit, quid quid perfectionis est in intellectuali reuelatione, & præterea sẽsus eius, & imaginatio per sensibilia verba adiuta fuerunt, vt facilius, ac melius possent ad intellectualẽ conceptionem cooperari. Tertio dixi hæc intelligenda esse de reuelatione huius mysterij, quatenus Virgini facta est, antequã in ipsa perficeretur, quia si loquamur de illo tempore, seu momento in quo post plenam fidem, & cõsensum Virginis, Verbum in ea factum est caro, non est incredibile eleuatam esse mentem eius, vt statum viatoris quodãmodo trascenderet, & mysteriũ, atque adeò Deum, provt in se est, & provt est humanitati coniunctum, clare videret. Hoc enim beneficiũ, ac priuilegium sæpius in hac vita mortali esse Virgini concessum, autores graues docuerunt, vt infra in proprio loco commodius dicemus. Si quod autẽ tempus in hac vita potuit esse opportunum ad suscipiendum hoc beneficium, videtur sanè illud fuisse, in quo post eximiam fidem, admirabilem obedientiam, & humilitatem, mater Dei fieri meruit. Est ergo hoc pium, & probabile, quanuis incertum,

Mysterium incarnationis quomodo Virgini fuerit ab Angelo propositum.

SEC-

SECTIO. III.

Qualis fuerit perturbatio ex locutione Angeli in Virgine facta, vnde ve orta.

VT explicemus, quis, & qualis motus hic perturbationis fuerit, à causa, & radice eius initium sumamus. Traduntur autem à Patribus variæ causæ, quas D. Tho hic solut. ad. 3. arti. 3. tetigit. Prima est quasi naturalis, quia cum mens hominis eleuatur ad videndam rem insolitam, & præsertim superioris ordinis, pars inferior quodammodo debilitatur, & inde oritur huiusmodi perturbatio. Quæ sane causa nonnihil adiuuat, considerata humanæ naturæ fragilitate: non tamen satis est, ad rem præsentē explicandā. Quia perturbatio Virginis non fuit posita in debilitate, aut defectu virium corporis, sed in aliquo animi affectu, timoris, pudoris, aut admirationis. Vox enim. *Turbata est*, hoc proprie significat, & verba euangelij proprie intelligenda sunt, cum commode possint. Vnde Angelus respōdit, Ne *timeas Maria*, quę verba proprie timorem significant. Respondeti potest ex doctrina Caietani hic art. 3. verum esse turbationem fuisse in animo, ortam tamen fuisse ex necessitate materię, ideſt, ex infirmitate corporis, quod debilitatur, dum anima multum ad superna intendit. Sed hæc doctrina (vt mihi quidem videtur) non potest ad Virginis turbationem cōmode applicari. Quia quando perturbatio oritur ex hac debilitate, & necessitate, non fit sine aliqua motione indeliberata præueniente rationem, vel sine falsa aliqua apprehensione, & imaginatione, hæc autem imperfectio nullo modo est Virgini tribuenda. Assumptum declaratur, quia cùm perturbatio oritur ex necessitate materiæ, non est in potestate hominis illam præuenire, imo vix est sui compos, vt liberè possit cogitare, & discurrere. Et confirmatur ex diuerso modo, quo hæc perturbatio Virginis, & alia Zachariæ narratur eodem cap. Luc. 1. vel de Daniele, Daniel. 10. De illo enim non dixit Euangelista turbatum fuisse: sed addidit, *& timor irruit super eum*, ideſt preuenit, & præoccupauit ipsum: de se verò dicit Daniel. *Non remansit in me fortitudo: sed species mea mutata est in me, & emarcui, neque habui quidquam virium.* At vero Beatissimæ Virgini, nihil huiusmodi accidisse dicitur, sed potius, tanta animi moderatione, & cō

D. Thom.

Caietan.

Luc. 1.

Dan. 10.

Perturbatio Virginis in annūtiatione qualis.

A stantia fuisse turbatam, vt simul *cogitaret, qualis esset ista salutatio* Vnde elegāter Bernard. homi. 3. *Turbata est, sed non perturbata, turbata est, & non est locuta, sed cogitabat, qualis esset ista salutatio. Quod turbata est, verecundia fuit virginalis: quod non perturbata, fortitudinis, quod tacuit, & cogitauit, prudentiæ.* Non fuit ergo illa turbatio motus aliquis indeliberatus ex motione corporis, seu inferioris appetitus proueniens: sed fuit rationabilis quædam admiratio, & prudens timor, ortus ex attentissima cogitatione, & ponderatione eorum, quæ audiebat, & videbat. Et confirmatur á signo, nam statim, ac Angelus dixit, Ne *timeas Maria*, deposuit omnem timorem, totamque illius legationem quieto animo audiuit, & prudenter respondit, *Quomodo fiet istud?* signum ergo est nō fuisse conturbatā, nec inuoluntaria aliqua affectione commotā.

Bernard.

Ex quibus præterea colligitur, nō corporis imperfectionē: sed animi potius virtutē, & perfectionem, fuisse huius turbationis radicē, & causā, quę duplex assignatur â Patribus. Prima. est. quā D. Tho. secūdo loco posuit verecūdia virginalis, vt Bernardus etiā paulo antea citatus dixit. Hæc vero causa dupliciter explicatur. 1. vt hæc perturbatio orta sit solū ex visione Angeli in viri, & iuuenis specie Ita indicat Ambr. 1. lib. in Luc. *Trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere*, & latius lib. 1. de offic. c. 18. *salutata*, inquit, *ab Angelo tacet, & mota est ad introitum eius, quia ad virilis sexus speciem peregrinam, turbatur aspectus virginis*, & lib. 2. de Virginib. in princip. indicans obiectionē, cur B. Virgo angelicis visitationibus assueta viso Angelo turbata fuerit? sic tacite respōdet. *Gabriel eam, vbi reuisere solebat, inuenit, & Angelum Maria, quasi viri specie mota, trepidauit, quasi non incognitum audito nomine recognouit, ita peregrinata est in viro, quæ non est peregrinata in Angelo.* Quibus verbis significat, solitam quidē fuisse Virginē habere angelicas reuelationes: nō vero externas, & in sensibili specie viri. Quod etiā sensit Hiero. epi. 7. ad Lætā. dicēs. *Ideo forsitan timore perterrita est, quia virum, quem non solebat, aspexit*, & epist. 22. ad Eustoch. *Quæ hominem formidabat, cum Angelo loquebatur intrepida*, & huic rationi sic explicarę fauet lectio Greca, quę habet verbū, *vidisset*, vbi Latina legit, *audisset*, scilicet, *Quæ cū vidisset, turbata est.*

Ambros. *Perturbationis virgineæ in annunciatione angelicæ radix, & causa,*

Hieron.

Alio vero modo explicatur, hæc ratio, q scilicet ex pudore virgineo, & castissimo turbata sit: nõ tamẽ propter visionẽ solã Angeli, sed in sermone eius, & salutatione, quę blanda, suauis, & inusitata apparebat, & ideo, *cogitabat, qualis esset ista salutatio*, Ita
Euse. Emi. explicat Euseb. Emis. homil. in *Missus est*, in fer. 4. quatuor temp. aduentus, vel certe vtrunque iungi potest, nam videndo iuuenem fortasse turbari cœpit: magis
Bernard. autem audiendo. Quod Bernard. supra in
Damasce. dicauit, & magis Damasce. orat. prima de natiuitate Virginis circa fin. dicens. *Ita cõparata eras, vt ad te nullus viri accessus pateret. Testis est metus ille, in quem ex inusitato Angeli eloquio incidisti.*

Secunda causa huius turbationis fuit humilitas. Cùm enim B. Virgo esset summè humilis & nihil magnificum de se cogitaret, audiens inusitatam, & honorificẽtissimam salutationem, in magnam admirationem rapta, *cogitabat qualis esset salutatio*. Et hanc etiam causam indicat Ambro.
Ambros. supra, dicens, *salutationis nouam formam mirabatur, nusquam enim erat lecta, vel audita*, &
Origen. Hierony. sumpsit ex Orig. homil. 6. in Luc. qui addit, *salutationem nouam, & peregrinam, eam terruisse*, Indicat etiam Hierony. seu Sophron. serm. de assumptione, & P. Chry-
Petr. Chrysolog. sol. serm. 140. Et hanc causam maximè vi-
D. Thom. detur probare D. Tho. qui duo notatione digna considerauit. Primum, in artic. 4. ad primum, Angelum annunciationem suam ab huiusmodi salutatione inchoasse, vt Virginem attentissimam redderet. Nihil enim magis ad attentionem mouet, quàm admiratio: nihil vero personam humilem magis in admirationem rapit, quàm propria laudatio. Alterum est in art. 3. huiusmodi turbationem, non semper vitari, sed merito interdum permitti in diuinis reuelationibus, propter altiores causas, quia eadẽ diuina reuelatio, statim reddit animũ pacatum, & confortatum, sicut hic fecisse Angelum legimus, illis verbis, *Ne timeas Maria*. Quod notauit etiam Orig. homi. 4.
Origen. Ambros. in Luc. & Ambros. lib. 1. in Luc. capite de apparitione Angeli, in vltimis verbis. Vnde obiter colligit D. Tho. prudens documẽtum, ad reuelationes boni, vel mali spiritus discernendas. Nam quę sunt à bono spiritu, licet in principio turbent, statim vero pacem, & quietem pariunt, quę vero sunt à malo spiritu, & perturbant animum, & inquietum relinquunt.

SECTIO. IIII.

V.B. *Virgo in Angelica annuntiatione statim Christum conceperit.*

QVanuis de modo huius cõceptionis in sequentibus dicturi simus, non tamẽ potuit hæc quæstio hoc loco prętermitti, quia ad intelligendã exacte annuntiationem Angelicam, omnino videtur necessaria. Vnum ergo inter Catholicos certum est, scilicet, B. Virginem concepisse Verbum diuinum, antequam Angelus ab ea discederet: hæc est enim cõmunis sententia sanctorum, quos statim referam. Vnde Greg. lib. 18. moral. cap. 36. B *Nuntiante, inquit, Angelo, & aduenient spiritu, mox Verbũ in vtero, & intra vterum Verbum caro*, & propter hanc causam dixit Damascen. lib. 4. c. 15. conceptionem, *per aurem* contigisse. Et nonnulla coniectura huius rei habetur in Euãgelio, statim enim ac finita est annuntiatio Angeli, B. Virgo cum festinatione iuit ad visitandam Elisabeth: & tamen iam erat mater Domini, vt testantur illa verba. *Vnde mihi, vt veniat mater domini mei ad me*: iam ergo conceperat Christum, & Deum, ergo signum est, statim in ipsa annuntiatione angelica concepisse. Ratio vero est, quia illa conceptio C simul inchoata est, & perfecta, (vt infra dicemus) fuit autem statim incepta, quia ad hoc mittebatur Angelus, & Spiritus sanctus erat causa efficax, & paratissima, & ideo statim illam perfecit.

Virgo ante discessũ annuntiantis angeli Christum concipit.
Greg. Papa
Damasce.

Difficultas vero est, quo tempore, vel post quæ verba, facta sit hæc conceptio. Fuit enim multorum Patrum sententia facta esse, vel illis verbis salutationis Angelicę: *Aue gratia plena dominus tecum*, vel ante illa. Ita dicit Pet. Alexandrinus in libro de Deitate, vt refertur in Conci. Ephesi. tom. 2. cap. 7. & in Concil Chalcedon. act. 1. sub hoc titulo. *Nicenæ synodi fides*, vbi sic ait, *& Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, tum videlicet, cum Angelus sacram Virginem eiusmodi oratione salutauit, Aue gratia plena, dominus tecum. Hoc est, Dei Verbũ, nũc tecum est*, nam illa Gabrielis salutatio Deũ Verbum in vtero virgineo natum, & carnem factum insinuat. Vnde Chrysostomus, in Liturgia, circa medium, sic inquit, *Gabriele dicente tibi, Virgo Aue, cum voce incarnatus est omnium Deus in te, sacro-*
Pet. Alex. Con. Ephe. Con. Chalced.
Chrysost.

sancta

Nicephor. Auguſt.

ſancta area, & eodem modo loquitur Nicephor. lib. 1. hiſt. c. 8. & in eandem ſententiã ſcribit Auguſt. ſerm. 14. de natiuit. vbi introducit Beatam Virginem ſic loquentem de Gabriele Archangelo, *Viſitauit, & perturbauit me, ſalutauit, & grauidauit, dixitq; mihi, Aue gratia plena, Dominus tecum, Dominus*, inquit, *tecum, ſed plus quam mecum, in me autem, licet ſit Dominus, memetipſum creauit Dominus. Ita eſt Dominus tecũ, vt ſit in corde tuo, ſit in vtero tuo, adimpleat mentem tuam, adimpleat carnem tuam.* Sentit ergo ſtatim factũ fuiſſe myſterium, quando Angelus dixit illa verba. Et idem ſentiũt omnes, qui verba illa exponunt de exiſtentia Domini in Virgine per Verbi conceptionem, vt ſentit Bernard. homil. 3. in *Miſſus eſt*, dicẽs, *Dominus tecum, non ſolum mente, ſed etiam ventre.* Et Laurent. Iuſtinian. ſermone de annuntiatione, & Auguſt. ſerm. 2. de annunciatione. Petr. Damian. ſerm. 1. de natiuitate Virginis.

Bernard.

Laur. Iuſt. Auguſt. Pet. Dami.

Certa tamen ſententia eſt, B. Virginem non concepiſſe diuinum Verbum, donec ſuum præbuit conſenſum, illumq; illis verbis explicuit, *Ecce ancilla domini fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Itaq; in eo momento, in quo finita ſunt illa verba, perfecta fuit conceptio, & non antea. Et quidem, quòd non fuerit dilata conceptio vltra illud inſtans, conſtat ſatis ex principio huius ſectionis. Nam ſtatim ſubdit Lucas, *Et diſceſſit ab illa Angelus.* Diximus autem, prius quàm diſceſſiſſet, conceptionem fuiſſe perfectam. Deinde, quia iam nihil deerat, vt Spiritus ſanctus ſuum opus inchoaret, propter quod Angelum miſerat, ſtatim ergo illud inchoauit, ſimul autem, ac inchoauit, perfecit, vt nunc ſuppono ex ſtatim dicendis. Quod verò ante illud momentũ non fuerit facta conceptio, ex diſcurſu Euangelij conſtat. Et in primis, non fuiſſe factam per prima verba ſalutationis Angelicæ, patet, ex verbis, quę poſtea. c. 2. dicit Lucas narrans myſterium circunciſionis, *& vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo, prius quam in vtero cõciperetur.* Hinc enim euidenter conſtat, quando Angelus dixit illa verba, *Et vocabis nomẽ eius Ieſum*, nõdum Chriſtum fuiſſe cõceptũ. Quod ſatis oſtendunt ipſa verba Angeli, quia poſt verba ſalutationis ſubdidit, *Ecce concipies in vtero, & paries*, vtrumque de futuro, quia reuera tam non erat facta conceptio, quàm partus, poſta vero interrogante Virgine, *Quomodo fiet iſtud?* iterũ de futuro inquit Angelus, *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, Quod enim ex te naſcetur ſanctum*, & vſque ad illud, *Quia non erit impoßibile apud Deum omne verbum*, ergo in toto illo tempore nondum erat perfectum, ſed expectabatur myſterium. Statim vero prorrupit Deipara in illa verba, *Ecce ancilla Domini*, ergo ante illa non eſt peractum myſterium.

Quo temporis puncto Chriſtum Virgo concepit.

Luc. 1.

Dices, ſaltem fuiſſe perfectum antequã B. Virgo hęc verba perficeret, vel inchoaret, quia iam prius interius conſenſerat, nam ex interioti conſenſu, & obedientia illa verba manarunt. Sed non expectabatur, niſi eius conſenſus, ergo ſtatim ante prolationem verborum perfectũ eſt myſterium. Quòd enim voluntatis conſenſus expectaretur, conueniens fuit, propter rationes, quę in articulo primo explicatæ ſunt. Quòd autem vſque ad extetnam cõſenſus expreſſionem myſterium differretur, non videtur neceſſarium, quia Spiritus ſanctus, qui futurus erat autor huius operis, mentem Virginis intuebatur. Reſpondetur, licet verum ſit, interiorem cõſenſum dicto modo pręceſsiſſe, nihilominus tamen oportuiſse exterius ſenſibiliter exprimi, vt Angelo, cum quo B. Virgo more humano loquebatur, innoteſceret. Sicut enim voluit Deus hoc myſterium perfici, petendo conſenſum Virginis per Angelum: ita etiam decuit, vt non perficeretur, donec B. Virgo ſuũ conſenſum Angelo declararet. Et hæc ſententia eſt communis Patrum, vt videre licet in Damaſceno lib. 3. de fide. c. 2. Auguſt. ſerm. 2. de Annuntiatione, optimè Rupert. Abbas lib. 1. de operib. Spirit. ſanct. c. 9. Euthy. Luc. 1. *Diſceſſit*, inquit, *Angelus ab ea, ſimul ac iam per verbum ſuum conceperat*, Et hæc eſt cõmunis Patrum expoſitio eo loco. Citãtur etiam, quædã verba Anaſtaſij Pap. in fragmento cuiuſdam epiſtolæ, quæ habetur 2. tom. cõcilior. poſt Breuiarium Liberati, ante Concil. Aruernenſe, quibus exprèſse dicit, ſtatim poſt illa verba, *Ecce ancilla Domini*, Verbũ, *ædificaſſe ſibi templũ, & vniuiſſe.*

Obiectio.

Reſponſio.

Damaſce. Auguſt. Rupert. Euthym.

Anaſta. pa pa.

Nec crededum puto, Patres in priori expoſitione citatos contra hanc veritatẽ ſenſiſse, ac docuiſse, quia nõ eſt veriſimile in re tã clara, tamq; apertè Euangelio cõtraria,

esse deceptos. Sed primum intendunt do cere, conceptionem esse perfectam in toto illo colloquio salutationis angelicæ, & totum illud comptehendunt in primis illis verbis salutationis. Deinde ad summũ volunt, Angelũ in illis verbis, *Dominus tecũ*, indicasse conceptũ eo, sensu, quo D. Thomã supra art. 4. explicuimus. Explicant autẽ illa verba de præterito, ac si mysterium iã tũc esset factum, vel quia loquuntur de toto illo colloquio, ac de vno momento, vel quia iam ita res instabat, vt quasi facta cen seretur. Præsertim, quia more prophetico potest recte intelligi dixisse Angelus, rem, quam certo sciebat statim futuram, ac si iam esset facta.

SECTIO. V.

Quo loco, & tempore facta sit hæc Annuntiatio.

Incarnationis Christi dies.

PRincipio, de anno in quo perfectum est hoc mysterium, nihil ferè dicendũ supereſt: satis enim diffusè in præcedenti tomo circa. q. 4. D. Tho. art. 4. tractauimus, quo anno ab orbe condito facta sit incarnatio, de mense autem, & die, ecclesiastica traditio habet factam esse octauo Calendas Aprilis, eodem nimirum die, quo primus homo formatus est, vt ibidem diximus, & Patres retulimus, & videri potest

Athanas. Chrysost. August. Cõc. Flor.

Athana. lib. quæs. ad Antioch. q. 17. Chrys. hom. 1. in Lucam. August. serm. 18. de natiuitate, & lib. 83. quæstionum. q. 56. Quibus addi potest Concil. Florent. in decreto Eugen. 4. vbi præscribit Armenis, vt illo die festum Annuntiationis celebrent. De hora vero in qua hæc annuntiatio Virgini facta est, nihil in sanctis Patribus, vel antiquis autoribus dictum inuenio. Nonnulli tamen ex recentioribus scribunt venisse Angelum ad Virginem in principio noctis, sumentes argumentum ex consuetudine Ecclesiæ, quę illa hora signum præbet ad Virginem salutandam. Nã in vita S. Bonauent. refertur, eum hac de causa motum, hoc á Pontifice obtinuisse. Sed hæc leuis est coniectura, nam etiam summo manè datur signũ ad Virginẽ salutandam, qua hora, Albertus magnus super Missus est dixit, Angelum ingressum esse ad Virginem, nescio tamen quo fundamento, nam etiam in meridie in multis ecclesijs datur signũ ad salutandam Virginem. Vnde si hoc signum datur in memoriam incarnationis Dominicæ, vel id fit diuersis horis, quia de hora certa non constat, vel certe, quia non esset alia hora commoda, vt huiusmodi signum posset omnibus fidelibus præberi. Igitur si coniectura vti licet, veri simile est, eãdem hora annuntiationem factam fuisse, qua Christus fuit natus, vt nouem integris mensibus in vtero matris habitauerit: hoc enim ad perfectionem conceptionis expectare videtur, & est magis consentaneum traditioni Patrum, & ecclesiæ, quam infra videbimus, tractando de Christi natiuitate, vbi etiã dicemus, media noctis hora Christũ fuisse natum, propter quód ecclesia accommodat illa verba Sapient. 18. *Dum medium silentium tenerent omnia, &c.* Vnde videtur concludi eadem hora fuisse annuntiationem factam, ad quam non minus, imo magis accommodari possunt sequentia verba, *Dum nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cælo a regalibus sedibus venit.* Propriús enim dicitur Verbum descendisse de cœlo per incarnationem, quãm per natiuitatem suam. Necverò est, cur existimetur intempestiua illa hora noctis, vt in ea Angelus Virgini appareret. Nam verisimile potius est solitam fuisse Virginem in secretiori loco domus suę, maiorem noctis partem in diuina contẽplatione transigere, & aliunde, propter quietem, silentium, ac secretũ noctis, fuisse illud tempus aptissimũ, vt in eo hoc mysterium fieret.

Incarnationis hora. Sap. 18.

Locus, vbi facta est annuntiatio.

Secundo, nihil supereſt, quod de loco dicamus, contemnenda enim est hæreticorũ impudentia, dicentium non inuenisse Angelum domi Virginem: sed per plateas vagantem. Quod sine fundamento temerariè fingunt, solum vt Virgini detrahant, cùm tamen Lucas expresse dicat, *& ingressus Angelus ad eam.* Vnde omnes Patres supra citati sentiunt locum illum fuisse domum, & cubiculum Virginis, vbi orationi vacans, & forrasse aduentum Messiæ desiderans, ac postulans, inuenta est. Refert autem Beda lib. de locis sanctis cap. 16. in illo loco, vbi hæc annuntiatio facta est, ædificatam fuisse ecclesiam. Imò certa traditione cõstat, domicilium illud, seu cubiculũ B. Virginis, post Christi in cœlos ascensum, ab Apostolis, & Christianis omnibus fuisse im summa religione habitum, & in templũ ad sacra facienda fuisse consecratum, propter

Beda.

ter multa, & ingentia mysteria in eo perfecta. Fuit enim (vt creditur) domus illa domicilium B. Annæ, & in eo B. Virgo nata est, Christusq; conceptus, & saltem vsq; ad fugam in Ægyptum educatus. Nam de tempore post reditum ex Ægypto: licet Canisius cum Baptista Mantuano cēsear, in eadem domo Virginem, & Christum habitasse: mihi tamē dubia res est, quia Beda incitato loco refert fuisse in Nazareth ædificatam aliam ecclesiam in illa domo, in qua Christus post reditum ex Ægypto vsq; ad grandiorem ætatem educatus est. Sed illa prior fuit semper sanctior, ac celebrior habita, & nunc etiam est in ecclesia celeberrima. Nam eadē illa domus, in qua hęc annuntiatio facta est, ministerio Angelorum primum in Illyricū, postea in Italiam translata est, & vsque ad præsentem diem perseuerat, & Lauretana Ecclesia appellatur, & in summa religione habetur, vt ex varijs historiographis erudite tractat Canis. lib. 5. de B. Maria. c. 25. Denique illud non omittam, domum hanc fuisse sitam in ciuitate Nazareth (vt ex euangelio cōstat) & inde fuisse Christum Nazaræum vocatum, vt notat Hieron. lib. de locis Hebrai. in Nazareth. Neque obstat, quòd illa ciuitas erat in Galilæa, quæ ad Tribum Iuda nō pertinebat. Quia, vt notauit Abulens. Matth. 2. q. 88. post decem Tribuum dispersionem Iudei, qui ex captiuitate Babylonica redierant, totam illam terram occuparunt, & ita multi ex Tribu Iuda, ex qua erat maior pars eorum, qui redierunt, extra Iudeam domicilia, & possessiones habebant.

Canis. Bapt. Mantuan. Beda. *Lauretana domus.* *Canis.* *Hieron.* *Obiectio. Responsio Abulens.*

QVAESTIO. XXXI.

De conceptione Saluatoris quoad materiā, de qua corpus eius conceptum est, in octo articulos diuisa.

DEinde considerandum est de ipsa conceptione Saluatoris. Primò, quantum ad materiā, de qua eius corpus conceptum est. Secundò, quantū ad conceptionis autorem. Tertiò, quātum ad modum, & ordinem conceptionis.

¶ *Circa primum quæruntur octo.*

¶ *Primo, Vtrùm caro Christi fuerit sumpta de Adam.* ¶ *Secundò, Vtrum fuerit sumpta de Dauid.* ¶ *Tertiò, de genealogia Christi, quæ in Euangelijs ponitur.* ¶ *Quartò, Vtrùm decuerit Christū nasci de fœmina.* ¶ *Quinto, Vtrùm fuerit de purissimis sanguinibus Virginis corpus eius formatum.* ¶ *Sextò, Vtrùm caro Christi fuerit in antiquis Patribus, secundum aliquid signatum.* ¶ *Septimò, Vtrùm caro Christi in Patribus fuerit peccato obnoxia.* ¶ *Octauò, Vtrùm fuerit decimata in lumbis Abrahæ.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm caro Christi fuerit sumpta de Adam.

168

AD primum sic proceditur. *Videtur, quòd caro Christi non fuerit sumpta ex Adā. Dicit enim Apostolus. 1. ad Corinth. 15. Primus homo de terra terrenus, secundus homo, de cœlo cœlestis. Primus autem homo est Adam, secundus est Christus. Ergo Christus non est ex Adam, sed habet ab eo distinctam originem.*

¶ 2. *Præterea, Conceptio Christi debuit esse maximè miraculosa. Sed maius est miraculum, formare corpus hominis ex limo terræ, quàm ex materia humana, quæ de Adam trahitur. Ergo videtur, quòd non fuerit conueniens Christum ab Adā carnē sumpsisse. Ergo videtur, quòd corpus Christi nō debuerit formari de massa humani generis deriuata ab Adam, sed de aliqua alia materia.*

¶ 3. *Præterea, Peccatum in hunc mundū intrauit per vnum hominem, scilicet per Adā: quia omnes in eo originaliter existentes, peccauerunt: Vt patet Romanorum. 5. Sed si corpus Christi fuisset ab Adam*

Adam sumptũ, ipse etiam in Adam originaliter fuisset, quando peccauit. Ergo peccatum originale contraxisset, quod non decebat Christi puritatem. Non ergo corpus Christi est formatum de materia sumpta ab Adam. A

Sed contra est, quod Apostolus dicit ad Hebræos.2. Nusquam Angelos apprehendit, scilicet filius Dei: sed semen Abrahæ apprehendit. Semen autẽ Abrahæ sumptum est ex Adam. Ergo corpus Christi fuit formatum de materia ex Adam sumpta.

Respondeo dicendum, quòd Christus humanam naturam assumpsit, vt eam à corruptione purgaret. Non autem purgatione indigebat natura humana, nisi secundum quod infecta erat per originem vitiatam, qua ex Adam descendebat. Et ideo conueniens fuit, vt carnem sumeret ex materia ab Adam deriuata, vt ipsa natura per assumptionem curaretur. B

Ad primum ergo dicendum, quod secũdus homo, ideſt, Christus, dicitur esse de cœlo, non quidem quantum ad materiã corporis: sed vel quantum ad virtutem formatiuã corporis eius, vel etiam quãtum ad ipsam eius diuinitatem. Secundum autem materiam corpus Christi fuit terrenum, sicut & corpus Adæ. C

Ad secundum dicendum, quòd sicut suprà dictum est, mysteriũ Incarnationis Christi est quiddam miraculosum: nõ sicut ordinatum ad confirmationem fidei, sed sicut articulus fidei. Et ideo in mysterio Incarnationis non requiritur quid sit maius miraculum, sicut in miraculis, quæ fiunt ad cõfirmationem fidei: sed quid sit diuinæ sapientiæ conuenientius, & magis expediens humanæ saluti: quod requiritur in omnibus quæ fidei sunt. Vel potest dici, quòd in mysterio Incarnationis non solum attenditur miraculum ex materia conceptus: sed magis ex modo conceptionis & partus: quia scilicet Virgo concepit, & peperit.

q.29.art.1 ad.2.

Ad tercium dicendum, quòd sicut suprà dictum est, corpus Christi fuit in Adam secundum corpulentam substantiã: quia scilicet ipse materia corporis Christi deriuata est ab Adam. Non autẽ fuit ibi secundum seminalem rationem: quia non est concepta ex virili semine. Et ideo non contraxit originale peccatum: sicut cæteri, qui ab Adam per viam virilis seminis deriuantur.

ex corp.ar & q 4.ar 6.

COMMENTARIVS.

IN hoc, & sequentibus articulis multa tractat D. Tho. de quibus in superioribus, vel alia occasione, vel sub alijs titulis, & rationibus disputauit. Et quia in eis locis exposita sunt, curabo diligenter inutilem repetitionem vitare, signãdo loca, in quibus de vna quaq; re dictum sit, & ea solum addẽdo, quæ ad præsentis textus expositionẽ fuerint necessaria. In hoc ergo articulo rationem reddit D. Tho. ob quam decuit Verbum assumere humanam naturam, non ex noua materia, seu ex nihilo creatam, sed ex Adami posteritate formatam. Quam rem attigit etiam supra. q. 4. art. 6. & à nobis tractata est disput. 15. sect. 1. Prioris Tomi. Hic solum adde, ex doctrina huius articuli colligi Christum Dominum, sicut dicitur *filius Abrahæ*, vel *Dauid*, ita in rigore posse dici *filium Adæ*, quia sicut per humanam generationem formatus est ex filia Abrahæ, ita etiam ex filia Adæ. Quia verò Christus non est conceptus per seminalem generationem, ideo non est filius eius quoad culpam, nec quoad originis defectum, & propterea non solet, nec debet simpliciter appellari *filius Adæ*, quia hæc appellatio solet in malam partem accipi, ad denotandum defectum ex infecta origine participatum.

Christus cur dicinõ debeat filius Adæ.

In solutione ad primum tractat D. Tho. illum locum, primæ ad Corinth. 15. *Primus homo de terra, terrenus, secundus homo, de cælo cælestis.* De quo dixit etiam supra. quæst 5. art. 1. ad primum, & nos. d. disput. 15. sect. 3. Reliqua in hoc articulo clara sunt.

AR-

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum caro Christi fuerit sumpta de Dauid.

169 AD secundum sic proceditur. *Videtur, quòd Christus non sumpserit carnem de semine Dauid. Matthæus enim genealogiã Christi texens, cã ad Ioseph perducit, Ioseph aũt nõ fuit pater Christi: vt suprà dictũ est. Nõ ergo videtur, quòd Christus de genere Dauid descenderit.*

q.29.ar.2. & q.28. ar.1.ad.2.

¶ 2. *Præterea, Aaron fuit de tribu Leui: vt patet Exod.6. Maria autem mater Christi cognata dicitur Elisabeth, quæ est filia Aaron: vt patet Lucæ.1. Cùm ergo Dauid fuerit de tribu Iuda (vt patet Matth.1.) videtur, quòd Christus de semine Dauid non descenderit.*

¶ 3. *Præterea, Hierem.22. dicitur de Iechonia: Scribe istum virum sterilem, nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid. Sed de Christo dicitur Isai.9. Super solium Dauid sedebit. Ergo Christus non fuit de semine Iechoniæ, & per consequens, nec de genere Dauid: quia Matth. à Dauid per Iechoniam, seriem generationũ perducit.*

Sed contra est, quod dicitur Roman.1. Qui factus est ei ex semine Dauid secũdum carnem.

Respondeo dicendum, quòd Christus specialiter duorum antiquorum patrum filius dicitur esse, Abrahæ scilicet, & Dauid: vt patet Matth.1. Cuius est multiplex ratio: prima quidem, quia ad hos specialiter de Christo promissio facta est: dictum est enim Abrahæ Genes.22. Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Quod Apostol. de Christo exponit, dicens Gala.3. Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius: nõ dicit & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus. Ad Dauid autẽ dictum est, De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Vnde A *& populus Iudæorum, vt Regem honorificè suscipientes, dicerẽt Matth.21. Osanna filio Dauid. Secunda ratio est, quòd Christus futurus erat Rex, Propheta, & sacerdos: Abraham autẽ sacerdos fuit: vt patet ex hoc, quòd Dominus dixit ad eum Genes.15. Sume tibi vaccam triennem, &c. Fuit etiam Propheta, secundũ illud quod dicitur Genes.20. Propheta est, & orabit pro te. Dauid autem, Rex fuit, & Propheta. Tertia ratio est: quia in Abraham primò incepit circumcisio: in Dauid autem maximè manifestata est Dei electio: secundum illud quod dicitur.1.Reg.13. Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum. Et ideo vtriusque* B *filius Christus specialissimè dicitur: vt ostendatur esse in salutem, & circumcisioni, & electioni Gentilium.*

Ad primum ergo dicendum, quòd hæc obiectio fuit Fausti Manichæi, volentis probare Christum non esse filium Dauid, quia non est conceptus ex Ioseph, vsque ad quem seriem generationis Matth. perducit. Contra quem August. respondet. 23.lib. contra Faustum, quòd cum idem Euangelista dicat, & virum Mariæ esse Ioseph, & Christi matrẽ Virginem esse, & Christum esse ex semine Dauid, quid restat, nisi credere Mariã non fuisse extrancam à cognatione Dauid, & eam, Ioseph coniugem non frustrà appellatam, C *propter animorum confœderationẽ, quamuis ei non fuerit carne commixtus: & quòd potius propter dignitatem virilem ordo generationum vsque ad Ioseph perducitur. Sic ergo nos credimus etiã Mariam fuisse de cognatione Dauid: quia Scripturis credimus, quæ vtrumque dicunt, & Christum ex semine Dauid secundum carnem, & eius matrem Mariam, non cum viro cõcumbendo, sed virginem. Vt enim dicit Hieronym. super Matth. Ex vna tribu fuit Ioseph, & Maria. Vnde ex lege eam, accipere cogebatur vt propinquam: propter quod & simul*

li.23.ca.8. post mediũ to.6.

Glos. ordi. super.1 ca. Matt. & 3 Luc. Aug. ibid. in initio c. 9.

Mat 1 super illud: Christi generatio sic erat to.9.

mul censentur in Bethleem, quasi simul de vna stirpe generati. ¶ *Ad secundum dicendum, quòd huic obiectioni Grego. Nazian. respondet dicens, quòd hoc nutu superno contigit, vt regium genus sacerdotali stirpi iungeretur, vt Christus, qui rex est, & sacerdos, ab vtrisque nasceretur secundũ carnem. Vnde & Aaron qui fuit primus sacerdos secundum legem, duxit ex tribu Iuda coniugẽ Elisabeth filiam Aminadab. Sic ergo potuit fieri, vt pater Elisabeth aliquam vxorem habuerit de stirpe Dauid: ratione cuius beata Virgo Maria, quæ fuit de stirpe Dauid, esset Elisabeth cognata. Vel potius è conuerso, quòd pater beatæ Mariæ de stirpe Dauid existens, vxorem habuerit de stirpe Aaron. Vel sicut August. dicit. 23. contra Faustum. Si Ioachim pater Mariæ de stirpe Aaron fuit (vt Faustus hæreticus per quasdam scripturas apocryphas asserebat) credendum est, quòd mater Ioachim fuerit de stirpe Dauid, vel etiam vxor eius: ita vt per aliquẽmodum Mariã dicamus fuisse de stirpe Dauid.* ¶ *Ad tertium dicendum, quòd per illam autoritatẽ propheticam (sicut Ambros. dicit super Lucam) non negatur ex semine Iechoniæ posteros nascituros, & ideo de semine eius Christus est. Et quòd regnauit Christus, non contra prophetiã est: non enim seculari honore regnauit. Ipse enim dixit, Regnum meum nõ est de hoc mundo.*

li. 23. ca 9 a med. ad fi. to. 6.

li. 3. in Luc. circa fin. 2. fo. ante fin. libri to. 5.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm cõueniẽter genealogia Christi ab Euangelistis texatur.

170 Matth. 1. Luc. 1. 2. 3 & 4.

AD *tertium sic proceditur. Videtur, quòd genealogia Christi inconuenienter ab Euangelistis texatur: Dicitur enim Isai. 53. De Christo, Generationem eius quis enarrabit? Ergo non fuit generatio Christi enarrãda.* ¶ *2. Præterea, Impossibile est vnum hominem duos patres habere. Sed Matt. dicit, quòd Iacob genuit Ioseph virum Mariæ. Lucas autem dicit Ioseph fuisse filium Heli, ergo contraria sibi inuicem scribunt.* ¶ *3. Præterea. Videntur in quibusdam à se inuicẽ diuersificari. Mathæus enim in principio lib. incipiens ab Abraham, descendendo vsque ad Ioseph, quadraginta duas generationes enumerat. Lucas autem post Baptismum Christi, generationem Christi ponit incipiens à Christo, & perducens generationum numerum vsque ad Deum, ponens generationes septuaginta septẽ vtroque extremo computato. Videtur igitur, quòd inconuenienter generationem Christi describant.* ¶ *4. Præterea, Quarti Reg. 8. legitur, quòd Ioram genuit Ochoziam: cui successit Ioas filius eius: huic autem successit filius eius Amasias, postea regnauit filius eius Azarias, qui appellatur Ozias, cui successit Ioathan filius eius. Mathæus autem dicit, quòd Ioram genuit Oziam: ergo videtur incõuenienter generationem Christi describere, tres Reges in medio prætermittens.* ¶ *5. Præterea, Omnes qui in Christi generatione describũtur patres habuerũt, & matres, & plurimi etiã ex eis fratres habuerũt: Mat. autẽ in generatione Christi tres tantũ enumerat matres, scilicet Thamar, Ruth, & vxorẽ Vriæ: fratres autem nominat Iudæ, & Iechoniæ, & iterum Phares & Zaram. Quorum nihil posuit Lucas. Ergo videntur Euangelistæ inconuenienter genealogiam Christi descripsisse.* ¶ *Sed cõtra est autoritas Scripturæ.*

4. Reg. ca. 11. ibi sup. c. 12. ibi supra ca. 14. ibi sup. ca. 15.

Respondeo dicendum, quòd sicut dicitur 2. ad Timoth. 3. Omnis scriptura sacra est diuinitùs inspirata. Quæ autẽ diuinitùs fiunt, ordinatissimè fiunt: secũdum illud Rom. 13. Quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Vnde cõueniẽti ordine genealogia Christi est ab Euangelistis scripta.

Gloss. ordi. ex Hiero.

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut

inc.1.Mat. in prin. to. 9.

cut Hieron. dicit super Matth. Isaias loquitur de generatione diuinitatis Christi: Matth. autem enarrat generationem Christi secundum humanitatem. Non quidem explicans modum Incarnationis, quia hoc etiam est ineffabile: sed enumerans patres, ex quibus Christus secundū carnem processit. ¶ Ad secundum dicēdum, quòd ad hanc obiectionem, quam mouit Iulianus Apostata, diuersimodè ab aliquibus respondetur. Quidam enim (vt Grego. Nazianze. dicit) licunt eosdem esse, quos vterque Euangelista enumerat: sed sub diuersis nominibus, quasi binomios. Sed hoc stare non potest: quia Matth. ponit vnum filiorum Dauid, scilicet Salomonē: Lucas autem ponit aliū, scilicet Nathan: quos secundum historiā libri Regum constat fratres fuisse. Vnde alij dixerunt, quòd Matthæus veram genealogiam Christi tradidit: Lucas autē putatiuam, vnde incepit, Vt putabatur filius Ioseph. Erāt enim aliqui ex Iudæis, qui propter peccata Regum Iuda, credebant Christum ex Dauid non per reges, sed per aliam eius stirpem hominum priuatorum, esse nasciturum. Alij verò dixerunt, quòd Matthæus posuit patres carnales, Lucas verò posuit patres spirituales, scilicet iustos viros, qui dicuntur patres, propter similitudinem honestatis. In lib. verò de Quæstionibus veteris, & noui testamenti respondetur, quòd non est intelligēdum, quòd Ioseph à Luca dicatur esse filius Heli, sed quòd Heli, & Ioseph fuerunt patres Christi diuersimodè à Dauid descendentes. Vnde de Christo dicitur, quòd putabatur filius Ioseph. & quòd ipse etiam Christus fuit Heli filius: quasi diceret quòd Christus ea ratione qua dicitur filius Ioseph, potest dici filius Heli, & omnium eorum, qui ex stirpe Dauid descenderunt: sicut Apost. dicit Roman. 9. Ex quibus, scilicet Iudæis, Christus est secundū carnē. Augustin. verò in lib. de Quæst. Euangel.

A

B

C

Aug. in lib. q. ex nouo test. qui incipit, Deus certe perfectus est, q. 56. & in alio lib. qui incip. Cur facta & dicta. q. 6. to. 4.

li. 2. c. 5. ante med. to. 4.

tripliciter soluit dicens. Tres causæ occurrunt: quarum aliquam Euangelista secutus est. Aut enim vnus Euangelista patrem Ioseph, à quo genitus est nominauit: alter verò vel auum maternum, vel aliquem de cognatis maioribus posuit. Aut vnus erat huic Ioseph naturalis pater, & alter eum adoptauerat. Aut more Iudæorū, cùm sine filijs vnus decessisset, eius vxorem propinquus accipiens, filiū quem genuit, propinquo mortuo deputauit. Quod etiam quoddā genus adoptionis legalis est, vt ipse August. dicit in. 2. de consensu Euang. Et hæc vltima causa est verior, quam & Hieron. super Matt. ponit: & Euseb. Cæsariensis in Ecclesiastica historia ab Aphricano Historiographo traditam asserit. Dicūt enim quòd Nathan, & Melchi diuersis temporibus de vna eàdemque vxore Iesca nomine, singulos filios procreauerunt: quia Nathan, qui per Salomonem descendit, vxorem eam primùm ceperat, & relicto filio vno Iacob nomine, defunctus est: post cuius obitum (quoniam lex viduam alij viro nō vetat nubere) Melchi, qui per Nathan genus ducit, cum esset ex eadem tribu, sed non ex eodem genere, relictam Nathan accepit vxorem: ex qua etiam ipse suscepit filium nomine Heli. Et sic ex diuerso patrum genere efficiuntur Iacob, & Heli vterini fratres: quorum alter, ideſt, Iacob fratris sui Heli sine liberis defuncti, ex mandato legis accipiens vxorem, genuit Ioseph: natura quidem generis suum filium, secundum verò legis præceptum Heli efficitur filius. Et ideo Matthæus dicit, Iacob genuit Ioseph: sed Lucas, quia legalem generationem describit, nullum nominat aliquem genuisse. Et quanuis Damas. dicat, quòd Beata Virgo Maria Ioseph attinebat secundum illam originem, qua pater eius dicitur Heli, quia dicit eam ex Melchi descendisse: tamen credendum est, quòd etiam ex Salomone originē duxerit, secundū

li. 2. cap. 3. circa prin. to. 4.

Euseb. li. 1. histo. eccle. ca. 6. in fi. & c. 7. parū ante medium, idem habet etiā Ambros. in Luc. lib. 3. inter prin. & med. to. 5.

li. 4 ortho. fidei. c. 15. ante med.

eundum aliquem modum per illos Patres, quos enumerat Matthæus, qui carnalem Christi generationem dicitur enarrare, præsertim cùm Ambr. dicat Christũ de semine Iechoniæ descendisse. ¶ Ad tertium dicendũ, quòd sicut dicit Aug. in lib. de consensu Euang. Matt. regiam in Christo instituerat insinuare personam, Luc. autẽ sacerdotalem. Vnde in generationibus Matthæi significatur nostrorũ susceptio peccatorum à domino Iesu Christo: in quantum scilicet per carnis originem, similitudinem carnis peccati assũpsit. In generationibus autẽ Luc. signatur nostrorum abolitio peccatorum à Christo Domino. Et ideo generationes Matthæus descendens enumerat, Lucas autẽ ascendens. Inde etiam est, quòd Matthæus ab ipso Dauid per Salomonem descendit, in cuius matre ille peccauit: Lucas verò ad ipsum Dauid per Nathã ascendit per cuius nominis Prophetã Deus peccatum illius expiauit. Et inde est etiã, quòd quia Matthæus ad mortalitatem nostrã Christum descendentem voluit signare, ipsas generationes ab Abrahã vsq; ad Ioseph, & vsq; ad ipsius Christi natiuitatẽ descendendo, cõmemorauit ab initio Euangelij sui: Lucas autẽ non ab initio, sed à Baptismo, Christi generationem narrat, nec descendendo, sed ascendendo, tanquã sacerdotem in expiandis peccatis magis assignans: vbi testimoniũ Ioannes perhibuit dicens, Ecce qui tollit peccatũ mundi. Ascendẽdo autẽ transit ab Abraham & peruenit ad Deum: cui mũdati, & expiati reconciliamur. Meritò etiã adoptionis originem ipse suscepit: quia per adoptionem efficimur filij Dei: per carnalem verò generationẽ filius Dei filius hominis factus est. Satis autem demõstrauit nõ se ideo dixisse Ioseph filiũ Heli, quòd de illo sit genitus: sed quòd ab illo fuerit adoptatus, cùm & ipsum Adam filiũ Dei dixerit, cùm sit factus à Deo. Numerus etiam quadragenarius ad tempus præsentis vitæ pertinet, propter quatuor partes mundi: in quo mortalem vitam ducimus sub Christo regnante. Quadraginta autem quater habent decẽ, & ipsa decem ab vno vsq; ad quatuor progrediẽte numero cõsummantur. Posset etiam denarius ad decalogum referri, & quaternarius ad præsentem vitam, vel etiam ad quatuor Euãgelia, secundũ quæ Christus regnat in nobis. Et ideo Matt. regiã personam Christi commendans, quadraginta personas posuit, excepto ipso. Sed hoc intelligendum est, si sit idem Iechonias qui ponitur in fine secundi quaterdenarij & in principio tertij, vt Augustinus vult. Qui dicit factum esse ad significandum, quòd in Iechonia facta est quædam deflexio ad extraneas gentes, quando in Babyloniam transmigratum est: quod præfigurabat Christum à circũcisione ad præputiũ migraturũ. Hiero. autẽ dicit duos fuisse, Ioachin, ideſt, Ieconiam, patrem scilicet, & filium, quorum vterque in generatione Christi assumitur, vt constet distinctio generationũ, quas Euangelista per tres quaterdenarios distinguit, quòd ascẽdit ad quadraginta duas personas. Qui etiam numerus sanctæ cõuenit Ecclesiæ. Hic enim numerus consurgit ex senario, qui significat laborẽ præsentis vitæ, & septenario, qui significat quietẽ vitæ futuræ. Sexies. n. septẽ sunt quadraginta duo. Ipse etiã quaterdenarius: quia ex denario & quaternario cõstituitur per aggregationem, ad eandem significationem pertinere potest, quæ attributa est quadragenario, qui cõsurgit ex eisdem numeris secundũ multiplicationẽ. ¶ Numerus autẽ quo Lucas vtitur in generationibus Christi, significat vniuersitatẽ peccatorũ. Denarius enim tanquam iustitiæ numerus in decem præceptis legis ostenditur. Peccatum autem est legis trãsgressio. Denarij verò numeri transgressio est vndenarius. Septenarius autem significat vniuersitatẽ, quia vni-

li. 3. in Lu. declinando ad fin to. 5 lib. 2 c. 4. in princ. & post mediũ simul, to. 4

li. 2. de consensu euãg. cap. 4. ante med. to. 4.

Matt. 1. super illud. & post trãsmigrationẽ Babylonis, to. 9. idem habet Ambro. in Lu. li. 3. nõ multum procul a fin. to. 5.

vniuersum tempus septenario dierum numero voluitur, septies autem vndecim sunt septuaginta septem, & ita per hoc significatur vniuersitas peccatorũ, quæ per Christum tolluntur.

Ad quartum dicendum, quòd sicut Hiero. *super Matth. dicit, quia Ioram rex generi se miscuerat impiissimæ Iezabelis: idcirco vsq; ad tertiam generationem, eius memoria tollitur, ne in sanctæ natiuitatis ordine poneretur. Et ita vt Chrisost. dicit, quanta benedictio facta est super Iehu, qui vindictam fecerat super domũ Achab, & Iezabel, tanta est maledictio super domum Ioră, propter filiã iniqui Achab, & Iezabel, vt vsque ad quartam generationem præcidantur filij eius de numero Regum: sicut scriptum est Exod. 20. Reddam peccatũ parentum in filios vsque ad tertiam, & quartam generationem. Est etiam attẽdendum, quòd & alij Reges fuerunt peccatores, qui in genealogia Christi ponũtur: sed non fuit eorum continua impietas. Nam vt dicitur in lib. Quæstionum veteris, & noui Testamenti, Salomõ merito patris sui dimissus in regno est, Roboam, merito Asa filij sui: horum autem trium continuauit impietas.*

Matt. 1. super illud, Ioram genuit Oziã, tom. 9.

Homil. 1. in opere imperfecto, to. 2.

Aug. in li. q. ex nouo Testa. q. 85 tom. 4.

Ad quintum dicendum, quòd sicut dicit Hiero. *super Matth. In genealogia Saluatoris nulla sanctarum mulierum assumitur, sed eas quas Scriptura reprehendit: vt qui propter peccatores venerat de peccatoribus nascens, omnium peccata deleret. Vnde ponitur Thamar, quæ reprehenditur de socerino concubitu: & Raab, quæ fuit meretrix: & Ruth, quæ fuit alienigena: & Bethsabèe vxor Vriæ quæ fuit adultera. Quæ tamen proprio nomine non ponitur, sed ex nomine viri designatur: tum propter peccatum ipsius, quæ fuit adulterij, & homicidij cõscia: tum etiam vt nominato viro, peccatum Dauid ad memoriam reuocetur. Et quia Lucas Christũ designare intendit, vt peccatorum expiatorem, talium mulierum mentionem non facit. Fratres autem Iudæ commemorat, vt ostendat eos ad Dei populum pertinere: cùm tamẽ Ismael frater Isaac, & Esau frater Iacob à populo Dei fuerint separati: propter quod in generatione Christi non commemorantur, & etiam vt superbiam de nobilitate excludat. Multi enim fratrũ Iudæ ex ancillis nati fuerunt: sed omnes simul erãt Patriarchæ, & tribuum principes. Phares autem, & Zaram simul nominantur, (vt Ambr. dicit super Lucam) quia per eos gemina describitur vita populorum: vna secũdum legem, quæ significatur per Zaram: altera secundum fidem, quæ significatur per Phares: Fratres autem Iechoniæ ponit, quia omnes regnauerant diuersis temporibus, quod in alijs Regibus non acciderat, vel quia eorũ similis fuit, & iniquitas, & miseria.*

Matt. 1. super illud, Iudas genuit Phares to. 9.

libro. 3. in Luc. aliquã tulum ante medium, to mo. 3.

DE hac re latè diximus supra disputati. 2. huius tomi secti. 3. vbi propter loci opportunitatem genealogiam B. Virginis texere necessariũ fuit, qua explicata, nihil est, quod de Christi genealogia dicamus, nec circa literam D. Thom. nouum aliquid explicãdum occurrit.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrùm decuerit Christum nasci de fœmina.

171 3. d. 12. q. 3. ar. 2. q. 2 & opu. 3. c. 228.

AD quartum sic proceditur. *Videtur, quòd materia corporis Christi non debuerit esse assũpta de fœmina. Sexus enim masculinus est nobilior, quàm sexus fœmineus. Sed maximè decuit vt Christus assumeret id, quod est perfectũ in humana natura. Ergo videtur, quòd nõ debuerit de fœmina carnẽ assumere, sed magis de viro: sicut et Eua de costa viri formata est.*

¶ 2. *Præterea, Quicunq; ex fœmina conci-*

cipitur, vtero fœminæ concluditur. Sed Deo qui cœlum, & terram implet (vt dicitur Hierem. 23.) nõ competit quòd paruo fœminæ vtero includatur. Ergo videtur, quòd nõ debuerit cõcipi de fœmina.

¶ 3. Præterea, illi, qui concipiuntur ex fœmina, quandam immunditiam patiuntur. Vnde dicitur Iob. 25. Nunquid iustificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Sed in Christo nulla immunditia esse debuit ipse enim est Dei sapientia: de qua dicitur Sapientiæ septimo, Nihil inquinatũ in illam incurrit. Ergo nõ videtur, quòd debuerit carnem assumere de fœmina.

¶ Sed contra est, quod, quod dicitur Galat. 4. Misit Deus filiũ suum factum ex muliere.

Respondeo dicendum, quòd licet filius Dei carnem humanam assumere potuerit, de quacunque materia voluisset: conuenientissimum tamen fuit, vt de fœmina carnem acciperet. Primò quidem, quia per hoc tota humana natura nobilitata est. Vnde august. dicit lib. 83. Quæ-
q. 11. in me stionum, Hominis liberatio in vtroque dio, tom. 4 sexu debuit apparere. Ergo, quia virum oportebat suscipere, qui sexus honorabilior est, conueniens erat vt fœminei sexus liberatio hinc appareret, quòd ille vir de fœmina natus est. Secundò, quia per hoc veritas incarnationis astruitur. Vnde Ambro. dicit in libro de incarna-
cap. 6. circa med. to 2 Multa in Christo secũdum naturam inuenies, & vltra naturam: secũdum conditionem etenim naturæ in vtero fœminei corporis fuit, sed supra conditionem virgo concepit, virgo generauit: vt crederes, quia Deus erat, qui innouabat naturam, & homo erat, qui secundum naturam nascebatur ex homine. Et August. dicit in epistola ad Volusia. Si omnipotẽs
Est epist. 3. ante med. tom. 2. Deus hominem vbicunque formatum, non ex materno vtero crearet, sed repẽtinum inferret aspectibus, nonne opinionem confirmaret erroris, nec hominem verum suscepisse, vllo modo crederetur? & dum omnia mirabiliter facit, auferret quod misericorditer fecit. Nunc verò ita inter Deum, & hominem mediator apparuit, vt in vnitate personæ copulans vtranque naturam, & solita sublimaret insolitis, & insolita solitis tẽperaret. Tertiò, quia per hunc modum completur omnis diuersitas generationis humanæ. Nã primus homo productus est ex limo terræ sine viro, & fœmina: Eua verò producta est ex viro sine fœmina: alij verò homines nascũtur ex vire, & fœmina. Vnde hoc quartũ quasi Christo proprium relinquebatur, vt produceretur ex fœmina sine viro.

Ad primum ergo dicendum, quòd quia sexus masculinus est nobilior, quã fœmineus, ideo humanam naturam in masculino sexu assumpsit: ne tamen sexus fœmineus contemneretur, congruũ fuit, vt carnem assumeret de fœmina. Vnde Augusti. dicit in lib. de Agone Christiano: Nolite vosipsos contemnere viri, filius Dei virum suscepit: nolite vosipsas contemnere fœminæ, filius Dei natus ex fœmina est. ca. 11. circa med. to. 3.

Ad secundum dicendum, quòd sicut August. dicit. 23. lib. contra Faustum (qui hac obiectione vtebatur.) Non planè, inquit, catholica fides, quæ Christum Dei filium, natum secundum carnem credit ex virgine, vllo modo eundem Dei filium sic in vtero mulieris includit, quasi extrà non sit, quasi cœli, & terræ administrationem deseruerit, quasi à Patre recesserit: sed vos Manichæi corde illo, quo nihil potestis nisi corporalia phantasmata cogitare, ista omnino non capitis. Vt enim dicit in epistola ad Volusia. Ho Est epist. 3 minum iste sensus est nihil nisi corpora aliquãtulũ valentium cogitare: quorum nullum potest esse vbique totum: quoniam per innumerabiles partes aliud alibi habeat necesse est. Lõgè alia est animæ natura, quã corporis: quãtò magis Dei, qui creator lib. 23. cap. 10. ante medium, to. 6. a prin. to. 2

tor est, & animæ, & corporis, & nouit ubique totus esse, & nullo contineri loco: nouit venire, non recedendo ubi erat: nouit abire, non deserendo quò venerat.

Ad tertium dicendum, quòd in conceptione viri ex fœmina non est aliquid immundum, in quantũ est opus Dei: unde dicitur Act. 10. Quod Deus creauit, tu ne commune dixeris, idest, immundum. Est ibi tamen aliqua immunditia ex peccato proueniens, prout cum libidine quis concipitur ex commixtione maris, & fœminæ, quod tamen in Christo non fuit, vt suprà ostensum est. Si tamen aliqua esset q. 19. ar. 2. *ibi immunditia, ex ea non inquinaretur Dei Verbum, quod nullo modo est immutabile, vel alterabile. Unde Augustin.* cap. 5. circa med. to. 6. *dicit in lib. contra quinq; hæreses. Dicit tibi Deus creator hominis, filius hominis, Quid est, quod te permouet in mea natiuitate? non sum libidinis conceptus cupiditate: ego matrem, de qua nascerer, feci. Si solis radius cloacarum sordes siccare nouit, eis inquinari non nouit: quantò magis splendor lucis æternæ, quocunque radiauerit mundare potest, & ipse pollui non potest?*

Littera huius articuli tã perspicua est, vt non indigeat expositione. De re autem ipsa præter ea, quæ in primo tomo, disput. 3. attigi tractando de conuenientia incarnationis, disputaui supra in hoc tomo disput. 1. sect. 1. & disput. 5 sect. 1. & in sequentibus nonnulla addemus.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum corpus Christi de purissimis sanguinibus Virginis formatum fuerit.

172 3. di. 3 q. 2 art. 5. AD quintum sic proceditur. Videtur, quod caro Christi non fuerit concepta ex purissimis sanguinibus Virginis. Dicitur enim in collecta, quòd Deus Verbũ suum de Virgine carnem sumere voluit. Sed caro differt à sanguine Virginis. Ergo corpus Christi non est sumptũ de sanguine Virginis.

¶ 2. *Præterea, Sicut mulier formata est miraculosè de viro, sic corpus Christi miraculosè formatum est de Virgine. Sed mulier non dicitur esse formata de sanguine viri, sed magis de carne, & ossibus eius, secundum illud, quod dicitur Genes. 2. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Ergo videtur, quòd nec etiam corpus Christi formari debuerit de sanguine Virginis, sed de carnibus, et ossibus eius.*

¶ 3. *Præterea, corpus Christi fuit eiusdẽ speciei cũ corporibus aliorum hominum: sed corpora aliorum hominum non formãtur ex purissimo sanguine, sed ex semine & sanguine mẽstruo. Ergo videtur, quòd nec etiam corpus Christi fuerit conceptum ex purissimis sanguinibus Virginis.* lib. 3. orth. fid ca. 2. in med. o. ¶ *Sed contra est, quod Damasc. dicit in 3. lib. quòd filius Dei construxit sibi ipsi ex castissimis, & purissimis sanguinibus Virginis, carnem animatam anima rationali.*

Respondeo dicendũ, quòd sicut suprà dictũ est, in conceptione Christi fuit secundum conditionem naturæ, quòd est natus ex fœmina, sed supra conditionẽ naturæ, quòd est natus ex Virgine. Habet autẽ hoc naturalis conditio, quòd in generatione animalis fœmina materiam ministret, ex parte autem maris sit principium actiuũ in generatione, sicut probat Philosophus in libro de Generatione animalium. Fœmina autẽ, quæ ex mare concepit, non est virgo: & ideò ad supernaturalem modum generationis Christi pertinet, quòd actiuum principium in generatione illa fuerit virtus supernaturalis diuina. Sed ad naturalem modum generationis eius pertinet, quòd eius materia, de qua corpus eius conceptum est, sit consormis materiæ quam Art præc. lib. 1. c. 19. in fin. præcitat: & lib. 2. c. 4. & 5. to. 4.

aliæ fœminæ subministrant ad conceptionem prolis. Hæc autem materia secũdum Philosophum in lib. de generatione animalium, est sanguis mulieris nõ quicunque, sed perductus ad quandam ampliorem digestionem, per virtutem generatiuam matris, vt sit materia apta ad conceptum, & ideo ex tali materia fuit corpus Christi conceptum.

lib 1 cx c. 18. & 19. tom. 4.

Ad primum ergo dicẽdum, quòd cùm Beata Virgo fuerit eiusdem naturæ cũ alijs fœminis, consequens est, quòd habuerit carnem, & ossa eiusdem naturæ. Carnes autem, & ossa in alijs fœminis B sunt actuales corporis partes, ex quibus constituitur integritas corporis, & ideo subtrahi non possunt sine corruptione corporis, vel diminutione. Christus autẽ, qui venerat corrupta reparare, nullam corruptionem, aut diminutionem integritatis matris eius inferre debuit, vt suprà dictum est. Et ideo non debuit corpus Christi formari de carne vel ossibus Virginis, sed de sanguine, qui nondũ est actu pars, sed est potentia totum, vt dicitur in libro de generatione animalium. Et ideo dicitur, carnem de Virgine sumpsisse: non quòd materia corporis eius fuerit actu caro, sed sanguis, qui est potentia caro. C ¶ Ad secundũ dicẽdum, quòd sicut in prima parte dictum est, Adam, quia institutus erat, vt principiũ quoddam humanæ naturæ, habebat in suo corpore aliquid carnis, & ossis, quod nõ pertinebat ad integritatem personalem ipsius, sed solùm in quantum erat naturæ humanæ principium: & de tali carne formata est mulier absque viri detrimẽto. Sed nihil tale fuit in corpore Virginis: ex quo corpus Christi posset formari sine corruptione materni corporis.

q. 28. art. 1. & 2.

P. 1 q. 92. art. 3. ad. 2. argum.

¶ Ad tertium dicendum, quòd semen fœminæ non est generationi aptum, sed est quiddã imperfectum in genere seminis, quod non potuit perduci ad perfectũ seminis complementum, propter imperfectionem virtutis fœmineæ. Et ideo tale semen non est materia, quæ de necessitate requiratur ad conceptum: sicut Philosophus dicit in libro de Generatione animalium. Et ideo in conceptione corporis Christi non fuit: præsertim quia licet sit imperfectũ in genere seminis, tamen cum quadam concupiscentia resoluitur, sicut & semen maris. In illo autem conceptu virginali, concupiscentia locum habere non potuit, & ideo Damascen. dicit, quòd corpus Christi non seminaliter conceptum est. Sanguis autem mẽstruus, quem fœminæ per singulos menses emittunt, impuritatem quandam naturalem habet corruptionis: sicut & cæteræ superfluitates, quibus natura non indiget, sed eas expellit. Ex tali autem mẽstruo corruptionem habente, quod natura repudiat, non formatur conceptus: sed hoc est purgamentũ quoddam illius puri sanguinis, qui digestione quadam est præparatus ad conceptum: quasi purior, & perfectior alio sanguine. Habet tamen impuritatem libidinis in conceptione aliorum hominum: in quantum ex ipsa commextione maris, & fœminæ, talis sanguis ad locum generationi congruum attrahitur. Sed hoc in conceptione Christi non fuit: quia operatione Spiritus sancti talis sanguis in vtero Virginis adunatus est, & formatus in prolẽ. Et ideo dicitur corpus Christi ex castissimis, & purissimis sãguinibus Virginis formatũ.

lib. 3 orth. fid. c. 1. 4. 6. & 7.

COMMENTARIVS.

NOtanda est hoc loco ratio D. Tho. Inde enim probat Christi corpus fuisse formatum ex sanguine Virginis, quia formatus est Christus ex Virgine tanquam vetus filius eius, ad hoc autẽ necessarium fuit. vt Beata Virgo in illa conceptione præstiterit, quod aliæ fœminę in conceptione filiorum præstare solent, vt matres possint appellari, illud autem præcipuum est, quod sanguinem suum subministrant, ex quo fœtus possit formari, hoc ergo vt minimum necessarium fuit in Virgine, vt mater possit appellari.

pellari. Non enim satis esset, quòd Christus acciperet corpus ex Virgine formãdo illud ex costa. v. g. aut alio simili modo, quia non magis posset filius eius appellari, quã Eua dici possit filia Adæ, & ideó formatus est, B. Virgine verissimè, ac proprissime sanguinem suum subministrante, tanquam vera mater. Dicitur autem ille sanguis fuisse purissimus, quia vt hic D. Tho. ex Aris. refert, & indicat Aug. lib. 83. quęstionũ. q. 56. etiã in alijs matribus humanũ corpus ex puro sanguine, magisq; digesto fabricatur, in B. autem Virgine fuit purissimus, tum ob singularem eius temperantiã: tũ etiã ob singularẽ Spiritus sancti curam, & prouidẽtiã. Et hęc ratio D. Th. tã efficax est, & euidẽs supposito principio fidei, vt cõclusionem faciat omnino certã, & ita recepta est cõmuni cõsensu, & traditione totius ecclesiæ. Et habetur in. 6. Synod. act. 11. in epist. Sophronij, & in Damasceno, quem hic D. Tho. citat, & in alijs patribus communiter. Occurrebant autem difficultates circa veritatem hanc, quę, quia modũ conceptionis attingun, t tractabuntur cõmodius in disputatione sequenti. Cætera sunt clara in articulo. Nam illa quæstio, an sanguis informetur anima, quam D. Tho. hic attigit in argumento primo in Pri. Tom. circa quęs. 4. latissimè disputata est.

D. Thom. Aristot. August. 6. Synod. Damasce.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum corpus Christi in antiquis patribus fuerit secundum aliquid signatum.

173 3. d. 3. q. 4. artic. 2.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quòd corpus Christi fuerit secundum aliquid signatũ in Adam, & in alijs patribus. Dicit enim August. 10. super Gene. ad literam, quòd caro Christi fuit in Adam, & Abraham secundum corpulentã substantiam. Sed substantia corpulenta est quiddam signatũ. Ergo caro Christi fuit in Adam, & Abraham, & alijs patribus secundum aliquid signatum.

lib. 10. ca. 19. & 20. tom. 3.

¶ 2. Præterea, Roman. 1. dicitur, quòd Christus factus est ex semine Dauid secundum carnem. Sed semen Dauid fuit aliquid signatum in ipso. Ergo Christus fuit in Dauid secundum aliquid signatum, & eadẽ ratione in alijs patribus.

¶ 3. Præterea, Christus ad humanum genus affinitatem habet, in quãtum ex humano genere carnem assumpsit. Sed si caro illa non fuit secundum aliquid signatum in Adam, nullam videtur habere affinitatem ad humanum genus, quod ex Adã deriuatur: sed magis ad alias res, vnde materia carnis eius assumpta est. Videtur ergo, quòd caro Christi fuerit in Adam, & in alijs patribus secũdum aliquid signatum. ¶ Sed contra est, quòd August. dicit. 10. super Gene. ad literã: Quocunq; modo Christus fuit in Adam, & Abraham, & alijs patribus, alij homines etiam ibi fuerunt, sed non conuertitur. Alij autem homines non fuerunt in Adam, & Abraham, secundum aliquam materiam signatam, sed solùm secundum originem, vt in Prima parte habitum est. ergo neque Christus fuit in Adam, & Abraham secundum aliquid signatum, & eadem ratione nec in alijs patribus.

lib. 10. ex c. 19. et. 26 colligitur, tom. 3.

1. p. q. vlti. art. 1.

Respondeo dicendum, quòd sicut suprà dictum est, materia corporis Christi non fuit caro, & os Beatæ Virginis, nec aliquid, quod fuerit actu pars corporis eius, sed sanguis, qui est potentia caro. Quicquid autem fuit in Beata Virgine à parentibus acceptum, fuit actu pars corporis Beatæ Virginis. Vnde illud quod fuit in Beata Virgine à parentibus acceptum, non fuit materia corporis Christi. & ideo dicendum est, quòd corpus Christi non fuit in Adam, & alijs patribus secundum aliquid signatum, ita scilicet quòd aliqua pars corporis Adæ vel alicuius alterius posset designari determinatè, vt diceretur quòd ex hac materia determinatè formabitur corpus Christi: sed fuit ibi secundum originem, sicut et caro aliorum hominum. Corpus enim Christi habet relationem ad Adam, & alios patres mediante corpore matris eius. Vnde nullo alio modo fuit in patribus

Art, præc.

corpus Christi, quàm corpus matris eius, quod non fuit in patribus secundum materiam signatam, sicut nec corpora aliorum hominum: vt in 1. parte dictum est.

1.p qō. vlt. art. 1.

Ad primum ergo dicendū, quòd cùm dicitur Christus fuisse in Adam secundum corpulentam substantiam, non est intelligendū hoc modo, quòd corpus Christi in Adam fuerit quædam corpulenta substantia: sed quia corpulenta substantia corporis Christi, idest, materia, quam sumpsit ex Virgine, fuit in Adam, sicut in principio actiuo, nō autem sicut in materiali principio: quia scilicet per virtutem generatiuam Adæ, & aliorum ab Adam descendentium vsq; ad Beatam Virginem, factū est, vt illa materia præpararetur ad conceptum corporis Christi. Non autem fuit materia illa formata in corpus Christi, per virtutem seminis ab Adam deriuatam. Et ideo Christus dicitur fuisse in Adam originaliter, secundum corpulentam substantiam: non autē secundum seminalem rationem.

Ad secundum dicendum, quòd quamuis corpus Christi non fuerit in Adam, & in alijs patribus, secundum seminalē rationem: corpus tamē Beatæ Virginis, quod ex semine maris est cōceptum, fuit in Adam, & in alijs patribus secundum rationem seminalem. Et ideo mediante Beata Virgine, Christus secundum carnem dicitur esse ex semine Dauid per modum originis.

Ad tertium dicendum, quòd Christus habet affinitatem ad humanum genus secundum similitudinem speciei. Similitudo autem speciei attenditur, non secundum materiam remotam: sed secundum materiam proximam, & secundum principium actiuum, quod generat sibi simile in specie. Sic igitur affinitas Christi ad humanum genus sufficienter conseruatur, per hoc, quòd corpus Christi formatum est ex sanguinibus Virginis, deriuatis secundum originē ab Adam, & alijs patribus. Nec refert ad hāc affinitatem vndecunque materia illorum sanguinum sumpta fuerit: sicut nec hoc refert in generatione aliorum hominum, sicut in Prima parte dictum est.

COMMENTARIVS.

REcte aduertit Caiet. D. Tho. hanc mouisse quęstionem occasione cuiusdā antiquę opinionis, quæ, vt carnem Christi tā in se, quam in suis parentibus omnino faceret à peccato, debitoq; peccati liberam, asseruit Deum in Adamo particulam quādam substantiæ eius designasse, & quasi seorsum parasse, vt omnino esset à lege peccati præseruata, eamque vsq; ad B. Virginem, per omnes sibi succedentes progenitores eius, integram fuisse transfusam, vt ex illa purissima Christi caro formaretur. Quam sententiam inter recentiores defendit Galatin. lib. 7. cap. 4. D. autem Thomas merito hanc sententiā reijcit, est enim reuera merum figmentum. Indicat autem D. Tho. duplicem rationē. Prima est, quia Christi caro non fuit formata ex aliqua materia, quæ fuerit actu pars corporis Virginei, non ergo fuit formata ex illa particula signata, quę in prioribus parentibus præcesserit, & Virgini communicata fuerit. Patet consequentia, quia Christi corpus nō fuit formatum ex prioribus parentibus, nisi mediante B. Virgine: B. autem Virgo non habuit à suis parentibus, nisi ea, quæ fuerūt actu partes corporis eius.

Galatin:

Obiectio.

Dices, filius nō solum habet à matre actu partes, sed etiam humores, & sanguinem, qui est pars in potētia. Respōdetur, estò, ita sit eo tempore, quo fętus concipitur, nihilominus tamen eo tempore, quo B. Virgo filium concepit, non potuit in suo corpore habere aliquid â parentibus acceptum, quod non esset actu pars eius, quia si aliquid sanguinis in prima cōceptione susceptit á matre, non potuit toto illo tempore conseruari sub forma sanguinis, quia cùm esset potentia caro, & agens propinquum, necesse est, vt tandē fuerit in carnem, vel ossa conuersum. Vnde cōfirmari potest hęc ratio, nā vel illa particula substātiæ, ex qua formatū fingitur Christi corpus erat incorruptibilis, & hoc asserere hæreticum est, aut corruptibilis, & mutabilis in hominis

Responsio.

hominis substantiã, & ita non potuit perpetuò immutata conseruari, & transfundi. Nisi forte dicatur miraculosè fuisse cõseruatam, quod voluntarium & sine fundamento est, & oportebit præterea aliud miraculũ adiungere, quo illa particula substãtiæ perpetuò fuerit à parentibus in filios transfusa. Non enim transfundi poterat ex vi seminalis generationis naturalis, tum quia non transfundebatur, vt ex ea formaretur proles, neque vt informaretur anima eius, neque vt concurreret ad generationem eius, sed solum, vt deferretur vsque ad Christum: tum etiam, quia illa particula solũ deriuabatur, iuxta hanc sententiam, ad eos filios, ex quibus venturus erat Christus, & non ad alios, etiam si fortasse prius tempore ab eodem parente, per eandem seminalem virtutem, & facultatẽ generarẽtur. Sequitur ergo illam transfusionem, & propagationem, prout ad Virginẽ, vel Christũ pertinebat, nunquã fuisse naturalem, sed miraculosam, & potius diuina, quàm humana actione, ac voluntate factum essẽ, vt illa particula trãsfunderetur. Quod per se absurdissimum est. Et præterea ex illo sequitur Christum non fuisse filium Dauid, neq; Abrahæ, quod est contra scripturam, sequela patet, quia omnes illi antiqui patres, re vera nõ fuerunt iuxta hanc sententiam veri progenitores Christi, sed solum quasi deferentes illam particulã, quæ diuino arbitrio, & motione comitabatur alicuius filij generationem.

Secunda ratio, quam tacite indicat D. Thom. est, quia corpus Christi non fuit in parentibus aliter quam corpus Virginis, quia non fuit in illis, nisi mediante Virgine, sed corpus B. Virginis non fuit in patribus secundum materiam signatam, quia non fuit in illis aliter, quàm alij filij sint in suis parentibus. Quod D. Tho. non probat, est autem certissimum, quia Beata Virgo fuit naturali modo concepta per veram seminalem propagationem, aliãs nõ fuisset ex vi sue conceptionis peccato obnoxia (quod Galatin. consequenter admittit) grauiter tamen errat, vt supra ostensum est. Aliter tamen respondere posset, & vitare huius rationis vim, negãdo maiorem, & dicendo, Virginem quidem fuisse conceptam ex communi, & infecta materia, sicut progenitores eius, tamen in illam fuisse transfusam illam particulam, ex qua corpus Christi formandũ erat, sicut in omnibus præcedẽtibus progenitoribus factũ fuerat. Sed licet hoc ita sit, nõ obstat, quia ratio D. Tho procedit cõtra eos, qui asserebant, corpus Virginis ex illa particula fuisse formatum; tamen contra alium modum explicandi illam sententiã sufficienter concludunt, quæ in prima ratione adducta sunt. Et addi præterea potest, quòd iuxta illum modum non fuisset formatum Christi corpus ex sanguine Virginis, neq; de substantia eius magis, seu proximius, quàm de substantia Adæ, vel Abrahę. Patet cõsequẽtia, quia solum fuisset formatum ex materia illius particulæ, quę eadẽ numero fuerat in Adamo, Abraham, &c, solumq; fuisset differentia, quód tempore formationis Christi illa particula inuenta est in corpore Virginis, & non in alijs. Hęc autẽ omnia sunt absurda, & à doctrina fidei aliena, & ideo hęc sentẽtia antiquata prorsus est, & ab omnibus reiecta. Ad fundamentum verò eius respondet D. Tho. duobus articulis sequentibus. In argumentis verò quæ in hoc articulo proponit, & in solutionibus eorum, nihil explicandum occurit.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrùm caro Christi in Patribus fuerit peccato obnoxia.

174 3.di.3.q.4 art.1.

AD *septimũ sic proceditur. Videtur, quòd caro Christi in antiquis patribus peccato infecta non fuerit. Dicitur enim Sapien.7. quòd in diuinam sapientiam nihil inquinatum incurrit. Christus autem est Dei sapientia, vt dicitur.1.ad Corinthios.1. Ergo caro eius nunquam peccato inquinata fuit.*

lib.3.c.6. & 7. non lõge a principio. & c.2 a medio.

¶ 2. *Præterea, Damascenus dicit in tertio libro, quòd Christus primitias nostræ naturæ assumpsit. Sed in primo statu caro humana nõ erat peccato infecta. Ergo caro Christi nõ fuit infecta, nec in Adã nec in alijs patribus.*

lib.10.cap. 20. a med. tom.3.

¶ 3. *Præterea, Augustin. dicit. 10. super Gen. ad literã, quòd natura humana semper habuit cũ vulnere vulneris medicinã*

Sed id, quod est infectum, non potest esse vulneris medicina, sed magis ipsum indiget medicina. Ergo semper in natura humana fuit aliquid non infectum, ex quo postmodum est corpus Christi formatum. ¶ *Sed contra est, quòd corpus Christi non refertur ad Adam, & ad alios patres, nisi mediante corpore Beatæ Virginis: de qua carnem assumpsit. Sed corpus Beatæ Virginis totum fuit in originali peccato conceptum, vt suprà dictum est: & ita etiam secundum quòd fuit in patribus, fuit peccato obnoxiũ. Ergo caro Christi, secundum quòd fuit in patribus, fuit peccato obnoxia.*

q.27.art.2 & q.14. art.3.ad 1

Respondeo dicendum, quòd cùm dicimus Christum, vel carnem eius fuisse in Adam & in alijs patribus, comparamus ipsum, vel carnem eius ad Adam, & ad alios patres. Manifestum autẽ est, quòd alia fuit conditio patrum, & alia Christi. Nam patres fuerunt subiecti peccato, Christus autem fuit omnino à peccato immunis. Dupliciter ergo in hac comparatione errare contingit. Vno modo vt attribuamus Christo, vel carni eius conditionem, quæ fuit in patribus: puta, si dicamus, quòd Christus in Adã peccauit: quia in eo aliquo modo fuit, quod est falsum: quia non eo modo in eo fuit, vt ad Christum peccatũ Adæ peruenire t: quia non deriuatur ab eo secundum concupiscentiæ legem, siue secundum rationẽ seminalem, vt suprà dictum est. Alio modo contingit errare, si attribuamus ei, quod actu fuit in patribus, conditionem Christi vel carnis eius, vt scilicet, quia caro Christi, secundum quod in Christo fuit, non fuit peccato obnoxia: ita etiam in Adam, & in alijs patribus fuerit aliqua pars corporis eius, quæ non fuit peccato obnoxia, ex qua postmodum corpus Christi formaretur: sicut quidam posuerunt. Quod quidẽ esse non potest. Primò, quia caro Christi non fuit secundum aliquid signatum in Adam, & in alijs patribus, quod posset distingui à reliqua eius carne, sicut purum ab impuro: sicut iam suprà dictum est. Secundò, quia cùm caro humana peccato inficiatur ex hoc, quòd est per concupiscentiam concepta: sicut tota caro alicuius hominis per concupiscentiam concipitur, ita etiam tota peccato inquinatur. Et ideo dicendum est, quòd tota caro antiquorum patrum fuit peccato obnoxia, nec fuit in eis aliquid à peccato immune, de quo postmodum corpus Christi formaretur.

art.præce. ad.1.et.qõ. 15. art.1. ad.2.

art. præce. & qõ. 15. art. 1. ad. 2.

Ad primum ergo dicendũ, quòd Christus non assumpsit carnem humani generis subiectam peccato, sed ab omni infectione peccati mundatam. Et ideo in Dei sapientiam nihil inquinatum incurrit. ¶ *Ad secundum dicendum, quòd Christus dicitur primitias nostræ naturæ assumpsisse, quantum ad similitudinem conditionis: quia scilicet assumpsit carnem peccato non infectam, sicut fuerat caro hominis ante peccatum. Non autem hoc intelligitur secundum continuationem puritatis: ita scilicet quòd illa caro puri hominis conseruaretur à peccato immunis, vsq; ad formationẽ corporis Christi.* ¶ *Ad tertium dicendum, quòd in humana natura ante Christum erat vulnus, id est, infectio originalis peccati in actu: medicina autem vulneris non erat ibi actu, sed solùm secundum virtutem originis: prout ab illis patribus propaganda erat caro Christi.*

COMMENTARIVS.

HVnc articulum proposuit D. Tho. vt illam signatam particulam, de qua in præcedenti articulo dictum est, ostenderet necessariam non esse, vt caro Christi ab omni peccato, ac debito peccati immunis fuerit ex vi suę originis. Primum ergo supponit Christum omnino fuisse peccato liberum, & debito, ac origine peccati, quia nõ peccauit in Adamo, cum in illo non fuerit contentus secũdum seminalem rationem, quo-

quoniam non erat ex illo formandus,& cõcipiendus per seminalem originem. Ex quo fit non esse necessarium ad hanc Christi immunitatem,& innocentiam,vt præcesserit in parentibus illa signata particula immunis peccati,quia caro Christi non fuit in parentibus in actu secundum aliquid signatum,sed tantum in potẽtia materiali proximè,vel remote. Imo addit D. Th. non esse possibilem illam particulam, quia tota caro hominis peccato inquinatur,cúm tota per concupiscentiam concipiatur,quæ conceptio est proxima radix, & origo talis infectionis. Quę ratio optimè concludit,si particula illa propagari, seu communicari dicatur ex vi seminalis conceptionis:si verò hoc negetur, vel fingantur alia inusitata miracula, procedunt rationes superius factæ. Et hactenus D. Tho.in corpore articuli.

Ex quibus,si quis attentè consideret, intelliget,D.Thomam non respondisse directe quæstioni propositæ. Solum enim concludit,totam carnem antiquorum patrum fuisse peccato obnoxiam, nec fuisse in eis aliquid à peccato immune, de quo postmodum Christi corpus formaretur, vnde,licet res satis constet:tamen de modo loquendi dubitari potest, an simpliciter concedi possit,carnem Christi in patribus fuisse peccato obnoxiam. Caietanus enim hoc loco existimat posse concedi, *Caietan.* carnem Christi in patribus fuisse peccato obnoxiam. Nam licet prius reduplicationem,& quasi limitationem posuisset,dicens,*caro Christi in patribus, vt in patribus*: postea tamen simpliciter illud concedit, imo Magister sententia.in.3.d.3.con- *Magist.* cedit,carnem Christi prius,quàm conciperetur,fuisse peccato obligatam, seu ob- *D. Thom.* noxiam,& videtur fauere D. Tho.articu. sequenti,argumento tertio cum solutione. Sed quanuis res constet, in modo loquendi oportet cautionem adhibere. Vnde in primis nullo modo dicendum est absolute,carnem Christi fuisse peccato obnoxiam,tum quia neque in se fuit vnquam subiecta debito peccati,neque ex parentibus habuit originem,propter quam futura esset peccato obnoxia. Deinde illa propositio,caro Christi in parẽtibus fuit peccato obnoxia,non est admittenda. Ratio est,quia caro Christi non continebatur actu in parentibus,vt autem erat in potentia non erat in illis secundum seminalem virtutem, & ideo non poterat ex vi talium parentum,seu causarum maculari, seu peccato subijci,quia illi parentes solum poterant inficere carnem, quam in seminali virtute continebant,ergo non potest caro Christi dici obnoxia peccato in suis causis,& parentibus,quia hoc nihil aliud significat,quàm ita contineri in illis, vt ab illis possit infici, seu maculari per propagationem. Tertio dicere possumus, carnem antiquorum patrum,quæ in potentia carnem Christi continebat, fuisse peccato subiectam,vel obnoxiam. Hoc patet ex præcedẽti articulo. Quia caro Christi non fuit formata ex aliqua signata particula,quæ in eius parentibus fuerit ab infectione peccati omnino immunis: sed tota caro precedentium patrũ de se legi peccati subiecta fuit,& hoc modo vere dicitur Christus natus ex peccatoribus, *vt ex peccatoribus nascens,omnium peccata deleret,* vt Orig.dixit homil.28.in Luc.& Hiero- *Origen.* ny.Matth.1.qui notat,ad indicandã hanc *Hieron.* Dei benignitatem,in genealogia saluatoris,potius peccatricum mulierum mentionem fieri,quàm sanctarum. Et Caietanus sine dubio nihil aliud intendit, & ideo addit reduplicationem illam,*vt in parentibus,* *D. Thom.* & D.Tho.dixit,*secundum qualitatem,quam habuit in suis parentibus*,quod est dicere,nõ ipsam,sed carnem suorum parentum fuisse obnoxiam peccato. Et sine dubio melius est ita loqui,vt in corpore huius articuli D.Th.est locutus. In quo vlterius aduerto,aliud esse loqui de parentibus remotis Christi, aliud de parẽte proximo,quæ fuit sola mater eius. In illis enim fuit caro non solũ obnoxia,sed etiam subiecta peccato:in hac verò subiecta non fuit,potest vero dici fuisse obnoxia,iuxta supra tradita de conceptione Virginis.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrum Christus in lumbis Abrahæ fuerit decimatus.

AD octauum sic proceditur. 175

Videtur,quod Christus fuerit in lumbis Abrahæ decimatus. 3.di.3.q.4. arti.3 q.2. & 4.dist 1 q.2.arti.2. q.3.ad 2.et

Dicit enim Apostolus ad Hebræ.7.quòd Leui pronepos Abrahæ decimatus

cimatus fuit in Abraham, quia eo decimas dante Melchisedec, adhuc Leui erat in lumbis eius. Sed similiter Christus erat in lumbis Abrahæ, quando decimas dedit. Ergo ipse etiam Christus fuit decimatus in Abraham. ¶ 2. Præterea, Christus est ex semine Abrahæ secundũ carnem, quam de matre accepit. Sed mater eius fuit decimata in Abraham. Ergo pari ratione Christus. ¶ 3. Præterea, illud in Abraham decimabatur, quod curatione indigebat, vt Augustin. dicit. 10. super Gen. ad literã. Curatione autem indiget omnis caro peccato obnoxia. Cum igitur caro Christi fuerit peccato obnoxia (sicut dictum est) videtur, quod caro Christi in Abraham fuerit decimata.

li 10 capi. 20. post medium, to. 3.

Art. præc. in fine cor.

¶ 4. Præterea. Hoc non videtur aliquo modo derogare dignitati Christi: nihil enim prohibet patre alicuius Pontificis decimas dante alicui sacerdoti, filium eius Pontificem maiorem esse simplici sacerdote. Licet ergo dicatur Christus decimatus, Abraham decimas dante Melchisedec, non tamen propter hoc excluditur, quin Christus sit maior, quam Melchisedec. ¶ Sed contra est, quod Aug. dicit. 10. super Genes. ad literam, quòd Christus ibi, scilicet in Abraham, decimatus non est: cuius caro inde non feruorem vulneris, sed materiam medicaminis traxit.

lib. 10. cap. 20. post medium, to. 3.

Respondeo dicendum, quòd secundum intentionẽ Apostoli oportet dicere, quod Christus in lumbis Abrahæ nõ fuerit decimatus. Probat enim Apostolus, maius esse sacerdotium, quod est secundum ordinem Melchisedec, sacerdotio Leuitico, per hoc quod Abraham decimas dedit Melchisedec, adhuc Leui existente in lũbis eius, ad quem pertinet legale sacerdotium. Si autem Christus etiã in Abraham decimatus esset, eius sacerdotium non esset secundum ordinem Melchisedec, sed minus sacerdotio Melchisedec. Et ideo dicendum est, quòd Christus non est decimatus in lumbis Abrahæ, sicut Leui. Quia enim ille, qui decimas dat, nouem sibi retinet. & decimam alij tribuit, quod est perfectionis signum (in quantum est quodammodo terminus omnium numerorum, qui procedunt vsque ad decẽ) inde est, quòd ille, qui decimas dat, protestatur, se imperfectum, & perfectionem alij tribuere. Imperfectio autem humani generis est propter peccatũ, quod indiget perfectione eius, qui à peccato curat. Curare autem à peccato, est solius Christi: ipse enim est agnus, qui tollit peccata mundi, vt dicitur Ioan. 1. Figuram autem eius gerebat Melchisedec, vt Apost. probat Hebreo. 7. Per hoc ergo, quòd Abraham Melchisedec decimas dedit, præfiguravit se velut in peccato conceptum: & omnes qui ab eo descenſuri erant, ea ratione, vt peccatũ originale contraherent, indigere curatione, quæ est per Christum. Isaac autẽ, & Iacob, & Leui, & omnes alij sic fuerunt in Abraham, vt ex eo deriuarentur, nõ solùm secundum corpulentam substantiam, sed etiam secundum rationem seminalem, per quam originale peccatum contrahitur. Et ideo omnes in Abraham sunt decimati, ideſt: præfigurati indigere curatione, quæ est per Christum. Solus autem Christus sic fuit in Abraham, vt ab eo deriuaretur non secundum rationem seminalem, sed secundum corpulentam substantiam, & ideo non fuit in Abraham sicut curatione indigens, sed magis sicut vulneris medicina, & ideo non fuit in lumbis Abrahæ decimatus. Et per hoc patet responsio ad Primum.

¶ Ad secundum dicendum, quòd quia beata Virgo fuit in originali peccato cõcepta, fuit in Abraham sicut curatione indigens: & ideo fuit ibi decimata, velut inde descendens secundum seminalem rationem. De corpore autem Christi non est sic, vt dictum est. ¶ Ad tertium dicendum, quòd caro Christi dicitur

tur fuisse in antiquis Patribus peccato obnoxia, secundum qualitatem, quam habuit in ipsis Patribus, qui fuerunt decimati: non autem secundum qualitatẽ, quã habet, prout est actu in Christo, qui non est decimatus. ¶ *Ad quartum dicẽdum, quòd sacerdotium Leuiticum secũdum carnis originem deriuabatur: Vnde non minus fuit in Abraham, quàm in Leui. Vnde per hoc quòd Abraham decimas dedit Melchisedec, tanquam maiori, ostenditur sacerdotium Melchisedec, in quantum gerit figuram Christi, esse maius sacerdotio Leuitico. Sacerdotium autem Christi non sequitur carnis originem, sed gratiam spiritualem. Et ideo potest esse quòd pater det decimas alicui sacerdoti tãquam minor maiori: & tamen filius eius, si sit pontifex, est maior illo sacerdote non propter carnis originem, sed propter gratiam spiritualem, quam habet à Christo.*

COMMENTARIVS.

HIC articulus positus est ad explicandum locum Pauli ad Hebre. 7. quem Augustinus tractat, & in hunc modum exponit, libro. 10. Genes. ad lit. c. 12. Probat enim ibi Paulus sacerdotiũ Leuiticum fuisse minus perfectũ sacerdotio Melchisedech, quia in Abrahã est decimatus Leui, Abrahã enim decimas soluit Melchisedech, quando in lumbis suis Leuiticam prolem cõtinebat. Quo facto mystice, & in figura professus est, sacerdotiũ Leuiticum inferius fore sacerdotio Melchisedech. Ex quo statim oriebatur difficultas, nam eodem argumento posset probari sacerdotium Christi esse inferius Melchisedech, quia etiam ipse in lumbis Abrahę continebatur. Vnde etiam in persona eius intelligi potest Abraham soluisse decimas, & professus esse illum fore inferiorem, & hoc est Christum esse decimatum in lumbis Abrahæ. Respondet vero Augustinus non esse eandem rationem de Christo, & de Leui. Quia Christus non continebatur in lumbis Abrahæ, *secundum seminalẽ rationem*, sicut ille, sed tantum, *secundum corpulentam substantiam*, & ideo non intelligitur decimatus, sicut ille, quia solum intelligitur decimatus in parente filius in illo contentus secundum seminalem virtutẽ. & hoc sensu doctrina Augustini, & D. Tho. est certissima, & de fide, & intenta â Paulo in dicto loco.

Hebreo. 7 August.

Christus in lũbis Abrahæ non decimatus.

Dices, cur tantum intelligitur decimatus filius contentus secundum seminalem rationem, & non ille, qui secundum corpulentam substantiam in illo continetur. Respondetur, sicut in Adam non peccarunt, nisi qui secundum seminalem rationem in eo continebantur, ita nec in Abraham sunt decimati, nisi qui eo modo in lumbis eius existebant. Et ratio proxima est, quam hic reddit D. Th. Quia Abraham soluendo decimas imperfectionem suam professus est, & defectum suæ conceptionis, & originis, ratione cuius curatione, quæ per Christum est, indigebat. Quia sicut numerus denarius perfectionem, & consummationem significat: ita solutio decimarũ fuit quædam confessio propriæ imperfectionis, & indigẽtiæ, quã Abrahã exhibuit repręsentãs omnes suos posteros, qui ex vi illius, seu ex vi originis, ab illo, cũ eodẽ defectu, & imperfectione dimanaturi erant, huiusmodi autẽ erant, illi tantum, qui secundum seminalem rationẽ in eo cõtinebantur. Ratio verò radicalis est, quia filij cõtenti in seminali virtute parẽtis, sunt propriè in virtute, & quasi in naturali potestate eius, & ideo operari potest parẽs, vt caput, & principiũ eorum. At verò filius contentus solum secũdum corpulentam substantiam, est in illo tantum secundum potentiam passiuam, & quasi obedientialem, saltem quoad modũ generationis, & propagationis, & ideo non operatur proprie huiusmodi pater, vt caput, & principium talis filij, ita vt operationes eius, ad filiũ aliquo modo pertinere censeantur.

Obiectio.

Responsio

Et ex his (vt hoc circa solutionem ad secũdum, D. Tho. adnotetur.) colligitur differentia inter Christum, & Virginẽ, quia illa decimata fuit in Abraham, quia in eo secũdum seminalem rationem continebatur: ad hoc autẽ non est necesse, vt fuerit in peccato concepta, sed satis est, ex vi suæ originis fuisse peccato obnoxiam, & indiguisse redemptione Christi, per quã fuit ab illo peccato præseruata.

B. *Virgo in lũbis Abrahæ decimata.*

QVÆS

QVAESTIO. XXXII.

De conceptione Christi, quo ad actiuum principium in quatuor articulos diuisa.

De qua disputant Theologi, in.3.dist. 4:

DEinde considerandum est de principio actiuo in conceptione Christi.

¶ Et circa hoc quæruntur quatuor.

¶ Primò, Vtrùm Spiritus sanctus fuerit principium actiuum conceptionis Christi. ¶ Secundò, Vtrùm possit dici, quòd Christus sit cõceptus de Spiritu sancto. ¶ Tertiò, Vtrùm possit dici, quòd Spiritus sanctus sit pater Christi secundum carnem. ¶ Quartò, Vtrùm beata Virgo aliquid actiuè egerit in cõceptione Christi.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrûm Spiritus sanctus fuerit principium actiuum cõceptionis Christi.

176 2.di.2.art. 2.qõ.2. & 4.co.c.45 &, 46. & opus. 3. ca. 226. & lo. 12.l.4.col. 2 fin.cap.1 li 1.cap.4 in fin. & 5. in prin.to.3 lib.4.c.10 parumante med tom.3. 1.p.qu.43. artic.5.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd efficere conceptionẽ Christi, nõ debeat attribui Spiritui sancto. Quia Vt Augusti. dicit in primo de Trin. Indiuisa sunt opera Trinitatis, sicut & indiuisa est Trinitatis essentia. Sed efficere conceptionem Christi, est quoddam opus diuinum. Ergo Videtur, quod non magis sit attribuendũ Spiritui sancto, quàm Patri, vel Filio. ¶ 2. Præterea, Apost. dicit Gal. 4. Cùm venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere. Quod exponens August. in.4. de Trini. dicit. Eo Vtique misit, quo factum ex muliere. Sed missio Filij attribuitur præcipuè Patri, Vt in prima parte habitum est. Ergo, A & conceptio secundum quam factus est ex mulicre, debet præcipuè Patri attribui. ¶ 3. Præterea, Prouer. 9. dicitur Sapientia ædificauit sibi domum. Est autẽ sapientia Dei ipse Christus: secundum illud, 1. ad Corin. 1. Christum Dei Virtutem, & Dei sapiẽtiam. Domus autem huius sapientiæ est corpus Christi, quod etiam dicitur templum eius, secundum illud Ioan. 2. Hoc autem dicebat de templo corporis sui, ergo Videtur, quòd efficere conceptionem corporis Christi, debet præcipuè attribui Filio, non ergo Spiritui sancto. ¶ Sed contra est, quod dicitur Lucæ. 1. Spiritus sanctus superueniet in te, &c.

B Respondeo dicendum, quod conceptionem corporis Christi tota Trinitas est operata: attribuitur tamen hoc Spiritui sancto triplici ratione. Primo quidem: quia hoc congruit causæ incarnationis, quæ considcratur ex parte Dei, Spiritus enim sanctus est amor Patris, & Filij, Vt in Prima parte habitum est. Hoc autẽ ex maximo Dei amore prouenit, Vt filius Dei carnem sibi assumeret in Vtero Virginali. Vnde dicitur Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, Vt filium suum Vnigenitũ daret. Secundo: quia hoc congruit causæ incarnationis ex parte naturæ assumptæ. Per hoc enim datur intelligi, quod humana natura assũpta est a filio Dei in Vnitatẽ personæ, non ex aliquibus meritis sed ex sola gratia, quæ Spiritui sancto attribuitur, secundum illud. 1. ad Corinth. 12. Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Vnde Augusti. dicit in Enchirid. Iste modus quo est natus Christus de Spiritu sancto, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis præcedentibus meritis, in ipso primo exordio naturæ suæ, quo esse cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ Vnitatem, Vt idem ipse esset filius Dei, qui filius hominis, & filius hominis, qui filius Dei. Tertio: quia hoc congruit termino Incarnationis

1.p.qu.37. artic.1.

Ench.c.40 nõ longe a princ.to.3.

tionis. Ad hoc enim terminata est Incarnatio, vt homo ille qui concipiebatur, esset sanctus, & filius Dei. Vtrunque autem horum attribuitur Spiritui sancto, Nam per ipsum efficiuntur homines filij Dei, secundum illud Galat. 4. Quoniam estis filij Dei, misit Deus Spiritum filij sui in corda vestra, clamantem Abba, pater. Ipse est etiam Spiritus sanctificationis: vt dicitur Roman. 1. Sicut ergo alij per Spiritum sanctum sanctificantur spiritualiter, vt sint filij Dei adoptiui: ita Christus per Spiritum sanctum est in sanctitate conceptus, vt esset filius Dei naturalis. Vnde Rom. 1. secundum vnam gloss. quod præmittitur, scilicet. Qui prædestinatus est filius Dei in virtute, manifestatur per id, quod immediatè sequitur: Secundum Spiritum sanctificationis, ideſt, per hoc quod est conceptus de Spiritu sancto, & angelus annuntians, ex hoc quod præmiserat, Spiritus sanctus superueniet in te, concludit, Ideoque, & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.

Ex gloss. ordinar. & Origen.

Ad primũ ergo dicendum, quòd opus conceptionis cõmune quidem est toti Trinitati, secundum tamen modũ aliquem attribuitur singulis personis. Nã Patri attribuitur autoritas respectu personæ filij, qui per huiusmodi conceptionem sibi assumpsit humanã naturam. Filio autem attribuitur ipsa carnis assumptio. Sed Spiritui sancto attribuitur formatio corporis, quod assumitur à Filio. Nam ipse Spiritus sanctus est spiritus Filij, secũdum illud Gal. 4. Misit Deus spiritum filij sui. Sicut autem virtus animæ, quæ est in semine, per spiritũ qui in semine includitur, format corpus in generatione aliorum hominũ: ita virtus Dei, quæ est ipse filius (secundũ illud 1. ad Corint. 1. Christum Dei virtutem) per Spiritum sanctũ corpus formauit, quod assumpsit. Et hoc etiã verba Angeli demonstrant, dicentis, Spiritus sanctus superueniet in te, quasi ad præparandam, & formandã materiã corporis Christi, & virtus Altissimi, ideſt, Christus obumbrabit tibi, ideſt, corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen diuinitatis. Vmbra enim a lumine formatur, & corpore: vt Greg. dicit. 18. Mor. Altissimus autem intelligitur Pater, cuius virtus est Filius. ¶ Ad secundum dicendum, quòd missio refertur ad personam assumentem, quæ à Patre mittitur: sed conceptio refertur ad corpus assumptum, quod operatione Spiritus sancti formatur. Et ideo licet missio, & cõceptio sint idem subiecto: quia tamen differunt ratione missio attribuitur Patri, efficere autem cõceptionem Spiritui sancto: sed carnẽ assumere attribuitur Filio. ¶ Ad tertium dicendum, quòd sicut Aug. dicit in libro de Quæstionibus Veteris & noui Testamenti, quæstio ista gemina ratione potest intelligi. Primum enim domus Christi Ecclesia est, quam ædificauit sibi sanguine suo. Deinde potest, & corpus eius dici domus ipsius, sicut dicitur templum eius. Factum autem Spiritus sancti factũ filij Dei est, propter naturæ, & voluntatis vnitatem.

li. 18 c. 12. in prin. 1.

In. 2. parte q. ex nouo Test. q. 31. in princ. tò mo. 4.

COMMENTARIVS.

DVO intendit docere D. Th. in hoc ar. Alterum est ad rem pertinens, scilicet, conceptionem Christi solius Dei efficacia fuisse perfectam, & hoc simpliciter affirmat, dicens totam Trinitatem conceptionis illius fuisse principium. Et nullam adiunxit probationem, præter testimonium Luc. 1. quia hęc res est in fide notissima, & in superioribus satis tractata, de qua diximus in superiori tomo, cùm de causis vnionis hypostaticæ, & in hoc, cùm de virginitate Deiparæ disputaremus. Alterum verò, quod D. Tho. docet, ad modum loquẽdi spectat, nimirum, hanc operationem attribui, & appropriari Spiritui sancto. Cuius modi loquendi optimas rationes adducit, & adeo per spicuè, vt nihil addere oporteat: solum notãdæ

Gloss. ord. sup. illa verba Luc. 2.

dæ videntur expositiones aliquorum locorum scripturę, quas in hoc art. tradit.

Prima est in corpore art. circa illa verba Paul. ad Gal. 4. *Quoniam estis filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem Abba pater.* Ex quibus verbis D. Tho. colligit, Spiritum sanctum esse, qui filios Dei cõstituit, cùm tamen Paulus solũ dicere videatur, Spiritum sanctum esse, qui filios Dei clamare facit. *Abba pater.* Et potius indicet supponi prius filios Dei constitutos, & ideo dari illis Spiritum sanctũ, qui hunc effectum in eis efficiat: vt insinuant verba illa, *Quoniam estis filij Dei*, & Chry. illa exponens indicauit. Respondet Caiet. hic, D. Thomam sumpsisse argumẽtum â posteriori ex illo loco. Nam in hac spirituali generatione idem est principiũ, quo efficimur filij, & quo proprium affectum filiorum cõcipimus. Quia ergo Paulus affirmat Spiritum sanctum esse, qui in nobis affectum illum operatur, ex quo clamamus, *Abba pater*, ideo ex hoc testimonio colligit D. Tho. illum esse, qui nos filios adoptiuos efficit. Quem sensum indicauit Anselm. circa hunc locum dicens. *Effectus ergo probat vtrosque Dei filios esse, dum in cordibus vtrorumque clamat Spiritus sanctus ad Deũ, Abba pater. Et quis est spiritualis ille clamor, nisi pius affectus electorũ erga Deũ?* Quæ expositio probabilis est. D. autem Thom. sine dubio alluſit ad illius loci intelligentiam, quam ipse tradidit lect. 3. in illud cap. vbi sic exponit. *Quoniam estis filij Dei, modus adipiscendi hoc donum, non est per coniunctionem cum Christo secundum carnem: sed per missionem spiritus filij in corda vestra, per quem estis Christo coniuncti, & adoptati in filios, & in illo clamatis, Abba pater.* Qui sensus est consentaneus eidem Paulo ad Roman. 8. dicenti, *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater: ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei.* Itaque ideo ille spiritus facit nos clamare *Abba pater*, quia facit nos filios Dei: est enim spirirus verax, & efficax: neque ob aliam causam illi attribuitur ille affectus, & operatio clamãdi, *Abba pater*, nisi quia gratia, & adoptio, â qua procedit, eidem Spiritui sancto accomodatur.

Expositio in locum Pauli, Galat. 4.

Chrysost. Caietan.

Anselm.

D. Thom.

Rom. 8.

Secũda est in eodem corp. circa illa verba ad Rom. 1. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis.* In quo vltimo verbo vult D. Tho. significarã esse conceptionẽ Christi ex Spiritu sancto. Quod duobus modis potest accõmodari, scilicet, inde constare Christum esse filium Dei, quia in virtute Spiritus sancti, qui est spiritus sanctificationis, conceptus est. Vel certè, quia prędestinatus est filius Dei, ideo etiam esse prędestinatum, vt in virtute per spiritum sanctificationis conciperetur. Fateor tamen vtramque expositionem esse duriusculam. Sed locum hunc satis fusè tractauimus supra. q. 24.

Expositio in locum Pauli ad Ro. 1.

Tertia est in sol. ad. 1. circa illa verba angeli Luc. 1. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Vbi nomine Spiritus sancti tertiam Trinitatis personã intelligit, cui Christi conceptio attribuitur: per virtutem autem Altissimi intelligit filium, qui est, *virtus altissimi*, ideſt, ęterni patris, & obumbraturus dicitur Virginem, quatenus in ea corpus humanitatis erat assumpturus, quo suę diuinitatis lumen quoddammodo tegens, posset ab illa verus Deus, & homo concipi. Quam expositionem indicauit Gre. lib. 18. Mor. c. 12. & Bern. hom. 4. in *Missus est*, & Gregor. Nyssenus oratione de sancta Christi natiuitate post medium, & Theophy. Lu. 1. vbi per *virtutem altissimi*, Verbum etiam diuinum intelligit, verbum autem *obũbrandi*, aliter interpretatur, nimirum vt idem sit, quod *contegere, & vndique circundare, & apprehendere Virginem. Sicut gallina*, inquit, *contegens pullos suos, eos obumbrare dici potest.* Et hæc expositio probabilis est hoc modo intellecta. Vt autẽ in superioribus annotaui ex Aug. lib. 3. contra Maxim. cap. 17. Ariani illa abutebantur, vt Spiritũ sanctum minorem filio facerent, illique solum materiæ præparationẽ: huic verò propriam corporis formationem attribuerẽt non solum per appropriationem, sed per proprietatem; inter personas opera distribuentes. Qui sensus hæreticus est. Aliter ergo per *virtutem altissimi*, omnipotentiam Dei patris potius intelligunt, vt in hac cõceptione pater appropriatione quadam intelligatur habere locum generãtis, & obumbrantis, & quasi cõtegentis Virginẽ, & loco seminis Spiritum sanctum in eam immittentis cuius opera conciperet. Quã expositionem & probat, & latius exponit Iansenius. Mihi verò verisimilius est totũ illum sermonem esse de Spiritu sancto, posteriorẽ-

Expositio in locum, Luc. 1.

Greg. Pa. Bernad. Gre. Nyss. Theophyl.

Augusti.

Iansen.

sterioręque particulam nihil aliud, quàm prioris expositionem continere, ac si clarius diceret Angelus, Spiritus sanctus superueniet in te, suaque omnipotenti virtute te proteget, & confortabit, vimque tribuet, vt sine virginitatis tuæ detrimento possis concipere. Ita exponit Euthym. & indicat Damascen. lib. 3. de fide capit. 1. Euthym. Damascen.

Neque ab illa Spiritus sancti obumbratione excluditur, quòd idem Spiritus sanctus mentē Virginis recreauerit, cœleste refrigerium illi conferens, vt Greg. loco citato exposuit. Neque etiā excluditur, quòd omnis concupiscentiæ motum, ac fomitis incendium extinxerit, vt Cyprian. exponit serm. de natiuit. Ambros. lib. de mysterijs, ca. 3. & Beda ibi. Verbum enim *obūbrandi*, simpliciter explicatum nihil aliud, quam protegere significat, iuxta illud. *Scapulis suis obumbrabit tibi*, Vn de omnes prædictos effectus optimè in significatione sua complectitur. Greg. Cyprian. Ambros. Beda.

Quarta est in sol. ad. 3. circa illa verba. Prou. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum*, quæ, dicit, tam de Ecclesia, quām de hoc mysterio intelligi posse. Et vtraque expositio est frequens apud sanctos, vt videre licet in Cyprian, epist. 63. & Aug. 17. de Ciuit. c. 20. & alijs, quę in procœmio totius materię adduximus. Qui sensus, licet fortasse mystici sint: sublimes tamen sunt, ac veneratione suscipiendi maxima. Expositio in locum Prou. 9. Cyprian. August.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm Christus debeat dici conceptus de Spiritu sancto.

177 3. di. 4. q. 1 ar. 1. q. 4. & 4. cont. c. 46. & opus. 3 cap. 226. Aug. in lib. de natura boni, c. 27. tom. 6.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd Christus non debeat dici conceptus de Spiritu sancto. Quia super illud Roma. 2. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*, dicit glos. August. Attēdendum, quòd non ait de ipso, sed ex ipso: ex ipso enim cœli sunt, & terra, quia ipse fecit ea: non autem de ipso, quia nō de substantia sua. Sed Spiritus sanctus non formauit corpus Christi de substantia sua. Ergo Christus non debet dici cōceptus de Spiritu sancto. ¶ 2. Præterea

A *Principium actiuum, de quo aliquid concipitur, se habet sicut semen in generatione. Sed Spiritus sanctus nō se habuit sicut semen in conceptione Christi. Dicit enim Hieron. in expositione Catholicæ fidei, non sicut quidam sceleratissimi opinantur, Spiritum sanctū dicimus fuisse pro semine, sed potentia, ac virtute creatoris dicimus esse operatum, idest, formatum corpus Christi. Non ergo debet dici quòd Christus sit conceptus de Spiritu sancto.* Ante med. illius to. 2.

¶ 3. *Præterea, Nihil vnum de duobus formatur, nisi aliquo modo commixtis. Sed corpus Christi formatum est de Virgine Maria. Si ergo Christus dicatur cō*

B *ceptus de Spiritu sancto, videtur, quòd facta sit commixtio quædā Spiritus sancti, & materiæ, quam Virgo ministrauit quod patet esse falsum. Non ergo Christus debet dici conceptus de Spiritu sancto.* ¶ *Sed contra est, quod dicitur Matthæi primo, Antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.*

¶ *Respondeo dicendum, quòd conceptio non attribuitur soli corpori Christi, sed etiam ipsi Christo, ratione ipsius corporis. In Spiritu autem sancto duplex habitudo consideratur respectu Christi. Nam ad ipsum filium Dei, qui dicitur es*

C *se conceptus, habet habitudinem consubstantialitatis: ad corpus autē eius habet habitudinem causæ efficientis. Hæc autem propositio, De, vtranque habitudinē designat, sicut cùm dicimus hominē aliquem esse de suo patre. Et ideo conuenienter dicere possumus Christum esse conceptum de Spiritu sancto, hoc modo, quòd efficientia Spiritus sancti referatur ad corpus assumptum: consubstantialitas verò ad personam assumentem.*

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd corpus Christi, quia non est consubstantiale Spiritui sancto, non propriè potest dici de Spiritu sancto cōceptum, sed magis ex*

li.2.c.5.nō procul a fine tomo.3.

gis ex Spiritu ſancto. Sicut Ambroſ. di A cit in libro de Spiritu ſancto, quod ex aliquo eſt, aut ex ſubſtantia, aut ex poteſtate eius eſt. Ex ſubſtantia, ſicut filius, qui à patre eſt: ex poteſtate, ſicut ex Deo omnia: quomodo & in vtero habuit Maria ex Spiritu ſancto. ¶ Ad ſecundum dicendum, quòd ſuper hoc videtur eſſe quædam diuerſitas Hieronym. ad quoſdam alios doctores, qui aſſerunt Spiritū ſanctum in conceptione Chriſti fuiſſe pro ſemine. Dicit enim Chryſoſto. ſuper Matth. Vnigenito Dei in Virginem ingreſſuro, præceſſit Spiritus ſanctus, vt præcedēte Spiritu ſancto in ſanctificationem, naſcatur, ſcilicet Chriſtus ſecūdum corpus, diuinitate ingrediente pro ſemine. Et Damaſcenu. dicit in. 3. libro. Obumbrauit ſuper ipſam Dei ſapientia, & virtus, velut diuinum ſemē. Sed hoc de facili ſoluitur: quia ſecundum quod in ſemine intelligitur virtus actiua, ſic Chryſoſt. & Damaſ. comparant ſemini Spiritum ſanctum: vel etiam Filium, qui eſt virtus Altiſſimi, Secundum autem quòd in ſemine intelligitur ſubſtantia corporalis, quæ in conceptione tranſmutatur, negat Hieron. Spiritum ſanctū fuiſſe pro ſemine. ¶ Ad tertium dicendum, quòd ſicut Auguſt. dicit in Enchiri. non eodem modo dicitur Chriſtus conceptus, aut natus de Spiritu ſancto, & de Maria virgine, nam de Maria virgine materialiter, de Spiritu ſancto verò effectiuè. Et ideo non habuit hic locum commixtio.

Hom.1. in Mat. inopere imperfecto in vlti. fol. ante fin. to.2.

3.ort.fi.c. 2.circaprincip.

locis nunc proxime dictis.

Hieron. in loco citato in arg. cap.38.39. & 40.

COMMENTARIVS.

HIc ſolum voluit D. Tho. proprietatē loquutionis explicare, propter illam particulam, *de*, quæ (vt Theologi volunt) conſubſtantialitatem indicat, in quo differt ab illa particula *ex*, quæ latiorem habet ſignificationem, ſolumque ordinem, ſeu habitudinem vnius ab alio ſignificat, vt eleganter tractat Aug. lib. de natura boni contra Manichæos cap. 26. & 27. & D. Tho. hic, & alijs locis frequēter. Vnde videtur fieri, Chriſtū rectè dici ex Spiritu ſancto cōceptum, nō tamē de Spiritu ſancto, quia quatenus Spiritus ſancti opera conceptus eſt, non eſt illi conſubſtantialis. In contrarium verò eſt, quia Math. 1. habentur illa verba angeli. *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt*, quibus reſponderi poſſet in Græco haberi particulā, τὸ, quæ optimē verti poſſet per particulā *ex*, vt vertit, & interpretatur Amb. lib. 2. de Spiritu ſancto cap. 5. Tamen quia vulgata lectio habet, *de Spiritu ſancto*, & Eccleſia in ſymbolo confitetur, *conceptum de Spiritu ſancto*, ideo. D. Thomas (quem cæteri Theologi in. 3. d. 4. imitantur), defendit propoſitionem illam in rigore eſſe veram. B Quia Chriſtus ſimpliciter dictus ſuppoſitum includit, & pro illo ſupponit, quod eſt conſubſtantiale Spiritui ſancto, & hoc ſatis eſt, vt poſsit dici Chriſtus *de Spiritu ſancto conceptus*: neque oportet, vt ſecundum eam naturam, in qua conceptus eſt, ſit conſubſtantialis. Vnde in ſolutionibus argumentorum recte D. Tho. colligit corpus Chriſti non propriè dici *de Spiritu ſancto*: ſed *ex ſpiritu ſancto*. Quia illud eſt quidem ab Spiritu ſancto, vt ab efficiente cauſa: non tamen eſt illi conſubſtantiale, nec pro ſuppoſito eiuſdē ſubſtātiæ ſupponit.

Circa ſolutionem ad. 2. de locutione illa, Spiritum ſanctum in hac conceptione C fuiſſe *loco ſeminis*, videantur ſupra notata diſp. 5. ſect. 1. in ſexta probatione primę concluſionis.

Chriſtus vere dicitur de Spiritu ſancto conceptus.

Ambro.

D. Thom.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm Spiritus ſanctus dici debeat pater Chriſti ſecundum carnem.

AD tertiū ſic proceditur. Videtur quod Spiritus ſanctus debeat dici pater Chriſti ſecūdum humanitatē. Quia ſecūdū Phylo. in libr. de Generatione animaliū, pater dat principiū actiuū in generatione, mater vero miniſtrat materiam. Sed beata Virgo dicitur mater Chriſti propter materiam, quam in cōceptione eius miniſtrauit. Ergo videtur, quòd etiā Spiritus ſanctus poſsit dici pater eius, propter hoc, quod fuit principium actiuum in conceptione ipſius. ¶ 2. Præterea, Sicut mentes aliorum ſan-

178 3.di.4.q.1. ar.2.q.1.& q.2.ad 1 & 4. & in expo.lit.ad.2. & 4.contra c.47. & op. 3.c.210, li. 2.c.3. & 4. to.4.

rum sanctorum formantur per Spiritum sanctum, ita etiam corpus Christi est per Spiritum sanctum formatum. Sed alij sancti propter prædictam formationem dicuntur filij totius Trinitatis, & per consequens Spiritus sancti. Videtur ergo, quod Christus debeat dici filius Spiritus sancti, in quantum corpus eius est à Spiritu sancto formatũ. ¶. 3. Præterea, Deus dicitur pater noster secundũ hoc, quòd nos fecit, secundum illud Deuter. 32. Nonne ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te? Sed Spiritus sanctus fecit corpus Christi, vt dictum est. Ergo Spiritus sanctus debet dici pater Christi secundum corpus ab ipso formatũ. ¶. Sed contra est, quod August. dicit in Enchir. Natus est Christus de Spiritu sancto non sicut filius, & de Maria Virgine sicut filius.

art 1. huius quæst.

Ench. c. 40 in prin. to. 3

¶ Respondeo dicendum, quod nomina paternitatis, & maternitatis, & filiationis generationem consequuntur, non tamen quamlibet, sed proprie generationem viuentium, & præcipue animalium. Non enim dicimus, quòd ignis generatus, sit filius ignis generantis, nisi forte secundum metaphoram, sed hoc solum dicimus in animalibus, quorum generatio est magis perfecta. Nec tamen omne quod in animalibus generatur, filiationis accipit nomen, sed solùm illud quòd generatur in similitudinem generantis. Vnde, sicut Augustinus dicit, non dicimus quod capillus qui nascitur ex homine, sit filius hominis: nec etiam dicimus quod homo qui nascitur, sit filius seminis, quia nec capillus habet similitudinem hominis, nec homo qui nascitur ex semine, habet similitudinem seminis: sed hominis generantis. Et si quidem perfecta sit similitudo erit perfecta filiatio, tam in diuinis, quam in humanis. Si autem sit similitudo imperfecta, erit etiam filiatio imperfecta. Sicut in homine est quædam similitudo Dei imperfecta, & in quantum creatus est ad imaginẽ Dei, & in quantum recreatus est secundum similitudinem gratiæ. Et ideo vtroque modo potest homo dici filius Dei: & quia scilicet est creatus ad imaginem eius: & quia est ei assimilatus per gratiam. Est autem considerandũ quòd illud quod de aliquo dicitur secundum perfectam rationem, non est dicendum de eo secundum rationem imperfectam: sicut quia Sortes dicitur naturaliter homo secundum propriam rationem hominis, nunquam dicitur homo secundum illam significationem, qua pictura hominis dicitur homo, licet forte ipse assimiletur alteri homini. Christus autẽ est filius Dei secundum perfectam rationem filiationis: vnde quamuis secundum humanam naturam sit creatus, & iustificatus: non tamen debet dici filius Dei, neque ratione creationis, neque ratione iustificationis, sed solùm ratione generationis æternæ, secundum quam est filius patris solius. Et ideo nullo modo debet dici Christus filius Spiritus sancti, nec etiam totius Trinitatis.

Enc. c. 36. circa prin. tom. 3.

A

B

C

Ad primum ergo dicendum, quòd Christus conceptus est de Maria Virgine materiam ministrante in similitudinem speciei: & ideo dicitur filius eius. Christus autem secundum quod homo, conceptus est de Spiritu sancto sicut de actiuo principio, non tamen secundum similitudinem speciei, sicut homo nascitur de patre suo, & ideo Christus non dicitur filius Spiritus sancti. ¶ Ad secundum dicendum, quòd homines, qui spiritualiter formantur à Spiritu sancto, non possunt dici filij Dei secundum perfectam rationem filiationis. Et ideo dicuntur filij Dei secundum filiationem imperfectam, quæ est secundum similitudinem gratiæ, quæ est à tota Trinitate. Sed de Christo est alia ratio, vt dictum est. Et similiter dicendum est ad tertium.

In corp. 3.

COMMENTARIVS.

PLus docet D.Th.in art.quàm propo nat in titulo.Cũ .n. quęsierit,an Chri stus ratione humanæ cõceptionis pos sit dici Spiritus sancti filius , respondet nec ratione cõceptionis, nec ratione crea tionis , nec ratione iustificationis posse Christum dici filium, vel Spiritus sancti, vel totius Trinitatis. Et de primo quidem membro,quod ad hunc art. propriè spec tat, res est certissima,& omni carens difficultate,Christum vt hominem non posse dici filiũ Spiritus sancti,propterea quòd per efficientiam eius sit conceptus. Vnde Con.Tolet.11.*Spiritus sanctus*, inquit, *non est pater filij incarnati,ne duos filios introducamus*,& Chrysost.hom.2.in symbo.Apost. tom.5,*Non intelligas*,inquit,*patrem Christi secundum carnem Spiritum sanctum esse*.Idem optime docuit,Aug.in Enchi.c.38.&.39. Rupert.lib.1. de operib. Spiritus sancti, cap.10.vbi propriè rationem tetigit, quã etiam adduxit hic.D.Tho.in sol.ad.1.scilicet,quia Christus vt homo non procedit ab Spiritu sancto secundũ similitudinem speciei:pater autem nõ dicitur , nisi qui producit sibi simile in natura viuentis ex vi productionis.

Christus etiam vt homo non potest dici Spiritus sancti filius.
Conc.Tolet.11.
Chrysost.
August.
Rupert.

Alia vero duo membra,quæ tractãt de relatione fundata in creatione, vel iustificatione secundum humanitatem,ad hunc locũ nõ spectant,& quod D.Tho.hîc dixit sine controuersia verum est,scilicet Christum non esse his nominibus,seu titulis filiũ appellandũ,cùm nobilior filiatio illi cõueniat.Quod præsertim est certum, si de Christo simpliciter, & absque additione vlla loquamur.Cum enim simpliciter non possit appellari creatura,nec vocari potest absolute filius ratione creationis. Et eadem ratione non erit filius dicendus propter iustificationem creatam,quia simpliciter nõ est sanctus per participationẽ: sed per essentiã.An vero Christus in quãtum homo possit dici creatura,& consequẽter an habeat relationem creaturæ ad Deum, quæ per metaphorã,& lato modo filiatio vocatur,supra q.16.tractatum est, Et de re quidem nõ est dubiũ, quin talis relatio in Christum vt hominem cõueniat:cõsultius tamen est non appellare illã filiationẽ, ad tollendã omnem æquiuocationem , & occasionem erroris,cùm talis relatio,verà A filiatio non sit.De alia verò relatione Christi,vt hominis fundata in gratia sanctificãte,vel vnionis,vel habituali,supra. qu.23. fusè satis disputatum est.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum beata Virgo aliquid actiue egerit in cõceptione corporis Christi.

AD quartum sic proceditur.Videtur,quòd beata Virgo aliquid actiuè egerit in concep tione corporis Christi. Dicit enim Damascenus in,3.libro, quòd Spiritus sanctus superuenit Virgini , purgãs ipsam,& virtutẽ susceptiuã Verbi Dei tribuẽs,simul autẽ & generatiuã. Sed virtutẽ generatiuã passiuã habebat à natura.sicut & quælibet fœmina.Ergo dedit ei virtutẽ generatiuã actiuã, & sic aliquid actiue egit in cõceptione Christi. ¶ 2.Præterea.Omnes virtutes animæ vegetabilis sunt virtutes actiuæ:sicut Commen.dicit in 2.de Anima. Sed potentia generatiua, tam in mare, quam in fœmina pertinet ad animã vegetabilẽ:ergo tam in mare,quam in fœmina actiuè operatur ad cõceptionẽ prolis. ¶ 3.Præterea,Fœmina ad cõceptionem prolis materiam ministrat,ex qua naturaliter corpus prolis formatur. Sed natura est principiũ motus intrinsecũ,ergo videtur,quòd in ipsa materia,quã beata Virgo ministrauit ad cõceptum Christi, fuerit aliquod principiũ actiuũ. ¶ Sed cõtra est,quòd principiũ actiuũ in generatione dicitur ratio seminalis. Sed sicut Aug.dicit 10.super Gen.ad literã, corpus Christi in sola materia corporali, per diuinã cõceptionis,formationisq; rationẽ de Virgine assumptũ est,nõ autẽ secũdũ aliquam rationem seminalem humanã.Ergo beata Virgo nihil actiue fecit in cõceptione corporis Christi. ¶ Respõdeo dicẽdũ,quod quidã dicũt beatã Virginẽ aliquid actiue operatã esse in conceptione Chri

179 *Infr.q.33. art.4.ad.2 & 3.dist.3. q.2.artic.1 lib.3.ca.2. parumante med.*

li.10.c.20 tom.3.

ne Christi,& naturali virtute, & supernaturali. Naturali quidem virtute, quia ponũt, quòd in qualibet materia naturali est aliquod actiuũ principiũ: alio quin credunt, quòd non esset transmutatio naturalis, In quo decipiuntur: quia transmutatio dicitur naturalis, propter principium intrinsecum, non solum actiuum, sed etiã passiuum. Expressè enim dicit Philoso. in. 8. Physic. quòd in grauibus, & leuibus est principiũ passiuum motus naturalis, & non actiuum. Nec est possibile, quòd materia agat ad sui formationem: quia non est actu. Nec est etiam possibile, quòd aliquid moueat se ipsum, nisi diuidatur in duas partes, quarum vna sit mouẽs, & alia sit mota: quod in solis animatis contingit: vt probatur 8. Physic. Supernaturali autem virtute: quia dicunt ad matrem requiri, quòd non solum materiam ministret (quæ est sanguis menstruus) sed etiã semẽ, quod commixtum virili semini habet virtutẽ actiuam in generatione. Et quia in beata Virgine nulla fuit facta resolutio seminis propter integerrimam eius virginitatem, dicunt, quòd Spiritus sanctus supernaturaliter ei tribuit virtutem actiuam in conceptione corporis Christi, quam aliæ matres habent per semen resolutum. Sed hoc non potest stare, quia cùm quælibet res sit propter suam operationem (vt dicitur secundo de Cælo) natura non distingueret ad opus generationis sexum maris, & fœminæ, nisi esset distincta operatio maris ab operatione fœminæ. In generatione autem distinguitur operatio agentis, & patientis. Vnde relinquitur quòd tota virtus actiua sit ex parte maris: passio autem ex parte fœminæ. Propter quod in plantis, in quibus vtraque vis commiscetur, non est distinctio maris, & fœminæ. Quia igitur beata Virgo non hoc accepit, vt esset pater Christi, sed mater, consequens est quòd non acceperit potentiam actiuam in conceptione Christi, siue aliquid egerit, ex quo sequitur ipsam fuisse patrem Christi: siue nihil egerit (vt quidam dicunt) ex quo sequitur huiusmodi potentiam actiuam sibi frustrà fuisse collatam. Et ideo dicendum est, quòd in ipsa conceptione Christi, beata Virgo nihil actiuè operata est, sed solã materiam ministrauit. Operata tamen est ante conceptionem aliquid actiuè, præparando materiam, vt esset apta conceptui.

li.8.te 29. 30.31.32. &c.tom.2.

li.8.tex.30 to.2.

li.2 te.17. tomo.2.

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd illa conceptio tria priuilegia habuit, scilicet quòd esset sine peccato originali: quòd esset non puri hominis, sed Dei, & hominis: item quòd esset conceptio Virginis. Et hæc tria habuit à Spiritu sancto. Et ideo dicit Damascenus quantũ ad primum, quòd Spiritus sanctus superuenit Virgini purgans ipsam, ideſt præseruans, ne cum peccato originali conciperet. Quantum ad secundum dicit, & virtutem susceptiuã Verbi Dei tribuẽs, id est, vt conciperet Verbum Dei. Quantum autem ad tertium dicit, simul autem, & generatiuam, vt scilicet manens virgo posset generare, non quidem actiuè, sed passiuè: sicut aliæ matres hoc cõsequuntur ex semine viri.* ¶ *Ad secundũ dicendum, quòd potentia generatiua in fœmina est imperfecta respectu potentiæ generatiuæ, quæ est in mare. Et ideo sicut in artibus, ars inferior disponit materiam: ars autem superior inducit formam, vt dicitur in 2. Physic. ita etiã virtus generatiua fœminæ præparat materiam, virtus autem actiua maris formatmateriam præparatam.* ¶ *Ad tertium dicendum, quod ad hoc quod transmutatio sit naturalis, non requiritur, quod in materia sit principium actiuũ, sed solùm passiuum, vt dictum est.*

loco citato in arg.

lib.2.Phy. tex.25.to. 2.

In cor. ar.

COMMENTARIVS.

HVic art. non existimaui addendum esse cõmentarium. Nã multa philoso-

phica, quæ D. Tho. in eo attingit, si discutienda essent, longâ requirerent disputationem à nostro instituto satis alienam. Quę verò ad mysteriũ cõceptionis Christi explicandum necessaria fuerint, in sequenti disputatione attingemus commodius.

DISPVTATIO DECIMA. In tres sectiones distributa.

De causis, quæ humanam Christi conceptionem ex Virgine operatæ sunt.

QVód fuerit in Christo humana conceptio, disputari nõ oportet, cum in superioribus tractando de ipso incarnationis mysterio, & de dignitate matris Dei, eiusque virginitate, satis ex principijs fidei probatum sit. Quid etiã sit hęc conceptio, disputationem non requirit, cũm hæc quæstio cæteris hominibus communis sit: id verò, quod in Christi conceptione fuit proprium, explicatis causis, & modo eius constabit. Hoc igitur in hac, & sequenti disputatione præstãdum est. Ex quatuor autem causis, quę ad naturales effectus concurrere solent: finalis in præsenti disputatione clara est. Proximus enim finis huius cõceptionis fuit, vt gigneretur homo Deus. Vnde omne id, quod fuit incarnationis finis, potest dici finalis causa huius conceptionis, de qua re in prima. q. huius 3. p. satis dictum est. Causa formalis propria, & intrinseca cõceptionis huius fuit vera anima rationalis vero corpori humano vnita: vnde hoc ipsum corpus, seu materia eius fuit intrinseca materialis causa eiusdem conceptionis, de quibus in. q. 4. 5. &. 6. huius. 3. p. fusè disseruimus, non est ergo, quòd sine vtilitate eadem repetamus. Idem enim est dicere Verbũ assumpsisse verũ corpus humanũ, verãque animã rationalem, & dicere hęc intrinseca humanæ cõceptionis eius fuisse principia. Supe rest igitur tantum, vt de causa ministrante materiam, & per modum matris concurrẽte, ac de efficiente causa dicamus.

Tõ. 1. Dis. 3. sect. 3. & Dis. 5. per totam.

SECTIO PRIMA.

Quo modo Beata Virgo materiam ministrauerit, ex qua conceptus fuit Christus.

INquiro potius, quo modo hoc factũ sit, quàm an sit factũ, quia suppono Beatã Virginem verã Christi, ac Dei A fuisse matrem, hoc enim tanquam primum fundamentũ huius materię in dis. 1. huius tomi iactũ, probatũque est. Ex quo nũc infero) id, quod de fide etiã certũ est) Christũ ex substantia Virginis fuisse cõceptũ. hoc enim necessarium est, vt ipsa fuerit vera eius mater & propterea dixit Paul: ad Ga. 4. *misisse Deum filium suum factum ex muliere*, ideſt, ex substantia eius. Et eãdem vim habet verbum illud ad Roma. 1. *Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem*, & illud Angeli. Luc. 1. *Quod enim ex te nascetur sanctum*. Vt enim inquit Athanas. serm. cõtra omnes hęreses, *si dixisset perte, verisimile aliquid haberet impudentia eorum, qui dixerunt Verbum transisse per Virginem tãquam per canalẽ, cæterum cum dicat ex te, clare demonstrat Verbum assumpsisse ex ea humanum templum.* Quod ferè eodẽ modo põderauerat Am B bro. lib. de incar. domin. sacramento. cap. 6. & optime Augustinus afferẽs predicta tria testimonia ser. 193 de tempore. Et ad hoc cõfirmandũ valent omnia, quę supra adduximus, & ad probandũ Deiparã esse veram matrem Christi, & ad ostendendũ Christum, & Virginẽ ducere genealogiam ex Dauid. Nam, vt rectè dixit The. Dia. 2. *si Christus non sumpsit substantiã corporeã ex Virgine, vanæ sunt omnes promissiones antiquis patribus factæ.* Nã multo minus sumpsisset ex illis, quia nõ nisi media Virgine aliquid ab eis accipere potuit: Et hac etiã ratione dicitur Christus *contentus in antiquis parentibus, seu, in lumbis eorum*, vt citato loco tractauimus. Vnde Au. li. 2. de gratia Christi, seu peccato originali ca. 27. notat, ideo Abrahã iusisse seruum suũ ponere manũ, *sub fæmore suo*, ad iurandũ, Gen. 24. quia caro Christi de illo fęmore propaganda erat, quod etiã notauit Chrys. orat. quadã super illũ C locum, quæ inter quasdã nõdũ Latinas factas circunfertur. Denique, veritas hæc definita est in omnibus concilijs, quę de hac materia tractant, Ephesino, Chalce. Quinta synodo actione. 8. can. 2. Sexta syn. act. 11. & act. 13. capit. 2. Lateranensi, sub Martino primo, & alijs, quę in citatis locis latè adduximus: traditũt, etiã frequẽter patres, præsertim videri possunt Damascen. libr. 3. cap. 2. & 3. & libr. 4. capi. 15. & Ambros. dicto libr. de incarna. dominicæ sacramento. capit. 9. August. contra epistol. fundamenti, capitulo. 7. Ratio autem â priori est, diuina voluntas, quæ statuit Christi

Christus ex substantia Virginis cõceptus. Galat. 4. Rom. 1. Luc. 1. Athanas. Ambros. August. Theodo. August. Gen. 24. Chrysost. Damasce.

Ambro. Auguſt. conceptionem, & incarnationē hoc modo fieri. A poſteriori verò optima ratio eſt. Nā, ſinihil de Virgine erat ſūpturus quorſum per illā trāſiret, & naſceretur, niſi fortaſſe, vt nos deciperemur? Nā ſi B. Virgo nihil de ſuo in eū trāſtulit, reuera nō peperit filiū ſuū: ſed protulit effectū alienū. Coniecturę autem, ſeu congruentiæ ſunt omnes, quibus ſupra oſtendimus decuiſſe Deum naſci ex fœmina, & fieri filiū eius, itemque ad vincendum dęmonem oportuiſſe aſſumere naturam ex eadem maſſa, quæ in primo homine lapſa fuerat, vt hoc modo medicina eſſet magis accōmodata vulneri, & ſatisfactio quadam ratione magis propria exhiberetur in ea natura, per quā Deus fuerat offenſus. Propter quòd ad He. 2. dicitur, *qui ſanctificat, & ſanctificātur, ex vno omnes*, & infra, *Quia pueri communicauerūt carni, & ſanguini, & filius Dei participauit eiſdem.*

Hebr. 2.

In conceptione Chriſti ſuum ſanguinem Virgo miniſtrauit. Secūdo ex eodē principio infertur, Chriſtū cōceptū eſſe ex puriſsimis ſanguinibus Beatiſsimæ Virginis, ipſa ſuū ſanguinem miniſtrante eo modo, quoad verā humanā generationem ex parte matris fieri neceſſe eſt, vt explicando art. 5. D. Tho. in. q. 31. dictū eſt, & elegāter explicat Sophronius in ſua epiſtola.

Sophron.

Obiectio. Difficultas igitur tantum ſupereſt, quo modo potuerit B. Virgo ita miniſtrare materiā ad Chriſti cōceptionem, vt verè, ac propriè maternū cōcurſum hac in parte præſtiterit. Et ratio difficultatis eſt. Primo, ex parte ipſius materiæ, nā alię matres partim miniſtrāt ſanguinē, partim etiā ſemē.

Gallen. Nā, iuxta Galleni ſentētiā lib. 1. de ſemine, fœtus nō tantū formatur ex ſanguine tanquā ex materia: ſed etiam ex ſemine fœmineo, & virili, quoad partes ſolidiores, quales ſunt venæ, arteriæ, nerui, & ſimiles, quę facilius ex re craſsa, & viſcoſa, cuiuſmodi ſemen eſt, quàm ex ſanguine formātur. Quam ſententiam Medici, & Philoſophi frequentius ſequūtur: at B. Virgo nō miniſtrauit ſemen, ergo non habuit plenū concurſum maternum in ea conceptione. Et ex parte etiam ipſius ſanguinis eſt difficultas, quia alię fœminæ miniſtrant ſanguinem menſtruū ad formationem fœtus, B. autem Virgo ex puriſsimis ſanguinibus Chriſtum concepit. Denique in modo miniſtrādi eſt difficultas, quia aliæ fœminę miniſtrāt modo, & facultate vitali, quia generare, & cōcipere eſt actus vitæ vegetatiuę, qui requirit tēpus, ſucceſsionē, & modū à natura præſcriptū: quæ omnia in hac cōceptione ſeruata nō ſunt, quia (vt diſput. ſequenti dicemus) Spiritus ſanctus infinita ſua virtute ſubito formauit prolē. Nec ſatisfaciet, ſi quis reſpondeat, vt B. Virgo dicatur cōcepiſſe Chriſtū ex ſua ſubſtātia ſatis eſſe, quòd ex ipſius ſanguine Chriſti corpus fuerit formatū, quacūque ratione id factū ſit. Hoc enim reuera non eſt ſatis ad verā conceptionem humanā, neque vt B. Virgo ſit verè mater: ſicut neque Adā dici potuit pater, aut mater, eò quòd Eua fuerit de coſta eius formata, nec B. Virgo diceretur verè peperiſſe filiū, niſi per naturales vias illū emiſiſſet, neq; etiā fuiſſet vera cōceptio, ſi (vt quidā dixerūt) Chriſti corpus nō in vtero, ſed in corde, alia ve parte corporis formatū eſſet. Neceſſariū ergo eſt, vt cōceptio facta fuerit ex materia à natura determinata ad formationē humanæ prolis, & modo vitali, ac humano, aliàs reuera non fuiſſet vera cōceptio, nec beata Virgo vera mater euaſiſset.

Reſpondetur, difficultatem hanc multū ex principijs philoſophicis pendere, quæ hoc in loco examinanda non ſunt, ſed ſupponenda. Solum oportet vt Theologus aduertat, Philoſophiam ſubditam eſſe debere, & ſubordinatam Theologiæ, huius enim veritas certior eſt, & quodammodo regula philoſophicæ veritatis, ita, vt nihil poſsit eſſe in philoſophia verū, ꝙ Theologicis principijs ſit cōtrarium. Duo igitur principia hic certa eſſe oportet. Alterū eſt B. Virginē cōcepiſſe, integerrima, prorſus q; illibata manēte illius virginitate. Alterū ita cōcepiſſe, vt propriè, ac verè mater effecta ſit: quæ duo in ſuperioribus demonſtrata ſunt.

Ex his infertur primo, B. Virginem cōcepiſſe filiū in vtero, & in loco fœminei corporis ad cōcipiendū fœtū à natura deſtinato. Quod optimè cōuincit Caiet. hic. q. 31. ar. 5. cōtra quoſdā, quos ſuo tempore dixiſſe refert factam eſſe cōceptionē in corde, hoc enim eſt cōtra verba euāgelij. *Ecce concipies in vtero*, Luc. 1. & cōtra illa verba eiuſdē Luc. 2. *cū Maria deſpōſata ſibi vxore pregnante*. Nā eſſe pregnantē, vterū grauidum manifeſtè indicat. Quod clarius dixit Matth. c. 1. *Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto*. Repugnat etiam rationi, & veri-

B. Virgo Chriſtum in vtero concepit.

Lu. 1. & 2.

Matth. 1.

tati conceptionis, partus, & maternitatis, vt obijciendo tactum est.

Secundo infertur concurrisse in ea conceptione omnia, quę necessaria sunt ad humanā, seu maternam filij generationem: si enim aliquid ex necessarijs defuisset, non fuisset vera conceptio. Ad primam ergo partem difficultatis propositæ respōdeo, si semen maternum simpliciter necessariū est ad concipiendum filium, consequenter dicēdum esse beatam Virginem per naturalem facultatem partem sanguinis in semen conuertisse, idque ad debitum locum conceptionis transmisisse. Quod inter scholasticos absque formidine cōcedit Richard. in 3. d. 4. art. 2. q. 1. citatur etiā Mantuanus *tractatu de cōceptione Christi*: Qui tamen ita senserit, consequenter dicere debet, illam seminis transmissionem factā esse sine vlla inordinatione, & voluptate, aut aliquo motu concupiscentiæ, vel Spiritu sancto obumbrante, vel quia subito, & absque vlla commotione naturaliū membrorum facta est. Et inde fit, vt non magis deroget integritati, & puritati virginitatis, quām solius sanguinis transmissio. Vnde etiam dicendum est, quando sancti dicunt formatum esse Christi corpus ex purissimis sanguinibus, vel à maiori, potiori, & certiori parte materiam hanc nominasse, vel certè sub illa necessariam seminis partem comprehendisse, quia semen quodāmodo sub sanguine comprehēditur, quia ex sāguine decocto, & depurato cōficitur

Et hęc sententia probabilis est. Incerta tamen, neque *frequenter in ore versanda*, vt Bonau. dixit in 3. d. 4. ar. 2. q. 1. Vnde satis pium, & probabile etiam est, si quis velit sentire cum D. Thom. hic q. 31. art. 5. ad 3. conceptionem hanc absque vlla seminis transmissione perfectam esse, si propriè, & rigorosè de semine loquamur. Hoc enim dictis Sāctorum, & perfectioni virginitatis magis est consentaneum, & philosophicæ doctrinæ non repugnat, & si repugnaret, potius esset theologiæ accommodanda, quām ècōtrario. Primum enim, Arist. 1. de Generat. Animal. cap. 20. & li. 2. cap. 4. in vniuersum negat fœminā emittere semē, aut ex illo formari fœtum: sed solū ex sanguine. Deinde, quāuis totum hoc Aristoteli nō cōcedamus, est enim creditu difficile, propter rationes, & experimēta quas Medici afferūt, licet (inquā) fateamur

Responsio ad obiectiones in oppositum.

Richard.

Mantuan.

Bonau.

D. Thom.

Arist.

posse fęminā cōficere semē, & illud esse posse partē materiæ, ex qua formatur fętus: nihil est tamen, quod nos cogat ad dicendum illud esse simpliciter necessarium ad formationem prolis. Quia cùm sanguis, & semen parum in substantia differāt, & ex sanguine facile possit elaborari semen, cur nō poterit etiam naturali modo fieri, vt, quanuis interdum fęmina non emittat semen, si sufficientem sanguinis copiā ministret, & virile semen sit efficax, ac etiā copiosum, hoc ad naturalem generationē sufficiat. Præterea, Gallenus ait non solum semen fęmineum: sed etiam virile materialiter concurrere ad formationē fętus, non est autem dubium, quin possit interdum vnum esse in maiori quātitate, quā aliud, & è conuerso, ergo eadem ratione, etiam si alterutrum desit quoad materialem partem, vel etiam si sit sterile, vel ita indispositū, vt sit ineptū ad formationem prolis, si tamen ille defectus ex alia parte, vel ex abūdātia, & optima qualitate sāguinis suppleatur, id satis, superque erit ad humanā generationem. Denique cum hæc materia sanguinis, & seminis respectu prolis sit veluti remota, nō est cur applicatio eiusin tali dispositione sit simpliciter necessaria. Quia si aliunde ministretur sufficiens materia, per vim formatiuā poterit ea dispositio, quæ necessaria fuerit, effici, ac supplerī. Cū ergo hæc materia necessaria simpliciter nō videatur, satis consentaneū est credere, in Beatissima Virgine non fuisse assumptam, sed solum sanguinem, ex quo, sicut Spiritus sanctus suppleuit, id, quod defuit virilis seminis, ita etiam formauit, quidquid ex fœmineo semine formari pōt.

Semē fœminæ non est simpliciter necessariū ad prolis formationē sed sufficit sanguinis ministratio.

Gallen.

B. Virgo in Christi conceptione materiam sanguinis ministrat non seminis.

Obijci tamen possunt verba Bedæ libr. 4. in Lucā. c. 49. vbi ex professo videtur probare Christū fuisse cōceptū ex semine Virginis. *Qua enim consequentia*, inquit, *eius lacte credatur nutritus, cuius semine negatur esse conceptus, cum ex vnius eiusdemque fontis origine secundum Physicos vterque liquor emanet* Resp. ibi solū agere cōtra hæreticos, vt probet Christū esse cōceptū de substātia Virginis, & illā vocat *semētinam materiā*, vt ex verbis antecedētibus cōstat, & sequētibus, sic enim ait, *Nisi forte putanda est Virgo, semētinam suæ carnis materiam nutriendo in carne Dei filio suggerere potuisse, incarnādo autē quasi maiori: & inusitato miraculo mittere potuisse*: vbi cōstat per *semētinā materiā*, nō intelli

ligere semen proprie dictum non enim illud est, quo nutritur fœtus, sed sanguis. Vtraque hæc sententia est probabilis dicamus ergo materiã huius cõceptionis fuisse sanguinẽ, nec contendamus, àn sanguis ille quem Beata Virgo ad conceptionem Christi ministrauit, fuerit tantum sanguis rubeus, vel iam ita decoctus, vt albus effectus sit, vel in vtraque dispositione. Siue enim vno, siue altero modo dicatur nihil virginitati, & puritati Deiparę derogatur, & sine dubio asserendum est in ea dispositione illum ministrasse, in qua iuxta debitum naturæ ordinem, ministrari à matribus solet: quæ autem sit illa dispositio ex naturali Philosophia petendum est: & tractat prolixè Caiet. 2.2. q. 154. art. 12.

Ad alteram partem de sanguine menstruo, quidãconcedunt etiã corpus Christi formatum esse ex sanguine menstruo Virginis, Abulens. Matth. 1. q. 52. & Leuit. 12. q. 5. Alij verò negant, quia is sanguis imperfectus est, & quodammodo ad corruptionem tendens, de quolegi potest Caiet. 2.2 q. 154. art. 12. Tamen hæc quęstio potest esse de nomine. Certum est enim iuxta veriorem Philosophorum, & Medicorum sententiam, sanguinem ex quo formatur fœtus, nõ esse sanguinem corruptum, sed purum, perfectiusque decoctũ, vt D. Th. supra, q. 31. art. 5. docuit, & ibi ex Aristot. Augustin. & alijs diximus: quia tamen natura prouidit, vt fœminę propter necessitatem generationis hoc sanguine abũdarẽt, quando ille necessarius non est ad formationem, vel nutritionem fœtus, prouidit etiam modum, quo certis, definitisque tẽporibus expelleretur, & fortasse quando est in eo statu, vt expellendus sit, iam est Imperfectus, & ad corruptionem tendẽs, & quasi excrementum quoddam, & tunc consueuit appellari. *Sanguis menstruus*, Et hoc sensu non formatur fœtus ex sanguine menstruo, vt sic, idest in eo statu constituto, formatur tamen ex illomet sanguine, qui nisi formando fœtui deseruiret, menstruus fuisset.

Abulens. *Caiet.* *Christus ex sãguine mẽstruo Virginis nõ est formatus.*

Ad tertiam difficultatis partem demodo huius conceptionis, dicendũ est quęs. sequenti. Et quod ad vim effectricem pertinet, dicemus in sectione sequenti: Nũc breuiter, respondeo, in conceptione tres actiones distingui posse. Prima est congregatio sanguinis materni in vtero, Secunda, formatio fœtus remota, Tertia, vltima dispositio, & informatio fœtus. Quod si comprehendamus etiam nutritionem prolis, qua vsque ad perfectionem, & quasi maturitatem perducitur vsque ad natiuitatẽ (nã hæc est veluti perfectio, & cõsummatio conceptionis) in illa distingui poterũt illæ tres actiones proportione seruata, quia necesse est, & ministrari nutrimẽtum, seu materiam nutritionis, & disponi, ac tandem conuerti, & animari: tamen in hac posteriori parte nulla est difficultas, tum quia est veluti extrinseca conceptioni, tũ etiam quia post Christum conceptum, reliqua naturali modo perfecta sunt, Virgo enim alimẽtum præstabat purissimum, & perfectissimum, eodem genere actionis, & motus, quo alię matres, quia nihil erat, quod impediret: neque est vlla ratio, & fundamentum ad miracula non necessaria confingẽda. Quod autem pertinet ad tres priores actiones, duę postremæ non pertinent proprie ad ministrationem materiæ, sed ad formationem, de qua sect. sequenti dicendum est, tãtum ergo supereſt prima actio, quę naturaliter fit per naturalem facultatem ipsius vteri, qui susceptо virili semine, vel ab illo quasi excitatus, aut fortasse etiã adiutus, statim attrahit ex venis sanguinem formando fœtui conuenientẽ. Hanc ergo actionem etiam habere potuit Beata Virgo, vt vitali modo hunc sanguinem ministraret, solũ duplici ratione fuit illa actio miraculosa. Primo, quia absque susceptione virilis seminis, facer illius venter sanguinem attraxit supplente Spiritu sancto vim illam, quam virile semen confert ad huiusmodi actionem, vel certè altiori modo excitando illam facultatem actiuam, vt suam actionem exerceret. Secundo, quia illa attractio multo breuiori tempore, quàm naturaliter posset, effecta est. Hęc autem duplex ratio miraculosè operandi non est cõtra rationem verę generationis, quia nonmutauit essentialem rationem illius actionis, nec vitalem modum, sed accidentaliter potius illam perfecit. Et eadẽ ratione addẽdũ est, si fortasse sanguis Virginis prius nõ erat satis dispositus ad formationẽ prolis, ea nimirũ dispositione, quæ proximè antecedit efficaciam seminis, diuinitus fuisse Virginem confortatam, vt subito illam dispositionem efficeret impediendo materiæ repugnantiã,

vel alio simili modo. Potest autem facile hoc miraculum euitari, si dicamus diuina prouidentia factum esse, vt Beatę Virginis corpus ita nutriretur, & gubernaretur, vt in eo momento haberet sanguinem recte præparatum, & aptissimum ad Christi conceptionem.

SECTIO. II.

Vtrum solus Spiritus sanctus fuerit causa efficiens conceptionis humanæ Christi ex Virgine.

NOn intendimus excludere duas alias Trinitatis personas, supponimus enim opera Trinitatis ad extra esse indiuisa quoad effectionem: & ita quanquam appropriatè hoc opus tribuatur Spiritui sancto: commune tamen esse totius Trinitatis. Sensus ergo quæstionis est, an sit excludenda omnis alia causa creata proximè efficiens, & solum potest propriè esse quæstio de persona humana, patre scilicet, aut matre, quia nulla est alia causa per se, ac propria generationis humanæ. B

Supponimus autem secundo in hac conceptione nullum hominem habuisse efficientiam vllam, quia non est opera viri effecta, & quoad hoc certum est Spiritum sanctum adhibuisse omnem vim actiuam, quam virile semen solet in conceptione exercere. Quod totum de fide certum est, & supra probatum, cùm de virginitate Deiparæ ageremus. Tota ergo quæstio ad Virginē reuocatur, an scilicet ipsa operata fuerit effectiue cum Spiritu sancto, vel solus Spiritus sanctus sine ipsa.

Suppono autem tertio, in Christi conceptione interuenisse duo, nimirum formationem corporis, vsque ad vnionem illius cum anima (quā suppono â solo Deo creari) & vnionem totius humanitatis cū Verbo. Hic non agimus de efficientia huius vnionis, quia hęc intrinsecè non spectat ad humanam generationem, & quia de causis eius superius quæst. secunda, dictū est, agimus ergo de actione illa, quæ versatur circa corpus vsque ad perfectam dispositionem, & vnionem cùm anima. Suppono quarto, Beatam Virginē habuisse omnem efficientiam, quam necesse est habere fœminam, vt vera mater sit, vt ex dictis in præcedenti sectione manifestum est. C

A Vnde præter actionem illam antecedentē, qua mater disponit remote ministrat que materiam (de qua iam diximus) certū videtur habuisse Virginem aliquam actionem quasi concomitantem, quam sine dubio omnes matres habent, quandiu in vtero formatur corpus, vt rectè docuit D. Thom. in. 3. d. 3 q. 2. ar. 1. Quia ipse maternus vterus calore suo naturali, & spiritibus vitalibus fouet, & conseruat semen, & multum iuuat ad bonam dispositionē, & complexionem corporis. Quæ actio in alijs fœminis durat per quadraginta, vel octoginta dies vsque ad perfectam conceptionem, beata autē Virgo, quia in ea cōceptio subito perfecta est, nō ideo priuari debuit hac efficientia, & ideo ei datum est vt subito efficeret totam illam dispositionem, quam hoc modo, & per has qualitates in naturali tempore effectura erat. Igitur quæstio solum superest de principali illa actione, quæ proprie dicitur formatio fœtus, quæ consistit in organizatione corporis vsque ad vltimam dispositionem.

De qua duplex est Theologorum opinio. Prima affirmat, quidquid est efficientię in illa actione, tribuendum esse soli Spiritui sancto, & Beatam Virginem materiam ministrasse duntaxat. Ita, Diuus Thom. hic & quæst sequenti, art. 4. ad, 2. & Caietanus. hic. & in Secunda Secundę quæst. 154. art. 12. Richard. in. 3. dist. 3. art. 2. q. 2. Capreol. d. 4. & ibi Palud. q. 2. in fine, & Marsil. q. 5. art. 2. Fundamentum Philosophicum est: quia putant hi doctores cum Arist. 1. de genera. animal. cap. 20. & lib. 2. cap. 4. in omni humana generatione matrem non concurrere actiue, sed solum ministrare materiam. Theologicum autem fundamentum D. Thomæ fuit, ne concederet Virginem in hac conceptione emisisse semen, quia hoc puritati, & virginitati eius derogare videtur. Quod tamē necessarium fuisset, si Beata Virgo aliquid effectura erat, nam tota vis actiua in humana generatione est medio semine: Neq; enim satisfacit, si quis dicat, quāuis aliæ matres efficiāt per semē, Virgini supernaturaliter datū esse, vt sine semine haberet totā illā efficiētiā, quā alię matres habere solēt. Hoc (inquam) non satisfacit, quia si hæc efficiētia fœminę necessaria est ad generationem humanā, & in ea fūdatur ratio, & relatio matris, vt B. Virgo genuerit tāquā vera mater neces-

D. Thom. Caietan. Richard. Capreol. Palud. Marsil. Arist.

ter necesse est, vt per facultatẽ hãc animæ vegetãtis, & per vitalẽ actũ eius genuerit, hæc autẽ facultas nõ est nisi, vel ad formandum semen, vel in virtute, quę in illo resider, ergo, si ab his non processit actio, nõ fuit vera generatio, ergo, vt dicamus Virginem non emisisse semen, & nihilominus verè genuisse, dicendum est, ex parte matris generationem humanam non cõsistere in actione feminis, sed solum in ministratione materię.

Secunda sententia est, Beatam Virginẽ effectiue operatam esse cum Spiritu sancto ad Christi conceptionem. Hanc sequũtur plures Theologi in. 3. d. 4. Bonauentura art. 2. q. 1. Scot. & Gabriel. q. vnica, & Maior. q. 3. Fundamentum eorũ est, quia sentiunt cum Galleno. 14. lib. de vsu partium, & lib. 2. de semine, fœminas concurrere effectiuè ad generationẽ prolis emittendo semen, debile quidem, & imperfectum, & ideo per se insufficiens, vt ipsum solum formet fœtum, non tamen carens omni vi agendi, coniunctum enim cum semine viri vnum integrũ generationi s instrumentum componit. Quam sententiam Gallenus varijs experimentis, & rationibus probat. Ea verò suppositа concludũt prędicti Theologi, Beatam Virginem in cõceptione Christi adhibuisse eandem vim, quam aliæ matres adhibere solẽt. Tũ quia Spiritus sanctus solum suppleuit defectũ patris. Tum quia aliàs ipsa non fuisset vera, ac perfecta mater Christi.

Bonauent. Scot. Gabri. Mai. Gallen.

Non spectat ad præsentem locum, vt cõtrouersiam inter Arist. & Gallenum dirimamus: est enim valde difficilis, & ambigua, & non potest hoc loco pro dignitate tractari, neq; huius materiæ grauitas id patitur, obiter autem, & sine sufficienti examine illam definiendo iniuria tantis philosophis fieret. Præsertim quia si cũ Aristotele sentiamus, rectè sequitur B. Virginem non habuisse in conceptione Christi efficientiam: Si verò cum Galleno teneamus fœminas habere vim ad ministrandũ semen efficax, & operatiuum simul cum semine viri, non ideo necessario cogimur fateri Beatam Virginem transfudisse hoc semen in matricem, & per illud cooperatã fuisse conceptioni. Quia quanuis fœmina possit tale semen præstare, non inde fit, illud esse simpliciter necessarium ad generationem, sicut supra de materiali semine dicebamus. Quia virtus actiua huius seminis eiusdem rationis erit cum semine viri li, & solum concurrent, vt partes vnius agentis integri, ergo posset tam efficax, & copiosum esse semen virile, vt etiamsi maternum deficiat, si aliũde ministretur sufficiens materia, illud solum sufficiat ad efficiendam conceptionem. Patet consequentia, quia vis actiua, quæ completur ex quãtitate, seu partibus integralibus eiusdem rationis, ablata vna parte potest per aliam similem suppleri. Nihil enim refert, quòd semen sit à viro, vel â fœmina decisum, si alioqui sit eiusdem rationis, & in sufficiẽti quantitate. Eo vel maxime, quòd semẽ fœminæ dicitur debile, & parum actiuũ, vnde fit, vt eius vis facile suppleri possit per nonnullum augmentum virilis seminis, vel in quãtitate, vel in qualitate illius, quanuis è conuerso solum fœmineum semen nõ possit supplere actionẽ viri, propter remissam virtutem, quã habet. Quòd si hoc verum est, vt certè est probabile, dicendum erit, quanuis mater possit cõcurrere actiuè: tamen hoc non esse de ratione matris, & ita non oportuisse Virginem habuisse hanc efficientiam, vt vera mater esset, & decuisse, vt illam non haberet, vt eius virginitas, omnino pura, & illibata permaneret.

Sed adhuc facta illa hypothesi, obijci potest contra hunc dicendi modum. Primò, quia licet necesse non sit, vt fœmina concurrat actiuè, quando est impedita, vel infęcunda ad formandum semen, tamen si fęcũda sit, & nihil obster, naturalis ordo postulat, vt ipsa concurrat: sed Beata Virgo propter optimam complexionem, & ætatem, fęcunda erat, & ad perfectum generationis modum apta, ergo, vt ex parte sua naturali modo conciperet, debuit efficere. Secũdò, quia (esto) possit esse mater sine hac efficientia, dubitari tamen non potest, quin perfectiori modo mater sit, quæ nõ solum effectiuè ministrat materiã, sed etiã format fœtũ: & cõsequẽter perfectior matris relatio inde cõsequetur, cur ergo priuabimus Virginẽ perfectissima ratione, & relatione matris? Tertiò, addere possumus propter hanc causam, virginitatis perfectionem in nullo diminui. Quia in primis, quòd Beata Virgo per naturalem facultatem generatiuam semen efficeret, non est contra virginitatem, & castitatem, quia illud

Obiectio.

lud est merum opus naturæ, sicut est naturalis digestio, vel concoctio cibi. Quod verò semen illud postea transmiserit ad locum, in quo formatur proles, non magis videtur contra virginitatem, quàm transmissio sanguinis, quia illa transmissio fieri potuit obumbrante Spiritu sancto sine vlla concupiscentia, titillatione, aut impudico motu, qui posset sensibilem delectationem parere, materia autem virginitatis non est nisi delectatio sensualis, & talis seminis resolutio, quę nata sit illam causare, vt D. Tho. docuit, Secunda Secundæ. q. 152. arti. 1. ergo virginitatis perfectio huic efficientiæ nihil obstat.

D. Thom.

Respõsio. Hæ rationes faciunt sanè valde probabilem posteriorem sententiam, & explicãdo illam eo modo, quo in obctiectionibus insinuatur, & suppositaGalleni sententia, est multum verisimilis, & non aliena à modo loquendi Sanctorum patrum. Damas. enim lib. 3. c. 2. dicit, Spiritum sanctum in Virginem superuenientem, vim ei tum ad suscipiendum Verbi deitatem, tum ad gignendum suppeditasse. Clarius Anselmus lib. de conceptu virginali. c. 13. & 14. dicit corpus Christi formatum esse de semine Virginis. Et obijciens sibi, quia conceptio ex semine est immunda, respondet, hoc intelligendũ esse de illo semine, quod cum consensu seminatur voluptatis, semen autem de Virgine sumptum fuit absque vlla voluptate, & ideo purissimum fuit: Ex quo constat Anselmum de proprio, & effectiuo semine loqui.

Damasce.

Ansel.

Nihilominus tamen opinio sancti Thomæ satis probabiliter defendi potest modo supra dicto, Negare enim simpliciter, & in vniuersum matrem habere vim agendi in conceptione, aut posse emittere effectiuũ semen, difficile existimo esse consideratis omnibus sensibilibus signis, quę partim ex anatomia, partim ex alijs effectibus cõstituntur. Quod verò semen actiuum fœminæ non sit simpliciter necessarium, mihi valde probabile est, qua opinione posita dici consequenter potest, etiam si fœmina fęcũda sit, & semine abundet, nõ propterea illud esse simpliciter necessarium ad generationem. Quanquã, si talis fœmina naturali modo concipiat, consequutione quadam naturali necessario illud emittet, siue hic, & nunc necessarium simpliciter sit, siue non, quia per se ordinatum est ad generationem, & per talem motionem, & actum necessario emittitur, hæc autẽ necessitas non habuit locum in Virgine, quia modo naturali non concepit, nec cum illis motibus imperfectis, qui seminis effusionem excitant. Neque proptrerea aliquid de perfectione matris demitur Virgini: tũ quia ad perfectam mattis rationem satis est, quòd ea omnia præstiterit, quæ ad veram generationẽ humanã necessaria sunt: Tum etiã, quia si quid fortasse illi defuit de actiuitate seminis, tamẽ in ministratione materiæ alias matres excesit: aliorum enim filiorum corpora (vt est probabilis sententia Galleni) partim ex virili semine, partim ex sanguine matris materialiter formantur, corporis autem Christi materia ex sola matre sumpta est. Deinde etiam excesit in illa actione, qua materiam præparauit, fouit, ac disposuit, quę non parũ confert ad humanam generationem, præsertim cùm tota efficientia causę proximę circa dispositionem materiæ, & corporis organizationem versetur, neque enim potest animam efficere, neque illam aliter corpori vnire, quàm illud perfectè disponendo. Quòd si absque hac seminis transmissione possumus veritatem, proprietatem, ac perfectionem matris tueri, non videtur posse negari, quin hoc virginitatis puritatem aliquomodo augeat, quia in Deipara, non tantum id, quod formale, & quasi morale, & studiosum est in virginitate, sed etiam id, quod est quasi materiale, debuit esse omni ex parte perfectum, & ideo integerrima in corpore seruata est, & ab omni illecebra voluptatis naturali, & inuoluntaria præseruata. Effusio autem seminis, etiamsi sine voluptate fiat, est pars huius materię, & ideo omnis carentia illius ad perfectionem virginitatis pertinere potuit saltem ex parte materiæ.

Virginem in Christi cõceptione non actiue concurrisse per seminis effusionem, probabilissimum est.

Virgo sine vlla etiã seminis actiuitate, perfectissime Christum concipit, et gignit.

Neque Damascen. contrarium dixit, absolutè enim loquitur de vi generandi, quã non negamus in Virgine fuisse, atque per vim Spiritus sancti eleuatam esse, & confortatam, vt efficacius, ac velocius operaretur, quàm naturaliter posset. Anselmus verò magis videtur loqui de materiali, quàm de efficienti semine, & explicari potest eo modo, quo verba Bedę precedenti sectione explicuimus, omnis enim materia generationis humanæ: solet interdum seminis nomine significari.

SE-

SECTIO. III.

Vtrum potuerit beata virgo Christum Deum, & hominem ex viro concipere.

QVæstio hæc non potest intelligi de potentia ordinaria, quia in his præsertim rebus, quæ à sola diuina voluntate, & potentia pendent, illud solũ potest dici possibile de potentia ordinaria, quod Deus facere decreuit, quodque diuinis mysterijs magis est cõsentaneum, & hoc sensu constat non potuisse Deiparam ex viro concipere. Intelligenda ergo quęstio est de potentia absoluta, quam nõ mouissem, nisi in quodam D. Tho. interprete legissem, hîc. q. 31. ar. 4. esse impossibile Christum dominum potuisse habere patrem naturalem in terris. Et fundamentum est, quia generatio actiua non terminatur ad humanitatem, sed ad personam, ergo actio virilis seminis terminatur ad esse personale hominis, ergo implicat cõtradictionem hominem Deum generari per actionem virilis seminis, oporteret enim illam actionem terminari ad esse personale talis hominis, & consequenter ex vi talis actionis vniri humanitatem personæ diuinæ, quod implicat contradictionem. Nulla enim creatura potest concurrere efficiẽter ad hoc, vt persona diuina communicet suam subsistentiam personę creatæ, quia illud esse, est supra omnem ordinem creaturæ, & ideo contineri non potest in eius virtute, & potestate. Confirmari potest hæc sententia, quia non potuit Deus homo ita concipi, vt ex vi suæ originis esset obnoxius originali culpæ, hoc enim repugnat dignitati Verbi Dei, sed si conciperetur ex viro, peccato originali fuisset obnoxius, ergo.

Dicendum verò est absq; vlla dubitatione, potuisse Deum hominem concipi, & generari ex muliere opera viri. Hanc assertionem censeo adeo certam, vt contraria nec probabilis, nec verisimilis sit. Probatur. Primò, quia non implicat contradictionem, vt patebit statim facile soluendo obiectiones factas. Et prętera declaratur, quia Deus potest assumere in vnitatem personæ naturã hominis geniti ab alio homine (vt supra ostẽsum est q. 4.) ergo potest assumere illam naturam in primo instanti, quo perficitur generatio. Nam si in posteriori tempore assumi potest ablata subsistentia, quam iam habebat, cur non poterit in primo instanti assumi, & præueniri, ne fluat subsistentia propria. Secundo ita declaratur, quia vel vnio hypostatica humanitatis ordine naturæ supponit vnionem partium, & compositionem humanitatis, vel è contrario prius natura partes assumuntur, & postea inter se vniũtur, & ipsis mediantibus assumitur tota humanitas. Si primum dicatur, ergo fieri rectè potuit, vt actio virilis seminis verteretur circa corpus formandum vsque ad vltimum instans generationis inclusiuè, animamque illi vniendam, totamque humanitatẽ cõponendã, & quod in posteriori signo naturæ assumeretur illa humanitas, prius quã intelligeretur subsistens. Si autẽ dicatur secundum (quod verius est) certè cùm anima prius natura creatur, quám vniatur corpori, posset prius natura assumi à Verbo, etiã si corpus, cui erat vnienda, virili semine organizatum esset: & eadem ratione posset idẽ corpus in eodem instanti prius natura assumi, & posterius natura in eodem instanti possent illæ partes vniri, ex vi illarum dispositionum, quæ virtute eiusdem seminis in tali corpore fierent. In his enim omnibus non solum non est contradictio: sed nec difficultas vlla: quin potius si verum est (vt est probabile) Beatam Virginem concurrisse effectiuè, alterutro ex his modis necessario philosophandum est. Deniq;, quanuis de facto conceptio Christi non fuerit facta opera viri: tamen in ipsa effectione Spiritus sancti distinguenda est duplex actio, altera est conceptio actiua, altera vnitio hypostatica, nam hę duæ sunt valde distinctę: per priorem enim suppleuit defectũ, & efficaciam virilis seminis, & id effecit, quod homo effecturus erat, licet altiori modo, quo etiam posset Spiritus sanctus formare purum hominẽ sine hypostatica vnione, ergo etiam potuisset totam hanc actionem permittere homini, & virili semini, quanuis in eodem instanti ipse esset aliam actionem, seu vnionem hypostaticã operaturus. Quo circa valde absurdum, & ridiculum existimo sentire, potuisse Deum facere, vt homo sit Deus, & Deus homo, & vt aliqua fœmina sit mater Dei: & tamen facere non potuisse, vt aliquis vir pater Dei existeret.

Beata Virgo Christũ Deum hominem ex viro potuit concipere.

Ad

Responsio ad argumẽta in oppositum.

Ad fundamentum ergo respondetur actionẽ virilis seminis terminari quidem ad personam subsistentem in natura, vt ad vltimum terminum, qui genitus, vel natus denominatur, versari autem proximè circa naturam vniendo partes, ex quibus cõponitur, ex qua compositione resultat suppositum. Et ideò, si pater generaret filiũ, cuius naturam Deus assumeret in instanti generationis eius, vt ille pater diceretur verè genuisse talem filium hominem Deũ, non esset necessarium, vt effectiue attingeret vnionem hypostaticam in ipsa humanitate cum Deo, sed satis esset, vt in eodẽ instanti vniret inter se animam, & corpus Deo vnita. Sicut homo generat hominem subsistentẽ, quia vnit inter se animã, & corpus subsistẽtia, quanuis illas partiales subsistentias ipse non effecerit. Exempla sunt cuidẽtia, hoc enim modo Christus nutriebat se, effectiuè attingendo illam aggenerationẽ partialẽ, quę in nutritione fit, quãuis effectiuè nõ faceret hypostaticã vnionem illius partis materiæ. Sic etiam verè dicũtur Iudęi interfeciſſe Deũ, quia disiunxerunt animam à corpore, & è contrario, si Deus vsus esset creatura ad suscitandum Christum, illa diceretur verè suscitasse Deum, & effeciſſe hunc hominem, quãuis vnionem hypostaticam non effeciſſet. Addo præterea, quanuis contradictionẽ implicet, hominem per illam actionem seminis, quæ ad generandum necessaria est, vnire effectiuè humanitatem Verbo, quia illa est actio naturalis, & â virtute naturali tantum procedens, quod ad vim argumenti pertinebat, cui iam responsum est: non tamen implicare contradictionem creaturam assumi à Deo vt instrumentum ad illam vnionem faciendam, vt probaui latè supra q. 2. Quia tota illa actio versatur circa humanitatem, & id, quod per illam formaliter fit, est quid creatum, & finitum, quanuis terminetur ad subsistentiam Verbi infinitã, quod non refert, quia nõ oportet, vt illa subsistentia contineatur in virtute, & potentia instrumenti.

Tom. 1. disputat. 10. sect. 1.

Ad confirmationem respondetur, concipi opera viti latius patere, quam generari ab homine lapso, & descendẽte ab Adamo, posset enim denuo creari homo, à quo Christus generaretur, & hoc satis esset ad intentionem nostram, loquimur enim simpliciter de absoluta potentia. Secundo dicitur, nec in homine lapso habere efficaciã argumentum, quia licet humanitas talis hominis, si sibi ipsi relinqueretur, vt in propria persona subsisteret, ex vi suæ conceptionis, obnoxia esset originali peccato, tamen suppositа vnione hypostatica, ex vi illius fieret immunis ab originali culpa, vt dixi latius in primo tomo. q. 15. disput. 33. sect. 2. concl. 2.

QVAESTIO. XXXIII.

De modo, & ordine cõceptionis Christi, in quatuor articulos diuisa.

¶ De qua disputant Doctores in 3. sentent. d. 3.

Deinde considerandum est de modo, & ordine conceptionis Christi. ¶ *Et circa hoc quærũtur quatuor.*

¶ *Primò, Vtrum corpus Christi in primo instanti conceptionis fuerit formatum.* ¶ *Secundò, Vtrum in primo instanti conceptionis fuerit animatum.* ¶ *Tertiò, Vtrum in primo instanti cõceptionis fuerit à Verbo assũptum.* ¶ *Quartò, Vtrum conceptio illa fuerit naturalis vel miraculosa.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrũm corpus Christi fuerit formatum in primo instanti conceptionis.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quòd corpus Christi nõ fuerit formatum in primo instanti suæ conceptionis. Dicitur enim Ioann. 2. Quadraginta & sex annis ædificatũ est templum hoc, quod exponens Augu. in. 4. de Trinit. dicit. Hic numerus perfectioni Dominici corporis apertè congruit. Et in lib. 83. Quæstionũ dicit. Non absurdè. 46. annis dicitur fabricatũ esse templum, quod corpus eius figurabat, vt quot anni fuerunt in fabricatione tẽpli,

180 3. d. 3. q. 5. art. 2. & 4 cõtra 4. c. 44

lib. 4. de Tri. c. 5. in princ. to. 3. l. 83. quæ. q. 56. in fi. to. 4.

pli, tot dies fuerint in corporis Dominici perfectione. Non ergo in primo instanti conceptionis corpus Christi fuit perfectè formatum. ¶ 2. Præterea, Ad formationem corporis Christi requirebatur motus localis, quo purissimi sanguines de corpore Virginis ad locum generationi congruum, peruenirent. Nullum autẽ corpus potest moueri localiter in instãti: eo quòd tempus motus diuiditur secundum diuisionem mobilis: vt probatur in 6. Physi. Ergo corpus Christi non fuit in instanti formatum. ¶ 3. Præterea, Corpus Christi formatũ est ex purissimis sanguinibus Virginis, vt suprà habitũ est. Non autem potuit esse materia illa in eodem instanti sanguis, & caro: quia sic materia simul fuisset sub duabus formis. Ergo aliud fuit instans, in quo vltimo fuit sanguis, & aliud in quo primo fuit caro formata. Sed inter quælibet duo instantia est tempus medium, ergo corpus Christi non fuit in instanti formatum, sed per aliquod tempus. ¶ 4. Præterea, Sicut potentia augmentatiua requirit determinatum tempus in suo actu, ita etiam, & virtus generatiua: vtraq; enim est potentia naturalis, ad generatiuam animam pertinens. Sed corpus Christi fuit determinato tempore augmentatum, sicut & aliorum hominum corpora: dicitur enim Luc. 2. quòd proficiebat sapientia, & ætate, ergo videtur, quòd pari ratione formatio corporis eius, quæ pertinet ad vim generatiuam, non fuerit in instanti, sed determinato tempore, quo aliorum hominum corpora formantur.

li. 6. phys. tex. 37. 38. & 39. to. 2

q. 31. art. 5.

li. 18. c. 35 in princip.

¶ Sed contra est, quod Gregor. dicit. 18. Moralium, Angelo nunciante, & Spiritu sancto aduenientẽ, mox Verbũ in vtero, mox intra vterum Verbum caro.

Respondeo dicendum, quòd in conceptione corporis Christi tria est considerare. Primò quidem motum localem sanguinis ad locum generationis: secundo, formationem corporis ex tali materia: tertio autem, augmentum, quo perducitur ad quantitatem perfectam. In quorum medio ratio conceptionis consistit, nam primum est conceptioni præambulum, tertium autem conceptionem cõsequitur. Primum autem non potuit esse in instanti: quia hoc est contra ipsam rationem motus localis corporis cuiuscũq; cuius partes successiuè subintrant locum. Similiter, & tertium oportet esse successiuum: tũ quia augmẽtum non est sine motu locali, tũ etiã quia procedit ex virtute animæ iã in corpore formato operãtis, quæ nõ operatur nisi in tẽpore. Sed ipsa formatio corporis, in qua principaliter ratio conceptionis consistit, fuit in instanti, duplici ratione. Primò quidem propter virtutem agentis infinitam, scilicet Spiritus sancti, per quem corpus Christi est formatũ, vt suprà dictum est. Tanto enim aliquod agens citius potest materiam disponere, quanto maioris virtutis est. Vnde agens infinitæ virtutis, potest in instanti materiam disponere ad debitam formam. Secundo, ex parte personæ Filij, cuius corpus formabatur: nõ enim erat congruum vt corpus humanum assumeret nisi formatum. Si autem ante formationem perfectam aliquod tempus conceptionis præcessisset, non posset tota conceptio attribui filio Dei, quæ non attribuitur ei nisi ratione assumptionis. Et ideo in primo instanti, quo materia adunata peruenit ad locum generationis, fuit perfectè formatum corpus Christi, & assumptum. Et per hoc dicitur ipse filius Dei conceptus: quòd aliter dici non posset.

q. præ. ar. 1

Ad primum ergo dicendum, quòd verbum Augustin. vtrobique nõ refertur ad solam formationẽ corporis Christi, sed ad formationem simul cum determinato augmento vsque ad tempus partus: vnde secundum rationem illius numeri dicit perfici tempus nouem mensũ, quo Christus fuit in vtero Virginis.

Ad

Ad secundum dicendum, quòd motus ille localis non comprehenditur infra ipsam conceptionem, sed est conceptioni præambulus.

Ad tertium dicendum, quod non est assignare vltimum instans, in quo materia illa fuit sanguis, sed est assignare vltimum tempus, quod continuatur, nullo interueniente medio, ad primum instans, in quo fuit caro Christi formata. Et hoc instãs fuit terminus temporis motus localis materiæ ad locum generationis.

Ad quartum dicendum, quòd augmẽtum fit per potentiam augmentatiuam ipsius quod augetur. Sed formatio corporis fit per potentiam generatiuam, non eius qui generatur, sed ipsius generantis ex semine, in quo operatur vis formatiua ab anima patris deriuata. Corpus autem Christi non fuit formatum ex semine viri (sicut suprà dictum est) sed ex operatione Spiritus sancti, & ideo talis debuit esse formatio, vt Spiritum sanctum q. præ. ar. 2 *deceret. Sed augmentum corporis Christi fuit factum secundum potentiam augmẽtatiuã animæ Christi, quæ cùm sit specie conformis animæ nostræ, eodem modo debuit corpus illud augmentari, sicut & alia hominum corpora augmentantur, vt ex hoc ostenderetur veritas humanæ naturæ.*

A B C

COMMENTARIVS.

DIstinguit D. Tho. tria, quæ in conceptione Christi interuenerũt, scilicet, congregationem sanguinis ad locum conceptionis, formationem corporis, & eius augmentum. Primum dicit factum esse in tempore, quia fit per motum localem, & in solutione ad secundũ aduertit, hunc motum non pertinere ad conceptionem, sed esse quid extrinsecum applicans illi materiam, & ideo nihil referre ad perfectionem conceptionis, quòd hęc sanguinis congregatio in tempore sit facta. Illud verò in hac assertione difficile est explicatu, quid sub hoc hoc locali motu cõprehendatur, quod sequenti disputatione explanabimus.

Iam verò corporis formationem ait D. Tho. factam esse in momento, quod duplici ratione confirmat: Prima est, quia virtus Spiritus sancti est infinita. Quæ ratio immediatè solum probat hoc esse posibile: subintelligit autem D. Thom. decuisse, Spiritum sanctum in modo faciendi hoc opus ostendere omnipotentiam suam, modo perfectissimo illud perficiendo, quandoquidem ad Verbi incarnationem ordinabatur. Secunda ratio indiget maiori expositione, sic enim D. Tho. colligit. Deus conceptus est ex Virgine, ergo oportuit, vt in primo momẽto, in quo facta est, vel inchoata conceptio, facta etiã fuerit vnio hypostatica carnis ad Verbum, aliàs non tota conceptio ad Deum esset terminata, ergo oportuit, vt simul fuerit conceptio inchoata, & consummata, vsque ad coniunctionem carnis cum anima rationali, quia non decuit Verbũ assumere carnem, antequam anima informaretur.

Sed dicet aliquis, non sequi inconueniens, etiã si dicamus corpus illud fuisse humano more quadraginta, & amplius diebus perfectum, & tamen non esse assũptum vsq; ad rationalis animæ introductionem, quia vsque ad illud instans, nondum est corpus humanum, neque actio, quæ antecedit instans generationis, est reuera humana conceptio, nisi remotè, & habitudine quadam: sicut dicitur generatio inchoari in alteratione, quæ antecedit. Cõceptio enim humana generationem substãtialẽ in tali specie significat, vnde licet præcedẽs alteratio, successiue facta esset, nihilominus verè, ac propriè diceretur Deus conceptus ex Virgine. Respondetur, nomine conceptionis totum illud includi, & valde decuisse, vt diuinum Verbum totam humanã conceptionẽ assumeret, ac quodammodo deificaret, nec decuisse, vt Spiritus sanctus aliquid ex sanguine Virginis fabricaret, quod non esset Deus, seu Deo hypostaticè vnitum, & ipsam etiam Virginem decuit, nihil vnquam concipere nisi Deum, vnde Luc. 1. dicitur, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.* Luc. 1.

Obiectio.

Responsio

Dices fortasse non esse inconueniens,

vt

vt caro fuerit à principio assumpta prius quam esset animata, sicut post mortē māsit vnita Verbo sine anima. Nam sicut eo tempore solum erat caro humana per habitudinem ad animam, quam habuerat, ita ab initio conceptionis potest dici caro humana, quia ad suscipiendam rationalem animam præparatur. Respondetur non esse similem rationem. Nō enim decuit Verbum diuinum prius tēpore assumere corpus, quàm rationalem animam, aut prius fieri embrionem, aut aliquid simile, quàm hominem, vt latius supra diximus. q. 6.

Respōsio

Tertium, scilicet augmentum corporis, dicit D. Tho. factum esse in tempore, per successiuum augmētum. Quod per se cōstat, est enim hoc extra rationem conceptionis, & naturali modo, ac virtute animæ fit.

Iuxta hanc assertionē explicat D. Tho. in sol. ad. 1. loca Augustini in. 4. de Trinitate, & in lib. 83. quæstionū, vbi sensit corpus Christi successu temporis fuisse perfectum in vtero matris, & est sine dubio verus sensus eius. Dicit enim quadraginta sex senarijs dierum fuisse corpus Christi perfectum, qui dierum numerus, nouem menses conficit. Quomodo autem tot dies fuerint requisiti ad perfectum augmentū corporis Christi intra viscera matris, cùm in vno instanti habuerit corpus tam perfectum, quàm alij habere solent quadraginta diebus, hoc non exposuit Augustinus, attigit tamen D. Tho. art. sequenti, argumento secundo, & dicemus disputatione sequenti.

Augusti.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum corpus Christi fuerit animatum in primo instanti suæ conceptionis.

181 3. d. 3. q. 5. ar. 2. ad. 3. & 4. cōtra ca. 44. & 45. ad. 2. et op. 3. c. 223. & 224. et Io. 1. lc. 15 co. 2. & c. 2. lc. 3. co. 3

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd corpus Christi non fuerit animatum in primo instāti suæ conceptionis. Dicit enim Leo Papa in Epistola ad Iulianum: Nō alterius naturæ erat caro Christi quam nostra, nec alio illi, quàm cæteris hominibus anima est inspirata principio. Sed alijs hominibus nō infunditur anima in primo instanti suæ cōceptionis, ergo nec corpori Christi anima debuit infundi in primo instanti suæ conceptionis. Est epi. 11. ad Iulianū Epis. Coensem, nō remote afinē illius.

¶ 2. Præterea, Anima sicut quælibet forma naturalis requirit determinatam quantitatem in sua materia. Sed in primo instanti conceptionis corpus Christi non habuit tantam quantitatem, quantam habent corpora aliorum hominum, quando animantur: alioquin si continuè fuisset postmodum augmentatum: Vel citius fuisset natum, Vel in sua natiuitate fuisset maioris quantitatis, quam alij infantes. Quorum primum est contra Augustinū. 4. de Trinit. Vbi probat eum spatio nouem mensium in Vtero Virginis fuisse, secundum autem est cōtra Leonem Papam, qui in sermone Epiphaniæ dicit, quod Magi Viderunt, & adorauerunt puerum Iesum, in nullo ab humanæ infantiæ generalitate dissimilem. Nō ergo corpus Christi fuit animatum in primo instanti suæ conceptionis. lib. 4. ca. 5 to. 3.

In serm 4. circa medium illius inci. hic sermo. Iustum & rationabile.

¶ 3. Præterea, Vbicunque est prius, & posterius, oportet esse plura instātia. Sed secundum Philosoph. in libro de Generatione animalium, in generatione hominis requiritur prius, & posterius: prius enim est Viuum, & postea animal, & postea homo, Ergo non potuit animatio Christi perfici in primo instanti suæ conceptionis. lib. 2. ca. 4 to. 4.

¶ Sed contra est, quod Damasc. dicit in. 3. lib. Simul caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata anima rationali, & intellectuali. li. 3. ca. 2. a med.

¶ Respondeo dicendū, quòd ad hoc quòd conceptio ipsi filio Dei attribuatur (vt in Symbolo confitemur, dicentes. Qui cōceptus est de Spiritu sancto) necesse est dicere, quòd ipsum corpus Christi, dum cōciperetur, esset à Verbo Dei assumptū. Ostensum est autem suprà, quòd Verbū Dei assumpsit corpus mediante anima, & animam mediante spiritu, idest intellectu. Vnde oportuit, quòd in primo instanti conceptionis corpus Christi esset anima- In symbol. Apost. q. 6. ar. 1.

animatum anima rationali. ¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd principium inſpirationis animæ, poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo ſecundum diſpoſitionem corporis: & ſic non ab alio principio inſpirata eſt anima corpori Chriſti, & corporibus aliorum hominum: ſicut enim ſtatim formato corpore alterius hominis, infunditur anima, ita fuit in Chriſto. Alio modo poteſt conſiderari dictũ principium ſolum ſecundum tempus: & ſic quia prius tempore formatũ fuit perfectè corpus Chriſti, prius tempore fuit etiã animatum.* ¶ *Ad ſecundum dicendum, quòd anima requirit debitã quantitatem in materia, cui infunditur, ſed iſta quantitas quandã latitudinem habet: quia & in maiori, & in minori quãtitate ſaluatur. Quantitas autem corporis, quam habet cùm primò ſibi infunditur anima, proportionatur quantitati perfectæ, ad quam per augmentum perueniet: ita ſcilicet quòd maiorum hominum maiorem quantitatem corpora habent in prima animatione. Chriſtus autẽ in perfecta ætate habuit decentem & mediocrem quantitatem, cui proportionabatur quantitas, quam corpus eius habuit in tempore, quo aliorum hominum corpora animantur: minorem tamen habuit in principio ſuæ conceptionis. Sed tamen illa parua quantitas non erat tam parua, vt in ea non poſſet ratio animati corporis conſeruari, cùm in tali quantitate quorundam paruorum hominum corpora animentur.* ¶ *Ad tertium dicendũ, quòd in generatione aliorũ hominũ locũ habet quod dicit Philoſophus, propter hoc quòd ſucceſsiuè corpus formatur, & diſponitur ad animã. Vnde primò tanquam imperfectè diſpoſitum, recipit animam imperfectam: & poſtmodum quando perfectè eſt diſpoſitum, recipit animam perfectã. Sed corpus Chriſti propter infinitam virtutem agentis fuit perfectè diſpoſitum in inſtãti, vnde ſtatim in primo inſtanti receptit formam perfectam, ideſt animam rationalem.*

HIC articulus non indiget cõmentario, non enim eſt in illo noua difficultas præter tractatã in articulo præcedenti. Suppoſito enim priori miraculo de perfecta formatione corporis Chriſti in momẽto, abſq; nouo miraculo quaſi naturali lege conſequebatur, vt corpus illud in eodẽ inſtanti anima rationali formaretur. Quia materię perfectè diſpoſitæ, proportionata forma naturali lege debita eſt.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum corpus Chriſti in primo inſtanti ſuæ conceptionis fuerit a Verbo aſſumptum.

AD tertium ſic proceditur. *Videtur, quòd caro Chriſti prius fuerit cõcepta, & poſtmodum aſsũpta. Quod enim non eſt, non poteſt aſſumi. Sed caro Chriſti per cõceptionem eſſe incepit. Ergo videtur, quòd fuerit aſsumpta à Verbo Dei, poſtquam fuit concepta.* ¶ 2. *Præterea, Caro Chriſti fuit aſſumpta à Verbo Dei mediãte anima rationali. Sed in termino conceptionis accepit animam rationalem. Ergo in termino cõceptionis fuit aſſumpta, ſed in termino conceptionis dicitur iam concepta: Ergo prius fuit concepta, & poſtmodũ aſsũpta.* ¶ 3. *Præterea, In omni generato prius tẽpore eſt id, quod eſt imperfectũ, eo quod eſt perfectum: vt patet per Philoſophum in 9. Metaphyſi. Sed corpus Chriſti eſt quiddam generatũ. Ergo ad vltimã perfectionem, quæ conſiſtit in vnione ad Verbum Dei, non ſtatim in primo inſtanti cõceptionis peruenit, ſed primò fuit caro concepta, & poſtmodum aſſumpta.*

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit in lib. de fide ad Petrum: Firmiſsimè tene, & nullatenus dubites, carnem Chriſti nõ fuiſſe conceptã in vtero Virginis, priuſquam ſuſciperetur à Verbo.

Reſpondeo dicendum, quòd (ſicut ſupra

12 8 3.d.2.q.2. art.3.& di. 3.q.5.ar.2 & 4.cõtra c.44.& 45.

li.9.tex.13 to.3.

capi.18.in prin.to.1.

q.16.ar.6. & 7.

prà dictum est) propriè dicimus Deum factum esse hominem, non autem propriè dicimus, quòd homo factus sit Deus: quia scilicet Deus assumpsit sibi id quod est hominis, non autē præextitit id quod est hominis, quasi per se subsistens antequàm susciperetur à Verbo. Si autē caro Christi fuisset concepta antequàm susciperetur à Verbo, habuisset aliquando aliquam hypostasim præter hypostasim Verbi Dei, quod est contra rationem incarnationis: secundum quam ponimus Verbum Dei esse vnitum humanæ naturæ, & omnibus partibus eius in vnitate hypostasis. Nec fuit conueniēs quòd hypostasim præexistentem humanæ naturæ vel alicuius partis eius, Verbum Dei sua assumptione destrueret. Et ideo contra fidem est dicere, quòd caro Christi prius fuerit concepta, & postmodum assumpta à Verbo Dei.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd si caro Christi non fuisset in instanti formata, seu cōcepta, sed per temporis successionem, oporteret alterum duorum sequi, vel quòd assumptum nōdum esset caro, vel quòd prius esset conceptio carnis, quàm eius assumptio. Sed quia ponimus conceptionem in instanti esse perfectam, consequens est, quòd in illa carne simul fuit concipi, & conceptum esse. Et sicut August. dicit in lib. de fide ad Petrum: dicimus ipsum Dei Verbum suæ carnis acceptione conceptum, ipsamq; carnem, Verbi incarnatione conceptam. Et per hoc patet etiam responsio ad secundum. Nam simul dum caro illa concipitur, cōcepta est, & animatur.

¶ Ad tertium dicendum, quòd in mysterio incarnationis, non consideratur ascensus quasi alicuius præexistentis proficientis vsque ad vnionis dignitatem: sicut posuit Photinus hæreticus, sed potius consideratur ibi descensus secundum quod perfectum Dei Verbum, imperfectionem naturæ nostræ sibi assumpsit, A secundūm illud Ioan. 6. Descendit de cœlo.

TExtus D. Tho. est perspicuus, res autem ipsa tractata est in superiori tomo circa quæstionem 6. vbi, ostēdimus simul tempore fuisse corpus Christi animatum, ac Verbo vnitum.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrùm conceptio Christi fuerit naturalis vel miraculosa.

183

AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd conceptio Christi fuerit naturalis. Secundum enim conceptionē carnis, Christus dicitur filius hominis. Est autem verus, & naturalis filius hominis, sicut verus, & naturalis Dei filius: ergo eius conceptio fuit naturalis. 3.d.3.q.2. ar.2.& 4. cōtra.c.45 & quo.6. q.10. & opu.3.cap. 225. vsque 232. & Isa. 7.le.2.co. 2 princip.

¶ 2. Præterea, Nulla creatura producit operationem miraculosam. Sed conceptio Christi attribuitur Beatæ Virgini, quæ est pura creatura: dicitur enim quòd Virgo Christum concepit. Ergo videtur, quòd non sit miraculosa conceptio, sed naturalis.

¶ 3. Præterea, ad hoc quòd aliqua trāsmutatio sit naturalis, sufficit quòd principium passiuum sit naturale: vt suprà habitum est. Sed principium passiuum ex parte matris in conceptione Christi fuit naturale: vt ex dictis patet. Ergo conceptio Christi fuit naturalis. q.præc.ar.4.

¶ Sed contra est, quod Dionysius dicit in Epistola ad Caium monachum: Super hominem operabatur Christus ea, quæ sunt hominis: & hoc monstrat Virgo supernaturaliter concipiens. q.32.art.4 In epi.quæ inc. Quæris. tu quidem, circa med illius.

¶ Respondeo dicendū, quòd sicut Ambros. dicit in libro de incarnatione, multa in hoc mysterio & secundū naturam inuenies, & vltra naturam. Si enim cōsideremus id, quod est ex parte materiæ cōceptus, quā mater ministrauit, totum est naturale. Si vero consideremus id, quod est ex parte virtutis actiuæ, totū est miraculosum. c.6.circa med.to.2.

raculosum. Sed quia vnumquodq; magis iudicatur secundum formam, quam secũdum materiam, & similiter secundum agens, quàm secũdum patiens: inde est, quòd conceptio Christi debet dici simpliciter miraculosa, & supernaturalis, sed secundum aliquid naturalis.

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd Christus dicitur naturalis filius hominis, in quantum habet naturam humanam veram, per quam est filius hominis: licet eam miraculosè habuerit. Sicut cæcus illuminatus, videt naturaliter per potentiam visiuam, quam miraculosè accepit.*

Ad secundum dicendum, quod conceptio attribuitur Virgini Beatæ, non tanquam principio actiuo: sed quia ministrauit materiam conceptui, & in eius vtero est conceptio celebrata.

Ad tertium dicendum, quòd principium passiuum naturale sufficit ad trãsmutationem naturalem, quando naturali, & consueto modo mouetur à principio actiuo proprio. Sed hoc in proposito non habet locum. Et ideo conceptio illa non potest dici simpliciter naturalis.

COMMENTARIVS.

QVæstio huius articuli solũ spectat ad modum loquendi, nam res satis constat ex ijs, quæ supra dicta sunt de hac conceptione, & quæ de illius modo statim dicemus. Vnde nihil in textu D. Tho. occurrit explicandum præter solutionem ad. 1. in qua D. Tho. ait Christum dici naturalem filium hominis, in quantum habet veram naturam humanam, per quam est filius hominis, licet eam miraculosè habuerit.

Obiectio. Statim enim occurrit obiectio, aliud est enim esse naturalem hominem: aliud verò esse naturalem filiũ hominis, vt ergo Christus sit verus, ac nuturalis homo, satis est habere veram naturam hominis, non tamẽ hoc sufficit, vt sit naturalis filius hominis. Homo enim dicitur à natura, filius autem ab origine, & ideo, sicut, vt sit homo, requirit humanam naturam, ita vt sit naturalis filius, naturalis origo necessaria est, aliás si humana eius natura formata esset ex costa Virginis, vel alio simili modo, nihilominus fuisset naturalis filius hominis, quod est planè falsum. Respondetur verum esse, quod obiectio sumit, ad humanã filiationem præter humanam naturam necessariam esse originem, & hoc ipsum D. Tho. insinuauit, cum addidit, *in quantum habet naturam humanam, per quam est filius hominis.* Vt verò mens eius radicitus intelligatur considerare oportet, aliud esse generationem, vel conceptionẽ esse veram: aliud esse naturalem: rursus recolere oportet, opus interdum dici miraculosum ratione termini, interdum verò tantũ ratione modi. Cõceptio ergo Christi ex Virgine, vera conceptio, ac generatio humana fuit, quãtum ex parte matris esse oportet (vt superius explicatum est) modus autem fuit aliquomodo supernaturalis in velocitate, & similibus circunstantijs, quæ veritatẽ cõceptionis non tollunt. Rursus ex parte causæ efficientis fuit illa conceptio supernaturalis: terminus autem eius omnino naturalis, agimus enim præcisè de conceptione, non de hypostatica vnione. Quia ergo conceptio actionem significat, & habitudinẽ dicit ad efficientẽ causam, ideo sicut supernaturali virtute facta est, ita supernaturalis simpliciter dicitur, licet ex parte materiæ, & termini naturalis quodã modo sit, hoc tamen satis est, vt Christus dicatur simpliciter naturalis filius hominis. Quia vt sit filius, sat est, quòd veram humanam originem habeat ex matre, vt verò dicatur naturalis filius, satis est, vt ex vi illius originis eãdem naturam habeat cum matre. Non enim dicitur naturalis filius propter modum, sed propter terminum originis, & hoc significauit D. Thom. cùm dixit esse filium naturalem, *in quantum habet naturam humanam*, scilicet communicatam per veram conceptionenem naturalem ex parte materiæ, & termini. Et in hoc sensu recte vtitur exemplo cæci illuminati. Nam in eo opere, quanuis modus sit supernaturalis, terminus tamen naturalis existit.

Responsio.

Christus quomodo dicatur naturalis filius hominis.

DISPVTATIO, XI. in duas sectiones distributa.

De tempore, & modo, quo Christi cõceptio ex Virgine perfecta est.

DE tempore huius conceptionis, ideſt de anno, menſe, die, & hora, quibus facta eſt, nihil eſt, quod dicamus. Supra enim oſtendimus factam eſſe tempore annuntiationis Angelicæ, de qua ea omnia eo loci tractauimus. Solum igitur reſtat agendum de tempore, quatenus reſpicit modũ conceptionis, & eſt menſura eius, quod eſt quærere, an hæc conceptio fuerit ſucceſſiua actio, vel inſtantanea, nec enim alius modus inquirendus, aut explicandus ſupereſt, cætera enim omnia, quæ deſiderari poſſunt, explicando cauſas conceptionis, expoſita ſunt. Duo ergo breuiter de hoc modo dicemus, ſcilicet quis fuerit poſsibilis, vel qualis reipſa ſeruatus ſit.

SECTIO. I.

Vtrum fuerit poſsibile conceptionem Christi fieri in inſtanti.

SVppono non eſſe ſermonem de tota actione, ſeu augmento poſt creationem, & informationem animę ſubſequutam, quia extra conceptionẽ eſt. Suppono ſecũdo nõ eſſe quæſtionẽ de vnione animæ ad corpus: nam etiam extra controuerſiã eſt, in initio factam eſſe in inſtãti, hoc enim eſt proprium initium rerum permanentium. Tertio nullam oportet eſſe quęſtionem de productione, ſeu intenſione quarumcunque qualitatum, quibus humanũ corpus diſponitur. Quia huiuſmodi actio exvi ſui intrinſeci termini nõ requirit ſucceſsionem, ſed ſolum ex contrariarum qualitatum reſiſtentia, ſeu ex indiſpoſitione ſubiecti, virtuti autem infinitæ Spiritus ſancti nullum contrarium reſiſtere poteſt, quo minus effectum ſuũ poſsit in inſtanti producere. Difficultas ergo in duobus conſiſtit. Primò in ſanguinis congregatione, quæ corporis formationẽ anteceſsit. Secundo in formatione corporis, ideſt organizatione, ac diſtinctione mẽbrorum, diuerſas figuras, denſitatem, vel raritatem habentium.

A Circa primum, D. Tho. hic indicare videtur illam congregationem non potuiſſe fieri in inſtanti, ſed tantum in tempore. Quia neceſſariò requirit motum localem, & ita videntur intelligere D. Thomæ interpretes.

Congregatio ſanguinis ad conceptionem Chriſti neceſsaria cõſtitui in vtero Virginis in inſtanti potuit.

Dicendum autem videtur primô, non implicare contradictionem, totum ſanguinem ad formandum corpus Chriſti neceſſarium in vnico inſtanti conſtitui in loco conceptioni deſtinato. Probatur, quia nõ eſt neceſſarium fieri per motum localem continuũ, potuit enim fieri per mutationem indiuiſibilem, qua corpus nunc primo acquirat hunc locum, & primo relinquat, ſeu deſinat eſſe in loco, in quo tẽpore proximè antecedenti quieuerat, nulla enim eſt in hoc repugnantia, vel implicatio contradictionis. Neque enim obſtat locum illum eſſe extenſum, & conſequenter vel ſecundum ſe totum vel ſecundum partem eſſe diſtantem à priori loco. Quia loquendo de abſoluta potentia, non eſt neceſſarium, vt ſanguis per tranſierit omnia loca media, potuit enim fieri diuina virtute, vt pertranſiret de extremo in extremũ non exiſtẽdo in medio. Nulla enim in hoc oſtendi poteſt repugnantia, & ex alijs effectibus fit facile creditu. Nam de Angelis multi opinantur poſſe naturaliter hoc facere: probabilius etiam eſt idẽ corpus poſſe á Deo cõſtitui in locis diſtantibus, quãuis non exiſtat in medio, facilius igitur poterit mutare de loco in locum non pertrãſeundo medium. Nunc etiam conſtituitur Chriſti corpus præſens in Euchariſtia, & multi cenſent illam eſſe tantum actionem adductiuam, quod eſt probabile, & certũ eſt eſſe poſsibile. Si ergo poteſt Deus adducere hûc corpus ex loco diſtanti nõ ſolum nõ tranſeũdo media, ſed nec relinquẽdo quidem aliũ locum, facilius poterit trãſmutare prędicto modo de loco ad locum. Neq; enim ad vim huius rationis refert, quód in Euchariſtia nõ ſit Chriſtus locali modo, ſatis eſt enim, quòd ibi acquirat præſentiam realẽ, modus enim præſentiæ diffi cultatẽ non auget, nec ſpecialẽ aliquam repugnãtiæ, vel implicationis rationem importat. Denique, poteſt Deus mouere vnum corpus per aliud non diuidendo, ſed penetrando illud, cur ergo facere non poteſt, vt tranſiliat de loco in locum non exiſtẽdo in medio? Quin potius Durã. 4. d. 44.

Tranſitus de extremo in extremũ ſine tranſitu per mediũ non eſt impoſsibilis

Durand.

Palud. d.44.q.6.& Palud.q.3.ad.3.multo facilius exiſtimant hoc poſterius fieri poſſe, quàm prius. Hoc ergo modo fieri potuit in inſtãti hęc ſanguinis congregatio ad cõceptionem Chriſti neceſſaria.

Addo verò vlterius hanc ſanguinis cõgregationem fieri non potuiſſe hoc modo in inſtanti concurrente actiuè B. Virgine, & adhibente aliquam naturalem vim ad illam mutationem. Potuit quidem Deus vti ad hunc effectum naturalibus Virginis facultatibus tamquã inſtrumento operãte per potentiam obedientialem actiuam modo ſupernaturali, ea ſcilicet ratione, qua poſſet Deus per quancunque creaturam eam mutationem efficere: non potuit autẽ fieri, vt B. Virgo per facultatem naturalẽ proprijs viribus naturaliter operantẽ aliquid circa mutationem illam operaretur. Quia illa mutatio omnino eſt extra ordinem naturalium motuum, & actionum vitæ vegetatiuæ. Differt enim eſſentialiter illa mutatio ab attractione, vel impulſu, quibus tantum duobus modis poteſt naturalis potẽtia aliquod extrinſecum corpus mouere.

Circa ſecundũ de organizatione, ſeu formatione corporis, difficultas oritur ex ſuperiori puncto. Quia ſi motus localis non poteſt fieri niſi in tẽpore, omnis mutatio, quæ intrinſecè, vel concõmitanter requirit mutationem loci, non magis poterit fieri in inſtanti, quàm motus localis. Vnde D. Tho. probat augmentationem corporis Chriſti factam eſſe in tempore, quia neceſſario coniunctam habet loci mutationem, ſed idem omnino eſt de corporis delineatione, nam hęc etiam includit mutationem loci ſecundum diuerſas partes. Quod ita facile declaratur, conſtituamus enim in loco conceptionis totum neceſſariũ ſanguinem, qui homogeneus eſt, eiuſdem figurę, raritatis, & ſimilium diſpoſitionum, intelligi ergo non poteſt, hunc ſanguinem coagulari, condenſari, & in diuerſis partibus varijs figuris formari, niſi neceſſario intelligantur partes eius mutare locum. Quia pars denſior facta minorem locũ occupat, quàm antea, diuerſa etiã figura diuerſum ſitum in loco requirit, ſuppono enim corpus illud in principio, & termino actionis eſſe naturali modo in loco: ergo non magis hæc formatio potuit in inſtanti fieri, quàm localis motus.

Difficultas verò in cõtrarium eſt, quia D. Tho. magnam differẽtiam inter hęc cõſtituit. Ego autem ingenuè fateor neſcire me ſatisfacere difficultati poſitæ. Vnde conuincor ad dicendum non potuiſſe hãc formationem fieri in inſtanti ſecundum ſe totam, niſi ſimul efficiendo, vt partes ſanguinis mutarent ſua loca ſine tranſitu per medium: Quia aliàs non poſſet intelligi illa locorũ mutatio ſine ſucceſsione. Supponimus enim in eo inſtanti, quo facta eſt conceptio, ſingulas partes corporis fuiſſe tantum in locis ſibi proprijs, & adęquatis, & nullam earum fuiſſe in pluribus locis, aut in maiori loco, quàm naturaliter poſſet occupare, ne nouum miraculum ſine fundamento, aut neceſsitate fingamus. Prædicto autem modo poſsibile fuit huiuſmodi corporis formationem in inſtãti fieri, efficiendo ſcilicet, vt totus ſanguis, qui toto tempore pręcedenti hunc locum occupauit, habens hanc partem in hoc loco, & illam in illo, & ſic de alijs, ſubitò in inſtanti conceptionis aliter ſecundum partes ſuas ſe habuerit ad totum locum. Sicut poſſet Deus in vno momento ita mutare ſpheram ſolis intra ſuum ſpatiũ, vt pars, quæ immediatè antea erat in Occidente, nunc ſit in Oriente, & è cõtrario, ad quod neceſſarium eſt, vt ſecundum partes mutata fuerit ab extremo in extremum ſine medio: neque in hoc eſt maior repugnantia, quàm in eo, quod circa priorem partẽ diximus. Quid verò ad D. Tho. dici poſſit, explicabimus ſectione ſequenti. Ex hoc vero conſequenter ſequitur, ſi formatio corporis hoc modo facta eſt in inſtanti, non potuiſſe Virginem ad illam concurrere per facultatem vitalem operantem vi naturali, vt talis eſt. Quia hic modus formationis includit mutationem, quæ omnino eſt extra latitudinem naturalium, & vitalium actionum talis facultatis, vt oſtẽſum eſt.

Formatio corporis Chriſti in inſtanti fieri quomodo potuit.

SECTIO. II.

Vtrum formatio corporis Chriſti facta ſit in inſtanti.

SVppoſitis, quæ dicta ſunt, ſolum poteſt verſari quæſtio de illa duplici actione, ſcilicet de congregatione ſanguinis, quæ antecedit conceptionem, & de ipſa corporis formatione.

Quoad priorem, veram exiſtimo ſentẽtiam

Congregatio sanguinis ad Christi conceptionem necessaria, in tempore facta.

tiam D. Th. illam mutationē factam esse in tempore per verum localem motum, non quia aliter fieri repugnauerit (vt dixi) sed quia non omnia miracula asserenda sunt, sed quæ fundamentum habent, & probari possunt, vel quia necessaria, vel quia mysterio admodum consentanea, nihil autem horū hic intercedit. Nulla enim est autoritas, quæ nos cogat ad credendum hîc illud magnum miraculū transferendi vnum corpus de loco ad distātem locum, sine trāsitu per medium. Nulla est etiā necessitas. Quia cùm illa sanguinis congregatio ad conceptionē intrinsicè non pertineat, necessarium non est, vt Deo, seu Verbo possit tribui, potuit ergo fieri in sanguine nō dum vnito Verbo, atq; adeo in tempore conceptionem, & vnionem hypostaticam antecedēte. Deniq; nihil aliud est magis cōsentaneū mysterio, quia oportuit, vt seruata in omnibus, quæ necessaria essent, cōceptionis huius dignitate, in alijs seruaretur naturalis modus, quoad fieri posset, & ideo decuit, vt B. Virgo (vt supra dicebamus) naturali, ac vitali facultate sua vim adhiberet ad attrahendum, congregandumq; sanguinem, ita vt motus ille quoad substantiā naturalis esset, & vitalis, & solum in velocitate, ac subtilitate supernaturalis. Vnde verisimile est, cùm primum B. Virgo cepit præstare consensum illo verbo, *Ecce*, cepisse simul quasi exhibere, & collocare sanguinem in loco ad conceptionem Christi accōmodato, Spiritu sancto eam mouēte, & vim, ac efficatiam præstāte, vt supra dictum est. Neq; circa hoc occurrit alia difficultas notatu digna.

Canis.

Quoad posteriorē verò actionem, quidam hæretici hac nostra tēpestate (vt Canisius refert lib. 3. de B. Virgine. c. 22.) negarunt Christi corpus formatū esse in instanti. Quod non inuenio, quo fundamento alio asserere potuerint, nisi quia rei difficultate vincebantur, & scripturæ autoritate non conuincebantur.

Conceptio Christi in instanti facta.

Luc. 1.

Dicendum verò est, conceptionē Christi domini quoad ea, quæ sunt de intrinseca ratione eius, factā esse in instanti. Hæc cōclusio præcipuè nititur testimonio Ecclesiæ, & sanctorum. Probatur autem prius aliquomodo ex scriptura, Luc. enim. 1. dixit Angelus ad Virginem. *Ecce concipies in vtero, & paries filium, &c.* quem infra dicit fore *magnum, & filium altissimi*, dixit ergo, A ipsum Dei filium fore concipiendū ex Virgine, tota ergo conceptio ad filium terminata est: sed non fuit terminata donec perfecta, quia non fuit caro prius assumpta, quàm animata, ergo tota conceptio simul est facta. Vnde inferius subiūgit Angelus, *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei*, sicut ergo solus Spiritus sanctus à principio cōceptionem operatus est, ita etiam filius Dei à principio illā assumpsit, seu terminauit. Et ideo (vt ex Basilio statim dicam) illam conceptionem *Natiuitatem* vocat Angelus, quia non fuit prius initium cōceptionis, quàm natiuitas in vtero, quę in substantiali generatione perficitur. Secundo probatur ex. 6. Syno. Acto. 11. vbi *6. Synod.*
B Sophronius in sua epistola dicit simul fuisse carnem *conceptam, animatam, & vnitā Verbo*. Quem locum priori Tom. latè tractaui mus circa quæstionem. 6. D. Tho. Et confirmatur ex Basilio homil. 25. de humana Christi generatione, vbi tractās illud angelicum verbum, *Quod in ea natum est, hinc*, inquit, *deprehendere licet, quod nō secundū modū carnis, constitutio domini fuit, conceptum namque illico perfectum, nō per interualla paulatim formatum, vt plane verba declarāt, non enim dicit, quod in ea conceptum est, sed quod in ea natum est.* Eandem veritatem docet optime Damasce. lib. 3. de fide. c. 2. cuius verba statim perpendam. Euthy. etiam Matth. 1. tractās illa eadem verba, *Quod in ea natum est, Formatum*, inquit, *genitum dixit, vt discamus non paulatim modo feminis formatum esse, sed repente quoad formationem perfecte factū esse.* Vnde quod paulo antea, id, quod formatū est in vtero Virginis, embrionem vocat, impropriè, & latè vsus est illa voce, vt significaret prolem recens genitam. Ratio ad hanc veritatē confirmandā satis explicata est circa ar. 5. D. Th. Quia scilicet tota cōceptio Christi ad Verbum est terminata. Vnde omnes sancti, qui docent carnē Christi simul esse conceptam, & vnitam, plurimum fauent eidē veritati. Optima sunt verba Fulgentij de fide ad Petrum ca. 18. *Fulgent.*
Firmissime tene, & nullatenus dubites non carnē Christi sine diuinitate conceptā, prius quam assumeretur: alia retuli in citato loco. 1. tom. Confirmari potest hęc ratio, quia si Christi corpus paulatim perfectū esset, consequens fieret, vt prius quàm omnibus suis membris cōstaret, rationali anima informaretur, quia iuxta communem philosopho

Disput. 16 sect. 3.

Basil.

Damasc. Euthym.

rum doctrinã in alijs hominibus, in quibus corpus paulatim formatur, & anima introducitur post principalium partiũ formationem, vt sunt iecur, cor, ac cerebrum, antequam corpus omni ex parte perfectũ sit, necessarium igitur fuisset animam Christi hoc pacto introduci. Vnde sequeretur, vel corpus illud prius esse animatũ, quàm assumptũ, quod est hæreticũ, vel certè prius assumptum, quàm perfecte formatum, quod non decebat.

Ex quibus omnibus intelligitur, veritatẽ hanc esse cõclusionẽ theologicam omnino certam, quam negare nõ solum temerariũ, sed etiam erroneum esset, non dico autem simpliciter esse de fide, & contrariam hæresim, quia neq; ex scriptura sacra apertè colligitur, nec expressã Conciliorũ definitionem inuenio: habet tamẽ prædictã certitudinẽ, quia ex principijs fidei, adiuncta sanctorum expositione, & autoritate, necessario colligitur. Adde prẽterea, ecclesiã celebrare festũ incarnationis in eodẽ die, quo annuntiatio angelica facta est, sentiens eodem die Deum factum esse hominem. Vnde hoc, vt minimum videtur certũ de fide & consequenter conceptionem Christi nõ esse factã per ea interualla temporũ, quibus aliæ conceptiones fiunt. Quin etiam supra ostendimus, antequam Angelus Gabriel è cubiculo Virginis discederet, Verbũ factum esse hominem, huic autẽ valde affine est, vt illa cõceptio subito fuerit perfecta, est igitur hæc veritas certissima. Qua propter obseruandus est locus Theophyl. Luc. 1. vbi tractans illa verba. *Virtus altissimi obumbrabit tibi*, sic inquit, *Sunt, qui dicũt, quod vbi dominus obumbrauit vterum Virginis, statim perfectus fuerit infans: alij autem hoc nõ recipiunt. Audi enim, quod dicat, ideo, & quod nascetur sanctum, hoc est, quod particulatim in vtero crescit, & non statim perfectum existit.* Quæ verba exponi possẽt de perfectione augmenti, vt sensus sit, corpus Christi nõ statim in conceptione fuisse perfectum, id est ea quantitate, quam alij tẽpore natiuitatis habent. Sed si considerẽtur superiora verba, non habet locum hæc expositio, apertè enim loquutus fuerat de prima carnis delineatione, & formatione ex sanguinibus Virginis, & dubiũ relinquit, an paulatim fuerit delineata, & figurata: sed (vt dixi) assertio proposita omnino certa est: an vero dubitatio illa Theophylacti in ali-

Theophyl.

A quo sensu locum habeat, statim dicam.

Sed occurrunt nonnullæ difficultates. Prima est quomodo potuerit B. Virgo simul ministrare tantã sanguinis copiam, vt ex eo subito infantis corpus formaretur. Oportuisset enim, vt vel antea B. Virgo nimio sanguine abundaret, vel postea necessario sanguine, ac proprio corpori proportionato, caruerit. Respondetur, sine alio ex hisce incõmodis potuisse B. Virginem prædictũ ministrare sanguinẽ. Quia quantitas sanguinis, cũ qua potest corpus sanum, & optime proportionatum cõseruari, magnam habet latitudinẽ, & ideo potuit B. Virgo abũdare purissimo sanguine absq; vllo incõmodo, vel ægritudine corporis. Imo hoc erat quasi connaturale: tũ quia fœminis datũ est á natura vt non solum ad individui conseruationem, sed etiã B ad speciei propagationẽ, magnam vim sanguinis efficiant, præsertim in iuuenili, & accõmodata ætate, qualis erat in Virgine. Ad quod etiam iuuabat optima corporis eius tẽperies, nec existimo illi defuisse singularẽ Spiritus sancti prouidentiã, qua factũ est, vt tali modo corpus suũ gubernauerit, ac nutrierit, quo posset facile, & sine detrimento sui corporis, Christi corpori ministrare. Dici etiã posset, sicut ex parua materia costę Adæ formauit Deus corpus Euæ, ita ex perpauco sãguine Virginis potuisse formari corpus infãtis, quod multo minoris quãtitatis fuit, quã corpus Euæ.

1. Obiectio

Respõsio

Secunda difficultas est, quia si corpus Christi integrũ formatum fuit tam breui mora, necessariũ fuisset exire de vtero matris ante nouẽ menses, quoniam alij infantes egrediuntur ante octauũ mensem post perfectam conceptionẽ, alioqui oportuisset Christi corpus existere in vtero matris in maiori quantitate, & mole, quàm naturaliter esse posset. Hæc difficultas tribus modis solui potest, supponendo vt certũ, Christum extitisse in vtero matris nouem mẽsibus, quod infra probabimus agentes de natiuitate. Primus modus est cõcedẽdo supposito primo miraculo cõceptionis, naturaliter debuisse nasci ante nouẽ mẽses: diuinitus tamẽ factũ esse, vt nõ antea nasceretur, tũ vt occultaretur mysteriũ: tum ne monstrosa, & prærernaturalis natiuitas videretur. Nec censebitur inconueniẽs, vt quantitatem aliquanto maiorem in vtero matris habuerit. Quadraginta quippe die-

C

2. Obiectio

bus

bus non potuit adeó magnũ esse illud aug mentũ, vt sensibus perciperetur, aut præternaturale videri posset. Hæc verò responsio nõ quadrat, quia multiplicat miracula sine fundamento, & necessitate, nec sibi admodum constat, vt patebit.

Secundo, ergo dici potest, licet corpus Christi in principio fuerit perfectum, postea tamẽ augmentum eius fuisse ita temperatum, & paulatim factum, vt nõ nisi nouem mensibus peruenerit ad debitam nascendi quantitatẽ. Cæterum, & hęc responsio displicet, quia illa retardatio augmenti non potuit esse naturalis, vnde oporteret interuenire quasi perpetuum miraculum in toto illo nouem mensium augmento.

Tertia igitur, & vera responsio est, quã D. Tho. supra tetigit, maximã, & minimã quantitatem corpori humano accommodata tam non consistere in indiuisibili, sed non nullã habere latitudinem, fieri ergo potuit vt corpus Christi formaretur integrum in minima quadam quantitate, non quidem monstrosa, & præternaturali (vt quidam dixisse feruntur) sed in minima, quæ tali corpori poterat esse naturalis considerata eius complexione, & dispositione. Postea verò per nutritionem nouẽ mensiũ, peruenisse naturaliter, non solũ ad minimam quãritatem accretionis, quam tale corpus posset naturaliter habere in vtero matris (hanc enim ante expletum octauum mensem adipisci potuit) sed etiam ad maximam suæ complexioni accõmodatam. Et hæc est sine dubio mens D. Tho. & ad eam
D. Thom. Caiet. possunt accommodari, quæ Caiet. dicit, licet non satis rem explicet. Addi etiam potest, partum, qui decimo mense contingit, non esse prẽter naturam, sed (vt medici volunt) esse satis accõmodatum naturę. Vn-
Sapien. 7. de Sapientię. 7. ait sapiens, *Decem mensium tempore, coagulatus sum in sanguine.* Potuit ergo Christi corporis perfecta formatio, licet nouem mensibus consũmata fuerit, in aliquo esse similis decẽ mensiũ formationi propter primæ conceptionis celeritatem.

3. Obiectio Tertia, & obscurior difficultas est. Quia hæc corporis formatio, & conceptio includit organorũ distinctionẽ, condẽsationẽ, & figurarum varietatem, hęc autẽ omnia non possunt fieri in instãti. Nam (vt supra dictũ est) habent mutationem localem ad-
Organizatio corporis non potest in instãti fieri. iunctam. Respõdent aliqui organizationẽ esse dispositionẽ vltimã, quę simul, & in A eodẽ instanti fit, cùm introducitur forma, non solũ miraculosè, sed etiam ex natura rei, est enim quasi effectus formalis eius, & veluti impressio cuiusdã figuræ. Sed hoc planè repugnat, demonstratũ enim est, hãc formationẽ corporis organici, & membrorum eius, non posse naturaliter fieri totam simul: eũ necessario includat mutationem partiũ in ordine ad locũ, tum in partibus ipsius sanguinis, tum etiã in corpore circũstante. Nam si sanguis ex vna parte cõtrahitur, & condensatur, vt fiant ossa, & aliæ partes: necesse est relinquere aliquod spatium, & aerem subintrare ad replendũ illud, quod planè nõ fit sine motu locali, & ex alia parte accidere potest, vt mẽbra longiora occupent aliquod spatiũ, quod sanguis non occupabat, & consequenter inde expellant corpus prẽexistens, quod sine B motu non fit. Deniq; organizatio proprie nõ est effectus formalis animæ, sed dispositio materię, quę in vltimo, & perfecto gradu, qui ad generationẽ requiritur, in instãti eiusdem generationis consũmatur, naturaliter autẽ loquendo prius tẽpore inchoatur, & per quadraginta, & amplius dies paulatim fit. Videtur ergo necessario respondendum, hãc corporis Christi formationem factã esse in aliquo tempore, quãuis breuissimo, ita vt (exẽpli gratia) intelligamus eo breui tẽpore, quo B. Virgo protulit illa verba, *Ecce ancilla domini*, cõgregatum esse sanguinem in vtero, & nõ statim, ac illuc peruenit, in vno instanti fuisse totũ corpus formatum: sed alia breuissima morula. v. g dum dicebat Virgo, *Fiat mihi secundum verbum tuum*, fuisse organizationẽ perfectam, & in instanti terminatiuo verbo-
C rum Virginis, consummatã, introductã animam, & vnionem hypostaticam perfectã. Ad quam expositionẽ videtur posse accõmodari doctrina D. Tho. ar. 1. Cùm enim dicit, motum localẽ sanguinis ad locũ generationis factũ esse in tẽpore, sub illo motu includi potest omnis mutatio, per quam tam sanguis totus, quàm singulę partes eius, cõstitutę sunt in eo situ, & loco, quo in instãti generationis esse oportebat. Est enim eadem ratio de vtraque mutatione, nec maius incõueniens videtur successionem in vna mutatione admittere, quàm in alia. Et explicari põt exẽplo formationis corporis Adæ, quod licet á Deo ex terra formatũ fuerit, tamen propter prædictam

D. Thom. loci mutationem, in tempore, formatum fuisse videtur, vt colligi potest ex D. Tho. 1.p.q.91.ar.2.ad.1.quatenus dicit, angelos potuisse aliquid præuium operari ad illam formationē, per localem motum, atq; idē est de formatione corporū resurgentium.

Hęc respōsio videtur præseferre quādam claritatem, & philosophicæ difficultati satisfacere. Tamen in Theologia mihi videtur admodum difficilis. Primo, quia ex illa sequitur conceptionem corporis Christi factam esse in tempore, & quoad hoc solum differre à nostra, quòd breuiori tempore sit facta. Sicut enim conceptio nostra incipit, quando virtute seminis incipit sanguis coagulari, & ad figuras, & dispositiones diuersorum membrorum coaptari, ita conceptio Christi incepit, quando virtute Spiritus sancti similis actio circa sanguinem Virginis inchoata est. Differentia autē erit, quòd illa actio in conceptione nostra protenditur per quadraginta dies, in Christi autem conceptione per breuissimam moram accelerata est. Addi etiā posset alia differentia, quòd in naturali cōceptione partes ipsę præcipuę inter se successiuè formantur, vna post aliam, in Christi autem conceptione dici potest, omnes fuisse simul inchoatas, ac breui tēpore perfectas: hoc tamen non obstat, quominus conceptio Christi, sicut & nostra, simpliciter, & absolutè successiuè facta sit. Hoc autem videtur improbari omnibus testimonijs, & rationibus supra adductis. Primò, quia necessario sequitur, aut Verbum assumpsisse corpus illo breui tēpore, priusquàm informaretur anima, quod est hæreticum: vel certè non totam conceptionem Christi terminatam esse ad Verbum, quod repugnat scripturæ, & patribus supra citatis. Secundo sequitur materiā sanguinis Virginis, ex qua conceptū est corpus Christi, non transisse immediatè â forma sanguinis ad suscipiendam animam rationalem Christi: Consequens primò est

D. Thom. apertè contra D. Tho. hic ar.1.ad.3. deinde repugnat supra dictis. Inde enim fieret prius B. Virginem ex suo sanguine, & in suis viceribus concepisse aliquā aliam substantiam, & suppositū creatū, quàm Deū. Prima sequela patet, quia si sanguis ille successiuè condensatus est, vt formaretur os ex illo, immediate ante quā absolueretur condēsatio requisita in ea parte corporis humani, iam nō poterat in illa materia cōseruari forma sanguinis. Præsertim, quia cū tali condesatione necessario coniuncta est alteratio nimia. v.g. siccitatis, & frigiditatis, ergo necessarium fuit prius expelli formam sanguinis, sic enim in naturali nutritione propter hanc causam non transit sanguis immediate in os, sed prius transmutatur in medullā, vt sic paulatim magis ac magis accedat ad dispositionē ossis. Et idē argumentū fieri potest de toto illo corpore, quod successiuè formabatur ad introductionē animæ: Nam immediatè ante animationē necesse est, vt habuerit eā dispositionem, quā habere solēt alia corpora humana in eodē statu. Quia solum indiuisibilis terminus deesse poterat in eo instāti. Nam si deesset aliquid diuisibile in condensatione, & figuratione eadē difficultas rediret: at verò corpus sic dispositum nō est aptū ad formā sanguinis, vt in alijs hominibus cōstat. Quod si dicas miraculosè factū esse, vt vel illa partiū condēsatio sine alteratione proportionata fieret, vel vt forma sanguinis permaneret in materia, in qua naturaliter esse non posset, magis consentaneū rationi erit aliud miraculū excogitare, quo tota illa conceptio subito, & sine vlla successione facta sit. Denique obstāt huic modo dicendi testimonia sanctorum patrum supra citata, quæ omnē prorsus successionem excludunt. Sed inter omnia Damasc. apertissima sunt verba Damasceni lib.3.c. 2. dicētis *Dei filium per Spiritum sanctū pro creationis modo sibi ipsi corpus condidisse, non ita vt paulatim tacitisq; incrementis figura corporis absolueretur: sed vno, eodemq; momento perficeretur.* At iuxta prædictā responsionem figura non est tota vno momēto perfecta, sed in tēpore, quāuis breui delineata. Obstat etiam D. Tho. qui in illo art. 1. D. Thom. & in ar.2.ad.3. docet, statim ac sanguis Virginis congregatus fuit in vtero eius, in vno instanti terminatiuo illius motus localis fuisse Christi corpus formatū. Obstat deniq; cōmunis sententia Theologorū in.3. d.3. dicentiū, formationem corporis Christi in instanti fuisse perfectā absq; successione. & hoc dicunt fuisse maximū miraculū huius cōceptionis, quod in solo instāti fuerit perfecta. Si autē successio, quantuis exigua interueniisset, nullū fere fuisset miraculū, quòd in instanti fuerit terminata cōceptio: sed solū, quod velotiori mutatione,

tione, & breuiori tẽpore esset perfecta. Ita Bona. ibi. q. vltima totius distincti. Gab. d. 4. q. vnica art. 2. con. 2. qui etiam de antecedenti motu concedit factum fuisse in instanti, Palud. d. 3. q. 3. Alexan. Alensis. 3. p. q. 8. memb. 2. & q. 9. m. 4. & 4. p. q. 34. m. 3. aliàs. q. 10. memb. 4. ar. 2. §. 6. Richar. d. 3. ar. 2. q. 2.

A

Quo circa dicendum censeo, totam hanc conceptionem factam esse in instanti, & consequenter diuina virtute factum esse, vt tota illa materia, vel secundum se totã, vel secundum partes occuparet locũ aliũ, quàm immediate ante habebat, eo modo, quo supra explicuimus hoc esse possibile. Cùm enim hoc non repugnet, & autoritati sanctorum, & rationi, ac dignitati mysterij consentaneum sit, non est, cur id asserere formidemus, aut magnitudine miraculi terreamur. Præsertim cum Chrysost. hom. 13. in Genes. indicet, formationẽ corporis Adę hoc modo momentaneo fuisse factam, dicens. *Pulueremterræ suo præcepto in corporis naturam vertit. Nam sicut substantiam terræ, cum non esset, produxit, ita & nunc cum vellet, puluerẽ terræ in corpus vertit.* Iuxta hunc verò dicendi modum consequenter asserendum est, beatam Virginem non habuisse efficientiam, quasi connaturalem & (vt ita dicam) seminalem circa hanc corporis formationem, quatenus hanc momentaneam loci mutationem includit, vt ex dictis in præcedenti sectione constat. Neque hoc est contra veritatem conceptionis humanæ Christi, quæ ex parte principij efficientis omnino fuit miraculosa, & ex parte matris satis est, vt in administratione materiæ, & aliqua alteratione, seu dispositione fuerit naturalis. Dices, nullomodo potuisse concurrere actiue beatam Virginem in eo instanti virtute naturali, cum tota actio fuerit miraculosa. Respondetur, licet fuerit miraculosa quoad modum, tamen quoad substantiam, & terminum fuit naturalis, & ideo potuit aliquo modo concurrere beata Virgo, ad aliquam alterationem, vt fouendo calore suo materiã illam, & calefaciendo, vel quid simile, quod satis est.

B

C

Vera responsio.

Chrysost.

Obiectio.

Responsio

Dubium.

Quod si queras, si tantum miraculũ necessarium fuit in momentanea formatione corporis, sicut in momentanea cõgregatione sanguinis, cur D. Tho. vnũ potius negauit quàm aliud. Respondetur, merito id fecisse, quia, vt tota conceptio terminaretur ad Deum, fuit hoc miraculum in ipsa formatione necessarium, & aliunde nõ obstabat, quominus beata Virgo posset in eo instanti prẽstare, quod ex parte matris necessarium est: at vero in vtroque horũ contrarium accidit in sanguinis congregatione, vt in principio huius sectionis explicatum reliquimus.

QVAESTIO. XXXIIII.

De perfectione prolis conceptę, in quatuor articulos diuisa.

Deinde considerandum est de perfectione prolis conceptæ.

¶ *Et circa hoc quæruntur quatuor.*

¶ *Primò, vtrùm in primo instanti conceptionis Christus fuerit sanctificatus per gratiam. Secundò, vtrùm in eodem instanti habuerit vsum liberi arbitrij. Tertiò, vtrùm in eodem instãti potuerit mereri. Quartò, vtrùm in eodem instanti fuerit plenè comprehensor.*

DOctrina huius quęstionis fusè tractata est in primo tomo huius materię. Nam in. q. 7. vbi D. Thomas agit de gratia Christi, omnia diximus, quę ad. 1. art. huius quæstionis spectant, in. q. autem. 9 agendo de scientia Christi in cõmuni, explicuimus quando, & quomodo ratione, & libero arbitrio vti inceperit: in. q. vero. 10. de scientia beata, quando primũ illam susceperit diximus, quod D. Th. hic, art. 4. tetigit. Denique de merito eius de quo D. Tho. disserit, art. 3. in. q. 19. latissime dictum est. Omissa igitur inutili, & permolesta earundem rerum repititione, solum ea, quę ad intelligendum D. Th. necessaria fuerint annotabimus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Christus in primo instanti suæ conceptionis fuerit sanctificatus per gratiam.

184 3.di.5.q 5 ar.3.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd Christus non fuerit sanctificatus in primo instanti suæ conceptionis. Dicitur enim primæ ad Corin.15. Non prius quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale. Sed sanctificatio gratiæ pertinet ad spiritualitatem. Non ergo statim à principio suæ conceptionis Christus percepit gratiam sanctificationis, sed post aliquod spatium temporis.

¶ 2. Præterea, Sanctificatio videtur esse a peccato, secundum illud primæ ad Corinth.6. Et hoc quidem fuistis aliquando, scilicet peccatores, sed abluti estis, sed sanctificati estis: sed in Christo nunquam fuit peccatum: ergo non conuenit sibi sanctificari per gratiam. ¶ 3. Præterea. Sicut per Verbum Dei omnia facta sunt, ita per Verbum incarnatũ sunt B omnes homines sanctificati, qui sanctificantur. Hobræ.2. Qui sanctificat, & qui sanctificantur ex vno omnes. Sed Verbum Dei, per quod facta sunt omnia non est factum, vt August. dicit in.1. de Trini. ergo Christus per quem sanctificantur omnes, non est sanctificatus.

li.1.c.6.nõ procula princ.to.3.

¶ Sed contra est, quòd dicitur Luc.1. Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei. Et Ioan.10. Quẽ pater sanctificauit, & misit in mundum.

¶ Respondeo dicendum, quòd (sicut supra dictum est) abundantia gratiæ sanctificantis animam Christi, deriuatur ex C ipsa Verbi vnione, secundum illud Ioannis.1. Vidimus gloriam eius quasi Vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis. Ostensum est autem supra, quòd in primo instanti suæ conceptionis corpus Christi animatum fuit, & a Verbo Dei assumptum, vnde consequens est, quòd in primo instanti suæ conceptionis Christus habuerit plenitudinem gratiæ sanctificantis animam, & corpus eius.

q.7.arti.1.

q.præ.ar.1

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd ille ordo, quem ponit ibi Apostolus, pertinet ad eos, qui per profectum ad spiritualem statum perueniunt. In mysterio autem incarnationis magis consideratur descensus diuinæ plenitudinis in naturam humanam, quam profectus humanæ naturæ, quasi præexistentis in Deum: & ideo in homine Christo a principio fuit perfecta spiritualitas. ¶ Ad secundum dicendum, quod sanctificari est aliquid fieri sanctum. Fit autem aliquid non solùm ex contrario, sed etiam ex negatiuè, vel priuatiuè opposito, sicut album fit ex nigro, & etiam ex non albo. Nos autem ex peccatoribus sancti efficimur, & ita sanctificatio nostra est ex peccato. Sed Christus quidem secundum hominem factus est sanctus, quia hanc gratiæ sanctitatem non semper habuit: non tamen factus est sanctus ex peccatore: quia peccatum nunquam habuit, sed factus est sanctus ex non sancto secundum hominem, non quidem priuatiuè, vt scilicet aliquando fuerit homo, & nõ fuerit sanctus: sed negatiuè, quia scilicet quando non fuit homo, non habuit sanctitatẽ humanam: & ideo simul factus fuit homo, & sanctus homo. Propter quod Angelus dicit Lucæ.1. Quod nascetur ex te sanctum. Quod exponens Grego.18. Moral. dicit. Ad distinctionem nostræ sanctitatis Iesus sanctus nasciturus asseritur: nos quippe si sancti efficimur, non tamen nascimur: quia ipsa naturæ corruptibilis conditione constringimur: ille autem solus veraciter sanctus natus est, qui ex commixtione carnalis copulæ conceptus non est. ¶ Ad tertium dicendum, quòd aliter operatur Pater creationem rerum per Filium, aliter tota Trinitas sanctificationem hominum per hominem Christum. Nam Verbum Dei est eiusdem virtutis, & operationis cum Deo Patre: vnde Pater non operatur per Filium sicut per instrumentum, quod mouet motum. Humanitas autem Christi est sicut instrumentum diuinitatis: vt

lib.18.c.34 circa mediũ & Beda super illa verba Lu.10.

suprà dictũ est, & ideo humanitas Christi est sanctificans, & sanctificata.

COMMENTARIVS.

NON explicat satis D. Thomas, an solùm loquatur de sanctificatione per gratiam habitualem, indicat tamen in articulo de ea facere se sermonem, quatenus dicit hanc gratiã ab vnione Verbi deriuari. Aliundeverò obstare videtur, quòd solutione ad secundum significat Christum absque hac gratia non intelligi sanctum, & per eam factum esse sanctum ex non sancto, quæ non possent esse vera, si de habituali gratia sermo esset: ostendimus enim in superioribus per gratiã vnionis, quæ prior est, sanctificari. Quapropter intelligi posset hic articulus absolutè de gratia sanctificante, non limitando doctrinam ad hanc, vel illam gratiam: sed vtrique, seruata proportione, eã accõmodando. Vnde, si de sanctificatione per gratiam vnionis interpretemur, quanuis secundum rem idem sit Verbum, cui humanitas vnitur, & per quod sanctificatur: tamen secundum rationem distinguntur, quia aliud est assumi ad subsistendum, aliud sanctificari per ipsum Verbum, ad quod fit assumptio. Et hoc sensu dici potest hæc sanctificatio deriuari, ab vnione, sicut vnũ attributũ diuinum dicitur ratio alterius. Et cum hac expositione optimè quadrat, quod D. Tho. ad. 2. dicit, Christum factum esse sanctum ex nõ sancto homine, quatenus factus est homo ex non homine. Quo dicendi modo indicat, Christum non solũ non fuisse prius tempore hominem, quàm sanctum: verum etiam nec prius natura, quia per ipsam vnionem sanctificatus est, loquimur autem de Christo homine, qui propriè sanctificari dicitur. Nam, si loquamur de humanitate, illa reuera prius natura extitit, quàm sanctificaretur, sicut prius natura extitit, quàm assumeretur. Et hoc modo terminus à quo illius sanctificationis fuit negatio substantialis sanctitatis in hac humanitate, non quę duratione præcederet: sed quæ existeret, si statim in eodem instanti non assumeretur illa humanitas, vt hic Deus homo constitueretur. Atverò intelligendo hunc art. de gratia habituali (vt fortasse D. Tho. intellexit, quia hæc reuera est, quę propriè dicitur ab vnione deriuari) solutio ad secundum sano modo exponenda est. Quia licet temporis duratione, simul Christus fuerit homo, & sanctus sanctitate accidentali: tamen prius natura fuit factus homo, & sanctus per gratiam vnionis. Quapropter non intelligitur sanctificatus per gratiam habitualem ex non sancto simpliciter: sed ex non sancto tali modo, ideſt, sanctitate accidẽtaria, seu (vt D. Tho. loquutus est) sanctitate humana, illa enim sanctificatio, quæ est per gratiam vnionis, multo magis est diuina. Cætera perspicua sunt in litera. Quæ Caiet. autem notat, superius suo loco tractata sunt: nec oportebat hoc loco iterum contra Scotum inuehi, cùm de cõparatione inter gratiam vnionis, & habitualem, seu visionem beatam satis, superque supra dictum sit.

Per gratiã habitualem & vnionis quomodo Christus sãctificatus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm Christus in primo instanti suæ conceptionis habuerit vsum liberi arbitrij.

185 *veri. q. 29. art. 8. cò.*

AD *secundum sic proceditur. Videtur, quòd Christus secundum hominem non habuerit vsum liberi arbitrij in primo instanti suæ cõceptionis. Prius est enim esse rei, quàm agere vel operari. Vsus autem liberi arbitrij est quædam operatio. Cùm ergo anima Christi esse inceperit in primo instanti suæ cõceptionis (vt ex prædictis patet) videtur esse impossibile, quòd in primo instanti conceptionis habuerit vsum liberi arbitrij.* ¶ 2. *Præterea. Vsus liberi arbitrij est electio. Electio autem præsupponit deliberationem cõsilij: dicit enim Philosophus in 3. Ethicor. quòd electio est appetitus præconsiliati. Ergo videtur impossibile, quòd in primo instanti suæ cõceptionis Christus habuerit vsum liberi arbitrij.* ¶ 3. *Præterea, Liberum arbitriũ est facultas voluntatis, & rationis (vt in prima parte habitum est) & ita vsus liberi arbitrij est actus voluntatis, & rationis sine in*

Ar. præce. & loco ibi cita.

l. 3. Eth. c. 3 cir. fi. to. 5.

1. p. qõ. 83.

siue intellectus. Sed actus intellectus præsupponit actum sensus, qui esse non potest sine conuenientia organorum, quæ non videtur fuisse in primo instanti conceptionis Christi. Ergo videtur, quòd Christus non potuerit habere vsum liberi arbitrij in primo instanti suæ conceptionis. ¶ *Sed contra est, quod August. dicit in libr. de Trin. Mox vt Verbũ venit in vterum, seruata veritate propriæ naturæ, factum est caro, & perfectus homo. Sed perfectus homo habet vsum liberi arbitrij: Ergo Christus habuit in primo instanti suæ conceptionis vsum liberi arbitrij.*

Id habet Greg. li. 9. in registro ca. 61. a medio. Et Augusti. 13. de Trinit. c. 9. 10. 17. & 19. tom. 3.

Respondeo dicendum, quòd (sicut supra dictum est) humanæ naturæ, quam Christus assumpsit, conuenit spiritualis perfectio, in qua non profecit, sed eam statim a principio habuit. Perfectio autẽ vltima non consistit in potentia vel in habitu, sed in operatione: vnde in 2. de Anima dicitur, quòd operatio est actus secundus. Et ideo dicendum est, quòd Christus in primo instanti suæ conceptionis habuit illã operationem animæ, quæ potest in instanti haberi. Talis autem est operatio voluntatis, & intellectus, in qua consistit vsus liberi arbitrij. Subitò enim, & in instanti perficitur operatio intellectus, & voluntatis, magis quàm visio corporalis, eo quòd intelligere, velle, & sentire, non est motus qui sit actus imperfecti (quod successiuè perficitur) sed est actus iam perfecti: vt dicitur in 3. de Anima. Et ideo dicendum est quòd Christus in primo instanti suæ conceptionis habuit vsum liberi arbitrij.

q. 7. art. 12 et q. 19. ar. 3. & qõ. 33. art. 3.

li. 2. de anima, text. 5. to. 2.

li. 3. de anima, tex. 28 tom. 2.

Ad primum ergo dicendum, quòd esse est prius natura, quàm agere: non tamen est prius tempore, sed simul cũ agens habet esse perfectum, incipit agere, nisi sit aliquid impediens, sicut ignis simul dũ generatur, incipit calefacere & illuminare. Sed calefactio non terminatur in instanti, sed per temporis successionem: illuminatio autem perficitur in instanti. Et talis operatio est vsus liberi arbitrij, vt dictum est. ¶ *Ad secundum dicendum, quòd simul cùm terminatur consilium, vel deliberatio, potest esse electio. Illi autem qui deliberatione consilij indigent, in ipsa terminatione consilij primò habent certitudinem de eligendis, & ideo non statim eligunt. Ex quo patet, quòd deliberatio consilij non præexigitur ad electionem, nisi propter inquisitionem incerti. Christus autem in primo instanti suæ conceptionis, sicut habuit plenitudinem gratiæ sanctificantis, ita habuit plenitudinẽ veritatis cognitæ: secundum illud, Plenum gratiæ & veritatis. Vnde quasi habens omniũ certitudinem, potuit statim in instanti eligere.* ¶ *Ad tertium dicendum, quòd intellectus Christi secundum scientiam infusam poterat intelligere etiam non conuertendo se ad phantasmata: vt supra habitum est. Vnde poterat in eo esse operatio voluntatis, & intellectus absque operatione sensus. Sed tamen potuit in eo esse etiam operatio sensus, in primo instanti suæ conceptionis, maxime quantum ad sensum tactus, quo sensu proles cõcepta sentit in matre, etiã antequam animam rationalem obtineat, vt dicitur in libro de Generatione animalium. Vnde cùm Christus in primo instanti suæ conceptionis habuerit animam rationalem, formato iã, & organizato corpore eius, multo magis in eodem instanti poterat habere operationem sensus tactus.*

Incorp. ar.

q. 11. art. 1

l. 2. c. 4. & 3. tomo. 4.

COMMENTARIVS.

IN hoc ar. solum est notanda solutio ad 3. in qua D. Th. dicit, potuisse Christum in primo instanti conceptionis suę sensibili phãtasmate vti media tactus operatione, non propter speciale aliquod miraculum: sed quia proles concepta naturaliter sentit in vtero matris, prius etiam tempo

tempore, quàm anima rationali informetur, Vnde fit multo magis posse sentire in illo instanti, quo informatur anima rationali, cùm ergo Christus in primo instanti suæ conceptionis habuerit corpus perfectum, & anima rationali informatum, naturaliter sentire potuit sensu tactus. Hoc tamen alicui videri poterit difficile, tum quia immutatio huius sensus non fit sine Physica, & reali alteratione, quę non fit in instanti: tum etiam quia sensus tactus non percipit qualitates sibi congenitas, & proportionatas nisi secũdum aliquem excessum, vel intensionem: quæ in eo instanti esse non potuit. Respondetur, D. Tho. aperte hoc loco sentire sensum tactus posse immutari purè intentionaliter in instanti, ad sentiendum non qualitates suo organo inhęrentes, sed in corpore circunstante, quę sunt veluti obiectum illius sensationis, & iuxta hanc doctrinam non habẽt locum difficultates positę, quam rem diligentius & ex professo expendimus in libris de anima. Addendum etiam est in hac solutione, sicut in intellectu habuit Christus in primo instanti species, tum per se, tum per accidens infusas, ita potuisse habere in sensu phantasmata diuinitus infusa, quibus cooperari potuit intellectui per scientiam per accidens infusam operanti. De qua re diximus in quæstione.12. Quæ verò hic Caiet. inculcat in.q.9.&.11. diligenter inquisita sunt.

Obiectio

Responsio

B

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Christus in primo instanti suæ conceptionis mereri potuerit.

186 3 d. 13. q. 1. art. 2. q. 3. & dis. 14. ar. 3. q. 6. & dist. 18. art. 3. & 5. c. & veri. q. 29. ar. 8 & opu. 3. c. 223. et. 228 1. p. q. 63. ar. 5.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd Christus in primo instanti suæ conceptionis mereri non potuerit. Sicut enim se habet liberum arbitrium ad merẽdũ, ita ad demerendum. Sed diabolus in primo instanti suæ creationis nõ potuit peccare, vt in prima parte habitum est: Ergo neque anima Christi in primo instãti suæ creationis (quod fuit primum instans cõceptionis Christi) potuit mereri. ¶ 2. Præterea, Illud quod homo habet in primo instanti suæ conceptionis, videtur ei esse naturale: quia hoc est ad quod terminatur sua generatio naturalis. Sed naturalibus non meremur, vt patet ex his quæ dicta sunt in Secunda parte. Ergo videtur, quòd vsus liberi arbitrij, quẽ Christus habuit secundum hominem in primo instanti suæ conceptionis, non fuerit meritorius. ¶ 3. Præterea, Id quod semel aliquis meruit, iam fecit quodammodo suum: & ita non videtur, quòd iterum possit illud idem mereri, quia nullus meretur quod suum est. Si ergo Christus in primo instanti suæ conceptionis meruit, sequitur quòd postea nihil meruerit, quod patet esse falsum. Non ergo Christus in primo instanti suæ conceptionis meruit. ¶ Sed contra est, quod Augustd. dicit super Exod. Nõ habuit omnino Christus iuxta animæ meritum, quo potuisset proficere. Potuisset autem proficere in merito, si in primo instanti suæ conceptionis non meruisset: ergo in primo instanti suæ conceptionis meruit Christus.

A

C

Respõdeo dicendum, quòd (sicut supra dictum est) Christus in primo instanti suæ conceptionis sanctificatus fuit per gratiam. Est autem duplex sanctificatio vna quidem adultorum, qui secundum proprium actum sanctificantur. Alia autem puerorum, qui non sanctificãtur secundum proprium actum fidei, sed secundum fidem parentum vel Ecclesiæ. Prima autem sanctificatio est perfectior quam secunda: sicut actus est perfectior quam habitus, & quod est per se, eo quod est per aliud. Cum ergo sanctificatio Christi fuerit perfectissima (quia sic sanctificatus est, vt esset aliorum sanctificator) consequens est, quòd ipse secundum proprium motum liberi arbitrij in Deũ fuerit sanctificatus, qui quidem motus liberi arbitrij est meritorius. Vnde consequens est, quòd in primo instanti suæ conceptionis, Christus meruerit.

Arti. 1. huius quæst.

Ad primum ergo dicendum, quòd liberum arbitrium non eodem modo se habet ad

bet ad bonum,& ad malum. Nam ad bonum se habet per se,& naturaliter, ad malum autem se habet per modum defectus,& præter naturam. Sicut autem Philosophus dicit in secundo de Cœlo. Posterius est quod est præter naturam, eo quod est secundum naturã: quia id quod est præter naturam, est quædam excisio ab eo quod est secundum naturã. Et ideo liberum arbitrium creaturæ in primo instanti creationis potest moueri ad bonum merendo, non autem ad malum peccando, si tamen natura sit integra. ¶ *Ad secũdum dicendum, quòd illud, quod homo habet in principio suæ creationis secundũ communem naturæ cursum, est homini naturale: nihil tamen prohibet quin aliqua creatura in principio suæ creationis aliquod beneficium gratiæ à Deo consequatur. Et hoc modo anima Christi in principio suæ creationis consecuta est gratiam, qua posset mereri: & ea ratione gratia illa, secundum quandam similitudinem dicitur fuisse illi homini naturalis: Vt patet per Augustin. in Enchirid.* ¶ *Ad tertium dicendum, quòd nihil prohibet idem esse alicuius ex diuersis causis. Et secundum hoc Christus gloriã immortalitatis, quam meruit in primo instanti suæ conceptionis, potuit etiam posterioribus actibus,& passionibus mereri, non quidem vt esset sibi magis debita, sed vt sibi ex pluribus causis deberetur.*

li.2.tex.18 tom.2.

cap.40. a med.tom.3.

COMMENTARIVS.

QVæstionem huius artic. sub eisdem terminis tractaui supra citato loco: discutsum autẽ D. Thomę specialiter exposui tractando, an Christus meruerit gloriam animæ suæ. Vnde circa hũc textum animaduertendum tantummodo occurrit verbũ D. Thomæ notatione dignũ in sol.ad.1. Cùm enim docuisset (quod in eius schola frequens est, & satis verisimile) liberum arbitrium creaturæ, licet in primo instanti suę creationis possit liberè operari benè merendo: non tamen peccando: cum hoc, inquam, docuisset, addidit limitationem dicens, *si tamen natura sit integra* Quod verbum nec Caiet. nec alij interpretes ponderarunt,& quanuis multũ de illo cogitauerim, nihil inueni, quod sensum, ac mentem D. Thomæ attingere videatur. Primo ergo, si natura integra contra lapsam (vt solet) distinguatur, non habet locum illa limitatio in angelica natura, illa enim non potest non esse integra in primo instanti suę creationis: quia nec est capax originalis peccati (vt per se constat) neque actualis pro illo instanti secundum D. Thom. Nec etiam accommodari potest ad humanam naturam, primũ quia etiam homo lapsus non potest in primo instanti suæ creationis peccare, cùm naturaliter tunc non possit ratione vti. Quòd si diuinitus illuminetur, non poterit etiam in eo instanti, quo á Deo illuminatur, peccare, tum quia illuminatio illa esset à Deo,& nõ esset libera, vnde non posset esse talis, quę ad peccandum induceret: tum etiam, quia non minus tale peccatum tribueretur autori naturę, quàm peccatum commissum ab Angelo in primo instanti. Quid enim refert, quod natura sit lapsa, si in primo instanti operatur quasi naturaliter ducta, & gubernata ab autore naturæ. Et hęc ratio in vniuersum probat de homine miraculose creato à Deo cum vsu rationis, in quocunque statu creetur, siue in gratia, siue in natura integra, siue in puris naturalibus.

Creatura rationalis in instanti suæ creationis, vsu rationis diuinitus accepto peccare non potest.

Dici fortasse posset D. Tho. sub primo instanti creationis comprehendisse primũ instans, quo homo peruenit ad vsum rationis, in quo homo lapsus peccare potest, quia iam á se,& non tantum ab autore naturæ moueri censetur. Sed esto, hoc verũ sit, (quod non est hoc loco examinãdum) non satisfacit, quia eadem ratione dici posset, hominem natum,& educatum in natura integra potuisse peccare in primo instãti, quo peruenit ad vsum rationis. Quare dicere quis posset non fuisse D. Th. vsum ea voce, *natura integra*, in illa vsitata significatione, qua à natura lapsa, vel pura separatur, sed dicere voluisse, liberum arbitriũ non posse peccare in primo instanti, *si natura sit integra*, ideſt, si habeat á suo autore auxilium,& prouidentiam sibi pro illo instanti debitam: Sed neque hoc mihi satisfa

satisfacit. Tum quia est inusitata illa significatio vocis. Tum etiam quia nunquam D. Tho. poneret subcõditione, quod existimabat nulla ratione posse deesse. Vnde suspicor illam vocem vel casu excidisse, vel fortasse aliunde v.g. ex marginali notatione alicuius aliorum errore in textum irrepsisse. Cuius indicium esse potest, quòd cum pluribus alijs locis idem argumẽtum cum eadem solutione pertractauerit, simpliciter, & absque vlla limitatione vbique responderit, vt videre licet. 1.p.q. 63. a. 5. ad. 3. & in. 3. d. 18. q. vnica, art. 3. ad. 4. & q. 29. de veritate ar. 8. ad. 2.

Vltimo cauenda est notatiuncula Caiet. quòd sacramenta nõ conferant gratiã eis, qui absque actuali attentione, & deuotione illa suscipiunt. Est enim hęc falsa doctrina, vt suo loco latius dicemus.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrùm Christus fuerit perfectus cõprehensor in primo instanti suæ conceptionis.

187 Locis sup. art. 3. adductis.

AD quartum sic proceditur. *Videtur, quòd Christus non fuerit perfectus comprehensor in primo instanti suæ conceptionis. Meritum enim præcedit præmium, sicut & culpa pœnam. Sed Christus in primo instanti suæ conceptionis meruit: sicut dictũ est.* Art. præc. *Cùm ergo status comprehensoris sit principale præmium, videtur, quòd Christus in primo instanti suæ conceptionis non fuerit comprehensor.* ¶ *2. Præterea, Dominus dicit Luc. vltim. Hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Sed gloria pertinet ad statum comprehensoris. Ergo Christus non fuit in statu comprehensoris in primo instanti suæ conceptionis, quando adhuc nullam sustinuerat passionem.* ¶ *3. Præterea, Illud quod non conuenit nec homini nec Angelo, videtur esse proprium Deo, & ita non conuenit Christo secundum quòd homo. Sed semper esse beatum, nõ conuenit nec homini nec Angelo: si enim fuissent conditi beati, postmodum non peccassent. Ergo Christus secundum quod homo, nõ fuit beatus in primo instanti suæ conceptionis.* ¶ *Sed contra est, quod dicitur in Psal. 64. Beatus, quem elegisti & assumpsisti: quod secundum gloss. refertur ad humanam naturam Christi, quæ assumpta est à Verbo Dei in vnitatem personæ. Sed in primo instanti conceptionis fuit assumpta humana natura à Verbo Dei in vnitatem personæ. Ergo in primo instanti suæ conceptionis Christus, secundum quod homo, fuit beatus, quod est esse comprehensorem.* A

August. hoc loco Psal. 64. to. 8.

Respondeo dicendum, quòd (sicut ex dictis patet) non fuit cõueniens, vt Christus in sua conceptione acciperet gratiã habitualem tantum absque actu: accepit enim gratiam nõ ad mensuram, vt supra habitum est. Gratia autem viatoris cùm sit deficiens a gratia comprehensoris, habet mensuram minorem respectu gratiæ comprehensoris. Vnde manifestum est, quòd Christus in primo instanti suæ conceptionis, accepit non solum tantam gratiam quantam comprehensores habent, sed etiam omnibus comprehensoribus maiorem. Et quia gratia illa non fuit sine actu, consequens est quòd actu fuerit cõprehensor, videndo Deum per essentiam clarius cæteris creaturis. B C

Arti. præc.

q. 7. art. 5. 10. & 12.

Ad primum ergo dicendum, quòd (sicut supra dictum est) Christus non meruit gloriam animæ, secundum quam dicitur comprehensor, sed gloriam corporis ad quam per suam passionem peruenit. ¶ *Vnde patet responsio ad secundum.* ¶ *Ad tertium dicendum, quòd Christus ex hoc quòd fuit Deus & homo, etiam in sua humanitate habuit aliquid præcæteris creaturis: vt scilicet statim à principio esset beatus.*

q. 19. ar. 3

D. Thomæ literà nulla indiget expositione, solum notatiuncula Caietani corrigenda est. Docet enim gratiam viatoris semper esse intensiorem gratia comprehensoris, de qua te diximus supra, cũ

pra, cùm de prima sanctificatione Virginis ageremus, & in materia de caritate latius disputatur.

QVAESTIO. XXXV.
De natiuitate Christi, in octo articulos diuisa.

¶ De qua re disputant Doctores in. 3. d. 8

Consequenter post Christi conceptionem agendũ est de eius natiuitate. Et primò, quantũ ad ipsam natiuitatem. Secundò quantum ad natiuitatis manifestationem.

¶ *Circa primum quæruntur octo,*

¶ *Primò, Vtrùm natiuitas sit naturæ vel personæ.* ¶ *Secundò, Vtrùm Christo sit attribuenda alia natiuitas præter æternam:* ¶ *Tertiò, Vtrùm secundum natiuitatem temporalem beata Virgo sit mater eius.* ¶ *Quartò, Vtrùm debeat dici mater Dei.* ¶ *Quintò, Vtrùm Christus secundum duas filiationes sit filius Dei patris, & Virginis matris.* ¶ *Sextò de modo natiuitatis.* ¶ *Septimò de loco.* ¶ *Octauò, de tempore natiuitatis.*

CIrca titulum huius quæstionis adnotare oportet, duplicem posse distingui hominis natiuitatem, aliam in vtero, de qua Matth. 1. dicitur. *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*, aliam extra vterum de qua ibidem cap. 2. dicitur. *Cum natus esset Iesus in Bethlem Iudæ*, Inter quas magna differentia intercedere videtur. Quia natiuitas in vtero consistit in substãtiali hominis generatione: at vero natiuitas extra vterum solum in quodam motu locali vitali modo effecto, quo mater à se filium separat, & quasi per se constituit.

Matth. 1. & 2.

Caieta.

D. Thomas ergo in hac quæstione (vt recte Caietan. aduertit) de vtraque natiuitate disputat: in quinque prioribus articulis de illa præsertim, quæ est in vtero: in tribus vero posterioribus de alia, quæ fit extra vterum.

Obiectio.

Dices, iã D. Thom. egisse de conceptione quæ nihil aliud esse videtur, quàm natiuitas in vtero. Respõdet Caiet. hæc duo inter se differre, nã cõceptio in hoc cõsistit, quód mater intra se capit, quod generãdũ est, natiuitas vero est via ad naturã. Quę differẽtia magis vocũ ethimologiã, quàm rerũ diuersitatẽ explicat. Propria ergo differẽtia est, quód cõceptio cõplectitur totã illã actionem, qua corpus prolis formatur, & vsque ad instãs generationis organizatur, ac disponitur: natiuitas verò in vtero propriè significat substãtialẽ actionẽ, qua animus vnitur corpori, vt generetur homo, quę duo licet in Christo domino simul duratione effecta sint: tamen secundum se diuersam rationem habent, & conceptio natiuitatem antecedit. Ideo, D. Thom. conuenienti ordine, postquam de conceptione disseruit, de natiuitate dicere aggreditur, & prius de natiuitate in vtero, quia alteram antecedit. Omnia verò disputat sub communi voce natiuitatis, quia multa sunt vtrique natiuitati communia, & seruata vtriusque ratione eis possunt accommodari.

Responsio.

ARTICVLVS PRIMVS.
Vtrùm natiuitas sit naturæ vel personæ.

AD primum sic proceditur. *Videtur, quòd natiuitas naturæ conueniat magis, quã personæ. Dicit enim Aug. in lib. de fide ad Petrum. Natura æterna atq; diuina, non posset cõcipi, & nasci ex humana natura, nisi se cũdũ veritatẽ humanæ naturæ. Si igitur diuinæ naturæ conuenit cõcipi, & nasci ratione humanæ naturæ, multò magis cõuenit humanæ naturæ.* ¶ 2. *Præterea, Secundũ Philosophũ 5. Metaph. nomen naturæ à nascẽdo sumptũ est. Sed denominationes fiũt secundũ similitudinis conuenientiam, ergo videtur, quod natiuitas magis pertineat ad naturã, quã ad personã.* ¶ 3. *Præterea, Illud propriè nascitur quod per natiuitatem incipit esse. Sed per natiuitatem Christi non incepit esse persona Christi, sed eius humana natura: Ergo videtur, quòd natiuitas propriè pertineat ad naturam, non ad personã.* ¶ *Sed contra est, quod Dam. dicit in. 3. libro, Natiuitas hypostasis est non naturæ.*

188 3. dist. 8. artic. 2. cap. 40. in medio. tomo. 3.

lib. 5. Metaph. tex. 5 to. 3.

l. 3. cap. 6. paulo a princi.

Res-

Respondeo dicendũ, quòd natiuitas po A *test attribui alicui dupliciter, vno modo sicut subiecto: alio modo sicut termino. Sicut subiecto quidẽ attribuitur ei, quod nascitur, hoc autem propriè est hypostasis, non natura. Cùm enim nasci sit quoddam generari, sicut generatur aliquid ad hoc quòd sit, ita nascitur aliquid ad hoc quòd sit. Esse autẽ proprie est rei subsistentis: nã forma, quæ non subsistit, dicitur esse solùm, quia ea aliquid est, persona autem, vel hypostasis significatur per modum subsistentis: natura autẽ significatur per modum formæ, in qua aliquid subsistit. Et ideo natiuitas tanquam subiecto nascẽti, propriè attribuitur personæ, vel hypostasi non naturæ. Sed sicut termino attribuitur natiuitas naturæ: terminus enim generationis, & cuiuslibet natiuitatis est forma: natura autẽ per modum formæ significatur. Vnde natiuitas dicitur esse via in naturã, vt patet per Philosophum. 2. Phys. termi natur enim naturæ intentio ad formam, seu naturam specici.*

lib. 2. Phy. tex. 14. to mo. 2.

Ad primũ ergo dicendum, quòd propter identitatem, quæ in diuinis est inter naturam, & hypostasim, quandoq; natura ponitur pro persona, vel hypostasi. Et secundum hoc dicit Augu. naturam diuinam esse conceptam, & natam: quia scilicet persona Filij est concepta, & nata, secundum humanam naturam. ¶ *Ad secundum dicendum, quòd nullus motus, seu mutatio denominatur à subiecto, quod mouetur, sed à termino motus, à quo speciem habet. Et propter hoc natiuitas non denominatur à persona, quæ nascitur, sed à natura, ad quam natiuitas terminatur.* ¶ *Ad tertium dicendum, quòd natura propriè loquendo, non incipit esse, sed magis persona incipit esse in aliqua natura: quia (sicut dictum est) natura significatur, vt quo aliquid est: persona autem significatur, vt quæ habet esse subsistens.*

Loco citato in argu.

In corp. ar.

COMMENTARIVS.

QVęstio hæc Phylosophica potius est, quàm Theologa, cùm non solũ ad Christi: sed etiam ad omniũ hominum, imo ad rerum omnium generationem pertineat: merito tamen à D. Thom. prætermissa est, quoniam verus, ac proprius modus loquẽdi de Christi natiuitate ex illa plurimũ pẽdet. Respõdet ergo D. Tho. dupliciter natiuitatẽ alicui tribui, vt subiecto scilicet, vel termino. Priori modo dicit natiuitatẽ pertinere ad hypostasĩ, quia illa est, quę & generatur, & nascitur, posteriori aũt modo (inquit) natiuitatẽ tribui naturę, quia est veluti forma integra suppositi.

Sed occurrit duplex difficultas. Altera cõ B munis, quia potius integer terminus natiuitatis est homo, sicut terminus calefactionis, potius est calidũ, subiectũ autem solũ est quædã pars naturę, scilicet materia prima, illa enim est subiectũ generationis, vt constat ex. 1. & 5. Physico. Altera est propria Christi domini, in quo persona nõ potuit esse subiectũ natiuitatis creatæ, quia cũ hæc natiuitas sit mutatio quædã, nõ potest inesse in persona immutabili, inest ergo in sola natura, ergo illi tribuenda est tanquã natiuitatis subiecto. Ad priorẽ difficultatem nonnulli recentiores cõtendo negãt materiã primã esse subiectũ, in quo C natiuitas inhæret, sed personã, vel hypostasim. Sed hæc sentẽtia neq; apta est ad explicandã Theologã difficultatem, quia (vt supra argumentabamur) in Christo domino necesse est natiuitatem inhęrere in natura, siue ratione materiæ, siue ratione totius naturæ, quod ad præsentem D. Tho. quæstionem nihil refert. Neque etiã est in Philosophia admodũ verisimilis. Nam repugnat Arist. citatis locis, &. 1. de generatione, ca. 13. ac. 12. Meta. cap. 2. ac D. Th. & omnibus antiquis expositoribus. Ac deniq; repugnat rationi, nã sicut in mutatione accidẽtaria, subiectũ, cui inhęret mutatio est illud, & vtriq; termino subijcitur, ita in substãtiali mutatione, qualis est generatio, seu natiuitas, subiectũ, cui mutatio inhęret, est id, quod sub vtraq; forma manet hoc autẽ est materia, á qua altera forma expellitur, & in quã altera inducitur, vel, si materialis sit, ex ea educitur. In ea enim actione quę in materia, vel circa materiãver satur, inducendo, vel educendo substãtialem formam, tota generatio consistit.

Obiectio 2

Responsio

Subiectum natiuitatis, seu generationis materia prima.

Caiet. In generatione aliud subiectũ denominationis aliud inhæsionis.

Melius ergo Caie. distinguit, aliud esse subiectũ denominationis: aliud inhęsionis, at q; generationẽ inhærere materiæ: denominare vero suppositum, quæ doctrina in philosophia satis vulgaris est. Addere verò oportet aliam etiã vulgarem distinctionem duplicis termini mutationis, seu generationis, nimirũ integri, seu *vt quod*, & formalis, siue *vt quo*: prior est suppositum seu compositum, posterior vero est forma, si Physicè, vel natura, si metaphysice loquamur. D. Thom. igitur in hoc textu per terminum apertè intelligit formalem terminum *vt quo*, terminum autem completum, seu *vt quod*, vocauit natiuitatis subiectũ. Dicit enim esse subiectũ, quod nascitur, & hoc verè dixit esse ipsum suppositũ, vt in ea natura subsistit, quę est talis natiuitatis terminus formalis, quia generatio est via quædam, & tendentia ad esse, & ideo proprie denominat id, quod per se est, seu quod habet esse: huiusmodi autem est homo, non humanitas, & ita manet expedita vtraq; difficultas, quę de subjecto inhęsionis procedebat.

Constat etiam ex ijs totam hanc quęstionem magis ad modum loquendi, quam ad rem spectare. Nam in re satis constat, in quo recipiatur generatio, & quid per illã fiat, modus autem loquendi, D. Tho. est sine dubio verus, ac proprius, & nõ solum Philosophiæ cõsentaneus, sed & in Theologia necessarius. Propter hãc enim causam confitemur hominem, & Deum natum esse de Virgine, & æternum filium à patre: negamus tamen diuinitatem esse natã. Vnde Gabriel, & alij, qui humanitatem, vel partes eius dicunt nata esse de Virgine impropisimè loquuntur, & vix possunt rationem reddere cur diuinitas etiam genita, vel nata dici nõ possit. De qua re diximus plura in superioribus circa quęstionem 1. & 2. D. Tho.

Hæc, quæ dicta sunt, ad natiuitatẽ in vtero propriè pertinẽt: accõmodari verò possunt ad eam, quę est extra vterum, obseruando nonnulla, in quibus differunt. Primùm enim, cùm hæc natiuitas locali motu perficiatur, inde fit, vt subiectum, cui inhęret, sit totum compositũ, quod nascitur. Supponit enim hęc natiuitas suppositum iam cõstitutũ, ac genitum, quod per se primo expellitur, seu ex vtero matris egreditur. Solũ est circa hoc notanda differentia inter Christum, & reliquos homines: hi enim cùm nascuntur, omnino tam in suppositо, quàm in natura de loco ad locum transferuntur: at vero in Christo quia suppositum secundũ se vbique est, & immutabile, licet nasci, sicut ambulare dicatur ratione naturæ, tamen secundum se reuera nõ transit de loco in locũ, sed tãtum secundũ assumptã naturã. Vnde fit, vt in alijs hominibus hæc natiuitas adequatè inhęreat in toto suppositо, seu cõpositо ex natura, & subsistentia, in Christo verò solum in humanitate insit. Et hoc sensu etiã de hac natiuitate in Christo verum est, suppositum esse subiectum denominationis eius, non vero inhæsionis, nisi eo modo, quo ea, quæ inhęrent naturę, possunt dici inhęrere suppositо media natura. Denominat autem hæc natiuitas solũ suppositũ, quãuis aliàs motus localis soleat etiam partem denominare, quia licet natiuitas hęc motu locali perficiatur, consideratur tamen vt cõplementũ quoddã generationis substantialis, & quasi via quędã ad cõstituendũ indiuiduũ quoddam per se distinctũ, & à matre separatum, & eádem de causa non cõsideratur locus, aut vbi tanquã formalis terminus eius, sed ipsa natura (à qua natiuitas dicta est) quatenus est distincta á matre, seu ab vtero eius, & vt sic est quid constituens hominem omnino ac per se à sua causa distinctum, qui vt sic est integer terminus eiusdem natiuitatis, & denominationis subiectũ, vt diximus.

In primo argumento attingit D. Tho. materiã de cõmunicatione idiomatũ, quęrẽs an diuinitas possit dici nata, vel cõcepta ex Virgine, propter quędã verba Aug. seu potius Fulgentij. li. de fide ad Petrũ cap. 2. & merito dicit illã locutionem esse impropriã, & pie explicandã, vbi fuerit inuẽta, de qua re diximus plura. q. 16. Hinc verò inferũt aliquí etiã hanc esse impropriam, *Diuinitas est incarnata*. Sed errant, est enim illa locutio frequenter á patribus vsurpata, & in varijs Cõcilijs probata, quia in carnari propriè significat carni vniri, & diuinitas, quãuis non sit ex fœmina nata, verè tamẽ, ac propriè est carni vnita in Verbi persona. De qua re plura in citato loco. *Fulgent.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm attribuenda sit Christo aliqua natiuitas temporalis.

Ad se-

189 3.di.14.q.1.art.2.ad 4.& 3.di.8.a.4.q.1 & de vnio. ar.2.ad.16

AD secũdum sic proceditur. Videtur, quòd Christo non sit attribuenda àliqua natiuitas tẽporalis. Nasci enim est velut quidam motus rei non existentis, antequam nascatur, id agens beneficio natiuitatis, vt sit. Sed Christus ab æterno fuit. Ergo non potuit temporaliter nasci. ¶ 2. Præterea, Illud quod est in se perfectum, natiuitate non indiget. Sed persona filij Dei ab æterno fuit perfecta. Non ergo indiget temporali natiuitate. Et ita videtur, quod non sit tẽporaliter natus. ¶ 3. Præterea, Natiuitas propriè personæ conuenit. Sed in Christo est vna tantùm persona. Ergo in Christo est tantùm vna natiuitas. ¶ 4. Præterea, Quod duabus natiuitatibus nascitur, bis nascitur. Sed hæc videtur esse falsa, Christus est bis natus. quia natiuitas eius, qua de Patre est natus, interruptionem non patitur, cùm sit æterna: quod tamen requiritur ad hoc aduerbium, bis. Ille enim dicitur bis currere, qui cum interruptione currit. Ergo videtur, quòd in Christo nõ sit ponenda duplex natiuitas. ¶ Sed contra est, quod Damasc. dicit in 3. lib. Con. fitemur duas Christi natiuitates: vnam quæ est ex Patre, æternam, & vnã, quæ est in vltimis temporibus propter nos.

l.3 orth. fi. c.7. in me.

Respondeo dicendum, quòd (sicut dictum est) natura comparatur ad natiuitatem, sicut terminus ad motum, vel mutationem. Motus autem diuersificatur secundum diuersitatem terminorum: vt patet per Philosophum in. 5. Physicor. In Christo autem sunt duæ naturæ, diuina scilicet, & humana, quarum vnam accepit ab æterno à Patre, alteram accepit temporaliter à matre. Et ideo necesse est attribuere Christo duas natiuitates: vnam qua æternaliter natus est à Patre, aliam, qua temporaliter natus est a matre.

Art. præc.

l.5. Physic. tex. 41. & sequẽtibus tom.2.

Ad primum ergo dicendum, quòd hæc fuit obiectio cuiusdam Feliciani hæretici, quam August. in lib. contra Felicianũ sic soluit. Fingamus, inquit, sicut plerique volunt, esse in mundo animam generalem, quæ sic ineffabili motu semina cuncta viuificet, vt non sit concreta cũ genitis, sed vitam præstet ipsa gignendis. Nempe cum hæc in vterũ, passibilem materiam ad vsus suos formatura peruenerit, vnam facit secum esse personam eius rei, quam non eandem constat habere substantiam: & fit operante anima, & patiente materia, ex duabus substantijs vnus homo. Sicque animam nasci fatemur ex vtero, non quia antequam nasceretur, quantum ad se attinet, ipsa penitus nõ fuisset. Sic ergo, imò sublimius natus est de matre filius Dei, secundum hominem, eo pacto, quo cum corpore nasci docetur, & animus: non quia vtriusq; sit vna substãtia: sed quia ex vtraq; fit vna persona. Non tamen ab initio carnis incepisse dicimus Dei filium, ne tẽporalem credat aliquis deitatem: nõ ab æterno filij Dei nouimus carnẽ, ne nõ veritatem humani corporis. sed quandam eum suscepisse putemus imaginem.

c 12. paulo post princ. tom. 61.

¶ Ad secũdũ dicẽdũ, quòd hæc fuit ratio Nestorij, quã soluit Cyril. in quadã Epistola dicens, Non dicimus, quòd filius Dei indiguerit necessario propter se secunda natiuitate post eam, quæ ex Patre est, est enim fatuum, & indoctum, existẽtem ante omnia secula, & consempiternum Patri indigere dicere initio, vt sit secundò. Quoniam autem propter nos, & propter nostram salutem vniens sibi secundum subsistentiam, quod est humanũ, processit ex muliere, ob hoc dicitur nasci carnaliter. ¶ Ad tertium dicendum, quòd natiuitas est personæ vt subiecti, naturæ autem vt termini. Possibile est autẽ vni subiecto plures transmutationes inesse, quas tamen necesse est secundum terminos variari. Quod tamen non dicimus, quasi æterna natiuitas sit trãsmutatio aut motus, sed quia significatur per

In Concil. Chalcedo. actiõc. 1. in epi. ad Nestorium circa medium & in serm. Con. Ephesini.

tur per modum mutationis, aut motus. A
¶ *Ad quartum dicẽdum, quòd Christus potest dici bis natus secundum duas natiuitates. Sicut enim dicitur bis currere, qui currit duobus temporibus, ita potest dici bis nasci, qui semel nascitur in æternitate, & semel in tempore: quia æternitas, & tempus multò magis differunt, quam duo tempora, cùm tamen vtrũque designet mensuram durationis.*

COMMENTARIVS.

VEritas fidei, quam hoc art. D. Tho. docet, in superioribus varijs testimonijs scripturæ sacræ, Conciliorum, & sanctorum cõfirmata est, vbi ostẽdimus beatissimam Virginem esse veram Dei matrem, Deumq; , & hominem verè concepisse, ac genuisse. Nihil enim aliud est Christo attribui natiuitatem temporalem (si de natiuitate in vtero agamus) quàm ipsum esse factum, seu genitum hominẽ ex Maria vera matre sua: de natiuitate autem extra vterum dicendum est statim post sequẽtem disputationem.

Vnum igitur tantum adnotandum hoc loco supereſt circa solutionẽ ad. 4. in qua D. Tho. mouet dubium, an Christus possit dici bis natus. In quo Durand. in. 3. d. 8. q. 2. negat eam loquutionem esse veram. Quia ille terminus *bis* solũ numerat actiones, quæ in eadẽ mensura successiuè fiũt, & per interrumptionem multiplicantur: at vero æterna Christi natiuitas, & temporalis non sunt in eadem mensura, nec illa interrupta est: sed semper durat, sicut non dicitur aliquis bis legisse librum, etiã si simũl duos libros legat, nec bis vidisse Deũ etiam si duobus actibus videat. Nihilominus tamen dicendum est cum D. Tho. hic verè, ac propriè dici Christum bis natum. Quod etiam sensit Magister. d. 8. & ibi Bonauẽ. ar. 2. q. 1. ac ferè cæteri, & ita expressè loquitur Lactan. lib. 4. diuin. Inst. cap. 8 Fulgentius verò de fide ad Pet. c. 2. *Natus est* inquit, *semel ex patre, & semel ex matre*, perinde autem est dicere, *semel, & semel*, quod *bis*, aut *semel, & iterum*. Vnde cõfirmari hoc potest ex Paul. ad Heb. 1. dicente, *& cũ iterum introduxit primogenitum in orbem terrarũ*, Per natiuitatem enim temporalem dicitur filius Dei *iterum introductus in orbem terrarum*. Ratio est, quia in illo termino, *bis*, tantũ numeratur duplex Christi natiuitas. Quatenus enim in ratione saltẽ analoga natiuitatis cõueniũt, & inter se distinguũtur numerari illomodo possunt: nec necesse est, vt sub eadem mensura cõprehendantur, neque vt altera interrupta sit, seu cessauerit, hæc enim accidentaria sunt: per se verò sufficit, vt re ipsa origines distinctæ sint, & earũ etiã durationes. Vt rectè dicetur hic aer bis illuminatus, si postquã ab vno agente lumen in illo productum est, aliud lumen ab alio introduceretur, priori illuminatione non interrupta, sed durãte,

Dices, ergo etiã dici poterit Christus bis filius, quia duplicem natiuitatem duplex B filiatio consequitur. Respondetur, primũ Christum non esse duos filios: quia hic numerus requirit multitudinem suppositorum. Deinde, propter similitudinẽ loquutionum, ne sub vna videatur altera introduci, cauendus videtur ille loquendi modus: maxime cum multis videatur filiatio respicere suppositum, magis quàm natiuitas: qua propter censent illam posteriorẽ loquutionem esse falsam. Alij addũt illum terminum, *bis*, magis numerare actiones, quàm formas. Quod non video, quàm sit firmum, propriè enim dicimus aliquem esse bis canonicum, vel doctorem, videtur ergo illa loquutio in rigore vera, sed cauẽda est, vel explicanda propter prædictum C errorem.

Obiectio.

Responsio

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrũm secũdum temporalem Christi natiuitatem, beata Virgo possit dici mater eius.

AD tertium sic proceditur. *Videtur, quod secundum temporalẽ natiuitatem Christi, beata Virgo non possit dici mater eius. Vt enim supra dictum est, beata Virgo Maria nihil actiuè in generatione Christi operata est sed solam materiam ministrauit. Sed (hoc nõ videtur sufficere ad rationem matris, alioquin lignum diceretur esse mater lecti aut scãni. Ergo videtur quòd beata Virgo non possit dici mater Christi. ¶ 2, Præterea, Christus ex beata Virgine miraculosè natus est. Sed miraculosa ge*

190 3. dist. 3 p. 2. ar. 2. & 2. & dist. 4. q. 2. arti 2. & 4. cont. c. 32. §. 4. & c. 34. et 44 & op. 3. c. 229, et 230. & op. 60. c. 3. co. 4. ¶ 32. ar. 4

Durand.

Christus vere, ac proprie bis natus dicitur. D. Thom. Mag. Bonau. Lactant. Fulgent. Hebr. 1.

culosa generatio non sufficit ad rationẽ maternitatis, vel filiationis: nõ enim dicimus Euam fuisse filiam Adæ. Ergo videtur, quòd nec Christus debeat dici filius beatæ Virginis. ¶ 3. Præterea, ad matrem pertinere videtur decisio seminis. Sed sicut Damas. dicit in 3. lib. corli. 3. c. 2. 4 & 7. pus Christi non seminaliter, sed conditiue à Spiritu sancto formatum est. Ergo videtur, quòd beata Virgo non debeat dici mater Christi. ¶ Sed contra est, quod dicitur Matthæi primo, Christi generatio sic erat. Cùm esset despõsata mater Iesu Maria, Ioseph, &c.

Respondeo dicendum, quòd beata Virq. 52. ar. 2. go est vera, & naturalis mater Christi. Sicut enim suprà dictum est, corpus Chri B sti non est de cælo allatum, sicut Valentinus hæreticus posuit: sed de Virgine matre sumptum, & ex purissimis sanguiq. 5. 31. ar. bus eius formatum. Et hoc solum requiritur ad rationem matris: vt ex suprà dictis patet. Vnde beata Virgo vere est mater Christi.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd q. 32. art. 3. (sicut suprà dictum est) paternitas, siue maternitas, & filiatio, non competunt in quacunque generatione, sed in sola generatione viuentium. Et ideo si aliqua inanimata ex aliqua materia fiant: non C propter hoc consequitur in eis relatio maternitatis, & filiationis: sed solùm in generatione viuentium, quæ propriè natiuitas dicitur. ¶ Ad secundum dicen-l. 3. c. 7. circa medium dum, quòd sicut Damas. dicit in 3. libr: natiuitas temporalis, qua Christus est natus propter nostram salutem, est quodã modo secundum nos: quoniam natus est homo ex muliere, & tempore conceptionis debito. Super nos autem, quoniam nõ ex semine, sed ex Spiritu sancto, & sancta Virgine, supra legem conceptionis. Sic igitur ex parte matris natiuitas illa fuit naturalis, sed ex parte operationis Spiritus sancti fuit miraculosa, vnq. 32. ar. 4 de beata Virgo est vera, & naturalis mater Christi. ¶ Ad tertium dicendum, quòd (sicut suprà dictum est) resolutio seminis fœminæ, non pertinet ad necessitatem conceptus, & ideo resolutio seminis non ex necessitate requiritur ad matrem.

Hi duo articuli explicati sunt in prima disputatione huius tomi.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrùm beata Virgo debeat dici mater Dei.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd beata Virgo nõ debeat dici mater Dei. Non enim dicendum est circa diuina mysteria, nisi quod ex sacra Scriptura habetur. Sed nunquam in sacra scriptura legitur, quòd sit mater aut genitrix Dei, sed quòd sit mater Christi, vel mater pueri: vt patet Matth. 1. Ergo non est dicẽdum quòd beata Virgo sit mater Dei. ¶ 2. Præterea, Christus dicitur Deus secundum diuinam naturam. Sed diuina natura non accepit initium essendi ex Virgine, ergo beata Virgo non est dicenda mater Dei. ¶ 3. Præterea, Hoc nomen Deus, communiter prædicatur de Patre, & Filio, & Spiritu sancto. Si ergo beata Virgo est mater Dei, videtur sequi, quòd beata Virgo sit mater Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quod est inconueniens. Non ergo beata Virgo debet dici mater Dei. ¶ Sed contra est, quòd in capitulis Cyrilli approbatis in Ephesina synodo legitur. Si quis non confitetur Dcũ esse secundum veritatem Emanuel, & propter hoc Dei genitricem sanctam Virginem (genuit enim carnaliter carnem factum Dei Verbum) anathema sit.

191
3. di. 4. q. 2 ar. 3 & 4 contra. ca. 34. 43 & 45 fin. & op. 3. c. 229

Can. 1 cõcil. Ephe. 1 to. 1. cõcil. & habetur interopera Cyril. epist. 4. tomo. 4.

¶ Respondeo dicendum, quòd (sicut q. 16. ar. 1 suprà dictum est) omne nomen significãs in cõcreto naturam aliquã, potest supponere pro qualibet hypostasi illius naturæ Cũ aũt vnio incarnationis sit facta in hypoſti-

postasi (sicut suprà dictũ est) manifestum A est quòd hoc nomen Deus, potest suppone re pro hypostasi habente humanam naturam, & diuinam. Et ideo quicquid conuenit diuinæ naturæ, vel humanæ, potest attribui illi personæ, siue secundũ quòd pro ea supponit nomen significans diuinam naturam, siue secundum quòd pro ea supponit nomen significans humanam naturam. Concipi autem, & nasci, personæ attribuitur, & hypostasi, secundum naturam illam, in qua cõcipitur, & nascitur. Cum igitur in ipso principio con-
q.83.ar.3. ceptionis fuerit humana natura assumpta à diuina persona (sicut prædictũ est) consequens est, quòd verè possit dici, Deum esse conceptum, & natum de Virgine. Ex hoc autem dicitur aliqua mulier alicuius mater, quòd eum concepit, & genuit: vnde consequens est, quòd beata Virgo verè dicatur mater Dei: solùm enim sic negari posset, beatam Virginem esse matrem Dei, si vel humanitas prius fuisset subiecta conceptioni, & natiuitati, quàm homo ille fuisset filius Dei (sicut Photinus posuit) vel humanitas non fuisset assumpta in vnitatem personæ, vel hypostasis Verbi Dei, sicut posuit Nestorius. Vtrumque autem horum est erroneum, vnde hæreticum est negare beatã Virginem esse matrem Dei.

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd hæc fuit obiectio Nestorij. Quæ quidem* C *soluitur ex hoc, quòd licet non inueniatur expressè in scriptura dictum, quòd beata Virgo sit mater Dei: inuenitur tamen expressè in scriptura, quòd Iesus Christus est verus Deus, vt patet 1. Ioã. Vlti. & quòd beata Virgo est mater Iesu Christi, vt patet Matth. 1. vnde sequitur ex necessitate ex verbis scripturæ, quòd sit mater Dei. Dicitur etiam Roma. 9. quòd ex Iudæis est secundum carnem Christus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Non autem est ex Iudæis nisi mediante beata Virgine. Vnde ille, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, est verè natus ex beata Virgine, sicut ex sua matre.* ¶ *Ad secũdum dicendum, quòd illa est obiectio Nestorij, sed Cyrillus in quadam epistol. cõtra Nestorium, eam soluit, sic dicens. Sicut hominis anima cum proprio corpore nascitur, & tanquam vnum reputatur: & si voluerit quispiam dicere, quòd est genitrix carnis, non tamen & animæ genitrix, nimis superfluè loquitur. Tale aliquid gestum percipimus in generatione Christi: natum est enim ex Dei patris substantia Dei Verbum: quia verò carnem assumpsit, necessarium est cõfiteri, quòd natum est secundum carnem ex muliere. Dicẽdum est ergo, quòd B. Virgo dicitur mater Dei, non quia sit mater Diuinitatis, sed quia personæ habentis diuinitatem, & humanitatem, est mater secundum humanitatem.* ¶ *Ad tertium dicẽdum, quòd hoc nomen Deus, quanuis sit commune tribus personis: tamen supponit quandoque pro sola persona Patris, quandoque pro sola persona Filij, vel Spiritus sancti: vt supra habitum est. Et ita cùm dicitur, beata Virgo est mater Dei, hoc nomen, Deus, supponit pro sola persona Filij incarnata.*

Innuitur in epist. 1. quæ habetur inter opera Cyrilli. to 4

P.p.q.39. art.7.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrùm in Christo sint duæ filiationes.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quòd in Christo sint duæ filiationes. Natiuitas enim est causa filiationis. Sed in Christo sunt duæ natiuitates, ergo etiam in Christo sunt duæ filiationes. ¶ 2. Præterea Filiatio, qua quis dicitur filius alicuius, vt matris, vel patris, dependet aliqualiter ab ipso, quia esse relationis, est ad aliud aliqualiter se habere, vnde & interẽpto vno relatiuorũ, interimitur aliud. Sed filiatio æterna, qua Christus

192 3. dist. 8. ar. 5. Et quol. 1. art. 2. Et quol. 9. q. 2 ar. 3. & opu. 3. cap. 219.

ar. præced.

stus est filius Dei patris, non dependet à matre, quia nullum æternum dependet à temporali, ergo Christus non est filius matris filiatione æterna. Aut ergo nullo modo est filius eius (quod est contra prædicta) aut oportet quòd sit filius eius quadam alia filiatione temporali. Sunt ergo in Christo duæ filiationes. ¶ 3. Præterea. Vnum relatiuorum ponitur in definitione alterius, ex quo patet, quòd vnum relatiuorum specificatur ex alio. Sed vnum, & idem non potest esse in diuersis speciebus, ergo impossibile videtur quòd vna, & eadem relatio terminetur ad extrema omnino diuersa. Sed Christus dicitur filius patris æterni, & matris temporalis, qui sunt termini omnino diuersi, ergo videtur, quòd non possit eadem relatione Christus dici filius patris, & matris. Sunt ergo in Christo duæ

l. 3. ortho. fid. ca. 13. in medio.

filiationes. ¶ Sed contra est, quod sicut Damascen. dicit in lib. 3. Ea quæ sunt naturæ, multiplicantur in Christo, & nō ea quæ sunt personæ. Sed filiatio maximè pertinet ad personam: est enim proprietas personalis, vt patet ex his quæ in

P. p. q. 40 ar. 2. 3. & 4.

1. parte dicta sunt. Ergo in Christo est vna tantum filiatio.

¶ Respondeo dicendum, quòd circa hoc sunt diuersæ opiniones. Quidā enim attendentes ad causam filiationis, quæ est natiuitas, ponunt in Christo duas filiationes, sicut & duas natiuitates. Alij verò attendentes ad subiectum filiationis, quod est persona vel hypostasis filij, ponunt in Christo vnam tantum filiationem, sicut & vnam hypostasin vel personam. Vnitas enim relationis, vel eius pluralitas, non attenditur secundum terminos, sed secundum causam vel subiectum. Si enim secundum terminos atten deretur, oporteret quòd quilibet homo in se duas filiationes haberet: vnam, qua referretur ad patrem, & aliam qua referretur ad matrem. Sed rectè considerāti apparet eàdem relatione referri vnumquemque ad suum patrem, & matrem propter vnitatem causæ: eàdem enim natiuitate homo nascitur ex patre & matre, vnde eadem relatione ad vtrũque refertur. Et eadem ratio est de magistro, qui docet multos discipulos eadem doctrina: & de domino, qui gubernat diuersos subiectos eadem potestate. Si verò sint causæ diuersæ speciei differentes, ex consequenti videntur etiam relationes specie differre, vnde nihil prohibet, plures tales relationes eidem inesse: sicut si aliquis est aliquorum magister in Grammatica, & aliorum in Logica, alia est ratio magisterij vtriusque, & ideo relationibus diuersis vnus, & idem homo potest esse magister, vel diuersorum, vel eorundem secundum diuersas doctrinas. Contingit autem quandoque, quòd aliquis habet relationem ad plures secundum diuersas causas, eiusdem tamen speciei: sicut cum aliquis est pater diuersorum filiorum secundum diuersos generationis actus: vnde paternitas non potest specie differre, cùm actus generationum sint ijdem specie. Et quia plures formæ eiusdem speciei non possunt simul inesse eidem subiecto: non est possibile quod sint plures paternitates in eo, qui est pater plurium filiorum, generatione naturali. Secus autem esset, si esset pater vnius generatione naturali, & alterius per adoptionem. Manifestum autem est, quòd non vna, & eàdem natiuitate Christus est natus ex patre ab æterno, & ex matre ex tempore, nec natiuitas est vnius speciei, vnde quãtum ad hoc oporteret dicere in Christo esse diuersas filiationes, vnam temporalẽ, & aliam æternam. Sed quia subiectum filiationis non est natura, aut pars naturæ, sed solum persona, vel hypostasis, in Christo autem non est hypostasis, vel persona nisi æterna: non potest in Christo esse aliqua filiatio, nisi quæ sit in hypostasi æterna. Omnis autem relatio, quæ ex

tempore de Deo dicitur, nõ ponit in ipso Deo æterno aliquid secundum rẽ, sed secundum rationem tantùm: sicut in prima parte habitum est. P.p.q. 13. art. 7. *Et ideo filiatio, qua Christus refertur ad matrem, nõ potest esse realis relatio: sed solùm secundum rationem. Et sic quãtum ad aliquid vtraque opinio verum dicit, nam si attẽdamus ad perfectas rationes filiationis oportet dicere duas filiationes, secundũ dualitatem natiuitatum. Si autem attendamus ad subiectum filiationis, quod nõ potest esse nisi suppositum æternum, non potest in Christo esse realiter nisi filiatio æterna. Dicitur tamen relatiuè filius ad matrem relatione, quæ cointelligitur relationi maternitatis ad Christum. Sicut etiam Deus dicitur dominus relatione, quæ cointelligitur reali relationi, qua creatura subijcitur Deo. Et quamuis relatio dominij non sit realis in Deo, dicitur tamen realiter dominus ex reali subiectione creaturæ ad ipsum. Et similiter Christus dicitur realiter filius Virginis matris, ex relatione reali maternitatis ad Christum.*

¶ *Ad primum ergo dicitur, quòd natiuitas temporalis causaret in Christo temporalem filiationem realem, si esset ibi subiectum huiusmodi filiationis capax. Quod quidem esse non potest, ipsum enim suppositum æternum non potest esse susceptiuum relationis temporalis: vt* In cor. ar. *dictum est. Nec potest dici quòd sit susceptiuum filiationis temporalis ratione humanæ naturæ, sicut etiam & temporalis natiuitatis: quia oporteret naturam humanam aliqualiter esse subiectam filiationi, sicut est aliqualiter subiecta natiuitati: cum enim Æthiops dicitur albus ratione dentis, oportet quod Æthiopis dens sit albedinis subiectũ. Natura autem humana nullo modo potest esse subiectum filiationis: quia hæc relatio directè respicit personam.* ¶ *Ad secundum dicendum, quòd filiatio æterna non dependet à matre tẽporali: sed huic filiationi æternæ cointelligitur quidam respectus temporalis dependens à matre, secundum quem Christus dicitur filius matris.* ¶ *Ad tertium dicendum, quòd vnum, & ens se consequuntur, vt dicitur in 4. Met. Et ideo sicut contingit, quòd in vno extremorum relatio sit quoddam ens, in alio autem non sit ens, sed ratio tantũ (sicut de scibili, & scientia Philosophus dicit in 5. Met.) ita etiã contingit quòd ex parte vnius extremi, est vna relatio, ex parte autem alterius extremi sunt multæ relationes. Sicut in hominibus ex parte parentum inuenitur duplex relatio, vna paternitatis, & alia maternitatis, quæ sunt specie differẽtes, propter hoc, quòd alia ratione pater, & alia ratione mater est generationis principium. Si verò essent plures, eadem ratione, principium vnius actionis (puta cùm multi simul trahunt nauẽ) in omnibus esset vna: & eadem relatio. Ex parte autem prolis est vna sola filiatio secũdum rem: sed duplex secundum rationẽ, in quantum correspondet vtrique relationi parentum, secundum duos respectus intellectus. Et sic etiam quantum ad aliquid in Christo est vna tantum filiatio realis, quæ respicit patrem æternum: est tamen ibi alius respectus tẽporalis, qui respicit matrem temporalem.*

lib. 4. tex. 3. tomo. 3.

lib. 5. Met. tex. 20. to. 3.

COMMENTARIVS.

SEntentia D. Tho. in hoc art. est, duas esse in Christo domino relationes filiationis, quia natiuitates, quas cõsequuntur, diuersarum rationũ sunt. Negat tamen vtranque esse realẽ: sed solũ æternã, qua refertur ad patrẽ: tẽporalem verò qua refertur ad matrem, solum dicit, esse relationẽ rationis, quãquã Christus dicatur realiter filius ex relatione matris ad ipsum. Fundamentum eius est, quia filiatio est proprietas personę, & in illa recipitur, persona autem Christi non est capax relationis realis nouæ, ac temporalis, est enim

enim persona diuina, cui nulla res ex tempore aduenire potest. Responderi posset, filiationem esse in supposito, tamē media natura. Quod tacitè refellit D. Tho. in sol. ad. 1. quia natura humana, inquit, nullo modo potest esse subiectum huius relationis, quia filiatio directè respicit personam. Quod D. Tho. amplius non probat, sed vt per se notum assumit, multaque alia dicit in articulo, quę magnas possent excitare quæstiones, dialecticas tamen, ac methaphysicas, ideoq; ab huius loci grauitate alienas. Pretermittendæ igitur sunt, & solum de ijs, quæ ad Christum, & matrem eius spectant, disserendum.

DISPVTATIO XII. in tres sectiones distributa.

De relationibus, quæ ex Christi natiuitate inter eum, & matrem consequuntur.

DE natiuitate Christi in vtero, an sit, quid sit, & quæ fuerint illius causæ, dum de cōceptione eius tractaretur, necessariò dicendum fuit: sunt enim hæc duo re ipsa ita inter se coniuncta, vt disputatione disiungi non potuerint. Solū igitur superest, & ordo etiam doctrinę postulat, vt de relationibus hanc natiuitatem consequentibus disseramus. Cùm enim hęc natiuitas (vt diximus) sit ipsa generatio substantialis viuentis ex viuente, si quę sunt inter ipsa relationes, hanc natiuitatem consequi necesse est. Nec verò nunc est vniuersaliter disputandum de his relationibus, quales sint, & quę habeant fundamēta, sed his suppositis, quę cęteris hominibus cōmunia sunt, dicendū est, quid Christo, & eius matri sit tribuendum.

SECTIO. I.

Vtrum in Beata Virgine sit relatio realis matris ad filium.

RAtio dubitandi esse potest, quia nō existente termino non existit relatio, sed in Christo non est proprius terminus ad relationē matris necessarius: quia relatio matris respicit personam ab A ipsa procreatam, vnde talis relatio necessario requirere videtur in termino personam creatam, persona autem Christi est increata.

Dicendū verò est primo, in Beata Virgine esse relationem realem maternitatis. Hanc conclusionem supponit D. Tho. hic, & à nemine Theologorum (quem ego viderim) in dubium reuocatur. Vnde non posset sine temeritate negari, supponendo hanc relationem in alijs matribus esse realem. Non assero esse de fide, quia licet fides doceat Beatam Virginem verè, ac realiter genuisse, & hoc sensu de fide sit verè ac realiter esse matrem, si quis tamen negaret inde esse cōsecutam relationem realem, sed appellari realiter matrem tantum à munere generandi, nihil diceret contra dogmata fidei: illis tamen suppositis non B consentaneè philosopharetur, quia in B. Virgine sunt omnia, ex quibus hęc relatio resultare solet. Habuit enim (vt supra ostendimus) in Christi cōceptione, & natiuitate eundem concursum, quē alię matres in interna, ac substantiali filiorum cōceptione, ac generatione habere solent, relatio autē matris ex hoc concursu, seu generatione resultat. Nec potest deesse sufficiens terminus ad talem relationem, vbi non deest talis generatio, quia necesse est ipsam generationem ad aliquem terminū per eam productum terminari: idem autē qui est terminus per generationem productus, est etiam terminus, quem respicit relatio matris: hæc enim est relatio causæ: relatio autem causę terminatur ad effectū: C effectus autem est terminus per actionem productus, ergo de primo ad vltimum, idem est terminus generationis, & relationis maternæ, ergo sicut Christus est sufficiens terminus realis generationis ex matre, ita etiam est sufficiens terminus realis relationis maternitatis, nihil ergo hic deest, vt hæc relatio realis sit.

In Virgine relatio realis maternitatis ad filium. D. Thom.

Dico secundo, hęc relatio matris in B. Virgine est eiusdem speciei cum relationibus aliarum matrū. Hæc assertio, licet distinctè etiam non asseratur à Theologis: supponitur tamen, & ex eorum principijs apertè colligitur, quia hęc relatio in Virgine habet fundamentum, & terminum eiusdem rationis. Primū patet, quia Deipara verè genuit Christū Deum hominē, & natiuitas temporalis Christi, est vera

Relatio maternitatis in Virgine eiusdem rationis cū relationibus aliarū matrum.

natiuitas humana eiusdem rationis cum natiuitate aliorum hominum, vt certa fide constat ex omnibus supra adductis; hęc autem natiuitas, & generatio est proximum fundamentum, seu ratio fundandi hanc relationem. Secundum probatur, scilicet habere terminum eiusdem rationis, quia hic terminus est idem, qui est terminus natiuitatis, sed illa natiuitas habet terminũ eiusdẽ rationis cum nostra ergo. Et confirma, quia Christus vt homo est eiusdem rationis nobiscum, licet suppositò differat: relatio autẽ illa, sicut & natiuitas, terminatur ad Christum vt hominem. Confirmatur secundò, quia sicut calefactio habet eundem terminum, siue recipiatur in homine, B siue in ligno, & in calefaciente eadem relatio consequitur, quia forma inducta, & actio, per quam inducitur, eiusdem rationis est, quanuis subiecto differant, ita dicendum est in præsenti, seruata proportione. Nam licet suppositum Christi, & nostrum secundũ se diuersa sint: tamen quia natura humana, quę tali supposito coniungitur, est eiusdem rationis, cum nostra, & actio, qua beata Virgo concurrit, eiusdem etiam rationis existit, ideo etiã relatio eiusdem speciei in ea consurget. Tandem confirmatur, quoniam aliàs Deipara non esset vniuocè mater cum reliquis, quod est contra mentem Conciliorum, & Sanctorum de hac materia loquentium, quos supra retulimus.

Obiectio. Obiicies, nam beata Virgo miraculosè C Christum cõcepit, miraculosè etiam ad humanã eius generationẽ operata est, ergo est mater miraculosa, ergo relatio matris est supernaturalis proportionata fundamento, quod proximè consequitur. *Responsio D. Thom.* Respondetur cum D. Thom. hic artic. 3. beatã Virginem simpliciter dicendam esse veram, & naturalem matrem Christi, sicut cum eodẽ Thoma supra quæst. 33. artic. 4. explicuimus Christum esse naturalem filium hominis, hæc enim duo correlatiua sunt, relatio ergo matris vera, ac naturalis relatio est, atque adeò eiusdem speciei cum reliquis. Ad obiectionem autem respondetur ex eodem D. Thom. quanuis conceptio Christi fuerit miraculosa, tum propter vnionem hypostaticam, tum ratione causæ efficientis humanam generationem, præterea ex parte modi; tamen ex parte matris quoad substantiam, & essentiam fuisse conceptio

Conceptio Christi in vero Virginis, quomodo miraculosa, &

A nem naturalem (vt rectè dixit Ambros. lib. de incarn. domin. sacram. cap. 5. & 6. & in superioribus satis declaratum est) relatio autem consequitur eam conceptionẽ, vt est à matre secundum substantiam, & essentiam illius: Vnde fit, licet propriè possit dici, beatã Virg. miraculosè concepisse (vt D. Thom. supra docet) quia conceptio includit modum, & habitudinẽ ad causam efficientem: non tamen tam propriè dici matrem miraculosam, & supernaturalẽ, quia mater vocatur à relatione, in qua propriè nihil est supernaturale, quanuis aliqui interdum piè hoc modo loquantur ad explicandam dignitatem, & excellentiã conceptionis, & personę in illa conceptæ. *quomodo naturalis. Ambros.*

B Bonau. in 3. dist. 4. art. vlt. q. 2. & Richard. art. 2. q. 3. Gabr. q. 1. artic. 2. Marsil. q. 5. art. 3. dub. 2. *Bonauent. Richard. Gabr. Marsil.*

Ad rationem dubitandi in principio posita responsio facilis est ex dictis. Nam terminus huius relationis est persona Christi non secundum se; sed vt cum humanitate componit hunc hominem: hoc autem modo nihil obstat, quòd sicut persona ętèrna temporaliter genita est, ita etiam sit terminus relationis realis. Dices, ergo nõ poterit beata Virgo dici mater Dei, aut Verbi, sed solum Christi, aut huius hominis, quia relatio solum respicit suum terminũ, quatenus talis est. Sed neganda est consequutio: quia relatio quæ per se primò, & formaliter respicit aliquem terminum, cõsequẽter & quasi materialiter respicit subiectum remotum, seu suppositũ illius termini. Vt licet homo albus sit similis rei albæ vt sic; tamen etiam dicitur similis Petro, quia est suppositum illius albedinis; quod ferè in omnibus formis, quæ habitudinem dicunt ad aliud, videre licet. *Obiectio. Responsio*

SECTIO. II.

Vtrum in Christo sit relatio realis, & creata filij ad matrem.

PRima sententia est Christum referri ad matrẽ relatione reali, sed increata. Ita sentit Henr. quod. 4. q. 3. fundamentũ eius est, quia in vno supposito, vna est relatio eiusdẽ rationis, sicut in vno patre plures filios generante vna est paternitas. Et confirmari potest, quia filiatio æterna terminat humanam naturam, & inde resultat *Henric.*

sultat hic homo, ergo illa eadem relatio, vt terminans talem naturam refert hunc hominem ad Virginem, & hoc modo propriſsimè dicetur Virgo mater Dei, ſeu Verbi. Hanc ſententiam videtur amplecti Alexan. Alen. 3. p. quæſtio. 10. m. 3. ad argumenta. *Alenſ.*

Secunda ſententia en, Chriſtum referri ad Virginem ſola relatione rationis filiationis temporalis. Ita D. Thom. hic, & in 3. diſt. 8. artic. 5. & ibi latè Capreol. & Sanctus Bonau. art. 2. q. 2. Fundamentum D. Thom. iam ſupra explicatum eſt, nimirum relationem filiationis reſpicere perſonam, quod à Caiet. & alijs Thomiſtis non probatur niſi ex denominatione, quoniam videlicet humanitas non poteſt denominari filia: ſed ſolum ſuppoſitum; ſi autem relatio filiationis inhæreret immediatè ſoli naturę, & cõpoſito, vel ſuppoſito non niſi ratione naturæ, denominaret illa relatio aliquo modo naturam ipſam. Sed hæc ratio (ſi nihil amplius addatur) videtur euidenter infirma: ſimili enim argumento probari poſſet, natiuitatẽ humanam Chriſti non eſſe realem, aut non inhærere in humanitate. Probatur, quia non denominat illã naturam; ſed ſolum ſuppoſitum, quod ergo ipſi reſponderint de natiuitate, idem dici poterit de relatione filiationis. Addendũ igitur eſt, vt hęc ratio vim aliquã habeat, adæquatum ſubiectum, cui inhæret hæc relatio eſſe totum ſuppoſitum, vt conſtat ex natura, & ſubſiſtentia: Et huius ratio eſt, quia illud eſt ſubiectum huius relationis, quod eſt adæquatus terminus, qui naſcitur, ſeu generatur; ſed hic terminus eſt totum ipſum ſuppoſitum, quia donec illud perfectum ſit, non eſt conſummata generatio, ergo adæquatus terminus, cui inhæret hæc relatio eſt ipſum ſuppoſitum, ita vt ſaltem inhæreat in cõpoſito ex natura, & ſubſtentia vt ſic, & hoc ſatis eſt, vt non poſsit in Chriſto hæc relatio eſſe realis, cũ inhærere non poſsit in compoſito ex Verbo, & humana natura. Et hinc poteſt conſtitui nonnulla differentia inter natiuitatẽ, & filiationẽ. Natiuitas enim eſt veluti via, quæ quaſi præcedit in materia, introducendo formam, & ideo, licet in natura inhæreat, denominat terminum, ad quem dicit habitudinem; at verò filiatio eſt veluti proprietas conſequens vltimum terminũ generationis, ac tantummodo ſe habet, vt A forma inhærens, ideoque ſolũ denominat ſubiectum, cui inhæret. Et confirmari poteſt primo, quia in diuinis relatio filiationis nullo modo eſt in natura, nec illam denominat; ſed eſt ſolum proprietas perſonalis. Secundo, quia propter hanc cauſam Chriſtus nõ eſt capax relationis realis adoptiuæ. Tertio, nam ſi Chriſtus per humanitatem aſſumptam genuiſſet, non haberet relationem realem paternitatis: & ſi aſſumpſiſſet duas naturas, & in eis fuiſſet genitus á duabus matribus, & per eas genuiſſet duos filios, non haberet niſi vnicam relationem paternitatis, aut filiationis etiam ſecundum rationem. Quarto, quia aliàs ſequitur, ſi Chriſtus nunc dimitteret humanitatem, illum hominem fore filium Virginis, quia maneret in humanitate eadem relatio filiationis: conſequens autem falſum eſt, quia beata Virgo non genuit illum hominem.

Tertia ſententia eſt eſſe in Chriſto relaB tionem filiationis realem, ac temporalem ad matrem. Hæc eſt communior ſententia Theolog. in 3. diſt. 8. Rich. artic. 2. q. 2. in fine, Scoti. q. vnica. Duran. q. 3. quãuis vtatur diſtinctione non neceſſaria. Dicit enim, filiationem, vt eſt proprietas perſonalis, id eſt, cõſtituens perſonam, tantum eſſe vnã in Chriſto, quod eſt certiſsimum, quia in Chriſto tantum eſt vna relatio ſubſtantialis, & ſubſiſtens, quæ eſt perſonalitas Verbi Dei: at verò de filiatione, vt eſt tantum forma referens ad aliud, concedit eſſe duas in Chriſto filiationes reales. Eandem ſententiam tenet Gabr. ibi concl. 3. licet in aliis concluſionibus doceat, quo modo loquendum ſit poſita ſententia Nominalium, qui putant has relationes non eſſe formas reales; & eodem ferè modo procedit Marſil. quęſtio. 7. articul. 2. Fundamenta, ac rationes huius ſententiæ, poſtea referemus. *Richard. Scot. Durand. Gabr. Marſil.*

Dico igitur primò, Chriſtum dominum C non referri ad beatam Virginem, nec denominari filium eius per increatam filiationis relationem. Hæc aſſertio videtur mihi certa, primò, quia illa relatio nullomodo conuenit Chriſto propter generationem eius ex matre, ergo non poteſt denominare illum filium Virginis, nec ad illam eum referre. Patet conſequutio; quia Chriſtus ſolum dicitur filius Virginis propter humanam generationem: & quę per illã ipſi conue- *Chriſtus nõ denominatur filius Virginis per increatam relationem filiationis.*

conueniunt. Antecedens verò patet, quia illa relatio conuenit Christo secundum se, propter æternam generationem; eidem verò vt subsistenti in humana natura conuenit ratione vnionis hypostaticæ, quæ est actio distincta ab humana generatione.

Secũdo, generatio ęterna, & tẽporalis sũt omnino diuersæ rationis, solumq; analogicè in ratione generationis conueniunt, ergo & relationes filiationis sunt eodem modo diuersæ, nam relationes accomodantur fundamentis, seu rationibus, ex quibus aliquo modo oriuntur. Vt in eodem homine relatio discipuli, & relatio filij diuersę sunt quia & ex diuersis principiis resultant, & diuersos terminos respiciunt: multo autẽ magis differunt natiuitas æterna, & temporalis, quã generatio, & doctrina, maiorque differentia est inter patrem ęternum, & beatissimam Virginem vt matrem, quàm inter humanum patrem, & præceptorem. Neque oportet decipi propter conuenientiam in nomine filiationis, illa enim (vt dixi) est analoga, & non impedit distantiam inter rem creatam, & increatam. Explicariq; optimè potest, si fingamus Spiritus Sancti personam sumpsisse carnem ex Virgine, tam propriè enim esset filius Virginis, sicut nunc est Verbum, de illo tamen nec verisimiliter cogitari posset referri ad matrem per increatam relationem processionis, cum in illam ratio filiationis nequaquã conueniat; idem autem iudiciũ est de persona Verbi, quia licet eius proprietas sit filiatio, est tamen alterioris ordinis.

Tertio illa relatio conuenit Christo, vt Deus est, seu vt est talis persona prorsus increata, sed sub hac ratione non refertur ad matrem, sed solũ in quantum homo est, aliquo modo creatus, seu productus ex matre, ergo illa relatione nõ refertur ad matrem. Denique respectus realis est aliquid pendens aliquo modo à termino, quẽ respicit, præsertim quando respectus est temporalis, & terminus creatus, si ergo Christus vt homo habet respectum realem ad Virginem per ipsam relationem æternam: necesse est vt ille respectus sit aliquid reale in ipsa relatione dependens á suo termino, ita vt si beata Virgo non existat, necesse sit Christum illo respectu carere, hoc autem repugnat perfectioni, & immutabilitati increatę relationis. Quod si dicas illũ respectum nihil secundũ rem addere, sed solum secundum rationem: iam incides in secundam opinionem, quia ille respectus erit relatio rationis formaliter diuersæ rationis á relatione æterna, cũ diuersum habeat terminum, & fundamentum, etiam si quasi ineſſe in eodem supposito concipiatur. Si autem dicas hunc respectũ esse realem, & poni posito termino, & auferri illo ablato: & tamen nihil omnino esse præter ipsam relationem increatam; id planè intelligi non potest, quia si nihil est præter relationem æternã, ergo posito tali fundamento, & termino nihil ponitur, nec aufertur, quia relatio æterna, & quidquid est omnino idem formaliter cum ipsa nec denuo ponitur, nec aufertur, ergo ille respectus nihil est, quo modo ergo est respectus realis? Quod præterea declaratur, quia aliás eodem modo posset dici Deus referri ex tempore ad creaturas respectu reali, sine additione vlla, vel dependentia; quod quia intelligi non potest, merito negant Theologi huiusmodi relationes seu respectus in Deo: & eàdem ratione inter homines cum pater habens vnum filium, alium generat, necesse est, vt vel illi adueniat noua relatio á priori distincta, vel certe, vt pręexistens aliquo modo augeatur, seu extendatur, & vt secundum aliquid sui habeat dependentiam à nouo termino, ad quem habet nouam habitudinẽ, seu respectum.

In Christo relatio realis filiationis ad matrem.

Dico secundo, probabilius videtur esse in Christo domino, vt homine relationem realem filiationis ad matrem eiusdem speciei cum aliis filiationibus humanis. Probatur primo, quia in Christi humanitate potuit inhęrere relatio aliqua realis respiciẽs Virginem vt terminum, & causam, & habens pro fundamento actionem, vel passionem, seu generationem, & natiuitatem; hęc autem relatio, quanuis humanitati inhęreat, propriè suppositum, seu hunc hominem denominat, ergo non est nisi relatio vera filiationis. Maiorem concedit Caiet. hîc veritate conuictus, dum in fine ferè totius commentarij dicit; Christum referri ad matrem reali relatione causati ad causam, quam relationem humanitati inhęrere necesse est, vt ipse etiam fatetur Ratione etiam conuinci potest, quia beata Virgo est causa realis, à qua humanitas illa aliquo modo effecta est, & illa est subiectum capax relationis, ergo resultat in illa

Caiet.

relatio

relatio ex vi talis effectionis. Quod variis modis explicatur. Nam cùm lignum, v. g. fit calidum ab igne, licet illud suppositum nõ habeat simpliciter suũ esse ab igne; nihilominus tamen calor in illo factus respicit ignẽ, vt effectus causam, ergo similiter quanuis humanitas fiat in Verbo, licet Verbum ipsum nõ fiat à Virgine, nihilominus in humanitate poterit esse relatio effectus ad causam, cùm non minus, quàm calor sit capax illius. Alio modo explicatur, si fingamus humanitatem solam, & ab omni supposito proprio, & alieno separatam fieri, & concipi ex Virgine; vt sic esset capax relationis realis effectus ad causam, ergo, quòd nunc fiat in Verbo, non impedit hãc relationem. Denique illa humanitas est capax relationum realiũ, similitudinis, æqualitatis, & aliarum, quarum fundaméta possunt inesse ipsi humanitati: sed etiam fundamentũ huius relationis causati inest (vt ostensum est) humanitati, & non habet aliunde specialem repugnantiam, quia causari commune est naturis, & formis.

Minor propositio in primo argumento assumpta, scilicet, relationem hanc propriè denominare hunc hominem, & non naturam, probatur primo. Quia relatio cũ propriè denominat, quem denominat eius fundamentum, vt inductione in omnibus relationibus videre licet. Ille enim dicitur pater, qui generare dicitur, & ille similis, vel æqualis, qui quantus, aut albus, vel aliquid huiusmodi. Ratio est, quia cùm relatio cõueniat alicui medio fundamẽto, seu ratione illius, necesse est, vt ei conuenire dicatur, cui conuenit fundamentum; fundamẽtum autem relationis (de qua agimus) non est aliud, quàm generatio, vel natiuitas ex Virgine, quia beata Virgo non habuit alĩ influxum, vel causalitatem, in qua hæc relatio fundari possit, ergo, quem denominat hoc fundamentum, eundem denominat hæc relatio; sed natiuitas non denominat humanitatem, sed hunc hominem, ergo similiter hæc relatio. Confirmatur, & explicatur supra posito exemplo; Nam cũ lignum fit calidum ab igne, sicut quod fit per se est calidum, seu compositum. & nõ solus calor, ita quòd per se primó refertur vt effectus ad causam, est calidum vt sic, quanuis relatio illi conueniat medio calore; sic ergo intelligi potest in præsentia. Quod in aliis relationibus Christi, quæ nõ negantur esse reales, videre licet; dicitur enim Christus similis, vel dissimilis, æqualis, vel inæqualis, quanuis hæ relationes in sola humanitate inhæreant.

Relatio cũ propriè denominat, quem denominat eius fundamentum.

A

B

C

Dices, quanuis hę relationes denominẽt suppositum, vel hunc hominem; possunt tamen denominare naturã, vel partes eius, potest enim humanitas dici similis, vel corpus æquale; at verò hæc relatio non potest denominare naturam, non enim dicitur propriè causata, seu producta; sed cõcausata, aut comproducta. Respondetur, hoc ipsum nos intendere, & ex aliis relationibus solum sumimus similitudinem in hoc, quòd inhærendo naturæ possunt denominare personam, quanuis in alio nõ sit similitudo, id enim prouenit ex diuersitate fundamenti, vt prior ratio supra facta declarat. Adde, esse in Christo alias proprietates in hoc etiam similes huic relationi. Nam operatio, vel amor inest naturæ, & non propriè denominat operantem vel amantem, nisi personam, & hinc consequũtur relationes reales operantis, seu amantis, vel amici. Cur enim negabimus has esse reales in Christo? quanuis naturam nõ denominent, sed personam, quia suis fundamentis accommodantur.

Obiectio.

Responsio

Iam verò prima consequentia, & conclusio intenta multipliciter probatur. Primo, quia hæc relatio non est causati ad causam in genere; sed in specie, est ergo relatio geniti ad genitricem, quia non habuit Virgo respectu Christi, vel humanitatis eius aliud causalitatis genus, ergo est relatio filiationis. Primum antecedens videtur per se euidens: Tum quia illa relatio consequitur ex causalitate, vt in re fit, non fit autem in genere; sed in tali specie: Tum etiã quia ex parte Virginis non est alia relatio matris, alia causæ: sed est vna, & eadem nomine generico, vel specifico significata; quia beata Virgo non est aliter causa, quã generando. Secundo, quia in aliis hominum filiis non est duplex relatio, altera in humanitate causari ad causam: altera in supposito filij ad patrem; sed sicut est vna generatio, qua per se primó fit homo, & cõproducitur humanitas, ita est vna relatio, qua per se primò refertur hic homo, & (vt ita dicam) correfertur humanitas, ergo illa relatio causati in aliis hominibus est relatio filiationis, ergo & in Christo. Probatur consequentia, quia habet fundamen-

tum

tum proximum, & terminum eiuſdem rationis, ſcilicet generationem humanam, & veram matrem, & ab his ſumit relatio ſuã ſpecificam rationem. Tertio argumentor explicãdo amplius rationes factas, & euertendo fundamentum contrariæ ſententiæ: Quia non magis requirit relatio filiationis, vt inhæreat ſuppoſito ſecundum ſe, quàm hæc relatio cauſati, ergo ex hoc capite non poſſunt diſtingui hæ relationes, & cùm ex nullo alio poſsint (vt probatũ eſt) relinquitur non eſſe diſtinctas. Antecedens patet, quia ſicut denominatio filij cadit in ſuppoſitum, & non in naturam, ita & denominatio propria huius relationis (vt oſtenſum eſt) ergo non eſt maior ratio cur vna harum relationum inhæreat ſuppoſito ſecundum ſe, quàm altera. Eidem argumentum ſumi poteſt ab operationibus, aliiſq; proprietatibus, vel relatiuis, vel abſolutis, quæ licet denominent ſolum ſuppoſitum, non poteſt inde colligi neceſſe eſſe, vt illi inhæreant. Et idem argumentum fieri poteſt de ipſa natiuitate. Neque ſolutio, aut differentia ſupra indicata ſatisfacit, ſcilicet, quòd generatio ſit velutiuia, & relatio veluti proprietas cõſequens: Tum quia hoc nihil refert, quia operatio eſt etiã proprietas totius ſuppoſiti iam cõſtituti: & nihilominus denominat ſuppoſitum, & non naturã, licet huic inhæreat, quia eſt ab illo tanquam adæquato, & integro principio: Tum etiã quia relatio accommodatur fundamento, in denominando.

Quarto argum. explicãdo rationẽ à priori, quia actio, ſeu cauſalitas matris nõverſatur per ſe circa ſubſiſtentiam filij cauſandam, vel efficiendam, ſed ſolum circa vnionem formæ, cum materia mediis diſpoſitionibus, quę cauſalitas tam integra, & perfecta fuit in beata Virgine, ſicut in aliis matribus, eiuſdemq; rationis, & ad illam nihil prorſus refert, quòd ſubſiſtentia filij ſit creata, vel increata, & hac ratione relatio matris in Virgine eſt realis perfecta, & eiuſdem rationis cum aliis, ergo eadem ratione ex parte filij ad realem relationem filiationis impertinens eſt ſubſiſtentiam eſſe creatam, vel increatam, dummodo ſubſiſtens in hac humanitate verè ſit productus à matre per ſupradictum cauſalitatis modum. Primum antecedens ita declaro, nam in humana generatione cuiuſuis hominis ſuppo nitur materia ſubſiſtens, & ſimiliter anima A prius natura creatur ſubſiſtens; tota autẽ actio, ſeu cauſalitas matris verſatur, circa materiam miniſtrandam, vel diſponẽdam, & formæ coniungendam, qua vnione facta neceſſariò conſequitur, vt adæquatus terminus illius ſit res ſubſiſtens, ergo ad hanc matris cauſalitatem non refert, quòd materia, & forma ſupponantur prius natura ſubſiſtentes, ſubſiſtentia propria magis, quàm aliena, aut creata potius, quàm increata. Eodemq; modo erit productus à matre talis filius, ſiuè hac ſubſiſtẽtia ſubſiſtat, ſiue illa, ergo eàdẽ ſimiliter relatione ad matrẽ referetur, quia relatio in effectu conſequitur ex cauſalitate, vel actione, ſecundum id, quod per ſe, ac formaliter ex vi illius fit: non verò ſecundum id, quod aliunde ſupponitur. Sicut eadem relatio calidi ſequitur ex actione ignis, ſiue fiat circa lignum, ſiue circa aquã, vel aliquid aliud.

Quinto relatio matris in Virgine eſt realis, & per eam refertur ad Chriſtũ, vt à ſe B cauſatum, ergo relatio cauſati, quæ reſpõdet in Chriſto, eſt relatio filiationis. Patet conſequentia, tum quia huic relationi matris nulla alia relatio reſpondere poteſt: Tum etiam quia per illud idẽ poteſt Chriſtus in ſe ſuſcipere relationem filij ad matrem, per quod terminat relationem matris ad ipſum. Nam in his relationibus mutuis, vel formalis terminus vnius eſt alia relatio (vt aliqui volunt) atq; ita neceſſe eſt, vtramq; eſſe realem, quia non poteſt relatio eſſe ſine ſuo formali termino; vel certè (ſi formalis terminus eſt aliquid abſolutum) illud eſt proximum ſubiectum, ſeu fundamentum oppoſitę relationis, vt in relatione ſimilitudinis in albedine, formalis terminus vnius, ſi non eſt alia ſimilitudo, ſaltim eſt albedo, in qua alia ſimilitudo fundatur. Oſtenſum autem eſt terminum formalẽ relationis matris eſſe humanitatem, quatenus eſt terminus etiam formalis generationis ex matre, ergo illa etiam C erit ſufficiens ſubiectum, ſeu ratio recipiẽdi relationem filij ad matrem. Sextam rationem ex reali denominatione filij ſumptam addemus ſoluendo argumenta.

Dico tertio, quanuis in Chriſto ſit duplex relatio realis filiationis, non tamen eſt duo filij, ſed vnus tantum. Probatur facile; quia ad multiplicationem illius concreti (ſiue adiectiuè, ſiue ſubſtantiuè ſumatur) non ſufficit multiplicatio formæ, ſine ſup-

suppositorũ multitudine: qua de causa licet in Christo sint multæ operationes, vel natiuitates, vel artes, aut scientiæ, non est plures operantes, &c. sed vnus operans, vnus natus, vnus artifex, vnus sciens, sic ergo in proposito.

Responsio ad argumẽta in oppositum.

Superest, vt secundæ opinionis argumentis satisfaciamus; nã de prima nihil noui est, quod dicamus. Igitur ad præcipuũ fundamentũ rectè ibi dictum est, integrũ, & completum subiectum, quod relatio denominat, esse suppositum, quod generatur; non tamen necessarium esse; vt relatio illi adequatè, ac per se primó inhæreat, sicut de natiuitate, & operationibus dicendum est. Nec differentia ibi posita satisfacit, vt probando conclusionem ostendimus. Vnde ad probationem, scilicet, illud esse subiectum filiationis, quod est terminus adæquatus generationis. Respondetur, esse quidem subiectum denominationis, non tamen inhæsionis. Nam, sicut illud suppositum, seu compositum est terminus adæquatus generationis, quanuis tota generatio formaliter versetur circa naturam, illiq; inhæreat, ita hæc relatio filiationis potest denominare idem suppositum, quanuis insit soli humanitati.

Obiectio.

Sed vrgebis, quia alij homines geniti plus habent à suis matribus, quàm Christus à Virgine, habent enim ab illis humanitatẽ, & subsistentiam, atq; adeo ipsum suppositum: Christus autem á Virgine tantum habuit humanitatem, ergo aliam relationem causati, vel producti habent alij filij ad matres, quám Christus ad Virginem. Hoc ductus argumento dicere solebam, relationẽ filij ad matrem in Christo, & aliis hominibus esse quidem eiusdem speciei (vt probatum est) in Christo tamen non esse ita completam, vel (vt sic dicam) ita extensam sicut in reliquis hominibus. Vt, si intelligeremus ignem producere in vno subiecto calorem, vt octo cum suo intrinseco termino: in alio verò minorem calorẽ, seu absq; tali termino, consequenter diceremus relationem effectus in vtroque calido esse eiusdem rationis: tamen in vno esse magis completam, & perfectã, quám in alio. Iuxta quam doctrinam dicendũ vlterius erat, in aliis hominibus filiationem secundum suum esse completũ inhærere in toto supposito, vt constat ex humanitate, & subsistentia: in Christo verò inhærere tantum in humanitate. Quia alij filij generantur à matribus tam secundum naturam, quàm secundum subsistentiam, quæ denuo fit ex vi talis generationis; Christus autem solũ habuit á matre humanitatem, secundum quam ab illa genitus est, quod formaliter, & essentialiter sufficit ad rationẽ filiationis. Quia formalis ratio talis generationis non sumitur ex subsistentia: sed ex natura. Nam sicut Christus est homo eiusdem rationis, & speciei nobiscum, quia ratio hominis sumitur â natura, non â persona, ita generatio, & relatio eius est eiusdem rationis, quia per se, & formaliter terminatur ad hominem ratione humanitatis, non ratione subsistentiæ. Hæc doctrina probabilis est: nunc verò non admodum placet, ex ea enim sequitur relationem matris nõ esse in beata Virgine tam completam, & integram, sicut est in aliis matribus. Deinde quia (si res attentè consideretur) nihil minus habet Christus à matre, quàm quilibet alius filius. Subsistẽtia enim creata, quæ est in aliis filiis, secũdũ se nõ sit á matre; sed partim in anima & materia supponitur; facta autem vnione formæ cum materia absq; noua matris causalitate resultat integra subsistentia totius constans ex partialibus subsistentiis partium, ita vt impossibile sit illam impedire, suppositis in corpore, & anima propriis partialibus subsistentiis. Simili autẽ modo in generatione Christi ex Virgine ordine naturæ supponuntur anima, & corpus vnita Verbo, & subsistentia in illo, & hæc interse per generationem vniũtur: qua vnione facta, absque alia matris causalitate necessario sequitur, vt tota humanitas illa subsistentia subsistat, atq; adeo, vt hic homo sic subsistens productus sit: tantum ergo causalitatem habet beata Virgo ad productionem huius hominis, sicut aliæ matres, nec plus habent alij filij â matribus, quàm Christus â Virgine, ergo relatio filiationis in Christo, & matris in Virgine æquè completæ, ac perfectæ sunt, sicut inter alios homines. Ad instantiam ergo factã negatur assumptum, est enim falsum, vt planè constat ex dictis.

Responsio Relatio filiationis in Christo, & maternitatis, in Virgine æquè completa, ac perfecta, sicut inter alios homines.

Filiationis diuinæ, & creatæ in Christo differentia.

Ad confirmationes eiusdem opinionis. Ad primã de filiatione diuina negatur similitudo, quia illa est relatio per se subsistens, constituens personam in ratione personæ, & ideo non potest recipi in natura,

tura,sed terminare illam;hæc vero relatio A
supponit personam constitutam,& inhę-
ret media natura. Est etiã aliud discrimen;
quia in Diuinis filius non distinguitur na-
tura à patre; sed sola relatione, quare ne-
cesse est, vt per se constituat personam,&
non inhæreat ratione naturæ : at vero hæ
relationes creatæ supponunt personas ma
tris, & filij constitutas in propriis natu-
ris,per quas possunt illis inhærere.

Ad secundã confirm. de filiatione adop
tiua, respondetur in Christo, vt sanctifi-
cato per gratiam creatam esse quidem re-
lationem realem ad Deum, vt sanctifican-
tem; illam verò non esse filiationem adop-
tiuam,nõ propter illud principium,quód
filiatio debeat inhęrere supposito;sed quia
illa relatio in Christo nõ sequitur ex adop
tione, sed ex gratia connaturali, vt supra
q.23.latius dictum est.

Ad tertiã confirmationem respondetur C
omnia esse falsa, quæ assumuntur, & po-
tius retorqueri posse argumentum. Nam
si Christus per humanitatem generaret fi-
lium,resultaret verè in eo relatio realis pa
ternitatis,quia sicut actio,ita & relatio ex
illa resultans conuenit supposito, medio
principio agendi,quod est forma, seu na-
tura. Et eadem ratione,si Verbum assume
ret plures naturas, plures haberet relatio-
nes filiationis,& si per eas generaret,habe-
ret plures relationes paternitatis. Ac de-
nique si fingeremus humanitatem B. Vir-
ginis esse vnitam hypostatice Deo, & ge-
nuisse Christum, sicut modo genuit, non
minus haberet relationem realem matris,
quàm modo habet; & in eo casu magis
ostenditur efficacia cuiusdam vulgaris ar-
gumenti in hac materia,sumpti ex denomi- B
natione reali filij,& matris.Nã quia Chri-
stus verè,& realiter est filius Virginis,vi-
detur rectè colligi habere relationem rea-
D. Thom. lem. Responderi autẽ solet cum D. Thom.
hic, Christum dici realiter filium Virginis
ex relatione reali matris ad ipsum. Hæc ve
rò responsio non haberet locum in casu
posito; quia non magis esset Virgo capax
relationis realis maternitatis, quàm Chri-
stus filiationis: vel certè, si beata Virgo,
quanuis esset persona increata,esset capax
relationis realis maternitatis, non est, cur
negemus Christum esse capacem relatio-
nis realis filiationis.Nisi fortè quis dicat,
in eo casu posse realiter dici matrem, aut
filium propter originem, non verò prop-
ter relationem. Sed si hoc licet gratis dice-
re,pari ratione posset aliquis negare omnẽ
relationem realem inter matrem & filium,
dicendo ita denominari ab origine, non à
relatione.

Ad quartã confirmationem,concedo, si
Verbum dimitteret humanitatem,perman
suram in illo homine, seu in humanitate il-
la subsistente in proprio supposito eandẽ
relationem filiationis, quam nunc habet,
vt rectè videtur probare argumentum fa-
ctum, quia manet subiectum, fundamen-
tum,& terminus:ergo non est, quód cor-
rumpatur relatio. Ex quo vlterius sequi-
tur illum hominem esse filium Virginis,
quandoquidem habet in natura humana re
lationem realem filiationis ad ipsam. Ad-
dit verò Gab.in 3.dist. 4.q. vnica artic. 3. Gabr.
dub. 1. illum non esse eundem filium Vir-
ginis,qui antea erat,vnde concedit conse-
quenter posse Virginem habere duos fi-
lios ex vi eiusdem generationis, & alia si-
milia infert non minus impropria, & fal-
sa,quam fundamentum,vnde colliguntur.
Dico ergo vlterius, illum hominem in eo
casu non solũ fore filiũ Virginis,sed eun-
dẽ filium. Quia habet eandẽ numero filia-
tionem,& in eadem numero natura, & ex
vi eiusdem generationis:nec obstat, quód
suppositum sit diuersum, quia (vt supra
dixi) etiã si duæ personæ eandem humani-
tatem assumant, essent vnus homo, ergo
in eo casu esset idem homo,licet esset diuer
sum suppositum, ergo pari ratione esset
idem filius. Qua propter non consequen-
ter loquuntur nonnulli recentiores Tho-
mistæ,quinegant,in eo casu posse illum ho
minem dici filium Virginis, cúm alias,cum
D. Thom. fateantur esse vnum,& eundem
hominem,si sit vna,& eadem natura,quã-
uis suppositasint diuersa. Neque enim re-
fert,quod simul,aut successiue eadem hu
manitas in vno,vel diuersis suppositis sub
sistat: quandoquidẽ sola vnitas naturæ ad
hanc vnitatem sufficere censetur;sicut pa
tet à simili, nam quemadmodum est vnus
artifex, qui simul habet plures artes, ita
etiam qui successiuè.

Sed instabis,ergo si Verbũ diuinũ nunc Obiectio.
dimitteret humanitatem,vt subsisteret nõ
in proprio,& creato supposito;sed in per
sona patris,pater esset filius Virginis,quia
esset idem homo, & in humanitate habe-
ret

ret eandem relationem filiationis; consequẽs est falsum, diximus enim supra, quòd si humanitas Christi prius in proprio supposito extitisset, licet postea assumpta esset à Verbo, Verbũ non esset filius Virginis. Responsio Respondetur negando simpliciter consequentiã: concedi quidẽ posset hunc hominem formaliter, quatenus hic homo est, esse filiũ Virginis, quia hic homo solũ dicit subsistens in hac humana natura, & hoc verè fuit genitũ ex Virgine, quamuis hoc suppositum, seu hoc subsistens non fuerit ab illa genitũ, & ideo nõ sequitur Patrẽ fuisse genitum ex Virgine, quia Pater iam dicit definitè, & quasi materialiter hoc suppositum, quod nec terminauit generationẽ ex Virgine, nec est de ratione huius hominis vt sic. Et ratio à priori est, quia quę hic homo facit, vel patitur non dicũtur de Patre, aut Verbo, nisi per cõmunicationẽ idiomatum: hæc autem communicatio nõ est nisi ratione vnionis; & ideo solum habet locum in iis, quæ fiunt post vnionẽ facta, non in iis, quæ antecedunt. Vnde etiã si Deus assumeret humanitatem hominis peccatoris, nõ diceretur Deus peccasse, eo quòd suppositum proprium illius humanitatis prius per illã peccasset, & similiter si Verbũ nunc dimitteret humanitatem, & pater eam assumeret, non diceretur pater redemisse homines, neque mortuus pro illis; Eadem ergo ratione nõ diceretur filius Virginis, quia hæc denominatio dicit ordinem ad præteritam actionem, seu passionẽ, quę nullo modo facta fuit in persona patris. Nec est omnino eadem ratio, si humanitas dimissa à Verbo in propria persona subsistere; incipiat duplex enim differentia intercedit. Prima, quia quando natura creata subsistit in proprio supposito, non potest hoc suppositum condistingui ab ipsa natura, & ideo non aliter possumus loqui de hoc supposito, quàm de hoc homine formaliter, ac propterea simpliciter dicimus hunc hominẽ esse genitũ, vel esse filium Virginis: at verò quãdo natura assumitur ab alia persona, suppositũ illud secundum se condistinguitur à natura, & ideo non fit cõmunicatio idiomatũ talis naturæ sub nominibus propriis illius suppositi, vel propriè naturę eius, nisi supposita vnione eiusdẽ cum alia natura. Secũda differẽtia est, quia subsistentia propria cõuenit naturæ ab intrinseco, & ideo, quã uis à principio fuerit diuinitus impedita, si post ea suæ naturę relinquatur, censetur habere eã subsistentiã ex vi illius actionis, & productionis, qua incepit esse, & ideo totũ id potest tribui, & referri in causã propriã, & principium illius naturę. At verò subsistentia alterius personæ nullũ habet fundamentum in natura, neque in actione qua recepit esse, & ideo, si illa persona non terminauit talem naturam in ipso generationis instanti, nulla ratione potest genita, vel filius denominari.

SECTIO. III.

Vtrum perseuerent nunc in Christo, & Virgine relationes matris, & filij.

RAtio dubitãdi esse potest, nã in Christi morte extincta vtraque relatio est. Quia sicut post illã mortẽ non mãsit hic homo, vt sic, neque humanitas, ita neque relatio filiationis, neque filius Virginis vt sic: ablato autẽ vno extremo necesse est tolli relationem in alio; sed resurgente Christo non videntur ex natura rei posse redire tales relationes, quia iam non habebat Christus esse hominis, ex vi maternæ generationis, illa enim causalitas iã habuit suum effectum, qui postea destructus est, & deinde per aliam actionẽ rediit idẽ secundum rem; non tamen formaliter vt terminus, vel effectus prioris actionis; relatio autẽ filiationis fundari videtur in huiusmodi esse vt causato per maternũ concursum, seu operationẽ, ergo per resurrectionẽ nõ rediit talis relatio, sicut nec fundamentum eius, quod fuit generatio. Et confirmatur, quoniã aliàs fieri non posset, quin inter personas, quarum vna semel aliam genauit, esset relatio realis, etiam si postea sępius esse desinerent, & aliis modis iterum producerentur.

Respondetur quæstionem hanc cõmunẽ videri omnibus aliis filiis, & matribus, quia nihil potest hic dici factum ex speciali miraculo; sed natura rei attendenda est, quia relatio habet talẽ modũ existendi, & incipiẽdi, vt positis fundamento, & termino necessario omnino resultet; illis autẽ nõ positis, fieri non potest relatio etiã de potentia absoluta: totũ autem fundamentũ harũ relationum est, quòd Christus homo semel fuit genitus ex Virgine, si ergo

hoc fundamentum sufficiens est, vt illæ relationes non solum durent durante illo esse hominis; sed etiam vt iterũ atque iterum pullulent, etiam si illud esse hominis interrumptum sit (vt ita dicam) si postea alia via sit instauratum; si hoc, inquam, sufficit in Christo, & Virgine, sufficiet in omni alia filiatione, & maternitate. Si autem in aliis nõ sufficit, nec in Christo sufficiet, & consequenter nec miraculosè potuissent tales relationes redire, quia fierent sine sufficienti fundamento, quod illis repugnat.

Videtur autem verisimile, illud fundamentum satis esse, vt hę relationes semper resultent. Quia semper est verum dicere hunc hominem fuisse genitum ab illa muliere; ex hoc autem intrinsecè sequuntur dictæ relationes. Item quia si Christus, & beata Virgo nunquam fuissent mortui, sed translati ad gloriam, non esset dubiũ, quin in eis perseuerarent dictæ relationes: solum quia semel Virgo genuit Christum: Sed hoc æquè verum est, etiam si extrema inter quę versantur illæ relationes, interdum defuerint, & postea redierint, sicut duę albedines, quę nunc sunt similes, retinent easdem numero relationes similitudinis, siue perpetuò durent, siue aliquando corrumpantur, & iterum producantur. Vnde non est, cur dicamus de ratione filiationis esse, vt subiectum eius proxima, seu vltima productione habuerit esse per generationem ex matre, sed satis est quòd aliquando traxerit originem ex matre; & ita, sicut res facta, seu prętęrita nõ potest iam non fuisse facta, seu prętęrisse, ita non est inconueniens, vt relatio filiationis semel habita, amitti non possit existentibus eius subiecto, & termino. Quod tandem ex modo loquendi confirmatur; Quia ita nunc absolutè loquimur de Christo, & Virgine, matrem, & filium eos appellando, prout nunc sunt in statu gloriæ. Quo circa addendum est vltimò (quidquid sit de metaphysica quęstione relationum) quod attinet ad matris dignitatem morali modo consideratam, certissimum esse, eam perseuerare in Deipara; imò nũquam fuisse imminutã etiã in triduo mortis Christi: quia licet tũc non esset hic homo, quẽ B. Virgo genuerat; verè tamẽ erat ille, quem genuit Virgo habens vnitas sibi partes illius humanitatis, quas ex Virgine

Maternitas, & filiation Virgine, & Christosem per durãt.

A accepit; quod satis est ad hanc matris dignitatẽ conseruandam, quę (vt supra dixi) magis moraliter, quã physicè explicanda est.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrúm Christus fuerit natus sine dolore matris.

AD *sextum sic proceditur. Videtur, quòd Christus non fuerit natus sine dolore matris.* 19 3. 2 2.q.164 art.2.ad.1. *Sicut enim mors hominum subsecuta est ex peccato primorum parentum (secundum illud Genesis. 2. Quacunque die comederis ex eo morte morieris) ita etiam dolor partus, secundum illud Genes. 3. In dolore paries filios. Sed Christus mortem subire voluit, ergo videtur, quòd pari ratione eius partus esse debuerit cum dolore.* ¶ 2. *Prætereà, Finis proportionatur principio. Sed finis vitæ Christi fuit cum dolore, secundum illud Isa. 53. Verè dolores nostros ipse tulit. Ergo videtur, quòd etiam in sua natiuitate fuerit dolor partus.* ¶ 3. *Prætereà, In lib. de ortu Saluatoris narratur, quòd ad Christi natiuitatem obstetrices occurrerunt, quæ videntur esse necessariæ parienti propter dolorem: ergo videtur quòd Beata Virgo peperit cum dolore.* ¶ *Sed contra est, quod Augustinus dicit in Sermone de Natiuitate, alloquens Virginem matrem. Nec in conceptione, inquit, inuenta es sine pudore, nec in partu inuenta es cum dolore.* In ser. 14. paulò á prin. to. 10.

¶ *Respondeo dicendum, quòd dolor parientis causatur, ex apertione meatuum, per quos proles egreditur. Dictum est autem suprà, quod Christus est egressus ex clauso vtero matris: & sic nulla violentia apertionis meatuũ ibi fuit, & propter hoc in illo partu nullus fuit dolor, sicut nec aliqua corruptio. Sed fuit ibi maxima iucũditas, ex hoc quòd homo* q.28 ar.2.

Deus

Deus est natus in mundum, secundum illud Isa. 35. Germinans germinabit sicut lilium, & exultabit lætabunda, & laudans.

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd dolor partus consequitur in muliere cõmixtionem virilem. Vnde Genes. 3. postquam dictum est. In dolore paries, subditur. Et sub viri potestate eris. Sed sicut dicit Augusti. in sermone de Assumptione beatæ Virginis, ab hac sentẽtia excipitur Virgo mater Dei: quæ quia sine peccati colluuione, & sine virilis admixtionis detrimento Christum suscepit, sine dolore genuit: & sine integritatis violatione, pudore virginitatis integro permansit. Christus autem mortem suscepit spontanea voluntate: vt pro nobis satisfaceret, non quasi ex necessitate illius sententiæ: quia ipse mortis debitor non erat.* ¶ *Ad secundum dicendum, quòd sicut Christus moriendo destruxit mortem nostram, ita suo dolore nos à doloribus liberauit: & ideo mori voluit cum dolore. Sed dolor parientis matris non pertinebat ad Christum, qui pro peccatis nostris satisfacere veniebat: & ideo non oportuit, quòd mater eius pareret cum dolore.* ¶ *Ad tertium dicendum, quòd Luc. 2. dicitur, quòd beata Virgo ipsum puerum quem pepererat, pannis inuoluit, & posuit in præsepio. Et ex hoc ostenditur narratio illius libri (qui est apocryphus) esse falsa. Vnde Hieronym. dicit contra Heluidium. Nulla ibi obstetrix, nulla muliercularum sedulitas intercessit, & mater, & obstetrix fuit. Pannis, inquit, inuoluit infantem, & posuit in præsepio. Quæ sententia, apocryphorum deliramenta conuincit.*

ca. 4. paulo à prin. incipit hic ser. Ad interrogata, & habeturto. 9.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrùm Christus debuerit in Bethlehem nasci.

A AD *septimũ sic proceditur. Videtur, quòd Christus non debuerit in Bethlehem nasci. Dicitur enim Isa. 2. De Sion exibit lex, & Verbum Domini de Ierusalẽ. Sed Christus est verè verbũ Dei, ergo de Ierusalem debuit prodire in mundum.* 194. Infra. q 46 ar. 10. 1. Et Mat. 2 co. 6. & opu. 60 cap. 4. col. 3.

¶ 2. *Præterea, Matt. 2. dicitur scriptũ esse de Christo, quòd Nazarenus vocabitur: quòd sumitur ex eo. quod scribitur Isa. 11. Flos de radice eius ascẽdet. Nazareth enim flos interpretatur: sed maximè aliquis denominatur à loco suæ natiuitatis, ergo videtur, quòd in Nazareth nasci debuerit, vbi etiã fuit cõceptus, & nutritus.*

¶ 3. *Præterea, Ad hoc Dominus natus est in mundo, vt veritatis fidem annuntiaret: secundũ illud Ioannis. 18. In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundũ, vt testimoniũ perhibeã veritati. Sed hoc facilius fieri potuisset, si natus fuisset in ciuitate Romana, quæ tunc dominatum orbis habebat. Vnde & Paulus Romanis scribens dicit, Rom. 1. Fides vestra annũtiatur in vniuerso mundo. Ergo videtur, quòd non debuerit in Bethlehem nasci.* C

¶ *Sed contra est, quòd dicitur Michææ. 5. Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel.*

¶ *Respondeo dicendũ, quòd Christus in Bethlehẽ nasci voluit duplici ratione. Primò quidẽ, quia factus est ex semine Dauid secundũ carnẽ, vt dicitur Rom. 1. Cui etiam facta fuerat repromissio specialis de Christo, secundũ illud. 2. Reg. 23. Dixit vir cui constitutũ est de Christo Dei Iacob. Et ideo in Bethlehẽ, de qua natus fuit Dauid, nasci voluit, vt ex ipso loco natiuitatis, promissio ei facta impleta ostenderetur. & hoc designat Euangelista dicens. Eo quòd esset de domo, & familia Dauid. Secundò, quia (vt Gregorio dicit in homil.) Bethlehẽ domus panis interpretatur. Ipse autem Christus est* B Hom. 8. in Euang. nõ procul à princip. & Beda in c. 5 super Lucã, tom. 2.

qui ait. Ego sum panis uiuus, qui de cælo descendi.

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd sicut Dauid in Bethlehem natus est, ita etiam Ierusalem elegit, vt in ea sedem regni constitueret, & templum Dei ibi ædificaret, & sic Ierusalem elegit, vt esset ciuitas simul regalis, & sacerdotalis. Sacerdotium autem Christi, & eius regnum, præcipuè consummatum est in eius passione: & ideo cõuenienter Bethlehem elegit natiuitati, Ierusalem verò passioni. Similiter etiam per hoc hominum gloriam confutauit, qui gloriantur de hoc, quòd ex ciuitatibus nobilibus originem ducunt, in quibus etiam præcipuè volunt honorari. Christus autẽ è conuerso, in ciuitate ignobili nasci voluit, & in ciuitate nobili pati opprobrium.* ¶ *Ad secundum dicendum, quòd Christus florere voluit secundum virtuosam conuersationem, non secundum carnis originẽ. Et ideo in ciuitate Nazareth educari voluit, & nutriri, in Bethlehem autem voluit quasi peregrè nasci. Quia, vt Gregorius dicit, per humanitatem, quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur: non secundum potestatem, sed secundum naturam. Et etiam (vt Beda dicit) in diuersorio loco egebat, vt nobis multas mansiones in domo Patris sui præpararet.* ¶ *Ad tertium dicendum, quòd sicut dicitur in quodam sermone Ephesini Concilij. Si maximam Romam elegisset ciuitatem, propter potentiam ciuium mutationem orbis terrarum putarent, si filius fuisset Imperatoris potestati vtilitatem ascriberent. Sed vt diuinitas cognosceretur orbem transformasse terrarum, pauperculam elegit matrem, & pauperiorem patriam. Elegit autem Deus infirma mundi, vt cõfundat fortia, sicut dicitur primæ ad Corinth. 1. Et ideo vt suam potestatem magis ostenderet, in ipsa Roma, quæ caput mundi erat, etiam caput Ecclesiæ suæ statuit, in signum perfectæ victoriæ: vt exinde fides deriuaretur ad vniuersum mundum: secundum illud Isai. 26. Ciuitatem sublimem humiliabit: & cõculcabit eã pes pauperis, scilicet, Christi, gressus egenorum, ideſt, Apostolorum Petri, & Pauli.*

homil. 8 in Euang. nõ remote à princip. capit. 2. in Luc. super illud. Et reclinauit eũ in præsepio, est c. 5. secundum ord. Bedæ tom 9.

COMMENTARIVS.

IN hoc etiam articulo, nihil explicandum occurrit in D. Thom litera. Quæ verò pertinent ad testimonium Mich. 5. fusius disputatione sequenti explicabuntur: vbi & examinanda sunt ea, quæ Caietanus notat circa solutionem ad secundum. Quæ verò scribit circa solutionem ad tertium, de sede Romana, quòd iure Diuino illius Episcopus sit vniuersalis Ecclesiæ pastor, ita vt ex præcepto Christi, hæc duo coniuncta esse necesse sit, ad hunc locum non spectant, & maiori, ac diligentiori examinatione indigent. Nam licet constet de iure Diuino esse, vt summus Pontifex sit caput totius Ecclesiæ, & Petri successor in Episcopatu orbis; non tamen ita constat esse de iure Diuino, vt ille idem sit Episcopus Vrbis. Sed de hoc aliàs. Testimoniũ autem quod D. Thom. affert ex Concilio Ephesin. habetur in tom. 6. illius appendice. 5 capit. 2. in oratione Theodori Ancyrorum Episcopi, de natiuitate Saluatoris.

ARTICVLVS OCTAVVS.

VTrũm Christus fuerit tempore congruo natus.

AD octauum sic proceditur. 195.
Videtur, quòd Christus non fuerit congruo tempore natus. Ad hoc enim Christus venerat, vt suos in libertatem reuocaret. Natus est autem tempore seruitutis, quo scilicet totus orbis præcepto Augusti describitur, quasi tributarius factus: vt habetur Luc. 2. Ergo videtur, quòd non congruo tempore Christus fuerit natus. ¶ *2. Præterea, Promissiones de Christo nascituro Gentibus nonfuerant factæ: secundum illud Ro-*

manor.

manor. 9. Quorũ sunt promissa. Sed Christus natus est tempore, quo Rex alienigena dominabatur: sicut patet Matthæ. 2. Cùm natus esset Iesus in diebus Herodis regis. Ergo videtur, quòd non fuerit cõgruo tempore natus.

¶ 3. Præterea, Tempus præsentiæ Christi in mundo diei comparatur, propter id, quòd ipse est lux mundi: Vnde ipse dicit Ioan. 9. Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est. Sed in æstate sunt dies longiores, quàm in hyeme: ergo cùm natus fuerit in profundo hyemis 8. Calendas Ianuarij, videtur, quòd non fuerit conuenienti tempore natus. ¶ Sed contra est, quod dicitur Galat. 4. Cùm venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege.

Respondeo dicendum, quòd hæc est differẽtia inter Christum, & alios homines, quòd alij homines nascuntur subiecti necessitati temporis; Christus autem tanquam dominus, & conditor omnium temporum, elegit sibi tempus, in quo nasceretur, sicut & matrem, & locum. Et quia quæ à Deo sunt, ordinata sunt, & conuenienter disposita: consequẽs est, quòd conuenientissimo tẽpore Christus nasceretur.

Ad primum ergo dicendum, quòd Christus venerat nos in statum libertatis reducere de statu seruitùtis. Et ideo sicut mortalitatem nostrã suscepit, vt nos ad vitam reduceret: ita (vt Beda dicit) eo tempore dignatus est incarnari, quo mox natus cẽsui Cæsaris ascriberetur, atque ob nostri liberationem ipse seruitio subderetur. Tempore etiam illo, quo totus orbis sub vno principe viuebat, maxima pax fuit in mundo, & ideo decebat, vt illo tempore Christus nasceretur, qui est pax nostra faciens vtraque vnum: vt dicitur Ephes. 2. Vnde Hieron. dicit super Isa. Veteres reuoluamus historias, & inueniemus vsque ad vigesimũ octauũ annum Cæsaris Augusti, in toto orbe terrarum fuisse discordiam: orto autem Domino, omnia bella cessauerunt, secundum illud Isa. 2. Non leuabit gens cõtra gentem gladium. Congruebat etiam vt in illo tempore, quo vnus princeps dominabatur in mundo, Christus nasceretur, qui venerat congregare suos in vnum, vt esset vnum ouile, & vnus pastor, vt dicitur Ioan. 10. ¶ Ad secundum dicendum, quòd ideo Christus, Regis alienigenæ tẽpore nasci voluit, vt impleretur prophetia Iacob dicentis Genes. penult. Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est. Quia vt Chrysost. dicit super Matt. quamdiu Iudaica gens sub Iudaicis regibus, quanuis peccatoribus, tenebatur, Prophetæ mittebantur ad remediũ eius: Nunc autem quando lex Dei, sub potestate regis iniqui tenebatur, nascitur Christus: quia magna, & desperabilis infirmitas, medicum artificiosiorem quærebat. ¶ Ad tertium dicendum, quòd sicut dicitur in lib. de q. Veter. & noui Testam. tunc Christus nasci voluit, quãdo lux diei crementum incipit accipere: vt ostenderetur, quòd ipse venerat, vt homines crescerent in lucem diuinam, secundum illud Luc. primo, Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent. Similiter etiam asperitatem hyemis elegit ad natiuitatem: vt ex tunc carnis afflictionem pateretur pro nobis.

leuabit gẽs contra gentem. to. 5.

homil. 2. in Matth. in ope. imperf. nõ lõge â princ. tom. 2.

In lib. q. ex no. Test. q. 53. tom. 4. inter opera August.

Super illud Luc. 2. Vt profiteretur cũ Maria, est c. 5. secundũ ordinẽ Bedæ tom. 2.

Super illud Isa. 2. Nõ

COMMENTARIVS.

CONstituit D. Thom. differentiam inter Christũ, & alios homines, quód alij subdũtur necessitati temporis, vt nascantur; Christus verò sibi nascendi tempus elegit. Vnde concludit fuisse conuenienti tempore natum, quia, quę à Deo sunt, ordinata sunt. Videtur autem nulla prorsus intercedere differentia. Quia Christus non vt homo, sed vt Deus elegit sibi tempus nascendi, vnde

vt homo etiam fuit subditus necessitati nascendi tali tempore à Deo præordinato; idem autem est in aliis hominibus, qui non nisi ex Diuina prouidentia certis temporibus nascuntur. Quare, si de Ioanne Baptista v. g. quæreremus, an conuenienti tempore natus fuerit, eadem ratio esset reddenda, scilicet, tempore á Deo prædefinito fuisse natum, & ideo tempus illud non potuisse non esse conueniens. Respondetur in primis non esse hoc loco disputandum, an Deus eodem modo omnium hominum natiuitates, & tempora prædefiniat; certum autem est tempus natiuitatis Christi singulari modo esse prædefinitum ex ratione Diuinæ bonitatis, & sapientiæ. Nec dubito, quin aliorum etiam hominum, præsertim singulariter electorum natiuitates, ac tempora eodem prædefiniantur modo. Itaque solum est differentia, quòd in Christo eadem persona sibi ipsi prædefiniuit tempus nascendi in assumpta natura; & ideo absolutè, & simpliciter hæc persona, seu hic homo per communicationem idiomatum, dicitur sibi prædefiniisse tempus nascendi. Nisi fortasse quis dicat, quanuis Christus vt homo non potuerit sibi eligere tempus nascendi in vtero matris, quia necessario supponitur homo, & consequenter natus in vtero; potuisse tamen sibi eligere tempus, & horam natiuitatis extra vterum: quod profecto est probabile, quanuis non sit D. Thom. sensus, neque ad rem admodum pertinens. Tum quia illud tempus non tam fuit prædefinitum à Christo, vt homine, quàm voluntariè susceptum ex prædefinitione Diuina. Tum maximè quia suppositа priori natiuitate in vtero, ex illa necessario ordine naturæ definitum fuit tempus nascendi extra vterum; supposito tali corporis temperamento, & aliis circunstantiis, quæ in illa natiuitate fuerunt.

Tempus natiuitatis Christi, singulariter à Deo prædefinitum.

Genes. 49

In solutione ad secundũ attigit D. Thomas expositionem illius loci Genes. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, &c.* de quo in prima disputatione Tomi superioris fusè disputatum est.

DISPVTATIO, XIII.

In quatuor sectiones distributa.

A *De natiuitate Christi, ex vtero matris.*

POstquam de conceptione, & natiuitate Christi in vtero matris dictum est, sequitur, vt de mysterio Virginei partus, quo Christus in lucem est editus, disseramus. Quoniam autem (vt in superioribus diximus) in his disputationibus eam dicendi rationem tenere curamus, qua vniuersam simul vitæ Virginis seriem texamus, ac explicemus, ratio temporis postulabat, vt si quid notatu dignum in illis nouem mensibus, quibus Christus in visceribus matris latuit, actum est, illud adnotaremus; sed de illo tempore nihil in scripturis, vel monumentis fide dignis habemus, nisi quod Lucas narrat, de visitatione Elisabeth. Statim enim post filij conceptionem, C eadem fortasse die (vt Euangelista innuit) comite Sancto Ioseph (vt decentius, ac verisimilius abomnibus prudenter iudicatũ est) in mõtana perrexit Virgo, nõ vt in fide confirmaretur, *nec quasi incredula de oraculo* (vt Hæretici calumnĩantur) *sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, & festinans prægaudio*, (vt dixit Bernard. hom. 4. super *Missus est*, & Ambros. & alij expositores Luc. 1.) Ait autem Euangelista ibi permansisse *quasi mensibus tribus*: An verò tempore natiuitatis Baptistæ presens affuerit, dicemus infra, cùm de Ioanne Baptista disputabimus. Post illud ergo tempus reuersa est in domum suam, scilicet in ciuitatem Nazareth: & postea accidit quod Matth. narrat de suspicione, ac turbatione Sancti Iosephi, deq; Angeli apparitione. Qua de re supra, cùm de matrimonio Virginis, & de Sancto Iosepho disputauimus, nonnulla diximus. A propinquante itaque partu, tẽpore profecti sunt Bethlehem, vbi Christus natus est. De hac igitur natiuitate, primùm videndum est qualis fuerit, deinde de circunstantiis loci, ac temporis: de signis verò, ac prodigiis, quæ in illa contigerunt, dicemus commodius in disputatione sequenti.

Maria cur visitat Elisabeth.

Bernard.

SECTIO. I.

Vtrum vere, ac proprie Christus fuerit natus ex Virgine.

Non

NOn defuerunt, qui negarint Christum propriè natum esse ex Virgine, quia non naturali, & ordinaria via; sed alia nescio qua ex Virgine prodiit, quod fortasse dixerunt, vt eius Virginitati, & integritati consulerent. Ad quem errorem accessit Gotfredus quodli. 7. quæstio. 6. dicens Christum non fuisse natum transeundo per medium: sed ab extremo in extremum immediatè transiliendo. Hoc enim facilius ei visum est, quàm quòd interiacentia corpora penetrauerit absq; ruptione. Quam sententiam inter alias refert Duran. in. 4. distinctione. 44. quæstione. 6. & illi non admodum displicet.

Gotfred.

Durand.

Dicendum verò est, beatam Virginem verè, ac propriè peperisse Christum, ipsumq; verè, ac propriè natum esse ex Virgine. Est conclusio certa de fide. Probatur prior pars, apertissimis scripturis, Isai. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet*, tam verè ergo peperit, quàm concepit. Matth. 11 *Pariet autem filium*, & infra. *Non cognouit eam, donec peperit filium*. Si ergo est verus, ac proprius filius, etiam est verus, ac proprius partus; vel si alterum impropriè exponimus, cur non etiam alterum? Et Luc. 2. *Completi sunt dies, vt pareret, & peperit filium suum primogenitum*. Secundo probatur ex difinitione, & traditione Ecclesiæ, in Concilio Lateranensi, sub Martino, primo, consul. 5. can. 3. definitur beatam Virginem verè, & propriè fuisse Dei genitricem, *quia veraciter ipsum Deum concepit, & incorruptibiliter genuit*. Idem traditur in Concilio Chalcedonensi, acto. 5. in confessione fidei, vbi etiam approbatur Epistol. 11. Leonis Pap. ad Flauianum, in cuius capit. 1. ita ad rem præsentem loquitur. *Non ita intelligenda est illa generatio singulariter mirabilis, & mirabiliter singularis, vt per nouitatem creationis, proprietas remota sit generis?* Quæ verba tam ad conceptionem, quàm ad partum accommodari possunt. Et eandem veritatem docent omnia Concil. & Patres, quos statim referam, & rationem assignabo. Ex hac vero priori parte necessariò sequitur posterior. Nam illa duo, scilicet, partus, & natiuitas correlatiua sunt. Vnde alibi scripturæ locis Christus natus dicitur. Ioan. 18. *Ego in hoc natus sum*, & Isa. 9. *Paruulus natus est nobis*. Et dicto Concilio Lateranense, can. 4. definitur *propriè, & secundum veritatem duas esse in Christo natiuitates*. Idem in 5. Synodo, collat. 8. can. 2. & in. 6. Synodo act. 11. in Epistola Sophronij, & in. 1. Epist. Cyril. ad Nestor. quæ in Concilio Ephesino habetur, *Verbũ Dei sustinuisse*, dicitur, *generationem carnalem, carnis suæ natiuitatem suam faciens, & ideo vere prodisse ex Virgine, & natum esse carnaliter*: & similia habentur in Epistol. Cyrilli cum Concilio Alexan. ad eundem Nestor. quæ in Ephesino recipitur, & approbatur: Idem docet egregiè. Damasc. lib. 3. de fide capit. 7. Fulgentius, libr. de fide ad Petrum capit. 2.

Isai. 7.
Matth. 1.
Virgo verè, ac propriè Christum parit.
Luc. 2.
Conc. Lateranens.
Con. Chalcedonen.
Leo. Pap.
Natiuitas Christi ex Virgine vera, & propria.
Ioan. 18.
Isai. 9.
Conc. Lateranens.
5. Synod.
6. Synod.
Concil. Ephes.
Cyril. Alexandri.
Conc. Alexandri.
Damasc.
Fulgent.

Ex hac cõclusione sequitur, primo, Christum exiuisse de vtero Virginis per naturalem viam, qua reliqui homines nasci solent. Quod Damas. lib. 4. cap. 15 his Verbis docuit. *Conceptio quidem per aurem contigit, procreatio autem per eam partem, qua fœtus in lucẽ oriri consueuit*. Ratio est, quia hoc est de ratione veri partus, veræq; natiuitatis. Congruentia verò tam conclusionis, quam huius consectarij est, quia Deus non tantum voluit fieri homo; sed etiam filius hominis, & fœminam quandam voluit esse veram Dei matrem; non essent autem vera mater, & verus filius, nisi esset verus partus, & vera natiuitas; vnde elegantèr dixit Nazianzen. orat. 51. quæ est Epist. 3. ad Cledon. *Christum Diuino modo genitum esse, quia sine opera viri, & humano, quia iuxta pariendi consuetudinem*. Et non minus sapienter idem Nazian. oratio. 16. de amore pauperum, non longe á principio dixit, *voluisse Deum, non tantum naturam, sed etiam natiuitatem nostram honorare, & ideo vtramq; assumpsisse, cum omni proprietate, absq; macula tamen, vel indecentia, prout Deũ decebat*. Et confirmatur, quia quidquid aliud dicatur, sine fundamento, & necessitate dicitur: & præsertim quia asserere transitum ab extremo in extremum sine medio, maius fortasse, miraculum est, remq; obscuriorem, & difficiliorem reddit. Video tamen posse aliquem multa ex his, quæ adduximus de natiuitate in vtero interpretari; dicendum verò est multa ex illis necessario intelligi de natiuitate extra vterum; alia verò ad illam etiã extendi, quatenus ad quoddam complementum, & perfectionem matris hæc natiuitas pertinet.

Nazian.

Virgo acti uo impulsu Christum emittit ex vtero.

Secundo colligitur ex eadem conclus. B. Virginem ad partum Christi, non merè passiuè: sed aliquo modo agendo, & quasi impellendo concurrisse ad fœtum emittendum. Hoc enim ad partus, & natiuitatis veritatem pertinet, quoniam alias non ipsa Virgo peperisset Christum; sed vel ab aliqua extrinseca causa eductus esset ex vtero, vel certè ipse virtute sua ex vtero exiuisset, sicut egressus est de sepulcro. Beata igitur Virgo, vt vera sit mater, eum impulsum, vel efficaciam, quam aliæ matres solent, in suo partu ad emittendam prolem adhibuit. Vnde Ecclesia canit, *enixa est puerpera Regem.* Et confirmari hoc potest, quia in hoc nulla est difficultas, neque indecentia. Nam efficere per se potius ad perfectionem pertinet, & potuit fieri sine vllo labore, aut violentia: præsertim cũ Diuina virtute factum sit, vt sine vlla resistẽtia, vel repugnãtia id fieret, sicut supra cùm de Virginitate Mariæ ageremus, declaratum est, vbi fundamentum contrarij erroris dissoluimus, latius de illo dicturi infra, agentes de Christi resurrectione. Quo in loco ostendemus posse vnum corpus simul cum alio in eodẽ loco existere. Quod (vt Augustinus inquit lib. 22. de Ciuitat. capit. 8.) *illi soli nõ credunt, qui etiam dominum Iesum per integra virginalia matris enixum, & ad discipulos ostiis clausis ingressum non credunt.*

Augustin.

SECTIO. II.

Vtrum Christi natiuitas absq; dolore matris, & sordibus puerperij perfecta sit.

NEminem ex iis, qui Deiparam virgini in partu permansisse crediderunt, inueni, qui asseruerit cum dolore peperisse; hæc enim duo consentanea esse non possunt: non defuerunt tamẽ, qui sordibus puerperij eam putarint obnoxiam. In quam sententiam inclinauit Abulen. super capit. 12. Leuitic. quæstio. 2. 3. 4. & 13. & clarius in 20. Idem asseruit Erasmus Luc. 2. Caietan. verò hic articul. 6. circa ad 3. partum descendit in hanc sententiam, partim eam corrigit. Dicit enim, intercessisse in illo partu omnia, quæ non ex peccato, sed ex natura sunt, quæq; in statu innocentiæ extitissent: addit verò, Angelorum ministerio prouisum fuisse, vt nulla necessaria esset ablutio: *vt & manus Virgineæ* (inquit) *ab huiusmodi obscuris seruarentur mundæ, & mens ipsius ad tanti gaudij fructus magis vnita esset.* Ratio huius sententiæ esse potest, quia vt constat ex Aristot. 2. de Gener. Animal. capit. 4. & Gal. lib. de formatione fœtus, quando homo concipitur, membranæ quædam in vtero matris formantur, in quibus fœtus inuoluitur, & intra illas vsque ad tempus natiuitatis continetur, quæ licet varia habeant nomina, & officia (quorum explicatio non est huic loco necessaria) vulgari tamen appellatione *secundinæ* dicuntur, & hæ rumpuntur tempore natiuitatis, vt proles exeat, post cuius natiuitatem mater secundinas emittit, & copiam sanguinis, qui ad nutrimentum prolis illic fuerat congregatus. Certum igitur videtur Christi corpusculum, intra huiusmodi membranas fuisse conceptum, aliàs nec naturalem statum habuisset in vtero matris, nec naturali modo potuisset alimentum exsugere, nec excrementa emittere; neque ab externis alterationibus tueri, ad quæ munia huiusmodi membranæ à natura sunt datæ: si igitur Christi corpus, quandiu fuit in vtero matris, his est secundinis inuolutum, necesse fuit tempore natiuitatis rumpi, vel alio modo illis expoliari, vt aliis hominibus accidit, ergo necessarium etiam fuit beatã Virginem extra corpus suum illas emittere (erant enim iam superfluę, & quasi excrementa quędam) cum hac autem emissione, sanguinis etiam emissio coniuncta est.

Aristot. Gallen.

Secundinæ quid.

Dicendum verò est primò: beatã Virginem peperisse absq; vllo dolore. Probatur primo, ex patribus, Gregor. Nazian. in Tragedia de Christo patiẽte, circa princip. Virginem introducit de se dicentem. *Parens expers laboris, & doloris extiti.* Gregor. Nyssen. oratio. 1. de resurrectione, idem docet, & Damascen. lib. 4. de fid. capit. 15. qui accommodant illud Isai. 66. *Antequam parturiret, peperit, & antequam perueniret partus eius, peperit masculum,* vbi septuaginta legunt, *antequam veniat dolor parturientium, effugit, & peperit masculum:* Idem docet Augustinus serm. 14. de Nati. & serm. 1. de Assumptione. Fulgent. serm. de laudib. Virgi. Bern. hom. 3. in *Missus est* &

Partus Virginis sine dolore.

Greg. Nazian.

Greg. Nis. Damasc. Isai. 66.

Augustin. Fulgent. Bernard.

Abulens. Erasm. Caietan.

& serm. 4. in vigilia natiuitatis, vbi eleganter tractat, quomodo Virgo tam a pœna pariendi cum dolore, quàm ab sterilitatis maledictione fuerit immunis. Denique Ecclesia in officio natiuitatis canit. *Nesciens Virgo virum, peperit sine dolore saluatorẽ sæculorum.* Vltimo probatur rationibus. Prima est (qua sancti Patres vtũtur,) quia dolor partus respondet libidini, & voluptati conceptionis: Vnde Damascen. supra. *Quã voluptas, inquit, nõ antcinit, nec dolor qui dem in partu sequutus est.* Secundo, quia maximè decebat Christum, vt ortu suo nullũ prorsus incõmodum etiam temporale matri afferret, præsertim cum facillimè posset huiusmodi nocumentum vitare. Tertia, & propria ratio philosophica est illa D. Thom. quia dolor oritur ex diuisione, aut violenta compressione, vel relaxatione partium, ostensum autem est nihil horũ passam fuisse B. Virginem.

Damasce.

In partu Virgo secũ dinas nõ emisit.

Canõ. Trul lan.

Dico secundo, B. Virgo in partu suo non emisit secundinas. Hæc conclusio asserta est â Patribus in Trullo congregatis Can. 79. his verbis. *Absque vllis secundinis ex Virgine partum esse confitentes, vt qui sine semine constitutus sit, idque toti gregi annunciantes eos qui propter ignorantiam aliquid faciunt, quod non decet, correctioni subijcimus.* & infra subdit, *non licere ex communibus, & ijs, quæ in nobis fiunt, inenarrabilem Virginis partum, quæ supramentem, & sermonem Verbum peperit, definire, metiri, ac describere.* Quæ definitio magnam habet autoritatem quoniam illi canones, preterquam quòd plusquam â ducentis viginti Patribus æditi sunt, in septima Synodo actione. 7. can. 1. approbati videntur, vt Surius adnotauit. Qui etiam aduertit eandem Synodum, & Florentinam, & Adrianum, ac Michaelem summos Pontifices horũ canonum autoritate vsos fuisse. Et quanuis quorũdam Græcorum temeritate aliqui eorum deprauati esse dicantur, hic tamen (de quo agimus) nunquam in dubium reuocatus est. Illud tamẽ valde huius canonis vim, atque efficaciam minuit, quòd aliqui codices non legũt, *absque secundinis*, sed, *absque vllo dolore*, & ita vertit Iouerius in suis sanctionibus Ecclesiasticis. Ego vero, cùm originale græcum cõsulere non potuerim, quòd illo caream, non possum de alterutra versione certum ferre iudicium: si tamen intentionẽ illius decreti spectemus, verisimile est mentem illorum Patrum fuisse, quam Surius explicuit. Reprehendunt enim ibi quorundam consuetudinem, qui in honorem secundinarum impollutæ Virginis, quasdam obseruabant cæremonias, & rationẽ reddunt quia non est honor Virginis illi attribuere, quæ cæteris parientibus communia sunt. Inte dunt ergo negare huiusmodi secundinas in partu virgineo. Et hanc conclusionem confirmabunt, quæ in sequenti afferemus.

7. Synod.

Surius.

Iouer.

Dico ergo. Tertio, Virginis partũ, Christique natiuitatem purissimè sine vllis sordibus fuisse perfectã. Probatur primo ex Patribus, in. 6. Syno. act. 11. Sophronius in sua epistola partum Virginis vocat *incorruptibilem*, quia scilicet *sine fluxu sanguinis, aut simili passione perfectus est*, & simili ratione Epiphanius lib. 3. cont. hæres. in fine. *Natus est*, inquit, *per genitales meatus citra pudefactionem, impollute, absque inquinamentis.* In eandem sententiam conspirant Nazian. in tragædia, Christus patiens, column. 10. & 11. Cyprian. in serm. de natiuit. Christi. *Maria*, inquit *genitrix, & obstetrix, nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio.* vbi alia multa habet ad idem propositum. Item Aug. 29. cont. Faustũ. cap. 3. & 4. & lib. de quinque hæresibus cap. 5. *stulte*, inquit, *Vnde sordes in Virgine matre, vbi non est concubitus cum homine patre?* Denique D. Th. hic art. 6. ad. 3. in eadem est sententia. Negat enim, & merito cum Hieron. lib. contr. Eluid. interfuisse in partu Virginis obstreticum ministerium, aut mulierũ sedulitatẽ, quæ non parum fuisset necessaria, si B. Virgo sordibus puerperijs fuisset obnoxia. Et quanuis Caietan. propter hãc causam adhibendum putauerit angelicum ministerium: non videtur tamen necessariũ, nec expediens in hoc negotio alterius creaturæ, præterquàm ipsius Virginis operam interpositam fuisse. Et confirmatur. Nam propter hanc causam docẽt sancti Patres infra referendi. B. Virginem non indiguisse purificatione, quia *germinãs germinauit sicut lilium*, si licet verba Isa. 35. accommodare. Vnde Cyprianus. supra eleganter dicit prodijsse Christum ex Virgine, *sicut fructum ex arbore, aut sicut radiũ ex sole*, quibus, & alijs exemplis explicant sancti Patres summam puritatem, & munditiam illius partus. Ratione tandem declaratur: nam hæc conclusio ex præcedenti sequi-

Natiuitas Christi sine sordibus facta.

Sexta Syn.

Sophron.

Epiphan.

Gre. Naz.

Cyprian.

Aug.

D. Thom.

Hieron.

Caietan.

Isai. 35.

Cyprian.

tur. Sunt autem, qui existimẽt posse inter A dum naturaliter fieri, vt mulier sine huiusmodi secundinis, aut sordibus pariat.

Cornel. Iansen. Quod indicare visus est Corneli. Iansen. in concord. cap. 10. citans Aristotelem: tamen neque Arist. id asserit, neque videtur naturaliter possibile. Tractat quidem hac de re Arist. lib. 7. de Hist. Anim. & cap. 9. dicit, interdum emittere fœminam parientem saniem pallidam, interdum cruentam, & subdit nonnullis neutrum accidere: nõ tamen dicit alicui accidere partũ sine emissione secundinarum, aut sanguinis, & aliorum excrementorum, vt ex sequenti cap. manifestè constat. Et ratio id conuincit, quia ille modus conceptionis est à natura præscriptus, & fieri non potest, quin nouem illis mensibus, quibus puer alitur in vtero, aliqua excrementa, & sanguinis copia congregata sint, quę in partu necessitate quadam naturali expelluntur. Non oportet igitur in naturali actione fundari: sed operę prętium est fateri miraculum aliquod fuisse necessarium, vt Christi natiuitas dicto modo fieret: sed illud miraculum maximè decebat & tanti filij dignitatem, & Virginis puritatem. Et sicut expediens fuit, vt Christus nascendo non esset matri alicuius doloris causa, ita quoque, vt nullam ei corporalem immunditiam, aut indecentiam afferret. Vnde, licet hoc miraculũ non sit in euangelio expressum: ex ipsa tamen rei decentia pijssimè creditur, accedẽte præsertim Patrũ, (quos attulimus) autoritate. Et in Euangelio nonnullum habemus indicium, dicente Luca. cap. 2. *peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio.* Quibus verbis insinuatur nullam aliam actionem, mundationem vè in eo negotio intercessisse, aut fuisse necessariam, vt Hieron. ponderauit, contra Eluidium, & D. Tho: hic ar. 6. ad. 3. & benè Caietan.

Aristot. Partus fœminarũ naturaliter nõ est sine sordibus.

Luc. 2.

Hieron. D. Thom. Caietan.

Dupliciter autẽ explicari potest hoc miraculum. Primo, vt Christi conceptio facta fuerit absque illis membranis, & secundinis. Quod fieri potest verisimile, tũ quia miraculosè Spiritus sancti virtute conceptus est, tum etiam quia videtur cessasse illarum necessitas. In naturali enim conceptione incipit secundina formari, vt genitura cõplectatur, in qua vis seminis inest, vt ita paulatim formetur fœtus. Hæc autẽ ratio in Christi conceptione cessauit, quia momento perfecta est absque semine, & absque impuro sanguine matris, ex quorũ concursu, & actione vnius, & alterius dispositione generatur hęc membrana crassa, sicca, & duriuscula. Si autem Christus in vtero matris non fuit inuolutus his membranis, absque nouo miraculo factum est, vt in natiuitate inuentæ nõ sint, ablatis autem secundinis facile intelligitur ratio, ob quã nullę alię sordes inuẽtæ fuerint, nec sanguinis emissio, quia hęc omnia potissimũ eueniũt in aliorũ partu ex diuisione secũdinarũ, in quibus illa omnia congregantur. Hic vero dicendi modus, quanuis fieri potuerit necesse tamen est, vt multa miracula congerat ferè continua illis nouem mensibus, vt in principio huius sectionis argumẽtabamur. Duo tamẽ sũt præcipua. Alterũ pertinet ad alimẽtũ fœtus, quia fœtus per vmbilicũ secũdinis copulatur, per quas fugit sanguinem à matre, & ideo secũdinę plenæ sunt venis, Vnde si Christi corpusculum his membranis caruisset, non potuisset naturaliter ali. Nisi fortasse verũsit (quod aliqui dicunt) pręter has membranas prodire ex venis matricis fœminę quosdam veluti funiculos, quibus fœtus coniungitur matri in vmbilico, vt nutriatur. Nam si hoc verum est, facile intelligitur fieri potuisse, vt Virgo non haberet tempore partus superfluum sanguinẽ, quem euacuaret, sed solum sanguinem purissimum, qui & ad sui corporis, & filij nutritionem sufficeret. Alterum miraculũ est C quia non poterat naturaliter corpus Christi in vtero Virginis non habere aliqua excrementa, oportuisset ergo vel illa inijcere in matricem Virginis, quod nec decebat, neque est ordini naturæ consentaneũ, vel certè fieri miraculosè debuit, vt alia via resoluerentur.

Alius modus explicandi hoc miraculum facilior esse videtur, si dicamus Christum quidem fuisse conceptum membranis inuolutum, & ita habuisse in vtero matris statum omnino naturalem: tempore autem natiuitatis, sicut prodijt per naturales vias sine ruptione claustri virginalis, ita etiam exuisse illas membranas eas penetrãdo absque ruptione, atque hac ratione purũ, ac nudum ex vtero matris elapsum fuisse. Membranas autem illas, cum omni sanguine, & excrementis in illis conclusis nõ fuit necesse in lucem hanc prodire post Christum na

stum natum: sed diuina virtute fieri potuit, vt vel in aliam materiam resoluerentur, vel alio miraculoso modo in alium cõ uenientem locum transferrentur. Primũ quidem, vt partus Virginis omni ex parte esset purissimus, eiusque integritas, ac virginitas ex illius modo manifestaretur. Deinde, quia cùm secundinæ sint corpus densum, ac durum, non poterant ex vtero Virginis exire absque ruptione claustri virginalis sine miraculo penetrationis, vel transitus ab extremo in extremũ sine medio. Cum ergo necessarium fuerit aliquod miraculum, credendum est Deum illud elegisse, quod & dignitati mysterij accommodatius esset, & facilius, vt omnia possint optimè expediri. Nam (vt doctè dixit Caietan.) hæc secreta miracula, quæ aliena sunt ab omni suspicione, maximè decuerunt Christum, etiam in tempore infantiæ propter matris obsequium, & vt suauius omnia disponerentur, & citius expedirentur. Addit præterea & rectè, hęc omnia cõduxisse ad confirmationem, & augmentũ fidei Ioseph, qui cum matre adorabat natum mundi dominum.

Hieron. Denique circa hanc rem obseruatione dignus est locus Hieronym. libro. cont. Eluid. vbi ad illum loquens, sic inquit *Iunge, si libet, nostras contumelias, nouem mensibus verum intumescentem, fastidia, partum, sanguinem, pannos, non erubescimus* Hæc enim verba per exaggerationẽ intelligi possunt, sensu quasi conditionato, vt quando alteri respondendo dicimus, etiam si totum, quod assumit, concedatur, nõ sequi, quod intendit. Sic inquit Hierony. licet necessarium esset concedere aduersario illa, quę in humana conditione vilia, & abiecta esse videntur, non propterea negandum fuisse Christum natum esse ex Virgine, & illam virginem permansisse. Quo fit, vt si necessarium non sit omnia illa concedere, magis conuincatur hæreticus, quòd sine occasione, vel causa in illam sententiam inciderit. Et quia reuera illa concedere non erat necessarium, quasi se corrigens subdit Hieron. *sed, vt hæc, quæ scripta sunt, non negamus ita illa, quæ non sunt scripta, renuimus.* Quæ Hieron. responsio satisfacere posset huic loco, nisi idem Hieron. in epist. 22. ad Eustoch. de custodia Virginitatis, mentem suam amplius explicuisset, dicens, *Nouem mensibus in vtero vt nascatur expectat, fastidia sustinet, cruentus egreditur.* Quorum verborum nullam commodam expositionem inuenio, nihilominus sententia a nobis explicata magis probanda videtur.

SECTIO. III.

Quo in loco natus sit Christus.

TRia loca huius gloriosæ natiuitatis possumus ex Euangelistis colligere, Bethlehẽ, diuersorium, ac præsepe, vt vnus sit veluti proprius, alius communis, tertius communior, quique pluribus pateret. De singulis igitur aliquid breuiter adnotandum.

Christus nascitur in Bethlehem Iudæ. *Matth. 2.* *Luc. 2.* *Mich. 5.* *Ioan. 7.*

Primùm itaque, Christum natum esse in Bethlehem Iudę, fide constat ex Matthæo & Luca, & ęqua certitudine constat, fuisse prædictum à Michea cap. 5. Messiam nasciturum fuisse in Bethlehem, ita enim Mat. cap. 2. & Ioan. c. 7. illum locum interpretantur. Nam quanuis dici possit, eos nõ interpretari, sed referre, quod sacerdotes, & scribę, alijque dicebant: tamen reuera eam interpretationem approbant, imò ideò referũt, vt doceant impletum fuisse in Christo, illud signũ Messię, quod inter Iudæos communi omnium erat consensione receptum, eó quòd in scriptura esset expressum Neque ad alium applicari possunt illa verba, *ex te enim exibit dux, qui regat populum meum Israel.* Non enim possunt attribui Dauid, cùm multo ante hanc prophetiã, quæ de futuro loquitur, natus sit: neque Zorobabeli, qui natus est Babylone: neque alicui alteri, nullus enim alius dux Israel post illam propheriam ortus est ex Bethlehem.

Obiectio. Sed dicent Hebręi, etiam Christum nunquam fuisse ducem, aut dominum populi Israel. *Responsio* Respondemus, vel non esse sermonem de Israel secundum carnem, nec de principatu, aut dominio temporali: sed de Israel, & duce, ac pastore spirituali, de quo dictum est Oseæ 1. *Congregabuntur filij Iudæ, & filij Israel pariter, & ponent sibimet caput vnum,* & Hierem. 31. *Ecce dies venient, dicit dominus, & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum,* & infra, *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Vel etiam addere possumus Christum esse ducem populi Israel. Multi enim à principio Euangelicæ prędicationis illi nomina dederunt, & plures quotidie cõuertuntur, & in fine seculi omnes tandem illi

Oseæ. 1. *Hiere. 31.*

subijciẽ

subijcientur. Illud vero in prædictis testimonijs obseruandum est, Micheam prædixisse Christum nasciturum in Bethlehem Ephrata, Matthęum tamẽ referre, illum natum esse in Bethlehem Iudę. Hæc tamen nulla est differentia, quę ad rem pertineat: eadem enim vrbs Bethlehem olim dicta est *Ephrata*, vt patet Gen. 35. & 48. & Psal. 131. quem ad hoc mysterium accommodat eleganter Hieron. epist. 27. dicens, Dauidẽ in verbis illis. *Si introiero in tabernaculum domus meæ &c. donec inueniam locum domino*, explicasse desiderium, quo tenebatur cognoscẽdi hoc mysterium, & statim occulis prophetalibus illud agnouisse dicens. *Ecce audiuimus eũ in Ephata, inuenimus eũ in cãpis syluæ.* Hæc autem Bethlehẽ erat in sorte Iudæ nõ procul ab Ierusalem, (vt ait Euseb. lib. 7. de Dem. ca. 2.) id est, vel triginta quinq; stadijs, vt ait Iustinus Apolo. 2. vel sex milliarijs vt scribit Hieron. de locis hebraicis, & ideo dicta etiam est, Bethlehem Iudæ, vt distingueretur ab alia Bethlehem, quæ erat in tribu Zabulon, vt constat Iosue. 19. & notauit Hieron. in Mat. & lib. de locis Hebraicis. Qui etiã animaduerrit vtrumque nomen mysterio natiuitatis Christi rectè adaptari. Bethlehem enim *domus panis*, interpretatur, Ephrata autem *fructifera*, Christus autem & panis est vitæ, & præcipuus vniuersi fructus. Quanquam enim hæc nomina non fuerint ab hominibus propter hoc mysterium imposita: sed vel propter illius terræ pinguedinem, ac fęcunditatem, vel (vt alij volunt) appellatione sumpta ab aliquibus prisci hominibus, de quibus mẽtio fit 1. Paralip. 4. diuina autem prouidẽtia fieri potuit, vt mysterio â se prædefinito nomina congruerent. Vnde etiam ratio colligitur, ob quam, Christum eo loco nasci oportuit, scilicet, vt in eo, quod per prophetam dictum fuerat, impleretur. Prædictum autem fuit, vt hoc esset nobis vnũ ex certis signis aduentus Messiæ.

Gen. 35. et 48. Psalm. 131 Hieron. Euseb. Iustin. Iosue. 19. Hieron.

A B C

Dices, sed cur prædefiniuit Deus, vt in hoc loco potius, quàm in alio nascereturObiectio. Respondetur si generatim loquamur, & consideremus Bethlehem, vt erat patria Dauid, non alia ratione elegit eam, quàm ipsum Dauid, scilicet sua voluntate, & beneplacito: postquam autem elegit nasci ex Dauid, decuit in patria illius nasci, vt locus *Bethlehem in natiuita-* ipse natiuitatis originem demonstraret. *tem Christi* Si verò consideretur Bethlehem vt erat exi- *erat electa.* gua, & humilis ciuitas, eadem ratione electa est, qua Christus humilem, ac pauperem nascendi modum elegit. Vnde ser. 1. de Epiphan. inquit Leo. *Sed qui serui susceperat formam, Bethlehem prælegit natiuitati, Ieroso lymam passioni.*

Respõsio

Sed hinc oritur grauis difficultas ex loco Mich. 5. prout ab ipso scribitur, & â Matthæo refertur cap. 2. ille enim Bethlehem ciuitatem minimam, ac paruam appellat, dicens, *& tu Bethlehem Ephrata minimus es in millibus Iuda*, Matth. autem, *Nequaquam minima es.* Quæ videtur aperta contradictio, in qua dissoluenda tam Hieron. quam alij desudarunt. Sed quoniam & ad nostrum institutum non multum refert, & ab alijs diligenter tractata est, præsertim â Cornel. Iansenio cap. 9. Concordiæ, & â Francisco Ribera Mich. 5. ideo breuiter tantum adnotabo, nonnullos ex Patribus antiquis tã Græcis, quàm Latinis citare hoc testimonium Mich. cum negatione, vt videre licet in Iustino in dial. cont. Triphon. Cyri. Alexan. libro. 2. de fide ad Reginas sub titulo, quòd Christus sit Deus, Orig. lib. 1. contr. Cels. satis post med. Tertull. lib. contr. Iudæos cap. 12. Cyprian. lib. 2. testimon. cap. 12. & Aug. 18. de Ciuitat. cap. 30. Chryst. in demõstratione, quòd Christus sit Deus, imò & Hieron. epist. 27. eodem modo legit, & Euseb. lib. 6. de Demon. cap. 13. quanuis libro. 2. demonstratione. 51. & libro. 7. demonstratio. 4. negationem non adhibeat. Vnde conijci potest aliqua exemplaria Græca habuisse illam negationem, (vt indicatur in noua editione septuaginta interpretum iussu Sixti quinti edita) aut fortasse (quod verisimilius est) interdum patres citasse verba Prophetæ, prout ab Euãgelista relata sunt, quod ex Ambros. lib. 5, epist. 18. nõ obscurè colligitur. Prius enim refert verba Prophetæ cum negatione, & tamen paulo inferius dubium mouet de apparenti contradictione inter Euangelistã, & Prophetam, quam dicit esse verborum, non tamen sensuum, vt ipse explicat.

Dubium. Matth. 2. Mich. 1.

Cornel. Iãsen. Ribera.

Testimonij Micheæ & Matthæi, concordia. Iustin. Cyri. Ale. Origen. Tertul. Cypr. Aug. Chryst. Hieron. Euseb. Ambros.

Breuiter tamen sensus Prophetæ fuisse videtur, Bethlehem exiguum oppidum fuisse, ciuium scilicet numero, & murorũ ambitu: non tamen dignitate, & nobilitate, quandoquidem ex illo nasciturus erat Messias. Quòd enim, cùm *paruulum* eum vocat de quantitate (vt ita dicam) situs, seu loci loquatur, nullus est, qui dubitet. Nam & proprie-

proprietas verborum id postulat, & ex re ipsa constat Bethlehem paruum fuisse oppidum. Vnde & Ioan. 6. *castellum* appellatur. Quòd autem docere voluerit Prophe ta dignitate, & nobilitate fore magnum, cõ stat ex sequentibus verbis, *Ex te mihi egredietur dominator in Israel*: imò ideo præmisit, & ante oculos posuit localem exiguitatem eius, vt amplitudo eius, & dignitas mirabilior videretur. Euangelista autẽ Matthæus, quia prior pars de loci quantitate nihil ad mysterium pertinebat, partem aliã de illius dignitate distertis verbis explicare studuit, dicens, *Nequaquam minima es in principibus Iuda*, &, vt explicaret se loqui de loci dignitate, subdit, *Ex te enim exiet dux*, addens particulam *enim*, quę etiam non est in Propheta. Nam causa, ob quam Bethlehem non est minima dignitate, ea est, quia in illa natus est Christus. Quæ tamen ratio ad loci magnitudinem accommodari non posset: &, ita nulla est contradictio, quia Euangelista non tam exteriorem verborum sonum, quàm sensum respexit. Nec existimo necessarium, vt legantur in Propheta per interrogationem verba illa, *Minimus es in millibus Iuda*, Tum quia nec in Hebræo, neq; etiam in Græco codice est nota interrogationis, neque vllus Patrum illam adhibuit. Tum etiam quia (si ita legatur) ex vi horum verborum, non habebitur ex hoc loco Bethlehem fuisse exiguum oppidũ, quod sine dubio intendit affirmare Propheta.

Ioan. 6.

A

B

Denique, quia hoc modo affirmatiuè legendo melius constitit sensus, tacite enim indicata, seu subintellecta latet ibi coniunctio aduersatiua, vt sensus sit, *Tu Bethlehem paruulus quidem es, sed ex te egredietur dominator in Israel*, ac si diceret, sed virtute, & dignitate magnus existis. Vnde Greg. Nazian. orat. 19 funebri in Patrẽ suũ. *Nulla* (inquit) *res prohibuit, quo minus Bethlehẽ simul, & parua ciuitas esset, & totius terræ metropolis. vt pote Christi parens, atque nutrix.*

C

Secundo, dicitur Christus natus in diuersorio, vt constat. Luc. 2. Quid autem hoc diuersorium fuerit, & vbi fuerit situm, nõ satis constat. Et quidem Hierony. in epitaphio Paulæ, seu epistol. 27. significat fuisse domum aliquam intra Bethlehem sitam, ad quam aduenę tanquam ad hospitium commune diuertebant: Sic enim de Paula scribit, *Bethlehem ingressa, & in specum saluatoris introiens, postquam vidit sacrum Virginis diuersorium, & stabulum, in quo agnouit bos possessorem suum, & asinus præsæpe domini sui*, Fauere etiam videtur Cypri. serm. de natiuitat. Christi, vbi de pastoribus loquens inquit, *Veniunt in Bethlehem, quem prædixit Gabriel, inuenitur Emanuel, ciuitas parua, domus pauperacula, suppellex exigua*, Beda libr. de locis sanctis cap. 8. dicit, *diuersorium fuisse quasi naturale semiantrum in orientali angulo Bethlehem situm*: vbi significat fuisse intra muros Bethlehem.

Luc. 2.

Hieron.

Cypr.

Beda.

Aliorum vero sententia est, diuersoriũ illud fuisse speluncam quandam in suburbijs Bethlehemiticis positam. Ita indicat Hieron. epist. 17. & 18. vbi locum illum appellat *speluncam saluatoris, & paruum terræ foramen*. Origenes etiam. 1. contra Celsum satis post medium, & Euseb. libr. 7. de Demonst. cap. 2. demonstra. 4. vbi dicit, nunc ostendi agrum, in quo Virgo enixa infantẽ depositum, clarius Niceph. lib. 1. hist. capi. 13. affirmat locum illum fuisse speluncã extra oppidũ positam. Et potest afferri probabilis coniectura. Quia cùm eo tempore magna hominum multitudo in Bethlehem conflueret, vt describeretur iuxta Cęsaris edictum, accidere facile potuit, vt Ioseph, & Beata Virgo intra Bethlehem locum hospitij non inuenirent, & ideo ad prędictam speluncam extra muros diuertere cogerentur. Dicitur enim fuisse locus ille quasi publicum, & commune receptaculũ, ad quod pauperes peregrini, vel pastores confugere solebant. Ratio verò, ob quam Christus huiusmodi locum, in quo nasceretur, elegit: moralis quidem est, vt reprobaret gloriam mundi, & damnaret seculi vanitatem vt Bernar. inquit serm. 3. de natiuit. domini. Quæ ratio optima est, si locus ille vt pauper, & abiectus consideretur, si autem spectemus illum vt hospitium quoddam, & Christum veluti in via nascentem, conueniens etiam fuit (vt inquit Petrus Chrysologus serm. 175.) *Vt via nasceretur in via, vt omnis aditus excluderetur erroris, & viator tandem cælum peteret, qui terreni itineris in casum diu sudores pertulerat, & labores.* Vel certè (vt Greg. ait hom. 8. in Euan.) *Propterea nõ in parentum domo, sed in via nascitur, vt ostenderet, quia per humanitatem suam, quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur.* Addit vero Caie. hic, literalem rationem huius mysterij fuisse, quia ad occultandam huius natiuitatis excellentiam, & matris Virginitatem, oportuit

Hieronym. Origen. Euseb. Niceph. Diuersoriũ in quo nascitur Christus quale. Bernard. Pet. Chry. Greg. Caietan.

oportuit, vt remotis arbitris, proculque ab amicis, & cognatis, atque adeo extra domicilium proprium, beata Virgo pareret. Eademq; ratione potuit esse conueniens, vt in loco remoto, & extra vrbem posito, partus accideret, alioquì vel oporteret obstetricem vocari, & alia, quæ in partu necessaria esse solent, adhiberi, vel necessarium esset mysterium Virginei partus omnibus patere. Præsertim quia oportebat pastorũ, & Magorum adorationẽ absq; tumultu, & publica manifestatione, ac multorũ admiratione fieri. Cùm ergo diuina sapiẽtia suauiter omnia disponat, locum ad hæc omnia accommodatum elegit: Et ideo credibile est locum hunc extra vrbem positũ fuisse. Neque obstat, quòd dicitur Christus in Bethlehem natus, quia alicuius oppidi, seu ciuitatis nomine etiam suburbia cõprehenduntur.

Tertius locus huius natiuitatis dicitur fuisse. Præsepe, de quo Hier. epist. 18. *Præsepe, inquit, in quo infantulus vagijt, silentio magis, quam infirmo sermone honorandum est.* Obseruandum verò est præsepe nõ fuisse proprium locum natiuitatis Christi, ideſt, quẽ Christus exiens ex vtero matris primò attigit, seu occupauit, prius enim beata Virgo, vt Euangelista dicit, *peperit filium suum*, & postea *reclinauit eum in præsepio*. Vnde nõ immeritò scire aliquis cupiet, quis fuerit ille locus, quem nascens Christus suo sacratissimo corpore primo tetigit. Videri enim potest fuisse terra, seu pauimentũ illius speluncæ, quia ibi nulla fuit obstetrix, quæ prolem reciperet. Quod si ita fortassè fuit, non exiguum in eo facto Christus præstitit humilitatis exemplum. Verisimilius autem est manus, & brachia beatę Virginis fuisse primum locum, quẽ Christus extra vterum occupauit, vt Caiet. hic ar. 6 docere videtur. Et quia vix poterat decenti modo fieri, vt ipsamet Virgo nascẽtem ex se infantem susciperet, verisimile est angelorum ministerio fuisse susceptum, & in manibus Virginis positum Hoc enim totum Christi dignitatem decebat, & beatæ Virgini tale gaudium, & amoris significatio debebatur. Vnde eleganter Cyprian. in serm. de natiuitate Christi, *Genitrix*, inquit *est, & obstetrix, & deuotam dilectæ soboli exhibet clientelam, attrectat, amplectitur, iungit oscula, porrigit mammam, totum negotium plenum gaudij.*

In præsepi reclinatur Christus. Hieron. Luc. 2.

Caietan.

Christus ex vtero matris prodiẽs angelorum manibus suscipitur. Cyprian.

Sed rogas cur B. Virgo filium postea reclinauerit in præsepio. Respondeo, si literalem, & humanam rationem sequamur, id necessitate quadam factũ esse, quia nec semper poterat brachijs Virginis, aut Ioseph sustineri, neque ibi commodior inueniebatur locus: si autem contemplemur diuinam prouidentiam, cuius admirabili cõsilio omnia fiebant: tradũt Patres rationes varias: tum morales, tum allegoricas, vt videre licet in homilijs, & orationibus de Natiuitate Christi. Illa hoc loco notanda videtur, quam Chrysost. hom. 1. in Lucam attigit dicens. *Quare in præsepio, vt complere-tur vaticinium Isaiæ Prophetæ, cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, scriptum est in alio loco homines, & iumenta saluos facies domine, si homo es, panẽ comede, si animal es, ad præsepe accede.* Et eandem ferè rationem latius persequitur, alias simul insinuãs, Greg. Nyssen. orat. de sancta Christi natiuitate his verbis. *Porro præsepe rationis, atque sermonis expertium animalium domicilium est: in quo Verbum nascitur, vt bos cognosceret possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, bos subditus legi, asinus oneribus portandis destinatum animal, quod peccato simulacrorum cultus oneratum, atque grauatum est. At brutis quidem conueniens cibus, & victus gramen, ac fenum est, qui producit enim gramen, & fœnum pecoribus, inquit propheta, rationale autem animal pane nutritur. Quamobrem id circo præsepio, quod est habitaculũ brutorum is, qui de Cælo descendit panis vitæ proponitur, vt etiam bruta rationali inuicem sumpto cibo, rationem adipiscantur.* Medius igitur inter bouem, & asinum in præsepio vtriusque dominus est, vt soluto interstitio sepis ambos in seipse creet in vnum nouum hominem, & ab hoc graue legis iugum auferat, & illud simulacrorum cultus onere leuet. Ex quibus verbis intelligimus, Christum non solum iacuisse in præsepio, verum etiam inter animalia bruta bouem scilicet, & asinũ, & tunc ad literam impletũ esse, quod iuxta septuaginta interpretes Abac. capite. 3. prædixit, *consideraui opera tua, & expaui, in medio duorum animalium cognoscêris.* Quam lectionem, & interpretationẽ videtur amplecti Ecclesia in officio natiuitatis Domini, dicens. O *magnum mysterium, & admirabile sacramentum, vt animalia viderent Dominum natum iacentem in præsepio.* Et in officio de Circuncisione domini, inquit, *Domine audiui auditum tuum, & timui, consideraui opera tua, &*

Dubium. Responsio

Christus in præsep. cur reclinatus. Chrysost. Gre. Nyss.

Inter bouẽ, & asinum nascitur Christus.

Abac. 3.

tua, & expaui, in medio duorum animalium iacebat in præsepio, & fulgebat in Cælo. Arq; hæc fuit sententia antiquorum Patrum, Grego. Nyss. nuper citati, Naziã. orat. in Christi natiuitatẽ, Cyri. Ierosol. catech. 12. Aug. orat. cõt. Iudęos, & paga. cap. 13. Hiero. epist. 27. ad Eustochiũ, Paulini epist. 10. ad Seuerũ.

Gre. Nyss. *Gre Naz.* *Cyri. Iero.* *Aug.* *Hieron.*

Vltimo circa præsepis locum notandum est Chrysost. citata homilia indicare fuisse lapideum, seu luteũ, ò *si mihi liceret*, inquit, *videre illud præsepe, in quo dominus iacuit, nunc nos Christiani, quasi pro honore, tulimus luteũ, & posuimus argenteum, sed mihi pretiosus est, quod ablatum est* Alij verò dicunt fuisse ligneum, & hæc videtur esse communior Ecclesiæ Romanæ traditio, in qua præsepe illud vsque in hodiernum diem summa reuerentia seruatur in D. Mariæ templo, quod *Maioris* nomen obtinuit. Denique refert Hieron. epist. 48. in loco illius spelunce insignem Ecclesiam extructam esse, & præsepe loco altaris collocatum. Eiusdem quoque Ecclesię meminit Beda lib. de locis sanctis cap. 8.

Chrys. *Hieron.* *Beda.*

SECTIO. IIII.

Quo tempore Christi natiuitas acciderit.

OMnia ferè, quæ de circũstantijs huius temporis inquiri possunt, in superioribus sunt definita. Supponẽda ergo sunt hoc loco, quæ in. 1. tomo disput. 6. Sect. 1. de tempore, quo facta est incarnatio, scripsimus, vbi concluſimus factã fuisse ferè quatermillesimo anno à creatione mundi, anno. 2. olympiadis. 194. Ita enim locus ille intelligendus est, quãuis ex rore scriptoris factum sit, vt, cùm sermo esset de incarnatione, positus sit annus natiuitatis, quæ iuxta computationem Romanorum contigit in anno. 41. imperij Augusti. Huic autem fundamento addendum est, ab incarnatione vsque ad natiuitatem Christi nouem integros menses fuisse transactos. Refert enim Epiphanius hæres. 51. quosdam dixisse Christum septimo á sua conceptione mense fuisse natum, alios verò fuisse gestatum in vtero nouem mensibus, & fere decem, & septem diebus. Vtrũque verò est omnino falsum, vt constat ex Ecclesiastica traditione, quã notauit Aug. lib 4. de Trinit. c. 5. & lib. 83. quæst. in 56. & Chrysost. hom. 1. in Lucam, & hoc idem intelligit Sophronius in epi. synodali, quæ refertur. 6. Synodo act. 11. cum inquit, *In vtero Virgineo deportatum, tempus expleuisse legitimi puerperij.* Damascenus verò lib. 4. cap. 15 *Nouem*, inquit, *menses expleuerat, ac decimum iam ingressus erat, cum in lucem prolatus est*, & Theorianus, in legatione ad Armenos, dicit nouem mensibus, & quinq; diebus Christum fuisse in vtero matris, sed nihil docet á superioribus Patribus diuersum Nam Aug. etiam dicit nouem menses & sex dies inter conceptionem, & natiuitatem interceſsisse: loquitur autem de mensibus æqualibus, &. 30. diebus constantibus, numerando autem menses inæquales prout sunt in communi vsu hominum, solum nouem integri menses interfuerunt, qui omnes ducentos septuaginta sex dies complectuntur, vt etiam Aug. animaduertit, & facile potest dignosci computando dies, qui sunt inter festa Annũtiationis, & Natiuitatis Christi, prout in Romana Ecclesia celebrantur. Ratio autem huius temporis non est alia (vt notarunt Sophron. & Damasc.) nisi quia hoc est legitimum tẽpus, & maximè connaturale ad perfectam hominis natiuitatem, in ijs autem, quæ ad perfectionem naturæ pertinent, & indecẽtiam non habent, voluit Christus naturali modo nasci. Tertio tandem supponendũ est ex dictis supra citato loco tomi. i. & ex hoc ipso disput. 9 Sect. 5. Christum cõceptum esse. 25. die Martij, vt ex Athanasio, Chrysost. & Aug. Clemente Alexandr. & Nicephoro ibi citatis, & ex Ecclesiastica traditione constat.

Quo tempore Christi natiuitas euenerit. *Epiphan.* *August.* *Chrysost.* *Sophron.* *Damasce.* *Theorian.* *Athanas.* *Chrysost.* *August.* *Cle. Alex.* *Nicephor.*

Ex his igitur sequitur primo, Christi natiuitatem contigisse iuxta Græcorum computationem anno. 3. olympiadis. 194. iuxta modum autem computandi Romanorum anno. 42. imperij Augusti, vt ex Eusebio, Epiphanio, Clemente, Alexan & Beda citato loco notauimus: & in eandem sententiam Tertull. & Iren. interpretati sumus. Vna verò difficultas superest hoc loco explicanda: nã Lucas Euangelista refert Christum natum eo fere tempore, quo facta est prima descriptio sub Quirino: At teste Iosepho lib. 18. antiquit. c. 13. ille census, seu descriptio sub Quirino incidit in annũ. 37: post victoriam Actiacam, qui fuit quadragesimus nonus imperij Augusti, illud ab initio consulatus, seu triumuiratus numerando. Respondetur vel Iosephum nõ loqui de

Euseb. *Epipha.* *Clem. Alex.* *Beda.* *Tertull.* *Iren.* *Dubium.* *Ioseph.* *Responsio*

qui de censu, & descriptione, cuius Euan A gelista Lucas meminit, vel certe in annorũ computatione lapsum esse. Priorem respõdendi modũ amplexus est scholiastes Eusebij, Dadræus lib. 1. Hist. c. 5. quanquã Eusebius ibi illo testimonio Iosephi in cõfirmationẽ historiæ euãgelicæ vtatur, nulla huius discordiæ mentione facta. Itaque ex ipsis verbis Lucæ constat non semel tantum, sed sæpius exactum fuisse hoc tributũ sub Quirino, sic enim, inquit, *Hæc descriptio prima facta est sub præside Syriæ Cyrino*. Nã quod dicit *primam* non simpliciter intelligit, sed sub illo præside, nam sub alijs prius sæpe fuerat tributum Iudæis â Romanis impositum, & imperatũ. Dicit ergo prædictus autor, Iosephum non fuisse loquutũ de primo censu, cuius Lucas mentionẽ fecit: sed de secũda, vel tertia descriptione (illę enim per lustra fiebãt) quæ post Herodis mortẽ & Archelao iam in exilium misso, facta est. Posteriorem verò respondendi modũ constãtissimè defendit vir eruditus Baronius in apparatu suorum annalium, quia reuera (si attentè legitur idẽ Iosephus in vltimis verbis lib. 17. & cap. 1. & 3. lib. 18.) apertè loqui videtur de primo censu sub hoc præside exacto: latissimè ergo probat hic autor lapsum fuisse Iosephum, referentem hanc descriptionem ad tẽpora Archelai post defunctum Herodem: quem sæpius in eadẽ historia lapsum esse demõstrat, ne præsens error incredibilis videatur. Indicat etiam causam erroris, nimirũ, quòd in rebus ad Herodianũ regnũ pertinentibus, nouẽ annos prætermisserit. Ac denique ostendit, præter diuinã autoritatẽ, licet humana cõiectura agendum esset, maiorem fidem Lucæ adhibendam esse, quàm Iosephorũ quòd tuerit illis temporibus vicinior: tũ etiã quòd res Christianorum, & melius nouerit, & sincerius vbique tractet, ac referat: tum denique quia hæc historia Lucæ à nullo etnicorum, & antiquorum hostium fidei in hac parte reprehensa est: Quin potius Iulianus apostata apud Cyrillum lib. 6. cõtra illum, hoc Lucę testimonio cõprobat Christum cum patre, & matre fuisse descriptũ sub Cyrino. Igitur quidquid sit de Iosephi testimonio, certum est hãc descriptionem factam fuisse eodem anno, quo natus est Christus. Id enim diserte affirmat Euangelista. Quòd autem Euseb. in Chronico descriptionẽ hanc videtur ponere in secundo anno olympiadis. 194. natiuitatem autem Christi in 3. intelligendum est: Quirinum superiori anno fuisse Roma missum, vt cẽsum faceret, descriptionem autem factã esse sequenti anno, quo natus est Christus. Vnde etiam certum est illam descriptionẽ factam esse regnante Herode, ante Archelaum, atque adeo. 29. vel ad summum. 30. anno ab Actiaca victoria, qui fuit. 42. imperij Augusti. Sub quibus autem consulibus Romanis, & quo anno Herodiani regni natiuitas Christi contigerit, prætermitto dicere, tum quòd neque ad scholasticũ institutum, neque ad fidei confirmationẽ, vel defensionem pertinere censeo. Tum etiam, quia res mihi est incerta, de qua nihil affirmare, sed aliorum tantum sentẽtias B possem referre. Quod satis diligenter præstitit Cęsar Baronius supra, & Benedictus Pereirus lib. 11. in Daniel q. 5.

Secundo ex dictis principijs colligitur, quo mense, & die natus est Christus. Clemens enim Alexan. lib. 1 Stromat. versus finem, refert quosdam hæreticos asseruisse Christum dominum natum esse vigesimo, vel vigesimo primo die Aprilis: alios verò vigesima quinta die Maij, Epiphanius autem hæres. 51. dicit natum fuisse sexto die Ianuarij, quam sententiam tacito autoris nomine refert, ac reijcit Hieron. Ezech. 1. in principio, dicens eo die manifestatum fuisse Christum, non natũ, quanquam ipse non de sexto, sed de quinto die Ianuarij loquatur. De quo infra dicemus agentes de baptismo Christi, Et Aegyptios eo die solitos fuisse celebrare natale domini diẽ refert Cassianus coll. 10. cap 1. & habetur etiã in præfatione, ad epist. Theophyl Alexandr. tom 1 Bibli. & apud Isidorum lib 1 de Ec- C clesiast. off & insinuat Origenes hom. 8. in diuersos.

Vera ergo sententia est Christum natum esse. 25. die mensis Decembris, quę satis probatur ex Ecclesiastica traditione, & festi celebritate, quam à temporibus Apostolorum eo die obseruatam esse constat ex Clemente lib. 5. const. Apostol. cap. 12. aliàs 13. & ex Orosio lib. 7. cap. 2. Eadem est sententia antiquorum Patrum Euod. apud Nicephor. lib. 2. Histor. cap. 3 Chrysost. hom. 1. in Lucam Aug. 4. de Trinitat. cap. 5. & in enarratione Psalm. 132. paulo ante finem, Anastasij Episcopi Niceni libro. quæstion. in Scripturam. q. 92. Ratio autem ob

quam

Dadræus. Euseb. *Luc. 2.* *Descriptio sub Cyrino Præside quo anno facta,* *Baron.* *Cyril.* *Euseb.* *Cæs. Barõ Benedict Pereir. Cle. Alex. Epiphan.* *Hieron. Cassian. Theophyl. Alex. Isidor.* *Origen.* *Clem Pap. Oros. Chryso. August, Anastas. Nic. Nicephor.*

quam Christus elegit eo mensis tempore A nasci, moralis quidé, ac mystica multiplex assignatur â Patribus, qui notant natum esse asperiori tempore hyemis, id statim amplectens, quod carni laboriosius erat, & molestius. Bernar. hom. 3. de Natiui. Domini, natum etiam esse ait quando dies crescere incipiunt, quia Dei dispensatio in ipso crescebat, et Augustinus in dicto Psal. 132. & serm. 18. de natiuit. domini. Propria verò ratio est. Quia facta conceptione vigesimo quinto die Martij, naturalis ordo postulabat, vt natiuitas in prædictum diem incideret.

Natiuitatis Christi mẽsis, & dies, Bernard. Augustin.

Sed quæres fortasse, quænam dies hebdomadæ illa fuerit. Respondetur rem esse incertam, quidam enim (vt Baronius supra B refert) dixerunt natum esse feria sexta. Cæterum probabilius est natum fuisse die dominica. Id enim affirmat sexta Synodus capit. 8. Idem tradit Niceph. 1. lib. Hist. cap. 12. vbi de die circuncisionis loquitur, sed in idem incidit. In eadem sententia est Sophronius orat. de natali Christi, & Anton. 1. p. Hist. tt. 5. cap. 1. §. 2. sequitur Gulielmus. Duran. lib. 6. rationalis cap. 13. & Dadræus in lib. de emendatione temporum, & in scholio super Euseb lib. 1. hist. cap. 5. Et quidem, si Christus conceptus est feria 6. hebdomadæ, necessario consequitur, vt die dominica fuerit natus. Cuius enim rectè computanti, facile patebit, si vigesima quinta dies Martij incidit in feriam. 6. necesse esse, vt dies vigesima quinta sequentis mensis Decembris sit dies dominica. Quód autem Christus incarnatus fuerit feria. 6. hæbdomadæ, verisimile fit sententijs Patrum dicentium eodem die fuisse incarnatum, & mortuum, vt videre licet in Augustino, & alijs supra citatis, & in Athanasio. q. 17. ad Antiochum, vbi dicit Christũ eodem die fuisse conceptum, quo Adã fuit creatus. Constat autem illum fuisse creatũ feria. 6. (vt notat Gaudentius tractat. 1. in Exodum) quia creatus est sexta die, pridie ante sabbathum.

Dubium. Responsio. Baron. Sexta Synod. Nicephor. Sophron. Antonin. Guli. Dur. Dadræus. Augustin. Athanas.

Dices, Sancti patres numerantes res admirandas, quæ die dominica acciderunt, ponunt in illa resurrectionem Domini, non tamen Natiuitatem, vt videre licet in Leone epist. 81. ad Dioscorum, & Aug. ser. 154. de temp. Respondeo ex autoritate negatiua non sumi efficax argumentũ, potuerunt igitur sancti hoc omittere, vel quia erat incertum, vel quia illis in mentem nõ venit.

Obiectio. Gaudent. Leo Papa. Augustin. Responsio.

Vltimo tandem inquiri potest de hora huius natiuitatis: Anastasius enim Nicenus loco citato dixit natum esse hora septima diei. Anastasius vero synaita libr. 7. Examer. dicit natum fuisse ad vesperã. Isichius autem (vt refert Baronius) scripsit natum fuisse hora tertia diei. Non citat autem locum, neque explicat, de qua hora tertia intelligat: quia si loquatur de hora tertia vespertina ferè coincidit cum precedenti, & est improbabilis sententia: si autem de matutina (licet incerta sit) tamẽ propinquior est veritati. Dicendum est ergo Christum natum esse post duodecimam horam noctis illius, quæ fuit naturalis diei initium, an tequam artificialis dies inchoaretur. Hoc colligitur ex euangelio adiuncta Ecclesiæ traditione: ex Lucæ enim. 2. cap. non obscure colligitur Christum noctu natum esse in illis verbis. *Peperit filium suum primogenitum,* si adiungantur alia. *Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Et hinc orta est Ecclesiastica traditio celebrandi sacram noctem illam, & sacrificium in ea offerendi ex decreto Telesphori Papæ in sua epist. decretali capit. 2. Quod notauit etiam Damasus Papa in pontificali, in vita Telesphori. Quód verò post mediam noctem Christus natus sit, necessario dicendum est (vt rectè Caietan. Lucæ. 2. notauit) vt Christi natiuitas ad diem sequentem pertineat. Nam si natus esset ante mediam noctem, potius dicendus esset natus vigesima quarta, quã vigesima quinta decembris die. Neque enim dici potest, quód fuerit natus nocte sequenti, in qua vigesimus quintus dies terminatur, nam Ecclesiastica traditio docet contrarium: illa enim nox, in qua dies vigesimus quintus inchoatur, sacra, & solennis in vniuersa Ecclesia habetur. Et confirmari hoc potest â contrario: Nam quanuis Christus dominus Eucharistiæ sacramentum instituerit in ea parte noctis ferię quintę, quæ ad exitum, & finem illius diei tendebat: tamen quia ante mediam noctem illud mysterium perfecit, eius celebritas in feriam quintam, non verò in sextam refertur. At festum resurrectionis diei dominicæ tribuitur, quia licet resurectio fortasse noctu facta sit: tamen post mediam noctem, in-

Ana. Nic. Anasta Synai. Isich. Baron. Lucæ. 2. Natalis Christi hora. Pap. Damas: Telesphor. Caietan.

choante iam naturali die dominica perfecta est. Idem ergo iudicium est de die, & hora Natiuitatis. De illis autem horis, quæ sunt à media nocte vsque ad initium lucis, nihil certi affirmari potest: quó autem aliquis crediderit natiuitatem hãc paulo post mediam noctem fuisse, eó (vt existimo) minus â vero aberrabit. Ita enim sentire videtur Ecclesia, quæ ad hanc natiuitatem accommodat verba illa sap. 18. *cum quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus exiliens è Cælo a regalibus sedibus venit.* Et Platina in vita Telesphori, refert ex institutione ipsius primam missam natalis domini circa mediam noctem celebrandam esse: quod etiam nunc seruat consuetudo.

Sap. 18.

Platin.

QVAESTIO. XXXVI.

De manifestatione Christi nati, in octo articulos diuisa.

¶ De qua re doctores tractant. Matth. 2. & Luc. 2.

DEinde considerandum est de manifestatione Christi nati. ¶ *Et circa hoc quæruntur octo.* ¶ *Primo, vtrùm natiuitas Christi debuerit esse omnibus manifesta.* ¶ *Secundo, vtrùm debuerit aliquibus manifestari.* ¶ *Tertio, quibus manifestari debuerit.*

¶ *Quarto, vtrum debuerit ipse se manifestare, vel potius manifestari per alios.* ¶ *Quinto, per quæ alia manifestari debuerit.* ¶ *Sexto, de ordine manifestationum.* ¶ *Septimo, de stella per quã manifestata fuit eius natiuitas.* ¶ *Octauo, de veneratione Magorum, qui per stellam, Christi natiuitatem cognouerunt.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrúm natiuitas Christi debuerit esse omnibus manifesta.

AD primum sic proceditur: Videtur, quòd Christi natiuitas debuerit esse omnibus manifesta. Impletio enim promissioni debet respondere. Sed de promissione aduentus Christi dicitur in Psalm. 49. Deus manifestè veniet. Venit autem per carnis natiuitatẽ: ergo videtur, quòd eius natiuitas debuerit esse toti mundo manifesta. ¶ 2. *Præterea, Primæ ad Timoth. 1. dicitur, Christus in hunc mundum venit peccatores saluos facere. Sed hoc non fit, nisi in quantum eis gratia Christi manifestatur secundum illud Tit. 2. Apparuit gratia Dei, & Saluatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, & piè, & iustè viuamus in hoc seculo. Ergo videtur, quòd Christi natiuitas debuerit esse omnibus manifesta.* ¶ 3. *Præterea, Deus super omnia pronior est ad miserendum, secundum illud Psal. 144. Miserationes eius super omnia opera eius. Sed in secundo aduentu, quo iniustitias iudicabit, veniet omnibus manifestus: secundum illud Matth. 24. Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentẽ ita erit aduentus filij hominis. Ergo multò magis primus aduentus, quo natus est in mundo, secundum carnem, debuit esse omnibus manifestus.*

196 Inf. q 39. art. 8. 3.

¶ *Sed contra est, quod dicitur Isaiæ. 45. Verè tu es Deus absconditus, sanctus Israel saluator. Et Isaiæ. 53. Quasi absconditus est vultus eius, & despectus.*

Respondeo dicendum, quod natiuitas Christi non debuit esse communiter omnibus manifesta. Primò quidem: quia per hoc impedita fuisset humana redemptio, quæ per crucem eius peracta est. Quia vt dicitur primæ ad Corinthios. 2. Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. ¶ *Secundo, quia hoc diminuisset meritum fidei, per quam venerat homines iustificare:*

secun-

secundum illud Roman. 3. Iustitia Dei, per fidem Iesu Christi. Si enim manifestis indicijs Christo nascente, eius natiuitas omnibus appareret, tam tolleretur ratio fidei: quæ est argumentum non apparentium, vt dicitur Hebræo. 11. Tertiò quia per hoc veniset in dubium veritas humanitatis ipsius. Vnde Augustin. dicit in Epistola ad Volusianum, Si nullas ex paruulo in iuuentutem mutaret ætates, nullos cibos, nullos caperet somnos: nõne opinionem confirmaret erroris, nec hominem verum vllo modo suscepisse crederetur? & dum omnia mirabiliter facit, auferret, quod misericorditer fecit.

Est epist. 3. nõ multum remote ante medium. to. 2.

Ad primum ergo dicendum, quòd auctoritas illa intelligitur de aduẽtu Christi ad iudicium, secundum quod glossa ibidem exponit.

¶ *Ad secundum dicendum, quòd de gratia Dei saluatoris erudiendi erant omnes homines ad salutem, non in principio natiuitatis eius: sed postea tempore procedente, postquàm operatus est salutem in medio terræ. Vnde post passionem, & resurrectionem suam dicit discipulis suis, Matthæi vltimo. Euntes docete omnes Gentes.*

Ad tertium dicendum, quòd ad iudicium requiritur, quòd autoritas iudicis cognoscatur: & propter hoc oportet, quòd aduentus Christi ad iudicium sit manifestus. Sed primus aduentus fuit ad omnium salutem, quæ est per fidẽ, quæ quidem est de non apparentibus, & ideo primus Christi aduentus debuit esse occultus.

COMMENTARIVS.

NON est facile explicare, quo sensu de manifestatione Christi Diuus Thomas interroget: varijs enim modis potuit Christi natiuitas manifestari, tũ in modo, tum etiã in obiecto. In modo quidem, quia potuit, manifestari vel clare, & secundum se, aut per intellectualem visionem, aut etiam per corporalem, vel solum per prædicationem, & testimonium, & signa externa, aut euidentia, quæ intellectum conuincerent, vel solum sufficientia ad certam rei fidem faciendam. In obiecto autem, quia poterat prædicari vel sola natiuitas illius hominis, vel salus etiã futura per ipsum, aut etiam eius diuinitas. Quod ergo ad obiectum attinet, seu ad rem manifestatam, sine dubio sermo est de Christo Deo, & homine, hominumque redemptore, prout eius cognitio ad salutem necessaria est. Manifestare enim illum tantum vt hominem recèns natum, parum & ad eius honorem, & ad nostram salutem referebat. Quod verò pertinet ad modum manifestationis, Caietanus Diu. Thomã intelligit de vltimo modo, qui est per signa, quę euidenter facerent rem fide dignã, & omnes homines ad illam credendam inducerent, & efficaciter attraherent. Quæ expositio videtur sanè consentanea rationi: quia huiusmodi manifestatio est accommodata viatoribus, & ad eorum salutem, & ad Christi honorem pertinere maxime videri poterat: & ideo de illa videtur mouisse quæstionem Diuus Thomas, vt ex secunda ratione huius art. & ex art. sequenti ad 1. non obscurè colligitur. Vult tamen D. Thom. his locis, vt indicia talia sint, quę omnino rem manifestent, non quòd oporteat, vt rem clarè, & prout in se est, ostendãt: sed solum, vt sint tam efficacia, vt ad subijciendum, & conuincendum intellectum benè dispositũ sufficiant, qualia fuerunt ostensa pastoribus, aut Magis: quanuis necesse non sit, semper esse externa, poterat enim etiam interius similis manifestatio fieri. Itaque de eodem genere manifestationis videtur D. Tho. in hoc art. loqui, & in sequenti, vbi concludit debuisse natiuitatem Christi aliquibus manifestari, certum est autem solum prædicto modo fuisse manifestatam.

Caietan.

Suppositaverò hac tituli expositione, difficiles sunt rationes, quibus D. Thom. responsionem suam confirmat: Negat enim debuisse Christi natiuitatẽ omnibus statim manifestari triplici ratione. Primo, quia impedita fuisset humana redẽptio, quę per crucẽ perficiẽda erat. Secũdo, quia impediretur meritum fidei. Tertio, quia posset de veritate humanitatis Christi dubitari. Hæc autem incommoda, & præsertim secundũ, & ter-

Obiectio.

& tertium minime sequuntur ex sola manifestatione prædicta. Nam in primis quãuis omnibus statim prædicata esset natiuitas, & sufficientibus signis demonstrata: non tamen omnes necessario crederent, posset ergo nihilominus nõ impediri mors Christi. Et confirmatur, nam Herodi fuit quoddammodo manifestata natiuitas, qui nihilominus non credidit, sed Christi mortem meditatus est. Respondeti verò potest, suppositomodo redemptionis nostræ â Deo prædefinito, non fuisse conueniens natiuitatem Christi manifestari statim omnibus, v.g. Iudæis, eo modo, quo fuit manifestata pastoribus, vel alio simili, quia licet non omnino necessario sequatur valde tamen verisimile est, potuisse inde sequi, vt omnino, vel magna ex parte impediretur modus redemptionis nostræ á Deo prœordinatus. Et credibile est Deum in æterno suo consilio præuidisse hoc fore, si illud fieret.

Responsio C

Secunda verò ratio D. Thom. videtur difficilior. Cur enim si natiuitas Christi omnibus prædicaretur, meritum fidei tolleretur, & non potius fundaretur? Respondet Caietan. non omnino auferendum, sed minuendum saltem fuisse meritum fidei. Sed in primis D. Thom. non minuendum, sed tollendum fuisse concludit, sic enim loquitur, *Iam tolleretur ratio fidei*. Et idem repetit, art. sequenti ad. 1. Deinde, cur etiam minueretur: certe in pastoribus, & Magis non fuit diminutum: nam potius eorum fides laudatur, & exaggeratur á Patribus.

Obiectio. *Caietan.* B *Responsio.*

Responderi potest, licet D. Thom. loquatur de manifestatione, quę per prædicationem, seu signa interna, vel externa incipiat, tamen simul includere terminum illius manifestationis, quæ tendat vsque ad claram, & corpoream visionem Christi nati, talis enim fuit manifestatio facta pastoribus, Simeoni, & Annæ, vt magis ex art. 6. constabit: hęc autem manifestatio partim minueret, partim tolleret meritum fidei. Nam circa ea, quæ clare viderentur, tolleret fidem, & ita minueret meritum eius. Nec refert nunc metaphysicè disputare, an circa mysteria sic visa posset fides exerceri, præsenti enim instituto, & rationi satis est, quòd moraliter, & vt in plurimum, nullus ferè fide crederet, quæ clare esset intuitus. Vnde, secundo dici potest, si Christi natiuitas tam euidentibus signis omnibus esset manifestata, quanuis non sequatur in omnibus, & singulis hominibus tollendam esse rationem fidei, valde tamen probabiliter sequi, quam plures esse credituros magis, propter indicia, & signa, quæ exterius apparebant, quám propter diuinum testimonium, & ita potuisset vera ratio fidei, & meritum eius impediri. A

Tertia denique ratio subobscura est. Cur enim, si vera Christi natiuitas omnibus manifestaretur, reuocanda esset in dubium veritas humanitatis eius? Nam potius facilius ab omnibus crederetur, sicut à Magis, & pastoribus est credita, præsertim quia ea manifestatio ex virtute diuinitatis crederetur profecta. Respondetur, non oportere, vt singulę rationes omnia probent: sed satis esse, si vna quęque aliquid concludat. Hæc ergo ratio potissimum probare videtur, non decuisse Christum nasci in ea ætate, in qua posset per seipsum omnibus manifestari, & ita videtur illam exponere D. Thom. artic. 4. & testimonium Augustini, quo hic vtitur, hoc maximè indicat. Deinde addi potest, licet non omnes homines: plures tamen potuisse inde sumere occasionem, negandi veram Christi humanitatem, & præsertim homines posterioribus temporibus futuri, quibus illa manifestatio tam clara facta non fuerat. Diuina ergo sapientia, quæ suauiter omnia disponit, & omnibus hominibus, ac temporibus prouidet, non in principio natiuitatis Christi: sed postea conuenienti tempore saluatoris aduẽtum, omnibus manifestare dispposuit, vt recte hic D. Thomas. ad. 2. concludit, & articul. sequenti magis explicat.

Obiectio. *Responsio.*

In solutione ad primũ, explicat D. Tho. verba illa Psal. 49. Deus manifestè veniet, intelligẽda esse de posteriori Christi aduẽtu, qui erit ad iudicandum, & indicat generalem regulam interpretandi eodem modo omnia similia sacræ scripturæ loca in quibus publicus, ac manifestus Christi aduentus prędicatur. Et in solutione ad. 3. optimam rationem reddit, ob quam Christus in priori aduentu occulte venit, in posteriori vero publice venturus est. Quæ sunt notanda pro his, quę in vltima parte huius operis dicenda sunt, vbi de secundo aduentu, & iuditio latius differemus.

ARTI-

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm natiuitas Christi debuerit aliquibus manifestari.

197 AD secundum sic proceditur. *Videtur, quod natiuitas Christi nulli debuerit manifestari. Quia vt dictum est, hoc erat congruum humanæ saluti, vt primus Christi aduentus esset occultus. Sed Christus venerat, vt omnes saluaret, secundum illud primæ ad Timothæum. 4. Qui est saluator omnium hominum, maximè fidelium. Ergo natiuitas Christi nulli debuit manifestari.* ¶ *2. Præterea, Ante natiuitatem Christi, manifestata erat beatæ Virgini, & Ioseph futura Christi natiuitas. Non ergo erat necessarium Christo nato, eandem alijs manifestari.* ¶ *3. Præterea, Nullus sapiens manifestat id, ex quo turbatio nascitur, & detrimentum aliorum. Sed manifestata Christi natiuitate, subsecuta est turbatio: dicitur enim Matthæi. 2. quòd audiens Herodes Christi natiuitatem, turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo. Cessit etiam hoc in detrimentum aliorum: quia ex hac occasione, Herodes occidit pueros in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu, & infra. Ergo videtur, quòd non fuerit conueniens Christi natiuitatem aliquibus manifestari.* ¶ *Sed contra est, quòd Christi natiuitas nulli fuisset proficua, si omnibus esset occulta. Sed oportebat Christi natiuitatem, esse proficuam: alioquin frustrà natus fuisset. Ergo videtur, quod aliquibus manifestari debuerit Christi natiuitas.*

Respondeo dicendum, quòd, sicut Apostolus dicit Romanorum decimo tertio. Quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Pertinet autem ad diuinæ sapientiæ ordinẽ, vt Dei dona, & secreta sapientiæ eius non æqualiter ad omnes, sed immediatè A *ad quosdam perueniant, & per eos ad alios deriuentur. Vnde, & quantum ad resurrectionis mysterium, dicitur Actorum decimo, quòd Deus dedit Christum resurgentem manifestatum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo. Vnde, & hoc etiam debuit circa ipsius natiuitatem obseruari, vt non omnibus Christus manifestaretur, sed quibusdam, per quos posset ad alios deuenire.*

Ad primum ergo dicendum, quòd B *sicut fuisset in præiudicium salutis humanæ, si omnibus hominibus Dei natiuitas innotuisset, ita etiam, & si nulli nota fuisset. Vtroque enim modo tollitur fides: tam scilicet per hoc, quòd aliquid est totaliter manifestum, quàm etiam per hoc, quòd à nullo cognoscitur, à quo possit testimonium audiri. Fides enim est ex auditu, vt dicitur Romanorum decimo.*

¶ *Ad secundum dicendum, quòd Maria: & Ioseph instruendi erant de Christi natiuitate antequam nasceretur: quia ad eos pertinebat reuerentiam exhibere proli conceptæ in vtero, & etiam obsequi nascituræ: Eorum autem testimonium propter hoc, quòd erat domesticum, fuisset habitum suspectum circa magnificentiam Christi, & ideo oportuit, vt alijs manifestaretur extraneis, quorum testimonium suspectum esse non posset.* ¶ *Ad tertium dicendum, quòd* C *ipsa turbatio subsequuta ex natiuitate Christi manifestata congruebat Christi natiuitati. Primò quidem, quia per hoc manifestatur cælestis Christi dignitas. Vnde Gregorius dicit in Homilia. Cœli Rege nato, Rex terræ turbatus est: quia nimirum terrena altitudo confunditur, cùm celsitudo cælestis aperitur. Secundo, quia per hoc figurabatur iudiciaria Christi potestas. Vnde Augustinus dicit in quodam sermone Epiphaniæ. Quid erit tribu-*

Homi. 10. in Euãg. in principio.

erit tribunal iudicantis, quando superbos Reges cunabula terrebant infantis. Tertiò, quia per hoc figurabatur deiectio regni diabolí: quia vt Leo Papa dicit in sermone Epiphaniæ. Non tantum Herodes in semetipso turbabatur, quantum diabolus in Herode: Herodes enim terrenum hominem æstimabat, sed diabolus Deum cognoscebat, & vterque regni sui successorem timebat, diabolus cælestem, sed Herodes terrenum. Superfluè tamen, quia Christus non venerat regnum in terra habere. Vnde Leo Papa dicit Herodi loquens. Non capit Christum regia tua: nec mundi dominus, potestatis tuæ sceptri est contentus angustijs.

Il formali ter habet Chryso. homilia. 2. in Matt. ante medium, in opere imperfecto, to. 2.

In serm. 4. de Epipha. inter prin. & mediũ.

¶ Quod autem Iudæi turbabantur, qui tamen magis gaudere debuerant, aut hoc est, quia, vt Chrysostomus dicit, de aduentu iusti non poterant gaudere iniqui, aut volentes fauere Herodi quem timebant: populus enim plus iusto fauet eis, quos crudeles sustinet. Quod autem pueri ab Herode sunt interfecti, nõ cessit in eorum detrimentum, sed in eorum profectum. Dicit enim Augustinus in sermone quodam de Epiphania. Absit, vt ad liberandos homines Christus veniens, de illorum præmio, qui pro eo interficerentur, nihil egerit, qui pendens in ligno, pro eis a quibus interficiebatur orauit.

Hom. 2. in Mat. inopere imperfecto, super illud, audiens Herodes turbatus est, to. 2 Sermo. 13. de Epiphania. Ex mille loq titu. Magus.

Hic art. ex dictis in præcedenti expositus relinquitur. Quod vero in fol. ad. 3. de cede innocentium attingitur, dicetur commodius infra disput. 17.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum sint conuenienter electi illi, quibus est Christi natiuitas manifestata.

AD tertium sic proceditur. Videtur quòd non sint conuenienter electi illi, quibus est Christi natiuitas manifestata. Dominus enim Matthæi decimo mandauit discipulis. In viam Gentium ne abieritis, vt scilicet prius manifestaretur Iudæis, quàm Gentibus. Ergo videtur, quod multo minus à principio fuerit reuelanda Christi natiuitas Gentilibus, qui ab Oriente venerunt, vt habetur Matthæi. 2.

¶ 2. Præterea, Manifestatio diuinæ veritatis præcipuè debet fieri ad Dei amicos: secundum illud Iob. 36. Annuntiat de ea amico suo. Sed Magi videntur esse Dei inimici: dicitur enim Leuitici. decimo nono. Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid sciscitemini. Non ergo debuit Christi natiuitas Magis manifestari.

¶ 3. Præterea, Christus venerat totum mundum à potestate diaboli liberare: vnde dicitur Malachiæ. 1. Ab ortu solis vsque ad Occasum, magnum est nomen meũ in Gentibus. Non ergo solum in Oriente positis debuit manifestari, sed etiam vbique terrarum debuit aliquibus manifestari.

¶ 4. Præterea, Omnia sacramenta veteris legis erant Christi figura. Sed sacramenta veteris legis dispensabantur per ministerium sacerdotum legalium. Ergo videtur, quòd magis debuerit Christi natiuitas manifestari sacerdotibus in templo, quàm pastoribus in agro.

¶ 5. Præterea, Christus ex Virgine matre natus est, & ætate paruulus erat. Cõuenientius igitur videtur fuisse, quòd Christus manifestaretur iuuenibus, & virginibus, quàm senibus, & coniugatis, vel viduis, sicut Simeoni, & Annæ.

¶ Sed contra est, quod dicitur Ioann. decimo tertio. Ego scio quos elegerim. Quæ autem fiunt secundum Dei sapientiam, conuenienter fiunt. Ergo conuenienter sunt electi illi, quibus est manifestata Christi natiuitas.

Respon

Respondeo dicendum, quod salus, quæ erat futura per Christum, ad omnem diuersitatem hominum pertinebat, quia sicut dicitur Coloss. 3. In Christo Iesu non est masculus, & fœmina, Gentilis, & Iudæus, seruus, & liber, & sic de alijs huiusmodi. Et vt hoc in ipsa Christi natiuitate præfiguraretur, omnibus conditionibus hominum est manifestatus quia vt Augustinus dicit in sermone de Epiphania. Pastores fuerunt Israelitæ, Magi Gentiles, illi propè, isti longè: vtri que tamen ad angularem lapidem concurrerunt. Fuit etiam inter eos alia diuersitas: nam Magi fuerunt sapientes, & potentes, Pastores autem simplices, & viles. Manifestatus etiam est iustis, Simeoni, & Annæ, & peccatoribus, scilicet Magis: Manifestatus est etiam, & viris, & mulieribus, scilicet Simeoni, & Annæ, vt per hoc ostenderetur, nullam conditionem hominum excludi à Christi salute.

In serm. 4. qui est. 32. in ord. non procul a prin. to 10.

Ad primum ergo dicendum, quòd illa manifestatio natiuitatis Christi fuit quædam præliba tio plenæ manifestationis, quæ erat futura. Et sicut in secunda manifestatione primò annuntiata est gratia Christi per Christum, & eius Apostolos, Iudæis, & postea Gentilibus: ita ad Christum primò peruenerunt Pastores, qui erant primitiæ Iudæorum, tanquam propè existentes: & postea venerunt Magi à remotis, qui fuerunt primitiæ Gentium: vt Augustinus dicit.

sermo. 2. de Epipha. qui est 30. in ordine, circa prin. to. 10

¶ Ad secundum dicendum, quòd (sicut Augustinus dicit in sermo. de Epiphan.) Sicut prævalet imperitia in rusticitate Pastorum, ita prævalet impietas in sacrilegijs Magorum: vtrosque tamen sibi lapis ille angularis applicuit, quippe qui venit stulta eligere, vt confunderet sapientes: & non vocare iustos: sed peccatores, vt nullus magnus superbiret, nullus infirmus desperaret. Quidam tamen dicunt, quod isti Magi non fuerunt malefici, sed sapientes Astrologi: qui apud Persas, vel Chaldæos Magi vocantur.

In serm. 2. Epipha. a med. to. 10

¶ Ad tertium dicendum, quòd sicut Chrysostom. dicit, Ab Oriente venerunt Magi, quia vnde dies nascitur, inde initium fidei processit, quia fides lumen est animarum. Vel quia omnes, qui ad Christum veniunt, ab ipso, & per ipsum veniunt. Vnde dicitur Zachar. 6. Ecce vir, Oriens nomen eius. Dicuntur autem ab Oriente, ad literam venisse, vel quia de vltimis Orientis partibus venerunt, secundum quosdam, vel quia de aliquibus vicinis partibus Iudææ venerunt, quæ tamen sunt regioni Iudæorum ad Orientem. Credibile tamen est, etiam in alijs partibus mundi aliqua indicia natiuitatis Christi apparuisse, sicut Romæ fluxit oleum, & in Hispania apparuerunt tres Soles, paulatim in vnum coeuntes. ¶ Ad quartum dicendum, quòd sicut Chrysost. dicit, Angelus manifestans Christi natiuitatem, non iuit Hierosolymam, non requisiuit Scribas, & Pharisæos, erãt enim corrupti, & præ inuidia cruciabantur. Sed pastores erant synceri antiquam conuersationẽ Patriarcharum, & Moysi colentes. Per hos etiam pastores significabantur doctores Ecclesiæ, quibus Christi mysteria reuelantur, quæ latebant Iudæos.

Ho. 2. Matth. in oper. imper. sup. illud, Ecce Magi ab Oriente, to mo. 2.

¶ Ad quintum dicendum, quòd sicut Ambrosius dicit, generatio domini non solum à iuuenibus, sed etiam à senioribus, & iustis accipere testimoniũ debuit quorum etiam testimonio propter iustitiam magis credebatur.

li. 2. in Luc. cuius initium est de Simeone e Anna. to. 5

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrùm Christus per seipsum natiuitatem suam manifestare debuerit.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod Christus per seipsum, nati

natiuitatem ſuam manifeſtare debuerit. Cauſa enim quæ eſt per ſe, ſemper eſt potior ea, quæ eſt per aliud: vt dicitur in octauo Phyſicorum. Sed Chriſtus ſuam natiuitatem manifeſtauit per alios, puta, paſtoribus per Angelos, & Magis per ſtellam. Ergo multò magis per ſe ipſum debuit ſuam natiuitatem manifeſtare.

lib 8. Phy. tex. 39. to mo. 2.

¶ 2. Præterea, Eccleſiaſtici. 20. dicitur, Sapientia abſcondita, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque? Sed Chriſtus à principio ſuæ conceptionis plenè habuit ſapientiæ, & gratiæ theſaurum. Niſi ergo hanc plenitudinem manifeſtaſſet per opera, & verba, fuiſſet fruſtrà ei data ſapientia, & gratia: quod eſt inconueniens, quia Deus, & natura nihil fruſtrà faciunt: vt dicitur in. 1. de Cœlo. ¶ 3. Præterea, in libro de infantia Saluatoris legitur, quòd Chriſtus in ſua pueritia multa miracula fecit. Et ita videtur, quòd ſuam natiuitatem per ſeipſum manifeſtauerit. ¶ Sed contra eſt, quod Leo Papa dicit, quod Magi viderunt, & adorauerunt puerum Ieſum in nullo ab humanæ infantiæ generalitate diſſimilem. Sed alij infantes non ſe ipſos manifeſtant. Ergo neque decuit, quòd Chriſtus per ſeipſum ſuam natiuitatem manifeſtaret.

li. 1. de Cœlo. text. 32 tom. 2.

Inſer. 4. de Epiphan. in med. Incipit hic ſer. Iuſtum & rationabile

Reſpondeo dicendum, quòd natiuitas Chriſti ad humanam ſalutem ordinabatur, quæ quidem eſt per fidem. Fides autem ſalutaris diuinitatem, & humanitatem Chriſti confitetur. Oportebat igitur ita manifeſtari natiuitatem Chriſti, vt demonſtratio diuinitatis eius, fidei humanitatis ipſius non præiudicaret. Hoc autem factum eſt, dum Chriſtus in ſeipſo natiuitatem ſimilem infirmitati humanæ exhibuit, & tamen per Dei creaturas diuinitatis virtutem in ſe monſtrauit. Et ideo Chriſtus non per ſeipſum ſuã natiuitatem manifeſtauit, ſed per quaſdam alias creaturas.

A

Ad primum ergo dicendum, quòd in via generationis, & motus oportet per imperfecta ad perfectum peruenire. Et ideo Chriſtus prius manifeſtatus eſt per alias creaturas: & poſtea manifeſtauit ſe per ſeipſum manifeſtatione perfecta. ¶ *Ad ſecundum dicendum, quòd licet ſapientia abſcondita ſit inutilis, non tamen ad ſapientem pertinet, vt quolibet tempore manifeſtet ſeipſum, ſed tempore congruo. Dicitur enim Eccleſiaſtici. 20. Eſt tacens nabens ſenſum loquelæ, & eſt tacens ſciens tempus apti temporis.* B *Sic ergo ſapientia Chriſto data non fuit inutilis, quia ſeipſum tempore congruo manifeſtauit, & hoc ipſum, quod tempore congruo abſcondebatur, eſt ſapientiæ indicium.* ¶ *Ad tertium dicendũ, quòd liber ille de infantia Saluatoris eſt apocryphus. Et Chryſoſt. dicit ſuper Ioann. quòd Chriſtus non fecit miracula antequam aquam conuertit in vinum, ſecundum illud, quod dicitur Ioan. 2. Hoc fecit initium ſignorum Ieſu. Si enim ſecundum primam ætatem miracula feciſſet, non indiguiſſent Iſraelitæ alio manifeſtante eum: cùm tamen Ioannes Baptiſta dicat Ioan. primo, Vt manifeſtetur in Iſrael, propterea veni in aqua baptizans. Decẽter autem non incœpit facere ſigna in prima ætate, exiſtimaſſent enim phantaſma eſſe Incarnationem, & ante opportunum tempus cruci eum tradidiſſent, liuore liquefacti.*

Hom. 22. in Ioã. non lõge a princ. tom. 32.

C

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrũ natiuitas Chriſti debuerit per Angelos, & ſtellam manifeſtari.

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quòd non debuerit manifeſtari per Angelos Chriſti natiuitas. Angeli enim ſunt ſpirituales ſubſtantiæ, ſecundum illud Pſalm. 103. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus.* 200

ritus. Sed Christi natiuitas erat secundum carnem, non autem secundum spiritualem eius substantiã. Ergo non debuit per Angelos manifestari. ¶ 2. Præterea, Maior est affinitas iustorum ad Angelos, quàm ad quoscunque alios, secundũ illud Psal. 33. immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Sed iustis, scilicet Simeoni, & Annæ, non est manifestata Christi natiuitas per Angelos. Ergo nec pastoribus per Angelos manifestari debuit. ¶ 3. Præterea, Videtur, quòd nec Magis debuerit manifestari per stellam. Hoc enim videtur esse erroris occasio, quãtum ad illos, qui æstimant sydera natiuitatibus hominum dominari. Sed occasiones peccandi sunt hominibus auferendæ. Nõ ergo fuit conueniens, quod per stellam Christi natiuitas manifestaretur. ¶ 4. Præterea, Signum oportet esse certum ad hoc, quòd per ipsum aliquid manifestetur. Sed stella non videtur esse signum certum natiuitatis Christi. Ergo inconuenienter fuit Christi natiuitas per stellam manifestata ¶ Sed contra est, quod dicitur Deutero. 32. Dei perfecta sunt opera. Sed talis manifestatio fuit opus diuinum. Ergo per cõuenientia signa fuit effecta.

Respondeo dicendum, quòd sicut manifestatio syllogistica fit per ea, quæ sunt magis nota ei, cui est aliquid manifestãdum: ita manifestatio quæ fit per signa, debet fieri per ea, quæ sunt familiaria illis, quibus manifestatur. Manifestum est autem, quòd viris iustis est familiare, & consuetum interiori Spiritus sancti instinctu edoceri, absque signorum sensibilium demonstratione, scilicet per Spiritum prophetiæ. Alij verò corporalibus rebus dediti, per sensibilia ad intelligibilia adducuntur. Iudæi autem consueti erant diuina responsa per Angelos accipere, per quos etiam legem acceperant: secundum illud Actuum. 7. Accepistis legem in dispositione Angelorum. Gentiles verò, & maximè Astrologi consueti sunt stellarum cursus inspicere. Et ideo iustis, scilicet Simeoni, & Annæ, manifestata est Christi natiuitas per interiorẽ instinctum Spiritus sancti: secundum illud Luc. 2. Responsum accepit à Spiritu sancto, nõ visurum se mortem, nisi prius videret Christum domini. Pastoribus autem, & Magis tanquam rebus corporalibus deditis manifestata est Christi natiuitas per visibiles apparitiones. Et quia natiuitas nõ erat purè terrena, sed quodammodo cælestis, ideo per signa cælestia vtrisque Christi natiuitas reuelatur. Vt enim August. dicit in serm. de Epipha. Cælos Angeli habitant, & sydera ornãt, vtrisque ergo cæli enarrant gloriã Dei. Rationabiliter autem pastoribus tanquã Iudæis, apud quos frequenter factæ sunt apparitiones Angelorum, reuelata est natiuitas Christi per Angelos. Magis autem assuetis in consideratione cælestium corporum, manifestata est per signũ stellæ: quia (vt Chryso. dicit) per consueta eos Dominus vocare voluit, eis condescẽdens. Est autem & alia ratio: quia vt Gregor. dicit, Iudæis tanquam ratione vtentibus rationale animal, ideſt Angelus prædicare debuit. Gẽtiles verò, quia vti ratione nesciebant, ad cognoscendũ Dominum, non per vocem, sed per signa perducuntur. Et sicut Dominum iam loquentem annuntiauerunt Gẽtilibus prædicatores loquentes, ita cum nondum loquentem elementa muta prædicauerũt. Est etiam & alia ratio: quia vt August. dicit in sermone Epipha. Abrahæ innumerabilis fuerat promissa successio non carnis semine, sed fidei fœcunditate generanda. Et ideo stellarum multitudini est comparata, vt cælestis progenies speraretur. Et ideo Gentiles in syderibus designati, ortu noui syderis excitantur, vt perueniant ad Christum, per quem efficiuntur semen Abrahæ.

Ad primum ergo dicendum, quòd illud

A

B

C

Gloss ord. super 2. ca. Mat. super id. Vidimus stellã.

hom. 6. in Mat. sup. illud. Ecce stella quam viderant, tom 2. Grego. ho. 10 in Euã. circa prin.

lud manifestatione indiget, quod de se est occultum: non autem illud quod de se est manifestum. Caro autẽ eius, qui nascebatur, erat manifesta, sed Diuinitas erat occulta. Et ideo conuenienter manifestata est illa natiuitas per Angelos, qui sunt Dei ministri. Vnde & cum claritate Angelus apparuit, vt ostenderetur, quòd ille qui nascebatur, erat splẽdor paternæ gloriæ. ¶ Ad secundum dicendum, quòd iusti non indigebant visibili apparitione Angelorum: sed eis sufficiebat interior instinctus Spiritus sancti propter eorum perfectionem. ¶ Ad tertium dicendum, quòd stella natiuitatem Christi manifestans, omnem occasionem erroris subtraxit. Vt enim Augustinus dicit contra Faustum. Qui tandem astrologi ita constituerunt nascentium hominum fata sub stellis, vt aliquã stellarum homine aliquo nato circuitus sui ordinem reliquisse, & ad eum, qui natus est perrexisse asseuerent? sicut accidit circa stellam, quæ demonstrauit natiuitatem Christi. Et ideo per hoc non confirmatur error eorum, qui sortem nascentium hominum astrorum ordini colligari arbitrantur, non autem credunt astrorum ordinem ad hominis natiuitatem posse mutari. Similiter etiam, vt Chrysostom. dicit, Non est hoc astronomiæ opus, à stellis scire eos qui nascuntur: sed ab hora natiuitatis futura prædicere. Magi autem tempus natiuitatis non cognouerunt: vt hinc sumentes initium, à stellarum motu futura cognoscerent, sed potius è cõuerso. ¶ Ad quartum dicendum, quòd sicut Chrysost. refert, in quibusdam scripturis apocryphis legitur, quòd quædam gens in extremo Orientis iuxta Oceanum, scripturam quandam habebat ex nomine Seth, de apparitura hac stella, & muneribus huiusmodi offerendis: quæ gens diligenter obseruabat huius stellæ exortum, positis exploratoribus duodecim, qui certis temporibus de nocte ascendebant in montem, in quo post modum eam viderunt, habentem in se quasi paruuli formam, & super se similitudinem crucis. Vel dicendum, quòd sicut dicitur in lib. de Quæstionibus veter. & noui Testamenti. Magi illi traditionem Balaam sequebantur, qui dixit, Orietur stella ex Iacob. Vnde videntes stellam extra ordinem mundi, hanc esse intellexerunt, quam Balaam futuram indicem Regis Iudæorum prophetauerat. Vel dicendum, sicut Augustinus, dicit in sermo. de Epiphania, quòd ab Angelis aliqua admonitione reuelationis audierunt Magi, quòd stella Christum natum significaret: & probabile videtur quòd à bonis; quando in Christo adorando salus eorum iam quærebatur. Vel sicut Leo Papa, dicit in sermone de Epiphania præter illam speciem, quæ corporeum incitauit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum, corda perdocuit, quod ad illuminationem fidei pertinebat.

lib.2.c.5.a med.to.6.

hom.6.in Mat.nõpro cul a princ. tom.2.

homil.2.in Matth. in opc.imper. sup. illud Vidimus. stellã eius, tom.2.

in.l.q. ex no.testa.q. 39.tom.4 opc.Aug.

inser.7.qui est 35.in ord. ante me.to.10.

In ser.4. parũ ante medium.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrũ natiuitas Christi ordine conuenienti fuerit manifestata.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quòd inconuenienti ordine Christi natiuitas fuerit manifestata. Illis enim debuit primo manifestari Christi natiuitas, qui Christo propinquiores fuerunt, & qui magis Christum desiderabant: secundum illud Sapien. 6. Præoccupat eos, qui se concupiscunt, vt se priorem illis ostendat. Sed iusti propinquissimi erant Christo per fidem, & maximè eius aduentum desiderabant: Vnde dicitur Luc. 2. de Simeone, quòd erat homo iustus, & timoratus expectans redemptionem Israel. Ergo prius debuit

201.

debuit manifestari Christi natiuitas Simeoni, quàm pastoribus, vel Magis.

In ser. 2 de epipha. tomo. 10.

¶ 2. *Præterea, Secundum Augustinum. Magi fuerunt primitiæ Gentium Christo creditурarum. Sed primò plenitudo Gentium intrat ad fidem, & post modum omnis Israel saluus fiet: vt dicitur Romanorum. 11. Ergo prius debuit manifestari Christi natiuitas Magis, quàm pastoribus.* ¶ 3. *Præterea, Matth. 2. dicitur, quòd Herodes occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehẽ, & in omnibus finibus eius, à bimatu, & infrà, secundum tempus quod exquisierat à Magis. Et sic videtur quòd per duos annos post Christi natiuitatem Magi ad Christum peruenerint. Inconuenienter igitur post tantum tempus fuit Gentilibus Christi natiuitas manifestata.*

¶ *Sed contra est quod dicitur Dani. 2. Ipse mutat tempora, & ætates. Et ita tempus manifestationis natiuitatis Christi videtur congruo ordine esse dispositum.*

Respondeo dicendum, quòd Christi natiuitas primò quidem manifestata est pastoribus ipso die natiuitatis Christi. Vt enim dicitur Luc. 2. Pastores erãt in regione eadem vigilantes, & custodiẽtes vigilias noctis super gregem suũ: & vt discesserunt ab eis Angeli in cælum, loquebantur adinuicem, transeamus vsque Bethlehem, & venerunt festinantes. Secundò autem Magi peruenerunt ad Christum decima tertia die natiuitatis eius: quo die festum Epiphaniæ celebratur. Si enim reuoluto anno, vel etiam duobus annis venissent, non inuenissent eum in Bethlehem: cùm scriptum sit Luc. 2. quòd postquam perfecerunt omnia secundum legem Domini (offerentes scilicet puerum Iesum in templum) reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth. Tertiò autem manifestata est iustis in templo quadragesimo die à natiuitate Christi: vt habetur Lucæ. 2. Et huius ordinis ratio est: quia per pastores significantur Apostoli, & alij credentes ex Iudæis, quibus primò manifestata est fides Christi: inter quos non fuerunt multi potentes nec multi nobiles: vt dicitur. 1. ad Corint. 1. Secundò autem fides Christi peruenit ad plenitudinem Gentium, quæ est præfigurata per Magos. Tertiò autem peruenit ad plenitudinem Iudæorum, quæ est præfigurata per iustos: vnde & in templo Iudæorum est eis Christus manifestatus.

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut Apost. dicit Romanor. 9. Israel sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit: sed Gentiles qui non quærebant iustitiam, Iudæos communiter in iustitia fidei præuenerunt. Et in huius figuram Simeon, qui expectabat consolationem Israel, vltimò Christum natum cognouit, & præcesserunt eum Magi, & pastores, qui Christi natiuitatem non ita solicitè expectabant.

¶ *Ad secundum dicendum, quòd licet plenitudo Gentium prius intrauerit ad fidem, quàm plenitudo Iudæorum: tamen primitiæ Iudæorum præuenerunt in fide primitias Gentium, & ideo pastoribus prius manifestata est Christi natiuitas, quàm Magis.* ¶ *Ad tertium dicendum, quòd de apparitione stellæ, quæ apparuit Magis, est duplex opinio. Chrysost. enim super Matth. & Augus. in serm. Epipha. dicunt, quòd stella Magis apparuit per biennium ante Christi natiuitatem: & tunc præmeditantes & se ad iter præparantes, à remotissimis partibus Orientis peruenerunt ad Christum tertiadecima die à sua natiuitate. Vnde & Herodes statim post recessum Magorum, videns se ab eis illusum, mandauit occidi pueros à bimatu. & infra, dubitans ne tunc Christus natus esset, quando stella apparuit, secundum quod*

Chrys. ho. 10. in Mat. ante med. tom. 2. August. in ser. 7. ante med. & in alio ser. de epiph. post ser. ad fra. in eremo. tom. 10.

à Magis

à Magis audierat. Alij verò dicunt stellam apparuisse primò, cùm Christus natus est, & statim Magi visa stella iter arripientes, longissimum iter in tredecim diebus peregerunt, partim quidem adiuti diuina virtute, partim autẽ dromedariorum velocitate. Et hoc dico si venerunt ex extremis partibus Orientis. Quidam tamen dicunt eos venisse de regione propinqua, vnde fuerat Balaam, cuius doctrinæ sectatores fuerũt. Dicũtur autem ab Oriente venisse: quia terra illa est ad Orientalem partẽ terræ Iudæorum. Et secundum hoc Herodes non statim recedentibus Magis, sed post biennium pueros interfecit. Vel quia dicitur interim accusatus Romam iuisse, vel aliquorum periculorum terroribus agitatus, à cura interficiendi puerum interim destitisse. Vel quia potuit credere Magos fallacis stellæ visione deceptos, postquam non inuenerunt quem natum putauerant erubuisse ad se redire: vt Augustinus dicit in lib. de Consensu Euangelistarum. Ideo autem non solum bimos pueros interfecit, sed etiam infrà: quia (vt Augustinus dicit in quodam sermone Innocentum) timebat ne puer, cui sydera famulantur, speciem suam paulò supra ætatem, vel infrà transformaret.

lib. 2. c. 11. inter med. & fi. to. 4. Glos. ord. super illa verba Mat. 2. a bimatu.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum stella, quæ Magis apparuit, fuerit vna de cœlestibus stellis.

AD septimũ sic proceditur. Videtur, quòd stella, quæ Magis apparuit, fuerit vna de cœlestibus stellis. Dicit enim Aug. in quodam sermone Eppiphaniæ, Deũ pendet ad vbera, & vilium patitur Deus inuolumenta pannorum, repente nouum de cœlo sydus effulsit. Fuit igitur stella cœlestis, quæ Magis apparuit.

202. Op. 60. c. 7. Et Mat. 2. co. 4.

¶ 2. Præterea, Augustinus dicit in sermone quodam Epiphaniæ: Pastoribus Angeli, Magis stella Christũ demõstrat, vtrisque loquitur lingua cœlorum: quia lingua cessauit Prophetarum. Sed Angeli pastoribus apparentes, fuerunt verè de cœlestibus Angelis. Ergo & stella Magis apparens, fuit verè de cœlestibus stellis.

in serm. 2. epipha. qui est 30. in ordine, & ser. 3. eiusdem festi, tom. 10.

¶ 3. Præterea, Stellæ, quæ non sunt in cœlo, sed in aere, dicuntur stellæ cometæ, quæ non apparent in natiuitatibus Regum, sed magis sunt indicia mortis eorum. Sed illa stella designabat Regis natiuitatem: vnde Magi dicunt Mat. 2. Vbi est, qui natus est Rex Iudæorũ? Vidimus enim stellam eius in Oriente. Ergo videtur, quòd fuerit de cœlestibus stellis. ¶ Sed contra est, quod Augus. dicit in libr. 2. contra Faustum. Non ex illis erat hæc stellis: quæ ab initio creaturæ itinerum suorum ordinem sub creatoris lege custodiunt, sed nouo Virginis partu nouum sydus apparuit.

li. 2. ca. 5. a med. to. 5.

Respondeo dicendum, quòd sicut Chrisost. dicit super Matth. quòd illa stella, quæ Magis apparuit, non fuerit vna cœlestium stellarum, multipliciter manifestum est. Primò quidem, quia nulla alia stellarum hac via incedit, hæc enim stella ferebatur à Septentrione in Meridiem: ita enim Iudæa iacet ad Persidem, vnde Magi venerunt. Secundò apparet hoc ex tempore: non enim solum apparebat in nocte, sed etiam in media die, quod non est virtutis stellæ, sed nec etiam Lunæ. Tertiò, quia quandoque apparebat, & quãndoque occultabatur. Cùm enim intrauerunt Hierosolymam, occultauit seipsam: deinde vbi Herodẽ reliquerunt, seipsam mõstrauit. Quartò, quia non habebat continuum motum, sed cum oportebat ire Magos, ibat, cum oportebat stare, stabat, sicut & de colum-

ho. 6. post med. primi fol. a prin. hom. to. 2.

columna nubis erat in deserto. Quintò, quia non sursum manens, partum Virginis demonstrabat, sed deorsum descendēs, hoc faciebat. Dicitur enim Matt. 2. quòd stella, quam viderant Magi in Oriente, antecedebat eos, vsque dum veniens staret suprà vbi erat puer. Ex quo patet, quòd verbum Magorum dicentiū, Vidimus stellam eius in Oriente, non est sic intelligendum, quasi ipsis in Oriente positis stella apparuerit existens in terra Iuda, sed quia viderunt eam in Oriente existentem, & præcessit eos vsque in Iudæam, quamuis hoc à quibusdam sub dubio relinquatur. Non autem potuisset distinctè donum demonstrare, nisi esset terræ vicina. Et sicut ipse dicit, hoc non videtur proprium esse stellæ, sed virtutis rationalis cuiusdam. Vnde videtur hæc stella virtutis inuisibilis fuisse in talem apparentiam transformata. Vnde quidam dicunt, quòd sicut Spiritus sanctus descendit super baptizatum Dominum in specie columbæ: ita apparuit Magis in specie stellæ. Alij verò dicunt, quòd Angelus qui apparuit pastoribus in humana specie, apparuit Magis in specie stellæ. Probabilius tamen videtur, quòd fuerit stella de nouo creata non in cælo, sed in aere vicino terræ, quæ secundum Diuinam voluntatem mouebatur. Vnde Leo Papa dicit in sermone Epiphaniæ. Tribus Magis in regione Orientis, stella nouæ claritatis apparuit, quæ illustrior cæteris pulchriorq; syderibus, in se intuentium oculos animosque conuerteret, vt confestim aduerteretur, non esse otiosum, quod tam insolitum videbatur.

Inser. 1. nō lōge aprin.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd cælum in Sacra Scriptura, quandoque dicitur aer: secundum illud, Volucres cæli, & pisces maris. ¶ Ad secundum dicendum, quòd ipsi Angeli cælestes ex suo officio habent, vt ad nos descendant in ministerium missi: sed stellæ cælestes suum situm non mutant. Vnde non est similis ratio. ¶ Ad tertium dicendum, quòd sicut stella illa non est sequuta motum stellarum cælestium, ita nec etiam, stellarum cometarum: quæ nec de die apparent, nec cursum suum ordinatum mutant. Et tamen non omnino aberat significatio cometarum, quia cæleste Regnum Christi, comminuit, & consumit vniuersa Regna terræ, & ipsum stabit in æternum: vt dicitur Dan. 2.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrùm Magi conuenienter ad Christum adorandum venerint.

AD octauum sic proceditur. 203.
Videtur, quòd Magi non conuenienter ad Christum venerandum venerint. Vnicuique enim Regi reuerentia debetur à suis subiectis: Magi autem non erant de Regno Iudæorum. Ergo cùm ex visione stellæ cognouerunt natum esse Regem Iudæorum, videtur, quòd inconuenienter venerint ad eum adorandum. ¶ 2. Præterea, Stultum est viuente Rege aliquo, extraneum Regem annuntiare. Sed in Regno Iudææ regnabat Herodes. Ergo stultè fecerunt Magi, alterius Regis natiuitatem annuntiantes. ¶ 3. Præterea, Certius est cæleste indicium, quàm indicium humanum. Sed Magi ducatu cælestis indicij ab Oriente, venerant in Iudæam. Stultè ergo egerunt, præter ducatum stellæ, humanum indicium requirendo, dicentes, Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? ¶ 4. Præterea, Munerum oblatio, & adorationis reuerentia, non debetur nisi Regibus iam regnantibus. Sed Magi non inuenerunt Christum regia dignitate fulgentem.

Matth. 2. princ.

gentem. Ergo inconuenienter ei munera, & reuerentiam regiam exhibuerunt.

¶ Sed contra est, quòd dicitur Isaiæ. 60. Ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. Sed qui Diuino lumine ducuntur, non errant. Ergo Magi, absque errore, Christo reuerentiam exhibuerunt.

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est. Magi sunt primitiæ Gentium in Christum credentium: in quibus apparuit, sicut in quodam præsagio fides, & deuotio Gentium venientium à remotis ad Christum. Et ideo sicut deuotio, & fides Gentium est absque errore per inspirationem Spiritus sancti: ita etiam credendum est, Magos à Spiritu Sancto inspiratos, sapienter Christo, reuerentiam exhibuisse.

ar. 6. huius q. arg. 2.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd sicut Augustinus dicit in sermone Epiphaniæ, cùm multi Reges Iudæorum nati fuissent, atque defuncti, nullum eorum Magi adorandum quæsierunt. Non itaque Regi Iudæorum, quales illic esse solebat, hunc tam magnum honorem longinqui, alienigenæ, & ab eodem regno prorsus extranei à se deberi arbitrabantur: sed talem natum esse didicerunt, in quo adorando, se salutem, quæ secundum Deum est, consecuturos minimè dubitauerunt.

In serm. 2. qui est 30. in ord. ante medium illius, to. 10.

¶ Ad secundum dicendum, quòd per illam annuntiationem Magorum præsignabatur constantia Gentium, Christum vsque ad mortem confitentium. Vnde Chrysostom. dicit super Matthæ. quòd dum considerabant Regem futurum, nō timebant Regem præsentem: adhuc non viderant Christum, & iam parati erant pro eo mori.

Hom. 2. in Matth. in opc imper. super illud Vidimus stellā to. 2.

¶ Ad tertium dicendum, quòd sicut Augustinus dicit in sermone Epiphaniæ: Stella, quæ Magos perduxit ad locum, vbi erat cum matre Virgine Deus Infans, poterat eos ad ipsam perducere ciuitatem Bethlehem, in qua natus est Christus: sed tamen subtraxit se, donec de ciuitate, in qua Christus nasceretur, etiam Iudæi testimonium perhiberent: vt sic geminato testimonio confirmati (sicut Leo Papa dicit) attentiori fide expeterent, quem & stellæ claritas, & prophetiæ manifestabat autoritas. Et ita ipsi annuntiant Iudæis Christi natiuitatem, & interrogant locum, credunt & quærunt, tanquam significantes eos, qui ambulant per fidem, & desiderant speciem: vt Augustinus dicit in sermo. Epiphaniæ. Iudæi autem indicantes eis locum natiuitatis Christi, similes facti sunt fabris arcæ Noe, qui aliis vbi euaderent præstiterunt, & ipsi diluuio perierunt. Audierunt, & abierunt inquisitores, dixerunt, & remanserunt doctores similes lapidibus milliariis, qui viam ostendunt, nec ambulant. Diuino etiam nutu factum est, vt aspectu stellæ subtracto, Magi humano sensu in Ierusalem irent quærentes in ciuitate regia Regem natum, vt in Ierusalem primò Christi natiuitas publicè annuntiaretur (secundum illud Isa. 2. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem) & vt etiam studio Magorum de longe venientium, damnaretur Iudæorum pigritia propè existentium.

Inser. 4. de Epiph. inter prin. & me.

Inserm. 6. qui est 34. in ordin. detēp. paulo a princ. to. 10.

¶ Ad 4. dicendū, quòd sicut Chrysost. dicit super Matth. Si Magi terrenum regem quærentes venissent, fuissent confusi: quia tanti itineris laborem sine causa suscepissent, vnde nec adorassent, nec munera obtulissent. Nunc autem quia cælestem regem quærebant, etsi nihil regalis excellentiæ in eo viderent, tamen solius stellæ testimonio contenti cum adorauerunt: vident enim hominem, & agnoscunt Deum. Et offerunt munera dignitati Christi congruentia:

Homi. 2. in Matth. in ope. imp. super illud & intr. do. to. 2.

gruentia: aurum quidem, quasi Regi magno: thus quod in Dei sacrificio ponitur, immolatur vt Deo: myrrha, qua mortuorum corpora condiuntur, præbetur, tanquàm pro salute omnium morituro. In quo etiam, vt Grego. dicit, instruimur, vt nato Regi aurum (per quod significatur sapientia) offeramus, in conspectu eius, sapientiæ lumine splendentes. Thus autem, per quod exprimitur orationis deuotio, offerimus Deo, si per orationũ studia Deo redolere valeamus. Myrrhã autem, quæ significat mortificationem carnis, offerimus, si carnis vitia per abstinẽtiam mortificemus.

Hom.10.in Euãg. post med. illius.

DISPVTATIO, XIIII.

In sex sectiones distributa.

De signis, & prodigiis, quibus Christi natiuitas manifestata est, præsertim Magis.

DIuus Thomas in tota hac quæstione non disputat solum de illa manifestatione Christi nati, quæ eàdem die, seu nocte natiuitatis eius facta est: sed simpliciter de omnibus manifestationibus, quæ illis diebus Natiuitati proximis in scriptura factæ esse legũtur, & eas ad quatuor reuocat. Prima facta dicitur Mariæ, & Iosepho, quam attigit art. 2. ad 2. de qua nihil aliud dicit, quám eam esse factam ante natiuitatem Christi, quia ad eos pertinebat reuerentiam exhibere proli conceptæ in vtero, & etiã obsequi nascituræ; & hoc quidem indubitatum est, quantum ad reuelationem fidei, quam Virgo, & Iosephus habuerunt de Diuinitate, & dignitate Christi nascituri, & de modo etiam (vt existimo) nascendi salua matris integritate, & virginitate, quanquam hoc posterius non sit tam certum, sicut prius, quod in Euangelio expressius habetur, de qua re plura dicam inferius tractando de perfectione fidei beatę Virginis. An verò circunstantiæ huius natiuitatis, scilicet locus, tempus & reliquæ reuelatę fuerint beatę Mariæ, &

A Iosepho ante Christi ortum incertum est; piè tamen ita credi potest. Ratio enim D. Thom. hoc etiam probabiliter persuadet, oportuisse scilicet hæc etiam illis prius manifestari, vt conuenientius, & opportunius nascituræ proli deseruirent. Et de hac manifestatione nihil aliud dicendum occurrit. Secunda ergo manifestatio facta est pastoribus, tertia Magis, quarta, Simeoni, & Annæ, de quibus promiscue D. Thom. agit in omnibus his artic. Quia verò de prima, & tertia pauca dicenda occurrũt præter ea quæ in Euangelio continentur, quæ ad illas pertinent, quæq; omnibus his manifestationibus, & aliis signis, vel prodigiis in hac natiuitate factis communia sunt, in sequenti sectione expediemus; in reliquis verò, quæ ad Magorum aduentũ, & adorationem pertinent, & longiore indigent expositione, persequemur.

SECTIO. I.

B *Quibus signis, quibusq; personis Christi natiuitas manifestata sit.*

DE materia huius dubij nihil ferè certum inuenio præter ea, quæ Euangelistę referunt, & ideò breuissimè dicendũ est, quanuis non oportuerit Christi natiuitatem vniuerso orbi statim manifestari (vt circa art. 1. D. Thom. explicatũ reliquimus) oportuisse tamen aliquo modo disponi seu præparari mundum, vt venientem saluatorem susciperet. Vt enim ait Leo. Pap. ser. 1. de Epiphan. *Ad omnium hominum spectabat salutem, vt tam vniuerso declararetur mundo, cum adhuc exiguo detineretur oppidulo.* Quocirca eo tempore adimpletum videtur, quod Aggæus Propheta cap. 2. prędixerat *Adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gẽtes, & veniet desideratus cunctis gentibus.* Varia enim C legimus in historiis eo tempore accidisse prodigia, vt videre licet in Orosio lib. 6. c. 20. & sequentibus, & in Iulio Obsequente lib. de prodigiis, cap. 128. & sequent. quæ licet non omnia in die natalis Domini facta fuerint: vniuersa tamen ad Christi ortum illustrandũ diuinitus ordinata fuisse, omnes scriptores pij, ac catholici annotarunt.

Leo. Pap.

Aggæ. 2.

Oroſio. Iul. Obſe.

Primum prodigium sit de templo pacis, quod

Prodigia in aduentu Christi qualia.

quod à Romanis æternum existimabatur, A quòd ex suis oraculis haberent, donec Virgo pareret, duraturum: corruisse autē dicitur ea nocte qua deipara Christum peperit. Ita refert Bonau. opus. de quinq; festiuitatibus pueri Iesu. capit. 2. & habetur etiam in quadā homilia de natiuitate Christi, quæ sub nomine Petri Damiani habetur in Lippomano tom. 8. & Surio. tom. 6. Cæsar tamen Baronius, in principio suorum annalium, & diligenter obseruauit homiliam illam non esse Petri Damiani, quòd in ea mētio fiat Bernar. qui (vt ipse dicit) quinquaginta annis, vel (vt ex Tritemio colligitur) nonaginta posterior fuit, & erudite ostendit historiam illam non solum incertam; sed etiā falsam esse, quia ante Vespasianum, qui templū pacis Romæ ædificauit (teste Iosepho lib. 7. de bello Iudaico) nullum aliud templum pacis Romæ fuisse legitur, quod in natali Christi corruere potuerit.

Bonauent. Pet. Dam. Lippoman. Surius. Cæs. Baronius. Templum pacis, Romæ quando fuerit: Tritem. Ioseph.

Secundum prodigium refertur de fonte olei, qui Romæ toto quodam die sine intermissione fluxit. Huius meminit Diuus Thom. hic artic. 3. ad. 3. & multi existimant hoc accidisse eadē die, seu nocte, qua Christus natus est. Orosius tamen qui dicto lib. 6. cap. 19 huius prodigij meminit, illud tertio anno Triumuiratus, hoc est viginti septem annis ante Christi natiuitatem accidisse confirmat, quanquam illo significatū fuisse dicat Christum (qui *vnctus* interpretatur) regnāte Augusto fuisse nasciturum. Idemq; dicit de multis aliis prodigiis, quæ eodem tempore refert accidisse: quale etiā tertium illud prodigium est, quod D. Tho. eodem supra citato loco ponit. De tribus solibus, qui in Hispania aparuerunt, in vnumq; paulatim coierunt. Cuius etiam meminit Iulius Obsequens supra. Plinius verò lib. 2. histor. cap. 31. sępius refert apparuisse tres soles: non dicit tamen in vnū coiuisse, quanuis hoc tempore Augusti Imperatoris accidisse commemoret prope initium Triumuiratus, vt ex Consulibus, quos ibi refert colligi potest.

D. Thom. Oros. D. Thom. Iul. Obseq. Plin.

Quarto refert Sanctus Bonauen. citato loco, in nocte natiuitatis omnes nefando peccato inquinatos subitò interiisse, additque alia, quæ incerta sunt. Quintū prodigium esse potest, dæmonum oracula eo tempore conticuisse, & interdum vel inuitum dęmonem hanc causam, seu rationem sui silentij reddidisse, vt Nicephorus post alios refert lib. 1. histor. cap. 17. Cùm enim Augustus nullum in templo Apollinis responsum acciperet, causamq; interrogaret tandem respondit in hunc modum.

Nicephor.

Me puer Hæbræus, diuos Deus ipse gubernans,
Cedere sede iubet, tristemq; redire sub Orcū:
Aris ergo de hinc tacitis abscedito nostris.

Sexto ac postremo loco prodigij ponere possumus generalem pacem in vniuerso Imperio Romano sub vno Principe factam, vt Christus Princeps pacis nasceretur, sicut prædictum fuerat Isai. 9. & 11. Habitabit lupus cum agno, &c.

Isai. 9. & 11.

Secundo dicēdum est oportuisse Christi natiuitatem aliquibus personis peculiariter manifestari. Hoc rectè declarat D. Thom. hic artic. 2. quoniam sicut posset in B detrimentum fidei cedere, si Christus omnibus absq; delectu manifestaretur: ita etiā si omnes lateret. Nam *sapientia absconsa, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisq;?* Eccle siasti. 20. Item propter hanc causam resurrectio Christi, quanuis non fuerit omnibus patefacta, demonstrata tamen est *testibus præordinatis à Deo*, vt dicitur Act. 10. Deniq; ex Euangelio hoc constat, in quo tres narrantur huius mysterij manifestationes. Prima facta pastoribus, circa quam solum occurrit notandum ex Beda de locis sanctis cap. 8. Illos pastores fuisse tres, & in loco, vbi eis apparuit Angelus, fuisse ecclesiam ædificatam, illum autem locum fuisse prope Bethlehem justa turrim Ader, id est, *gregis*, iuxta quam Iacob pauit greges suos (vt refert Hierō. in epitaphio Paulæ, seu epist. 27). Secūda est facta Simeoni, & Annæ; quā inquit D. Tho. art. 6. factā eis esse in templo. Intelligendus autem videtur, quoad visibilem, seu corpoream manifestationem Christi nati, simul cum interna illius cognitione. Nam quoad aliquā interiorem reuelationem antea prędcessisse videtur. Nam de Simeone inquit Lucas, capit. 2. quod *responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum domini, & venit in spiritu in templum.* De hac reuelatione prędter Ambros. & expositores Luc. 2. legi possunt homiliæ sanctorum Patrum de festo Purificationis, & de Simeone legi potest Epiphanius lib. de Vitis Prophetarū iuxta finē, & Timotheus prędsbyter. Ierosolimitanus ferm.

Natiuitatis Christi manifestatio necessaria. D. Thom. Eccles. 20. Actor. 10. Bed. Hieron. D. Thom. Luc. 2. Epiphan. Timoth. Ierosolimita.

sermone de Sancto Simeone: de Anna verò legi potest Ambrosius in lib. de viduis parum à principio, & Cyrillus Ierosolimitanus, catech. decima, & de vtroque Gregorius Nyssenus, & Amphilochius, & Chrisostomus homiliis de occursu Domini.

Ambros. Cyri. Iero. Greg. Nis. Amphi. oc. Chrysost.

Tertia reuelatio facta est Magis, de qua in sequentibus sectionibus fusè dicendum. Nunc solum est obseruandum, duas priores reuelationes factas esse Iudæis: tertiam verò Gentibus. Hoc tamen ordine, vt prius Christus natus visus sit á pastoribus Iudæis, deinde adoratus à Magis gentilibus: postea in templo cognitus à Simeone, & Anna Iudæis. Quibus significatum est, Christum esse Saluatorem Iudæorum, & gentium, & ab vtrisq; esse cognoscendum, & adorandum: ita tamen, vt agnitionis Christi initium à Iudæis sumeretur, ab eis verò adgentes transiret, in eisq; propagaretur, & conseruaretur vsque ad finem sæculi, quando Iudæorum vocatio iterum consummanda est. Indicauit hoc Augustinus, sermone secundo de Epiphania. Dicens, *Nunc ergo charissimi gratiæ filij, & hæredes videte vocationem vestram, in manifestato Iudæis, & Gentibus Christo, tanquam angulari lapide, perseuerantissima dilectione cohærete. Manifestatus enim est, in ipsis cunabulis infantiæ suæ iis, qui prope, & iis, qui longe erant. Iudæis, in pastorum propinquitate, gentibus in Magorum longinquitate.* Et sermone quarto. *Illi Magi, quid nam fuerunt, nisi primitiæ Gentium? Israelitæ Pastores, Magi gentiles, illi prope, isti longe, vtriq; tamen ad angularem lapidem cucurrerunt, veniens quippe, sicut Apostolus dicit, Euangelizauit pacem nobis, qui eramus longe, & pacem his, qui prope: ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraq; vnum.* Addit verò Chrysostomus homilia sexta super Matthæ. voluisse Christum ab ipso statim initio, *Ostium gentibus reserare, vt Iudæorum amentiam reprehenderet, & domesticos cultores suos per externos eruditet.* Confiderat etiam Rupertus libr. secundo in Matthæ. propè initium, in Magorum adoratione gentium perfectionem præsignificatam esse. Pastores enim Iudæi, & ab Angelo instructi, non adeo sunt eruditi, vt procidentes adorarent, aut munera offerrent, sed tantum modo, *venerunt, & cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis*: Magi verò primitiæ gentium, & venerunt, *& procidentes adorauerunt, & munera obtulerunt*, quibus interiorem fidem, magnamq; mysteriorum Christi cognitionem protestati sunt.

Augustin. *Chrysost.* *Rupert.*

SECTIO. II.

Quot, & cuius conditionis viri Magi fuerint.

TAm de numero, quàm de Magorum statu, & conditione varia est scriptorum opinio. Glossa enim Matth. secundo, eos in magna multitudine fuisse existimat. De illorum verò statu, & conditione, quidam existimant illos fuisse Reges: alij verò negant, quibus magis assentit Ianssennius cap. nono concordiæ. Fundamentum est, quoniam neq; Euangelista eos Reges vocat: quod tamen non tacuisset, quippè cùm ad gloriam Christi non parum pertineret, quòd non quilibet homines, sed Reges, ac Principes illi submitterentur. Præterea hoc explicare fuisset necessarium ad perfectam historiæ narrationem. Erat enim hæc circunstantia valde necessaria: tum ad intelligendas propherias in hoc mysterio impletas, tum etiam, vt sacramentum futuræ conuersionis gentium expressius indicaretur. Adhæc si Magi Reges fuissent, Herodes certè regio honore, & apparatu eos excepisset: quod tamen non fecit, quantum ex Euangelio colligi potest. Deniq; hoc plurimũ suadet, quòd vt nullus veterũ Patrum eos *Reges* appellat. Quanquam quia erant potentes viri, & propter magiam, seu sapientiam Regi adstarent, quia sine eorum consilio nihil in regno fieret, *Reges* appellari possint. Huius modi autem fuisse sapientes, & Magos in Persida ex libr. Hesther, colligi potest: ex qua regione Magos venisse, postea ostendemus. Et in hanc sententiam videtur inclinare Hieron. Daniel. secundo, qui dicit apud Chaldæos philosophos, & sapientes *Magos* appellari, & iuxta eorum sententiã Reges, & Principes eiusdem gentis omnia facere: & subdit, *vnde & in natiuitate Domini, ipsi primũ ortum eius intellexerunt.* De eorũ deniq; scientia varia etiam est opinio. Quidam enim existimant illos vetè fuisse sapientes, alij verò fuisse maleficos, & arios-

Glossa. *Iansen.* *Hierony.*

los. Ita sensit Augustinus sermone secundo, de Epiphania dicens. *Prævalet imperitia in rusticitate pastorum, & impietas in sacrilegiis Magorum.* Idem sentit Origenes, lib. primo, contra Celsum circa finem, vbi Magos interpretatur, *qui cum dæmonibus habent commertium, eosq; ad artes suas, & operationes inuocare solent.* Et subdit viso in cœlis prodigio, vsos fuisse hos Magos suis incantationibus, vt quid significaret, intelligerent: dæmones autem iam à Christo superatos conticuisse, indeque cõiectasse hominẽ, qui per stellam significabatur, potentiorem esse dæmoniis, ideoq; eum adorare decreuisse. Idem ferè homil. 13 in Num. Inclinat in eandem sententiam Basilius, homil. de humana Christi generat. & Iustinus Martyr contra Triphonem circa medium in illis verbis. *Magi enim, quos dæmon sibi vendicarat ad omnia maleficia, postquam venerunt, vt adorarent Christum, videntur ab illo defeciisse redacti in huius potestatem.* Idem sentit Ignatius epist. 14. ad Ephesios circa finem, vbi agens de stella, quæ apparuit Magis, inquit. *Hinc euanuit mundi sapientia: præstigiæ factæ sunt nugæ: magia risus, omnes ritus malitiæ aboliti.* Et ab hac sententia non abhorret Diuus Thomas hic articulo tertio ad secundum. Fundamentum horum autorum solum in Magorum nomine positum est, quia Magiæ nomine huiusmodi artes maleficæ significari solent, vt sumitur ex Philone lib. de specialibus legibus, & Plinio l b. trigesimo historiæ capit. primo, & Tertullian. libr. de idololatria, vbi hac ratione dicit magiam Romanis legibus puniri.

Dicendum verò est primò, hos Magos tres tantum numero fuisse. Hæc est communis sententia sanctorum, Leonis Pap. sermone primo de Epiphania. *Tribus igitur Magis, &c.* & sermone quarto. *Tres itaque viri, &c.* & sermone quinto. *Tres Magos præuia stella perduxit,* & in reliquis sermonibus semper illostres fuisse testatur. Augustinus serm. primo Epiphaniæ, vbi dicit significatum esse Trinitatis mysterium in tribus muneribus, & tribus personis, singulis singula munera offerentibus. Rupertus libr. secundo in Matth. *Tres homines,* inquit. *tribus partibus orbis Asiæ, Africæ, & Europæ, fidei confessionis, & adorationis exempla existere meruerunt.* Eadem est sententia Anselmi, & ferè reliquorum expositorum Matthæi. secundo. Et coniectura ex tribus muneribus desumi potest, si verum est (quod Augustinus dixit) singulos singula munera obtulisse, quod etiam probat Beda infra citandus. Quanquam Anselmus, supra, & Abulens. quæstione decima octaua in Matthæi. secundum cap. potius existiment singulos tria munera obtulisse, quia hoc magis congruit mysterio, quoniã singuli agnoscebant, & profitebantur Christum esse Deum, Regem, & mortalem hominem; hęc itaque coniectura incerta est. Maius argumentum sumi potest ex communi sensu Ecclesiæ, & vulgari, ac antiquissima pictura. Denique Beda in collectaneis non longè à principio, horum virorum nomina, vultusque describit. *Primus* inquit, *dicitur fuisse Melchior senex, & canus, barba prolixa, & capillis, aurum obtulit Regi domino. Secundus nomine Caspar, iuuenis imberbis, rubicundus, thure, quasi Deo oblatione digna, Deum honorabat. Tertius fuscus integrè barbatus, Balthasar nomine per myrrham filium hominis moriturum professus est.*

Dico secundo, hos non fuisse maleficos; sed verisimile est, fuisse sapientes Astrologos. Docet expressè Anselm. Matth. 2. dicens. *Non malefici, sed sapientes Astrologi fuerunt:* Quæ verba sumpsit ex opere imperfecto homil. 2. Rupertus etiam vocat *sapientes gentiles,* indicat Leo Pap. sermone. 4. de Epiphan. his verbis, *Gens, quæ spectandorum syderum arte pollebat,* clarius Cyprianus, sermone de stella, & Magis, *Arte,* inquit, *mathematica vim, & discursum nouerant planetarum, & elementorum naturam, & astrorum ministeria certis experimentis obseruabant.* Inclinat in eandem sententiam Isidorus lib. de passione Domini capit. decimo quarto. Fundamentum huius sententiæ esse potest, quia nomen *Magorum* non semper in malam sumitur partem: sed interdum veros sapientes significare solet, ergo non est, cur propter solum Magorum nomen eos maleficos esse iudicemus. Nam ex illo solo nomine hoc non probatur: qui autem non probatur malus, bonus præsumi debet. Assumptum patet, primó ex Isidoro libr. octauo Ethimolog: capit. nono, vbi dicit primùm stellarum interpretes Magos fuisse

Orige. Basil. Iust. Mart. Ignatius. D. Thom. Philon. Plinius. Tertulla. Magi tres Leo Papa. August. Rupert. Anselm. Beda. Anselm. Abulens. Beda. Magorum nomina & vultus. Anselm. Tres Magi astrologi, nõ malefi. i. Rupert. Leo Papa. Cyprian. Isidorus. Magi qui nã dicãtur.

fuisse vocatos, & subdit huiusmodi fuisse, qui ad Christum adorandum venerunt. Quanquam ibidem etiam dicat maleficos vulgo *Magos* appellari. Deinde ex Hieronymo Daniel. secundo, vbi sic inquit *Videntur mihi incantatores esse, qui verbis rem peragunt; Magi, qui de signis philosophantur, malefici, qui sanguine vruntur, & victimis.* Et infra, *Consuetudo, & sermo communis Magos pro maleficis accipit, qui aliter habentur apud gentem suam, eo quod sint philosophi Chaldæorum*, & huiusmodi significat fuisse hos Magos, qui Christum adorauerunt. Et si nihil ferè habet Isai 47. vbi tamen indicat hos Magos fuisse *ex iis, qui ex Astrorum cursu, lapsuque syderum res humanas regi arbitrantur.* Tertio idem Hieronym. tom. 9. in regula monachorum, capit. de abstinentia philosophorum, refert apud Persas tria fuisse genera Magorum, & quosdam eorum fuisse doctissimos, & eloquentissimos, qui præter farinam, & oleum, nihil aliud in cibum sumebant, non est ergo incredibile, ex horum genere fuisse Magos Christi adoratores.

Persarum Magi.

Dico tertio, quanquam in certum sit, an isti Magi Reges fuerint; verisimile tamen, ac probabile est, eos Reges fuisse. Prior pars ex dictis inter referendam contrariam sententiam satis constat. Posterior verò probatur testimoniis antiquorum Patrum. August. seu Autor operis de mirabilibus sacræ scripturæ, lib. 3. capit. 4. hoc sentit in verbo illo, *Reges ad lucres pergunt*. Idem serm. 43. ad fratres in eremo, *Audistis*, inquit, *fratres mei carissimi, sanctissimos Reges dominum diligenter quæsiuisse*. Tertullia. lib. 3. contra Iudæos cap. 9. de hoc mysterio interpretans verba Isai. 8. *Antequã sciat puer vocare patrem suum, & matrem suã auferetur fortitudo Damasci*: & illud Psal. 71. *Dabitur illi de auro Arabiæ, & Reges Arabum, & Saba dona adducent*, inquit. *Nam & Magos Reges ferè habuit Oriens, & Damascus Arabiæ retro deputabatur, antequam transcripta esset in Syrophœnicem ex distinctione Syriarum, cuius tunc virtutem Christus accepit, accipiendo insignia eius, aurum scilicet, & odores.* Vnde Isidor. lib. de pas. domin. capit. 15. idem sentiens inquit, *Nam & Magos Reges habuit Oriens.* Et vterque videtur alludere ad locum Plinij supra citatum ex lib. 30. cap. 1. Cicer. etiam refert lib. de Diuinat. neminem esse potuisse Regem Persarũ, qui non prius Magicã scientiam didicisset, quod etiam retulit Philon. lib. de specialibus legibus. Theophyl. præterea Matth. 2. eos *Reges Persicos* appellat, similiter & Anselm. ibi, *Reges* vocat. Quam sententiam multi alij expositores sequuntur, & eandé docet Arnoldus Carnotensis, in opusculo de laudibus Virginis. *Reges*, inquit, *Arabum, & Saba, ab Oriente egressi sequuti stellam in solitu luminis, genibus curuatis, & humi purpura defluente, Iesum nostrum pannosum adorantes donis sacramentalibus veneratisunt*: Et confirmatur, nam Patres dicunt, & Ecclesia in officio festi Epiphaniæ indicat, in hac Magorum adoratione impletam esse prophetiã Dauid Psal. 71. *Reges Tharsis, & insulæ munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent*; Cui concinit Isaias cap. 60. dicens. *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splẽdore ortus tui*. Recte enim stella, quæ Magis apparuit, *splendor ortus* Christi, & *lumen* illum indicans interpretari potest, quam sequentes ambularunt gentes, & Reges Magi, vt Christum natum colerent. Vnde infra subdit. *Omnes de Saba venient aurum, & thus deferentes, &c.* Ita exposuit D. Prosper. de promis. & prædict. Dei part. 3. promis. 6. Chrysostomus homil. 1. ex variis in Matthæ. & Eucherius in Isai. & Iulianus Archiepiscopus Toletanus, lib. 1. contra Iudæos á medio, & Arnoldus Carnotensis supra. Nec dissentit commentarius Hieronym. Psalm. 71. dicens, *in Magorum muneribus inchoatum esse, quod ibi fuerat a Propheta prædictum*: subdit tamen. *Ipsi enim gentium, Regumq; typum tenuisse monstrantur.* Quibus verbis contrariæ sententiæ, & Iansenij expositioni fauere videtur: tamen sicut dicens Hieronymus, hos Magos fuisse *typum gentium*, non excludit quin verè gentiles fuerint, ita dicens fuisse *typum Regum*, non excludit, quin verè Reges fuerint; dicuntur ergo *typus*, tanquam primitiæ gentium, earumq; Regum, ac Imperatorum. Et quanuis hæc sententia, non possit in Euangelio satis fundari; tamen dona, quæ Magi obtulerunt, non videntur Regibus indigna, & verbum illud *Apertis thesauris suis*, apparatum Regium indicat. Euangelista verò Magorũ nomine, potius quàm Regum vsus est, fortasse, quia sapiẽtiæ nomẽ dignius, quàm potẽtiæ existimauit. Vel (vt Canus dixit

Adoratores Christi Magi Reges fuerũt

August.

Tertullia. Isai. 8.

Psal. 71.

Isidor. Plin. Cicer.

Theophyl.

Arnoldus Carnot.

Psal. 71.

Isai. 60.

Prosper. Chrysost. Eucher. Iulian. Archiepisco. Tolet. Arnoldus Carnoten. Hieron.

Canus.

dixit lib. vndecimo de locis capit. quinto ad quarto) non existimauit Euangelij testimonium regio apparatu, cumulandum. Quòd verò Herodes Magos, parum honorificè exceperit, Herodianæ superbiæ tribuendum existimauit idem Canus. Ego verò ex Euangelio non video colligi posse, quo apparatu, vel honore Magos exceperit. Itaque Euangelij historia ab hac sententia non abhorret, & antiqui Patres (quidquid Ianſenius dicat) ita simpliciter loquuntur; Et alioqui sententia hæc plausibilis est, eamq; Christianus populus iam olim imbuit, non est ergo, cur sine alio fundamento, aut vtilitate deseratur pie igitur ac probabilissime creditur Magos fuisse Reges.

Canus.

SECTIO. III.

Ex qua regione venerint Magi ad adorandum dominum.

DVæ circunstantiæ huius mysterij diligenter inquirendæ sunt, locus scilicet, & tempus, quoniam ex earum cognitione historiæ veritas multum pendet. In vtraq; autem duo loca, & tempora explicanda sunt, nimirum locus, vnde discesserunt, & ad quem venerunt, seu in quo Christum adorarunt: & similiter tẽpus, in quo stella eis primum apparuit, vt in eo à patria sua discessisse credantur: & tempus, in quo Christum venerati sunt.

Principio igitur de regione, ex qua Magi venerunt, Euangelium solum dicit eos *ab Oriente* venisse. Vnde hoc solum certum est, nimirum patriam Magorum respectu Bethlehem Orientalem fuisse. Animaduertendum est enim, particulam illam, *Ecce Magi ab oriente venerunt*, dupliciter posse exponi, primo tantum respectiuè, habita ratione vtriusq; loci, ex quo, & ad quem tendebant: quo sensu, qui Roma Hispaniam veniret, posset dici ab Oriente venire, idest à regione, quæ respectu Hispaniæ orientalis est. Quod exemplum declarat hunc sensum, licet quiddam verum contineat; non tamen esse proprium, nec satis explicare sensum dictorum verborum. Alio ergo modo explicari potest absolutè *ab Oriente*; idest, à regione aliqua in Orientali plaga sita: quem sensum magis etiam explicant sequentia verba. *Vidimus stellam eius in Oriente.* Hic enim modus loquendi (vt ex vsu etiam Latinorum constat) propriè indicat illam mundi partem, quæ Orientalem plagam occupat, sicut *Occidens* dicitur hæc pars, quam nos habitamus, in qua licet respectiuè possint distingui pars occidentalis, & orientalis: tamen simpliciter non appellatur hęc regio *Oriens*, sed *Occidens*. Quoniam autem ipsum Oriens vastissimum est, cui Palestina confinis est: & quasi terminus eius, quanquam isti Magi dicantur ab Oriente venisse, intelligi potest (vt hic Diuus Thomas articul. tertio, ad tertium notauit, & dubium reliquit) venisse à vicino aliquo Orientali loco, vel à remotis Orientis partibus: hoc verò posterius magis indicant verba Euangelij. *Vidimus stellam eius in Oriente*, & illud, *Reuersi sunt in regionem suam*. Et ita hoc sępe reperit Leo Pap. in sermonibus de Epiphania, in secundo inquit. *Hunc principem natum longinquæ Orientalium gentium nationes insolito noui syderis splendore didicerunt*, & in tertio vocat Magos *remotioris Orientis habitatores*, & sermone quarto, *gens in longinqua Orientalis plagæ regione consistens*, & sermone quinto. *Hoc autem signum, quod Magos in longinquo positos efficaciter mouit, &c.* & sermone sexto, á *remotissima Orientis parte venerunt*. Et eodem modo loquitur Chrysostom. homil. sexta, in Matth. Ambrosius lib. secundo, in Lucam capit. de Magis, & alij Patres infra citandi. Quorum sententia aptior etiam est ad exaggerandum, & amplificandum mysterium. Et hæc est sufficiens ratio, seu congruentia, propter quam creditur Christus, potius ex remotis, quàm ex vicinis regionibus Magos ad se colẽdum, & adorandum adduxisse.

Leo Papa. *Chrysost.* *Ambros.*

Regio Magorum Orientalis.

Quæ autem fuerit illa Magorum Regio incertum est, quia ex scriptura nihil habemus, & sancti Patres variè loquuntur. Quidam enim ex Persia eos venisse dixerunt, fortasse quia Magorum auctoritas inter Persas maxima fuit, vt ex Plinio, & Cicerone supra retulimus. Ita Basilius homil. de humana Christi generatione, & Iuuincus lib. secundo Historię Euangelicæ, Chrysostomus (quem sequuntur Theophylact. & Euthym.)

Plin. Cicer. Basil. Iuuencus. Chrysost.

Theophyl. Euthym.) homil. 6. in Matth. Qui insuper addit eos ex septentrione venisse. *Euthym.* Nam & Hieronym. Mich. 5. dicit Persidem Occidentalem esse respectu Ierusalem. Sed non video, quo modo hæc duo cum Euangelio cohæreant; nisi fortasse intelligat Chrysostomus Magos quidem venisse ex Oriente, non tamen linea recta, sed declinando ad septentrionalem plagam, simpliciter tamen certius est Persiam esse orientalem. Eadem sententia habetur in imperfecto homil. secunda. Tribuitur etiam Cyrillo Alexandrino, sed de illius sententia statim dicam. Citantur etiam Hieronymus. Daniel. secundo, & Theodoretus lib. quinto, Historiæ capit. 38. Sed hi solum dicunt Magorum scientiam, & autoritatem plurimum in Perside viguisse.

Hieron. *Hieron.* *Theodore.*

Secunda sententia affirmat eos venisse ex Mesopotamia, seu Chaldæa; vel quia Magorum scientia inter Chaldæos maximè floruit: vel certè quia Balaam, cuius successores Magi fuisse dicuntur, Chaldæus fuit. Ita indicat Origenes homil. 13. in Numer. versus finem, & Hieronym. Isai. 47. & Daniel. secundo, & Ambros. lib. secundo, in Lucam capit. de Magis, & Theodotus Ancyranus orat. de natiuitate Christi: & hanc sententiam defendit Ianssenius capit. nono. Concordiæ, qui existimat Patres pro priori sententia citatos ab hac non dissidere: sed sub nomine Persarum Chaldæos comprehendisse, quòd aliquando vnum fuerit Persarum, & Chaldæorum regnum.

Origen. *Hieron.* *Ambros.* *Theodot. Ancyr.* *Iansen.*

Patria Magorum Arabia Fœlix.

Verisimilius tamen est hos Magos ex Arabia Fœlice venisse. Triplex enim est Arabia. Prima dicitur *Deserta*, quæ in controuersiam non cadit, quia non habitatur. Altera dicitur *Petrea*, quæ minus quidem distat à Palestina, non tamen Orientalis est: sed meridionalis maximè respectu Iudææ. Solum ergo relinquitur *Arabia Fœlix*, vt si verum est Magos ex aliqua Arabia fuisse, consequenter credantur ex hac Arabia, & non ex aliis aduenisse. Illud autem fit verisimile primùm testimoniis scripturarum, quæ de hoc mysterio ab Ecclesia, & sanctis Patribus intelliguntur, Psal. septuagesimo primo. *Reges Arabum, & Saba dona adducent*, & inferius, *Dabitur ei de auro Arabiæ*: Quanquam enim Hieronymus, Augustinus, Basilius, Theodoret. & alij intelligant ibi generaliter esse prædictum, gentes, Reges, ac Principes adoraturos Christum, eiq; vt vero Deo munera oblaturos, eaq; expositio reiicienda non sit: non tamen propterea excluditur, quin ibi etiam prædictum sit huius adorationis initium ab Arabicis Regibus, & aurum Arabiæ offerentibus sumendum fuisse. Quod Ecclesia sentire videtur, cum Psalmum illum huic festiuitati accommodat, & alij Patres supra citati, qui de hoc mysterio exponunt, & præterea Cyrillus Alexandrinus, lib. quarto in Isai. oratio. quarta: Tertullianus lib. contra Iudæos, capit. nono, & lib. tertio, contra Marcion. capit. decimo tertio. Aymo, & Incognitus, Hugo Cardinalis, Lyranus, & alij in expositione illius psalmi. Et consonat prophetia Isaiæ cap. sexagesimo. *Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian, & Epha, omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes*, vbi Hieronymus, *Madian*, inquit, & *Epha regiones sunt trans Arabiam, fertiles camelorum, omnisque prouincia appellatur Saba, vnde fuit, & Saba Regina, quæ venit sapientiam audire Salomonis.* Idem verò Hieronymus lib. quæstionum, in Genesim circa illa verba, capit. decimi. *filii autem Chus, Saba*, & circa illa *filij Regma, Saba*, dicit à priori Saba, qui per *Samech* scribitur, appellatos esse Sabæos, & regionem Saba, *quæ nunc*, inquit, *interpretatur Arabia*: de qua dicit intelligendum esse illud Psalm. septuagesimi primi. *Reges Arabum, & Saba.* Alij vero existimant eam regionem traxisse nomen à Nepote Abrahę, de quo fit mentio Genes. vigesimo quinto: nam & ibi nominantur Madian, & Epha, & deinde subditur Abraham separasse eos ab Isaac ad plagam Orientalem, & ibi Hieronymus, in quæst. Hæbraicis ait, iuxta historicos Hebræorum eos occupasse Arabiam, quod etiam sentit Epiphanius, in compendio doctrinæ, quod habetur lib. tertio, aduersus hæreses in fine, qui tamen Arabicam illam regionem, vnde Magi venerunt, *Magodiam* appellat, indicans ab ea fuisse Magos sic appellatos. Denique Plinius, libr. sexto, capit. vigesimo octauo: Sabæos Arabes esse dicit: quod latius tractat lib. 12. c. 14. Iuxta prædictas ergo prophetias

Psal. 71. *Hieron.*

Augustin. *Basil.* *Theodore.* *Cyril. Alexandr.* *Tertullia.* *Aymo.* *Incognit.* *Hugo Cardin.* *Nico. Lyr.* *Isai. 60:* *Hieron.* *Regio Madian & Epha.* *Genes. 25* *Epiphan.* *Plinius.*

phetias recte intelligitur Magos Arabes fuisse.

Iusti. mar. Secundò in hac sententia sunt antiqui Patres, Iustinus Martyr dialog. cum Tryphone. *Quamprimum*, inquit, *natus est Magi ex Arabia profecti adorarunt eum:* & vt ad hoc mysterium accõmodet prophetiam Isai. 8. Isai. 8. *Priusquam sciat puer vocare patrem, & matrem, auferetur fortitudo Damasci.* Subdit, Damascum sitam esse in terra Arabica, quanuis nunc contributa sit Syro Phœnicię. Et idem dixit expressè Tertullianus dicto lib. 3. contra Marcio. Tertullia. Cyprian. capit. 13. Cyprianus etiam sermo. de stella, & Magis: *Nec multo post*, inquit, *Arabum fines huius rei notitia penetrauit, & incolis Saba præclari stella luminis cæleste numen nouis splendoribus indicauit.* Præterea Cyril. Alexandrin. Cyrillus Alexandrinus, lib. 4. in Isai. oratione quarta, exponens verba illa cap. 49. *Ecce isti de longe venient, & ecce illi ab Aquilone, & Mari, & isti de terra Australi*, ipse legit *de terra Persarum*, & exponit de aduentu Magorum, & subdit interdum Persiam Arabiam nominari, velè conuerso. Et fortasse eodem sensu Isidorus lib. Isidor. Quomodo Magi venisse dicantur è Persi de. de passione Domini cap. 14. dicit Magos venisse *de gente Persarum, & de Arabia, & Saba*. Nam quia Arabia Fœlix sic est Persiæ vicina, vt ab ea solo Persico sinu separetur, interdum sub *Persiæ* appellatione comprehenditur. Et hoc modo possent ad hanc sententiam accõmodari sancti in prima citati.

Tertio sumitur coniectura ex qualitate donorum, quæ Magi Christo obtulerunt: Arabia enim Fœlix ferax est auri, & & aromatum, vnde Regina Saba magnam vim auri, & aromatum Salomoni attulit, quando ad illius gloriam videndam venit. 3. Regum. 10. Vnde Tertullian. in 3. Reg. 10. Tertullia. Arabia fœlix aromatum ferax, & auri. Apologet. capit. 42. ad hanc Arabiæ abundantiam alludens, inquit. *Thura plane non emimus, si Arabiæ quæruntur, sciant Sabæi pluris, & carioris suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam Diis fumigandis.* & capit. 30. grana thuris vocat *Arabicæ arboris lacrymas*. Et Plinius lib. Plin. 12. capit. 14. Regionem Saba *thuriferam* vocat, & solam ferè Arabiam esse *feracem thuris*. De auro verò sufficiens testimonium est illud Psalm. *Dabitur ei de auro Arabiæ*. Vnde obiter colligimus literalem rationem, ob quam Magi hæc dona obtulerunt, fuisse, quia illorum regio illis rebus maximè abundabat, & in maiori æstimatione, ac pretio inter ipsos habebantur. Mysticas autem rationes tradunt sancti Patres supra citati, quæ in eis videri possunt, præsertim in Irenęo lib. 3. contra Hæres. capit. 10. Hilario canon. 1. in Matth. vbi sic inquit. *In auro Regem, in thure Deum, in myrrha hominem. Atq; ita sacramenti omnis est consummata cognitio, in homine mortis, in Deo resurrectionis, in Rege iudicij*: Similia fere leguntur in Leone, Cypriano, & Chrysostomo, & Gregor. Nysseno oratio. de sancta Christi natiuitate. Isidoro lib. de allegoris noui testamenti in principio, & Ruperto lib. secundo in Matthę. in principio, qui sentiunt eas rationes mysticas fuisse ab ipsis Magis intellectas, & intentas ad profitendam veram fidem, quam de Christi diuinitate, ac humanitate habebant. Quod ex Irenæ. Hilar. Leo. Pap. Cypria. Chrysost. Greg. Nis. Isidor. Rupert. Theod. Ancyran. pressius docuit Theodotus Ancyranus, oratio. de natiuitate Christi, habita in Concilio Ephesino, tom. 6. appendice. 5. capit. 2. Addi potest in confirmationem conclusionis, ex Hieronymo Isai. 15. quòd licet Balaam oriundus fuerit ex Mesopotamia: illud tamen vaticinium, *orietur stella ex Iacob*, non in Mesopotamia: sed in Arabia protulit. Illuc enim à Rege Moab vocatus fuerat, vt constat ex Numer. 23. Moab autem, inquit Hieronymus, prouincia est in Arabia. Fateor tamen Hieronymum non explicare illam esse Arabiam Fœlicem. Hierony. Isai. 15. Nume. 23.

Obiectio. Psal. 71. Sed obiici potest, quia in illo eodem Psalm. 71. dicitur, *coram illo procident AEthiopes, & inimici eius terram lingent, Reges Tharsis, & Insulæ munera offerent*, & Psalm. 67. dicitur. *AEthiopia præueniet manus eius Deo*: Sed Tharsis est in India Orientali; AEthiopia verò longè ab Arabia distat. Et confirmatur, nam vbi in illo Psalm. 71. dicitur *Reges Arabum, & Saba*, illud *Saba* in Hębreo per *Samech* scribitur, quomodo regionẽ AEthiopię significat, vt ex Isai. 43. & 45. colligitur, & ibi Hieronymus indicat in posteriori capite. Confirmatur secundo, quia Arabia potiùs est meridionalis, quàm orientalis, vnde Regina Saba, *Regina Austri* appellatur. Psal. 67. Psal. 71. Isai 43. et 45. Hieron.

Responsio Ad primum de nomine *Tharsis*, respondetur ex Hieronym. 3. tom. epist. 133. ad

ad Marcel. & Isai. 2. illud nomen æquiuocum esse, & interdum significare Indiæ regionem: interdum verò ipsum mare; & hoc posteriori modo sumitur in prædicto Psalmo, vt *Reges Tharsis* dicantur, qui regnant in insulis maris, siue hoc generatim intelligatur, siue specialiter de insulis maris, seu sinus Persici, cui fortasse aliquis horum Magorum dominabatur. De nomine autem *Æthiopiæ* omnes Sancti intelligunt ea voce per metaphoram significari omnem Ecclesiam ex gentibus congregandam, quia peccatis deformis, ac nigra erat, sed per Christum erat pulcritudinem consequuturа, & Israeliticum populum præuentura. Ita exponunt Theodoretus, Ruffinus, Augustinus, Incognitus, & alij dicto Psalmo. 67. & 71. & Origen. homilia. 1. in Cantica, Chrysostomus homil. prima ex variis in Matthæ. Neque obstat, quòd illud verbum gentium conuersionem generatim significet, quia (vt supra dixi) hæc expositio alteram non excludit, præsertim quòd potuit prius prædici vniuersalis cõuersio gentium, & postea in particulari initium, & primitiæ illius conuersionis designari, vt prædicti sancti etiam exponunt.

Regio Tarsis quæ.

Theodore. Ruffin. August. Incognit. Origen. Chrysost.

Ad primam confirmationem, incertum est illud, quod assumitur: nam Hieronymus quæstion. Hæbraicis in Genesim, & Isai. 43. indicat *Saba* per *Samech* scriptum Arabiæ regionem significare: Vnde fortasse scriptum per vnam literam, scilicet, *Schin*, significat vniuersam Arabiam; scriptum verò per aliam literam *Samech*, specialem aliquam prouinciam, vel regionem eius. Vnde in hoc Psalmo. 71. vbi nos legimus, *Reges Arabum, & Saba*, Hæbræi legunt *Reges Saba, & Saba*, primum per *Schin*, & secundum per *Samech*. Quòd si fortasse est aliud Saba in Æthiopia, cuius nomen ibi positum est: Respondetur, non omnia quæ ibi prædicta sunt, ad Magorum aduentum pertinere: neque oportere, vt omnia statim initio natiuitatis Christi fuerint impleta. Quòd verò potius Reges Arabiæ, quam Æthiopiæ initium huic conuersioni daturi essent, & prophetia Isaiæ confirmauit, apud quem nullus dubitat, quin *Saba* Arabiam significet, & euentus ipse probauit.

Saba regio quæ.

Vnde ad secundã confirmationẽ respõdetur, eã rectè concludere hos Magos non fuisse Æthiopes. Nam Æthiopia omnino est Australis; propter quod aliqui existimant, & indicat Origen. supra, Reginam Austri ex Saba Æthiopica venisse: At verò Arabia, quanuis non nihil ad Austrum declinet, Orienti tamen vicinior est. Vnde Tacitus lib. 5. Histor. Iudæam â parte Orientali dicit spectare Arabiam, quod maxime verum esse censetur, si hyemalis solstitij ratio habeatur.

Origen. Tacitus.

SECTIO. IIII.

Quo loco, & tempore Magi Christum adorauerint.

PRimo de loco, in quo Magi Christũ inuenerunt, omnes ferè Patres conueniunt illum fuisse Bethlehem. Quia Matthę. 2. satis apertè indicatur, in illis verbis. *Et mittens eos in Bethlehem dixit, ite, &c.* adiunctis illis. *Qui cum audissent Regem, abierunt*, vtique Bethlehem stella duce. *Vsque dum veniens staret supra vbi erat puer.* Dissẽsio tamen est, in quo loco Bethlemitico, & inuenerint, & adorauerint Magi Christum. Nonnulli enim existimant, locum illum non fuisse speluncam, seu stabulum, in quo Christus natus fuerat: sed domum aliquam oppidi Bethlehem, fundati fortasse in verbo illo Matth. 2. *Et intrantes domum, inuenerunt puerum.* Ita docet Epiphanius lib. 2. contra hæreses in. 51. *Ingressi*, inquit, *in domum, inuenerunt puerum cum Maria, non amplius in præsepi, non amplius in spelunca, sed in domo.* Existimat enim Epiphanius Magos non post decimum tertium â natiuitate diem: sed post duos annos Christum adorasse, & ideo consequenter rectè opinatur, non in spelunca, sed in aliqua alia domo eum inuenisse.

Matth. 2.

Matth. 2. Epiphan.

Verior tamen, ac communior sententia est, eodem loco fuisse Christum adoratum à Magis, quo fuit natus. Ita docet Hieronymus Epistol. 18. & 27. *Hic demonstratus a stella, hic adoratus a Magis.* Chrysostomus homilia sexta, in Matthæ. *In præsepi*, inquit, *& tugurio.* Idem significat homil. prima ex variis in Matth. & orat. de sancto Philogonio paulo post mediũ. *Accurrunt inquit vt*

Christus in præsepi adoratus a Magis. Hieron. Chrysost.

Greg. Nis. *illum videant in præsepe iacentem.* Greg. Nis. orat. de sancta Christi natiuitate. Cyprian. *Regem in spelunca latentem non ignorauerunt.* Cyprian. de stella, & Magis. *In loco humili, & supellectile vili* Rex *Regum, & dominus dominantium inuenitur, cognoscitur, adoratur.* Idem indicat Theodotus Ancyranus, supra dicta oratione de natiuitate, & optimè Euthym. Matth. 2. dicens de Euangelista. *Tugurium hic domum appellat, quod Lucas diuersorium dixit, domus enim erat, quod vtcunq; inhabitaretur.* Et eadem sententia frequens est apud sanctos Patres Leonem, Augustinum, Fulgentium, & Eusebium Emisenũ, Bernardum, & reliquos in concionibus de Epiphania. Vnde Nicephor. lib. 1. Historiæ cap. 13. hanc sententiam certiorem esse dicit. Et constat, quia beata Virgo non discessit à loco partus vsque ad Purificationem: ostendemus autem hoc mysterium ante purificationem cõtigisse. Deinde qua ratione negat Epiphanius inuentum esse Christum in præsepe, posset negare inuentum esse in Bethlehem, vt statim commodius argumentabimur, quia hæc quæstio ex alia de tempore pendet.

Theod. Ancyr. Leo. Pap. August. Fulgent. Euse. Emi. Bernard. Nicephor.

Secundò ergo de tempore adorationis Magorum, quod ad mensem, & diem attinet, suppono accidisse sexta die Ianuarij, de qua re commodior disputãdi locus incidet infra quæst. 38. Tota ergo hoc loco disputatio est de anno, quo post Christi natiuitatem hoc mysterium per actum fuit. Nam idem Epiphanius loco supra citato, & libr. 1. hæresi 30. versus finem, docet Christum adoratum fuisse à Magis biennio post suam natiuitatem. Fundatur, quoniam Herodes iussit interfici infantes *a bimatu, & infra secundum tempus, quod exquisierat* á *Magis*. Signum igitur est eos peruenisse Ierusalem, biennio postquam stellam Christum natum ostendentem inspexerant. Quòd si obiicias, quia iuxta hanc sententiam, non inuenissent Magi Christum in Bethlehem, nam Euangelista dicit, statim post Virginis Purificationem reuersos esse parentes Christi in Nazareth ciuitatem suam. Respondet Epiphanius, ob venerationem Natiuitatis Christi solitos fuisse Deiparam, & Ioseph redire singulis annis Bethlehem, & ita contigisse, vt ibi inuenirentur à Magis, non quidem in spelunca; sed in domo aliqua (vt Euangelista significat). Quia in

Epiphan.

Obiectio.

Responsio

A aliis annis non cõcurrebat tanta hominum frequentia, venientium vt describerentur iuxta Cæsaris edictum, quæ fuit occasio, vt in nocte natiuitatis Virgo, & Ioseph non ad domum aliquam, sed ad speluncam diuerterent. Huius sententiæ videtur etiam esse Eusebius in Chronico. Nam eodem anno videtur ponere, & aduentum Magorum, & occisionem Innocentium; quod videtur potissimum huius sententiæ fundamentum. Quia verisimile est Herodem non distulisse tanto tempore Innocentium cædem; sed statim, ac intellexit se fuisse illusum à Magis, illam exequutioni mandasse.

Euseb.

Nihilominus communior sententia, ac verisimilior est, Magos peruenisse Bethlehem decimo tertio die post Christum natum. Quod aliquantulum indicat Matth. B dicens, *Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iudæ, ecce Magi ab Oriente venerunt.* Deinde hęc videtur esse communis traditio, & sensus Ecclesiæ, quam supponunt omnes Patres supra citati: qui dicunt Christum inuentum esse à Magis in diuersorio, quod nõ fuisset credibile, si post duos annos Magi aduenissent. Ita scribit Ammonius Alexand. in harmonia quatuor Euangeliorum. Nicephor. lib. 1. capit. 13. & Albinus de diuinis officiis capi. de Epiphania, & Anselm. Matth. 2. Vnde eleganter Augustin. serm. 2. de Epiphania. *In præsepi tunc iacebat, & Magos ab Oriente ducebat, abscondebatur in stabulo, & agnoscebatur in cælo, vt agnitus in cælo manifestaretur in stabulo.* Tertio, quia, vt venirent ex Arabia, vsque Bethlehem, non indigebant tanto temporis spatio; distat enim trecentis ad summum leucis, quas decem diebus perficere potuerunt. Præsertim cum Isai. 60. indicetur, eos in dromedariis fuisse vẽturos. Quod obiter confirmat hos Magos venisse ex Arabia, in qua hi cameli procreantur, qui dromedarij dicuntur: hoc autem animal velocissimum est, teste Arist. lib. 9. de hist. animal. capit. vltimo, & Philostratus in vita Apollonij ait, conficere vno die *mille stadia*, id est quadraginta leucas.

Matth. 2.

Ammon. Alexand. Nicephor. Albin. Anselm. Augustin. Isai. 60.

Aristotel. Philostrat.

Ad fundamentum Epiphanij: Respondent aliqui stellam apparuisse Magis biennio ante natiuitatem Christi. Ita docet Augustinus, & ex eodem fundamento id colligit serm. 7. de Epiphania, cùm enim dixis-

Primare sponsio ad fundamentũ Epiphi. August.

set

set Magos venisse paucis diebus à natiuita A te Christi transactis, subdit in cœlo vidisse stellam, *non ante paucos dies, sed ante ferme biennium, sicut inquirenti Herodi patefecerunt Vnde a bimatu, & infra, secundum tẽpus, vt scirẽt quod inquisierat à Magis.* In cadẽ sentẽtia
Chrysosto. est Chrysost.hom.7.in Matt.quãuis nõ dicat ante biennium, sed ante multum tempus stellam apparuisse. In imperfecto autẽ Matt:hom.2.dicitur, Magos iter egisse per biennium præcedente stella: non explicatur autem, an illud biennium præcesserit, vel subsequutum fuerit Christi natiuitatẽ, ex ijs verò, quæ inferius dicuntur colligi potest præcesisse, cùm asseratur Magos in
Theophyl. Nicephor. uenisse Christum in præsepi. Atque idem planè sensit Theophylact. Matth.2. & Ni- B ceph.lib.1.Histor.cap.13.

Cæterùm hęc sententia difficilis creditu est. Primò, quia (vt contra Epiphanium argumentabamur) non potuerunt
Stella Magis non apparuit ante Christi natiuitatem. Magi tantum tempus in via conficere: nec verisimile est eos post visam stellam profectionem distulisse, nec oportuit illis stellam apparere ante tempus ad illud iter agendum necessarium, præsertim quia *Spiritus sancti gratia nescit tarda molimina.* Deinde cùm peruenerunt Ierusalem, non inquirebant de Rege nascituro: sed iam nato dicẽtes. *Vbi est, quinatus est rex Iudæorum*, & addunt, *Vidimus enim stellam eius*, idest, regis nati, ergo stella statim, ac illis apparuit, indicauit illis non nascituram, sed natum,
Aug. Vnde Aug.serm.4.de Epiphan. *Eo inquit, die, quo natus est Christus, illi stellam in Oriente viderunt, & quem natum indicabat agnouerunt, & ex illo die ad hunc diem occurrerunt.* Idem
Leo Papa. Fulgent. D.Thom. indicat Leo Papa, serm.1.de Epiphania, in illis verbis. *Mox ab omnibus voluit agnosci, qui* C *dignatus est omnibus nasci. Tribus igitur Magis in regione Orientis stella nouæ claritatis apparuit*, & serm.2. dicẽs *simul Magos per stellam, & Pastores per Angelos ortum domini didicisse.* & Fulgentius serm.de Epiphania sic loquitur. *Hæc stella nũquam ante apparuit, quia nunc eam puer iste creauit, & à Magis ad se venientibus præuiam deputauit* Atque ad eundẽ modum loquuntur cæteri Patres, qui de Epiphania scribunt. Et hanc sententiã magis videtur probare D.Thom. hic articul. 6.ad.3.

Secunda Responsio. Ad fundamentum ergo Epiphanij responsio vulgaris est (quam ibidem D. Tho. refert) Herodem non occidisse infantes an te biennium transactum, quia Romam eo tempore vocatus fuit, eó quód a filijs suis apud Cæsarem fuerat accusatus: neque eo anno vsque ad sequentem redire potuit. Sed hoc non solum est incertum: verum etiam antiquis historijs parum consentaneum. Euseb.enim lib.1.histor.cap.8. post Innocentium mortem, indicat Herodem *Euseb.* domesticis calamitatibus, ac seditionibus fuisse afflictum.

Aliter respondet Aug.2.lib.de consensu *Aug.* Euangelist.cap.11.his verbis. *Omitto dicere, quot, & quantis occupationibus regia cura distẽ di potuerit, & per plurimos dies ab illa intentione, vel auerti omnino, vel impediri.* Et in toto illo capite varias huius dilationis causas, & *Vera respõsio.* occasiones excogitat, quæ sine dubio accidere potuerunt. Non tamen existimo necessarium concedere Herodem per biennium distulisse Innocentium cędem: habemus quidem ex Luca non occidisse illos intra primum, vel fortasse etiam intra secundum mensem. Nam prius Virgo præsentauit filium in templo, & deinde descendit cum Ioseph Nazareth, & verisimile est ibi aliquo tempore habitasse, priusquam admoniti ab Angelo in AEgiptum discederent, post quem discessum teste Matthæo mors Innocentium sequuta est. Intercesit ergo aliquod tempus â reditu Magorum, vsque ad mortem Innocentium; & fortasse non fuit tantum duorum mensium, sed plu- *Infantes innocẽtes quo tempore ab Herode interempti.* rium: tũ propter coniecturas Augustini, tũ etiã quia verisimile est, priusquam tam immane facinus Herodes aggrederetur, omnem adhibuisse diligentiam, vt cõquisitos Magos ad se reuocaret. Quanquam autem statim intra paucos menses infantes occidi iusserit, fecit tñ, vt interficerentur omnes â bimatu, & infra, non quia existimaret stellam ante duos annos apparuisse Magis: sed prę nimio timore, & ob maiorem certitudinem, & securitatem. Quod rectè docuit Chrysost.hom.7.his verbis. *Quod a biennio,* *Chrysost.* *& infra interfecit, ne miremur, si quidem pauor, & furor, maioris securitatis, & certitudinis causa etiam tempus profert, ne quisquam eius ætatis & forte is potissimum, propter quem alij interimuntur, effugiat* Addi etiam potest (quod hic D.Thom. ex Aug. refert) timuisse Hero- *D.Thom.* dem, *ne cui sydera famulabantur, speciem suam paulo supra, vel infra ætatem transformaret.* Addo denique, quanquam Herodes à Magis didicisset tempus apparitionis stellæ:

non tamen potuisse ab eis discere, an eodē die, quo stella apparuit, natus fuerit puer, necne, & ideo, vt quod intendebat, certius assequeretur interficiendos curauisse infantes, etiam natos aliquo tempore ante apparitionem stellę, cuius signum est, quia etiam alios necandos iussit, quos post ortam stellam natos esse certò comperiebat. Et hoc modo interpretor verbum illud Euangelistæ, *a bimatu, & infra secundum tempus, quod exquisierat a Magis*: quia scilicet cōsiderato tempore ortus stellę, humana quadam astutia arbitratus est intra tempus illud Redemptoris natiuitatem contigisse.

Adoratio Magorum die veneris contigit.

Ex dictis in hac sectione obiter colligitur (si vera sunt, quæ supra de die natiuitatis Christi diximus) hanc adorationem Magorum die veneris contigisse, quia Christus ortus fuit die dominica, & à Magis adoratus fuit eodē anno post tredecim dies.

Obiectio.

Neque obstat, quòd in quibusdam decretis, quę post sextam Synodum habentur in. 3. tom. Con. & illi tribuuntur, in. 8. eorū significatur, hanc diem fuisse dominicam. Nā (si attentè legatur) non dicit die dominica Christum adoratum fuisse á Magis: sed illis stellam refulsisse, quod verum est. Quia (vt diximus) illis apparuit in die natiuitatis Christi. Aliud vero ibi dicitur, ex quo posset nonnullum sumi argumentum, scilicet baptismum Christi accidisse die dominica: dicemus autem infra hoc, & illud mysterium in eadem die facta fuisse.

Responsio

Sed est facilis responsio. Fuerunt enim in eodē die mensis, ideſt, sexto Ianuarij, qui non semper est idem hebdomadæ dies, vt per se cōstat.

SECTIO. V.

Quæ fuerit stella, quæ Magis apparuit, & quo modo moueretur, ac eos duceret.

Stella, quæ Magis apparuit, non fuit excælestibus.

DE stella, quæ Magis apparuit, concors est omnium sententia, non fuisse aliquam ex cœlestibus. Ita docet D. Thom. hìc art. 7. Vbi plures rationes adducit sumptas ex Chrysost. hom. 6. in Matth. quas Damascen. lib. 2. cap. 7. his breuioribus verbis complectitur *Sydus, quod Magis apparuit, non ex illis erat, quæ ab ipso mundi ortu condita sunt. Id quod ex eo liquido perspicitur, quod ea nunc ab ortu ad occasum, nunc a septentrione ad Austrum progrediebatur, nunc delitescebat, nunc sese rursus aperiebat, id quod a syderum ordine, & natura discrepat.* Et eadem prius docuerat Basil. homil. de humana Christi generatione. Et eadem est sententia Origenis lib. 1. contra Celsum non longè á fine. Quam optimè cōfirmat Aug. lib. 2. cont. Faust. cap. 5. & serm. 3. de Epiphania, Fulgentius in serm. de Epiphania: Leo item Papa serm 3 de Epiphania *nouū sydus* illud appellat. Quæ sententia (vt Augustin. docte indicauit) solū probabilior est, non certa. Nam rationes illæ ex motu eius de sumptæ non omnino cogunt. Nam licet illa esset ex stellis cœlestibus, iuberi poterat nato Christo relinquere, quod agebat, & ad Christum manifestandum descendere, nouoque modo, & inusitato moueri. Sed licet hoc diuina potentia facere potuerit: id tamen, quod facilius est, & pauciora miracula, minoremque immutationem ordinis vniuersi requirit, fecisse credendū est: multo autem facilius fuit nouam stellā condere, quam è cœlo diuellere, & vacuum illum locum relinquere, aut cœlum ad illū replendum rarefacere, aut nouo, & inusitato corpore illum replere, ac rursus stellam, suo per acto ministerio illuc reducere. Ad de stellam hanc, quæ Magis apparuit, (vt Leo Pap. inquit serm. 1. & 3. de Epiphania) illustriorem, ac pulchriorem cæteris syderibus fuisse. Quod etiā docuit Ignatius epist. 14. ad Ephes. & Chrysost. supra, qui probat eluxisse plusquam solem, quia lucebat in die, hoc autem (vt ipse rectè argumentatur) non poterat stellis cęlestibus naturaliter conuenire, cùm ab ipso sole lumen accipiant, oportuit ergo, vt Deus illi lumen adderet: eadem autem facilitate potuit nouam stellam creare.

Basil. *Origen.* *Aug.* *Fulgent.* *Leo. Papa.* *Stella a Magis visa cæteris illustriorsyderibus.* *Leo Papa.* *Ignat.* *Chrysosto.*

Difficultas verò superest, cuius naturæ fuerit illa stella. In qua imprimis certum existimo illā fuisse naturæ corporeæ, ideſt, verum corpus lucidum, & illuminans. Itaque neque fuit aliquid specie tantum apparens, seu phantasticum, quia euāgelium apertè significat fuisse stellam exterioribus sensibus obiectam, atque lucentē: neque etiam fuit lux aliqua quasi subsistens, & per se separata: tum quia non est necesse hoc nouum miraculum sine necessitate fingere, tum etiam, quia stella significat corpus aliquod, & nō tantū accidēs. Et hinc fit illam stellam, ex materia, & forma substātiali fuisse cōpositam: hoc enim (vt supponimus) connaturale est omni corpori: & habuisse

Stella a Magis visa vere corporea, & lucida.

buisse præterea lucem, quæ accidẽs est cor A poris illuminantis, quale illud fuisse, & no men ipsum stellę probat, & munus: quomodo enim dux viæ esse posset, nisi illumi nando? Ex qua autem materia constiterit, qualis etiam eius forma fuerit, & quale lumen, valde incertum est.

Dubium.1. Primum enim inquiri potest, an illa materia fuerit cœlestis, vel inferioris ordinis. Primum enim videtur nomen *stellæ* suadere, quod proprie significat corpus aliquod cœleste: scriptura autem propriè intelligẽda est, si commode potest. Vnde ferè omnes sancti supra citati hoc vocãt *cœleste signum*, seu *a cælo datum*. In contrarium verò est, quia non fuit necessarium aliquid nouum ex nihilo creare. Item quia oportuis- B set post illud breue tempus, vel stellam illã annihilari, vel cœlo postea affigi, vtrumque autem absurdum est.

Responsio. Materia stellæ a Magis visæ qualis Quare verisimilius videtur fuisse ex materia aerea, seu elemẽtari procreatã, vt sentit Abulens. Matth.2. & D. Tho. hic art.7. ad.1. & hoc significant Patres, quando dicunt illam non fuisse *cœlestem stellam*. Non enim solum intelligunt non fuisse ex numero cœlestium astrorum: sed etiam non fuisse illius ordinis, & naturę. Et hoc ipsum *Origenes.* significare voluit Origenes dicto lib.1. cõtra Celsum, cúm dixit illam esse *ad similitudinem cometæ*. Nõ enim intelligit fuisse eiusdem rationis, quoad splendorem, & motũ sed solum quoad materiam, ex qua facta est. Nec nomen *stellæ* obstat: tum quia sæpe in scriptura nominatur res, prout exterius apparet, seu prout vulgó nominatur: tum etiam quia interdum nomen *stellæ* in scriptura cometas significat, seu corpora lucida in aere apparentia, sicut & ipse aer C interdum *cælum* appellatur.

Dub.2. Deinde inquiri potest, qualis fuerit forma, & species huius stellę, an fuerit forma alicuius corporis simplicis, vel mixti, atq; ita perfecta: vt ei fuerit connaturalis totus ille splendor, & lux. In quibus, si diuinare licet, dicẽdũ est in primis fuisse tale il *Responsio* lud corpus, vt ei fuerit cõnaturalis illa lux. Quia hoc non repugnat: imò tàm facile fieri poterat virtute diuina, sicut in prętornaturali subiecto, & aliàs prior effectus perfectior est, magisque diuinam sapientiã & Christi maiestatem demonstrans. Hinc verò probabile fit, corpus illud fuisse mixtum aliquod perfectum, quia non fuit corpus cęleste (vt diximus) neque aliquod ex elementis, sunt enim valde imperfecta corpora, & nulli eorum tantum lumen connaturale est: prætèr hæc autem non dantur alia corpora simplicia.

Dubi.3. Rursus de ipsa luce talis stellę inquiri potest, quãta fuerit. Nam (quod ad essentiam spectat) verisimile est fuisse eiusdem rationis cum reliquis: de intẽsione verò Patres citati significant fuisse Solę splendidiorem, vt patet ex Ignatio, Chrysost. Damasce. & alijs supra citatis, qui omnes inde argumentum sumunt, quód in meridie luceret, & Ecclesia in hymnis Epiphaniæ canit, *quem stella, quæ solis radium vincit decore, ac lumine*,

Nihilominus tamen non existimo necessarium, vt habuerit lucem intensiorem, & *Responsio* maioremluce solis, quia difficile creditu est *Lux stellæ* perfectiorem lucem esse connaturalem ali *a Magis vi* cui inferiori corpori, aut datam esse â Deo *sæ quanta.* sine necessitate. Vt enim in meridie luceret, & videri posset, satis erat, quód esset terræ propinqua, & haberet lucem valde perfectam, & materiam admodum dẽsam, hoc enim plurimum confert ad lucendum magis. Ex quo etiam obiter responderi potest ad curiosam interrogationẽ, si stella illa tam pulcra, & lucida fuit, & in meridie lucebat, quomodo ab alijs hominibus prętèr quàm à Magis visa non fuit, non solum in propinquis: sed etiam in remotis regionibus, vel si visa fuit, quomodo non omnes in sui admirationem rapuit, & per totum orbem eius fama percrebuit? Ratio enim fortasse est, quia cùm esset terræ vicina tãtum in locis propinquis lucebat præsertim in die: nocte verò fortasse eleuabatur, ita vt solum ab ijs, qui syderibus cognoscendis vacabant, discerni posset, vt Niceph. in quit lib.1. Hist. cap.13. *Nicephor.*

Vltimo tandem inquiri potest de motu, & motore huius stellæ. Quòd enim stella *Dubiu.4.* illa moueretur ad ducendos Magos verisimile est. Duplex enim est opinio in hac re. Altera dicit Magos non semper vidisse stellam, sed semel tantum in principio, postea disparuisse, donec iterum eis apparuit, quã do egrediebantur Ierusalem, vt Bethlehem pergerent. Cui sententię videntur fauere illa verba Matth. *& ecce stella, quam viderant in Oriente antecedebat eos*. Tantum ergo visa fuit in Oriente, & postea non fuit dux itineris, nisi ab Ierusalem vsque Bethlehem.

Idem

Idem videntur indicasse Magi illis verbis. *Vidimus stellam eius in Oriente.* Et hanc sententiam amplexi sunt Caietan. Matth. 2. & Iansen. cap. 9. Concordiæ, & tribui solet Basilio hom. de humana Christi generatione, & Aug. serm. 2. Epiphaniæ, sed hi sancti nihil clarè dicunt. Vnde cõtraria sententia, scilicet stellam fuisse ducem Magorum, semperque eos fuisse comitatam, & ab eis visam, communis est antiquorum, Chrys. hom. 6. in Matth. & 2. imperfecti, quem Theophylactus. Euthym. & alij sequũtur Matth. 2. vbi Hieron. idem indicat, & clarius Beda, & Leo Pap. serm. 4. Epipha. & sauet hymnus Ecclesiasticus. *Ibant Magi, quam viderant, stellam sequentes præuiam.* Et hæc sententia est satis verisimilis: oportebat enim homines ignorantes, & nouos in fide sensibili signo duci, & ita D. Tho. hic hanc amplectitur sententiam. Neque euangelium repugnat, quia non oportuit omnia explicatè dici. Sed est vlterius animaduertendum ex eodem D. Thom. dupliciter posse intelligi Magos vidisse stellam, & illius ductu in Iudeã venisse. Primô, quòd ipsa non fuerit localiter præsens in Oriente: sed tantum in Iudæa, seu supra Bethlehem, fuerit autem visa â Magis in oriente existentibus, qui illam respicientes, & quasi ante oculos semper habentes in Iudeam venerint. Secũdò, quód ipsa stella visa fuerit existens in Oriente, & semper comitata fuerit Magos venientes per viam, illisq; iter demonstrans, sicut ducebat Deus populum Israel per desertum in columna nubis, & ignis. Et hic posterior modus est sine dubio verus, & ab omnibus citatis Patribus explicatus, & consentaneus illis verbis Euangelij. *Vidimus enim stellam eius in Oriente*, & euidentius illis, *& ecce stella, quam viderant Magi in Oriente, ante cedebat eos, vsque dum veniens, staret supra vbi erat puer.* Mota ergo fuit illa stella vsque ad locum natiuitatis Christi.

Ex quo facile intelligitur motum illũ non fuisse naturalem, & ab intrinseco: sed ab aliquo intellectuali motore, erat enim motus quasi progressiuus, & (vt Chrysosto. & alij notant) interdum erat vniformis: interdum verò per modum descensus, & aliquando quiete interrumpebatur ex libertate motoris absque vlla alia Physica causa, vt videre licet, cùm peruenit Bethlehem tunc enim & stetit stella, & descendit prope ipsum locum natiuitatis Christi, vt illũ euidentius designaret, quę omnia non poterant, nisi ab intellectuali motore proficisci. Quis autem ille motor fuit? Nõ constat: verisimile autem est nõ fuisse motam immediate â Deo, seu Spiritu sancto, vt videtur indicari in hom. 2. imperfecti, sed media aliqua virtute angelica, quia Deus cùm commode fieri potest, operatur per causas secundas, & quantum ex scripturis colligi potest, regulariter loquendo huius modi motus per Angelos operatur, atque in hac sententia est Abulen. supra, & hoc modo interpretari possumus Chrysosto. hom. 6. in Matth. & Theophila ct. ac Euthym. qui eum sequuntur, & Augustin. si autor est operis de mirabilibus sacrę scripturæ, in lib. 3. cap. 4. qui dicũt illã stellã nõ fuisse veram, sed inuisibilem aliquam virtutem in speciem syderis transfiguratam, intelligunt enim non fuisse veram stellam Cęlestem, non tamen non fuisse verũ corpus lucidum: quia vero inuisibilis virtus illam mouebat, & quasi per illam loqueba tur, ideo dicitur fuisse inuisibilis virtus in speciem stellę transfigurata, seu quasi assũmens, & mouens corpus in figuram stellæ apparens.

Vnum verò superest dubium, si Magi ab stella dirigebantur, quomodo diuerterunt â via, & necessarium fuit illis inquirere, vbi Christus natus esset. Respondetur, hoc cõfirmat, quod nuper dicebamus stellam illam motam fuisse ab aliqua intelligẽtia, cuius arbitrio, & diuina in primis voluntate factum est, vt aliquãdo sese occultaret: vel radios lucis continendo, suspendente Deo concursum suum: vel ita sese eleuando, vt videri non posset. Verisimile autem est (quod Chrysos. inquit) duxisse Magos vsque Ierusalẽ, & ibi se occultasse, vnde factum est, vt ipsi putauerint ibi esse terminum itineris, & (vt Leo. Pap. inquit) *Regem natum in ciuitate regia fuisse requirendum.* Cur autem voluerit Deus occultari stellam Magis, vt ipsi Christum in Ierusalem requirerent. Cur etiam consequenter voluerit permittere turbationẽ Herodis, & Innocentium cædem, eleganter disputatur â sanctis Patribus in citatis locis, qui varias rationes reddunt, quas D. Thom. attigit supra art. 2. ad. 3. summa earum est. Primo voluisse Deum Christi natiuitatem publicè annũtiari Iudæis per gẽtes,

Chrysosto. *Dubium.* *Responsio* *Chrysosto.* *Leo. Papa.* *D. Thom.*

gentes: tum vt eorum ignorantia, & excæ A
catio indicaretur: tum vt ipsi verum pro-
ferrent testimonium de loco natiuitatis
Leo Papa. Messiæ, quo cõuincerentur, vt scribit Leo
serm. 2. de Epipha. tum denique, vt Magi,
qui erant primitiæ gentium fidem suam, &
animi constantiam manifestarent, & om-
nibus, quorum duces futuri erant, exem-
plo essent. Secundo, voluisse Deum per-
mittere Herodis turbationem, tum vt il-
lius tyranni crudelitas, & astutia ostende-
retur, tum etiam, vt exemplo illo consta-
ret nihil posse humana consilia aduersus
Fulgent. diuina, neque Christum fuisse interficien
dum quando Reges terræ volebant, sed
quando ipse voluit, vt elegãter tradit Ful
gentius serm. de Epiphania. Tum denique B
vt manifestaretur praua Iudæorum dispo
sitio, qui simul cum Herode turbati, &
Christi necem machinati fuerunt, vt no-
Hieron. tat Hiero. Matth. 3. Tertio, voluisse Deũ
Innocentiũ cædem Innocentium permittere, tũ prop
cædes cur a Deo permissa. ter eorum commodum, & gloriam, vt ve-
ri martyres efficerentur, vt est cõstans to-
tius Ecclesiæ, & Patrum omnium senten
tia, vt agentes de baptismo latius dicturi
sumus. Tum etiam, vt Christus omnibus
modis â martyribus testimonium accipe-
ret, & quædam futurorum martyrum se-
mina, ac initia statim iacerentur, & vt in
infantibus, in quibus nullum meritũ, aut
Bernard. dispositio inueniri poterat gratia Christi,
& singularis prærogatiua martyrij euiden
tius commendaretur, vt Bernard. inquit
serm. de Innocentibus. Præterea vt ope-
re ipso infantes infanti Christo deserui-
rent, eiusque natiuitatis testes essent, vel
Ierem. quia dum in eis completur prophetia illa,
Rachel plorans filios suos, signum natiuitatis
Messiæ datum est, vel quia dum propter
Christum natum occidũtur, certissimum
illi testimonium præbent. Vnde etiam fa-
ctum, vt non solum testes, sed etiam præ-
Leo Papa. cones eiusdem natiuitatis extiterint. Nam
vt eleganter inquit Leo magn. sermo. 2. de
Epiphania, *& sæuitia Herodis volens primor
dia suspecti sibi regis extinguere, huic dispensa
tioni nesciens seruiebat. vt dum atroci intentus
facinori, ignotum sibi puerum indiscreta in-
fantium cæde persequitur, annunciatum cælitus
dominatoris ortum insignior vbique fama loque
retur, quam promptiorem ad narrandum, diligen
tioremque faciebat. & supernæ significationis
nouitas, & cruentissimi persecutoris impietas.*

SECTIO. VI.

Quomodo visa stella Magi cognouerint Christi natiuitatem.

FVit quorundam sententia Christi na
tiuitatem potuisse á Magis per Astro
logiæ scientiam, & stellarum cõstella-
tionem agnosci. Ita docuit Petrus de Alia
co. q. 30. in Genes. vt latius tractat Sixtus
Senensis lib. 6. Bibl. annot. 10. Cui senten
tiæ videtur fauere Hieronymus. in 47. ca
pit. Isai. circa finem dicens, *Magi de Orien
te venerunt domini stellam se vidisse dicentes,
vel ex artis scientia, vel ex vaticinio Balaã pro-
phetæ sui.* Et similia verba reperiuntur no
mine Aug. lib. 3. de mirabilib. scripturæ ca
pit. 4. Sed est sententia prorsus falsa, nec
potest habere nisi hæreticum fundamẽtũ:
nimirũ generationes hominum fatali qua
dam necessitate ex stellarum constellatio-
nibus proueuire: quod est hæreticum, hu-
manamque libertatem destruens. Et mul-
to absurdius, ac intolerabilius est id senti-
re de diuinis operibus, ac supernaturali-
bus mysterijs, in quo ordine Christi con-
ceptio, & natiuitas existunt. Legatur con
tra hunc errorem generalirer Leo Pap. epi
sto. 91. vel iuxta alios codices. 93. ad Turi-
bium, & in speciali tractando de hoc my-
sterio Gregorius Nyssenus. Oratione
de natiuitate Christi, Chrysostomus &
cæteri Græci in Matthæum, Greg. Pap. ho
mil. 10. in Euang. August. serm. 6. Epipha.
& 2. lib. cont. Faust. cap. 5. & sequentibus,
qui tamen præcipuè disputant de stella,
quæ Magis apparuit, & rectè dicunt non
potuisse illam esse fatum pueri, sed (si ita
loqui licet) potius puerum stellæ fatum
C appellandum esse. Quia nõ puer propter
stellam, sed stella propter puerum demon
strandum exorta est. Vnde elegãter Petrus
Chrysologus serm. 156. circa illud verbum
Stellã eius, Habere, inquit, *cæpit stellam vnã,
totam qui fecit, habet, & continet creaturã: qui
habet stellam non habetur à stella, neque ipse a-
gitur cursu stellæ: sed ipse stellæ agit cursum, cu
ius per cælum sic cursum dirigit, sic moderatur
inceßum, sic viam temperat, vt Magorum seru
iat, & mittatur ad egressum.* Quo circa ver
bum supra citatum ex Hieron. obiter tan
tum dictum esse videtur, & non affirman
do: sed sub disjunctione quadam. Potest
præterea ita exponi, vt non sit sensus po
tuisse

Petr. Alliacens. Six. Senẽ. Hieronym. Aug.

Leo Papa. Gre. Nyss. Chrysost. Greg. Pap. August.

Pet. Chrys.

tuisse Magos visa stella ex illa per artis scię A tiam cognoscere Christi natiuitatem: sed quòd arte iuuari potuerint ad intelligendum eam stellam fuisse nouam, & inusitatam. Eadem expositio adhiberi potest verbis Aug. quæ obscuriora sunt, quãquam ille liber incertæ est autoritatis.

Secunda sententia est, Magos, qui successores erant Balaam, ex vaticinio illius fuisse edoctos orituram aliquando stellã, quę natiuitatem Regis cuiusdam Iudęorum indicaret, iuxta verbum illud Num. 24. Orietur stella ex Iacob, & cõsurget virga de Israel, ac propterea summa cura, ac sollicitudine obseruasse, & expectasse ortum illius stellę, & ideo illa visa statim fuisse motos ad quærendum Regem per eam indicatum. Hæc est communis antiquorum Patrum sententia, Orig. hom. 13. 15. & 18. in Num. & lib. 1. cont. Celsum, Basil. dicta homil. de humana Christi generatione. Qui addũt, forsam per aduentum Domini sensisse Magos suorum Deorum, seu potius Dæmo- B num potestatem dibilitatam, indeque cœpisse cognoscere magnæ virturis esse Regem natum, & per stellam indicatum. In eadem sententia sunt ferè omnes expositores Matth. 2. Hieronymus, Theophylact. Euthym. Anselmus, Chrysosto. in imperfecto hom. 2. Item ferè omnes Patres in homilijs de Epiphania, Leo Papa, præsertim serm. 4. Cyprian. serm. de stella, & Magis, & benè Petrus Chrysologus serm. 156. *Nõ curiositate*, inquit, *Chaldæa, non arte magica, sed Iudaica Prophetia.* & ser. 157. *Non Chaldæa arte, sed de prisca sanctorum traditione maiorum. Erant isti de genere Noe, de filijs Abrahæ, qui Christum nasci per Deum didicerant, non per artem, eumque hominem Deum Regem* C *moriturum alto cognouerant sacramento.* Quibus verbis indicat hic autor non ex sola prophetia Balaam: sed etiam ex maiorum traditione habuisse Magos fidem de aduẽtu Christi, & ex illa motos fuisse, vt ad Christum adorandum festinarent. Eandẽ sententiam de prophetia Balaam docuit Isidorus lib. de Passione domini cap. 13. & idem sentiunt Hiero. Isai. 47 Augustinus li. 3. de mirabilibus sacræ scripturæ, & Gregorius Nyssenus orat. de sancta Christi natiuitate. Denique Ambros. lib. 2. in Lucã cap. de Magis. Accedit, etiam prophanos autores tradidisse per totum Orientem famam percrebuisse, Regem quendam nasciturũ in Iudęa fuisse, qui rebus omnibus potiretur. Ita colligitur ex Cicerone lib. 2. de diuinatione, & Suetonio in vita Vespasiani: & tradunt ex nostris Orosius lib. 6. cap. 6 & Ægesippus li. 5. & alij.

Dicendum tamen est Magos, simul cum externo signo stellę habuisse internum lumen, ac diuinam illustrationem. Ita docet D. Thom hic art. vltimo: & videtur mihi constans, ac certa sententia, quam ijs verbis docuit Leo Papa ser. 1. de Epiphania. *Dedit ergo aspicientibus intellectum, qui præstitit signum, & quod fecit intelligi, fecit inquiri, & se inueniendum obtulit requisitus*, & serm. 3. *Magnitudinem significationis intelligunt, agẽte hoc sine dubio in eorum cordibus inspiratione diuina, vt eos tantæ visionis mysterium non lateret, & quod oculis ostendebatur insolitum, animis non esset obscurum*, & ser. 4. *Præerat huic miraculo gratia Dei, &c.* & inferius, quasi exponens secundam sententiam supra citatam, inquit. *Quanuis autem diuinæ dignationis esset hoc munus, vt cognoscibilis gentibus fieret natiuitas saluatoris: ad intelligendum tamen miraculum signi potuerunt Magi, etiam de antiquis Balaam prænuntiationibus commoneri.* Idem sensit Fulgentius serm. de Epiph. & late Chrysolog. serm. 156. & sequentibus de eodẽ mysterio, & Augustinus ser. 7. *Hanc stellam*, inquit (*sicut intelligitur*) *admirati, cuius etiam esset, consequenti reuelatione nosse meruerunt, Regis videlicet Iudæorum, eoque nato, cum & hoc eius gratia cognouissent, ad eum adorandum hodie occurrere potuerunt*, & optimè etiam Chrysost. hom. 6. in Matth. Qui hoc confirmat, simul cum Augusti no supra, quia Magi non venerũt ad Christum sola cogitatione, & spe regni temporalis: tum quia non sperarent illum futurum temporalem Regem suum, sed gentis alienę: tum etiam quia magno periculo se exposuerunt, nouum Regẽ in alieno Regno, & in ciuitate regia, & coram Rege, qui tunc regnabat, futurum successorem quęrentes. Præterea, quia infantulum adorarunt nulla Regis videntes insignia, cuius gratiam tunc captare non poterant, si tantum homo, & Rex temporalis futurus crederetur, quandoquidem eorum obsequiũ non agnoscebat, neque etiam apud illius parentes humanam aucupari beneuolentiam, seu adulationem potuerunt, cũ eos pauperes, & inopes esse prospicerent. Denique quia ad patriam redeunt nullo spectato tem-

Numer. 24

Origen. Basil.

Hierony. Theophy Euthym. Anselm. Chryso. Leo Papa. Cypria. Chrysolo

Isidor. Hierony. August. Greg. Nis. Ambros. Cicer. Sueton.

Orosius. Ægesipp.

Visa stella, interius illuminati Magi.

D. Thom. Leo Papa.

Fulgen. Chrysolo. Aug.

Chrysost.

Fides, & religio Magorum insignis.

tato temporali prẽmio. Cognouerunt igitur Christum esse plusquàm hominem, & Regem plusquám temporalem: atqui huiusmodi cognitionem sine gratia Spiritus sancti habere nequiuerũt. Eo vel maximè, quòd suis muneribus insignem quandam de Christo cognitionem declararunt, vt supra ex sanctis Patribus citauimus, & vno verbo dixit eleganter Fulgentius supra. *Attende, quid obtulerunt, & agnosce, quid crediderunt.* Deinde in toto itinere, ac diligentia quærendi Christum, & in illa animi constantia, qua de illo Ierosolymis interrogarũt, & in illo *gaudio valde magno*, quo gauisi sunt, visa iterum stella, ac denique in eo obsequio, quo coram puero in prẽsepi inuẽto procidérũt, eumque adorarũt insignem animi virtutem, fidem, religionẽ atque caritatem ostenderunt. Ergo nõ est dubium, quin singulari, & excellenti gratia ab Spiritu sancto fuerint interius prævenienti, & adiuti. Postremò in euangelio legimus post adoratum Christum accepisse Magos in somnijs responsum, *ne redirẽt ad Herodem*, quid ergo mirum, quod existentes in Oriente diuinum responsum acceperint, vt Christum adorandum aditent? cognouerunt ergo stellę significationem diuino lumine. Voluit autem Deus non tantum interius eos illuminare: sed etiam sensibili stellæ signo ducere, tum quia erãt imperfecti, & quasi paruuli in fide: tum etiam, quia hęc est suauis diuinę prouidẽtię dispositio, vt per ea, quæ vnicuique familiaria sunt, vnum quẽque ad se trahat, & moueat. Quia ergo Magi in rerum cœlestium, ac stellarum consideratione versabantur, ideo eis per noui syderis illustrationem demõstrari voluit, vt recte D. Th. ar. 5. declarat, & ar. 3. ad. 3. vbi dicit ideo ab Oriente fuisse vocatos, vt significaretur à Christo, cuius nomen *Oriens* est Zachar 6. attractos fuisse. Denique Chrysost. hom. 11. in cap. 1. Ioannis Magos dicit fuisse factos à Christo magistros Iudæorum, & homi. 16. ex varijs in Matth. ad Christum loquens inquit. *Ipse aduentu tuo Magos ab Oriẽte vocasti, & euãgelistas eos ad tua remisisti.*

Fulgen.

Zachar. 6

Chrysost.

QVAESTIO. XXXVII.

De legalibus circa puerũ Iesum obseruatis, in quatuor articulos diuisa.

DEinde considerandum est de circũcisione Christi. Et quia circumcisio est quædam professio legis obseruandæ (secundum illud Gal. 5. Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ) simul cum hoc quærẽdum est de alijs legalibus circa puerum Iesum obseruatis.

¶ *Vnde quæruntur quatuor.*

¶ *Primò, de eius circũcisione.*

¶ *Secundò, de nominis impositione.*

¶ *Tertiò, de eius oblatione.*

¶ *Quartò, de matris purgatione.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Christus debuerit circunci di.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd Christus non debuerit circuncidi. Veniente enim veritate, cessat figura. Sed circumcisio fuit Abrahæ præcepta, in signum fœderis, quod erat de semine nascituro, vt patet Genes. 17. Hoc autem fœdus fuit in Christi natiuitate completum. Ergo circumcisio statim cessare debuit. ¶ *2. Præterea, Omnis Christi actio nostræ est instructio: Vnde dicitur Ioã. 13. Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita, & vos faciatis. Sed nos non debemus circuncidi: secundum illud Gala. 5. Si circumcidimini, Christus vobis nihil proderit. Ergo videtur, quòd nec Christus debuerit circuncidi.* ¶ *3. Præterea, Circumcisio est ordinata in remediũ originalis peccati. Sed Christus non contraxit originale peccatũ: vt ex suprà dictis patet. Ergo Christus non debuit circuncidi.* ¶ *Sed cõtra est, quòd dicitur Lucæ. 2. Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer.* ¶ *Respondeo dicendum, quòd pluribus de causis Christus debuit circuncidi. Primò quidem, vt ostendat veritatẽ carnis humanæ*

204 Infr. q. 40 ar. 4. co. Et 4. di. 1. c. q. 2. ar. 2. q. 3 & opu. 60 cap. 5.

nis humanæ, contra Manichæum, qui dixit eum habuisse corpus phantasticũ, & contra Apollinarium, qui dixit corpus Christi esse diuinitati consubstantiale: & contra Valentinum, qui dixit Christum de cœlo corpus attulisse. Secundò, vt approbaret circuncisionem, quã olim Deus instituerat. Tertio, vt comprobaret se esse de genere Abrahæ, qui circũcisionis mandatum acceperat in signum fidei, quam de ipso habuerat. Quartò, vt Iudæis excusationem tolleret ne eum reciperent, si esset incircuncisus. Quintò, vt obediendi virtutem nobis suo commendaret exemplo. Vnde & octaua die circuncisus est, sicut in lege erat præceptum. Sextò, vt quia in similitudinẽ carnis peccati aduenerat remedium, quo caro peccati consueuerat mundari, nõ respueret. Septimò, vt legis onus in se sustinens, alios à legis onere liberaret, secũdum illud Galata. 4. Misit Deus filium suum factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret.

¶ Ad primum ergo dicẽdum, quòd circuncisio per remotionem carnalis pelliculæ in membro generationis facta significabat spoliationem vetustæ generationis, à qua quidem vetustate liberamur per passionem Christi. Et ideo veritas huius figuræ non fuit plenè impleta in Christi natiuitate, sed in eius passione, ante quã circuncisio suam virtutem, & statum habebat. Et ideo decuit Christum ante suam passionem tanquam filium Abrahæ circuncidi. ¶ Ad secundum dicendum, quòd Christus circũcisionem suscepit eo tempore, quo erat sub præcepto. Et ideo sua actio in hoc est nobis imitanda, vt obseruemus ea, quæ sunt nostro tẽpore in præcepto: quia vni cuique negotio est tempus, & opportunitas, vt dicitur Eccles. 3. Et præterea, vt Origen. dicit, sicut mortui sumus cum illo moriente, & consurreximus Christo resurgenti: ita circuncisi sumus spirituali circuncisione per Christũ, & ideo carnali circuncisione non indigemus. Et hoc est, quod Apostolus dicit Coloss. 2. In quo, scilicet Christo, circuncisi estis circuncisione non manu facta, in expoliatione corporis carnis, sed in circũcisione Domini nostri Iesu Christi. ¶ Ad tertium dicendum, quòd sicut Christus propria voluntate mortem nostram suscepit quæ est effectus peccati (nullum in se habens peccatum) vt nos à morte liberaret, & spiritualiter nos faceret mori peccato, ita etiam, & circuncisionem, quæ est remedium originalis peccati, suscepit absque hoc, quòd haberet originale peccatum: vt nos à legis iugo liberaret, & vt in nobis spiritualem circuncisionem efficeret: vt scilicet suscipiendo figuram, impleret veritatem.

COMMENTARIVS.

NO N inquirit D. Thom. de debito præcepti, seu de morali debito ad morum honestatem necessario: sed solum de debito decentiæ, aut cõgruitatis. Et hoc sensu respondet debuisse, seu decuisse Christum circuncidi. Cuius rei septem rationes affert, non quidem necessarias: sufficientes tamen supposito mysterio iam facto. Solũ in quinta, quæ fundatur in exemplo obedientiæ, obseruandũ est, non esse sensum Christũ obedijsse præcepto circuncisionis, quo obligaretur, & hoc modo dedisse nobis exemplum obedientiæ, sed potius ob reuerentiam illius legis se illi subdidisse, cùm ea non teneretur, & hoc modo exemplum obedientiæ præbuisse.

Argumenta D. Tho. facilia sunt, eorũq; doctrina in sequenti disputatione explananda amplius est. Id verò quod Caietan. notat circa solutionem ad secundũ, quanquam alienum est ab hoc loco, corrigendũ tamen breuiter est. Tractat enim, an liceat nunc vti circuncisione, non vt legali cæremonia, neque ad obseruandam legem antiquam, neque in remedium originalis peccati: sed solum propter conformitatem ad Christum, & licet dubitando tantum procedere videatur: in eam verò sententiam inclinat

Caietan.

Vsus circũcisionis omnino illicitus hoc tempore.

inclinat, vt ablato scãdalo hoc per se ma A
lũ non sit: sed potius bonum, quia obiec
tum est indifferens, & finis, ad quẽ ordi-
natur bonus. Hæc sentẽtia sine dubio fal
D. Thom. sa est (vt D. Th. docuit in. 4. d. 1. q. 2. art.
5. quæst. 3. ad. 3.) Ratio est, quia Christus
non assumpsit circuncisionem, nisi vt ce
remoniam legalem, velle ergo conforma
ri Christo in vsu circũcisionis est re ipsa
velle conformari illi in vsu cæremoniæ
legalis, quod non magis licet in circunci
sione, quã in omnibus alijs cæremonijs
legis, quas Christus seruauit. Quod si
quis in ea actione: vel passione cõsideret
solũ id, quod materiale, & corporale est,
vanum est, & superstitiosum velle in hoc
cõformari Christo, si verò respiciat dolo B
rẽ, & carnis afflictionẽ, nõ licet homini
in hoc cõformari Christo, abscindendo
vel minimã corporis sui partẽ, sicut nemi
ni licet vel manũ sibi perforare, spineam
coronã capiti infingere, vt Christo con-
formetur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm conuenienter fuerit Christo nomen impositum.

AD secũdũ sic proceditur. Videtur, quòd incõuenienter fuerit Christo nomẽ impositũ. Veritas enim Euãgelica debet prænũtiationi propheticæ respõdere. Sed prophetæ aliud nomẽ de Christo prænũtiauerunt: dicitur enim Isa. 7. Ecce Virgo cõcipiet, & pariet filium, & vocabitur nomẽ eius Emanuel. Et. 8. Voca nomẽ eius, accelera, spolia detrahe, festina prædari. Et 9. Vocabitur nomẽ eius, Admirabilis, Cõsiliarius Deus fortis, pater futuri sæculi, Princeps pacis, & Zach. 6. dicitur, Ecce Vir, Oriẽs nomẽ eius. Ergo incõueniẽter vocatũ est nomẽ eius Iesus. ¶ 2. Præterea, Isai. 62. dicitur, Vocabitur tibi nomẽ nouũ, quod os dñi nominauit. Sed hoc nomẽ Iesus, nõ est nomẽ nouũ, sed pluribus fuit in veteri Testamẽto impositũ: vt patet etiã ex ipsa genealogia Christi Luc. 3. ergo videtur, quod incõueniẽter vocatũ est nomẽ eius Iesus. ¶ 3. Præterea, hoc nomẽ, Iesus salutẽ significat, vt patet per id q dicitur. Mat. 1. Pariet filiũ, & vocabis nomẽ eius Iesum, ipse enim saluũ faciet populũ suũ à peccatis eorũ. Sed salus per Christũ nõ est facta solũ in circuncisione, sed etiam in præputio: vt patet per Apost. Ro. 4. in cõueniẽter ergo hoc nomẽ fuit Christo impositũ in sua circũcisione. ¶ Sed cõtra est autoritas Scripturæ, in qua dicitur Lu. 2. q post quã consummati sunt dies octo, vt circũcideretur puer, vocatũ est nomẽ eius Iesus. ¶ Respõdeo dicendum, quòd nomina debẽt proprietatibus rerũ respõdere. Et hoc patet in nominibus generũ, & specierum: quia, vt dicitur. 4. Metaph. ratio, quã significat nomẽ, est definitio, quæ designat propriã rei naturam. Nomina autẽ singularium hominum semper imponuntur ab aliqua proprietate eius, cui nomen imponitur. Vel à tempore, sicut imponuntur nomina aliquorum sanctorum his, qui in eorum festis nascũtur, Vel à cognatione: sicut cùm filio imponitur nomẽ patris. Vel alicuius de cognatione eius: sicut propinqui Ioãnis Baptistæ volebãt eum vocare nomine patris sui Zachariã, nõ autẽ Ioannẽ: quia nullus erat in cognatione eius, qui vocaretur hoc nomine, vt dicitur Luc. 1. Vel etiam ab euentu, sicut Ioseph vocauit primogenitum suum Manassem, dicens, Obliuiscifecit me Deus omnium laborum meorum Gene. 41. Vel etiã ex aliqua qualitate eius, cui nomẽ imponitur sicut. Gen. 25. dicitur, q quia qui primus egressus est de C vtero matris, rufus erat, & totus (in morem pellis) hispidus, vocatũ est nomẽ eius Esau, q interpretatur rubeus. Nomina autẽ quæ imponuntur aliquibus diuinitus, sẽper significãt aliquod gratuitũ donum eis diuinitùs datũ: sicut Gen. 17. dictum est Abrahæ, appellaberis Abrahã quia patrẽ multarum gẽtium cõstitui te. Et Matt. 16. dictum est Petro, Tu es Petrus, & super hãc petrã ædificabo ecclesiã meam. Quia igitur Christo hoc munus gratiæ collatum erat, vt per ipsum omnes saluarentur, ideò conuenienter vocatum est

tum est nomẽ eius Iesus, idest, Saluator, Angelo hoc nomen prænuntiante, nõ solùm matri, sed etiam Ioseph, qui erat futurus eius nutritius.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd in omnibus illis nominibus quodammodo significatur hoc nomen Iesus, quod est significatiuum salutis. Nam in hoc quod dicitur, Emanuel, quod interpretatur, nobiscum Deus, designatur causa salutis, quæ est vnio diuinæ, & humanæ naturæ in persona Filij Dei, per quã factum est, vt Deus esset nobiscũ, quasi particeps nostræ naturæ. Per hoc autẽ quod dicitur. Voca nomẽ eius, accelera, spolia detrahe, &c. designatur à quo nos saluauit, quia à diabolo, cuius spolia abstulit secundum illud Coloss. 2. Expolians principatus, & potestates, traduxit confidẽter. In hoc autem quod dicitur, Vocabitur nomen eius Admirabilis, &c. designatur via, & terminus nostræ salutis, in quantum scilicet admirabili diuinitatis consilio, & virtute, ad hæreditatem futuri sæculi perducimur, in quo erit pax perfecta filiorum Dei, sub ipso principe Deo. Quod verò dicitur, Ecce Vir Oriẽs nomen eius, ad idem refertur ad quod primum, scilicet ad Incarnationis mysterium, secundum quod exortum est in tenebris lumen rectis corde. ¶ Ad secundum dicendum, quòd his qui fuerũt ante Christum, potuit conuenire hoc nomen Iesus, secundum aliquam aliam ratienem, puta, quia aliquam particularẽ, & temporalem salutẽ attulerũt. Sed secũdũ rationem spiritualis, & vniuersalis salutis, hoc nomen propriũ est Christo, & secũdũ hoc dicitur esse nomen nouũ. ¶ Ad tertiũ dicendũ, quod sicut Gen. 17 legitur, simul Abrahã suscepit nominis impositionem à Deo, & circũcisionis mãdatũ. Et ideo apud Iudæos cõsuetũ erat, vt ipso die circũcisionis nomina pueris imponerentur, quasi ante circũcisionem perfectũ esse nõ habuerint. Sicut etiam nũc pueris in baptismo nomina imponuntur. Vnde super illud Proue. 4. Ego filius fui patris mei, tenellus, & vnigenitus corã matre mea, dicit gloss. Quare Salomõ se vnigenitum corã matre nominat, quẽ fratrem vterinũ præcessisse scriptura testatur, nisi quia ille mox natus, sine nomine quasi nunquam esset, de vita decessit. Et ideo Christus simul cũ fuit circuncisus, nominis impositionem accepit.

COMMENTARIVS.

QVatuor breuiter, & eleganter explicat D. Th. in hoc arti. Primum hoc nomẽ IESVS fuisse Christo accõmodatissimũ, fuit enim diuinitus impositũ, nomina autẽ, quæ diuinitus imponuntur, sumi solẽt ex aliquo munere gratię diuinitus collato, Christo aũt hoc munus gratiæ datũ est, vt scilicet fuerit omniũ saluator. Secundum est in solutione ad. 1. in hoc nomine cętera Christi nomina, quæ in scripturis inueniũtur, mirabiliter cõtineri, de qua re plura in disputat. sequenti dicenda sunt. Tertium est in sol. ad. 2. hoc nomẽ, prout Christo impositum est, fuisse nouum, & nunquam antea alteri impositum, quia licet ipso materiali nomine nõnulli antea insigniti fuerint, ratio autem, & ethimologia nominis noua, ac singularis in Christo fuit. Alij enim dicti sunt Iesus, vel propter aliquod tẽporale cõmodum, quod hominibus attulerunt, vel propter eorum imitationẽ, & cognationẽ, solus aũt Christus dictus est *Iesus*, eõ quòd futurus erat autor spiritualis vitæ, ac salutis. Iuxta quã doctrinã explicat D. Th. locum Isai. 62. *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.* Quæ doctrina, & expositio consentanea est Cyril. li. 5. de Trinit. dicenti nomẽ IESVS esse nomẽ nouũ Verbo impositũ, carnis natiuitatem indicãs, & Isaię vaticiniũ implens. Idem expresius docet idẽ Cyril. lib. de fide ad Theodos. propè medium. Sed licet hęc expositio probabilis sit, idẽ tamen Cyril. & Hieron. in Isaiam non ad Christum, sed ad Ecclesiam, & spiritualem populum Israel, locum illum Prophetæ referendum putant. Et quidẽ planus contextus literæ hoc requirit, sic enim inquit. *Propter Sion nõ tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur, vt splendor iustus eius, & saluator eius, vt lampas ac-*

Nomen Iesu conueniẽter Christo impositum.

Isai. 62.

Cyrill.

Hieron.

pas accendatur. Et *videbunt gentes iustum tuum, & cuncti Reges inclitum tuum, & vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.* Illud enim pronomen, *tibi*, ad Ecclesiam manifestè refert prophetiam, illi ergo noua ex ore ipsius Dei nomēclatura promittitur. Quod dicit Hieron. impletum fuisse, quando Christus dixit Petro, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Vnde Euseb. lib. 2. de Demonst. Euangel. demonstratione. 49. dicit hoc nomen nouum, esse nomen Christianorum, *quod a saluatoris nostri Iesu Christi appellatione deductum in toto orbe terrarum laudibus, & fauore celebratur.* De quo legi potest Chrysostom. hom. 18. in. 1. cap. Ioannis.

Hieron. Euseb. Chrysost.

Quartum est in solut. ad. 3. conuenienter fuisse Christo nomē impositum in die circunciſionis, cuius literalem rationē reddit. Quia inter Iudæos ita erat in more positum, quem morem ortum esse dicit tum ex eo, quód Abraham simul cum circunciſionis mandato nouum nomen à Deo accepit: tum etiam quód antecircuncisionē, cùm infantes non essent Deo reconciliati, non censebantur habere esse perfectum neque nomine digni. Quæ ratio est optima, & accommodari potest impositioni nominis, quæ nunc fit in baptismo. In Christo tamen domino locum non habet, nam secundum se ab initio conceptionis meruit, & habuit tale nomen: imo, illud *vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur*, seruari tamen in se voluit populi sui consuetudinem: De qua re nonnulla addemus disputati. sequenti.

DISPVTATIO. XV.

In duas sectiones distributa.

De mysterio circunciſionis.

QVæ ad materiam de circunciſione spectant, non sunt hoc loco tractāda, cū de hac re ex professo disputet D. Tho. q. 70. quā diuina ope in sequēti tomo explicabimus. Solū ergo supponēda est historia Gen. 17. vbi Deus præceptū tradidit Abrahæ eiusq; posteris de circuncidēdis octauo die infantibus. Quod præceptū nō poterat obligare infantes, donec ad ætatē adultā peruenirent: obligabat tñ parentes, vt in filijs suis illud obseruarēt. De hoc ergo præcepto videndum est, qua ratione, vel obligatione in Christo fuerit impletum, ac deinde nonnihil de nomine ei imposito dicemus. Quam disputationē & duas proximè sequentes breuiter expediemus, quia res faciles sunt: eas tamen nō omnino prætermittendas duximus, vt integra, ac completa doctrina traderetur.

Gen. 17.

SECTIO. I.

V. Licuerit, vel decuerit Christum circūcidere.

SVppono in primis Christum nō fuisse subiectum præcepto circunciſionis, seu quòd idem est, parentes eius non fuisse obligatos ad circuncidendum illum, nō solum, quia Deus erat, sed etiam, quia non fuerat ex semine virili, communi aliorum modo genitus (vt latius probaui tomo præcedenti disputat. 43. sectione. 2.) Quod tamen per se, & ex vi illius præcepti intelligendum est, an verò propter scandalum vitandum nonnulla fuerit obligatio, dicam inferius.

Duplex ergo hinc oritur dubitandi ratio. Prior est, quia secluso præcepto Dei nō liceret Iudæis filios suos circuncidere, tum quia vulnus illud in tenerrima ætate mortis periculū afferre poterat: tum etiā, quia nullius membri abscisio, vel mutilatio per se licita est, secluso Dei præcepto, vel vrgente necessitate, sed in Christo cessauit diuinum præceptum, ergo non licuit hominibus diuinam eius carnem attingere, & sacratisſimum sanguinem fundere.

Secunda ratio dubitandi est, quia circunciſio præcipuè instituta fuit, vt esset signū fœderis inter semen Abrahæ, & Deū Genes. 17. significabat autem vel Christū venturum, erat enim quædam protestatio, & signaculum fidei Christi venturi, vt indicatur ad Rom. 4. vel spiritualem circunciſionem per fidem Christi conferendam. Hac enim ratione dabatur in membro generationis, quia Christus ex semine Abrahæ erat nasciturus & quia futurus erat remedium peccati originalis, quod per circunciſionem traducitur, ergo tale signum non poterat verè applicari Christo iā nato, & natura sua à peccato immuni. Et hæc ratio efficacius probat non decuisse Christū circuncidi, & signum peccatoris assumere.

Genesis. 17. Roman. 4. generationem

Dicendum verò est: primo, sanctum, & honestum fuisse Christum circuncidi. Est conclusio de fide: nam in primis de fide certum est, Christum fuisse circunciſum

Christus octauo die circunciſus.

Luc.2. Ita enim vniuersa Ecclesia intellexit verbum illud Luc.2. *Postquam consummati sunt dies octo, vt circumciderctur puer, vocatum est nomẽ eius Iesus.* Nam licet Euangelista, facta mentione diei ad circũcisionem instituti, transitum facere ad nominis impositionẽ, nec affirmare expressè videatur Christum fuisse circuncisum: tamen verus sensus illius loci est. *Postquã consummati sunt dies octo*, ideſt, postquam aduenit dies octauus circuncisioni puerorum indictus, & post quam in eo circuncisus est puer, illi Iesu nomen impositum est. Ita Ammonius Alexand. in harmonia quatuor euangeliorum. Ambros. hic, & alij expositores. Nam quia consuetum erat, & lege præscriptum, vt infantes circunciderentur, ideó Euangelista potius id tanquam indubitatum, manifestumque supponere, quàm diserte narrare visus est. Quia verò impositio nominis propria, & peculiaris fuit, ideò de illa distinctius scripsit. Quanquam si textum Græcum attendamus, in eo apertius hoc indicatur, additur enim coniũctio, &, hoc modo, *postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer, & vocatum est nomẽ eius Iesus*, illa enim dictio copulatiua manifestè supponit illum circuncisum esse, & præterea illi fuisse impositum nomen Iesu.

Ammon Alexan.

Deinde certum etiam de fide est, licite, ac sanctè egisse eos, qui Christum circunciderũt. Primum enim B. Virgo, quę peccare non poterat, in eum actum consensit iustus etiam Ioseph. tanquam nutritius, & quasi pædagogus Christi suam in eo facto voluntatem interposuit, imo (vt aliqui volunt) circuncisionis etiam ipse minister fuit. Prætærea totum id factum est voluntate eiusdem Christi, & æterni patris, qui *ipsum misit factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.*

Ad Gal.4.

Obiectio. Dices etiam volũtarie passus est Christus, & nihilominus actio, â qua prouenie bat illa passio, nõ erat bona, ergo idẽ posset quis dicere in præsenti. Respondetur esse valde diuersam rationem, illa enim actio erat injuriosa, & intrinsece mala: hæc autem minime, & ideò non solum vt passio, sed etiam vt actio fuit Christo volũtaria, & non solum permissa, sed etiam ordinata ab æterno patre. Quod dupliciter explicari potest: primo, quia verisimile est non esse factam à Ioseph, & B. Virgine absque speciali Dei reuelatione. Et fortasse quando Angelus docuit Ioseph nomen, quod puero erat imponiturus, simul significauit, vt illud imponeret die circuncisionis, more consueto. Vnde Epiphanius lib. 1. hæresi. 30. sub finẽ, alios pueros inquit, non esse autores circũcisionis, sed parẽtes ipsorũ, Christum autem sicut incarnationem, & cõceptionem, ac nominis impositionem, ita & circuncisionẽ sibi ipsi disposuisse. Secundo, secluſa etiam reuelatione, illa circuncisio tunc erat actio sacra, & religiosa, & autoritate diuina ad diuinum cultum instituta, & vt illius vsus esset licitus, non oportebat, vt ex obligatione legis fieret, poterat enim voluntarie assumi abhis, qui lege Moysis non obligabantur, quanquam postillam assumptam seruandæ legi obnoxij manerent, teste Paulo ad Galat. 5. Ergo, & si Christus non esset subiectus legi circuncisionis: iuste tamen, & sanctè potuit à parentibus circuncidi.

Epiphan.

Galat.5.

Neque obstabat circuncisionis significatio: est enim hæc differentia inter voces, & res, seu facta, quòd vocum vsus primarius est significatio: at verò res, seu facta habere possunt alium primarium vsum. Deinde voces expressius significant, quã facta, ac denique in eodem facto potest multiplex significatio fundari, ita vt vna possit ab alia separari. Prima ergo ratio instituendi circuncisionem fuit ad consignandum populum Dei, & homines diuino cultui, quodammodo destinandos, iuxta illud Genes. 17. *Statuam pactum meum inter me, & te, vt sim Deus tuus, & seminis tui post te*, & infra, *Circuncidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me, & vos*: hic ergo vsus, & significatio optime potuit in Christum dominum cadere. Aliæ verò significationes, cùm non essent expresse, non erant necessariò coniunctę cum illo opere, & ita poterant separari, & vitari omne mendacium: sicut constat, quia non solum post Christum natum, sed etiam post mortem eius multo tempore licita fuit circũcisio, & Paulus licite circuncidit Thimoteum absq; vllo mendacio, vel falsa significatione.

Primaria circuncisionis significato quæ.

Genes. 17.

Acto. 16.

Ex quibus ferè expeditè relinquuntur rationes dubitandi initio positę. Quibus addo, quãuis per se nõ fuerit necessarium parẽtibus Christi, puerũ circũcidere: per accidens tamen ad vitandum scandalum, merito existimari potuisse necessarium.

Quia

Quia cùm partus esset manifestus omnibus, miraculum autem conceptionis esset occultissimum, non potuisset non generari graue scandalum, si circuncisio fuisset prętermissa. Et quanquam hæc necessitas fortasse non tanta fuerit, vt obligationem simpliciter induceret, quia non erat necessarium, vt cęteris constaret, si fortasse circuncisio omitteretur, nihilominus tamen demonstrat ratio facta hunc fuisse conuenientissimũ modum non solum ad vitandum scandalum: sed etiam ad significandã promptissimam voluntatem parendi legi, eique reuerentiam exhibendi, eam nimirũ exequendo etiam cùm non obligaret.

Dico secundo, decuisse maxime Christum circuncidi. Est conclusio æque certa, ac præcedẽs. Quam optimis rationibus confirmat. D. Tho. in art. quę omnes fere ad literam desumptæ sunt ex Epiphanio loco nuper citato, vbi sic inquit, *Propter multas causas circuncisus est, & primum, vt ostenderet seipsum in veritate carnem assumpsisse, propter Manichæum, & eos, qui dicunt, eum in specie apparuisse,* & postea eandem rationem applicat contra Apollinarem, & Valentinum. Secundo. *Vt non haberent Iudæi excusationem, si enim non fuisset circuncisus, poterant dicere, non potuimus Christum suscipere.* Quam rationem eleganter tetigit Chrysostom similem causam agens hom. 34. in acta Apost. & rationem reddens, cur Paulus Timotheum circuncideri, inquit. *Hæc est causa circuncidendi, non enim ferebant audire verbum ab incircuncisо, vide opus: circuncidit, vt circũcisionem tollat.* Tertio addit Epiphanius. *Oportebat ipsum, qui præceperat Abrahã vt circuncideretur, signaculi apparentis gratia dati vero ad figuram veri, ac inuisibilis, nunc circuncidi, & hoc signaculum confirmare.* Sic Euseb. Emis. hom. in octaua natiuitatis domini. *Ideo ipse circuncisus est, vt legem compleret, & bonam esse ostenderet.* Et Cyprianus serm. de hoc mysterio. *Neque hoc sacramentum*, inquit, *consuetudini antiquæ subtrahere voluit Christus, & licet non esset in hoc tempore necessarium, tamen ne antiqua religio prorsus reproba videretur, in se voluit circuncisionis aptari signaculum.* Quarto pergit Epiphani. *Durauit hæc vsque ad Christũ, & hac de causa etiam ipse circuncidi voluit,* sic Euse. Emis. supra, *Circuncisio in Christo cõpleta est, in quo, & aliæ legis cæremoniæ cõsummatæ sunt, finis enim legis Christus.* Vnde eleganter

Circũcisio Christi multis modis decẽtissima.

Epiphan.

Chrysosto.

Euse. Emi.

Cyprian.

Epiphan.

Euse. Emi.

A Aug. serm. 13. de tempore. *Dominus quidem suscepit circuncisionem, ablaturus ipsam circuncisionem, suscepit vmbram, daturus lucem, suscepit figuram, impleturus veritatem.* Apertius idem Aug. libr. quæst. noui testamenti. q. 22 *Circuncisio*, inquit, *vsque ad Christum ducta est*, & infra, *Ideo debuit circũcidi, vt ipse probaretur esse, qui promissus Abrahæ esset, ita vt de cætero circuncisio cessaret impleta promissione.* In quibus verbis quintam rationem indicat August. videlicet oportuisse Christum circuncidi, ne á semine Abrahæ existimaretur alienus, & consequenter non crederetur esse ille, de quo Abrahæ prædictũ fuerat. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Sexto subiungit Epiphanius, *Vt circuncisus rationabiliter, circuncisionem dissolueret, & aliam maiorem ostenderet, non velut qui non haberet, & sibi ipsi constitueret, sed qui haberet quidem, ostenderet autem, quod hæc non amplius esset opus, sed maiori.* Quam rationem eisdem ferè verbis tradit Euseb. Emis. supra dicens. *Ideo circuncisus, vt eius nobis significationem commendaret.* Et infra, *& Iudæi quidem in vno membro circunciduntur, quare autem circuncidantur, non intelligunt, Christiani vero quid circuncisio significet intelligentes non vnum tantum, sed omnia membra circuncidunt, non pollis incisione, sed totius superfluitatis obiectione.* Septima ratio sumi potest ex verbis ipsius Christi ad Ioannem Baptistam Matth. 3. *sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* Sicut enim Christus baptizari volens summum dedit exemplũ humilitatis, ita circuncisionem suscipiẽs, *Manifestum* (inquit Bernardus) *dedit humilitatis exemplum, quia nec vestigium quidem vllũ vulneris habens, alligaturam non refugit vulneris.* Dedit etiam exemplum obedientiæ, patientię, caritatis, cæterarumque virtutum quæ omnes iustitię nomine comprehenduntur. Octauam denique rationem addere possumus, voluisse statim post natiuitatem circuncidi, vt pro nobis Deo patri satisfacere inciperet, & redemptionis nostrę initium, quod non minoris valoris esset, quàm totum pretium, Patri offerret. *Nobis enim* inquit Eusebius. Emiss. *circunciditur dominus, sicut enim pro nobis est baptizatus, & passus, ita & pro nobis est circuncisus.* Vnde Paulus ad Galatas quinto. *Factus* inquit *sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret*, & secundæ ad Corinthios quinto. *Eum, qui non nouerat peccatum, pro-*

August.

Epiphan.

Euse. Emi.

Matth. 3.

Bernardus. ser. 1. de circuncisione.

Euse. Emi.

Galatas. 5.

2. Corin. 5.

nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso. Itaque, sicut non fuit indecẽs, Christum assumere carnem in similitudinẽ carnis peccati, ita nec fuit indecens, sed multis rationibus conuenientissimum circuncisionẽ assumere, quæ licet in alijs carnem peccati significaret: in ipso verò solum veritatem carnis, similitudinem autẽ carnis peccati, & totius peccati remedium indicaret, ac polliceretur.

Cæteræ, quæ de hoc mysterio desiderari poterant, vel facilia sunt, vel ex communi ratione circũcisionis petenda, quale est illud de circunstantia temporis, seu octaui diei. De qua videri potest Bernar. serm. 3. de hoc mysterio. De circunstantia autẽ loci cauendus est lapsus Niceph. lib. 1. Hist. cap. 12. dicentis Christum fuisse circuncisum in domo Ioseph, in quo nec sibi constat, cum statim cap. sequenti dicat, Christum inuentum esse á Magis in spelũca, & præsepi: nec verum dicit, quia certum est, B. Virginem vsque ad diem purificationis à loco natiuitatis Christi non discessisse: fuit ergo in eodem diuersorio circũcisus, vt rectè notauit Epiphan. lib. 1. cont. Hęreses, tom. 1. cap. vltimo, post hæresim. 20.

Bernard. *Nicephor.* *Locus circuncisionis Christi.* *Epiphan.*

Vltimo tandem inquirere aliquis posset, quid de præputio Christi factũ sit. In qua re solũ dicere possumus in præsenti loco, præputium illud summa diligentia, ac veneratione seruatum esse a B. Virgine, hoc enim perse verisimile est, & pietati, ac caritati Virginis consentaneum. An verò in resurrectione iterum particula illa fuerit corpori Christi coniuncta, infra agentes de Christi resurrectione dicemus.

Dubium. *Præputium Christi.*

SECTIO. II.

Cur nomen Iesus fuerit Christo domino in circuncisione impositum.

DI. Cyprianus li. de cardinalibus Christi operibus, cap. de ratione circuncisionis indicat: sicut præceptum fuit Israelitis, vt octauo die paruulos circũciderent, ita etiã fuisse mandatũ, vt eodem die nomina eis imponerent. Sic enim inquit. *Hoc cum octaua die iußum sit celebrari & nomen circuncisio aptari, intimatum est ijs, qui digni sanctorum consortio cẽsebantur, quod eorum nomina scriberentur in Cœlis, & æternæ beatitudinis, quam post vitæ huius septimanã octaua consequitur, hæredes fierent, & consortes, quicunq; vitæ innocentia sese domino consecrassent.* Non est autem intelligendum, vtrũq; fuisse á Deo distinctè, & propriè præceptum, Gen. enim. 17. vbi lex circuncisionis traditur, nulla de nomine imponẽdo fit mẽtio: sed consuetudinem imponendi nomẽ octauo die, veluti necessaria quadam cõsequutione supposita hominum cõditione ex lege circuncisionis ortam fuisse. Est enim necessarium hominibus, vt filijs suis propria imponant nomina, vt eos distinguere, vocare, ac de eis loqui possint, & propter easdẽ causas necesse est hanc impositionẽ non differri, sed à principio natiuitatis fieri. Quia verò oportet eam publice, & cũ aliqua solẽnitate fieri, ideo omnibus nationibus in more fuit, vt post aliquot natiuitatis dies, solenni aliquo ritu hæc nomina imponerẽtur. Vnde Athenienses apud Suidã, decimo natiuitatis die conuocatis cognatis & amicis, & oblatis Dijs sacrificijs nomina filijs imponebãt. Romani verò (vt autor est Festus) octauo die puellis, pueris autem nono imponebant nomina, eos prius lustrando Dijs, & ideo dies illi *lustrici* vocabãtur. Cùm ergo ritus circũcisionis inter Iudæos fuerit celeberrimus, & per illũ infantes suos paucis diebus post natiuitatẽ Deo consecrarent, cõsequens fuit, vt eodem die, quo eos circũcidebant, eis inderent nomina. Vnde hanc fuisse Iudęorum consuetudinẽ, apertè colligitur ex Luc. 1. & 2. & docent omnes Patres explicãtes hoc mysteriũ. Ex quo Theophyl. & Euthym. Luc. 1. rectè coniectant, circuncisionem fuisse solitam præcedere nominis impositionem. Tũ quia decebat, vt prius signaculum Dei imprimeretur, quam imponeretur humanum. Tum etiã quia non censebatur inter homines dignus nomine, qui nondum fuerat Deo consecratus,

Gen. 17. *Suidas.* *Festus.* *Lu. 1. et 2.* *Theophyl.* *Euthym.*

Hunc igitur morem, & quasi politicã legẽ obseruare voluit Christus: tũ vt in omnibus rebus honestis, ac decẽtibus suæ gẽti assimilaret sese: tũ etiam, vt in omnibus se verum hominẽ ostenderet, vt latè tractat Aug. ser. 40. de tẽpore. Christus enim verus Deus cum sit, & homo, sicut proprium nomen habet, quod diuinam eius personam, & naturam exprimit, quale est nomen Verbi, filij, sapientiæ genitæ, imaginis, ac similia, ita oportuit, vt secundum humanam naturam proprium nomẽ habe-

ret, quo

ret, quo inter veros homines censeretur, & ideo inter alias causas, quando per circuncisionem vera eius caro, & sanguis cō probata sunt, tunc illi proprium hominis nomen imponitur.

Ex ijs ergo primo concluditur decuisse, vt Christo recēns nato in die Circuncisionis proprium hominis nomen imponeretur. Secundo verò addendū est oportuisse, vt hoc nomē diuina quidē autoritate: ministerio tamen angelorum, & hominum imponeretur. Quôd enim diuina autoritas, & angeli ministerium interceserit ex Matt. 1. & Luc. 1. & 2. apertè constat, vbi angelus prius ad Mariā missus, *Ecce*, inquit *concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum*: certum est autem angelū non nunciasse Virgini, nisi quod â Deo acceperat. Vnde Cyril. lib. de fide ad Theodosium propè mediū, hæc angeli verba tractans. *Nomen*, inquit, *hoc nouum a Patre opinor per angeli vocem impositum est*, & infra, *Quando ergo vnigenitus filius, qui patri coæternus ante omnia sæcula extitit, nouissimis temporibus homo factus, & ex muliere natus, & filius declaratus, & primogenitus appellatus, & inter multos fratres numeratus est, tunc ille quoq; qui secundum naturam pater est, patris leges (vt ita loquar) sequutus, nomen hoc præfiniuit.* Et ideó (vt notauit Bernard. serm. 2. de circunc.) de hoc nomine loquens cap. 2. idem Euangelista Lucas, *vocatū*, dicit *esse ab angelo. Vocatum plane*, ait Bernardus, *non impositum, nēpe hoc ei nomen est ab æterno, a natura propria habet, vt sit saluator, innatum ei est nomen hoc, non inditum ab humana, vel angelica creatura.* Ratio verò est, primó, quia nomen imponere munus est habentis autoritatem in eum, cui imponitur, nullus autē proprių ius, & autoritatem habuit in Christum hominē, nisi Deus ipse. Secundo, quia perfecta nominis impositio ex perfecta rei cognitione procedit, nullus autem dignitatem Christi perfectè cognoscebat, nisi solus Deus. Tertio, hęc nominis impositio, quā do à Deo fit, est signum specialis beneuolentiæ diuinæ, & singularis dignitatis eius, cui imponitur, vt in Abraham, Isaac, Ioanne Baptista, & Petro videre licet. Deniq; priuilegium hoc accipiendi nomen à Deo in veteri, ac nouo testamento paucis quidem: aliquibus tamen insignibus personis concessum fuit, non debuit igitur Christo denegari. Vbi obiter obseruandum est, in scripturis sacris interdum inueniri nomina aliquorum virorū, post ætatis progressum mutata, interdum á principio imposita, vel ante conceptionem reuelata. Quando enim vel in Dei cognitione, aut meritis, aut in munere aliquo, & dignitate progressu temporis erant specialiter profuturi, non a principio, sed post aliquod tempus ętatis nomen à Deo suscipiebant, vt nominis mutatio mutationem in persona factam indicaret, vt in Abraham, & Petro constat, & notarunt Origenes, in præfat. Epistolę ad Romanos, & Hieronymus in principio epistolæ ad Roman. & lib. 4. in Ieremiam in fine. At verò, qui â principio insigne munus, vel donū aliquod gratiæ acceperunt, simul habuere nomina diuinitus indita, quibus eorum prerogatiua indicaretur, vt videre licet in Isaac, in quo spes Messiæ ex singulari Dei promissione posita fuit, & in Ioanne Baptista, qui in vtero matris gratiam suscepit. Christus igitur, qui â principio in omni munere, & gratia fuit perfectissimus, merito à suo ore tu proprium, ac perfectissimum nomen á Deo sortitus est.

Deinde, quôd hęc impositio per homines facta sit, constat, quia tam Marię, quā Ioseph dictum est ab angelo, & *vocabis nomen eius Iesum*. Et meritò. Primum quidem quia suauis diuinæ prouidentię dispositio hoc postulabat. Deinde, quia beata Virgo quasi iure materno hanc sibi potestatē vindicabat. Pertinet enim ad parentes, vt filijs nomina imponant: & quanuis hoc ius patri potissimum debitum sit, tāquam capiti primariam potestatem habenti, in cuius signum legimus, Abraham filio Isaac nomen imposuisse. Genesi. 18. non tamen omnino mater excluditur, vt ex Gene. 29. & ex alijs locis facilè colligi potest. Quod tunc maximè locum habet, quando vel filius patre destituitur, vel ipse exequi hoc munus non potest, qua de causa Lucæ. 1. cùm Zacharias loqui non posset, Elisabeth quasi suo iure vtens, dixit, *Nequaquam: sed vocabitur Ioannes.* Cum ergo beata Virgo esset vera Christi mater, ipsa debuit filio suo nomen imponere: imò cùm reuera sola ipsa fuerit parens eius, ad eam solā hoc munus pertinere videbatur. Nolluit aūt Deus sanctissimū Ioseph, vtpote verū spōsū, & maritū Virginis hac dignitate, & autoritate priuari. Vnde recte Chrysosto.

Matth. 1. Luc. 1. et 2.

Christo diuinitus nomen inditū. Cyrill.

Luc. 2. Bernard.

Nomina in scriptura qualiter imponi solita.

Origen. Hieron.

Christo per homines nomen impositum.

Gen. 18. et 29.

Luc. 1.

Chrysost.

hom.4.in Matth.ita introducit Angelum loquentem ad Ioseph,*Non quia ex Spiritu sancto est, id circo te à ministerio tãtæ existimes dispensationis extrancum. Nam & si nihil habeas in hac generatione commune, tamen quod est propriũ patris, quodque nihil lædit Virginis dignitatem, hoc tibi facile concedo, vt scilicet nato nomen imponas. Quãquam enim non sit filius tuus: tu tamen curã erga illum, & sollicitudinem ostendes parentis, & propterea te illi ab ipsa statim nominis impositione approprio, familiarem que facio nato infanti.* Denique cũ Christus futurus esset subditus illis, scilicet Mariæ, & Ioseph, mirum nõ est, quòd eorum voluntate, & mutuo consensu nomen recepe rit.

Tertio dicendũ est, nomẽ Iesus aptissimũ & conuenientissimũ fuisse, vt Christo domino imponeretur. Ad hanc conclusionẽ confirmandam sufficit, quod in præcedẽti dictum est, hoc nomẽ á diuina sapiẽtia fuisse excogitatum, eiusque volũtate, & auto ritate sapiẽter inditũ. Vt autẽ eius impositionis causam explicemus, primo statuendũ est hoc nomen Hebræũ esse, cuius ethimologiam nõnulli sequuti Osiandrum hęreticum, â nomine ineffabili, & tetragrãmaton Ieoua deducendam putant, addita, seu interposita vna, vel altera litera, quæ hebraicum nomen Iehosua compleat, quo mysteriũ incarnationis significari dicunt. Sed hęc, quæ in scriptura, & Patribus fundata non sunt, omittamus. Certum igitur est Iesu nomen à verbo saluandi originem ducere, teste angelo Matth.1. *Vocabis nomẽ eius Iesum, ipse enim saluum faciet populũ suũ à peccatis eorum.* Vbi Hieronymus, *Iesus hebræo sermone saluator dicitur, ethimologiam ergo nominis eius Euangelista signauit dicens, vocabis nomen eius Iesum, quia ipse saluum faciet populum suum.* Vnde vbicunque in veteri testamento sub hoc nomine Messias promittitur, septuaginta σωτῆρα vertunt, & Hieronymus, seu vulgata *saluatorem Isai. 62. Propter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & saluator eius, vt lampas accendatur*, & Mich.7. *Ego autem ad dominum aspiciã & expectabo Deum saluatorem meum*, quod Abac.3 Iesu nomine retento dicitur. *Ego autem in domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* Vbi in Hebræo non est nomen integrum Iesu, sed nomen Iesa, quod salutẽ significat: & potest intelligi abstractum pro

Nomen Iesu, Christo conuenienter inditum

יְהֹוָה

יְהוֹשׁוּעַ

Matt.1.

Hieronym.

Iesus à saluando dictus.

Isai. 62:

Mich.7.

Abac.3.

יֵשׁ הַ

situm pro concreto actiuo, ad denotandà saluatoris perfectionem, & ita septuaginta verterunt *in Deo saluatore meo,*

Secundó obseruandum est, hoc nomen fuisse Christo impositum tãquam propriũ eius. Potest autem dici propriũ. Primo vt distinguitur cõtra metaphoricũ. Cũ enim in scriptura sacra Christus dominus variis nominibus metaphoricis appelletur, dicitur enim *pastor, ostium, via*, & aliis plusquã triginta, quæ numerat Hiero. Ezech.46. & multa congerit Cypri.li.2.ad Quirinũ à principio, & Cyril Ierosolymi. Catech.10 omnia tamẽ sub hoc nomine *Iesu*, & propria eius significatione comprehenduntur. Secũdo potest hoc nomen *Iesu* dici proprium, vt à communi, seu appellatiuo distinguitur, vt enim notauit Hiero. Matth.16. Redẽptor noster, & *Christus* dicitur, & *Iesus*, sed nomen *Christi*, nomẽ est dignitatis, nomẽ autem *Iesu* solum est proprium: Nomẽ enim *Christi* ex vi suæ significationis cõmune est reges, & sacerdotes significãs, qui oleo vngebantur, & inde deductũ est ad significãdos iustos, & sanctos, quia gratia Dei vngũtur, & inde tandem deriuatũ ad Messiã per antonomasiam significandum, quòd Rex futurus esset, & sacerdos, ac Deus, & homo oleo diuinitatis vnctus, vt latè Euse biusli.4.de Demonst. Euangelica cap.15. & Nicephor.lib.1.Hist.ca.4. At verò nomen *Iesu* proprium fuit ad hãc personam in hac natura significandã impositum. Tertio potest hoc nomen dici proprium Redẽptoris, quia nulli alteri tributum est, & hoc sensu contendũt aliqui hoc nomẽ, vt ita dicã, materialiter sumptum ita esse propriũ Christi, vt nulli alteri antea fuerit impositũ. Ita tradidit Galatinus lib.3 de arcanis ca.20. & Sanctis pagninus in interpretatione nominũ Hebraicorũ, quos sequutus est Iansenius ca.7.concordię. Nã etiã si aliqui sunt in testamẽto veteri simili nomine appellati, vt *Iesus Naue*, *Iesus Syrach.* & *Iesus Iosedech*, tesp̃ódẽt hi scriptores, eorũ nomẽ non fuisse eisdẽ omnino literis cõscriptũ, nomen enim eorum erat Iehosua, Christi autẽ Iesua, quod neq; est idẽ, neq; eandem habet interpretationem. Nã *Iehosua* significat *Deus saluabit*, seu *Deus salus Iesus* vero (vt dictũ est) significat *Saluatorẽ*. Sed maiorem fidem existimo adhibendam esse antiquis Patribus, & in linguarũ cognitione peritissimis, qui docuerunt nomẽ

Iesu nomen Christo proprium.

Hierony. Cyprian. Cyri. Iero.

Euseb. Nicephor.

Galatin, Sanctis pagni. Iansen.

hoc

hoc quoad materialē literarum sonū multis antea fuisse impositum, quanquam vis, & efficacia illius nominis noua, & singularis fuerit in Christo. *Ipse enim solus* (vt Cyril. Ierosol. supra dixit) *Iesus, appellatur verò nomine à salutari medicina habēs appellationem*. Propter quòd excellentiores viri, quibus hoc nomen prius impositū est, typi, ac figuræ Christi extitisse censentur. Quod abundè probat locus ille Zachar. 3. *Ostendit mihi dominus Iesum sacerdotem magnum*. Quo loco verum, ac proprium Iesu nomē positum esse, omnes Patres docuerunt, adeò, vt quidam eorū de solo Christo, verba illa ad literam interpretentur, vt Tertullian. lib. contra Iudæos cap. vltimo, vbi inquit, delineatum esse ibi Christum summum sacerdotem, *& in persona sua, & in ipsius nominis sacramento* Idem Lactantius lib. 4. cap. 14. Origenes hom. 9. in Leuiticum. Ambros. lib. 3. de fide, cap. 4. Alij verò licet insensu historico de Iesu filio Iosedech interpretentur: allegoricè tamen intelligi de Christo non negant, & omnes cōsentiunt typum fuisse ob similitudinē nominis, officij, &c. vt latè eo loco Hieron. tractat, & Eusebius. 4. lib. de Demonstra. Euang. cap. 29. vbi sic inquit. *Magnus sacerdos, qui dicitur Iesus, apertissimam imaginē, & notam euidentißimam seruare mihi videtur Saluatoris nostri Iesu Christi, quando & illius nomine decoratur, & populi de Babylone redeuntis, qui captiuus illic fuerat, ductor existit.* Eadem est sententia Augustini. 12. contra Faust. cap. 36. Theodoreti, & aliorum interpretum Zachariæ. 3. Deinde, quòd Iosue eodem nomine in Christi figuram donatus fuerit, sæpius testatur Iustinus Martyr, in dialogo contra Tryphonem, vbi inter alia considerat, Moysen, cûm Iosue mitteret in terram promissionis, illi nomen mutasse, & ablato nomine Auses, vel Oseę Iesum vocasse, quoniā introducturus erat populum in eam, vt sicut in hoc munere, ita & in nomine typum Christi gereret. Et idem sensit Tertullianus lib. cont. Iudęos cap. 9. & lib. 3. contra Marcionem cap. 16. & Augustinus lib. 16. cont. Faustum cap. 18. & sequentibus, & lib. 2. quæstionum in Exodum. q. 103. & Ambros. in Psal. 47. in fine & Hieronym. lib. 1. contra Iouinianum, latissimè omniū Origenes hom. 2. in Exod. 22. in Numer. & 1. Iosue, & optimè Theodoretus in principio libri Iosue. Denique

Cyri. Iero. *Zachar. 3.* *Tertullia.* *Lactantius* *Origē.* *Ambros.* *Hieron.* *Euseb.* *August.* *Theodoret.* *Iust. Mar.* *Tertullia.* *August.* *Ambros.* *Hieron.* *Origen.*

A Phylo. lib. de humanitate, & Iosephus lib. 5. antiquitatū, cùm sæpius Iosue nominat, *Iesum* illum appellant. Et Euseb. lib. 4. de Demonst. in vltimis fere verbis id confirmat, ipsius vocis interpretationem exacte explicans. Non est igitur hoc nomen in sono verborum proprium soliusChristi dominii: neque hoc refert ad dignitatem, vel excellentiam eius, quę magis ex impositione, & ratione eius, quàm ex sono petēda est. *Philo.* *Ioseph.* *Euseb.* *Vide Leonem Castrum in 7. cap. Isai.*

C Tertio igitur loco obseruādæ sunt causæ, ob quas Christo domino hoc nomen impositum est, quas Patres citati latè persequūtur, & ideo breuiter illas indicabo. Prima est (quam hic tetigit D. Thomas in corp. art.) Quia nomina propria imponūtur ex rerum, seu personarū proprietatibus, est autem Christo maxime proprium esse Saluatorem non solum corporum: sed etiam animorum, nec tātum à temporalibus damnis, sed maximè ab æternis, nec solum auferendo summum peccati malum, sed conferēdo etiam perfectam gratiæ sanitatem. Cùm enim perfecta sanitas in proportione consistat, Christus veluti vniuersis rebus debitam tribuens proportionem, saluatoris nomen perfectissimè adimpleuit, *pacificans per sanguinem suum, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt*, ad Colos. 1. Vnde obiter intelligimus huius nominis impositionem, aptissimè infantis circunciſionem fuisse subsequutam. Non enim prius Saluatoris nomine insigniri voluit, quàm sanguinem suum pro hominibus funderet: quia verò quęlibet gutta illius sanguinis ad omnium hominum salutē sufficere poterat, ideo oblato nostræ redemptionis pretiosissimo symbolo Saluatoris nomen dignissimè est meritus. Et hinc colligitur secūda ratio huius impositionis, quia hoc nomen ad Christi domini dignitatem, & honorem maximè pertinet, non solū quia Diuinam eius vim, & efficaciam indicat, quæ ad salutem hominum perficiendam illi necessaria fuit: sed etiam quia suis operibus, & victoriis illud promeruit. Est nāque illud nomē vnicuique glorioſius, & non solum á natura, seu ab origine manat: sed etiam propriis, ac egregiis factis comparatum est. Vnde Paulus ad Philip. 2. *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsq3 ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod, & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod* *Nomen Iesu cur Christo impositum.* *Colos. 1.* *Philip. 2.*

est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, &c.

Tertiam rationem insinuat D. Thomas hic ad primũ, & eàm latè persequitur Bernard. serm. 2. de Circuncisione, videlicet, quia in hoc nomine omnia alia Christi nomina, tam propria, quàm metaphorica cõprehenduntur. In primis enim in hac voce diuinitas Christi exprimitur, quia nullus alius, nisi verus Deus nos saluare poterat, vt Patres citati docent, & explicando hoc nomen dixit Epipha. hæres. 29. In quo illud specialiter perpendendum est, quód Matth. cap. 1. cùm dixisset, *& vocabis nomẽ eius Iesum*, statim subdidit, hoc factum esse, vt impleretur, quod Isaias prædixerat, Et *vocabitur nomen eius Emanuel*. Solent enim Patres interrogare, & latè tractare, quomodo, cùm de Messia fuerit prædictum, vocandum esse Emanuel, non illud, sed Iesu nomen acceperit. Et quanuis diuersi diuersa respondeãt, vt videre licet in Chrisost. Theophyl. Euthym. ibi. Lactan. lib. 4. cap. 22. Tertullian. lib. 3. contra Marcionẽ cap. 8. & 9. Augustin. serm. 8. de Natiuitate. Matthæus tamẽ potius dixit per huius nominis impositionem, prophetiam illam impletã esse: non enim erat sensus illius, Messiam nominandum esse hac materiali voce Emanuel, sed rem illa voce significatam ei esse tribuendam; quia tunc verè, ac singulari modo Deus nobiscũ esse incepit, quãdo Verbum caro factum est. Quod mysterium apertissimè nobis declarat nomen Iesus, quo non solum Verbi maiestas, sed etiã humanitatis veritas indicatur, sine qua Saluatoris munus Deus exequi non posset. Significatur autem illa humanitas, tanquam principium, & radix bonorum omnium, quæ sub nomine *salutis* comprehenduntur.

In nomine Iesu quomodo reliqua Christi continẽtur nomina. *Bernar.* *Epiphan.* *Matth. 1.* *Emanuelis nomẽ Christo cur non inditum.* *Chrysost.* *Theophyl.* *Euthym.* *Lactant.* *Tertullia.* *Augustin.* *Matth. 1.*

Vnde tandẽ quarta ratio colligi potest, quęad nos homines pertinet. Voluit enim Deus hoc nomine miseros homines consolari, eorumq; spem erigere. Prædixerat enim Deus Isai. 62. *Propter Syon non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur, vt splendor iustus eius, & Saluator eius, vt lampas accendatur.* Et quoniam hic Saluator futurus erat hominibus omnium bonorũ fons, & origo, in toto illo capite hæc describit Isaias, & tandem concludit. Ecce *Dominus auditum fecit in extremis terræ, dicite filiæ Syon, ecce Saluator tuus venit.* Et aliis sæpe locis volens prædicto Christi aduentu homines consolari, & ad fiduciam excitare, sub nomine Saluatoris illum proponit, vt potissimum videre licet cap. 12. *Confitebor tibi domine, quoniam iratus es mihi, conuersus est furor tuus, & consolatus es me. Ecce Deus Saluator meus, fiducialiter agam, & non timebo, quia fortitudo mea, & laus mea dominus & factus est mihi in salutem, hauritis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Vnde etiam Angeli prędicantes Christi natiuitatem Luc. 2. ęę. 1. *Saluatorem* statim nominant, dicentes, *Quia natus est vobis hodie Saluator*. Propterea ergo *Iesus* nomen Christus elegit, vt vel ipso nomine audito hominum animi erigerentur: tum etiam vt beneuolentiam erga homines cõmendaret. Cùm enim posset ab aliis innumeris perfectionibus appellari, eam potissimum elegit, quæ summum eius erga homines amorem indicaret. Denique sicut inter omnia Dei attributa, misericordia est, quę potissimũ prędicatur, & extollitur, ita illud maximè nomen elegit, quod misericordiam commendaret, maximè cui potissimum cõuenit illud Cantico. 1. *Oleum effusum nomen tuum*, vt latè, & eleganter persequitur Bernard. serm. 15. in Cantica. Et ideò de hoc nomine dicitur Acto. 4. *Non esse aliud sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri.* *Isai. 62.* *Saluatoris nomen solatiũ, ac spes hominum.* *Isai. 12.* *Cantic.* *Bernard.* *Actor. 4.*

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm Christus conuenienter fuerit in templo oblatus.

260. AD tertium sic proceditur. *Videtur, quòd inconuenienter fuerit Christus in templo oblatus. Dicitur enim Exo. 13. Sãctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam in filiis Israel. Sed Christus exiuit de clauso Virginis vtero, & ita matris vuluam non aperuit. Ergo Christus ex hac lege non debuit in templo offerri.*

¶ 2. *Præterea, Illud quod est semper præsens alicui, non potest ei præsentari. Sed Christi humanitas semper fuit Deo maximè præsens, vtpote semper ei coniuncta in vnitate personæ. Ergo non* opor-

oportuit, quòd coram domino sisteretur.

¶ 3. Præterea, Christus est hostia principalis, ad quam omnes hostiæ veteris legis referũtur, sicut figura ad veritatem. Sed hostiæ non debet esse alia hostia. Ergo non fuit conueniens, vt pro Christo alia hostia offerretur.

¶ 4. Præterea, Inter legales hostias præcipua fuit agnus, qui erat iuge sacrificium: vt habetur Numer. 28. Vnde etiam Christus dicitur agnus, Ioan. 1. Ecce agnus Dei. Magis ergo fuit conueniens, quòd pro Christo offerretur agnus, quam par turturum, vel duo pulli colũbarum. ¶ Sed in contrarium est autoritas scripturæ, quæ hoc factum esse testatur. Luc. 2.

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est, Christus voluit sub lege fieri, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, & vt iustificatio legis in suis membris spiritualiter impleretur. De prole autem nata duplex præceptum in lege traditur. Vnum quidem generale, quoad omnes: vt scilicet completis diebus purificationis matris offerretur sacrificium pro filio, siue pro filia: vt habetur Leuit. 12. Et hoc quidem sacrificium erat, & ad expiationem peccati, in quo proles erat concepta, & nata, & etiam ad consecrationem quandam ipsius: quia tunc primò præsentabatur in templo, & ideo aliquid offerebatur in holocaustum, & aliquid pro peccato. Aliud autem præceptum erat speciale in lege de primogenitis, tam in hominibus, quàm in iumentis. Sibi enim Dominus deputauerat omne primogenitum filiorum in Israel, pro eo, quòd ad liberationem populi Israel percusserat primogenita AEgypti, ab homine vsque ad pecus, primogenitis filiorum Israel reseruatis. Et hoc mandatum ponitur Exod. 23. in quo etiã præfigurabatur Christus, qui est primogenitus in multis fratribus, vt dicitur Roman. 8. Quia igitur Christus ex muliere natus erat quasi primogenitus, & voluit fieri sub lege, hæc duo Euangelista Lucas circa eum fuisse obseruata, ostendit, primò quidem id quod pertinet ad primogenitos, cum dicit. Tulerunt illum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. Secundò, illud, quod pertinet communiter ad omnes, cùm dicit. Vt darent hostiam, secundum quòd dictum erat in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd, sicut Gregor. Nissenus dicit. Illud legis præceptum in solo incarnato Deo singulariter, & ab aliis differenter impleri videtur. Ipse namque solus ineffabiliter conceptus, ac incõprehensibiliter editus, virginalem vterum aperuit non antea connubio reseratum, seruans & post partum inuiolabiliter signaculum castitatis. Vnde quòd dicit, adaperiens vuluam, designat, quòd nihil antea inde intrauerat, vel exiuerat. Et per hoc etiam specialiter dicitur masculinus, quia nihil de fœmineitate culpæ portauit. Singulariter etiam sanctus, quia terrenæ contagia corruptelæ, immaculati partus nouitate non sensit. ¶ Ad secundum dicẽdum, quòd sicut filius Dei non propter seipsum factus est homo, & circuncisus in carne, sed vt nos per gratiam faceret deos, & vt spiritualiter circuncidamur: sic propter nos sistitur Domino, vt discamus Deo præsentare nosmetipsos. Et hoc post circuncisionem eius factum est, vt ostendat neminem nisi circuncisum vitiis, dignum esse diuinis conspectibus. ¶ Ad tertium dicendum, quòd propter hoc ipsum voluit hostias legales pro se offerri, qui erat vera hostia, vt figura veritati coniũgeretur, & per veritatem figura approbaretur, contra illos, qui

Art. 1. huius quæst. in corp. & ad 3.

Deum

Dcum legis negant à Christo fuisse in Euangelio prædicatum. Non enim putādum est (vt Origen. dicit) quòd filium suum bonus Deus sub lege fecerit, quam ipse non dederat. ¶ *Ad quartum dicendum, quòd Leuit. 12. præcipitur, vt qui possent, agnū pro filio aut filia, simul & turturem, siue columbam offerrent: qui verò non sufficerent ad offerendum agnum, duos turtures, vel duos columbarū pullos offerrent. Dominus ergo qui cum diues esset, propter nos egenus factus est, vt illius inopia diuites essemus: vt dicitur. 2. ad Corin. 8. pro se pauperum hostiam voluit offerri: sicut & in ipsa natiuitate pannis inuoluitur, & reclinatur in præsepio. Nihilominus tamen huiusmodi aues figuræ congruūt: turtur enim quia est auis loquax, prædicationem, & confessionem fidei significat: quia verò est animal castum, significat castitatē: quia verò est animal solitarium, significat contemplationem. Columba verò est animal mansuetum & simplex, mansuetudinem & simplicitatem significans. Est etiam animal gregale: vnde significat vitam actiuam. Et ideo huiusmodi hostia figurabat perfectionem Christi, & membrorum eius. Vtrunque etiā animal propter consuetudinem gemendi, præsentes Sanctorum luctus designat: sed turtur quæ est solitaria, significat secretas orationum lachrymas. Columba verò, quæ est gregalis, significat publicas orationes ecclesiæ. Vtrumq; verò animal duplicatum offertur, vt sanctitas sit non solum in anima: sed etiam in corpore.*

Homi 14. in Luc. a medio illius, to. 3.

Glos. ord. super illa verba Luc. 2. Par turturum.

COMMENTARIVS.

DVo præstat D. Thom. in corpore art. Primum enim declarat duo præcepta in veteri lege data, aliud generaliter ad omnes filios, aliud specialiter ad primogenitos pertinens, & vtrumq; ostendit in Christo fuisse seruatum ex Euangelio Lucæ. De quare in sequēti disputatione fusius dicturi sumus. Secundo rationem reddit, ob quam hæc legalia præcepta in Christo seruata sint, & nullā aliā reddit, nisi *quia voluit fieri sub lege*, subintelligit autem sub his breuibus verbis ferè omnes rationes supra tractatas articul. 1. nam ferè omnes hic accommodari possunt, vt idem D. Thom. artic. sequenti significauit.

In solutione ad primum refert D. Thomas, ex Gregor. Nisseno expositionem illius præcepti, de sanctificando primogenito, quod aperit vuluam matris, quòd vi delicet in Christum maxime conueniat: quam D. Thom. non reiicit. Sed ex illa potius soluit argumentum. De hac tamen re quid sentiendum sit, diximus supra cum de virginitate B. Mariæ ageremus, vbi alia etiam testimonia Ambros. Origen. & aliorum Patrum tractauimus, ac ostendimus hanc non esse literalem expositionem sed allegoricam, illamq; locutionem, quòd Christus aperuerit vuluam matris, quanuis insensu quo ab his Patribus asseritur, vera sit, quia ipse dedit matri suę fœcunditatem, quia tamen non est propria, sed metaphorica, non esse absq; sufficienti declaratione vsurpandam. Quo circa ad literam intelligendo legis præceptum, cōcedi posset argumento, legem illā ad Christum non pertinuisse, ipsum tamen se illi voluntariè subdidisse. Præsertim quia licet reuera illum non comprehenderet, tamen specie, & existimatione hominum sub illa continebatur, & propterea cum nollet miraculum conceptionis suę tunc omnibus manifestari, voluit omne offendiculum, & scandali occasionem auferre. Aliæ solutiones argumentorum doctrinam moralem continent obseruatione dignam.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrùm mater Dei conuenienter ad templum purganda accesserit.

AD quartum sic proceditur. 207.
Videtur, quòd inconuenienter mater Dei purganda ad templum accesserit. Purgatio enim non videtur esse nisi ab immunditia. Sed in beata Virgine nulla fuit immunditia, vt ex suprà dictis patet.

Ergo

art. præ. ad 1. *Ergo non debuit vt purganda ad templũ accedere.*

¶ 2. *Præterea, Leuit. 12. dicitur: Mulier quæ suscepto semine peperit masculum, immunda erit septem diebus: & ideo ei præcipitur, quòd non ingrediatur Sanctuarium, donec impleantur dies purgationis eius. Sed beata Virgo peperit masculum sine virili semine. Non ergo debuit ad templum venire purganda.*

¶ 3. *Præterea, Purgatio ab immunditia non fit nisi per gratiam. Sed sacramenta veteris legis gratiam non conferebant, sed ipsa potius secum gratiæ autorem habebat. Non ergo conueniens fuit, vt ad templum purganda veniret.*

¶ *Sed contra est autoritas Scripturæ,* B *qua dicitur Lucæ. 2. quòd impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legẽ Moysi.*

¶ *Respondeo dicendum, quòd sicut plenitudo gratiæ à Christo deriuatur in matrem, ita decuit vt mater humilitati filij conformaretur, humilibus enim Deus dat gratiã, vt dicitur Iacobi 4. Et ideo sicut Christus licet non esset legi obnoxius, voluit tamen circunciſionẽ, & alia legis onera subire, ad demonstrandum humilitatis, & obedientiæ exemplum, & vt approbaret legem, & vt calumniæ occasionem Iudæis tolleret: propter easdem rationes voluit & matrem suam implere legis obseruantias, quibus tamẽ non erat obnoxia.*

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd licet beata Virgo nullam haberet immũditiam, voluit tamẽ purgationis obseruantiam implere, non propter indigentiam, sed propter legis præceptũ. Et ideo signanter Euãgelista dicit, quòd impleti sunt dies purgationis eius secundum legem: ipsa enim secundum se purgatione non indigebat.* ¶ *Ad secundum dicendum, quòd signanter Moyses videtur fuisse locutus ad excipiẽdam ab immunditia matrem Dei, quæ non peperit* A *suscepto semine. Et ideo patet, quòd non obligabatur ad impletionem illius præcepti, sed voluntariè purgationis obseruantiam adimpleuit, vt dictũ est.* ¶ *Ad tertium dicendum, quòd legalia sacramenta non purgabant ab immũditia culpæ, quod fit per gratiam, sed hanc purgationem præfigurabant. Purgabant autem purgatione quadam carnali ab immunditia irregularitatis cuiusdam: sicut in secunda parte dictum est. Neutram tamen immunditiam beata Virgo contraxerat: & ideo non indigebat purgari.* In cor. art. P. 2. q. 102. art. 2.

COMMENTARIVS.

AFfirmat D. Thom. conuenientissimè id fecisse B. Virginem, nõ quòd lege teneretur, sed vt filio in humilate conformaretur. Vbi duo breuiter obseruanda sunt, primo cum D. Thom. dicit B. Virginem non fuisse obnoxiam legis obseruantiis, non esse intelligendum absolute, & inuniuersum: nulla est enim ratio, ob quam dicamus B. Virginem omnino fuisse liberam, & exemptam ab omni legis obligatione, etiam post filij conceptionem, & partum, quia nec ex dignitate matris Dei, hoc necessario sequebatur, nec ad dignitatem Virginis pertinebat, nec specialem aliquam decentiam, vel cõuenientiam habe- C bat, presertim cum lex illa esset diuina, & omnibus generaliter esset proposita. Sensus ergo D. Thom. est, decuisse B. Virginem implere legis obseruantias, etiam illas, quibus reuera non erat obnoxia, vt in hac ceremonia specialiter accidit, propter singularem rationem, quam in sol. ad secũdũ explicat, scilicet quia in ipsis verbis legis B. Virgo fuerat exempta, quam rationem statim fusius explicaturi sumus.

Secũdo obseruandũ est, quanuis D. Tho. prius solum dixerit, propter humilitatem debuisse Virginem legem purificationis seruare, postea verò tacite, tres aliàs causas insinuare, scilicet vt obedientiæ exemplum præberet, vt approbaret legem, & vt calumniæ occasionem tolleret, quæ omnes facile possunt ad vnam humilitatem reuocari, nam qui vere est humilis, & perfecte obe-

obedit legi,& optimè de illa sentit,ac sentire se ostendit, & potius vult existimari abiectus,& impurus,quàm scandalum fratribus, aut offensionis occasionem tribuere.

DISPVTATIO, XVI.

In duas sectiones distributa.

De Christi præsentatione, & Virginis Purificatione.

Luc.2. SVpponenda in primis est fides historiæ,ex Luc.2.capite, vbi sic habetur: *Et postquam impleti sunt dies purgationis eius, secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem,vt sisterent eum Domino,&c.* Ex quibus verbis, adiunctis legibus Exod.13. & Leuit.12. constat hoc factum esse quadragesimo die à natiuitate Domini, vt Ecclesiastica etiam traditio habet. Vsque ad illum ergo diē permansit B. Virgo in Bethlehem:quid autem eo tempore præsertim post aduentum Magorum, factum fuerit, scriptum non est:sed vniuscuiusq; considerationi, contemplationiq; relinquitur. Igitur prætermisso illo tempore ad declarandum mysterium præsentationis,& purificationis accedimus.

Exod.13. Leuit.12.

SECTIO. I.

Vtrum debuerit beata Virgo Christum in templo præsentare,ac redimere,& pro eo sacrificium offerre.

PRincipio præ oculis habēda sunt verba duarum legum,quę ad mysterium præsens spectant. Prior est de primogenitis Exod. 13. *Sanctifica mihi omne primogenitum,quod aperit vuluam in filiis Israel,* & infra,*cumq; introduxerit te Dominus in terram Cananæi,sicut iurauit tibi,& patribus tuis, & dederit tibi eam,separabis omne,quod aperit vuluam domino*, & infra. *Omne primogenitum hominis de filiis tuis pretio redimes.* Illud autem precium quantum futurum esset explicatur.Num. 18. illis verbis,*Redemptio erit post vnum mensem siclis argenti quinque pōdere sanctuarij.* Posterior, quæ ad omnes filios pertinebat,habetur Leuitici.12. *Mulier,si suscepto semine peperit masculum, immunda erit septem diebus, iuxta dies separationis menstruæ, & die octauo circuncidetur infantulus:ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ*, & infra *Cumq; expleti fuerint dies purificationis suæ pro filio,siue pro filia,deferet agnum anniculū in holocaustum,& pullum columbæ,siue turturem pro peccato*, & infra. *Quod si non inuenerint manus eius, nec potuerit offerre agnum,sumet duos turtures,vel duos pullos columbarum, vnum in holocaustum, & alterum pro peccato, orabitq3 pro ea sacerdos,& sic mundabitur.*

Exod.13. Leuit.12.

Circa has igitur leges primo omnium obseruandum est, in prima earum designari quidem locum,scilicet templum, quod solum erat oblationi sacræ accommodatum, non verò præfigi certum diem, quo illa oblatio primogeniti facienda erat. Verisimile tamen est solitam fuisse fieri eā oblationem eodem die,quo mater purificanda templum adibat,quia neque ante illum poterat cōmode filius offerri, cùm mater nō posset templū adire,nec erat vlla ratio,cur amplius differretur,cùm opportunè posset vtraq; lex eadem opera impleri. E contrario verò in altera lege definitur tēpus, ac dies, quo illud sacrificium offerendum erat:non tamen in ea præscribitur, vt filius in templum, & ad locum sacrificij adduceretur,vel Deo,& Sacerdoti præsentaretur. Vnde,quando filius non erat primogenitus,non erat necessarium ex vi alicuius legis, vt in templo præsentaretur: cùm verò erat primogenitus, quia ratione prioris legis offerendus erat in templo, simul & præsentabatur, & sacrificium offerebatur. Qua propter cùm Lucas dicit, *Postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi,tulerunt illum in Ierusalē, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini*: in priori parte facit mentionem secundæ legis,in posteriori verò primæ,& postea ad secundam legem regreditur,cùm inquit. *Et vt darent hostiam, secundum quód dictum est in lege Domini.* Itaque ex concursu(vt ita dicam)seu coniunctione legum euenit,vt hæc omnia eodem loco,& tempore peragerentur.

Secundó obseruandum est, certum esse priorem legem latam esse ratione filij: non vero ratione matris.Nam licet non obligaret filium, sed parentes ad ipsum filium offerendum, tamen per se præcipiebatur oblatio, & sanctificatio filij,non propter sanctificationem,seu purificationem

nem matris; sed per se in memoriam accepti beneficij, quando Deus primogenitos AEgypti interfecit, vt in manu forti populum suum ex AEgypto educeret. Dicebatur autem tunc sanctificari primogenitus, non quia ab aliqua immunditia etiam legali purificaretur; sed quia speciali ritu Deo consecrabatur, & a rebus prophanis separabatur. Ex qua explicatione satis perspicuum est nulla ratione fuisse indecens, aut incongruum, Christum in tẽplo præsentari, & offerri, & multis titulis, ac rationibus fuisse conuenientissimum. Primo enim hic applicari possunt rationes omnes, quæ supra de circuncisione factæ sunt, quæ in præsenti mysterio quodam modo magis vrgẽt, quia in eo nulla est vmbra, vel significatio peccati; sed potius ex illo intelligitur Christum esse verum hominẽ ex muliere procreatũ, ac vere sanctum, quia statim ab initio Domino fuit cõsecratus, & oblatus, quod in hoc mysterio specialiter significatum esse, inquit Ambros. in Lucam in hunc modum. *Verbis legis promittebatur Virginis partus, & vere sanctus, quia immaculatus*. Quæ verba, & alia, quæ ibi subiicit, tractaui supra disputatione de virginitate. Deinde fuit hoc specialiter expediens, tum vt Christus omnibus modis sese pro nobis in sacrificiũ offerret; tum etiam, vt non solum nos redimeret: sed etiam pro nobis redimeretur, primogenitus enim in templo oblatus, non ibi manebat; sed pretio redimebatur, vt eodem cap. 13, dicitur: illud autem pretium erant quinq; sicli, Num. 18. Tum etiam, vt statim ab infantia templum illud honoraret, & impleret prophetiam Aggei. 2. *Veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit dominus exercituum, magna erit gloria domus istius nouissime, plusq; primæ*: & illud Malach. 3. *Et statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis.*

Christũ in templo præsentari, & offerri, conuenientissimum.

Ambros.

Exod. 13. Num. 18.

Aggæ. 2.

Malach. 3.

Dubium. 1.

Difficultas verò est, an hæc oblatio Christi in templo, etiam secundum legẽ Moysi facienda fuerit. Vbi non est dubium, an hæc lex Christum obligauerit. Diximus enim supra eo, quòd esset Deus & absque virili semine, de Spiritu sancto conceptus, exemptum fuisse a totius legis Mosaycæ obligatione. Solum igitur potest dubitari, an verba illius legis iuxta formam præcipiendi, quam præseferunt, in Christum conueniant, quanquã eum propter alias causas nõ obligent. Et ratio dubij oritur ex illo verbo. *Quod aperit vuluam in filiis Israel*. Videtur enim Christus dominus non aperuisse vuluã matris, cũ natus sit integra manente eius virginitate, & ideò ex hoc capite verba legis nullo modo videntur posse Christo adaptari. In contrarium verò est, quia Lucas dicit. *Tulerunt eum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini. Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur*: indicat ergo Christũ fuisse, ex primogenitis, qui aperiunt vuluam matris, quin potius Chrys. Ambros. Origen. Greg. Nissenus, & alij Patres disput. 5. sectione. 2. citati, sentiũt Christum singulari modo aperuisse vuluam matris, & ideò hanc legem singulariter illum indicasse.

Circa hoc, prætermissa illa sententia antiquorum, quæ magis mystica est, & spiritualis (vt supra dixi) duplex potest esse dicendi modus. Primus est, verbum illud. *Qui aperit vuluam*, ab Spiritu sancto additum esse propter Christum, vt verbis huius legis nullo modo comprehenderetur, quia aperire vuluam propriè, & in rigore significat, more consueto, & ordinario nasci, vias, & meatus generationis perfectè aperiendo. Quomodo dixit Hormisda Papa epist. 1. cap. 3. Christum non aperuisse vuluam matris: & hanc expositionem videtur indicare Beda Luc. 2. licet subobscurè: & Cyrillus Ierosolimita. hom. de occursu Domini dicens. *Samuel quidem, & Isaac, & simul etiam Iacob, & Ioseph, & alij multi, qui præter spẽ nati sunt ex sterilibus, & aperuerunt infertiles vuluas matrum, Sancti Domino vocati sunt: Christus autem solus ex solo vnigenitus, cũ virginales portas non aperuißet, non est sanctus Domino: sed sanctus sanctorum, & Dominus dominorum, & Deus deorum, & primogenitus primogenitorũ, & Rex regnantium, & vocabitur, & credetur, & nunc in templo a Simeone prædicabitur*. Et hæc sententia est probabilis, quia verba legis in proprietate sermonis intelligenda sunt. Item quia ex vi illius verbi filius masculus, qui post fœminam nasceretur, quanuis inter masculos esset primus, non comprehendebatur hac lege, nec erat offerendus in templo, quia non aperiebat vuluam matris; sed inueniebat apertam

Hormisda Pap. Beda. Cyril. Iero.

Respon. 1. vera.

ex

Caieta. ex priori partu fœminæ, vt Caieta. Lippomanus, & Oleaster, & alij expoſuerũt, ergo maiori ratione Chriſtus, licet fuerit primogenitus, cũ non aperuerit vuluam matris, nullo modo fuit verbis legis comprehenſus. Neque huic expoſitioni obſtant verba Lucæ. Solum enim ſignificare voluit Chriſtum fuiſſe oblatum in templo, vt in eo ſeruaretur, quod de primogenitis aperientibus vuluam in lege ſtatutum erat, non quia hæc verba ad ipſum pertinerent; ſed quia cum reuera eſſet primogenitus, & myſterium natiuitatis eius ignoraretur, decuit illam legẽ in eo ſeruari.

Lippoma.

Oleaſt.

Chriſtus lege de præſẽtatione non comprehenſus.

Alter dicendi modus eſſe poteſt, vt verbum illud. *Qui aperit vuluam*, nõ in ea proprietate, & quaſi materiali ſignificatione ſumatur, videlicet, vt neceſſarium fuerit ad obligationem illius præcepti apertionem vuluæ fieri ex filij natiuitate: ſed vt nihil aliud ſit aperire vuluam, quàm primò exire per vuluã. Quanquã enim ab illo effectu, qui naturaliter fieri ſolet à filiis, qui primò exeunt ab vtero matris, eo nomine appellentur *primogeniti*: tamen id, ad quod ſignificãdum tranſlata videtur illa vox, ſolum eſt, ipſe filius qui abſolute eſt primogenitus, ſeu qui primò exit ex vtero, ſiue materialiter rũpat clauſtrum matris, ſiue non. Et iuxta hanc exponendi rationem Chriſtus erit primogenitus adaperiens vuluam, & ita verbis quidem legis comprehendetur, quanuis lege non obligetur. Et hũc dicẽdi modum indicat Rupertus libr. 2. de Trinit. & operibus eius in Exod. cap. 24. & Abulenſis cap. 13. Exodi in principio, & eum ſequutus eſt Ianſenius capit. 10. Concordiæ. Et eſt probabilis: prior tamẽ ſicut ſimplicior, ita & altior, & proprietati literæ magis conſentaneus videtur.

Reſpon. 2. probabilis

Rupertus.

Abulenſ. Ianſen.

Dub. 2. Tertio principaliter circa poſteriorẽ legem obſeruandum eſt, ambiguum eſſe verbum illud, *Pro peccato*, ſimpliciter enim ponitur, & nõ explicatur an ad matrem, vel ad filium referendum ſit. Vnde conſequenter manet ambiguum, an hæc lex ſaltem quantum ad ſacrificium offerendum pro peccato, filium, vel matrem reſpiciat, id eſt, an poſita ſit propter aliquam matris, vel potius propter filij ſanctificationem. In qua re duplex etiã poteſt eſſe dicendi modus: Primus, verbũ illud referendum eſſe ad matrem, pro cuius peccato hoc ſacrificium offerebatur, atq; ita legem hanc nullo modo ad Chriſtum pertinuiſſe; ſed ad Virginis purificationem, de qua in ſequenti ſectione dicẽdum eſt. Huius ſententiæ eſt Lyra, Leuitic. 12. quam ibidem ſequutus eſt Abulenſis quæſt. 23. & 30. & Caiet. ibi, & Ianſenius cap. 10. Concordiæ. Et poteſt fundari primò in ſequentibus verbis. *Et tradet ſacerdoti, qui offeret illã coram Domino, & orabit pro ea*: quę verba nõ obſcurè indicare videntur fœminam eſſe, pro qua ſacerdos offerebat hoc ſacrificium, ſicut pro ea orabat, vt mũdaretur. Secundò, quia (vt ait Caietan.) regulare eſt, vt offerens pro peccato, intelligatur offerre pro peccato ſuo. Tertiò, quia filius non habebat peccatum, pro quo offerretur; originale enim iã ſupponebatur per circunciſionem deletum, vel in fœminis per aliud remedium illis accõmodatum. Quod ſi ab iis autoribus inquiras, quod ſit hoc peccatum fœminæ, pro quo hoc ſacrificium offerebatur? Abulenſis, & Caietan. reſpondent nullum in particulari; ſed in communi pro peccatis, à quibus nemo eſt immunis. Sed hoc diuiſculum eſt: nam hæc ſpecialia ſacrificia ſemper ad ſpecialem maculam delendam inſtituebantur. Lyranus reſpondet, offerri pro peccato libidinis, quod in coitu, quantumuis licito regulariter admiſcetur, ſaltem ſecundum aliquam venialem inordinationẽ. Sed neque hoc placet, tum quia hoc peccatum non neceſſario, neq; ſemper committitur, tum etiam, quia eadem ratione inſtituendum eſſet ſacrificium pro ſimili peccato viri: tum denique, quia ſi quod eſt huiuſmodi peccatum, non in partu; ſed in conceptione committitur, prius ergo expiandũ eſſet, nec oportuiſſet partum expectare. Burgenſis ergo, & Ianſenius reſpondent hoc non eſſe peccatum aliquod, quod ſit vera culpa: ſed eſſe legalem immunditiam, vel irregularitatem ex ſordibus puerperij, & fluxu ſanguinis contractam. Sed licet hæc expoſitio rectè explicata probabilis ſit, interrogare ab his autoribus poſſumus, cur non poſsit ſimiliter explicari de peccato filij? ideſt pro immunditia legali, & irregularitate contracta ex immunda natiuitate.

Nic. Lyra.

Abulenſ.

Ianſenius.

Caietan.

Burgenſ.

Ianſen.

Alter modus exponendi verbum illud *pro peccato*, eſt vt ad prolem referatur,

ita

ita, vt illud sacrificium esset propter aliquod peccatum prolis expiandū. Ita docuit Augustinus lib. quæstionum in Læuiticum. quæst. 40. quem hic artic. 3. Diuus Thom. & Caiet. sequutus est, & Glossa ordinaria Leuit. 12. & ibi Hugo Cardinalis, Rupertus lib. 2. in Leuit. cap. 16. Beda, & Euthym. Lucæ. 2. Sanctus Eligius homilia de purificatione. Augustinus fundatus videtur in verbo illo Leuitici. *Cumq; expleti fuerint dies purificationis suæ, pro filio, siue pro filia deferet agnum annicu-lum, &c.* Non ignorauit tamen Augustinus posse facile responderi, verbum illud, *pro filio, siue pro filia*, non esse construendum cum sequenti verbo *Deferet agnum, &c.* sed cum antecedenti scilicet, *Cum expleti fuerint dies purificationis*, ita vt sensus sit, cum expleti fuerint purgationis dies designati pro filio, siue pro filia, deferet agnum in holocaustum. Cum hanc igitur expositionē, quæ planè literalis est, Augustinus videret, adiunxit verba, Lucæ cap. 2. *Cum inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo*: quibus indicatur pro eo oblatum fuisse sacrificium. Sed hæc etiam verba per se sumpta non admodum cogunt, quia referri possunt, non ad hanc legem; sed ad alteram supra expositam. Induxerunt enim eum in templum, vt pro eo facerent, secundum consuetudinem legis, idest, vt illum præsentarent, & offerrent Deo. Sed obstat huic expositioni, quòd Ecclesia in officio purificationis. Responso secūdo, & tertio primi nocturni, aliter videtur exponere, dicens: *Obtulerunt pro eo Domino par turturū, aut duos pullos columbarum.* Quæ verba torqueri quidē possunt ad improprios sensus, vt *pro eo* dicatur oblatum sacrificiū, idest, propter natiuitatem eius, seu occasione illius: tamen in rigore multum fauent huic sententiæ: quæ (quidquid nimis licēter dicat Ianſenius) valde probabilis est, præsertim cùm sit grauissimorum Patrum. Oportet tamen illam conuenienter exponere: nunquam enim ij sancti dixerunt offerri hoc sacrificium pro peccato originali prolis. Nam licet Augustinus dicat hic indicari vitiatam originem ex Adamo, & prolem in iniquitatibus esse conceptam, propter quòd D. Thom. dixit hoc sacrificium fuisse *ad expiationem peccati, in quo proles erat concepta, & nata*; nihilominus nō existimo loquutos fuisse de peccato originali quoad culpam eius, quam vbique docent solitam fuisse auferri per circuncisionem, loqui ergo videntur de immunditia contracta ex vi conceptionis impuræ, ac libidinosæ, & natiuitatis sordidæ, & (vt ita dicā) sanguinolentæ. Nam quia tota hæc corruptio ex infectione peccati orta est, ideò sacrificium illud dicitur esse pro peccato.

Quo circa quasi tenendo mediam viā inter has sententias, vel illas conciliando, probabiliter censeo illud verbum, *pro peccato*, neq; ad solam matrem, neq; ad solum filium, sed ad vtrumq; esse referendum. Quod sanè videtur Augustinus indicasse his verbis. *Cur ergo non illud, quod natum est, purgari dicit scriptura per hoc sacrificium, sed ipsam quæ peperit? an ad ipsam quidem, vnde illa origo trahebatur, relata purgatio est propter sanguinis fontem? non poterat tamen sine ipsius fœtus purgatione, qui ex ipso sanguine exortus est.* Et eandem sententiam indicat Orig. homil. 14. in Lucam. Vbi enim nos legimus. *Cum impleti essent dies purgationis eius*, ipse legit, *dies purgationis eorum*, vt habent nonnulli codices Græci, & ad vtrumq;, matrē scilicet, & prolem purgationem refert. Ad quod magis explicandum conferre potest doctrina, quam Ianſenius affert: cùm in scriptura dicitur offerendum esse aliquod sacrificium *pro peccato*, non semper intelligi illud sacrificium offerendum esse in satisfactionem, ac remissionem alicuius culpæ: sed illam vocem esse impositam ad significandum quoddam genus sacrificij instituti ad quancunq; expiationem, vt ex Leuitic. 14. & 15. & ex aliis locis constat. In hac ergo lege præcipiebatur fœminæ, vt tam pro se, quàm pro filio offerret holocaustum in gratiarum actionem, & sacrificium pro peccato, ad suam purgationem, & sanctificationem filij, qui speciali modo tunc Deo dicabatur. Nam licet per circuncisionem masculi sanctificarentur: tamen neq; illa cœremonia fuerat peculiariter in lege Moysi instituta; sed antiquior, nec erat generalis omni proli, & habuit aliam propriam, & specialem rationem institutionis, & ideò conueniens fuit,

August. D. Thom. Caietan. Glos. ord. Hug. Car. Beda. Euthym. Eligius. Luc. 2. Ianſen. August. D. Thom. A B C Responſ. probabilis. Responſ. vera. August. Origen. Ianſen. Leuit. 14. & 15.

vt per speciale legis sacrificium statim filij sanctificarentur legali sanctificatione, ac Deo consecrarentur, vel certè, vt magis, ac magis mundarentur, ac liberarentur à reliquiis originalis peccati, vt Hugo Cardinalis adnotauit, & indicauit Euthymius supra dicens: *Iussit lex, vt dareut par turturum, propter pueri temperantiam. Est enim turtur animal castissimum, aut duos pullos columbarum, propter eius fœcunditatem.* Ex quibus omnibus, intelligere licet, hanc legem obseruatam esse á Virgine, non solum propter se: sed etiam propter filium. Itaque non solum mater: sed etiam filius huic legi se subiecit: quanquã multis nominibus ab illa esset liber, & specialiter quia nulla indigebat sanctificatione nec propria, nec legali. Potuit tamen holocaustum, quod erat in gratiarum actionem, propriè pro illo offerri; sacrificium autem pro peccato, non ita pro priè, si secundum specialem rationem, & intentionem suam consideretur. Nam quatenus omne sacrificium continet cultum Dei, & potest in gratiarum actionem offerri, sic potetat etiam tale sacrificiũ pro Christo offerri: imò ab ipsomet offerebatur, etiam in satisfactionem pro totius naturæ peccato.

Hug. Cardin. Euthym.

Quarto, & vltimo obseruandum est in lege præceptum esse, vt in hoc holocausto agnus offerretur: pauperibus tamen fuisse permissum, vt loco agni offerrent vnum pullum columbæ, seu turturem in holocaustum: alterum verò pro peccato. Lucas ergo Euangelista, vt denotaret parentes Christi obtulisse sacrificium pauperum, nulla agni mentione facta, inquit. *Vt darent hostiam, secundum quod scriptum est in lege Moysi, par turturum, aut duos pullos collumbarum.* Est autem obseruatione dignum, cur Euangelista non definitè: sed sub disiunctione eorum oblationem retulerit, lex enim sub disiunctione fuit lata, quia voluit hoc offerentium voluntati relinquere, tamen in effectu non seruabatur nisi definite alterum eorum offerendo: cûm ergo Lucas non legislatoris, sed historiographi munus exerceat, cur non definitè retulit, quid Virgo obtulerit? Reuera nulla alia est ratio, nisi quia solum voluit significare Virginis paupertatem, quod nobis esse poterat vtile. Nam quód obtulerit turturem, aut pullum columbæ, nihil ad nostram institutionem referebat. Addit verò Abulens. Leuitic. 13. quæstio. 29. Beatam Virginem non propter paupertatem, quam reuera pateretur, idest, quia esset impotens ad offerendum agnum: sed propter paupertatem, idest, vt affectum paupertatis demonstraret, & vt filium, quem offerebat, paupertatis amatorem esse significaret, ideó non agnum, sed turturum obtulisse. Et addunt aliqui mysterium aliud; scilicet quia cûm verum agnum offerret, non oportebat figuratiuum agnum offerre. Confirmat autem Abulensis suam sententiam, quia beata Virgo habuit quinque siclos, quibus Christum redimeret, ergo etiam potuisset agnum emere, si voluisset. Præterea confirmatur, quia paucis ante diebus donoaceperat à Magis aurum, & alia, quæ erant sufficientis valoris ad emendum agnum.

Abulens.

Turturem Virgo cur obtulerit, & non agnum.

Sed hæ coniecturæ, & mysticæ rationes ita sunt accipiendæ, vt literalis sensus non corrumpatur. Certum est itaque beatam Mariam impleuisse legem verè, ac propriè ac si ea obligaretur: verba autem legis erant: *Quod si non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, &c.* oportet ergo, vt hæc verba ad literam vera sint in Virgine: alioqui non obseruasset legem. Verba autem illa moraliter intelligenda sunt, si non posset commodè, & iuxta statum suum, & hoc sensu fatendum est Virginem non potuisse: habebat enim tenuem substantiam, & extra patriam multis diebus peregrinabatur, & ideò licet absolute posset: non tamen moraliter iuxta statum suum, & ideò non tenebatur in rigore offerre agnum, etiamsi aliás fingamus lege obligari. Hoc autẽ posito sunt optimæ duę rationes adductæ, ob quas elegit potius offerre pauperum oblationem, quam diuitum. Tum etiam propter humilitatem, qua libenter se pauperem ostendebat, ac profitebatur. Coniectura autem illa de quinq; siclis non cogit, nam potius, quia oportuit expẽdere quinque siclos in redemptionem filij, prout absolutè, & sine vlla remissione in lege statuebatur, ideò non erat ei tanta facultas, vt simul posset commodè agnum offerre. Ad alteram verò coniecturam de oblatione facta á Magis dicitur, vel dona Magorum non fuisse magni valoris, & quantitatis, vel magna ex parte Virginem, & Ioseph

seph aliis pauperibus ex eis subueniſſe. A Acdenique (quidquid de hoc ſit) non mutauit ſtatum Virginis, ac pauperem conditionem, quòd eo tempore aliquam maiorem pecuniæ copiam haberet, poterat enim prudẽter eam in futuros vſus reſeruare.

Origenis ſententia ſingularis.

Non prætermittam in fine huius ſectionis aduertere ſingularem quandam ſententiam Origenis, ne fortaſſe aliquis in eum offendat. Ille enim de hac Virginis oblatione ſermonem habens homil. 14. in Lucam, ſic inquit. *Turturum par, & duos pullos columbarum pro Saluatore videmus oblatos, ego, & aues iſtas beatas puto, quæ pro ortu domini oblatæ ſunt. Et quomodo aſinam Balaam miror, & fœlicitate accumulo: B quia digna fuerit non ſolum videre Angelum Dei, ſed etiam ore reſerato in humanum ſermonem erumpere: ſic multo amplius has volucres prædico, eaſq; ſuſtollo, quòd pro domino nro, & ſaluatore oblatæ ſunt. Vt offerrent pro eo par turturum, aut duos pullos columbarum. Nouum quid forſitam videar inferre: ſed pro maieſtate rei parum dignum. Sicut noua fuit generatio Saluatoris non ex viro, & muliere, ſed ex ſola tantum Virgine, ſic & par turturum, & duo pulli columbarum non fuerunt tales, quales oculis carnis aſpicimus: ſed qualis Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ deſcendit, & venit ſuper Saluatorem, quando in Iordane baptizatus, tale fuit & par turturum. Non erant volucres iſtæ, vt iſtæ, quæ per aerem volitant, ſed diuinum quiddam, & humana contemplatione auguſtius, ſub ſpecie columbæ, & turturis apparebat, vt non talibus victimis, qualibus omnes homines, ille, qui pro toto mundo naſcebatur, & pati habebat, coram Domino mundaretur: ſed vt diſpenſatio eius noua omnia, ita etiam nouas C haberet hoſtias ſecundum voluntatem omnipotentis Dei.* Hæc fortaſſe ab Origene dicta fuerunt in aliquo ſenſu metaphorico ad innuẽdum hoc ſacrificium, quatenus à Virgine, & pro Chriſto oblatum eſt, ſingularem habuiſſe excellentiam, ac ſpeciali Spiritus ſancti prouidentia fuiſſe ordinatum: alioqui tamen de fide certum eſt, aues illas fuiſſe veras, quales ab aliis offerri ſolebãt. Hoc enim veritas, & proprietas ſcripturæ requirit, & Origenes in hac parte ſuſpectus eſt, facile enim, literali ſenſu ſcripturæ relicto, ad metaphori cum diuertit.

SECTIO. II.

Vtrum ex neceſſitate, vel obligatione legis beata Virgo ad templum purganda venerit.

NOn eſt quòd in cõtrouerſiam vertamus, an beata Virgo ſanctè, ac conuenienter egerit, legem purificationis obſeruans. Quoniam (vt eleganter Bernardus dixit ſerm. 3. de purificat.) non eſt diſsimilis ratio purificationis matris, & filij circunciſionis. Sicut enim decuit, vt filius, etiamſi impurus, ac peccator eſſet exiſtimãdus, legem ſeruaret, vt humilitatem, ac obedientiam profiteretur, omnemq; ſcandali occaſionem vitaret; ita ob eaſdẽ cauſas oportuit Virginem purificari. *Eſto itaque* (inquit Bernar.) *o Beata Virgo, inter mulieres tanquam vna earum, nam & filius tuus ſic eſt in numero puerorum.* *Bernar.*

Cum ergo conſtet hoc fuiſſe conueniens, quærimus an etiam fuerit neceſſarium. In qua quæſtione duæ includuntur; prima, an cauſa, ſeu ratio huius legis in beata Virgine inuẽta fuerit, vt propterea cenſenda ſit ſub lege comprehenſa: altera eſt, an verba legis ad ipſam pertineant, ſolent enim leges obligare, etiã ſi ratio earum in particulari ceſſet. Priorem quæſtionem latè tractat Abulenſ. Leuitic. 12. quæſt. 2. & ſequent. & opinatur, rationem propter quam lex illa introducta eſt, in beata Virgine inuentam fuiſſe. Nam illa lex lata fuit propter immunditiam corporalem parturiẽtium ex fluxu ſanguinis prouenientem, vt patet ex illis verbis. *Orabit pro ea ſacerdos, & ſic mundabitur a profluuio ſanguinis ſui.* Sed licet beata Virgo in ſuo partu mundior fuerit aliis fœminis; non tamen omnino caruit fluxu ſanguinis, ergo ratio legis in ea viguit: Sed hæc ipſamet ratio oppoſitam ſententiam veram eſſe demonſtrat: oſtendimus enim ſupra diſputat. 13. ſect. 2. partum Virginis fuiſſe puriſsimum, omniſque ſordis immunem, & à fluxu ſanguinis liberũ. Quam eſſe communem Patrum ſententiam, & rationi valde conſentaneam oſtendi ſupra citato loco. Vnde eleganter Bernardus dicto ſermone. *Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum. Nimirum cum proles iſta fons puritatis ſit, & purgationem venerit facere delictorum, quid in me legalis purificet obſeruatio?* Abulenſ. Macula in virgine nulla purificationis indiga. Bernard.

Euſ.Emi. uatio, quæ puriſsima facta ſum, ipſo partu immaculato? Et Euſebius Emiſſenus ſermone de Purificatione. *Quanuis*, inquit, *purgationis dies ad beatam Mariam Virginem non pertinerent: expectauit tamen ipſa, donec omnes purgationis dies complerentur, quos non ſibi, ſed aliis mulieribus lex conſtituerat. Non enim de ea dictum fuerat, omne ſanctum non tanget, quæ ipſum ſanctum ſanctorum in gremio tenebat, in ſinu fouebat, & virgineo lacte nutriebat.* Et Sanctus Eligius. *Nequaquã immunda iudicatur, quæ ſancto Spiritu obumbrante totius munditiæ, & ſanctitatis autorem genuiſſe probatur.* & ſimilia habet Anſelmus in hoc Lucæ Euangelium. Sed omnium grauiſsime Cyrillus Alexandrinus lib. ſecundo de fide ad Reginas, parum à principio, vbi ex ſua, & cuiuſdam antiqui Epiſcopi, cuius nomen non refert, ſententia, hæc profert verba. *Quod ſi is, qui Deus ſecundum naturam eſt, vt potè vnigenitus Dei filius, ſeruili forma indutus, ſacræque Virginis primogenitus appellari non dedignatus, ſemetipſum redemptionem pro omnibus tradidit: clare patet, in quantam impietatem prolabantur Ariani, qui Deiparam Mariam iis ſacrificiis, quæ pro puerperiis ex lege offerri mos erat, opus habuiſſe aſſerunt.* Sit igitur conſtans, ac certum B. Virginem nullam habuiſſe maculam, propter quã purificatione indigeret.

Eligi.

Anſel.

Cyr.Alex

Reliquum eſt explicemus, an verbis legis fuerit comprehenſa. Fuit enim ferè omnium Patrum, qui hanc legem explicarunt, concors ſententia, non abſq; myterio; & ſingulari Spiritus ſancti prouidentia additum eſſe in ea verbum illud *Mulier, ſi ſuſcepto ſemine peperit maſculum.* vt indicaretur, hac lege non eſſe comprehenſam illam mulierem, quæ abſque ſuſcepto ſemine maſculum pareret. Ita ponderauit Origenes homil. 8. in Leuiticum Rupert. lib. 2. in Leuitic. cap. 16. Euſeb. Emiſſenus, Sanctus Eligius, Bernardus, & Laurentius Iuſtinianus in citatis concionibus de Purificatione, & Theophylactus Lucæ ſecundo. Bene, inquit, *dixit ſecundum legẽ Moyſi, nam ſecundum veritatem nulla neceſsitate aſtringebatur, dictum enim eſt in lege, mulier, quæ ſuſcepto ſemine conceperit, &c.* Similia ferè verba habent Euthymius, & Beda ibi, quos ſequutus eſt Caietanus ibi. At verò Abulenſis in 12. capit. Leuitic. quæſtio. 2. hanc ſententiam reiicit coniecturis quibuſdam, & rationibus parum vrgentibus. Summa earum eſt, quia ſine cauſa legislator intenderet illo verbo excipere beatam Virginem, cùm illa exceptio nullius futura eſſet vtilitatis, quia nec beata Virgo illa vſura erat, nec aliis conſtare poterat eam abſque ſemine concepiſſe. Hanc verò ſententiam amplexi ſunt moderni expoſitores, qui Hæbraicarum literarũ peritiores ſibi videntur. Oleaſter in Leuiticum, Ianſenius capit. decimo Concordiæ, & inclinat etiam Caietan. ſuper Leuiticum. Me autem coniectura Abulenſis nihil mouet, valde enim vtile eſſe potuit, quòd admiranda Virginis cõceptio, tanto antea tẽpore fuerit à Moyſe propheticè indicata. Quòd verò ad phraſim Hebraicam pertinet, licet fortaſſe verum ſit, *ſemen*, ſæpe non ſignificare principium generationis; ſed prolem ipſam, & ideò, *facere ſemen*, idem eſſe quòd *generare*: tamen, ſi conſideremus nullum verbum eſſe in ſcriptura ſine myſterio, & legislatorem vtrumque verbum poſuiſſe, veriſimile eſt non ſine cauſa id feciſſe: ſed ad indicandum aliquod myſterium, præſertim cùm ſeptuaginta interpretes non vertant. *Mulier, quæ fecerit*, ſed, *quæ ſuſceperit ſemen*, quod propriè ad principium generationis refertur. Et Hieronymus hanc retinens interpretationem, ita ſentire viſus eſt. Nec factum exiſtimo abſque ſpeciali Dei prouidentia, quòd vulgata editio tam apertè hoc myſterium indicauerit, quòdq; tot annis in Eccleſia fuerit receptum; non igitur eſt á viris catholicis, ac piis tam facile contemnendum. Addo, quanuis phraſis illa Hæbraica idem ſignificet, quod *prolem concipere, vel emittere*, vel (vt alij ad rem explicandam dicunt) idem ſit, quod *ſeminificare*; nihilominus, ſi verbi, & locutionis vim, & ethymologiam conſideremus, propriè ſignificare, prolem emittere ex concepto ſemine, ergo quacunq; ratione exponatur, eſt locus prædicto myſterio. Denique omnes fatentur, Beatam Virginem non fuiſſe obligatam hac lege, vt videre licet in citatis Patribus, & in Chryſoſtom. homil. de occurſu Domini, ſolus enim Abulenſis hoc in dubium reuocare auſus eſt, dicens obligatam quidem fuiſſe ex vi verborum legis

Origen. Rupert. Euſe.Emi. Eligius. Bernard. Lau. Iuſti. Theophyl. Euthym. Beda. Caietan. Abulenſ.

Oleaſter. Ianſen. Caietan.

Hieronym. Virgo lege de purificatione lata non fuit cõprehenſa.

Chryſoſt.

gis: an verò reipsa fuerit obligata, vel alia via, aut ratione fuerit exempta, in certum esse, & ex Diuino arbitrio, & dispensatione pendere. Ianseníus autem videns hoc aduersari communi sensui Ecclesiæ, & Sanctorum, prudentius quidē, fortasse tamen minus consequenter dixit, licet verba legis Virginem comprehendere possent, ac ligare; nihilominus tamen illam non obligasse, tum quia in ea cessauit ratio legis, non solum quia fordibus puerperij caruit; sed etiam quia ipsum autorem sanctitatis, & munditiæ peperit: tum etiam quia peperit Deum, qui supra omnem legem erat. Hæ tamen rationes (si rectè expendantur) non sufficiebant, vt beata Virgo non obligaretur lege, si verbis legis comprehenderetur. Nam cessante fine legis in particulari, non cessat obligatio legis, & quòd filius fuerit omni lege superior, quia Deus erat, non ostendit idem esse matri attribuendum, alioqui totius veteris legis obligatione Virgo libera fuisset, quod nulla ratione nititur. Vt ergo firmo, ac constanti fundamento dicamus B. Virginem non fuisse hac lege obligatam asseramus necesse est, verbis legis non fuisse comprehensam.

Ianſen.

A

B

Cætera, quæ de hoc mysterio desiderari possunt, legantur in homiliis sanctorum Patrum, & in expositoribus Euāgeliorum, & specialiter de reuelatione facta Simeoni, & Annæ nonnulla tetigimus supra disputatio. 14. sectione. 1. vbi Sanctos Patres, qui de hac re scripserūt, indicauimus, præsertim Chrysostomum, Gregor. Nissenum, Cyrillum Ierosolymitanum, ex quibus colligere licet, quàm sit antiqua in Ecclesia huius mysterij celebratio, ac festiuitas: & vnde duxerit originem ceremonia benedicendi, & accendendi cæreos in hac festiuitate, quæ tempore etiam Cyrilli Ierosolimitani erat in vsu, *Læti*, inquit, *hodie lampades ornemus, iamque filij lucis, ceras veræ luci Christo offeramus. Quoniam lumen ad reuelationem gentium mundo apparuit, ideò lumina ex lumine resplendeamus.* Legatur Albinus Flaccus lib. de Diuinis officiis capit. de purificatio. vbi dicit, Ecclesiam inter alias causas introduxisse hanc cœremoniā ad mutandam lustrandi consuetudinem, quam Gentes obseruabant, dicantes hunc mensem Deo Februo, vt Augustinus etiam retulit lib. 7. de ciuitate capit. 7. & eandem rationem habet Beda in libro de ratione temporum, & latius Innocent. 3. sermone de Purificatione, & plures alias rationes affert Eligius dicta hom. 2. de eadem festiuitate.

C

Chryſoſto. Gre. Nyſſ. Cyri. Iero.

Mos benedicendi, & accendendi cæreos in die Purificationis vnde ortus.

Alb. Flacc.

Aug. Beda. Inn. 3. Pap.

Vltimò obseruari hoc loco potest, legem hanc de purificatione, sicut alias cœremoniales omnes veteris legis, iam cessasse; permissum tamen esse ab Ecclesia, vt si fœminæ velint post partum abstinere aliquandiu ab ingressu Ecclesiæ, & postea deferrè prolem, vt pro ea ad dominum preces fundantur, possint id facere, vt patet ex capit. vnico de purificatione post partum. Oportet tamen, vt omnis superstitio seruandi legem veterem absit, solumque fiat causa religionis, & ob reuerentiam loci sacri, & in hunc sensum piè interpretanda sunt quædam verba, quæ in Missa AEthiopum leguntur in benedictione puerperæ, in hunc modum. *Tu domine, instituisti Moysem seruum tuum in lege tua, & docuisti eum constitutionem mundam, quæ conuenit omni fœminæ, quæ pepererit,* & infra. *Quæsumus pro ancilla tua, quæ seruauit constitutionem tuam, & optat ingredi in sanctum tabernaculum tuum, &c* Intelligitur enim seruasse constitutionem, quantum ad similitudinem quandam externæ cæremoniæ, non quoad propriam rationem, & obligationem legis.

Lex vetus de purificatione puerperæ iam ceſſauit.

DISPVTATIO XVII.

In tres sectiones distributa.

De reliquis mysterijs Vitæ Christi Vsque ad annum ætatis eius trigesimum.

EXplicato purificationis mysterio, ac reliquo tempore vitæ Christi prētermisso, disputatione de baptismo eius statim aggreditur D. Tho. nos verò, priusquā ad illius mysterij explicationem accedamus, duo prestanda duximus. Primum enim vt historiæ seriem melius texendo, nihil, quoad fieri potest, intactum relinquamus, de Saluatoris infantia, deque reliquo vitæ tempore ab Euangelistis

gelistis prætermisso, pauca dicemus. Deinde, quoniam reliqua mysteria vitæ Christi minus coniuncta sunt cum disputatione de beata Virgine, absoluemus omnia, quæ ad illius excellentiam, & dignitatem spectare videbuntur. Quibus finitis reliqua vitę Christi mysteria, &ceterarū quęstionum D. Thomæ explicationem persequemur.

SECTIO. I.

Cur Christus in AEgyptum fugere voluerit.

Matt.1. MAtthæus Euangelista capit.2. post narratam trium Magorum historiam, statim subiungit. *Qui cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in* B *somnis Ioseph dicens, surge, & accipe puerū, & matrem eius, & fuge in AEgyptum, & esto ibi, vsque dum dicam tibi. Futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* In quibus verbis significari videtur statim post discessum Magorum, nullaque mora temporis interposita Christum in AEgyptum fugisse. Si tamen, quæ supradicta sunt, recolamus, necesse est, vt multi dies interceserint. Diximus enim supra Magos adorasse Christum decimo tertio die ab eius nativitate: ex Luca autem capit. 2. constat, quadragesimo die fuisse Christum in templo oblatum, & postea reuersos esse parentes eius in Galilæam in ciuitatem Nazareth: & verisimile est aliquo tempore ibi habitasse: cōstat igitur plures dies, & fortasse aliquot menses præcessisse, antequam beata Virgo discederet in AEgyptum, quanuis incertum sit, quantum illud tempus fuerit. Verbum ergo illud Matthæi. *Qui cum recessissent, ecce Angelus* C *Domini, &c.* positum est ad historiam continuādam, non ad indicandum statim post reditum Magorum hanc reuelationē fuisse subsequutā. Dicere verò posset aliquis, reuelationem quidem esse factam Ioseph statim post discessum Magorum, ante purificationem: illum verò expectasse conueniens tempus fugiendi. Quod videtur insinuare Anselmus Matthæ.2. dicens. *Quāuis timerent Herodē, tamen non sunt ausi transgredi legem, quin ad templum, puerum deferrent, vbi Simeon accepit eum in vlnas suas, & Anna de eo multa prophetauit.* Sed hoc nullo modo dici potest, repugnat enim consequentibus verbis Euangelij Matth. *Qui*

Luc.2. Quo tempore Christus in Ægyptū secesserit.

Obiectio.

Anselm.

A consurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & secessit in AEgyptum. Vbi omnes sancti contemplantur summam diligentiam, & obedientiam sancti Ioseph, quia subito, & absq; vlla mora Angelicæ monitioni paruit, & ita omnes expositores hanc reuelationem ponūt factam vt minimum post purificationem. Et quanuis Ianſenius in Concordia indicet factam esse antequam redirent Nazareth, post præsentationem templi, & expressius Caietan. id affirmet Matth.1. motus coniectura probabili, non tamen efficaci, vt videbimus: tamen (si attentè Euangelium Lucæ consideretur) cōtrarium verius apparet, vt Euthym. ibi adnotauit, & senserunt Tatianus, & Ammonius Alexandrinus in harmoniis Euangeliorum, & colligi potest ex Origine hom. 18. in Lucam, & Anselmus (si rectè perpendatur) in eadem est sententia. Nā post verba supra citata subiungit. *Quo facto secesserunt in Nazareth, & cum rumor de puero iam inciperet dilatari, mittitur Angelus Gabriel, qui in AEgyptum faciat puerū deportari.* Vbi indicat (quod Ammonius etiā supra notauit) ante præsentationē in tēplo Herodem non fuisse commotum, nec cepisse quærere Christum ad interficiendū, postea verò, cùm exiis, quæ in templo Simeō & Anna publicè de Christo prędicauerāt, adiūctis aliis, quę pręcesserant, rumor de illo percrebuisset, cępisse illū magis pertimescere, & contra Christū ira incitari, ideòq; missū esse Angelū, qui Iosephū admoneret. Quod ergo Anselmus dixerat parentes Christi timuisse Herodem etiam ante purificationem, non est intelligendum, ac si timor ille ex reuelatione ab Angelo facta, ortus esset: sed quia ex humana coniectura, & prudentia, cum ardenti amore ad Christum coniuncta, & diligenti cura custodiēdi illum, suspicionem aliquam, vel timorem concipere potuerunt.

Respōsio

Ianſen.
Caietan.
Euthym.
Tatian.
Ammon.
Alex.

Anſelm.
Ammon.

His ergo positis inquirendum occurrit, quę fuerit necessitas fugiēdi in AEgyptum. Et est ratio dubij, quia Herodes non iussit interfici omnes infantes Regni sui, sed solum in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, Christus autem, & parentes non habitabant Bethlehem, sed Nazareth, ergo nullum erat periculum, quōd esset Christus interficiendus, non ergo erat, quod hac occasione arrepta, fugerēt in AEgyptum. Eō vel maximè, quòd Deus, à

quo

quo illa reuelatio profecta est, iam præui derat, quo in loco innocentiũ cedes futu ræ essent, & præscierat non fuisse futuras in Nazareth. Et confirmatur quia quãdo Ioseph rediit ex AEgypto, propter timo rem Archelai filij Herodis, diuertit à Iudæa ad ciuitatẽ Nazareth, existimans ibi se futurum omni periculo liberum, ac securũ, ergo eadẽ ratione potuisset ibi manere ante discessum. Addunt infideles, si Christus verus Deus fuit, quid oportuit, fuga vitæ cõsulere? Imò quid potest esse iniquius (aiebant Nestoriani apud Maxẽtiũ dialog. 1.) quã vt credatur Deus propter hominem fugisse in AEgyptum.

Christus in AEgyptum cur fugit.

Dicendum verò est primò, proximã, & literalẽ causam, seu rationẽ huius itineris fuisse advitandũ periculum mortis, quod ex insidiis Herodis Christo domino imminebat. Erat enim à Deo prædefinitum vt nõ in infantia, sed in adulta ætate post prædicatũ Euangelium pro hominibus moreretur, & ideò (ait Fulgentius serm. de Epiphania.) *Dignatus est in AEgyptum fugere, vt postea crucem dignaretur ascendere: faciet enim* (vt infra subdit) *eum mori benignitas propria, non malignitas aliena.* Neque huic rationi obstat obiectio facta: quia in primis, licet potuisset Christus potentia, ac maiestate sua nõ solum Herodis insidias impedire, sed etiã regno illũ, vitaq; priuare; noluit tamẽ potestate vti, sed dignatione. Vt enim notauit Euseb. lib. 9. de demonst. Euangel. demon. 4. *Non decebat Saluatorem adhuc pueru miracula exordiri, atq; ante tempus diuinam ostentare virtutem.* Vnde rectè Fulgentius, *fugit*, inquit, *non formidine humana sed dispensatione Diuina, fugit nõ necessitate, sed potestate.* Et eleganter Petr. Chrysologus ser. 150. *Quid est*, inquit, *quod sic cœlestis causa tristatur, vt humanus se cõfundat auditus, làssetur animus, laboret intelligentia, sensus hebetetur, fides nutet, spes titubet, credulitas ipsa succũbat, per sequente homine Deus fugit, sæuiente terra cœlum trepidat, & pauor patris filio fugiente monstratur, Dauid persequente Saul ad Iudæam confugit, recepit vicinia, domus vnius viduæ Hæliæ sufficit ad latebras, Christo fugiente locus deest, prouincia deficit, non subuenit patria*, & quæ sequuntur vsque ad illud, *Euangelista igitur referendo talia videtur excitasse hæreticorũ latratus.* Causam verò, & mysteriũ explicãs subiungit inferius. *Bellicosius, quod in bello fugit, artis est, non timoris, Deus quãdo fugit homi-*

Euseb. Fulgent. Fulgent. Petr. Chrisol.

1. Reg. 21. & 22. 3. Reg. 17

minem, sacramenti est, non pauoris, potens, quando se subducit infirmo, insequentem non pauet, sed foris producit, vult enim in aperto vincere, qui publicam referre cupit ex hoste victoriam; hinc est quod Christus fugit, vt cedat tempori, non Herodi: & cætera quæ eleganter persequitur. Deinde licet Diuina prouidentia posset in ciuitate Nazareth, eũ custodire immunẽ, tamen si prouidentiam humanã spectemus, non satis existimari poterat ibi esse securus, quia cũ Herodes tunc esset vtriusq; prouinciæ Rex: facile poterat inquirere, & per scrutari diligẽter donec intelligeret fœminã quandam peregrinã, & aduenam Bethlehem peperisse, ac postea discessisse, ac ita paulatim poterat Saluatorẽ inuenire. Præsertim cũm (vt notat Hieron. circa illa verba Matth. 2. *Mortui sunt enim, qui quærebant animam pueri:*) nõ solũ Herodes, sed etiã Scribæ, & Pharisæi, vt illi morẽ gererent, Christi necẽ procurarent. Nec refert, quòd Deus præsciuerit Herodem non fuisse interfecturum infantes Nazareth, sed Bethlehem, tum quia noluit Deus negotium hoc gubernari, iuxta præscientiã suam, sed iuxta periculi grauitatẽ, prout modo hominibus accommodato vitari poterat, Tum etiã, quia licet tantum cõstet interfectos fuisse Bethlehemiticos infantes; non tamen inde sequitur non adhibuisse Herodem omnem aliam diligentiã in toto Regno suo, si fortasse alicubi vestigium aliquod noui Regis nati inueniret. Deniq; (si coniectura Caietani vera esset) facilius videretur hoc expediri, putat enim ille Virginem, & Ioseph post purificationem non rediisse Nazareth sed potius voluisse habitare in Iudæa Ierosolymis, aut Bethlehem. Tamen huic coniecturæ nõ assentior, tum quia non habet fundamentũ, neq; est consentanea Lucæ; tum quia etiam oportet rationem reddere, cur non redierint Nazareth, vel saltẽ cur de hoc non fuerunt admoniti, si satis ibi erant securi, & necesse erit tunc vti rationibus adductis.

Hieron. Matth. 2.

Secundã verò, & principalẽ causam addidit Euangelista, scilicet, fugã hanc *non de periculi metu, sed de prophetiæ venisse mysterio*, vt Petrus Chrysologus supra dicit. *Vt adimpleretur*, inquit, *quod dictum est a Domino per prophetam dicentem, ex AEgypto vocaui filium meum. Si enim in AEgyptum non fugisset, ex AEgypto vocari non potuisset*, vt Euseb.

Petr. Chrisol.

Euseb. Emis.

seb. Emissenus loquitur. Hoc autem loco cauenda est nimis libera (ne dicam temeraria) interpretatio Iansenij cap. 11. Concordiæ, vbi negare ausus est, verba illa (vt sunt apud Oseam) continere vllo modo de Christo prophetiam, sed solũ per accõmodationẽ quandam ab Euangelista citari. Vt si quis de patre nimium amante filiũ dicat in illo impleri illud poetæ, *Omnis in Ascanio cari stat cura parentis.* Et (quod grauius est) licentiam præbet ita interpretandi similia Euangelistarum loca, cùm dicũt, *Vt adimpleretur, quod dictum est per prophetam.* Sed (vt quemadmodũ sentio, loquar) sententia hæc grauem errorem, & euangelicæ veritati valde perniciosum continet. Primo quia pugnat cum verbis Euangelistæ dicentis. *Vt adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophetam.* Non enim potuit clarius dicere, Dominũ per prophetam loquutum fuisse in illis verbis de hoc mysterio, quod in Christo impletum est. Deinde pugnat cum intentione Euangelistæ. Vt enim ostendat Christum esse, quẽ prophetiæ respiciebant, & in quo omnes implentur, adducit prophetiam, & ostendit concordiã inter prædictionem, & effectum, & hanc vim habet illud verbũ, *Vt adimpleretur*, illud enim proprie adimpleri dicitur, quod prædictũ erat. Tertio pugnat cũ cõmuni sententia sanctorum; omnes enim exponentes tam locum Matth. quam Oseę intelligunt ibi contineri de Christo prophetiam, vt videre licet in Hieron. vtroq; loco, & epist. 150. ad Algasiã. q. 2. & Chrysost. Theoph. Euthy. Ansel. Beda, D. Thom, Glossa ordinaria, & aliis expositoribus Matt. 2. Vnde Euseb. Emissenus supra sic inquit. *Impleta est prophetia, & vtilitas prophetiæ.* Et Petrus Chrysologus supra dixit verba illa allata esse ab Euangelista, vt causam redderet ex mysterio prophetiæ. Hãc etiam sententiam indicauit Greg. Nazian. Elias Cre. orat. 24. dicens. *De quo*, idest de Christo, *nunc mihi quoque patrem aulire videor dicentẽ, Ex Aegypto vocaui filium meũ*, vbi Elias Cretensis adnotat, ex Euangelistæ testimonio cõstare hanc fuisse de Christo prophetiã. Et eodem modo exponit Athanas. tom. 1. lib. de incar. Verbi Dei longe à medio, clarius Prosper. de promissionib. & prædicti on. Dei par. tertia, cap. 8. & Anastasius Synaita lib. duodecimo commentariorum in Hexameron. Eusebius, & alij quos statim referam.

Iansen. *Fuga Christi in Aegyptum ab Oseæ Prophetæ prænuntiata.*

Hieron. *Chrysost.* *Theophyl.* *Euthym.* *Anselm.* *Beda.* *D. Thom.* *Gloss. ord.* *Euse. Emi.* *Pet. Chry.* *Gre. Naz.* *Elias Cre.* *Prosp.* *Ana.* *Euseb.*

Dubitari autem solet, vtrum verba illa, prout á Propheta sunt dicta ad prædicendũ hoc mysterium, in sensu literali, vel spirituali sint dicta: Eusebius enim dicto lib. de Demonst. demonst. 4. non solũ sentit illam prophetiã ad literã esse de Christo, sed etiã nullũ alium pati literalẽ sensum. Quæ sententia verisimilis non est, & ideò alij cõcedunt illa verba ad literã esse dicta de populo Israel, nihilominus tamen etiam in sensu literali dicta esse de Christo. ita Lyranus, & Carthusianus. Matthæo secundo. *Dubium.*

Communior tamẽ sententia est, illa verba in sensu literali esse dicta de populo Israel, qui solet filius Dei in scriptura appellari, vt patet Exod. 4. *Filius meus primogenitus Israel*, & ideò sub ea ratione interdũ gerere figurã Christi: atq; ita consequẽter dicta esse de Christo in sensu spirituali. Ita exponunt Chrysost. hom. 8. in Matt. quẽ Theophylact. & ferè alij Græci sequũtur, Origenes homil. 17. in Numeros, tractans verba illa. *Deus eduxit illum de Aegypto, cuius fortitudo similis est Rhinocerotis*, & probabile existimat hæc verba eodẽ modo intelligi de Christo, quod etiã notauit Hieron. Matth. 2. clarius verò eandẽ sententiã docuit idem Hieronymus Oseæ. 11. & alij, quos cõgerit Franciscus Ribeta in illũ locum, vbi copioscè, ac doctè hanc sententiã suadet. Et est sine dubio vera, nisi fortasse in modo loquendi sit controuersia. Concedimus enim omnes hunc sensum fuisse ab Spiritu sancto intentum, vt Euangelista Matthæus explicuit. Quanquam enim sensus sit spiritalis: si tamen in alio loco scripturæ explicatus sit, ab eo sumitur firmum argumentum, cùm iam constet esse ab Spiritu sancto intentum. Præterea nullus negare poterit, quin illa verba immediatè significauerint populum Israel educendũ de Aegypto, & rem illã fuisse figuram Christi vocati ex Aegypto. Vnde fit verba illa mediante re proxime significata hoc mysterium expressisse, quæ est definitio spiritalis sensus. Quia tamen illa verba immediatè relata, ad hoc mysterium illud etiam in omni proprietate sermonis apertè cõtinent, & declarãt: ideo addiderũt alij autores, non solum in sensu spiritali, sed etiam in literali illud significare. Nam illa verborum pròprie-

Responsio *Exod. 4.* *Chrys.* *Theophyl.* *Origen.* *Hieron.* *Ribera.*

tas,

tas, non absque singulari Spiritus sancti prouidētia seruata est: quod quidem piè, & nō inerudite animaduersum est. Quia tamen propria ratio sensus literalis requirit, vt non solum oratio nudè sumpta illum sensum in proprietate sermonis referre possit, sed etiam, vt in eo sensu possit cum antecedentibus, & consequentibus texi, & vnum integrum historicum, seu literalē sensum conficere; quod prædictis verbis in dicto sensu non potest conuenire, ideò non potest in rigore, & proprie dici sensus literalis.

In confirmationem huius rationis Euāgelistæ addere possumus factum etiā id esse, vt adimpleretur, quod dictū est per Isaiam. cap. 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & cōmouebuntur simulacra Aegypti a facie eius.* Ita confirmauit hanc rationem Euangelistæ Chrysostom. homil. 2. imperfecti; Et Eusebius libr. 6. de Demonstrat. cap. 20. latè locum hunc de hoc mysterio declarat, & Athanas. loco supra citato de incarnatione Verbi, & Procopius in Isaiam, qui per *nubem leuem*, sacram Virginem intelligit, cuius vlnis in Aegyptum Saluator inuectus est. Quæ *nubes* dicitur, quia per eam Deus pluit in terras gratiam Christi (vt dixit Ambros. de institutione Virginis) *leuis* vero, quia *virili semine prægrauata non est* (vt ibidem dixit Ambros. & in exhortatione ad Virginis, & Hieron. super Isaiam, vel quia nullum habuit pondus peccati, nec passionis, aut fomitis, vel quia *super res omnes terrenas volabat*, vt dixit Procopius. Quamquam per *nubem leuem*, etiam caro Christi ex spiritu Sancto concepta intelligi possit, vt iidem Patres interpretantur, & Augustinus, tractatu trigesimo quarto, in Ioannem, & Prosper de prædictionibus Dei parte tertia, capitulo. 2. Addit præterea Eusebius, tunc etiam impletum illud esse, *Commouebuntur simulacra Aegypti a facie eius*. Nam Dæmones, inquit, *qui animas Aegyptiorū subiectas habebant, cum sensissent nouam, diuinamque virtutem ad se accessisse, illico commoti sūt, & fluctuationem, ac perturbationem in seipsis vertulerunt, corque ipsorum, & vis intelligendi intrinsecus in ipsis conuicta sunt, cesseruntque, ac fugata sunt.* Indicat autem Eusebius simulacra tunc non fuisse sensibiliter cōmota, subdit enim, Et *tunc quidem inuisibiliter Dæmones talia passi sunt.* Nicephorus verò libro decimo Historiæ, capitulo. 31. significat, etiam ipsa corporea simulacra corruisse, vbi miraculū quodā refert de arbore, quæ in ciuitate Hermipoli ad Christi ingressum sese ad terram vsque reuerenter inflexit, vt ipsum adoraret. Eūdem refert Sozomenus libro. 5. Histo. capitulo. 20. Et in Historia Lausiaca in vita sancti Apollinis Abbatis, capitulo. 52. memoriæ prodidit Palladius, in eadē ciuitate Hermipoli extare templum, in quod ingresso Saluatore, omnia idōla prostrata, comminutaq; sunt. Procopius etiam super dictum locum Isaiæ hoc indicat, dicens, *cum Dominus in puerili ætate in Aegyptum deuectus est, ineffabili potentia confregit idola.* Citari etiam solent in hāc sententiam Athanas. libro de Incarnatione Verbi, & Origenes homil. 3. in diuersos. Tamen reuera ij Patres solum dicunt per Christum confracta esse Aegypti idōla, quando gens illa per Euangelij prædicationem, ad ipsum conuersa est, cuius veluti indicium, ac præsagium fuit introitus pueri Iesu in Aegyptum, & ita apertè se exponit Eusebius. Illud ergo quod de euersione idolorū dicitur incertum est. Et quidem quod in tota Aegypto acciderit, non est admodum verisimile; quod verò in aliqua ciuitate, in qua Christus habitauit, diuina eius virtus idōla confregerit, non est incredibile, quanquam in dicto loco Isaiæ non habeat fundamentum; sed in quadam humana historia satis incerta. Et idem iudicium sit de aliis miraculis, quæ circunferuntur à puero Iesu in Aegypto, facta, de quibus videri potest Burcardus in descriptione terræ sanctæ, parte secunda, capitulo quarto, & Cæsar Baronius in Annalibus anno primo.

Vltimo his duabus causis migrationis Christi in Aegyptum, quas Euangelista attigit, & veluti literales sunt, addere possumus alias mysticas, & morales. Prima est, quam attigit Leo Papa sermone. 2. de Epiphania his verbis. *Tunc autem etiam AEgypto Saluator illatus est, vt gens antiquis erroribus dedita, iam ad vicinam salutem per occultam gratiam signaretur, & quæ nondum eiecerat ab animo superstitionem, iam hospitio reciperet veritatem.* Quam rationem magis explicans Euseb. supra, inquit

Fuga Christi in AEgyptum ab Isaia propheta prædicitur. Isai. 19

Chrysost. Euseb. Athanas.

Procop.

Ambr. Hieron.

Aug. Prosper. Euseb.

Christus puer Aegyptum ingressus Idola destruit.

Nicephor.

Sozomen. Pallad.

Procop.

Burcard. Cæs. Baron

Exitij Christi in AEgiptum rationes & causæ.

Leo Papa.

Euseb.

inquit in Aegypto initium accepisse idololatriam, eamq; gẽtem fuisse omniũ superstitiosissimam, & inimicã populi Dei, & longissimè à prophetis abfuisse, & ideó apud illos Dei virtutem primò commoratam esse. Ex quo dicit factum esse, vt plus apud Aegyptios, quám apud alios homines Euangelicæ doctrinæ verbũ inualuerit. Quibus adde, propter hãc causam Aegypti nomine sæpe in scriptura significari gẽtes vniuersas, vt notauit Hier. dicto loco Isai. 19. qui hoc modo illum tropologicè interpretatur, vt scilicet ibi prædictum sit, Dominum in humana carne venturum in mundũ, & vniuersam Aegyptum, ideſt, gentilitatem subiugaturum. Ad hoc ergo significandum voluit Christus statim in infãtia in verã: ac propriam Aegyptum deferri, & Aegyptiorum errores profligare, (vt ait Greg. Nazian. ora. 35.) Et hanc rationem eleganter persequitur Origen. dicta hom. 3. in diuersos. Eam verò auget, & cõfirmat Leo Papa, sermo. 3. de Epiphania his verbis, Aegypto *se parentum ministerio subuectus intulerat, repetens scilicet Hebrææ gẽtis antiqua cunabula, & principatum veri Ioseph maioris prouidentiæ potestate disponens, vt illam diriorem omni inedia famem, qua Aegyptiorum mentes veritatis inopia laborabant, veniens de cœlo panis vitæ, & cibus rationis auferret; ne sine illa regione pararetur singularis hostiæ sacramentum, in qua primum occisione agni salutiferum crucis signum, & pascha Domini fuerat præformatum.*

Altera ratio moralis est, quã Origines supra tetigit his verbis Christum alloquens, *Fuge in Aegyptum, vt ij, qui nomine Christi persecutionem patiuntur, qui tribulationes tollerãt, qui iniurias perferunt, fortiter stẽt, viriliter prælientur, Ecclesiam non deserãt; sed semper meminerint, quia Dominus a peccatoribus persecutionẽ perpessus est*; Et infra, *Fugit enim Dominus de loco in locum, non mortem timens, neque interfectionem formidans; sed mysterium, & consummationem passionis expectans.* Vnde vlterius colligunt sancti, voluisse Christum docere exẽplo suo sectatores suos, licere in persecutionibus fugere. *Nam quisquis in Christo manens interim cedit, non fidem denegat, sed tempus expectat*, vt dixit Cyprianus in libr. de lapsis parum à principio; Et Athanas. apolog. de fuga, qui addit, *decuisse Christum, sicut esuriendo, sitiendo, patiendo, ita quoque ipsa ratione fugiẽdi ostendere se carnem gestare, & hominem factum esse*. Et statim adducit in exemplum mysterium, quod explicamus; eãdemque rationem tetigit Tertullianus libr. de fuga in persecutione, cap. 8. & Aug. tracta. 15. in Ioan. & epist. 180. Addit Eusebius Emissenus, serm. de Innocẽtibus, Christum fugiendo Herodem, nos docuisse Diabolũ, & mẽbra eius fugere, nec itineris difficultate terreri, quia melius est duro labore fatigari, quàm ab hostibus necari. Et eleganter Petrus Chrysologus serm. 150. *Christus fugit nobis, non sibi, Christus fugit, vt dispensata temporibus sacramenta seruaret, Christus fugit, vt futuris virtutibus, & perfidis materiã tolleret excusãdi, & credituris fidei fiduciã largiretur, quia in persecutione melius est fugere, quã negare*, & serm. 151. acutè ponderat non dixisse Angelũ Iosepho, vade in Aegyptum, sed *fuge in Aegyptum*, vt apertè fuga ipsa & mandari, & honorari videretur; infra verò subdit, *Christum fugisse, vt fugas nostras in persecutionibus temperaret*; vbi rationes alias elegãter affert, quæ ibi videri possunt

Hieron. Gre. Naz. Origen. Leo Papa. Origen. Cypriã. Athanas. Tertull. Aug. Euse. Emi. Chrysolo. Epiphan.

SECTIO II.

Quando, & ad quem locũ Christus ex Aegypto redierit.

NON est, quòd de ratione, & causa, ob quam Christus ex Aegypto rediit, quæstionem moueamus. Rediit enim, quoniam Ierusalem elegerat passioni, & vt in Iudæa doctrinam suam disseminaret. Definitũ quippè erat, vt *de Sion exiret lex, & Verbũ Domini de Ierusalem*. Solum ergo videntur posse desiderari in hoc reditu duæ illæ circunstantiæ temporis, & loci in titulo propositæ, quoniam ad Euangelicæ historiæ intelligentiam earum cognitio conferre potest.

De tẽpore igitur huius reditus illa quæstio tractanda occurrit, quo anno ætatis suæ Christus ex Aegypto redierit, hoc enim cognito, & stabilito tẽpore, quo è Galilæa egressus est, facile erit colligere, quot annis Aegyptũ incoluerit. Prima ergo sentẽtia est Epiphanij dicẽtis, Christum quarto ætatis suæ anno ex Aegypto rediisse. Ita docet libr. 1. Panarij tom. 1. in

1. in fine, post hęresim. 20. & libro. 3. hęres. 78. vnde colligit Christum tantum duobus annis habitasse in Aegypto, existimat enim ille expleto biennio à natiuitate fuisse adoratum à Magis, & deinde in Aegyptum profectum. Hæc sententia tribui etiam potest Seuero Sulpitio *Seuer. Sulpit.* lib. 2. sacræ historiæ, quatenus opinatur, sicut Epihanius, Christum natũ esse trigesimo tertio anno regni Herodis, & Herodem regnasse 37. annos. Inde enim fit Christum rediisse quarto ætatis anno, rediit enim statim post obitum Herodis, vt ex Euangelio colligitur.

Secunda sententia est Nicephori lib. 1. capit. 14. qui dicit rediisse tertio anno ætatis, atque adeò ferè eisdem tribus annis mansisse in Aegypto. Docuerat enim capitulo. 13. fugam Christi in Aegyptũ B accidisse statim post eius præsentationẽ.

Tertia opinio est, Christum eodem, vel initio sequentis anni, quo iuit in Aegyptum, inde rediisse. Ita refert Cæsar Baronius in Annalibus anno octauo, & tribuit Onuphrio Panuinio in Fastis, atq; idem sentit in Chronico ecclesiastico, vbi ponit hunc reditum Christi ex Aegypto in tertio anno ætatis Christi: cum tamen alibi in eodem anno videatur ponere fugam. Nam in Fastis lib. 2. Comment. dicit Christum natum esse anno. 752. ab vrbe condita in fine eius, circũcisum autem, adoratum à Magis, & oblatum in tẽplo initio anni. 753. Postea vero anno 754. subdit hæc verba, *Hoc anno Herodes Iudæorum Rex pueros interfecit, Ioseph. & Maria Christum Dominum in Aegyptũ trãsportarunt.* C Harum sententiarum nullũ reperio probabile fundamentum.

Quarta opinio esse potest Christũ venisse ex Aegypto, vel in fine quinti, vel initio sexti anni ætatis suæ. Ita Iansenius cap. 11. Concordiæ. Cuius fundamentum est, quia Christus natus est anno trigesimo secundo regni Herodis (vt colligitur ex Eusebio in chronico) Ponit enim initium regni Herodis anno tertio Olympiadis. 186. natiuitatem autem Christi Olympiade. 194. anno tertio; regnauit autem Herodes. 37. annis, vt est omnium sententia Eusebij ibi; & Iosephi. 14. antiquitatum, capitulo. 26. & libro. 17. cap. 10. & aliorum, quos referam. Relinquitur ergo Christum agentem ferè sextum ætatis annũ ex Aegypto rediisse. Et pro

Iansen. Euseb. Ioseph.

A eadem sententia asseri potest Beda. lib. de sex ætatibus. Licet enim dicat regnũ Herodis. 36. annis finitum fuisse, asserit tamẽ Christũ natum esse trigesimo primo anno regni eius. *Beda.*

Quinta sententia est Christum rediisse ex Aegypto in fine septimi, vel initio octaui anni ætatis suæ. Ita sentit Ammonius Alexandr. in harmonia Euangeliorũ, dicit enim Christum continuum septennium egisse in Aegypto, & in eadem sententia est Anselmus Matth. 2. dicẽs Dominum latuisse septem annis, & habitasse in quadam ciuitate Aegypti, quæ vocata est Heliopolis, & inferius significat fugam Christi in Aegyptum contigisse ferè post annum à natiuitate. Dicit enim innocentes fuisse occisos post annum, & dies quatuor ab ortu Christi; colligitur autem ex Euangelio Christũ paulò ante Innocentium necem aufugisse, vnde fit, iuxta sententiam Anselmi fieri etiam potuisse, vt Christus in Aegypto octauum ætatis annum expleuerit. Quod verò Anselmus dicit de tempore cædis Innocentium, non video, quo fundamento nitatur, nisi quòd fortasse existimauit, Innocentes eo die fuisse interfectos, quo eorum solẽnitas ab Ecclesia celebratur, nimirum. 28. die Decemb. cũq; hoc non potuerit fieri eodem anno, quo Christus est natus, cum nondum fuisset circumcisus, adoratus à Magis, oblatus in tẽplo, & in Aegyptum delatus, quæ omnia ante Innocentiũ necem facta esse cõpertum est, coniectautt est Anselmus eã cædem sequẽti anno à Natiuitate Christ accidisse. Illud verò fundamentum, quod Anselm. supponit, infirmum est, & incertum, nõ enim necesse est Innocentes eo die interfectos esse, quo Ecclesia eos colit; imò fortasse, neque vno die interfecta est tanta Innocẽtiũ multitudo. *Ammo. Alexand.* *Anselm.*

Vltima opinio est Cęsaris Baronij, qui in Annalibus anno. 8. existimat Christũ rediisse ex Aegypto, inchoato nono anno ætatis suæ, & nititur discursu quodam satis probabili. Primum enim supponit Herodem superuixisse vsq; ad octauum annum ætatis Christi; mortuum autẽ (vt omnes cum Iosepho testantur) post Paschale tempus. Deinde sumit hunc reditũ Christi ex Aegypto accidisse septimo die Ianuarij, vt habetur in omnibus martyrologiis, Rom. Bedæ, Adonis, Vsuardi, & *Cęs. Baron* *Ioseph.*

di,& aliorũ. Vnde cõcludit non rediisse Christum vsque ad initium anni noni ætatis suæ, quod est apertè consequens. Quòd enim cum mortuus fuit Herodes Christus ageret octauum annum, probat Cæsar, quia natus est vigesimo nono anno regni Herodis, qui (vt est omniũ sententia) 37. annis regnauit. Assumptum probat idem Autor latè in apparatu, ostẽdens initium regni Herodis sumendum esse ab anno secundo. 187. Olympiadis, quo anno Augustus Antonium, & Cleopatram bello superauit Actiaco. Nã licet prius ante aliquot annos Herodes fuisset Rex institutus; anni tamen regni illius, (vt ipse coniectatæ) non sunt numerandi nisi à victoria Actiaca, postquã fuit ab Augusto in regno confirmatus, & stabilitus. Nam in superioribus annis partim non fuerat potitus regno propter Antigonum, qui illud occupauerat, partim videbatur cecidisse à dignitate Regia, quòd Antonij partes esset secutus, vt cõstat ex Iosepho, libro decimoquinto Antiquitatum, capitulo decimo. Et confirmat hanc sententiam, quia cùm Augustus omnia Antonij acta rescidisset, & Herodes priùs ope Antonij regnũ suscepisset, non est verisimile, Herodem ab eo tempore regnum suum numerasse, sed à tempore, quo ab Augusto illud accepit. Quòd verò ab eo tempore. 37. anni transierint, colligit ex aliis locis Iosephi, libr. 14. antiqui. ca. 17. & libr. 17. capit. 8. & libro. 1. de bello Iudaico, cap. vigesimo primo, in quibus scribit Herodẽ decimum quintum egisse ætatis annum, quãdo Antipater pater eius administrationem Iudeæ suscepit à Iulio Cæsare in Consulatu Caleni, & Vatinij, & superuixisse vsq; ad septuagesimum ætatis annũ. Quibus annis computatis, planè colligitur regnasse. 37. annis, sumpto initio à monarchia Augusti, vsque ad octauum Christi annum.

Reditus Christi ex Ægypto quando.

In hac re nihil certum, ac firmum definiri potest, pendet enim ex re valde incerta, vnde scilicet sumendum sit initiũ regni Herodis, quam etiam Benedictus Pererius, vir alioqui in his chronologiis valde versatus, insolutam reliquit libro vndecimo in Danielem, quæstio. 5. Si tamen coniectura vtendum est, certè non displicet diligens Baronij obseruatio. Illud ergo imprimis probabilius sit, Christum Dominum intra paucos menses à natiuitate Aegyptũ petiisse, supra enim verisimilius existimauimus Herodem nõ plus temporis Innocẽtium necem distulisse. Deinde verisimilius etiam est statim post obitum Herodis ex Aegypto rediisse, vt ex Matthæi capitulo secundo colligitur. Nec refert, quòd Herodes obiisse dicatur initio veris, & Christi reditus ex Aegypto Ianuario mẽse in Kalendariis annumeretur. Existimo enim nõ numerari diem, quo ex Aegypto discesit; sed quo in patriam peruenit. Et nõ oportuit, vt statim eodem die, aut mense, quo mortuus est Herodes, Iosepho Angelus apparuerit, vt reditum pararet. Denique certum est rediisse Christum aliquot annis ante duodecimũ suæ ætatis, vt colligitur ex illo verbo Luc. 2. *Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalẽ in die solenni Paschæ*, vbi loquitur de eo tẽpore, quo habitabant Nazareth simul cũ puero Iesu, habitarunt ergo ibi aliquot annis, priusquàm Iesus factus esset duodecim annorum. An verò illi fuerint tres, aut plures anni, incertum est, parũque ad fidei mysteria explicanda refert, sicut etiam abscondita sunt, & occulta, quæ, à Christo, & eius matre illis annis peracta sunt.

Matth. 2.

Luc. 2.

Superest, vt de altera sectionis parte breuiter disseramus, de loco scilicet, ad quem parentes Christi ex Aegypto redierunt, quem Matthæus dicit fuisse Nazareth, & ita de hoc nulla est controuersia. Quòd verò Euangelista subdit Iosephum ob timorem Archelai illuc migrasse, duplicẽ quæstionem habet. Prior est, cur dicatur illuc diuertisse ob timorem, & non potius, quia illa erat propria patria vnde discesserat. Posterior est, quomodo existimauerit se ibi fore securiorem, cùm sicut Archelaus in Iudæa, ita in Galilæa regnaret Herodes Tetrarcha pro Herode patre suo.

Dubium.

Propter priorem difficultatem existimauit Caieta. Matth. 2. parentes Christi, post illius præsentationẽ nõ rediisse Nazareth, neq; intẽdisse, ibi amplius habitare, & ideò in reditu in eadem intentione perseuerãtes in Iudæa habitare voluisse.

Caietan.

Sed hęc responsio neq; habet sufficiẽs fundamentum, nec nobis visa est verbis Luc. satis cõsentanea, vt supra diximus. Aug. igitur libr. 2. de consensu Euangel. cap.

August.

capitulo. 9. respondet, cùm primum Angelus apparuit Iosepho in Aegypto, illũ intellexisse *iussum se esse pergere in Iudæam, ipsa enim primitus intelligi potuit terra Israel*; postea verò cũ audisset regnare Archelau noluisse se tali periculo obiicere, sed cogitasse Galilæam etiam potuisse sub terra Israel comprehendi. Quæ responsio neque ipsi Augustino satisfecit, quia non est verisimile Iosephum existimasse aliquid sibi esse præceptum ab Angelo, quod reuera nõ erat, nisi cum Hilario dicamus, reuera prius fuisse Iosephum monitum ab Angelo, vt in Iudæam rediret; postea verò, vt iret in Galilæam. Quod tamen neque ex verbis Euangelij colligi potest, nec videtur admodum verisimile. Nam (vt idem Hilarius obiicit) cur per Angelum fieret admonitio, quæ statim mutanda erat? Et ideò Augustinus subdit aliam responsionem, quæ videtur nonnihil Caietano fauere. Dicit enim, *videri potuisse parentibus Christi cum puero, de quo talia per Angelica responsa didicerant, non esse habitandum nisi in Ierusalem, vbi erat templum Domini; postea vero ob timorem Archelai mutasse voluntatem, quia non iuuebantur diuinitus ibi habitare.* Quæ responsio est verisimilis; nec tamen fauet sententiæ Caietani, quia non dicit parentes Christi à principio concepisse eã voluntatem; sed post Angelicas apparitiones. Solum occurrunt duo addenda; primum, indicare Augustinum in vltimis verbis, Iosephũ concepto timore Archelai suo arbitratu mutasse voluntatem, & decreuisse ire in Galilæam, quia aliud non erat diuinitus præceptum: ex verbis tamen Matthæi colligitur illum ex diuina reuelatione id fecisse, vt patet ex illo verbo, *Et admonitus in somniis*. Vnde Hilarius canone. 2. in Matth. illud explicans inquit, *Per Angelum monetur, vt in Galilæam transeat, & in regionis eius ciuitate Nazareth inhabitet*. Alterum est, satis probabile videri (quod Ianſenius dicit) Iosephum voluisse ire in Iudæam, non vt ibi habitaret, sed vt gratias Deo ageret, & sacrificium in templo Deo offerret; postea verò timuisse, ne in templo agnitus Christus Archelao manifestaretur.

Hilar.

Respõsio.

B

C

Hilar.

Sed quæret aliquis, quomodo ergo singulis annis regnante eodem Archelao ibant parentes Christi in templum Ierosolymitanum (vt Lucas narrat.) Non est enim dubium quin vltra duodecimum ætatis Christi annum Archelaus regnauerit, licet Augustinus hoc vertat in dubium, omnes enim historiæ nouem annos illum regnasse referunt. Dici ergo potest cum eodem Augustino, libro secundo de consensu Euangelistarum, capit. 10. *fieri potuisse, vt per diem festum inter tam ingentem hominum turbam latenter ascenderent, mox reuersuri; ibi tamen aliis diebus habitare metuerent.*

Dubium.

Luc. 2.

Responsio Augusti.

Augusti.

Ad secundam dubitationem respondet Augustinus dicto libro. 2. capit. 8. eo tempore, quo Archelaus regnabat, nondum Herodem patrem eius habuisse tetrarchiam Galileæ; sed illam postea suscepisse, quando missus est Archelaus in exilium. Sed hoc nõ consonat historiis, quibus narratur, Herodem distribuisse regnum inter tres filios, & Cæsarem testamentum illius confirmasse, vt autor est Iosephus libro. 17. antiquita. capitul. 17. aliàs. 13. Respondetur ergo, Iosephum minus timuisse Herodem Antipam, quã Archelaum, vel quia Archelaus propriè successerat in regno Iudeæ, & quanuis nondum Regis nomẽ à Romanis obtinuerat; affectabat tamen illud, & Ierosolymis imperabat, ad quam Magi accesserant, quærentes nouum Regem Iudæorum; & idcò verisimilius erat eum simul cum regno, alterius successoris odium à patre hæreditasse. Vel certè, quia Antipas iustè, ac pacificè prouinciam suam moderabatur; Archelaus verò crudelior erat, ac tyrannicè gubernabat, propter quòd etiam regno priuatus est, & missus in exiliũ, vt videre est in Iosepho, dicto libro Antiquitatum capitulo vltimo, & libro secundo de bello Iudaico, capitulo sexto.

Iosepb.

SECTIO TERTIA.

Quid egerit Christus, quamque viuendi rationem cum parentibus tenuerit vsque ad trigesimum ætatis annum.

DE toto hoc tempore vitæ Christi Domini nihil certi habemus præter nonnulla valde generalia capita, quæ ex scripturis colliguntur. Primũ est, Christum hoc tempore habitasse in Nazareth

Nazareth cũ parẽtibus ſuis. Hoc colligitur ex Luc. 2. vbi expreſsè hoc aſſeritur de tempore vſque ad. 12. ætatis annum; de reliquo verò ſolum dicitur, *Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth*, & infra, *Et Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.* Si autem cum his coniungantur, quæ ſtatim. capitul. 3. idem Euangeliſta ſcribit, *Anno autẽ quinto decimo imperij Tiberij Cæſaris, &c.* Satis indicatur, vſque ad illum annum permãſiſſe in Nazareth, rationemque viuendi in ſuperiori capite deſcriptam tenuiſſe, hoc eſt, non ſolitariam, nec ab hominũ conuictu ſemotam; ſed veluti communẽ & ordinariam in exterioribus. Ita Abulen. Matth. 13. q. 79. qui aduertit, Chriſtũ vocatum eſſe Nazaræum, quòd maiorem vitę partem Nazareth tranſegiſſet, cur autem hoc vitæ genus in ea ætate elegerit dicemus infra, quæſtionem quadrageſimam explicantes.

Hinc intelligimus eo tempore pauperem vitam Chriſtum duxiſſe, quia parentes eius pauperes fuerunt, vt ex Euangelio colligitur, tum ex iis, quæ de Natiuitate Chriſti narrantur, tum ex iis, quę dicuntur de Purificatione Virginis, & de oblatione ab ipſa facta, quæ pauperum propria fuit (vt ibi notauimus) tum etiã ex iis, quæ dicuntur de fabrili arte, quam Ioſephus exercebat, quæ accommodata eſt homini pauperi. Vnde Chryſoſtomus homi. 67. in Matth. *Regulas*, inquit, *nobis præbuit, ne maiora, quam neceſſarius vſus exigat, requiramus. Itaque quando naſcebatur, non magnificas ædes, non locupletem matrem, ſed pauperrimam, & fabro deſponſatam elegit.* Et ſimilia habet Baſilius libr. de conſtitutionib. monaſticis. ca. 5. cuius verba paulo inferius commodius referemus. Ac denique Origenes hom. 8. in Leuiticum agens de oblatione Virginis in templo, *In hoc*, inquit, *oſtẽditur, verum eſſe illud, quod ſcriptum eſt, quia Chriſtus Ieſus, cum diues eſſet, pauper factus eſt, ideo, & matrẽ, de qua naſceretur, elegit pauperem.*

Secundò, hinc colligo, quanquam Chriſtus hac ætate pauperem egerit vitam; non tamen adeò inopem, vt è mendicatò viueret; an verò hunc modum viuendi poſtea ſponte aſſumpſerit, quando ad prædicandum progreſſus eſt, infra dicemus. Ratio verò, cur de illo tempore id aſſeramus, in promptu eſt. Quia eo tẽpore in domo parentum, & ex eorum bonis, vel laboribus alebatur, vnde Hiero. epiſt. 22. ad Euſtoch. de cuſtodia virginitatis, *Vſque ad triginta*, inquit, *annos parentum paupertate contentus eſt.* Non ergo opus fuit victum mendicare; neque enim putandum eſt parẽtes Chriſti adeò inopes fuiſſe, vt aliorum eleemoſynis viuerent (vt hæretici huius temporis non in laudem, ſed in Virginis cõtemptum falsò, & ſine vllo fundamento confingunt) Nam in primis ex ſcriptura ſacra habemus Ioſephum fabrilem artem exercuiſſe; non ſolent autem huiuſmodi artifices mendicare, neque eleemoſynas exigere. Deinde ſupra diſputat. 2. ſect. 1. & 3. ſanctos Patres retulimus aſſerentes parẽtes Virgnis honeſtæ fuiſſe conditionis, & B. Virginem fuiſſe vnigenitã, & hæredem, & ideò nupſiſſe viro eiuſdẽ tribus, & familiæ: quin potius annotat Nicephor. lib. 1. Hiſtor. ca. 3. parentes Domini rediiſſe Nazareth è Bethlehẽ, poſt Chriſti natiuitatem, *propter eam, quæ tum ibi eis erat, ſubſtantiam, & poſſeßionem. Vtrobique enim*, inquit, *habitabãt, quod vtroque loco prouentum aliquem, (vt cõiicere licet) haberent.* Denique Euſebius Emiſ. homil. in Natiui. Virg. Mar. *Manifeſtum*, inquit, *eſt, Beatißimam Virginem Mariam, quæ nobiliſſima hæres parentibus ſuis in hæreditatem ſucceſſerat, (ſi quidem neque fratres habuit, neque habuiſſe legitur) neminem de alia tribu coniugem accipere potuiſſe. Sed fortaſſe dicis eam nõ habuiſſe hæreditatem. Lege ergo in Leuitico, & inuenies, quod nemo hæreditatem ſuam ex toto vendere poterat, etſi vſum eius vẽdere potuiſſet. Veniente namque iubilæo omnis hæreditas ad proprium Dominum reuertebatur, quomodo ergo ſine hæreditate eſſe poterat, quæ ex tam nobiliſſimis parentibus orta fuerat?* Itaque licet non eſſent diuites Maria, & Ioſeph; non tamen adeò inopes exiſtimãdi ſunt, vt ſine aliorum ſubſidio paruam familiam ſuam alere non poſſent. Neque decebat ſanctiſsimam Virginem talis egeſtatis modus, ac viuendi ratio. Neque etiã ad virtutis, ac ſanctitatis perfectionem fuit neceſſaria, neque conueniens, ſaltem pro eo tempore, quo in ſtatu matrimonij vitam priuatam, & in exterioribus rebus cõmunem agebat. Et eadẽ ratione non oportuit, Chriſtum, ſaltem pro illo tem-

Chryſoſtõ

Baſil.

Pauperem vitam Chriſtus agit.

Hieronym.

Nicephor.

Euſc. Emi.

tempore hunc paupertatis modum assumere.

Hæc verò generatim intelligenda sunt, vt casus speciales excipiamus. Nam de tribus illis diebus, quibus Christus annum agens duodecimum à parentibus obfuit, Bernard. Bonau. & alij, qui de illo mysterio scribunt, probabiliter credunt Christum è mendicato vixisse. Et idem aliqui contemplantur de tempore, quo in Aegypto peregrinabatur, quod accidere fortasse interdum potuit; incertum tamen est, an factum fuerit.

Secundum caput est, Christum duodecimo ætatis anno in die solenni Paschæ venisse cum parentibus ad Ieroso limytanum templum, consummatisq; diebus festiuitatis, parentibus id ignorantibus, Ierosolymis remansisse; post triduum verò inuentum fuisse in templo, *sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos, ita vt omnes stuperent super prudentia, & responsis eius.* De quo mysterio, quia quæ ad scholasticum institutum pertinent, supra dicta sunt disp. 3. sect. 3. ideò hoc loco solum adiiciam: primo ex hac historia colligi, quod Lucas Euangelista capit. 2. dicit, *Et ibant parentes per singulos annos in Ierusalem in die solemni Paschæ*, etiã de Christo intelligendum esse. Nam sta tim de anno duodecimo subdit, *Ascendentibus illis, consummatisq; diebus, cum rediret, remansit puer Iesus.* Vbi dicit puerum remansisse, quem antea non dixerat aperte cum parentibus venisse. Vult ergo intelligi, filium nunquam separari à parentibus solere, præsertim in operibus religionis, & pietatis, & ideò sub verbo illo *Ascendentibus illis*, filium etiam fuisse comprehensum, ergo similiter in prioribus verbis, cùm dicuntur parentes soliti esse ascendere per singulos annos, de Christo etiam dictum esse, intelligendum est. Secundo obseruãdum est, voluisse Christum (vt Ambros. notat libr. 2. in Lucam) à duodecimo ætatis anno sumere suæ disputationis exordium, suçque eximiæ sapientiæ indicium dare, & quasi radium quendam sui splendoris emittere, vt ab ea ætate, in qua perfectum rationis iudicium incipere solet, sese paratum ostenderet ad iussa Patris implenda, & vt Iudæorum animos aliquo modo excitaret, ac disponeret, vt postea doctrina eius nõ omnino noua videretur, neque ipse repente omnino Doctor prodiret; sed recordari possent eum à tenera ætate, magnum sapientiæ suæ specimen illis exhibuisse. Cętera videri possunt in expositoribus Euangelij, legi etiam potest Baronius in Annalibus, anno. 12. nam quę adducit, historiam illustrare possunt.

Luc. 2. *In templũ Salomonis quotannis Christus ascendat.* Ambros.

Baron.

Tertium est, quod Lucas subdit cap. 2. *Et descendit cũ eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.* Ex quo verbo colligunt sancti Patres, Christum Dominum toto hoc tempore coluisse, & obediuisse parentibus suis, vt eleganter notat Hieron. epistol. 47. de vitãdo suspecto contubernio, cuius verba, supra retuli agens de dignitate sancti Iosephi. Addunt etiam, eos in rebus domesticis iuuisse, & præsertim sãctum Iosephum, quandiu vixit, in arte fabrili. Vnde Basilius in constitut. Monasticis. capit. 5. *cum prima*, inquit *suæ ętate, parentum suorum imperio esset subiectus, & labores corporis omnes ęquo vnà cum ipsis animo illis obediens toleraut. Verisimile est enim, cum homines illi essent & iustitiæ, & pietatis cultores: tenues tamen, solitos eos in assiduis corporis laboribus versari, & hac ratione quotidianum sibi victum quæritare.* Porro Iesus cum his (vt diuinæ literę prædicant) esset subiectus, *sine dubio in perferendis etiam vnà cum ipsis laboribus, morigeram declarabat suam obedientiam*, & similia ferè habet Iustinus dialogo contra Typhonem. Ex quo verisimile est etiam post mortem Iosephi (diximus enim suprà probabile esse eum, ante trigesimum Christi annum mortuum fuisse) Christum Dominum per se solum in ea ætate fabrilem artem exercuisse, vt se, ac Beatissimam matrem suam aleret. Vnde Marc. 6. dicebant de illo Iudæi, *Nonne hic est Faber, filius Mariæ &c.* Vbi Caietan. notat, cum eo tempore literis non vacaret, (vt patet ex aliorum verbis & admiratione, *quomodo literas scit, cum non didicerit?*) credendum esse, arti fabrili operam dedisse, ne vagus, & otiosus videretur. Et idem considerauit idem Caietan. infra quæstio. 40. in princip. & ante illum sanctus Bonauentura, ac ferè omnes, qui vitam Christi Domini describunt.

Hieron.

Basil.

Obedientia Christi erga parẽtes.

Iust. Mar.

Fabrilem artem Christus exercet.

Marc. 6. Caietan. Bonau.

Quartum est, verbum illud eiusdem Euangelistæ Luc. capitulo. 2. *Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deũ, & homines.* Quæ verba in primo tomo huius

Luc. 2.

huius materiæ, agens de gratia, & sciẽtia A Christi fusè tractaui, & ex expositionibus ibi datis intelligi potest his verbis descripsisse Euangelistam summam perfectionẽ omnium, ac singularum actionum, quas Christus toto hoc tempore exercuit. Apud Deum enim erant excellentis meriti, & coram hominibus etiam summa prudentia, & honestas in eis elucebat. Nec prætermittendum existimo, quòd cum Euangelista in eo capite bis indicet hunc Christi profectum, diuersis tamen verbis illum describit. Prius enim agens de ætate Christi ante duodecimum annum, *Puer*, inquit, *crescebat, & confortabatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo*. Vbi nullam mentionem facit de profectu, nisi quoad ætatem; de sapientia autem, & gratia solum dicit, fuisse illis plenum. Nam cùm in his nun B quam creuerit in se; sed solũ quoad ostensionem, & manifestationem per operationes, quas in ea ætate coram hominibus non ita demonstrabat, ideò tunc non dicitur in his creuisse, sed his fuisse plenus. At postea agens de illo in grandiori ætate, *Proficiebat*, inquit *sapientia, ætate, & gratia apud Deum, & homines*, quia toto eo tempore maximà virtutis, ac sapientiæ opera perficiebat, & in eis quodammodo augebatur, vel in multitudine & excellentia operum, vel in demonstratione, ac ostensione suæ virtutis. Scio priora verba à multis accipi in eodẽ sensu, quo posteriora. Quia in Græco dicitur, *& confortabatur spiritu*, quam particulam *spiritu* ferè omnia exemplaria Græca habent, licet in vulgata Latina desit: & ita legunt Theoph. & Euthymius, & interpretantur de augmento in extensione spiritus, & virtutis, & in robore ad vincendam omnem malitiam. Illud autem verbum, *Plenus sapientia*, si ad verbum è Græco reddatur, idem significat, quod implebatur sapientia, Participium enim πληρούμενον de præsenti est, & prædictam propriam significationem habet, vt iidẽ autores interpretantur, & Cyrillus, ac Origenes statim citandi: quæ lectio, & interpretatio probabilis quidẽ est; prior tamen, quam adduximus, non est omnino reiicienda. Nam in primis illa particula, *spiritu*, etiam ab antiquioribus Patribus Græcis videtur prætermissa, vt aper

Theophyl. Euthym.

Cyr. Alex Origen.

tè colligitur ex Origene, hom. 18. & 19. in Lucam, & clarius ex Cyrillo Alexan. libr. 2. de fide ad Reginas ante medium, vbi illud verbum *& confortabatur*, ad corpus refert, his verbis *examinationi quidẽ vere conuenire asserimus, cum corporei incrementi susceptionem, tum corpulentarum quoque partium consolidationem, & confortationem*. Et eodẽ modo legit, & exponit hunc locũ S. Vigilius, libr. 4. contra Euthychem, circa finem, & Gaudentius Brixiensis in responsione ad Paulum Diaconum, de his verbis, *Pater maior me est*. Aliud autẽ tem verbum, *plenus sapientia*, licet iuxta vim verbi Græci, supra dicto modo verti posset; tamen etiam admittit vulgatam lectionem, & significationem. Vnde B. Vigilius libr. 3. contra Euthychem versus finem, ita citat hunc locum, *Puer autem crescebat, & confortabatur repletus sapientia*. Denique (vtcunque legatur) res, de qua agimus, satis cõstat, voluisse scilicet Euangelistam docere Christum, in quo gratia, & sapientia Dei singulari modo semper habitauit, toto illo tempore eximia gratiæ, & sapientiæ opera exercuisse, & vna cum corporis incremento (vt Cyrillus supra dixit) sapientiam illius, & gratiam quotidie magis, magisque foris sese prodidisse.

Vigil. Gaudent.

Cyril.

Quinto, & vltimo addere possumus, C verbum illud Ioan. 2. *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galileæ, & manifestauit gloriam suam*. Nam ex hoc loco colligunt Patres, Christum toto hoc ætatis suę tempore miracula nõ edidisse; Quidam enim exponere voluerunt illud fuisse primum signum factum à Christo in Cana Galileæ: nõ verò primum simpliciter. Quam expositionem refert Chrysost. hom. 22. in Ioan. & licet non probet, non tamen reiicit. Tamen reuera non est verisimilis, quia Euangelista non dicit hoc esse primum miraculum factum in Cana Galileæ, sed simpliciter dicit hoc fuisse initium signorum Iesus, & hoc initium dicit factum esse in Cana Galileæ, deinde subdit, *& manifestauit gloriam suam*, indicãs antea non illam manifestasse per signa, & miracula. Denique quid referebat, quòd illud meraculum esset primum in illa ciuitate? vel cur potius adnotatum esset ab Euangelista, primum miraculum in Cana factum, quàm in aliis ciuitatibus?

Ioan. 2. Initiũ miraculorum Christi quando.

Chrysost.

Sensus

Sensus ergo planus est, illud miraculum fuisse initium signorum, quo Christus cœpit suam gloriam manifestare, & discipulorum fidem sibi conciliare. Propter quod dixit de Christo Tertullian. lib. de baptis. cap. 9. *Prima rudimenta potestatis suæ vocatus ad nuptias aqua auspicatur*. Eandem sententiam late probat Epiphanius hæres. 51. Ita etiam exponunt Ambros. sermone. 10. D. Thom. infra quæstio. 43. articul. 3. Theophylact. & Euthymius ibi, & inclinat magis Chrysostomus, qui tanquam certius affirmat Christum ante baptismum miracula non edidisse; quod latius cõfirmat homil. 16. in Ioannem dicẽs, signa illa, & miracula, quæ de Christi infantia referuntur, vera non esse, & optimas congruentias adducit, ob quas non decuit Christum in ea ætate miracula facere. Primo, quia cùm nondum doceret, nec discipulos haberet, non indigebat miraculis, miracula enim sunt ad doctrinam confirmandam. Deinde, quia si ante ætatem conuenientem miracula daret, vel phantasma putaretur, vel ante conueniens tẽpus morti traderetur. Denique quia oportuit prius manifestari à Ioanne Baptista, sicut ipse dixit Ioan. 1. *Vt manifestetur in Israel, ego veni in aqua baptizans*, ergo signum est antea non fuisse miraculis manifestatum. Quod tamen intelligendum est, de miraculis ab ipso Christo factis in sui manifestationem, ita vt ipse ostenderet se esse autorem eorum, quod ideò dico, vt excludam mira illa opera, quæ in Christi infantia patrata sunt. Nam in illis ex modo, quo fiebant, non ostendebatur ipsum puerum esse autorem eorum, sed à Deo fieri singulari amore, & beneuolentia erga illũ. Relinquitur ergo Christum ea ætate priuatam vitam egisse, & reliqua omnia, quæ ab eo tunc temporis gesta dicuntur, in certa esse, & apechrypha, vt Gelasius Papa docuit in capitul. Sancta Romana, decima quinta dist. de quibus videri etiam potest Irenæus lib. primo contra Hæreses cap. decimo septimo, & quę ibi Feuardentius notat. Et hæc de infantia, & priuata vita Saluatoris sufficiant, quæ hoc loco intermittenda est, vt quæ de beata Virgine dicenda super sunt, antequam ab illa separemur, compleamus.

Tertull. *Epiphan.* *Ambros.* *D. Thom.* *Theophyl.* *Euthym.* *Chrysost.*

Miracula in infantia à Christo cur nõedita

Gela. Pap. *Irenæ.* *Feuardent.*

DISPVTATIO XVIII.

In quatuor sectiones distributa.

De perfectione meritorũ, & gratiæ beatæ Virginis.

DIstinximus in principio huius materiæ triplicem Virginis sanctificationem, & solum primam explicuimus, (quoniam de illa ferè sola Diuus Thom. quæst. 27. disseruit) superest igitur, vt de secunda, quæ per totum illius vitæ tempus duravit, ac demum de tertia, quæ in fine viæ illi in præmium data est, sermonem instituamus. Quoniam verò secunda sanctificatio per propria merita, potissimum facta est, & cum illa cõiuncta fuit aliorum donorum gratiæ, scientiæ, ac sapientiæ perfectio, de his omnibus hoc in loco disputabimus, eodem fere ordine, quo in priori tomo de huiusmodi donis animæ Christi collatis disseruimus. In præsenti autem disputatione solum de meritis, ac perfectione gratiæ sanctificantis, quam beata Virgo obtinuit, in sequenti verò de donis scientiæ, & sapientiæ, postea de gratiis gratis datis dicemus.

SECTIO. I.

Vtrum beata Virgo, toto tempore vitæ suę potuerit in gratia crescere per propria merita.

POst primam sanctificationem beatã Virginem suis meritis, ac operibus magnum gratiæ augmentum consequutam esse, compertum est. Diximus enim supra non fuisse à principio beatam, sed viatricem: gratia autem viatoris augeri potest per bona opera (vt fides docet) quanto ergo Virginis opera fuerunt meliora, tanto vberius gratiæ augmentũ per ea mereri potuit, quod euidentius ex dicendis constabit. Solũ igitur disputari potest, an hęc potestas merendi, & augendi gratiã durauerit in B. Virgine toto tẽpore mortalis vitæ. In qua re neminẽ inuenio qui negauerit, potuisse Virginem crescere in gratia, vsq; ad filij conceptionem, quia eo tempore potuit semper ad maiorem perfectionem tendere, & ex fide, & caritate magis, ac magis operari, & nunquam vltimam perfectionem gratiæ consequuta est, quandiu filium

non concepit. Vnde Gabriel Angelus, qui eam *gratia plenam* appellauerat, deinde subiunxit, *Spiritus sanctus superueniet in te*, vt nimirum *super impleret eam*, (vt Bernardus dixit) ideſt, vt abundantiori gratia, & ſanctitate cumularet, vt cæteri Patres exponunt. Videantur, quos in primo tomo citaui diſputa. 8. ſect. 7. & 8. dum tractarem quomodo Beata Virgo meruerit eſſe mater Dei, condignam illi dignitati diſpoſitionem merendo: totum enim illud meritum incarnationem filij anteceſſit.

Bernard.

De tempore autem ab incarnatione filij vſque ad mortem fuit quorundam opinio, Beatam Virginem non potuiſſe amplius mereri, neque in gratia creſcere. In hanc ſententiam, quanuis cum timore, inclinat Scotus in. 4. diſtin. 4. quæſt. 6. ad. 5. Almain. in. 3. diſtin. 3. q. 3. Poſſunt etiam citati Richardus ibi artic. 1. quæſt. 4. & Alenſis. 3. part. queſt. 9. memb. 3. ar. ſecundo, §. ſecundo, ad primũ, quatenus dicunt beatam Virginem poſt conceptionem filij nõ potuiſſe peccare, quia erat in ſtatu plenæ gratiæ, & perfectę caritatis. Et Diuus Thom. ſupra, quæſt. 27. art. 5. ad ſecundũ, quatenus dicit *gratiam Virginis fuiſſe cõſummatam in conceptione filij*, & Diuus Bernardinus ſermo. 51. de conceptione, qui dicit Virginem in filij conceptione accepiſſe tantam gratiam, quantam accipere poteſt viatrix creatura, ac denique Damaſcen. oration. 1. de dormitione Deiparę, vbi ita loquitur, *mors enim eos*, ideſt, alios ſanctos, *perficit, beatoſque oſtendit, id videlicet ipſis afferens, vt in eorum virtutem nulla iam mutatio cadat: minime tamen hoc in te vſurpatimus, neque enim mors tibi beatitudinem attulit, neque migratio perfectionem conciliauit. Omnium etenim bonorum initium, medium, & finis, ſecuritas etiam, ac vera confirmatio in illa ſeminis experte conceptione poſita fuit.* Fundamentum huius ſententię ſolum eſſe poteſt, quia decuit beatam Virginem ad concipiendum filium perfectiſsime prępparari, ac diſponi, ergo veriſimile eſt accepiſſe tunc gratiam, quantam puta creatura capere poteſt, non igitur habuit poſtea, quò vltra progrederetur.

Scotus, Almain. Richard. Alenſ.

D. Thom. Bernardi. Sen.

Damaſce.

Hęc verò ſententia mihi probabilis non eſt, quare ſine vlla dubitatione dicendum exiſtimo, potuiſſe Virginem poſt filij incarnationem creſcere in gratia. Ita ſumo ex Diuuo Thoma, dicta queſt. 27. articu.

D. Thom.

A 5. ad ſecundũ, vbi triplicem perfectionem gratię Virginis diſtinguit, primam qua diſpoſita fuit, vt eſſet idonea mater Chriſti: ſecundam, quam accepit in conceptione Chriſti: tertiam, quam habet in gloria. Et quanuis expreſſe non dicat hanc vltimam, & conſummatam gratiam in intenſione fuiſſe maiorem cęteris: tamen reuera hoc etiam intendit, ita enim prefert tertium ſtatum ſecundo, ſicut ſecundum primo: & ſimilia habet opuſculo. 60. artic. tertio. Et eandem doctrinam alijs verbis inſinuauit Rupertus libr. 6. in Cantica, non longe à principio, dicens Virginem *in ſua prima ſanctificatione fuiſſe vt auroram, in filij conceptione vt lunam, in morte vt ſolem*, quia ſemper perfectiorem gratiam habuit. Et ſub hac ipſa metaphora *Auroræ* explicauit optime eandem doctrinam Bonauent. in ſpeculo Marię. capit. 9. & 11. expreſsius docuit hanc concluſionem Durand. in. tertio diſt. 3. quęſtio. 4. dicens licet beata Virgo poſt filij conceptionem non potuerit peccare, potuiſſe tamen mereri, quia erat purè viatrix. Idem Gab. ibi, queſt. 2. artic. 3. dub, 1. inde enim probat Virginem habuiſſe libertatem ad actus pręceptos, etiam poſt filij conceptionem, quia aliàs non potuiſſet mereri nec de facto meruiſſet elicię do actum bonum, quod reputat omnino falſum, idemque tenet Ochan, quem ibi citat. Eandem ſententiam docuit Vega lib. 10. in Tridentinum, cap. 2. cuius verba, quia probabiles rationes continęt, referam. *Quis enim*, inquit, *neget ipſam ſanctiorem, & gratiorẽ Deo fuiſſe, poſtquam filium Dei concepit, peperit, nutriuit, & pro nobis patienter tulit in cruce mori? ſi fieri poteſt, vt gratior ſit aliquis apud Deum vno tempore, quam alio, neſcio, quemadmodum poſsit quis credere, tam parui apud Deum fuiſſe tanta illa, ac præcellentia obſequia, vt non eam, poſt ipſa, multo habuerit cariorem, & gratiorem? Nam quod quidam exiſtimant, datam ei eſſe in conceptione filij Dei totam gratiam, quam poſtea meritura erat, ſomnium eſt abſque vllo fundamento, contra legem Dei effictum, quod eadem facilitate, qua dicitur, merito eſt contemnendum.* Idem docuit Sotus in 4. d. 5. arti. 2. eiſdem ferè verbis. *Quis ambigat, quin, cum merita præmium præcedant per tam egregia omnium virtutum officia, quæ poſt ſacratiſsimum partum accumulauit, cummulatione tiã in dies, & excellẽtior illi accreſceret gratia? fuit quidẽ gratia plena*

Post Chriſti incarnationem creſcere in gratia Virgo potuit.

Rupert.

Bonau. Durand.

Gab.

Vega.

Sotus.

tia plena ante conceptionem filii, quantum par erat, vt fieret Christi mater: attamen gratia illa non fuit eo modo summa, vt non posset deinceps meritis augeri. Eandem denique sententiã ceteri Theologi in 3. dist. 3. supponere videntur, vt certam, & Patres vbicunq; disputant de obsequiis B. Virginis in Christum, & de doloribus, ac cruciatibus, quos in eius nece sustinuit. Tandem ratione probatur primò, quia (vt benè dicti autores dicunt) per se incredibile est, tot labores, & dolores ex perfectissimo amore, & caritate pro Christo susceptos nullius fuisse meriti apud Deum, aut personam Virginis illi gratiorem, & carioré non reddidisse.

Dicet aliquis, etiã Angeli exhibent Deo multa ministeria, & obsequia, & ex perfecto amore: & tamen neq; merentur, neq; fiũt illi gratiores. Christus quoq; per sua opera non reddebatur gratior Deo. Sed differentia inter hos sanctos, & Virginem, veritatem hanc illustrat, & rationem eius à priori ostendit. Primò enim beata Virgo quandiu in corpore mortali vixit, non fuit beata, neq; in statu comprehẽsoris secundum animam (vt in superioribus probatum est) ergo per fidem semper ambulauit, ergo erat in statu merendi, ergo poterat mereri augmentum gratiæ. Quia ex parte gratiæ nullum erat impedimentum, cùm nondum esset in termino, & ipsa de se augeri posit in infinitum: neque alia cõditio ad hoc meritum necessaria deerat. Nisi quis fingat singularem legem in Virgine, vel potius exceptionem á lege communi, de potestate merendi in statu viæ, quæ cõficta esset, & sine fundamento, & in Virginis potius detrimentum, quam vtilitatem. Melius est enim cuilibet viatori posse mereri, quàm sine fructu operari, sed hęc potestas concessa est omnibus viatoribus, cur ergo dicemus negatam esse Virgini, eo præsertim tempore, quo perfectius operata est? Exemplum ergo de sanctis Angelis adductum, non est accommodatum, cùm illi in termino sint: neque etiam exemplum de Christo domino est ad rem, tũ quia ob dignitatem suæ personæ erat infinitè gratus, tum preterea quia etiam ille secundum animam fruebatur Deo, & vt sic non erat viator: tum etiam quia vt viator fuit mereri potuit, & aliis, & sibi quatenus capax erat alicuius præmij, ergo negandum non est, beatam Virginem mereri potuisse, sed non potuit mereri aliis de condigno, ergo sibi, ergo potuit per merita in gratia crescere, quia nec ratione dignitatis suæ personæ, nec ratione status erat incapax huius augmenti.

Sed dici potest, beatam Virginem potuisse quidem toto vitæ suæ tempore mereri non augmentum gratiæ de nouo obtinendo, sed iam obtentum. Potuit enim Deus eo momento, quo filium concepit, dare illi omnem gratiam, quam toto tempore vitę suæ meritura erat: iam enim Deus omnia illa merita præuidebat, & poterat illorum præmium statim conferre, decuisse autem videtur, saltem gratiæ augmentum, illi statim præbere, vt beata Virgo simul ac mater Dei effecta est, fieret illi gratissima, atq; carissima. Sed hęc euasio in primis sine fundamento conficta est præter ordinariam legem, exactamque, ac propriam merendi rationem, quæ postulat, vt meritum antecedat præmium, & principium meriti ipsum meritum, præsertim in eadem persona. Præterea principium meriti nunquam cadit sub meritum: si autem tota gratia, quę futura erat præmium meritorum Virginis, antecessisset tempore eadem merita, necessario fuisset principium illorum. Nam gratia, quæ antecedit in operante exequutionem operum, est principium eorum, quatenus apud Deum grata, & meritoria sunt, meruisset ergo beata Virgo ipsum principium meriti: quod neque in Christo domino concedimus. Rursus vix potest intelligi ille modus meriti, & præmij nisi omnino immutando omnes leges, ac conditiones merendi. Quod ita declaro, quia si beata Virgo à principio incarnationis habuit omnem gratię intensionem, quam perpetuò esset habitura, ergo ex illo tempore potuit elicere actus caritatis æquales in intensione ipsi gratię. Quia gratia de se non est otiosa: sed efficax ad operandum iuxta totam perfectionis suæ latitudinem, & si in aliquo puro viatore itavnquam operari potuit, maximè in Virgine, quę nunquã diuinę gratiæ restitit, neq; obstaculum eius efficacię apposuit, operabatur ergo ex tota intẽsione habitus gratię, & caritatis, sed per

Obiectio.

Responsio

Obiectio.

Responsio

vnum actum caritatis ita intensum meretur homo æqualem intensionem habitus, (vt ex materia de gratia, & de caritate suppono) ergo beata Virgo vel post vnum actum suę gratiæ adęquatum nihil per sequentes meruit, (quod improbatum est) vel ampliorem, quàm receperat, meruit gratiam. Nisi quis fortasse dicat, tam singulis actibus æqualibus, quám omnibus simul eandem omnino gratiam veluti pluribus titulis meruisse, sicut de Christo Domino dici solet. Sed hoc non recte dicitur, Christi enim meritum fuit infinitum, & ideò non potuit esse intensiuè maius in multis actibus, quàm in vno in Virgine autem meritum singulorum actuum erat finitum, & vnum quodque capax noui præmij, non ergo poterat omnibus ex æquo satisfieri vno, & eodem finito præmio, seu gratiæ augmento. Denique aliorum hominum merita non ita remunerantur, (vt suppono) cur ergo dicemus beatã Virginem in hoc deterioris fuisse conditionis.

Supereſt reſpondeamus teſtimonijs initio pſitis Diuus Thomas, cúm dicit beatã Virginem in conceptione filij fuiſſe in gratia conſummatam, non intelligit de conſummatione ſimpliciter, quæ ſolum futura eſt in gloria: ſed de coſummatione, per quam ita confirmata eſt in bono, vt amplius peccare non poſſet. Vnde ſic inquit. *In conceptione filij conſummata eſt in gratia confirmans eam in bono.* Et idem eſt reliquorum ſcholaſticorum ſenſus vno vel alio excepto. Ad teſtimonium ſancti Bernardini, reſpondetur veriſimile eſſe Beatã Virginem in conceptione filij habuiſſe maiorem gratiam, quàm vllus viator in ſtatu vię, vnquam habuerit: non tamen inde fit habuiſſe tunc tantam gratiam, quantam ipſamet in ſtatu vię habitura erat.

Reſponſio ad argumẽta in oppoſitum.

Ad Damaſcenum, (cuius verba difficilia ſunt, & per exaggerationem dicta) reſpondeo intelligendum eſſe de perfectione gratię, quo ad omnis mali remotionem, & perfectam ſecuritatem, & confirmationem in bono: non verò quo ad omnem intenſionem, ſeu perfectionis modum, aliás ex eiſdem verbis colligi poſſet Beatã Virginem ab eo tempore, quo filium concepit, fuiſſe plenè, ac perfecte beatam.

A Ad vltimam coniecturam reſpondetur plenitudinem gratiæ Virginis non repugnare augmento, ſemper enim ab inſtanti conceptionis plena fuit, quia ſemper habuit quidquid, pro temporis opportunitate conueniens fuit, & dignitatem eius decuit: ſemper tamen magis, ac magis impleri potuit, quia hoc ipſum eidem dignitati, ac meritis eius debitum erat. Quo circa, ſicut dignitati matris non fuit debitum, vt adſtatum glorię ſubito tunc eleuaretur, ita neque, vt omne gratię augmentum illi conferretur: ſed quod viatoris ſtatui eſſet proportionatum, ſufficienſque principium perueniendi ad ſtatum gratiæ conſummatæ, ſeu gloriæ Deiparę conſentaneum. Et hoc ſenſu etiam dici poteſt accepiſſe in conceptione filij omnem gratiæ perfectionem, non formaliter, ſed quaſi in radice. Quo ſenſu explicari etiam Bernardinus, & Damaſcenus poſſent, fit ergo certum beatam Virginem quandiu hic vixit, potuiſſe mereri.

B

SECTIO. II.

Vtrum Beata Virgo in ſingulis actibus, ſingulíſque momentis vitę ſuę perfecte, & quaſi continue meruerit.

EXpoſita poteſtate merendi, quam beata Virgo toto tempore vitę habuit, ſequitur, vt actum, ſeu perfectum exercitium huius poteſtatis explanemus. In qua re illud ſolum in genere certum eſt; Beatã Virginem meruiſſe ſuis actibus, perfectumque gratię augmentum conſequutam eſſe, quoniam illa poteſtas non fuit otioſa, ſed in actum prodijt, multo perfectius, quam in cęteris iuſtis. Vnde Auguſt. de bono coniugali cap. 25. *quæ ſint*, inquit, *Mariæ merita, quis ignorat?* & Damaſcen. lib. 4. capit. 15. creuiſſe dicit ſicut *oliuam fructiferam*. A nobis verò ſpecialius explicandum eſt, qualis fuerit perfectio huius meriti, tam in multitudine actuum, quam in perfectione (vt ita dicam) intenſiua, & extenſiua, eiuſque continuatione.

C *Auguſt.* *Damaſcen.*

Dico ergo primo beatã Virginẽ per omnes, ac ſingulos actus humanos, quos in mortali vita poſt primam ſanctificationẽ exercuit, augmentum caritatis gratiæ, & gloriæ meruiſſe. Dixi *poſt primam ſanctificationem*, quia per actum, quo ſe ad illam diſpo

disposuit, licet primam gloriam meruerit; non tamen gratiam, & augmentum eius, vt in superioribus docui.

Per singula opera Virgo augmentum gratiæ merebatur, & gloriæ.

Probatur ergo, quia in primis beata Virgo nullos habuit actus indeliberatos, neque inter deliberatos habuit aliquem malum (vt in superioribus demonstratum est) ergo omnes actus eius fuerunt moraliter boni, (quia non datur actus indifferens in individuo, in eo præsertim, qui perfecto modo operatur) ergo omnes fuerunt meritorij, quia (vt per se credibile est) omnes actus suos frequenter referebat in Deum magna caritate dilectum, quia nullum habebat in ordinatorum affectuum impedimentum. Vnde verisimile est frequentissimè, ac ferè sine intermissione, quandiu vigilabat, de Diuinis rebus cogitasse, mentemque suam in Deo fixam habuisse. Cùm enim plenum dominium suorum actuum haberet, nunquam præter voluntatem suam distrahebatur; voluntariè autem non auertebat mentem à Diuina contemplatione, nisi fortasse corporis imbecillitas, aut necessitas eam compelleret, quod raro accidere poterat. Ad externas enim actiones peragendas satis erat interiorem mentis attentionem remittere, quanquam non omnino suspenderetur: vt autem corruptibile corpus id ferre posset, in causa erat, quòd summa facilitate, & iucunditate in Diuinis meditationibus

Ambros.

versabatur. Testis est Ambrosius lib. secundo, de Virginibus in principio, qui eleganter virtutum officia, quibus beata Virgo apud Deum promerebatur, describit. Inter alia. *Intenta*, inquit, *operi, verecunda sermone, arbitrum mentis, solita non hominem, sed Deum quærere*, & infra. *Vt ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis*, & iterum, *hęc ad ipsos ingressus Angeli inuenta domi in penetralibus sine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obstreperet. Neque enim comites fœminas desiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat.* Nihil ergo in singulis operationibus beatę Virginis ad rationem meriti de, condigno de esse poterat.

Augmentũ gratiæ quod Virgo me-

Dico secundo, ita meruit per singulos actus, vt statim augmentum gratiæ, quod promerebatur, obtineret. Hæc conclusio probari potest iuxta varias Theologorum sententias, de augmento gratiæ, & caritatis per nostra merita. Quidam enim existimant omne gratiæ augmentum, quod iustus meretur, (siue per intensos, siue per remissos actus illud mereatur) statim conferri. Quę sententia valde probabilis semper mihi visa est, quia meritum est sufficiens causa præmij, & ideò, si ratione status non repugnat, statim confertur. Et in hac sententia, conclusio posita euidens est. Alij verò censent, non dari statim augmentum gratiæ, nisi meritum eius in actu intensiori, ac feruentiori fundetur: & in hac sententia probãda est conclusio sumpto alio principio, scilicet, beatam Virginem, semper respondisse Diuinæ gratię vocanti, tantumque cooperatam fuisse, quantum poterat iuxta mensuram Diuinę gratię, quę illi conferebatur. Quod probo primò, quia quidquid perfectionis in genere gratię sanctificantis alicui purę creaturę concessum est, non est beatę Virgini denegatum (vt initio huius materię ostendimus) sed illa gratię perfectio data in primis est Angelis sanctis, (vt constat ex prima par. quæstio. 62. articul. 6.) & nonnullis hominibus saltem aliquo tempore vitę, vt beato Francisco post vocationem suam, vsque ad mortem, quod facilius credi potest de Paulo, ac reliquis Apostolis; & per se probabile est in tanta multitudine, ac varietate donorum gratię, hoc etiam fuisse aliquibus hominibus diuinitus datum, maximè igitur beatę Virgini. Secundo ita explicatur, quia in beata Virgine nihil fuit, quod eam impediret, ac retardaret, quo minus Diuinę gratię cooperaretur quantum posset, quia nec habebat fomitem, neque vllam potentiarum de ordinationem, ergo sicut sancti Angeli propter hanc causam omnino cooperati sunt Diuinę gratię, ita etiam beata Virgo. Præsertim, quia licet in cõditione naturę esset inferior, in diuinis donis erat superior, & a Spiritu sancto facile poterat, tam accommodatè, tamque suauiter semper moueri, vt pro mensura vocationis responderet. Ex hoc ergo principio ita concludo: B. Virgo quãdo amabat Deũ semper operabatur ex tota efficacia caritatis, & gratię tam habitualis, quã actualis, seu mouentis: ergo semper ita operabatur, vt mereretur

augmentum gratiæ,& se disponeret ad illud statim obtinendum: probatur consequentia, quia verisimile est actum sic elicitum á caritate esse intensiorem habitu, á quo procedit, quia habitus de se est sufficiens principium actus æqualis, quòd si accedat specialis Dei motio facile eliciet intensiorem. Quod si quis contẽdat B. Virginem non semper habuisse motionem, qua intensius operaretur, in hoc non multum contendam, quia res incerta est, quanuis pietati magis consentaneum sit altius, & excellentius, de Virgine sentire. Ad probandam verò consequentiam illatam satis esse existimo, quòd B. Virgo, (vt dixit etiam S. Bernardi. dicto serm. 51. cap. 3.) *nihil vnquam elegit, nisi quod ei sapientia diuina demonstrabat, tantumque semper dilexit Deum, quantum a se diligendum existimauit.* Quid enim amplius in homine viatore desiderari potest, quo se ad recipiẽdum gratię augmentum disponat, quàm quòd cum diuina, & ex diuina gratia operetur, quantum iuxta mensuram diuinæ motionis potest? Si enim Deus non denegat suam gratiam facienti ex priori gratia, quod in se est, quomodo negabit præmiũ augmenti gratiæ facienti quantum ex diuina gratia potest ad illud merendum? Certè qui plus requirit, impossibilem constituit huius augmenti consequutionem in hac vita, idque sine fundamento, & præter diuinæ gratiæ liberalitatem, vel potius præter diuinæ iustitię in remunerandis meritis æquitatem, & præter infirmorum hominum necessitatem, & vtilitatem. Ex qua ratione, cum proportione applicata, idem concludi potest de omni merito beatæ Virginis fundato in quibuscunque actibus quarumcunque virtutum, & de qua cunque latitudine, ac multitudine meritorum, vel ex multitudine actuum, vel ex continuatione, ac perseuerantia proueniente. Nam cùm beata Virgo omnibus ijs modis meruerit operando perfectè, & ex tota efficacitate suæ gratiæ, & auxilij, statim obtinebat quidquid gratiæ merebatur, quia faciebat, quod in se erat, ad id obtinendum, nihil autem aliud desiderari potest, vt dictum est.

Bernar.

A

B

C

Dico Tertio, beata Virgo meruit per actus perfectissimos tam vitę actiuę, quám contemplatiuæ. Hanc conclusionem pono ad explicandam amplius perfectionem huius meriti, simulque declarandam eximiam, ac perfectissimam rationem viuendi, & aptissimam ad sanctitatem augendam, quam beata Virgo in hac vita habuit. Et primum in genere probari potest, quia perfectissimus status hominis vtramque vitam actiuam, & contemplatiuam cõplectidebet, vt Diuus Thomas, docet, Secunda, Secundæ. quæstio. 188 articul. sexto, & infra, quęst. 40. articul. primo ad secundũ. Vbi hanc viuendi rationem dicit Christum assumpsisse: maximè autem decuit Virginem imitari filium, & post illum, perfectissimum viuendi modum habere. Secundo declaratur breui discursu facto de vita Deiparæ, quam in tria potissima tempora partiti possumus. Primum protenditur vsque ad filij conceptionem, de quo supra, initio disputation. septim. ex antiquorum Patrum scriptis ostendimus, beatã Virginem in templo habitasse, ibique diuinæ contemplationi potissimum vacasse, & ardentissimis desiderijs, ac orationibus Messiæ aduentum impetrasse, ac promeruisse. Addit verò Ambrosius. libr. secundo, de virginib. in principio, non caruisse tunc Virginem perfectissimo exercitio virtutum ad vitam actiuam pertinentium, inter alia, *quid ego, inquit. exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam, alterum vltra naturam superfuisse, alterum pene ipsi naturæ defuisse? Illic nulla intermissa tempora, hinc congeminatos ieiunio dies, & si quando reficiendi succesisset voluntas cibus plerunque obuius, qui mortem arceret, non delicias ministraret.* Vbi quanquam Ambrosius, non loquatur in particulari de hoc tempore, sed generatim de tota vita Virginis: tamen, quæ dicit, ad illam maxime ætatẽ sunt accommodatissima. Refert præterea Sabellicus libro secundo exemplorum capitulo. quarto, & nono, & libr. octauo. capitul. quarto, ex quadam antiqua traditione. Solitã fuisse Virginem tota hac ætate à prima luce ad tertiam diei horam contemplationi, ac rebus sacris vacare: deinde verò vsque ad meridiem operi alicui incumbere: reliquam verò diei partem sacræ lectioni, & orationi impendere. Quod etiam ita fuisse reuelatum sanctę Brigittæ refert Canisius, qui de hac ætate Virginis latè disputat. libro de beata Maria, capitul. 12. & 13.

Maria per actus perfectissimos vitæ actiuæ & contemplatiuæ meruit. D. Thom.

Modus viuendi Virginis vsque ad filij conceptionem.

Ambros.

Sabellic.

Canisius.

Secun-

Secundum tempus durauit, ab incarnatione vsq; ad Ascensionem Domini, in quo excellentiora opera, vtriusque vitæ exercuit, tumquia maiori semper gratia, & sanctitate pollebat, tum etiam, quia maiorem opportunitatē perfectius operandi nacta est. Primò enim ad hoc tempus spectat singulare illud meritum fidei, caritatis, obedientiæ, & humilitatis, quod in ipsa filij conceptione enituit, quando suum consensum præstitit. Vt mirum in modum ponderat, & exaggerat Bernardinus Senensis sermone. 51. Ponderant etiam Ambrosius lib. secundo in Lucam. Bernardus in homiliis in *Missus est*, & Laurentius Iustinianus sermone de Annunciatione. Deinde quòd ad vitam contemplatiuam pertinet, plurimum ad perfectionem eius contulit præsentia filij, qua semper fruebatur, & ad illum amandum non tantum gratiæ, sed etiam naturæ impetu ferebatur, vt recte notauit Anselmus, lib. de excellentia Virginis, capit. 4. Accedit quòd *sedens secus pedes filij audiebat verbum illius*, nunquam enim ferè à filio discedebat, propter quòd Epiphanius hæres. 78. eam vocat, *perpetuam Iesu sectatricem*. Quod si audiendo verba Simeonis, vel aliorum custodiebat ea, *conferens in corde suo*, quid audiendo verba filij existimandum est effecisse. Denique quod ad vitam actiuam spectat, in hac ætate exercuit summa pietatis officia erga filium: sponso etiam suo ministrauit, ac familiæ curam gessit. Et (quod caput est) maximos labores, & dolores simul cum filio sustinuit, vt recte considerauit Anselmus libr. de excellentia Virginis cap. quinto, & eleganter Rupertus, 3. lib. in Cantica, in fine: Itē Petrus Damianus sermone. 1. de natiuitate beatæ Mariæ.

Modus viuendi Mariæ ab Incarnatione vsque ad Ascensionem Domini.
Bern. Sen. Ambro. Lau. Iusti. Anselm.
Epiphan.
Anselm. Rupert. Pet. Dam.

Tertium tempus durauit vsque ad beatæ Virginis obitum, quo tempore cœlestem quandam vitam egisse nemo pius dubitare potest. Vnde (vt est apud Sabellicum supra, & Nicephorū lib. secundo, Histor. capit. 3.) post Christi mortem in Ioannis domo habitauit, priuatamque, & ab hominum consortio se motam vitam egit, vbi filij absentiam perpetua illius consideratione, & caritate compensabat. Vnde Laurentius Iustinianus sermone de Assumptione, de hac ætate Deiparæ loquens, inquit. *Nullus ardorem Virginis sufficit explicare, quanto desiderio rum cremabatur incendio quam crebris suspiriis angebatur*, & alia, quæ eleganter persequitur, & Rupertus lib. quinto in Cantica, cuius magnam partem in explicanda altissima Virginis contemplatione ponit. Nec verò huic tempori exercitium actiuæ vitæ defuit: quin potius, cum aliis temporibus actiuam vitam circa corporales actus exercuisset, in hoc tempore illam in spiritualibus actibus, qui ex suo genere perfectiores sunt, exhibuit. Nam (vt sub nomine Hieronymi refertur sermone de Assumptione, & sequenti disputat. latius dicemus) Apostolos docuit, & Lucam Euangelistam de mysteriis fidei instruxit. Et credibile est in consolandis, ac spiritualiter iuuandis aliis fidelibus sæpe occupatam fuisse: Vnde Beatus Ignatius epistol. 3. ad Mariam, eam deprecatur, vt se confortare, & consolari dignetur, ad quem beata Virgo rescripsit, eum confirmans in fide, & ad persequutiones sustinendas erigens, eique aduentum suum cum Ioanne Euangelista ad Antiochenam Ecclesiam inuisendam pollicetur. Et Epiphanius hæres. 78. dubitat, an beata Virgo cum Ioanne in Asiam profecta sit: Patres autem Concilij Ephesini cap. 27. tomi. 2. affirmant ipsam cum Ioanne Euangelista Ephesiorum ciuitatem incoluisse: Quod si ita factum est, propter proximorum salutem, & Ecclesiæ augmentum sine dubio peractum est. Constat igitur beatam Virginem in toto vitæ suæ progressu perfectissimas operationes actiuę, ac contemplatiuæ vitę exercuisse, quas eleganter describit Ignatius epistol. 1. ad Ioannem Euangelistam, vbi post multa, ita concludit. *Sicut nobis a fide dignis narratur in Maria matre Iesu, humanæ naturæ natura sanctitatis Angelicæ copulatur, & hæc talia excitauerunt viscera nostra, & cogunt valde desiderare aspectum huius, si fas est fari, cœlestis prodigij, & sacratissimi spectaculi.* Cuius epistolæ meminit etiam Bernard. ferm. 7. in Psal. 90.

Modus viuendi Mariæ innouissimo vitæ tempore.
Sabellic. Nicephor. Lau. Iusti.
Hieronym.
Ignatius.
Epiphan.
Con. Eph.
Ignatius.
Bernard.

Dico quarto, verisimile est, beatā Virginem toto tempore vitę suæ continuè meruisse, & in gratia creuisse. Hęc conclusio duplicē potest habere sensū, & in vtroq; est pia, & probabilis, in altero autē certior. Docet illā Albert. Magn. lib. de B. Virgine

Alb. Mag.

cap.176.&177.&.197.Vbi dicit nouum priuilegium Virginis fuisse, quia quolibet tempore meruit. Quod dictum refert & approbat Antoninus. 4. part.titul.15. c.20.§.6. Idem tenet Bernardinus de Busto. 4.part.ser.9.§. vltimo, dicens non esse dubitandum, quin à primo instanti vsus liberi arbitrij vsque ad suum felicissimum transitum semper fuerit in actu merendi. Indicat Canis.lib.5.cap.1.in illo verbo, *cuius vita iugis, & continua quædam fuit contemplatio*, & alios statim referemus. Potest aũt hęc conclusio intelligi, vel de tẽpore, quo vigilabat, & hoc sensu non solum est veri similis, sed etiam certa, quia quandiu ratione vsa est, sine vlla intermissione semper est bene operata, vt rectè dixit Amb. lib.2.de virginibus in principio. Et patet, quia cum haberet perfectum dominium suorum actuum, nunquam est indeliberatè operata, nec verò cessare omnino poterat ab omni actu externo, & interno: tum quia hoc ferè est humano modo impossibile: tum etiam quia in homine vtente ratione, & potente aduertere, nonnulla culpa esset, sic otiosum manere, semper ergo ex quo permanẽtem vsum rationis habuit aliquem actum liberum exercuit, vel internum tantum, vel simul externum, ergo cõtinuè benè operata est. ergo continuè meruit: vtraque consequentia cõstat ex principijs positis. Alio ergo modo intelligi potest cõclusio etiam de tempore, quod somno tribuebat, & hoc sensu est incerta, sed quòd sit verisimilis probari potest. Primo testimonio Bernardini Senensis dicto sermone.51.ar.1. Vbi ex sua, & aliorum sententia dicit, non fuisse somno impeditam, quominus libere in Deum conuerti posset, & affert coniecturam, quia hoc priuilegium aliquibus sanctis pro aliquo vitæ tempore concessum est. Accommodat etiam illud Ieremię.1. *Virgam vigilantem ego video.* Idẽ habet in.3 opere sermonum tractatu de Beata Virgine serm.4.ar.1.cap.2. vbi dicit, etiam cum dormiebat, fuisse Virginem in altiori contemplatione, quã fuerit aliquis alius, dum vigilaret. Vnde illi attribuit verba illa Cant.5. *Ego dormio, sed cor meum vigilat.* Quæ eleganter de Virgine exponit Rupertus lib.5.in Cantica.in initio, vbi inter alia inquit. *Multarum quoque animarum fuit, & est, non solum secundum similitudinem otio sancto dormire, ideſt, a terrenis curis vacare, & in cœlestibus per contemplationem corde vigilare: verum etiam eodem modo, quo & Iacob dormiuit, secundum corpus dormire, & secundum animam cœlestia videre, sed te, o Cœlum Dei, vnica sedes Domini, in vtroque vigilandi modo cunctis mortalibus, siue terrenis hominibus longe eminentior extitisti, longe studiosior ad contemplandum eum, in quẽ desiderant angeli prospicere, atque aptior fuisti.* Fauet huic sententiæ Ambros.libr.2.de Virginib.in principio dicens, *dormire non prius cupiditas, quam necessitas fuit: & tamen, cum quiesceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in somnijs aut lecta repetit, aut somno interrupto continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænunciat.* Quæ verba tractans Canisius lib.1.c.13. in hanc sententiam inclinat, quam etiam tenet Bernardinus Busto in Mariali.3.p.serm.1.p.3. & Diony. Richelius in illud Cant.5. *Ego dormio, & cor meũ vigilat*, art.18. Et confirmari potest ex Augus.5.cont. Iulia.cap.9. Vbi de hominibus in statu innocentiæ inquit. *Tam felicia erant somnia dormientium, quam vita vigilantium.* Ergo maiori ratione possumus de B. Virgine dicere, tam felicem fuisse dormiendo, quam vigilando. Quidquid enim perfectionis gratiæ in illo statu communicatũ est, illi non est denegatum. Ex quo aliam sumo confirmationem, quia angelis sanctis datum est, vt ex quo in primo instanti suę creationis conuersi sunt in Deum, nunquam ab illius actuali amore cessauerint, sed hoc donum maxime pertinet ad perfectionem caritatis, & sanctitatis, ergo credi potest communicatum esse B. Virgini. Præterea, si verum est B. Virgini datam esse aliquam scientiam, seu cognitionem per se infusam, quavi posset sine conuersione ad phantasmata, facile intelligimus etiam in somno potuisse illa scientia vti, & consequenter meritoriè per voluntatem operari, quia hæc non pendet à corpore, si intellectus expeditus sit ad cogitandum, & proponendum obiectum: est autem probabile Beat. Virginem præditam fuisse hac scientia, vel toto, vel maiori tempore vitę suę. Est ergo verisimilis hęc sententia, quã quam in re adeò incerta, nihil constanter affirmare possimus.

Addo tamen, licet demus hoc meritum propter somnum, & corporis imbecillitatem interdum interruptum esse: nihilominus tam breuem fuisse illam moram, totq; diuinis

Antonin. Bernard. de Busto. *Canis. Ambros.* *Ambros.* *Bernard. Senens.* *Ierem. 1. Cant 5. Rupert,* *Ambros.* *Canisi. Bernardi. Busto. Dionys. Richesi. August.*

diuinis cogitationibus fuisse interceptam, vt morali quodam modo possit hoc meritum appellari continuum, Beata enim Virgo partim propter optimam corporis temperiem, partim propter moderatissimam viuendi rationem exigui temporis somno indigebat, & ex virtute perfecta, qua corpus suum affligebat, magnam etiam illius temporis partem vigilijs, & orationi tribuebat. Vnde Bernardinus, ac Bonaventura, & Canisius supra, varias reuelationes referunt, quibus nonnullis hominibus patefactum fuit, solitam fuisse B. Virginem ferè integras noctes insomnes meditãdo, ac orando traducere, & ipso eo tempore, quo dormiebat, credi potest solitam fuisse, præ nimia caritate, qua Deum diligebat frequenter excitari à somno, ac statim animum suum in Deum eleuare. Hoc enim experimento constat accidere, & ex diuina gratia concedi multis, qui diuina caritate flagrant, præsertim eo tempore, quo de rebus diuinis frequentius cogitant, & in actibus diuini amoris sæpius, ac feruẽtius exercentur: hæc enim animi promptitudo, atque facilitas ad eliciendos huiusmodi motus in Deum maior fuit, ac perfectior in B. Virgine â principio vitæ, quàm fuerit in quocunque alio sancto eo tempore, quo maiorem perfectionem, & deuotionem consequutus est, vt ex supra dictis de perfectione primæ sanctificationis Virginis satis constat.

Bernardin. Bonauent. Canis.

A

B

C

SECTIO. III.

An *B. Virgo aliquod augmentum gratiæ obtinuerit ex opere operato, & quibus modis.*

QVòd B. Virgo magnum gratiæ augmentum ex opere operato fuerit consequuta, dubitari non potest, quia non fuit peioris conditionis, quam alij iusti: nec sacramenta fuerunt in illa minus efficacia, imò eo quidem magis, quò meliori dispositione illis vtebatur. Solum ergo necesse est, vt modos, seu tempora huius augmenti distinctius aperiamus, & explicemus. Possunt autem ad tria capita reuocari. Primum est, sacramentum illud, quod in remedium originalis peccati fœminis applicari solitum erat, in illo enim gratia dabatur non propriè ex opere operato, sed ad modum eius, ideſt præter omne meritum suscipientis, sicut dabatur in circunciſione, & in remedio legis naturæ, præsertim quando infantibus applicabantur, vt infra dicemus agentes de sacramentis in genere. Certum est autem B. Virgini paulo post eius natiuitatem applicatum esse hoc sacramentum, sicut Ioannes Baptista circuncisus fuit, etiam si in vtero matris fuisset sanctificatus. Extraordinaria enim Dei sanctificatio non obstat, quòminus ordinaria remedia contra peccata applicari debeant, præsertim cùm hęc super naturalia, & diuina mysteria non sint hominibus nota, ergo in hoc sacramento datum est Virgini aliquod augmentum gratiæ ad modum operis operati. Quia hæc gratia infallibili lege dabatur per tale sacramentum, & B. Virgo eo potissimum tempore capax erat augmenti gratiæ, & prior sanctificatio non reddiderat illam incapacem huius sacramentalis gratiæ. Notauit hoc Paludan. in 3. d. 3. q. 2. paulo ante solutiones principalium argumentorum.

Sacramentum pro remedio originalis peccati institutum Mariæ cum augmẽto gratiæ suscepit.

Paludan.

Alterum caput continet vsum sacramẽtorum nouæ legis, & fructum eorum, de quibus similiter certum est, non caruisse Virginem fructu illorum quibus est vsa, quanquam Scotus in. 1. sectione citatus in hoc dubitauerit, cuius sententiam Sotus, & alij ibidem citati, merito reijciunt. Est enim certum principium fidei, hæc sacramenta conferre gratiam non ponentibus obicem. Solum ergo supereſt, vt dicamus quibus sacramentis nouæ legis Deipara vsa fuerit: & quidem de tribus constat, nõ fuisse Virgini collata. Primum est ordo, cuius non erat capax propter fœmineum sexum. Secundum est Pœnitentia, cuius materiam non habuit, & ideò illud suscipere non potuit. Tertium fuit Matrimonium, quod â Virgine contractum non est, post quam in sacramentum nouæ legis est institutum. De duobus verò certũ est, illa suscepisse: primum est sacramentum baptismi, vt omnes Theologi docent, & Euthy. Ioan. 3. *scribunt*, inquit, *quidam Apostolorũ temporibus proximi, quod Christus Petrum, & Virginem matrem baptizauerit. Petrus vero reliquos Apostolos*, quibus verbis videtur explicari historia, quam ex Euodio refert Nicephorus lib. 2. cap. 3. Vbi dicit Christũ manibus suis Petrum *tantummodo* baptizasse, explicandũ autem videtur, vt illa dictio exclusiua non excludat Virginem Christo coniunctissimam, quę non est eisdem

Scotus, Sot.

Sacramentum ordinis pœnitẽtiæ, & Matrimonij Virgo non suscepit.

Euthym. Maria Virgo Christi manibus baptizata. Euodi. Nicephor.

legibus, quibus cæteri, comprehendenda. Ratio verò est, quia præceptum baptismi omnibus generatim propositũ est, & verbũ illud, *Nisi quis renatus fuerit*, neminem excipit; neque oportet, vt nos Beatam Virginẽ ex aliquo speciali priuilegio excipiamus, cùm nec fundamentum habeat, neque ad eius perfectionem pertineat. Secundo, quia hoc decuit ad exemplum aliorum fidelium. Tertio, quia per baptismũ constituuntur, & signantur membra Ecclesiæ, prout à Christo institutæ, cuius perfectissimum membrum debuit esse B. Virgo. Tãdem quia per baptismum datur potestas vtendi sacramentis nouæ legis, sacratissima autem Virgo eis vti debuit, præsertim Eucharistia.

Eucharistiæ sacramẽtũ frequenter Virgo suscipit.

Alterum ergo sacramentum, quod certum est B. Virginem frequenter accepisse, est Eucharistia. Primò, quia vsus huius sacramẽti est in præcepto diuino, quod eadem ratione, qua præceptũ baptismi, Virginem comprehendebat. Secundò, frequentia eius est in consilio, & per sese honestissima, & vtilissima, & valde conformis eximiæ caritati Virginis erga filium. Tertiò, quia legimus Acto.2. in primitiua Ecclesia fideles omnes vel quotidie, vel frequenter vsos esse hoc sacramento, ergo multo magis Beata Virgo hanc consuetudinem obseruauit.

Act.2.

His duobus adiungi potest tertium confirmationis sacramentum, nam licet reuera illud non receperit quoad signũ visibile, in quo ratio sacramenti consistit; recepit tamen characterẽ, gratiam, & abundantiam Spiritus Sancti, quæ sunt effectus illius sacramenti. Sicut enim Apostoli in die Pentecostes præter omne meritum suum receperunt quasi ex opere operato Spiritum Sanctum, & perfectissimum confirmationis effectum, & ideò postea sacramentum ipsum non susceperunt, quia iterari non potest, ita maiori ratione B. Virgo eodem die similem effectum, & donum perfectius, ac copiosius accepit.

Sacramentum confirmationis quomodo Virgo receperit.

Solum igitur de sacramento Extremæ Vnctionis potest esse controuersia. Multis enim indecẽs, ac indecorum videtur, quòd B. Virgo illo munita fuerit. Ita sentit Paluda. in.4. dist.23. quæst.;.artic.2. supplementum Gabrielis. quæst.1.dub. 3. & Victoria in sum.numer.222. Fundamentum esse potest, vel quia B. Virgo erat incapax huius sacramenti, quoniam institutum est pro iis tãtum, qui aliquãdo actualiter peccauerunt, vt constat ex forma illius in qua dicitur, *Remittat tibi Deus, quidquid peccasti per visum, auditum*, &c. Beata autem Virgo nunquam actualiter peccauit; sicut ergo, quia hoc sacramentum institutũ est pro infirmis ægritudine corporali, ideò dari non potest sanis, ita quia institutum est pro iis, qui actuali labe peccati aliquãdo infecti fuerunt, ideò dari non potest iis, qui nunquam peccauerũt. Vel secundo, licet admittamus B. Virginem fuisse capacem huius sacramenti; videtur tamen indecens, vt vngeretur; tum quia non decuit deprecari illi remissionem actualiũ peccatorum, tum etiam propter honestatẽ; præsertim cum illo non indigeret, nec ratione effectus, nec ratione alicuius præcepti diuini, quod nullum esse creditur de tali sacramento.

Palud.

Supplem. Gabr. Victor.

Alij verò existimant B. Virginem ante mortem vnctam fuisse. Ita docuit Albertus Magn. in Mariali. cap.72.&.74. cuius sententiam referens Antonin. 3. p.tit.14.cap.8.§.3. Ponit, inquit, *Albertus quod B Maria in morte se fecerit inungi, sicut etiam communicauit, & hoc nõ, quia indigeret, cum nullum peccatum etiam veniale, nec reliquiæ peccati essent in ea; sed vt præberet fidelibus in omnibus exemplum humilitatis, & vitę Christianæ.* Et hanc sententiam sequutus est Syluester in Rosa aurea tractat. 3. de quæstionibus impertinentibus, casu.53. & Bernardinus de Busto.4.parte principali, serm.11.part.3. Canisius etiam libr. 1.de B. Maria.cap.9.in hac est sententia, dum laudat Albertum supra, cap.81.dicẽtem B. Virginem omnia sacramenta nouæ legis suscepisse *pręter ordinem*, quod verbum, vel correctione, vel pia aliqua interpretatione indiget, vt ex dictis patet, debuisset enim matrimoniũ, & pœnitentiam excipere. Supponit verò hæc sententia non esse de necessitate huius sacramenti, vt persona, cui tribuitur, aliquando peccauerit actualiter: sed satis esse, vt habeat vsum rationis, & consequenter, quòd in se est, peccare possit, & à dæmone tentari, vt graues Theologi docent

Alb. Mag. Antonin.

Syluest. Bernardin. de Bust. Canis.

Bonaue. Richar. Guilliel.de Rub. Maior.

docēt in. 4.d.23. Bonauen. Richard. Giul- A lielmus de Rubio. Maior, & alij. Quia hoc satis est ad primarium effectum, propter quem per se primò hoc sacramentum est institutum, scilicet, ad confortandum hominem in vltima pugna, præbendo auxiliū aduersus insidias inimici, quæ eo tempore solent esse vehementiores, simulq; spiritualem sanitatem præstandam, si homo illa indiguerit, atq; etiā corporalem, si illi expedierit. Ita enim graues Theologi hunc effectum explicant, vt suo loco vberius dicemus, & interim videri possunt Petrus Sotus lectione. 1. de hoc sacramento, & Palacius in. 4.d.23. disput. 2. conclusione. 1. homo autem adultus, quanuis nunquā peccauerit, ex se capax est huius effectus, & verba formę circa illum vera erunt in sen B su conditionali, scilicet *si quid peccasti*. Hoc enim modo ordinatum est hoc sacramentum ad peccata, vel eorum reliquias delendas, vt ex verbis Iacobi cap. 5. colligitur, *si in peccatis est, dimittentur ei*. Ergo licet beata Virgo nunquam peccauerit, capax fuit effectus huius sacramenti, quia capax fuit gratię, & spiritualis auxilij, quo aduersus insidias inimici in vltima pugna ita muniretur, ac si illi obijciendæ essent, nam simpliciter libertatem habuit, quanuis diuinitus esset in bono confirmata.

Pet. Sotus. Palac,

Sacramentum extremæ vnctionis vtrum virgo susceperit.

Iudicium inter has sententias pendet ex principijs pertinentibus ad sacramentum extremę vnctionis, scilicet, quod sit subiectū capax illius, quis effectus, & quæ for- C ma. Ne igitur hoc loco hæc omnia sine sufficiēti probatione, & examine definiamus, respondeamus tantum sub conditione, si vt homo sit capax huius sacramenti, necessarium non est, quôd actualiter peccauerit, B. Virginem fuisse capacem illius: si autem fuit capax illius, verisimilius esse illud suscepisse, tum propter fructum eius, tum propter fidei, ac fidelium ædificationem, & humilitatis exemplum. Neque enim ex parte formæ est vlla indecentia, tum quia facile intelligi potest, concessum esse in hoc peculiari casu, aliquod speciale priuilegium. Tum maximè: quia sensus illius est conditionalis, vel (vt ita dicam) potentialis, idest. *Remittat tibi Deus, si quid peccasti*, vel cōferat Deus tibi gratiam sufficientem ad delendam omnem maculam, quę per sensus contrahi solet. Neque etiam ex parte materię erat hoc indecens, quia semper applicatur cū summa honestate.

In conceptione filij virgo singulariter ornata.

Tertium caput huius augmēti constitui potest in aliquibus tēporibus, vel opportunitatibus, in quibus beata Virgo immediate à Deo suscepit singularem sanctificationem, seu augmentum eius. Huiusmodi intelligimus fuisse instans illud, in quo filium concepit, vt omnes Theologi in. 3. d. 3. sentire videntur. Qui dicunt, sicut in cōceptione sua accepit primam sanctificationem, pręter omne meritum, & præter omnem sacramentalem sanctificationem, sed ex singulari priuilegio: ita in conceptione filij accepisse pręter omne meritum singularem perfectionē sanctificationis, obnouam, & admirabilem pręsentiā diuini Verbi, iuxta verbum angeli dicentis, *Spiritus sanctus superueniet in te*. Et hoc modo sensit aperte D. Th. supra. q. 27. ar. 3. tunc fuisse illi sublatum fomitem peccati, qui iuxta illius sententiam, antea tantum fuerat ligatus, & art. 4. docet gratiam Virginis in filij conceptione fuisse quodammodo cōsummatam. Idem latè Durand. supra. q. 3. Scotus etiam, & reliqui, quos sectione. 1. retuli, dum aiūt, tam perfectam fuisse in eo instanti gratiam Virginis, vt amplius crescere non potuerit, hoc necessario supponunt. Idem apertè docent Damasce. Rupertus, ac Bernardinus ibi citati, Bernardus sępe in homilijs super *Missus est*, Laurentius Iustinian. serm. de Annuntiatione. Denique Athan. ser. de sanctissima Deipara inquit *Tunc descendisse Spiritum sanctum in Virginem cum omnibus suis virtutibus essentialibus, inbuentem eam gratia, & virtute*, & infra excludit errorem, *putantium tantum vim quandam, & energiam illi datam esse spiritus, vt incarnatio perficeretur*. Et paulo post subdit, *secundum orthodoxorum dogmatum rectitudinem virtute, & spiritu esse impletam Virginem tum vt corpus eius sanctificaretur, tum vt salutarem illum fœtum concipere posset*. Vnde Euseb. Emis. hom. super *Missus est*, in feriam quartam Dominicæ quartæ Aduentus. *Cum gratia*, inquit, *plena sit, priusquam concipiat, post conceptionem, quanta abundauit?* Et Albertus Magnus in Mariali cap. 69. quē imitatur D. Tho. opus. 60. ar. 3. triplicem distingunt plenitudinem gratię Virginis, aliam vocant *sufficientiæ*, quā habuit á principio, aliam *abundantiæ*, quam dicūt habuisse in filij conceptione: aliam *singularis excellentiæ*,

D. Thom.

Durand. Scot.

Damasce. Rupert. Bernardin. Bernard. Laur. Iust. Athanas.

Euse. Emi

Alb. Mag. D. Thom.

tię, quam in toto vitę decursu consecuta est. Denique afferri potest coniectura, quia quando B. Virgo visitauit Elisabeth, propter Christi præsentiam, & Ioānes fuit sanctificatus, & Elisabeth gratia impleta: quid ergo mirum, quòd diuinum Verbum ingrediens vterum Virginis singulari modo illam sanctificauerit? De hoc ergo augmēto nullus sine temeritate dubitare potest. Alia verò sunt tēpora, de quibus simile quidpiam probabiliter coniectare possumus, quanuis sit res minus certa, huiusmodi sunt dies natiuitatis Christi, dies mortis, vel resurrectionis eius; de die verò Pentecostes iam diximus.

SECTIO IIII.

Quantam gratiæ perfectionem, ac intensionem fuerit B. Virgo consequuta.

HActenus varios modos explicuimus, quibus B. Virgo toto tēpore vitæ suæ in gratia, & sanctitate creuit, reliquum est, vt tandem concludamus, & explicemus cumulū gratiæ, quē toto illo tempore congregauit, id est, in quo gradu, & intensione gratiam habuit in instanti mortis suæ. In qua re vnum tantum est certum, scilicet, eam gratiam fuisse intensiorem, quam sit in supremis Angelis, vel hominibus sanctis. Sicut enim de fide est, Deiparam in perfectione beatitudinis esse omnibus superiorē, ita etiam certum est in intēsione gratiæ, omnes antecellere, quia perfectio beatitudinis perfectioni gratiæ respondet. Et hoc etiam facilè ostendi potest ex his, quæ de prima sanctificatione, & meritis B. Virginis hactenus tractata sūt. Solum ergo desiderari potest, vt explicemus, quanta fuerit hæc excellentia, vel quis excessus huius gratiæ Virginis respectu gratiæ collatæ reliquis sanctis, vel singulis, vel omnibus simul sumptis. Quæ res cùm nec reuelatione manifesta sit, nec certa ratione ostendi possit, vix tractari potest, nedum à nobis definiri, quia non possumus verè dicere B. Virginem tot habuisse gradus gratiæ, neque plures, neque pauciores. Nihilominus tamen conandum nobis est, vel sub ratione aliqua communi, & vniuersali, vel per cōparationem ad alios sanctos perfectionem, & excellentiam huius gratiæ, quoad fieri possit, explicare.

Dico ergo primo beatam Virginem in fine vitæ peruenisse ad summam, & (vt ita dicam) penè immensam gratiæ perfectionem, & intensionem. Probatur primò ex modo loquendi sanctorum Patrum. Damascenus enim orat. 2. de Assumptione, *gratiæ abyssum*, Virginem vocat, Epiphanius oratione de laudibus Virginis, *gratia*, inquit, *sanctæ Virginis est immensa*. Et infra vocat eam, *mare spirituale habens gemmam cœlestem Christum*, Et infra, *solo Deo excepto cunctis superior existis, cui prædicandæ, neque hominum, neque Angelorum lingua sufficit*. Sic etiam Anselmus de excellentia Virginis, capit. 3. inquit, *Nullus hominum, vel Angelorum penetrare potest immensitatem diuini amoris erga Virginē*, Et infra, *ineffabilis est, & stupenda omni sæculo huius mulieris gratia, & exaltatio*. Et capit. 8. post multa concludit, *Quid amplius dicere possum Domina, immensitatem quippe gratiæ, & gloriæ, & fœlicitatis tuæ considerare incipienti, & sensus deficit, & lingua fatiscit*. Sic etiam Bernard. sermo. 4. de Assumptione, *ineffabile* vocat priuilegium meritorū sanctissimæ Virginis, & Bernardin. dicto sermone. 51. tantam dicit esse perfectionem Virginis, vt *soli Deo cognoscenda reseruetur*. Multa similia habet Andreas Cretensis oratio. de dormitione Virginis, vbi inter alia vocat eam *omnis sanctitatis sanctissimum thesaurum*. Ephræm quoque oratione de laudibus Virginis inter alia inquit, *sanctior Cherubin, sanctior Seraphim, & nulla comparatione cæteris omnibus superis exercitibus glorioſior*. Bonauent. in speculo Mariæ, capitulo. 5. *immensa certe fuit gratia qua ipsa fuit plena*. Denique verba illa, quæ supra ex Ignatio citauimus, quibus in epistola prima ad Ioannem, eam vocat *cœleste prodigium, & sacratissimum spectaculum*, satis indicant hanc gratiæ immensitatem.

Damasc. Epiphan. Gratia Virginis in fine vitæ immensa proge. Anselm. Bernard. Bernardi. And. Cret Ephrem. Bonauen. Ignati.

Secundò, explicatur conclusio rationibus. Prima, quia supremus inter sanctos Angelos valde intēsam habet gratiā, ita, vt verisimile sit nullum sanctorū hominum ad eā gratiæ perfectionem peruenisse, solis Christo & Virgine exceptis; peruenit autem ille supremus Angelus ad eā gratiæ perfectionē, per vnum, vel

ad

summum duos actus fidei, spei caritatis, religionis, obedientię, humilitatis, & alia rum virtutum, si fortasse illos in breuissimo illo interuallo, quo fuit viator, exercere potuit. Est enim communis Thologorũ doctrina angelum in primo instãti per aliquem actum se disposuisse ad primam gratiam recipiendam, & in secundo perfecte, & ex toto conatu operando, illam cõsumasse. Ex hoc ergo cõcluditur ratio. Nam Beata Virgo in primo instanti suę sanctificationis perfectiorem gratiam assequuta est, quàm supremus angelus in sua prima sanctificatione, sed B. Virgo non duobus, aut tribus: sed penè infinitis actibus perfectis, & ex toto conatu, atque tota efficacia suæ gratiæ, & caritatis elicitis, eiusdem gratiæ augmentum, & perfectionem promeruit, ergo est penè immensum hoc augmentum. Vtraque assumptio in superioribus probata est, consequentia verò solum consideratione indiget, & (vt ita dicam) enumeratione frequentissimorũ actuum caritatis, & aliarum virtutum, quos beata Virgo sexaginta annorum spatio exercuit.

Secundo vt hoc amplius explicetur, suppono actus amoris Dei elicitos à caritate esse meritorios augmenti eiusdem caritatis, & consequenter gratię, & gloriæ secũdum totam latitudinem graduum, eorumque æqualitatem, & adæquationem, ita vt si actus sit vt quatuor, mereatur quatuor gradus augmẽti gratiæ, & sic de reliquis. C Et quidem quòd ij actus meritorij sint secundum totam latitudinem suã augmenti habitus, certum esse censeo, quia si solũ essent meritorij secundum excessum actus remissi, vel æqualis, nullius essent valoris, ac meriti, quod plusquam falsum esse censeo, & repugnans doctrinæ Concilij Trident. Sess. 6. vt latius in prima secundæ docetur. Quod verò hoc augmentum sit cũ prædicta æqualitate, & proportione non de omnibus actibus meritorijs, sed de solis perfectissimis actibus caritatis asseritur, non vt certum, sed vt verisimilius, quia sicut in prima sanctificatione si quis disponitur per actum caritatis vt quatuor, habitum æqualem suscipit ex vi talis dispositionis, ita etiam pari, vel maiori ratione, qui post iustificationem primam similẽ actum operatur totidem gradus augmenti, & perfectionis habitus consequitur: quia in hoc actu intercedit meritum de condigA no, quod non inuenitur in prima dispositione. Præterea sicut hi actus caritatis sũt nobilissimi, ita etiam sunt efficacissimi ad meritum, & augmentum eiusdem caritatis ergo rationi consentaneum est, vt tot gradus mereantur, quot in se habent. Ex hoc ergo principio concluditur, Virginis gratiam sæpisseme fuisse effectam duplo maiorem, quàm antea erat, quia (vt supra ostendi) operabatur ex tota virtute gratiæ, & motionis diuinę, igitur eliciebat actus æqualis, vel maioris intensionis, quã esset habitus. ergo per singulos actus huius modi ita crescebat illa gratia, vt fieret duplo maior, quàm in principio erat: sed hi actus numero, & multitudine fuerunt pene infiniti, vt ex dictis etiam patet ergo. B

Tertio considerandum vlterius est posteriores actus hoc modo, & cum hac perfectione elicitos semper extitisse duplo maioris mereti, quàm priores, quia semper procedebant ex habitu facto intẽsiori per priorem actum secundum totam latitudinẽ eius. Vnde si prior gratia Virginis fuit v.g. vt centum, & per illam operata fuit vt centum, gratia effecta est ducentorum graduum, si ergo postea gratia illa operabatur secundum totam actiuitatem suam, efficiebat actum habitui proportionatum, vel intensiorem, ergo vlterius talis gratia per talem actum in duplo augebatur, ergo si hoc modo iterum, atque iterum, ac sæpissime, & gratia augeatur per actus, & aucta eliciat meliores actus, & à melioribus melius augeatur, in fine augmenti tanta erit perfectio, vt vix possit humano ingenio comprehendi. Hic autẽ discursus prę ter prncipium positum de meritò actus secundum totam latitudinẽ, supponit aliud scilicet statim dari hominî totum augmentum, quod per huiusmodi actus meretur. Sed hoc quàm sit verum, & rationi cõsentaneum ex dictis in. 2. sectione satis constat. Nam licet de merito fundato in actibus in quibus homo non operatur, quantum potest, nec facit totum, quod in se est magis sit controuersum, ac dubium, an statim detur augmentum illi respondens: tamen de merito illorum actuum, in quibus homo facit totum, quod in se est, nulla videtur esse posse ratio dubitandi. Præsertim quia etiam de merito actuum remissorum verisimilius est statim habere effectũ augmenti gratiæ sibi respondentis, quia

meritum

meritũ de se est sufficiens causa præmij.

Quarto ex eisdem principiis potest amplius explicari hæc perfectio: nam ex illis manifestè sequitur B. Virginem in fine vitæ suæ potuisse tot gradus gratiæ vno actu mereri, quot in toto tempore superioris vitæ, per omnes actus, & modos sanctificationis, & augmẽti eius, fuerat consecuta. Quia ille actus eliciebatur ab actu sic intenso, ex tota virtute, & efficacia sua, & ex toto conatu, & auxilio sibi proportionato, ergo merebatur per talem actum tot gradus gratiæ, & caritatis, quot antea habebat, vel certe plures, ergo multiplicando huiusmodi actus, penè immensum, & incõprehensibile erit tale augmentum.

Obiectio. Contra hanc assertionem nihil inuenio, quod possit difficultatẽ parere, nisi fortasse quod aliquibus videri poterit incredibile tale, ac tantum augmentum, quia excellentiam, ac magnitudinem eius capere non possunt. Si tamen quis cõsideret Deiparę dignitatem penè infinitam, & initiũ sanctificationis eius, quod *Responsio* fundamentum habuit in montibus sanctis, seu in culmine sanctitatis, & progressum vitæ eius admirabilis, ac diuinæ, nõ hæsitabit ob admirationẽ; sed facilè (vt existimo) intelliget totam hanc gratiæ perfectionem optimè in beatam Virginem conuenire. *Obiectio.* Dices, hinc sequi videtur, quẽlibet iustum, vel sanctum, si aliquo tempore merendo perseueret, præsertim postquam ad perfectionem peruenit, breui tempore posse consequi ingẽs gratiæ augmentum; nam principia posita eadem ferè proportione applicari possunt. *Responsio* Respondetur non esse similem rationem, primò, quia reliqui semper habent impedimentũ fomitis, & rarò operantur secundum totam latitudinem habituum, præsertim si sint valde intensi. Deinde quia etiam, cũm ad eam perfectionem deueniunt, vix attingũt primam gratiam, quam, vel beata Virgo, vel primus Angelus in sua prima sanctificatione obtinuerunt.

Augmentũ caritatis, & gratiæ Virginis in fine vitæ quantum. Dico secundo, probabiliter credi potest. B. Virginem consequutam esse plures gradus gratiæ, & caritatis, quam sint in omnibus sanctis hominibus, & Angelis etiam collectiue sumptis, itaque si mente concipiamus ex multitudine gratiarum sanctorum omnium vnam intensissimam gratiam consurgere (quod solũ explicãdæ rei gratia dictum sit) nõ adæquaret intensionem gratiæ Virginis. Cõclusio hæc ab scholasticis, antiquisque scriptoribus non disputatur, & ideò fortasse in terminis à nemine reperietur asserta, sicut etiam neque negata est, neque improbata; fit tamen probabilis, & verisimilis, tum testimoniis, & coniecturis adductis in prima conclusione, tũ etiam iis, quas nunc adiiciemus. Primùm enim sancti Patres, vbicunque loquuntur de gratia Virginis, & gloria, (perinde namque est) tam magnificè de ea sentiunt, & loquuntur, vt non solum prędictam perfectionem, sed maiorem etiam illi tribuere videantur. Ilefonsus sermo. 2. de Assumptione *sicut est incomparabile, quod gessit, & ineffabile, quod percepit, ita est incomprehẽsibile præmium gloriæ, quod meruit.* Andreas Cretensis sermon. de dormitione Deiparæ talem, ac tantum dicit esse statum gloriæ Virginis, *vt quia nec discerni possit, honoretur silentio.* Et infra, *Quæ habes cum aliis non comparabilem appellationem, quæ excepto Deo solo, es omnibus altior.* Ac denique cõcludit, *O sancta, & sanctis sanctior, & omnis sanctitatis sanctißime thesaure.* Petrus Damianus serm. de Assumptione, *Virgo,* inquit, *inter animas sanctorum, & Angelorum choros supereminens, & euecta, merita singulorum, & omnium titulos antecedit,* vbi illę duę particulę, *singulorum,* & *omnium* energiam aliquam habere videntur, & ibidẽ, ita dicit superare Virginem alios sanctos in gratia, sicut Sol in luce & claritate stellas excedit; ac tandem de eadẽ Virgine sic loquitur, *In illa inacceßibili luce perlucens, sic vtrorumque spirituũ hebetat dignitatem, vt sint, quasi non sint, & comparatione illius, nec posßint, nec debeãt apparere.* Et serm. de natiuitate Virginis. *Quid grandius Virgine Maria, quæ magnitudinem summæ diuinitatis intra sui ventris concluſit arcanum? Attende Seraphin, & videbis, quidquid maius est minus Virgine, solumque opificem opus istud supergredi,* & infra, *gloria, quæ eam ex hoc mundo transeuntem excepit principium ignorat, nescit finem, de qua nihil aliud possumus dicere, nisi quia glorioſa dicta sunt de te gloria Dei,* Et sermone de Annuntiatione, *hæc est, in quam dulcis Dominus cum omni sua dulcedine superuenit. Cum enim fecerit Deus omnia opera sua valde bona, hoc melius fecit,*

Ilefon.

And. Cret.

Damasce. *fecit, consecrans sibi in ea recõciliatoriũ aureũ.* Damascenus orat.1.de dormitione Virginis, satis post medium, *Dei matris*, inquit, *& seruorum Dei infinitum est discrimen.* Chrysostomus in liturgia, primũ negat aliquid esse in tota rerum vniuersitate, quod cum B. Virgine comparari queat. Deinde eam vocat *incomparabiliter gloriosiorem, quam seraphim.* Et in sermone, quẽ Ecclesia refert in festo natiuitatis Virginis. *Magnum reuera miraculũ, fratres dilectissimi, fuit sẽper B. Virgo Maria. Quid namque illa maius, aut illustrius vllo vnquam tempore inuentum est, seu aliquando inueniri poterit? hæc sola cælum, ac terrã amplitudine superauit. Quid nam illa sanctius? non Prophetę, non Apostoli, non Martyres, nõ Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim. non Cherubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res visibiles, aut inuisibiles maius, aut excellentius inueniri potest.* Nihil ergo Chryso. excipit, siue Virgo beata cum singulis, siue cum omnibus sanctis comparetur. Vnde Ephrem oratione de laudibus Virginis, *Nulla*, inquit, *comparatione omnibus superis exercitibus gloriosior, præstantissimum orbis terrę miraculum, omnium sanctorum corona ob fulgorem in accessa.* Laurentius Iustiniã. in ser. de Assumptione apertius inquit. *Merito quidquid honoris, quidquid fęlicitatis habebatur in singulis, totum abundabat in Virgine. Hinc sanctorum admiratio de Maria.* Anselmus de laudibus Virginis cap.9. *Pura sanctitas, & sanctissima puritas pijssimi pectoris eius omnẽ omnis creaturæ puritatem, siue sanctitatem trãscendens, incomparabili sublimitate hoc promeruit, vt reparatrix perditi orbis dignissime fieret,* & cętera, quæ subjungit, quæ ad eandem rem confirmandam plurimum valẽt, Et hoc ipsum confirmat, quod Bonauentura opusculo de laudibus Virginis cap.7 ex sententijs Patrum docet, Dei gloriã magis in sola Virgine, quàm in cæteris Dei operibus purè creatis relucere, atq; adeò perfectiones omnes in cæteris rebus diuisas, ac distributas in Virgine beata excellẽtiori modo esse congregatas. Et accommodat verba illa, *Omnia flumina intrant in mare & mare non redundat.* Quia omnia flumina gratiarum intrant in Mariam, & dignitatẽ eius non excedunt. Vnde *sicut in mari*, inquit, *aquarum, ita in Maria sunt congregationes gratiarum.* Quod Hieronymi verbis cõfirmat dicentis, *Cęteris per partes pręstatur,*

Ephrem. Lau. Iusti. Ansel. Bonaue. Hieron.

A *Marię vero simul se tota infudit gratię plenitudo.* Affertetiã id. Eccle.24. *In plenitudine sanctorum detentio mea,* & cum Bernardo sic explicat. *Ideo in plenitudine sanctorum Marię detentio fuit, quia in mirifica perfectione sua, plenitudo perfectionis omnium sanctorum illi non defuit.* Quod postea declarat discurrendo per singulas virtutes, & gratiarum genera possumus autem eadem ratione per omnes gradus gratiæ sanctificantis discurrere, horum enim collectio, & congregatio multo magis ad illius perfectionem pertinet. Et ad hoc cõfirmandum conferre possunt, quibus supra disput.3. ostendimus, quidquid donorum gratiæ diuisum est in reliquis sanctis, totum fuisse collectum in Virgine. Quamobrem Hironym eam vocat, *hortum deliciarum, in quo condita sunt omnia florum genera, & odoramenta virtutum,* & B Petrus Damianus supra, *locum voluptatis appellat, quem Deus omnibus gratię diuitijs cumulauit.*

Eccle.24. Bernard. Hierony. Pet. Dami.

Secundo principaliter fit verisimilis cõclusio varijs coniecturis. Prima sumitur ex dignitate matris Dei, quę in suo genere est infinita. Nam Deus vnicuiq; dat gratiã accõmodatam statui, ac muneri suo, vt in principio huius materiæ explicuimus, sed tota hæc gratiæ intensio, ac plenitudo optimè conuenit cum dignitate matris Dei. Primo, quia illa dignitas est altioris ordinis, & suo modo infinita, vnde etiam si in infinitum illa gratia intenderetur nunquã excederet terminos, aut debitam proportionem illius dignitatis. Propter quôd Euthym. serm. de Zona Virg. & Andreas Cretensis serm. de dormitione Deiparæ dixerunt, *si quid, quod nos superat in ea diuina operata est gratia, nemo miretur, intuens ad nouũ, & ineffabile, quod in ea peractum est mysteriũ ab omni infinitate infinities infinite exemptum.* ergo, cùm ex diuina sapientia ad certum gradum definita fuerit illa gratia, verisimile est eam esse talem, tamque perfectam, vt omnes inferiores in se quodammodo complectatur. Sicut enim Anselmus dixit *decuisse Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequeat intelligi*, ita dicere possumus decuisse ea sanctitate, & gratia perfici qua nulla maior in vlla pura creatura, neque in omnibus simul intelligatur. Et confirmatur, quia maior est dignitas matris Dei quàm munera sanctorum omnium, & dignitates, etiam si in vnam congregentur.

Euthym. And. Cret. Anselm.

tur, ergo optimè huic dignitati respondet gratia, quę omnium aliorum gratias
Bernard. superet. Propter quòd S. Bernardin. sermone. 15. de festiuitatibus Virginis dicit plus meruisse Mariam eo actu fidei, & obedientię, quo Angelo annuntianti filij conceptionem assentita est, & assentiẽdo sese condignè dispositi, ac de congruo meruit, vt esset mater Dei, quàm meruerint omnes sancti omnibus actibus, ac meritis suis, quia videlicet eo actu meruit saltem de congruo eam dignitatem, cui excellentior gratia, & gloria quodammodo debetur. Et ad hoc accommodat verba illa sapientis, *Multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias, tu supergressa es vniuersas.* Ac tandem concludit tantã esse perfectionẽ Virginis, vt soli Deo cognoscenda reseruetur.
Obiectio. Dices hac ratione probaretur, beatam Virginem habuisse hanc gratiæ plenitudinem ab eo saltem
Responsio instanti, in quo incœpit esse mater Dei. Respondetur negando consequentiam: satis est enim, quòd tunc habuerit totam hanc perfectionem quasi in radice, quia nondum peruenerat ad vltimum terminum perfectionis suæ; quanquam, si quis illud consequẽs concederet, fortassè nõ admodum erraret.

Secũda ratio esse potest, quia Deus plus amat Virginem, quàm reliquos sanctos omnes, ergo plus gratiæ illi confert; gratia enim respondet amori Dei, erga personam, quam perfectè amat. Antecedens probatur, quia talis amor videtur debitus matri. Vnde Augustin. (prout refert
Augusti. Bonauent. Bonauent. in speculo Mariæ. capit. 6.) ad Virginem sic loquitur, *Te ipse Rex Regum, vt matrem veram, & decoram sponsam præ omnibus diligens amoris amplexu sibi assoAnselm. ciat.* Et Anselm. lib. de excellentia Virginis. capitulo. 4. inde concludit amorem Dei erga Virginem esse maiorem, quàm
Bernardin. erga alias creaturas, quia, quod carius amauit, illi reseruauit. *Ostendit ergo*, inquit, *amorem erga matrem, quo nullum putemus esse posse maiorem*; & infra, *Quid ergo hic dicemus, est ne putatis, vlla mens hominis, quæ modum huius dilectionis, quam Deus ad hanc Virginem habuit, queat penetrare?* & infra, *Potest ne quæso vllus hominum, aut Angelorum istius amoris immensitatem penetrare, vel dignitatis honoris illius, quidquam cogitatu percipere comparabile?* Hinc etiam Bernardinus dicto sermone, capitulo tertio, dicit, Christũ potius venisse pro sola Virginе redimenda, quàm pro cæteris omnibus hominibus, quod refert ex Glossa in id Canticor. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa*, &c. Hinc etiam Methodius sermone de Purificatione Virginis ad eam sic loquitur, *Euge, quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur, Deo enim vniuersi debemus; tibi autem etiam ille debet.* Quocirca quod Abulensis, primo Prologo in Matth. quæstio. 19. simpliciter dixit, Christum plus diligere Ecclesiam, quàm matrem suam, si sub Ecclesia matrem comprehendat, indubitatum est, quia hoc modo comparatur totum cum parte, & hoc sensu rectè probant, quę adducit Christum maximè diligere Ecclesiam suam, quam *suo sanguine redemit* ad Ephes. quinto. Si verò per Ecclesiam intelligit reliquum corpus Ecclesiæ excludendo Virginem (quomodo sumi debet, vt rectè fiat comparatio) in hoc sensu falsũ est, quod inquit, amorem Christi ad Ecclesiam esse incomparabiliter maiorem, quàm ad matrem suã, & Ecclesiam incomparabiliter maioris æstimationis esse apud Christum, quam matrem suam. Ratio autem illius est, quia Deipara est quædam pars Ecclesiæ, & redempta, sicut vnus de Ecclesia. Quę ratio in prædicto sensu nullius est momenti, quia etiam reliquum corpus absque Virgine, non est tota Ecclesia, sed pars eius, quæ licet multitudine, & extensione maior sit; tamen beata Virgo intensiuè, & in valore, ac pretio est longè excellentior: & illius redemptio (vt cum Bernardino diximus) magis fuit à Deo intenta, quàm reliquorum hominum. Potest verò confirmari hæc ratio, quia verisimile est, beatam Virginem plus amare Deum, quàm cœteros sanctos simul. Nam (vt rectè dixit Bonauentura in speculo Mariæ capitulo. 6. circa finem) *Quid mirum, si præ omnibus diligat, quæ præ omnibus est dilecta?* Decuit enim inter matrem, & filium amorẽ mutuum esse perfectissimũ, præsertim, quia tali filio à tali matre, talis amor debebatur, habuit autem beata Virgo omnem perfectionem, quam habere debuit. Deniq; verisimile est beatã Virginem hunc amorem & optasse, & petiisse, cur ergo dubitabimus illum impetrasse? Ponderat, & exaggerat hunc amorem eleganter Anselmus quinto libro de excellentia Virginis, capitulo quarto, & inter

Gloss. Cant. 4.
Method.
Abulens.
Ephes. 5.
Maria magis Christo dilecta, quã Ecclesia.
Bonauent.
Amor Virginis erga Deum quantus.

Anselm. & inter alia sic Virginem alloquitur, *Et tu, o beatissima fœminarum, in quam fluxit tam copiosa, & supereminens gratia omnium gratiarum, quid animi quæso gerebas ad eum, qui tibi hæc magna fecit?* quasi dicat, habuisse amorem diuino amori consentaneum.

Tertia ratio iis non dissimilis colligi potest ex similitudine, ac proportione inter Christum, & Virginem. Diximus enim in priori tomo, gratiam creatam animæ Christi infusam, cùm non fuerit infinita (quia esse non potuit) fuisse tamen, quantum esse potuit, proportionatam dignitati capitis, & maiestati Verbi Dei, & ideò in intensione superasse omnes aliorum hominum, & Angelorum gratias etiam simul sumptas: decuit autem Virginem esse Christo simillimam, & coniunctissimam, ergo in hac etiam perfectione, & intensione gratiæ debuit ad illius perfectionem cum debita proportione accedere.

Similitudo inter gratiã Christi & virginis.

Dices, cum hæc excellentia conueniat Christo ratione suæ dignitatis, potius fit illi injuria, si Virginem ei faciamus æqualem. Respõdetur, ideò diximus cum debita proportione, non cum æqualitate. Christi enim gratia tam ipsius Virginis, quàm reliquorum sanctorum Angelorum, & hominum gratias etiam simul collectas plurimum superat; gratia autem Virginis solum cum aliorum sanctorum gratiis confertur, & illas superare dicitur; & in hoc dicimus seruari optimam proportionem, & similitudinem. Primò quidem, quia (vt Bernardus dixit sermon. de Natiuitate beatæ Mariæ) Christus in Ecclesia est tanquam fons gratiæ; Beata autem Virgo, vt aquæ ductus, reliqui verò sancti, vt riuuli, ergo in Christo, vt in fonte congregantur omnes gradus gratiæ, qui tam ad aquæ ductum, quam ad riuulos fluunt; in Virgine vero, vt in aquæ ductu congregantur omnes, qui ad riuulos deriuantur. Hoc enim modo, & in toto corpore Ecclesiæ est optima proportio, & inter Christum, & Virginem conueniens similitudo, & coniunctio.

Obiectio. *Responsio* *Bernard.* *Maria aquæductus gratiæ.*

Deinde hinc potest quarta ratio formari. Nã qiua gratia Christi respectu omnium est gratia capitis, ideò habet illam excellentiam, sed Beata Virgo participat illam dignitatem, decet ergo, vt & A gratia eius illam perfectionem participet. Explicatur secunda propositio assumpta ex sanctis Patribus, Irenæ. libro tertio contra Hæreses, capitulo trigesimo tertio, *Sicut Eua inobediens facta, & sibi, & vniuerso generi humano causa facta est mortis, sic & Maria habens prædestinatum virum; tamen Virgo obediens, & sibi, & vniuerso generi humano causa facta est salutis*; & infra, *Euæ inobedientiæ nodus solutionem accepit per obedientiam Mariæ, quod enim alligauit Virgo Eua per incredulitatem, hoc Virgo Maria soluit per fidem.* Quomodo dixit etiam Hieronymus in Epistola ad Eustochium de custodia virginitatis, *Mors per Euam, vita per Mariam.* Latius Augustinus, sermone trigesimo quinto de sanctis. *Altior cœlo est, de qua loquimur, abyssо profundior, cui laudes dicere conamur. Hæc est enim, quæ sola meruit mater, & sponsa vocari; hæc primæ matris damna resoluit, hæc homini perdito redemptionem adduxit. Mater enim generis nostri pœnam intulit mundo; genitrix Domini nostri salutem edidit mundo; auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria, Eua occidendo obfuit; Maria viuificando profuit, illa percussit, ista sanauit.* Ex quo principio inferius ita concludit. *Quid dicam pauper ingenio, cum de te quidquid dixero, minor laus est, quã dignitas tua meretur. Si cœlum te vocem, altior es; Si matrem gentium dicam, præcedis; si formam Dei appellem, digna existis; si dominam Angelorum vocitem, per omnia te esse probaris.* Similia multa habet sermone vndecimo & decimo septimo de Natiuitate. Eleganter verò & copiosè Petrus Chrysolog. sermone. 140. *Quantus sit Deus, satis ignorat ille qui huius Virginis mentem non stupet, animum non miratur. Pauet Cœlum, tremunt Angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit, & vna puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, vt pacem terris, Cœlis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum Cœlestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commertium, pro ipsa domus exigat pensione*, & sermone. 142. *Ipse*, inquit, *Angelus miratur, omnes homines vitam meruisse per fœminam.* Hinc Bernardus, sermone secundo, de Assumptione, *Per te*, inquit, *accessum habemus ad filium, ô benedicta, inuentrix gratiæ genitrix vitæ*; & sermone secundo Pentecostes, *Tunc*, inquit, *operabatur salutem nostram in medio terræ, in vtero videlicet Virginis,*

Irenæus *Hierony.* *August.* *Pe. Chry.* *Bernard.*

ginis, qui mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illam enim, sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt, & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos, qui sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis; & infra, In te Angeli lætitiam, iusti gratiam, peccatores veniam inuenerunt in æternum. Merito in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus omnipotentis, quidquid creauit, recreauit. Et similia multa habet in sermo. *Signum magnum*, & in sermone de Natiuitate Mariæ, quibus in locis indicat nullum gratiæ donum communicari hominibus nisi per Mariam, & inter alia inquit, *Maria omnibus facta est, sapientibus, & insipientibus copiosissima caritate se debitricem effecit, omnibus misericordiæ sinum aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, tota Trinitas gloriam, denique filij persona humanæ carnis substantiam, vt nemo sit, qui se abscondat a calore eius.* Subscribunt eidem sententiæ Sanctus Ephrem, oratio. ad sanctissimam Virginem, vbi *mediatricem, & reconciliatricem* appellat, & sanctus Germanus, sermon. de Cœna Domini; latissimè Petrus Damianus, sermone de Annuntiatione, & sermone de Assumptione, & sermone primo de Natiuitate Mariæ; quorum nonnulla verba infra afferemus tractantes de intercessione Virginis, & cultu illi debito. Si ergo omnia gratiæ dona per Virginem cæteris communicantur, rationi consentaneum est, vt in ipsa prius recipiantur: Quòd si de gratiis, vel donis, aut virtutibus (vt ita dicam) diuersarum rationum, nemo hoc negabit, propter dictam causam, & alias, quas in principio huius materiæ adduximus, videtur sanè, neque de gradibus, & intensione gratiæ id esse negãdum, cùm ad perfectionem sanctitatis hoc maximè pertineat. Vnde rectè dixit Bonauentura supra, *Quid mirum, si omnis gratia ad Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad cæteros diffluxit?* Et Laurentius Iustin. sermone de Annuntiatione, *Magna*, inquit, *Profecto fuit Mariæ gratia, exuberans, atque completa, quæ cælis dedit gloriam, terris præbuit Deum, gaudium præstitit Angelis, seculoque pacem refudit, fide docuit gentes, vitiisque finem imposuit, humanæ vitæ instituit ordinem, atque spiritualem edidit moribus disciplinam* Quomodo non est Maria, iuxta Gabrielis oraculum, plena gratia, quæ effecta est mater Dei, paradisi scala, cœli ianua, interuentrix mundi, dæmonum fuga, peccatorum spes, Dei, & hominum verissima mediatrix?

Maria omnibus salutaris, et vtilis. *Ephrem.* *Germana* *Pet. Dami.* *Bonauent.* *Lau. Iusti.*

Quinta, & vltima ratio formari potest ex præcedentibus, quia actus perfectæ caritatis, quos beata Virgo habuit in hac vita innumerabiles fuerunt, ita vt eorum multitudo possit fortasse cum numero Sanctorum omnium conferri, quia (vt ostendimus) ferè totam vitam in perpetua contemplatione transegit, in qua feruentissimè Deum amabat, & hunc amoris actum frequẽtissimè repetebat. Præterea ostendimus, non minus meruisse beatam Virginem quolibet horum actuum, quàm meruit supremus Angelus illo actu perfectè libero, quo meritum suum consummauit; Vnde fit consequẽs sæpissimè singulis actibus plus meruisse beatam Virginem, quàm singulos homines sanctos omnibus actibus vitæ suæ, quia meritum supremi Angeli non fuit minus perfectum, quàm totum meritum cuiuslibet hominis, saltẽ regulariter loquendo (vt abstineamus à quæstione nõ necessaria, an scilicet aliquis homo præter Virginem, maiorem gratiam consequutus fuerit, quàm supremus Angelus) igitur, si huiusmodi actus meritorij beatæ Virginis adæquant numerum omniũ beatorum, planè consequitur, etiam gratiam eius superare gratiam omnium illorum. Si verò numerus actuũ est inferior numero sanctorum (vt credi facilè potest) compensari potest hæc inæqualitas. Primo, gratia ipsa, quæ data fuit Virginī ex opere operato. Secundo, perfectione, & valore singulorum actuum, nam etiam meritum primi Angeli excedit merita multorum inferiorũ simul sumpta. Tertio, augmento, & maiore intensione ipsorum actuum, non enim fuerunt omnes inter se æquales, sed quo gratia fiebat auctior, eo actus ab illa procedentes erant intensiores, & maioris meriti, vt supra fusè declaratum est. Quæ omnia si exactè computentur, fit reuera valde verisimile, quod asserimus, in re enim adeò obscura,

obscura, & non apertè reuelata, non est quærenda maior certitudo.

Obiectio. Nec video, quid possit contra hanc sententiam obiici, nisi fortasse, quòd noua, inusitata, ac præter hominum opinionē esse videatur. Sed non est cur nouum cēsendum sit, quod doctrinæ priscorum Patrum, non solum non aduersatur; verū etiam ita ab eis insinuatur, vt merito illis attribui possit: vel saltem existimari, hāc esse accommodatam explicationem eorum, quæ ipsi magno verborum pondere virtute docuerunt. Accedit, quòd cū ante viginti annos in Academia Salmāticensi rogatus à grauibus viris, quæstionem hanc disputare, atque definire fuerim aggressus, cùmq; in hanc sententiam valde propenderem, rei nouitate detentus, eam proprio iudicio, ac sententia definire ausus non fui, donec doctores sapientissimos, & in rebus Theologicis valde versatos consului, quibus omnibus pia, atque probabilis hæc sententia visa est.

Poterat hoc loco disputari, quid amplius præter gratiæ perfectionem beata virgo sibi meruerit, sed si generalia principia de merito obseruentur, & commodè applicentur, non est, quòd in hac re amplius immoremur. Nam singularis illa quæstio, an beata Virgo aut incarnationem, aut dignitatem matris Dei meruerit, in priori tomo disputatione decima, sectione septima, diligenter tractata est, de gloria verò, quam sibi Virgo promeruit, infra est dicendum. Præter gratiā autem, & gloriam nihil est, quod per se cadat sub meritum, nisi quod ad illas per se ordinatur, aut per se est cum illis coniunctum. Denique de merito beatæ Virginis respectu aliorum, an scilicet aliis etiam meruerit, nonnihil in hac sectione attigimus, & superius tractantes de merito Incarnationis. Constat enim de condigno nihil meruisse nobis beatam Virginem, quia est proprium priuilegium Christi, de congruo verò merendo incarnationem magnum bonū nobis promeruit, & dum vixit, potuit etiam multa bona aliquibus hominibus mereri. An vero aliquid amplius nobis meruerit, dū hic viueret, aut nunc etiam nobis mereatur, vel saltem impetret, infra disputandum est, Disputat. 23. Sectio. 1. & 2.

DISPVTATIO XIX.

in sex sectiones distributa.

De scientia, & sapientia, quam beata Virgo in statu viæ consequuta est.

QVAE diximus de gratia sanctificante Virginis beatæ, communia sūt omnibus virtutibus Theologicis, & moralibus, & Spiritus sancti donis, quæ cum eadem gratia connexa sunt, vnde explicando perfectionē huius gratię, & meritorum Deiparæ excellētiam, quam in his omnibus virtutibus habuit, explicatam reliquimus, & obiter nonnulla adduximus de frequentissimo vsu; ac ferè continua eorundem exercitatione. Quapropter nihil amplius de illis dicendum occurrit. Solum ergo superest, vt de intellectualibus perfectionibus, atque gratiis gratis datis sermonem instituamus; de prioribus in hac disputatione, de posterioribus verò in sequenti dicemus.

SECTIO. I.

Vtrum beata Virgo habuerit in hac vita perfectam diuinarum rerum cognitionem.

PRincipio ponēdū est, quandiu Deipara vixit in corpore mortali, non fuisse beatam secundum animam (vt ostendimus supra disput. 4. sectio. 1.) vtor autem beatitudinis nomine, vt indicem, non habuisse stabilem, ac permanentem visionem; an verò habuerit interdum illam in raptu, dicemus disputatione sequenti.

Ex hoc autem principio necessario sequitur, habuisse in hac vita fidem mysteriorum Dei, (vt eadē disputatione quarta, sectione septima dixi) quia fundamētum sanctitatis, & iustitiæ in viatore est fides, sed beata Virgo quādiu fuit in corpore mortali fuit viatrix, & sancta, ergo per fidem semper ambulauit, quia sine fide non potuisset placere Deo, & ideò Luc. secundo, beata prædicatur, quia credidit. Luc. 1.

Ex quo vlterius manifestum est, hanc fidem in Virgine fuisse perfectissimam,

Virginis fides perfectissima.

tum ex parte subiecti, in quo fuit valde intensa, & prorsus certa, omnem motum etiam primo primum dubitationis excludens; tũ ex parte obiecti, quia per illã distinctissimè credidit mysteria Trinitatis, & Incarnationis, & reliqua omnia quæ ad diuinitatem, & humanitatem pertinent. Ita docent Patres, Ambrosius libro secundo de Virginibus, & libro secundo in Lucam, Epiphan. sermone de laudibus Virginis, Angustinus sermone de Assumptione Bernard. sermone trigesimo quinto in Cãtica circa finem, & in libro de Passione Domini, qui inter eius opera habetur, capitulo secundo. Rupertus ferè toto libro in Cantica. Vnde Abulensis parad. prima capitulo trigesimo primo, dicit propter hanc fidei perfectionem vocari Virginem ab Augustino, & Bernar. *matrem credentiũ*. Ratio autem sumenda est ex principiis supra põsitis. Ostẽdimus enim beatam Virginem habuisse omne donum, omnemque perfectionem gratiæ sanctificantis, quę Angelis, vel hominibus communicata est; imò & excellentiori modo: tota autẽ hęc perfectio fidei ad dona gratiæ sanctificantis pertinet. Deinde ostendimus in beata Virgine fuisse in omni genere virtutis eximiam sanctitatẽ, sed fides est fundamẽtum iustitię, ergo debuit infũdi in perfectione proportionata tantæ sanctitati, & iustitię Prętera ostendimus in beata Virgine nullum fuisse inordinatum motum in omnibus potentiis eius: ergo nullum dubitationis impulsum, aut motum passa est. Denique agentes de eius innocentia, eximiam fidẽ, quam in filij conceptione, passione, ac morte habuit, apertè demonstrauimus. Blasphemat igitur Lutherus, qui fidem Centurionis Mariæ fidei præfert, eò quòd Matth. octauo, de Centurione dixit Christus, *Non inueni tantam fidem in Israel*, Eo tamen loco non comparat Christus Cẽturionem cum omnibus, ac singulis, qui ex populo in ipsum crediderunt; hoc enim modo, non solum fides Virginis, sed etiã Simeonis, & Annę, Iosephi, & Ioãnis Baptistæ, & Magorum, atque aliorum plurimorum fuit maior, quám fides Centurionis. Comparat ergo cum his, quibus ipse prędicauerat, & coram quibus miracula fecerat, quique fidem in Christum inde conceperant, inter quos hic Centurio excelluisse dicitur, vel simpliciter, vel solũ proportione quadam, quia ille cum esset gentilis, & neq; ex scriptura, neque ex maiorum traditione esset instructus, facilius, constãtius, atque admirabilius credidit.

Ambros. Epiphan. August. Bernard, Rupert. Abulens.

Obiectio. Matth.8.

Responsio

Sed quæret aliquis, an Beata Virgo fuerit consecuta totam hanc fidei perfectionem à principio suę sanctificationis, vel postea temporis decursu. Vbi non potest esse difficultas de perfectione intensiua. Nam certum est, non habuisse totam illam à principio, sed in illa creuisse, sicut in gratia, aliisque virtutibus; habuit tamẽ â principio, & singulis temporibus eam fidei intensionem, quæ intensioni gratiæ proportionatè respõderet. Deinde nulla etiam est difficultas de illa perfectione, quę omnem dubitationis motum excludit. Quia constat hanc habuisse à principio, ex quo caruit fomite; igitur solum potest inquiri de perfectione ex parte obiecti crediti, præsertim an à principio distinctè cognouerit mysteria Trinitatis, & Incarnationis. Erasmus enim sensit Virginem non adorasse filium suum statim, ac illum peperit, quia non constat tunc cognouisse illũ esse Deũ. Sed est impia, & hæretica sententia, contra vniuersę Ecclesiæ sensum, ac traditionem, vt constat ex iis, quæ in superioribus de Annuntiatione Angelica, & de Christi Natiuitate tractauimus, & ex iis, quæ sancti Patres tradunt explicantes hęc mysteria, præsertim Cyprianus sermone de Natiuitate, Augustinus sermone nono de Natiuitate, Bernard. homiliis super *Missus est*, Ambrosius super Lucã, & libro de Ioseph Patriarcha, capitulo secundo, vbi Mariæ, & Iosephi meminit, & diuus Thomas supra quæstio. trigesima, articulo primo ad secundum. Item ex Luc. primo colligitur sanctam Elisabeth cognouisse, & credidisse eum, quem Virgo conceperat esse Deũ, vt patet ex illis verbis, *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Quomodo igitur potuit hoc ignorare Sancta Virgo? Dicendum est ergo beatam Virginem à principio suæ sanctificationis habuisse fidem explicitam Trinitatis, quia huius obiecti cognitio maximè spectat ad primariã fidei perfectionem, quã Angeli, & Adam habuerunt in sua prima sanctificatione, ergo multo magis beata Virgo. Deinde cognouit explicitè mysterium Incarnationis, quoad

Dubium.1

Erasm. Qualem fuerit dei perfectionem ab initio suæ sanctificationis Virgo habuit.

Cyprian. Aug. Bernard. Ambr. D. Thom. Luc.1.

quoad substantiam illius, ideſt, Verbum diuinum ſecundam Trinitatis perſonam carnem fuiſſe aſſumpturū. Quod eodem argumento probari poteſt, quia etiam hæc eſt maxima fidei perfectio, quę aliquibus in prima ſanctificatione eſt communicata, & ſuperius oſtendimus etiam Ioannem Baptiſtam, cûm in vtero ſanctificatus eſt, Chriſtum Deum, & hominem cognouiſſe. Non oportuit autem, vt à principio cognoſceret beata Virgo omnes circunſtantias huius myſterij. Certū eſt enim non agnouiſſe, ex qua fœmina Deus eſſet aſſumpturus carnem, neque quo loco, & tempore, in horum igitur cognitione proficere potuit, prius legendo, & intelligendo vetus teſtamentum, poſtea per Annunciationem Angelicam, Chriſti doctrinam, ac multarum rerū experimentum.

Dubium. 2.

Ex hac verò reſponſione alia dubitatio oritur. Quantum beata Virgo in hac Dei cognitione profecerit, an ſcilicet Apoſtolos, & Theologos omnes, qui in Eccleſia Dei fuerunt, ſuperauerit. Reſpōdetur ſine vlla dubitatione ita de beata Virgine ſentiēdum eſſe. Primo enim ita ſentiunt Patres Anſelmus, lib. de excellentia Virginis, capitulo ſeptimo, *Licet ipſi*, ſcilicet Apoſtoli, *per reuelationem Spiritus ſancti edocti fuerint in omnem veritatem; incomparabiliter tamen eminentius, ac manifeſtius ipſa per eum ſpiritum veritatis, illius veritatis profunditatem intelligebat, & per hoc multa eis per hanc reuelabantur, quæ in ſe non ſolum ſimplici ſcientia, ſed ipſo effectu, ipſo experimento didicerat.* Vnde Sancti eam ſæpè vocant Apoſtolorum Magiſtram, Ignatius epiſtola prima, vocat *noſtræ religionis magiſtram.* Ac propterea Rupertus, libro ſecundo de gloria, & honore filij hominis circa principium, inter alia dicit, habuiſſe Virginem tempus tacendi, & tempus loquendi, priuſque duraſſe quandiu Chriſtus in hoc mundo vixit, *cum conſeruabat, & conferebat in corde ſuo omnia diuina verba, & erat hortus vere concluſus, & fons ſignatus*; poſterius verò tempus à Chriſti Domini Aſcenſione inchoaſſe, in quo *erant emiſſiones eius paradiſus, & fauus diſtillans labia eius*. Denique eadem ratione Bernardus, ſermone quarto, in *Miſſus eſt*, dicit Mariam Euangeliſtas illuminaſſe *iuxta ſui nominis*, inquit, *ethimologiā*. Nam

Reſponſio Apoſtolos, & Theologos omnes fidei cognitione Virgo ſuperauit. Anſelm.

Ignatius. Rupert. Virgo apoſtolorū euangeliſtarum que magiſtra.

Bernard.

A Maria inter alias interpretationes *illuminatrix* exponitur à Diuo Hieronymo libro de nominibus Hebraicis in Exodum. Denique Ambroſius, libro primo, de inſtitutione Virginis, capitulo ſeptimo, de Ioanne Euangeliſta dicit, *mirum non eſſe præ cæteris fuiſſe loquutum myſteria, cum ei præſto eſſet aula cœleſtium ſacramentorum*, Et Euſeb. Emiſſen. ſermone de Aſſumptione Virginis, *Ipſa*, inquit, *non ſolum ſecundum humanitatem; ſed etiam ſecundum diuinitatem, & contemplari, & plus omnibus cognoſcere meruit*. Et confirmatur, quia Beata Virgo à ſanctis Patribus eſſe dicitur *omnium hæreſum interemptrix*, vt patet ex Athanaſio, ſermone de ſanctiſsima Deipara, Hieronymo, vel Sophronio, in ſermone de Aſſumptione, Bernardo, in ſermone, *ſignum magnum*, & ſuper *Salue* B *Regina*, prout habetur inter opera eius, & Ruperto, libro primo in Cantica, *Quia ſicut ante nos*, inquit, *dictum eſt, Tu es ſola Virgo, quæ vniuerſam hæreticam prauitatem interemiſti*. Vnde canit Eccleſia, *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreſes interemiſti in vniuerſo mundo*. Poteſt autem hoc ſpecialiter attribui beatæ Virgini, vel quia generando eum, qui eſt *lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, omnes errorum tenebras fugauerit: vel quia ſingulari modo cunctis fidei defenſoribus, ac doctoribus opitulatur: vel (quod ad rem præſentem pertinet) quia ſingulari modo fuerit fidei magiſtra, & quia ipſos etiam Apoſtolos docuerit, quorum doC ctrina omnes hæreſes interimuntur. Denique confirmatur ratione, quia tota hæc perfectio fidei, & cognitionis diuinæ erat proportionata ſanctitati, & dignitati Beatæ Virginis: tùm etiam, quia in ea fuerunt cauſæ potiores, & efficatiores ad hanc diuinam ſapientiam conſequendam, vt in ſequenti ſectione docebimus.

Hieron. Ambroſ.

Euſe. Emi

Athanaſio Hieron. Sophron. Bernard. Rupert.

Maria hæreſum interemptrix quomodo dicitur.

SECTIO II.

Quibus modis B. *Virgo in Dei cognitone profecerit, dum in humanis fuit.*

VAriis modis ſolet rerum cognitio comparari: doctrina, ad quam librorum continua lectio reuocatur, & inuentione, ad quam pertinet ef-

Spiritus sanctus primus Mariæ in fide, & cognitione magister.

fectuum experimentum, & obseruatio ad ipsorum causas cognoscendas conducēs. Primum igitur certum est beatæ Virginis sapientiam, omnesque progressus, quos in ea fecit, primum ab Spiritu sancto, vt à primo, & principali Doctore manasse; ab illo enim accepit per reuelationem, & infusionem primam cognitionē diuinorum mysteriorum, & dona scientiæ, sapientiæ, & intellectus, quibus hæc cognitio maxime iuuatur. Deinde per sanctos Angelos, præsertim per Gabrielem ante filij conceptionem sæpe fuit instructa, & edocta, vt Cedrenus refert in Compendio historiæ, & Gregorius Nicomediensis, homilia de oblatione Virginis, & Bernardus, homilia quarta, in *Missus est*, cuius verba statim referam, de qua re multa etiam supra diximus agentes de Annuntiatione Angelica. Rursus post Christi incarnationem, dubium non est, quin ab illo fuerit, singulariter instituta, atque illuminata, vt latè prosequitur Rupertus, libro primo in Cantica. Vnde Ambrosius, libro de institutione Virginis, capitulo decimoquarto, ab eo tempore, quo filium gestabat in vtero, sentit, illius opera, & auxilio in hac sapientia profeciſſe, sic enim inquit, *Vere autem aluus ille Mariæ crater tornatilis, in quo erat sapientia, quæ miscuit in cratere vinum suum, in deficientem piæ cognitionis gratiam, diuinitatis suæ plenitudine subministrans.* Hinc etiam sic colligit Anselm. in homilia super Euāgelium, Luc. decimo, *Intrauit Iesus in quoddam castellum; Christus, vt dicit Apostolus, 1. ad Corinthios. 1. & ad Colossenses 2. est Dei virtus, & Dei sapientia, & in eo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, & Christus est in Maria, ergo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei sunt in Maria.*

Cedren. Gre Nico. Bernard. *Ruper. Ambros.* *Anselm*

Dubium.

Quæri verō non immerito potest, an ab aliis hominibus aliquid beata Virgo didicerit in hac diuinarum rerum cognitione. Bernardus enim, homilia quarta, in *Missus est*, partem negantem indicare videtur, dum inquit Gabrielem nuntiasse Virgini conceptionem Elizabeth, *quia decuit, vt ab Angelo potius quā ab homine mysteriū disceret, ne mater a consiliis filij aliena videretur Et vt ipsa rerum tēpus, & ordinem melius tenens, scriptoribus, & prædicatoribus Euā gelij referet veritatem, quæ, & plene, de omnibus a principio cæltius fuerat instructa mysteriis.* Anselmus etiam libro de excellentia Virginis, capitulo septimo dicit, per spiritum veritatis fuisse altius, ac profundius edoctam, quàm Apostolos. Sicut ergo ipsi non ab hominibus, neque per hominem (scilicet purum) sed per reuelationem Spiritus sancti, & Christi domini instructi sunt, ita multo potius beata Virgo.

Bernard. Quidnā ab hominibus de diuinis mysterijs Virgo cognouerit. *Anselm.*

Obiectio.

Quod si quis obiiciat, quia Luc. secundo, Simeon docuit Virginem dicēs, *Ecce hic positus est in ruinam*, &c. & ibidem subiungitur, quod cap. etiam. 1. dictum fuerat, *Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Quibus verbis indicatur beatam Virginem multa didicisse ex ijs, quæ alij de Christo loquebātur. *Lu. 1. & 2.*

Responsio

Respōderi potest, Simeonem non propter Virginem instruendam, sed propter alios, & propter Ecclesiam illa prophetica verba protulisse; loquutum autem esse singulariter ad Virginem, quia illa mysteria specialiter ad eam pertinebant. Quæ expositio suaderi præterea potest, quia Simeon in illis verbis allusisse videtur ad locum, Isai. octauo, *Et erit vobis in sanctificationē; in lapidem autem offensionis; & in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum, & in ruinam habitantibus Ierusalem*, &c. Quem locum de Christo exponunt Petrus prima Canonica, capitulo secūdo, & Paulus ad Romanos. 9. qui etiam ad Hebræos. 2. de Christo exponit sequentia verba Isaiæ, *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus; in signum, & in portentum Israel a Domino exercituum, qui habitat in monte Sion*, Indicauit ergo sanctus Simeon hoc signum, & hunc lapidem esse Christum, sed beata Virgo erat versatissima in scripturis, & eas optimè norat: ergo nihil docuit eam Simeon, quod ignoraret; sed in memoriam adduxit, quod sæpe legerat, & intellexerat. Quod autem beata Virgo obseruaret verba, quæ audiebat, & in corde suo ea recogitaret, nullū argumentū est, quod propterea ab hominibus aliquid disceret; sed solum, quòd audiendo huiusmodi verba occasionem sumeret, magis, ac magis diuina mysteria contemplandi. Et hunc esse Euangelij sensum constat, tum quia huiusmodi verba dicūtur de rebus, ac mysteriis notioribus, & *Isai. 8.* *1. Pet. 2.* *Rom. 9.* *Heb. 2.*

perti-

pertinentibus ad ipsam substantiam incarnationis, & redemptionis humanæ, quæ non est verisimile Virginem ignorasse; tum etiam, quia de eisdem rebus sæpius illa eadem verba dicuntur. Est ergo hæc sententia satis verisimilis, & non parum confirmari potest ex iis, quę multi Theologi docent de eximia sapientia beatæ Virgini infusa, quæ partim iam attigimus, partim attingemus sectione sequenti. Et quidem si sermo sit de substantia mysteriorum fidei, & perfecta eorum intelligentia, nihil existimo Virginem à puro homine didicisse, quia nec decuit, nec oportuit, cùm singulariter fuerit à Spiritusancto præuenta. Si tamen sit sermo de aliquibus circunstantiis, vel de alicuius rei futuræ prædictione, vel fortasse etiam alicuius loci scripturæ intelligentia, & similibus, non est inconueniens, quòd ministerio hominum ea interdum didicerit: quia non simul habuit à principio horum omnium exactam cognitionem.

Responsio

Secundò, creuit B. Virgo in cognitione, & sapiẽtia, ex assidua lectione, ac meditatione sanctarum scripturarũ; ac diuinorum mysteriorum cõtemplatione. Ita docet Augustinus, sermone quinto de natiuitate, dum Virginem alloquitur, *Recole Maria propheticam lectionem, neque enim te scientia potest diuinorum præterire librorũ, quæ ipsam plenitudinem paritura es prophetarum.* Ambrosius libro secundo de virginibus *Tunc minus sola esse videbatur, cum sola esset. Nam quomodo sola, cum tot libri adessent, tot Archãgeli, tot Prophetæ?* Origines homilia sexta, in Lucam, dicit *Mariam fuisse turbatam* in salutatione Angeli, quia nunquam legerat ad alium quempiam similem factum esse sermonem, *Habebat*, inquit, *legis scientiã, & Prophetarum vaticiniã quotidiana meditatione cognouerat.* Vnde Gregor. Nissen. sermone de Natiuitate, & Sophronius, sermone de Assumptione dicunt, beatam Virginem à tenera ætate didicisse sanctam linguam, & quandiu in templo vixit, lectioni sacrarum scripturarum, & meditationi vacasse. Et Andreas Ierosolymitanus, sermone in salutationem Deiparæ, *Verisimile*, inquit, *est ipsã & de clara stirpe natam, & Dauidis filiam, haud ignaram diuinorum, quæ in diuinis*

Aug. Ambr.

Origen. Maria sacrarumlite rarum sciẽ tissima.

Gre Nyss. Sophron.

And. Iero.

A *habentur oraculorum fuisse.* Ratio verò est quia (vt supra ostendimus) Beata Virgo optimam partem vitæ contemplatiuæ sibi elegit; munera autem huius vitæ sunt diuinarum rerum, ac scripturarum lectio, meditatio, & contemplatio, ergo in iis maximè B. Virgo se exercuit; Quod autem hoc exercitio plurimum in diuina cognitione profecerit, per se notum est, nihil enim est, quod ad huius cognitionis perfectionem magis iuuet, vt ipsa etiam experientia docere potest. Præsertim, cùm beata Virgo perfectissimo ingenio, ac intellectu polleret, & animum haberet pacatissimum, & ab omni mentis perturbatione semotum; cumque earum rerum, quas legebat, intelligentiam orationibus suis à Deo deprecaretur; nemo enim (vt existimo) audebit hoc in dubiũ reuocare: aut negare, quin fuerit tam iusta deprecatio à Deo exaudita, ergo singulari etiam Spiritus sancti gratia, & lumine continuè adiuuabatur, vt legendo, meditando, ac contemplando in hac diuina sapientia mirabiles progressus faceret.

B

Tertio dicendum est, beatam Virginem multorum effectuum experimento, & obseruatione, ita in aliquorum mysteriorum cognitione profeciisse, vt euidentia quadam naturali, seu morali illa vera esse diiudicauerit. Quomodo dixit Bernardus, homilia quarta, in *Missus est, soli datum est nosse, cui datum est experiri.* Et Anselmus, de excellentia Virginis, capitulo septimo; *Multa in se non solum simplici scientia; sed ipso effectu, ipso experimento didicerat de mysteriis Domini nostri Iesu Christi.* Et Bernardinus dicto sermone quinquagesimo primo, *non solum per diuinam reuelationem, sed ipso experimento*; Et Antoninus quarta parte, tit. decimo quinto, capitulo decimo septimo. Paragrapho primo, *Vidit*, inquit, *& experta est se concepisse non opere humano, & se peperisse paruulum cum virginitatis honore.* Et infra ex hoc principio colligit cum Alberto beatam Virginẽ habuisse de incarnatione, & de Verbo incarnato cognitionem, quę est supra fidem. Denique Augustin. in libro de Assumptione Virginis, capitulo septimo inter alia dicit, ex iis, quæ acciderunt in conceptione, natiuitate, & aliis mysteriis

Bernard. Ansel.

C

Bernardin.

Antonin.

Albert.

Aug.

riis Christi, liquido potuisse Virginem cognoscere, quòd talia obsequia non nisi Deum decerent. Athanas. Et Athanas. sermone de sanctissima Deipara, dicit per signa, & effectus vidisse Virginem Verbum incarnatum non in seipso, & facie ad faciem, sed eo modo, quo nos per actiones vitæ cognoscimus euidenter animã nostram. Et declaratur breuiter, quia quædam opera miraculosa euidenter experta est in se, vt conceptionem sine viro, subitam, ac momẽtaneam prolis animationem in vtero exultantem, melius quam Ioannes, partum sine dolore, Angelorum ministeria, Magorum, ac pastorum aduẽtum. Deinde in mente, ac voluntate experiebatur mirificos ardentissimi amoris effectus, singularis gaudij omnino spiritualis, ac diuini, admirabilis intelligentiæ cum profundissima humilitate. Quæ omnia non obscurè testabãtur, Deũ esse illorum operum autorem. Ad hæc adiungebat prophetias, easque euidenter impleri intuebatur. Ex his ergo, & similibus euidenter inferebat Gabrielem Angelum fuisse nuntium à Deo missum, & consequenter sibi vera narrasse, seque verum Deum in vtero concepisse, ac denique omnia, quæ ipse postea edocuit vera esse.

Dubium. Dices, qualis fuit hæc Viginis cognitio, naturalisne, an supernaturalis, scientiæ, an fidei? **Responsio** Respondeo respectu aliquarum rerum, quas euidenti experimento immediatè cognoscebat Beata Virgo, fuisse cognitionem naturalem non scientiæ propriè dictæ, sed euidentis experiẽtiæ, vt v. g. quòd concepit sine viro, quòd peperit sine dolore, & similia. Aliarum verò rerũ cognitio, quam ex hac euidenti experientia eliciebat, naturalis etiam erat, cùm ex naturali cognitione profecta, & in illa omnino fundata esset. Vnde non erat fides, sed dici potest scientia quia, quatenus ex effectibus, naturalibusque signis oriebatur, & quoad multa erat cognitio euidens in testificante, vt quando sola euidentia signorum, & effectuum absque aliquo adiuncto testimonio, non erat sufficiens ad colligendam alicuius veritatis euidentem cognitionem. Et huius generis sunt mysteria ad diuinitatem pertinentia, nam quæ ad humanitatẽ pertinent, priori modo cognosci poterant

Dices, si beata Virgo consequuta est euidentem cognitionem mysteriorum fidei, ergo neque indiguit fide, neque illam habuit, Respondetur, negando consequentiam, nam inprimis ante huiusmodi veluti experimentalem cognitionẽ necessaria illi fuit fides, nisi enim credidisset, nunquam intellexisset, neque supernaturales effectus in se experta esset. Deinde, cognitio euidens postea acquisita, non potuit expellere fidem, est enim inferioris rationis, & minus certa, quàm supernaturalis fides, & ideò non potest certitudinem eius excludere, neque illius actum omnino impedire. Vnde etiam fit, vt ad iudicandum de supernaturalibus mysteriis iuxta eorũ dignitatem, modo, ac lumine supernaturali, necessaria Virgini fuerit fides infusa, quæ licet obscuritate vedeatur inferior; tamen in obiecto formali, atq; adeò in essentia sua simpliciter est superior. **Obiectio.** **Responsio**

SECTIO III.

Vtrum habuerit beata Virgo scientiam aliquam diuinorum mysteriorum per se infusam.

PRima sententia esse potest, habuisse Virginem ab instanti conceptionis supernaturalem scientiam per se infusam diuinorum mysteriorum. Ita sentit Sanctus Bernardinus, tractatu de Beata Virgine, sermone quarto, articulo primo capitulo quarto, dicens, *In prima sanctificatione quantum ad rationem, & intellectum, tanta ei sapientiæ claritas a Deo superinfusa est, quod perfecte intelligebat creaturas, & creatorem, & spiritus, & omnia bona amplectenda, & mala fugienda.* In eadem sententia videtur esse Albertus Mag. libr. de B. Virgine. capitulo. 71. vbi inquit, Virginem habuisse cognitionem supra fidem, & super cognitionem puræ creaturæ existentis in via, & capitulo. 96. dicit simul cum habitu fidei habuisse habitum, quo perfectius, quàm Adam in sopore, & quàm Ioannes super pectus domini recumbẽs, & quàm Paulus in raptu cognouit mysteria supernaturalia, & capitulo. 132. & **Bernard.** **Alber.**

149.

149. inter alia Virginis priuilegia ponit, quòd Trinitatem sine medio per specialissimam gratiam in via cognouit, & idē fere dicit de mysterio incarnationis. Addit etiam habuisse Virginem per gratiam *cognitionem matutinam, & vespertinam*, & *Vespertinam* intelligere videtur fuisse fidem; *matutinam* autem scientiam infusam.

Antonin. Quam doctrinam ferè amplectitur Antoninus, quarta parte, titul. decimo quinto, capit. decimo septimo, Paragrapho primo, vbi inter alia dicit habuisse beatam Virginem in habitu, & in actu perfectiorem cognitionem, quàm Paulum in raptu. Quanquam non à principio sanctificationis, sed ex quo Deum concepit, hanc diuinam cognitionem illi tribuat. Et capitulo decimo octauo, Paragrapho

Diony. Richel. secundo, distinctius refert, & approbat Alberti doctrinam. Præterea Dionysius

Bernardin. Bust. Richelius Cant. 3. dicit ab initio habuisse *splendidissimam, & exuberantissimam sapientiam sibi infusam.* Idem Bernardinus de Busto in Mariali, sermone secundo, & nono. Fundamentum solū est, quia Deus potuit hanc perfectionem matri suæ tribuere, & est consentanea dignitati, & statui eius, Quæ sententia, & pia est, & probabilis, præsertim de tempore post filij conceptionem, nam de anteriori tempore non videtur adeò verisimilis.

Mihi tamen distinctione vtendum videtur; possumus enim loqui propriè, & in rigore de scientia per se infusa, vt includit, & lumen intellectuale clarum, ac euidens, & species repræsentantes res supernaturales creatas, prout in se sunt; increatas verò, quātum ex creatis supernaturali euidentia cognosci possunt. Alio modo loqui possumus de cognitione per se infusa in communi, comprehendē do fidem, ita tamen, vt non solum ratione luminis; sed etiam ratione specierum intelligibilium, quæ ad vsum illius luminis necessariæ sunt, intelligatur esse per se infusa, & apta, vt anima coniuncta corpori mortali, possit illa vti sine conuersione ad phantasmata. Lumen enim fidei per se infusum est, & de se non requirit consortium phantasmatum, cùm Angelis etiam commune sit. Vnde proprius etiam actus eius, qui est assensus veritatis reuelatæ, de se non requirit

A phantasmata. Nam & Angeli viatores actum habuerunt eiusdem rationis, (vt opinor) cum nostra fide. Per accidens ergo ratione subiecti, vsus fidei, prout in nobis est, fieri non potest sine conuersione ad phantasmata, quia obiectum illi proponitur modo connaturali homini per species sensibus acquisitas. Vnde in Angelis, quia propositio obiecti fit altiori modo illis connaturali, ideò vsus eiusdem fidei in eis nullo modo à sensibus pendet.

Dico ergo primo verisimilius esse, habuisse beatam Virginem cognitionem supernaturalem per se infusam, quoad lumen, & species, ita vt obiecta fidei modo Angelico per altiores species illi fuerint diuinitus proposita indepēdenter à phantasmatibus. Et in hoc sensu explicata sententia principio adducta est reuera probabilissima, & multi ex citatis autoribus possunt facilè in hunc sensum adduci. Et probatur primo, quia totus hic modus cognitionis est, non solum possibilis, sed etiam facilis, & multum conferre potuit ad maiorem, ac perfectiorem vsum gratiæ sanctificantis, & non excedit limites viatoris, quin potius in viatoribus Angelis inuentus est, ergo valde credibile est concessum fuisse beatæ Virgini. Secundo multa priuilegia concessa creduntur beatę Virgini, quę vel hunc modum cognitionis requirunt, vel certè illo posito, facilius, & commodius intelliguntur, vt verbi gratia, quòd in primo instanti suæ conceptionis fuerit, per propriam dispositionem, & conuersionem in Deū sanctificata. Item quòd toto tempore infantiæ habuerit vsum rationis, circa res diuinas, item quòd tempore somni, in Dei contemplatione, & amōre occupari posset; quæ omnia, & si quæ sunt alia id genus, facilē intelliguntur posito prædicto modo cognitionis per se infusæ, & sine illo intelligi nequeunt absque aliis permultis miraculis. Tertio hoc modo rectè etiam intelligitur, potuisse Virginem in statu viæ nunquam desistere ab actuali aliqua diuinarum rerum consideratione absque corporis impedimento, aut defatigatione: corpus enim non defatiga-

Scientiā dīuinorū mysteriorū per se infusam Virgo quo modo habuerit.

tur contemplatione intellectus, nisi propter necessariam eius cooperationem, & phantasmatum concomitantiam: decuit autem (vt supra diximus) animam beatæ Virginis, ex quo creata est, nunquam à Dei cognitione, & amore cessare. Nam si hoc Angelis datū est, quomodo credemus B. Virgini fuisse negatum?

Quarto, hoc etiam modo intelligimus potuisse Virginem altius, & perfectius ex vi cognitionis, & amoris Diuini, quem perpetuo habebat, præuenire in se, & cohibere omnem inordinatum motum. Vnde Sanctus Bernardinus supra sermone quarto, articul. primo, capit. tertio, & sermone octauo articul. tertio cap. quarto: & Gerson tractatu quinto, super *Magnificat*, Alphabeto 86. litera. C. requirunt vt potissimam causam intrinsecam huius perfectionis, independentiam mentis Virginis à corpore in Diuina cognitione, & sapientia. Ex quibus rationibus colligitur, Virginem habuisse hoc genus cognitionis, ab initio suæ sanctificationis: Hoc enim consequenter probant rationes factæ, si alicuius sunt momenti.

Bernardin. *Gerson.*

Dico secundo, verisimile est, beatam Virginem, non solum habuisse infusam simplicem fidem, sed etiam Theologicam sapientiam, qua distinctius cognoscuntur mysteria fidei, & veritates, seu conclusiones, quæ in eis continentur. Iuxta hanc etiam conclusionem possunt intelligi multi ex autoribus in principio huius sectionis citatis, & illi fauet Bernardus dicta homilia quarta, in *Missus est*, dicens, *a principio fuisse cœlitus, ac plene de omnibus mysteriis instructam*: & Anselmus supra dicens. *Licet Apostoli per reuelationem Spiritus sancti edocti fuerint in omnem veritatem: incomparabiliter tamen eminentius, ac manifestius ipsa per eum Spiritum sanctum, veritatis illius profunditatem intelligebat*. Quem imitatur Bonauentu. in lib. de laudibus Virginis capit. octauo. Præterea fauent Sancti supra citati, dicentes, Mariam fuisse Apostolorum magistram, ergo decuit eam esse sapientissimam in omnibus mysteriis nostræ religionis, multo magis quam Apostoli fuerunt: constat autem Apostolos nō

Bernar. *Anselmus.* *Bonaue.*

A solum habuisse habitum fidei infusum, sed etiam habitum scientiæ Theologiç, qui ad explicandam, & defendendam fidem vtilissimus est. Hoc autem fiet verisimilius, si supponamus hunc habitum Theologiæ, si sit perfectus, & inclinans ad assentiendum, cum maiori certitudine, quàm sit omnis certitudo naturalis, esse supernaturalem, & ex natura sua per se infusum, sicut est prudentia infusa, quod est valde probabile, vt nunc suppono ex iis, quæ in principio primæ partis, & in materia de gratia tradi solent. Quo supposito, rationi valde consentaneum est, beatam Virginem habuisse hunc habitum per se infusum, quia decuit illam esse perfectam B omni supernaturali virtute tam morali, quàm intellectuali, statui viatorum accommodata. Præsertim cùm & ad propriam perfectionem, & ad diuinarum rerum contemplationem, & ad aliorum vtilitatem, multum potuerit ei talis scientia deseruire.

Sed quæres, vtrum habuerit hanc scientiam à principio suæ conceptionis, vel à filij incarnatione, vel aliquo alio tempore, vt in die Pentecostes: de his enim tribus temporibus dubitari potest, & coniecturæ in vtramque partem facile afferri. Mihi tamen videtur, omni tempore habuisse, hanc scientiam, non tamen semper cum eadem perfectione, sed in singulis ætatibus per eam C intellixisse omnia, quæ illo tempore erant opportuna, & pro ratione status docebant. Itaque in principio existimo habuisse perfectam scientiam Theologicam earum rerum, quæ ad cognitionem Diuinitatis, & Trinitatis spectant, quia hæc cognitio per se est valde expetenda, & quasi necessaria ad perfectionem viatoris. Habuit etiam perfectam scientiam de promissione Messiæ, & consequenter de mysterio Incarnationis secundum substantiam eius, quia aliqua illius cognitio in omni statu per se fuit necessaria. Vnde perfectio eius pertinebat ad perfectionem status viatoris. Habuit denique eam scientiam infusam, quæ ad intelligendum vetus testamentum sufficeret, quia hæc etiam perfectio decebat Virginem in omni statu vitæ suæ, vt ex supradictis satis

Dubium. *Responsio*

constare

constare potest. Nihilominus tamē potuit ille habitus discursu temporis perfici, tum in intensione, tū etiam fortasse in extensione quadam, & in maiori vsu, & exercitio, cum acquisitione plurium specierum intelligibilium, per quas homo redditur habilior ad ipsius scientiæ operationes. Sed specialiter credi potest aliquibus temporibus accepisse Virginem singulare augmentum huius scientiæ á Deo infusum, vt in incarnatione, vel natiuitate Christi circa ea, quæ ad Christū ipsum, & ad mysterium redemptionis humanæ pertinebant. Quia statui illius temporis consentaneum erat, vt maior cognitio daretur Virgini de mysterio, quod in ipsa, & per ipsam perficiebatur. Et eadem ratione in die Pentecostes accepit ampliorem scientiam de rebus omnibus, quæ ad statum Ecclesiæ Christi pertinent, vt de sacranentis omnibus, de vocatione gentium, & reprobatione Iudeorum, de cessatione legalium, & similibus.

Dubium. Quæres, si ita edocta fuit beata Virgo in omnibus mysteriis fidei, cur in cōtrouersia illa de cessatione legalium, cùm tanta fieret inquisitio, non fuit ipsa ab Apostolis vocata, vt rem totam doceret, & illustraret? Quod enim quidam dicunt eo tempore iam obiisse, falsum esse inferius ostendemus. *Ruper.* Respōdet Rupertus, libro primo in Cantica circa mediū, Virginem interfuisse Concilio, & omnem soluisse quæstionem. Sed hoc neque in Scriptura legitur; neque consentaneū est his, quæ in actibus Apostolorum narrantur; neque est verisimile, quia munus illud in Ecclesia ad statum, & sexum fœmineum non pertinet. Neque oportuit *Responsio.* beatā Virginem ex singulari aliqua dispensatione, illud exercere, tum quia hoc nihil ad eius perfectionem pertinebat, tum maximè, quia eo tempore veluti indicabatur forma futurorum Conciliorum, & docebatur Ecclesiæ modus, qui in definiendis fidei quæstionibus obseruandus esset. Quapropter licet quilibet Apostolus per se posset quæstionem definire: maluerunt tamen publico Concilio rem totam statuere; & ob eandem causam non oportuit, vt Virgo in Concilio adesset, vel loqueretur, quanquam fieri potuerit, vt Apostoli priuatim Virginem consuluerint, & ab illa fuerint instructi.

Dico tertio, verisimilius est beatam Virginem non habuisse scientiam euidentem, & per se infusam supernaturalium mysteriorū. Hæc conclusio videtur contraria nonnullis ex autoribus supra recitatis, sed nihilominus est consentanea antiquioribus Theologis, qui, licet quæstionem hanc ex professo non exagitent; tamen, dum omnino de illa tacent, & hanc scientiam Christo singulariter tribuunt, eam satis indicare videntur. Et idem argumentum sumi potest ex Patribus antiquis, apud quos nullam huius scientię mentionem inuenio, sed solum perfectæ fidei, & illius scientiæ, & sapientiæ, quæ cum perfecta fide coniuncta esse potest. Præterea (vt non disputemus, an cum tali scientia potuisset simul esse fides) tamen vel otiosa esset, vel saltem parum necessaria. Nam, cùm illa scientia sit supernaturalis, & per se infusa, esset eiusdem ordinis cum fide, & non minus certa, ergo superflua esset fides: vel denique multum minui posset meritum, & exercitium eius. Vnde sumitur alia coniectura, quia hæc scientia nō erat necessaria ad perfectionem sanctitatis, & meriti, neque statui viatorum est accommodata, non est ergo sine sufficienti ratione, aut aliquo maiori fundamento ponenda.

SECTIO QVARTA.

Vtrum per speciales reuelationes nonnulla cognouerit Beata Virgo.

IN superioribus sectionibus egimus de cognitione rerum supernaturalium permanente, & per modum habitus, nunc dicendum superest de reuelationibus, seu illustrationibus, quę fieri solent transeunter, & per modum actus. Quæ (vt generatim loquamur) ad duo capita reuocari possunt, scilicet in Verbo, & extra Verbū, seu per visionem Dei clarā, aut per aliquod aliud genus abstractiuę cognitionis.

Dico ergo primò, piè, ac probabiliter credi posse, beatam Virginem in hac vita interdum eleuatam fuisse ad videndum clarè diuinā essentiā breui tempo-

re.

B.Virgo in hac vita interdũ vidit diuinãessentiam. Antoninus Bernard. Albert. Diony. Richel. Gerson. Cassalius. Villanoua Medin. Cyprian. Rupert.

re. Hæc est sententia grauium autorum Diui Antonini quarta par. titul. 15. capit.17.§. 1. *forte*, inquit, *in ipso conceptu, vel partu illi datum est ad horam, vt videret mysterium huiusmodi, vt in patria, sicut Paulus vidit Deum in raptu*. Et affert in huius rei confirmationem verba illa Bernardi homil.quarta in *Missus est*. *Illi soli datum est nosse, cui datum est experiri*: & illa. *Vt qui soli Patri notus est, sit & illi*: & in eandem sententiam citat Albertum. Quam esse certam dixit Dionysius Richelius super Dionysium de Cœlesti hierarchia, articul.decimo octauo: & Gerson Alphabeto.15.titul.octauo, Alphabeto.88.titul. nono: & Vbertinus Cassalius libr. primo, arboris vitę crucifixi capit.nono, circa finem, & Villanoua Archiepiscopus Valentinus, in sermone de ressurrectione: & Medina supra quæstione 27.articul. 5. in fine. Et insinuat Diuus Cyprianus, sermone de natiuitate, his Verbis. *Vnde & matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantior gloria, quæ carnis, & mentis integritate insignis, spiritali, & corporali intus, & extra Christi præsentia fruebatur*. Vbi agit de die natiuitatis, in quo dicit fuisse datam Virgini abundantiorem gloriam, qua Christi præsentia intus, & extra frueretur. Rupertus etiam lib.tertio in Cantic. in ea verba. *Oculi tui columbarum*, dicit Virginem *raptam esse in tertium Cœlum: & vidisse arcana mysteria, quæ non licet homini loqui perfectius, & excellentius, quam Paulum*. Ex quo verbo sumi potest prima coniectura. Quia probabilis sententia est Paulum, & Mosem vidisse aliquando Diuinam essentiam viuentes in corpore mortali, ergo idem de Virgine sentire non solum probabile: sed & probabilius, magisque rationi consentaneum existimandum est, quia omnia priuilegia gratiæ reliquis cõcessa, perfectiori, & abundantiori modo Virgini fuere collata.

Obiectio.

Dicunt aliqui, illud principium esse verum in ijs bonis, quæ ad propriam sanctificationem spectant: priuilegium autem illud videndi interdum Deum in via, non referre ad maiorem hominis sanctificationem, sed solũ esse quoddam donum gratis datum, & ideò licet probabile sit, illud esse concessum Paulo, & Mosi, quia scriptura sacra id

A indicat, & nonnulli sancti ita eam exponunt, non propterea fieri verisimile de beata Virgine, de qua nec scriptura sacra quidquam indicat, neque antiqui Patres aliquid docent, cùm tamen alioqui sit vniuersalis scripturæ lex. *Non videbit me homo, & viuet*. Exodi trigesimo tertio, & apud Ioannem capit.primo. *Deum nemo vidit vnquam*, & apud Paulum, 1. ad Timoth. 6. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*. Sed in primis, sine causa negatur hoc donum inter ea, quæ ad propiam sanctificationem hominis pertinent, esse annumerandum. Non enim per se ad aliorum tantum vtilitatẽ, sed potissimum ad suscipientis bonum, ac perfectionem confert. Magnum enim spirituale bonum secum affert non solum, quia pro eo tempore, quo durat, totam animam B Deo vnit, & singulari eius amore, & caritate inflammat (quod per se satis esset) sed etiam, quia transacta illa visione, memoria, & vestigium eius manens in homine plurimum potest excitare ad eundem Dei amorem, & ad maiorem cum eo familiaritatem, cordisque puritatem. Quo circa, si priuilegium hoc aliquibus hominibus datum esse creditur, immeritò Virgini negatur, non enim oportet aliud speciale testimonium, vel rationem magis propriam spectare ad credenda huiusmodi priuilegia, & singularia beneficia diuinitus Deiparæ esse data. Nam in ipsamet dignitate matris tanquam in radice, & fonte omnia continẽtur, vt supra latè declarauimus agentes de C prima eius sanctificatione. Præsertim cùm non desint autores graues, & sancti, qui ita sentiant.

Exodo.33. Ioann.1. 1.Timot.6 Responsio

Addo denique, simpliciter loquendo probabilius fortè esse, neque Paulum, neque Moysem donatos fuisse dum adhuc vitam mortalem agerent, claro conspectu Diuinæ essentiæ. Quia reuera scriptura sacra hoc non affirmat, si recte intelligatur, vt frequẽtius á sanctis Patribus intelligitur, & ablato scripturæ testimonio, nullum est fundamentum, neq; sufficiens ratio, vt illos à generali regula scripturę excipiamus. Hoc verò non obstante, de B.Virgine pie satis, ac probaliter creditur interdum vidisse in hac vita Deũ, vel in die Incarnationis

aut

aut Natiuitatis Christi, propter singularem matris dignitatem, ad quam tunc electa est, vel in die Resurrectionis, propter incredibilē dolorē, quem in Christi passione sustinuit, vel aliis temporibus opportunis iuxta diuinæ sapientiæ dispositionem.

Obiectio. *Athanas.* Contra hanc verò conclusionem obiici potest Athanas. sermone de sanctissima Deipara, vbi negat, vidisse beatā Virginem in die Incarnationis Verbum, seu Incarnationis mysteriū, prout in se est.

Responsio. Et in quæstionibus ad Antiochū, quæstione duodecima generalius negare id videtur de toto tempore vitę. Sed hoc posterius testimonium incertum est. Ad vtrumque verò, licet fateamur Athanasiū fuisse illius sententiæ id non obstat, quominus contraria sententia probabiliter defendi possit.

Dico secūdo, extra Verbū, seu per cognitionem abstractiuam etiā habuit Beata Virgo in hac vita varias, ac multiplices reuelationes. Conclusio est certa; & probatur primo, generali ratione, quia hoc beneficium, & significatio diuini amoris, & familiaritatis ferè omnibus hominibus, qui singulari dono sanctitatis excelluerunt, concessum est, & præsertim virginibus, & statum contemplatiuæ vitæ profitētibus, vt ex historiis, quæ gesta sanctorum continent, satis constat, ergo multo magis hoc beneficium concedendum est Virgini. Deinde ante filij conceptionem, dum in templo habitaret, frequentes habuisse diuinas illustrationes, & Angelorum conspectus docēt Ambros. Hieronym. Gregorius Nicomediēsis, & alij Patres, quos supra retuli, disputat. septima, in initio, & disputatione nona, sectione tertia. In filij autē conceptione, primùm accepit insignem illam reuelationem, quam per Angelum Gabrielem factam Lucas narrat, capitulo primo. Addit prēterea Anselmus, libr. de excellentia Virginis, capitulo septimo, *Accepisse Virginem ea hora, qua filium concepit, suæ prædestinationis, & super omnes choros Angelorum exaltationis, certam, atque indubitatam reuelationem.* Quod etiam sentit Damascen. oratione prima, de dormitione Deiparæ. Post Incarnationem verò inter diuinas reuelationes computari potest, quòd Christus post resurrectionem

Multas in vita reuelationes Virgo habuit.

Ambros. Hieron. Gre. Nico.

Luc. i. Anſel.

Damasce.

A suam illi ante cæteros apparuit, suamque gloriam euidenter ostendit, vt infra suo loco tractabimus. Huc etiā spectat, quòd post Ascensionem suam, Christus illam frequenter visitasse, ac docuisse creditur, vt affirmat Rupertus, libro tertio in Cantica, & eleganter Laurentius Iustinianus, sermone de Assumptione, dicēs, *Neque Angelica tantum, verum etiam filij iugiter visione, ac colloquio exultauit; illi enim cœlestis visio debebatur, cui incōparabilis gratiæ inerat plenitudo.* Hinc denique Andreas Cretēsis, sermone de Assumptione, Virginem vocat *fontem, qui non posit exhauriri diuinarum reuelationum.*

Ruper. *Lau. Iusti.* *And. Cret.*

B Sed quæret aliquis, qualis esset cognitio, quæ per has reuelationes Virgini cō municabatur? Respondetur, non posse aliquid certum, quodque omnibus reuelationibus commune sit affimari: sed pro diuersitate obiectorum, ac rerum, vel opportunitatum credendum est fuisse qualitatem cognitionis. Itaque sæpe erat cognitio fidei, vt patet in reuelatione, quę de cōceptione filij Dei, & hominis per Gabrielem facta est. Et idem est credibile de reuelatione propriæ salutis, & prædestinationis (si verum est, illam habuisse) interdum verò fortasse eleuabatur, vt clare videret, ac intueretur rem, quæ sibi reuelabatur, vel personā, per quam fiebat reuelatio, vt supra cum Athanasio, quæst. C duodecima ad Antiochum diximus, vidisse clarè, & in se Gabrielem Angelum sibi Incarnationem Christi nuntiantem. Denique nonnulla mysteria potuit cognoscere per euidentiam in attestante, sicut Prophetæ interdum illa cognoscebant. Nam, quòd ipsa verum, ac perfectum Prophetiæ donum habuerit, in sequenti disputatione probandum est,

Dubium. *Responsio.* *Athanas.*

SECTIO V.

Vtrum habuerit beata Virgo humanam scientiam rerum naturalium.

QVæstio hæc intelligi potest de scientia acquisita, & infusa, rursus de infusa, tam per accidens, quàm per se (suppono enim de rebus etiam, & obiectis naturalibus posse homini communicari scientiam per se infusam: vt in priori tomo agentes de scien-

de ſcientiis animæ Chriſti, latius diximus.) Quidam ergo exiſtimant habuiſſe Virginem ſcientias omnes naturales, & humanas per accidens infuſas. Ita ſentit Antoninus, tertia part. titul. 15. capit. 19. §. 2. & in eandem ſententiam refert Albertum. Et ſuaderi poteſt primo, quia Adam habuit has ſcientias infuſas. Secundo quia hæ ſcientiæ ſunt neceſſariæ primum ad perfectionem ſcientiæ Theologicæ, in qua, diximus beatam Virginem fuiſſe inſtructiſsimam: deinde ad exactam ſcripturarum intelligentiam, denique ad ſcientiam morum, & prudentiam, quam ſupra diximus habuiſſe Virginem ab initio infuſam, non tantum per ſe, ſed etiam per accidens. Alij verò addunt, habuiſſe Virginem, harum rerum ſcientiam etiam per ſe infuſam, vt poſſet ſpirituales ſubſtantias, Angelos, & animas, prout in ſe ſunt, perfecte cognoſcere, ac contemplari. Quę ſententia tribui ſolet Iacobo Chriſtopolitano, in tractatu quodam ſuper Canticum *Magnificat*.

Antoninus Albert.

Iacob Chriſtopolit.

Mihi tamen videtur, primo eſſe veriſimilius, non fuiſſe communicatam Virgini in hac vita ſcientiam rerum naturalium, naturalem capacitatem intellectus humani ſuperantem, & ita hoc ſenſu non fuiſſe illi datam ſcientiam per ſe infuſam huiuſmodi rerum. Hæc concluſio non aliter probatur, niſi, quia de hac ſcientia Virginis nulla eſt mentio apud Doctores ſanctos, & antiquos Theologos, & alioqui nec neceſſaria illi fuit ad propriam ſanctitatem, & perfectionem, neque ad munus, & officium, ad quod aſſumpta fuit, non enim futura erat magiſtra ſcientiarum, aut veritatum naturalium. Præterea ſcientia huiuſmodi non eſt debita ſtatui viatoris, neque ad perfectionem fidei neceſſaria. Adhæc, ſcientia hæc de ſe vniuerſalis eſt, & primario circa res ſupernaturales verſatur, diximus autem, de rebus ſupernaturalibus non habuiſſe Virginem huiuſmodi ſcientiam, cur ergo exiſtimabimus, habuiſſe illam de rebus naturalibus, quarum cognitio minus eſt neceſſaria? Quôd denique beata Virgo habuerit cognitionem propriam ſubſtantiarum ſpiritualium, prout in ſe ſunt, nullum eſt argumentum, quôd habuerit A hanc ſcientiam per ſe infuſam, de qua in hac concluſione loquuti ſumus. Primùm quidem, quia non fuit neceſſe, vt habuerit illam cognitionem permanenter, ac per modum habitus, ita vt arbitrio ſuo poſſet, cum vellet, ſpirituales ſubſtantias intueri, hoc enim nulla ſufficienti ratione, vel autoritate conſtat, ſed ſolum quòd aliquando Diuina reuelatione ad huiuſmodi cognitionẽ fuerit eleuata. Deinde, quia licet concedamus habuiſſe illam cognitionem habitualem, potuiſſet fieri per ſpecies proportionatas animæ ſeparatæ confortando ſolum intellectum Virginis, vt poſſet illis, vti independenter à corpore mortali, nulla ergo ratione videtur hęc ſcientia per ſe infuſa neceſſaria Virgini, nec ſine aliquo maiori fundamento aſſerenda. B

Dico ſecundo, veriſimile eſſe habuiſſe beatam Virginem per accidens infuſam eam cognitionem rerum naturalium, vel moralium, quæ ad perfectam ſcripturarum intelligentiam, & ad perfectionem Theologicæ doctrinæ, item ad penetranda, explicanda, ac ſuadenda fidei myſteria, denique ad conſummatã prudentiam, & cognitionem rerum agẽdarum illi fuit neceſſaria, aut expediens. Hæc concluſio ex ipſis terminis videtur per ſe probabilis. Nam huius modi ſcientia naturalis ex ſe, non eſt admodum neceſſaria Virgini, neque ita accõmodata ſtatui, & cõditioni eius, vt propter ſe eſſet expetenda, aut inquirenda. Et ita (vt mea fert opinio) in harum C ſcientiarum vſu parum ſe exercuit, libentius enim, ac vtilius ſupernaturalium rerum cognitioni, & contemplationi vacabat. Nihilominus tamen hæc naturalium veritatum cognitio, ad eos fines, quos in concluſione explicuimus, valde vtilis eſt, ac neceſſaria. Oſtendimus autem decuiſſe beatam Virginem habere omnem illam ſupernaturalis cognitionis perfectionem, ergo credendum eſt, habuiſſe eam naturalem cognitionem, quæ ad ſupernaturalem neceſſaria eſt: non eſt autem veriſimile proprio labore, ac induſtria paulatim illam acquiſiuiſſe, quia (vt diximus) non decuit eam in huiuſmodi actionibus occupari, ergo veriſimile

Qualiter Virgini ſcientia rerum naturalium ſit infuſa.

eſt

est habuisse hanc cognitionem vel omnino, vel maiori ex parte dono datam à Deo. Quanquam potuerit etiam ex principiis cognitis, plurium veritatum cognitionem elicere: plurimum enim valebat ingenio, & pacatissimum habebat animum, vt facillimè posset quasdam veritates ex aliis indagare.

Dubium. Quòd si quis inquirat, quando fuerit illi infusa hæc cognitio, & an simul habuerit totam eius perfectionem, vel per discursum, aut interualla temporis. Re-

Responsio spondetur rem esse incertam: solumque dici posse eo tempore, & modo illam habuisse, quo secundum ordinem Diuinæ sapientiæ, & iuxta conditionem, & statum vitæ eius conueniens fuit.

SECTIO VI.

Vtrum in beata Virgine, aliqua fuerit ignorantia.

DVplex à Dialecticis distinguitur ignorantia, alia positiua consis- B tens in errore, quæ dicitur *praue dispositionis*. Alia est priuatiua consistens in carentia scientiæ, quæ dicitur *ignorantia negationis*, quæ à Theologis distin-

Ignorantia quotuplex. gui solet in propriam ignorantiam priuatiuam, quæ dicit carentiam scientiæ debitæ, aut conuenientis alicui iuxta illius statum, & conditionem, & hæc proprie meretur *ignorantię* nomen: alia est per solam negationem scientiæ possibilis, non tamen debitæ, aut pertinentis ad hominis statum, & hæc non propriè dicitur ignorantia, sed negatio scientiæ.

Prima ergo sententia esse potest, beatam Virginem interdum habuisse in- C

Gerson. tellectu errorem, & in phantasia falsas imaginationes. Ita sentit Gerson Alpha. 15. liter. S. qui solum loquitur de eo tempore, quo Virgo dormiebat, in quo dicit potuisse habere falsa somnia. Gene-

Cordub. ralius tamen etiam de tempore vigiliæ, & de proprio iudicio erroneo hoc docuit Cordub. libr. primo, Theologica-

Luc. 2. rum quæstionum, quæstione quadragesima sexta, fundatus in verbis illis

Luc. 1. & 2 Lucæ. 2. *existimantes autem illum esse in comitatu.*

Secunda sententia esse potest fuisse A in Virgine ignorantiam priuatiuã: quia (vt constat ex Euangelio Lucæ. 1. & 2.) multa non intelligebat, & ideò interdum admirabatur, & conseruabat verba quæ audiebat, eaque in corde suo conferebat, interdum interrogabat. *Quomodo fiet istud?* denique de illa, & Iosepho expresse dicitur. *Et ipsi non intellexerunt*, nimirum Christi domini responsionem.

Dicendũ verò est primo, in intellectu beatæ Virginis nunquam fuisse errorem, neque ignorantiam prauæ dispositionis. Hæc conclusio apud me certa est, & contraria pias aures offendere videtur, eamque supponere videntur omnes autores, qui tribuunt Virgini donum iustitiæ originalis, ab initio sanctificationis suæ: expresse vero id docuit Bartholomæus Medina supra, quæstione trigesima, articul. 1. Probatur autem primo, quia in statu innocentiæ non fuisset illa imperfectio erroris. Beatę autem Virgini communicata est omnis perfectio illius status iis exceptis, quæ corpori mortali, & passibili repugnant: omnis enim huiusmodi perfectio statum, ac dignitatem Virginis decebat. Secundò, quia error, vel deceptio pœna est per peccatum introducta, vt ex prima ratione constat, & ex D. Thoma. 1. 2. quæstio. 85. articul. 3. ergo sicut beata Virgo non contraxit culpam, ita neque hanc pœnam. Diximus enim in superioribus, sicut beata Virgo fuit prę seruata à culpa, ita fuisse præseruatam ab illis pœnis, quę magnam aliquam indecentiam, & spiritualem imperfectionem continent, inter quas sine dubio annumeranda est pœna erroris, & deceptionis non minus, quàm quælibet alia inordinatio virium animę. Vnde oritur tertia ratio, quia beata Virgo habuit plenum dominium suarum potentiarum, summamque prudentiam, absque vllo inordinato motu, ergo poterat facilè nũquã definitè iudicare de rebus incertis: sed vel suspẽdere iudiciũ vel iudicare hoc esse probabile, aut verisimile, vel apparens, vel aliquid huiusmodi. Hæc enim existimatio sufficit ad operandum prudenter, & qui non vult se exponere periculo errandi, si perfecte dominatur suis actibus, cum hac moderatione iudicat, ad eò vt ipsi etiam beati

Nullus error ignorãtia prauę dispositionis in intellectu Virginis.

D. Thom.

de

de his rebus, quas certo non norunt, A non aliter iudicium ferant, nisi Diuina reuelatione instruantur: quos in hac perfectione imitatam esse beatam Virginem credibile est, cum & facile potuerit, & melius, ac perfectius, hoc sit.

Et hinc facile exponi possunt verba illa, *Existimantes illum esse in comitatu*. Primo, per Synecdochem, vt scilicet pluraliter dicatur de multis, quod in aliquo tantum accidit, sicut dicuntur latrones blasphemasse Christum, quamuis alter tantum blasphemaret. Sic enim dici potuerunt parentes Christi existimasse illum esse in comitatu, quia Ioseph ita existimabat. Vnde Rupertus libro primo in Cantica docet, Virginem optimè tunc temporis cognouisse, vbi filius esset: sed quia erat tempus tacendi, dissimulasse, atque ita se gessisse, ac si id ignorasset, & existimasset filium esse in comitatu. Quod tamen absolute, & simpliciter non placet. Patres enim simpliciter intelligunt Euangelicam historiam, prout sonat, atque sentiunt beatam Virginem ignorasse, vbi Christus tunc esset, quia hoc nullam imperfectionem importat, quæ Virginem non deceat, & propter mysterium expedire potuit, vt tunc se Christus matri occultaret, quod etiam illi ad meritum, & nobis ad exemplum prodesse poterat. Secundo ergo exponi possunt illa verba, C parentes Christi existimasse eum esse in comitatu, non simpliciter iudicando, ita esse iudicio falso, ac erroneo, sed solum iudicando id accidere potuisse, & ex signis, & circunstantiis occurrentibus, id fuisse verisimilius, quod iudicium verum erat: & sufficiens ad illa omnia, quę ab Euangelista narrantur. Et eodem sensu piè exponendos censeo expositores sacros, si alicubi falsam existimationem Virgini tribuere videantur, vt circa eandem historiam, quod perdiderit filiũ existimando rediisse cum Iosepho, & si quæ sunt similia.

Rupert.

Dico secundo, beatam Virginem non omnia semper sciuisse, sed pro temporum varietate nonnulla ignorasse negatiuè: nihilominus tamen nunquam habuisse proprie ignorantiam priuatiuam. Prior pars nota est, ex Euangelio Lucæ primo & secundo: vt inter referendum secundam sententiam dictum est. Ratio verò solum est, quia sicut non oportuit, illam semper esse beatam, ita etiam neque fuit necessarium, neque cõsentaneum statui eius, vt omnia sciret, & ideò neque ante Angelicam annuntiationem sciuit se futuram matrem Dei, neque modum conceptionis, & similiter post incarnationem non omnia futura semper cognouit, neque quæ in loco distanti fiebant, neque omnes circũstantias mysteriorum Christi: Quo sensu piè exponendus est Origenes homil. vigesima in Lucam, dum negat habuisse Virginem eo tempore fidem plenam omnium mysteriorum, scilicet quoad distinctam B cognitionem rationum omniũ, ac circunstantiarum illorum. Altera pars explicatur, quia beata Virgo omni tempore vitæ suæ eam omnium rerum cognitionem habuit, quæ pro ratione sui status illi maximè expediebat, hoc enim illius dignitatem, & perfectionem decebat, ergo non habuit propriè ignorantiam priuatiuam, qnæ huic cognitioni opponitur, vt in principio sectionis expositum est.

Luc. 1. & 2.

In intellectu Virginis ignorãtia non fuit.

Origen.

Contra hanc vero posteriorem partem solum video obiici posse verbum illud Lucæ secundo. *Et ipsi non intellexerunt*. Cùm enim Christus de Patre suo æterno loquutus esset, & beata Virgo illius verba non intellexerit, videtur illa ignorantia fuisse valde moralis, ac propria, & de re ad statum eius valde pertinente. Respondetur, si verba illa ad Virginem referantur (non enim desunt, qui vel propter circunstantes, vel per Synecdochen propter Ioseph, dicta esse existiment) tamen, si de Virgine intelligantur, non potest esse sensus eam non intellixisse Christum, cum dixit. *Nesciebatis, quia in his, quę patris mei sunt, oportet me esse*, de suo æterno Patre fuisse loquutum. Tam clarum enim hoc erat, vt neque Ioseph in hoc hæsitare potuerit, Sciebant enim Christum, non habere Patrem alium in terris. Et licet verisimile sit, Christum interdum Iosephum ipsum patris nomine appellasse: tamen euidens erat, Christum non dixisse illa verba propter Ioseph, tum quia in numero multitudinis loquutus est. *Nesciebatis*

Obiectio.

Responsio.

batis, quia in his, quæ Patris mei sunt, &c. Patrem suum ab vtroque distinguens. Tum etiam, quia manifestum erat Christum illis diebus non tractasse negotia, quæ ad Ioseph pertinerent. Quanuis ergo beata Virgo rectè intellexerit Christum loqui de Patre suo cœlesti, dicitur tamen non intellexisse Christi verba, quia non satis comprehendit, quæ nam essent res illæ ad æternum Patrem pertinentes, in quibus Christum occupari, & propter eas parentes suos relinquere: oportuerat vel etiam quia non intellexit, an significare voluerit Christus appropinquasse iam tempus manifestandi seipsum mundo, & inchoandi humanam redemptionem, vt notauit Iansennius capit. vndecimo Concordiæ: Et hoc modo explicatis illis verbis non attribuitur Virgini aliqua ignorantia priuatiua: sed solum carentia scientiæ alicuius rei, quæ ad ipsam illo tempore minimè spectaret. *Iansen.*

ET ex ijs facile intelligitur, quo modo in beata Virgine, potuerit esse vera, ac propria admiratio, tum quia in ea fuit noua rerum cognitio, quæ admirationem parere solet: tum etiam, quia de rebus antea cognitis, si noua quadam attentione considerentur, aut nouo modo proponantur, potest etiam admiratio oriri, vt latius in priori tomo diximus agentes de Christi admiratione in commentar. artic. octauo quæstione. 8.

DISPVTATIO XX.

in tres sectiones distributa.

De gratiis gratis datis Beatæ Virginis.

HÆc sola superest disputatio de donis supernaturalibus Deiparæ collatis in statu viæ, quam pro materiæ dignitate breuissimè expediemus, has gratias gratis datas ad tria capita reuocantes. Quædam enim ad cognitionem, quædam ad sermonem, quædam denique ad operationem spectant, de quibus figillatim dicendum.

SECTIO. I.

Vtrum habuerit beata Virgo gratias gratis datas ad cognitionem pertinentes.

PRæcipua harum gratiarum est prophetia, ad quam spirituum discretio reuocatur, interpretatio item sermonum in quodam sensu sub hoc capite comprehendi potest.

Dico ergo primò beatam Virginem verè, ac propriè fuisse prophetissam, atque adeò habuisse gratiam prophetiæ. Conclusio est certa, & communis Sanctorum, quam colligunt ex Lucæ. 1. vbi beata Virgo, cùm dixit, *Magnificat anima mea Dominum, &c.* prophetico spiritu loquuta est. Vnde Ambros. ibi. *Quo maior,* inquit, *est persona, eo plenior est prophetia.* Quamobrem Basilius exponens illa verba Isai. 8. *Accessi ad prophetissam, & in vtero concepit,* de beata Virgine illa interpretatur, dicens. *Quod Maria prophetissa fuerit, ad quam proxime per spiritus prænotionem accesserit Isaias, nemo contradixerit, qui sit memor verborum Mariæ, quæ prophetico afflata spiritu eloquuta est, Magnificat anima mea Dominum.* Et inferius. *Quod si animum ad vniuersa eius verba accommodaueris, non vtique per dissidium negaueris, quod fuerit prophetissa.* Eodem modo exposuit illa verba Isaiæ Cyrillus libr. 1. in Isaiam, orat. 5. dicens. *Sanctam Virginem prophetissam vocat:* & eandem amplectuntur Nazian. orat. 42. quæ est secunda in Pascha, Epiphanius hæres. 78. sub finem, Gregor. Nyssenus lib. de testimoniis ex veteri testamento contra Iudæos, cap. de natiuitate Christi ex Virgine, Euseb. lib. 7. de Demonst. capit. 6. Hieronymus verò in Isaiam (licet aliam sequatur expositionem) subdit tamen. *Quidam prophetissam sanctam Mariam interpretantur, quam prophetam fuisse, non dubium est. Ipsa enim loquitur in Euangelio. Ecce enim a modo beatam me dicent omnes generationes.* Augustinus etiam. 17. de Ciuitat. capit. vltimo. *Istorum,* inquit, *quinque prophetatio, scilicet, Zachariæ, Elisabeth, Simeonis, Annæ, & Ioannis Baptistæ, ex Euangelio nobis nota est, vbi & ipsa Virgo mater Domini, ante Ioannem prophetasse inuenitur.* Præterea Rupertus libro primo, in Cantica

Luc. 1. Virgo veram habuit gratiã prophetię. Ambros. Basil. Isai. 8. Cyril. Gre. Naz. Epiphan. Gre. Nyss. Euseb. Hieron. August. Rupert.

tica, eam vocat *Prophetissam Prophetarum, quia & prophetas docuit, & de ipsa omnes prophetæ prophetarunt.* Idemlib.1.de Trinit. & eius operibus in Isaiamcap.34. Diuus Thom.supra.quæstio.27.articul. quinto, ad.3.Adamus Isaiæ.8.Galatinus libr.7.de arcanis cap.4 5.& 12.Et ad hoc confirmãdum valent, quæ supra diximus de reuelationibus Beatæ Virgini factis Nam ferè illę omnes reuelationes Prophetiæ dici possunt. Ratio verò generalis tam huic gratię, quam cæteris omnibus communis est quia Beata Virgo ita fuit plena gratiæ, vt quidquid alijs per partes datum est, totum simul in ea fuerit cumulate perfectum, sicut dignitatem eius decebat.

D.Thom. Adamaſ. Galatin.

A

Et ex hac conclusione infertur obiter, accepisse Virginem aliquo modo donum illud, & singulare Spiritus sancti auxilium quod solet dari scriptori sacro ad canonicam scripturam scribendam. Nam sicut scriptori canonico Spiritus sanctus dictat singula verba, ita Beatæ Virgini dictauit singula verba, quæ in illo celebri cantico. *Magnificat anima mea dominum*, protulit, quæ omnia, sicut ab ipsa prolata sunt, Lucas Euangelista scripsit (hoc enim & ad fidem historiæ, & ad reuerentiam debitam Virgineis verbis pertinet) canticum autem illud canonica est scriptura non solum quasi materialiter, ideſt, quia euangelista refert Beatam Virginem illud protulisse: sed etiam formaliter, ac per se, vt ab ipsa Virgine prolatum est, & vt tale recipitur ab vniuersa Ecclesia, fuerunt ergo singula verba illius á Spiritu sancto dicta ta. Habuit ergo tunc donum, & gratiam, de qua loquimur. Nam quôd hęc detur ad loquendum, vel scribendum, non variat rationem doni, quod ad gratiam prophetiæ reuocari potest, vel (vt alij volunt) ad interpretationem sermonum. An verò Beata Virgo aliquid scripserit non constat. Nam epistola quędam ad Ignatiũ, quæ nomine eius circunfertur, incertæ autoritatis est, si tamen Ecclesiæ constaret, illam, vel aliquam aliam fuisse a B. Virgine scriptam, nemo (vt existimo) dubitaret, quin inter canonicas scripturas esset annumeranda.

B

Dico secundo datam fuisse Virgini gratiam interpretationis sermonum. Probatur conclusio, quia si hæc gratia exponatur in sensu superius tractato, iam constat fuisse in Virgine: si autem intelligatur esse speciale donum, & auxilium Dei ad veram scripturæ sacrę intelligentiam assequendam, in præcedenti disputatione ostendimus, quantum Beata Virgo in hac cognitione excelluerit, quam certum est non tantum proprio labore, & ingenio fuisse assequutam, sed multo magis ope, ac inspiratione diuina. Confirmatur, & declaratur, quia hęc gratia quanuis propter vtilitatem aliorum potissimum dari soleat multum tamen ad propriam suscipientis perfectionem confert, non solum quatenus intellectum illustrat: sed etiam quatenus ad excitandam, & mouendam voluntatem adiuuare potest: vtraque autem ratione oportuit dari Virgini, scilicet & propter eius perfectionem, & propter aliorum vtilitatem, quia futura erat magistra Apostolorum, & Euangelistarum, quibus hoc donum datum est, quia futurierant lux mundi, ergo multo magis debuit dari Beatę Virgini, quę ipsorum lux futura erat, cuiusque *vita inclita* (vt Ecclesia canit) *cunctas illustrat Ecclesias*.

C

Dico tertio, datam præterea esse Beatæ Virgini gratiam illam, quę dicitur *discretio spirituum*. Potest autem hęc gratia duobus modis explicari, primo vt sit internum lumen, seu reuelatio, per quam homo intuetur interiores cogitationes cordium, quę cognitio per modum scientiæ habitualis infusæ soli Christo communicata creditur. Vnde non existimamus Virgini tribuendam, iuxta ea, quæ precedenti disputatione diximus: non est tamen incredibile, interdum per specialem reuelationem Spiritus sancti datum esse Virgini, vt aliorum cogitationes posset intueri, prout expedire aliquando potuit vel ad res agendas, vel ad aliorum vtilitatem. Hæc enim gratia sic explicata pars est prophetię, & alijs sanctis interdum communicata est, præsertim initio nascentis Ecclesię, quoniam plurimum conferre poterat ad persuadendam fidem, & confirmandos eos, qui credere incipiebant, vt colligitur ex primæ ad Corinr. decimo quarto. Alio modo exponi potest hæc gratia, vt significet speciale donũ Spiritus sancti ad discernendum, á quo spiritu bono, vel malo interiores cogitationes, ac desi

1.Cor.14.

Gratia discernendi spiritus virgini data.

ac desideria proueniant, tam in ipsomet, qui donum hoc recipit, quàm in aliis. Quod ergo pertinet ad proprios interiores motus ipsius Virginis, certum est in omni ætate, ac vitæ suæ tempore habuisse singulare Spiritus sancti auxilium, vt certissimè iudicaret omnes suos motus, & effectus ab Spiritu sancto esse profectos, quia singulari modo ab Spiritu sancto regebatur, & nullam mentis cogitationem, aut motionem habere potuit veluti ab extrinseco motore inspiratam, quæ non esset à bono spiritu, quia caruit fomite, & omni interna de ordinatione potentiarum, vt in superioribus ostensum est. Quo circa licet exterius tentari potuerit, sicut tentatus fuit Christus; non tamen interius per inordinatum aliquem affectum, vel motum. In exterioribus verò tentationibus, vel apparentibus reuelationibus (si fortasse interdum eas passa est, in hoc enim potuit Christo assimilari, quanuis incertum id sit) in ijs, inquam, occasionibus credendum est, ita fuisse ab Spiritu sancto illuminatam, partim per infusam prudentiam, partim per hanc gratiam discernendi spiritus, vt certitudine quadam infallibili posset inter bonum, & malum spiritum diiudicare. Cuius sufficiens argumentum est diuinum illud colloquium, quod cum Angelo Gabriele habuit, in quo tanta prudentia vsa fuit, *vt omnia verba eius a sapientiæ thesauro profecta, & a Spiritu sancto dictata*, esse videantur, sicut Damascenus dixit oratione prima de Assumptione. Denique (quòd attinet ad discernendos spiritus aliorum) credendum est beatam Virginem etiam in hoc habuisse gratiam singularem, non solum, propter summam experientiam, quam de rebus spiritualibus habuit, sed etiam, per speciale Spiritus sancti donum, quo maximè indiguit post Christi Domini Ascensionem. Erat enim tunc omnium magistra, ad quam consilij causa fideles vndique confluebant, vt ex Epistolis Ignatij, & ex aliis Patribus supra citatis constat. Addit Diuus Antoninus, hanc gratiam discernendi spiritus fuisse quodam modo debitam summæ Virginis humilitati. Cùm enim Beatus Antonius, vniuersum mundum videns plenum laqueis inter se connexis, exclamasset. *Quis euadet laqueos istos?* responsum ei est, *sola humilitas*. Summæ igitur, humilitati Virginis datum est, vt omnes Dæmonum deceptiones posset agnoscere, atque ita spiritus discernere.

Damas.

Ignat. Antonin.

SECTIO.II.

Vtrum habuerit beata Virgo gratias illas, quæ circa sermonem versantur.

Gratiæ hæ quatuor sunt, sermo fidei, scientiæ, sapientiæ, ac donum linguarum.

Gratia fidei Virgini data.

Primo igitur, gratia fidei dupliciter exponitur, primò vt non tantum ad sermonem, sed etiam ad interiorem mentis actum referatur, & importet singularem, & extraordinarium modum certitudinis in rebus fidei credendis, vel absolutè, & per se, seu quasi speculatiuè, vel practicè in ordine ad aliquid operandum. Et hoc sensu nemo dubitare potest, quin beata Virgo gratiam fidei habuerit, quia omnibus modis habuit perfectissimam mentis fidem, vt sæpe in superioribus ostensum est. Alio modo refertur hæc gratia fidei ad sermonem, & nihil aliud est, quàm speciale donum Spiritus sancti ad proponendas, & explicandas res fidei modo accommodato hominibus simplicioribus, & rudioribus, præsertim cùm primum ad fidem veniunt. Et hoc etiam sensu per se satis credibile est habuisse Virginem huiusmodi donum, seu auxiliũ, quia (vt diximus) omnium magistra fuit, & omnibus omnia fieri oportuit.

Secundo, ex eodem principio constat habuisse gratiam sermonis scientiæ, & sapientiæ, quæ nihil aliud sunt, quàm vires, & facultates quædam, seu auxilia ad explicandas facile, & confirmandas res fidei per causas, & rationes, vel superiores, vel inferiores. Cùm enim beata Virgo de rebus fidei cum simplicioribus, & cum sapientioribus tractaret, omnibus modis oportuit in eis tum intelligendis, tum explicandis esse instructam. De quibus gratijs plura videri possunt in Diuo Antonino. 4. part. tit. 15. cap. 19. §. primo & secundo.

Antonin.

Obijci verò potest D.Thomas.quæst. 27.ar.5.ad.3.Vbi negare videtur,habuisse Virginem vsum sapientiæ quantum ad docendum,quia hoc non conueniebat sexui muliebri,secundum illud.1.ad Timot.2.*docere autem mulierem non permitto*. Respondetur tamen cum Caietan.ibi,illud esse intelligendum de vsu docendi publicè, & pro concione,priuatim enim docere, vel instruere aliquem de rebus fidei,interdum decet etiam fœminas, & in superioribus ostendimus,Beatam Virginem Apostolos etiam docuisse. Quin potius Rupertus libr.quinto in Cantica contendit,interdū etiam publice docuisse. Nam ob singularem aliquam rationem aliquando concessum est hoc fœminis, vt de Maria Magdalena legimus.Sed hoc dictum Ruperti incertum est.

Obiect'o. D Thom. 1.Timot.2

Responsio Caietanus.

Rupert.

B

Tertio,hinc oritur ratio dubitandi de dono linguarum,quia videtur dari ad publicas functiones, & conciones,& ideó videri potest hæc gratia nō fuisse Virgini necessaria. Et ita Caietanus dicta quæst.27. artic.quinto,negare videtur Beatam Virginem habuisse vsum huius gratiæ, quod est negare illi hanc gratiam,quia hæ gratiæ gratis datæ in vsu consistunt non in aliquo habitu. Sed nihilominus verisimilius creditur non defuisse Virgini hanc gratiam,vt docent Albertus in Mariali,& Antoninus supra, §. 8. qui existimat in die Pentecostes simul cum Apostolis hoc donum accepisse,vt nihil spiritualis gratiæ illi deesset. Quod etiam potest colligi ex Athanas.serm.de Deipara,dicente,*Virginem omnibus gratijs abundasse*.Et confirmatur,quia initio Ecclesiæ, frequenter dabatur hoc donum fidelibus non solum illis,qui futuri erant prædicatores euangelij,sed etiam alijs ferè communiter,vt constat Act.8.&.19.quid ergo mirum,quód fuerit beatæ Virgini concessum?Eo vel maxime,quod licet beata Virgo, non esset ad varias nationes,ac gentes migratura, vt eas doceret:verisimile tamen est, & ex Patribus,ac historijs colligitur,fideles ex varijs nationibus ad illam confluxisse, tum pietatis causa,tū vt ab ipsa magis instruerentur,ac in fide confirmarētur, oportuit ergo,vt & illos intelligeret,& ab illis intelligi posset,quæ duo sunt huius gratiæ munera.Denique mihi est probabile etiam an

Caietan.

Donum linguarum virgini datum

Alber.

Antonin.

C

Athanas.

Act. 8.& 9.

te illa tempora habuisse vsum huius gratiæ (si fortasse necessitas,vel occasio illū postulauit) vt v.g. quando Christus adoratus fuit à Magis,credibile est illos intellexisse, vel cùm peregrinata est in Aegyptū, Aegyptiorum lingua vti potuisse.

A

SECTIO. III.

Vtrum beata Virgo habuerit gratias ad operationem pertinentes.

DVæ sunt huiusmodi gratiæ, scilicet gratia miraculorum,& gratia sanitatum,quæ ad vnā reuocari possunt quia sanitatis restitutio,prout per huiusmodi gratiam fit,præter naturam, & extraordinariam legem est,& ideò inter miracula computari potest. De gratia ergo miraculorum generatim dicta,vt has duas gratias comprehendit D.Tho.q.27.arti.5. ad.3 negat B. Virginem in vita mortali habuisse vsum huius gratiæ, quód est dicere non habuisse illam,quia hęc etiam gratia in vsu consistit.Fundamentum est,*quia tūc temporis confirmanda erat doctrina Christi miraculis,& ideo soli Christo,& discipulis eius, qui erant baiuli doctrinæ Christi,cōueniebat miracula facere*.Et hanc sententiam sequens Caiet.ibi,addit aliud fundamentum, quia solida Theologia fundatur in sacra scriptura:ex sacra autem scriptura non habemus,B.Virginem dum vixit in vita mortali fecisse miracula,

D. Thom.

Caiet.

Contrariam vero sententiam docent Albertus in Mariali,& D.Antoninus supra §.5.&.6.& Rupertus libro.3. in Cantica, dum in vniuersum docet,Beatam Virginem habuisse omnes gratias gratis datas, & eodem modo citari potest pro hac sententia Athan.dicto sermon.de sanctissima Deipara.Et hęc sententia simpliciter videtur vera:vt tamen eam explicemus: oportet & varia tempora,& varia miraculorū genera,seu varios modos illa operandi,distinguere.

Alber. Antonin. Athanas.

Primo igitur de tempore,seu ętate Virginis,antequam filium conciperet, nec constat, nec aliqua verisimili ratione affirmare possumus, eam aliqua miracula edidisse,nec videtur illud tempus fuisse adeò opportunum ad huiusmodi gratiam exercendam. Quia neque ad doctri-

ad doctrinam confirmandam erant necessaria, nec merita, & sanctitatem Virginis oportebat tunc per miracula manifestari.

Secundo, de tempore á conceptione Christi domini, vsque ad eius Ascensionem, etiam est verisimile nulla per se edidisse miracula præsertim publica. Et hoc fortasse præcipuê intendit Diuus Thomas, probabiliterque suadet eius ratio, & exemplum, quo vtitur de Ioanne Baptista, qui propter hanc causam *signum fecit nullum*, vt dicitur Ioan. 10. Dico autem per se, quia per filium dici potest Virgo interdum operata esse miracula fide, ac impetratione sua. Hic enim est vnus modus concurrendi ad miracula, scilicet impetrando, & hac ratione operatio virtutum fidei attribui solet. Quia talis oratio requirit peculiarem fidei perfectionem, & singularem Spiritus sancti motionem ad petendum miraculum tanta fide, & fiducia, vt infallibiliter obtineatur, iuxta illud. *Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit.* Matth. 17. Matthæ. 17. Et hoc modo dicere possumus beatam Virginem habuisse fidem miraculorum, & per illam operatam esse, obtinendo à filio miraculorum operationē. Cuius signum habemus in miraculo nuptiarum, quod fide sua mater á filio obtinuit, suamq; fidem ostendit (vt sancti notant) tum in eo quôd primum miraculum publicum â filio postulauit: tum etiam in eo, quòd Christi responsione conturbata non fuerit, quanuis exteriori specie videri posset, passa fuisse repulsam. Quin potius confidenter dixit ministris. *Quidquid dixerit vobis, facite.* Dixi præterea, præsertim publica, quia de secretis miraculis incertum est, an aliqua fecerit, præsertim tempore infantiæ Saluatoris, vel in AEgypto, vel aliis temporibus, si fortasse aliqua opportunitas, vel necessitas occurrit.

Ioann. 10.

Tertio, de tempore post Christi Ascensionem, verisimile est beatam Virginem multa miracula perpetrasse, vel præbuisse multis sanitatem. Quia licet ad eam non pertineret, publice concionari, vel persuadere fidem, tamen ad magnum Ecclesiæ bonum, & profectum pertinebat, quòd agnosceretur, & coleretur vt Dei mater. Quod totum in Christi Domini manifestationem redundabat, & fidem in ipsum confirmabat, ergo non fuit præter statum, & conditionem Virginis, vt eo tempore miracula faceret, & insignia beneficia hominibus conferret, quibus eorum fides, & deuotio augeretur. Quamobrem Damascenus, sermone primo de natiuitate Virginis, eam vocat *miraculorum abyssum*. Et Andreas Cretensis, sermone de Assumptione, eam vocat *miraculorum effectricem, potestatem habentem, quæ nequeat labefactari*. Et confirmatur, nam (vt ibidem refert hic autor, & Damascenus sermone primo, de Assumptione: & Simeon Metaphrastes de vita, & dormitione Deiparæ) corpus beatæ Virginis, statim post obitum eius, multa miracula operatum est, & sepulcrum eius solum, quia corpus illud aliquo tempore habuit, effectione miraculorum illustre fuit. Quid ergo mirum, quòd etiam, dum vitam ageret, similia opera interdum effecerit? Nec ratio Diui Thomæ contra hoc concludit, quia etiam beata Virgo fuit illo tempore suo modo magistra fidei, & miracula eius in gloriam filij, & fidei confirmationem cedebant. Ratio verò Caietani in efficax valde est, ab autoritate enim negatiua scripturæ nullum argumentum in Theologia sumitur, vt constat ex iis, quę de aliis mysteriis supra tractata sunt, & quę generatim de traditionibus Ecclesiasticis contra hæreticos Theologi docent.

Damasce.

And. Cre.

Simeon Metaphr.

Gratiarum miraculorum & sanitatū quo tempore Virgo exercuit.

DISPVTATIO XXI.

In quatuor sectiones distributa.

De gloriosa morte & Assumptione beatæ Virginis.

DIsputauimus hactenus de donis gratiæ, & scientiæ, quę beata Virgo in statu vię consequuta est, simulque (quantum scholastica ratio patitur) mysteria vitę eius percurrimus, reliquū est, vt de felici statu glorię eius differamus. Quoniam vero mors terminus est viæ, ac transitus ad beatitudinē, prius de morte eius, postea de resurrectione, assūptione, ac de niq; de eximia eius gloria, & beatitudine dicemus.

SECTIO PRIMA:

V.B. *Virgo corporalem mortem paſſa fuerit.*

Epiphan. EPiphanius hæreſ.78.hanc quæſtionẽ attingens inſolutam relinquere viſus eſt. *Quærant*, inquit, *veſtigia ſcripturarum, & inuenerint vtique neque mortem Mariæ neque an mortua ſit, aut non mortua, neque an ſepulta ſit, aut nõ ſepulta.* Et inferius. *Ego enim non audeo dicere, ſed ſilentium mihi impero, fortaſſis enim alicubi etiam veſtigia inuenerimus ſanctę illius ac beatæ, ſic nec inuenire datur mortem ipſius.* Et paulo poſt. *Non autem omnino definio hoc, & non dico, quod immortalis manſit, ſed neque affirmo, an mortua ſit.* Fundamentum eius eſt ſupra tactum, quod iterum repetit dicens. *Exceſſit enim ſcriptura mentem humanam, & inſuſpenſo reliquit propter vas prætioſum, ac excellentiſsimum.* Cui fundamento addi poteſt, quòd nec ex hiſtorijs humanis aliquid certi habemus de morte eius. Libellus enim, qui de trãſitu Virginis inſcribitur, & a Tritemio Melitoni Sardicenſi tribuitur, & apocryphus eſt, teſte Gelaſio Papa in Capitulo ſancta Romana diſt.15. & falſo Melitoni imponitur vt ex Hieronymo de ſcriptoribus Eccleſiaſticis colligi poteſt. Referens enim Melitonis ſcripta, huius non meminit. Et ex Beda in retractatione Actorũ capitul.8. Vbi & opus ipſum refutat, quòd multa hiſtoriæ Lucæ de actis Apoſtolorum repugnantia continear, & non dicit eſſe Melitonis, ſed illi imponi. Præterea alius liber, qui de eodem tranſitu, ſeu aſſumptione Virginis inter opera Hieronymi refertur, omnium ſententia, non eſt Hieronymi, quia in eo fit mentio hæreſum Neſtorij, & Eutychetis, quæ poſt Hieronymum exortæ ſunt. Quæ conjectura eodem modo probat non eſſe Sophronij, vt aliqui exiſtimant, quia Sophronius ęqualis eſt Hieronymo, vt ex libro eiuſdem Hieronymi de ſcriptoribus eccleſiaſticis conſtat. Nihil ergo eſt ſcriptũ, vnde aliquid certi de Virginis obitu definiri poſsit.

Tritem. Gela. Pap. Hieron. Beda.

Nihilominus ſine vlla dubitatione dicẽdum eſt, Beatam Virginem mortem obijſſe. Ita ſentit hoc tempore vniuerſa Eccleſia, & ad id confirmandum ſufficit generalis regula ſcripturarum. Nam omnes filij Adæ corporali morti obnoxij ſunt, â qua regula neque autoritas vlla, neque ratio ſuadet, excipiendam eſſe Virginem.

A Quin potius grauiſsimi, & antiquiſsimi Patres eam mortuam eſſe teſtantur, vt conſtat ex Damaſceno, Epiphanio præsbytero Conſtantinopolitano, Andrea Cretenſi, ſermonib. de dormitione Deiparæ, & Iuuenali Ieroſolymitano, apud Nicephorum, libr.5. Hiſtor. capit. 4. & Simeone Metaphraſte de vita, & dormitione Deiparę die.15. Auguſti. qui omnes referunt Dyoniſium Areopagitam loco ſtatim citãdo, & ex alijs recentoribus, quos ſtatim commemorabo. Ratio etiam hoc ſuadet, quia in primis decuit Beatam Virginem eſſe ſimilem Chriſto: cũm ergo Chriſtus mortem ſuſceperit, non oportuit, beatam Virginem ab hac lege excipi. Deinde vt per mortem Virginis conſtaret euidentius, & indiguiſſe Chriſti morte, qua fuit redempta, & habuiſſe carnem paſsibilem,

B à qua Chriſtus ſimilem ſumpſit, & ita excluderetur error eorum, qui finxerunt, Beatam Virginem fuiſſe cuiuſdam cæleſtis, ſeu angelicæ naturę, vt Epiphan. ſupra refert, & Diuus Thoma. in.3. diſti. 4. quæſt.2. art.1. Tandem quia mors nullam imperfectionem includit, quę Virginem non deceat: quin potius eſt pœna, quæ propter Deum ſuſcepta magnum gratiæ augmentum promereri poteſt: propter quòd *mors ſanctorum prætioſa in conſpectu domini* eſſe dicitur, ergo nulla eſt cauſa, ob quam â morte corporis fuerit prędeſeruata. Neque Epiphan. hanc veritatem negat citato loco: ſed ſolum aſſerit in ſcriptura nihil de illius morte referri.

Virginis mors. Damaſce. Epip. Con. And. Cre. Iuuenal. Ieroſolym. Nicephor. Simeõ Metaphr.

Epiphan. D. Thom.

Sed quæret aliquis primo: Quę fuerit cauſa, vel occaſio mortis Deiparæ, an ſcilicet morbo aliquo, ſeu ægritudine vſque

C ad mortem laborauerit, vel abſque aliqua naturali cauſa, ſola Dei voluntate, & arbitrio defuncta ſit, ſicut mortuus videtur Moyſes, cui dixit Deus. *Aſcende in montem, & morere ibi.* Deute.32. Vnde cap. 34. ſubditur, *Mortuuſque eſt ibi Moyſes ſeruus Domini in terra Moab, iubẽte Domino*, & ſicut mortuus videtur Ioannes Euãgeliſta, ſi vera eſt hiſtoria, quam Nicephorus refert li. 2. cap. 42. qui propter hãc fortaſſe cauſam dixerat lib.1. cap.35. Ioannem mortuũ fuiſſe eo modo, quo Dei genitrix. Ex quibus exẽplis hęc pars poſterior veriſimilis fieri videtur, quia hic mortis mod⁹ videtur excellẽtior, & innocẽtię, ac puritati Virginis quodam modo debitus. Item quia mortua credi

Dubium.1

Deuter.32. & 34.

Nicephor.

tua creditur sine vllo dolore, (vt Damascenus sentit oratio. secunda de dormitione Virginis). Tum quia sine libidine concepit, omnique inordinata concupiscentia semper caruit. Tum etiam, quia in morte filij maiores dolores, quã in morte sentiantur, degustauit.

Damasce.

Addere tamen possumus, quanuis beata Virgo mortua non fuerit, vi alicuius morbi corporalis: vi tamen amoris & ardentissimi desiderij, & intentissimæ contemplationis obiisse. Fieri enim potest, vt mens tanta efficacia, & intensione in his actibus occupetur, vt veluti destituat corpus, ita vt paulatim eius dispositiones remittantur, ac deficiant, ac tandem, ob earum defectum, non possit anima in corpore conseruari.

B. Virgo vi amoris mortua.

Non defuerunt tamen, qui dicerent, B eam fuisse martyrio coronatam, vt videre licet apud Isidorum, libr. de vita, & morte sanctorum, capit. 68. & apud Ambrosium, & Bedam Lucæ secundo, sed (vt iidem autores dicunt) hoc nullo probabili fundamento nititur, quia nulla historia, nulla traditio, nullaque probabilis autoritas hoc confirmat. Verba autem illa Simeonis, *tuam ipsius animam per transibit gladius*. Ex quo falsa suspicio orta videtur, non esse de corporali eius morte intelligenda, in superioribus ostensum est.

Isidor. Ambros. Beda.

Quæres secundo, quo ætatis anno mortua fuerit. Respondetur rem esse incertam. Ex his enim, quæ in superioribus dicta sunt de Christi conceptione, & C in sequentibus de morte eius dicemus, constat beatam Virginem egisse annum quadragesimum nonum, quando Christus dominus mortuus est. Quia quando illum peperit iam decimum quintum annum expleuerat, & Christus trigesimo quarto anno ætatis inchoato mortuus est expleuerat ergo tunc temporis beata Virgo quadraginta octo ætatis annos, & agebat quadragesimum nonum. Post Christi autem mortem quidam dixerunt vixisse tantum annum integrum, & aliquot menses. Quę tamen sententia, inter omnes improbabilissima est, & solum in quadam incerta, & apochrypha reuelatione fundata.

Dub. 2.

Responsio.

Alij ergo existimarunt vixisse Virginẽ vsque ad secundum annum imperij Clau-

A dij, qui fuit vndecimus à Christi morte, quo primùm Petrus profectus fuit Romam, teste Eusebio in Chronicis, & Hieronymo de scriptoribus Ecclesiasticis. Vnde fit coniectura, Petrum permansisse in Iudea, quandiu Deipara vixit: statim verò post mortem eius discessisse, vt Romam pergeret. Quo circa iuxta hanc sententiã beata Virgo obiit anno ętatis quinquagesimo nono vel iam expleto, vel prope. Quę fuit sententia Euodij apud Nicephorum lib. 2. Histor. capit. tertio, quam ipse videtur sequi, tam ibi, quàm cap. 21. vbi dicit, beatam Virginem obiisse cum annum ageret sexagesimum. Vnde sentit, quod Euodius dixit, intelligendum esse de annis quinquaginta nouem expletis: non tamen sibi constat Nicephorus, dum dicit beatam Virginem mortuam esse quinto anno Imperij Claudij, qui est decimus quartus á morte Christi, vt aperte constat ex dictis & ex Chronico Eusebij. In eandem sententiam de quinquaginta nouem annis refertur Hippolytus Thebanus ab Epiphanio Presbytero Constantinopolitano, in sermone de Deipara, vt refert Turrianus lib. tertio, pro Epistolis Pontificiis, capit. 16. Quanquam (vt Cæsar refert in Annalibus anno quadragesimo octauo) ille autor potius asseruit beatam Virginem tantum quinquaginta septem annos vixisse: & ibidem refert alios asseruisse, quinquagesimo octauo ętatis anno diem humanę vitę clausisse. Quæ fortasse varietas ex eo orta est, quòd circa annum conceptionis, vel mortis Christi, aliter, quàm nos supponimus, opinabantur. Ab hac sententia parum discrepat Driedo, libr. tertio, de dogmatibus Sacrę scripturę, tractat. tertio capite quarto: vbi dicit, beatam Mariam obdormisse anno duodecimo post Christi mortem, secundum chronologiam Eusebij. Sed apud Eusebium hoc ego non reperio: quin potius in Chronico eius Assumptio B. Virginis annotatur in anno sexto imperij Claudij, qui est decimus quintus à morte Christi, vt dixi. Quanquam illa adnotatio videatur potius ab aliquo addita, quàm ab Eusebio scripta. Sic enim habet. *Maria Virgo Iesu Christi mater ad filium in Cælum assumitur, vt quidam fuisse sibi reuelatum, scribunt.* Nun-

Euseb. Hieron.

Euod. Nicephor.

Hippolith. Theban. Epiphan. Constant. Turrianus Cæsar Baron.

Dried. Euseb.

quam enim Eusebius huiusmodi incertis reuelationibus vti solet, neq, ante ipsum aliquid de huiusmodi reuelatione scriptũ inuenimus.

Hinc autem orta est aliorum opinio dicentium B. Virginem obijsse annum agentem sexagesimum tertium, quam esse vulgi opinionem dicit Turrianus supra. Cęsar autem Baronius scribit opinionẽ hanc fundari in traditione quadam, eamq; distinguit ab opinione, quæ colligitur ex dicto loco Eusebij. Sed si iuxta principia posita fiat computatio nulla est diuersitas.

Turrian.
Cęsar Varõ

Vltima verò sententia, quæ in re ambigua verisimilior videtur, est, B. Virginem mortuam fuisse anno ætatis septuagesimo secundo. Ita sensit dictus Epiphanius presbyter, & Cedrenus in compendio historię, & insinuat Andreas Cretensis serm. de dormitione Deiparæ, dum inquit peruenisse Virginem *ad summam ætatem*. Et hãc sententiam confirmat eleganter Cæsar ex testimonio Dionysij cap. 3. de diuinis nominibus, vbi sic inquit. *Nam, & apud ipsos diuino spiritu plenos Pontifices nostros, cum & nos (vt nosti) & plerique ex sanctis fratribus nostris ad conuenendum corpus illud, quod autorem vitæ, Deumque ceperat conuenissemus, aderat autem & frater Domini Iacobus, & Petrus supremum decus, & antiquissimum Theologorum columen, vbi post contuitum placuit, vt infinite potentem, diuinæ infirmitatis bonitatem Pontifices laudarent omnes, quisq; pro captu suo.* Quę verba de sancto corpore B. Virginis, & non de sepulcro Christi, aut de domo Ioãnis, in qua Christus cœnauerat, esse intelligẽda, & ipsa verba per se sumpta satis suadent, & est communis sententia sanctorũ, qui ex hoc loco colligunt, diuina prouidentia factum esse, vt omnes Apostoli, qui tunc temporis viuebant, & præcipui ex eorum discipulis ac Pontificibus Ecclesiæ ad transitum, ac funus B. Virginis conuenirent. Ita Maximus. D. Thom. & Albertus Magn. illum locum exponentes, Damascenus. & Andr. Cretensis orationib. de dormitione, & assumptione Virginis, Epiphan. Presbyter, & Symeõ Metaphrastes scribentes de vita, & educatione Deiparæ, Nicephorus, & Iuuenalis Ierosolymitanus apud eundem lib. 2. hist. capit. 21. 22. & 23. Vbi hanc historiam de transitu, & glorioso funere virgineicorporis latè describit. Et inter alia affirmat etiam Christũ dominum magna angelorum multitudine comitatum dormitioni eius interfuisse. Quod etiam affirmarunt Damascen. Andreas Cretens. & alij. Indicant etiam Athanas. de sanctissima Deipara, & Bernar. sermo. 1. de assumptione. Igitur (vt quod intendimus concludamus) scribit Dionys. citato loco transitum Virginis, & Apostolorum conuentum illius causa coactum: at verò Dionysius (vt ex historia Actuum Apostolicorum colligitur) non venit ad fidem, vsque ad decimum octauum annum à nece Christi, qui fuit quinquagesimus secundus à natiuitate eius, quia non antea Paulus peruenit Athenas, ergo, vt posset addesse morti Virginis, necesse est, vt beata Virgo vltra sexaginta sex annos vixerit & ita euertuntur omnes superiores sentẽtiæ. Verisimile autẽ est, à cõuersione Dionysij vsq; ad aduentum eius in Ierusalem, aliquot annos fluxisse, præsertim si (vt Turrianus, & Baronius citatis locis indicant) conuentus ille Apostolicus absq; miraculo, suaui dispositione diuinę prouidẽtiæ factus fuit. Quia & Petrus eo tempore Roma Ierosolymã redijsse creditur, & Paulus etiam circa illa tempora Ierosolymam reuersus fuit post conuersionem Dionysij, & alia ab eo gesta, quæ in Actibus Apostolorum narrantur á cap. 18. ad 21. est ergo in re incerta verisimilis hęc cõiectura.

Respõsio
Quo ætatis suæ anno Virgo sit mortua.
Epiphan. Præsbyter.
Cedren:
And. Cret.
Cæsar Varon.
Dionys.
Maxim.
D. Thom.
Alber.
Damasce.
And. Cret.
Epi. Præs.
Simeon Metaphr.
Nicephor.
Iuuenal. Ierosol.
Damas.
And Cre.
Athanas.
Bernard.
Act. 17.
Turrian.
Cęsar Varon.
Act. 20. & 21.

SECTIO. II.

V. B. Virgo paulo post mortem gloriosa surrexerit, & in Cœlum assumpta fuerit.

DE statu, quem corpus, & anima. B. Virginis post mortem eius habuerunt, antequam iterum coniũgerẽtur, nihil ferè dicendum occurrit. Nam de corporeeius cõstat ex omnib⁹ historijs supra citatis, statim post mortem fuisse in sepulcro repositum, quod Damascen. And Cretens. & Simeon Metaphrastes magnis miraculis fuisse á Deo illustratum referũt. Vnde admiratione dignum videri potest Hieronymum, Eusebium, Sozomenum, & Theodoretum numerantes celebriora sepulcra, aut loca sancta Ierosolymitana, sepulcri huius non meminisse. Beda tamen lib. de

Sepulcrum Virginis multis miraculis clarum
Damasce: And. Cre. Simeon Metaphr.
Hieronym. Euseb. Sozomen. Theodoret.

lib. de locis sanctis capit. 6. huius sepulcri mentionem facit, & in illius loco Ecclesiã extructam esse dicit. Vnde verisimile est, (quod dicit Bruchardus in descriptione terræ sanctæ. 1. part. cap 7. §. 47) post cladem Ierosolymitanam sepulcrum hoc multo tempore latuisse, posteaq; fuisse repertum. Nã nunc etiam, qui sacra Ierosolymorum loca inuisunt, hunc locum sepulcri Virginis cernere se dicunt. Et in lib. de assumptione Virginis, (qui nomine Hieronymi circũfertur) dicitur mõstrari sepulcrum eius in valle Iosaphat inter montes Sion, & Oliueti: additque Beda propè illud conspici sepulcrum sancti Ioseph. In illo ergo sepulcro repositum fuit corpus B. Virginis, & integrum, atq; prorsus incorruptum vsque ad gloriosam eius resurrectionem perdurauit, vt omnes citati Patres docent, & perse manifestum est, considerata dignitate, puritate, ac innocentia Virginis beatissimæ, & ex dicẽdis hoc amplius constabit.

Beda.

Bruchard.

Anima Virginis a corpore separata: statim vidit Deum.

De anima autem Virginis à corpore separata, certum est statim vidisse Deum, atq; in cœlum fuisse sublatam. Hoc constans est ex certissimis principijs fidei. Est enim mors terminus vitæ hominibus á Deo prescriptæ ad præmium promerendum, quod animę perfectè purgatæ, & mundę statim ac discedunt ê corporibus, consequuntur postquam Christus dominus per mortem suam pro toto humano genere satisfecit, sed anima beatę Virginis absque vlla macula, aut debito pęnę, & perpetuo vixit, & a corpore discessit, ergo statim beata fuit, & ad locum beatorum euecta:

In transitu a via ad patriam virgo amorẽ Dei non interrupit.

Vnde obiter coniectare licet, in transitu à via ad patriã nõ interrupisse, aut intermisisse B. Virginẽ diuinę caritatis, & amoris actũ, sed vel eundẽ, quem vsque ad mortẽ in terra viuens liberè exercuit, in termino vitæ maiori quadam perfectione, & necessitate continuasse (si tamen verum est, vt fortasse est, actum diuini amoris in via, & in patria esse posse eiusdem rationis) vel certe si quis sentiat esse diuersos, saltem sequitur B. Virginem ab actu amoris vię immediate transisse ad actum amoris patriæ absq; vlla intermissione. Verisimile enim est animam B. Virginis eo præsertim tempore, quo morti appropinquabat, nunquam ab actu diuini amoris cessasse, quia neque corporis dolore, neque sensuũ perturbatione impediebatur. Quin potius, quia ex diuina reuelatione horam, & momentum sui discessus præsciebat, (vt Patres omnes superius allegati docent) quò ad exoptatum illum terminum magis, ac magis accedebat, eò vehementius diuina caritate, & amore flagrabat, atque sic disposita vsque ad instans mortis, quod dicitur *primum non esse hominis* peruenit, in quo, & videre Deum, & illum beatifica caritate diligere incepit, nulla ergo facta fuit interruptio. Ad quantam verò gloriæ perfectionem anima Virginis tunc assumpta fuerit, dicemus sectione. 4.

Paulo post mortẽ Virgo in corpore gloriosa resurrexit.

Addendum est vltimo, B. Virginem paulo post mortem ad gloriosam, & immortalem vitam corporis, & animæ resurrexisse atque in Cœlum gloriosam ascendisse. Ita sentit vniuersa Ecclesia: & hic eius consensus ex antiquorum Patrum traditione manauit, vt constat ex Athanasio in serm. de sanctissima Deipara. Quod tamen opus plerique viri eruditi dubitant, an sit Athanasij, quia videtur post tempora concilij Ephesini editum, cùm in eo refellatur error Nestorij, & Cyrillus, aliq; Patres cõcilij Ephesini nũquã illius operis meminerint, cum tamen autoritate Athanasij sæpius vtantur. Alij tamen probabile existimant esse Athanasij, quia sub eius nomine est ab Ecclesia receptum ante multos annos, & nullus dubitat autorem illius fuisse virum aliquem valde illustrem in Ecclesia, pietate, doctrina, & antiquitate præstantem. Et idem iudiciũ est de libris de assumptione, qui sub nomine Augustini, Hieronymi, vel Sophronij referũtur, ex quibus hęc veritas confirmari potest. Præterea ex Damasceno, & Andrea Cretensi orationibus de dormitione Deiparæ. Item ex Iuuenali Ierosolymitano apud Nicephorum lib. 2. hist. cap. 23 Vbi refert non sine diuino consilio factum esse, vt funeri Virginis Apostolus Thomas defuerit, cumq; paulo post Ierosolymam veniisset, sacrum tumulum, vbi corpus Virginis positum fuerat, reserarum fuisse, vt à sancto Apostolo & videri posset, & adorari, non tamẽ fuisse repertum, sed sola sepulcralia linteamina, aptè loco commodo composita: *Quæ & ipse*, (inquit Nicephorus) *& qui cum eo aderant, cum veneratione exosculati, incredibi liquev o-*

Athanas.

Sophron.

Damasce. And Cret. Iuuenal. Ierosol.

Nicephor.

lique voluptate, odorisque suauitate repleti sepulcrum quidem ad pristinum conformant modum, miraculum autem ipsum quasi per manus posteris traditum, ad nos quoque trãsmisserunt.

Bernard. Anselm. Lau. Iusti. Rupert. Richard. Victor. Hug. Victorin.

Vnde omnes posteriores sancti, & Doctores traditionẽ hanc amplexi sunt, Bernardus, & Laurentius Iustinianus in sermonibus de Assumptione, Anselmus de excellentia Virginis, capit. 8. Rupertus, libro sexto in Cantica, tractans illa verba, *Quæ est ista, quæ progreditur, tanquam aurora consurgens?* Richard. Victorinus in Cantica, capitulo. 42. Hugo item Victorinus, libro. 3. eruditionis Theologicæ, capit. 125. vbi inter beatæ Virginis priuilegia ponit, *quod sine dolore mortis obiit, quodque cum corpore in Cœlo viuit, & ad dexteram filij singulariter sedet, Psalmista testante, Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate.* Item D. Thomas,

D. Thom. Bonau. Antonin. Gerson. Festum Assumptionis Mariequã sitantiquũ. Nicephor. Athanas. And. Cret. Sophron. Vsuard. Ado.

supra quæstio. 27. art. 1. & Opusc. 8. Bonauent. in speculo Mariæ, capit. 2. Antoninus, prima par. Histo. titul. 6. capitul. 3. Gerson Alphabeto. 14. & consentiunt scholastici in. 3. dist. 3. Et confirmatur ex celebritate festi Assumptionis beatę Virginis, quod valde antiquum est in Ecclesia. Nam licet Nicephor. libr. 17. cap. 28. dicat tempore Mauritij Imperatoris institutum fuisse; tamen ex Athanasio, Andrea Cretẽsi, Sophronio, & aliis constat fuisse antiquius. Dicit etiam Nicephorus tunc fuisse institutum festum dormitionis Virginis. Vnde Vsuardus, & Ado in suis martyrologiis dicunt, Ecclesiã celebrare dormitionem Virginis. Nam *vbi eius sanctissimum corpus collocatũ sit, plus,* inquiunt, *elegit sobrietas Ecclesiæ, cum pietate nescire, quam quid friuolum, & apocryphũ inde tenendo docere.* Sed hoc apertè pugnat cum communi sensu Ecclesiæ, vt constat ex omniũ fidelium tam simplicium, quã sapientum mente, & sermone, & ex inscriptione Romani martyrologij, ac Missalis, ex officio illius diei in introitu Missæ, & aliis antiphonis, & versiculis, in quibus sæpe repetit B. Virginẽ assumptã fuisse in cœlũ. Neque est verisimile, intelligere de Assumptione solius animæ; tum quia Assumptio localis propriè, & in rigore refertur ad corpus. Tum quia etiam animę aliorum sanctorum deferuntur in cœlum; & tamen Ecclesia nullius Assumptionẽ cõfitetur, aut celebrat; sed solum transitum, migrationem, aut natalitium diem.

A

Rationes, seu congruentiæ ad hãc veritatem persuadendam accuratè indicantur à citatis Patribus, præsertim Augustin. & Damascene, & obiter attinguntur nõnullæ Scripturæ, quæ ad hoc mysterium piè accommodantur. Summa earum est; Prima, quia cum corpus Christi ex corpore Virginis sumptum sit, dici possunt quodammodo esse vna caro. Quare sicut Adam dixit, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea,* ita è contrario Christus dicere potest, *Hæc nunc caro, de qua est caro mea;* sicut ergo decuit carnem Christi omni ex parte esse beatam, & incorruptam: ita etiam & carnem matris, cuius gloria in illius honorem redundat. Vnde hic merito accõmodatur illud Psal. 131. *Surge domine in requiem tuam, tu, & arca sanctificationis tuę.* Hæc enim arca videtur esse illa, de qua Ecclesia canit, *Ventris sub arca clausus est.* Vnde à Patribus Græcis frequenter appellatur Virgo, *arca sacrosancta,* Ad quam meritò accommodari possunt verba illa Apoc. 11. *Apertum est templum Dei in cœlo, & visa est arca testamenti eius in templo eius.* Sicut Bonauent. supra, capit. 9. accommodat etiam illud. 3. Reg. 8. *Intulerũt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum.*

Aug. Psalm. 131 Apoc. 11. 3. Reg. 8. Ioan. 12.

B

Secunda, quia Christus Ioan. 12. promisit, *Vbi ego sum, illic & minister meus erit;* Beata autem Virgo singulariter ministrauit Christo, quia ex proprio sanguine proprium illi corpus præbuit, ac ministrauit, & proprio lacte illum aluit, ergo singulariter etiam in illa cõpleta est hæc Christi promissio, ergo vbi ipse est, iam ipsa cum eo regnat corpore, & anima gloriosa, tertia, quia incredibile est (vt Aug. inquit) corpus illud, ex quo Deus indutus est carne, & in quo primùm ab homine Deus visus est, corruptum, & in cineres redactum esse. Vnde Augustinus, *corpus Virginis escam vermibus traditum, quia sentire non valeo, dicere perhorresco.* Rursus si corpus Virginis integrum, & incorruptum in terra persisteret, incredibile est permissurum fuisse Deũ, vt tanto tẽpore ecclesiam lateret, & absque honore, & veneratione in occulto aliquo, & inuiso loco iaceret. Variis enim exemplis constat, cùm corpora aliquorum sanctorum in obscuris, ac minus decentibus locis laterent, diuina prouidentia factum esse, vt

C

Augustin.

Eccle-

Ecclesiæ reuelarentur, atq; honorifice con derentur, quid ergo facturum fuisse credē dū est, cum corpore B. Virginis, si adhuc in terris permaneret? Quarta, corpus Virginis fuit quodammodo initium humanæ salutis, quia ex illius sanguine corpus, sanguisq; Christi sumptus est, quod fuit nostræ salutis pretium, ergo rationi consentaneum est, vt idem Virginis corpus singulari modo hanc redemptionem participauerit, atque adeo vt gloriam, & immortalitatem statim fuerit consequutum. Quinta, quia hunc honorem quodammodo debebat filius matri, & sponsus sponsæ, sicut ergo Salomō. 3. Reg. 2. in speciali throno matrem ad dexteram collocauit, ita & Christus in Cœlo regnans: vnde multi de Christo, & Virgine intelligunt verba illa Luc. 22. *Exierunt obuiam sponsę, & sponso*, Sexta, aliqui probabiliter existimant, Ioannem Euangelistam iam surrexisse cum corpore glorioso: probabilis etiam sententia est, eos, qui cum Christo surrexerunt, corpore, & animo glorioſos cum Christo regnare, ergo de corpore B. Virginis non solū erit hoc probabile, sed certum. Septima, quia animę beatorum appetunt gloriam corporum, & illam petunt. Vnde quatenus ex hac parte nō habent expletum omnem appetitum, quædam accidentalis beatitudinis perfectio illis deest, ergo etiā anima, B. Virginis à corpore separata hunc habuit appetitum, ac desideriū, ergo decuit statim expleri, vt omni ex parte esset perfecta, & si hoc postulauit, sine dilatione exaudita est propter singularem dignitatē, & quasi iure materno. Tandem hoc priuilegium Virginis ad gloriam Dei spectat, Christique domini, & dignitatem Virginis, summamque innocentiam, puritatem & caritatem maxime decet, quæ enim vniuersæ carnis maculas non contraxit, & ab omnibus sordibus quām lōgissimè abfuit non debuit, vtcęteri, carnis resurrectionē expectare. Cui veritati nihil est, quod repugnet, ergo sicut alia priuilegia proportionata matris Dei creduntur Virgini esse cōcessa, ita est sine vlla dubitatione de hoc iudicandum.

Dubium. 1 Sed quæres, qua certitudine hæc veritas tenenda sit. Autor enim lib. de Assumptione nomine Hieronymi, eam dubiam relinquere visus est, quanquam ita piè posse existimari non neget. Et ferè cum eadem formidine hoc asseruit Augustinus (si autor est libri de assumptione, qui inter eius opera refertur tom. 9.) & ser. 34. de sanctis, Abulensis etiam Matth. 22. q. 230 solū dicit esse probabiliorem opinionem. Caietan. autem opus. de conceptione dicit esse piam sententiam, & ferè idem docet Sotus in. 4. d. 43. Canus verò lib. 12. de locis cap. 11. addit esse petulantem temeritatem hoc negare, quem sequutus est Cordubalib. 1. quæstionum theologicarum. q. 17. Catharinus autem libr. 4 contra Caiet anū. & in opus. de Conceptione contendit esse de fide. Sed reuera non est, quia neque est ab Ecclesia definita, nec est testimonium scripturę, aut sufficiens traditio, quæ infallibilem faciat fidem. Est igitur iam nunc tam recepta hęc sententia, vt á nullo pio, & catholico possit in dubium reuocari, aut sine temeritate negari, atque adeo videtur habere eum gradum certitudinis, quem habet alia veritas supra tractata de sanctificatione Virginis in vtero matris.

Aug. *Abulens.* *Caietan.* *Sotus.* *Canus.* *Cordub.* *Catharin.* *Responsio*

Dubium. 2.

Ex ijs colligere licet in certum esse, quanto tempore post mortem Virgo resurrexerit, in Cœlumque assumpta fuerit. Quidā enim asseruerunt resurrexisse, & assumptā esse quadraginta diebus post mortem suā, idest vigesima tertia septembris. Nā mors creditur accidisse. 15. Augusti. quando Ecclesia celebrat festum assumptionis. Cui sententiæ fauet Beda, qui in martyrologio nono Calēdas Octobris ponit secūdā assumptionem sanctę Mariæ Virginis, & priorem posuerat. 18. Calen. Septembris. Vnde necesse est hāc intelligi de assumptione in sola anima: illam verò de assumptione in anima, & corpore. Alij existimant eodem die mortem, resurrectionem, & assumptionē accidisse, quia Ecclesia eodem die omnia celebrat. Quæ tamen coniectura debilis est vt assertionem parum verisimilem confirmet, aliquam verò probabilitatem habet ad prędcedentem sententiam refellendam: Ecclesia enim duplicem illam festiuitatem non agnoscit.

Beda. *Responsio*

Probabilior ergo coniectura est post triduum resurrexisse, hoc enim magis consentaneum est historijs dictis. Dicit enim Nicephorus Apostolos totum triduum ad monumentum Virginis perseueraſſe, hymnorum carmina audientes: post diem autem tertium aduenisse Thomam, & quod supra narratum est, accidisse, deinde quandam

Quāto post mortem tempore Virgo resurrexerit.

dam congruitatem habet, quod in hoc etiam B. Virgo fuerit filium imitata. Eodem autem die, quo resurrexit, in cœlum assumpta est, quia nulla erat ratio, vel occasio alicuius dilationis, sicut in Christi domini Ascensione fuit. Quo autem honore, & Angelico comitatu perducta in paradisum fuerit: tractant eleganter Sancti Patres supra citati, & pia potius consideratione, quàm scholastica discussione indiget. Præcipue videri possunt Athanas. serm. de sanctissima Deipara, & Sophronius epist. de Assumpt. Virg. & Damas. orat. 1. de dormit. Virginis in fine, & orat. 2. per totum, & D. Anselmus de excellentia Virginis, cap. 8. qui Patres pie credunt non solum omnes Angelorum, & sanctorum choros, verum etiã ipsummet Christum dominum in Virginis occursum venisse, & cum ingenti gloria & gaudio secum eam in thronum deduxisse: quos Patres secutus est D. Anton. 1. par. Histor. titul. 6. cap. 3. §. 1. & videri etiam potest Canisius lib. 5. de Deipara c. 3. & sequentibus. Illud denique in hoc mysterio aduertendum est, propter Assumptionis nomen, & propter vulgarem picturã, qua depingitur Virgo quasi Angelico ministerio, & virtute in cœlũ eleuata: videlicet nõ esse hoc ita intelligẽdũ ac si beata Virgo illorum opera ad ascendendum indigeret, propria enim virtute, quę omnibus glorioſis corporibus communis est, ascendere poterat. Dicitur ergo assumpta ab Angelis, quia honoris causa eam comitabantur, & magis dicitur assumi, quam ascendere, quia illa virtus simpliciter nõ erat connaturalis tali personæ, sicut fuit Christo, ac propterea etiã (vt supra dicebam) magis propriè dicitur assumptio de corpore, quàm de solo spiritu, quia spiritus non tantum gloriosa, sed etiam propria, & naturali virtute ascendere potest.

Cur Virgo ab angelis in cœlum dicatur assumpta.

SECTIO. III.

Ad quantam perfectionem essentialis beatitudinis fuerit Virgo assumpta.

PRimum omnium certum est, beatam Virginem superare in perfectione beatitudinis, omnium hominum, & Angelorum hierarchias. Hæc est veritas fidei, quam Ecclesia confitetur illis verbis. *Exaltata est sancta Dei genitrix super choros Angelorum ad cœlestia regna.* Et eam vt certissimam vniuersa Ecclesia amplexa est. Vnde Anselm. de excellentia Virginis cap. 4. Tota, inquit, *Christianitas nouit, quę illam super omnes cœlos exaltatam, & Angelicis choris prælatã certissime credit.* Quod infra cap. 8. eleganter confirmat. Et eadẽ est omnium antiquorum Patrum traditio, quos magna ex parte supra retuli disput. 18. sect. 4. de eximia Virginis sanctitate sermonem habens, vbi attuli Chrysost. Damascen. Ephrem, Andream Cretensem, Petrum Damianũ, & alios. Quibus adiungi potest Iacobus, qui in liturgia, Virginem appellat *gloriosiorem, quam Cherubim & Seraphim.* Et Athanas. de sanctissima Deipara, vbi eam inquit, *vere esse Reginam, & dominam omnium a dextris filij assistentem, & vbique regnantem.* Et Bernard. serm. 1. & 2. de Assumptione. *Quantum gratiæ in terris adepta est præcęteris, tantum obtinuit in cœlo gloriæ singularis.* Et Guarricus sermone de Assumptione, sic introducit Christum loquentem *Nullus mihi plus ministrauit in humilitate mea, nulli abundantius ad ministrare volo in gloria mea, nec satis glorificatus videor, donec tu glorificeris.* Et Damascen. ora. 1. de Dormitione Deiparæ. *Omnes,* inquit, *res creatas superat, omnibus dominatur operibus, super cœlos cœlorum extollitur incomparabiliter.* Et Nazian. in inuocatione ad Virginem. *Præstantiorem exercitibus cœlestibus vocat.* Rationes verò non sunt necessariæ, quia ex iis, quæ de gratia & merito B. Virginis diximus, sunt satis manifestæ.

Virgo in perfectione beatitudinis omnium hominum, & angelorum hierarchias superat.
Anselm.
Chrysost.
Damascen.
Ephrem.
And. Cret.
Pet. Dam.
Iacob.
Athanas.
Bernard.
Guarric.
Damasc.
Gre. Naz.

Reliquum est, vt ad explicandam hãc beatitudinis virgineæ perfectionẽ, quid in Verbo singulariter videat, doceamus. Dico autem singulariter, quia suppono videre ea omnia, quę communia sunt omnibus beatis, vt sunt mysteria fidei, & rerum naturalium genera, & species, & siquę sunt similia. Suppono etiam hęc omnia videre maiori intensione, & claritate quàm vllum Angelorum, aut hominum: hoc enim necessario consequitur ex perfectiore beatitudine, vt per se notum est. Solum ergo desiderari potest, vt explicemus perfectionem quasi extensiuam in ordine ad res creatas, seu effectus in Deo visos, ac denique, vt visionem beatæ Mariæ, cum aliorum beatorum visionibus comparemus.

Secun-

Secũdo ergo probabiliter dicitur, B. Virginem videre in Verbo quidquid omnes Angeli, & puri homines vident. Explicatur Conclusio contingit enim aliquẽ, qui est minus perfectè beatus, aliquid videre in Verbo, quod non videatur á perfectiori beato, quia perfectio beatitudinis non sumitur ex ijs obiectis secundarijs, sed ex perfectiore visione Dei. Et inter ipsa obiecta secũdaria, quanuis vnum lateat perfectiorem beatum, possunt alia ab ipso videri, ratione quorum non solũ compensetur perfectio visionis, sed etiá superetur. Hoc igitur modo, quanuis Deipara beatitudinis perfectione omnes superet, posset aliquis videre in Verbo aliquid, quod ipsa nõ videat. Dicimus ergo, quãuis ex sola maiore perfectione intensiua beatitudinis non sequatur B. Virginem videre omnia, quæ omnes, ac singuli Beati vident, nihilominus verum esse B. Virginem etiã in hac perfectione extẽsiua superare omnes beatos. Quod vt probem rursus aduerto, tripliciter posse in hoc genere vnum Beatum excedere alium. Primo, quia vnum, & idẽ supernaturale opus, seu mysteriũ perfectius cognoscit, quàm alius, plures v.g rationes, circunstantias, seu causas illius cognoscendo. Secundo quia vnus cognoscit aliquas rerum species, quas non cognoscit alius. Tertio quia cognoscit aliqua indiuidua. De primo, & secundo membro ferè nulla est difficultas in præsenti conclusione, quia de supernaturalibus mysterijs certum est, omnia perfectius videri à B. Virgine in Verbo, quam ab vllo beato. Hæc enim mysteria ad duo præcipuè referũtur Trinitatis scilicet, & Incarnationis, omnes enim alij effectus supernaturales, & gratiæ ad incarnationem aliquo modo ordinantur, vel ab illa manant. Mysteriũ autem Incarnationis magis ad Virginem pertinet, quàm ad vllum alium beatorum, & ideó nullus esse potest infra ipsam, qui plura de hoc mysterio cognoscat, quã illa, præsertim cùm coniunctio, quam B. Virgo habet cum tali opere, & fructus gratiæ, ac meritorum, quos per ipsum obtinuit, omniũ aliorum beatorum statum, ac dignitatem excedat. Mysterium verò Trinitatis, cùm nihil aliud sit, quam Deus ipse, eò ab vno quoque beato perfectius videtur, quo in essentiali perfectione beatitudinis magis reliquos superat, quia essẽtialis perfectio beatitudinis penes hoc potissimum obiectum attendenda est. In quo non sunt aliæ rationes præter essentiales, & notionales, quas omnes vniuersi beati necessario vident, quanuis vnus maiori claritate, & intensione, quàm alius, in quo B. Virgo omnes antecedit, vt in principio huius sectionis dictum est. Rursus (quod ad species rerum pertinet.) vident omnes beati vniuersas, quæ vel in aliqua temporis differẽtia futuræ sunt, vel in virtute causarum naturalium continentur. De speciebus verò absolute possibilibus incertũ est, an aliquis beatus aliquid in hoc genere videat. Si tamen nonnulli vident aliquas, solũ est, quatenus ex perfectione visionis necessariò consequitur: quidquid autẽ est perfectionis est in visione beatifica aliorum beatorum, visioni B. Virginis deesse nõ potest: quia & dignitas eius, & merita, & gratia pene infinitè dignitatem, gratiam, ac merita reliquorum beatorum excedunt, ergo, si quæ species possibiles á Beatis videntur in Verbo, omnes illas videt B. Virgo, & tum has, tum cæteras omnes perfectius videt, ac comprehendit, quàm cæteri.

In tertio aũt mẽbro, ideſt in indiuiduorũ cognitione solet esse maior differentia inter beatos. Fieri enim potest, vt inferiores beati pluta ex ijs videant, quia ad eorum statum pertinent. Sed de his etiam rebus vera est doctrina tradita, B. scilicet Virginem videre omnia singularia, & indiuidua quæ omnes, ac singuli beati vident. Nam (vt suppono ex. 1. par. q. 12.) videt vnusquisque beatus in Verbo à principio beatitudinis omnes effectus singulares ad suũ statum pertinentes, mensurando statum illum non per momenta, & successiones nostri temporis: sed per instans æterniratis, in qua ipsi, vt beati sunt, viuunt: sed omnia, quæ ad statum omnium, & singulorũ beatorum pertinent, altiori quadam ratione spectant ad Virginis statum, ergo videt ipsa, quidquid singuli vident. Explicatur minor, quia omnes isti effectus, vel res singulares, quę dicuntur ad statum beatorũ pertinere, pertinent aliquo modo ad effectus gratię, & ad salutem prędestinatorum ordinantur. Nam qui huiusmodi nõ sunt, nec de illis beati solliciti sunt, nec per se pertinent ad beatificam eorum perfectionem: sed B. Virgo singulari modo cooperata est Christo ad omnium hominum, ac prædestinatorum salutem, vt superius disput. 18. sect. 4. ex Patrum sententijs ostendimus.

Virgo videt in verbo quicquid Angeli, homines quivident.

dimus. Et nunc sufficiunt verba Andreæ Cretens. serm. de dormit. Virginis. *Sola præter naturam fuit electa ad naturam renouandam, sola deseruit opifici vniuersæ naturæ.* Et confirmatur, nam B. Virgo propter hanc cooperationem, & propter matris dignitatem vocatur â Patribus. *Mater viuentium domina rerum regina beatorum*, vt videre est in August. sermonib. de natiuit. & sermo. 35. de sanctis, Athanasio de sanct. Deipara, Damasc. lib. 4. capit. 15. Anselm. lib. de excellentia Virginis, cap. 9. ergo ad statum eius pertinent omnia, quæ ad singulos subditos, seruos, ac spirituales eius filios specialiter pertinent. Deniquevt exemplis rẽ explicemus, quidquid Sanctus Bernardus in sua religione operatus est, adiutricem habuit B. Virginem, & hoc idem de beato Dominico, ac singulis aliis merito affirmare possumus, comparatur ergo ad omnes B. Virgo tanquã vniuersalis causa, ad quã referuntur omnia, quæ ad singulos pertinent. Complectitur ergo eminenti dignitate, & statu suo omnia, quę ad inferiores status singulorum pertinent, ergo in omni rerum genere videt in Verbo, quidquid omnes, ac singuli beati vident.

Tertio ex his piè, & probabiliter colligo videre beatam Virginem in Verbo, quidquid Deus videt scientia visionis, iis solum exceptis, quæ singulariter ad Christũ, & ad interiores animæ eius cogitationes pertinent. De hac exceptione, nullus (vt opinor) dubitabit. Quia cùm beata Virgo longè sit Christo inferior, tã dignitate, quàm beatitudine, non decet, vt sine manifestatione, & consensu eius, omnes illius cogitationes, & interiores actus intueri C possit. Nec enim pertinet ad statum inferioris, vt omnes cogitationes superioris videat, neq; vllum est probabile fundamẽtum ad hoc asserendum, præsertim cùm B. Virgo non omnino comprehendat excellentiam gratiæ, & gloriæ Christi Domini. Hac igitur relicta exceptione, de reliquis probatur cõclusio. Primo ex ijs, quę Patres docent de excellentia gloriæ, ac beatitudinis Deiparæ, Bernard. enim in ser. *signum magnum*, tractans illa verba Apocalipsi 12. *Et mulier amicta sole*, & per illã Virginem intelligens cum Augustino lib. 4. de Symbolo ad Catechumenos, cap. 1. *Iure*, inquit, *sole perhibetur amicta, quę profundissimum Diuinę sapientiæ, vltra quam dici po-*

Anl. Cret.

Augusti. Athanas. Damasce. Anselm.

Videt Virgo in Verboquid Deus per scientiã visionis exceptis ijs, quę ad Christũ singulariter pertinent, Bernard. Apoca. 2.

test, penetrauit abyssum, vt quantũ creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur vnita. Quæ verba, ne nimium probare videãtur, non de absoluta capacitate obediẽtiali intelligenda sunt: sed secundum legem ordinatam, & iuxta congruentem, ac decẽtem rationem, considerata conditione personę, ac dignitate, cũ qua aptissime quadrat hęc perfectio visionis, de qua loquimur. Vnde Germanus serm. de Assumpt. *Spiritus tuus, o Maria, viuit in æternum, omnia obseruas, omnia intueris, & in spectio tua ad omnes se porrigit.* Et plures statim referam. Secundo ita hoc confirmo, quia veri simile est, totam multitudinem beatorum inferiorum Virgine videre omnia, quę habitura sunt esse in aliqua differentia temporis, his exceptis, quę ad personas Christi, & Virginis spectant. Non quod singuli omnia videant, sed quòd, dum hi quædam vident, alij alia, tota beatorum collectio totam rerum collectionem exhauriat, quia re vera omnia sunt propter electos, ita vt peccatorum, & reproborum permissio ad bonũ prędestinatorum ordinetur. Cùm ergo vnusquisque videat, quæ ad se spectant, & omnia sint propter illos omnes videbunt omnia. Sed beata Virgo videt omnia, quæ omnes, & singuli vident (vt probatum est) & prętera videt omnia, quę sibi sunt propria, ergo. Tertio, ratio in prędcedenti assertione facta ad hãc potest accommodari, quia omnia supernaturalia, quodam modo per Virginem, & propter Virginem facta sunt, vt sancti loquuntur. Quia per illam facta est incarnatio per quam, seu propter quã facta sunt cætera omnia bona, mala enim sunt horum defectus, quę sicut priuationes per habitus cognoscuntur: est ergo beata Virgo sub Christo veluti vniuersalis causa illi cõiunctissima, ergo ad illius statum pertinet totum vniuersum, & statum beatorũ omnium, ac damnatorum in Verbo comprehẽdere. Quæ tota perfectio maximam congruentiam habet cum dignitate matris, domine, ac reginæ rerum omnium, nihilque est, quod illi obstare possit, ergo.

Aug.

German.

Dices, videmur æquare matrem filio in perfectione glorię, atq; essentialis beatitudinis. Respondetur, minimè id sequi, primum: quia simpliciter non videt anima Virginis omnia, quæ cadunt sub scietiam visionis, sicut videt anima Christi.

Obiectio.

Responsio

Deinde

Deinde licet videret omnia: nihilominus multũ excederet Christus in visione Dei, quia perfectiori lumine, & claritate videt Deum, & ex rebus possibilibus multò fortasse plura intuetur.

Perfectio virgineæ beatitudinis quanta.

Quarto addo, probabiliter credi posse superare Virginem in perfectione visionis beatæ non solum singulos sanctos angelos, vel puros homines, sed etiã vniuersas omnium perfectiones in vnum collectas. Sensus huius assertionis, eiusque fundamentum ex supra dictis de gratia, & meritis B. Virginis petenda sunt. Nam (

Ildefon.

vt Ildephonsus loquitur serm. 2. de Assumptione) *sicut est incomparabile, quod gessit, & inestimabile, quod accepit, ita est incomprehensibile præmium gloriæ, quod promeruit* Quę verba cum alijs multis sanctorum Patrum testimonijs retuli supra disp. 18. Sect. 4. quę hoc loco repetere molestum, & superuacaneum esset. Addi verò potest, quod Bona-

Bonauent.

uent. lib. de laudibus Virginis, ex Patrum sententijs dicit, Dei gloriam magis in sola Virgine, quàm in cæteris Dei operibus Christũ semper excipio enitere. Quod verum non esset, nisi omnium bona, & perfectiones gloriæ in Virgine essent congregatę. Vnde concludit, *glorioſum glorię Mariæ priuilegium est, quod post Deum, maior nostra gloria, & maius nostrum gaudium ex Maria est.* Cætera, quę hic desiderari possunt, in præ dicto loco videantur.

SECTIO. IIII.

Vtrum habeat omnes perfectiones gloriæ accidẽtalis corporis, & animę.

EX ijs, quæ de essentiali gloria Virginis dicta sunt, facile intelligi potest quid de accidentali eius gloria sit sentiendum. Hęc enim gloriam essentialẽ consequitur, illique proportionatur, ac commensuratur. Primum igitur (quòd ad animam pertinet,) quædam sunt perfectiones gloriæ accidentalis omnibus beatis communes, quanuis non sint æquales in omnibus, vt sunt variæ reuelationes, quæ fiũt extra Verbum, gaudia, impetrationes aliquorum effectuum, & si quę alia sunt huiusmodi. De quibus nullum est dubium quin B. Virgo perfectius, & cumulatius abundet huiusmodi præmijs accidẽtalibus quam omnes alij beati, vt per se constat ex hactenus dictis. Aliæ vero sunt perfectiones singulariter, & propriè pertinẽtes ad quasdam personas, seu munera, & status earum. In quo ordine poni possunt aureolæ, quæ tribus statibus hominum attribui censentur, scilicet Virginibus, Doctoribus, & Martyribus. Et de aureola quidem virginitatis constat, tanto esse excellentiorem in Virgine, quanto ipsa perfectius cæteris virginitatem coluit, quod enim absq; pugna carnis, perfectissimã castitatẽ seruauerit, nec illius meritum, nec coronam diminuit, vt doctè, ac piè, & copiosè ad hoc propositum diseruit Supplem. Gab. 4. d. 49. q. 4. ar. 5. dub. 2. Rursus existimo non caruisse propria aureola Doctoris, quia (vt supra ex sanctis Patribus ostẽdimus) singulari, & excellentiori modo fuit fidei magistra, & doctorum doctrix. Neq; enim ad hanc aureolam promerendum necesse est publicè docere, aut pro concione prædicare: sed satis est, veritatem fidei in alios diffundere, vt D. Thom. docet in 4. d. 49. q. 5. ar. 5.

Aureola doctoris incœlo Virgo fruitur.

D. Thom.

Dubium.

Dubitatio nonnulla est de aureola martyrij, quia B. Virgo violentam mortem passa non est, vt supra diximus, non ergo fuit verè martyr, ergo neque habet aureolam martyrij. Neque enim satis est, quòd in morte filij valde de illius passionibus doluerit, alioqui qui meditando Christi passionem vehementer dolent, hãc aureolam cõsequerentur, quod est aperte falsum. Et hanc sententiam tenet Abulens. Matth. 13 q. 20. & Sotus quarto d. 49. q. 5. artic. 2. Alijs simpliciter videtur B. Virginem verè, ac propriè habere aureolam martyrij. Ita docuit Supplem. Gab. supra, & Viguerius in institutionib. Theolog. cap. 14. §. 3. C vers. 2. & potest fundari, quia sancti absolute eam vocant *martyrem, & plusquam martyrem*, vt colligitur ex Bernard. in serm. *signum magnum*, Hieron. serm. de assump. Ildephonso. ser. 2. de Assump. Anselm. libr. de excellent. Virg. c. 5. qui hoc epitheton præcipuè Mariæ attribuunt propter dolorẽ, quem in filij morte passa est. De quo Simeon dixit, *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Qui (inquit Anselmus) *maior fuit omnibus doloribus. Quidquid enim crudelitatis in flictum est corporibus martyrum, leue fuit aut potius nihil comparatione tuę passionis. Quæ nimirum sua immensitate transfixit cuncta penetralia tua, tuique benignissimi cordis intima.* Et

Abulens. Sotus. Viguer.

Bernard. Hieron. Ildefons. Anselm.

ma. Et vtique pia domina non crediderim te potuisse vllo pacto, stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere, nisi ipse spiritus vitæ dulcissimi filij tui, pro quo moriente conquerebaris, & tantopere torquebaris, te confortaret. Ex quibus verbis potest hæc sententia in hunc modum explicari. Christus dominus verè, ac propriè martyr fuit. Nam propter veritatem morum, & doctrinæ violẽter interfectus est, vt docet D. Thom. loco citat. ex. 4. sententiarum, B. autẽ Virgo, tũ propter summam cũ Christo coniunctionem, tum quia simul cum filio constanter perseuerabat in suę fidei, & amoris testimonio, simul cũ ipso patiebatur. Et (vt inquit Lauren. Iusti. lib. de triumphali Christi agone cap. 21.) *cor eius clarissimum passionis Christi speculum, & perfecta mortis imago effectum erat.* Ergo simul cũ Christo martyr effecta est. Nam licet Christi interfectores B directè non intenderent illã propter Christum affligere, tamen reipsa persequendo Christum, ipsam persequebantur, & occidendo Christum, quantũ in ipsis erat eam interficiebãr. Qui modus passionis & persequutionis sufficiens est ad martyriũ, vt in Innocentibus constat, qui vere fuerunt martyres, quanuis persequutores non intenderent occidere eos propter Christum sed solum interficere Christũ, ergo ex hac parte sufficienter B. Virgo passa est propter fidem, & propter Christũ. Aliunde verò sustinuit dolorem sufficientem ad inferendam mortem corporis, nisi peculiari Dei auxilio fuisset suffulta, ergo potest dici martyr, vel (vt Ephrem eam vocat ora. ad Virginem) *martyrum honor, ac decus*: ergo C hoc satis est ad aureolam martyrij comparandam.

Ephrem.

Hæc controuersia parui momenti esse videtur, nã in gloria essẽtiali cõstat habere Virginẽ, quidquid respondere potest perfectissimo martyrio: tum propter discursum factum. Tum quia animo, & voluntate paratissima fuit ad mortẽ pro Christo sustinendam. Quod verò pertinet ad accidentalem ornatum, seu decorem, qui *aureola* dicitur, etiam videtur certum aliquid peculiare habere B. Virginem in hoc genere, quod est veluti insigne quoddã excellentissimæ fortitudinis, & caritatis eius, siue hoc dicatur aureola martyrij, siue aliquid eminentius illa, quod videtur proprius, ac verius dici. Quemadmodũ etiam

Aureolam martyrij in cœlo, quo modo Virgo habeat.

A verisimile est, ob dignitatẽ matris Dei, & egregiũ pietatis opus, quod beata Virgo in Christũ exercuit, habere ipsam singularem aliquem splendorẽ, ac decorẽ, qui perfectior sit, quám omnis aureola, qui tamẽ in tot aureolas non connumeratur: sed perfectio quędam est altioris rationis.

Et ex ijs facile est intelligere, quid de gloria corporis Virginis sentiendum sit. Habet enim omnes illas dotes, quæ omnibus beatis cõmunes sunt, tantoq; excellentius quãtò perfectiori animæ beatitudine fruitur. Rursus ob singularem filij generationem, castissimam, atque purissimã, existimo habere in corpore singularem aliquẽ, & admirabilem splendorem, vel aliquid aliud, quod sit veluti insigne Regiæ dignitatis, ac diuinæ maternitatis, ac principatus, & dominij in omnes beatos, Bonauent. in speculo B. Virginis cap. 6.

Dotes Virginei corporis in cœlo quales.

Bonau.

Ex quibus omnibus tandẽ sequitur B. Virginem ita in omnibus excedere alios beatos, vt sub Christo ipsa sola specialem sedẽ, & singularem chorũ in beatitudine constituat. In ordinibus enim Angelorum sanctorum nouẽ chori distinguntur ministeriis, & operationibus distincti: sancti verò homines vel sub illis ordinibus collocãtur, vel certè in illis ordinãtur, & cõstituũtur. Nam (vt Theologi docent in. 2. d. 9) ad singulos ordines Angelorum aliqui homines assumũtur: at verò B. Virgo, quoniam habuit superiorẽ dignitatem, quæ altioris est ordinis, & ministrorũ statum excedit, ideò per se singularẽ chorum constituit. Et hoc modo dicitur ab Ecclesia: *exaltata super omnes choros Angelorũ*, tanquam omnũ domina, ac regina. De qua melius, quã de Esther verum est, quod scribitur Esther. 2. *Ducta est ad cubiculum regis, & habuit gratiam, & misericordiam corã eo super omnes mulieres, & posuit diadema regni in capite eius.*

Singularẽ in cœlo chorum sub Christo Virgo constituit.

Esther. 2.

DISPVTATIO XXII.

In tres sectiones distributa.

De adoratione B. Virgini debita.

POstquã de omnibus Deiparæ perfectionibus actũ est, superest, vt de cultu, ac veneratione, qua illã prosequi tenemur, sermonẽ instituamus. Hic autem cultus ad duo præcipua capita reuocari potest,

test. Alterum est honor, seu adoratio, de quo in disputatione præsẽti. Alterum est oratio, de qua in sequẽti dicemus. Quoniam verò de adoratione, tum in genere, tum de illa, quæ sanctis hominibus, & Angelis debetur, in priori tomo copiosè satis disputatum est, ideò ea solum, quæ sunt Virginis propria, hoc loco adiungemus.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Beata Virgo cultu religioso adoranda sit.

HAeretici, qui sanctos homines adorandos negant, nullam Virginis exceptionem faciũt. Sed quoniam nihil speciale afferunt ad cultum Virginis euertendum, & quæ generalia sunt, prædicto loco satis sunt pertractata, eos missos faciamus. Alia hæresis extremè contraria fuit Collyridianorum, qui Virginem adorabant, vt Deam, & illi sacrificia offerebant. Ita refert Damascen. lib. de hæresibus, & Epiphan. hæres. 78. Ecclesia verò, & Catholica veritas media via incedit.

Collyridiarũ hæresis. Damasce. Epi.

Dicendum est ergo primo, Beatã Virginem esse adorandam. Est de fide ex supra dictis de Sanctis in communi. Nam, si reliqui sunt adorandi, multo magis beata Virgo. Vnde in septima synod. Actor. 4. 6. & 7. & in Trident. Sess. 25. in decreto de reliquiis, & veneratione sanctorũ, primo loco docetur Deiparæ adoratio. Sanctorum testimonia ex citato loco peti possunt, & statim plura afferemus explicando rationem huius adorationis. Ex qua etiam constabit à priori ratio huius conclusionis. Contra quam nihil video, quod obiici possit, nisi fortasse Epiphanius dicta hæres. 78. vbi negare videtur Virginem esse adorandam. Sed mẽs eius ex hæresi, quam impugnat, colligẽda est, nomen ergo adorationis pro latria vsurpauit, vnde ibidem postea docet beatam Virginẽ honore, ac veneratione prosequendam esse.

7. Synod. Con. Trid.

Obiectio. Epiphan. Responsio

Secũdo piè addi potest, B. Virginem ab initio sæculi, tam in Ecclesia triumphãte, quàm in militãte aliquo modo adoratam esse. Explicatur, quia in primis S. Angeli, à principio suæ creationis Christũ fide cognouerunt, & à principio beatitudinis eũdem in Verbo intuiti sunt. Tum quia fidei visio respõdet. Tum etiã quia ad eorum statum maximè spectabat sunt caput, ac Regem agnoscere. De qua re in priori tom. super. q. 1. 8. & 19. D. Thom. plura attulimus, & in 1. p. q. 57. & 62. fusius tradi solet. Hinc ergo verisimile est cognitam etiam fuisse à Sanctis Angelis ab initio Deiparam, vel cõmuni cõceptu, vt in statu viæ, credẽdo Deum ex fœmina sumpturum carnem, vel proprio, & particulari, vt in beatitudine intuendo fœminam illam, ex qua Verbum incarnãdum erat. Cum enim illa visio sit perfectissima, & clarissima, verisimile est, ita esse terminatã ad mysteriũ Incarnationis vt clarè etiam visa sit ea, quæ futura erat mater Dei: præsertim, quia etiam B. Virginis cognitio multum ad eorum statum pertinebat, cùm ipsa perpetuo futura esset eorum Domina, ac Regina. Itẽ, quia incredibile est tam perfectum Dei opus, quale est B. Virgo non videri ab aliquo beato in Verbo. Nam, si ab aliquo videtur, maximè á Sanctis Angelis. Quòd si nũc ab eis videtur in Verbo, etiã ab initio visum est, quia visio beata nõ recipit mutationem, & augmẽtum. Et hoc indicauit D. Tho. sup. q. 30. ar. 2. ad. 3. si rectè põderetur solutio, & cũ argumento conferatur. Et ex doctrina, quã ibi tradit, interpretari possumus nõnullos Patres, qui interdũ significare videtur, Angelos nõ cognouisse matrẽ Dei, vt videre licet in Bernar. hom. 1. in *Missus est*, & serm. 4. & 5. de Assumptione, vbi Angelis accõmodat verba illa, *Quæ est ista, quæ progreditur?* quasi inquirẽtibus de persona sibi ignota; quod etiam habet Laur. Iustin. sermo. de Annunt. Tamẽ ex D. Tho. citato loco interpretamur hæc intelligẽda esse de cognitione quoad omnes circunstãtias: nõ verò quoad substãtiam, & personam ipsam. Ex hoc ergo vlterius cõcluditur, sicut Christus vel fide creditus, vel clarè in Verbo visus statim adoratus est ab Angelis, quomodo multi interpretãtur illud ad Heb. 1. *Et cũ iterum introducit primogenitũ in orbẽ terræ dicit, & adorent eũ omnes Angeli eius*, semel enim præceptus est adorari ab Angelis, cũ primum illis per fidẽ propositus est, & iterũ cum reipsa fuit incarnatus. Sic igitur etiã B. eius mater, cũ primum Sãctis Angelis est cognita, fuit ab eis adorata, cũ ab eis sit cognita, vt Dei mater, ac Domina omniũ, atque adeò, vt

Adoratio Virginis per Angelos

D. Thom.

Bernardin.

Laur. Iustin.

Damasce. adoratione digna. *Decet enim* (vt Damas. A inquit, orat. 1. de Nat. B. Mariæ, &. 2. de Assumptione,) *Dei matrẽ ea, quæ filij sunt, possidere, & ab omnibus adorari.*

Cultus virginis in Ecclesia qualis, quãque antiquus.

Rursus eodẽ ferè discursu explicari potest, semper Virginem fuisse in Ecclesia ex hominibus constãte cognitã, & in veneratione habitã. Ante aduentum Christi, nõ quidem ab vniuersa plebe, quæ valde implicitè, & confusè, ac imperfectè Christũ cognoscebat, sed à sapientibus, Patriarchis, ac Prophetis, à quib⁹ & præcognita fuit, & prædicta, vt ex Hieron. Bernar. & aliis Patribus in principio huius libri ostẽdimus: post Christi autẽ aduẽtum, dũ in vita mortali extitit à fidelibus omnibus, qui illam cognoscebant in summo honore est habita, vt ex antiquis historiis cõstat, & ex Epistolis Ignatij ad Ioãnem Euãgelistã. Postquã verò in cœlũ trãslata est singulari cultu est ab vniuersa Christi Ecclesia celebrata. Cuius rei certã fidẽ faciũt. 1. vniuersalis cõsẽsus, & traditio Ecclesię, cuius initiũ ignoratur, quod teste Aug. lib. 4. de bap. c. 24. certũ indiciũ est vsq; ad Apostolorũ tẽpora esse reuocãdã. Secũdo ex antiquorũ Patrũ certis testimoniis, quæ partim in superioribus attulimus, agẽtes de dignitate, gratia, & gloria beatissimę Virginis, partim in sequẽtibus sectionibus afferem⁹. Tertio ex diebus festis, quos Deo in memoriã, & honorẽ Virginis Ecclesia dicauit. Cuius modi sunt, in primis festũ Annũtiationis, in quo ante mille annos, cõciones habuere Aug. Andreas Hierosolymitanus, & alij. Et multo antiquius esse cõstat ex Athanas. de sanctissima Deipara, & ex Leone. Pap. epist. 4. c. 2. & ex Cõcilio Tolet. 12. c. 1. quibus locis significatur festiuitatẽ hãc esse ab Apostolis institutã. Aliud festũ est Purificationis Virginis, quod nõnulli existimarũt tempore Iustiniani Imperatoris fuisse institutum ex Nicepho. lib. 17. histo. c. 28. & Paulo Diaco. libr. 10. rerũ Romanarũ. Sed licet fortasse eo tẽpore fuerit speciali præcepto sancitũ, seu renouatũ: solẽnitatẽ autem ipsã antiquiorẽ fuisse, cõstat ex Gregor. Nysleno, Chrysost. Cyril. Alexã. cõcionibus de Purificatione, quæ apud Suriũ legũtur, & ex Leone Papa. sup. Et de hoc videri posũt, quę tradit Albin. Flaccus, lib. de diui. offi. c. de Purificatione. Tertium est festum Assumpt. de quo in sùperioribus dictũ est, & huius, ac præcedentis meminit Cõciliũ Mogũtiacũ sub Carolo Magno. c. 36. Conc. Lugdun. c. 1, de cõsec, dist. 3. Quartum est festũ Natiuitatis Virginis, de cui⁹ antiquitate diximus sup. agẽtes de prima sanctificatione Virginis. His quatuor festiuitatibus, quæ celebriores, & antiquiores sunt, additæ sũt aliæ in Ecclesia Rom. Quinta ergo est festiuitas S. Mariæ ad Niues, ante mille ducentos annos, tempore Liberij Pap. instituta ob diuinam reuelationem, vt constat ex eius gestis, & ex antiquissima traditione, & ex insigni monumẽto, quod Romę adhuc exta. Sextat est visitationis, quę in Ecclesia Græca antiquior est, vt constat ex Græcorum Calend. In Latina verò ab Vrbano. 6. ante ducentos annos fuit instituta; postea verò in Concilio Basilien. cõfirmata, vt constat ex Sessione. 43. huius Concilij. Septima est Conceptionis eiusdem Virginis, de qua supr. disput. 3. sect. 5. latè dictum est. Octaua est Præsentationis B. Virginis in templo, quæ ante multos annos in Ecclesia Latina inchoata est. Nam in cõstitutionibus Manuelis Imperatoris, quas in Latinum vertit Ioãnes Cleondaius, quędã extat tit. de festis. cõstit. 1. qua præcipitur hoc festum seruari, ac celebrari die. 21. Nouemb. quæ cõstitutio facta est ante quadringẽtos quinquaginta annos tempore Cœlestini. 2. Et quãuis nõ fuerit in vniuersali Ecclesia iã inde introducta; à multis tamen Ecclesiis celebrata est præsertim in Hispania, ac tãdem à Sixto Quinto vniuersali Ecclesiæ proposita. Vnde nũc rectè quadrat (quod ab Antonino. p. 4. tit. 15. cap. 24. §. 3. animaduersum est) cũ in Ecclesia octo sint solennitates Deo in solum ipsius cultum dicatæ, scilicet Trinitatis, Pẽtecostes, Natiuitatis, Circuncisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, & Corporis Christi, tot esse vniuersales festiuitates in Virginis honorem eidem Deo consecratas. Quibus addi possunt singulares festiuitates Virginis, quæ in diuersis prouinciis celebrantur. Quales sunt in Hispania festũ Expectationis Virginis, ante nongentos annos institutum, vt ex Concilio 10. Toletano constat, & festum Descensionis eiusdem, quod in Ecclesia præsertim Toletana antiqua traditione collitur, & vtraque festiuitas à Gregorio. 13. nuper confirmata est. Tandem in vniuersa Ec-

Aug. Dies festi in honorem Virginis dicati.

Aug. And. Iero. Athanas. Leo Papa. Con. Tole. 12.

Nicephor. Pau. Diac, Gre. Nyss. Chrysost. Cyri. Ale. Surius. Leo Papa. Alb. Flac.

Con. Mog. Con. Lug.

Con. Basi.

Ioã. Cleondai. Six. V. Pa.

Antoninus

Co. Tol. X

sa Ecclesia dies sabbathi in peculiarē Virginis memoriam, & honorem, destinatus est; Cuius rei certū initium reperire non potui; dicitur autē inchoata fuisse in Cōcilo Claramontano, sub Vrbano II. ante quingentos annos, quod tamē Cōcilium nunc non extat.

Templa in honorem Virginis consecrata

Quartò, principaliter testātur eandem traditionē antiquissima templa Deo in honorem B. Virginis consecrata, quorū tam frequens est in historiis mētio, tamque euidēs experiētia, cum maiorum traditione coniuncta, vt superuacaneum sit in eis numerandis immorari. Quod maxime illud confirmat quia in huius cultus confirmationem magna, & frequētia miracula in huiusmodi templis Virgineis Deus operatur. Legantur, quæ eruditè congerit Canisius libr. 5. de B. Maria. capit. 23. 24. 25. & quæ c. 22. refert de imaginibus Virginis, & veneratione earū eandem veritatē cōfirmare possunt. De qua re multa attigimus in præcedenti tomo agentes de imaginum adoratione.

Ex quibus omnibus constat adorationem hanc, quæ Virgini debetur, eiq; ab Ecclesia tribuitur, cultum Religiosum cōtinere, quia & in Dei honorem redūdat, & ad pietatem, & spirituale bonum animarum conducit. Quod maximè confirmāt ea, quæ de simili cultu religioso sanctorum in genere diximus, & in sequentibus sectionibus amplius explicabitur.

SECTIO II.

Ob quam potissimam rationem beata Virgo sit adoranda.

EXpedita quæstione, An sit hæc adoratio, ut explicemus qualis, seu cuius rationis illa sit, oportet obiectum eius explicare. Et quoniam de materiali obiecto constat, cum de B. Virgine sermo sit, solū superest, vt formalem rationē huius adorationis explicemus. Triplex enim potest ratio adorationis in virgine intelligi.

Prima ratio adorationis Virginis.

Prima igitur ratio, propter quam potest Virgo adorari, extrinseca est, qualis in reliquiis, vt in cruce, vel clauis Christi reperitur. Sicut enim crux, & Christū tetigit, & instrumētum fuit nostræ redēptionis, ita multo perfectius beatissima Virgo, & Christum tetigit, & ad nostrā redemptionem est cooperata. Hoc igitur modo adorabilis est B. Virgo ratione extrinseca, idest quatenus Christū tetigit, ita vt tota ratio huius adorationis sit Christus. Ita sentit D. Tho. sup. q. 25. art. 5. vbi Caiet. id clarius exponit. Est tamen ex eisdē autoribus, & alijs Theologis in 3. dist. 9. obseruandū, quāquam hæc ratio speculatiuè considerata sufficiens sit, vt propter eam Virgo sit adorabilis: practicè tamen, seu in vsu nō esse hoc modo adorandam, præsertim cōmuni, ac publica Ecclesiæ adoratione, non quia hoc sit intrinsecè malū, nā reuera nō est. Nam si quis idoneus sit ad discernendas rationes adorationis, et cauēdum omne periculū, & ad scandalum vitandū, nulla est in huiusmodi adoratione deordinatio, aut malitia. Sed tamen illius communis vsus vitandus dicitur. Primò, propter periculū, quod esse potest in adoranda creatura rationali propter diuinā excellentiam, licet extrinsecè applicatā. Cū enim creatura rationalis per se sit capax absolutæ adorationis, propter aliquam intrinsecā excellētiā, fieri potest, vt homines, præsertim ignorātes, in errorē labantur diuinā illi tribuētes excellētiam. Propter quam causā superiori libr. diximus, neq; hominē, vt est ad imaginē Dei, neq; Sāctos, vt singulari modo sunt tēpla Dei, esse latria adorādos propter diuinā excellētiam. Secundò, quia maior honor personæ adoratæ est, quòd propter intrinsecam, & propriā excellētiā colatur, quam propter extrinsecam habitudinem contactus, v. g. aut repræsentationis: quia huiusmodi honor potius est testimonium excellentiæ illius personæ, propter quā fit adoratio, quàm eius, in quam materialiter terminatur adoratio.

D. Thom. Caietan.

Secundò, adorari potest B. Virgo propter intrinsecā sanctitatē, quā habet, quod est per se notū ex his, quæ in genere de adoratione sanctorū dicta sūt. Quia in B. Virgine est sanctitas eiusdem rationis, & maioris perfectionis, vt sup. probatū est.

Secundaratio adorationis Virginis.

Tertia ratio, propter quā est adorabilis B. Virgo, assignari potest dignitas matris Dei. Hoc sumo ex D. Tho. in. 2. 2. q. 103. ar. 4. ad. 2. & ita declaratur. Quia hęc dignitas distincta est à dignitate gratiæ, & altioris quodammodo rationis, quā illa, vt

Tertia ratio adorationis Virginis.

in principio huius materiæ ostendimus. Rursus non est extrinseca, sed propria, & intrinseca ipsius Virginis, siue in ea intelligatur esse physicè, propter relationem realē ad Christū, quæ est in Virgine, siue moraliter, vt eodē loco sup. cit. explicui, sicut dignitas Regis est in Rege, quod satis est ad absolutam, & propriam adorationē. Est ergo adorabilis Virgo propter hanc dignitatem, sicut ipsa dixit, Luc. 1. *Quia fecit mihi magna, qui potens est. Et quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam medicent omnes generationes*; vt illi non incōmodè applicare possimus verba Apostoli ad Philip. 2. *Humiliauit semetipsam, propter quod & Deus exaltauit illā & dedit illi nomen, quod sub Des, est; super omne nomen*, scilicet nomen matris Dei, vt in hoc nomine omne genu flectatur congruenti, & accommodata adoratione. Vt enim supr. ex Damasceno dicebam⁹ orat. 2. de Assumptione Virginis, *Decet matrē ea, quæ filij sunt, possidere, & ab omnibus rebus adorari.* Ex quibus verbis confirmatur, & magis explicatur hic titulus adorationis. Nam B. Virgo eō quòd mater Dei est, habet speciale quoddā ius, & dominium in omnes creaturas, sed vnicuique iure dominij debetur ab inferioribus adoratio, ergo. Maior patet ex Sāctis Patribus, qui primo fundant hoc dominium in coniunctione, & affinitate inter Deū, & Virginem. Athanas. sermone de sanctissima Deipara, *Quia ipse Rex est, & Dominus, mater, quæ eum genuit, & Regina, & Domina vere censetur.* Et infra quasi explicans, vel limitans hoc dominium dicit, *esse secundum sexum fœmineū*, ac si diceret esse tale, quale esse solet in vxore, vel matre, propter coniunctionem ad Regem. Quanquā enim non soleat habere supremum dominium; suam tamen potestatem imperandi habet, & omnes illi, tanquam dominæ, ac superiori deferunt. Vnde Damas. libr. 4. de fide, c. 15, *vere enim*, inquit, *rerum omniū conditarum domina effecta est, cum creatoris mater extitit.* Et Aug. sermo. 35. de Sanctis, agēs de hac matris dignitate, *Quid* (inquit, *dicam pauper ingenio cum de te, quidquid dixero minor laus sit, quam dignitas tua meretur?* & infra, *Si dominam Angelorum vocitem, per omnia te esse probaris.* Et Rupert. lib. 3, in Cāti. circa id Cāti. 4. *Veni coronaberis, ita* (inquit) *coronaberis, vt in cœlis Regina sancto-*

Dominium Virginis in creaturas omnes vnde ortum.

Athanas.

Damas.

Augusti.

Rupert.

Anselm.

Bernard.

Pet. Dami.

Synod.

Rupert.

Duran.

Obiect. 1.

Responsio

Obiectio.

rum, & in terris Regina sis regnorum. Et Anselmus de Excellentia Virginis, capit. 8. *Deus eam cunctæ secum creaturæ perenni iure dominaturam in throno gloriæ suæ collocauit.* Et eodem modo loquuntur Bernard. sermo. 1. de Assumpt. Petrus Damia, serm. 1. de Natiuit. Mariæ. Ac denique 7. synodo, actione. 4. citans Gregorium, eam specialiter vocat *omnium Christianorum dominam*, indicans alium titulum huius dominij, scilicet, quia ad nostram redemptionem singulari modo cooperata est. Sicut enim Christus eò quòd nos redemit, speciali titulo Dominus est, ac Rex noster, ita & B. Virgo propter singularem modum, quoad nostram redemptionem concurrit, & substantiam suam ministrando, & illum pro nobis voluntariè offerēdo, nostramque salutem singulariter desiderando, petēdo, procurādo. Propter quòd *mater* etiam *omnium hominum* dicitur, vt inquit Ruper. lib. 13. in Ioan. *Quia nimirum, salutis omnium causam, tunc sine dolore peperit, quando Deum hominem factum de carne sua genuit. Et tunc magno dolore parturiebat, quando iuxta crucem eius stabat.* Ergo titulus hic matris, ac dominij est sufficientissima adorationis ratio. In quo magna est differentia inter Virginē, & alios sanctos, quidquid Durand. dicat in. 3. d. 9. q. 3.

Sed dicet aliquis hanc rationem adorationis nō esse à prima distinctam, quia Beata Virgo non aljter effecta est mater Dei, quàm concipiendo ipsum, cōtingendo: & in vtero suo portando. Respondeo esse magnam, & apertam differentiā, quia in prima ratione solum cōsideratur præcisa ratio contactus, vel representationis, quę vt sic non dicit moralem dignitatem propriam creaturæ rationalis, sed solum habitudinem quandam, quę in rebus etiam inanimatis reperitur. Item illa prima ratio nō requirit causalitatem aliquā, nec propriam coniunctionem ad Christū, & Deū: sed reperiri potest in qualibet alia persona, quæ Christum tetigisset. At verò in hac vltima ratione consideratur dignitas omnino propria creaturæ rationalis, fundata in vera causalitate matris, & singulari ad Christū coniunctione; sunt ergo hi tituli valde diuersi.

Rursus tamen obiici potest, quia hæc dignitas sic explicata, & precisè sumpta, nō est sufficiens ratio absolutæ adoratio-

nis

nis. Nã si à gratia sanctificãte separetur, non constituit personam per se adorabilem: ergo hic titulus separatus à secundo non est sufficiens ratio adorationis. Respondeo primo fieri non posse secundum potentiam ordinariam, & iuxta legem quasi cõnaturalem dignitati matris, quin dignitas gratiæ coniuncta sit, & veluti consequatur dignitatem matris, vt in superioribus ostendi; & hoc satis est, vt hęc matris dignitas per se, & vi sua intelligatur esse sufficiẽs ratio adorationis. Secundo, admisso illo casu, dupliciter posset fingi, primò, vt ea persona, quanuis esset sine gratia; non tamen esset in peccato mortali, sed veluti in puris naturalibus adiũcta solum dignitate matris Dei, absque vlla alia gratia, vel beatitudine supernaturali, vel ordinatione, vel acceptatione ad illam; & in eo casu dico eam personam fore adorabilem propter dignitatem matris, quia est sufficiens ratio, & non esset impedita. Secundò, potest fingi talis persona in statu peccati, & inimicitiæ diuinæ, & in eo statu non posset adorari cultu saltem religioso, quia peccatum existẽs redderet illam indignam tali adoratione, & impediret rationem aliam propter personæ indignitatem.

Responsio

A

B

SECTIO TERTIA.

Cuius speciei, & virtutis actus sit hæc Virginis adoratio

EXplicato formali obiecto huius adorationis, facile erit exponere, & cuius naturæ sit, & ad quam virtutem pertineat. primò enim de fide certũ est B. Virginem non posse adorari propria, ac perfecta latria. Hæc enim soli Deo debetur propter excellentiam infinitam, & increatam, quam Virgini attribuere idololatria esset, & hoc sensu Epiphan. & Damascen. damnant, vt hæreticos collyridianos, qui Virginem latria colebãt, & eodem dixit Ambros. libr. tertio, de Spiritusancto, capitulo. 12. adorationẽ Christi propriam non esse cum eius matre cõmunicandam.

C

Virgo non potest proprie adoratione latriæ adorari.

Epiphan.

Damasce.

Ambro.

Obiectio.

Sed contra, nam Ecclesia videtur hanc adorationem Virgini tribuere, dum eam vocat spẽ nostrã, matrẽ gratiæ, & similibus titulis eã honorat, ac si ipsa esset autor gratiæ, & salutis, quòd pertinet ad cultum latriç. Et similia reperiuntur in Sanctis Patribus, Aug. serm. secundo de Annuntiatione, qui vocat eam *spem vnicam peccatorum*. Similia habet Bernardin. sermone de Natiuitate Beatæ Mariæ, Ephrem oratione de laudis Virginis, vbi vocat *gaudium, salutem, & pacem mundi*, & pleraque id genus in superioribus allata sunt. Respondetur in his omnibus non verba, sed verborum sensum esse attendẽdum. Quanquam enim etiam inter homines eodem verbo petamus à Rege, & ab amico Regis, vt nostri misereatur, vel nos adiuuet; tamen non idem respectu vtriusque significamus, neque idem ab vtroque postulamus; sed alterum vt faciat, alterum verò, vt intercedat, rogamus, Sic igitur Ecclesia, & Patres loquuntur ad Virginem, quam etiam (vt supra vidimus) interdum vocant *reparatricem*, ac *mediatricem*, non immediate, & per se, sed per Christum, quia Redemptorem nobis genuit, & apud illum plurimum valet, vt in disputatione sequenti latius dicemus. Quæ mens, & sensus Ecclesiæ tam est per se perspicuus, & omnibus notus, vt propterea Sancti nihil formident illis modis securissimè loqui.

Augusti.

Bernard.

Ephrem.

Responsio

Secundò, licet supra dixerimus Beatã Virginem publico, & communi cultu nõ esse adorandam propter extrinsecam excellentiam Christi, seu propter contactũ ad illum; tamen si ita aliquando ab aliquo adoretur, certum est illud adorationis genus ad religionem pertinere, atque dici posse secundariam latriam, quatenus ab eadem virtute latriæ proficiscitur, quanuis reuera sit actus distinctus ab adoratione latriæ propriè, & simpliciter dicta. Quia illa adoratio, vt terminatur præcisè ad Virginem, non est summa adoratio, neque absoluta, neque propter intrinsecam excellentiam increatam, sed est similis illi, qua reliquiæ Christi adorantur. Quę omnia constãt ex dictis supra de reliquiis, est enim prorsus eadem ratio, itaque hæc conclusio iuxta ibi dicta explicanda est, & amplificanda.

Tertiò, si Beata Virgo propter sanctitatem gratiæ & gloriæ adoretur, talis adoratio essentialiter eiusdem speciei est cum adoratione aliorum sanctorum, & ab eadem virtute proficiscitur.

Adoratio hyperdulię Virgini debita ob sanctitatẽ gratię, quam habet.

quia excellentia, in qua nititur eiusdem speciei est, & eodem modo essentiali Virginem perfecit. Quanquam quia hęc dignitas excellentior est in Virgine, quàm in alijs sanctis, adoratio etiam illi respondens perfectior in eadem specie, magisq; illi debita est. Ad quam excellentiam explicandam Theologi hanc Virginis adorationem non simpliciter *duliam*, sed *hyperduliam* vocarunt, quę vox excellentem duliam significat. Circa quam vocem solum obseruandum est, interdum solere vsurpari ad significandam omnem adorationem, quę aliquomodo excedit communem duliam, & inferior est, quam perfecta latria. Et hoc modo non solum dicitur de adoratione fundata in sanctitate gratiæ, sed etiam de alijs, vt in superioribus dictum est, & in sequenti assertione dicam. Alio autem modo, & magis proprio vox *hyperdulia*, significat adorationem, quæ propter gratiam creatam datur, eminens tamen est, ac perfectissima in illa ratione, & hoc modo in presenti sumitur: sed habet etiam hic vsus quandam latitudinem. Est enim in hoc genere quædam hyperdulia non simpliciter, sed respectu quorundam, quo modo sicut Ioannes Baptista, & Apostoli dicuntur habere excellentem gratiam, & gloriam, ita dici possunt adorari hyperdulia. Et ita loquitur Felicianus contra secundam confessionem Andeburgensem articul. 2. quæst. 4. Alia verò est hyperdulia non respectu huius, vel illius sed simpliciter in tali genere, & hoc modo dicitur Beata Virgo adoranda hyperdulia, quia habet summam excellentiam gratiæ, quæ moraliter, & in vsu Ecclesię sit fundamentum, & ratio huius adorationis. Quod propterea dico, quia in Christo Domino est gratia creata, multo perfectior, quam in Virgine, propter quam posset excellentiori hyperdulia adorari, quàm Beata Virgo, tamen hic modus adorationis in Christo non est vsitatus, quia in Christo est excellentior dignitas gratiæ vnionis.

Hyperdulia quotuplex.

Felician.

Sed quæret aliquis. In quo consistat hic excessus, seu maior perfectio hyperdulię vltra communem duliam. Quia neque externi actus sunt diuersi vt per se constat, neque interni, cum dictum sit actus voluntatis eiusdem rationis esse, nec

Dubium. 1

A per se possint in intensione differre, quia interdum inferior sanctus potest intensiori affectu coli, quam Beata Virgo. Respondetur primum esse differentiam in exi stimatione, à qua hæc adoratio procedit, quę de Virgine altior est, & excellentior. Secundo in actibus voluntatis potest assignari differentia non intensionis (hæc enim est impertinens vt recte argumẽtum probat) sed veluti obiectiua, & appretiatiua, quatenus aliquis vult, & maiora honoris signa Virgini exhibere, & (quantum in se est) honorem Virginis aliorum honori præferre, ita vt si necessariem esset alterutrum prętermittere, potius aliorum sanctorum, quam Virginis cultum omitteret. Tertio hinc potest assignari differentia in actibus externis, possunt enim aliqui destinari ad singularem Virginis excel

B lentiam significandam, qui alijs sanctis accommodari non possunt, vt in verborum vsu conspicitur, & ad alias actiones facile accommodari potest.

Respons.

Quarto adoratio illa, quæ tribuitur Virgini propter specialem matris Dei dignitatem quanuis lato modo supra exposito *hyperdulia* vocetur: videtur tamen esse diuersæ naturę, ac speciei á dulia, seu hyperdulia, quę in dignitate gratię fundatur, & prędicto assertione explicata est. Hęc videtur esse sententia D. Thom. 2. 2. quæst. 103. ar. 4. ad 2. Vbi dicit hyperduliam, quę debetur Virgini propter affinitatem ad Deum, esse potissimam speciem dulię communiter sumptę. Vbi Caietanus ad-

C uertit Virginem habere consanguinitatem cum Christo, vt homine. affinitatem verò cum Christo, vt Deo, & ideò illi deberi specialem adorationem, *quia propria*, inquit, *operatione attigit fines diuinitatis*, ideſt, quia concepit, peperit, ac nutriuit Deum. Ratione probatur, quia dignitas, in qua fundatur hæc adoratio, est specie distincta à dignitate gratiæ habitualis, & ad alium ordinem spectat, scilicet ad ordinem vnionis hypostaticę, ergo adoratio in illa fundata est diuersę rationis, quia habet obiectum formale diuersum. Dices ergo adoratio sancti Petri propter dignitatem Apostolicam, vel sancti Ioannis propter dignitatem præcursoris, erit etiã diuersæ speciei ab adoratione propter sanctitatẽ. Respondetur non esse eãdem rationem,

Qualis Virgini debeatur adoratio ob dignitatem matris Dei.

D. Thom.

Caietan.

Obiectio.

tum

tum, quia hæ non sunt dignitates, quæ præcisè sumptæ sint sufficiens ratio religiosi cultus, de quo nunc loquimur, sed sunt ministeria quædam, quę coniuncta cum gratia conferre possunt ad maiorem quendam honorem, & venerationem. Tum etiam, quia illa omnia ministeria immediatè ordinantur ad gratiam sanctificantem, & ita in eodem ordine constituuntur, ac propterea tota illa adoratio ad duliā pertinet; dignitas autē matris Dei in vtroque excellit.

Responsio

Sed quæres, An hæc adoratio sit perfectior altera, quæ in gratia fundatur. Nā dignitas gratię (vt supra vidimus) multis excellentior videtur, quàm dignitas matris Dei precisè considerata, ergo etiam adoratio in ea fundata erit perfectior, quia licet altera videatur ad altiorem ordinem pertinere, quia aliquo modo respicit hypostaticam vnionem; tamen fieri potest, vt supremum inferioris ordinis excedat infimum superioris. In contrariū verò est, quia dignitas matris considerādo omnia, quæ formaliter, & in virtute, vel quasi in radice includit, excellentior est (vt supra ostendimus) ergo etiam adoratio, quæ in illa nititur, perfectior est. Et confirmatur, nam propter hanc causam Ecclesia potissimum veneratur Virginē, vt Matrem Dei, & hanc rationem maximè prædicat, & omnibus præponit, ergo intelligit ob hanc causam illi deberi potissimum cultum. Adde hanc dignitatem matris requirere gratiam tanquam congruentem, & veluti connaturalem dispositionem, & ideò illa vna adoratione, qua adoratur mater Dei, vt sic, etiam coadoratur eius sanctitas, & omnis eius perfectio sub altiori quadam ratione, quatenus scilicet omnia manant ex maternitate Dei, & ad illam ordinantur. Et hic videtur perfectissimus modus adorationis Virginis, & maximè proprius, & accommodatus dignitati eius.

Dubium. 2.

Responsio

Vltimò inquiri potest, A quo habitu oriatur hæc adoratio. Ad quod tribus modis responderi potest. Primò, vt oriatur à virtute duliæ, à qua oritur adoratio aliorum Sanctorum, quia hęc virtus inclinat ad honorādam personam creatam, propter quancunque dignitatem creatam supernaturalem, vel supernaturali regulæ conformem. Sed hic modus non videtur admodum probabilis, neque consentaneus iis, quæ dicta sunt. Quia ratio formalis huius adorationis est valdè diuersa, & licet sit supernaturalis; tamen est in diuerso ordine, & constituit actum valdè diuersum, non ergo est, cur dicamus habitum esse eundem. Secundò ergo dicitur, proficisci ab eodem habitu Religionis, à quo oritur Dei, & Christi adoratio. Primò, quia licet hæc dignitas matris creata sit; tamen respicit excellentiam increatam, & inde sumit valorem suū, quod videtur sufficere ad vnitatem habitus. Vnde in humanis idem habitus, qui inclinat ad honorandum Regem, inclinat etiam ad honorandam matrem Regis, vt sic. Videntur enim hæc esse quasi correlatiua, & ideò consequutionem quandam inter se habere, quæ satis est, vt in eodem habitu, seu principio radicentur. Et huc spectare videtur, quod sępè Patres dicūt, *totum honorem matris ad filium referri*. Tandem, quia hæc dignitas, (vt dixi) pertinet ad ordinem vnionis hypostaticæ, ergo adoratio, quæ in illa nititur, pertinet ad illam virtutem, quæ vnionem hypostaticam veneratur. Sicut enim dulia, quæ respicit gratiam creatam, complectitur omnia, quę sunt illius ordinis, ita religio, quæ respicit excellentiam increatam, & consequenter gratiam vnionis, comprehendet omnia, quæ in eodem sunt ordine. Hic dicendi modus videtur satis probabilis.

Dubium. 3.

Tertio verò dici posset hoc genus adorationis constituere propriam virtutem, & habitum distinctum à cæteris, quia fundatur in singulari quadam dignitate propria, & intrinseca creaturę. Quod satis esse videtur, vt distinguatur à virtute religionis, vt significare visus est Diuus Thomas in citato loco ex. 2.2. reuocans hanc adorationem potius ad duliam in communi, quàm ad religionem. Quia licet vltimate totus hic honor matris cedat in honorem filij; proxima tamen, & immediata ratio eius diuersa est, & non consideratur, vt respectiua, sed vt absolutè constituit excellentem hanc personam, & veneratione dignam. Cum verò hæc dignitas singularis sit inter omnes creatas, mirum non est, quòd singularē, ac propriam virtutē requirat. Quapropter hic etiam dicendi modus probabilis

Responsio

D. Thom.

censendus est. Quid autem simpliciter verius sit, aliis iudicandum relinquo. A

DISPVTATIO XXIII.

In tres sectiones distributa.

De B. Virginis intercessione, atque invocatione.

MAteria huius disputationis reliquis Sãctis cõmunis est. Et quoniam de illa nihil in superioribus diximus, non omnino generalia principia prætermittemus, præsertim cùm hæretici, qui hanc Virginis intercessionem detestãtur, nihil singulare afferant, quòd in reliquos Sanctos maiori ratione non conueniat. Curabimus tamen in ea præsertim incumbere, quæ B. Virgini sunt propria. Quoniam verò inuocatio intercessionem supponit (si enim beata Virgo pro nobis non intercederet, superuacanea esset eius inuocatio) idcircò prius de illius intercessione, ac deinde de inuocatione disseremus. B

SECTIO PRIMA.

Vtrum Beata Virgo ante statum beatitudinis fuerit aliquo modo nostræ salutis causa.

NON defuerunt hæretici, qui dicerent, Beatam Virginem esse præcipuam salutis nostræ causam, vel per modum efficientiæ, vel per modum meriti, & redemptionis. In quem errorem, videntur incidisse hæretici, quos refert Epiphanius, hæres. 78. & 79. Et eundem Ecclesiæ Catholicæ tribuunt huius temporis hæretici. Quoniã Catholici Virginem oramus, vt nostri miseatur, eamque nũcupamus *matrem gratiæ, & misericordiæ, reparatricem sæculi, & mediatricem generis humani.* Addunt etiam nos dicere Virginem, non tantum orare Christum, sed etiam ei imperare. Hic tamen error nullum habet fundamentum. Quòd verò sit falsa calumnia, quam Nouatores imponunt Catholicis, ex dicendis constabit. C

Epiphan.

Dicẽdum ergo est primo, Beatam Virginem non fuisse per modum causæ efficientis, propriam, aut principalem causã nostræ salutis. Hæc conclusio est certissima, & in primis si intelligatur de causa prima, vel etiam de causa principali, ac per se nostræ salutis, est certa de fide. Quia B. Virgo, nec Deus est, vt sit causa prima alicuius effectus, nec virtutem habet iustificandi, aut dandi gratiam, vel gloriam; cùm etiam hoc sit proprium solius Dei iuxta illud Psal. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Vbi nomine *gratiæ*, omne supernaturale donũ comprehenditur, iuxta illud Iacobi. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendẽs a Patre luminum.* Quòd si hæc cõclusio intelligatur de causa efficiente quacunque ratione, vel principali, vel instrumentali, non est expressè de fide. Quia neque est expressa in scriptura, neq; tradita, aut definita ab Ecclesia, neque ex principiis fidei euidenter colligitur; tamen est certa, ita, vt oppositum asserere, plus sit, quã temerarium. Quia est præter omniũ Theologorum doctrinam, & sine fundamẽto. Neque enim B. Virgo habet de se hanc efficientiam instrumentariam, neq; vlla probabili autoritate, vel ratione dici potest Deum illam eleuare ad huiusmodi actionem; quin potius solam Christi humanitatem sentit Ecclesia esse instrumẽtum Deo cõiunctum ad efficiendam gratiam; sacramenta verò esse instrumenta ipsius humanitatis. Quòd autem B. Virgo sit etiam instrumentum Christi inauditum est, aliàs etiam posset dici esse instrumentum ad consecrandum (quod esset hæreticum) nullo igitur modo est causa efficiẽs gratiæ, præsertim si ex lege ordinaria, ac regulariter loquamur. Nam si quis dicat per modum miraculi interdum assumptam fuisse, vt instrumentum ad alicuius sanctificationem, v. g. Ioannis Baptistæ vel alterius, id esset quidem incertum; non tamen aliqua censura dignũ.

Virgo non fuit proprie causa nostræ salutis.

Psalm. 83. Iacob. 1.

Vnde vlterius, si eadem conclusio generalius intelligatur de omnibus beneficiis, non solum supernaturalibus: sed etiã naturalibus, vt sunt salus corporis, bona tẽporalia, &c. proportione seruata eandem habet veritatem. Quia B. Virgo, nec causa prima potest esse horũ bonorum, nec causa secunda principalis, nec ordinariè potest illa efficere, etiam instrumentaliter,

ter, nisi per modũ miraculi, quãdo Deus ei virtutem præstat. An verò ex Dei dono concessum sit B. Virgini, & positum in eius voluntate, vt hæc bona, vel omnia, vel aliqua posit in hominibus operari miraculosè, & instrumentaliter, in hoc nihil inuenio certa fide esse definiẽdum; probabilius tamen existimo hoc esse proprium animę Christi, cui potentia faciendi miracula per modum habitus, seu permanẽtis facultatis data est, & ideò non tantum rogando Deum, sed etiã volendo, & imperando creaturis, operatur.

Quomodo Virgo salutis nostræ causa fuerit.

Dico secundò, quanuis B. Virgo, nec nos redemerit, nec aliquid de condigno nobis meruerit; tamen impetrando, merendo de congruo, & ad incarnationem Christi suo modo cooperãdo, ad nostrã salutẽ aliquo modo cooperata est. Prior pars est certa de fide, quia esse mediatorem Dei, ac hominum propriè, ac perfectè solius est Christi, vt in præcedẽti tomo in. q. 26. probatum, & explicatum reliquimus. Posterior verò etiam est clara, scilicet quòd B. Virgo tribus modis ad salutem nostram operata fuerit. Primo, merẽdo de congruo incarnationem. Secundo orando, & petẽdo, & quandiu fuit in via, de congruo merendo nobis salutem. Tertio concipiendo Christum nostrę salutis autorem. Quæ omnia ex dictis in superioribus satis patent. Et eisdẽ modis sæpissimè Sancti Patres B. Virgini attribuunt, quòd nostræ fuerit salutis causa, quos latè supra retuli, disp. 18. sect. 4. agens de excellẽtia gratiæ Virginis, & disp. 3. sect. 5. explicãdo locũ illũ Gen. 3. *Ipsa conteret caput tuum.* Prẽter quos videri possunt Irenæus lib. 3. cap. 33. Anselm. lib. de Laud. Virg. ca. 9. Fulgent. serm. de Laudib. Mariæ, ex partu Saluatoris, vbi egregiè opponit Mariã Euę, vt sicut hæc fuit humani casus principium, ita illa fuerit nostræ reparationis exordium, & causa. Vnde Aug. ser. 17. de Nat. *Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria.* Et Innoc. 3. sermo. 2. de Assumpt. *Quod damnauit Eua, saluauit Maria.* Quæ comparatio prædictũ Sanctorum sensum exponit. Eua enim nõ fuit propria, ac directa causa humani casus, quia in ea nõ peccauimus, dicitur autem causa nostræ ruinæ, quia Adamũ ad peccandum induxit, ita igitur B. Virgo non fuit per se causa nostræ salutis, nec

Irenæ. Anselm. Fulgen.

Augusti. Innocen. 3.

A nos redemit, nec de condigno nobis meruit, dicitur ergo causa, quia nobis Christum genuit, & aliquo modo ipsum nobis promeruit, & obtinuit. Quo sensu dicit etiam Bernar. serm. 98. *Per te Virgo sancta cœlum repletum est, infernus euacuatus est, & ruinæ cœlestis Ierusalem instauratæ,* Et infra, *Maria omnibus facta est, sapientibus, & insipientibus copiosissima caritate debetricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, tota Trinitas gloriam, denique filij persona carnis humanę substantiam, vt non sit, qui se abscondat a calore eius.* Et Germanus sermone de zona Domini, sic Virginem alloquitur, *Non est vlla sanctitas tuæ defensionis, non est numerus tuorum beneficiorum. Nullus enim est, qui saluus fiat, nisi per te Virgo sanctissima, nemo est, qui liberetur a malis, nisi per te o purissima; nemo est, cui donum concedatur, nisi per te o castissima, nemo est, cui misereatur gratia, nisi per te, o honestissima.* Quæ omnia per Christum, quem ipsa genuit, veritatem habere intelligenda sunt. Quomodo etiam dixit Andreas Ierosolimit. orat. de dormit. Virg. *Sola præter naturam fuit electa ad naturam renouãdam: sola deseruit opifici vniuersæ naturæ.* Quod infra explicãs sic loquitur ad Virginem, *Rex desiderauit gloriam tuæ pulcritudinis, & adamauit diuitias tuæ Virginitatis, & in te habitauit, & inter nos fixit tabernaculum, & per te Deo, & Patri nos reconciliauit* Similiter Ephrem oratio. ad Virginem, inquit, *Per te reconciliati sumus Christo, Deo meo, Filio tuo; tu captiuorum redemptio, & omnium salus, Aue pax, gaudium, & salus mundi; aue mediatrix glorioſissima; aue vniuersi terrarum orbis conciliatrix.* Deinde Petrus Damianus, sermone de Annuntiatione, *Euocatur cœlestis ille conuentus, init Deus consilium, cogit concilium, facit Deus sermonem cum Angelis de restauratione eorum, & de redemptione hominum, ac statim de thesauro diuinitatis Mariæ nomen euoluitur, ac per ipsam, cum ipsa, & in ipsa totum hoc faciendum decernitur, vt sicut sine ipso nihil factum est, ita sine illa nihil refectum sit,* & multa similia habet Sermone de Assumptione, vbi post multa concludit, *In Virgine virga, & baculo cruce peccatorum spes, & conso-*

Bernard.

German.

And. Iero:

Ephrem.

Pet. Dam.

consolatio sita est, quemadmodum Propheta clara voce declarat dicens: Virga tua, & baculus tuus ipsame consolata sunt. Et sermone primo de Natiuitate Virginis. *Hodie*, inquit,. *Nata est illa, per quam renascimur omnes*, quod tum in illa, tum in duabus sequentibus, concionibus eleganter prosequitur. Denique Richard. Victorinus capit. 26. in Cantic. *Talis*, inquit, *fuit in virtutibus, tantaque fuit eius caritas, vt non solum ad eius gentem, Iudæos videlicet, extenderetur: sed ad ignotos, & notos, ad omnes denique homines dilatata fuerit, pro his indesinenter orauit, pro his sollicita fuit, pro his orando exaudita fuit, dicente ad eam Angelo Gabriele, inuenisti gratiam apud Deum, scilicet, quem quærebas. Omnium salutem desiderauit, quæsiuit, & obtinuit; imo & salus omnium per ipsam facta est, vnde & mundi salus dicta est.*

Richar. Victor.

SECTIO. II.

Vtrum beata Virgo nunc etiam in cœlo existens ad nostram salutem cooperetur, pro nobis intercedendo.

NOn inueni aliquem in particulari negasse beatæ Virginis intercessionem potius, quàm aliorũ sanctorum, neque potuit hoc in alicuius mentem cadere, seruos nimirum posse rogare pro nobis Deum: non verò matrem. Illi verò hæretici, qui generaliter, & in vniuersum negarunt Sanctos intercedere pro nobis, idem de beata Virgine docuerunt. Horum autor Vigilantius fuit, vt testis est Hieronymus libr. contra illum, quem secuti sunt Henrriciani, vt tradit Bernardus sermone. 66. in Cantica: & VValdenses, vt refert Antonin. quarta part. titul. 11. capit. septimo. §. 2. Cathari, vt refert Turrecremata in summa de Ecclesia libr. 4. part. 2. capit. 35. & Ioannes VVicleph apud VValdensem tomo tertio, de sacramentalib. capit. 108. Fundamentum horum esse potuit, vel quia inutile putarunt, quòd beata Virgo intercedat pro nobis, cùm Deus sit paratissimus, ad benefaciendum nobis: vel secundò, quia putant hoc esse iniuriosum Christo, quia hoc est ponere alium mediatorem præter ipsum, ac si eius intercessio non esset sufficiens vel deniq; quia existimant sanctos ignorare res nostras, & ideò non posse excitari, vt nobis quicquam postulent.

Hieronym. Bernardi. Antonin. Turrecre. Vualdens.

Ex quo tertio fundamento videtur ortus secundus error, quem Lutherani sectantur, beatam Virginem, & alios sanctos in genere, & in vniuersali intercedere pro nobis, quia in communi cognoscunt indigentiam nostram, labores, pericula, &c. Quæ cognitio sufficit, vt ex caritate moueantur ad optanda; & petenda nobis Diuina beneficia; at verò in particulari negant Sanctos intercedere, hoc, vel illud beneficium huic, vel illi personæ petendo, quia ignorant, quid vnusquisque desideret, vel qua re indigeat.

Dicendum verò est primò, beatam Virginem pro nobis in cœlo orare, ac intercedere. Est de fide ex communi sensu Ecclesiæ, & traditione. Et probari in primis potest testimoniis, & rationibus, quibus prôbari solet in genere, Sanctos orare pro nobis. Nam si alij pro nobis intercedunt, multo magis id præstabit beata Virgo, quæ & gratia apud Deum, & caritate erga homines reliquos omnes superat. Antecedens verò de Sanctis Angelis constat frequentibus scripturæ locis. Tobiæ. 12. *Ego obtuli orationem tuam Domino.* Daniel. 10. *Princeps regni Persarum restitit mihi.* Apocalyps. 8. *Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo.* De sanctis verò hominibus sunt egregia verba illa Petri 2. canon. capit. 1. *Dabo autem operam frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis*, id est, habere vos in memoria, vosque iuuare; vt hæc adimpleatis. Apocal. etiam capit. 5. *Viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* Et hic est communis sensus Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum, quorum egregia testimonia congerunt Alanus toto dialog. 3. & Bellarminius lib. 1. de sanctorum beatitudine capit. 18. Hic verò afferre possumus propria testimonia de beata Virgine. Augustinus sermo. 35. de sanctis, postquam de felicitate Virginis multa dixerat, ita ipsam alloquitur. *Has ergo tuas felicitates possidens, conuertere ad nostrarum miseriarum salutem. Inter hæc igitur fratres cum toto mentis*

Virgo pro nobis in cælo intercedit.

Tob. 12. Dan. 10. Apoc. 8.

2. Pet. 1.

Apoc. 5.

Alanus. Bellarmin.

Augustin.

mentis affectu beatissimæ Virginis nos inter cessionibus committamus, vt ipsa nos sedula prece commendare dignetur in cœlis. Neque enim dubium, *quæ meruit pro liberandis proferre pretium, posse plus omnibus liberatis impendere suffragium.* Et multa similia habet, sermone secundo de Annuntiatione. Germanus Constantinopolitanus, sermone de zona Virginis, *Quis*, inquit, *post tuum filium, curam gerit generis humani sicut tu? quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? quis in supplicationibus adeo pugnat pro peccatoribus? Tu enim, cum habeas maternam apud tuum filium fiduciam, & potentiam, nos tuis interpellationibus, & intercessionibus ei efficis familiares, & das salutem, & ab æterno liberas supplicio; omnia tua admirabilia sunt, o Deipara, omnia ingentia, & aliorum vires superantia: propterea & patrocinium tuum maius est, quam intelligentia apprehendi possit.* Et inferius concludit, *Potens ergo est tuum auxilium, o Deipara, ad salutem, & non indiget aliquo alio ad Deum intercessore.* Quo vltimo verbo non excludit Christum, quem nomine Dei merito complectitur, nec aliorum Sanctorum intercessionem excludit; sed solum docet Virginem nõ vti aliis sanctis, vt intercessoribus ad Deum; sed alios potius ad Virginis intercessionem confugere. Similiter Andreas Cretensis, in sermone de Assumptione Virginis, sic illam affatur, *Abi in pace, placa dominum pro communi figmento. Nam, quandiu versabaris in terra, te habuit parua terræ portio; ex quo tamen translata es e terra, te vniuersus mundus continet commune propitiatorium. O vitæ suppetitatrix, & vita viuentium, & causa vitæ.* Nec dissimiliter Ephrem in oratione citata, eam vocat, *Peccatorum, & auxilio indigentium apud Deum adiutricem,* Et his verbis illam salutat, *Aue vallum fidelium, & mundi salus, Aue tranquille portus, Aue refugium peccatorum, & hospitium, Aue propitiatorium laborantium, Aue animæ meæ spes bona, Aue Christianorum omnium firma salus.* Præterea Sanctus Bernardus, multis in locis, hanc Beatæ Virginis intercessionem eleganter commendat, & exaggerat, vt videre licet, homilia secunda, in *Missus est*, ex qua nonnulla verba sequenti sectione referam, & in sermone, *Signum magnum. Quod si vere est plena pietatis, & gratiæ, plena mansuetudinis, & misericordiæ, age gratias ei, qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione prouidit, in qua nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est,* & quę supra retuli. Multa similia habet in sermone de Natiuitate Mariæ, de aqueductu, & sermone secundo dominicæ primæ post Epiphaniam, *Si pie a nobis pulsata fuerit, non deerit necessitati nostrę, quoniam misericors est, & mater misericordiæ.* Præterea Sanctus Bonauentura in speculo Mariæ, sæpius veritatem hanc docet, & nonnulla ex scriptura, & ex Sanctis Patribus colligit, præsertim, capitulo. 8. *Quia Dominus,* inquit, *potentissime tecum est, ideo et tu es potentissima secum, potentissima es per ipsum, potentissima apud ipsum ita, vt vere dicere possis illud Ecclesiast. vigesimo quarto, in Ierusalem potestas mea.* Et infra refert Anselmum dicentem, *Exaudi pia, adesto propitia, adiuua potentissima;* & infra, *Quid mirum,* inquit, *si Maria in filio suo permaneat in æternum, cum etiam beneficia Mariæ in seruis suis permaneant in æternum?* Et infra, accommodans illud Ruth secundo, *Benedicta es a Domino filia, quæ priorem misericordiam posteriore superasti, Magna,* inquit, *erga miseros fuit misericordia Mariæ adhuc exulantis in mundo; sed multo maior erga miseros est misericordia eius iam regnantis in cœlo. Vnde pro splendore prioris misericordiæ fuit pulcra vt Luna, pro splendore vero posterioris misericordiæ est electa, vt Sol. Nam quemadmodum Sol Lunam superat magnitudine splendoris, sic priorem Mariæ misericordiam superat magnitudo posterioris.* Similia repetit, capitulo. 12. citans Bernardum dicentem, *Quis misericordiæ tuæ, o benedicta, longitudinem, & latitudinem, & sublimitatem, & profundum queat inuestigare?* Et in toto illo libro multa congerit similia, & capitulo. 5. accommodat Virgini verba illa, Psalm. *Abyssus abyssum inuocat,* exponit, ideſt, *mater filium pro nobis,* & refert Augustinum de Virgine dicentem, *Sicut apud Deum est potentior, ita & præ omnibus Sanctis est pro nobis sollicitior.* Hinc Gregorius Nicomediens. *omnipotentem,* vocat Virginem, oratione sua. Et Ansel. de Laudibus Virginis, capitulo. 12. inquit. *Te sic Deus exaltauit, vt omnia secum possibilia esse donauerit.* Et infra, *Tu velis, & nequaquam fieri nõ poterit.* Ac deniq; Petr. Damian. sermon. 1. de Natiuitate Mariæ,

Ger. Const. — Bonauent. — Anselm. — Ruth. 2. — And. Cre. — Ephrem. — Bernard. — Bernar. — Psal. — Augusti. — Gre. Nico. — Anselm. — Pet. Dami.

Fecit

Fecit, inquit, *tibi magna, qui potens est, & data est tibi omnis potestas in cœlo, & in terra, & nihil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis releuare. Quo modo enim illa potestas potentiæ tuę poterit obuiare, quę de carne tua, carnis susceptit originem? accedis enim ad illud aureum reconciliationis humanæ altare non solum rogans: sed etiam imperans, domina, non ancilla.* Quę posteriora verba calumniantur, valdeque reprehendunt hæretici huius temporis, vt refert Canisius libr. 5. capit. 11. vbi
Canis. similia verba refert ex Bonauentura, & propter hanc causam, nobis imponunt, quòd rogemus Virginem, vt iubeat filium facere, quod petimus. Sed nullus Christianorum hoc modo orat. Quod enim per methaphoram, dictum est ad exaggerandam efficaciam, intercessionis Virginis, non est propriè vsurpandum, sicut Iosue. 10. dicitur. *Obediente Deo voci*
Iosue. 10. *hominis*: Vnde non fit, nos, cum rogamus Deum, imperare illi.

Rationes, ad hanc veritatem confirmandam colliguntur, ex prędictis verbis Sanctorum. Prima, quia Beata Virgo, dum in mortali corpore vixit, orabat pro hominibus, ergo multo magis in patria. Antecedens neque ab hęreticis negatur, quia constat ex scriptura sacra in hac vita fideles, & iustos orare pro aliis, & Lucæ. 2. Beata Virgo rogauit filium, vt in-
Luc. 2. digentibus subueniret. Consequentia verò probatur, quia orare pro hominibus est opus caritatis, misericordiæ, ac religionis: sed beata Virgo in statu beatitudinis, nec minore caritate nos prosequitur, nostrique miseretur, nec minus Deum colit, ac reueretur, quàm in via, ergo ex hac parte, non minus excitatur in patria ad orandum Deum pro nobis, quàm in via. Aliunde verò in superioribus ostensum est beatam Virginem intueri in Verbo, quę hic geruntur apud nos: ergo hinc etiam potentior erit ad orandum in patria, quàm in via: quia in via neque omnes nostras miserias ita cognoscebat, & quas cognoscebat, non semper considerabat, sicut nunc eas semper in Verbo contemplatur. Præterea, ex parte Dei nihil est, quod huic intercessioni magis in patria obstet, quàm in via. Quia quanuis, Deus sit paratissimus ad benefaciendum nobis: nihilominus vult rogari à nobis tam pro nobis, quàm pro aliis, quia ita vult nobis benefacere, vt tamen velit per media caritati, & religioni magis consentanea, nobisque vtiliora, sua bona nobis elargiri, ergo eadem ratione vult rogari à Virgine pro nobis ad maiorem sui gloriam, & caritatis Virginis ostensionem, & vt secundum ipsum beata Virgo à nobis honoretur, vt par est, vt statim dicemus. Denique nulla fit in hoc iniuria Christo: sed totum potius in illius gloriam cedit, quia (vt in fine superioris tomi, quæstio. 26. articul. 1. diximus) quanuis solus Christus sit per se mediator præcipuus inter nos, & Deũ nihilominus sancti homines, & Angeli quodam modo sunt mediatores, tamen per ipsum Christum. Nam ad ipsum, & per ipsum intercedunt pro nobis, & ita etiam beata Virgo in nomine eius petit, cùm pro nobis orat, & per ipsum impetrat, quidquid impetrat. Quia quidquid omnes homines, & ipsa etiam Virgo à Deo obtinent, per merita Christi obtinent, vt in eodem priori tomo quæstio. 19. latissimè probatum est. Sic igitur per Virginis intercessionem non obscuratur, sed illustratur potius Christi gloria, quandoquidem tota illa oratio Virginis Christo nititur, & non adhibetur, eò quòd merita, & orationes Christi per se sufficere nõ possint; sed quia ipse voluit, vt conuenienti modo, & ordine nobis applicarentur, vt eadem applicatio in maiorem nostram vtilitatem, & suorũ sanctorũ, ac præsertim beatæ matris suæ honorem cederet.

Ex quibus rationibus colligitur beatam Virginem non solum in generali: sed etiam in particulari pro nobis orare. Quia omnia, quæ adduximus, hoc probant, & si quid obstaret, maximè quòd res nostras ignoraret. Atqui certissimum est illas agnoscere (vt in superioribus ostensum est.) Nam licet de modo cognoscendi, & de multitudine rerum cognitarũ disputatio sit inter Theologos: tamen, quòd res nostras aliquo modo cognoscat, quantum ad statum suæ beatitudinis, & ad Ecclesiæ vtilitatem necessarium est, nullus catholicus dubitat. Id enim non solum de beata Virgine:

sed

sed etiam de cæteris Sanctis proportione seruata vniuersalis Ecclesia sẽtit. De qua re in materia de beatitudine disputatur latius in. 1. par. quæst. 12. & in. 1. 2. quæst. 3. & 2. 2. q. 83. & videri potest Aug. libr. de cura pro mortuis agẽda. c. 15. & Greg. 12. moral. c. 13.

August. Gre. Papa.

Vltimó colligitur ex dictis, non solũ intercedere pro nobis B. Virginem, sed etiam eius intercessionem esse omniũ efficacissimam, vt omnes Sancti citati docent, & rationes factæ cõuincunt. Quin potius, si vera sunt, quę de caritate, & gratia B. Virginis in superioribus docuimus existimo á B. Virgine in hac potestate, & efficacia, non solum Sãctos singulos; sed omnem etiam cælestem curiam superari. Itaque, si cogitatione fingamus B. Virginem aliquid postulare, totamque curiam cœlestem illi resistere (sicut apud Danielem vnus Angelus alteri resistebat) potẽtior esset, maiorisque efficaciæ, & valoris apud Deum Virginis, quàm reliquorum Sanctorum omnium oratio. Et ita quidem sentiunt Sancti Patres paulo ante citati, estque dignitati matris maximè cõsentaneum, & perfectissimæ gratiæ, & caritati beatę Virginis quodammodo debitum. Et ideò Ecclesia & frequentius, & altiori quodammodo orat ad Virginẽ, quàm ad reliquos Sanctos, vt iam iam dicemus.

Efficacia Virgineæ intercessionis quanta.

SECTIO TERTIA.

Vtrum beata Virgo sit a nobis oranda.

Hæretici, qui negant Virginem orare pro nobis, consequenter negaturi sunt ipsam esse à nobis orandã. Quia neque petere ab illa possumus, vt nobis bona elargiatur, tanquam eorum autor, neque etiam, vt à Deo, vel Christo ea nobis obtineat, si pro nobis non orat. In quo errore versantur omnes hæretici citati sect. præcedenti, & præterea omnes huius temporis nouatores, qui generaliter dicunt inutile esse interpellare sanctos, quia nos non audiunt; & illicitum, quia est contra gloriam Christi vnici mediatoris nostri; nullus tamen hæreticus fuit, qui admittens aliquem Sanctorum posse à nobis orari, hoc specialiter B. Virgini denegauerit.

A Quapropter dicendum est, Beatam Virginem inuocandam esse, & orandam ab hominibus. Conclusio est de fide ex communi vsu, & consensu totius Ecclesiæ, ac perpetua traditione Sanctorum, quę colligitur ex omnibus supra adductis. Vbicunque enim dicunt Beatam Virginem orare pro nobis: & ipsam orant, & a nobis orandam esse docent. Præterea, in canone Missæ, & in liturgiis Iacobi, Basilij, & Chrysost. sæpe fit inuocatio, & oratio ad sanctissimam Virginem, ex quo euidenter colligitur hanc esse Apostolicam traditionem. Accedũt præterea sancti Patres, Augustinus, sermone. 18. de Sanctis, *Accipe itaque quascunque exiles, quascunque meritis tuis impares gratiarum actiones, & cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa, admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis*, &c. & similia habet sermone. 35. de Sanctis, & Anselmus, de Laudibus Virg. capitulo. 12. *Rogamus te domina, per ipsam gratiam, qua te pius, & omnipotens Deus sic exaltauit, & omnia secum possibilia esse donauit, quatenus id apud ipsum impetres, nec sis obsecratu difficilis, quia proculdubio ideo vnigenitus filius tuus dominus noster Iesus Christus erit ad concedendũ promptissimus.* Optima etiam sunt verba illa Germani Constantinopolitani in sermon. de Zona Virginis, *Quæso, vt in aduentu filij tui, cum assistemus omnes iudicandi, tu vt maternam habens fiduciam, & maximam potentiam, valida illa manu tua ab æterno igne nos eripias.* Illustris etiam est, quanuis vulgaris locus ille Bernardi homil. 2. in *Missus est, si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam inuoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde, & vt impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum.* Et in sermone, *Signum magnum, Quid ad Mariam accedere trepide humana fragilitas?* Et infra. *Amplectamur vestigia Mariæ, fratres mei, & deuotissima supplicatione beatis illius pedibus prouoluamur, teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis. Potens est enim, nempe vellus est medium inter rorem & arcam, mulier inter Solem, & Lunam, Maria inter Christum, & Ecclesiam constituta.* Et in sermo. de Nat. Mariæ. *Ad patrem verebaris*

B. Virgo inuocanda & oranda.

Aug.

Anselm.

German. Constantinop.

Bernard.

baris accedere, Iesum tibi dedit mediatorem, sed forsitam & in ipso maiestatem vereare Diuinã, aduocatum habere vis & ad ipsum, ad Mariã recurre, &c. quæ latè, & eleganter prosequitur. Athanas. in serm. de sanctissima Deipara sub finem sic inquit. *Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima Virgo, & tribue nobis pro exiguis istis eloquiis magna dona ex diuitiis tuarum gratiarum, tu quæ gratia plena es. Nam ideo his vocibus, vt ex reipsa desumptis, & natura laudatorius, præcipue in tuũ encomium vtimur, si quando hymnus, si quando laus tibi, siue a nobis, siue ab vniuersa Ecclesia offertur.* Gregor. Nazian. orat. 18. de laudibus sancti Cypriani, de eodem sancto hæc refert. *Virginemque Mariam supplex obsecrans, vt pereclitanti suppetias ferret, ieiunij, & chamæuniæ pharmaco se se communiit.* Et Gregor. Nyssenus similia refert in oratione de Gregorio Thaumaturgo, cui Virginem inuocatam apparuisse significat. Neq; est dissimile, quod de seipso refert Rupertus Abbas, initio Canticorum. Tandem in Concilio Ephesino, frequentes sunt homiliæ Cyrilli, & aliorũ Patrũ in quibus B. Virginis auxilium, & opem implorant. Et in. 6. Synodo, act. 18. Cõstantinus Imperator fidei subscribens ait, *sperare se salutem consequi a multorum munerum datore Deo intercessionibus sanctæ immaculatæ Deiparæ.* Et in. 7. Synod. act. 6. tom. 6. cum relatus esset canon. 15. Conciliabuli Constantinopol. anathema fertur in eũ, qui Deiparæ intercessiones syncera fide non postulauerit. Cui respõdet Epiphanius totius sacrosanctæ synodi nomine. *In his firmata & stabilita catholica Ecclesia, ab iis, qui aliter, quam dogmata, & traditiones eius habent, sentiunt, non vult cõfirmari.* Et Concil. Basilienſe ſeſ. 43. *Inter omnes,* inquit, *qui Cœlestem Regẽ pro nobis interpellant, præcipue ad glorioſissimam illam, & omni laude dignissimam Dei genitricem Mariam est recurrendum, quæ quanto altior existit, tanto humilius ad nos respicit, omnes ad se trahere cupiens, pro quibus in vtero gestauit Saluatorem.* Deniq; Trident. ſeſ. 25. generatim definit sanctorũ inuocationẽ. Vnde his addi possunt omnia testimonia, quæ de inuocatione Sanctorum communia sunt, quæ tanto efficacius conuincunt de Virgine, quanto ipsa excellentior est ipsis.

Præterea adiungi potest ratio similis illi, quæ sect. præcedenti facta est. Quia beata Virgo orat, & intercedit pro nobis, & hoc modo nos adiuuat, cur ergo non expediet illam orare, vt hoc ipsum beneficium nobis præstet? Inter homines enim non solum rogamus eum, qui rem optatam præstare potest: sed etiam eum, qui apud eum intercedere potest, quid ergo obstare potest, quin simili modo ad Virginem oremus? Neque enim timendum est, ne nostras orationes non agnoscat, quia (vt probauimus, & vniuersa Ecclesia sentit) res nostras cognoscit, & precipuè orationes, quæ maxime ad illius honorem, & statum beatificum, & ad nostram vtilitatem pertinẽt. Deinde non obstat Christi honor, quia sicut ipsa Virgo per Christum orat, & sicut nos, cùm Deum oramus, per Christum petimus, ita cũm oramus Virginem non aliud petimus, quàm vt Christum ipsum pro nobis oret, vel Deũ per Christum; & vt nostram indignitatem, & infirmitatem suppleat, & ita totum redundat in gloriam Christi. Atque eadem ratione totum cedit in Diuinam gloriam: quia hæc oratio ad Virginem prædicto modo, & sensu facta nõ ad cultum latriæ: sed ad cultum duliæ, vel hyperduliæ pertinet.

Obiectio. Dices, nonne maior esset fiducia, maiorq; Dei gloria, si immediate ad Deum accederemus? Respondetur, interdum Responsio hoc facere, bonum esse, ac expediens: tamen quod aliquando per Virginem accedamus, etiam est illi placitum, & per se conueniens. Primo, ob maiorem reuerentiam Diuinę maiestatis, vt significauit Bernard. locis supra citatis. Secundò Bernard. propter matris honorem. Vt enim Deus amicos suos honoret, interdum per eos facit, quod sine illorũ intercessione non concedit, sicut legimus feciſſe cũ Abraham, & Abimelech, Genesis. 20. & clarius cum Iob, & amicis eius Iob. 42. *Iob autem seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam.* Tertiò, vt dignitas intercessoris suppleat inopiam nostram, vnde Virginem interpellare, non est de Diuina misericordia diffidere: sed de propria indignitate, & in dispositione timere: Vnde Bernardus dicta homil. in *Missus est, sceriminum immanitate iactatus, &c.* & Bernard. eodẽ sensu dixit in ser. de Natiuit. Mariæ. *Hæc peccatorum scala, hæc tota ratio spei*

Athanaſi. Gre. Naz. Gre. Nyſſ. Rupert. Con. Ephe. 6. Synod. 7. Synod. Epiphan. Con. Baſi. Con. Trid. Gene. 20. Iob. 42.

And. Cre. Richard. Vic.

speciæ, Et similia multa habent Petrus Damian. Andr. Creten. & alij supra citati, & optimè Richardus Victorinus. cap. 23. in Cant.

Ex his sequitur non solum esse à nobis Virginem orãdam; sed etiam prę omnibus sanctis. Primò, quia eius oratio dignior est, & efficacior (vt ostendi n°) & ipsa quò nos magis amat, humiliorq; est, eo prõptior est, & sollicitior pro nobis. Secundò, quia eius oratio vniuersalior est, nam quidquid alij impetrant, aliquo modo per Virginem impetrãt, quia (vt Bernardus dixit) illa est mediatrix ad mediatorem, & veluti collum, per quod influẽtiæ capitis ad corpus descendunt, & ideò epistol. 174. monet Bernard. vt quidquid Deo offerre volumus, per Mariam offeramus, *vt eodẽ aluco ad largitorem gratiæ gratia redeat, quo fluxit*, & serm. *signũ magnũ totum*, inquit, *nos habere voluit per Mariam*. Et Germanus, sermo. de Zona, *Nemo est, cui donũ concedatur, nisi per te*; Et ideò vocant illam *refugium nostrum, naufragantium portum*, & similibus encomiis, quæ passim in citatis sanctis reperientur. Et hinc ortum est, vt inter alios sanctos nõ vtamur vno, vt intercessore ad alium, quia omnes sunt eiusdem ordinis; ad Virginem autem, tanquã ad Reginam, & Dominam, alij adhibẽtur intercessores. Quo sensu Angelicam salutationem aliis sanctis recitamus, vt nimirum eam pro nobis Virgini repræsentent. Rursus, hinc etiam fit interdum, vt nonnullos sanctos ad hæc, vel illa specialia beneficia obtinenda singulares aduocatos habeamus, vt cõstat ex vsu Ecclesię & indicauit Aug. epist. 137. Virginem autem ad omnia habemus vniuersalem aduocatam, quia in omnibus est potentior, quàm cæteri in singulis. Hinc deniq; ortum est, vt Ecclesia sancta & præstãtioribus modis Virginem oret, eam vocando *spem nostram, vitam, dulcedinem, matrem misericordiæ*, &c. Et frequẽtius, ac instãtius ad illam, quàm ad reliquos sanctos oret. Nullus enim est dies, in quo non illi publicas orationes offerat, vel in horis canonicis, vel in Missę sacrificio, vel signo publicè dato semel, aut bis, aut ter in die, vt vniuersus populus Virginem deprecetur. De qua cõsuetudine nihil omnino certum reperire potui, quãuis in vita D. Bonauẽturæ referatur, eius autoritate, & diligẽtia cœpisse introduci consuetudinẽ prębẽdi signũ in occasu Solis ad Virginem salutãdam, quod in superioribus etiam tactum est. Præterea in concionibus etiam publicis orationem ad Virginem præmittit, de qua consuetudine legi potest Arboreus. 4. Theosophiæ. cap. 6. & Castro, verbo oratio. hęresi. 4. Deinde ad eam inuocandam plures dies festos illi habet dicatos, vt supra late explicuimus. Sentit ergo Ecclesia Virginis intercessionem, & orationem præ omnibus aliis sibi esse vtilem, ac necessariam, est ergo beata Virgo à nobis præ omnibus oranda. Vt autem Bernard. dixit, ne oratio inefficax fit, post Deum est à nobis amanda, & imitanda. *Bernar.*

Bernard.

German.

Aug.

QVAESTIO XXXVIII.

De Baptismo Ioannis in sex articulos diuisa.

De qua re disputant Doctores in 4. dist. 2. & expositores sanctarum scripturarum. Matth. 3.

DEinde considerandũ est de Baptismo, quo Christus baptizatus est. Et quia Christus baptizatus est baptismo Ioannis, primo considerandũ est de baptismo Ioãnis in communi: secundo, de baptizatione Christi.

¶ Circa primum quæruntur sex.

¶ Primò, vtrum conueniens fuerit quòd Ioannes baptizaret. ¶ Secundò, vtrùm ille baptismus fuerit à Deo. ¶ Tertio, vtrùm contulerit gratiam. ¶ Quartò, vrùm alij præter Christum illo baptismo debuerint baptizari. ¶ Quintò vtrùm baptismus ille cessare debuerit Christo baptizato. ¶ Sextò, vtrùm baptizati baptismo Ioannis erant postea baptizandi baptismo Christi.

DISPVTATIO XXIII.

In sex sectiones distributa.

De Ioanne Christi præcursore.

Quoniam

QVoniam ab hac disputatione prę-
cipuā iam nunc huius materię par
tem exordimur, in qua de myste-
riis vitæ, ac mortis Christi domini, ac de
eo præsertim tempore, quo sese hominibus publicè manifestauit, ac prodidit, tractandum est, operæ pretium duximus à Ioanne Christi præcursore initium sumere, quoniam & ad hoc præcipuè est missus, vt de Christi aduentu publicū testimoniū prædicaret, & ab illius baptismate Christus cognosci, ac manifestari cœpit. Dicemus ergo primò de ipso Ioāne, quis, qualis ve fuerit, & ad quod munus à Deo assumptus, quibusq; gratię donis ac priuilegiis ornatus sit, deinde de baptismo eius in genere, ac tandem de Christo á Ioanne baptizato, & ab æterno Patre, inter Iordanis fluenta manifestato differemus.

SECTIO.I.

Vtrum Ioannes Baptista fuerit præcursor Messiæ in lege promissus.

DVo sunt precipua in scripturis vaticinia, quibus futurus Messiæ prę
cursor prædictus est. Primum est
Isai. 40. apud Isaiam cap. 40. *Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Alterum est apud Ma
Malach. 3 lachiam c. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum & pręparabit viam ante faciem meam.* Quæ
Iust. Mar testimonia (vt indicauit Iustinus Martyr
Prędursor Christi a prophetis prædictus. dialogo cum Triphone, enarrans præsertim prius testimoniū) si ante rem impletam considerentur, obscuram prophetiā, & ambiguum continere sensum videri possunt: postquā tamē manifestata veritas est, ac Ioannes Christum prædicauit, & post prædicationem eius lex, prophetæq; cessārūt, & in Christo impleta sunt omnia, quæ de Messia prædicta olim fuerant, satis apertè monstratum est prænunciari hisce in locis Messiæ præcursorem.
Euseb. Prosper. Iustin. Vnde Eusebius lib. 9. de Demonst. cap. 5. & Prosper. de prædictionib. & promissionib. Dei, par. 3. c. 1. & Iustinus supra significant, inter alia signa, quę data sunt Iudæis ad cognoscendum Messiæ aduētum, id vnum fuisse, quòd ante illū præcursor quidam, tanquam publicus præco anteceſſurus esset, qui & hominū referaret aures, & oculos illuminaret, vt veniē-

A tem Messiam, & audire possent, & cognoscere. Qua propter meritò huius præcursoris munus sub duplici metaphora in illis testimoniis significatur. Primò enim appellatur, Vox. Quia (vt inquit Epiphanius hæres. 69. circa medium.) *Vox est præparatiua auditus hominum, primum enim in articulatam vocem sonantem reddere solent clamantes, e longinquo vocantes eos, qui ab ipsis aliquid audire debent. Et vbi illi vocem solam audierint, & mentem ad audiendum conuerterint, aureſque præparauerint, tunc is, qui sonantem vocem emisit, de cætero distinguit sermonem, quem dicere voluit. Sic etiam Ioannes vox fuit, aures hominum præparans, non enim erat ipse Verbum, sed, post ipsum venit Verbum.* *Epiphan.*
Deinde appellatur *Angelus*, non natura *Origen.* (vt sensit Origenes tomo. 5. in Ioan. & *Cyril.* eius tacito nomine Cyril. refert. lib. 1, in *Beda.*
B Ioan. c. 7. & Beda Marc, 1.) sed munere, *Ioann. 1.* & officio, vt ijdem Patres tradunt. Quia nimirum præcursor Domini futurus erat nuncius à Deo missus, qui clamaret, & aduentum Messiæ hominibus nuntiaret, sicq; viam Domino præpararet. Vnde quasi ad euertēdum illum errorem dixit Ioannes cap. 1. *Fuit homo missus a Deo, homo*, inquit, propter naturam sed *missus a Deo*, & ideò Angelus ministerio. Vt autem notauit Chrysost. in imperfecto in *Chrysost.* Matthęū homil. 27. singulariter vocatus
C est *Angelus* præcursor domini, vt sanctitas eius, ac vitæ puritas, quæ tanto muneri necessāria erant, indicarentur. *Puto* inquit, *quod glorioſior est Ioannes, quia homo fuit, & propter virtutis meritum, Angelus est vocatus, quam si nomine Angelus, & natura fuisset. Angelus enim hoc ipso, quod Angelus non est virtutis præmium, sed naturæ proprietas. Iste autē mirabilis est, qui in humana natura Angelicam sanctitatem transgressus est, & obtinuit, quod non habuit natura, per gratiam.*

Primum igitur omnium constat ex his testimoniis, promissum fuisse à prophetis quendam hominem Messiæ præcursorem, cuius id esset futurū munus: Præparare, scilicet, viā ante faciem Messię, non solum nuntiando aduentum eius, (quod aliis quoque prophetis commune fuit) sed etiam ostendēdo illū præsentē, & quasi digito monstrando, & prędicatione sua homines disponendo, vt illum susciperent. Vnde Chrysost. supra

Omnes

Omnes Prophetæ venturum testati sunt, ille solus iam venisse monstrauit. Deinde alij Prophetæ missi sunt, vt aduentum eius annuntiarent: iste autem, vt præpararet viam ipsius, aliud autem est aduentum eius annuntiare, aliud est viam præparare. Nuntiantibus aduentum eius prædicationis sermo commissus est: præparanti autem vias, humanę correctionis opus iniunctum est.

Ioãnes Baptista Messię præcursor a Deo promißus, Ioanne. 1.

Secundo constare ex his facile potest has prophetias impletas esse in Ioanne, atque adeò illum fuisse præcursorẽ Messiæ à Deo promissum. Primo quidem quia priorem prophetiam exposuit idem Ioannes de seipso Ioannis. 1. vbi interrogatus à Iudæis, quisnam esset, cum negasset se Christum esse, Eliam, aut Prophetam, & ipsi vrgerent dicentes. *Quis es vt responsum demus iis, qui miserunt nos, quid dicis de teipso*, ait. *Ego vox clamantis in deserto dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta.* Vbi clarè affirmat esse se præcursorem Messiæ, illum, quem sub nomine *vocis* Isaias ante prædixerat, & ita etiam exposuerunt Matthæ. & Lucas, capit. tertio, & Marcus capit. primo. Posterius autem testimonium, de ipsomet Ioanne exposuit Christus Matthæ. vndecimo dicens. *Hic est, de quo scriptum est, Ecce ego mitto Angelum meum, ante faciem tuã.* Secundo hoc patet ex consensione verborum vtriusq; prophetiæ cum rebus à Ioanne gestis, & in Ioanne. Primum enim vere is dicitur *vox clamantis in deserto.* Quia, vt Lucas dicit capit. tertio. *Factum est Verbum Domini, super Ioannem Zachariæ filium in deserto, & venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ.* Quin potius vniuersa eius vita appellari potest perpetua quædam *vox clamantis in deserto*, quia ab vtero matris cæpit Christum in montanis Iudææ prædicare, ac diuulgare; & statim ac natus est, per patrem suum cæpit de Christo prophetare, ac prædicare. Nam (vt dicit Ecclesia in hymno sancti Ioannis) per ipsum fuit vox Zachariæ restituta, & gratia prophetiæ communicata, qua Christi aduentum prædicauit dicens. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ.* Deinde statim ab infantia eremum inhabitare orsus (vt infra dicemus) quanuis non verbis, factis tamen, ac exemplo Christum,

Matth. 3. Luc. 3: Marc. 1. Matth. 11.

Luc. 3. Tota Ioannis vita vere vox clamantis in deserto,

A virtutisque viam prædicare cępit. Inde tandem postea egressus, proprie, & vere fuit *vox clamantis*, seu, *vox clamans in deserto.* Quod ad literam (vt inquit Cyrillus in Isai. & Euseb. supra) intelligitur de deserto propè Iordanem, in quo pœnitentiam prædicare exorsus est. Per metaphoram verò (vt inquit Hieronymus) *intelligitur Ecclesiæ solitudo*, de qua Isai. 35. dicitur. *Lætare deserta sitiens, exultet solitudo, & floreat quasi lilium.* Hæc enim deserta erat notitia Dei, & ab idolis tenebatur. Verba itẽ alterius prophetiæ optimè in Ioannẽ cõueniunt, qui & nuntius Dei fuit, & angelicam in terris vitam agens, missus à Deo Patre est *ante faciem suam*, id est, ante Verbum incarnatum, quod *facies Patris* dicitur, iuxta illud Psalmi. 79. *Domine Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus.* Vel certè missus est ab ipsomet Verbo, *ante faciem suam*, id est ante se ipsum, iuxta communem phrasim scripturæ. Vnde B Zacharias Luc. 1. intelligens completam esse in filio suo hanc prophetiam, inquit. *Tu puer Propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.* Parauit autem viam Domini, (vt in vtraque prophetia prædictum erat) prædicando Christum iam venisse, & Regnum cœlorum propè esse, & hortando omnes ad pœnitentiam, vt sese ad Christum, & spirituales eius fructus suscipien dos compararent. Est igitur manifestè in Ioanne impleta vtraque de præcursore Messiæ, prophetia: ipse ergo fuit præcursor à Deo promissus. De quo nonnulli Patres etiam interpretantur illud Psam. 131. *Parauí lucernam Christo meo.* Ita Cyrillus libr. primo in Ioan. capit. septimo, & Tertullianus libr. contra Iu- C dæos capit. nono, vbi sic inquit. *Nec nouum est Spiritui sancto, Angelos appellare eos, quos ministros suæ virtutis Deus præfecit. Idem enim Ioannes non tantum Angelus Christi vocatus est, sed & lucerna lucens ante Christum, parauí enim*, inquit, *lucernã Christo meo, vt Dauid prædicat. Quare ipse Christus veniens adimplere Prophetas, dicit ad Iudæos. Ille fuit lucerna ardens, & lucẽs, vtpote qui non tantum vias eius præparabat in eremo, sed & agnum Dei demonstrando, illuminabat mentes hominum præconio suo.* Eandem expositionem, habent Idacius Clarus libro. 1. contra

Cyril: Euse.

Hieron. Isai. 35.

Psalm. 79.

Luc. 1,

Ioannes Christi lucerna.

Psal. 131, Cyril. Tertul.

Idatius Cla.

Aug. Hieron. Varimadum Arianum non longè à principio, Aug. & Hieron. eundem Psalmũ exponentes.

SECTIO. II.

Quod nam fuerit munus præcursoris.

IN hoc munere explicando hęretici huius temporis mirè hallucinãtur, & infinita mẽdatia cõfingũt. Dicũt enim Baptistæ ministerium fuisse abrogare Mosaicam legem, sicut de facto, inquiunt, & iure abrogauit, & cæremonias Mosaicas abstulit, totumque statum religionis mutauit. Hinc præterea addunt ipsum nouum testamentum inchoasse, & baptismum in illo permansurum instituisse, gentesque ad illum, & ad Ecclesiæ societatem manifestè recepisse, & alia similia, quæ late refert Canisius lib. de sancto Ioanne capitu. 6. Ad hæc autem portenta asserenda solum nituntur verbis illis Christi. Luc. 16. *Lex, & prophetæ vsque ad Ioannem.* Propter quæ nonnulli etiam Patres alleruerũt Ioannem fuisse antiquæ legis finem, & nouæ principium. Vnde Cyrill. Ierosolymit. cat. 3. ¶ *Veteris, inquit, testamenti finis, & noui principium est baptismus. Ioannes erat dux eius, quo maior inter natos mulierum nullus, qui finis erat Prophetarum. Omnes enim Prophetæ & lex vsque ad Ioannem, & idem erat rerum euangelicarum principium, initium enim euangelij Iesu Christi erat Ioannes baptizans.* Et infra vocat. Ioánem huius gratię ducem. Et sanctus Paulinus in natali. 9. de sancto Felice, sic inquit.

Hic est præcursor Domini, & Baptista Ioannes.

Idem Euangelij sacra ianua, metaque legis.

Insuper Petrus Chrysologus sermone. 91. de sancto Ioanne in hunc modum loquitur, *Christi præco, arcanum Patris, filij nuntius, signifer superni Regis, peccatorum venia Iudæorum correctio, vocatio gẽtium, & (vt propric dicam) legis, & gratiæ fibula.*

Sed horum hæreticorum sententia, & in Christum injuriosa est, & nullo nititur apparenti fundamento. Dicendum igitur est præcursoris munus illud duntaxat fuisse, quod in prędictis Prophetarum testimonijs continetur, quodque Zacharias Lucæ. 1. illis verbis complexus est. *Tu puer Propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam scientiam salutis plebi eius.* Hanc verò *scientiam salutis*, præcursorisque ministerium apertius explanat Ioannes capitu. 1. dicens. *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux: sed vt testimonium perhiberet de lumine.* Primum ergo, ac præcipuum munus præcursoris fuit, vt testimonium de Christo perhiberet, prædicando ipsum esse Messiam in lege promissum, & vt populum præpararet, ac disponeret ad hoc testimoniũ de Christo suscipiendum. Quod partim fecit exemplo vitæ innocentissimæ, & integerrimæ, partim prædicando pœnitentiam, & ad hunc eundem finem, (vt infra dicemus) ordinatus est baptismus eius, quo mediante multitudinem hominum congregabat quibus Christum, ac Messiam annuntiabat. Et ita exponunt hoc munus præcursoris Patres omnes exponentes prædicta Ioannis, & Lucę testimonia, præsertim Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus, Cyrillus, & alij, quos statim referam. Confirmatur ex rationibus, quas sancti assignant, ob quas fuit necessarium hoc præcursoris munus: nimirum quoniam Christi aduentus futurus erat occultus, & in humilitate, ac paupertate, ideoque conueniens fuit, vt præter alia signa de Messia exhibita prędederet etiam quidam testis omni exceptione maior, qui illum veluti digito demonstraret, vt recte dixit Augustinus tractatu. 35. in Ioannem. Accedebat præterea, homines propter innumera peccata fuisse veluti obcęcatos ad videndum lumen Christi, quare expediens idcirco erat, vt prędicatio Ioannis prędederet, qua homines ad pœnitentiam prouocaret, vt ablatis densissimis delictorum tenebris, splendidissimum iustitiæ solem intueri possent, vt Augustinus latè prosequitur homilia. 20. & 21. de sanctis, & Origenes tom. 5. & Chrysostomus, homilia. 5. in Ioannnem, præcursoris ergo munus nullum aliud fuit, quàm testimonium reddere Messiæ. & præparare homines ad illud testimonium suscipiendum.

Ex quo infero, & dico secundo, non pertinuisse ad munus præcursoris ferre legem gra-

Præcursoris officium quod. Luc. 1.

Ioan. 1.

Caniſ.

Luc. 16.

Cyri. Iero.

Paulin.

Pet. Chry.

Aug. Ambroſ. Chryſoſt. Cyril.

Auguſt.

Origen. Chriſoſt.

gem gratiæ, aut nouum condere testamentum. Est de fide, & probatur primo, quia id non esset ante Christum præcurrere sed munus potius ac dignitatē Christo prætripere. De illo enim solo scriptum erat Isai. 33. *Dominus Rex noster, Dominus legifer noster*, & Ioel. 2. *Filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem iustitiæ*. Quæ testimonia, aliaque similia fusè explicuimus, & confirmauimus in præcedenti tomo, disputat 47. sectione. 2. sed omnia clarius explicuit Ioannes capit. 1. dicens. *Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine*. Et infra refert testimonium eiusdem præcursoris dicentis. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, quia lex per Moysem data est gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*. Sub gratia autem, quæ á veteri lege distinguitur, vniuersa lex gratiæ comprehenditur, in qua potissimum est gratia ipsa, & efficacia, quam ad illam conferendam habet. Propter quam ad Roman. 8. vocatur à Paulo, *lex spiritus vitæ in Christo Iesu*. Et confirmatur, quia nunquam æternus Pater iussit nobis, vt obediamus præceptis Ioannis, sed filij sui dicens. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*. Matthæ. & Luc. 9. &. 2. Petr. 1. Neque Christus ipse præcepit nobis seruare mandata Ioannis. sed sua Ioan. 13. *Mandatum nouum do vobis*, & capit. 14. *Mandata mea seruate*. Et capit. 15. *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea*. Et Matthæ. vltim. dicit Apostolis. *Docete omnes gentes, docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis*. In tota autem scriptura nullum est verbum, in quo insinuetur Ioannem fuisse legislatorem, ergo hæretici hoc asserentes & sibi ipsis contrarij sunt, qui nihil credendum existimant, nisi quod in scriptura habetur, & ipsi scripturæ repugnant, quę solum Christum facit legis gratię autorem. Et confirmatur secundo, nam præceptum de suscipiendo baptismo (quod videtur esse veluti ianua totius legis gratię, & in quo ipsi hæretici multum ponunt) non est à Ioanne latum, sed à Christo. Tum quia (vt infra probabo) baptismus Christi valde diuersus est à baptismo Ioannis, & præceptum de baptismo Christi durat, de baptismo autem Ioannis nullum est imò nec fuisse vnquam etiam quando Ioannes baptizabat, verisimile est, vt infra dicemus. Et quidem tametsi fuisset, ad legem gratiæ non pertinuisse, certum profecto est, cùm in illa non obliget, neque obligauerit vnquam. Tum etiam, quia Ioann. 3. legimus Christum dixisse. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto*, de Ioanne vero nec scriptum, nec traditum habemus, quod similia verba, quę præceptum indicare possunt, protulerit, nec sine causa dixit Christus, *Ex aqua, & Spiritu sancto*, vt significaret se nō præcipere baptismū Ioānis, qui erat in sola aqua: sed suum, qui futurus erat etiam *in Spiritu sancto*, vt dicitur Ioan. 1. Tandem lex noua, vel est idem, quod nouum testamentum, vel in illo continetur, sed non est testator noui testamenti Ioannes, sed Christus, non enim Ioannes morte sua, sed Christus illum confirmauit teste Paul. ad Hebræ. 9. non ergo Ioannes est autor legis nouę, sed Christus. Neque enim á Ioanne factę sunt promissiones noui testamēti: sed à Christo, neq; in Ioannis meritis fundantur, sed Christi, nec Ioannes fundauit Ecclesiam, instituit sacramenta, summus ve illius est Pontifex, sed Christus, vt prædicta disputatione. 47. superioris tomi latius tractatum est.

Hinc dico tertio, Ioannem non immutasse, neque abrogasse legem veterem, neque hoc ad munus illius pertinuisse. Hæc assertio de fide est, & necessario sequitur ex præcedenti. Quia lex vetus non est abrogata, nisi per nouam. Neque autoritas abrogandi legem est, nisi apud eum, qui autoritatem habet illam condendi. Vnde vtraque autoritas æquè soli Christo in scriptura tribuitur ad Galatas tertio. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*, & infra. *Quid igitur lex, propter transgressionem posita est, donec veniret semē, cui promiserat*, & infra. *Priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat. Itaque lex pędagogus noster fuit in Christo, at vbi venit fides iā nō sumus sub pædagogo*. Per fidē autem intelligit Paul. viuam fidem Christi, & gratiam noui testamenti sicuti aperte explicuit subiungens. *Omnes enim filij Dei estis per fidem in Christo Iesu. Quicunque enim in*

Nouam legem, aut testamentum condere nō fuit munus præcursoris. Isai. 33. Ioel. 2.

Ioan. 1.

Matt. 9. Luc. 9. 2. Pet. 1 Ioan. 13. 4 & 15. 1 Matth. vlt.

Ioann. 3.

Ioan. 1.

Hebr. 9.

Lex vetus non est ab Ioāne abrogata.

Galat. 3.

Christo baptizati estis, Christum induistis. & capitul. 4. *Cum essemus pauuli, sub elementis mundi eramus seruientes: at vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt ad optionem filiorum reciperemus.* Et deinde postquã veritatem hanc varijs modis, ac testimonijs scripturæ confirmallet, concludit *Itaq; fratres non sumus ancillę filij sed libere, qua libertate Christus nos liberauit.* Non ergo Ioãnes sed Christus legem veterẽ abrogauit, nosque ab illius iugo, & seruitute liberauit.

Lex vetus per Christũ abrogata Act.15.

Quapropter in scriptura vbicunq; excluditur lex, statim gratia Christi subiũgitur, Act.15. *Quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neq; Patres nostri, neque nos portare potuimus? sed per gratiam domini Iesu Christi credimus saluari.* Et ita hæc veritas vt manifesta supponitur ab omnibus Patribus, & Theologis, vbicũque de cessatione legalium disputãt, vt videre licet præsertim in Aug. & Hieron. in epistolis, quas inter se mutuò de hac materia scripserunt. Adiungi etiam potest in huius, & præcedentis assertionis confirmationem locus ille Deuter. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies,* & infra. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrũ tuorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loquenturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego vltor existam.*

Deu.18.

Quod testimonium de Messia esse intelligendum in superioti tomo disp. 2. fusius ostendi. Prædicitur autem in illo Messiam futurum alterum legislatorem diuinę legis & insinuatur non obscurè Moysi legẽ fuisse obseruandam, donec ipse veniret, & noua, diuinaque præcepta ferret. Ille ergo diuinus Propheta fuit autor nouę legis, & abrogator veteris, & non Ioannes, qui interrogatus â Iudeis, an esset Propheta, verè, ac fideliter respondit. Non. Vt enim notant Cyrill. lib. 1. in Ioann. c. 24. non scisciabantur illum, an esset qualiscunq; Propheta (hoc enim modo non inficiaretur esse se prophetã) sed an esset ὁ προφήτης, ideſt ille propheta, cuius præcepta, & leges audituri essent. Et ideó meritò respondit se non esse propheram illum, sed esse vocem præparantem homines, vt essent dispositi ad audiendum illum prophetam, eiusque fidem, & euangelium suscipiẽdum. Et hoc sensu dixit rectè August. serm. 20. de sanctis Ioannem sub lege existentem Christum proclamasse, & prædicasse, & hoc modo legem ad euangelium transmisisse. *Quod enim, inquit, nondum natus de secreto materni vteri prophetauit, & expers lucis iam testis est veritatis, hoc est intelligendum, quod latens sub velamine, & carne literę, & Redemptorem mundi spiritu prędicauit, & nobis dominum nostrum dequodam legis vtero proclamauit.* & infra. *Quod autem Ioannes in carcere cõstitutus ad Christum discipulos suos ordinat, legem ad euangelium transmittit,* & infra, *Præmittitur ante Iesum Christum Ioannes, quasi testamentum vetus ante nouum.* Similiter Hilarius can. 14. in Matt. *Ioannes, inquit, formã prętulit legis, quia lex Christum prædicauit, & Ioannes profectus ex lege est, Christum ex lege prænuncians.* Elegãtius, & apertius Chrysost. hom. 3. imperfecti tractans illa verba. *Vox clamantis in deserto. Vox, inquit, est sonus confusus, nullum secretum cordis ostendens,* & infra, *Verbũ autẽ est sermo rationabilis mysteriũ cordis aperiẽs.* & infra. *Ideo ergo Ioãnes dictus est vox, nõ verbũ, quia per Ioannẽ neq; misericordias suas Deus, neq; iusticias neq; ante cõstitutionem mũdi præparata cõsilia demõstrauit, sed hoc tantũ modo, quia aliquid magnum facere Deus in hominibus meditabatur: postea autem per filium suum plenissimum mysterium suæ voluntatis aperuit,* & infra, allegorice exponẽs locustas quas manducabat Ioannes. *Quod docebat, inquit, idem manducabat, volatilia quidem erant, non autem magna, nec satis in altum volantia, quia Iudæi, quibus a Ioanne pœnitentia sola iniungebatur secundum iustitiam legis, metu pœnæ viuebant, non secundum spiritualia, & altissima Christi præcepta,* & infra. *Ideo Ioannes mel agreste edebat, quoniã adhuc ante Christum, ante Spiritum sanctum constitutus sub lege, legis vtebatur eloquijs, insipidis, insuauibus: & agrestibus,* & infra, *filius Dei sub lege factus est, vt eos qui sub lege erant redimeret, & educeret: Ioannes autem sub lege natus est, non vt eos qui sub lege erant educeret sed vt essent sub lege & secundum legem & viuerent, & docerent, propterea nihil extra legem aut fecit, aut docuit: sed tantum pœnitentiã prædicauit.*

Cyri. *Aug.* *Hila.* *Chrysost.*

Prętera ex ipsa, & ex processu euangelicæ historiæ facile conuinci potest Ioannem ne

nem, neque factis suis legis opera neglexisse, neq; verbis illam non esse obseruãdam docuisse. Si enim Iudæi frequenter Christo obiiciebant, quòd (ipsorũ existimatione) legẽ trãsgrederetur, quomodo crimen hoc nõ obseruassent in Ioanne, aut cur illud dissimulassent? Deinde in Actibus Apostolorũ sæpe legimus, præsertim cap. 21. vsq; ad 26. quã acriter Iudæi Paulũ persequerentur, quòd gentibus cõmunicare, legẽ transgredi, & templũ violare videretur, ac docere non esse necessarium legẽ Moysi obseruare, quid igitur facturi essent, si Ioannes ante Christi, & Apostolorũ prædicationem, ac miracula legem abrogare ausus esset? Adhæc, cum baptismus Ioannis non esset legi contrarius; sed potius quodam modo consentaneus, cò quòd aquæ baptismata, ac lauacra frequentissima essent in illa lege; nihilominus tamẽ quoniam nouum baptizandi ritũ introducebat, ab illo interrogant. *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus neque Elias, neque Propheta?* ergo si aliquid cõtra legem aut faceret, aut doceret, multò magis, illud obiicerent, eiusq; rationẽ postularent: ergo id asserere alienũ est ab euangelica historia, voluntarieque confictum.

Act. 21.

Obiectio hæreticorũ

Sed hæreticorũ iam respondendũ obiectionibus, qui præcipuè nituntur verbis illis: *Lex, & Prophetæ vsq; ad Ioannem.* In quibus duo sunt explicanda, alterum de duratione Prophetiæ, alterũ de duratione legis: quorum primum licet ad præsentẽ controuersiã pertinere non videatur, per se tamen difficultatẽ habet, quia non solum ipse Ioannes Propheta fuit: sed etiam multi post ipsum prophetauerunt, præsertim Ioannes Euangelista, & alij de quibus in Actibus Apostolorũ fit mentio, & in epistolis Pauli, & aliis, & præsertim in Apocalipsi, multa spiritu prophetico dicta continentur. Imò & in antiquis Prophetis multa sunt, quæ vsque ad Ioannẽ non sunt impleta, sed tempora legis gratiæ respiciunt. Dicendum verò est cũ Hieronymo Matth. 11. sermonẽ esse de Prophetis, qui de Christo vẽturo scripserunt. Nam quia Ioannes non solum illum venturum esse dixit, sed iã venisse ostendit, & digito demonstrauit, ideò vsque ad illũ dicuntur esse prophetiæ. Nam licet in eis multa contineãtur posterioribus impleta temporibus, tamẽ

Responsio.

Prophetias vsque ad Ioannem durasse, quomodo intelligendum. Hieron.

A quia præcipuus omnium prophetiarum scopus erat Christus, ideò absolutè dicũtur prophetiæ esse, vsque ad illud tẽpus, in quo Christus præsens manifestari cœptus est. Aliam interpretationem statim trademus.

Altera pars de lege, primò potest in eundem sensum exponi ex verbis Matthæi. cap. 11. *Prophetæ, & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt.* Vbi non dicitur lex, vsq; ad Ioannem durasse: sed prophetasse. Vniuersa enim lex quædam erat prophetia, mysteria Christi representãs: quæ dicitur prophetasse vsque ad Ioannem, quia ex eo tempore cœpit impleri. Antea enim erat veluti grauida & sub velaminibus, ac figuris Christum cõtinebat, à temporibus autem Ioannis parturire est orsa, quando iam non in figuris, sed apertè Regnum cœlorũ prædicari, & Christus cœpit ostendi. Et hanc expositionẽ indicauit Euthym. cap. 58. in Lucam, & capit. 20. in Matth. qui aliam expositionẽ addit, dicens omnes Prophetas, & legem vsque ad Ioannem Iudæis prophetasse, eumque fuisse vltimum prophetarum: deinceps verò nullum alium eis prophetasse. Vel aliter dicamus sensum esse, legem durasse vsque ad Ioannem (vt philosophicis terminis vtamur) intelligendũ esse, intrinsecè durasse vsque ad illũ, quia toto ipsius tempore durauit, & iam inde abrogari cœpit, quasi extrinsecè, quia tunc cœpit Euangelium prædicari, & homines præparari ad deferendam illam legem, altioremque amplectẽdam. Vnde

Legem durasse vsque ad Ioannem quomodo intelligendum Matt. 1.

B

Euthym.

C Ambros. libr. 8. in Lucam in principio. *Lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem, non quia lex deficit, sed quia incipit Euangelij prædicatio. Videntur enim minora compleri, cum potiora succedunt.* Et ad eundem ferè modum exponit Augustin. libr. 83. quæstionum, in 58. aliam partem de prophetia, vbi dicit Ioannem prophetiæ gestasse personam: Christum autem, qui per prophetiam prænuntiabatur, Euangelij duxisse personam, & ideò prophetiam cœpisse minui, postquam id, quod prænuntiabat aduenit. Itaque sentit ideò dictum esse: *Lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem*, quia ex tunc antiqua prophetia minui cœpit. Vnde inferius inquit. *Postquam ergo prophetia ipsa in Ioanne constituta digito ostendit præsentem, quem venturum ab exordio generis humani cecinerat, incipit minui, atque inde*

Ambr.

Aug.

crescere prædicatio regni Dei. Et in eodē sen A
su Hieronym. epist. 151. ad Algasiam, q. 1
Lex, inquit, *& Prophetæ vsque ad Ioannem prophetauerunt, non quod Ioannes prophetarū sit finis, & legis, sed ille qui Ioannis testimonio prædicatus est.*

Ioannes initium legis nouæ & finis veteris quomodo.

Ex his constat, quis sit sanctorum Patrum sensus, quorum autoritate hæretici abutuntur. Vocant enim Ioannem principium legis nouæ, & finem veteris in eodē sensu, quia ab illo prædicari cæpit, & promitti regnum Cælorum, & demonstrari, Christus noui testamenti cōditor, & ita dici potest Ioannes quasi extrinsecū principium nouæ legis, sicut lucifer dicitur esse initium diei, & finis noctis. Vnde Ter

Tertul.

tul. lib. 4 in Marcion. c. 33. *Agnoscamus*, in- B
quit, *Ioannem constitutum inter vetera & noua, ad quem desineret Iudaismus, & a quo inciperet Christianismus*, quod infra explicans subdit. *Ioannes antecursor, & præparator ostenditur vierum Domini euāgelium superductu*

Greg. Naz.

ri, & regnum Dei promulgaturi. Sic etiā Gregor. Nazian. orati 21. in laudem Athanasij, Ioannem vocat, *lucernam ante lucem, vocem ante sermonem, mediatorem ante mediatorem*, & subdit, *mediatorem, inquam, veteris, & noui testamenti*, & orat 20, Basilium cum Ioanne conferens, inter alia inquit, *Ipse quoque inter duo testamenta medius, illius videlicet literam euertens, huius autem spiritum in publicum efferens, ac per externæ, & visibilis legis euersionem occultam legem impleus.* Quæ verba peracōmodationē de Basilio dicuntur: nomine autem *visibilis legis*, intelligi videtur lex carnis: nomine autem *legis occultæ*, lex spiritus, & rationis proprie vero pertinēt ad Ioānē Baptistā. Nō sunt autē ita intelligenda, ac si Ioannes directe euertisset legē C
veterem, aut contra illam prædicasset: sed quod regnum cælorum, & spiritum legis nouæ, & eius autorem paulatim ostendēs ac prædicans, quoddā fuerit legis veteris euertendæ pirncipiū. Hinc denique Aug.

Augusti.

lib. quæstionum veteris, & noui testamenti, in. 69. simul dicit prædicante Ioāne cessasse legem vetere m, & illam nihilominus durasse vsque ad Christum: per quē abrogata est, & simul etiam dicit legen & prophetas fuisse vsque ad Ioannem, & fuisse vsque ad Christum. Quia vtrunque iuxta distinctionem posi tam verum est.

SECTIO III.

Quam sanctitatis, & gratiæ perfectionem fuerit Ioannes Baptista consequutus.

IN hac sectione sermo est de gratia sanctificante, nam de gratijs gratis datis in sectione. 5, dicendum. Duplex autem perfectio gratiæ distingui potest, altera, quæ consistit in collatione boni, altera quæ ad remouendum malum pertinet. De priori dicemus in sectione hac, de posteriori vero in sequēti.

Dico ergo primo perfectionem gratię: & sanctitatis, quam B. Ioannes est consequutus, fuisse eximiam. Hæc assertio dupliciter explicari potest, primo absolute, ita vt sensus sit Ioannem dignioribus atq; excellentioribus sanctis, & Dei amicis esse annumerandum: & hoc sensu est de fide, vt est vniuersalis Ecclesiæ sensus, ac traditio, quę satis probatur testimonio Angeli Luc. 1, *erit magnus coram Domino*, & infra. *Ipse præcedet ante ipsum in spiritu, & virtute* Eliæ, vbi Ambros. *Non corporis*, inquit, *sed animi magnitudinem declarauit, est coram Domino magnitudo animi magnitudo virtutis. Aetatem enim animæ numeramus non pro ratione temporis, sed pro qualitate virtutis*, & infra *Ideo fortasse in spiritu, & virtute Elię, quia sanctus Elias, & virtutem habuit magnā, & gratiam.* Similiter & Procopius ibidem docet more scripturę sacræ solum eum magnum prędicari, qui virtute & sanctitate, vere magnus, & singularis existit. Quod etiam optime declarauit Angelus verbo illo, *corā Domino.* Homines enim ea vident & inexistimatione habent, quæ apparēt: Deus autem intuetur cor. Et hoc saltem conuincit sermo Christi Matthæi. 11. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Ex quibus verbis licet colligere alteram rationem explicandi hanc Ioannis sanctitatem, eum cum alijs conferendo In ea vero exponenda duo sunt extrema vitanda.

Vnum est eorum, qui propter prædicta Christi verba existimare possent Ioānem in perfectione sanctitatis: & gratiæ omnibus hominibus testimonio Christi anteponi. Alterum est hæreticorum huius tēporis, qui vel ad vitandum extremū errorem, vel certe, quia ipsi neq; inæqualis sancti-

sanctitatis gradus, neque veram aliquam in hominibus sanctitatem agnoscunt: sed sol ā imputationē iustitiæ Christi, negāt verba illa esse de perfectione sanctitatis intelligenda: sed solum de excellētia muneris, & officij præcursoris. Sed in primis quod Christus de perfectione vitæ, ac sanctimoniæ loquutus sit tum ex ipsis verbis, tum ex Sanctorū Patrum expositione euidenter cōstat. *Quid*, inquit, *existis in desertum videre arundinem vento agitatā?* Hic certè non officiū: sed animi virtutē, constantiamq; commendat. *Quid existis videre hominem mollibus vestitum?* Quibus sanè verbis vitæ austeritatem, ac seueritatē perfectamq; mundi abnegationem declarat. *Sed quid existis videre? Prophetam? etiam dico vobis plusquam Prophetam*: ijs quidem verbis muneris magnitudinē, ac dignitatem exaggerat; non tamen vt in ea persistat: sed vt ex illa ad explicandā excellentiam sanctitatis ascendat. Vnde sequentibus verbis satis indicat eum, sicut munere, ita & sanctitate, & innocentia Angelū fuisse. Ac tandē iure iurando cōfirmat, *inter natos mulierum, non surrexisse maiorem Ioanne Baptista.* Eò vel maxime quòd nomine Prophetæ Iudæi in cōmuni, ac vulgari sermone intelligebant hominē, qui non solum futura prædiceret: sed etiā singulari quadam virtutis laude, & Dei familiaritate polleret. Vnde Ioan. 9. cū Pharisæi cæcū interrogassent, quid de Christo sentiret, ille respondit, *quia Propheta est*, illo verbo significans illum esse eximiū, ac sanctissimum virum. Similiter turbæ Christi sanctitatē confiteri, & laudare volentes, sæpe dicebant eum esse Prophetam, aut Prophetam magnum surrexisse, & Deum visitasse plebem suam. Cùm ergo Christus interrogat. *Quid existis videre? Prophetam?* cōmuni & consueta significatione, Prophetæ nomine vsus videtur. Vnde, cùm subiungit esse *plusquā Prophetam*, planè indicat non solum munere: sed etiam sanctitatis gloria inter cæteros Prophetas excelluisse. Quod statim apertius declarās dixit. *Inter natos mulierū, &c.*

Accedunt Sanctorum Patrum testimonia, & expositiones. Chrysostom. homil. 37. in Matth. hæc verba saluatoris de magnitudine sanctitatis intelligens ex rebus ipsis ita confirmat. *Veniat tibi in mentem mensa illius, educatioque, & mentis altitudo, ita enim in terris, quasi in cælis versabatur, &c.* & hom. 57. operis imperfecti. *Quanto vox proximior verbo, non tamen verbum, tanto Ioannes propinquior Christo, non tamen Christus*, & iterum, *Vide ergo, quia omnibus sanctis est maior, cui solus Christus est prior.* Hæc autē Chrysostomi verba supra tactam difficultatem inculcant, quoniam in aliud extremū inclinant. Ita enim videtur Chrysost. sanctitatem Ioannis extollere, vt solū Christum ei anteponere videatur, quod cōmune ei est cum reliquis Patribus vt videre licet in Theophi act. Euthymio, & aliis expositoribus. Ambr. lib. 5. in Lucam propè finem, qui dicunt Christū comparare Ioannē cum natis ex mulieribus humano, & cōmuni natiuitatis modo, non verò cū nato ex Virgine. Vnde Ambros. *Hunc* (id est Ioannem) *omnibus dico esse maiorem, sed inter mulieris, non virginis natos. Maior enim fuit iis, quibus æqualis esse poterat forte nascendi. Alia ista natura est, nec cū humanis generationibus comparanda.* Sentiunt igitur hi Patres Ioannē omnibus sanctis testimonio Christi esse prælatum, Christo ipso dūtaxat excepto.

Quin etiā iuxta expositionē Aug. lib. 2. contr. aduersari. leg. & Proph. cap. 5. & tract. 13. in Ioan. & Epipha. hæres. 26. & Chrysost. in imperfecto, quē Theophylact. & Euthym. imitantur, ipsemet Christus fecit hanc exceptionē cum dixit. *Qui autem minor est in regno Cœlorum, maior est illo*, seipsum vocans minorē in Regno Cœlorū, quia & minor erat ætate, & apud homines in Ecclesia militante (quam Regnum Cœlorū appellat) in minori æstimatione habebatur. Quæ expositio propter autoritatē dictorum sanctorū valde probabilis est, quanquā Cyrillus lib. 2. Thesau. cap. 4. eò quòd illa abuteretur Eunomius, vt Christum purū hominem faceret, eā reiiciat. At verò (vt Iurisperiti dicunt) *exceptio firmat regulam*, ergo Christus se solum excipiens, affirmat Ioannem esse omnibus aliis, sine vlla exceptione maiorem. Qua propter Ambros. sermo. 94. hæc eadem verba tractans. *Præcellit*, inquit, *cunctis, eminet vniuersis, antecellit Prophetas, supergreditur Patriarchas, & quisquis ex muliere est inferior est Ioanne.* Et Cyrillus Ieroso limita. cat. 3. ad illuminatos. *Etiamsi Etiam Tesbitem dixerit esse in Cœlum assumptum, attamen non est hic maior Ioanne Enoch translatus est, sed non est maior Ioanne. Moyses maximus legislator, & omnes*

Ioannis sanctitas eximia.

Prpphetæ nomē apud Iudæos excellens. Ioann. 9.

Chrysost.

Theophyl. Euthym. Ambros.

Aug. Epipham. Chrysost. Theophyl. Euthym. Cyril.

prophetæ, sed non maiores Ioanne. Non ego prophetas prophetis audeo comparare, sed ipse Dominus noster, & illorum dominus Iesus pronuntiauit. Maior inter natos mulierum Ioanne non surrexit, non inter natos Virginum, sed mulierum. Magna serui ad conseruos comparatio: filij vero ad seruos minime comparanda est gratia, & excellentia. Aug. serm. 23. de sanctis, *si in natis mulierum, hoc est in hominibus, nemo exurrexit maior Ioanne Baptista, quisquis Ioanne plus est, non tantum homo, sed & Deus est,* & præfat. in 2. enarrationem in Psalm. 29 tractans verba illa Psalm. 44. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis,* colligit Christum non esse vnctum eo modo, quo cæteri homines iusti, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, & quidquid magnum est in genere humano. *Quandoquidem,* inquit, *nihil maius extitit in genere humano quam Ioānes Baptista, nec in natis mulierum exurrexit. Si quæris excellentiam hominis, Ioannes Baptista est. Cuius autem Ioānes se dicit non esse dignum corrigiam calceamēti soluere, quid erat ille nisi amplius quam cæteri homines?* Interpretatur, ergo hāc gratię magnitudinem de excellentia gratię sanctificātis, quam in nullo puro homine sentit esse maiorem, quām in Ioanne Baptista. Eodē ferè modo loquuntur alij Patres in concionibus de Ioanne Baptista, Maximus, Honorius, Eusebius Emissenus, Petrus Chrysologus, Bernardus, Laurentius Iustinianus, & alij. Sed inter omnes excedere videtur Cyrillus lib. 2. thesauri cap. 4. vbi prædicta verba tractans, inquit, *Non maior inter natos mulierum tēpore dicitur, sed virtutis sublimitate, qua ad eos peruenit terminos, quo natura humana peruenire potest.*

Augusti. Maxim. Honori. Euse Emi. Pet. Chry. Bernard. Lau. Iusti. Cyril.

Nihilominus huiusmodi sanctorum Patrum dicta prudenti moderatione explicāda sunt, & ad verba saluatoris, & ad rem, de qua agimus, applicanda. In primis enim certum est in huiusmodi sanctorum comparationibus non posse B. Virginem comprehendi. Etenim in gratiæ, & sanctitatis perfectione B. Virginem superiorem Ioanne extitisse, indubitatum est, atque etiam eo tempore, cùm Christus predicta verba protulit, vt ex tractatis in superioribus satis constat. Neque quoad hoc verba Christi difficultatem habent, vt ex dicendis facile constabit, præsertim, cùm dici possit nō cum fœminis, sed cum viris tantum illum contulisse. Nonnulla autem Patrum verba præsertim Chrysostomi. Ambro. & Aug. quę videntur vniuersaliora, & veluti per quandam exaggerationem dicta, pie interpretanda sunt, & vel ad sensum Verborū Christi accommodanda: vel saltem dicendum B. Virginem ita esse cum Christo conjunctam, vt cum illo excipi intelligatur. Nam sicut Theologi dicunt dictionem exclusiuam non excludere concomitantia ita dici potest, cum nonnulli Patres asserūt solum Christum esse maiorem Ioanne, nō excludi Virginem, sed potius cum Christo copulari, & comprehendi. Cuius manifestum argumentum est, quia alijs locis anreponunt Virginem non modo omnibus sanctis hominibus: sed etiam omnibus Angelis, quorum testimonia superius attulimus: Ioannem verò nunquam præferunt omnibus Angelis, vt videre licet citatis locis, & Petrus Chrysologus sermo. 127. ad summū vocat illum *Angelis parem*, & eodē modo loquutus fuit Aug. serm. 22. de sanctis. Quin potius Aug. lib. 2. contra aduers. legis, & Propher. cap. 5. & lib. quęstionū veteris testam. q. 26. dicit alios Prophetas esse æquales Ioanni, licet non maiores, quę est etiam sententia Hieronymi Matth. 11.

Ioannes minor Virgine. Pet. Chrys. Aug. Hieron.

Deinde ex vi verborum saluatoris non constat Ioannem esse sanctiorem omnibus sanctis noui testamenti, præsertim Apostolis, non quòd hoc affirmare dignum aliqua censura sit: sed quòd sit incertum, & Christi testimonio probari nōpossit. Christus enim de præterito tempore vsque ad illud, in quo ea verba protulit loquutus est, dicens, *Inter natos mulierum non surrexit maior.* Vnde non sequitur maiorem vnquā postea fuisse surrecturum neminē. Quod in verbis Lucę euidentius apparet, vbi nō simpliciter *maior*, sed inter prophetas *maior* dicitur, ergo inde nō colligitur esse maiorem Apostolis, præsertim cum Prophetarum nomine sancti præcipuè veteris testamenti intelligi soleant. Adde Anselmi & S. Thomæ iudicio Matth. 3. Apostolos munere, & officio superiores fuisse Ioanne, quia fuerunt Ecclesiæ fundamenta, vniuersales pastores, ac principes, & in vniuerso orbe testimonium Christo reddiderunt, quod Ioannes in vno populo Iudeorum præstitit. Cum ergo Deus det gratiā, & sanctitatem muneri accommodatā, fieri potest, vt sicut Apostoli ministerio superiores fuerunt Ioanne, ita fuerint & gratia, igi-

Anselm. D. Thom. Inter Ioannem, & apostolos comparatio.

tia, igitur Christi verba non possunt de Apostolis intelligi.

Anselm. D. Thom. Non tamen ideo asserо Apostolos fuisse sanctiores Ioanne, nam Ansel. & Thomas qui affimãt eos ministerio antecellere Ioãnem, negant meritis, & sanctitate esse illo superiores. Et ratio adhiberi potest, quia licet simpliciter munus Apostolicum fuerit maius potestate, dignitate, & rerũ agendarum magnitudine, ac difficultate; fieri ita men potuit, vt ministerium Ioãnis cõsiderata Iudæorũ dispositione, & tẽporis opportunitate, quãdo neq; Christus vlla miracula ediderat, neque gratia Spiritus sancti adhuc effusa fuerat, abundatiorem quãdam gratiam, & vitæ innocentiam postulauerit, vt eius testimonium, quod nullis miraculis, aut signis, sed solius vitæ auctoritate confirmabat, idoneum, & omni fide dignissimum prudenter existimari posset. Vnde egregiè Cyrill. lib. 1. in Ioan. cap. 7. *Quo modo*, inquit, *autoritati eius credẽdum nõ erat, qui tanto cumulo virtutis præfulsit, vt lux ipsa a nonnullis crederetur.* Et in eandem sententiam Euseb. lib. 9. de Demonst. cap. 5. quæstionem proponit, quid esset in Ioanne, *quo capta multitudo illa admiraretur hominem, & prædicanti baptisma pœnitentiæ fidem haberet cũ præsertim nulla illius gesta memoriæ prodita sint. Neque enim, quod aut mortuos excitauerit, aut alta miracula fecerit, scriptum extat.* Et respondet, *nihil aliud, quam nouum, & admirabile vitæ genus*: cumque late illius mores descripsisset, tandem concludit *hæc igitur arbitror ipsum Ioannem intuentibus, admirationem, ac stuporem erga hominem attulisse.* Addo denique quanquam Deus nunquã deneget omnem gratiam necessariam ad obeundum munus, in quo ipse hominem constituit: non tamen solam illam necessario præbere, sed interdum longè maiorẽ. Sicut quibusdam Apostolorum maiora impertiuit dona gratiæ, quãm alijs, licet in Apostolico munere omnes fuerint æquales. Et è contrario quanuis B. Petrus fuerit alijs potestate, ac dignitate superior, non propterea necesse est, vt sanctitate omnes superauerit. Sic igitur quanuis ministerium Ioannis inferius fuerit, & propter illud præcisè consideratum, non indiguerit tanta gratia, quanta Apostoli, nihilominus fieri potuit, vt ex singulari Dei beneuolentia, & propter coniunctionem, & spiritalem quandam familiaritatẽ ad Christum, cumulatiorem gratiam susceperit. Ergo hæc comparatio incerta est, nihilque videtur in ea temere affirmandum.

Cyril. *Euseb.*

Inter Ioannẽ, & Apostolos comparatio.

Præterea, etiam si comparationem hanc à Christo factam ad Prophetas veteris testamenti limitemus, necesse nõ est, vt propter verba Christi strictè, ac rigoroſè intellecta cum omnibus sanctis Christo antiquioribus anteponamus.

Primo quidem, quia (vt ex verbis Lucæ colligitur) non cum omnibus sanctis, qui cum antecesserunt, sed cum solis prophetis comparatus est. Nisi dicamus perinde esse comparare Ioannem cum Prophetis, & cum omnibus antiquioribus iustis. Nã ante Ioannem nulli sancti fuerũt maiores Prophetis. Omnes enim Patriarchæ, & celebriores veteris testamenti homines prophetiæ gratia claruerunt. Præsertim quia (vt paulo ante diximus) propter hanc causam deriuatum est hoc nomen in illo populo ad significandum quemlibet virum vitæ moribus, & sanctitate conspicuum.

Ioannes Baptista maior ne tis sanctis omnibus fuerit.

Secũdo esto hoc ita sit, in prædictis verbis non asseritur Ioannem esse maiorem superioribus iustis, seu Prophetis, sed alios non esse maiores illo. Vnde fieri potuit: (vt Aug. & Hieron. notarunt) vt aliqui fuerint Ioanni pares. Quãquam ad hoc etiã responderi possit licet verba illa nudè, atque præcisè sumpta, ita possint exponi: cum antecedentibus tamen sequentibusq; coniuncta & iuxta vsitatum loquẽdi modum, non solum negatiuum, sed etiam positiuum, & affirmatiuum sensum continere. Primo quidem quia præmiserat Christus Ioannem esse plusquam Propheram, & in huius confirmationem, ac declarationem subdidit, nullum ex muliere natum esse maiorem illo. Deinde, quia in communi modo loquendi eo dicendi genere significamus aliquem esse sanctiorem, doctiorem ve alijs.

Augusti. Hieron.

Tertiò addi potest Christum non dixisse simpliciter Ioannem fuisse sanctiorem omnibus Prophetis, sed nullum surrexisse maiorem illo. Quod multi existimãt referri posse ad primam sanctificationem Ioannis, ita vt sensus sit, nullum Propheta surrexisse à peccato originis cum abundantiori gratia, ac pluribus priuilegijs, & Spiritus sancti donis. Quo non obstãte fieri potuit, vt

tuit,vt in progressu vitæ alij fuerint maiorem sanctitatem consequuti. Sed & hoc etiam facile reiici potest. Tum quia ille sensus de prima sanctificatione non videtur literalis, sed valde metaphoricus. Nunquã enim verbum, *surrexit*, in scriptura in ea significatione ad literam sumitur, & in Euangelio Lucæ non est verbum, *surgo*: sed verbum substantiuum, *est*, vnde idem significat aliud verbum absolute dictum: sicut quando Christo populus acclamabat, *Prophetamagnus surrexit in nobis*, idest, apparuit, seu missus est à Deo: & Deute. 9. *Non surrexit vltra Propheta in Israel sicut Moyses.* Deu. 9. Tum etiam quia (vt statim dicam) ex prima Ioannis sanctificatione adiũcta perfectione vitæ eius satis verisimiliter colligitur, non minus Ioannem reliquos Sanctos in augmento sanctitatis gratiæ, quàm in prima sanctificatione antecelluisse.

Quarto dici posset ex Cyrillo lib. 2. Thesauri capit. 4. Ioannem dictum esse maiorem, *propter humanam virtutem, in cuius vsu, & exercitio mirabilis fuit, propter asperrimam vitam, & quia cremum semper coluit, & robore animi carnem rationi subiecit. Nihilominus tamen mirabiliores Ioanne esse, qui per spiritum renati sunt, cuius donum Regnum Cœlorum, dicitur, iuxta illud, Regnum Cœlorum intra vos est.* Lucæ. 17. In quibus verbis non est intelligendum, docere Cyrillum Ioannem habuisse virtutem humanam sine gratia spiritus: sed præcisè alteram cum altera comparare, & significare voluisse meliorem esse vel minimam gratiam, quam maximam virtutem humanam per se cõsideratam. Quæ expositio est quidem subtilis: non tamen admodum literalis, præsertim cùm perfectio virtutis Ioannis, non nisi ex abundanti gratia spiritus profecta sit, & illius augmentum, perfectionemq; meruerit.

Quinto tandem exponi possunt prædicta verba, Ioannẽ non dici maiorẽ propter solam sanctitatis excellentiam, ac perfectionem: sed propter singularem modũ, maioresq; prærogatiuas, ac priuilegia sanctitatis, in quibus sine dubio excelluit, ac singularis fuit. Sed hoc etiam non satisfacit: Tum quia declaratum est, Christum præcipuè loquutum esse de vitæ sanctitate, quæ reuera sola est, quę facit simpliciter maiorem apud Deum. Tum etiam, quia ex illis prærogatiuis rectè perpensis, fit cõsequens in perfectione etiam sanctitatis Ioannem excelluisse, vt statim explicabitur. Quo circa quãuis propter hos varios exponendi modos, nec certum, nec constans sit, in quo gradu sanctitatis Ioannes inter omnes Sanctos, & Prophetas collocandus sit: est tamen verisimile superare omnes antiquos Patriarchas, ac Prophetas, & absq; iniuria posse cum Apostolis, ac reliquis Sanctis noui testamenti cõferri.

Secundo, ac principaliter explicari potest assertio suprà posita ex progressu vitę Sanctę Ioannis, quæ in Euangelio describitur, (quod inter singularia eius priuilegia non immerito annumerandũ est.) Primo enim conceptio eius ab Angelo est annuntiata, quod de nullo alio, nisi de Christo in nouo testamẽto legitur: in veteri autem de vno tantum, aut altero, iisq; præstantissimis viris, nimirum Isaac, & Samsone, qui præter insignem sanctitatẽ Christi domini typi fuerũt. Et in hoc priuilegio singulare prętera fuit in Ioanne, quòd eius conceptio ab eodem Gabriele Angelo, â quo Christi incarnatio annuntiata est, & quidem in templo: imò & in sacratiori parte templi, nimirum in Sancta sanctorũ, vt putant Bernard. ser. de priuilegiis Ioãnis Baptistæ. Ambros. Beda, Euthym. Lucæ. 1. & August. tract. 49. in Ioannem, qui hac de causa censent Zachariam patrẽ Ioãnis fuisse summum sacerdotem. Verius tamen est Zachariam non fuisse summum sacerdotẽ. Lucas enim non vocat eum principem Sacerdotum, vel sacerdotem summum; sed simpliciter *Sacerdotem*, qui alios habebat æquales, atq; eiusdem ordinis, vt colligitur ex illo verbo Luc. 1. *Fuit Sacerdos quidam nomine Zacharias*, & infra. *Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ*, idest, suæ classis, seu familię, de qua prius dictum fuerat, *de vice Abiæ.* Vt enim constat ex 1. Paralipomen. 24. sacerdotum multitudo in viginti quatuor ordines, seu classes erat distincta, quę *vices* dicebantur, seu *turmæ*. 2. Paralip. 20. Vnus ergo ex his sacerdotibus erat Zacharias. Vnde non est ingressus in sancta sanctorũ, in quę solus Summus sacerdos semel in anno ingrediebatur: sed in aliam templi partem, quę vocabatur *primum ta-*

Gene. 73. Iud. 11. Bernard. Ambros. Beda. Euthym. August.

Zacharias Ioannis pater nõ fuit summus sacerdos. Luc. 1: 1. Par. 20. & 24.

Heb. 9.

Lege Franciscum Toletum inca. 18. Ioannis & Baronij in apparatu.

bernaculum, seu Sancta ad Hæbreos. 9. quod erat post primum velum, & in eo erat altare thymiamatis, & panes propositionis atque illuc soli sacerdotes functionis suę tempore ingrediebantur. In hoc ergo loco facta est conceptionis Ioannis annuntiatio, & quidem grauissimis verbis, magnificisque de Ioanne prædictionibus, nomenque illi impositum, quod gratiam significat, quæ omnia excellentem Ioannis sanctitatem futuram manifeste indicant.

Ioannes in vtero matris gratia repletus.

Secundo post conceptionem in vtero matris, repletus est Spiritu sancto, & donum gratiæ sanctificantis, & prophetię, ac liberi arbitrij vsum, & perfectam quandã Christi cognitionem accepit, quæ omnia late in superioribus tractata sunt, cùm de prima Virginis sanctificatione ageremus. Et videri præterea potest Ambros. serm. 63. Vbi ad Ioannem accommodat illud Ieremiæ. 1. *Prius quam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de vulua, sanctificaui te, & prophetam in gentibus dedi te.* Quæ ibidem Hieronymus. de Ioanne interpretatur. Vnde eleganter. Petrus Chrysol. ser. 88. *Beatus, inquit, Ioannes qui ante Dei spiritu meruit intonare, quam hominis vagiret in fletu, Beatus qui ante diuina possidere meruit, quã sortiretur mala, Beatus qui ante meruit cœlum scire, quam terram: beatus, qui ante quã videret præsentia, futura meruit nuntiare, beatus, qui ante Deum capere potuit, quam suo ipse caperetur a corpore: beatus, & singulariter est beatus, qui antequam saperet quærere, meritum cõquisiuit: beatus qui non peruenit ad gratiam per laborem, sed ad labores ipsius gratiæ dignatione descendit.* Et similia habet sermon. 91. *Videtis, quemadmodum Ioannes ante peruenit ad cęlum, quam tangeret terram ante accepit diuinũ spiritum, quam haberet humanũ, ante suscepit diuina munera quam corporis membra, ante cœpit viuere Deo, quam sibi, ante rapuit arma, quã membra, & vt vinceret mundum, vicit ante naturam, ante quam Christum præcederet se præcessit.*

Ambrosius Ierem.

Hieron. Pet. Chry.

Tertio, post primam sanctificationem in vtero vsque ad natiuitatem suam plurimũ in diuina gratia, & sanctitate creuit. Quia (vt Origen. Ambros. & alij Patres sentiunt) non solum in ipso sanctificationis instanti vsum rationis habuit: sed etiã postea in illo permansit. Quod si verum est, dubitari non potest, quin actus fidei, caritatis, ac religionis sæpius exercuerit, & quod B. Virginis, & Christi, præsentia singulariter fuerit illis tribus mẽsibus ad eos exercendos excitatus, & adiutus. At denique in eius natiuitate tot signa, & mirabilia facta sunt, vt homines stupore repleti dicerẽt. *Quis putas puer iste erit: etenim (*subdit Euãgelista*) manus Domini erat cum illo,* Vnde licet hæc perfecte sanctitatem, aut gratiam sanctificantem non augerent, sunt tamen honorifica eximię beneuolentiæ diuinæ, ac conspicua Ioannis sanctitatis indicia.

Orig. Ambr.

Quarto, paulo post natiuitatem statim ab infantia in eremum se abdidit, & admirabilem vitæ rationem instituit. Quod ijs verbis indicauit Lucas cap. 1. *Puer autẽ crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in desertis vsque in diem ostẽsionis suæ ad Israel.* Quod explicans cap. 3. dicit fuisse ibi, donec factum est super eum verbum Domini, & ad concionandum, & baptizãdum exiuit. Ex quibus locis, (quidquid hæretici huius tẽporis nugentur) intellexit semper Ecclesia Ioannem â prima ætate cõsortia hominũ vitasse: vitamque solitariam in eremo duxisse: vnde in eius hymno canit.

Ioannes ac infantia eremi incola. Luc. 1. et 2.

Antra deserti teneris sub annis,
Ciuium turmas fugiens petisti.

Vnde Simeon Metaphrast. Ioannis vitam describens dixit, *vix a fasciis solutum solitudinem habitasse, vitamque egisse angelicam,* & Chrysost. hom. 10. in Matth. *Ab ipsis incunabilis in eremo semper inhabitauit, & angelicam quandam vitam mortali in carne præ se tulit.* & hom. 38. *Ita in terris, quasi in cælo versabatur,* & infra, *Nulli hominum, antequam ad baptizãdum accederet, Deo autem soli sua semper offerebat colloquia, neminem vidit vnquam conseruorum, neque ab aliquo horum visus fuit, non lacte nutritus, non lecto susceptus, non tecto non foro, non alia re humana vsus est,* & hom. 15. in Ioan. *Vita & asperitate, & omnium hominum contemptu erat insignis, si quidem veste, mensa, domo, & ipso victu contempto eremum ab ineunte ætate coluit,* & Hieronym. aduersus Luciferianos parum â principio. *Quid mihi necesse est in talis viri laudibus immorari cum a Deo patre etiã angelus nũcupetur? Plane angelum, qui post materni ventris hospitiũ eremi diserta sectatus paruulus de serpentibus lusit, qui oculis spectantibus Christum, nihil aliud est dignatus aspicere, quia eloquijs Domini, quæ melle, & fauo dulciora sunt, dignam Deo vocẽ erudiuit, & ne quæstionẽ morer sic decebat crescere*

Sime. Meta.

Chrysost.

cere præcursorem Domini, & epist. 4. ad Rusticum. *Ioannes Baptista sanctam matrem habuit, Pontificisq; filius erat: & tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, vt in domo parentum cum periculo viueret castitatis. Viuebat in eremo, & oculis desiderantibus Christum, nihil aliud dignabatur aspicere. Vestis aspera, zona pellicea, cibus locustæ, melq; syluestre, omnia virtuti, continentiæque præparata.* Et epist. 7. ad Lætam: *Samuel nutritur in templo, Ioannes in solitudine præparatur, hic fugit vrbes, zona pellicea cingitur, locustis alitur, ac melle syluestri, & in typum pœnitentiæ prædicandæ tortuosissimi animalis vestitur exuuiis.*

Origen. Similia habet Origen. hom. 11. in Lucam. *Digne qui sic conceptus fuerat, & natus, nõ expectauit, vt a patre nutriretur, sed recessit, & abiit in deserta, vbi purior aer erat, & cælum apertius, & familiarior Deus, vt vacaret orationibus, & cum Angelis conuersaretur, appellaretque Dominũ, illumq; audiret respondentem, & dicentem: Ecce adsum. Sicut enim Moyses loquebatur, & Deus respõdebat ei, sic puto, quod Ioannes loquutus fuerit in deserto, & Dominus responderit ei.* Eadem ferè repetit hom. 16. Vnde de augmento gratiæ illius sic loco superiori loquitur, tractans illud. *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu. Non in eadem permanebat mensura, qua cœperat: sed semper crescebat in eo spiritus, & per singulas horas, & momenta spiritu fuerescente anima quoq; sua incrementa capiebat, & non solum anima: sed etiam sensus, & mens augmenta spiritus sequebantur.* Eodem modo de Ioanne loquuntur, & vitæ illius rationem exponunt Epiphan. hæres. 63. in fine. Euseb. lib. 9. de Demonst. cap. 5. Theophylactus, Euthym. & alij exponentes loca Matthæi & Lucæ, August. Bernard. Beda, Euseb. Emissen. & reliqui Patres concionibus de Ioanne Baptista. Huic etiam rei fidem faciunt Historiographi, qui referunt Ioannem Baptistam annum cum dimidio ætatis agentem ductum esse in eremum à matre sua, Herodianam fugiente fortasse irã, vt scribit Nicephorus lib 1. Histor. capit. 14. & Cedrenus in cõpendio historiæ, qui addit delituisse in spelunca quadam, ibiq; matrem obiisse Angelum autem curã pueri suscepisse. Cuius speluncæ ad Iordanẽ sitæ fit mentio in Prato spirituali cap. 1. & ibi dicitur Ecclesia ædificata, cuius etiã meminit Beda lib. de locis sanctis, cap. 13. Errant ergo Hæretici, qui negant Ioannẽ

Epiphan. Euseb. Theophyl. Euthym. Aug. Bernard. Beda. Euse. Emi. Nicephor. Cedren. Beda.

A eremum inhabitasse, & solitariam egisse vitam, nihil aliud deserti nomine interpretantes, quãm domum parentum in montanis sitam. Quod & alienũ est à proprietate verborum scripturæ, & à sanctorum Patrum expositione, & sensu Ecclesiæ. Eò vel maximè, quòd domus Zachariæ nõ erat in deserto, sed intra quandam ciuitatem in montanis sitam, vt colligitur ex illis verbis Luc. 1. *Exurgens Maria abiit in montanna cum festinatione in ciuitatem Iuda, & intrauit domum Zachariæ.* Ex his ergo omnibus constat, cum B. Ioannes à principio plenitudinem Spiritus sancti fuerit consequutus, & postea tanto tempore, adeò continue, constanter, ac intensè per illam meruerit, magnam perfectionẽ fuisse sanctitatis ademptum.

B Vltimo perfectionem gratiæ, & meriti Ioannis inde explicare possumus, quòd perfectissimum statum vitæ actiuę, & cõtemplatiuę assequutus est. Primum enim ad perfectionem vitę contemplatiuę duo potissimum pertinere videntur: alterum quasi disponens, & prępparans, scilicet corporis mortificatio, & carnis afflictio, alterũ, in quo propria huiusce vitæ ratio consistit, scilicet vnio mentis ad Deum, & caritatis, ac contemplationis perfectio. Primum horũ explicatur in Euangelio variis in locis. Nã de eius abstinentia dixit Christus Matth. 11. *Venit Ioannes, neque manducãs, neque bibens.* Propter quòd dixit Basilius, concione 1. de ieiunio. *Ioannis Baptistæ vita quid aliud erat, quam vnicum, ac perpetuum ieiunium?* Et Ambros. lib. de Elia, & ieiunio cap. 3. *Quia vitę, inquit, humanæ possibilitatem continentia supergressus fuerat non homo sed Angelus appellatus est.* Dicitur ergo Ioãnes venisse *non manducans, neque bibens,* non quia omnino nihil manducaret: sed quia vix humano cibo, & qui ad hominem alẽdum sufficeret, vteretur. Vnde Matt. 3. dicitur. *Esca autem eius erat locustę, & mel syluestre.* In quo cibo exponendo licet Sancti varij sint: omnes tamen conueniunt, fuisse cibum austerum, & vilem, insuauem, & amarum, vt notarunt August. serm. 65. de tempore. Chrysostom. Euthym. & Ambros. in Matth. & Luc. 3. cap. & Chrysost. etiam hom 2. in Marcum, & Origenes hom. 11. in Lucam. Rursus dicitur de vestitu eius in eisdem locis Euangelij, fuisse *de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos*

Matth. 11. Basil. Ioannis abstinentia, Ambros.

Matt. 3.

August. Chrysost. Euthym. Ambros. Orig.

bos suos. Quod vestimentum ciliciũ fuisse
Paulin. significat Paulinus epistol.10.ad Seuerum dicens, *Ioannem pili camelorũ hirto tegmine vestiebant.* Et in carmine de Ioãne Baptista.

Vestis erat curui setis contexta Cameli.
Contra luxuriam, molles duraret vt artus.
Arceretque graues compuncto corpore somnos

Anselm. Apertius D. Anselm. Matt. 3. *Gerebat*, inquit, *habitum pœnitentiæ, dum cilicio camelino indutus esset, & cibos syluestres comederet.* Alij verò Patres, quanuis non aperte dicãt fuisse cilicium: omnes tamen docent fuisse asperum, ac pœnitentis indumentũ. Id etiam colligunt ex alijs verbis Christi Matthę. 11. *Quid existis videre? hominem mollibus*
Matth. 11. *vestitum?* vt videre licet in Ambros. serm.
Ambros. 65. Greg. hom. 6. in Euangelia, & Chryso-
Gre. Chrysost. sto. homil. 3. imperfecti, vbi de Zona pellicea specialiter dicit fuisse morẽ Iudæorum zonis laneis præcingi: Ioannem verò ob maiorem carnis macerationem, zona pellicea vsum fuisse. Vnde Gaudentius Brixien
Gau. Brix. sis tract. 2. in Exo. *Zona*, inquit, *pellicea circa lumbos mortificationem significat vitiorum: pellis enim, quæ aptatur in vsum, non nisi mortui animantis est.* Et eodem ferè modo loquuntur Hieron. Theophyl. Ere. Naz alijq; Patres supra citati, ac deniq; Nazianz. qui hæc omnia his versibus complectitur in carmine de præceptis ad Virgines.

Melle tamen agresti repulit vilique locusta.
Zacharia genitore satus, texitque cameli.
Membra pilis, habuitque domum versatile cœlũ
Atque in humo dura corpus dabat ipse sopori.

Alterum, quod ad perfectionem vitæ contemplatiuæ præsertim spectat, insinuatũ
Luc. 1. est á Luca cap. 1. his verbis. *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu.* Et ex dictis de vita eius solitaria, austera, & pœnitenti per se fit credibile non nisi in diuinis cogitationibus, colloquijs, & affectibus potuisse toto illo tempore versari, vt docent Patres locis supra citatis, & optimè Bernar.
Bernard. Chrysost. Ioanni contemplatio quanta. serm. de priuilegijs Ioa. Baptistę. *Relinquit Ioannes mundum, homines fugit, patriam nescit parentes aspernatur, & in solius diuinitatis apicem defigit obtutus. Mira rerum conuersio, hominem vix mundum ingressum, mundi fugere gloriam, & sæculi cupiditates non solum obliuiscit: sed nescire, perpetuumque cum diuinitate habere consortium.* Et Chrisost. hom. 1. in Marcum, *Felix ista conuersatio, despicere homines, angelos quærere, vrbes deserere, & in solitudine inuenire Christum.* Hinc docet Bernar. serm. de na-
Bernard.

A tiuit. Baptistæ, Ioannem in rebus diuinis magisterio spiritus intrinsecus edoctum fuisse, *Ioannes in spiritu, tanquam angelus creditur, nimirum tanto propinquior verbo, quanto vox verbo vicina, cui nulla voce alia media, quod foris sonet, oportet intimari. Neque enim Ioannem prædicatio, sed inspiratio docuit, quem replent spiritus in vtero matris suę vere ardẽs & vehementer accensus, quem sic præoccupauit flamma cęlestis,* & infra, *Ardens erat in se ipso vehementi austeritate conuersationis erga Christum intimo quodam, & pleno feruore deChry. uotionis.* Nec dissimilia sunt verba Chrysost. hom. 12. in Ioannem. *Ita igitur Ioannes, cum omnibus se sensibilibus exuisset, aliis magistris nonindigui: sed cœlitus eruditus est.* Et eodem Gregor. modo loquitur Gregor. lib. 1. dialog. ca. 1.

B Huc accedit quòd hac de causa frequẽter sancti Patres Ioannem vocant *Principem, & quasi exemplar vitæ monasticæ*, quæ tota in Bernar. contemplatione posita est. Vnde Bernar. supradicto sermone de priuilegijs Baptistæ, *Ioannes ætatis supergressus infantiam, & nobilioris generis generositatem oblitus, soli vacat diuinitati, factus forma vitæ, monachorum* Chry. *propositum, Anachoretarum principium, totius* Hieron. *religionis assertio.* Et Chryso. hom. 1. in Marcum, *Monachorum principem*, vocat. Hieronymus verò epistol. 22. ad Eustochium de custodia Virginitatis *principem anachoretarum* appellat. Et eadem est sententia Isi*Isidor.* dor. lib. 2. de diuinis officijs cap. de monachis, Cassiani collat. 18. cap. 6. Euthym. & *Cassian.* *Euthym.* Theophyl. in Matth. Nicephori lib. 8. Hiso *Theophyl.* riæ cap. 9. & Sozomeni lib. 1. capi. 12. *Nicephor.* *Sozomen.*

C Constat igitur beatissimum Ioannem vitæ contemplatiuæ summum apicem attigisse.

Quòd verò actiuæ vitę partem summa cum laude, ac virtutis exemplo exercuerit, *Non est.* (vt Bernardus, inquit) *Currentis linguæ volubilitate disserendum sed euangelicæ dignitatis comprobandum eloquio* In illo Bernar. enim legimus perfectissima munera vitæ actiuæ, in quibus sanctus Ioannes diuino iussu, & inspiratione se exercuit. Primo Luc. 3. enim (vt Lucas ait cap. 3. *Factum est super eum verbum Domini, & venit in omnem regionem Iordanis prędicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Et vt Patres animaduertunt, illi singulariter datum est, vt primus omnium regnum Cęlorum clare, ac distincte hominibus annuntiaret. Deinde missus est ad baptizandos homines, eos

quead

que ad Christi baptisma preparandos, & (quòd maximè dignitatis indicium est,) ipsius met Christi baptizator efficitur, dicente Christo: *Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* Tertio, Christo testimonium perhibet, eumque præsentem demonstrat, dicens. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Deniq; summa animi constantia, veritatē docens: vitia, ac hominum peccata reprehendit, & vsq; ad mortem, quam pro tuenda veritate sustinuit, in hoc admirabilis vitæ genere perseuerauit. Cōcludamus igitur cū Ambros. præfat. in Lucam Ioannem Baptistam humilitate, abstinentia, fide vestimento, cibo, nuntio ad summum quendam sanctitatis gradum peruenisse.

Matt. 3.

Ambros.

SECTIO IIII.

Vtrum Ioannes malo culpæ, & defectibus, qui ex illo fluunt, subiectus fuerit.

TRia sunt culparum genera, originale, mortale, ac veniale, defectusque duo, qui ex illis nascuntur, ignorātia, & fomes peccati, de quibus in præsenti quæstione aliquid desiderari potest. Nā de cæteris malis pœnæ, quæ licet ex peccato oriantur; per se tamen nec in decētia sunt, nec inter maxima mala annumerantur (vt sunt mors, dolor, & huiusmodi) nihil est, quod dicamus, cum ex Euangelio cōstet Ioannem his incommodis fuisse subiectum, & ad illius profectum, maximumq; bonum pertinuerit ea pati, ac propter Deum ac virtutem constanter sustinere. Primò igitur certum sit Ioannem in peccato originali fuisse conceptum, & vsq; ad sextum â conceptione sua mensem in culpa, ac Dei inimicitia extitisse. Hoc existimo esse omnino certum. Licet enim in scriptura nō sit in particulari expressum, & explicatum, cōtinetur tamen illis regulis generalibus, quibus significatur omnes homines, qui ex Adamo per seminalem rationem originem ducunt, originalem ab eo maculā contrahere. Constat autē ex Luc. 1. Ioannem hoc naturali modo fuisse conceptū. Quòd autem ab illa generali regula non fuerit speciali priuilegio exēptus, totius Ecclesiæ consensu, & Sanctorum Patrū traditione constat, & insinuatum est ab Angelo Luc. 1. *Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* Sensus enim esse videtur, quanuis non in ipso conceptionis momento: adhuc tamen in matris vtero existentem eximio quodā fuisse sanctificationis genere sanctificandum. Vnde inferius subditur cum post sex menses à conceptione Ioannis, audiisset vocem Mariæ Elisabeth, Ioannem in vtero exultasse, & repletam esse Spiritu sancto Elisabeth. Vbi Patres omnes in superioribus citati intelligunt, tunc primū Ioannem sanctificatum, & originale peccatū illi fuisse dimissum. Ratio verò, præter communem legem solum est, quia non oportuit priuilegium hoc alteri, quàm Deiparę communicari, neque ad munus præcursoris necessarium erat.

Luc. 1.

Ioannes in originali peccato cōceptus.

Luc. 1.

Secūdo ex hoc principio colligo Ioānem Baptistam fuisse subiectum fomiti, & effrenatis motibus sentientis appetitus, quibus *sentiebat aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suę, & captiuum ipsum ducentem in legem peccati.* Hæc assertio eisdem modis, quibus præcedens probanda est. Nam hic fomes intrinsicè sequitur ex originali culpa, atque carentia originalis iustitiæ: huiusmodi autem fomes secundum ordinariam legem nō tollitur, quando originale peccatum remittitur, vt in baptismo constat, & experientia ipsa satis ostendit, & colligitur ex iis, quę Concil. Trident. tradit Sess. 5. can. 5. & August. 1. retract. cap. 26. & sæpe aliàs: ergo, quanuis Ioanni fuerit remissa originalis macula; nihilominus in illo fomes permansit. Quia nullum est fundamentū quo illum hac in parte à generali regula excipiamus, & singulare ei priuilegium fuisse cōcessum affirmemus: cùm nec ex scriptura sacra colligi possit, neque ab aliquo sanctorum Patrū asseratur: imò neque in dubium reuocetur. Quin potius omnibus in locis supra citatis (in quibus de pœnitentia Ioannis disputant) apertè supponunt eum passum esse carnis pugnam, & contradictionem, & ad eam moderandam, ac superandam, ieiuniis, vigiliis, ac diuturna carnis maceratione indiguisse. Denique neque ex munere præcursoris, vel ex alia Ioannis dignitate, probabilis coniectura fieri potest, vt fomite caruisse dicatur. Neque enim Paulus, postquam à Deo vocatus, & gentiū Apostolus effectus est, inferior fuit dignitate, & officio, neq; charitate in Christum,

Ioānes Baptista fomiti peccati subiectus.

Con. Trid. Augusti.

tum, neque diuina cõtemplatione, & tamen interdum vehemẽtibus fomitis motibus premebatur. Quin potius (si occasiones, aut ministerij necessitatem spectemus) multò magis indigebant hoc dono Apostoli, quàm Ioannes, hic enim fere solitariam vitã egit, ita vt etiam eo tẽpore, quo concionabatur, & baptizabat, in desertis versaretur; Apostoli verò per vniuersum orbem peregrinabantur, varias prouincias peragrando. Vnde necesse erat inter homines, hoc est, inter occasiones, & pericula sæpè versari, & nihilominus tali dono caruerũt, & cuidam eorum (vt de omnibus intelligatur) dictum est, *Sufficit tibi gratia mea, virtus in infirmitate perficitur.* Idem ergo eadem, vel maiori ratione de Ioanne intelligendum est. Contra hoc verò obiici potest Origen. hom. 9. in Leuit. dicens, zonam pelliceam circa lumbos Ioannis significasse partem illam corporis eius, ita emortuam, vt neq; leuis motus, neque alius quisquan in lumbis eius fuisse credatur; sed sola castitas, & pura pudicitia. Respon. idem de Ieremia affirmat, vnde sano modo intelligendus est de motu voluntario, aut quòd rarissimè, & leuius, quã ceteri homines hos motus passus fuerit.

Obiectio. *Origen.* *Responsio*

Tertiò, ex his probabilius colligo, Ioãnem Baptistam non caruisse omni culpa veniali. Hæc consequutio nititur doctrina Augustini lib. 5. contra Iulian. capit. nono, vbi existimat rectè inferri eum, qui caruit actuali culpa, carere etiam originali, ergo si Ioannes habuit originale, habuit etiam actuale. Vnde idem Augustinus libro de natura, & gratia, capitulo. 36. cùm ostendisset in vniuersum omnes homines concluso esse sub peccato tam originali, quàm actuali, solam Beatã Virginem excepit, de qua nullam vult, cum de peccatis agitur, haberi controuersiam. Quæ exceptio satis indicat ex sententia Augustini neminem alium esse excipiendum & merito. Sunt enim in scriptura generales regulæ *neminem esse, qui non peccet, si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus,* Propter quas Augustin. libr. de bono perseuerant. capitulo. 2. inter tria dogmata, quæ dicit Ecclesiam aduersus Pelagianos defendere. *Vnum est, in quantacunque iustitia, sine qualibuscunque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem viuere.* Et in eã sententiam refert Cyprian. in expositione orationis dominicę. Qui libro de opere, & eleemosynis ita loquitur, *Agnoscamus diuinæ indulgentiæ munus salubre, & emendãdis, purgandisque peccatis nostris, qui sine aliquo conscientiæ vulnere esse non possumus, insistamus.* Et infra, *Si autem nemo sine peccato esse potest, quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus, aut stultus est.* Similia habet, libr. 3. ad Quirinum, num. 56. Et eadẽ generalis locutio passim in Patribus reperietur, præsertim apud Hieronymum in dialogis contra Pelagianos, Gregor. lib. 17. Moral. cap. 10. aliás. 8. & libr. 18. cap. 5. aliàs. 4. vbi quædam dicit esse peccata, quæ à iustis vitari possunt, quædam, quę non possunt, & lib. 32. cap. 4. alias. 2. & Ber. lib. de præcepto, & dispensatione, vbi absolute dicit esse impossibile cuiuis mortalium, quin inter dum saltem venialiter peccet. Nõ est ergo, cur ab hac generali regula Ioannem Baptistã sine alia autoritate, aut rationis fundamento excipiamus. Addo Apostolos etiã post Apostolatũ, & confirmationem in gratia, ac plenitudinem Spiritus sancti, interdum venialiter deliquisse: Paulus enim ad Galat. 2. affirmat Petrum reprehensibilẽ fuisse. Dixi tamen assertionem hanc solum esse probabiliorem, quia non defuerunt Catholici quidã, qui hoc priuilegium Ioanni tribuerint, vt Galatin. lib. 7. de Arcanis, cap. 9. & Catharinus opusc. 2. de eximia Christi prædestinatione, quoniã de illo canit ecclesia.

Hieron. *Greg.* *Bernar.* *Galat. 2.* *Galatin.* *Catharin.*

Antra deserti teneris sub annis.
Ciuium turmas fugiens petisti,
Ne leui saltem maculare vitam.
Famine posses. Et rursus
O nimis fœlix, meritiq; celsi
Nescies labem niuei pudoris.

Quibus adiungi possunt nonnulla Patrum testimonia, quæ in assertione sequẽti declarabimus. Propter quæ horum autorum sententia nulla censura digna est, vt notauit Driedo. libr. 1. de grat. & lib. arbit. cap. 5. part. 2. Præsertim cum D. August. qui constantius, ac frequentius docet, nullum hominem posse vitare omnia peccata, interdum dicat, *Si quis doceat aliquem fuisse, qui non ex viribus liberi arbitrii, sed singulari gratiæ priuilegio illa vitauerit, nec temere, nec pernicioſe errare,* vt videre licet lib. de spiritu, & litera, capit. 2. & Epist.

Cyprian. *Dried.* *Aug.*

& epist.95. quâ ipse cũ aliis quatuor Epis copis Africanis ad Innocentium.1. scripse runt. Vnde Concil. Trident. sess.6.can.23. negat quidẽ, posse hominem sine speciali, priuilegio viuere absq; peccato veniali, & affirmat hoc priuilegium datum esse beatę Virgini. An verò alteri concessum fuerit, nec affirmat, nec negat. Est ergo res hæc, quæ sub opinionẽ cadere potest: tamen quia nullum est sufficiens fundamentũ ad hoc priuilegium asserendum, & generales regulę sunt in contrariũ, ideó assertionem positam longè probabiliorem iudicamus. Prædicta autem Ecclesiæ verba ita exponi possunt, quôd priorũ sensus sit, Ioannem fugisse hominũ consortia, vt (quoad fieri posset) venialia peccata vitaret, & ne sermone offenderet, quod frequentissimum est: non tamen inde fit assequutum fuisse, ne vnquam venialiter caderet. In posterioribus autem verbis, nomine *labis* intelligi potest mortalis culpa, præsertim castitati opposita, propter cuius insignem perfectionẽ meritò appellari potest *niuei pudoris*. Addere deniq; possumus duplex esse genus venialium peccatorũ, aliud, quod plena libertate, & deliberatione cõmittitur: aliud, quod ex surreptione cõtrahitur. De hoc posteriori genere euidentior est assertio posita, quia vix, & nõ sine magno miraculo fieri potest, vt homo, qui in ordinationi fomitis subditus est, interdum hoc peccati genere non inficiatur. At verò de priori genere peccati non est improbabile, Ioannem nunquam venialiter peccasse, & ita exponi posse prædictum Ecclesiæ hymnum. Nec de Apostolis post Spiritus sancti aduentũ, id est incredibile, quia hoc genus peccati, in modo peccandi, simile est mortali: solumque in grauitate, & materia differt. Sed in hac re nihil certi statuendũ censeo.

Con.Trid.

Quarto dicendũ est, Ioannem Baptistam nunquam mortaliter peccasse, atq; adeò in prima sua sanctificatione confirmatum in gratia fuisse. Hãc assertionem existimo ita certam, vt sine magna temeritate, ac errore negari nõ possit. Probari primum: potest ex verbis Angeli ad Zachariam, *Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ*. Luc. 1. In quo testimonio ponderandũ in primis est aduerbiũ illud, *adhuc*, & illa prępositio, *ex*. Nã vis illorum verborum est, non solum replendum fuisse in vtero Spiritu sancto, sed ex vtero, quia ex eo tempore deinceps semper futurus erat Spiritu sancto repletus, Quod rectè perpendit Iansenius c.2. Concordię. Deinde verbũ ipsum *replebitur Spiritu sancto*, perfectã quandam sanctificationẽ, firmam, ac stabilẽ indicat. Quòd si antecedentia, & subsequẽtia verba ponderẽtur, hoc plutimũ confirmabũt. Præmisit enim Angelus. *Erit magnus corã Domino, & vinum, & siceram non bibet*: quibus verbis indicauit fore perpetuô conse crandũ diuino obsequio, & postea subiungit. *Et multos filios Israel conuertet ad Dominũ Deum ipsorum, & ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute* Elię. Ac denique in fine capitis concluditur. *Puer autẽ crescebat, & confortabatur spiritu*: nunquam ergo amisit Spiritũ sanctum, quẽ in prima sanctificatione recepit, sed in illo semper creuit. Et hoc etiã maximè confirmant omnia, quæ de eius prædicatione, & vita narrat idem Luc.c.3. Matth.c.3. & 11. Propter quæ dixit Greg. Nyss. lib.6. de beatitudinib. in.3. *Quod paruum, aut magnũ in vita illorum* (agit enim etiã de Elia) *historia nouit delictũ?* Quę verba, & alia, quæ ibidem adiungit, iuxta hanc assertionẽ temperãda sunt. Secũdo, vniuersa Ecclesia, & Patres omnes hoc modo scripturam intelligentes, ita planè sentiunt de innocẽtia, & prima sanctificatione Ioannis. Etenim nisi Ecclesia sentiret Ioannẽ ab eo tẽpore perpetuó fuisse sanctum, Deiq; amicũ, nunquã natiuitatem eius tanta veneratione coleret. Vnde Ambros. lib.2. in Lucã, dicit. *Ioannẽ cepisse a mẽsura perfectæ ætatis plenitudinis Christi*. Clarius Athanas. sermo.4. contra Arianos ad mediũ dicit, *quosdam fuisse puros omni crimine, siquidẽ Ieremias ex vtero sanctificatus, & Ioannes dum adhuc a grauida matre gestaretur exultauit in gaudio ad vocẽ Deiparę Virginis*. Quibus verbis aliã egregiam coniecturam indicat: valde enim verisimile est non fuisse Deũ largiturũ alicui tã singulare, ac miraculosum sanctificationis modũ, quem permissurus esset in grauia peccata labi, ac tãto beneficio priuari. Qua propter Beda serm. in vigil Ioan. Baptist. sic colligit. *Quid viuenti, & conuersanti inter homines poterat deesse virtutis, qui etsi vt homo in iniquitatibus conceptus est, contra morem tamen humanę conditionis non in dilectis eum præuaricationis:*

Ioannes Baptista ab vtero matris confirmatus in gratia.

Luc.1.

Iansen.

Luc.3. Mat.3.& 11.

Gre.Nyss.

Ambros.

Athanas.

tionis: sed in gratia remissionis mater tua peperit. Neque enim dubitandum est, quin Spiritus sanctus, qui eum repleuit, etiam peccatis omnibus absoluit. Vbi *absoluere* apertè vocat, præuenire, ne in ea laberetur. Hinc etiã Cypria. libro.1.epist.6.aliàs epist.76.inquit, vt certum esset, Ioannem, quando baptizauit Christum, habuisse Spiritum sanctum, accepisse illum, adhuc in vtero matris constitutum. Quæ collectio nullius esset momenti, nisi Cyprianus vt manifestum supponeret, non potuisse Ioannem Spiritum sanctum amittere, à quo tam maturè fuerat præuentus. Præterea Greg.libro.3.Moral.cap.5.de carcere, & morte Ioannis sermonem habens, *Nunquid credimus*, inquit, *aliquid fuisse, quod in eius vita illa sic despecta mors tergeret? Sed quando ille, vel in cibo peccauit, qui locustas solummodo, & mel silueſtre edit? quid* Deo, *vel de qualitate sui tegminis deliquit, qui camelorum pilis corpus operuit? quid de conuersatione sua offendere potuit, qui de eremo non recessit?* Apertius loquitur Beda, homil.de Decollatione Ioan.Bap.dicens. *Quis nostrum dicere audeat B.Ioannem actu, vel dicto, vel habitu, vel motu peccasse? Quis in eius præcordiis peccato poterat esse locus, quem & ante natiuitatem Spiritus sancti consecrauit aduentus?* Quæ verba tam generalia sunt, vt peccatum etiam veniale excludere videantur; sed temperanda sunt, vt solum de mortalibus, quæ simpliciter peccata sunt, intelligantur. Et eodẽ modo exponendus est Euseb.Emisen.sermo.1.de Ioanne Bapt. cùm in hæc verba loquitur, *Sicut vas plenũ balsamo admixtionem liquoris alterius respuit, & penitus excludit, ita in eum nihil sæcularis maculæ introire poterat, in quo sanctificationis plenitudo regnabat.* Deinde hoc confirmari potest ex supra citatis Sãctorum testimoniis, in quibus agentes de acerbissima Ioannis pœnitentia, ex eo potissimum capite illam exaggerant, q̃ cùm esset à peccato immunis, tam asperam vitæ rationem amplexus sit. In cuius rei confirmationem egregia sunt Bernardi verba, sermon. in Natiuita. Bapt. *Ioannes sanctus homo missus a Deo, imo Angelus Dei, quo nullus maior in natis mulierum, innocentissimum illud corpus sic castigat, sic affligit.* Denique afferri possunt adhoc ostendendum varia epitheta, quibus Sancti Patres Ioannem ornant, dum illum vocant *virtutis scholam, magis-*

Cypria.

Gre.Mag.

Ioãnes baptista culpæ mortalis expers.

Beda.

Euſ.Emiſ.

Bernar.

teriũ vitæ, sanctitatis formam, normam iustitiæ, orbis exemplum, correctionem Iudæorum. Quę omnia, & similia videri possunt in Aug. sermon.22.de Sanctis, Petro Chrysologo sermon.127.Bernard.serm.de Excellent.Ioannis, & Andrea Ierosolymitano de amputatione capitis Ioannis Bap. & Isidor.libr.de vita, & morte Sanctorum, cap.67. Sed in illis omnibus titulis, & nominibus, vel supponitur, vel apertè continetur Ioannis innocẽtia, simulque indicatur multiplex ratio, propter quã expediens fuit, vt hoc donum Christus suo præcursori, testi, ac eximio concionatori cõcederet, quem ad corripiẽdos Iudæos, ac iustitiæ parandam viam præmittebat. Sit ergo cõstans, atque certissimum, Ioãnem à prima sanctificatione fuisse in gratia cõfirmatum. In qua re, nec dissentiẽtem aliquem catholicum, nec difficultatẽ ex scriptura, aut ex rationibus desumptã inuenio. Quid verò hereticorum ineptiis respondendum sit, post sequẽtem assertionem subiiciemus.

Augustin. Chrysolo. Bernar. And.Iero. Isidor.

Quinto igitur, quod ad ignorãtiam pertinet, quãuis negandum non sit Ioannem multa ignorasse, & vt hominem interdum decipi: aut errare potuisse; tamen in rebus ad bonum animæ pertinẽtibus, certum est nihil ignorasse, quod ad perfectionem sanctitatis necessariũ sit. Prior pars cõstat primo ex ipsa naturali hominis cõditione, & imbecillitate. Deinde ex radice originalis peccati. Tertio, quia si Ioãnes fuit subiectus fomiti, cur nõ etiam ignorantię, ac humanæ deceptioni? Denique quia nullo probabili fundamẽto affirmari potest datum esse Ioanni peculiare aliquod priuilegium, quo hæc imperfectio tolleretur, cùm nonnulli dubitẽt, an id ipsi Deiparæ sit datum. Occurrebat verò hoc loco statim inquirẽdum, quarum rerum scientiam Ioãnes habuerit, & vtrum aliqua vel per se, vel per accidens infusa, illi data fuerit; sed non existimo oportere de re prorsus incerta prolixius disputare. Præsertim cùm nihil aliud probabiliter dici possit, neque amplius necessarium sit, quàm quod in posteriori parte assertionis continetur, quæ ex dictis in hac, & præcedenti Sectione probata relinquitur. Ostendimus enim Ioannem ab initio suæ sanctificationis perfectam quandam gratiam, & perfecto modo, ideſt, cum Dei, & Christi cog-

Ioannes qualem habuerit scientiam.

nitione,amore,& exultatione ſuſcepiſſe, atque in ea indies ſingulos debita proportione creſcendo, ad ſanctitatis faſtigium tãdem peruenisſe,ergo neceſſe eſt, vt ſemper habuerit ſpiritualium,ac diuinarum rerum cognitionem huic perfectioni ſanctitatis accommodatam. Deinde Ioannes Propheta fuit, & pluſquã propheta miſſus a Deo,vt de Chriſto teſtimonium perhiberet, ergò habuit quidquid neceſſarium eſt, vt aliquis teſtis fide dignus habeatur; ad hoc autem non tãtũ innocentia,& vitæ probitas,ſed etiã ſcientia earum rerum neceſſaria eſt, quarum ferendum eſt teſtimonium, ergo cũ B.Ioannes de Chriſto, de Regno Cœlorum, de Spirituſanĉti gratia in homines effundenda teſtimonium eſſet redditurus, & rectas ad Deum vias oſtenſurus, oportuit de his omnibus perfectam habuiſſe notitiam. Quod refellendo hęreticorum errores amplius confirmabimus.

Hæreticorũ errores circa ſanctitatem Ioannis.

Contra doctrinam enim in hac,& præcedenti aſſertione contentam Brentius, & alij hæretici huius temporis(vt Caniſius refert lib.de ſanct.Ioan.capit.9.) varia mendacia ex falſa ſacrarum literarum intelligentia, confingunt. Primo enim docent,imprudenter egiſſe Ioannem, ac grauiter peccaſſe,quando Chriſtum recuſauit baptizare,dicens, *Ego a te debeo baptizari,& tu venis ad me?* Matth. 3. Quia eo facto iudicium, conſiliumq; ſuum iudicio,& conſilio Chriſti videtur prætuliſſe. Secundo,ex verbo illo, *Et ego neſciebã eum.* Ioan.1.Colligunt ante baptiſmũ habuiſſe Ioannem ſolum humanam quandam opinionem de Chriſto,donec in baptiſmo aſſequutus fuit perfectam cognitionem per diuinam reuelationem. Tertiò, hic referri poteſt antiqua ſententia quorundam,qui dixerunt etiam poſt baptiſmum dubitaſſe Ioannem, an Ieſus eſſet Meſsias promiſſus, quando in vinculis conſtitutus miſit ad illum diſcipulos, qui eum interrogarent, *Tu es, qui venturus es,an alium expectamus?* Matth.11. & Luc. 7. Ita ſentit Tertullia, lib.de præſcriptionib.Hęret.cap.8.his verbis.*Cum adhuc dubitaretur apud omnes,an eſſet Chriſtus,cũ etiam Ioannes certus eſſe deſiiſſet,* & lib.de baptiſ. cap.10. *Ipſum, quod cæleſte donum in Ioanne fuerat ſpiritus prophetix,poſt totius ſpiritus in Dominum translationem,vſque adeo defecit, vt*

Caniſ, Matth.3. Ioan.1.

Matth.11. Luc.7. Tertullia.

A *quem prædicauerat,quem aduenientem deſignauerat,poſtmodum an ipſe eſſet,miſſerit ſciſcitatum:* Idem repetit lib.4.contra Marc.cap. 18. vbi inquit Ioannem auditis virtutibus Chriſti ſcandalum paſſum fuiſſe, & ideò dubitaſſe, an Chriſtus eſſet, qui expectabatur,& cauſa Ioannis Chriſtum dixiſſe, *Beatus, qui non fuerit ſcandalizatus in me.* Quem errorem de Ioannis ſcandalo fuiſſe Martionis colligitur ex Epiphanio hæres.42.confutat. 8. vbi dicit, verba illa, *Beatus, qui non fuerit ſcandalizatus in me,* Marcionem ad Ioannem retuliſſe. Quin etiam Iuſtinus martyr.q.38. d Orthodoxos ſignificat Ioannem hanc interrogationem per diſcipulos feciſſe, vt diſceret:& Chriſtum miracula coram diſcipulis Ioannis feciſſe, vt & illis, & per illos Ioanni perſuaderet, ſe eſſe eum, de B quo idem Ioannes teſtatus fuerat.

Epiphan. Iuſtinus.

Ad primam objectionem facilis eſt reſponſio. Patres enim omnes factum illud Ioannis explicantes,illius fidem, humilitatem,modeſtiam,ac moderationem maximè cõmendant. Inter peccatores enim Dominum, ac Redemptorem ſuum agnouit,& quaſi ſtupore quodam in admirationem raptus expauit,eumq; attingere, & vt peccatorem baptizare veritus eſt. Vt tamen Chryſoſtom.notat,nec pertinax fuit, nec contentioſus: ſed Chriſto præcipienti ſtatim obſequutus eſt. Ita exponunt Ambr.lib.2.in Lucam, Chryſoſt.hom. 12. in Matth. Cyprian. lib.de Cardinalib.Chriſti operibus,cap.de bap C tiſ.Chriſti,Auguſ.ſerm.29.& 37.de tempore, & alij Patres, quorum teſtimonia, & ſententias Caniſius refert loco ſuperius citato.

Chriſoſt. Ambroſ. Cyprian. Auguſt. Caniſius.

Ad ſecundam objectionem. Occaſio errandi hæreticis fuit, quòd de tota infantia, & de Ioannis educatione ſiniſtrè, & cõtra Euangelicã hiſtoriam ſentiunt. Putant enim in domo parentum vixiſſe, & cum Chriſto domino omni tempore ætatis ſuæ familiariter, & amicè conuerſatum eſſe. Vnde fit, vt nõ potuerint interpretari verba illa. *Et ego neſciebam eum* quòd Chriſtus de facie ignotus fuerit Ioãni, & ideò exponunt de ignorantia perſonæ, quod ſcilicet eius diuinitatem, & dignitatem certa fide,ac reuelatione nõdum agnoſceret. At verò ſancti Patres ſi cut aliter de Ioanne ſentiunt, ita longè

Ioannes ab vtero matris Chriſtum verum Deum, & Meſsiã eſſe cognouit.

aliter

aliter locum hunc interpretantur. In primis enim docent, Ioannem à viſceribus matris Chriſtum verum Deum eſſe, verumque Meſsiam cognouiſſe. Ita docent Ambroſ. & alij multi, quos retulimus agentes de prima ſanctificatione Ioannis, & de vſu rationis illi accelerato. Docent præterea reliquo vitæ tempore vſque ad baptiſma ſolitariam vitam egiſſe, & Spiritusſancti inſtinctu, ac illuſtratione magis, ac magis edoctum eſſe, vt præcedenti ſectione retulimus. Et ita cõciliari poſſunt Hilarius, & Bernardus. Ille enim libr. 6. de Trinitate verſus medium tractans verbum illud Patris, *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene compla cui. Hoc*, inquit, *Ioannes licet non ignarus audiuit; tamen ad doctrinam noſtram paternæ vocis teſtimonium mittitur*, & infra, *Ioannes enim iam ab vtero prophetãs nõ eguit hac voce. Hũc audite*. At verò Bernard. in ſerm. de excellentia Ioannis inter eius priuilegia ponit, quòd illi in baptiſmate prima facta ſit Trinitatis reuelatio. Intelligendum enim hoc eſt de reuelatione externa clariori, & expreſsiori, quàm antea facta eſſet alicui. Etenim ſi loquamur abſolutè de quacumque reuelatione, neque ipſi Ioanni tunc primùm facta eſt, cùm prius Chriſtum filium Dei eſſe, eumq; in Spirituſancto baptizaturũ cognouiſſet, neque ipſe Ioannes fuit primus, cui Trinitas reuelata eſt.

Ex his ergo principijs neceſſario colligunt Patres, cùm dixit Ioannes, *Et ego neſciebam eum*, non ignoraſſe, eum eſſe verum Meſsiam, verumque Deum, quanquam in illo verbo exponẽdo varij ſint, vt latè tractat, ac diligenter Franciſcus Toletus capit. 1. Ioan. annotat. 72. & Iãſen. capit. 14. Vera tamen expoſitio eſt, Ioannem quandiu in deſerto fuit, de facie Chriſtum ignoraſſe, quia nunquam cum illo conuerſatus fuerat, neque familiariter egerat, quod non abſque diuina prouidentia factum eſt, vt teſtimonium eius de Chriſto apud homines, omni ſuſpicione careret. De illo ergo tempore dixit Ioannes, *& ego neſciebam eum*, & ideò ſubdidit. *Sed qui miſit me baptizare, ille mihi dixit, ſuper quem videris Spiritumſanctum deſcendentem, & manentem, ille eſt, qui baptizat in Spirituſancto*. Hæc expoſitio colligitur ex Chryſoſtomo. Theophyl. Ruperto. Euthymio, & alijs.

Solum poteſt obſtare, quia priuſquam Ioannes vidiſſet Spiritumſanctũ in ſpecie columbæ deſcẽdentem in Chriſtum, eum agnouerat, eique teſtimoniũ reddiderat dicens, *Ecce agnus Dei*, nam illa viſibilis oſtenſio facta eſt poſt baptiſmum Chriſti; Ioannes verò ante baptiſmum protulit illa verba, cùm videret Ieſum venientem ad ſe, & poſtea timuit illum baptizare propter reuerentiam, & humilitatem. Reſponſio communis ex Chryſoſt. Eutym. & alijs ſuper. 1. caput. Ioannis eſt, Ioannem non vno modo cognouiſſe Chriſtum, ſed prius prophetice, & interiori reuelatione, poſtea externa, & ſignum datum Ioanni illis verbis. *Super quem videris Spiritumſanctum deſcendentem, & manentem*, non fuiſſe ſolum ad ipſius cognitionem, ideſt, vt ipſe in particulari Chriſtum agnoſceret, ſed vt agnoſceret ad teſtimonium de eo reddendum, & populo manifeſtandum, vt etiam ſignificauit ipſe Ioannes dicens ſtatim poſt illa verba, *Et ego vidi, & teſtimonium perhibuit, quia hic eſt filius Dei*. Ita reſpondet Ianſen. capit. 14. & 16. concord. Addendum verò eſt in obiectione facta aliquid aſſumi incertum, ſcilicet id, quod narrat Ioannes capitite. 1. *Altero die vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe, &c*, contigiſſe ante Chriſtum baptizatum. Quanquam enim interdum hoc indicet Grego. homi. 6. in Euange. & hom. 1. in Ezech. probabilius tamen eſt, poſtea contigiſſe. Nam ſtatim ſubditur, & teſtimonium perhibuit Ioannes dicens, *Quia vidi Spiritumſanctum quaſi columbam deſcendentem*. Quod conſtat in Chriſti baptiſmate factum eſſe, igitur ex hac parte obiectio nullam difficultatẽ habet. Quomodo aũt Ioannes cognouerit Chriſtum accedentem ad baptiſmum, prius quàm columba ſuper eum apparuiſſet: dici poteſt, ante publicam oſtenſionem colũbæ, Ioannem vidiſſe deſcendentem ipſam columbã & manentem ſuper Chriſtum, quia non ſine cauſa ſingulariter illi dictum fuit, *Super quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem*, ſed hoc non ſatis quadrat contextui Matth. & aliorum Euangel. vt latius dicemus Diſputat ſequẽti. Addi ergo poteſt communi reſponſioni ſupra poſitæ, Ioannem habuiſſe eo tem-

Ambroſ. *Hilar.* *Bernar.* *Ioannes de facie Chriſtum ignorabat.* *Franciſcus Tolet.* *Ianſen.* *Chry.* *Theophyl.* *Ruper.* *Euth. Obiectio.* *Reſponſio Chryſoſto. Euthym.* *Ianſen. Ioann. 1. Gre.*

pore reuelationē de Christo, & per eam illum cognouisse, quem antea non agnouerat; tamen hanc reuelationem prius incepisse interius, ac tandem consummatam esse in illo externo signo columbæ descendentis, & vocis Patris personantis, ac tunc fuisse reuelationem perfectam, & aptam non solum ad priuatam Ioannis cognitionem; sed etiam ad reddendum publicum de Christo testimonium, & ideò merito dixisse Ioannem illud signum sibi esse datum, quo Christum cognosceret, & agnitum demonstraret, ac de illo testimonium præberet. A

Ad tertiam objectionē dicitur, Ioannem non misisse discipulos ad Christum eo, quòd dubitaret eum esse verum Messiam redemptorem mundi; sed potius, vt ipsi dicipuli, & occasione interrogationis eorum, reliqua plebs, visis miris operibus Christi, eiusque verbis auditis, magis in fide eius confirmarentur. Vnde eleganter Hieronymus. epist. 151. ad Algasiam. q. 1. *Ioannes mittebat discipulos suos in vinculis constitutus, vt sibi quærens illis disceret, & capite truncandus illum doceret esse sectandum, quem interrogatione sua magistrum omnium fatebatur. Neque enim poterat ignorare, quem ignorantibus antea monstrauerat, de quo Patrem intonantem audierat. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Et hæc est sine dubio literalis expositio illius interrogationis. Subjungit verò statim Hieronym. aliam his verbis. *Quod autem dicit. Tues, qui venturus es? hunc quoque sensum habere potest. Scio, quod ipse sis, qui tollere venisti peccata mundi. Sed quia ad inferos descensurus sum, etiam interrogo, vtrum & illuc ipse descendas, vt qui te in terris hominibus nuntiaui, etiam inferis nuntiem, si forte venturus es?* Quam posteriorem expositionem sequutus est Gregor. homil. 6. in Euang. & 1. in Ezech. & illam post priorem subjunxit Beda lib. 3. in Lucam cap. 27. Tamen reuera potius est allegorica, quam literalis, vt patet tum ex illo verbo, *Qui venturus es*, nam absolutè dictum significat venturum in hunc mundum, non in infernum, præsertim cùm tunc Ioannes in mundo esset, & nondum ad sinum Abrahæ descendisset. Tum ex illo verbo, *alium expectamus*. Planè enim loquutus est de Messia expectato à Iudæis, nam quod descensurus esset in infernum neque omnibus erat notum, neq; ita expectatum. Tum deniq; ex responsione Christi, in qua solum ostendit se esse Christum, & per eū impleri signa Messiæ à Prophetis prædicta; de descensu autem ad inferos nihil respondit. Addo interrogationem illam in hoc sensu vix fuisse vtilem futuram, quia quod Christus iam veniisset, verisimile est, iam tum fuisse notum Patribus in limbo existentibus, vel per diuinam reuelationem, vel certè testimonio iustorū, qui post Christum natum illuc descenderant, Simeonis, Iosephi, & aliorum, & non erat, cur Ioannes dubitaret, quin descendens in limbū hoc ipsum testificari posset. Quòd verò Christus descensurus esset in infernum si Ioannes antea ignorabat, certè ex illa interrogatione, & responsione addiscere non poterat. Verisimilius autem est, mysterium illud & ipsi Ioanni, & veteribus iustis fuisse ex antiquis prophetijs notum. Licet enim de illo mysterio non sint admodum frequentes, nec sine obscuritate; tamen à sapientibus prophetis, & à Ioanne, qui plusquam propheta erat, non ignorabantur. B

Ioannes ad Christū discipulos cur miserit cū legatione. Hieron.

Gre. Beda.

Et propter easdem rationes mihi etiam non placet alia expositiò, quam in commentarijs super Matth. adjungit Hiero. his verbis, *An non conueniat filio Dei, vt gustet mortem, & alium ad hæc sacramenta missurus es?* Quomodo enim dubitare potuit Ioannes Christum fuisse moriturum pro hominibus, quem mundi redemptorem esse credebat? Aut quomodo scisciari poterat, an alterius mors ad hæc sacramenta perficienda futura erat sufficiens? Adhęc in scripturis, præsertim Isaiæ, clarissimè erat prædictum, Messiam moriturum esse pro hominibus, quis autem existimet Ioannem, aut non legisse Isaiam, aut legendo non intellixisse? Denique veteres Patres animaduertunt, Ioannē demonstrasse Christum sub metaphora agni, vt indicaret illum per mortem fuisse offerē dum in sacrificium pro peccatis hominū. Sola ergo prima expositio vera est, & literalis, quam elegantissimè confirmat Chry. ho. 37. in Matt. ostēdens nullomodo potuisse cadere dubitationē, vel formidinē in Ioannē, qui tot, ac tātis testimonijs C

Hieron.

Chrysosto

nijs

nijs Christū agnouerat, neq; rationē vllā habebat, quę se ad dubitandū induceret, & hom. 38. id rectè cōfirmat ex verbis, quibus cōstantiā Ioannis Christus prædicauit, *Quid existis videre? arundinem vento agitatam?* Excusat, inquit, *Ioannem ostendens nō ipsum esse mutatum a priori sua sentētia, neque esse leuem hominem, qui huc, atq; illuc iactetur; sed stabilem, atque constantem.* Nec minus eleganter Hilarius can. 11. in Matth. *Ioannes detentus carcere Dominum ignorat? & propheta tantus Deum suum nescit? atque venturum vt prætor nuntiauit, consistentem vt propheta agnouit, aduenientē vt confessor venerat est, vnde tam varie, & tam abundanti eius scientiæ error obrepsit? Sed consequens de eo Domini testimonium sentire hoc ita non sinit, neque sane credi potest Spiritus sancti gloriam in carcere posito defuisse.* Et infra. *Tali igitur Ioannes exemplo non sue, sed discipulorum ignorantiæ consulit.* Et eādem expositionem habet Ambro. lib. 5. in Lucam circa finē, Anselm. Theophyl. & Euthym. in Matt. eamque egregiè explicat Rupert. libr. 9. de gloria, & honore filij hominis in Matthæū. in principio, prius demōstrans nihil aliud interrogasse Ioannem a Christo per discipulos, nisi an esset verus Messias in lege promissus; ac deinde ostendens hoc fecisse Ioannem, vt ij discipuli ab ipsomet Christo audirent, & operibus eius comprobatum viderent, ipsum esse Christum. Addit denique Chrisost. dicta hom. 37. de hoc fuisse solicitum Ioannem, cùm esset in vinculis, & mortem sibi esse propinquam agnosceret; *Dum timeret, ne pernicioſæ materiam opinionis reliqueret, si discipuli maiorem se Christo putātes, nullo pacto illi coniungerentur, & ideo hoc modo Christo ipsos offerre curauit.* Nulla ergo in fide Ioannis dubitatio, nulla in hoc eius facto culpa fuit, nullū deniq; scanda lū passus est. Non igitur propter Ioannē dixit Christus, *Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me*; sed propter discipulos Ioannis, qui inuidiæ motibus in Christum insurgebant, & ita illius operibus scandalizabantur, vt exponit Hieronymus supra, & cæteri Patres; Addit verò Hilarius, Christum statim subjūxisse Ioannis encomium, ne existimare quisquam posset propter Ioannem illa verba dixisse. Aliter tamen Epiphan. inquit dicta hæres. 42. quoniam Christus aiebat nullum esse maiorē Ioanne inter natos mulierum, ideò dixisse beatum esse, qui in ipso non scādalizaretur, existimans Ioānem se etiam maiorem esse. Quæ tamen expositio aliquantulum videtur esse violenta, quia Christus nondum encomium illud de Ioanne protulerat, quando hanc edixit sententiam. Potius ergo accōmodanda est hæc expositio ad animum discipulorum Ioannis, qui affectu quodam humano cupiebant, Ioannem esse maiorem, & ideò in Christo scandalizabantur, cuius opinionē, & existimationē indies augeri cernebāt. Quo sanè modo expositio hæc cum superiori coincidit.

Hilar. Amb. Anselm. Theophil. Euth. Rupert. Chrysost. Hieron. Hilar. Epiphan

SECTIO. V.

Quæ gratiæ gratis datæ, & singularia priuilegia in Ioanne fuerint.

DIximus de gratia sanctificante, meritis, & innocentia sanctissimi Ioannis, & obiter fidem, & cognitionem supernaturalem eius attigimus: Ex quibus facile colligere licet, fuisse in illo omnes virtutes per se infusas, & omnia Spiritus sancti dona, hæc enim ex natura sua gratiam sanctificantem comitantur, earumq; perfectio gratię perfectioni proportionatè respondet, Reliquū ergo est, vt de gratijs gratis datis nonnulla dicamus, ac tandem singularia eius priuilegia breuiter enumeremus.

Primo igitur ex omnibus gratijs gratis datis solū videtur certum, fuisse in Ioanne gratiam prophetiæ. Pars negatiua huius assertionis ex sequentibus constabit, quia reliquæ gratiæ nulla certa autoritate ostendi possunt, quod secus est in gratia prophetiæ. De hac enim prædixit Zacharias Lucæ primo. *Et tu puer propheta altissimi vocaberis.* Et ex ipso vsu id confirmari potest, statim enim capit. 3. dicit idem Euangelista, *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto*; qui dicendi modus spiritum propheticum indicat. Vnde statim describit actum prophetandi, *Veniet fortior me, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne, cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam.* Et ad eundem spiritum prophetię spectat quod refert Ioannes capit. primo. *Qui*

Luc. 1. & 3

misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, &c. Est ergo secundum fidem certum, Ioannem fuisse verè, ac propriè prophetam. Matth.11. Quocirca, cùm Christus dixit Matth.11. *Quid existis videre? prophetam? Amen dico vobis, & plusquam prophetam*; non ita intelligendum est, ac si affirmare voluerit, Ioannem quidem esse aliquid maius propheta, & negare esse verum prophetam; sed potius quod vtrumque affirmauerit, scilicet & esse prophetam, & aliquid amplius. Et in hunc sensum exponunt locum illum sancti Patres. Vnde Hieronymus dicta epist. ad Algas. q.1. *Plus*, inquit, *quam propheta, quod ad priuilegium prophetale, etiam Baptistæ accessit præmiũ, vt Dominum suum baptizaret.* Rursus idem Hieronym. Matt.11. & super ad Ephes.3. *Plus*, inquit, *quam propheta, quod quem alij prædicauerant, ipse digito demonstrat*, vt etiam tradit Aug. lib.2. contra literas Petiliani capit.37. & tract.4. in Ioannem, & Hilarius can.11. in Matt. *Gloriam*, inquit, *omnem Ioannis Dominus ostẽdit dicens esse eum, vltra prophetam, quia soli ipsi licuerit, & prophetare Christum, & videre.* Addit præterea Hieron. ad Galat.1. in principio esse plus, quàm prophetam, *Quia non tantũ propheta, sed etiã Apostolus fuit*, Quã Apostoli dignitatẽ eidẽ Ioãni tribuunt Chrys. hom. 15. ex varijs in Matt. Damas. lib.4. de fide ca.16. Cyrill. lib.2. in Ioannẽ. cap.1. Origenes tom.32. in Ioan. circa illa verba, *Amen amen dico vobis, qui recipit eum, quem ego misero, me recipit.* Qui Patres, vt Ioannem Apostolum vocent, nituntur verbis illis Ioan.1. *Fuit homo missus a Deo*, quia *Apostolus* idem est, quòd *missus*. Vnde non loquuntur de dignitate Apostolica propriè sumpta, vt ad legem Euangelicam pertinet, & includit vniuersalem quandam potestatem, & iurisdictionem in vniuersum orbem; sed largè, vt significat Christi prædicatorẽ, ac testem speciali modo à Deo missum. Propter quòd etiam *Angelus* in scriptura dictus est, *missus ad viam Domino præparandam*, qua etiam appellatione, & munere superior cæteris prophetis fuit, vt eodẽ loco Christus significauit. Eodem modo interpretatur Ambros. 4. de fide. cap. 4. Ioannem esse plusquam prophetam, quanquam diuersam rationem adjungat, scilicet quia nondum editus prophetauit. Quam rationem habet etiam Isidor. libr. de vita, & obitu sanctorum noui testamenti, & Bernard. sermon. de natiuitat. Ioannis Bap. Deinde Chrysostom. homil.27. imperfecti eandem expositionem indicans rationem illam magis exaggerat his verbis. *Quis prophetarum cum esset propheta, prophetam facere potuit? Elias quidem vnxit Eliseum in prophetam; non tamen prophetandi gratiam illi donauit, iste autem in vtero matris existens diuini introitus scientiam matri donauit, & os illius in verbo confessionis aperuit, vt cuius non videbat personam, cognosceret dignitatem*, & infra *Statim exultans puer prophetauit non voce, sed motu.* Præter has verò addi potest alia ratio ex eodẽ Chrysostom. ibi, *Quia omnes prophetæ prophetauerunt de Christo: de illis autem non prophetatum est: ipse autem non solum prophetauit de Christo; sed etiam alij prophetę prophetauerunt de ipso.* Tandem dici potest ex Chrysostom. homil. 15. ex varijs in Matthæ. *Quia Ioannes non solum propheta fuit; sed etiam silentium prophetarum*, quoniam sicut ipse Christus ibidem dixit, *Lex, & prophetę vsque ad Ioannem.* Quæ ratio fundatur in altera supra posita, quòd Ioannes non prophetauit Christum futurum; sed præsentem monstrauit, & ideò in illo reliqui Prophetæ siluerunt. Vnde rectè Augustin. libr.17. de Ciuitat. cap.24. *Nouissimus propheta*, inquit, *fuit Ioannes, qui iuuenis iam iuuenem Christum non quidẽ futurũ prędixit, sed tũ incognitũ* (scilicet de facie) *prophetica cognitione mõstrauit, propter quod ipse Dominus ait. Lex, & prophetæ vsque ad Ioannem.* Fuit ergo Ioannes verus propheta, licet omnibus dictis modis plusquàm propheta fuerit. Et eodem sensu accipiendum est, quod de illo Christus dixit Luc.7. *Maior inter natos mulierũ propheta Ioãne Baptista nemo est.* Nã his verbis apertè affirmat, vel potius supponit, eum esse prophetam: imo & maiorẽ cæteris. Congruẽtia deniq; adjungi potest, quia hoc donũ maximè necessariũ erat Ioanni, vt fidẽ, & autoritatem testimonio suo conciliaret. Prima enim cõditio in fideli teste necessaria est certa rerum cognitio, quæ de rebus diuinis, & occultis ab homine viatore maximè per prophetiam comparatur.

Solũ potest contra hanc veritatẽ obijci eiusdem Ioannis testimonium, qui interrogatus, *Propheta es tu? respõdit. Nõ sum.*

Hieron. Ioannes quomodo plus, quam propheta. Aug. Hilar. Hieron. Chrysost. Damascen. Cyril. Origenes. Ioan.1. Ambros. Isidor. Bernard. Chrysost. Chrysosto. Ioannes sit propheta. Aug. Luc.7. Obiectio.

Ioan.

Ioan. 1. August. Ioan. 1. & difficultatem auxit interpretatio Agust. tract. 4. in Ioannem, dicentis, *Et non erat propheta Ioannes; maior erat, quã propheta.* Vbi etiam Christi testimonium supra tractatũ, aliter quã nos, interpretari videtur. Quod acutè confirmat à simili. Nam illæ interrogationes Christi. *Quid existis videre? arundinem vento agitatam? hominem mollibus vestitum?* sensum reddunt negatiuum, ergo & illa, *Quid existis videre? prophetam?* similem quoq; sortitur intelligentiam. Respõdetur primum cum Cyril. & Chrys. Orig. Theop. & Euthy. Ioã. 1. hanc interrogationem intelligi non de quocunq; propheta in communi; sed in particulari de illo, quem Moyses Deut. 18. prædixerat: Iudęi enim non intelligebãt illum prophetã futurũ esse Messiam, & ideò postquam sciscitati sunt à Ioanne, an esset Messias, Elias ve, quem ante Messiam expectabant, rursus interrogãt, an sit insignis ille propheta: & hoc sensu meritò negauit Ioannes esse se illũ prophetam, quanuis alioqui verus esset propheta. Quam expositionem tanquã improbabilem rejicit Iansenius cap. 16. concordiæ, sed excessit valde, sufficiens enim erat tantorum Patrum autoritas, vt eã faceret probabilẽ, & ratio est, quia (vt Eutym. inquit) illi aut vix, aut nullo modo dubitare poterant, quin Ioannes esset propheta, quem frequenter prophetantem audierant, igitur interrogabant de aliquo singulari propheta. Cui etiam fauet articulus Græcus, quia non propheta simpliciter, sed *ille propheta* dicitur. Secundo respõdeo cum Augustino (quem Greg. sequitur homi. 3, in Euangel.) Iudęos in communi interrogasse, an esset propheta, eos tamen de propheta aliquo ex jis, qui iam antea præcesserãt, vel certè illis simili in gratia, & munere prędicendi futura intellexisse. Et in hoc sensu negauit Ioannes se esse prophetam, nòn quòd negauerit se habere spiritum prędicẽdi futura; sed quòd negauerit hoc esse suum præcipuum munus, aut se esse ordinarium prophetã, qui quasi in obscuro, & de longinquo futura tãtum prædiceret, & non potius pręsentem demõstraret eum, in quem prophetiæ tendebãt vniuersæ, quo sensu dictum est, *Lex, & prophetę vsque ad Ioannem.* Et ad eundẽ modum intelligi rectè potest, Christum negasse Ioannem esse prophetam, quanquã iuxta sensum magis literæ consonum reuera non neget, sed affimet potius, cùm subjungat, *Etiam dico vobis plusquam prophetam.*

Responsio. Origenes. Theophyl. Euthym. Ioann. 1. Cyril, Chrysost. Origen. Theophil. Euth. Deu. 18. Iansen. Augustin. Greg. Pap.

Secundo de alia gratia gratis data, quæ ad cognitionẽ etiã pertinet, *et interpretatio sermonum dicitur*, verisimile est datam esse Ioanni, siue hæc gratia significet speciale auxilium ad scripturam sacram interpretandam, siue ad scribendum, vel loquendum more canonici scriptoris. Et quidem in priori sensu est res facilior, & magis propria. Oportebat enim tam insignem prophetam, Christi præconem, ac nuntium, eo scripturas intelligere spiritu, quo essent diuinitus conditæ. Et vt vno exemplo rem totã exponamus, quando Ioannes de se ipso interpretatus est prophetiam Isaiæ, *Vox clamantis in deserto*, sine dubio eius interpretatio infallibilem habuit autoritatem, quia non solum ex humanis conjecturis; sed ex singulari Spiritussancti instinctu orta est. Hãc ergo vocamus gratiã interpretationis sermonũ. At verò in potesteriori sensu certũ est, Ioãnem Baptistam non fuisse scriptorẽ canonicũ, atq; ita ad hoc munus non accepisse specialẽ gratiã; tamen quia verbo multa dixit, & prophetauit, quæ in Euangelio narrantur, & canonicam autoritatem habere videntur, non tantum quasi materialiter, vt ab Euangelista referũtur; sed etiã formaliter, prout ab ipso Ioanne sunt dicta, ideò quoad hæc dicimus aliquomodo hanc gratiam participasse.

Gratia interpretationis sermonum Ioanni data.

Isai. 40.

Tertio est alia gratia ad cognitionem pertinens, quæ *discretio spirituum* appellatur, quæ in vno sensu, sed in maxima sua perfectione significat diuinam quandam vim ad cognoscendas cordium cogitationes. Quo sensu probabilius existimo, Ioannem non habuisse hanc gratiã, quia qua ratione non fuit expediens vt signa, vel miracula faceret (sicut infra dicemus) eadẽ non oportuit, vt posset hominum cogitationes reuelare, quia hoc est vnum ex maximis miraculis, & quod in scriptura sacra poni solet, vt maximum diuinæ omnipotentiæ signum. Dices, potuit cognoscere, etiãsi nõ esset alijs reuelaturus. Sed cõtra, quia huiusmodi gratia nõ datur propter propriam perfectionẽ,

Gratia discernendi spiritus Ioãni quomodo data.

Obiectio. Responsio

sed ad vtilitatem aliorum, & maximè ad confirmandam fidem, quæ vtilitas non obtinetur, nisi alijs de huiusmodi gratia, seu cognitione constet. Sicut in Christo Domino videmus sæpe verbis, & factis ostendisse se cognoscere aliorum corda, & cogitationes, vt hoc modo fidem sibi conciliaret, doctrinamque suam confirmaret. Sicut ergo eò tempore cætera signa Christo reseruata sunt, & ideò *Ioannes signum fecit nullum*, ita de hac gratia videtur existimandum. Alio verò sensu significat hæc gratia speciale donum ad discernendos motus à bono, vel malo spiritu prouenientes. Et hoc sensu non dubito, quin Ioannes hanc gratiam habuerit. Maximè enim pertinet ad perfectionem spiritualis viri, & præsertim cū Ioannes fuerit publicus concionator, & doctor ad quē cōsilij causa homines cōfugiebāt, vt etiam ex euangelio colligitur, Luc. 3. vbi eum interrogabant, *Quid ergo faciemus?*

Luc. 3.

Gratia sermonis quomodo Ioanni communicata.

Quarto de gratijs pertinentibus ad sermonem, non videtur dubium, quin Ioānes habuerit gratiam fidei, sciētiæ, & sapientiæ. Quoniam hæ in tanto concionatore valde fuerunt necessariæ. Gratiā autem, seu donum linguarum probabilius videtur nō habuisse. Tum quia prædicaturus nō erat, nisi in regione Iudęorum. Tum quia hoc etiam fuisset quoddā miraculosum signum, quod non minus homines in admirationem raperet, quám cętera miracula, vt in Apostolis experiētia docuit Act. 2. ergo nec necessarium, nec conueniens fuit hoc donū communicari Ioanni.

Act. 2.

Quinto, de alijs duabus gratijs ad operationem pertinentibus expressè dicitur Ioan. 10. *Quia Ioannes quidem signum fecit nullum.* Vbi ponderanda sunt Euangelistæ verba. Non enim videtur ipse hoc affirmare, sed ex aliorum ore referre. Sic enim ait loquens de Christo, *Quærebant igitur eum apprehendere, & exiuit de manibus eorum, & abijt iterum trans Iordanem in eum locum, vbi erat Ioannes baptizans primum, & mansit illic, & multi veniebant ad eum, & dicebant, quia Ioannes quidem signum fecit nullum.* Ex quibus constat, alios hoc asseruisse, & Euangelistam solum referre, quod illi dixerunt. Vnde non videtur esse de fide, quia ipse non affirmat eos vera dixisse, neque Spiritus sancti instinctu loquutos, neq; fuisse homines singularis sāctitatis; sed de media plebe, qui nondū in Christum credebant, sed illis se se rationibus, & conjecturis, ad credendum excitabant. Nihilominus non videtur in dubium reuocandum, quin ea sententia sit vera, & certa. Tum quia licet Euangelista id non expressè affirmet; sed referat, tacitè confirmat tamen. Commemorat quippe credidisse in Christum permultos, & explicat, qua ratione fuerint ad credendū permoti, conferendo scilicet facta Ioannis cum factis Christi, & verba Ioannis, quibus testimonium Christo reddiderat, cū ijs, quæ in ipso Christo essent experti. Sicut ergo mens Euāgelistæ fuit, eos rectè feciſse credendo, ita etiam tacitè affirmauit prudenti, veraq; ratione fuisse adductos. Hoc ergo modo, & refert, & affirmat simul Ioannem signum fecisse nullum. Et ita inteilligit hunc locum Chrys. hom. 60. in Ioannem, quem Theophyla. & Euthym. imitantur, & eadem est sentētia Aug. tract. 48. Ex quo vlterius addendum est, nomine signorum comprehendi opera vtriusq; gratiæ, sic enim ait, *Nullum miraculum ostendit Ioannes, non dæmonia fugauit, non expulit febrem, non cæcos illuminauit, non mortuos fuscitauit, &c.* Et eadem est sententia aliorum expositorum, & ex ipsa voce *signi* constat. Vsurpatur enim ad significanda extraordinaria, & singularia opera, atque adeò miraculosa, quibus annumeratur sanitatū effectio, quando præter ordinem naturæ fit. Ratio autem, seu congruentia, ob quam ita diuinitus ordinatū est, redditur à D. Tho. in hac .q.ar.2.ad 2. Quia Ioan. doctrina, & operatio ad Christū ordinabatur, & ideò vt homines principaliter in Christum intenderent, & differentiā inter ipsum, & Ioannem agnoscerēt, expediens erat, vt Ioannes miracula non faceret, sed vt vitæ exēplo, & scripturę testimonio doctrinam confirmaret suam.

Ioann. 10.

Ioannes miracula non patrauit.

Chrysost. Theophyl. Euthym. Aug.

Vltimo ex dictis in hac, & præcedentibus sectionibus constat, quot, & quanta fuerint priuilegia sancti Ioannis. Omnia enim reuocari possunt vel ad gratiam santificantem, & virtutes, quę illam comitantur, vel ad gratias gratis datas, vel ad statum vitæ actiuæ, & contemplatiuę, vel ad ministerium, in quo est à Deo constitutus, de quibus omnibus in superiori-

perioribus dictum est. Quo circa nihil hoc loco addendum superest præter ea, quæ in sequenti sectione de illius gloria, & aureolis dicemus. A

SECTIO VI.

Quę sit excellentia gloriæ S. Ioannis.

HActenus diximus de donis, ac ministerijs gratiæ, quæ in hac vita Ioannes est consequutus, reliquũ est, vt de donis glorię dicamus, quod facile erit ex præcedentibus colligere, cũ gloria gratiæ, operibusque respondeat.

Gloria Ioãnis quanta. Primo igitur certum est, in essentiali gloria B. Ioannem summum quendam gradum, & excellens præmium fuisse cõsequutum. Gratia enim, & merita, quibus in hac vita Ioannes inter alios excelluit, non fuerunt inania, vel humana tãtum; sed digna singularis coronæ, ac præmij apud Deum. Vnde elegãter Bernar. dicto serm. de Excellent. S. Ioannis, *Considera*, inquit, *mansiones regni, & vniuersum ordinẽ humanæ generationis circumuola, solumque Ioannem tam veteris, quam noui testamenti Patribus videbis esse præpositum, vel æquatum.* & inferius, in Seraphinorum ordine illum constituit. *Bernard.* B

Hic verò addendum est, gloriosam B. Ioannis animam non statim, ac separata est à corpore, hanc gloriam fuisse cõsequutam. Quia (vt ex Euangel. constat), ante Christum dominum mortuus est, quo tempore ianua regni nondum erat hominibus patefacta. Vnde æquali quoque certitudine constat, fuisse Ioannem eo tempore in eo loco in quo iustorum animæ recipiebantur, eisque instantem iam iam sui exilij terminum annuntiasse. C

Dubium. Hinc verò dubitatio oritur, vtrũ Ioãnes dicendus sit ad nouum, an potius ad vetus testamentũ spectare. Videtur enim ex hoc sequi, pertinere ad testamentum vetus; tum quia in eo videntur distingui Sancti noui, ac veteris testamenti, quôd illi in termino viæ statim ad gloriam admissi sunt, si nullum habuissent personalem obicem: hi verò minimè, donec totius naturæ impedimentum auferretur. Tum etiam, quia Ioannes mortuus est, priusquam nouum testamentum esset confirmatum, sanguine enim, & morte Christi (vt Paulus inquit) confirmatum est. Tum denique, quia vetus testamentum obseruauit, illiusque præceptis, ac legibus obnoxius fuit, nõ autem præceptis, & legibus noui testamenti. Vnde Epiphan. lib. de vitis Prophetarũ, Ioannem vltimo loco ponit, indicans fuisse vltimum prophetam veteris testamenti. Nihilominus D. Thom. 2.2 q. 174. artic. quart. ad tertium simpliciter dicit Ioannem pertinere ad nouum testamentum. Et hoc modo explicat, quomodo Ioannes potuerit esse maior propheta, quàm Moyses, de quo scriptum erat Deuter. vltimo, *Non surrexit vltra in Israel Propheta, sicut Moyses.* Nã *hoc loco*, inquit, *comparatio fit cum prophetis veteris testamenti; Ioannes autem ad nouum testamentũ pertinet, cuius ministri præferũtur etiã ipsi Moysi, quasi magis clare speculantes, vt habetur 3. ad Corinth.* 3. Quo vltimo verbo rationem huius rei indicat, quia Ioannes apertè Christum cognouit, & in eum non iam venturum, sed præsentem credidit. Quæ videtur prima, & quasi fundamentalis differentia inter Patres veteris, & noui testamenti. Deinde probabile est, Ioannem à Christo fuisse baptizatum, vt D. Thom. hic arti. 6. ad 3. existimat, cum Chrysost. homil. 4. imperfecti. Quod etiam sentit Nazian. orat. 39. versus finem, dicens de Christo, *Sciebat enim Paulo post futurum, vt ipse Baptistam baptizaret.* Baptismus autem ianua est noui testamenti. Quamobrem Isidor. libr. de vita, & morte sanctorũ, Ioãnem ponit inter sanctos noui testamenti. Hęc verò disceptatio videtur esse posse de modo loquendi. Quia non potest certa aliqua ratione definiri, quid omnino requiratur, vt quispiã ex Sãctis ad nouum testamentum propriè pertinere dicatur. Nã si aliquis cõtẽdat necessariũ esse, vt viuat is aliquo tempore post confirmatum huiusmodi testamentum per mortẽ Christi, nõ poterit, (vt existimo) ab opinione sua efficaci aliqua ratione abduci, & idem ferè erit, si quis è contrario contendat sufficere baptismũ, vel fidem Messiæ iam incarnati, vt aliquis de nouo testamento esse censeatur. *Epiphan.* *D. Thom.* *Deuter. 34.* *2. Cor. 3.* *D. Thom.* *Chry.* *Gre. Naz.* *Isidor.*

Responsio Hic verò posterior modus loquẽdi cũ D. Thom. mihi magis probatur. Quia cum

Ioãnes Baptista nõ ad vetus, sed ad nouum testamentũ pertinet.

præcipua ratio veteris testamẽti consistat in promissione, & expectatione Messiæ qui iam illum non expectabat, sed præsentem intuebatur, sub ea ratione non ad vetus, sed ad nouum testamentum pertinere meritò censebitur. Confirmatur, ac declaratur in Ioanne, nam promissio, ac prædicatio expressa Regni cœlorum, propria est noui testamenti. Hæc autem initium habuit à Ioanne Baptista, ergo ille etiam ad nouum testamentum pertinuit. Posset tamen aliquis distinctione fortasse nõ improbabili vti. Potest enim Ioannes considerari, vel vt membrum Ecclesiæ, vel vt Propheta, & præcursor Christi. Priori modo nõ pertinuit Ioannes ad nouum testamentum, quia non fuit propriè membrum Ecclesiæ, vt à Christo institutę, prius enim mortuus est, quàm Christus Ecclesiam suam perfectè fundaret: posteriori autem ratione merito dicitur pertinere ad nouum testamentum, quia præsentem Christum annuntiabat, non futurũ, sicut veteres Prophetæ. Et hoc modo locutus est Diuus Thomas citato loco, & simili modo in presenti quęstione articul. 1. ad primum dicit, baptismum Ioannis aliqua ratione pertinuisse ad legem Christi, quia fuit quasi sacramentale quoddam disponens ad baptismum Christi.

Secundo dicendum est, habere Ioannem in beatitudine, præter communem gloriam accidentalem, quæ ex essentiali manat, tres aureolas Virginis, Doctoris, & Martyris, probantur singulæ partes. Nam in primis Ioannem fuisse perpetuo virginem: communis est totius Ecclesię vox, & consensus, eumque inter virgines numerant Ignatius epistola. 9. ad Philadelphienses, Epiphanius hæresi 63. Ambrosius sermone. 65. Cassianus libr. sexto de cœnobiorum institutis, capit. quarto. Et idem colligitur ex omnibus Patribus, qui eum *Angelum* appellatum esse dicunt, quòd angelicam vitam in corpore duxerit (quos supra latè retulimus) sed præcipuè videri potest Chrysostomus homil. 10. & 38. in Matthęũ. Ratio prętera ex dictis est manifesta, quia ostendimus, Ioannem nunquam mortaliter peccasse: rursus ex Euangelio, & ex iis, quę supra de instituto, & ratione eius differuimus, constat eum

Ioannes virgo perpetuus. Ignatius. Epiphan. Ambros. Cassian. Chrysosto.

A vxorem non duxisse, cùm solitariam, & eremiticã vitam egerit, ergo necesse est, vt virgo permanserit. Nam sine graui peccato, aut illcita copula virginitas amitti non potest. Vnde rectè Petrus Chrysolog. *Merito in natis mulierum cunctis maior est hic Ioannes, qui non solum adulteras arguit; sed & licita mulierum consortia virginitatis amore caleauit,* & rursus. *Quid peteret luxuria, nisi castitatis interitum, pudicitiæ necem?* Idem serm. 127. Ioannem vocat *virginitatis speculum, pudicitiæ titulum, castitatis exemplum.* *Pet. Chry.*

Quæret verò fortasse aliquis, an Ioannes non solum virgo fuerit, sed etiã virginitatẽ suam Deo voto consecrauerit. De hoc nihil inuenio à veteribus scriptum; satis tamen piè, & probabiliter id affirmare possumus, quoniam ab infantia se totum Deo consecrauit, vitamque cęlibem, ac solitariam perpetuo agere decreuit, ergo verisimile est, hoc suum propositum voto firmasse; vt & immobilius
B esset, & Deo gratius. Neque id omnino intactum Patres reliquerunt, sed indicant potius, cum dicunt Ioannem monasticam vitam egisse, ac monachorum principem fuisse, sicut antea retulimus. Ex his ergo satis constat, habere Ioannẽ in gloria virginis aureolam. Nam si virginitatem coluit, nõ carebit propria virginum corona. Atq; eadem ratione probari breuiter potest, habere aureolam Doctoris, quia teste Christo *lucerna fuit ardens & lucens*. Quibus verbis munus Doctoris, seu euãgelici prędicatoris indicatur, quemadmodum Christus Apostolis dixit. *Vos estis lux mundi, & sic luceat lux vestra coram hominibus*. Matth. 5. Denique ex Euangelica historia, & ex iis, quę in superioribus diximus de munere
C Ioannis satis constat, ipsum Doctoris munus obiisse. *Aureolam virginis, & Doctoris in cœlo Ioannes habet.* *Matth. 5.*

Postremò martyrem fuisse Ioannem, atque adeò martyris aureolam habuisse etiam colligitur ex Euangelio, in quo legimus interfectum fuisse ab Herode, eo quòd de adulterio ab ipso reprehenderetur: Interfectus ergo est, quia testimoniũ perhiberet veritati, seu quòd virtutis actum exerceret, quod ad rationem martyrij satis est, vt D. Thom. ostendit 2.2. quęstio. 124. articul. 5. vbi hoc exemplo Ioannis probat id sufficere ad rationem *Aureolam Martyrij in cœlis Ioannes habet, vt verus martyr D. Thom.*

nem martyrij. *Nam in* Eccleſia, inquit, *beati Ioannis Baptiſtę martyrium celebratur, qui non pro neganda fide: ſed pro reprehenſione adulterij mortem ſuſtinuit.* Quam rationem
Auguſtin. ſcripſit Auguſtinus Pſal.140.in fine, his verbis. *Pro lege veritatis, pro ęqualitate, pro*
Ambroſ. *iuſtitia, ideo ſanctus, & ideo martyr.* Et eandem appellationem illi tribuit Ambroſ. dicto ſermo.65.& cæteri Patres exponentes hiſtoriam decollationis eius, vel in concionibus de eadem re. Vnde obiter
Ioſeph. notandus eſt, & cauendus error Ioſephi lib.18.antiquit. capit. 7. dicentis, Ioannem fuiſſe interfectum ab Herode, quoniam veritus eſt, ne tanta hominis autoritas defectionem alquam pareret. Quę ratio (ſi vera eſſet) per ſe ſola ſatis non eſſet, vt ea mors rationem martyrij haberet. Vera ergo ratio eſt, quam Euangeliſta protulit, quæ abſque vlla prorſus du-
Nicephor. bitatione ad martyrium ſatis fuit, vt benè confirmat Nicephorus lib.1. Hiſtor. capit. 19. Qui rurſus addit eum paſſum eſſe martyrium anno trigeſimo ſecundo ętatis cum dimidio, quod etiam dixit Al-
Alger. Hieron. Iſidor. Nicephor. gerus lib.2. de Euchar. capit.7. Addunt denique Hieronym. Epiſt.27. & Iſidor. de vita, & morte Sanctorum, corpus eius apud Sebaſtem fuiſſe ſepultum: & notat Hieronym. (quem Nicephorus imitatur) truncum corpus fuiſſe ſepulturę traditum. Nam Herodiades (ait Nicephorus) *Ioannis reprehenſionem quodam modo etiam poſt capitis reſectionem verita, coniungereque id rurſus reliquo corpori timens, apud ſe remotis arbitris in abſtruſiori regiæ loco ſepeliendum duxit.*

Hoc verò loco offerebat ſeſe quæſtio
Corpus Ioannis vbi ſepultum & quomodo. de reliquiis, & corpore Ioannis, an credendæ ſint eſſe in terris, & quo in loco eſſe probabiliter exiſtimentur, & qua rurſum veneratione habendæ. Sed hoc poſtremum commune eſt Ioanni cum cęteris ſanctis, & diſputatum in ſuperiori tomo; de aliis verò, quæ ad hiſtoriam per-
Caniſius. tinent, legi poteſt Caniſ. de S. Ioanne capit. 14.& nonnihil attingemus inferius, cùm de his, qui cum Chriſto ſurrexerũt diſputabimus.

Gre. Hic verò adnotare non omittam, locum Gregor.lib.9.epiſt.39.dicentis. *Corpus præcurſoris poſt mortem a perſecutoribus fuiſſe incenſum, ſicut* (inquit) *hiſtoria mortis eius teſtatur.* Quę verba vt admiranda notauit Adrianus Pap. ſupra in Reſcripto de imaginibus ad Carolũ Magn. c. 23. eò quòd in Euangelio legimus, corpus Ioannis poſt mortẽ à diſcipulis eius ſepultum eſſe. Marc.6. Fieri tamen potuit, vt poſt illa tempora oſſa Ioannis fuerint igni tradita, & hoc fuiſſe, memorię proditum in hiſtoria, quam Gregorius allegat.

ARTICVLVS I.

Vtrum fuerit conueniens Ioannem baptizare.

208
4.d.2 q 2. ar.2. 4.

AD primum ſic proceditur. *Videtur, quòd non fuerit conueniens Ioannem baptizare. Omnis enim ritus ſacramẽtalis ad aliquam pertinet legem. Sed Ioannes non introduxit nouam legem. Ergo inconueniens fuit, quòd nouum ritum baptizandi introduceret.*

B ¶ 2. *Prætereà, Ioannes fuit miſſus à Deo in teſtimonium tanquam Propheta: ſecundum illud Lucæ. 1. Tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis. Sed Prophetæ qui fuerunt ante Chriſtum, non introduxerunt uouum ritum, ſed ad obſeruantiam legalium rituum inducebant, vt patet Malach. vltim. Mementote legis Moyſi ſerui mei. Ergo nec Ioãnes nouum ritum baptizandi introducere debuit.*

¶ 3. *Prætereà, Vbi eſt alicuius rei ſuperfluitas, nõ eſt ad illud aliquid addendum. Sed Iudæi excedebant in ſuperfluitate baptiſmatum, dicitur enim Marci.7. quòd Phariſæi, & omnes Iudæi niſi crebrò lauerint manus, non manducant, & à foro venientes niſi baptizentur, non comedunt, & alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſeruare, baptiſmata calicum & vrceorum & æramentorum, & lectorum. Ergo incon-*

inconueniens fuit, quòd Ioannes baptizaret.

¶ Sed contra est autoritas scripturæ Matthæi. 3. vbi præmissa sanctitate Ioannis, subditur. Quòd exibant ad eum multi, & baptizabantur in Iordane.

¶ Respondeo dicendum, quòd conueniens fuit Ioannem baptizare, propter quatuor. Primò quidem, quia oportebat Christum à Ioanne baptizari, vt baptismum consecraret, vt Augustinus dicit super Ioannem. Secundò, vt Christus manifestaretur. Vnde ipse Ioannes Baptista dicit Ioannis primo, vt manifestetur, scilicet Christus in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans: concurrentibus enim turbis ad baptismum, annuntiabat Christum: quod quidem facilius sic factum est, quàm si per singulos discurrisset, vt Chrysostom. dicit super Ioan. Tertiò vt suo baptismo assuefaceret homines ad baptismum Christi. Vnde Gregorius dicit in quadam homil. quòd ideo Ioannes baptizauit, vt præcursionis suæ ordinem seruans, qui nasciturum Dominum nascendo præuenerat, baptizando quoque baptizaturum Dominum præueniret. Quartò, vt ad pœnitentiam homines inducens, homines præpararet ad dignè suscipiendum baptismum Christi. Vnde ibidem Beda dicit, quòd quantum catechumenis nõdum baptizatis prodest doctrina fidei, tantum profuit baptisma Ioannis ante baptisma Christi. Quia sicut ille prædicabat pœnitentiam, & baptismũ Christi prænuntiabat, & in cognitionem veritatis quæ mundo apparuit attrahebat: sic ministri Ecclesiæ primò erudiũt, post peccata eorum redarguunt, demum in baptismo Christi remissionem peccatorum promittunt.

Habetur ex serm. 1. de Epip. to. 10

Chry. ho. 10. in Ioan. ante mediũ to. 3.

Hom. 7. in Euã. parum ante med.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd baptismus Ioannis non erat per se sacramentum: sed quasi quod dam sacramentale disponens ad baptismum Christi. Et ideo aliqualiter pertinebat ad legem Christi, non autem ad legẽ Moysi. ¶ Ad secundum dicendum, quòd Ioannes non solum fuit Propheta, sed plusquam Propheta, vt dicitur Matth. 11. fuit enim terminus legis, & initium Euangelij. Et ideo magis pertinebat ad eum, verbo & opere inducere homines ad legem Christi, quàm ad obseruantiam veteris legis. ¶ Ad tertium dicendum, quòd baptismata illa Pharisæorum erant inania, vtpote ad solam munditiam carnis ordinata. Sed baptismus Ioannis ordinabatur ad munditiam spiritualem: inducebat enim homines ad pœnitentiam: vt dictum est.

Quæstio huius arti. per se facilis est, & litera D. Thom. adeo perspicua, vt non indigeat commentario. præter dicta Disputat præcedenti, & ea quæ in sequẽti addemus.

ARTICVLVS II.

Vtrum baptismus Ioannis fuerit à Deo.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd baptismus Ioannis non fuerit à Deo. Nihil enim sacramentale, quod est à Deo, denominatur ab homine puro, sicut baptismus nouæ legis non dicitur Petri, vel Pauli, sed Christi. Sed ille baptismus denominatur à Ioanne, secundum illud Matthæ. Vigesimo primo. Baptismus Ioannis vnde erat, è cœlo an ex hominibus? Ergo baptismus Ioannis non fuit à Deo.

209 4. d. 2 q. 1. ar. 1 qu. 3. Baptismus hic nõ fuit sacramentum sed sacramẽtale.

¶ 2. Prætereà, Omnis doctrina de nouo à Deo procedens, aliquibus signis cõfirmatur, vnde & Dominus Exod. 4. dedit Moysi potestatem signa faciendi. Et Hebr. 2. dicitur, Cùm fides nostra principiũ accepisset enarrari à Deo ab eis qui audie-

audierunt in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis. Sed de Ioanne Baptista dicitur Ioan. 10. Ioannes signum fecit nullum. Ergo videtur, quòd baptismus quo baptizauit, non esset à Deo.

¶ 3. Præterea, Sacramenta, quæ sunt diuinitus instituta, aliquibus sacræ scripturæ præceptis continentur. Sed baptismus Ioannis non præcipitur aliquo præcepto sacræ scripturæ. Ergo videtur, quòd non fuerit à Deo.

¶ Sed contra est, quod dicitur Ioan. 1. Qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris spiritum, &c.

¶ Respondeo dicendum, quòd in baptismo Ioannis duo possunt considerari, scilicet ipse ritus baptizandi, & effectus baptismi. Ritus quidem baptizandi non fuit ex hominibus, sed à Deo qui familiari Spiritus sancti reuelatione Ioãnem ad baptizandum misit. Effectus autem illius baptismi fuit ab homine: quia nihil in illo baptismo efficiebatur, quod homo facere non posset. Vnde non fuit à solo Deo, nisi in quantum Deus in homine operatur.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd per baptismum nouæ legis homines interius per Spiritum sanctum baptizantur, quod facit solus Deus. Per baptismum autem Ioannis, solum corpus mundabatur aqua. Vnde dicitur Matthæ. 3. Ego baptizo vos in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu sancto. Et ideò baptismus Ioannis denominatur ab ipso: quia scilicet nihil in eo agebatur, quod ipse nõ ageret. Baptismus autem nouæ legis non denominatur à ministro, qui principalem baptismi effectum non agit, scilicet interiorem emundationem.

¶ Ad secundum dicendum, quòd tota doctrina, & operatio Ioannis ordinabatur ad Christum, qui multitudine signorum, & suam, & Ioannis doctrinam confirmauit. Si autem Ioannes signa fecisset, homines ex æquo Ioanni & Christo attendissent. Et ideò vt homines principaliter Christo intenderent, non est datum Ioanni, vt faceret signum: Iudæis tamen quærentibus quare baptizaret, confirmauit suum officium auctoritate scripturæ, dicens, Ego vox clamantis in deserto, &c. vt dicitur Ioan. 1. Ipsa etiam austeritas vitæ, eius officium commendabat, quia vt Chrysostomus dicit super Matthæ. mirabile erat, in humano corpore tantam patientiam videre.

¶ Ad tertium dicendum, quòd baptismus Ioannis non fuit ordinatus à Deo, nisi vt modico tempore duraret, propter causas prædictas. Et ideò non fuit commendatus aliquo præcepto communiter edito in sacra scriptura, sed familiari quadam reuelatione Spiritus sancti, vt dictum est.

COMMENTARIVS.

PRoprius sensus huius articuli est, an baptismus Ioannis quo ad ritum, & modũ baptizandi fuerit â Deo institutus, & Ioanni traditus, ac inspiratus, an verò fuerit humanum inuentum. Ad maiorem autem doctrinæ explicationem, distinguit Diuus Thom. inter ritum, & effectum baptismi, & quoad ritum dicit baptismum illum fuisse â Deo, iuxta illud Ioan. 1. *Qui misit me baptizare in aqua*. Ex quo verbo constat, ex peculiari Spiritus sancti inspiratione fuisse Ioannem ad baptizandum missum, atque ita â Deo accepisse baptismum. Sed posset aliquis respondere, accepisse quidem Ioannem à Deo reuelationem, seu præceptum baptizandi: non tamen modum, ritum ve baptismi. Sed cùm Euangelista dicat. *Qui misit me baptizare in aqua*, illo verbo satis totum illius baptismi ritum expressit, quia (vt infra videbimus) nihil aliud erat de necessitate illius baptismi, quàm exterior aquæ ablutio. Quanquam, etiam si aliquid aliud ad ritum illius baptismi pertinuisset, totum id foret intelligendũ sub illo

Ioannis bap tismus a Deo

Ioan. 1.

illo verbo esse cõprehensum, sicut cùm dicimus Christum misisse Apostolos ad baptizandũ, illa voce complectimur, tum id, quod ad baptismum Christi perficiendum necessarium est. Quia licet nomen illud ab exteriori lotione sumptum sit: significat tamen totã illã actionẽ, vel cęremoniam, quę ad baptismum perficiẽdum est necessaria. Quoad affectũ verò illius baptismi ait D. Thomas fuisse ab homine. Quod nihil aliud dictu est, quã baptismum illum non habuisse effectum vllum supernaturalem: sed in sola externa lotione, quæ ab homine fit, constitisse: Quod (vt infra videbimus) certũ est de effectu ex opere operato, & propria efficacia ipsius baptismi. Nam ad effectum gratię ex opere, seu dispositione operantis consequendum, poterat ille baptismus aliquo modo concurrere, excitando, & mouendo homines ad pœnitentiã: quo sensu, inter alios (dictus est ille) *baptismus pœnitentię*.

In solut. ad primum notandum est verbum illud. *Baptismus nouæ legis non denominatur a ministro, qui principalem baptismi effectum non agit, scilicet interiorem emundationem.* Exponendum namq; est iuxta communem doctrinam D. Thom. scilicet in baptismo nouæ legis ministrum non agere effectum gratię sua virtute, neque suo nomine: sed in virtute Christi, & ideò meritò vocari *baptismum Christi*. In baptismo autem Ioannis nihil fiebat, nisi illud sensibile, & externum, quod ab homine virtute propria fieri potest. De solutione ad. 2. &. 3. dicemus in proxima disputatione sequenti.

ARTICVLVS III.

Vtrum in baptismo Ioannis gratia daretur.

210 4.d.2.q.1 ar.1.q.1. co.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd in baptismo Ioannis gratia daretur. Dicitur enim Marci primo, Fuit Ioãnes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Sed pœnitentia, & remissio peccatorum est per gratiam: Ergo baptismus Ioannis gratiam conferebat.

A ¶ 2. *Præterea, Baptizandi à Ioanne confitebantur peccata sua, vt habetur Matth. 3. & Marc. 1. Sed confessio peccatorum ordinatur ad peccatorum remissionem, quæ fit per gratiam. Ergo in baptismo Ioannis, gratia conferebatur.*

¶ 3. *Præterea, Baptismus Ioannis, propinquior erat baptismo Christi, quàm circuncisio. Sed per circuncisionem remittebatur peccatum originale: quia, vt Beda dicit, idem salutiferæ curationis auxilium circuncisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod nunc baptismus agere reuelatæ gratiæ tempore consueuit. Ergo multo magis baptismus Ioannis remissionem peccatorũ operabatur, quod sine gratia fieri non potest.* Beda in ho. circuncisionis inter prin. & medium: Eam habes in ho mil. totius anni,

B ¶ *Sed contra est, quod Matth. 3. dicitur Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam. Quod exponens Gregor. in quadam Homil. dicit, Ioannes non in Spiritu, sed in aqua baptizat, quia peccata soluere non valet. Sed gratia est à Spiritu sancto, & per eam peccata tolluntur. Ergo baptismus Ioannis gratiam nõ conferebat.* homil. 7. in euã. parum ante med.

C *Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est, tota doctrina, & operatio Ioãnis præparatoria erat ad Christum: sicut ministri, & inferioris artificis est præparare materiam ad formam, quam inducit principalis artifex. Gratia autẽ conferenda erat hominibus per Christum: secundum illud Ioan. primo, Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est. Et ideò baptismus Ioannis gratiam non conferebat, sed solum ad gratiam præparabat tripliciter. Vno quidem modo per doctrinam Ioannis inducentem homines, ad fidem Christi. Alio modo assue faciendo homines, ad ritum baptismi Christi. Tertio modo per pœnitentiam, præparando homines ad suscipiendum effectum baptismi Christi.*

Ad

Ad primum ergo dicendum, quòd in illis verbis (vt Beda dicit) potest intelligi duplex baptismus. Vnus quidem, quem Ioannes baptizando conferebat, qui dicitur baptismus pœnitentiæ: quia scilicet ille baptismus, erat quoddam inductiuum ad pœnitentiam: & quasi quædam protestatio, qua profitebantur homines se pœnitentiam acturos. Alius autem est baptismus Christi, per quem peccata remittuntur, quem Ioannes dare non poterat: sed solum prædicabat, dicens. Ille vos baptizabit in Spiritu sancto. Vel potest dici, quòd prædicabat baptismum pœnitentiæ, ideſt inducentem ad pœnitentiam: quæ quidem pœnitentia ducit homines in remissionem peccatorum. Vel potest dici, quòd per baptismum Christi (vt Hieronymus dicit) gratia datur, qua peccata gratis dimittuntur: quod autem consummatur per sponsum, initiatur per paranymphum, scilicet Ioannem. Vnde dicitur, quòd baptizabat, & prædicabat baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum: non ideò quia hoc ipse perficeret sed quia præparando, ad hoc homines disponebat. ¶ *Ad secundum dicendum quòd illa confessio peccatorum, non fiebat ad remissionem peccatorum statim per baptismum Ioannis exhibendam, sed consequendam per pœnitentiam consequentem, & per baptismum Christi, ad quem pœnitentia illa præparabat.* ¶ *Ad tertium dicendum, quòd circuncisio instituta erat ad remedium originalis peccati. Sed baptismus Ioannis ad hoc non erat institutus, sed solum erat præparatorius ad baptismum Christi: vt dictum est. Sacramenta autem ex vi institutionis, suum habẽt effectum.*

Super illud Mar. 1. Fuit Ioannes in deserto baptizãs est c. 3. secũdum ordinẽ Bedæ.

Super illud Mar 1. Prędicans baptis. pœnit. to. 9.

COMMENTARIVS.

IN corpore articuli nihil occurrit explicandum, quia tam assertio negatiua D. Thom. quæ posita etiam erat in A articulo præcedenti, quâm ratio, seu congruentia, quam adiungit, satis in ipso contextu perspicua sunt, de re verò ipsa disputabimus statim disputatio. 25. sect. 2.

In solutione ad primum, explicat D. Thom. locum Marci. 1. *Fuit in deserto Ioannes baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Quia in eo obscurum esse videtur, quo modo Ioannes dicatur baptizasse in remissionem peccatorum, cum per baptismum eius gratia non daretur, per quam peccata remittuntur. Et ideo est prima expositio in illis verbis non vnum: sed duo baptismata indicari. Aliud enim est baptizare, aliud baptismum prædicare. Ioannes ergo vnũ baptismum dabat, & alium prædicabat, non ergo baptismus à Ioanne datus: sed prædicatus dicitur esse in remissionem peccatorum, dabat enim baptismum suũ, prædicabat autem baptismum Christi, qui dicitur dari *in remissionem peccatorum.* Quę expositio confirmari potest testimonio eiusdem Ioannis Baptistæ, sic loquentis apud Ioannem cap. 1. *Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis, ipse est. qui post me venturus est, qui ante me factus est.* & infra. *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eũ, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.* Ecce duplex baptisma aliud datum à Ioanne, aliud prædicatum. Et hanc expositionem artigit Gregor. homil. 20. super Euangelia Beda super Marcum, nec videtur valde dissimilis expositio Hieronymi in Marcum dicentis. *Quod consummatur per sponsum, initiatur per paranymphũ.* Dicitur enim Ioãnes prępara sse, & disposuisse homines ad baptismũ Christi, tũ baptizando, tum perfectiorem Christi baptismum prædicando. Hæc verò expositio non videtur probanda, nam certum est, ipsummet baptismum Ioannis dici in scriptura baptismum pœnitentiæ, vt constat ex verbis Pauli Actuũ. decimo nono: *Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum.* Cùm ergo dicitur Ioannes prædicasse baptismum pœnitentiæ, non est sensus prędicasse baptismum Christi, sed suum, prius enim quã illum daret, oportebat, prædicãdo homines ad eũ suscipiendum inuitare. Vnde Matthæ. cap. 3. *Venit,* inquit, *Ioannes prædicans,*

Baptismus Ioannis cur baptismus pœnitentię dicitur.

B

C

& dicens, pœnitentiam agite. Lucas verò ca pit.3.addit. *Venit prędicans baptiſmum pœnitentiæ:* vbi Ambroſ. *aliud,* inquit, *fuit baptiſma pœnitentię, aliud vero gratię eſt.* Secũda ergo expoſitio, & facilis eſt, Ioannem prædicaſſe pœnitentiam, & baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionẽ peccatorum, nõ vt hęc per ipſum baptiſmũ obtineretur: ſed per pœnitentiam, in cuius quaſi teſtimonium baptiſmus ille dabatur, & ideò dictus eſt *baptiſmus pœnitentię.* Et hãc expoſitionem magis videtur probare D. Tho. hic, & Caiet. & ad illã magis accommodat verba Hierony. ſupra citata. Quia enim Ioannes prædicatione, & baptiſmo ſuo inuitabat homines ad pœnitentiã, & remiſsionem peccatorũ, quæ per Chriſtum conſummatur, ideò dicit Hieronymus, initiari per Ioannẽ, quod conſummatur per Chriſtum.

In ſolutione ad ſecundum inſinuat D. Tho. confeſsionem illam peccatorũ, quã faciebant Iudæi ad Ioannis baptiſmum accedentes, fuiſſe propriã, & vocalẽ manifeſtationẽ peccatorũ, quæ vnuſquiſq; cõmiſerat. Et quidẽ, quòd fuerit actio diſtincta à ſuſceptione illius baptiſmi, dubitari non poteſt, quidquid Caietan. ſuper Euang. dicat, quia verba Euangeliſtarum ſunt ſatis aperta. Quòd verò illa non tantũ fuerit confeſsio peccatorũ in genere, (vt quidã putant) ſed inſpecie (vt hic D. Tho. inſinuat) ſententia eſt Baſil. libr. 1. de bap. par. 2. aliquantulũ à principio, & in regulis breuioribus. 288. & Chryſoſt. hom. 3. imperfecti, & Tertul. lib. de bap. c. 20. quem ſequitur Ianſenius c. 13. concordiæ, & Caniſ. lib. 1. de corrupte. ver. Dei c. 8. quia aliud eſt, ſe agnoſcere peccatorem, quòd omnes homines habent, aliud peccata ſua confiteri, quod difficilius eſt. Illa verò confeſsio nec ſacramentalis erat, vt per ſe notum eſt, nec à Ioanne exigebatur, ſed vel ex quodã feruore verè pœnitentis animi, vel ex quadã conſuetudine, quæ in illa lege erat huiuſmodi cõfeſsiones faciendi, proficiscebatur, vt latè ac benè explicat Ianſe. ſup.

D. Thom. Caietanus.

In ſol. ad tertiũ ſignificat D. Tho. circunciſionem ex vi ſuæ inſtitutionis habuiſſe effectũ remittendi originale peccatũ. Dicit enim fuiſſe inſtitutam in remedium originalis peccati, & ſubdit, ſacramenta habere effectum ex vi ſuæ inſtitutionis. Sed hæc intelligenda ſunt accõmodatè, iuxta ea quæ D. Tho. in proprio loco de circunciſione docet. Non enim fuit circunciſio propria cauſa gratiæ, ſed ſignum, & cõditio, ad cuius præſentiã Deus gratiam conferebat, peccatumq; originale remittebat non ex virtute ipſius circunciſionis, neq; ex ſpeciali, ac propria ratione inſtitutionis eius, ſed ex prouidentia, ac promiſsione Diuina, qua, propter Chriſtum vẽturum, ſtatuit iuſtificare infantes, cùm primum ritu aliquo religioſo Deo conſecrarentur. Sed de hoc latius in ſequenti tomo.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum alij præter Chriſtum, baptiſmo Ioannis baptizari debuerint.

AD quartũ ſic proceditur. Videtur, quòd baptiſmo Ioannis ſolus Chriſtus debuerit baptizari. Quia ſicut dictum eſt, ad hoc Ioannes baptizauit, vt Chriſtus baptizaretur: ſicut Auguſ. dicit ſuper Ioannem. Sed quod eſt proprium Chriſto, non debet aliis cõuenire. Ergo nulli alij debuerunt illo baptiſmo baptizari. Articul. 1. Tracta. 13 in Ioan. inter princi. & medium to. 9.

¶ 2. *Præterea, Quicunque baptizatur, aut accipit aliquid à baptiſmo, aut baptiſmo aliquid confert. Sed à baptiſmo Ioannis nullus aliquid accipere poterat, (quia in eo gratia non cõferebatur, vt dictũ eſt) nec aliquis baptiſmo aliquid conferre poterat, niſi Chriſtus, qui tactu mundiſsimæ ſuæ carnis aquas ſanctificauit. Ergo videtur, quòd ſolus Chriſtus baptiſmo Ioannis debuerit baptizari.* art. pręce.

¶ 3. *Præterea. Si alij illo baptiſmo baptizabantur, hoc non erat niſi vt præpararẽtur ad baptiſmũ Chriſti: & ſic cõueniens videbatur, quod ſicut baptiſmus Chriſti omnibus confertur, & magnis, & paruis, & Gentilibus, & Iudæis, ita etiã & baptiſmus Ioannis conferretur. Sed non legitur quòd ab eo pueri*

vt baptizarentur, nec etiam Gentiles: dicitur enim Marci. 1. quòd egrediebantur ad illum Israelitæ vniuersi, & baptizabantur ab illo. Ergo videtur, quod solus Christus à Ioanne debuerit baptizari.

¶ Sed contra est quod dicitur Lucæ. 3. Factũ est, cum baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato, & orante aperti sunt cœli.

Respondeo dicendum, quod duplici de causa oportuit alios à Christo baptizari baptismo Ioannis. Primò quidem, (vt Augustinus dicit super Ioann.) quia si solus Christus baptismo Ioannis baptizatus esset, non deessent, qui dicerent baptismum Ioannis, quo Christus est baptizatus, digniorem esse baptismo Christi, quo alij baptizantur. Secundo, quia oportebat per baptismum Ioannis alios ad baptismum Christi præparari: sicut dictum est.

tract. 4. in Ioã. a med. & tract. 5. inter prin. & medium to. 9.

Art. 1. & 3. huius q.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd non propter hoc solum fuit Ioannis baptismus institutus, vt Christus baptizaretur, sed etiam propter alias causas, vt dictum est. Et tamen si ad hoc solum esset institutus, vt Christus eo baptizaretur, oportebat, prædictum inconueniens vitari, alijs hoc baptismo baptizatis.

Arti 1. huius quæſt.

¶ Ad secundum dicendum, quod alij qui ad baptismum Ioannis accedebant, non poterant quidem baptismo aliquid conferre, nec tamen à baptismo gratiam accipiebant, sed solum pœnitentiæ signum.

¶ Ad tertium dicendum, quod quia ille baptismus erat pœnitentiæ, quæ pueris non conuenit, ideo baptismo illo pueri nõ baptizabantur. Conferre autem Gentibus viam salutis, soli Christo reseruabatur, qui est expectatio Gentium, vt dicitur Genes. penultim. Sed & ipse Christus Apostolis inhibuit Gentilibus Euangelium prædicare, ante passionem, & resurrectionem: vnde multo minus conueniebat, per Ioannem Gentiles ad baptismum admitti.

A

B

C

COMMENTARIVS.

QVæstiõ huius articuli, est facillima, & nulla indiget expositione, nec ferè habet dubitãdi rationẽ. Nam cum ille esset baptismus pœnitentiæ, & ad hoc præcipuè daretur, vt omnes ad illã excitarẽtur, & ad baptisma Christi præpararẽtur, perspicuũ est, debuisse generatim omnibus hominibus conferri. Hinc verò colligit D. Thom. in solutio. ad. 3 baptismum illum nõ esse datum infantibus, qui non sunt capaces pœnitentiæ, in cuius significationem, vel excitationẽ baptismus ille dabatur. Baptismus enim Christi, quia virtute sua prodesse potest, datur infantibus: ille autem baptismus, cum per se non prodesset, & alioqui non posset excitare infantes ad pœnitentiam, nõ erat, cur ipsis tribueretur. Quod non obscurè colligitur ex Matth. & Lucæ. 3. vbi. ij, qui baptizabãtur à Ioanne, dicuntur cõfiteri peccata sua, & corripi à Ioanne, & similia, quæ non nisi in adultos conueniunt. Addit denique D. Tho. baptismum illum non fuisse datum Gentilibus, quod ex eisdem Euangelistis, & ex Marco, & Ioanne haud obscurè colligitur. Nam ratio D. Tho. est optima, Et ante Christi prædicationem non expediebat viam salutis publicè gentibus prædicari. Vnde Luc. 1. inquit Zacharias ad Ioannem. *Tu puer propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam scientiam salutis plebi eius:* non ergo missus est ad prædicandũ gentibus, sed Iudæis tantum: Ioannes autem illos solos baptizabat, quibus baptismum, & pœnitentiam prædicabat. Denique ad munus præcursoris ita fieri oportebat, quia magnum fuisset Iudeis scandalũ si Ioannes ad baptismum suum homines gentiles, & incircuncisos vocaret.

Matth. 3. Luc. 3

Lucæ. 1.

ARTICVLVS. V.

Vtrum baptismus Ioannis debuerit cessare Christo baptizato.

AD *quintum sic proceditur. Videtur, quod baptismus Ioannis cessare debuerit, postquam*

Christus fuit baptizatus. Dicitur enim Ioann. 1. Vt manifestetur in Israel, propterea veni in aqua baptizans, sed Christo baptizato sufficienter fuit manifestatus, tum per testimonium Ioannis, tum per descensum columbæ, tum etiam testimonio paternæ vocis. Ergo videtur, quòd non debuerit postea baptismus Ioannis durare.

tract. 4. in Ioan. inter med. & fin. tomo. 9, ¶ 2. *Præterea Augustinus dicit super Ioann. Baptizatus est Christus, & cessauit Ioannis baptismus. Ergo videtur, quòd Ioannes post Christum baptizatũ, non debuerit baptizare.*

¶ 3. *Præterea, Baptismus Ioannis erat præparatorius ad baptismum Christi. Sed baptismus Christi incepit statim Christo baptizato, quia tactu suæ mundissimæ carnis vim regenerativam contulit aquis, vt Beda dicit. Ergo videtur, quòd baptismus Ioannis cessauerit Christo baptizato. Sed cõtra est quod dicitur Ioannis 3. quod venit Iesus in Iudæam terram, & baptizabat, erat autem & Ioannes baptizans. Sed Christus non baptizauit, nisi postquam fuit baptizatus. Ergo videtur, quod postquam Christus fuit baptizatus, adhuc Ioannes batizabat.*

Super 3. c. Lu. super illa verba, factum est ante, & gloss. or super illa verba Lucæ. Et Iesu baptizato.

Respondeo dicendum, quod baptismus Ioannis cessare non debuit Christo baptizato. Primo quidem: quia (vt Chrysostomus dicit) si cessasset Ioannes baptizare, Christo baptizato existimaretur quod zelo, vel ira hoc faceret. Secundo: quia si cessasset à baptizando, Christo baptizante, discipulos suos in maiorem zelum immisisset. Tertio, quia persistens in baptizãdo, suos auditores mittebat ad Christum. ¶ Quarto, quia (vt Beda dicit) adhuc permanebat vmbra veteris legis: nec debuit præcursor cessare, donec veritas manifestaretur.

Ho. 28. in Ioann. non multum remote a princip. tom 3.

Habetur in glo. ord. super 3. cap. ord. super illa verba, Erat autem & Ioan.

Ad primum ergo dicendum, quod nondum Christus erat plene manifestatus eo baptizato: & ideo adhuc necessarium erat, quod Ioannes baptizaret. ¶ Ad secundum dicendum, quod baptizato Christo cessauit baptismus Ioannis: non tamen statim, sed eo incarcerato. Vnde Chrisostomus dicit super Ioannem. Aestimo propter hoc permissam esse mortem Ioannis, & eo sublato de medio, Christum maximè prædicare cœpisse, vt omnis multitudinis affectio ad Christum transiret, & non vltra his, quæ de vtroque erant sententijs scinderetur. ¶ Ad tertium dicendum, quod baptismus Ioannis præparatorius erat, non solum ad hoc, quod Christus baptizaretur, sed etiam ad hoc, quod alij ad Christi baptismum accederent. Quod nondum fuit impletum Christo baptizato.

Ho. 18. in Ioan. non remote a princi. to. 3

COMENTARIVS.

IN hoc ar. explicatur tempus, quo durauit Ioannis baptismus, & in corpore articuli solum dicit D. Thom. durasse post Christi baptismum. Quod recte colligit ex Ioan. 3. vbi dicitur. *Post hæc venit Iesus, & discipuli eius in Iudæam terram, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat. Erat autem, & Ioannes baptizans in Aenon, iuxta Salim:* & cap. 4. in initio, *Vt ergo cognouit Iesus, quia audierunt Pharisæi, quod Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quam Ioannes,* &c. certum est autem, Christũ nõ habuisse discipulos, nec baptizasse per illos donec baptizatus fuit à Ioanne. Durauit ergo baptismus Ioannis aliquo tempore, postquam baptizatus est Christus. In solut. verò ad. 2. addit diuus Thomas, durasse vsque ad incarcerationem Ioannis, quod non obscurè etiam indicatur Ioãn. 3. cum dicitur, *Erat autem Ioannes baptizans in Aenon iuxta Salim, quia aquæ multæ erãt illic, & veniebant, & baptizabantur, nondũ enim missus fuerat Ioannes in carcerẽ,* indicat ergo Euãgelista, Ioãne. cõiecto in vincula cessasse eius baptismũ. Vnde Chrysost. hom. 28. exponens illud verbum Ioannis, inquit, *In eum vsque diem eum baptizasse significat,* vbi optimas etiam congruentias adducit.

Ioan-

Ioannes enim, postquã in carcerẽ cõiectus fuit, per se baptizare nõ potuit (vt constat) nullibi autem legimus per discipulos suos baptizasse. Quod nõ sine mysterio, & ratione actũ est, tum quia baptismus illius duraturus non erat, tum etiam quia præcipuè baptizabat, vt occasionem haberet prædicandi Christum, & disponẽdi homines ad cognitionem illius, quod munus fuit proprium eius, nec poterat per discipulos exerceri. Antequam verò coniectus esset in vincula, sicut non fuit expediens, vt à prædicando Christo cessaret, ita neque à collatione baptismi, quia nondum erat Christus perfectè manifestatus.

Obseruandum verò hic est, D. Thom. solum egisse de fine, aut termino huius baptismi, nihil autẽ de initio dixisse, fortasse quoniam ex Luca cap. 3. habemus cẽ B pisse Ioannem baptizare anno. 15. imperij Tiberij Cęsaris, & multos ante Christum baptizasse. Obseruandum denique est, D. Thom. explicasse terminum baptismi Ioannis ex circunstantia coniectionis eius in vincula, quo autem anno vtrũque acciderit, scilicet Ioannẽ coniectum esse in vincula, & cessasse baptismum eius D. Thom. non explicat. Vnde etiam obscurum relinquitur, quanto tempore, seu quot annis baptismus Ioannis duraverit. De quare dicemus agentes de tempore, quo Christus fuit baptizatus.

ARTICVLVS VI.

Vtrum baptizati baptismo Ioannis, essent postea baptismo Christi baptizandi.

213 infra quę. 66. ar. 9. 2. & 4. d 2q. 2. artic. 4.

AD sextum sic proceditur. *Videtur, quòd baptizati baptismo Ioannis, non fuerint baptizandi baptismo Christi. Ioãnes enim non fuit minor Apostolis: cùm de eo scriptum sit Matth. 11. Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Sed illi qui baptizabantur ab Apostolis, non iterum baptizabantur, sed solummodo addebatur eis impo-*

A *sitio manuum. Dicitur enim Actor. 8. quòd aliqui baptizati tantum erant à Philippo in nomine Domini Iesu: tunc Apostoli, scilicet Petrus, & Ioannes, imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. Ergo videtur, quòd baptizati à Ioanne, non debuerint baptizari baptismo Christi.* tract. 4. in Ioan. inter med. & fin tomo. 9.

¶ 2. *Præterea, Apostoli fuerunt baptizati baptismo Ioannis: fuerunt enim quidam eorum discipuli Ioannis, vt patet Ioan. 1. Sed Apostoli non videntur esse baptizati baptismo Christi: dicitur enim Ioan. 4. quòd Iesus non baptizabat, sed discipuli eius. Ergo videtur, quòd baptizati baptismo Ioannis, non* B *erant baptizandi baptismo Christi.*

¶ 3. *Præterea, Minor est, qui baptizatur, quàm qui baptizat. Sed ipse Ioannes non legitur, baptizatus baptismo Christi. Ergo multò minus illi qui à Ioãne baptizabantur, indigebant baptismo Christi.* ¶ 4. *Præterea, Actor. 19. dicitur, quòd Paulus inuenit quosdam de discipulis, dixitque ad eos, Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum. Sed neque si Spiritus sanctus est, audiuimus. Ille verò ait: in quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt, in Ioannis baptismate. Et sequitur, quòd*

C *baptizati sunt iterum in nomine Domini nostri Iesu Christi. Sic ergo videtur,* cap. 2. Ioel non multũ remote a fin. tom. 6. Amb. lib. 1 cap. 3. circa prin. to. 2. *quod quia esse Spiritum sanctum nesciebant, oportuit eos iterum baptizari: sicut Hieronymus dicit super Ioelem, & in epistola de viro vnius vxoris, & Ambros. in libro de Spiritu sancto. Sed quidam fuerunt baptizati baptismo Ioannis, qui habebant plenãm notitiam Trinitatis. Ergo non erant baptizandi iterũ baptismo Christi.* Est gloss. Aug. trac. 80. in Ioã. a medio illius, tom. 9 ¶ 5. *Præterea. Roman. 10. super illud, Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, dicit gloss. August. Vnde est ista tanta virtus aquæ, vt corpus tãgat & cor abluat, nisi faciente verbo, nõ*

quia dicitur, sed quia creditur? Ex quo patet, quòd virtus baptismi dependet ex fide. Sed forma baptismi Ioannis significauit fidem Christi, in qua nos baptizamur: dicit enim Paulus Actuum. 19. Ioannes baptizabat baptismo pœnitentiæ populum, dicens. In eum qui venturus est post ipsum, vt crederent, hoc est in Iesum. Ergo videtur, quòd non oportebat, baptizatos baptismo Ioannis, iterũ baptizari baptismo Christi.

Tract. 5. in Ioan. inter prin. & medium to. 8.

¶ Sed contra est, quod August. dicit super Ioann. Qui baptizati sunt baptismate Ioannis, oportebat vt baptizarentur baptismate Christi.

Respondeo dicendum, quòd secundum opinionem Magistri in. 2. disti. 4. Sent. illi, qui baptizati sunt à Ioanne, nescientes Spiritum sanctum esse, ac spem ponentes in illius baptismo, postea baptizati sunt baptismo Christi. Illi verò qui spem non posuerunt in baptismo Ioannis, & Patrem & Filium, & Spritum sanctum credebant, non fuerunt postea baptizati, sed impositione manuum ab Apostolis super eos facta, Spiritum sanctum receperunt. Et hoc quidem verum est, quantum ad primam partem, quod multis autoritatibus confirmatur.

Sed quantum ad secundam partem est penitus irrationabile quod dicitur. Primò quidem, quia baptismus Ioannis, neque gratiam conferebat, neque characterem imprimebat, sed erat solum in aqua, vt ipsemet dicit Matth. 3. Vnde baptizatis fides, vel spes, quam habebant in Christum, non poterat hunc defectum supplere. Secundo: quia quando in sacramento omittitur, quod est de necessitate sacramenti, non solum oportet suppleri, quod fuerat omissum, sed oportet totaliter innouari. Est autem de necessitate baptismi Christi, quòd fiat non solum in aqua, sed etiam in Spiritu sancto: secundum illud Ioannis tertio. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Vnde illis qui tãtum in aqua baptizati erant baptismo Ioannis, non solum erat supplẽdum quod deerat (vt scilicet daretur eis Spiritus sanctus per impositionem manuum) sed erant iteratò totaliter baptizandi in aqua, & spiritu.

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut Augustinus dicit super Ioannem ideo post Ioannem baptizatum est: quia non dabat baptismum Christi sed suum: quod autem dabatur à Petro, & si quod datum est à Iuda, Christi erat. Et ideò si quos baptizauit Iudas, non sunt iterum baptizandi: baptisma enim tale est, qualis est ille, in cuius potestate datur, non qualis ille, cuius ministerio datur. Et inde est etiam quod baptizati a Philippo diacono, qui baptismum Christi dabat, non sunt iterum baptizati: sed acceperunt manus impositionem per Apostolos, sicut baptizati per sacerdotes confirmantur per Episcopos.

Tract. 5. in Ioan. inter prin. & medium to. 9.

Epist. 108. a med. precipue, to. 2.

¶ Ad secundum dicendum, quod sicut Augustinus dicit ad Seleucianum, intelligimus discipulos Christi fuisse baptizatos, siue baptismo Ioannis (sicut nonnulli arbitrantur) siue quòd magis credibile est, baptismo Christi, neq; enim ministerio baptizandi defuit, vt haberet baptizatos seruos, per quos cæteros baptizaret, qui non defuit memorabilis illius humilitatis ministerio, quando eis pedes lauit.

Hom. 4. in Matth. in opere imperfecto. super illud, sine modo, to 9.

¶ Ad tertium dicendum, quòd sicut Chrysostomus dicit super Matthæum per hoc quod Christus Ioanni dicenti. Ego à te debeo baptizari, respondit, Sine modo: ostenditur, quòd postea Christus baptizauit Ioannem. Et hoc dicit in quibusdam libris apocryphis manifestè scriptum esse. Certũ tamen est, vt Hieron. dicit super Matth. quod sicut Chris-

Christus fuit baptizatus in aqua à Ioanne, ita Ioannes à Christo erat in Spiritu baptizandus. ¶ *Ad quartum dicendum, quòd non est tota causa quare illi fuerunt baptizati, post baptismum Ioannis, quia Spiritum sanctum non cognouerãt, sed quia non erant baptismo Christi baptizati.* ¶ *Ad quintum dicendum, quòd sicut dicit Augustinus contra Faustum, Sacramenta nostra sunt signa præsentis gratiæ: sacramenta verò veteris legis fuerunt signa gratiæ futuræ. Vnde ex hoc ipso, quòd Ioannes baptizauit in nomine Venturi, datur intelligi, quòd non dabat baptismum Christi, qui est sacramentum nouæ legis.*

DISPVTATIO XXV.

In quinque sectiones distributa.

De baptismo Ioannis.

DIsputatio hæc posset in materiam de sacramẽto baptismi reiici, quoniam collato inter se Christi, Ioannisque baptismo, vtriusque ratio melius dignosci posset: tamen tum propter Diuum Thomam, tum ptopter rationem, quæ ipsum mouit, scilicet vt commodius mysterium baptismatis Christi, explicemus, hoc loco expedienda est. Primum igitur naturam, causas, effectusque huius baptismi explicabimus, deinde cum Christi baptismate illud breuiter conferemus.

SECTIO I.

An *baptismus Ioannis essentialiter constiterit ex aliqua materia, & forma.*

QVoniam ex omnibus Euangeliis, constat, Ioannem baptizasse, & in actis Apostolorum sæpe etiam fit mentio baptismatis Ioannis, ideò suppono illud reuera extitisse, & inquiro, quid fuerit. Potest autem eius essentia dupliciter explicari. Primo per partes physicas, illisve similes materiam scilicet, & formam, vel per principia metaphysica, genus scilicet, & differentiam: hoc posteriori modo explicabitur, postea declarando, an ille baptismus sacramentum fuerit, quod nunc intelligi non potest, donec effectus, & institutio illius baptismatis intelligatur. Priori igitur modo nunc tractanda res est.

Principio igitur certa fide constat, quasi materiam remotam baptismatis Ioannis fuisse aquam naturalem. Nam, vt constat Matthæ. tertio, & Marc. primo. Ioannes in Iordane baptizabat aqua ipsius fluminis, quæ naturalis erat, & Ioan. tertio dicitur. *Erat Ioannes in Ænon baptizans iuxta Salim, quia aquæ multæ erant ibi.* Aquæ autem simpliciter dictæ naturales aquas significant. Vnde Actor. 1. dixit Christus: *Ioannes quidem baptzauit aquâ*, quod ipsemet Ioannes testatus fuerat Matth. & Lucæ. 3. & Marc. ac Ioanne. 1. dicens. *Ego baptizo in aqua.* *Materia remota baptismi Ioannis aqua naturalis.* *Matt. 3.* *Marc. 1.* *Ioannis. 3.* *Act.* *Luc. 3.* *Ioannes. 1.*

Secundo certum item est, quasi materiam proximã, vel essentiam illius baptismatis constitisse in ipso vsu, vt nomen ipsum baptismi præfefert, & in his duobus absque vlla controuersia habuit similitudinem ille baptismus, cum baptismo á Christo instituto, & hoc sensu dixit Tertullianus libr. de baptis. capit. 4. *Nec quicquam refert inter eos, quos Ioannes in Iordane, & Petrus in Tyberi tinxit* scilicet, quoad similitudinem materiæ. Tractat enim ibi de similitudine, quę est inter naturales aquas, propter quam quælibet ad baptismum conficiendum sufficit. Difficultas ergo superest, an totus ritus, & essentia illius ceremoniæ posita fuerit in sola externa ablutione aquę, vel illa sola fuerit materia, & aliquid aliud adiunctum per modum formę. *Tertullian.*

Prima sententia affirmat, habuisse baptismum illum eandem formam: quam habet noster baptismus: ita necesse est, sentiant hæretici, qui affirmant, baptismum Ioannis, & Christi omnino eiusdẽ rationis fuisse. Quem errorem Donatistis tribuit Aug. lib. 2. contra literas Petiliani. capit. trigesimo secundo, quanquam Donatistæ reuera nõ affirmabant Ioannem baptizasse sub forma Trinitatis, vt ex Augustino constat. Vnde necesse est ie eos negas- *Canisius, Bellarmin. Augusti.*

se,hanc formam esse de essentia baptismi Christi,vel certè imperite secum pugnas se.Et in eodem errore versantur huius tẽ poris hæretici,vt referunt Canis.libro.de sancto Ioann.c.9.Et Bellar.libr.primo de sacramento bap.c.19.

Secunda sententia est,Ioannem baptizas se sub aliqua forma, non quidem inuocan do Trinitatem, sed Christum venturum, vt v.g.dicendo. *Ego te baptizo in nomine Christi venturi*,vel alio simili modo. Ita sen tit D.Thom.hic ar.6.ad.5.vbi Caietan.id supponit,ac sentit.Idẽ tenet Magis.in 4. d.2.& Bonauent ibi explicans literam Ma gistri Paludan.q.2.art.1.Marsil.q.2.art.2. Alens.4.p q.9.mem.3.ar.1. Hugo Victo rinus lib.2.de sacram.parte.6.cap.6. Cui sententię videtur fauere Hieronym. circa illa verba Ioelis.2.*Effundam de spiritu meo super omnem carnem*,vbi sic inquit,*Vnde & in actibus Apostolorum,qui baptizati erant bap tismate Ioannis,in eum,qui vẽturus erat,hoc est in nomine* Domini IESV, *quia responderunt Paulo interroganti,sed nec si sit Spiritus sanc tus nouimus:iterum baptizantur,imo verũ bap tisma accipiunt,quia sine Spiritu sancto,& mys terio Trinitatis,quidquid in vna vel altera per sona accipitur,imperfectum est*. Ambros.item 1.de Spiritu sancto capi.7. *Ioannes quidem in aduenientis* IESV,*non in suo baptizabat no mine,& ideo spiritum nesciebant*(loquitur de illis,de quibus est sermo Act.19.) *quia nec baptismum in Christi nomine,sicut Ioannes bap tizare solebat,acceperant*. Denique Augu. in lib.quæstionum noui testamen.q.29.dicit baptismum Ioannis non fuisse *sine Saluato ris mentione*. Fundari potest hęc opinio in verbis.Act.19.*Ioannes baptizauit baptismo p enitentiæ populum dicens in eum,qui venturus esset post ipsum,vt crederent*,hoc est, in Iesu, vbi Beda in eadem est sententia.

Tertia sententia negat,Ioannem baptizas se sub aliqua forma verborum. Hanc te nent in 4 d.2.Durand.q.3.Gab.q.2.So tus q.2.art.1.Scotus verò.q.2.vtramque censet probabilem.Fundamentum huius sententię est,quia ex scriptura hoc nõ col ligitur,& alioqui non erat necessaria hæc forma ad finem illius baptismatis.

Dico breuiter primò certum esse,Ioan nem non baptizasse sub illa forma, *ego te baptizo in nomine Patris, & filij,& Spiritus sancti*.Hoc colligitur ex Act.19. vbi bapti zati baptismo Ioannis negant se nomẽ Spi ritus sancti audiuisse,ergo signum est in il lo baptismo non fuisse solitam fieri Trini tatis inuocationem. Quod testimonium esset euidens,si certum esset illis homini bus datum fuisse integrum baptismũ Ioan nis,sed quia hoc Ambros.supra negare vi sus est,ideó non videtur omnino conclu dere,quanquam(vt verum fatear)non vi deo qua ratione,aut fundamento id nege tur.Quia absolutè ibi dicuntur illi homi nes baptizati baptismo Ioannis,quod sim pliciter non ita esset,nisi baptismum illum integrum accepissent.Deinde,ideô Paulus explicauit illis,quomodo Ioannes baptiza ret,vt eos doceret,qua ratione fieri pote rat,vt baptizati essent Baptismo Ioannis, & nihil de Spiritusancto audiuissent,er go supponit,potuisse illos accipere inte grum Ioannis baptismũ sine Spiritussanc ti inuocatione. Et ita intellexit hunc locũ Hieronym.loco supra citato,& idem in dicat in epist.150. ad Hedibiam,q.2.Præ terea constat hæc veritas , quia Christus fuit,qui hanc formam instituit,vt constat ex verbis illis *Baptizantes eos in nomine Pa tris,& filij,& Spiritus sancti*. Matth. vltim. Ac meritò,quia expressa fides Trinitatis nõ est omnibus publicè prædicata,nisi per Christum,& Apostolos,non per Ioannẽ. Rursus,(vt infra dicemus)baptismus Ioã nis non dabat Spiritum sanctum,neq; er go necesse erat in illo inuocari. Vnde quod Ioannes ipse dixit. *Ego vos baptizo in aqua,alius veniet qui fortior me est,ipse vos baptizabit in Spiritusancto*. Exponi potest tũ dando,tum etiam inuocando Spiritũsanc tum.Vnde apud Aug.lib.2.contra literas Petiliani,cap.32.habentur hæc verba,*Ioan nes dedit aquam sine nomine Trinitatis,sicut ip se professus est dicens,ego baptizo vos in aqua, &c*.Fateor tamen hæc verba esse Petilia ni,non Augustini,cæterum quia Augusti nus illa admittit,sententiam approbare vi sus est.

Dico secundo,ex scripturis colligi non posse,an Ioannes baptizauerit sub certa forma verborum,nec ne:illis tamen,& ra tioni magis consentaneum videtur,Ioan nem in suo baptismo nulla forma vsum fuisse. Prior pars constat,quia in Euan gelio,vbi præcipuè narratur huius bap tismi historia, nulla talis formæ fit men tio,ne-

D.Thom. Caietanus. Magist. Bonanent. Palud. Marsil. Alen. Hug.Vict. Hieron. Ioel.2. Ambros. Aug. Act.19. Beda. Durand. Gab. Sot. Scot. Act.19.

Hieron. Mat.Vlt. Aug.

Baptismus Ioannis nõ fuit sub vl la forma verborũ.

tio talis formæ, neq; etiã in loco illo Actuũ, quia ibi nõ dicitur, Ioannẽ baptizasse in nomine Christi, seu inuocando illud, sed dixisse, *vt crederent in eum, qui venturus esset post ipsum*. Quorum verborum sensus apertus est Ioannem docuisse, & monuisse eos, quos baptizabat, vt in Christum crederent; ex quo non fit, vt formam illam suo baptismati adhiberet, quia non est sermo de forma, sed de doctrina, vt latè Chrysostom. homil. 10. in Matthæ. quanquam eo loco nihil dicat de prædicto Pauli testimonio, sed solum prædicationem, & baptismum Ioannis explicet. *Chrysost.*

Posterior pars declaratur primo, quia vbique in scriptura tantum dicitur Ioannis baptisma fuisse *in aqua*, non est ergo, vnde asseramus fuisse etiam in verbo, seu habuisse formam aliquam. Deinde est coniectura, quia postquam Ioannes aliquo tempore baptizauit, miserunt ad eum Pharisæi interrogantes, an esset Christus, ergo signum est illum non fuisse solitum baptizare in nomine Christi venturi. Præterea, vel intelligitur baptizasse in nomine Christi venturi, solum eo sensu, quo Iudei credebant, Christum esse venturum, & hoc non est verisimile, tum quia Christus tunc non erat venturus hoc sensu; sed iam venerat, neque ad Ioãnis munus pertinebat prædicare hoc modo Christum venturum, sed præsentem; vel baptizabat in nomine Christi venturi, idest, quia iam iam manifestandus erat hominibus, & baptizaturus eos in spiritu. Quomodo intelligendum videtur, quod dicit Paulus prædicto loco, Ioannem docuisse homines, vt crederẽt in eum, qui post ipsum venturus erat: at, si Ioannes baptizasset hoc sensu explicato, ante baptismum exigeret ab hominibus fidem illius, in cuius nomine baptizandi erant: hoc autem non esse verisimile non obscurè colligitur ex Marc. 3. & Luc. 7. Adhæc est alia coniectura, quia si Ioannes baptizaret sub illa forma, etiam Christum sub eadem baptizasset, consequens autem videtur absurdũ. Dices in Christo non seruasse illam formam, vt respondent Paludan. & Marsilius. Sed contra, quia sequitur reuera Christum non recepisse baptismũ Ioannis, sicut non recipit nunc sacramentum baptismi, qui abluitur sine forma. *Marc. 3. Luc. 7.*

Deinde, cùm ille baptismus fuerit potissimum institutus, vt esset occasio parandi viam Christo, vt ipse baptizaretur ad sanctificandas aquas, credendum est eo modo fuisse institutum, quo expediebat vt Christo commode applicaretur. Tandem in sacramentis nouæ legis, formæ verborum institutæ sunt, quia sunt aptæ ad expressius significandos spirituales effectus gratiæ horum sacramentorum, & ad inuocandam, seu applicandam virtutem Diuinam, quæ in eis principaliter operatur: sed in baptismate Ioannis non dabãtur gratia, aut spirituales aliqui effectus (vt iam dicemus) nec virtus Diuina specialiter in eo operabatur, ergo non fuerunt in eo verba necessaria: sicut neque in sacramentis veteris legis adiungebantur verba propter eorum imperfectionem, & propter prædictam causam.

Vltimo igitur ex iis concluditur, totam substantiam, & essentiam illius baptismi positam fuisse in exteriori aquæ ablutione. Patet tam ex dictis testimoniis scripturæ, quàm à sufficienti enumeratione, quia exclusis verbis nihil aliud esse videtur, quod de necessitate, vel de essentia illius baptismi dici possit. Dices, si ille baptismus tantum erat ablutio quædam exterior, nihil ergo habebat sacri, nihilque à communi, & vulgari ablutione differebat. Respondetur negando consequentiam, nam illa cæremonia ex intentione, & speciali deputatione, seu impositione, & modo, quo fiebat, habebat rationem quandam signi, & cæremoniæ sacræ. Baptizabat enim Ioannes *baptismo pœnitentiæ in remissionem peccatorum*. Vnde ille baptismus erat signum quoddam subiectionis, & humilitatis, quo homines sese peccatores profitebantur, & indigere interna ablutione, atq; remissione peccatorum. Erat etiam ille baptismus ad significandum perfectiorem baptismum Christi futurum: & ita licet materialiter non esset nisi ablutio aquæ: tamen in ratione talis cæremoniæ, & signi à communi ablutione differebat.

Baptismus Ioannis in externa aquæ ablutione positus.

Obiectio.

Responsio

SECTIO. II.

Vtrum baptismus Ioannis, ad dandam gratiam fuerit institutus, vel cuius rei gratia.

Explicata essentia, & natura huius baptis- A mi, sequitur, vt aperiamus causas eius. Et quoniã intrinsecæ causæ, cũ rei substãtia coincidũt, supersunt tãtum extrinsecæ explicãdæ, dicemus ergo primò de finali quoniam hæc quodammodo prior est, & rei naturam maxime declarat, præsertim in rebus arte, seu vsu hominum factis, simul verò dicemus de effectu, quoniam finis, & effectus in eandem rem incidunt. Hæretici ergo huius temporis contendunt baptismum Ioannis non minus cõtulisse gratiam, quàm nostrum, qui sanè consequenter videntur loqui. De nostro enim baptismo dicunt, non conferre gratiam nisi excitando fidem, quis autem neget etiam baptismum Ioannis potuisse excitare fidem? B Et hęc videtur esse antiquior hæresis Donatistarũ, vt colligitur ex citato loco Aug. lib.2.contra Petilianum cap.32.

Aug.

Dicendum verò est primo, baptismum Ioannis non habuisse virtutem conferendi gratiam, neque ad hunc finem fuisse institutum. Hęc assertio est de fide. Et probatur primo ex Scriptura, Sanctorum expositionibus adiunctis. Nam Mat. & Luc.3. Mar. & Ioannis.1. differentiam constituit ipsemet Ioannes inter suum, & Christi baptisma, dicens. Ego *baptizo vos in aqua, qui autem postme venturus est, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto.* Quę differentia ita sumenda necessario est, vt intelligatur baptismus Ioannis non contulisse gratiam, & spiritum. Nam cùm vterque baptismus Ioannis, & C Christi sit in aqua, certè cùm inter eos cõstituitur differentia, & Ioannis baptisma esse in aqua dicitur, necessario intelligendum est esse tantum in aqua: baptismum autem Christi habere vtrumque, aquam scilicet, & spiritum, vt dicitur Ioan.3. Vnde elegãter Richar. Victo. tract. de baptis. christ. *Ioannes baptizat in aqua solum, sicut homo. Iesus in aqua, & Spiritu sancto, sicut homo Deus Baptizare in aqua, & spiritu est omni sordepeccati mundare, insuper gratiam infundere.* Idem docent Orig. tom. 8. in Ioann. Cyril. lib.1, in Ioan. cap.26. & lib.2. ca.57. Chry. hom. 10.11. & 12. in Matth. Vbi expressè dicit in Christi baptismo dari Spiritus sancti gratiam: Ioannis autem baptismum hoc dono caruisse, & hom.16. in Ioann id confirmat illis verbis, quæ dixerunt quidã baptizati baptismo Ioannis Act.19. *Sed neque si Spiritus sanctus est audiuimus.* Idem ho.40. in Acta Apostolorum Nazian. orat.39. in sancta lumina propè finẽ dicit, baptismũ Ioannis non fuisse omnino similem Iudęorum baptismatibus, quia ad pęnitentiam dabatur, neque etiam fuisse æqualem baptismo Christi, quia spiritum nõ dabat. Cuius sententiæ sensus esse videtur, Ioannis baptismum non fuisse vel solum signum, aut figuram futurorum, sicut fuit trãsitus maris rubri, vel ad tollendos aliquos legales defectus, vel immunditias, sicut erant Iudæorum lauacra, sed fuisse ad excitãdos homines ad pęnitentiam, eosq; ad Christi baptisma disponendos, & in hoc legalia baptismata superasse fuisse tamen inferiorem baptismo Christi, quia gratiam ex opere operato non conferebat. Eodem modo Basil. loquitur hom.13. & lib.1. de baptismo non longè à principio. *Quantum differe minis est inter spiritum, & aquam, tantundem videlicet est inter eum, qui baptizat in Spiritu sancto, & eum, qui baptizat in aqua.* Vnde Dama. li.4.c.10. propter hanc causam baptismũ Ioannis *rudimentarium* appellat. Eandẽ sententiam late docet Hieron. dial. contra luciferianos, vbi contrarium errorem vocat *dogma peruersum.* Eandem sententiam tradunt Ambr. præfat. in Psal.37. Gre. homi. 7. in Euangelia, Augu. frequenter contra Donatistas li.2. contra literas Petiliani ca. 32. & lib.3. cap.56. & lib. de vnico baptismo cap.7. & libro.5. De Baptismo, capit. 9. & 10. & epist. 48. ad finem, & præterea in Enchirid. cap.49. & lib. quæstionum noui testamenti, q.29. optime Leo Pap. epist.4. c.6. Deniq; videtur hæc veritas definita in Concilio Trident. sess.7. canon.1. de baptismo, vbi anathemate ferit, qui dixerit baptismum Ioannis habuisse eandem vim, quam habuit baptismus Christi. Nam licet posset aliquis tergiuersari dicẽs, hinc solũ colligi baptismum Ioannis non contulisse tantam gratiam, vel eosdem spirituales effectus omnes, quos Christi baptismus, non verò nullum omnino contulisse, aut peccatum non remisisse. Quæ interpretatio, si nuda verba consideremus, nõ potest ex illis satis confutari: si tamen attendamus mentem Concili, quæ non est alia, quàm scripturæ, & sanctorũ, quibus nititur, intelligemus apertè non fuisse intentionem eius comparare hæc baptismata in quantitate virtutis: sed in specie (vt ita dicam) quia vnum habet vim conferendi gra-

Baptismus Ioannis non contulit gratiam.
Matt.3.
Luc.3.
Marc.1.
Ioannis.1.
Ioann.3.
Rich. Vict.
Origenes.
Cyr.
Chrysost.
Act.19.
Gre Naz.
Basi.
Damascen.
Hieron.
Ambrosius
Gregor.
Aug.
Leo Papa.
Con. Trid.

di gratiam, qua caruit aliud. Ratio verò, seu congruentia est, quia Ioannes neque erat autor gratiæ, nec redemptor peccatorum: sed præcursor redemptoris, ergo neque opertuit, nec decuit, vt ante Christū institueret baptismum, quo gratiā daret, vel ex opere operato peccata remitteret, hoc enim ad illius munus non pertinuit: sed solū, vt sua prædicatione homines ad gratiam Christi suscipiendam prępararet. Et ideò de Christo dictum est. *Gratia, & veritas per Iesum Christium facta est.* Ioan. 1. de Ioanne verò solum dicitur, *Præibis ante Dominum parare vias eius.* Luc. 1. Hanc rationē attigit, & eleganter explicuit Tertullia. lib. de bap. c. 10.

Ioan. 1. Luc. 1. Tertull.

Dico secundo, Ioannis baptismus solum fuit institutus, vt Christi manifestationi, ac ostensioni deseruiret, atque viā ad baptismū Christi pararet. Ita docuit ipsemet Ioannes, illis verbis, *sed vt manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.* Ioan. 1 Quomodo autem baptismus ille ad manifestandum Christum contulerit, varijs rationibus explicuit D. Tho. hic. ar. 1. Nam in primis, sicut prędictum erat, venturum esse Messiā, ita de illo fuerat scriptum effusurum super homines aquam mūdam, qua ab omnibus inquinamentis mundarentur Ezech 36. & alijs locis, quę congerit eleganter Cyprian. epist. 63. & ideó, vt admonerentur homines, Messiam, eiusque baptismum iam iam adesse, decuit (vt Greg. inquit homil. 7. in Euang.) vt sicut Ioannes prædicatione sua, ita baptismo, homines ad Christum, & baptismum eius excitaret. Deinde, in ipso baptismo Ioannis manifestatus est Christus à Patre coram vniuersa multitudine, quæ ad baptismum Ioannis confluebat, & ipse Ioannes commodius hoc modo potuit Christum prędicare omnibus, qui ad baptismum accedebant, vt Chryso. notauit homil. 16. in Ioan. & latius hom. 10. in Matt. & Cyrill. 1. in Ioan. cap. 26. & Aug. tract. 4. in Ioann. qui alias rationes adducunt, quæ in D. Tho. legi possunt. Solum notanda est alia, quam tetigit Aug. tractatu. 5. in Ioann. his verbis. *Quare missus est Ioannes baptizans, quia oportebat baptizari Christum.* Quæ potest ad illam de manifestatione reuocari, oportuit enim, vt Christus in baptismo à Patre manifestaretur.

Baptismus Ioannis cur institutus. Ioan. 1. D. Thom.

Ezech. 39 Cyprian. Gre. Chry. Cyr Augusti. D. Thom.

Supereſt verò Hæreticorum obiectio, quia Matt. 3. dicitur Ioannes dedisse *baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum* Quę verba explicans Basil. lib. de baptismo, excellentiam baptismi Ioannis ex illis colligit, dicens. *Simul atque accesserat quis, & peccata sua, quantacunque & qualiacunque fuissent, confessus fuerat, in Iordanis flumine baptizabatur, & confestim peccatorum remissionē accipiebat.* & Cyrill. Ieroſolymitan. cat. 3. *Baptizabantur*, inquit, *ab illo confitentes peccata sua, primum ostendebant vulnera, deinde ille medicamenta ponebat, & credentes liberabat ab igne æterno*, & Aug. lib. 5. de baptismo, ca. 9 dicit, baptizari in aqua pœnitentię in remissionem peccatorum nulli hominum nisi Ioanni fuisse concessum, & in illo lib. qu. noui testamenti, qui eius nomine circunfertur, in q. 29. indicatur, baptismum Ioannis remisisse peccata, quanuis gratiam non contulerit. Respondetur ad locum Matt. illum baptismum dictum esse *pœnitentię*, quia introductus est ad excitandos homines ad pœnitentiam, quam propterea Ioannes cæpit prędicare, dicens, *Pœnitētiam agite.* Et quia per pœnitentiam remittuntur peccata, dicitur etiam fuisse *in remissionem peccatorum*, non quam ipse per se daret, sed ad quam per pœnitentiam comparandam, homines excitaret. Vnde eleganter Chrysologus serm. 137 *erat*, inquit, *penes Ioannem venia: sed non sine pœnitentia, erat remissio, sed luctibus comparata*, & infra, *Per baptismū Ioānis purificabatur homo ad pœnitentiam, non promouebatur ad gratiam: at vero Christi baptisma sic regenerat, sic immutat, sic hominem reddit ex vetero nouū, vt præterita neſciat*, &c. Aug. ser. 37. de tem. *Prędicabat in deserto Ioannes baptismum pœnitentię in remissionem peccatorum, non quo crimina commissa deleret, sed quo emendaret errantes. Nam remissio peccatorum Christi gratiæ seruabatur.* Et hinc est, quod in scriptura baptismus Christi, sæpe dicitur *mundare, regenerare, & saluare*, ad Ephe. 5. ad Titum. 3. nunquam verò hoc dicitur de baptismo Ioannis. Item quāuis ad baptismū Christi requiratur pœnitentia, Act. 2. non tamen ipse appellatur *baptismus pœnitentiæ*, sicut baptismus Ioannis. Quia nō est solum ad excitandos homines ad pœnitentiam, sicut erat ille, sed potius suppone re debet pœnitentiam. Denique baptismo Christi tribuitur remissio peccatorum tā

Obiectio. Matt. 3. Basil. Cyr. Iero. Aug.

Responsio

Baptismus Ioannis baptismus pœnitentiæ cur dictus. Pet. Chry.

Aug.

Ephes. 5. Titum. 3. Act. 2.

quam proximę causę, vt Act.2.& alijs locis citatis; at vero Ioannis baptisma solũ media pœnitentia dicitur fuisse propter remissionem peccatorum. Et idem est sinè dubio sensus Cyrill., & Basilij locis supra citatis. Augustinus verò expressè negat, baptismum Ioannis dedisse remissionem peccatorum; quin potius libr. 5. de baptis. cap. 10. aliam expositionem illorum verborum Matth. indicat, quam supra tractauimus in commẽtario art. 1. D. Thom. dicens, Ioannem baptizasse *in remissionem peccatorum*, quia dando baptismum aquæ, prædicabat alium baptismũ, in quo erant remittenda peccata; & hoc modo dicit Ioannem, vel baptismũ eius dedisse remissionem peccatorum, non *in re*, sed *in spe*. Quod ex Greg. & Beda ibidem retulimus.

Aug.

Greg. Bed.

SECTIO III.

quando fuerit institutus, & datus baptismus Ioãnis, quantumq; durauerit.

DVplex distingui solet causa efficiens sacramentorum, instituens, & ministrans, & vtraque inquirenda est in baptismo Ioannis. Quia licet propriè sacramentum nõ sit, (vt infra dicã) modum tamen sacramentorum imitatur.

Primo igitur de institutione Baptismi Ioannis certum est, illum à Deo duxisse primam originem. Hoc constat ex Luca cap. 3. dicente, *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto, & venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitẽtiæ*. Quibus verbis satis indicatur, hoc fuisse verbum Domini factum super Ioannem, scilicet vt ad baptizandum, & baptismum prędicandum exiret. Quod clarius explicuit ipsemet Ioannes dicẽs Ioan. 1. *Qui misit me baptizare, ille mihi dixit, &c*, ex pręcepto ergo Dei baptizauit, hoc ergo modo baptismus ille à Deo traxit originem. Nam qui Ioanni dixit, *Super quem videris spiritum descendentem, & manentem, hic est qui baptizat in Spiritu sancto*, non fuit alius nisi Deus, (fuit enim illa diuina reuelatio) idem ergo Deus illum ad baptizandum misit, vt rectè exponit Cyrill. libr. 2. in Ioan. cap. 2. & 3. dicens hæc dixisse Ioannem, *ne sua sponte præcurrere videretur, qui non suæ voluntatis, sed diuinæ dispensationis minister fuit*. Et Aug. lib. 4. de bap. cap. 22. dicit, eundem Dominũ Ioanni dedisse munus baptizandi, qui ab eodem baptizatus est, quod per communicationem tantum idiomatum intelligendum est, (vt ipse disertè explicuit tract. 5. in Ioannem) baptizatus enim fuit Dominus in humanitate, non est autem verisimile per humanitatem misisse Ioannẽ ad baptizandum, sicut Apostolos postea misit, vt ex verbis Euangelij satis costat. Et cõfirmatur primo concl. posita ex verbis Christi Matth. vigessimo primo. vbi Christus interrogat, *Baptismus Ioannis vnde erat, è cœlo, an ex hominibus?* quod ideò interrogauit, quia intelligebat Pharisęos non fore negaturos baptismum Ioãnis fuisse è cœlo, & à Deo duxisse originem. Ex quo tanquam ex vero principio eos conuincere volebat, quod malè agerent non credentes Ioanni, qui de ipso testimonium præbuerat, vt Chrysostom. & cæteri exponunt. Rursus confirmatur, quia non fuisset ausus Ioannes propria autoritate nouum, & inusitatum ritum introducere; quin potius ipsi etiam Iudæi intelligebant id sine diuinò mandato, & autoritate non licuisse. Vnde, cùm Ioannes negasset se esse Messiam, Eliam, aut prophetam, ab eo sciscitantur, *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neq; Elias, neque propheta?* Ac si dicerent, si non es propheta, ergo nõ habes diuinam reuelationem, & mandatum baptizandi, quomodo ergo audes propria autoritate baptizare? Ipse autem Ioannes respondit tacitè, se non propria; sed diuina autoritate baptizare, quia plus erat, quã propheta, scilicet. Præcursor Domini, vnde inquit, *Ego vos baptizo in aqua; medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis*.

Baptismus Ioannis a Deo.

Luc. 3.

Ioannes. 1.

Cyril,

Augustin.

Matth. 21.

Chrysost.

Difficultas verò superest, vtrum ille baptismus ita duxerit á Deo originẽ, vt ab illo fuerit immediatè institutus, an solum quia ipse misit Ioannem ad baptizãdum, illi committens, vt suo arbitrio baptismum institueret. Hæretici enim huius temporis priori modo explicant institutionem huius baptismi, vt illum nostro baptismo similiorem efficiant. Nonnulli verò Catholici, vt ab illis omnino dissideant, docent, proximum institutorem huius baptismi fuisse Ioannem, cuius arbitrio, & voluntati ritus illius baptismi à Deo cõmissus est. Quod confirmant, ex appelatione, quia in scriptura, ille baptismus frequenter vocatur *baptismus Ioannis*, fuit

fuit ergo Ioannes non minister solum: sed institutor illius baptismi, illa enim denominatio nō solet ministris attribui. Hac enim ratione baptismus Christi núquam appellatur baptismus Petri, aut Pauli. Quā differentiam inter baptismum Christi, & Ioānis indicauit Aug. lib. 5. de bap. c. 13. & hāc sententiam tradit Bellarminus libro. 2. de baptismo cap. 20. & Medina hic.

Aug. Bellarm. Medin.

Baptismus Ioannis de Deo institutus.

Nihilominus dico secundo, ritum huius baptismi immediatè esse a Deo institutū, & Ioanni traditum. Hæc est expressa sententia D. Thom. hic, art. 2. quem sequitur Sotus in 4. d. 2. q. 2. art. 1. Et in eandē sententiam inclinat Canis. libro. de B. Ioanne cap. 7. Et satis probata videtur in cōmētario ar. D. Th. ex verbis illis Ioānis, *Qui misit me baptizare in aqua*, exijs enim habemus totum ritum illius baptismi, ergo Ioannes non tantum in genere præceptum baptizandi: sed etiam in particulari accepit ritū quo baptizaturus esset, quia ille ritus (vt probatū est) non erat alius, nisi vt in aqua fieret baptismus. Et declaratur amplius, nā in ritu illius baptismi duo possunt spectari, alterum (vt ita dicam) positiuum, alterū negatiuum. Positiuum appello, quod fiebat per ablutionem naturalis aquę, & quoad hoc negari non potest, fuisse in particulari ex institutione diuina, vt verba citata videntur conuincere. Negatiuum autem voco, quod non habuit alias essentiales cęremonias, neque aliquam formam, &c. Et quoad hoc contendere posset aliquis, quanuis Deus præscripserit Ioanni, vt in aqua baptizaret: illius tamen arbitrio cōmisisse, vt modum & ritum talis baptismi instituerer, vt v.g. quod cū forma, vel sine illa fieret, vel alio ritu. Sed hoc mihi non probatur. Et varijs modis reijci potest. Primô quia de facto probabilius credimus, in illo baptismo non fuisse alium ritum præter ablutionem aquę, ergo saltem de facto totus ille ritus non fuit alius, nisi quem Deus præscripsit, ergo gratis, & sine fundamento dicitur, fuisse liberum Ioāni adiungere alium ritū, si voluisset. Deinde, quia Christus dixit Apostolis, *baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti*, non solum positiuè colligimus, hunc ritum esse essentialem huic baptismo, sed etiam negatiuè, nihil illi adiūgi posse, quod essentiale sit, ergo si Deus præcisè dixit Ioanni, *baptiza in aqua*, non solum positiuè colligendum est, illum fuisse ritum essentialem: sed etiam negatiue nihil adiungi potuisse, quod esset essentiale. Vnde licet fateremur potuisse Ioannem suo arbitrio adiungere aliquas cæremonias: non tamen propterea dicendum esset, eas esse potuisse de essentia illius baptismi. Et confirmatur, quia vbicunque in scriptura dicitur Ioannē baptizasse *in aqua*, intelligimus exclusiue in sola aqua, vt supra notauimus, ergo si Deus præcisè reuelauit Ioanni vt baptizaret in aqua, recte intelligitur, præscripsisse ritū illius baptismi in sola aqua. Et confirmatur prętera, quia aliàs potuisset Ioannes instituere suum baptismū sub illa forma. *Ego te baptizo in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti*, quod non apparet verisimile. Sed dicunt aliqui hæc recte cōuincere, illum baptismum datum esse Ioanni ex instinctu Spiritus sancti, nihilominus Ioannem illum ritum instituisse. Sed non video quomodo hæc cohęreat. Alias eodem modo possent dici sacramenta vetera instituta à Mose. Quia licet ea accepe rit ex reuelatione diuina: ipse tamen fuit primus eorum promulgator. Deinde quæro, quid sit baptismum instituí á Deo, nisi quód Deus ipse tradat, & præcipiat ritum talis baptismi, quod enim tradat per hominem, non tollit, quin institutio diuina sit. Quocirca si aliquando vocatur Ioannes institutor illius baptismi, intelligēdum est, quia fuit primus promulgator. Ita loquitur D. Thom. 4. d. 2. q. 2. art 1. Tā dem coniectura alterius opinionis parum efficax est, eam enim dissoluit D. Tho. hic ar. 2. ad. 1. dicens baptismum Ioannis denominatum fuisse ab ipso Ioanne. Quia cùm spiritualem non conferret effectum, nihil in eo agebatur, quod ipse non faceret, & ideò quanuis ipse non esset institutor illius baptismi: tamen quia in exequutione non solum erat minister, sed veluti causa principalis, ideò ab ipso Ioanne denominabatur. Et nihil aliud significauit Aug. citato loco, cùm enim dicit Ioanni datā esse potestatem baptizandi, non est sensus, illi datam esse potestatem instituendi baptismum: sed conferendi illum propria virtute, & per modum principalis causæ. Quo etiam sensu dixit Tertull. lib. de baptismo cap. 10. *Ioannis baptismum diuinum fuisse, mandato tamen, non & potestate, quod & Ioannem a Domino missum legimus in hoc munus, cæterū summa.* *Tertul.*

D. Thom. Sot. Canis. Ioann. 1.

Matth. 28.

humana conditione. Quibus verbis idem, q̃ D.Thom.hic,docet, scilicet baptismum illum fuisse diuinum quoad ritū, & institutionem; non verò quoad effectum, ideòq; *humanū*, denominari, quod idē est, ac denominari baptismū Ioannis. Addi etiam potest, sicut lex vetus dicta est *lex Moysi*, non quia eius ille autor fuerit (hoc .n. sensu lex illa diuina fuit, quia solū Deū habuit autorem) sed quia per Moysem primum est promulgata, & quia spiritum non dabat, neq; alium effectum supernaturalem secundum se habebat, sic nimirum dici, de baptismo Ioannis posse.

D. Thom.

Ex his dico 3. proximam causam illius baptismi effectiuam fuisse sanctū Ioānē. Hoc per se notum est ex euangelio, & ex paulo ante dictis explicatum relinquitur, Ioannem non tam fuisse ministrum, quàm principalem causam illius baptismi, quanuis vtroque modo denominari possit. Nam in genere causæ moralis dici potest minister Dei, quia missus ab illo eiusq; iussu illud ministeriū exercebat, tamen in genere causæ physicæ dici causa propria, & principalis potest, vt ex D. Th. hic colligitur. Quia quidquid erat in illa actione, vel effectu eius, humana poterat virtute fieri.

B

Dubium.

Sed quæret aliquis, vtrum Ioannes solum per se ipsum baptizauerit, an verò etiam discipulis illud munus commiserit. Cùm enim ille baptismus tantū fuerit quædam ablutio exterior, videtur verisimile potuisse facile per alios exerceri. Nihilominus Ioannem solum per se ipsū baptizasse, est expressa sētētia Cyrill. li.2.in Ioan.cap.57.& fortasse aliter fieri non potuisse, probabilius est. Et primum quidē colligi potest ex Ioan.3.& 4. nam in priori loco sic dicitur, *Erat autem & Ioannes baptizans in Aenon iuxta Salim, quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur, nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem.* Vbi ponderanda est illa particula, *enim*, redditur enim causa, quòd Ioānes baptizaret, quia nondum erat missus in carcerē, ex quo colligitur non per discipulos; sed per se ipsum baptizasse. Nā si per discipulos baptizasset, potuisset vtique baptismus eius durare etiam ipso conjecto in vincula. Vnde in posteriori loco de Christo explicatur, quòd nō baptizaret ipse; sed discipuli eius, q̃ de Ioanne nō dicitur, sed solum baptizasse. Denique hoc colligi potest ex illis verbis eiusdem Ioannis *Qui misit me baptizare, ille mihi dixit*, Ioan.1. soli ergo Ioanni datum est præceptum baptizandi, nec legimus datam esse ei potestatem communicandi munus illud cum alijs hominibus. Præterea ex fine illius baptismi hoc colligi potest. Ordinabatur enim ad Christi manifestationem (vt diximus) & ad munus præcursoris pertinebat, sicut ergo Ioannes non poterat per alios exercere munus præcursoris, ita neq; baptizare. Quo circa quanuis *ille* baptismus esset tantum in aqua; tamen quatenus erat cęremonia quędam sacra, vna ex circunstantijs illius erat, vt à Ioanne solo ministraretur. Et hinc sumi potest alia ratio, ob quam ille dictus est baptismus Ioānis, quam significauit etiam August. lib. 5. de baptism. cap.13. & tract.5.in Ioannem.

Ioann. 1.

Aug.

Cōtra hoc verò obijci potest, quia Act. 19. dicitur, cū Paulus peruenisset Ephesum, peruenisse ibi quosdam discipulos Ioannis baptismate baptizatos, qui non vidētur ab ipso Ioāne potuisse immediatè baptizari, cū ille nunquā Ephesi baptizauerit. Respondetur potius credendū illos fuisse Iudęos aliquos, qui eo tempore, quo Ioannes baptizabat, Ierosolimis inuenti fuerant, & ab illo tunc fuisse baptizatos. Quod ipsemet Paul. sequentibus verbis indicauit dicens, *Ioannes baptizauit baptismo pœnitentię populum &c.*

Ex quo vltimo colligitur, qua ratione baptismus ille durare non potuerit vltra vincula Ioannis, & cum vita illius simul fuerit extinctus, vt late docet Augustin. tract.4.in Ioan. Quia nimirum solo illius ministerio nitebatur: & sicut Ioanni nullus successit in munere præcursoris, ita neq; in ministerio baptizandi illo baptismo. Quod autem vsque ad incarcerationem Ioannis durauerit, in commentario ar.5. explicatum est.

Augustin.

Ioannes nō per discipulos, sed per seipsum baptizat. Cyr. Ioā. .&.4

C

SECTIO.IIII.

Vtrum baptismus Ioannis fuerit sacramentum veteris, aut nouæ, aut alterius legis.

PRimo hæretici supra citati, qui hunc baptismum eundem esse existimant cum baptismo Christi, consequenter dicent esse sacramentum nouæ legis, non enim negant nostrum baptismum

mum esse verum sacramentum. Quanquã A fortasse Donatistę non dicerent, illum baptismum, prout à Ioanne inchoatum pertinuisse ad nouam legem, sed fuisse etiam ante illam. Hæretici verò huius temporis, qui dicunt Ioannem inchoasse nouam legem, consequenter dicunt, illum esse sacramentum nouæ legis, vt referunt Lindan. lib. 4. Panopl. cap. 16 Canis. lib de B. Ioanne. Bellarminus lib. 1. de bap. cap. 19. Et hi cõsequenter etiam docẽt, baptizatos baptismo Ioannis non fuisse iterum baptismo Christi baptizandos.

Lindan. Canisius. Bellarmin.

Sed horum hæreticorum nullum est fundamentum, vt ex hactenus tractatis de ritu, & effectu illius baptismi cõstare potest.

Secundo fuit multorum Catholicorum B sententia, baptismum illum fuisse verum sacramentum specie, ac natura diuersum à nostro baptismo, quia tam in ritu, quàm in significatione, & efficacia ab illo differebat, distinctum etiam à sacramentis veteris legis, quia talis baptismi modus in tota illa lege non continebatur: simile tamen sacramentis veteribus, quia erat egenũ elementum, quoniã gratiam nõ cõferebat. Ita opinatus est Hugo Victorinus lib. 2. de sacram. part. 6. c. 6. Magister in 4. d. 2. quem ibi D. Tho. q. 2. ar. 1 quæst. 1. sequutus est, & Bonauen. ar. 2. q 2 Duran. q 3. Palu. q. 2 art. 2. Richardus ar. 2. q. 1. Alexander 4. p. q. 3. mem. 3. Marsil. q. 2. ar. 2. Fundamentum est, quia ille baptismus erat quædam sancta cæremonia ordinata ad aliqualẽ ho C minum sanctificationem, & significãs gratiam, & spiritualem ablutionem per Christum dandam, nihil ergo illi deerat ad verã rationem sacramenti, quin potius Marsilius existimat fuisse perfectius sacramentem, quam legalia, quia non solum significabat gratiam, sed etiam proximè ad illam disponebat.

Hug. Vict. Magist. D Thom. Bonauent. Durand. Palud. Richard. Alens. Marsil.

Baptismus Ioannis nõ fuit sacramentum nouæ legis.

Dicendum verò est primò, illum baptismum non fuisse sacramentum nouæ legis. Hoc est de fide. Et probatur primò, quia sacramenta nouæ legis tantum sunt septẽ à Christo instituta, ille autem baptismus nullum exhis sacramentis fuit, maxime enim fuisset baptismus Christi, quod dici non potest secundum fidem, vt ex dictis constat, quia differebant: Primo in ritu ex parte formę, quę rei essentiam constituit. Secundo in efficacia, vt ostensum est. Tertio consequeretur in significatione, quia baptismus Christi significat gratiam præsentem, quæ per ipsum datur, baptismus autem Ioannis vel non significabat gratiã. vel non vt à se conferendam. Quarto in origine, quia noster baptismus institutus est à Christo Deo homine, ille autẽ à Deo vt sic inspiratus est. Quinto hinc fit, vt ille baptismus non potuerit esse professio, neque omnino sacramentum nouæ legis, sicut est noster baptismus, quia neq; fuit institutus ab autore huius legis vt sic, neque etiam tempore huius legis. Nam antequam hęc esset inchoata, ille incæpit, & extinctus est, antequam illa fuerit tradita. Hinc fit sexto, quòd per illum baptismũ non imprimebatur character indelebilis, sicut imprimitur per nostrum. Quia per illum non regenerabantur homines, neque profitebantur aliquam legem, neque efficiebantur membra alicuius Ecclesiæ, nec denique fiebant capaces aliorum sacramẽtorum magis, quàm antea essent. Et ita hęc est omnium Sanctorum Patrum sentẽtia, quos latè retulimus. sect. 1. & 2. & omniũ Theologorum, quos paulo ante citaui.

Ex quo inferunt omnes (vno excepto Magistro, qui in hoc grauiter errauit) illũ baptismum Ioannis non fuisse ita ad salutem sufficientem, quin post institutum, & præceptum Christi baptismũ obligati fuerint omnes ad suscipiendum illum, etiam si baptismo Ioannis essent baptizati, sicut D. Tho. hic docet ar. vlt. & sine vlla dubitatione est de fide certum. Quod manifestè probatur primo ex illa historia. Act. 19. Vbi baptizati baptismo Ioannis iussi sunt iterum baptizari baptismo Christi, vt euidenter constat ex plano literæ contextu, & proprietate verborum, quæ hæretici huius temporis varijs modis conantur ad falsos, & metaphoricos sensus detorquere, tam improbabiliter, atque impudenter, vt superuacaneum censeam eos referre. Præsertim cùm legi possint apud Canisiũ lib. sæpe citato cap. 7. & Bellarminum lib. 1. de bap. cap. 22. Prædicto autem modo intelligunt eam historiam Chrys. Beda, & omnes expositores. Innocentius Pap. epist. 22. cap. 1. Origenes tom. 8. in Ioannem Hier. Ioelis 2. & Dialog. cõt. Luciferianos Ambros. ad Galat. 3. Augusti lib. 2. contra literas Petiliani cap. 37. & lib. 5 de baptismo cap. 9. & 10. Vnde tract. 5. in Ioannẽ, *Qui baptizati sunt a Ioãne, non eis suffecit, baptizati*

Ioãnis baptismo baptizati baptismum Christi tenebantur suscipere. D. Thom. Act. 19.

Canis. Bellarmin. Chrysost. Beda Innocen. Orig. Hierony. Ambrosius Aug. Chrysosto. Tertull.

tizati sunt enim baptismo Christi, quia non bap A *tismus Christi erat baptismus Ioannis, qui accipiunt baptismum Christi, baptismũ Ioannis non quærunt, qui acceperunt baptismum Ioannis, baptismum Christi quæsierunt.* Et cõfirmatur, quia verisimile est, aliquos ex Apostolis Christi fuisse baptizatos à Ioanne præsertim Andream qui discipulus eius fuerat: quin potius de omnibus, id affirmant Aug. Chrysost.hom.1.in Acta Apost. & Tertullian.lib.de baptis.c.12.& tamen constat omnes Apostolos fuisse baptizatos baptismo Christi, vt videre licet in August.epis.108.ad Seleucianum. Quin etiã est verisimile, multos ex iis Iudæis, qui initio Apostolicæ prædicationis Ierosolimis conuertebantur ad fidem Christi, fuisse antea à Ioanne baptizatos. Dicit B Marc.1. enim Marcus cap.1. quod *egrediebatur ad Ioannem omnis Iudææ regio, & Ierosolymitæ vniuersi, & baptizabantur ab eo,* & tamen omnes sine discrimine, cùm conuertebãtur, statim baptizabantur baptismo Christi, vt constat ex Actibus Apostolorum, vbi Act.2. c.2.quærentibus Iudæis à Petro, & reliquis Apostolis. *Quid faciemus viri fratres?* respõdit Petrus, *pœnitẽtiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum in nomine Iesu Christi, &c.* Quibus verbis baptismum Christi proponit omnibus vt necessarium, quanquã dubitari non possit, quin multi ex illis essent baptismo Ioannis abluti. Tandem simile argumentum sumi potest ex Matth.vlt. verbis Christi Matt.vltimo. *Baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti.* Ex quo præcepto sumẽda est ratio à priori huius veritatis, quia baptismus Christi C omnibus hominibus est in præcepto, vt necessarius ad salutẽ; sed per solum baptismum Ioannis non impletur hoc præceptum. Tum quia baptismus Ioannis longè alius erat à baptismo Christi. Tũ etiam, quia ille baptismus non imprimebat characterẽ Christi, ergo. Quo circa sine fundamento distinxit Magister inter baptizatos baptismo Ioannis. Nam si non habebant, inquit, notitiam Trinitatis, seu Spiritus sancti, indigebãt baptismo Christi propter locum Act.19. Act.19. si autem iam habebant notitiam Trinitatis, non oportebat iterum baptizari. In quo grauiter, & valde inconstanter lapsus est. Quia necessitas baptismi Christi non est propter notitiam Trinitatis comparandam (ad id enim satis est instructio, & doctrina) sed ex præcepto Christi oritur, quod non minus obligabat eos, qui fidem Trinitatis habebant, quàm qui illius ignari erant. Item cùm baptisma Christi non solum sit præceptum: sed etiam medium necessarium ad salutem, eius necessitas etiam est propter effectum eius, quem non dabat baptismus Ioannis, etiam si homines illum susciperent, cognitione Trinitatis pollerent.

Ex his ergo colligitur alia differentia inter baptismum Ioannis, & nostrum, quòd hic est ad salutem necessarius, non verò ille. Vnde etiã fit, vt oportuerit hũc durare vsque ad finem mundi, nõ tamen illum. Fit etiam, hunc vniuerso mundo fuisse propositum, & prædicatum: illum B verò tantum vni regioni Iudæorum. Denique hinc consequenter necessariũ fuit, vt hic ministrari potuerit non solum à Christo, vel Apostolis, sed ab aliis etiam hominibus: illi verò satis fuit solius Ioannis ministerium, quia solum pro illo breui tempore institutus est.

Ioannis bap tisma non erat necessarium.

Queri verò hic obiter potest, an pro illo tempore, quo ille baptismus durauit, fuerit necessarius Iudæis, non quidem necessitate medij, nam hoc modo satis ex dictis constat non fuisse necessarium, cũ nihil contulerit necessarium ad salutem, sed necessitate saltem præcepti. Elias Cretensis super orationem.1. Nazian. §. Id *circo Iesus baptismi aqua tingitur*: significat de hoc fuisse eo tempore Diuinum præceptum, sicut erant alia legalia. Verius tamen contrarium apparet, & ideò dicen- C dum est, neque hoc modo fuisse necessarium, vt bene docuit Paludan.in 4.distinct.2.quæstio.2.articul.2. Quia huiusmodi præceptum non continetur in præceptis legis nouæ, nec veteris, vt per se notum est. Neque sine certa ratione, aut autoritate affirmandum est, cùm ex voluntate Dei pendeat. Et confirmatur ex Luc.septimo, vbi sic dicitur. *Pharisæi, & legis periti consilium Dei spreuerunt in semetipsos non baptizati ab eo,* fuit ergo ille baptismus in consilio, non sub præcepto. Vnde statim & inferius capit. vigesimo. reprehendit Christus Pharisæos, quòd Ioanni fidem non adhiberent, quòdque in eum essent blasphemi, quòd autẽ baptizari ab eo noluerint, nunquam eos reprehendit tanquã alicuius præcepti trãsgressores, signum ergo est nõ fuisse in præ-

Dubium.

Elias Cre.

Responsio

Baptismus Ioannis in consilio Iudæis fuit, non in præcepto.

Palud.

Luc.7. & 20.

cepto

cepto. Congruentia verò esse potest, quia ille baptismus non erat res adeo vtilis, & necessaria, vt oporteret strictè mandari.

Baptismus Ioannis non fuit sacramentum legis antiquæ Iustinus Nazian

Dico secundo, baptismū illum non fuisse sacramētū legis veteris. Ita docent ferè omnes Theologi relati, & referendi, & Iustin. Martyr. q. 36. ad Orthodoxos, *Baptisma* (inquit) *Ioannis præuium erat legis gratiæ, & ideo supra legem erat*, idest, præter obligationē legis, vel etiā aliquomodo perfectior veteribus vmbris, quia propinquius ad Christū disponebat. Et hoc modo dixit Nazi. ora. 36. in sancta lumina, Ioannē nō baptizasse *Iudaico more*, & Aug. li. 5. de bap. ca. 9. nulli hominum concessum esse ante Ioānē illo baptismi genere baptizare. Quia non in aqua solū, sed ad pœnitētiā, & aliquo modo ad remissionē peccatorū cōparandā dabatur, quod nō habebāt vetera baptisma ta. Ratio verò est, quia sacramēta legis veteris sūt illa, quæ in veteri lege continentur, & per Moysema Deo data fuerunt. Vnde etiā circūcisio, quę nō est ex Moyse, sed ex Patribus, à multis nō censetur sacramentum veteris legis, quanquā de illa maior quædā sit ratio. Quia licet nō fuerit primùm in illa lege data, fuit tū veluti acceptata, & eius præceptum in ea lege obligauit, & veluti ianua ac fundamentum illius extitit: baptismus autē Ioānis nullo modo cōtentus fuit sub lege veteri, nec per Moysē traditus, nec præceptus, aut obseruatus. Vnde ipsimet Iudæi cum viderent, illum ritum esse præter legē Moysis, interrogabant. *Quid ergo baptizas si tu nō es Christus?* Corrigēdus ergo est, Orig. li. 5. in ad Roman. cap. 6. vbi dicit, Christū fuisse baptizatum *non eo baptismate, quod in Christo est, sed eo, quod in lege est*. Vbi baptismum Ioannis vocat baptismum in lege. Et infra subdit, *Baptismum Ioannis expletio erat veterum, non inchoatio nouorum*. Sed re vera ille baptismus nō fuit proprie in lege veteri (vt ostensum est) potuit tamen hoc modo appellari, propter quandā similitudē, quia erat baptismus inefficax, & in aqua solum.

Ioannes. 1

Origenes.

Obiectio.

Dices, cur magis dicitur *expletio veterum quā inchoatio nouorum?* Quia sicut fuit quodāmodo terminus legis veteris: ita fuit initium nouæ, extrinsecus tamē vtrique, quia ad neutram pertinuit, Respon. quia durāte lege veteri, & antequam noua promulgata esset, & institutus est, & cessauit.

Responsio

Baptismus Ioannis non fuit pro-

Dico tertio, baptismus Ioannis non fuit proprie sacramentum. Ita D. Th. hic art. 1. & Alber. in 4. d. 2. art. 6. Sot. q. 2. art. 1. & recentiores omnes. Ratio tamen non ab omnibus efficax redditur. Prima esse solet, quia omnia sacramenta spectāt ad veterem vel nouā legem. Necesse enim est, sacramētum ad legem aliquam diuinam pertinere. Quia à solo Deo institui potest saltem secūdum potentiā ordinariā: lex autem diuina positiua nulla est præter veterē, aut nouā. Baptismus autē Ioannis nō fuit sacramentum veteris legis, nec nouæ. Quæ ratio efficax esset, si probaretur de ratione sacramenti esse, vt sub aliqua lege comprehendatur, quod prædicta ratione non fit, nec videtur necessarium. Quia non est de ratione sacramenti, vt eius vsus præcipiatur, sicut multi de confirmatione, & Extrema vnctione putant. Et quia præceptum est quid extrinsecum, & posterius ratione sacramenti.

prie sacramentum. Albertus. Soto.

Alia ratio est, quia ille baptismus nō fuit per se institutus ad significandū, sed ad disponendos homines ad pœnitentiam. Verū hoc in primis videtur gratis dictum. Cur enim ille baptismus nō fuit propter aliquam significationem, sicut alia sacramenta vetera? Deinde nō posset ille baptismus deseruire ad excitandos, & preparandos homines, nisi haberet aliquam significationē. Quia nō poterat excitare, nisi tanquam signum: sicut vox non posset hominem excitare, si nō significaret. Denique omnes sancti dicunt, Ioannē baptismo suo Christi baptismum prænuntiasse. Et D. Tho. dixit, fuisse sacramentale quoddam, quod intelligi absque ratione signi sacri non potest.

D. Thom.

Tertia ergo ratio sit, quia de ratione sacramenti est, vt sit cæremonia stabilis ad sanctificandum hominē aliquo modo instituta, & gratiā sanctificātē modo practico significans. Quam definitionem nunc suppono, latius in materia de sacramētis in genere explanandā: sed in hoc baptismo fere nihil horū reperitur, quia ille baptismus nec cōferebat perse aliquam sanctificationem internam, & spiritualē, nec legalē, seu cæremonialē, quia non auferebat irregularitatē aliquā, immunditiam ve legalē: nullo ergo modo per se sanctificabat, sed solum excitabat homines, vt se peccatores recognoscerēt & aliquod humilitatis opus exercerent. Deinde non fuit ille baptismus cæremonia stabilis, quæ pro statu alicuius legis permaneret. Quo sane sensu intellecta prima ratio reiicienda non est. Quia licet de ratione sacramenti nō sit, vt singulis sit in præcepto: est tamen, vt permanen-

manentem habeat institutionē, atq; vt hoc modo ad aliquam legē, seu statū alicuius legis pertineat. At baptismus Ioannis non fuit institutus, vt cum aliqua lege duraret, sed solum vt pra ambulū quoddā & dispositio remota ad introductionem legis nouæ. Rursus non videtur ille baptismus habuisse practicam significationē gratiæ, quæ per illum baptismum, tanquā per signum quoddam practicū promitteretur; sed primò, & per se introductꝰ fuit, ad excitandos homines ad pœnitentiam, & humilitatem, & hinc quasi ex naturali similitudine habuit, vt aliqualiter baptismum Christi futurum significaret, eo modo, quo vnus actus virtutis ex natura rei significat alium similem, vel actus exterior interiorē. Et hoc modo admitti etiā potest secunda ratio supra tacta. Non ergo fuit ille baptismus sacramentum.

Dubium. Responsio Baptismus Ioannis quid. Cyril. Hieron. D. Thom.

Quod si inquiras, quid tandē sit? Iustinꝰ. q. 37. vocat illū *præludium*, seu *procœmiū euangelicæ gratiæ*. Rabbanus lib. 2. de insti. cleric. c. 26. vocat, *Veluti catechismū ad baptismum Christi*. Indicat & Hie. Mar. 1. Cyr. 2. in Ioannem cap. 57. appellat, *Introductorium ad perfectionem*. D. Tho. hic art. 1. vocat *quasi quoddam sacramentale, disponens ad baptismum Christi*. Deniq; (vt sæpe dixi) solū fuit cæremonia quædam externa ad prouocandos homines ad virtutē, quod non satis est ad rationem sacramenti, nisi latissimè ea voce vti velimus.

QVAESTIO. XXXIX.

De baptizatione Christi, In octo articulos diuisa.

Deinde considerandum est, de baptizatione Christi. ¶ Et circa hoc quæruntur octo: ¶ Primo, vtrum debuerit baptizari. ¶ Secundo, vtrum debuerit baptizari baptismo Ioannis. ¶ Tertio, de tempore baptismi. ¶ Quarto, de loco, ¶ Quinto, de hoc quod ei sunt cœli aperti. ¶ Sexto, de Spiritu sancto apparente in specie columbæ. ¶ Septimo, vtrum illa columba fuerit verum animal. ¶ Octauo, de voce paterni testimonij.

A

ARTICVLVS PRIMVS,

Vtrum fuerit conueniens Christum baptizari.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod non fuerit conueniēs Christum baptizari. Baptizari enim est ablui. Sed Christo non conuenit ablui, in quo nulla fuit impuritas. Ergo videtur, quod Christum non decuerit baptizari. 2. 4. 4. d. 2. q. 2. art. 3. q. 3. et q. 3. ar. 2. q. 1. corp. & Matt. 3. co. 12. opu. 60 c. 9.

B

¶ 2. Præterea, Christus circuncisionē suscepit, vt impleret legem. Sed baptismus non pertinebat ad legem. Ergo non debebat baptizari.

¶ 3. Præterea, Primum mouens in quolibet genere est immobile secundum illum motum: sicut cœlum quod est primum alterans, non est alterabile. Sed Christus est primum baptizans, secundum illud Ioan. 1. Super quem videris Spiritum descendentem, & manentē, hic est, qui baptizat. Ergo ipsum non decuit baptizari.

¶ Sed contra est, quod dicitur Matthæi 3. quod venit Iesus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo.

Respondeo dicendum, quod conueniens fuit, Christum baptizari. Primò quidem, quia vt Ambrosius dicit super Lucā. Baptizatus est Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas, vt ablutæ per carnem Christi, quæ peccatum non cognouit, baptismatis vim haberent: & vt sanctificatas aquas relinqueret postmodum baptizandis, sicut Chrysostomus dicit super Matthæū. Secundo, quia sicut Chrysostomus dicit super Matth. quanuis ipse non esset peccator, tamen naturā suscepit peccatricem, & similitudinem carnis peccati, propterea, etsi pro se baptismate non indigebat, tamen in alijs, carnalis natura opus habebat. Et sicut Greg. Nazian. dicit, Baptizatus est Christus, vt totum veteranum Adam immergat aquæ. Libr. 2. in Luc. c. vlt. in prin. to. 5. Hom. 4. in operetimperfecto non remote a prin. tom. 2. In orat. in Sancta Lumina a medio to. 5

C

¶ Tertio

¶ *Tertiò baptizari voluit, sicut Aug. dicit in sermone de Epiphania: quia voluit facere quod faciendum omnibus imperauit. Et hoc est quod ipse dicit, Sic decet nos implere omnẽ iustitiam. Vt enim Ambros. dixit super Luc. Hæc est iustitia, vt quod alterum facere velis, prior ipse incipias, & tuo alios horteris exẽplo.*

Li. 2. in Luc. c. 3. a me. to. 5.

Ad primũ ergo dicẽdum, quòd Christus non fuit baptizatus, vt ablueretur, sed vt ablueret, sicut dictũ est. ¶ *Ad secundum dicendum, quòd Christus non solùm debebat implere ea, quæ erant veteris legis, sed etiam inchoare ea, quæ sunt nouæ legis. Et ideò non solum voluit circũcidi, sed etiã baptizari.* ¶ *Ad tertium dicendum, quòd Christus est primum baptizans spiritualiter: & sic non est baptizatus, sed solùm in aqua.*

In corp.

TItulus huius art. generatim de baptismo intelligendus est, abstrahendo à baptismo Christi, vel Ioannis. Nam in artic. sequenti inquirit D. Tho. qua specie baptismi oportuerit baptizari Christum. Et ideò vt rationes, propter quas id fuit expediens, melius explicemus, commodius erit vtrumq; simul Articulum interpretari.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm Christus baptismo Ioannis debuerit baptizari.

AD secundũ sic proceditur. *Videtur, quod Christus non debuerit baptizari baptismo Ioannis. Baptismus enim Ioannis fuit baptismus pœnitentiæ. Sed pœnitentia Christo non conuenit, quia nullum habuit peccatũ. Ergo videtur, quòd non debuerit baptizari baptismo Ioannis.*

Hom. 12. in Matth. non longe a medio. tom. 2.

¶ 2. *Præterea Baptismus Ioannis, sicut dicit Chrysost. medium fuit inter baptismum Iudæorum, & Christi baptismũ. Sed mediũ sapit naturã extremorũ. Cũ ergo Christus nõ fuerit baptizatus baptismate legali, nec etiam baptismate suo, videtur, quod pari ratione baptismate Ioannis baptizari non debuerit.*

A

¶ 3. *Præterea, Omne quod in rebus humanis est optimũ, debet attribui Christo. Sed baptismus Ioannis non tenet supremum locum inter baptismata. Ergo non conuenit, Christum baptizari baptismo Ioannis.* ¶ *Sed contra est, quod dicitur Matth. 3. quòd venit Iesus in Iordanem, vt baptizaretur à Ioanne.*

Respondeo dicendum, quòd sicut dicit Aug. super Ioan. baptizatus Dominus baptizabat, non eo baptismate, quo baptizatus est. Vnde cùm ipse baptizaret baptismo proprio, consequẽs est, quòd non fuerit baptizatus suo baptismate, sed baptismate Ioannis. Et hoc fuit cõueniens, primo quidem propter conditionem baptismi Ioannis, qui non baptizauit in Spiritu, sed solum in aqua: Christus autem spirituali baptismate non indigebat, qui à principio suæ conceptionis gratia Spiritus sancti repletus fuit, vt patet ex dictis, & hæc est ratio Chrysost. Secundo, vt Beda dicit, baptizatus est baptismo Ioannis, vt baptismo suo baptismũ Ioannis comprobaret. Tertiò, sicut Greg. Nazian. dicit, Accedit Christus ad baptismum Ioannis, sanctificaturus baptismum.

Tract. 13. in Ioan. ali quantulum prin. to. 9

B

Beda Mar. ci. 1. circa prin. ca. 4. to. 2.

Nazian. in ora. in sancta lumina a medi.

C

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut suprà dictum est, Christus baptizari voluit, vt nos suo exemplo induceret ad baptismum. Et ideò ad hoc, quòd esset efficacior eius inductio, voluit baptizari baptismo, quo manifestè non indigebat, vt homines ad baptismum accederent, quo indigebant. Vnde Ambro. dicit super Luc. Nemo refugiat lauacrũ gratiæ, quando Christus lauacrum pœnitentiæ non refugit. ¶ *Ad secundum dicendum, quòd baptismus Iudæorum in lege præceptus, erat solùm figuralis: baptismus autẽ Ioannis aliqualiter erat rea-*

art. præced. Caie.

lib. 2. in Luc. c. vlt. amed. to. 5.

lis, inquantũ inducebat homines ad abs A *tinendum à peccatis: baptismus autem Christi habet efficatiã munandi à peccato, & gratiã conferendi. Christus autem neq; indigebat percipere remissionem peccatorũ, quæ in eo non erant: neque recipere gratiam, qua plenus erat: similiter etiam cùm ipse sit veritas, non competebat ei, id quod in sola figura gerebatur. Et ideò magis congruum fuit, quòd baptizaretur baptismo medio, quã aliquo extremorum.* ¶ *Ad tertium dicendum, quòd baptismus est quoddam spirituale remedium. Quantò autem aliquid est magis perfectum, tantò minori remedio indiget. Vnde ex hoc ipso, quòd Christus est maximè perfectus, cõueniens fuit, quod non baptizaretur perfectissimo baptismo: sicut ille qui est sanus, non indiget efficaci medicina.* B

COMMENTARIVS.

QVanuis D.Thom. simplicem, seu affirmatiuam tantum quæstionem proponat; mens tñ ipsius fuit exclusiuã tractare quæstionem, an scilicet debuerit solo baptismate Ioannis baptizari. Vnde ex his duobus articulis tres assertiones colligi possunt.

Prima est, cõueniẽs fuisse Christũ baptizari baptismate Ioannis. In qua alia generalis cõclusio cõtinetur scilicet fuisse conueniens aliquo baptismo baptizari. Huius Assertionis varias adducit rationes D.Tho. prima. vt suo baptismo mũdaret, & sanctificaret aquas, vimq; regenerãdi illis cõferret. Hæc est 1. In 1. art. & 3. in. 2. quã eisdẽ fere terminis habent Gregor. Nazian. oratione. in sancta lumina, quæ est 39. Hilarius. canone. 2. in Matth. Chrysosto. homil. 10. in Matth. Ambr. serm. 4. Epiphan. & lib. 2. in Lucã ca. vlt. Hierony. Matth. 3. Aug. serm. 1. Epiphan. & ser. 1. dominicæ infra octa. Epipha. & serm. 2. addit, *Vt noui baptismatis constituat sacramentũ*, Vbi indicat, Christum recipiendo baptismum Ioannis, instituisse suum. Quia (vt suo loco latius dicendum) tunc veluti destinauit aquas ad sacramentale ministerium. Et eodem modo intelligendum est *sanctificasse illas*, aut dedisse eis virtutem, non imprimendo qualitatem aliquam; sed per extrinsecam denominationem, seu deputationẽ. Eodem modo explicanda est illa vox *mũdaret*, quæ metaphoricè hic vsurpatur, eãque magis explicans Aug. lib. 3. de mirabilibus scriptu. c. 5. *Ad baptismũ* (inquit) *descendit, vt aquas, quas in delicto Adæ Deus non maledixerat, terræ, tamen, qua cõtinebantur, maledictione infectas purgaret.*

Baptismo Ioãnis baptizatur Christus debuit

Gre. Naz. Hilar. Chryso. Ambros. Hieron. Augusti.

Secunda ratio in primo art. est, vt suo baptismo nobis proficeret: Ipse enim baptismate non indigebat, quod Nazian. sup. dixit, quem Damascen. imitatur, lib. 4. c. 10. *vt veterem Adam in aquis sepeliret* quod potest exponi, vel secundum representationem, quia illo baptismate significatum est, totam humanam naturam in Christo, & per Christum à peccatis abluẽdam: vel secundum valorem, & meritum, quia per illum humanitatis actum, meruit Christus, vt hominis peccatum deleretur, in aquisque sepeliretur. Vel secundum institutionẽ, quia suo baptismate dedit Christus aquis virtutem ad lauandum, atque mundandum veterem Adam. Et hoc vltimo sensu hæc ratio cum prima coincidit. Gre. Naz. Damascen.

Tertia ratio in primo artic. est. Quia decuit Christum prius exequi, quod faciendum omnibus imperabat. Quã rationem refert D.Thom. ex Aug. serm. de epiphania. Nam in primo sic ait. *Quod facere nos voluit, prior ipse fecit.*, videtur tamen difficilis, quia si quid probat, illud est oportuisse scilicet baptizari Christum suo baptismo, non Ioannis, quia non hunc, sed illum C præcepit. Hanc verò difficultatem veluti explicãs Augu. tra. 5. in Ioann. sic ait. *Auctoritatem dare baptismo suo hinc dignatus est, vt cognoscerẽt serui sui, quanta alacritate deberent currere ad baptismum domini, quando ipse dignatus est accipere baptismũ serui*, & infra, *vt accipiens, quod inferius erat ab inferiori, ad id, quod superius erat, hortaretur inferiorẽ*, simili habet libro. 4. de baptis, capitulo. 22. & libr. 3. de mirabilibus scripturæ c. 3. & eodem modo dixit Ambros. libr. secundo. in Lucam propè finem. *Quid enim tam diuinum ad populos prouocandos, quam vt nemo refugiat* Augustin. Ambros.

refugiat lauacrum gratiæ, quando Christus lauacrum pœnitentię non refugit? nemo se dicat exortem esse peccati, quando Christus venit ad remedium peccatorum. Ad hunc etiam modum accipiendum est, (quod ait Nazian. oratione 40.) tres scilicet esse hominis natiuitates, per generationem, per baptismum, per resurrectionem, quas Christus honorauit nascendo, resurgendo, & baptismum recipiēdo. Hoc enim necesse est intelligi de baptismo secundum externam ablutionem, non verò secundum propriam rationem, & ritum nostri baptismi. Et eodem modo exponenda sunt verba Aug. lib. quæst. noui testament. q. 49. *Dignum erat, vt ipse exemplo esset futuris filijs Dei, qui per baptismum filios Dei fieri docebat, & qui credentibus Spiritum sanctum a Deo dari promittebat, debuit istud in semetipso visibiliter demonstrare.* Et infra, *Hominis cau sam suscipiens, & per regenerationem filios Dei fieri docens baptizari debuit, vt in se hoc ostenderet ratum.*

Gre. Naz. — Augusti.

Quarta ratio ex ar. 2. est, Christū fuisse baptizatum, vt Ioānis baptismum cōprobaret, sicut circuncisus est, vt circuncisionem bonam esse exemplo suo ostēderet. Quam rationem attigit Chrysost. hom. 4. imperfecti, & Beda Mar. 1. & explicari amplius potest. Nam cùm Christus esset statim baptismum suum instituturus, ne videretur baptismum Ioannis, tāquam malum abjicere, alium loco eius introducendo, decuit illū prius accipere.

Quinta ratio adjungi potest ex Aug. in Enchirid. cap. 49 dicente. *In aqua voluit baptizari a Ioanne, non vt iniquitas eius dilueretur: sed vt magna commendaretur humilitas.* & serm. 63. de verbis Domini, *Hoc fecit ad humilitatis exemplum, in ipsa quippe humilitate ostendit impleri iustitiam.* Alludēs ad verba Christi. Matth. 3. *Sine modo, sic enim decet nos implere omnē iustitiā.* Similia habet tract. 5. & 13. in Ioan. & lib. 4. de baptis. cap. 22. & Bern. serm. 4. de Epiphan.

Augustin. — Mat. 3. — Bernar.

Sexta, quæ præcedentem magis explicat, sumitur ex Nazian. orat. 39. dicente, *Christus baptizatus est ante suæ prædicationis initium, vt ea res nobis documento esset, purgationem, animique submissionem prius adhibendam esse, nec concionandi prouinciam ante suscipi debere, quam ad spiritualis, & corporeę ętatis perfectionem ventum fuerit.*

Gre. Naz.

A Septima addi potest ex eodē Nazian. ibi, baptizatum esse Christū, *vt suum baptizatorē sāctificaret*, ideſt, vt ampliori sanctitate illum ornaret. Octaua adjungi potest ex Aug. lib. 3. de mirabilibus scripturę. c. 5. vbi inquit, Christū esse baptizatum, vt se Dęmoni occultaret existimanti illum ad baptismum accesisse tanquā lauacri, & purgationis indigum. Dices id non potuisse fieri sine mendacio, quia illud erat signum peccatoris, & indigentis pœnitentia. Respondetur sæpe, in superioribus expeditam esse objectionem simil ē. Nam opera, quæ perse bona sunt, fieri possunt propter suam honestatem sine animo significādi aliquid falsū, quāuis futurū fortè sit, vt alij occasionē deceptionis inde accipiant. Addi verò potest, Christum propter se non indiguisse pœnitentia; tamen propter nos debuisse satisfacere, & humilitatis opera exercere, & hoc potuisse illo facto significari.

Auguſt. — Obiectio. — Reſponſio

Secunda assertio D. Tho. est, nō oportuisse Christum baptizari suo baptismate. Quam conclusionem notandam censeo propter huius temporis hæreticos. Qui ea potissimū ratione probant, Ioannis baptismum eundem fuisse cum baptismo Christi, quoniā Christus solo vno baptismo baptizatus fuit, constat autem illum fuisse baptismum Ioannis. Decuit autem (inquiunt) vt suum baptismū ipse reciperet. Tum propter magnum fideliū solatium. Tum etiam, quia per baptismū efficimur vnum corpus (vt dicitur .1. ad Cor. 12.) D. Thom. igitur veluti his hæreticis occurrens negat, decuisse Christū proprium baptisma suscipere: cuius rei nonnullas reddit rationes. Primam insinuat art. 1. ad 3. *Quia Christus fuit primum baptizans spiritualiter*, ac si diceret Christū esse principium nostri baptismi in superiori ordine existens, & ideò ad hoc significandum decuisse, vt ipse non subderetur baptismo, quod instituebat. Quæ ratio explicanda est ex ijs, quæ tradit D. Tho. supra. q. 63. ar. 5. & 6. vbi probat in Christo nō esse characterem, quia in eo est plenitudo potestatis, & sacerdotij, cuius character solum est participatio quędam. Sic enim in prędenti, cum per baptismū Christi imprimatur character baptismalis, qui est proprium inferiorum

Christum suo baptizari baptismate non decuit.

1. Cori. 12. — D. Thom.

militum insigne, non oportuit illo insigniri supremum ducem. Secunda ratio ex 2.articul.est, quia baptismus Christi est non tantum *in aqua*; sed etiam *in spiritu* (est enim regeneratio spiritualis) ne igitur videretur Christus indigere tali regeneratione, non oportuit illum baptismū suscipere. Quæ ratio non habuit locum in baptismo Ioannis, qui tantū erat *in aqua*. Tertia ratio ex solut.ad 2. & 3. in eodem arti.est, quia baptismus Christi est spirituale remedium: Christus autem, cùm esset perfectissimus, remedio non indiguit. Vt hoc igitur significaretur, non oportuit suo lauari baptismate. De qua re commodè dicemus infra in fine totius quæst. disputat.27.sect.3.

Baptismo legali Christum baptizari cur non decens.

Tertia assertio D.Tho.est, non oportuisse Christum baptizari aliquo baptismo legali, seu veteris legis. Hanc habet D. Thom. arti.2.ad 2.& solum eam probat, quia ille baptismus erat tantum figura; cùm autem Christus esset veritas, non competebat ei (inquit) quod in sola figura gerebatur. Quæ ratio videtur nimium probare, alioquin neque circuncisionem debuisset Christus assumere, neque alias cæremonias legales exercere, quia *omnia in figura contingebant illis*. Quo circa hæc ratio D. Thom. solum probat in illis baptismatibus veteribus secundum se consideratis non fuisse sufficientem rationē, propter quam eis Christus vteretur, & ideò, cùm in illis non inueniatur peculiaris ratio, quæ in circuncisione & alijs similibus reperta est, verisimile esse Christū non fuisse illis vsum. Addo præterea baptismata illa legalia nō potuisse ab omnibus proprio arbitrio exerceri, sed ad aliquam purificationem ab immū ditijs legalibus. Quia ergo Christus nulla purificatione indiguit, neq; immunditiā legalem contraxit, idcirco necesse non fuit, illis baptismatibus vti.

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus conuenienti tempore fuerit baptizatus.

216 4.d.4.q:3 ar.1.q.2.1. & d.44. in prin. expositionis litera.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd non conuenienti tempore Christus fuerit baptizatus. Ad hoc enim Christus baptizatus est, vt suo exemplo alios ad baptismum prouocaret. Sed fideles Christi laudabiliter baptizantur, non solùm ante trigesimum, sed in infantili ætate. Ergo videtur, quòd Christus non debuerit baptizari in ætate triginta annorū.

¶2. Præterea Christus non legitur docuisse, vel miracula fecisse ante baptismum. Sed vtilius fuisset mundo, si priori tēpore docuisset, incipiens à vicesimo anno, vel etiam prius. Ergo videtur, quòd Christus, qui pro vtilitate hominum venerat, ante trigesimum annum debuerit baptizari.

¶3. Præterea, Iuditium sapientiæ diuinitùs infusæ, maximè debuit manifestari in Christo. Est autem manifestatum in Daniele tempore suæ pueritiæ: secundū illud Daniel.13. Suscitauit Dominus spiritum pueri iunioris, cuius nomen Daniel. ergo multo magis Christus in sua pueritia debuit baptizari, & docere.

¶4. Præterea, Baptismus Ioannis ordinatur ad baptismum Christi, sicut ad finem. Sed finis est prior in intentione, & posterior in executione. ergo vel Christus debuit primus a Ioanne baptizari, vel vltimus.

¶Sed cōtra est, quod dicitur Luc.3. Factum est cùm baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato, & orāte: & infrà. Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta.

Respondeo dicendum, quòd Christus cōuenienter fuit in trigesimo anno baptizatus. Primo quidē, quia Christus baptizabatur quasi ex tunc incipiens docere, & prædicare. Ad quod requiritur perfecta ætas: qualis est tringinta annorum. Vnde legitur Gen.41. quod triginta annorum erat Ioseph, quando accepit regimen Ægypti. Similiter etiam 2.Reg.5. legitur de Dauid, quod triginta annorum erat cùm regnare cœpisset.

Ezechiel

Ezechiel etiam, in trigesimo anno cœpit prophetizare, vt habetur Ezechiel. 1.

Ho. 10 non remote ap. tom. 2.

Secundò, quia sicut Chrisostom. dicit super Matth. futurum erat, vt post baptismum Christi, lex cessare inciperet. Et ideò hac ætate Christus ad baptismum venit, quæ potest omnia peccata suscipere, vt lege seruata, nullus dicat, quod ideo eam soluit, quia implere non potuit. Tertiò, quia per hoc, quod Christus in ætate perfecta baptizatur, datur intelligi, quod baptismus parit viros perfectos: secundum illud Ephes. 4. Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Vnde & ipsa proprietas numeri adhoc pertinere videtur: consurgit enim trigenarius numerus ex ductu ternarij in denarium. Per ternarium autem, intelligitur fides Trinitatis, per denarium autem impletio mandatorum legis, & in his duobus perfectio vitæ Christianæ consistit.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Gregor. Nazianzenus dicit, Christus non est baptizatus quasi indigeret purgatione, nec quod aliquod illi immineret periculum differendo baptismum, sed cuiuis alij non in paruum redundat periculum, si exeat ex hac vita, non indutus veste incorruptionis, scilicet gratia. Et licet bonum sit post baptismum baptismi munditiam custodire, potius tamen est (vt ipse dicit) interdum pauliſper maculari, quàm gratia omnino carere.

In oratio. in Epipha. Lumina post med.

Eodē loco.

¶ *Ad secundum dicendum, quod vtilitas, quæ à Christo prouenit hominibus, præcipuè est per fidem, & humilitatem, ad quorum vtrumque valet, quod Christus in pueritia, vel adolescentia non cœpit docere, sed in perfecta ætate. Ad fidem quidem: quia per hoc apparet in eo vera natura humanitatis, quod per temporum incrementa corporaliter profecit: & ne huiusmodi profectus putaretur esse phantasticus, noluit sapientiam suam vel virtutem manifestare ante perfectam corporis ætatem. Ad humilitatem vero, ne ante perfectam ætatem aliquis præsumptuose prælationis gradū, & docendi officium assumat.*

A

¶ *Ad tertium dicendum, quod Christus proponebatur hominibus in exemplum omnium. Et ideo oportuit in eo ostendi id quod competit omnibus secundum legem communem: vt scilicet in ætate perfecta doceret. Sed sicut Gregor. Nazianzen. dicit, non est lex communis quod raro contingit, sicut nec vna hirundo ver facit. Aliquibus enim ex quadam speciali dispensatione, secundum Diuinæ sapientiæ ordinem, & rationem, concessum est præter legem communem, vt ante perfectam ætatem, officium vel præsidendi, vel docendi haberent: sicut Salomon, Daniel, & Hieremias.*

Lococitato ad arg. 1.

B

¶ *Ad quartū dicendū, quod Christus nec primus, nec vltimus debuit à Ioanne baptizari: quia vt Chrysostom. dicit super Matthæ. Christus ad hoc baptizabatur, vt confirmaret prædicationem, & baptismum Ioannis: & vt testimonium acciperet à Ioanne. Non autem creditum fuisset testimonio Ioannis, nisi postquam fuerunt multi baptizati ab ipso. Et ideo non debuit primus à Ioanne baptizari. Similiter etiam nec vltimus: quia (sicut ipse ibidem subdit) sicut lux solis non expectat occasum Luciferi, sed eo procedente egreditur, & suo lumine obscurat illius candorem: sic & Christus non expectauit, vt cursum suum Ioannes impleret, sed adhuc eo docente, & baptizante, apparuit.*

Ho. 4. in o pere imper fe. circapr. illiu sto. 2.

C

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrūm Christus debuerit in Iordane baptizari.

217. Mat.3 co. 4.fin.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd Christus non debuerit baptizari in Iordane. *Veritas enim debet respondere figuræ. Sed figura baptismi præcessit in transitu maris Rubri: vbi Ægyptij sunt submersi, sicut peccata delentur in baptismo. Ergo videtur, quòd Christus magis debuerit baptizari in mari Rubro, quàm in flumine Iordanis.*

¶ 2. *Præterea, Iordanis interpretatur descensus. Sed per baptismum aliquis ascendit magis, quàm descendat, vnde etiam Matth.3. dicitur, quòd baptizatus Iesus confestim ascendit de aqua. Ergo videtur inconueniens fuisse, quòd Christus in Iordane baptizaretur.*

¶ 3. *Præterea, Transeuntibus filiis Israel, aquæ Iordanis cõuersæ sunt retrorsum, vt legitur Iosuæ. 4. & sicut etiam in Psalm. 113. dicitur. Sed illi, qui baptizantur, non retrorsum, sed in antea progrediũtur. Nõ ergo fuit cõueniẽs, quòd Christus in Iordane baptizaretur.* ¶ *Sed cõtra est, quod dicitur Marc. 1. quod baptizatus est Iesus à Ioanne in Iordane.*

Respondeo dicendum, quòd fluuius Iordanis fuit, per quem filij Israel in terrã promissionis intrauerunt. Hoc autem habet baptismus Christi speciale præ omnibus baptismatibus, quòd introducit in regnum Dei: quod per terram promissionis significatur. Vnde dicitur Ioannis 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Ad quod etiam pertinet quòd Helias diuisit aquas Iordanis, quando erat in curru igneo rapiendus in cœlum, vt dicitur 4. Reg. 2. quia scilicet transeuntibus per aquam baptismi, per ignẽ Spiritus sancti patet aditus in cœlum. Et ideò conueniens fuit, vt Christus in Iordane baptizaretur.

Ad primum ergo dicendum, quòd A *transitus maris Rubri præfiguravit baptismum, quãtum ad hoc, quòd baptismus delet peccata, sed trãsitus Iordanis, quãtum ad hoc, quòd aperit ianuam regni cœlestis, qui est principalior effectus baptismi, & per solum Christum impletus. Et ideò conuenientius fuit, quòd Christus in Iordane, quàm in mari baptizaretur.* ¶ *Ad secundum dicendum, quòd in baptismo est ascensus per profectum gratiæ, qui requirit descensum humilitatis: secundum illud Iaco. 4. Humilibus autem dat gratiam. Et ad talem descensum referendum est nomen Iordanis.* ¶ *Ad tertium dicendum, quòd sicut Augustinus dicit in sermone de Epiphania. Sicut antea aquæ Iordanis retrorsum conuersæ fuerant, ita modò Christo baptizato retrorsum peccata conuersa sunt. Vel etiã per hoc significatur, quòd contra descensum aquarum, benedictionũ fluuius sursum ferebatur.*

B

DISPVTATIO XXVI.

In duas sectiones distributa.

De tempore, & ætate, in qua Christus baptizatus est.

DE Christi baptismo, quoad substãtiam, & causas eius nihil addendũ occurrit ijs, quæ in superioribus dicta sunt, quoniam ex Euangelio constat baptizatum fuisse Christũ baptismo Ioãnis, de quo quid fuerit, iam dictũ est; causæ verò, seu rationes, ob quas Christus baptizatus est, satis sunt in commentario artic. 2. explicatæ. Supereſt igitur, vt de circunstantijs illius baptismi, ac de ijs, quæ in ipso acciderunt disseramus. Tractat autem D. Tho. in his duobus articulis de circunstantijs temporis, & loci baptismi Christi, & quidem de circunstantia loci nihil dicendum occurrit. Tũ quia non videtur esse res magni momẽti. Tũ etiã, quia rationes oẽs, quas D. Tho. affert,

affert, allegoricæ sunt, ac morales. Literalis enim fortasse ratio, ob quam Christus in Iordane baptizatus fuit, solũ est, quia ille erat aptus, & accõmodatus locus, vt ad illum maior hominum multitudo confluereret, vt coram eis Christus à Patre, & à Ioanne manifestaretur. De circunstantia verò temporis accuratè disputandum, quoniam hic iaciendum est fundamentum ad ea, quæ de tempore prędicationis, & mortis Christi, tractãda postea sunt.

SECTIO I.

Quo die, ac mense baptizatus sit Christus.

Epiphan. PRima sententia est Epiphanij hæres. 51. non longè à fine asserentis Christum baptizatum esse sexto idus Nouembris. Quæ sententia nullo testimonio ab ipso probatur, nec video, quo niti fundamento possit. Quid verò de ea sentiendum sit, dicam postea. B

Onuph. Canus: Baron. Secunda ergo sententia est, illum fuisse baptizatum sexto die Ianuarij. Hanc tenent Onuphrius in fastis lib. secundo. Canus lib. vndecimo de locis capit. 5. ad 6. & Cæsar Baronius in apparatu suorum Annalium, vbi dicit Romanam Ecclesiam semper ab Epiphanij sententia abhorruisse, & antiquos Patres, ac ipsammet Ecclesiam hanc sententiam profiteri. Quod quam constanter ab ipso dictum sit, ex dicendis constabit. Nititur ergo hæc opinio in quadam Ecclesiastica traditione, quæ docet Epiphaniam, seu apparitionem Domini factam Magis, sexta die Ianuarij accidisse (vt supra de illo mysterio agentes, indicauimus.) Sed eadem Ecclesiastica traditio docet eodem mense, mensisque die Christum fuisse C baptizatum. Quod patet primo ex officio Epiphaniæ, vbi sæpe hoc Ecclesia repetit. Vnde in primo respõsorio inquit: *Hodie in Iordane baptizato Domino, aperti sunt cęli*, & in quadam antiphona. *Hodie cœlesti sponso iuncta est Ecclesia, quoniam in Iordane lauit Christus eius crimina*, & rursus in alia, *Tribus miraculis ornatum diem sanctum colimus, hodie in Iordane a Ioanne Christus baptizari voluit.* Ac denique in hymno. *Lauacra puri gurgitis cęlestis agnus attigit, peccata, quæ non detulit, nos abluendo sustulit.* Secundo, videtur hæc antiquorum Patrum sententia, Augustinus serm. 37. de tempore, sic inquit. *Quanquam nonnulli hodie Dominum a Magis æstiment adoratum, alij aquam in vina mutasse, quidam vero baptizatum illum a Ioanne confirment; in omnibus tamen filius Dei creditur, in omnibus est vera festiuitas*, & eodem sensu dixerat sermo. 29. *In hac die, siue quod stella ortus sui nuntium præbuit, siue quod aquam in vinum conuertit, siue quod in Iordanis undis aquas ad reparationem humani generis suo baptismo consecrauit, in quolibet horum salutis nostræ mysteria continentur.* Et eodem fere modo loquitur Ambrosius serm. 18. 21. & 22. Sed (si rectè prædicta verba ponderentur) hi duo Patres non multum fauent huic sententiæ. Nam fatentur quidem alterum ex iis mysteriis hoc die factum esse, incertum tamen relinquunt omniane, an vnum tantum, & quod illorum fuerit. Et quanuis Ambros. in postremo loco addat hæc verba. *Licet a diuersis alterutrum factum esse credatur, ego vero vtrumque factum esse confirmo*: tamen mystice hoc esse intelligendum statim declarat, dicens vnum mysterium in alio contineri. Neque aliter videtur sentire S. Maximus, cui potissimũ solet hæc sententia tribui: In sermone enim de Epiphania sic loquitur. *In hac, dilectissimi, celebritate, sicut relatu paternę traditionis instruimur, multiplici nobis est festiuitate lętandum. Ferunt enim hodie Christum Dominum vel stella duce a gentibus adoratum, vel inuitatum ad nuptias, aquas in vina vertisse, vel suscepto a Ioanne baptismo consecrasse fluenta Iordanis.* Vbi sub disiunctione loquens indicat quidem aliquod ex iis mysteriis illo die contigisse, non tamen omnia. Et ad eundem modum loquitur Origen. homil. 8. in diuersos. & Cassian. collat. 10. capit 2. vbi refert AEgyptios solitos esse vna die celebrare Epiphaniorum festum, & natalis, ac baptismi Domini, *quoniam sacerdotes illius prouinciæ* (inquit) *vel dominici baptismi, vel secundum carnem natiuitatis eundem diem esse definiunt.* Vbi etiam, sub disiunctione loquitur, & occasionem præbet eodem ferè modo interpretandi Latinæ Ecclesiæ consuetudinem, dum nimirum eodem die celebrat illa tria mysteria. Quia certũ existimat aliquod ex illis eo die esse factũ, & incertũ est, quod illorum sit. Quocirca cum in ea festi-

Aug. Ambros. Maxim. Origenes. Cassian.

uitate dicitur. *Hodie Christus baptizatus est, vel Magis apparuit*, iuxta hanc sententiam non intendit affirmare, reuera omnia hæc facta esse illo die; sed omnia illo die reprçsentari, atque in memoriam reuocari? sicut quando Christi Domini resurrectionem, aut mortem colit, etiam dicit eo die Christum esse mortuum, aut ex mortuis surrexisse; cùm tamen secundum veram anni computationem, sæpe non sit idem dies, in quo hæc mysteria sunt gesta. Et in aliquibus anni festiuitatibus sæpe hoc accidit, quandocunque Ecclesia ad recolendum aliquod mysterium, vel memoriam alicuius sancti faciendam propter speciales causas elegit diem aliquem præter eum, in quo reuera res ipsę contigerunt: & nihilominus ita Ecclesia loquitur, ac si illo die facta essent.

Propter hęc est tertia opinio, quę negat quidem baptismum Christi accidisse sexto die Ianuarij: non tamen affirmat, quo die contigerit; sed incertum relinquit.

Ianſen. Ita opinatur Ianſenius cap. 14. Concordiæ, vbi negat interceſisse annum inter baptismum, & nuptias; & tamen cap. 18. affirmat nuptiarum miraculum sexta die Ianuarij factum esse. Eodem modo opi-

Perer. natus est Benedictus Pererius libr. 11. in Danielem par. 1. Nam quæstione. 6. affirmat Christum sexto Ianuarij conuertisse aquam in vinum: & tamen quçstione. 7. verisimilius credit non annum integrũ, sed paucos menses fluxisse à die baptismi

Fra. Tol. vsque ad nuptiarum diem. Præterea Frã ciscus Toletus super Ioannem cap. 2. annot. 15. credit esse probabilius, magisque traditioni Ecclesiæ consentaneum, tria illa mysteria non accidisse vno, eodemq; die; non tamen docet, quod ex his mysteriis sexto Ianuarij die contigerit. Rur-

Cæſ. Barõ sus Cæsar Baronius in Annalibus, anno 31. negat etiam supradicta tria mysteria facta esse eodem die. Fundamentum est, quia Patres supra relati non copulatiuè, sed sub disiunctione loquuntur: sentiunt ergo non omnia, sed solum aliquod ex iis mysteriis illo die factum esse. Accedit quòd si baptismus, & nuptiæ eodem die acciderunt, necesse est inter illa annum integrum fuisse transactum; quia certissimum est non fuisse facta eodem numero die. Nam vt constat ex Euangelio Mat-

Matth. 3. & 4. thæ. 3. & 4. Ioan. 1. & 2. postquam Christus baptizatus est, ieiunauit quadraginta diebus, deinde verò discipulos vocauit, priusquam nuptiarum miraculum patraret, ergo, vt eodem die factum sit, necesse est, vt integer annus reuolueretur: hoc autem creditu difficile est. Primo, *Act. 1.* quia D. Petrus Act. 1. dicit Christum cę pisse docere, & congregare discipulos à baptismate Ioannis, ergo non est verisimile integrum annum transegisse nullo signo, seu miraculo facto. Secundo quia in baptismo Christus declaratus est à Patre doctor, & magister hominum, ergo statim cępit eo fungi munere, non ergo per annum distulit. Tertio est vrgens locus apud Augustinum serm. 154. de tempore, *Aug.* vbi affirmat baptismum Christi, & miraculum nuptiarum die dominico accidisse, quod esset impossibile, si post annum eodem die mensis vtrumque esset factum. Addi præterea possent hoc loco difficultates, quæ ex opposita sententia sequuntur circa ætatem Christi, & tempus mortis eius. Sed de his postea oportunius.

Inter has sententias difficile est ferre iudicium, quoniam pendent ex historia valde incerta: existimo tamen (vt consequenter, & cum aliquo fundamento loquamur) alterutrum è duobus esse dicendum, scilicet vel omnia illa tria mysteria eodem die esse facta, vel de nullo illorum definitè constare an illo die fuerit factum, nec ne. Vnde miror Ianſenium, Pererium, & Baronium, quomodo, cùm illud primum negent, potuerint de aliquo illorum determinate tam constanter affirmare illo die factum esse, vt dicant esse vetustissimam traditionem, vsum, & obseruationem Ecclesiæ, communemque Doctorum sententiam, cùm nullum sit maius fundamentum ad hoc asserendum de vno, quàm de alio, neque ipsi vllum afferant; sed vnusquisq; id eligat, quod aliis opinionibus vnicuique propriis videtur magis consentaneum. Vnde fit, vt inter se etiam non conueniant, dum alius de baptismo, alius de nuptiarum miraculo, id affirmet.

Quo circa, ne cogamur omnia in dubium vocare, sentiendum existimo baptismum Christi, & alia etiam duo mysteria

teria sexto die Ianuarij facta esse. Primo, quia id negare de festo Epiphanię videtur sanè communi fidelium consensui reluctari, & ijs testimonijs quæ de tempore aduentus Magorum supra retulimus, non est autem maior ratio certitudinis (vt dixi) de hoc mysterio, quàm de reliquis. Secundo quia reuera Ecclesia in officio Epiphaniæ, multum huic sententiæ fauet. Quod verò quidam dicunt elegisse Ecclesiam illam opinionem vt probabilem ad suam instituendam festiuitatem, nos omnino iuuat. Non enim contendimus nostrā sententiā esse certam: sed vt probabiliorem esse eligendā, quando quidē Ecclesia illam eligit. Tertio licet fateamur Augustinum, & Ambrosium locis citatis non affirmare omnia illa eodem die esse facta; sed solū referre quosdam ita de vno mysterio sensisse; quosdam verò de alio; non tamen referunt quenquam negasse aliquod ex jis mysterijs eo die esse transactum. Vnde sine causa illis imponitur, quòd insinuent non omnia, sed vnum tantum illo die accidisse; sed solū præseferūt dubitationem aliquam, vel incertitudinem. Ita tamen vt in eam sententiam magis propē deant, & juxta illam simpliciter loquantur, vt videre licet in eodem Augustin. serm. 36. de tempore, & Ambros. d. serm. 18. & 20. Sanctus verò Maximus licet vtatur conjunctione disjungente *vel*; videtur tamen eam pro copulante posuisse, quod Latinis frequens est, Et colligi potest ex verbis, quæ subjungit, *Et quam recte tria hæc mysteria vno acta die prędicantur, qui ineffabile Trinitatis arcanum vno Dei sub nomine confitemur.* Et eodem sensu videntur loquuti Paulinus in natali. 9. Sancti Felicis, & Isidorus libr. 1. de officijs Eccles. capit. de Epiphania, qui simili modo loquendi vtuntur. Quod euidens est, præsertim apud Isidorum, qui sic inquit, *si quidem eodem die idem Iesus etiam Iordanis lauacro tingitur, diuisoque cœlo Spiritus sancti descendentis testimonio Dei filius esse declaratur, cuius diei nomen ex eo, quod apparuit gentibus Epiphania nuncupatur*; dixerat autem eodem die Magis apparuisse. Deinde nō est contemnenda autoritas Bernardi, qui serm. 1. de Epiphan. expresè id affirmat, dicens. *Nec sola hæc apparitio, sed altera quędam (sicut a patribus nostris accepimus) hodie celebratur, quę & si longo post tempore, facta creditur hoc ipso die.* Vnde sermonem secundum sic exorditur, *Tres apparitiones Domini legimus vno quidem die: sed non vno tempore factas.* Idem repetit sermon. 3. Et Petrus Chrysolog. sermon. 57. vbi post multa in fine ita concludit. *Christus diuerso tempore vno, eodemque die Magorum munere, aquæ mutatione, atque Patris voce Deus trino testimonio noscitur, sitque de trina ostensione Christi Epiphania vna, & sacrata solemnitas.* Et similiter sermon. 160. postquam multis verbis idem docuerat, concludit, *Tribus autem modis hodie Christi Deitas est probata, Magorum munere, Patris testimonio, aquæ mutatione in vinum, quia tribus stare omne verbum scripturæ firmauit autoritas.* Ad hæc Hieronym. Ezech. 1. exponens illa verba *In quinta mensis*, dicit mensem illum fuisse Ianuarium, & in illa die significatū esse baptisma (in quo apperti sunt Christo cęli,) & Epiphaniorum diē hucusque venerabilem. Quibus verbis indicat Christum apparuisse, & baptizatum esse quinta die Ianuarij. Sed fortasse propter propinquitatem dierum non existimauit hoc ad figuram, seu metaphoram referre; Insinuat ergo Hieronym. hanc sententiam, & satis apertè significat baptismum, aduentumque Magorum in eundem incidisse diem. Huc accedit Albinus libr. de Ecclesiast. officijs capit. de baptismo Domini, qui memoriæ prodidit ieiuniū Christi ab solutū esse. 15. Kalen. Mart. quem diē cōstat esse quadragesimum à die sexto Ianuarij. Deinde verò subdit post anni reuolutionem inchoasse miracula, aquas in vinum conuertendo. Tandem disertis verbis docet, illa tria mysteria eodem die esse facta. Denique in hanc sententiam propendet Leo Papa epistol. 4. vbi dum reprehendit eos, qui in die Epiphaniæ solemni ritu catechumenos baptizabāt, cūm iuxta Ecclesiæ Romanę ritum in die Paschatis, & Pentecostes baptizandi sint, subdit in hunc modum. *Si quis autem Epiphaniæ festiuitatem, quæ in suo ordine debito honore veneranda est, ob hoc existimat priuilegium habere baptismatis, quia hoc*

A

B

C

Aug. Ambros.

Baptismus Christi quando contigerit, Paulin. Isidor. Bernard.

Pet. Chry.

Hieron.

Albin.

Leo Papa.

quidam putant, quod in ea die Dominus ad baptismũ sancti Ioannis accesserit, sciat illius baptismi aliam gratiam, aliam fuisse rationem, neq; ad eandẽ pertinuisse virtutẽ, qua ex Spiritu sancto renascuntur, qui ex Deo nati sunt. Vbi quãuis eam sententiam non referat vt certã; eam tñ probabiliorem esse sentiens non rejicit, vt aliorum rationem excludat: sed illam potius vt veram amplecti videtur, & aliam causam Ecclesiasticę consuetudinis prębet.

Responsio ad argumẽta in oppositum.

Caietan.

Epiphan.

Luc. 4.

Matth. 13. Marc. 6.

Aug.

Ioann. 1.

Neque contra hanc sententiam vrgẽt conjecturę, quibus tertia opinio fulciebatur, quin potius prima, & secunda possunt hanc sententiam comprobare. Nam verisimilius est inter baptismum, & nuptias annum intercessisse, vt Caiet. etiam sensit quæstione. 43. art. 3. & patet. Quia Christus post baptismum recessit in eremum, & iejunauit quadraginta diebus; post iejunium verò statim redijt Nazareth, ibique aliquo tempore commoratus est (si Epiphanio loco superius cõmemorato credimus, ex Euãg. enim probari id nõ post.) Quia & si Luc. c. 4. statim post historiã iejunij, & tentationis subdat, *Et regressus est Iesus in virtute spiritus in Galilęam, & fama exijt per vniuersam regionem de illo, & ipse docebat in synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus, & venit Nazareht, vbi erat nutritus.* Tamen hoc (quod Lucas narrat) non accidit statim post iejunium, & tentationem; sed postquam iam Christus aliquo tempore prędicauerat, & multa ediderat miracula, vt ex ipsis verbis Euangelistæ, & ex Matth. 13. & Marc. 6. colligitur. Vnde Augustin. lib. 2. de consensu Euangelist. capit. 17. hunc reditum Christi in Galilæam (quem Lucas memorat) post conjectum in vincula Ioannem accidisse testatur. Nihilominus tamen verisimile est, etiam post iejunium redijsse Nazareht, & nonnunquam inter suos fuisse versatum, interdum verò venisse, vbi baptizabat Ioannes, vt illi esset occasio sæpius de ipso reddendi testimonium. Quod valde conueniens, ac necessarium fuit, vt Christi fama, & prædicatio, ac testimonium Ioãnis de ipso, per omnium aures vulgaretur, & ora. Et aliquomodo indicatur cap. 1. Ioannis, vbi narratur, Christum semel, & iterũ venisse ad Ioannem, qui statim viso Christo illũ demonstrabat, dicẽs *Ecce agnus Dei*; & tamen ex contextu historiæ Euãgelicæ, & ex ijs, quæ supra diximus, constat illa omnia accidisse post baptismum, & consequenter post iejunium, & tentationem, quæ immediatè baptismo successerunt. Deinde postquam satis fuerat Christus Ioannis prædicatione manifestatus, antequam miraculum in nuptijs edidisset, cepit prædicare, & discipulos vocare, ac congregare, vt constat ex Ioan. 2. Vbi legimus Christum habuisse discipulos, qui nuptijs, & miraculo præsentes affuerunt, & capit. 1. Andream & alterum discipulum Ioannis adhæsisse Christo, eumque interrogasse, *Magister vbi habitas?* Qua interrogatione satis indicarũt (vt ibi Caietanus notat) iam tunc habitum fuisse Christum publicum magistrum, & doctorem. Quod certè nomen breuiori tempore: quàm vno anno, sibi cõparare non poterat, igitur nihil mirum est, (imo id congruit quidem,) quòd annus integer inter baptismum, & nuptias intercesserit. In quo non desijt Christus doctoris munere fungi, quanuis non statim ceperit patrare miracula. Quia (vt Chrysost. ait hom. 22. in Ioan.) *prius debuerunt congregari discipuli, qui deuoti attenderent miraculis, quæ fieri incipiebant, eisque in fide, quam conceperant confirmarentur.*

Ioan. 1. & 2.

Chrys.

Ad tertiam verò conjecturam negatur vtrumque mysterium baptismi, & conuersionis aquæ in vinum die Dominico accidisse. Nec est vlla ratio probabilis, qua id persuadeatur. Illud autem Augustini testimonium nõ omnino cogit, vt huic rei fidem faciamus, præsertim cùm inter illos sermones falsò nonnulli sint Augustino ad scripti, ex quibus ille existimari vnus potest. Quia neque Augustini stilum redolet, neque aliquid habet Augustino dignum. Vnde in quibusdam decretis, quæ sextæ synodo tribuuntur, in 8. vbi narrantur mira opera, quæ Deus die Dominico patrauit, inter alia ponitur baptismus Christi; non tamen nuptiarum miraculum.

6. Synod.

SECTIO II.

Quo ætatis suæ anno Christus dominus fuerit baptizatus.

Duo

Circa annum decimũ quintum Tiberij imperantis baptizatus Christus. Luc. 3.

DVo sunt hac in re certa. Primum est, Christum fuisse baptizatum circa annum decimum quintũ Imperij Tiberij Cæsaris. Hoc ex Euangelio aliquo modo colligi potest. Nam Lucæ tertio asseritur anno decimo quinto Tiberij, factum esse verbum Domini super Ioannem, vt ad prædicandum, & baptizandum exiret. Ex quo necessario sequitur ante illum decimum quintum annum Christum non fuisse baptizatum, vt per se constat. Additur verò ibidem, cùm baptizaretur omnis populus, Iesum etiam baptizatum fuisse: non tamen expressè eodem anno baptizatus dicitur. Non verò id est probare difficile. Primò, quia (vt hic notauit Diuus Thomas articul. 3. ad. 4. ex Chrysostomo homilia quarta imperfecti) Christus, neque primus, neque vltimus fuit à Ioanne baptizatus. Quia vt conuenienter posset Ioannes testimoniũ de Christo reddere, oportuit, vt prius ad baptismum, populi multitudo confluueret. Neque etiam vsque in finem differre baptismum suum, decebat Christum, quia oportuit, vt adhuc Ioanne docente, & baptizante, manifestaretur, & inciperet docere, ac baptizare Christus, vt nulla inter eos videretur esse contentio. Discipulosque suos ad Christum mittere, & reliquos omnes in fide eius confirmare Ioannes posset, vt latius docuit Diuus Thomas quæstione præcedent. articul. 5. Et vtramque partem insinuauit Lucas illo verbo: *Cum baptizaretur omnis populus, Iesu baptizato, &c.* Nam in hoc verbo continetur, vnà cum aliis accessisse Christum ad baptismum, atque adeò veniisse ante ipsum alios, alios post ipsum. Baptismus autem Ioannis non durauit nisi per annum, & paulo amplius, quod ex historia Euangelica, & ex iis, quæ supra diximus de ætate, in qua obiit Ioannes, manifestè datur intelligi, necesse est ergo, Christum fuisse baptizatum eodem anno, quo Ioannes baptizare primum cæpit, & ante impletum illum. Baptizatus ergo est ipso anno decimo quinto Imperij Tiberij, vel certe non multo post illum impletum. Neque enim affirmare simpliciter possum, euenisse id intra ipsum annum decimum quintum. Quia non mihi constat, quo mense illius anni Ioannes baptismum inchoarit: quanquam verisimile sit, ex quo Ioannes baptizare cepit, Christum non per plures menses distulisse baptismum. Tum quia oportebat in operibus pietatis, & humilitatis promptum se, & paratum ostendere, atque aliis exemplo esse. Tum etiam, quia sciebat tempus prædicationis Ioannis futurum esse perbreue, & ideò expediens fuisse non differri manifestationem suam. Et confirmari potest, nam (vt colligitur ex primo, & secundo capit. Ioannis) quando Christus fecit miraculum in Cana Galileæ, nondum erat Ioannes coniectus in vincula, ergo (si vera sunt, quæ sectione præcedenti docuimus) baptizauit Ioannes toto illo anno à Christo baptismate, vsque ad nuptias, ergo cum eius baptismus paulo amplius durauerit, necesse est dicamus, Christum propè initium baptismatis Ioannis, statim ac populi multitudo cepit ad illum concurrere, fuisse baptizatum, ergo baptizatus fuit eodem decimo quinto anno Imperij Tiberij. Et addi potest coniectura. Quia Lucas non tam propter Ioannem Baptistam, quam propter Christum texuit historiam, designauitque tempus, & annum, in quo Ioannes cepit baptizare, ergo non solum voluit indicare initium baptismi Ioannis: sed multo magis initium baptismi Christi, credendum est ergo eodem anno vtrumque factum esse. Et ita sentiunt Patres omnes, & expositores Euangeliorum, & Eusebius in Chronico.

D. Thom. Chrysost.

Differre baptismum suum Christus cur nõ debuit.

Ioã. 1. & 2

Euseb.

Hinc colligitur grauem esse errorẽ, qui apud Tertullianum legitur libr. 1. contra Marcia. capit. 15. nimirum cepisse Christum Dominum sese hominibus manifestare anno duodecimo Imperij Tiberij. Siue enim hoc ex propria sententia asserat, siue ex Martione referat, nulla ratione potest consistere. Tum quia, Christus nec docere cepit, nec miracula edere, nec alio modo se publicè manifestare ante baptismum, vt omnes docent, & ex Euangelio non obscurè colligitur, & manifestè testatur Petrus Actor. primo illis verbis. *Incipiens a baptismate Ioannis*. Denique quia Præcursor præire debuit ante Dominum, sed Ioannes non cepit sese populo ostendere, nec

Tertul.

Act. 1.

baptizare ante decimũ quintum annum Tiberij, ergo nec Christus.

Secundo est certum, ac de fide, Christum baptizatum fuisse circa trigesimum ætatis suæ annum. Id enim testatur Lucas eodem loco iis verbis: *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta*. Quæ verba sine dubio referuntur ad ea, quæ immediatè præcesserant. *Factum est, cum baptizaretur omnis populus Iesu baptizato, & orante apertum est cœlum*: dicitur ergo Christus fuisse quasi triginta annorum, quando hoc accidit. Et hæc est communis omnium Patrum, scriptorumq; sententia. Quam verò ob causam, vsque ad tantam ætatem baptismum Christus distulerit, variæ rationes redduntur à Patribus (vt hic Diuus Thom. articul. 3. notauit) quæ partim morales sunt, partim allegoricæ. Quas ferè Gregor. Nazianzen. oratio. 39. his verbis complexus est. *Quæ res nobis documento esse debet, purgationem, animique submissionem prius adhibendam esse, nec concionandi prouintiam ante suscipi debere, quam ad spiritualis, & corporeæ ætatis perfectionem ventum fuerit*, latius oratione. 40. *At dices, Christus tricesimo anno baptizatur, idque cum Deus esset, tu me baptismum vrgere iubes? Cum Deum dixisti, quæstio abs te soluta est*. Primo, *nam ille purgatio ipsamet erat, nec purgatione indigebat*. Secundo, *Nec vero ei quicquam periculi metuendum erat baptismi prorogandi*. Tertio, *Ille tricesimo anno, ac non prius sese indicauit, ne ostentationis cuiusdam opinionem præberet*. Quarto, *Quia hæc ætas plenum virtutis argumentum, docendique maturitatem habet*. Quinta, *Quoniam ei salutiferum mundo supplicium subeundum erat, omnia, quæ ad passionem spectabant, ad passionem concurrere oportebat, nimirum ostensionem, baptismum, cœleste testimonium, prædicationem, multitudinis concursum, miracula, & velut corpus vnum fieri non diuulsum, nec temporum interuallis disiunctum, & interruptum*. Addi verò potest, (si literalem, vt ita dicam, rationem spectemus) Christum non fuisse antea baptizatum, quia Ioannes antea baptizare non cęperat: ideò autem Ioannes ante illud tẽpus baptizare non cęperat, quia, cùm esset illius baptismi primus institutor, non poterat ante maturam, & perfectam ętatem tantum tamq; graue munus inchoare. Præsertim cũm oporteret prius prędicare pœnitentiam, & per eam homines ad baptisma cohortari, & per nouum baptizandi ritum omnes in admirationẽ rapere ac deinde in ipso baptismo, testimonium de Christo prębere. Quę omnia in minori ętate, nec grauiter, nec cõuenienter fieri poterant.

His ergo positis grauis, & difficilis controuersia superest, quomodo intelligendum sit, Christum baptizatum esse agentem quasi annum trigesimum. Cuius decisio pendet ex vero sensu illorum verborum Lucę. *Et erat Iesus incipiens quasi annorum triginta.*

In qua re prima sententia est, Christum Dominum venisse ad baptismum, anno vigesimo nono ętatis suę, in fine eius, antequam illum expleret, & trigesimum inchoaret, vt sensus sit, erat Iesus quasi incipiens annum trigesimum ętatis, nondum enim inceperat: sed iam iam propè ad illum accedebat. Ita Caietanus Lucę. 3. Cui sanè non multum repugnant verba Euangelistę. Nam licet multi dicant (& probabile sit) nec participium illud, *Incipiens* ad ętatem: sed ad manifestationem, & prędicationem Christi, esse referendum: nec aduerbium illud, *Quasi* referri ad participium, *Incipiens*, nec diminuere illud: sed pertinere ad ętatem triginta annorum. Quia Lucas non dicit. *Quasi incipiens annorum triginta, sed incipiens quasi annorũ triginta.* Ita vt sensus planus sit, erat Iesus, quando baptizatus est, & cœpit manifestari quasi annorum triginta. Licet hoc (in quam) ita sit: nihilominus posset litera commodè admittere illum sensum. Rectè enim dici potest quasi triginta annorum ille, qui ferè iam compleuit vigesimum nonum annum, quanuis trigesimum nondum attigerit, quia hanc vim habet illud aduerbium, *quasi*.

Et hęc sententia probanda necessario est illis autoribus, qui existimarũt, Christum trigesimo ætatis anno passum esse, quanquam eorum sit opinio improbabilis, vt infra dicam. Item posset facile defendi hęc opinio Caietani si vera esset sententia Epiphanij asserentis Christum baptizatum esse mense Nouẽbris. At verò positis iis, quę diximus, &

Trigesimũ circiter ætatis annũ agens baptizatur Christus.

Luc. 3.

D. Thom.

Gre. Naz.

Baptismi Christi prorogãdi causę quę fuerint.

Cai.

& ipse etiam Caietanus admittit, nempe Christum baptizatũ esse sexto Iannuarij, nullo modo potest hęc opinio defendi. Quia Christus explebat ætatis annum vigesimo quinto die Decembris, ergo si nõ dum expleuerat vigesimum nonum ętatis annum, attigisset quidem ille tantummodo vigesimum octauum, & tredecim dies, ergo non potuit dici quasi triginta annorũ eõ, quòd ferè vigesimum nonum ætatis annum implesset. Accedit, quòd nullus veterum hunc dicendi modum sequutus est.

Secunda sententia extremè contraria est Christum triginta annos natum, attingentemque iam trigesimum primum per aliquot menses, aut saltem dies ad baptismũ venisse. Primus autor, qui disertis verbis hanc scripsit sententiam fuit Beda libr. de ratione temp. cap. 45 quem ex recẽtioribus multi, & graues scriptores sequũtur, & ex antiquis Patribus in illius confirmationem adducuntur multi. Quorum præcipuus est Ignatius epist. 5. ad Trallianos vbi sic inquit, *& expletis tribus annorum decadibus vere baptizatus est a Ioanne.* Quibus verbis, (vt multis placet) expresse dicit expleuisse iam trigesimum annum. Quod confirmare videtur Chrysost. hom. 10. in Matth. dicens, *post triginta annos Iesum venisse ad baptisma*, eodemq; modo loquitur Euthy. Matth. 3. in principio, & Bern. serm. 1. Epiphaniæ dicit, *Cum trigesimum annum exegisset in carne.* Sed hæc Patrum testimonia (si exacte considerentur) parum fauẽt huic sententię. Nam ijs locis non tractant, an omnino completus esset trigesimus annus ętatis Christi, quando ad baptismum peruenit sed loquuntur communi, & vulgari modo: in communi autem sermone verè, ac proprè dicitur aliquid factum esse expletis triginta annis, etiam si durante anno trigesimo factum sit, Sicut Luc. 2. dicitur, *postquam consummati sunt dies* 8. *vt circumcideretur puer*, cùm tamen durante octauo die sit circunciſus. Et Christus dixit Marc. 8. *Post tres dies resurgam*, cùm tamen in ipsa die tertia resurrecturus esset. Est præterea ad hanc expositionem confirmãdam optimum testimonium desumptum ex canonibus collectis ex Græcis Synodis per Martinum Braccarensem Episcopum vbi can. 20. sic dicitur, *si quis triginta ætatis suæ non impleuerit annos, nullo modo presbyter ordinetur, etiam si valde sit dignus. quia & ipse dominus trigesimo anno baptizatus est, & sic cæpit docere*, constat autem non fuisse necessarium integrum complere trigesimũ ętatis annum, vt quis posset ordinari. Ex antiquis ergo Patribus non potest hæc sententia satis suaderi: ex scriptura autem probari etiam nequit, hunc esse sensum Lucę; persuaderi verò potest, verba Lucæ commodè, & sine vlla vi hunc sensum pati. Quia aduerbium illud *Quasi* non semper diminutionem; sed interdũ excessum, licet exiguum significat. Vt cum dicimus, Hic sunt quasi mille homines, significare possumus vel pauciores esse, quàm mille, vel paulo plures. Exemplum est in Euangelio Marc. 8. *Erant, qui manducauerant, quasi quatuor millia*, & similiter Ioan. 6. dicuntur manducasse, *quasi quinque millia*, & tamen Matth. 14. dicitur fuisse numerus *quinque millia virorum exceptis paruulis, & mulieribus.* Quocirca, si hic modus dicendi magis conuenit cum humana historia, & chronologia, sustineri potest, non repugnare scripturæ. Ex scriptura verò, aut alia Ecclesiastica autoritate probari satis non potest.

Tertia opinio est, Christum post expletum vigesimum nonum annum, & inchoatum trigesimum ad baptismum venisse. Hęc est communis sententia, vt Abulens. Matth. 3. & Lyranus luc. 3. adnotarunt. Videturque esse expressa Diuui Thomæ articul. terti. dicentis, Christum fuisse in trigesimo anno baptizatum. Nam in omni sermonis proprietate illud dicitur fieri tali anno, quod fit illo durante, antequam ad finem deueniat. Et eodem fère modo loquuntur Patres antiqui, Nazianzenus orat. 39. & 40. *Trigesimo* (inquit) *anno baptizatur.* Hieronymus Ezechiel. 1. *Triginta annos natus venit ad baptismum, quæ in homine perfecta ætas est.* Et vtitur exemplo Num. 4. vbi sacerdotes dicuntur ministrare à tricesimo anno, & supra, vbi sine dubio requiritur, quòd attigerint tricesimum annum, non quod expleuerint. Sic etiam Augustinus lib. 5. de mirabilibus sacræ scripturę capit. 5. dicit Christum trigesimum annum agentem venisse ab baptismum. Origen. hom.

Beda. Marc. 8. Ioann. 6. Matth. 14.

Igna.

Chry. Euth. Bernard.

Abulen, Nico. Lyr. D. Thom.

Trigesimo ætatis inchoato anno baptizatus est Christus.

Luc. 2. Marc. 8.

Gre. Naz. Hieron. Num. 4. Aug.

Martin. Brac. Ep.

Origen.

hom.1.in Ezechielem ferè nihil aliud di
Iust. Mar. cit, quàm Euangelista, & eodem ferè mo
Theophyl. do Iustinus Martyr in dialogo cum Tri-
phone ait. *Christus per annos ferme triginta expectauit, donec Ioannes præiret baptismum prædicando.* Theophylact. Lucæ. 3. solum
dicit, *cum triginta annorum esset Dominus,*
Ambros. *baptizatus est*: & eodem ferè modo loqui-
Irenæ. tur Ambrosius Luc.3. Quin etiam Ire-
Euseb. næus libr.2. capit.39. dicit Christum in
Epiphan. cepisse annum tricesimum, & Eusebius libr.1. Historię, capit. 10. *Incipiebat* (inquit) *tunc tricesimum annum.* Denique Epiphanius ex professo hoc suadet hæres.51. Et hæc sententia optimè verbis Lucæ cõsonat. Quia aduerbium illud *quasi*, & prius, & frequentius ad diminuendum ponitur, quam ad augendum, ergo, cùm dicitur Christus fuisse *quasi annorum triginta*, rectè exponitur nondum illos expleuisse.

Potest etiam hæc sentẽtia humana historia, seu chronologia confirmari; quanquam & illa etiam tam incerta sit, vt facilè ad alias detorqueri quoque sententias possit: si tamen nonnulla statuamus probabiliora, magisque recepta principia, videbitur fortasse opinio hęc verisimilior. Primum est, Christum natum esse quadragesimo secundo anno Imperij Augusti, vt ex sententia Clementis Alexandrini, Eusebij, Epiphanij, ac Bedæ ostẽdimus in priori tomo disput.6.sectio.1.in fine.
Clem. Alex. Euse. Epiph. Beda. Anni imperij Augusti quot. Alterum est, Augustum imperasse annos quinquaginta sex integros, numerando imperium eius ab initio consulatus. Nam eodem ferè die, quo mense Augusti consul renuntiatus est, post quinquaginta sex annos, qui fuit ætatis eius septuagesimus sextus, defunctus est. Vnde, si imperium ab initio Triumuiratus arcessamus, idem est annorum numerus, duobus tamen exceptis mensibus, qui soli à consulatu ad Triumuiratum vsque fluxerunt. Hæc chronologiæ ratio sumpta est ex Dione lib. 48. & 56. histor. Roman. Eutropio lib.7. eiusdem historiæ. Suetonio capit. 5.8. & sequentibus. Quam amplecti videtur Euseb. in chronicis, tribuens Augusto prædictos quinquaginta sex annos imperij. Et idem colligitur ex Tertulliano libr. contra Iudæos capit. 8. Dicit enim, Christum natum esse quadragesimo primo anno imperij Augusti, & illo
Dion. Eutrop. Sueton. Euseb. Tertul.

imperante quindecim annis vixisse, ex quo aperte efficiuntur dicti quinquaginta sex anni, quidquid sit, an ea, quæ assumit, vera sint. Idem sentit Nicephorus, lib.1.Histor.capit.17. quatenus dicit, Augustum vixisse supra septuaginta quinque annos, idest, ferè septuaginta sex. Constat enim ex prędictis historiis eum accepisse consulatum pridie, quàm vigesimum ætatis annum impleret, supersunt ergo quinquaginta sex anni imperij. Quod ergo ibidem ait Nicephorus imperasse quadraginta tribus annis intelligendum est de tempore monarchię, quod fere quadraginta quatuor annorum fuit iuxta veriorem sententiam. Deniq; hanc computationem, sequitur Onuphrius lib.2.fastorum, & ferè reliqui recentiores. At verò Epiphanius in Anchorato, & Beda libr. de sex ętatibus, sex menses addunt huic imperio Augusti. Quia fortasse non ab initio consulatus, seu triũuiratus illud numerant: sed ab eo tempore, quo missus est à Senatu cum exercitu contra Antoniũ, quod sex menses durauit ante consulatum, vt constat ex Suetonio, & illo etiam tempore dici potest imperasse. Quòd ergo Iosephus lib.18. Antiquit.capit. 7. tribuit imperio Augusti quinquaginta septem annos cum dimidio, ab omnibus reiicitur. Nisi Augusti imperium computetur à morte Iulij Cæsaris, quę duobus ferè annis antecesit primum Augusti consulatum teste Appiano libro. 4. de bello ciuili. Quanuis alij vnum tãtum annum intercesisse contendant, vt latè Baronius in apparatu Annalium. Ex his ergo constat vixisse Christum imperante Augusto, quatuordecim annos integros, & præterea octo menses, qui sunt à fine decembris, quando natus est Christus, vsque ad finem augusti, quando Augustus mortuus est, si ergo iis quindecim addamus Tiberij imperantis annos, in cuius decimo quinto anno diximus Christum fuisse baptizatum, efficiuntur prędicti triginta anni inchoati, & nondum expleti.
Nicephor. Onuphr. Epiphan. Beda. Sueton. Ioseph. Appian. Baron.

Sed vt hęc collectio clarior sit, oportebit tertium principium adiungere, scilicet Tiberium statim post mortem Augusti absque vlla intermissione, seu alicuius interregni interpositione, imperij

rij gubernacula susceпisse. Memoriæ e-
nim proditum est, eodem ferè die, quo
Augustus obiit, Tiberium tanquam fi-
lium heredem adoptatum, ab Augusto
regnare cæpisse, vt videre licet in Onu-
Onuphr. phrio supra, & aliis. Ex quo etiam intelli-
gitur Tiberium cepisse imperare mense
Augusto, vel (vt alij volunt) Septembri
quia eo tempore mortuus est Augustus.
Vt hinc etiam concludamus (supposita
sententia, quam præcedenti sectione ele-
gimus) Christum fuisse baptizatum quin
to mense anni decimi quinti, Imperij
Tiberij (tot enim menses fluxerunt à fi-
ne Augusti; vsque ad sextum diem Ia-
nuarij) vixit ergo Christus imperante Ti
berio quatuordecim annos, & menses fe
rè quinque, qui additi supra quatuorde-
cim annos, & menses octo, quos sub Au-
gusto vixerat, efficiuntur viginti nouem
anni integri, & aliquot dies. Vltimò tan-
dem confirmari potest hæc sententia ex
Olympiadibus Eusebij, quarum computa
tio ad texendas chronologias, & tẽporũ
series, omniũ probabilissima existimatur,
& tamẽ ille ponit baptismum Christi an-
Epiphan. no quarto Olympiadis ducentesimę pri
mæ, cùm natiuitatem eius posuisset anno
tertio Olympiadis centesimæ nonagesi-
mę quartę, quæ si rectè cõputentur aper-
tè colliguntur triginta anni non integri,
sed inchoati.

Hinc etiam explicatum relinquitur,
quot menses, aut dies agerentur anni tri-
cesimi Christi domini, quando baptiza-
tus est. Epiphanius enim supra conse-
quenter dicit, attigisse tunc Christum
decimum mensem tricesimi anni. Sed
hoc non potest consistere cum ijs, quæ
de die baptismatis sunt dicta, neque cũ
Romana chronologia, vt à nobis est ex-
plicata. Nam si Christus fuisset bapti-
zatus mense Nouembri, post expletum
vigesimum nonum ætatis annum, non
potuisset baptizari intra decimũ quintũ
annum Imperij Tiberij. Sed oportebat
illum expleri, & inchoari decimum sex-
tum, saltim per tres menses, qui inter Au
gustum, & Nouembrẽ intercedunt, quod
facile supputari potest ex ijs, quæ dixi-
mus. Dicendum est ergo, tantum per
tredecim dies inchoasse annum trices-
imum. Totidem enim, & non plures flu-
xerant à vigesima quinta die Decembris
A quando iuxta Ecclesiasticam traditionem
natus est, & vigesimum nonum ætatis
annum impleuerat vsque ad sextam Ia-
nuarij, quando, illum baptizatum dixi-
mus. Ex quo etiam obiter colligitur bap
tizatum à Ioanne Christum post tres,
vel ad summum, post quatuor menses,
ex quo baptizare cęperat. Quia id orsus
est facere inchoato iam decimo quinto
anno Imperij Tiberij, Christus autem
baptizatus est quinto mense illius anni.
Vnde etiam verisimile fit Ioannem in-
cepisse prædicationem suam fere in ini-
tio anni decimi quinti Imperij Tiberij,
& ita esse Lucæ narrationem intelligen-
dam.

Vna verò superest obiectio, quia iux-
B ta hanc sententiam non videntur com-
modè exponi illa verba, *Erat Iesus, in-* Obiectio.
cipiens quasi annorum triginta. Non enim
rectè dicitur esse aliquis, *quasi triginta an-*
norum eò quòd solum per tredecim dies,
tricesimum annum inchoauerit: sed po-
tius cùm ad complementum ferè trice-
simi anni peruenerit. Respondetur qua-
cunque ratione hæc verba exponamus,
in omni rigore, & proprietate prædic- Responsio
tum sensum admittere. Nam si partici-
pium illud. *Incipiens* referatur, non ad
Christi ætatem, sed ad manifestationem
seu prædicationem (vt supra dicebam)
nihilominus rectè dicitur Christus fuis-
se, *quasi triginta annorum*, quando prædica-
re cepit. Quia iam annum agebat trige-
simum. Nam illud *Quasi* præcisè sump-
tum non indicat multum, vel parum de-
fuisse temporis illius trigesimi anni; sed
solum illum annum fuisse inchoatum,
& nondum impletum. Et ita videtur ex-
ponere Origenes homil. 28. in Lucam.
& clarius Euthymius Lucæ tertio. Si ve-
rò participium illud *Incipiens*, referatur Origenes,
ad ætatem Christi, adhuc est clarior, & Euthym.
& euidentior expositio. Si enim sim-
pliciter dixisset fuisse, *quasi annorum tri-*
ginta, ambiguum relinqueretur, esset ne
in initio, vel fine, aut medio illius anni.
Additum ergo est participium *Incipiens*
ad indicandum ita fuisse *quasi triginta an-*
norum, vt trigesimum inchoaret.

Dices hoc sensu superflua est illa par- Obiectio.
ticula *Quasi*, satis enim fuisset dicere.
Erat incipiens annorum triginta. Respon-
detur si ita esset simpliciter scriptum, exis- Responsio
timari

timari posset, vel saltem dubitari, an inciperet habere triginta annos cõpletos, & ideò ad rem magis explicandam vtraque vox addita est. Ita videtur intellexisse Theophyl. apud quem ita legimus, Et *ipse Iesus incipiebat esse ferme annorum tringinta.*

Theophyl.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrùm Christo baptizato, cœli debuerint aperiri.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quòd Christo baptizato nõ debuerint cœli aperiri. Illi enim aperiendi sunt cœli, qui indiget intrare in cœlũ, quasi extra cœlum existens. Sed Christus semper erat in cœlo: secundum illud Ioan. 3. Filius hominis, qui est in cœlo. Ergo videtur, quòd non debuerint cœli aperiri.

218 Infr. q. 49 art. 5. 3. Et 3. d. 18. ar. 6. q. 3. 2. & d. 22. q. 3. ar. 1. 4. Et op. 60. c. 9

¶ 2. Præterea, Apertio cœlorum aut intelligitur spiritualiter, aut corporaliter. Sed non potest intelligi corporaliter: quia corpora cœlestia sunt impassibilia, & infrãgibilia: secundum illud Iob. 37. Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi, quasi ære fusi sũt. Similiter etiam nec potest intelligi spiritualiter: quia ante oculos filij Dei cœli anteà clausi non fuerant. Ergo videtur incõueniẽter dici, quòd baptizato Christo, aperti fuerint ei cœli.

¶ 3. Præterea, Fidelibus cœlũ apertũ est per Christi passionẽ, secundũ illud Hebr. 10. Habemus fiduciã in introitu Sãctorum in sanguine Christi. Vnde etiãnec Christi baptismo baptizati, si qui ante eius passionem decesserint, cœlos intrare potuerunt. Ergo magis debuerũt aperiri cœli Christo patiente, quàm eo baptizato. ¶ Sed contra est, quod dicitur Lucæ. 3. Iesu baptizato, & orante, apertum est cœlum.

Respondeo dicendum, quòd sicut dictũ est, Christus baptizari voluit, vt suo baptismo consecraret baptismũ, quo nos baptizaremur. Et ideò in baptismo Christi ea demonstrari debuerunt, quæ pertinent ad efficaciam nostri baptismi. Circa quam tria sunt consideranda. Primò quidem principalis virtus, ex qua baptismus habet efficaciam: quæ quidem est virtus cœlestis. Et ideò baptizato Christo, apertum est cœlum, vt ostenderetur, quòd de cætero cœlestis virtus baptismum sanctificaret. ¶ Secundò operatur ad efficaciam baptismi fides Ecclesiæ, & eius qui baptizatur, vnde & baptizati fidem profitentur: & baptismus, fidei dicitur sacramentum. Per fidem autem inspicimus cœlestia, quæ sensum, & rationem humanam excedunt. Et ad hoc significandum Christo baptizato aperti sunt cœli. ¶ Tertiò, quia per baptismum Christi specialiter aperitur nobis introitus regni cœlestis: qui primo homini præclusus fuerat per peccatum. Vnde baptizato Christo, aperti sunt cœli: vt ostenderetur, quod baptizatis patet via in cœlum. Post baptismum autem necessaria est homini iugis oratio, ad hoc quòd cœlum introeat. Licet enim per baptismũ remittantur peccata, remanet tamen fomes peccati, nos impugnans interius, & mũdus, & dæmones, qui impugnãt exterius. Et ideo signanter dicitur Lucæ. 3. quòd Iesu baptizato, & orante, apertũ est cœlum, quia scilicet fidelibus necessaria est oratio post baptismum. Vel vt datur intelligi, quòd hoc ipsum quòd per baptismum cœlum aperitur credẽtibus, est ex virtute orationis Christi. Vnde signanter Matth. 3. dicitur, quòd apertum est ei cœlum, ideſt, omnibus propter eum, sicut si Imperator alicui pro alio petenti dicat, Ecce, hoc beneficium nõ illi do, sed tibi, ideſt, propter te illi: vt Chrysostomus dicit super Matth.

A

B

C

Art. 1. huius quæst.

Bed. c. 10. super Luc.

Hom. 4. in Mat. a me. illius in ope re imper.

Ad

Ad primum ergo dicendum, quòd ſicut A *ne cœlorum in baptiſmo, quàm in paſſione Chriſti.* ¶ *Vel ſicut Chryſo. dicit ſuper Matth. baptizato Chriſto, cœli tanũ ſunt ei aperti: poſtquam verò tyrannum vicit per crucem, quia nòn erant neceſſariæ portæ cœlo, nunquam claudendo, non dicunt Angeli, Aperite portas, iamenim erãt apertæ, ſed, Tollite portas. Per quod dat intelligere Chryſoſt. quòd obſtacula, quibus prius obſiſtentibus animæ defunctorum introire non poterant cœlos, ſunt totaliter per paſsionem Chriſti ablata: ſed in baptiſmo Chriſti ſunt aperta, qua ſi manifeſtata iam via, per quam homines erant in cœlum intraturi.*

Ho. 4. in Matth. in opere imperfecto in medio illius, tom. 2

Chryſo. dicit ſuper Mat. ſicut Chriſtus ſecundum diſpenſationem humanã baptizatus eſt, quamuis ipſe propter ſe baptiſmo non indigeret: ſic etiam ſecundum humanam diſpẽſationem aperti ſunt ei cœli, ſecundum autem naturam diuinã ſemper erat in cœlis. ¶ *Ad ſecundum dicendũ, quòd ſicut Hier. dicit ſuper Mat. cœli aperti ſũt Chriſto baptizato, nõ reſeratione elemẽtorũ, ſed ſpiritualibus oculis ſicut & Ezechiel in principio voluminis ſui cœlos apertos eſſe cõmemorat. Et hoc*

Circa finẽ commentarij in 3. c. Mat. to. 9.

Homil. 4. in Matt. in opere imperfecto circa med. illius, to. 2.

probat Chryſ. ſuper Mat. dicẽs, Quòd ſi B *ipſa creatura, ſcilicet cœlorũ rupta fuiſſet nõ dixiſſet, aperti ſunt ei: quia quod corporaliter aperitur, omnibus eſt apertum. Vnde etiam Marci primo expreſſe dicitur, quòd Ieſus ſtatim aſcẽdẽs de aqua vidit apertos cœlos: quaſi ipſa apertio cœlorũ ad viſionem Chriſti referatur. Quod quidẽ aliqui referũt ad viſionẽ corporalẽ, dicentes, quod circa Chriſtũ baptizatũ tãtus ſplẽdor fulſit in baptiſmo, vt viderẽtur cœli aperti. Poteſt etiam referri ad imaginariã viſionẽ, per quẽ modũ Ezechiel vidit cœlos apertos. Formabatur enim ex virtute diuina, & volũtate rationis talis viſio in imaginatione Chriſ* C *ti: ad deſignandum, quòd per baptiſmũ, cœli aditus hominibus aperitur. Poteſt etiã & ad viſionẽ intellectualem referri, prout ſcilicet Chriſtus vidit iã baptiſmo ſanctificato apertũ eſſe cœlum hominibus: quod tamen etiam ante viderat fiendum.* ¶ *Ad tertium dicendum, quod per paſsionem Chriſti aperitur cœlũ omnibus ſicut per cauſam cõmunem apertionis cœlorum. Oportet tamen hanc cauſam cõmunem apertionis cœlorum, ſingulis applicari ad hoc, quòd cœlum introeant, quod quidem fit per baptiſmum ſecũdum illud Roman. 6. Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus. Et ideò potius fit mentio de apertione cœlorum in baptiſmo, quàm in paſsione Chriſti.* ¶ *Vel ſicut Chryſo. dicit ſuper Matth. baptizato Chriſto, cœli tanũ ſunt ei aperti: poſtquam verò tyrannum vicit per crucem, quia nòn erant neceſſariæ portæ cœlo, nunquam claudendo, non dicunt Angeli, Aperite portas, iamenim erãt apertæ, ſed, Tollite portas. Per quod dat intelligere Chryſoſt. quòd obſtacula, quibus prius obſiſtentibus animæ defunctorum introire non poterant cœlos, ſunt totaliter per paſsionem Chriſti ablata: ſed in baptiſmo Chriſti ſunt aperta, qua ſi manifeſtata iam via, per quam homines erant in cœlum intraturi.*

Ho. 4. in Matth. in opere imperfecto a medio illius, to 2.

COMMENTARIVS.

DVo præcipuè tractat D. Th. in hoc ar. Primum cuius cauſa hoc ſignum factũ ſit, alterũ quomodo factum ſit. Primũ explicat in corpore art. vbi tres rationes affert, ob quas Chriſto baptizato aperti ſunt cœli. Prima eſt, vt ſignificaretur virtutem cœleſtem datam eſſe baptiſmo. Vnde Cyprianus ſerm. de bapt. Chriſti, *ad eſſe ſe tantis myſterijs, & præſentiam ſuã dignoſci dignata eſt ſempiterna diuinitas, cœlis que apertis in ſpecie columbæ Spiritus ſanctus, & intelligi voluit, & videri.* Secunda vt ſignificaretur fidem, quæ humana tranſcendat, & cœleſtia attingat, neceſſariã eſſe, vt baptiſmus in nobis efficax ſit, & præſertim indicatum eſt debere eos, qui in Chriſto baptizantur oculis fidei videre cœlos ſibi aperiri, & Spiritum ſanctum ad eos mitti, ſi ipſi non reſiſtant, vel obicem ponant. Addit præterea Chryſ. hom. 12. in Matth. hoc factum eſſe, vt baptizati intelligant, ſe ad cœleſtia quærenda vocatos, nihil que iam cum rebus terrenis habere commune.

Baptizato Chriſto cœli aperti ſint. Cyprian.

Chry.

Tertia ratio, & vulgariſsima eſt, vt ſignificaretur per Chriſti baptiſmum ianuã regni cœlorum, quę prius clauſa erat hominibus recluſã eſſe, & apertã. Ita Chry. ſupra, & hom. 4. imperfecti, & Anſel. Matt. 3. & ibidẽ Beda, & Luc. 3. Ieſu (inquit) *baptizato apertum eſt cælum, quia dum corporis humilitate dominus vndas Iordanis ſubijt, diuinitatis ſuę potentia Cœli nobis ianuas pãdit.* Quæ omnes rationes partim morales, partim allegoricę cõueniẽtiſsimę ſunt. Tñ ad literã, dici põt

Anſelm. Beda.

quia Spiritus sanctus visibiliter descensu A rus erat in specie columbæ, oportuisse visibiliter demõstrari colũbã illã è cœlo descẽdere singulari, atq; extraordinario modo. Adhoc ergo cœlũ aperiri visum est, ac prętera vt vox Patris inde proficisci videretur. Addi etiã potest ex Chry. supra oportuisse tũc maiestatẽ Christi ostendi, nam multi existimare poterant Ioannẽ esse maioremillo. Tum propter admirandam vitę rationem, & insignem Ioannis famam, ac nomen. Tum etiam, quòd Christum viderent ab ipso baptizatum. Vt ergo non deciperentur: sed intelligere possent Christũ esse maiorem Ioanne, & quodammodo cę B lestem hominem, imò & plusquam hominem, ideo illo baptizato aperti sunt cœli, & reliqua signa facta. Hæc enim ratio æque de cunctis procedit, & efficacius de omnibus simul sumptis, quàm de singulis. Vnde Cyrill. Ieroſoly. cat. 17. *Spiritus sanctus descendit, cum dominus baptizaretur ne baptizati dignitas lateret,* & infra, *Aperti sunt cœli propter dignitatem descendentis Verbi.*

Secundũ, quomodo hoc factũ sit, explicat D. Th. in sol. ad. 2. vbi varias opiniones refert, necsatis aperte sentẽtiã definit suã: qua de re postea disseremus, cętera argumenta non indigent expositione.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum conuenienter Spiritus sanctus super Christum baptizatum descenderit in specie columbæ. C

AD *sextum sic proceditur. Videtur, quòd inconuenienter Spiritus sanctus super Christum baptizatum dicatur descendisse in specie colũbæ. Spiritus enim sanctus habitat in homine per gratiam. Sed in homine Christo fuit plenitudo gratiæ à principio suæ conceptionis, quia fuit vnigenitus à patre: vt ex supradictis patet. Nõ ergo debuit Spiritus sanctus ad eum mitti in baptismo.*

¶ 2. *Præterea Christus dicitur in mundum descendisse per mysterium Incarnationis, quando exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens. Sed Spiritus sanctus non est incarnatus. Ergo inconuenienter dicitur, quod Spiritus sanctus descenderit super eum.* ¶ 3. *Præterea, In baptismo Christi ostendi debuit, sicut in quodam exemplari, id quod fit in nostro baptismo. Sed in nostro baptismo non fit aliqua missio visibilis Spiritus sancti. Ergo nec in baptismo Christi debuit fieri visibilis missio Spiritus sancti,* ¶ 4. *Præterea, Spiritus sanctus à Christo in omnes alios deriuatur: secundum illud Ioan. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus Sed super Apostolos Spiritus sanctus descendit, non in specie columbæ sed in specie ignis. Ergo nec super Christum debuisset descendere in specie columbæ, sed in specie ignis.* ¶ *Sed contra est, quod dicitur Luc. 3. Descẽdit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum.*

¶ *Respondeo dicendũ, quòd hoc, quod circa Christum factum est in eius baptismo (sicut Chrysost. dicit super Mat.) pertinet ad mysterium omnium, qui postmodum fuerant baptizandi. Omnes autem qui baptismo Christi baptizantur, Spiritum sanctum recipiunt, nisi ficti accedant, secundum illud Matth. 3. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto. Et ideo conueniens fuit, vt super Christum baptizatum Spiritus sanctus descenderet.* Hom. 4. in Mat. in opere imperfecto a med. præc. to. 2.

¶ *Ad primum ergo dicendum, quod sicut Augustin. dicit. 15. de Trinit. absurdissimum est dicere, quod Christus cum iam triginta esset annorum, acceperit Spiritum sanctum, sed venit ad baptismum, sicut sine peccato, ita non sine Spiritu sancto. Si enim de Ioanne scriptum est, quod Spiritu sancto replebitur ab vtero matris suæ, quid de homine Christo dicendum est, cuius carnis ipsa conceptio non carnalis, sed spiritualis fuit? Tunc ergo, id est, in baptismo, corpus suum, id est Ecclesiam præfigurare dignatus est,* lib. 15. c. 26 a med. to. 8

in

in qua baptizati præcipuè accipiũt Spiritum sanctum. ¶ *Ad secundum dicendum, quod sicut Augustin. dicit in 2. de Trinitate. Spiritus sanctus descendisse dicitur super Christum corporali specie, sicut columba: non quia ipsa substantia Spiritus sancti videretur, quæ est inuisibilis, neque ita quod illa visibilis creatura in vnitatem personæ diuinæ assumeretur: neque enim dicitur, quod Spiritus sanctus sit columba, sicut dicitur, quòd filius Dei est homo ratione vnionis. Neque etiam hoc modo Spiritus sanctus visus est in specie columbæ, sicut Ioannes vidit agnum occisum in Apocalypsi: vt habetur in Apocalyp. 2. Illa enim visio facta fuit in Spiritu per spirituales imagines corporum: de illa verò columba nullus vnquam dubitauit, quin oculis visa sit. Nec etiam hoc modo in specie columbæ Spiritus sanctus apparuit, sicut dicitur 1. ad Corin. 10. Petra autem erat Christus. Illa enim petra iam erat in creatura, & per actionis modum nuncupata est nomine Christi, quem significabat: illa autem columba ad hoc tantùm significandum repentè extitit, & postea cessauit, sicut flamma, quæ in rubo apparuit Moysi. Dicitur ergo Spiritus sanctus descendisse super Christũ, non ratione vnionis ad columbam: sed vel ratione ipsius columbæ significantis Spiritum sanctum, quæ descendendo super Christum venit. Vel etiam ratione spiritualis gratiæ, quæ à Deo per modum cuiusdam descensus in creaturam deriuatur: secundum illud Iacob. 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est descendens à Patre luminum.* ¶ *Ad tertium dicẽdum, quòd sicut Chrysostom. dicit super Matth. in principijs spiritualium rerũ semper sensibiles apparent visiones, propter eos qui nullam intelligentiam incorporalis naturæ suscipere possunt: vt si postea non fiant, ex his quæ semel facta sunt, recipiãt fidem. Et ideò circa Christum baptizatum corporali specie Spiritus sanctus visibiliter descendit, vt super omnes baptizatos inuisibiliter postea credatur descendere.* ¶ *Ad quartum dicendum quòd Spiritus sanctus in specie columbæ apparuit super Christum baptizatum propter tria. Primò quidem propter dispositionem quæ requiritur in baptizato, vt scilicet non fictus accedat: quia dicitur Sapien. 1. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. Columba autem est animal simplex, astutia & dolo carens: vnde dicitur Matth. 10. Estote simplices sicut columbæ. Secundò ad designãdũ septem dona Spiritus sancti, quæ columba suis proprietatibus significat. Columba enim secus fluenta habitat, vt inde viso accipitre, mergat se, & euadat: quod pertinet ad donum sapientiæ, per quam sancti secùs Scripturæ diuinæ fluenta residentes, vt incursum diaboli euadant. Item columba meliora grana eligit: quod pertinet ad donum scientiæ, qua Sancti sententias sanas, quibus pascantur, eligunt. Item columba alienos pullos nutrit, quod pertinet ad donum consilij, quo Sancti, homines, qui fuerunt pulli, idest, imitatores diaboli, doctrina nutriunt, & exemplo. Item columba non lacerat rostro: quod pertinet ad donum intellectus, quo sancti bonas sententias, lacerando non peruertunt, hæreticorum more. Item columba felle caret: quod pertinet ad donum pietatis, per quam sancti ira irrationabili carẽt. Item columba in cauernis petræ nidificat, quod pertinet ad donũ fortitudinis, qua Sancti in plagis mortis Christi, qui est petra firma, nidum ponunt, idest, suum refugium, & spem. Item columba gemitum pro cantu habet: quod pertinet ad donum timoris, quo sancti delectantur in gemitu pro peccatis.*

li. 2. cap. 6. to. 3.

Homi. 12. in Matt. ante medium to. 2.

tis. Tertio apparuit Spiritus sanctus in specie columbæ propter effectum proprium baptismi, qui est remissio peccatorum, & reconciliatio ad Deum, columba enim est animal mansuetum. Et ideo sicut Chrysost. dicit super Matth. in diluuio apparuit hoc animal, ramum ferẽs oliuæ, & communem orbis terrarũ tranquillitatem annuntians, & nunc etiam columba apparet in baptismo, liberatorẽ nobis demonstrans. Quarto apparuit Spiritus sanctus in specie columbæ super Dominum baptizatum, ad designãdum communem effectum baptismi, qui est cõiunctio ecclesiasticæ vnitatis, vnde dicitur Ephes. 5. quod Christus tradidit semetipsum, vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, lauans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Et ideo conuenienter Spiritus sanctus in baptismo demonstratus est in specie columbæ, quæ est animal amicabile, & gregale: vnde & Canti. 5. dicitur de Ecclesia. Vna est columba mea. Super Apostolos autem in specie ignis Spiritus sanctus descendit propter duo. Primo quidem ad ostendendum feruorem, quo corda eorum erant commouenda, ad hoc quod Christum vbique inter pressuras prædicarẽt: & ideo etiam in igneis linguis apparuit. Vnde Aug. dicit super Ioan. Duobus modis ostendit visibiliter Dominus Spiritum sanctum, scilicet per columbam super Dominum baptizatum, & per ignem super discipulos congregatos: ibi simplicitas, hic feruor ostenditur. Ergo ne Spiritu sanctificati columbam habeant, in columba demõstratus est: & ne simplicitas frigida remaneat, in igne demõstratus est. Nec te moueat, quia linguæ diuisæ sunt, vnitatem in columba cognosce. Secundo quia sicut Chryso. dicit, cùm oportebat delictis ignoscere (quod fit in baptismo) mansuetudo necessaria erat, quæ demonstratur in columba: sed vbi adepti sumus gratiam, restat iudicij tempus, quod significatur per ignem.

Hom. 12. in Mat. parũ ante mediũ to. 2.

Tract. 6. in Ioann. aliquãtulum à prin. to. 9.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum illa columba, in qua apparuit Spiritus sanctus, fuerit verũ animal.

AD septimum sic proceditur. Videtur, quod illa columba in qua Spiritus sanctus apparuit, non fuerit verũ animal. Illud enim videtur specie tenus apparere, quod secundum similitudinem apparet. Sed Luc. 3. dicitur quod descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut colũba in ipsum. Nõ ergo fuit vera columba, sed quædã similitudo colũbæ. ¶ 2. Præterea, Sicut natura nihil facit frustra ita nec Deus, vt dicitur in 1. de Cœlo. Sed cum columba illa nõ aduenerit nisi vt aliquid significaret, atq; præteriret (vt Aug. dicit 2. de Trini.) frustrà fuisset vera columba: quia hoc ipsum fieri poterat per columbæ similitudinem. Nõ ergo illa colũba fuit verũ animal. ¶ 3. Præterea, Proprietates cuiuslibet rei ducunt in cognitionẽ naturæ illius rei. Si ergo fuisset illa columba verũ animal, proprietates colũbæ significassent naturam veri animalis, non autem effectus Spiritus sancti. Non ergo videtur, quod illa columba fuerit verum animal. ¶ Sed contra est, quod Aug. dicit in li. de agone Christiano, Neque hoc ita dicimus, vt dominũ Iesum Christũ dicamus solum verũ corpus habuisse, Spiritum autem sanctum fallaciter apparuisse oculis hominum, sed ambo illa corpora vera esse credimus.

1. 6 Ioan. 1. 20

co. 2. & op. to. c. 9.

li. 1. de cœlo tex. 32. to. 2

libro 2. de Trini. c. 6. in fin. to. 3.

¶ Respõdeo dicendũ, quod (sicut supra dictũ est) non decebat vt filius Dei, qui est veritas Patris, aliqua fictione vteretur: & ideo nõ phantasticum, sed verum corpus accepit. Et quia Spiritus sanctus dicitur spiritus veritatis, vt patet Ioã. 16. ideo

cap. 22. 4 medio to. 3. q. 5. ar. 1.

16. *ideò etiam ipse veram columbam formauit, in qua appareret: licet non assumeret ipsam in vnitatem personæ. Vnde post prædicta verba Augustin. subdit.* Sicut non oportebat vt homines falleret filius Dei, sic etiam non oportebat vt falleret Spiritus sanctus: sed omnipotenti Deo, qui vniuersam creaturam ex nihilo fabricauit, non erat difficile, verum corpus columbæ sine aliarum columbarum ministerio figurare, sicut non fuit ei difficile verum corpus in vtero Mariæ sine virili semine fabricare, cùm creatura corporea, & in visceribus fœminæ ad formandum hominem, & in ipso mundo ad formandum columbam, imperio Domini voluntatique seruiret.

tod l de agone Christiano c. 22 post med. to. 3.

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd Spiritus sanctus dicitur descendisse in specie, vel similitudine columbæ: non ad excludendam veritatem columbæ, sed ad ostendendum quòd ipse non apparuit in specie suæ substantiæ.* ¶ *Ad secundum dicendum, quòd non fuit superfluum formare veram columbam, vt in ea Spiritus sanctus appareret: quia per ipsam veritatem columbæ significatur veritas Spiritus sancti, & effectuum eius.*

¶ *Ad tertium dicendum, quòd proprietates columbæ, eodem modo ducunt ad significandum naturam columbæ, & ad significandos effectus Spiritus sancti. Per hoc enim quòd columba habet tales proprietates, ostenditur, quòd columba significat Spiritum sanctum.*

COMMENTARIVS.

In Christũ baptizatũ cur Spiritus sanctus descendit. Ioa. 1. & 3. Aug.

IN his articulis tria tractat D. Thom. Primum cur baptizato Christo Spiritus sanctus visus est in eum descendere? scilicet ad significandum Spiritum sanctum dandum esse per Christi baptismum iuxta illud. *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto.* Ioan. 1. & illud. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto.* cap. 3. Quod A amplius explicans D. Thom. in solut. ad primum dicit cum August. lib. 15. de Trinitate cap. 26. non descendisse Spiritum sanctum in Christum baptizatum, quòd eum tunc primò repleuerit. Ab instanti enim conceptionis suæ ita fuit omni gratia refertus, vt crescere nō potuerit. Descendit ergo ad significandum donum, quod dandum erat baptizandis in Christo, & præterea ad indicandum donum illud plenissimè, ac perfectissimè in Christo habitare, de cuius plenitudine omnes alij erant accepturi. Quod significatum est Ioanni Baptistæ, quando illi dictum est Ioan. 1. *Super quem videris Spiritum sanctum descendentem, & manentem, ipse est, qui baptizat in Spiritu sancto:* vt latissimè exponit August. tract. 5. in Ioannem. Ex quo intelligitur aliter descendisse visibiliter Spiritum sanctum in Christum, & in B Apostolos, aliosve sanctos: ad Christum enim facta est missio visibilis solum quo ad externam speciem, & significationē, non verò quoad internum effectum, & inuisibilem missionem. Vnde Spiritum sanctum visibiliter mitti ad Christum, nihil aliud fuit, quàm Spiritus sancti donum, quod à principio conceptionis in Christo erat, ac permanebat, nouo signo visibili manifestari. At verò in aliis simul cum nouo visibili signo facta est interior Spiritus sancti missio per noua dona gratiæ, aut specialem eorum perfectionem. Et ad hunc modum exponendi sunt Patres, cùm interdum videntur docere Christum in baptismate, Spiritu sancto fuisse vnctum, impletumque illud C Psalm. 44. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ*: vt Athanasius oratione. 2. contra Arianos, & Cyril. Ierosolymitan. cat. 17. illuminat. & 3. mystagogica, & Optatus Mileuitan. lib 4. contra Parmen. Hieronym. Isai. 61. & Hilarius libr. 11. de Trinitate, intelligendi (inquam) sunt, quoad externam manifestationem illius vnctionis. Nam alioqui certum est, Christum in conceptione sua fuisse perfectissime Spiritu sancto vnctum perpetua, atque inamissibili vnctione, vt docuit Damascenus libr. 4. de fid. capit. 6. Ambros. libr. de Noe, & arca capit. 3. & libr. 2. in Lucam in fine ex quo id mutuatus est Beda lib. 1. in Lucam cap. 10. & Gre. lib 9. registri epist. 61. De qua re latissimè egimus, multaque alia congessimus ex Patribus in priori to-

Ioan. 1. Aug.

Missio visibilis Spiritus sancti qualiter ad Christum sit facta.

Psal. 44. Athanas. Cyr. Ier. Opt. Mile. Hieron. Hilar.

Damasce.

mo disputat.18.Sect.1.2.&3,

Supra Christum baptizatũ in specie columbæ cur Spiritus sanctus apparuit. Tertul.

Secũdum declarat D.Th.in sol.ad.4.cur apparuerit Spiritus sanctus in specie columbæ.Cuius rei varias adhibet rationes, quæ ab ipso enucleàte satis exponuntur. Summa omnium est,vt in columbę proprietatibus tum effectus baptismi,tũ dispositio suscipientis significentur. Quas breuiter attigit Tertullia.lib.de baptismo, cap.8.dicens.*Tunc ille sanctissimus spiritus superemundata, & benedicta corpora libens a à Patre descendit super baptismi aquas,tanquã pristinam sedem recognoscens conquieſcit columbæ figura delapsus in dominum, vt natura Spiritus sancti declaretur per animal simplicitatis,& innocentiæ,quod etiam corporaliter ipso felle careat columba,*lege Isidorũ li.12. originũ ca.7.Vnde quod D.Th.hic dixit per simplicitatem columbæ significari dispositionem,quam accedentes ad baptismũ habituri sunt,vt exposuerunt etiam Amb. & Bedain Lucam.Tertullianus refert ad effectum baptismi,seu donũ Spiritus sancti,quod per illum datur.Subiungitdeinde Tertul.rationem aliam,quæ hìc apud D. Th.est tertia,quam paucioribus verbis ille cõplexus est li.contra Valentinianũ ca. 2.dicens.*Columba a principio diuinæ pacis est præco.* Quem imitatus Hieron.dial.aduersus Lucif.*Emittitur*(inquit)*de arca coruus, & non redit,& postea pacem terræ colũba nuntiat.Ita & in baptismate Ecclesiæ teterrimo alite expulso,idest,diabolo,pacem terræ nostræ columba Spiritus sancti nuntiat.* Similia habet epi.83.ad Ocean.& Chry.hom.12.in Matth.& egregiè Cyr.Ierosol.dicta cat.17.vbilatius figurã hãc,& vtrãq; rationẽ persequitur,& Beda Mat.3.vbi aliã significat rationẽ his verbis.*Ideo Spiritus sanctus super saluatorem in specie colũbę apparuit,quia non veniebat,vt per zelum peccata puniret: sed vt per mansuetudinem toleraret.* Et inde colligit rationẽ,ob quã Spiritus sanctus in baptismo descẽdit in specie colũbæ,in die verò Pẽtecostes in specie ignis,dicens.*In igneo ro super simplices homines apparuit, vt eos ad puniendain se peccata spiritalis feruor accenderet,quæ Deus per mansuetudinem vindicari pareret.* Quibus verbis cõprehẽdit vtrãq; rationẽ D.Th.hic in eadẽ solutione ad.4.

Tertio declarat D.Th.a.6.ad.2.& toto ar. 7.qualisilla colũba fuerit,& quomodo apparuerit.Quę res diligentiorẽ examinationem requirit in dispu.sequenti tractãdã.

Ambr. Beda. Tertul. Hieron.

Isidor.

Chryso. Cyr.Iero. Beda

A ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrum conuenienter Christo baptizato, fuerit vox Patris audita filiũ protestantis.

AD octauũ sic proceditur. *Videtur quòd inconuenienter Christo baptizato fuerit vox Patris audita, Filiũ protestãtis, Filius enim,& Spiritus sanctus secũdũ hoc quòd sensibiliter apparuerũt, dicuntur visibiliter esse missi.Sed patri nõ conuenit mitti,vt patet per Aug. in 2.de Trini.Ergo etiã nec apparere.* ¶ *2. Præterea,Vox est significatiua verbi in corde concepti.Sed Pater non est verbũ, ergo incõuenienter manifestatur in voce.* ¶ *3.Præterea,Homo Christus non incepit esse filius Dei in baptismo.sicutquidã hæretici putauerũt, sed à principio suæ cõceptionis fuit filius Dei,magis ergo in natiuitate debuit vox Patris protestari Christi diuinitatẽ,quã in eius baptismo.* ¶ *Sed cõtra est,quod Mat.3.dicitur.Ecce vox de cœlis dicens.Hic est filius meus dilectus,in quo mihicõplacui.*

221 Inf q. 45. ar.4.& q. 66.art. 6. cor.& opu. 60.cap.2.

l.2.de Tri. c.12.in fin. to.3.

¶ *Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est)in baptismo Christi,qui fuit exẽplar nostri baptismi, demonstrari debuit,quod in nostro baptismo perficitur.Baptismus autem quo baptizãtur fideles,cõsecratur in inuocatione,& virtute Trinitatis,secundum illud Mat.Vltimo:Euntes docete omnes Gentes,baptizantes eos in nomine Patris,& filij,& Spiritus sancti.Et ideo in baptismo Christi(vt Hieronym.dicit mysterium Trinitatis demonstratur. Dominus enim in natura humana baptizatur, Spiritus sanctus descendit in specie columbæ,Patris vox testimonium Filio perhibentis auditur.Et ideo conueniens fuit,vt in illo baptismo Pater declaretur in voce.*

ar.6.huius quæst.

In coment. 3.c.Ma.circa fin.to.9

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd missio visibilis addit aliquid superappa-*

ritionem

ritionem, ſcilicet autoritatem mittentis. Et idcò Filius, & Spiritus ſanctus, qui ſunt ab alio, dicuntur mitti viſibiliter, & non ſolum apparere: Pater autem, qui non eſt ab alio, apparere quidem poteſt, viſibiliter autem mitti non poteſt.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd Pater non demõſtratur in voce, niſi ſicut actor vocis, vel loquens per vocem. Et quia proprium eſt Patri, producere verbum, quod eſt dicere vel loqui: ideò conuenientiſsimè Pater per vocem manifeſtatus eſt, quæ ſignificat verbum. Vnde & ipſa vox à Patre emiſſa, filiationem Verbi proteſtatur. Et ſicut ſpecies columbæ, in qua demonſtratus eſt Spiritus ſanctus, non eſt ipſa natura Spiritus ſancti, nec ſpecies hominis, in qua demonſtratus eſt ipſe Filius. eſt ipſa natura filij Dei: ita etiam ipſa vox non pertinet ad naturam Verbi vel Patris loquentis. Vnde Ioannis. 5. Dominus Dicit: Neque vocem eius, id eſt patris vnquam audiſtis, neque ſpeciẽ eius vidiſtis. Per quod (ſicut Chryſoſtomo dicit ſuper Ioan.) paulatim eos in philoſophicum dogma inducens, oſtendit quoniam neque vox circa Deum eſt, neque ſpecies, ſed ſuperior eſt, & figuris, & loquelis talibus. Et ſicut columbam, & etiam humanam naturam à Chriſto aſſumptam tota Trinitas operata eſt, ita etiam & formationem vocis. Sed tamen in voce declaratur ſolus Pater, vt loquens, ſicut naturam humanam ſolus Filius aſſumpſit, & ſic in colũba ſolus Spiritus ſanctus demonſtratus eſt, vt patet per Auguſt. in libr. de Fide ad Petrum.

¶ Ad tertium dicendum, quòd Diuinitas Chriſti non debuit omnibus in eius natiuitate manifeſtari: ſed magis occultari in defectibus infantilis ætatis. Sed quando iam peruenit ad perfectam ætatem, in qua oportebat eum docere, & miracula facere, & homines ad ſe conuertere, tunc teſtimonio Patris erat eius diuinitas manifeſtanda, vt eius doctrina credibilior fieret: Vnde & ipſe dicit Ioan. 5. Qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibet de me. Et hoc præcipuè in baptiſmo, per quem homines renaſcuntur in filios Dei adoptiuos. Filij autem Dei adoptiui inſtituuntur ad ſimilitudinem filij naturalis: ſecundum illud Roman. 8. Quos præſciuit, hos & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui. Vnde Hilarius dicit ſuper Matth. quòd ſuper Ieſum baptizatum deſcendit Spiritus ſanctus, & vox Patris audita eſt, dicentis. Hic eſt filius meus dilectus: vt ex his, quæ conſummabantur in Chriſto, cognoſceremus per aquæ lauacrum, & de cœleſtibus portis ſanctum in nos Spiritũ inuolare, & paternæ vocis adoptione, Dei filios fieri.

Hom.39.in Ioa.4 med. to.3.

cap.9.circa prin.to.3

Cano.2. in Mat.circa finem

COMMENTARIVS.

RAtio, quam D.Thom. reddit, vocẽ Patris auditam idcirco eſſe, vt expreſſa repreſentatio Trinitatis, illiuſq; profeſsio in baptiſmo Criſti futura indicaretur, cõmunis eſt ſanctorũ omnium, vt videre licet in Aug. ſerm. 63. de verbis Domini. Hieron. Beda, Anſelm. & Chryſoſt. & aliis Græcis, & Latinis Matthę. 3. & Luc. item. 3. Vbi rectè Ambroſ. *Vidimus* (inquit) *ſpiritum ſed in ſpecie corporali, videamus & Patrem, ſed quia videre non poſſumus, audiamus.* Alia verò ratio addi poteſt ex Cyprian. lib. 1. ad Quirinum c. 10. auditam eſſe vocẽ Patris dicentis. *Ipſum audite*, eò quòd tunc lex gratię inchoariui deretur. Tertia addi poteſt ex Hilario canon. 2. in Matth. illius paternę vocis teſtimonio indicatũ eſſe nos per adoptionẽ filios Dei fieri, cũm per baptiſmum regeneramur. Reliqua, quę in ſolutionibus argumentorum tradũtur, licet obſeruatione digna ſint, expoſitione non indigent.

Vox Patris in baptiſmo Chriſti audita cur.

Aug. Hieron. Beda. Anſelm. Chryſoſt. Ambroſ. Cyprian. Hilar.

DISPVTATIO XXVII.

In tres ſectiones diſtributa.

De iis, quæ in baptiſmo Chriſti acciderunt.

TRia narrantur ab Euangelistis, cœlorum apertio, columbæ descensus, & vox Patris. De quibus sigillatim, dicemus, ac tandem ordinem eorum, quidque ad baptismum Christi contulerint. vel an naturam eius mutauerint, explanabimus.

SECTIO PRIMA.

Vtrum baptizato Christo vere fuerit cœlum apertum, ita vt externis sensibus percipi potuerit.

Baptizato Christo nõ est in cęlis facta diuisio.

PRimo doctores omnes sine controuersia, ac ferè sine disputatione docent cœlum, quod elementis imminet, non fuisse reipsa diuisum, non quia id fuerit Deo impossibile: sed quia tam inusitatum miraculum nec fuit tunc necessarium, nec verba scripturæ cogunt, vt id fingamus. Primum declaratur, quia in primis cœlum incorruptibile diuidi miraculum est. Deinde illo diuiso, vel oportuisset spatium interjectum vacuum relinqui, vel elementa ad illud replendum ascendere. Ad hæc, si illa diuisio fieret in cœlo, & non in aere, non posset certè oculis percipi sine nouo miraculo, si veró facta est simul in aere, hoc sufficit ad repræsentationem mysterij, nec oportuit diuisionem ad cœlos vsque peruadere, quo vix possunt humani sensus attingere. Denique etiam Ezechiel. cap. 1. dicuntur cœli fuisse aperti & Gene. 7. & Act. 7. & sæpe aliàs reperitur idem modus loquendi scripturæ, & non propterea fit, vt passim cœli diuisi fuerint. Quomodo autem cœli dicantur aperti Christo baptizato, non eodem modo ab omnibus explicatur.

Ezech. 1. Gene. 7. Act. 7.

Quidam enim dicunt, in externis corporibus nullam diuisionem, vel mutationem quæ oculis cerni posset, factam esse, sed solum interius in mẽte, seu in imaginatione cœlum, ac si apertum esset, apparuisse. Ita videtur sensisse Hiero. Matth 3. & Ezech. 1. Quæ sententia dupliciter explicari potest, primo, vt solum per metaphoram dicatur *cœlum apertum*, nõ quia vel visui, vel imaginationi sic apparuerit: sed solũ, quia visus est sensibilis effectus columbę quasi descendentis è cœlo, sicut Gen. 7. dicũtur *apertæ cataractę cęli*, propter abundantem aquarum fluxum: non verô propter aliquam cœli vel âeris diuisionẽ. Quæ metaphora est frequens in scriptura. *Aperiatur terra, & germinet saluatorem*, vel quia apparuerunt, & quodammodo visa sunt cœlestia mysteria, sicut Act. 7. dixit Stephanus *ecce video cęlos apertos*, non quia visu aut imaginatione cęlum tanquam diuisum aspiceret: sed quia videbat Christum in cęlo existentem. Similiter quoque dicitur Ezec 2. *aperti sunt cęli, & vidi visiones Dei.* Vbi Hieron hunc dicendi modum indicãs ait, *apertos cęlos non diuisione firmamenti: sed fide credentis intelligi, eo quod cœlestia sint illi reserata mysteria. Vnde & in baptismate saluatoris, quãdo Spiritus sãctus in specie colũbæ descẽdit super eum apertos cęlos legimus.* Eundẽ sensum indicat Mat. 3. cum inquit *Aperiuntur cęli non reseratione elementorum, sed spiritalibus oculis, quibus & Ezechiel. &c.* Idem Beda Mar. 1. & Chry. in imperfecto hom. 4.

Gen. 7. Act. 7. Ezech. 1. Hieron. Bed. Chry.

Secundo modo explicari potest hæc sententia, quód ipsum cœlum diuisum apparuerit quasi sensibili diuisione, ita tamen, vt hæc apparitio non oculis, sed solũ imaginariæ visioni sit facta. In hunc modũ explicant aliqui sententiam Hieronymi, Bedæ, & Chrysostomi iam expositam, & D. Tho hic ita interpretatur Ezechielem vidisse cęlos apertos, & licet vtrumque modum probabilem existimet, in hunc tamen maxime videtur propensus. Nam eum secundo loco ponit, & ex duobus modis explicandi, priorem, qui est omnino per metaphoram, intellectualemque visionẽ significat, vltimo loco constituit, & ita videtur eum præferre alijs (vt etiam Caietan. notauit) rationemque indicauit, quia visio intellectualis perfectior est. Solet autem hæc sententia fundari pręcipue in verbo Matth 3 *& ecce aperti sunt ei cœli.* Nam illo pronomine ei indicatur soli Christo ostensam esse illam cœlorũ apertionem. Vnde Marcus. *Et statim ascendens de aqua vidit cęlos apertos.* Solus ergo ipse vidit, ergo nõ est facta mutatio, neque ostensio aliqua in obiectis sensibilibus, quę aliorum etiam oculis parebant, ergo fuit solum imaginaria in Christo, vel certe intellectualis.

D. Thom. Caietan. Matth. 3. Marc. 1.

Cælos in Iordane sensibiliter apertos alij pręter Christum vident quomodo.

Sed retorquendo hoc idem fundamentum, reijcienda videtur hęc sentẽtia, quia illa apertio cęlorum non soli Christo, sed cæteris etiam, qui pręsentes aderant, ostẽsa est, ergo signum est factam esse per aliquam

quam externam mutationem, & visionem sensibilem. Patet consequentia, quia licet potuerit fieri in singulorum imaginationibus, tamen alius modus erat facilior, & hominum multitudini accommodatior.

Antecedens verò constat ex omnibus cõiecturis, quas supra adduximus, ob quas fuit expediens cælos aperiri in Christi baptismate. Nam omnes fundantur in significatione mysterij, quæ illo sensibili signo facta est: illa autem significatio sensibilis, nõ erat Christo necessaria, sed nobis, ergo oportuit, vt talis esset, quę ab alijs percipe-
A retur. Vnde sancti omnes, qui eas rationes afferunt, non obscure hoc supponunt. Et
B hinc etiam fit, illam apertionem non debere omnino metaphoricè exponi, quia sic exposita non significat aliquod sensibile signum distinctum à descensu colũbæ, sed solam intelligentiam mysterij cęlestis, & spiritualis ibi recondiri, ergo cùm illa apertio censeatur facta propter specialem significationem, non solam metaphoram continet, sed veram mutationem in re factam, & sensibus obiectam significat. Et augeri potest vis huius rationis, quia Euangelistę tria illa distincte enumerant, cælum apertũ columbam descendentem, & vocem de cælo factam: hæc duo posteriora intelliguntur aliquomodo propriè facta, & sensibus obiecta, & inter se distincta, ergo eodẽ modo interpretandum est primum, quód sit
C signum aliquod sensibile distinctum ab alijs duobus. Cõfirmatur præterea ex Marco, qui sub eodem verbo inquit. *Vidit cœlos apertos, & spiritum tanquam columbam*, sicut ergo intelligit sensibili, & externa visione vidisse columbã, ita & vidisse cælos apertos intelligendum est. Vnde sicut dicens Marcus, Christum vidisse columbã, non excludit, quin alij viderint, ita etiam dum dicit vidisse cælos apertos, non propterea solum ipsum vidisse putandum est. Neque etiam ex verbo Matthæi hoc colligi potest. Tũ quia verborũ illud. *Aperti sunt ei*, ex Græco verboverti potest aperti sunt *super eum*, ἐπ' αὐτόν. Quod dici potest, non quia ipse viderit, sed quia circa eum facta est illa ostensio, & explicari potuisset illo modo, etiam si ipse eam non vidisset, sed solum alij, qui aderant. Vel si ad cognitionẽ referatur, ita vt sensus sit Christum vidisse cælum sibi apertum, non propterea excluduntur alij (vt dixi) quin idẽ viderint, sed explicatum est ab euangelista illo speciali modo, ad indicandum mysterium, cœlos scilicet singulariter aperiri ei, qui baptizatur.

Marc. 1.

Cælorum apertio sensibiliter in Iordane facta, astantiũ oculis visa.

Secundo igitur probabilius sit, illam cęlorum apertionem externis oculis visam esse omnibus, qui aderant, & consequẽter factam esse per externam aliquã mutationem in obiecto sensibili. Nam licet interdum fieri possit, vt etiam oculus aliquid videre videatur, non per mutationem obiecti, sed per solam impressionem speciei factam in oculo: tamen in præsenti nõ ita factum est. Quia quando ita fit visio, vt eodem modo obiectum ab omnibus videatur, signum est, non fieri visionem per huiusmodi impressionem solam in videntę factam, sed per mutationẽ obiecti, vt D. Tho. docuit (quanuis de re alia disputans) infra. q. 76. art. 8. Ratio verò est (quã etiam supra tetigi de visione imaginaria) quia hic modus est facilior, & magis proportionatus, tum ad sensibilem representationem, tum ad visionẽ, quæ omnibus præsentibus communis est. Ita ergo verisimile est, factam esse illam cęlorum apertionem, vt Iansen. & alij recentiores docent, & prius significauerat Euthym Matth. 3. & D. Tho. hic non repugnat.

Iansen. Euthym. D. Thom.

Quód si tandem inquiras, quæ nam mutatio in obiecto facta, & in quo obiecto, seu corpore facta sit. Dicendum est factã esse in aere, qui in scriptura nomine *cęli* frequẽtissimè appellatur. Nullũ enim erat corpus propinquius, & aptius ad eam impressionis mutationem recipiendam. Modus autem esse potuit, Primo, quód reuera ipse aer diuisus sit, & in partes separatus, sed hoc difficultatem inuoluit, an spatium illud, quod erat inter partes diuisas interiectũ, esset vacuum, vel quod nam aliud corpus illud occuparet. Secundo formari potuit in aere species, seu similitudo aliqua apertionis, seu hiatus sensibilis, faciendo scilicet vt partes âeris ita oculos immutarent, vt apparerent diuisæ, & distantes. Quod intelligi potest, si partes illæ, quæ separari videntur, densiores fiant, & lucidiores, ita vt ad illas possit visus terminari: aer autem interiectus maneat rarior. Tunc enim videbuntur partes illæ interse disiungi, atque ita cælum aperiri.

Cælorum apertio intelligendum quomodo.

SECTIO II.

Vtrum Spiritus sanctus vere in specie columbæ descenderit ita, vt externis oculis cerni posset.

NOn hic inquirimus id, quod ad ipsam personam Spiritus sancti spectat, quia supponimus illã nec per sui mutationem descendere potuisse, sed solum, quia nouo modo representata est in ordine ad specialem gratiæ effectũ (vt latius. 1. par. quæst. 43. differitur) nec ipsam secundum se oculis videri posse corporeis: sed solum in figura, vel signo sensibili (vt tractatur ex profesſo. 1. p. q. 12.) Agitatur ergo hęc quęstio de ipso signo, seu columba, sub cuius specie Spiritus sanctus apparuit.

Columba in Iordane apparens oculis visa.

Qua in re primo certum est, columbam illam exterioribus oculis visam esse super Christũ descendere, & in hoc omnes conueniunt. Primo, propter proprietatẽ verbi *videndi*, quod non oportet metaphoricè exponi de intellectuali, vel imaginaria visione: Vnde Aug. lib. 2. de Trinit. c. 6. sic scribit. *De illa columba nullus vnquam dubitauit, quod oculis visa sit.* Secundò quia non solum Christus, sed etiam Ioannes illam vidit, vt dicitur Ioan. 1. Tertio quia verisimilius est ita descendisse, vt ab omnibus qui aderant conspecta sit, vt indicat Aug. sup. & docent expositores omnes super Euangelia, præsertim Chrysost. hom. 16. in Ioan. & probari potest omnibus rationibus superiori sectione adductis, & sequenti sectio. latius tractabitur, & confirmabitur.

Aug. *Ioan. 1.* *Chrysosto.*

Secundo certum est, siue illa columba verum fuerit animal, siue specie tenus dũtaxat, non fuisse hypostaticè vnitã Spiritui sancto, vt hic docet D. Tho. ad. 2. cum Augustino loco citato, & Chrysosto. homil. 11. in Matth. & est omnino certum. Non enim dicitur Deus factus colũba, sicut dicitur factus caro, aut homo, neq; ad finẽ missionis, seu apparitionis Spiritus sancti necessaria erat hypostatica vnio, sicut fuit ad finem incarnationis, vt rectè notauit D. Thom. 1. p. q. 43. artic. 7. ad. 4. Quia nõ apparuit Spiritus sanctus sub specie colũbæ, vt per illã aliquid operaretur merẽdo, aut satisfaciendo, sicut Verbum per humanã naturã. Denique licet huiusmodi natura irrationalis non sit huius hypostaticę vnionis omnino incapax: nõ tamen diuinã maiestatẽ decet illi vniri. De qua re latius in superiori tomo dictũ est.

D. Thom. *Aug.* *Chrysost.*

Circa hoc verò obscurus est locus Tertul. lib. de carne Christi c. 3. vbi dicit, *Spiritum columbæ corpori illæ ipsum descendisse super Dominũ, qui Spiritus (ait) cũ hoc esset, tam vere erat columba, quã spiritus, nec interfecerat substantiam propriam assumpta substantia extranea.* Sed hęc verba vel corrigẽda sunt, quia Euangeliũ non dicit Spiritum fuisse verè columbam, sed apparuisse quasi colũbam: vel exponẽda sunt iuxta ea, quæ statim dicemus.

D. Thom. *Tertul.*

His ergo positis cõtrouersia est, vtrum illa colũba fuerit verũ animal nec ne. Prima sententia est, fuisse verũ animal de nouo à Deo creatũ ad illud munus. Ita sentit Aug. lib. de agone Christiano. c. 22. solet etiã tribui Chrysostomo hom. 12. in Matth. & 4. in Acta, sed iis locis reuera neutrũ affirmat, sed solum docet Spiritũ sanctum non dici apparere in specie colũbæ, vel ignis, quia naturam columbæ assumat, sed quia in his representatur. An verò sub illa specie vera fuerit natura columbæ, nec ne, non explicat. Ad hãc verò sententiam accommodari possunt verba Tertulliani supra citata, vt non sit sensus Spiritum verè factũ esse columbã sed verã columbam assumpsisse, non hypostaticè; sed vt in ea representaretur. Augustinũ sequutus est Anselmus Matt. 3. & Hugo Cardinalis Ioan. 1. & nonnulli ex scholasticis in. 1. dist. 16. ac deniq; D. Tho. hic art. 7. qui vtitur ratione sumpta ex Augustino. Quia decuit, vt Spiritus veritatis nec fictione vteretur, nec homines falleret: hoc enim argumẽto cõcludimus Verbũ assumpsisse verã hominis naturã, quoniam aliàs nos decepisset. Sed (quidquid sit de assertione) certũ est rationem hanc non concludere. Eam enim in re simili dissoluit idẽ D. Tho. 3. p. q. 76. art. 8. ex doctrina eiusdẽ Aug. lib. 2. quæstionũ in Euangelia, quęst. vltima, dicẽs, quando species aliqua diuinitus formatur, & ad veritatẽ aliquam significandã refertur, nullam esse deceptionẽ, sed veritatis significationẽ. Vt cùm Christus apparuit discipulis euntibus in Emaus in specie peregrini, nulla fuit deceptio, etiã si ob eam causam contigerit alios decipi. Quia aliorũ deceptio tribui non potest illi, qui verbis, vel factis vera significat sine intẽtione

Aug. *Chrysost.* *Tertullia.* *Anselm.* *Hug. Car.* *D. Thom.* *Aug.* *Luc. 24.*

ne fallendi. Neque est eadē ratio de humana natura à Verbo assumpta. Quia assumpta est non tantū ad representādum: sed ad existendū, & operandum, & ideó non solum dicitur Verbum apparuisse in specie hominis, sed factū homo: quod nequit esse verum sine vera natura hominis.

Columba in baptismo super Christum descendens, non fuit vera, Sed apparens. Aug.

Secunda ergo sententia est, columbam illam non fuisse veram: sed tantum apparentem. Hanc docet Aug. epist. 102. Vbi latè probat non oportuisse illam speciem columbæ vera informari anima, sicut nec vocem Patris, quæ in eodem baptismate audita est, per organa vitæ formari. Idem li. 3. de mirabilibus scripturæ cap. 5 his verbis. *Quanuis corporali specie Spiritus sanctus super dominum descendere dicitur, non tamen de auibus sumpsisse columbam, sed ex aere minime dubitatur.* Quæ verba non possunt exponi solum de assumptione ad vnionem hypostaticam, alioqui posterior pars falsa esset, quia hoc modo nec veram, nec apparentem columbam Spiritus sanctus assumpsit. Videri tamen potest Aug. his verbis solum negare illam columbam sumptam esse ex auibus, quæ antea existebant, non tamen fuisse verum animal de nouo ex aere procreatum. Sed huic sensui repugnat ratio, quam Aug. subiungit dicens. *Nequaquam enim ex auibus Spiritum sanctum necesse fuit corpus assumere, dum aues in nullo transgressæ sunt legem naturæ, sed & si in aliquotrās grederentur, non debuit a spiritu assumi, vt ei delictiv indicta solueretur, cum neque rationalis sit, neque æterna.* Quæ ratio directe solum probat, naturam columbę non esse assumptam á spiritu in vnitatem personæ, hinc tamen consequenter voluit cōcludere nō oportuisse, vt esset vera, sed tantum apparens, vt etiam in principio capitis dixerat. & insinuat lib. 2. de Trinit. cap. 5. dum ait, *Facta est quędam creaturæ species ex tempore, in qua visibiliter ostenderetur Spiritus sanctus, siue cum in ipsum Dominum corporali specie velut columba descendit, siue cum die Pentecostes &c.* Vbi etiam perpendendum est eodem modo loqui Augustinum de columba, & de igne Pentecostes, quem & ipse Aug. dicta epist. 102. & omnes docent non fuisse verum ignem. Clarius videtur hoc docere Amb. lib. 1. de sacram. cap. 5. dicens. *Non columba descendit, sed quasi columba: Christus carnem susceptit, non sicut carnem, sed carnis veritatē, Spiritus aūt sanctus in specie colūbæ, non in veritate columbæ.* Huc accedit Optatus Milevitan. lib. 4. contra Parmenian. *Spiritale (inquit) oleum in imagine colūbæ descendit.* Nazian verò orat. 39. solum dicit, *Descendit vt columba corporeo modo conspecta.* Et hoc ipsum videntur sentire Chry. Theop. & Euthy. Matt. 3. qui semper vocant *speciem columbæ*, seu *quasi columbam*: expressius verò id docent recentiores expositores Caiet. Iansenius post Glossam Matth. 3. ly tanum Mar. 1. Abulensem. q. 84. & 85. in tertium caput Matth. & Procopius Gen. 18. & hanc sententiam sequutus fuerat D. Tho. in. 1. d. 16. ar. 3. q. vnica. Quæ videtur verisimilior: cui in primis fauent verba scripturæ, quæ nō appellat simpliciter columbam, sed *tanquam*, vel *sicut columbam.*

Optat Milevit. Gre. Naz. Chrysost. Theophyl. Euthym. Caietanus. Iansen. Glossa. Lyra. Abulens. D. Thom.

Quod licet referri possit ad ipsam personam Spiritus sancti, qui non potest dici simpliciter columba, etiam si illa esset verū animal, cùm non eam hypostaticè assumpserit, ideôque dicatur *quasi columba*, commodius tamen intelligitur de tota illa re, quę apparuit: sicut cùm Act. 2. dicitur apparuisse *tanquam ignis*, non solum intelligitur de Spiritu sancto, sed & de specie externa. Coniecturæ verò sunt, prima, quia Deus nihil facit frustra, ad finem autem illius apparitionis satis, superque erat imago columbæ, cùm solum esset ad representandum: & (vt Aug. dixit dicta epist. 102.) non minus declaratur omnipotentia, & sapientia Dei in hoc, quod ita illi creatura obtemperet, vt sine animæ viuificantis ministerio figura, motusque volucris eadē potētia creatoris ingeratur aspectibus, quàm creando verum animal. Secūdo quia post factam illam representationem, vel illud animal erat corrumpendum, & destruendum (vt Tertul. & alij autores primæ sententiæ factum esse fatentur,) & ita superuacanea fuisset illa creatio: præsertim cum Deus non soleat destruere ea, quæ condidit, quādo alioqui ex proprijs principijs, & causis corruptio non sequitur: Vel permansura erat illa columba, vt peracto ministerio auolaret, sicut reliquæ aues, & hoc non erat ita decens, neque ad confirmandum miraculum necessarium, vel admodū vtile. Tertio omnes alię apparitiones, quę ministerio angelorū in corporibus assumptis factę sunt, ita explicantur, vt res non sint veræ, quæ apparent, nisi fortasse quando res apparentes sunt ita simplices, seu im-

Act. 2. Aug. Tertul.

imperfectę, vt non possint facilius repre sentari, quam fieri, vt nubes, & aliæ res hu iusmodi, non verò res aliæ perfectæ, ac viuentes. Neque enim tres viri, qui Abrahæ apparuerunt, fuerunt veri homines, & sic de cæteris. Non est ergo, quòd in hac apparitione aliquid singulare, & inusitatum sine nouo fundamento fingamus.

Dubium. Sed inquiret tandem aliquis, Vtrum hæc columba apparuerit super Christum ante, an post baptismum eius, aut vtroque tẽpore. Quæ difficultas orta est ex verbo Ioānis, *super quẽ videris Spiritum sanctũ descendentem, & manentem, ipse est, qui baptizat.* Hinc enim videtur sequi, antequã Ioannes Christum baptizaret, vidisse Spiritũ descendentem, & manentem super Chris B tum, quia antea illum cognouit: vnde fit ante baptismum descendisse columbam: & ita opinatur Caietan. Matth.3. & alij, quos audacter loquutos esse meritò dixit Frãciscus Toletus Ioan.1.annot.72. quia sine vllo scripturæ fundamento id confingunt. Certum ergo sit columbam apparuisse Iesu baptizato, vt dixit Lucas capit.3. imò expresse Matth.c.3. dicit post baptismum Christum ascendisse de aqua, & statim vidisse cœlos apertos, & Spiritum descendentem quasi columbam; tunc igitur solum credendum est, columbam apparuisse. Nam si antea etiam descẽdisset, vidisset vtique illam Christus, & Euangelistę aliquam illius mentionem fecissent, quod non solum non faciũt; imò in ipso narrationis modo indicant apparitionem illam fuisse nouam & insolitam. C Ad difficultatem autem positam, iam supra declaratum est, quomodo Ioannes prius de facie ignorauerit Christum, & postea ante baptismum priuata reuelatione illum cognouerit absq; signo externo: postea verò, publica reuelatione & aptiori ad testimonium de Christo reddendum.

Ioan.1. *Caietan.* *Fran.Tol.* *Responsio* *Post Christum baptizatum colũ baapparet.* *Luc.3.* *Matt.3.*

SECTIO III.

Vtrum baptizato Christo vox Patris vere audita fuerit, & ob quam causam.

QVæstio hęc intelligi primum potest de ipso signo externo, an verũ fuerit, idest, an fuerit vera vox, quę percipi auribus posset: & hoc modo exiguam, aut ferè nullam difficultatem habet. Nam certum est illam non fuisse vocem in ea veritate, ac proprietate, qua vox dicitur sonus formatus, per organa vitæ informata anima, vt Augustinus notauit epist.102. & est per se clarum. Aequè tamẽ certum videtur illum fuisse verũ sonum realem, ac sensibilem, qui & sensum immutare, & menti non minus significare posset, quàm si esset vox ab homine prolata, vt eodem loco Augustinus aduertit, qui propterea dicit sonum illum talem fuisse qualis edi potest ex corpore animato. Et patet ex verbis Euangelistarum dicentiũ factam esse vocem de cœlo. Nam, vt hoc verum sit, necesse est, vt saltem fuerit sonus articulatus ad modum vocis, quia nõ poterat aliquid aliud, seu imago, aut similitudo vocis illis verbis significari. Quod confirmari potest ex aliis locis Euãgeliorum, in quibus voces similes auditæ esse dicuntur, quæ statim commemorabimus.

Augustin. *Vox in Iordane cœlitus delapsa verus sonus realis, & sensibilis.*

Hinc necessariò sequitur eam vocẽ auditam esse non solum à Christo, & Ioanne, sed etiam à reliquis hominibus, qui præsentes aderant. Probatur ex dictis, quia erat verus sonus sensibilis, nec poterat sine nouo miraculo peruenire ad aures Ioānis, quin ad alios etiam deferretur. Deinde ex fine illius vocis, nõ enim propter Christum, & Ioannem solum necessaria erat illa vox. Sicut Ioan.12. cùm venisset de cęlo vox, & audita esset à turba, dixit Christus. *Non propter me hæc vox venit, sed propter vos.* Tertio ex communi omnium interpretatione Chrysost. hom. 12. in Matthæ. Theophyl. Euthym. & aliorum.

Vox super Christum baptizatum de cœlo delapsa ab assistantibus audita. *Ioanne.12.* *Chrysost.* *Theophyl.* *Euthym.*

Verum est, Hilarium lib.9. de Trinitate ante medium significare illam vocem non esse auditam nisi à solo Ioanne præter Christum. Et potest suaderi, quia si omnis populus illam audisset de cœlo delatã, omnes credidissent, nec fuisset testimonium Ioannis necessarium: cùm tamen ille post baptismum non cessauerit testimoniũ Christo reddere, quòd se maior esset. Sed hæc sententia reuera nõ est verisimilis, neque Hilarius eam docet. Ibi enim obiter interpretatur verba illa Ioan.5. *Neque vocem eius audistis, neque speciem eius vidistis.* Quæ ipse refert ad hanc vocem Patris in baptismo auditam, & interrogat, quomodo illam non audierint Iudæi? & respondet, *sed forte in Ierosolymis*

Obiectio. *Hilar.* *Responsio* *Ioan.5.*

mis manentes non audierant, quia in desertis Ioã nes solum audierat. Ex qua ratione potius colligitur eos, qui non manserant Ierosolimis: sed in deserto cum Ioanne fuerant audiuisse vocem illam. Etenim si illi non audierunt, quia Ierosolimis manserũt, certe, si cum Ioanne fuissent, audiuissent, cum ergo dicit *solus Ioannes*, non excludit eos, qui comitabantur eum: sed eos, qui Ierosolimis manserant. Et hæc quoad mentem Hilarij. Nam quod attinet ad verba illa Ioan. 5. *Vocem eius non audistis*, fortasse aliũ habent literalem sensum, de quo legi possunt expositores.

Albert. Ad coniecturam verò respõderi potest ex Albert. Matth. 3. eos, qui aderant, audijsse quidem confusum sonum illius vocis, non tamen distinctè significationem eius percepisse. Sicut Ioan. 12. quando audita est vox illa. *Et clarificaui, & iterum clarificabo, turba, quę stabat, & audierat, dicebat tonitrum esse factum: alij dicebant, Angelus ei loquutus est.* Sed hoc & dicitur gratis sine fundamento, & licet credi posset de aliquibus, qui fortasse longe aberant, vel de rudi plebe, tamen verisimile non est verba illa non esse clarè, ac distinctè percepta, & audita à multis, sicut in die transfiguratio nis Apostoli distinctè audierũt simile Patris testimonium, vt Petrus inquit. 2. Canonica, cap. 1. Respondetur ergo mirum non esse, quod Iudæi, quanuis vocem audierint, non statim illi fidem adhibuerint, neque enim erat illis euidens eam vocem esse à Deo. Nam euidentiora signa postea habuerunt: quibus tamen non crediderunt.

Ioan 3.

Ex ijs colligitur, ac confirmatur, quod supra dicebamus, necessarium esse, vt tria hæc signa ab omnibus, qui aderant, perciperentur. Quia (vt eleganter notat Chrysost. hom. 12. in Matth.) Si omnes audissent vocem illam. *Hic est filius meus dilectus*, & nullum vidissent speciale signum, quod indicaret eum, de quo verba illa dicebantur, potius crederent de Ioanne, quàm de Christo proferri. Quia nõ est dictum: *Hic qui baptizatur*. Sed simpliciter *hic*. Vnde, cũ maiorem haberent de Ioanne, quàm de Christo existimationem, potius illum designari putarent, quàm Christum. Propter ea ergo descendit Spiritus sanctus in specie columbæ, & super Christum mansit,

Chry.

Opta. Mil. vel vt Optatus Meliuitanus ait loco citato, *capiti eius insedit, & vocem* (ait Chrysostomus) *traxit ad filium cunctisque fecit esse perspicuum quod illa vox de baptizato deberet intelligi*, quã sententiam eisdem fere verbis habet Damasc. orat. de transfig. *Paterna*, inquit, *voce cœlitus intonante, dilectus filius esse asserebatur is, qui baptizabatur, a columba autem tamq; a spiritu veluti digito indicabatur is, cui testimonium dicebatur.* Necessariũ ergo fuit, vt colũba ab omnibus conspici posset, quemadmodum vox potuit audiri: & quia cœlorum appertio ad descensum columbæ fiebat, & omnia in eundem finem, Christi scilicet manifestationem tendebant, consequens est, vt omnia æquè fuerint cuncto rum sensibus obiecta.

Chrysost. Damascen.

Secundo potest intelligi quæstio propo sita de veritate illius vocis quoad eius signi ficationem, idest, an vera fuerit illa vox de Christo prolata. Cum qua quæstione cõiuncta est alia, scilicet quo sensu illa vox prolata sit. Sed huiusmodi quęstiones partim ad materiam de Trinitate spectant, partim in priori tomo à nobis explicatæ sunt, tum disputat. 2. dum diuinitatẽ Christi monstraremus, tum proprius, disputa. 49. dũ de Christi filiatione diceremus, vbi Adrianum Papam. Con. Frãcford. & alios Patres retuli ex hoc loco probantes Christum esse filium Dei naturalem, & nõ adoptiuum, quod illi proprium est, ac singulare, & ideò singulariter vocatur à Patre *Filius meus*, idest, proprius, ac naturalis ac singulariter dilectus, idest, non filius, quia dilectus, quod proprium adoptiuorum est. Sed dilectus quia filius.

Et hinc colligitur primo verba illa, vt vera sint, singulariter tribuẽda esse personę Patris, quia Christus non est filius totius Trinitatis, sed solius primæ personæ. Quod si queras quomodo possit illa vox soli Patri tribui, cùm à tota Trinitate sit effecta. Respondet D. Thom. hic ad. 2. cũ Fulgentio lib. de fide ad Petrum capi. 9. licet efficientia vocis cõmunis sit, toti Trinitati, sicut & efficientia columbæ: tamen sicut colũba specialiter est ad representãdã personã Spiritus sancti: ita illa vox ad declarãdũ solũ Patrẽ vt loquẽtẽ, & ideo vox illa ei singulariter tribuitur, & eius significatio de sola illius persona vera existit. Vnde eleganter Cyprian. serm. de baptismo sic ait. *Hucvsque Domine sancte, Pater, non audiuimus te ita loquentem, vt personaliter tibi*

D. Thom. Fulgent. Cyprian.

tibi assignetur loquutio, quam proferres, hanc vocem a paternitate tua delatam, nemo est, qui ambigat, non est, qui sibi hoc verbum audeat arrogare, & infra, *Hoc testimonium auditum est quia filius Dei est, quem Ioãnes tenet in manibus, verus homo, verus* Deus *vnicus Patris, dilectus a Patre, immeritos nos dilexit. Duo grata vocabula, filius, & dilectus, ipso* Deo *dictante nostris sensibus imprimuntur, vt communio nominum nos associet collegio munerum, & tantæ dulcedinis nomina nostrum emolliant animum, accẽdantque deuotionis affectum. Per omnia sibi* Pater *in filio complacuit.*

In Christi baptismo expressa Trinitatis manifestatio facta.

Secundo ex prædicta verborum veritate, & testimonio Cypriani colligũtur variæ rationes propter quas hoc paternum signum datum est in Christi baptismate, quas etiam in commentario artic.8. explicatas reliquimus. Intelligitur denique, quomodo in Christi baptismo, facta est expressa Trinitatis representatio, ac manifestatio. Quia in Christo baptizato persona filij erat, in columba autem, & voce, personæ Patris, & Spiritus sancti representatæ sunt, simulq; indicatum est Christi baptismum in Trinitatis professione, ac inuocatione perficiendum fore.

Damasce.

Clicton.

Christus baptismo Ioannis lotus non suo

Ex hac autem veritate sumpserunt aliqui occasionẽ asserendi illum baptismũ, quo Christus baptizatus est, non tantum fuisse baptismum Ioannis, & aquæ; sed & gratiæ, eiusdemque rationis cùm baptismo à Christo instituto. Cui opinioni videtur fauere Damascen. lib. 4. de fide cap. 10. vbi distinguens varia genera baptismatum. *Quartum,* inquit, *Ioannis fuit, quantum Domini baptisma, quo ipse tinctus est.* Vbi Clictoueus & ita exponit Damasceni sententiam, vt simpliciter sonat, & mordicus illam defendit. Sed licet fortasse hęc sententia potius ad loquendi modum; quàm ad rem pertineat, vitanda tamen est, tum quia fauet huius temporis hæreticis, tum etiam quia repugnat Patribus dicentibus Christum baptizatum esse baptismo Ioãnis, vt illum approbaret, & vt magnam ostenderet humilitatem assumendo imperfectum baptismum pœnitentiæ, cum ipse pœnitentia non egeret. Tum deniq; quia in rigore est falsa. Primo quia quando Christus baptizatus est; nondũ erat baptismus illius institutus, quanquam tunc aliquo modo inceperit eius institutio. Secundo, quia Ioannes qui fuit minister illius baptismi, non habuit intentionem baptizãdi baptismo Christi: sed suo, quia tunc potestatem alia iam non acceperat. Tertio quia de ratione baptismi Christi est, vt minister, qui baptizat, Trinitatem inuocet propriis verbis, quod Ioannes tũc non fecit; quin potius (si verba Euangelistarum attentè considerentur) illamet Trinitatis representatio, quæ in illo baptismo facta est, non fuit ad perficiendum, consecrandumque baptismum. Sed potius peracto iam baptismate, & postquam Christus iam ex aquis ascẽderat, facta est, ergo nec propter illam representationem nec propter aliã causam potest dici Christus baptizatus suo baptismo, sed Ioannis. Damascenus autem lato quodam, & improprio modo loquutus est, dicens Christum baptizatum esse suo baptismo, quia dum baptizatus est à Ioanne, suum baptismum præfigurauit, & quodammodo instituit, vt ex Augustino sumi potest lib. 15. de Trinitate cap. 26. Hieron. & Chrysost. Ambros. Beda, aliisque expositoribus in Matth. & Luc. cap. 3.

QVAESTIO XXXX.

De modo conuèrsationis Christi; in quatuor articulos diuisa.

CONsequenter post ea, quæ pertinent ad ingressum Christi in mundum, vel ad eius principiũ considerandum restat de his quæ pertinent ad progressus ipsius. ¶ *Et primò considerandum est de modo conuersationis ipsius: secundò, de tentatione eius: tertiò, de doctrina: quartò, de miraculis.* ¶ *Circa primum quæruntur quatuor.*

¶ *Primò, Vtrùm Christus debuerit solitariam vitam ducere, an inter homines conseruari.* ¶ *Secundò, Vtrum debuerit austeram vitam ducere in cibo, & potu, & vestitu, an cum aliis communem.* ¶ *Tertiò, Vtrum debuerit abiectè viuere in hoc mundo, an in diuitiis, & honore.* ¶ *Quarto, Vtrum debuerit secundum legẽ viuere.*

Quan-

QVanquam in ordine Euangelicæ narrationis baptismus proxime sequatur Christi ieiunium, & tentatio, D.Tho. autem, vt seruato doctrinæ ordine ab vniuersalibus ad singularia descendat: explicato Christi baptismo, qui fuit quasi initium ostensionis & manifestationis Christi, quæstionem hanc interponit, in qua explicat rationem, modumque viuendi, quem Christus in hac vita elegit. Et quę in tribus primis artic. docet, sunt quidem egregia, & ad mores hominum cõponendos notanda: àdeo tamen perspicua vt expositione non egeant. Quare nullum illis adijciemus commentarium: sed vna breui disputatione complectemur omnia.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum conueniens fuerit Christum inter homines conuersari.

222 Inf. arti. 2. cor. & ad 3. & 22. q 25. art. 6. co. 5 Pro. 30.

AD primum sic proceditur. *Videtur, quod Christus non debuerit inter homines conuersari, sed solitariam vitam agere. Oportebat enim quod Christus sua cõuersatione non solum se hominem ostenderet esse, sed etiam Deum. Sed Deum non conuenit cum hominibus conuersari: dicitur enim Dan. 2. Exceptis dijs, quorum non est cum hominibus conuersatio.* li. 1. c. 2. a medio to. 5 *Et Philosophus dicit in primo Politicæ, quod ille qui solitarius viuit, aut est bestia, si scilicet propter sæuitiã hoc faciat: aut est Deus, si hoc faciat propter contẽplandam veritatem. Ergo videtur, quod non fuerit conueniens Christum inter homines conuersari.*

¶ 2. *Præterea, Christus dũ in carne mortali vixit, debuit perfectissimam vitam ducere. Perfectissima autem vita est con*

22. q. 182. a. 4. *templatiua, vt in secunda parte habitum est. Ad vitam autem contemplatiuam maximè competit solitudo: secundum illud Oseæ 2. Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius: ergo videtur, quod Christus debuerit solitariam vitam ducere.* ¶ 3. *Præterea, conuersatio Christi debuit esse vniformis: quia semper in eo debuit apparere id quod optimum est. Sed quandoque Christus solitaria loca quærebat turbas declinans. Vnde Remigius dicit super Mat. Tria refugia legitur Dominus habuisse, nauim, montem: & desertum: ad quorum alterum quotiescunq; turbis comprimebatur, conscendebat. Ergo & semper debuit solitariã vitam agere.* ¶ *Sed contra est, quod dicitur Baruch. 3. Post hæc in terris visus est & cum hominibus conuersatus est.*

¶ *Respondeo dicendum, quod conuersatio Christi talis debuit esse, vt conueniret fini Incarnationis, secundum quam venit in mundum. Venit autem in mundum, primò quidem ad manifestandum veritatem: sicut ipse dicit Ioa. 18. In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Et ideo non debebat se occultare vitam solitariã agens: sed in publicum procedere publicè prædicando. Vnde Luc. 4. dixit illis, qui volebant eum detinere. Quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum. Secundò venit ad hoc, vt homines à peccato liberaret: secundũ illud primæ ad Timot. 1. Christus Iesus venit in hunc mundum, peccatores saluos facere. Et ideo vt Chrysost. dicit, licet in eodem loco manendo, posset Christus ad se omnes attrahere, vt eius prædicationem audirent: non tamen hoc fecit, præbens nobis exemplum, vt perambulemus & requiramus pereũtem: sicut pastor ouem perditam, & medicus accedit ad infirmum. Tertio venit, vt per ipsum habeamus accessum ad Deũ vt dicitur Ro. 5. & ideo familiariter cũ hominibus conuersando, conueniẽs fuit, vt omnibus fiduciam daret ad se accedẽdi. Vnde dicitur Mat. 9. Factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani, & peccatores venientes, discumbebãt cum Iesu & discipulis eius. Quod exponens Hiero. dicit videbant publicanum*

a pec-

à peccatis ad meliora conuersum, locum inueniſſe pœnitentiæ, & ob id etiam ipſi non deſperant ſalutem.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd Chriſtus per humanitatem ſuam, voluit manifeſtare diuinitatem. Et ideo conuerſando cum hominibus (quod eſt proprium hominis) manifeſtauit omnibus ſuam diuinitatem, prædicando, & miracula faciendo, & innocenter, & iuſtè inter homines conuerſando. ¶ Ad ſecundum dicendum, quòd (ſicut in ſecunda parte dictum eſt) vita contemplatiua 22.q.182. arti.4. & q.188.a.6 *ſimpliciter eſt melior, quam actiua, quæ occupatur circa corporales actus. Sed vita actiua ſecundum quã aliquis prædicando, & docendo contemplata alijs tradit, eſt perfectior, quam vita, quæ ſolum contemplatur: quia talis vita præſupponit abundantiam contemplationis. Et ideo Chriſtus talem vitam elegit. ¶ Ad tertium dicendum, quòd actio Chriſti fuit noſtra inſtructio. Et ideo vt daret exemplum prædicatoribus, quòd non ſemper ſe darent in publicum, ideo quandoque Dominus ſe à turbis retraxit. Quod quidem legitur feciſſe propter tria. Quãdoq; quidẽ propter corporalem quietẽ. Vnde Mar. 6. dicitur, quod Dominus dixit diſcipulis. Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum: erãt enim, qui veniebant, & redibant multi, & nec ſpatium manducandi habebant. Quandoq; verò cauſa orationis. Vnde dicitur Luc. 6. Factum eſt in illis diebus, exijt in montem orare, & erat pernoctãs in oratione Dei. Vbi ait Ambroſius quod ad præcepta virtutis ſuo nos informat exemplo. Quandoq; vero, vt doceret fauorem humanum vitare, vnde ſuper illud Matth. 5. Videns Ieſus turbas, aſcendit in montem, dicit Chryſoſt. Per hoc quod non in ciuitate, & foro, ſed in monte, & ſolitudine ſedit, erudiuit eos, nihil ad oſtentationem facere, à tumultibus abſcedere & maximè, cùm de neceſſarijs diſputare oportet.*

l.5.in Luc. cuius titul.eſt. De oratione Ieſu in mõte ante mediũ tom.5. Hom.15.in Mat.circa pr.to.2.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Chriſtus auſterã vitã in hoc mundo ducere debuerit.

AD ſecundum ſic proceditur. 223
Videtur, quod Chriſtus debuerit auſteram vitam ducere in hoc mundo. Chriſtus enim multo magis prædicauit perfectionem vitæ, quam Ioannes. Sed Ioannes auſteram vitam duxit, vt ſuo exemplo homines ad perfectionem vitæ prouocaret: dicitur enim Matth. 3. quod ipſe Ioannes habebat veſtimentum de pilis camellorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos, eſca autem eius erat locuſtæ & mel ſylueſtre. Quod exponens Chryſ. dicit. Erat mirabile in humano corpore, tantam patientiam videre: quod & Iudæos magis attrahebat. Ergo videtur quod multo magis Chriſtum decuerit auſteritas vitæ. ¶ 2. Præterea, Abſtinentia ad continentiam ordinatur: dicitur enim Oſeæ 4. Comedent, & non ſaturabuntur fornicati ſunt, & non ceſſauerunt. Sed Chriſtus continentiam in ſe ſeruauit, & alijs ſeruandam propoſuit, cum dixit Matthæi 19. Sunt eunuchi qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum: qui poteſt capere capiat. Ergo videtur, quod Chriſtus in ſe, & in ſuis diſcipulis auſteritatem vitæ ſeruare debuerit. ¶ 3. Præterea, Ridiculum videtur, vt aliquis diſtrictiorem vitam incipiat, & ab ea in laxiorem reuertatur: poteſt enim dici contra eum quod habetur Luc. 14. Hic homo cœpit ædificare, & non potuit cõſummare. Chriſtus autem diſtrictiſſimam vitã incepit poſt baptiſmum, manens in deſerto: & ieiunans quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Ergo videtur non fuiſſe

Inf.q.41. ar.3. ad 1.

Hom.10. in Mat.ante medium to.2.

fuisse congruum, quòd post tantam vitæ districtionem ad communem vitam rediret.

¶ *Sed contra est, quod dicitur Matth.11. Venit Filius hominis manducans, & bibens.*

¶ *Respondeo dicendum, quòd (sicut dictum est) congruum erat incarnationis fini, vt Christus non ageret solitariam vitam, sed cum hominibus conuersaretur. Qui autem cum aliquibus conuersatur, conuenientissimum est: vt se eis in conuersatione conformet, secundum illud Apostoli primæ ad Corint. 9. Omnibus omnia factus sum. Et ideo conuenientissimum fuit, vt Christus in cibo, & potu communiter se, sicut alij haberet. Vnde Augustinus dicit contra Faustum, quòd Ioannes dictus est, non manducans, neque bibens, quia illo victu, quo Iudæi vtebantur, non vtebatur. Hoc ergo nisi Dominus vteretur, non in eius comparatione, mãducans, bibensque diceretur.*

Ar.præc.

li.16.c.30 ante medi. to.6

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd Dominus in sua conuersatione exemplum perfectionis dedit in omnibus, quæ per se pertinent ad salutem. Ipsa autem abstinentia cibi, & potus, non per se pertinet ad salutem: secundum illud Romanor.14. Non est Regnum Dei esca & potus. Et Augustinus dicit in libr. de Quæstionibus Euangel. exponens illud Matthæ. 11. Iustificata est sapientia à filiis suis: quia scilicet sancti Apostoli intellexerunt Regnum Dei non esse in esca, & potu, sed in æquanimitate tolerandi: quos nec copia subleuat, nec deprimit egestas. Et in tertio de doctrina Christiana dicit, quòd in omnibus talibus non vsus rerum, sed libido vtentis in culpa est. Vtraque autem vita est licita, & laudabilis: vt scilicet aliquis à communi consortio hominum segregatus, abstinentiam seruet, & vt in societate aliorum positus, communi vita vtatur.*

li.ca.11. ante med. to.4.

l.3.ca.12. parũ apri. to.3.

A *Et ideo Dominus voluit vtriusque vitæ exemplum dare hominibus. Ioannes autem (sicut Chrysostom. dicit super Matthæ.) nihil plus ostendit præter vitam & iustitiam: Christus autem & à miraculis testimonium habebat: dimittens ergo Ioannem ieiunio fulgere, ipse contraria incessit via, ad mensam intrans Publicanorum, & manducans, & bibens.*

¶ *Ad secundum dicendum, quòd sicut alij homines, per abstinentiam consequuntur virtutem continendi, ita etiam Christus in se, & in suis discipulis, per*

B *virtutem suæ Diuinitatis, carnem comprimebat. Vnde sicut Matth.9. dicitur Pharisæi, & discipuli Ioannis ieiunabant, non autem discipuli Christi. Quod exponens Beda dicit, quòd Ioannes vinum & siceram non bibit; quia illi abstinentia meritum auget, cui potentia nulla inerat naturæ. Dominus autem, cui naturaliter suppetebat delicta donare, cur eos declinaret, quos abstinentibus poterat reddere puriores.*

super illud Mar.2 Quare discip.tuinõ ieiunant?

¶ *Ad tertium dicendũ, quòd sicut Chrisostom. dicit super Matthæ. Vt discas quam magnum bonum est ieiunium, & quale scutum est aduersus diabolum, &*

hom.13.in Matt.nõ remote a prin. to.2.

C *quoniam post baptismum non lasciuiæ, sed ieiunio intendere oportet, & ipse ieiunauit, non eo indigens, sed nos instruens. Non autem vltra processit ieiunando, quàm Moyses & Helias, ne incredibilis videretur carnis assumptio. Secundum mysterium autem, vt Gregor. dicit, quadragenarius numerus exemplo Christi in ieiunio custoditur: quia virtus decalogi per libros quatuor sancti Euangelij impletur: denarius enim quater ductus, in quadragenarium surgit. Vel quia in hoc mortali corpore ex quatuor elementis subsistimus: per cuius voluptates, præceptis dominicis contraimus, quæ per decalogum sunt accepta. Vel secundum Augustin. in libr.83.*

Hõ.16.in Euãg. post mediũ illius

l.83.q81.in pr.to4.

Quæstionum, omnis sapientiæ disciplina est Creatorem, creaturamque cognoscere. Creator est Trinitas, Pater & Filius, & Spiritus sanctus. Creatura verò partim est inuisibilis, sicut anima, cui ternarius numerus attribuitur: diligere enim Deum tripliciter iubemur, ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente. Partim visibilis, sicut corpus, cui quaternarius debetur, propter calidum, humidum, frigidum, & siccum, Denarius ergo numerus, qui totam insinuat disciplinam, quater ductus, id est, numero, qui corpori tribuitur, multiplicatus, quadragenarium conficit numerum, & ideo tempus quo ingemiscimus, & dolemus, quadragenario numero celebratur. Nec tamen incongruum fuit, vt Christus post ieiunium, & desertum, ad communem vitam rediret: hoc enim conuenit vitæ secundum quam aliquis contemplata aliis tradit, quã Christus dicitur assumpsisse, vt primò contemplationi vacet, & postea ad publicum actionis descendat, aliis conuiuendo. Vnde & Beda dicit super Marc. Ieiunauit Christus, ne præceptum declinares, manducauit cum peccatoribus, vt gratiam cernens, agnosceres potestatem.

Id habet formaliter Ambr.l.2. in Lu.in c. de Mariæ turbatæ cõsolatione. nõ remote a pri.to.5.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Christus in hoc mundo debuerit pauperem vitam ducere.

224 4.cõtra c. 5.ad,10.& opus.18.c. 15.& opu 20.l.3.c.5.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd Christus in hoc mundo non debuerit pauperem vitam ducere, Christus enim debuit eligibilissimam vitam assumere. Sed eligibilissima vita est quæ est mediocris inter diuitias & paupertatem: dicitur enim Prouerbiorum. 30. *Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria.* Ergo Christus non debuit pauperem vitam ducere, sed moderatam.

¶ 2. *Præterea, Exteriores diuitiæ ad vsum corporis ordinantur, quantum ad victum, & vestitum. Sed Christus in victu, & vestitu communem vitam duxit, secundum modum aliorum, quibus conuiuebat.* Ergo videtur, quòd in diuitiis & paupertate communem modum viuendi seruare debuerit, & non vti maxima paupertate.

¶ 3. *Præterea, Christus maximè homines inuitauit ad exemplum humilitatis: secundum illud Matthæ. 11. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Sed humilitas maximè commendatur in diuitibus: vnde dicitur 1. Timot. vltim. Diuitibus huius sæculi præcipe, non altum sapere.* Ergo videtur, quòd Christus non debuerit ducere pauperem vitam

In illud Mat.8 accedẽs vnus scriba. ait illi.to.9.

¶ *Sed contra est, quod dicitur Matthæ. 8. Filius hominis non habet vbi caput reclinet quasi dicat, secundum Hieronym. Cur me propter diuitias, & sæculi lucra cupis sequi, cùm tantæsim paupertatis, vt nec hospitiolum quidem habeam, & tecto vtar non meo. Et super illud Matthæ. 17. Vt non scandalizemus eos, vade ad mare, dicit Hieronym. Hoc simpliciter intellectum ædificat auditorem, dum audittantæ Dominum fuisse paupertatis, vt vnde tributa pro se, & Apostolo redderet, non habuerit.*

l.circa fin. cõmẽta,ad ca.17.Mat to.9.

¶ *Respondeo dicendum, quòd Christum decuit in hoc mundo pauperem vitam ducere. Primò quidem: quia hoc erat congruum prædicationis officio, propter quod venisse se dicit Marc. 1. Eamus in proximos vicos, & ciuitates, vt & ibi prædicem: ad hoc enim veni. Oportet autem prædicatores verbi Dei, vt omnino vacent prædicationi, omnino à sæcularium rerum cura esse absolutos: quod facere non possunt, qui diuitias possident. Vnde & ipse Dominus Apostolos*

tolos ad prædicandum mittens, dicit eis Matthæ. 10. Nolite possidere aurum, neque argentum. Et ipsi Apostoli dicunt, Actor. 6. Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Secundò, quia sicut mortem corporalem assumpsit, vt nobis vitam largiretur spiritualem: ita corporalem paupertatem sustinuit, vt nobis diuitias spirituales largiretur. Secundum illud .2. ad Corin. 8. Scitis gratiã Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, vt illius inopia vos diuites essetis.

Tertiò, ne si diuitias haberet, cupiditati, eius prædicatio adscriberetur. Vnde Hieronymus dicit super Matthæum. Quòd si discipuli eius diuitias habuissẽt viderentur non causa salutis hominum, sed causa lucri prædicare, & eadem ratio est de Christo. Quartò, vt tanto maior virtus diuinitatis eius ostẽderetur, quãtò per paupertatem videbatur abiectior. Vnde dicitur in quodam sermone Ephesini Concilij: Omnia paupera, & vilia elegit, omnia mediocria, & plurimis obscura, vt diuinitas cognosceretur orbẽ trãsformasse terrarum, propterea pauperculam elegit matrem, pauperiorem patriã, egens fuit pecuniis: & hoc tibi exponit præsepe.

In illud Ma 10. nolite possidere aurũ to. 9

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd superabundantia diuitiarum, & mendicitas, vitanda videntur ab his, qui volũt viuere secundum virtutem, in quantum sunt occasiones peccandi. Abundantia namque diuitiarum est superbiendi occasio: mẽdicitas autem est occasio furãdi, & mentiendi, aut etiam periurandi. Quia verò Christus peccati capax non erat, propter hanc causam, ex qua Salomon hoc vitabat, Christo vitanda non erant. Neque tamen quælibet mẽdicitas est furandi, & periurandi occasio, vt ibidem Salomon subdere videtur, sed sola illa, quæ est contraria voluntati, ad quam vitandam homo furatur, & periurat. Sed paupertas voluntaria hoc periculum non habet: & talem paupertatem Christus elegit.

¶ Ad secundum dicendum, quòd communi vita vti, quantum ad victum, & vestitum, potest aliquis non solum diuitias possidendo, sed etiam à mulieribus, & diuitibus necessaria accipiendo. Quod etiam circa Christum factum est: dicitur enim Lucæ. 8. quòd mulieres quædam sequebantur Christum, quæ ministrabãt ei de facultatibus suis. Vt enim Hieronym. dicit contra Vigilantium, consuetudinis Iudaicæ fuit, nec ducebatur in culpam more gentis antiquo, vt mulieres de substantia sua victum, atq; vestitum præceptoribus suis ministrarẽt. Sed quia hoc scandalum facere poterat in nationibus, Paulus se abiecisse cõmemorat, Sic ergo communis victus poterat esse sine solicitudine impediente prædicationis officium: non autem diuitiarũ possessio.

Hoc habẽt formaliter ca. 27 Mat. super illud Erãt ibi mulieres to 9

¶ Ad tertium dicendum, quòd in eo, qui ex necessitate pauper est, humilitas non multum commendatur: sed in eo qui voluntariè pauper est (sicut fuit Christus) ipsa paupertas est maximæ humilitatis indicium.

DISPVTATIO XXVI.

In tres sectiones distributa.

De ratione, seu statu vitæ, quem Christus in hoc mundo habuit.

IN hac disputatione solum tractandum est de tẽpore à baptismo Christi, quod dici potest tempus prædicationis, ac manifestationis eius. Nam de tẽpore, q̃ baptismũ antecessit, in superioribus dictũ sat est: hîc verò pauca quędam addemus, prout loci, & materiæ opportunitas postulauerit. Supponendum igitur in primis est in modo, seu ratione vitæ Christi domini duo posse considerari. Vnum est id, quod ad proprios mores,

alterum, quod pertinet ad munus, seu officium, quod ad aliorum vtilitatem exercuit. Quæ duo complexus est Lucas illis verbis Acto. 1. *Cæpit Iesus facere, & docere*: & de illis eodem ordine tractat D. Thom. disputabiturque à nobis. Hic enim de priori parte solum agemus, de posteriori verò quæstio. 42. & sequentibus. Deinde supponēda sunt ea generalia principia, quæ in priori tomo satis probata sunt, scilicet Christum Dominum nō potuisse non instituere vitam irreprehensibilem, atque honestissimam: imò operatum semper esse, quod gratius erat Deo, cuius voluntatem cognoscebat, summaque, ac perfectissima caritate diligebat. Quocirca de interiori animi eius perfectione, & virtutum exercitio nihil fere est quod hoc loco addamus. Quia ex dictis locis, & ex iis, quæ de gratia, & scientia beata & infusa animæ Christi diximus, constat fuisse veluti in continuo actu, seu exercitatione virtutum, actibus earum sē per sine otio, vel interruptione, sibi inuicem succedentibus, prout ordini caritatis Dei, & proximorū magis erat consentaneum. Solum ergo dicendum superest de ratione viuendi, quam instituit in his rebus externis, quæ ad corporis moderationem, & conuictum humanū pertinēt. Nam licet ex prædictis generalibus principiis aperte inferatur in his omnibus elegisse, quod pensatis omnibus foret honestius, Deoque gratius, explicandum verò à nobis est, quid illud fuerit, quamvè ob causam ita sit factum.

Act.1.

A

B

C

SECTIO I.

Cur non instituerit Christus vitam eremiticam, & ab hominum consortio seiunctam.

RAtio dubitandi esse potest, quia hoc genus vitæ est perfectissimum & aptissimum ad nobiliores actus caritatis exercendos, & familiarius cum Deo agendum, iuxta illud. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Oseæ. 2. Propter quòd de hoc vitæ genere videtur Christus dixisse. *Optimam partem elegit sibi Maria*, debuit ergo Christus eandē eligere. Dicet fortasse aliquis, hæc habere locum in puris hominibus, qui externis actionibus, vel hominum conuersatione impediri possunt, ne se Diuinis rebus feruenter impendant, & interdum etiam exponi periculo minus honestè operandi; non verò in Christo, cui nihil poterat ad perfectam virtutis rationem officere. Sed hoc non satisfacit: tum quia Christus dominus in modo vitæ suæ non solum quid sibi necessarium; sed quid etiam nobis futurum esset exemplo, obseruare debuit. Tum etiam quia licet omnia Christi opera ex dignitate personę haberent infinitam quandam perfectionē; ex se tamen, & ex obiectis vnum præstabat aliis, cumque non posset omnia simul efficere (neque enim miracula non necessaria fingenda sunt) debuit ea, quæ meliora essent, præstare: huiusmodi autem sunt, quæ in vita solitaria exerceri possunt, ergo.

Oseæ.2.

Luc.10.

Dicendum verò est conuenientius fuisse, vt Christus Dominus inter homines versaretur, & cum illis vitam communem ageret. Hoc est certum, quia ita factum esse constat ex Euangelio, certum est autem Christum id egisse, quod magis decebat. Rationem autem reddit D. Thomas. Quia hoc vitæ genus maximè necessarium, vel vtile fuit ad finem incarnationis, exercendumq; munus, ad quod à Patre fuit missus in mundum. Non enim venit solum, vt esset redemptor hominum: sed etiam doctor, & magister, tum veritatem docendo, tum etiam exemplo, ac doctrina hominum mores componendo. Quam rationē eleganter, ac perspicuè D. Thom. declarat, & in tria capita distinguit. Solum potest obiici, quia hæc ratio ad summum videtur probare de eo tempore, quo Christus prædicauit in mundo. Tunc enim necesse fuit peregrinari inter homines, & facilem se, tractabilemque præbere, vt eos ad sui cognitionem, & amorem alliceret: at vero de toto tempore vitæ ante baptismum nō cōcludit hæc ratio. Quia tunc priuatam vitam egit, & neque docebat, neque populo concionabatur, ergo non oportuit tūc communem vitam agere. Potuisset quippe more Ioannis Baptistæ prius solitariā, & eremiticam vitam degere: postea verò opportuno tēpore homines docere, & ad eum finem cum ipsis vnà conuiuere. Nec dici potest, propter exemplum mansisse etiam illis prioribus annis inter homines tum quia opera illo tempore facta ita priuata fuerunt, & paucis hominibus cognita,

Vita Christo eremitica cur nōdecens.

Obiectio.

ta, vt nemini ferè exemplo esse potuerint. Tum quia licet solitariam vitam ageret, plurimum posset exemplo suo homines ad similem vitæ rationem, quæ omnium est perfectissima permouere. Respondetur primo ad ipsummet doctoris munus, quo postea fungendum ei fuit, conduxisse quàmplurimum, vt totū prioris vitæ tempus in conspectu, & communi hominum conuictu traduceret, vt cōpertum esset omnibus nihil ab homnibus dediciſſe vnquam, nec potuisse nisi diuinitus edoctū admirandam rerum diuinarum scientiā ostendere. Vnde hinc postea mirabantur dicentes, *Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* Ioan. 7. & Mar. 6. *Admirabantur in doctrina eius dicentes, Vnde huic hæc omnia, & quæ est sapientia, quæ data est illi, & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur? Non ne hic est faber, filius Mariæ?* &c. Itaque ipsemet cōuictus, & quasi familiaris communicatio, & valgaris officij, ac vitę ratio occasio fuit, vt eius doctrina maior em haberet splēdorem, & admirationem. Secundo, nō oportuit exordiri solitariam vitam, & ab hominum frequentia, consortio que semotam, cum oporteret cum ijs postea valde familiariter agere, etiam cum publicanis, & peccatoribus, eorum fragilitati quodammodo (in ijs, quæ praua non erant) se se accōmodando, tum vt eos ipse à peccatis abduceret, tū vt ipsi maiori cum fiducia ad eum accederēt: hæc autem tanta mutatio posset, aut leuitatem indicare animi, aut suspicionem afferre, quod de prioris vitæ perfectione aliquantulum remisisset. Tertiô, magnum, & admirabile eo tēpore datum est hominibus humilitatis exēplum, quod maioris esse momenti Christus existimauit, quàm omnem aliam vitæ rationem instituere, quæ hominibus sāctior, & excellentior appareret. Addo etiam decuisse, vt Christus exemplo suo doceret homines temperatè, & sine reprehensione inter homines degere.

Ad rationem ergo dubitandi in principio posita respondet D. Thom. hîc ad 2. perfectius esse illud vitę genus, quod cum diuina contemplatione coniunctam habet eam actionem, qua aliquis contemplando, & docendo, quæ meditatus est, aliis tradit. Et huiusmodi vitæ ratio â Christo est inita, quia licet non semper prædicauerit: semper tamen vitę suæ modū ad eum finem retulit, & quando munus prædicatoris exercuit, diuinam contēplationem non omisit, non solum interius (vbi nunquam illa caruit) sed etiam exterius, vacando scilicet ab externis functionibus, & ab hominum frequentia se se abducendo. Et hinc patet responsio ad alterā difficultatis partem. Nam in hoc vitæ genere instituēdo perfectissimū virtutū exemplar hominibus Christus præbuit. Nec tamē oportuit exercere semper actus ex obiecto perfectissimos, tum quia debuit humano modo viuere, & operari, perfectio autem humanæ vitę varietatē quandam actionum necessariò requirit, tum etiam quia non semper est melius operari actum secundum se, seu ex obiecto meliorē, sed eum, qui fini caritatis magis est consentaneus, tum denique quia, cùm Christus sit velut exemplar vniuersale omnibus hominibus propositum, operæpretium fuit, vt omnium virtutum opera in eo elucerent, & (quo ad fieri posset) omnes in se hominum conditiones, ætates, & status complecteretur eminentiori quadā ratione, vt omnes in eo haberent, & imitarentur. Quam certè ob causam oportuit, vt & actiuam, & contemplatiuam vitam, ita coniungeret, vt interdū eam actionem exerceret, quæ posita est in corporalibus rebus, interdum verò spirituālem, item aliquando vitā ageret in exterioribus vulgarem, & communem, aliquando rursum cœlestem, vt ieiunando quadraginta dies, pernoctando in oratione Dei.

Hanc denique D. Thom. doctrinam cō firmare possumus eleganti Gregorij Nazian. testimonio, quod ipse quidem Basilio præstitit orat. 20, multo tamē verius, ac perfectius Christo quadrat. *Cum solitaria* (inquit ille) *vita, & quæ societate gaudet, vt plurimum inter se dissiderent, ac pugnarent, ne vtraque omnino vel commoda, vel incommoda sua pura, & immixta haberet: præclare eas inter se reconciliauit, ac permiscuit, vt nec contemplatio communionis expers esset, nec actio cō tēplatione careret, sed quemadmodum terra, & mare, ita etiam hæ duæ vitæ commoda sua inter se communicantes ad vnicam Dei gloriam concurrerēt.* Multaq; similia in eādē sentētiam edisserit orat. 21. in Atha. vbi inter alia sic scribit. *Sic enim hęc duo, hoc est, tranquillam actionem, & actuosam tranquillitatem consotiauit, & copulauit; vt per sua sum omnibus redderet,*

Greg. Nazian.

ret, monasticæ vitæ professionem, morum potius A *grauitate, & constantia, quam corporis secessione exprimi, atque insigniri.*

SECTIO SECVNDA.

Vtrum Christus dominus religiosæ vitę statū coluerit.

SI nomine vitę religiosę intelligamus vitam sanctam, & honestam eo generalis locutionis genere, quo dixit Iacobus cap. 1. *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire abhoc sęculo*, hoc, inquā, loquendi modo non est locus quæstioni, satis enim constat, Christum sanctissimā duxisse vitā. Si verò ea voce peculiarem illam viuendi rationem, & statum intelligamus, in quo homines ab affectibus terrenarum rerum abstracti Diuino muneri consecrantur paupertatem, castitatem, & B obedientiā colentes, hoc sensu pauca possunt certo affirmari, dubitari verò, & inquiri permulta.

Iacob. 1.

Primo igitur de obedientiæ voto, aut professione certum est non habuisse locū in Christo. Quia, ppter dignitatē personæ nulli hominū iure subditus fuit, vt priori tomo ostensum est. Et quanuis prioribus annis subditus fuerit parentibus; post ea verò nullū habuit, cui specialiter obediret, nec iure, nec facto, quāuis sacerdotibus, & Principibus Rempublicam gubernantibus iuxta communem legem, & morem obedierit. Secundo certum est, Christum Dominum perpetuam virginitatem seruasse. Hoc est de fide certū, quia licet in Euangelio in propriis terminis nō sit expressum; tamen ex tota illius serie satis constat, & vniuersa Ecclesia semper C intellexit, & omnes Patres passim prædicant, neque oportet rem satis perspicuam ac manifestam, quam ne hæretici quidem in dubium vnquam vocarunt, latius comprobare. Congruentiæ autem sunt etiam per se notæ, primo quia hæc vitæ ratio est per se excellentior, & ad omnem finē incarnationis, & vitæ Christi magis accommodata, & officio Doctoris, ac sacerdotis summi aptissimè conueniens. Secūdo quia Euangelica puritas maximè decebat Diuinam personam. Tertio propter exemplū, Prędicaturus enim erat hominibus virginitatis consiliū, ideòque operæ pretium fuit, vt eos ad amplectendā illam

Perpetua in Christo virginitas.

suo exemplo permoueret. Quo loco addu ci possunt omnia, quæ supra agentes de virginitate B. Mariæ ex Patribus congessimus, illa enim multò magis in Christo locum habent.

Inquiri tamen consequēter potest, vtrū Christus dominus Deo virginitatē suam, & perpetuā castitatem voto consecrarit. *Dubium.*

Sed de hac re nihil vel in scriptura sacra, vel in veteribus Patribus scriptū inuenio D. Tho. quidem. 2. 2. q. 88. art. 4. ad 3. in *D. Thom.* genere attigit quæstionē, an Christus aliquid vouerit, & id simpliciter negare videtur, quanquā solum dicat, quòd Christo secundum se non competebat vouere, duasq; huius rei reddit rationes. Prima, quia erat Deus. Secunda, quia voluntatē habebat firmatam, & immobilē in bono. (finis enim voti esse videtur stabilire voluntatem in ea re, quæ Deo promittitur) sed neutra harū rationum cōcludit. Nam quanuis Deus esset, erat etiam homo.

Qua propter mihi non est dubium quin non obstante Diuinitate personæ suæ fuerit capax voti, & obligationis ex illo ortæ. Probatur, quia ratione naturæ, & volūtatis humanę erat capax proprij dominij, propriiq; iuris, & obligationis. Item hac ratione poterat sese obligare homini per veram promissionem, cur non etiā Deo? Nam vnitas personæ Diuinæ in vtraque natura Diuina, & humana non obstabat, quia ea non obstante poterat intercedere vera ratio iustitiæ, & satisfactionis Christi hominis ad Deū (vt in superioribus ostensum est) ergo poterat etiā interuenire promissio, & obligatio eius. Non enim hæc est magis ad alterum, quàm iustitia. Præterea fuit Christus capax præcepti, ergo & voti: Patet consequentia, tum quia votū habet vim cuiusdam particularis legis, tum etiā quia nō minus videtur repugnare Deo recipere legē à superiore, quàm se obligare superiori, ergo si primū habet locum in Deo propter assumptam naturam, secundum non repugnabit illi. Et hę quidem rationes non solum videntur probare non repugnasse simpliciter votum Christo, eò quòd Deus esset; sed etiā non fuisse indecens, neq; minus conueniēs, sicut non fuit indecens habere præceptum neq; orare, sacrificium offerre, alios ve actus religionis exercere, ergo neque actus vouendi, & voti obseruatio, qui sunt ex perfectioribus actibus religionis. Et hinc

Christus voti capax sicut & præcepti.

etiam

etiã videtur eneruari, altera D. Tho. ratio. A Quia votũ nec solum, nec præcipuè est propter firmandam volũtatẽ: sed propter offerendum Deo obsequium, consecrandamq; & ad nobiliorẽ ordinẽ eleuandam ipsam voti materiã. Ac denique, vt actus ex voto factus perfectior sit, quã sine voto. Et hîc etiã locũ habet argumentũ factũ de præcepto, quod positũ fuit Christo etiam si haberet voluntatẽ firmatã in bono, idẽq; facturus esset, etiã si nõ interueniret præceptum. Quia præceptum non semper ponitur propter inducendam, seu firmandam voluntatem: sed per se propter maius obedientię bonum.

Ex quo aliqui probabiliter opinantur, B sicut Christus habuit præceptũ moriendi pro hominibus, ita etiã de eadẽ re votum emisisse. Atq; adhoc accommodant illud

Psal.21. Psal.21. *Vota mea Domino reddam.* Nã Psalmũ illum de Christo omnes interpretantur. In eo enim habentur verba illa, quibus Christus in Cruce vsus est, *Deus Deus*

Glossa. *meus, quare me dereliquisti*, & ita Glossa ibi verba illa de Christo interpretatur: Et quãuis D. Tho. probabiliter dicat Chris-

D. Thom. tũ ibi esse loquutũ in persona suorũ membrorũ, si tamẽ proprie, & sine incõmodo potest de Christo intelligi, cur non ita interpretabimur? Nã & Hiero. ibi inter alia

Hie. inquit. *Vota Christi sunt natiuitas, vel passio, vel mysteriũ corporis, ac sanguinis eius.* Quæ nõ possunt vota dici, nisi quatenus voto

Aug. Basil. Theo lo. oblata sunt. Eodẽ ferè modo exponit Au C gust. ibi. Basilius verò, & Theodoret. addũt *votum* ibi propriè significare promissionẽ. Est ergo probabile Christũ in primo

Responsio instanti cõceptionis suę, se voto cõsecrasse Deo ad redimẽdos homines, & in hũc finẽ omnes actiones, ac passiones vitæ suę

Christũ perpetuæ virginitatis votũ deo nũcupasse probabile est. voto obtulisse, erit igitur etiã probabile perpetuæ virginitatis votũ Deo nũcupasse. Et cõfirmatur tãdẽ, quia virginitas per se est amabilis, & digna Christo, ergo & eius perfectio, ac cõsecratio. Huc accedit quòd hac ratione voluit Christus, matrẽ suã virginitatẽ vouere: nobis etiã cõsuluit vt idẽ faciamus, quid ergo obstare potest quo minus in hoc ipse præierit exemplo, cũ ad perfectionẽ hoc spectet, & nullam imperfectionẽ includat, quæ Christũ dedeceat? Certè videtur hic dicendi modus hãbere plurimũ pietatis, ac probabilitatis. Neq; videtur aduersari D. Tho. quia ipse solũ videtur docuisse, nõ fuisse eandẽ rationẽ vouendi in Christo, quæ in nobis est: atq; esse in eo peculiarem causam, obquã voto nõ indiguerit, quod recte probãt rationes eius. An verò de facto vouerit, nec ne, videtur cõsultò prætermisisse propter rei incertitudinẽ, quod sane cõsiliũ eligendũ nobis est, ne rem nouã, & incertã simpliciter affirmare videamur. Nobis ergo sufficiat Christũ à principio castitatẽ coluisse, eamq; firma, ac stabili voluntate sibi proposuisse, & in diuinũ honorẽ, & gloriã retulisse. Vnde fit, vt eminẽter habuerit, quidquid perfectionis est in castitate Deo cõsecrata per votum, siue propriũ, ac formale votũ emiserit, siue nõ

Tertio certũ est, Christũ Dñm pauperta- *Christus paupertatem seruauit, & coluit.* Matth. 8. *Hie.* Matth. 17 2. Cor. 8. Matth. 10 & 19. temseruasse, atq; coluisse. Hoc constat ex historia Euãgelica. Nã Matt. 8. dicitur. *Filius hominis non habet, vbi caput suum reclinet,* Idẽ notat Hieron. Matt. 17. in illo facto, quando Christus misit Petrũ ad mare, vt afferret, vnde solueret tributum, vnde. 2. ad Cor. 8. ait Paulus, *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est.* Deinde Christus consiliũ dabat Apostolis suis Matt. 10. *Nolite possidere aurum, neque argentum,* ergo maximè decebat vt quod prædicabat verbo, doceret exemplo. Vnde Mat. 19. dicebat, *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere me*, idest, imitare me, & statim subiunxit diuitẽ difficile posse saluari, & ideò Petrus respondit: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*, ergo dabat Christus discipulis suis exemplũ paupertatis. Quo circa hęc veritas in genere, & absolutè sumpta de fide est, & tradita in decretis Põtificũ, quos statim referam

In modo autẽ explicãdi hãc paupertatẽ magna cõtrouersia est, quæ (vt multi existimãt) inter summos quoq; Põtifices versatur. Vt verò intelligatur, ponendũ est primo, nõ esse sermonẽ de paupertate, quę excludat excellẽs illud, & quasi diuinum dominiũ: quod Christus habuit in omnes creaturas ratione hypostaticæ vnionis, de quo in priori tom. disp. 48. sect. 2. latius disseruimꝰ: est igitur sermo de paupertate vt est in vsu hominũ, & dicit carentiã humani dominij, aut vsus liberi earũrerũ, quę corpori necessaria sunt. Secũdo ponendũ est nõ esse quæstionem de tempore vitæ Christi ante baptismũ. Nã de illo iã supe-

rius satis diximus victitasse scilicet ex bonis parentũ: & fortasse etiã aliquid suo labore, et fabrili arte peperisse. Nec affirmari satis potest, vtrum aliquid eo tempore vt proprium possederit, quanquam de bonis immobilibus satis certum videatur, eorum non habuisse dominium, quia neque parentum fuit hæres, neque illis emẽdis, aut acquirendis nauauit operã. Quod si beatus Ioseph bona aliqua immobilia reliquit, verisimilius est dono illa dedisse Virgini, si iis ad vitam transigendã indigebat. Cæterarum autem rerum mobilium potuit fortasse Christus habere dominium aliquod, seu proprietatem, licet etiam fieri potuerit, vt solo vsu contentus sibi à parentibus dato, dominiũ illis proprietatemque permiserit. Vel credi etiam potest in illa sanctissima familia Iesu, Mariæ, & Ioseph omnia fuisse communia, seruato tamen ordine. Nam Iosepho cõmissum erat, vt esset veluti dispensator illius domus, & verisimile est, Christũ semper se se vt subditũ, inferioremq; gessisse atq; adeò nihil vt proprium toto illo tempore possedisse, ac dispensasse, sed iuxta parentum arbitratum.

Quod genus paupertatis ãte baptismũ professꝰ sit christus.

Omisso ergo hoc tempore, de reliquo est controuersia, quod genus paupertatis professus tũc fuerit. Et primo est dubitatio de modo, seu obiecto huius paupertatis, vtrum scilicet omnium rerum dominium à se abdicauerit solo vsu retento, an proprietatem aliquarum rerum habuerit, vel in particulari, vel in communi: & est quęstio de rebus mobilibus, nam de immobilibus eadẽ, vel maior ratio est de hoc tẽpore, quæ de tota vita superiori, & ita de his bonis nulla est cõtrouersia, sed de mobilibus & vsu cõsumptibilibꝰ. Ratio verò difficultatis est quia Nicola. 4. in c. *exiit*, de ver. signi. in sexto, tradit Christum exemplo suo docuisse eam paupertatẽ, quę omnium rerum proprietate, tam in communi, quàm in particulari priuat. Vnde sentire videtur, eo tempore non habuisse Christum dominium, neque in particulari, neque in communi etiam earum rerum quæ vsu consumuntur. At verò Ioannes 22. in extrauagantibus. *Ad conditorem*, & *Cum inter nonnullos*, & *Quia quorundam*, de verborum significatione, videtur damnare, vt hæreticum dicere, Christum nullius rei proprium dominiũ habuisse. De quorum Pontificum dissensione videri possunt Turrecrem at. lib. 2. sum. capi. 112. & Bellarm. lib. 4. de summo Pontifice c. 14. & Soto lib. 4. de iust. q. 1. art. 1. Sed exponamus breuiter primò, quid res habeat inde verò constabit, quid ad prædicta iura respondendũ sit. De re igitur ipsa quatuor mihi videntur partim certa, partim verisimilia.

Primum est in aliqua parte illius temporis habuisse Christum aliquarum rerũ dominium saltem in communi, id est, simul cum discipulis. Hoc vt minimum docet Ioannes. 22. & colligi potest ex Ioannis. 4. vbi dicitur, *discipulos abiisse in ciuitatem, vt cibos emerent*. Et cap. 6. dixit Christus ad Philippum: *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* & Matt. 14. dixit. *Non habent necesse ire, date illis vos manducare*, & Ioan. 12. dicitur. *Iudam habuisse loculos, & ea, quæ mittebantur portasse*, & additur ibidem Iudã fuisse *furem, & latronem* eô, quòd aliquid ex illis bonis vsurparet. Agebat ergo contra iustitiam, & dominium, quod in ea bona Christus, & alij Apostoli habebant: & cap. 13. cum Christus dixisset Iudę, *Quod facis, fac citius*, putarunt discipuli, *quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus, Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis, vt aliquid daret*. Quæ omnia supponunt fuisse aliquarum rerum dominium in collegio Apostolico, cui Christus præerat. Vnde Gregor. Nazian. orat. 16. in fine, vt exemplo Christi homines ad erogandam eleemosynam inducat, inquit. *Quin me mouet Christi crumena, quæ nos ad pauperes alendos exhortatur*. Et Augustin. lib. de mendacio c. 5. *Videmus & ipsum Dominum habuisse loculos, quo ea, quæ dabantur, mittebantur, vt seruari possent ad vsus pro tempore necessarios*. Similia habet de opere Monachorum capit. 14. & concione. 3. in Psal. 103. & ratione probatur. Quia non poterat Christus non habere vsum aliquarum rerum, & illum habebat liberum, & indepentem ab alio, qui omnino esset extra collegium Apostolicum, ergo necesse est, vt vel Christus ipse, vel saltem totum illud collegium haberet talium rerum dominium. Patet consequentia, tum quia dominium nihil aliud est, quam facultas libera vtendi re in omnem vsum. Tum etiã quia illæ res non habebant alium dominum. Nisi quis fortasse dicat voluisse

Aliquo tẽpore post baptismum Christus aliquarũ rerum dominium in cõmuni habet

Io. 4. & 6 Mat. 14.

Io. 12. & 13.

Gre. Nazi.

Aug.

Christum

Christum, vt vel soli Apostoli haberent illud dominium, vel certè, vt maneret apud eos, à quibus eleemosynas accipiebant, ipsis solum vsum recipientibus, quę tamen & valde friuola sunt, & sine fundamento conficta. Quia hoc neque ad perfectionem spectabat, neque ad moralem vsum aliquid referebat: Et hęc est fundamentalis ratio huius veritatis. Quia huius modi dominium in communi, neque perfectioni, neque eius statui repugnat.

Primum, & particulare rerum dominium post baptismum quando Christus habuit.

Secundo verisimilius mihi est in aliqua etiam parte illius temporis habuisse Christum dominium aliquarum rerū proprium, & in particulari. Hoc probatur, quia nō statim, ac baptizatus fuit, habuit discipulos, quibus cum in communi viueret, vt eis statim essent omnia communia: sed aliquo tempore saltem breui solus degebat, & quando cæpit habere sectatores non statim habuit illos stabiles, & perfectionem profitentes. Vnde legimus semel, atque iterū Apostolos vocasse, quia non statim â principio cum eo permanserunt, nec effecerunt vnum veluti corpus politicum, quod esset capax dominij cōmunis, ergo necesse erat, vt eo tempore eorum, quæ Christus possidebat, & ad victum, & vestitum ei donabantur, propriū, ac peculiare haberet dominium, vt eisdē rationibus ostendi potest. Quia tunc habebat liberum vsum illarum rerum, nec potest fingi, apud quem alium earū dominium resideret. Præterea hoc nihil perfectioni derogat, quia pro tēporis, & status oportunitate non poterat esse alia cōueniens viuendi ratio. Denique hoc ipsum insinuat Ioannes 22. dicens, cùm hoc non sit per se malum, etiam decuisse, vt in hoc genere paupertatis, & moderati dominij Christus esset hominibus exēplo. Cùm enim Christus esset commune omnium exemplar, & doctor, decuit vt omnibus prębęret exemplum, & iis, qui perfectam, & iis, qni minus rigidam paupertatem profiterentur.

Io. 22. Pa.

Tertio certū esse debet Christum dominum aliqua parte illius temporis, nihil proprium in particulari habuisse: sed ad summum in communi. Hoc sentit vterq; Pontifex supra citatus. Et colligitur satis ex locis Euangelij, & aliis coniecturis, & rationibus adductis.

Quarto, an aliquando Christus tam in speciali, quàm in communi omnium rerum proprietate caruerit, dubium, & incertum est. In hoc enim Pontifices dissidere videntur: possumus autē hac vti distinctione. Nam aliud est actu carere huiusmodi rerum dominio: aliud verò etiam professione, seu proposito, vel (vt ita dicam) etiam aptitudine. Priori modo dubitari non potest, quin Christus dominus aliquādo caruerit dominio rerum omniū tam in communi, quàm in particulari, vt fortasse cum dicebat. *Filius hominis non habet, vbi caput suum reclinet*, vel quando. *Mulieres eum sequebantur ministrantes ei ex facultatibus suis*. Luc. 8. Quòd si dicas tunc saltē habuisse vestes, quibus operiebatur quārū dominiū non erat apud aliū: sed apud ipsum, vel saltē apud collegium Apostolicum: dicā certe, saltem eo tēpore, quo in Cruce pependit omniū rerū temporaliū, & vsu, & dominio caruisse. Nā libēter cessit iis, qui proprias vestes eripuerāt. Alij vero ab hac generali propositione excipiūt vestes, quibus vtebatur, q̄ mihi non displicet. Nā licet in Cruce vi priuari potuerit vsu illarū: non tñ dominio, q̄ antea habebat, qualecunq; illud fuerit. Vnde scriptū est. *Diuiserunt sibi vestimenta mea, & supra vestē meā miserunt sortem*. Psal. 21. vbi vox illa *mea* dominū indicat. Et hoc satis fuisse videtur, vt Nicolaus dicere potuerit Christū dedisse nobis perfectissimæ paupertatis exēplum, tam in cōmuni, quā in particulari. Nā & Chrysost. hom. 17. in 2. epist. ad Corin. explicās illa verba. *Propter nos egenus factus est*, & inquirēs, quę fuerit illa Christi paupertas, respondet fuisse eam, quā in sua passione monstrauit. Posteriori modo non reperio quòd aliquo tēpore Christus dūs hoc genus paupertatis professus sit ita, vt neq; in cōmuni, neq; in particulari aliquid propriū habere decreuerit. Quod vt declaretur, fingamus Christū paupertatē voto firmasse, & Apostolos votū paupertatis emisisse. Dico ergo nunquā instituisse eam vitæ rationē, & statū, in quo nihil essent habituri neq; in cōmuni, neq; in particulari, nec hanc paupertatem vouisse. Prob. quia in nocte cœnę Christus habebat loculos, ergo in communi habebat dominium aliquarum rerum (vt Nicolaus fatetur) ergo signum est nunquam antea professum esse illum vitæ statum, qui hoc dominium

Christus aliquādo rerum omniū dominio omnino caruit

Matth. 8.

Luc. 8.

Psal. 21.

Nicol. pa.

Chrysost.

nium in communi non admitteret. Nam si aliquando eā ratiōnē viuendi Christus instituisset ab ea nūquā recessisset Fuisset enim quodāmodo ab inchoato maioris ac strictioris paupertatis statu decidere: & iuxta hæc possunt intelligi, quę Ioannes 22. de Christi paupertate docet, quanquā fundamentū eius nobis probare nō sit necesse. Existimat enim vsum, & dominiū non distingui in his rebus, quę vsu consumuntur, & inde concludit, si Christus habuit vsum, habuisse etiā dominiū. Quę collectio, si bona esset, non solū cōcluderet de dominio in cōmuni, sed etiā in speciali. Illud ergo, quod Ioannes assumit, nō pertinet ad doctrinā fidei, vnde nō est ab eo vt Pōtifice definitū: sed vt à priuato doctore probabiliter existimatū, atq; id circo necesse nō est, vt illi assentiamus. Verius enim est etiam in his rebus inueniri posse facultatē vtendi, quæ verè dominiū non sit, quòd & definita sit ad determinatū vsum, semperq; à volūtate alterius pēdeat. Non igitur hac ratione negamus Christū caruisse hoc dominio in cōmuni: sed quia ex Euāgelio colligi potest, nunquam eum professum esse huiusmodi paupert atis genus.

In rebꝰ vsu cōsūptibilibꝰ dominiū ab vsu quomodo distinguitur.

Obiectio

Responsio

Dices hoc est perfectius: ergo oportuit, vt aliquo tēpore illud profiteretur. Respōdeo primū satis esse, vt interdū eā paupertatem exercuerit. Quia licet profiteri hāc paupertatē ad statū perfectionis pertinere possit, non tamē necesse est, vt ad maiorē perfectionem pertineat. Nam pro diuersitate personarū, & statuū interdum ita esse potest, interdum minime. Vnde Ioan. 22. in hoc sensu definit, non esse statui perfectionis cōtrariū aliquid in cōmuni possidere. Et quidā dicti Fratricelli (qui oppositū docuerunt) vt hæretici damnati fuerunt. Quapropter, cū Nicolaus indicat: quòd habere loculos aliquid de perfectione diminuit, dicens, Christū, cū loculos habuit, sese infirmioribus, minusq; perfectis accōmodasse, vt omnibus exemplo esset, quidā dicunt nō hoc definisse, sed aliud agendo, vt particularē doctorē tradidisse. Quod insinuauit Bened. 12. vt colligitur ex directorio inquisitorum. q. 12. & 18. Melius verò dicitur, Nicolaū solum asseruisse in genere paupertatis minorē, minusq; rigidā esse illam, quæ loculos habere permittit: non verò inde fit,

Act. 4.

A quòd semper pertineat ad maiorē perfectionem simpliciter. Adde quanuis in particulari persona, vel Ecclesiæ cōgregatione ad perfectionis statū pertineat, profiteri paupertatē in communi, vel in particulari: tamen respectu totius Ecclesiæ, non pertinere ad perfectionē eius, vt non habeat bona cōmunia, id est, vt ea bona, quibus aluntur mēbra eius, non sint sub dominio saltē ipsius corporis Ecclesiæ. Vnde primitiua Ecclesia, quæ videtur professa statū perfectionis, habebat dominiū bonorum in communi. Quia ergo Christus cum Apostolis Ecclesiā inchoabāt, nec esse fuit, vt ea bona, quæ habebāt, essent sub dominio illius corporis. Et ad hunc modū posset exponi Nicolaus Papa. Nā ibi ait Apostolos abdicasse dominium rerū in particulari, & in cōmuni. Quod nequit intelligi de abdicatione in cōmuni respectu totius Ecclesiæ. Neq; enim negari potest, quin eo tempore, quo fidelibus omnia erant cōmunia: ea bona, quibus vtebantur Apostoli, essent sub dominio totius Ecclesiæ, ergo solum dici possunt abdicasse dominiū in communi, cōmunitate aliqua particulari, quæ fuerit specialis cōgregatio et pars Ecclesię. Sicq; dici potest viuēte, Christo nihil proprij habuisse collegium Apostolicum, etiam in cōmuni. Quia quidquid habebant, cōmune erat ipsis, & omnibus fidelibus, seu Christi sectatoribus, & discipulis. Et ita verisimum est Christum dedisse exemplum omnis perfectæ paupertatis, quæ in Ecclesia esse potest conuenienter.

B

C

Ex his constat, quid dicendum sit ad dictorum Pontificum decreta. Vt enim alia omittamus, quæ præsentis disputationis non sunt, quod ad nos pertinet: nulla est inter eos contradictio, quod etiam Ioannes 22. in vltima extrauaganti declarauit. Ioannes enim docuit Christum aliquando habuisse rerum dominium vel in particulari, vel in communi, & contrariū vt hæreticum damnat: hoc autem Nicolaus non negat. Sed potius expresse id admittit, dum declarat Christum habuisse loculos. Non definit autem Ioannes, semper Christum habuisse hoc dominium, quia ex Euangelio colligi non potest, & ipse solum docet, quod in Euangelio continetur, fieri ergo potuit, q̄ Ioannes nō negat vt aliquando neq; in communi,

Inter Nicolaū & Ioānē 22. Pōtifices nullū de Christi paupertate dissidiū

neq;

neq; in speciali, quicquã Christus habuerit, quanquã hoc multò minus sit certum, quod à Nicolao nõ expressè asseritur, & explicandũ est iuxta superius dicta. Sed roget quis: vtrũ Christus votum prædictæ paupertatis nũcupauerit, sicut D. Tho. de Apostolis probabiliter colligit ex illis verbis. *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te.* Nã inde videtur haberi, Apostolos hac in re fuisse Christũ imitatos, atque adeò illũ, vt ipsis foret exemplo, idẽ propositum ostendisse, votoq; firmasse. Sed hac in re nihil addendũ occurrit iis, quæ in simili, de castitate antea diximus. Nã licet Medina hic definiat vt certum, Christũ huiusmodi votum non emisisse: nihil tamen noui affert, quo id ostendat, nec D. Tho. cuius sola autoritate, & rationibus ipse nititur, id vt certum definit, vt supra satis explicatum reliquimus.

Dubium. *D. Thom* *Matt. 19.* *Respodsio* *Medina.*

Illud sanè certius est, siue Christus paupertatẽ hanc vouerit, siue nõ: libera tamẽ & spontanea volũtate illã assumpsisse, vt nostrã salutẽ operaretur, nobisq; perfectionis exemplo esset. In quo grauiter errauit Armachanus ser. 4. qui dixit, Christum nullius rei dominiũ, vel proprietatẽ habuisse, non volũtate sua, sed quia ea cõditione accepit á Deo vsum rerũ, vt nullam sibi posset appropriare. Tale enim accepit dominium, quale Adã in statu innocentiæ: Adam verò hac conditione vsum rerum accepit. Quæ omnia vana sunt, & sine fundamẽto, & cõtra Paul. 2. ad Cor. 8. dicentẽ, esse gratiã, & beneficiũ Christi, quòd egenus fuerit propter nos. Adhęc Christus voluntarie pro nobis dolores, passionesque sustinuit, ergo simili voluntate pro nobis pauper factus est. Item Ioan. 6. cum turbæ illũ creare vellent Regem, voluntariè fugit. Deniq; illud, quod de Adamo dicitur, incertũ est, & fortasse non verũ, tamen (quanuis ita esset) Christus non erat subditus illis legibus, & pręterea cùm secundũ corpus factus fuerit in similitudinem carnis peccati, & quo ad hoc nõ assumpserit perfectiones iustitiæ originalis, consequenter fuit capax dominij, & proprietatis, quę introducta est, & accõmodata statui naturæ lapsę, & carnis passibilis. Quod ergo Christus non assũpserit hoc dominiũ politicũ & humanum, nõ ideò fuit, quia esset incapax illius, sed quia voluntariè illud à se abdicauit, seu vsurpare noluit.

A Tandẽ solet circa hanc Christi paupertatẽ inquiri, an interdum tanta fuerit, vt mendicare cõpulsus sit. Caiet. Matt. 5. negat, Christũ aliquando mendicasse: cuius sententiã sequitur Medina hic, & Castrus lib. 10. aduersus hęres. verbo, mẽdicitas. Fundamentũ horum autorũ solũ est, quia non legimus Christum mendicasse. Quãquam enim Ioan. 4. legamus Christũ petiisse à Samaritana potum aquæ, illud verò non fuit proprie mẽdicare, nam illud etiã diuitibus, & nobilioribus interdum euenit. Quin potius legimus, Christum mendicis, & egenis eleemosynã erogasse legimus etiã mulieres quasdã Christi sectatrices, suis eum facultatibus aluisse. Addi solet in huius sententiæ confirmationem, quod in veteri lege videtur prohibitũ mendicare. Deut. 15. *Omnino indigens, & mendicus non erit inter vos.*

Dubium. *Caiet.* *Medina.* *Cast.* *Ioan. 4.* *Deute. 15*

B Contrariã sententiã constantissimè defendit VValdẽsis lib. 4. doctrin. fidei antiquæ c. 3. & 4. vbi priorẽ sententiam appellat nimis hęreticã, & scripturæ, ac veterum doctorũ assertioni contrariam. Sed in hac censura excessit, nisi loquatur iuxta mentẽ eorum hæreticorũ, quos impugnat. Illi enim negabant licere religiosis mendicare, & ideô negabãt, Christũ mendicasse, vt mendicitatẽ damnarent. Et hoc modo hæreticũ est dicere, Christum mendicitatem vitasse vt malã, quòd verò re ipsa mendicauerit, nec ne, ad dogmata fidei non spectat. Eandẽ sentẽtiã scilicet Christum mendicasse tenuit Cathar. lib. 2. cõtra Caiet. & Sixtus Senen. lib. 6. biblioth. annot. 118. & 137. & Albertus Pighius lib. 5. contra Erasmũ. Probari autẽ potest, primo quia coniecturæ alterius sententię nullius momenti esse videntur. Vt enim omittã interdũ Augustinũ interpretatum esse, actum illũ petendi potum à Samaritana, fuisse actum mendicandi. Item, quod aliis placet verbũ illud Christi Lucæ. 19. *Zacheæ in domo tua oportet me manere*, fuisse quoddã mendicandi genus: etiã si demus, scriptũ non esse Christũ interdum mendicasse, nõ propterea sequitur nunquam mendicasse. Quia neque hoc etiã legitur neq; omnia, quę Christus fecit, vel nõ fecit scriptis mãdata sunt: deinde ex iis, quę scripta sunt, coniicimus, quę scripta nõ sunt. Vt ex eo, quòd Christus duodecimo ætatis anno relictis parentibus Ierosolymis mansit, piè colligunt Bernar. & Bonauent.

VValden. *Cathar.* *Six. Sene.* *Al. Phy.* *Aug.* *Luc. 19.*

Bonan. uent.illis diebus è mendicato vixisse:Sic igitur legimus,eo tempore,quo Christus prædicauit,aliquando indiguisse, vt alienis facultatibus aleretur,vt videre est Lucæ.8. non constat autē, neq; est admodū verisimile semper fuisse illi vltro oblatas res omnes necessarias ipso nihil petente, ergo verisimile est interdum sibi necessaria postulasse,quod est mendicare.Explicatur minor,primo quia licet legamus aliquando mulieres sequētes ipsum, eū suis facultatibus sustentasse: non tamen semper habuit mulieres sectatrices. Nam in principio suæ prædicationis,quando discipulorum delectum habere cępit,nō est verisimile,statim adhęsisse ei comites fœminas,in eiusque obsequium suas facultates erogasse. Deinde;quia Matth.21.legimus Christum aliquando venientem Bethania Ierosolymam in itinere esuriuisse, & ad arborem fici accessisse,vt inde reficeretur, non ergo tunc aderant fœminæ, quæ ex facultatibus suis illum alerent. Quid ergo prohibet, quominus similem persæpe passus inopiam, è mendicato sibi subuenerit? Præterea verisimilius videtur Apostolos interdum mendicasse, vt quando missi sunt sine pecuniis, & cæteris rebus,apud Matth. & Luc. vtrobique cap.10.vt prædicarent,& ab iis,quos docebant, victum haberent, iuxta illud. *Dignus est operarius mercede sua*, cur ergo non credemus illud etiam interdum fecisse Christum, vt Apostolos suo inflammaret exemplo,& quia actus ille est bonus, & humilitatem præ se fert. Neque enim verum est fuisse inter Iudæos mendicare prohibitum.Verbum enim illud Deute. 15.non prohibitionem continet: sed promissionem, promittit enim Deus illis tātam rerum abundantiam,vt nemini mendicare,futurum necesse sit.Quæ promissio sub conditione facta est, quæ ibi statim subiungitur, *si audieris vocem Domini Dei tui*: & ideò non est impleta,quia conditio non est apposita. Vel certè (vt exponit D.Thom.2.2.quæst.187.articul.5. ad 3.) licet illa sit prohibitio, non tamen fit egenis, ne mendicent: sed diuitibus, ne in subueniendis pauperibus ita sint auari,vt eos cogant mendicare. Quę expositio videtur magis consentanea textui,tum quia ibi non tradebantur promissiones:sed potius præcepta, vel admonitiones quædā ad misericordiam pertinentes.Tum quia statim subiungitur in vulgata.*Non erit mendicus inter vos, vt benedicat tibi Dominus*.Intelligendum autē puto,illud nō tam fuisse rigurosum pręceptum, quam exhortationem ad elargiendas copiose eleemosynas:tamen, quia id reipsa futurum non erat,subiungitur ibidē.*Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ, & ideo ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo,&c.*vbi nomen *pauperis* mendicum significat, vt constat ex Hebræo, quia eadē vox est vtrobique.Et quia pręceptū eleemosynæ(quod statim subiungitur) rarò obligat,nisi quando is,qui indiget,petit, non ergo prohibiti erant mēdici,qui ibidē futuri esse prædicuntur.Vnde in Euāgelio legimus multos inter Iudæos mendicasse,vt de duobus cęcis Ioan.9. & Lucæ.18.& de alio claudo Act.3.& de Lazaro Luc.16.Et hinc facile constat nullius momenti esse coniecturam illam, quod Christus interdū aliis eleemosynā dabat. Hoc enim etiam de Apostolis dici posset & de omnibus ferè,qui paupertatem voluntariam profitentur,quibus frequenter accidit,vt nonnulla,quę mēdicando quęsierunt,pauperibus elargiantur.Tandē de Christo rectè intelligitur illud Psal. 39. *Ego autem mendicus sum,& pauper*.Nā psalmum illum de Christo intelligit Paul.ad Hæbr.9. item illud Psal. 108. *Persecutus est hominem inopē,& mendicum*.Petrus enim Act.1.exponit persequutorem illum esse Iudam,atq; adeò mendicum fuisse Christum:Et ita etiam ibi interpretatur Hieronym.Augustinus,Theodoretus,& Arnobius.Basilius etiā in regulis breuiorib.regul.262.ita legit locum illum Paul.2. ad Cor.8.*Propter nos mendicus factus est*. Quia verbum Græcum πτωχεύω propriè mendicare significat,quanquā interpretetur, eum posse dici mendicū, quia ex diuite egenus factus est, & similiter alij Patres sentiunt posse *mendicum* exponi,idest,*pauperem,& egenum*,tamen nihil etiam vetat, quod proprie,& in omni rigore intelligatur,& idem est de aliis testimoniis, quæ VValdensis congerit.

Quo circa(si in re incerta iudiciū ferendū est) hęc posterior sentētia videtur magis probāda, quia supposita Christi paupertate,& variis itineribus, vix fieri potuit,vt nō interdū illi occurrerit necessitas mēdicādi,Pręsertim *cum tantæ paupertatis fuerit*(vt notat Hiero.Mat.21.)*& ita nulli*

Luc.8. Mat.21 Mat.10, Luc.10. Deut.15. Ioan.9. Luc.18. Act.3. Luc.16. Psal.32. & 108. Act.1. Hie. Aug. Theodo. Arnob. Basil. 2. Cor.8. Responsio Christū aliquando mendicasse probabile. Hie.

li adulatus sit, vt interdum in vrbe maxima nullum hospitem, illam inuenerit mansionem, & oportuerit eum redire Bethaniam, vt in domo Lazari hospitio reciperetur, quod certè quoddam genus mendicitatis erat. Atque hactenus de Christi paupertate.

Vltimo loco ex his omnibus facile colligi potest, quid propositæ quæstioni respondendum sit. Nam si loquamur de statu religionis, qui per tria vota essentialia constituitur, manifestè constat Christum Dominum hoc sensu religiosam vitã professum non esse. Quia neque illa tria vota emisit, nec satis constat an aliquod eorũ nuncupauerit. Si verò consideremus id, quod perfectionis est in statu religionis, & religiosum vocemus eum, qui se totum ab affectu humanarũ rerũ abstraxit, ac diuino cultui perpetuo, & immobiliter cõsecrauit, sic certum est Christum instituisse vitam habentem excellentiori modo, quidquid perfectionis est in vita religiosa seclusis imperfectionibus. Nam status religionis solum est via ad perfectionem, Christus autem nunquã fuit in via perfectionis: sed semper in termino. Rursus alij indigent voto, quo eorum vitæ ratio stabilis, ac firma censeatur: Christo autẽ domino sufficiẽs ad hoc erat deliberata voluntas, firmumque propositum, quia de se erat ita confirmatus in bono, vt semper, quod esset perfectius, facillimè posset operari. His autem, aliisque ablatis imperfectionibus, in Christo fuit summa perfectio paupertatis, castitatis, & obedientiæ, ad Deum quidem iure, & facto, ad homines verò saltem vsu, & facto: Nam homini iure subdi non debuit, non propter defectum, sed potius propter personę maiestatem, & excellentiam. Deniq; summam habuit perfectionem caritatis, ad quã hęc omnia ordinantur, habuit ergo eminentissimo modo, quidquid perfectionis in religiosorum conuentibus, & in quolibet alio perfectionis statu esse potest.

Christus religiosus quomodo fuerit.

SECTIO III.

Vtrum Christus vitam austeram agere debuerit, an moderatam.

QVæstio intelligitur de vitæ seueritate in victu, & vestitu, rebusque aliis, quæ ad corporis castigationẽ pertinent. Ratio dubitandi est, quia multis de causis videtur decuisse, vt Christus magis, quàm alij homines, hoc vitæ genus institueret. Primò, quia eius modi vitæ seueritas maximè est ad hominis perfectionem in statu naturæ lapsæ propter vincendas cupiditates, exercendamq; patientiam necessaria, ergo quanuis Christus propter seipsum non egeret hoc medio ad perfectionem acquirendã: tamen vt homines ad illud amplectendũ alliceret, oportuit, vt eo vteretur. Secũdo, quia huiusmodi corporis afflictiones sunt ad satisfaciendum Deo pro peccatis aptissimæ, quanuis autem Christus non haberet peccata, pro quibus satisfaceret; tamẽ tota mortalis eius vita ordinata est ad satisfaciendum pro nostris, ergo, vt non solum ex dignitate personæ, sed etiam ex ipsorum operum proportione, & qualitate magis satisfaceret, decuit, vt hanc vitę rationem assumeret. Tertio, multum confert hoc seueræ vitæ institutum ad commouendos homines, & persuadendũ, quia magnam conciliat sanctitatis opinionem. Et licet non debeat propter hunc finem præcipue fieri; tamen, quando simul sperari hic fructus potest, non est malũ: sed potius bonum simul illum intẽdere. Sed incarnatio, & vita Christi ordinabatur ad docendos, excitandosque homines ad virtutem, & pœnitentiam, ergo propter hũc etiam finem maximè decuit, vt vitæ seueritatem seruaret Christus, & ostenderet: Quę omnia in Ioanne Baptista confirmari possunt, qui eximia vitæ austeritate est vsus, non quidem propter peccata, quę cõmiserat, quę vel nulla, vel exigua fuerũt: sed ne illa committeret, & vt hominibus pœnitentiæ præberet exemplum, sicque sanctitatis exemplo, & opinione, apud homines plurimum valeret, vt testimonium de Christo redderet.

Dicendum verò est primò, non oportuisse, vt Christus austerũ vitæ genus profiteretur. Conclusio hęc est certa; quæ satis probatur, primo ex factis, & verbis ipsiusmet Christi. Matt. enim. 11. dixit: *Venit Ioannes non manducans, neque bibens, & dicunt dæmonium habet. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt, ecce homo vorax, & potator vini*, ex quo loco colligunt sancti Patres, consultò Christũ instituisse vitã minus seueram, ac rigidam, quàm Ioannem, *vt facilius omnes lucrifaceret*, vt dixit Chry-

Vitã Christi cur austera non decuit. Matth. 11.

Chryſoſt. Chryſoſtom.homil.38.in Matth.qui ſub dit. *Illam arctam viuendi viam Ioanni omnino dimiſit; ipſe vero publicanorum, atque peccatorum menſas elegit, vt publicanos, & peccatores ſaluaret.* Et ex eodem etiam loco colligit Irenæus lib.4,contra Hęreſ. c.51. *Chriſtum ita conuerſatum eſſe cum hominibus, vt eorum communibus cibis vteretur, & vinum biberet.* Sed latius hoc proſequitur Auguſt. lib.36.contr.Fauſt,cap.31. animaduertēs non ideo dictum eſſe, Ioannem nec manducaſſe, nec bibiſſe, quia omnino non manducaret,nec biberet:ſed quia vinum, & ſiceram non biberet,ſed aquam,nec cō munibus cibis hominum vteretur:ſed locuſta, & melle ſylueſtri. Vnde rectè concludit de Chriſto dici, *venit filius hominis manducans, & bibens, eo quod & vino, & illo victu, quo Iudęi vtebantur, vteretur.* De veſtitu autem conſtat ex Euangelio non fuiſſe vſum veſte contexta ex pilis camelorum,aut zona pellicea,ſicut Ioannem;ſed aliis,quæ in more eſſent apud Iudęos. Tū quia ſi in hoc aliquid ſingulare Chriſtus egiſſet, non omnes Euangeliſtæ id prætermiſiſſent. Tum etiam, quia veſtis aſpera,& rigida,ac menſa vulgaris,& communis non rectè inter ſe cohærent. Tum etiam, quia ſępe in Euangelio fit mentio veſtimētorū Chriſti, & indicatur nō fuiſſe vnum, & ſimplex:quin etiam fuiſſe ex materia communi, qua reliqui homines vterentur. Hoc patet ex Ioan. 13. *Surgit a cœna, & ponit veſtimenta ſua*, non quidem omnia(vt per ſe conſtat) neque enim nudum manere decebat,pluribus ergo veſtibus induebatur. Quod etiam ex iis, quæ in paſsione narrantur, euidenter conſtat. Nam Ioan.19. milites quædam veſtimenta inter ſe diuiſerunt,ſuper tunicam verò inconſutilem ſortem miſerunt, ergo neceſſe eſt fuiſſe veſtes diuerſas. Imò Euthy.his locis,& ſuper Matth.ex prædictis verbis colligit Chriſtum, vt minimū tribus veſtibus vſum fuiſſe, nimirum interiori tunica, ſiue ſubucula,& alio veſtimento, quod ſuper induſium geſtari ſolet, & pallio, quod eſt externum operimentum aliarum veſtium. In quo(vt idē autor meminit) non agebat Chriſtus cōtra conſilium, quod Apoſtolis dederat Matthæ. 10. *Neque duas tunicas, &c.* Quia ibi non agit de pluribus veſtibus diuerſarum rationum,quæ ueluti vnum integrū indumentum conſtituunt, ſed de veſtibus mutatoriis eiuſdē rationis. Sicut Icānes Baptiſta, cùm Luc.3.dicebat. *Qui habet duas tunicas, det non habenti* non loquebatur de veſtibus diuerſarum rationū, quæ ſingulæ ad munus ſuum neceſſariæ ſunt, vt homo integrè, & decenter veſtiatur: ſed agebat de veſtibus ſuperfluis, & ad eundem finem confectis. Rurſus ex eiſdem locis colligere licet, quanquam veſtes Chriſti prætioſæ non fuerint (quod aliqui de veſte inconſutuli opinati ſunt; non tamen rectè,quia id non decet Chriſtum,qui dixerat. *Qui mollibus veſtiuntur in domibus regum ſunt.*) Licet(inquam) prætioſæ non fuerint; non fuiſſe tamen omnino viles, ſed mediocres, & communes. Alioquin non tantam diligentiam adhibuiſſent milites, vt eas partirentur inter ſe ſe,ſortem mittentes, vt nec fieret vlli iniuria,nec inter ſe contēderent, cui pars melior eſſet tribuenda. Nam(vt rectè notauit Ianſen.cap. 143. concord. & inſinuarunt Theophyl. in Marcum, & Ambroſ.in Lucam) ſuper omnia veſtimenta ſortem miſerunt (vt ex verbis eorundem Euāgeliſtarū non obſcure colligitur) ſed ſpecialiter ſuper tunicam, quam nullo modo ſcindere voluerunt, ne tota diſſolueretur,& omnino periret. Erat ergo veſtis illa lanea, & iuxta communē morē illius populi contexta. Vnde notat Iſidorus Peleuſiota lib.1. Epiſ.74. ad Cratonem fuiſſe communem veſtem, qua vtebātur pauperes Galilęorum, fuit ergo victus,& veſtitus Chriſti cōmunis,& vulgaris. Quòd ſi hoc verū eſt de illo tempore, quo mundo prædicauit, potiore id iure credendū de priori tempore, quo priuatam degebat vitam. Præſertim cùm tum temporis vulgarem exerceret artem, & more aliorum exterius viueret. Ratio autem omniū eſt, quam ſupra tetigit Chryſoſ.& hic explicuit D.Tho.art.2.quia ad finem incarnationis,ita fuit expediens,vt prędicatione ſua,familiariq; vſu poſſet homines ad ſe allicere. Quā rationem ipſemet Chriſtus reddidit Phariſæis, quando eis calumniantibus,quòd cum publicanis, & peccatoribus manducaret, reſpondit. Non venivocare iuſtos,ſed peccatores, Mat.9. Præterea, quia vt dixit Nicolaus. 4. in c. *Exiit qui ſeminat*, de verborum ſignificat. cùm Chriſtus omnibus ſit propoſitus in exemplar

Iren.

Victus Chriſti qualis.

Aug.

Veſtitus Chriſtiqualis

Ioann.13

Ioan.19.

Euth.

Matth.10

Luc.3.

Matth.11.

Luc.7.

Veſtimēt orū Chriſti qualitas

Ioan.19.

Ianſen.

Theophy

Amb.

Iſidor.Pe

Chryſoſt.

D. Thom.

Matth.

exemplar virtutis, oportuit, vt omnes, & fortes, & infirmi in eo haberent, quod imitarentur, atque in illum intuentium nullus posset de virtute consequenda desperare. Et ideò summæ caritatis, atque adeo & perfectionis in eo fuit, quod *omnibus omnia fieri voluit, & fratribus assimilari, vt misericors fieret.*

Dico secundo, quanuis Christus non egerit exteriorem vitam nimis seueram, & rigidam: egit tamen moderatissimam, quæ ad seueram potius, & austeram, quàm ad blandam, ac suauem propius videretur accedere. Hanc conclusionem probāt rationes dubitandi in principio positæ, & per se videtur satis clara, & certa. Quia hoc vitæ genus decebat Christi personā, & grauitatem, præsertim cum vitam perfectam prædicaret, omnesque delicias aspernandas doceret. Quod facere expediebat & verbo, & exēplo, vt ex his quæ de paupertate eius dicta sunt, & de mysteriis infantiæ, & iuuentutis eius liquido constare potest. Deniq; hęc assertio soluendo difficultates in principio positas explicabitur, & confirmabitur melius.

Ad primam ergo rationem respondetur ex D. Thom. hic ad 1. abstinentiam cibi, & potus, (& idem est de cęteris corporis afflictionibus) per se non pertinere ad salutem, neque ad perfectionem virtutis. *Quia regnum Dei non est esca, & potus*, ad Roman. 8. *Sed in æquanimitate tolerandi, quos nec copia subleuat, nec deprimit egestas*, vt dixit Augustin. quem D. Tho. citat. Quod vt magis explicetur, aduertendum est, moderationem in cibo, & potu, & reliquis, quæ ad corporis cultū spectant, quatenus per eam seruatur medium rationis, pertinere, ac necessariam esse ad virtutē. Quia hoc est temperantię obiectū, quæ virtus per se, & in omni statu homini est necessaria præsertim in animali corpori viuenti, huiusmodi autem virtutis obseruatio non potest dici seueritas vitæ; sed moderatio, & temperatio. Alia verò est abstinentia cibi, & potus, & aliarū deliciarum corporis, quæ non solum superflua moderatur; sed etiam ex iis, quæ temperata censentur multa respuit, & hæc in tota sua latitudine dici potest pœnitentia: quæ si aliquo modo sit excellens, vel supra cōmunem hominum virtutem potest dici austeritas, seu seueritas vitę, in qua varij possunt esse gradus vt per se cōstat. Hæc ergo vitę austeritas, seu pœnitentia per se non est necessaria ad salutem, neque in statu innocentiæ esset necessaria ad perfectionem virtutis; in statu tamen naturæ lapsę est valde vtilis, & necessaria ad perfectionē virtutis non propter se, sed propter aliud, primo ad satisfaciendum pro peccatis. Secundo ad frenandā carnis cōcupiscentiā. Tertio ad abstrahendum animū ab affectu terrenarum rerum, vt delitiis corporis carens, propriis, ac spiritualibus oblectetur. Quarto ad humilitatis, patientię, fortitudinis, & similium virtutum exercitationē. Christus ergo Dominus in primis dedit nobis exemplum moderationis, & temperantię, quatenus per se est ad virtutem necessaria, quia cùm hæc sit propter se amanda, & obseruanda, non potuit in Christo non esse perfecta. At verò austeritatis, & seueritatis vitæ non fuit ita necessarium, vt nobis daret exemplum, quia in eo non erat eadem ratio, & necessitas huius austeritatis, quæ in nobis est, sicut in statu innocentię non esset necessaria. Quia quantū pertinet ad animi rectitudinem & perfectum potentiarum omniū ordinem, atq; integram subiectionē partis inferioris ad superiorem, Christus habuit plusquam donū originalis iustitiæ, & impeccabilis fuit, & connaturaliter in omni virtute perfectus, & ideò non indiguit vi tę seueritate, aut pœnitentia propter supra dictos fines; & ideò ex hoc capite nō fuit ita necessarium, vt exemplū summæ austeritatis, vel seueritatis hominibus prę staret. At verò, quia nō solum propter se, sed magna ex parte propter nos plurimū virtutum actus exercuit, & quia erat doctor, & exemplar hominū, id circo nō omnino prętermisit huius austeritatis. opera sed tempore oportuno quędam perfectissima, & eximia illius prębuit exēpla: quę tamen ita cum ordinaria, & communi vitę moderatione coniunxit, vt & pœnitentię, ac seueritatis vtilitatem nobis ostēderet, & suo muneri prędicandi, ac leniter, & familiariter cōuersandi cū hominibus, vt eos ad se traheret, non deesset.

Ex quo prętera intelligi voluit (vt etiam Augustinus, & Diuus Thom. parum antea citati adnotarunt) quanquam austeritas vitę, multum ad perfectionem conferat, & quodam modo necessaria sit, non tamen ab illa sumendam esse regulam perfectionis, ita vt ratio aliqua, seu

Respōsio ad argumē tainoppositum. D. Thom. Rom. 8 Aug.

Austeritas vitæ in statu naturæ lapsę, vtilis, et necessaria quomodo.

Austeritas vitæ nō fuit Christo necessaria.

Aug. D. Thom. Vitę sanctitas, et regula perfectionis non est ex vitæ austeritate pensanda.

seu institutum vitæ religiosę eo perfectius censendum sit, quò maiorem vitæ austeritatem profitetur. Quod præter exemplum Christi,& Aug.& Thom. autoritatem,ratio etiam conuincit,quia hæc austeritas non est necessaria ad perfectionem propter se,sed vt medium ad virtutem cõparandam, præsertim caritatem Dei, & proximi,vt perse constat,& tradit D.Th. 2.2.q.184.ar.3.& Cassian.quem ipse refert collat.1.cap.7.ergo si de hoc medio aliquid remittatur,vel quia caritas Dei, & proximi id postulat,vt accidit Christo,vel quia adhibentur alia media, quæ iudicantur magis necessaria,& oportuniora in alio statu,considerato fine,& actionibus eius, quæ non possunt omnia cum summa illa seueritate coniungi,hominum fragilitate spectata,hæc(inquam)austeritatis diminutio nihil remittet de perfectionis statu, sed ea non obstante tantò poterit esse maior perfectio,quantò & finis vitæ perfectior,& media ad eum obtinendum magis sunt proportionata. Nam vt Paul. inquit 1.ad Timoth.4. *Exercitatio corporalis ad modicum vtilis est,pietas autem ad omnia.* Quem locum,licet Chrysost.& Græci aliter interpretentur, tamen Amb. Anselm.D. Tho. Caietan.& alij intelligunt in eo loqui Paulum de corporis afflictione,& castigatione & non quidem eam reijcere, vt inutilem, sed eam conferre cum pietate, quæ in Dei cultu,& proximorum beneuolentia,& misericordia posita est, & hanc illi præferre, vt meliorem,& vtiliorem. Vnde Anselmus *Corporalis*(inquit)*exercitatio,quę est in ieiunijs,vigilijs,labore manuum,ac multimoda corporis afflictione, parum vtilitatis habet respectu magnæ vtilitatis,quam habet pietas religiosę mẽtis*,& infra,*exerce te ad pietatem, idest, compassionem proximorum, & ad opera misericordiæ.* Quod magis explicans D.Tho.inquit, *Exercitatio ieiunij, & huiusmodi in sua natura non sunt bona,sed penalia, & si homo non peccasset,nihil horũ fuisset,sed sunt bona medicinalia. Sicut enim rhabarbarum est bonum,in quãtũ releuat a cholera,sic & ista,inquantum comprimunt concupiscentias,ergo ad istud modicũ sunt vtilia,* & infra. *Quia tantum ad morbum peccati carnalis,non spiritualis, quia aliquando propter abstinentiam homo in iracundiã,inanem gloriam,& huiusmodi incurrit,præfert ergo abstinentiæ pietatem,& accipitur hic vtroque modo pro cultu Dei,& misericordia.* Quod adhuc amplius exponens Caietan.ait, *secundum genus proprium corporalis exercitatio in ieiunijs abstinentijs,peregrinationibus, cilicijs & huiusmodi ad modicum vtilis est, quia tantũ valet ad domandum corpus proprium, pietas autem ad omnia vtilis est,id est,officia pietatis erga Ecclesię membra,& cultus erga Patrem familias domus,quæ est Ecclesia,sunt vtilia ad omnia tam spiritualia,quam temporalia.* Ad eundem modum intellexit hunc locum D.Bernardus in apologia ad Gullielm. Abbatem vbi postquam prædicto modo Paulum exposuerat,subiungit. *Siccine illa spiritualia persuades,vt etiam hæc,quæ ex regula habemus, corporalia damens? Ne quaquã,sed illa oportet agere, & ista non omittere,alioqui cum aut ista omitti necesse est, aut illa,ista potius omittenda sunt,quam illa. Quanto enim spiritus corpore melior est,tanto spiritualis,quam corporalis exercitatio fructuosior. Tu ergo cum de horum obseruatione elatus,alijs eadem non obseruantibus derogas,non ne te magis transgressorẽ regulę indicas,cuius licet minima quędam teneas, meliora deuitas?* de quibus Paulus, *Aemulamini* ait *charismata meliora. Detrahẽdo quippe fratribus,in quo temetipsum extollis,perdis humilitatem, in quo alios deprimis charitatem,quæ sunt charismata meliora. Tu,si tuum corpus multis, ac nimijs laboribus atteris,ac regularibus asperitatibus mortificas membra tua,quę sunt super terram,benefacis. Sed quid si ille,quem similiter nõ laborantem dijudicas, modicum quidem habeat de hac,quæ ad modicum est vtilis, corporali videlicet exercitatione,amplius autem, quam tu de illa,quę ad omnia valet,id est pietate?* Non potest ergo ex sola vitæ austeritate vitæ perfectio mensurari,sed omnia consideranda sunt præsertim finis,media q; omnia, qua tenus tali fini sunt magis acõmodata,ita vt nõ vnũ tantum,aut alterũ medium perse consideretur,& cũ alio conferatur, sed vniuersa mediorum,& viuendi ratio. Nam interdũ,quod de corporali austeritate remittitur, aliis laboribus compensatur, & præsertim omnium spiritualium affectuũ diligenti,ac continua moderatione,& omniũ humanarum dignitatum,& honorũ abdicatione,ac deniq; integra voluntatis renuntiatione,quæ ad perfectionem obtinẽdam maximè confert. Nam vt eleganter dixit Ioannes.22.in extrauaganti *Quorundam* de verborum significatione, *Magna quidem paupertas, sed integritas maius bonum est, sed obedientia maximum, si custodiatur illæsa.* Nã

Caietanus. Bernardus. Ioann.22. Pap.

D.Tho. Cassian. 1.Timot 4 Chrysost. Ambros. Anselmus. D.Thom. Caietanus. Perfectio status religiosi, maior, minor vnde sumendus. Anselmus. D.Thom.

prima

prima rebus, secunda carni, tertia vero menti donatur, & animo. Vnde fit, cûm corporis castigatio ad castitatem per se, & vi sua referatur non posse inter maxima bona ad perfectionem conducentia annumerari: sed medium locũ tenere. Ac propterea Christus dominus prima, ac præcipua exempla vitæ suæ in virtute obedientiæ constituit: deinde in operibus pietatis, & hominum conuersione, & ijs omnibus adiunxit aliquam vitæ seueritatem, docens hanc etiã esse necessariam, sed in ea mẽsura, quę suo muneri expediret.

Vnde ad secundam rationem in principio positam respondetur, Christum munus redemptoris cum munere doctoris coniunxisse, & vtrique omni ex parte satisfecisse, & ideo assumpsisse omnes dolores, & afflictiones corporis, quę secundum perfectam æqualitatem, & proportionem ad satisfaciendum pro nobis, satis, superque essent, eam autem vitæ seueritatem, quę ad perficiendum prędicatoris munus accommodata nõ erat, omisisse. Addere præterea possumus austeritatem vitę, & castigationem corporis non consistere solũ ijs in rebus, quæ manifeste, & in hominũ cõspectu fiunt. Multa enim occultè, ac secretô fieri solent, quibus corpus castigatur, & affligitur, vt secreta verberatio cilitium, humique cubatio, & alia id genus, quis autẽ scire potest, Vtrum Christus dominus sæpe his modis carnem suam occulte afflixerit, vt magis ac magis pro nostris sceleribus satisfaceret. Ego quidem non dubito, quin sæpe cum in oratione Dei dies, noctesque consumeret, peccata nostra defleret, pro eisque contristaretur. Quia caritas Dei, & hominum illum vrgebat. An vero alijs modis supradictis vsus fuerit ad affligendum carnem suam, & satisfaciendum pro nobis, quia neque scriptum inuenio, neq; admodum necessarium apparet, affirmare non audeo, quanquã neque indecẽs neque incredibile mihi esse videatur.

Corpus suũ quomodo Christus afflixerit.

Ad tertiũ, & simul ad exemplum de Ioãne Baptista respondetur cum Chry. hom. 38. in Matth. Vbi de hoc argumento multa eleganter disputat, & primum inquit. *Ioãnes præter vitæ sanctimoniam nihil aliud magni ostendit, quia nullum fecit signum, Christus vero signorum atque miraculorum testimonio claruit, & ideo aliam viuendi viam Ioanni dimittens, ipse publicanorum, atque peccatorum mensas elegit, vt publicanos atque peccatores saluaret.* Secundo ait Ioannem, & Christum venatorum more diuersis, & quasi contrarijs vijs incessisse, vt homines caperent. *Nam quoniam vniuersum pene genus humanum maxime ieiunantes solet admirari, & duritiam viuendi nimium approbare, ideo a teneris vnguiculis dispensatione diuina duriter vixit Ioãnes, vt ad credendum verbis suis populi ducerentur, Christus vero licet hanc viam ipse confecerit, cũ quadraginta diebus ieiunauit, & cum circumijt, ita docens, vt non haberet, vbi caput reclinaret sed tamen etiam alteram præparauit, vt facilius omnes lucrifaceret, & vt Iudæi nullam haberent excusationem, si seueritas Ioannis tristis, & grauis videbatur, cur Iesum edentem, & bibentem repulerint.* Vnde concludit eadem fuisse vtriusque studia, & si specie tenus contraria videantur. Nam á summa concordia diuersas iniere vias. quæ tamen ad vnum exitum omnino perducerent. Hæc in sententia, & ferè ad verbum Chry. quæ valde notanda sunt ijs, qui diuersa studia virtutis, ac religionis profitentur, vt intelligant ad eundem terminum tendere omnia, & quãuis in exteriori cultu diuersa, & quasi contraria sint, re tamen vera summam inter se habere, & posse, & debere concordiam.

Chrysost. Christus, & Ioannes in eligendo vitæ statu cur tam diuersi.

Ex ijs verô, quę in hac sectione disputauimus, facile expediri potest breuis quædam dubitatio huic sane loco non importuna. Vtrum scilicet Christus dominus nudis pedibus incesserit. Nõnulli enim ita existimarunt Bonauent. opus. seu episto. hac de re, quę habetur tom. 1. opusc. Lyranus Ioan. 1. & Replicator Mar. 1. Abu. q. 68. in 3. c. Matt. & q. 49. in 20. c. Exo: & videtur esse sentẽtia. Hier. epi. 22. ad Eustochiũ de custodia virginitatis, vbi sic habet *Moyses, & Iesus Naue nudis in sanctam terram pedibus iubentur incedere, & discipuli sine calceamentorum onere, & vinculis pellium ad prædicationem noui euangelij destinantur, & milites vestimentis Iesu sorte diuisis, caligas non habuere, quas tollerent, nec enim habere poterat dominus quod prohibuerat seruis* Quibus verbis etiam fundamenta huius sententiæ indicat. Primum est, quód Christus mittens discipulos ad prędicandum consuluit, vel iussit, ne calceamenta portarent Luc. 9. & Matt. 10. Quod interpretans Chrysost. homi. 9. super epist. ad Philip. ad literam intelligit fuisse præceptum, quod Christus eo tempore discipulis suis imposuit, quanquam

Dubium. *Bonau.* *Lyra.* *Replicat.* *Abulen.* *Hieron.* *Luc. 9.* *Mat 10.* *Chry.*

illud postea in nocte cœnæ reuocauerit, quãdo dixit Apostolis. *Quando misi vos sine sacculo & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? sed nunc qui habet sacculum,* Luc.22. *tollat similiter & peram,* Luc.22. quod eodem modo intelligit Aug. Aug.22.cont.Faust.c.67. Secundũ, quia quando Christus est crucifixus, nudatus est vestibus, non calceis. Tertium addi potest, quia Magdalena lauit pedes Iesu in domo Pharisæi Luc.7. quod non potuisset cõmode fieri, nisi Christus nudis pedibus esset. Luc.7.

Cæterum contraria sententia probabilior est, quam amplectũtur Burgẽsis Mar.1.ad dition.1.Caiet.Luc.3.Iansenius in concordia cap.55.& Franciscus Toletus Ioan.1. annot.65.& est sententia D.Augu.ser.42. de sanctis, vbi metaphoricè exponẽs illud verbum Christi, *Neque calceamenta* de mortuis operibus, subdit, *Nam de ijs calceamẽtis quibus calceati ambulamus, cõsolatur me idẽ dominus meus. Si enim ipse calceatus non esset, non de illo Ioannes diceret, Non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum.* Quibus verbis num fundamentum huius sententiæ indicat sumptum ex dictis verbis Ioannis, quæ videtur supponere Christũ vsum fuisse calceis, quanquam hæc verba multi existimant dicta fuisse permodum prouerbij, quo voluit Ioannes dicere se esse indignũ, vt vel in ministerio vilissimo Christo famularetur. Quæ quidẽ interpretatio probabilis est, sed non satisfacit, quia licet verum sit Ioannẽ, id significare voluisse, probabilius tamen est vsum fuisse verbis, & modo dicẽdi, quę in omni veritate, & proprietate Christo possent adaptari. Deinde si id erat prouerbium illius gẽtis, signũ est omnibus commune, ac vulgare fuisse vti calceis, ergo verisimilius est Christum etiã illis fuisse vsum. Dici præterea potest verbis Ioannis, tũc Christũ incessisse calceatũ quod nemo certè negare potest, quia illo tempore neque muneri, neq; modo viuẽdi Christi aliud expediebat, credi tamen posse, postquã prędicare incepit, calceos abiecisse. Contra hoc tamen est potissima coniectura huius opinionis, quia ostensũ est, Christum etiam tempore prædicationis suæ vsum fuisse communi modo viuendi in victu, & vestitu, ergo etiã in calceorum vsu reliquis similis fuit. Paret consequentia, quia est eadem ratio, vel forrasse maior. Quia nudis pedibus ambulare magna pars est austeritatis vitæ, & præsertim in terra aspera, & calidiori, qualis est Iudæa, per quam assidue discurrebat, & peregrinabatur. Et confirmatur, nam prophetę non incedebant nudis pedibus, vt colligi potest ex Isai.20. vbi ad commouendum populum, & aliquod supplicium indicandum dixit Deus ad Isaiam, *vade, & tolle calceamenta tua de pedibus tuis*, ergo cũ hoc non fuerit moris apud Iudæos, & Christus studuerit se se in exterioribus communi modo accõmodare, non est credibile in hoc solo fuisse singularem, præsertim cum euangelistæ nullam huius rigoris mentionem faciãt, quæ nõ videretur omittẽda, cõ quòd esset inusitata, notatuq; dignissima. Isai.20.

Neque obstant alterius sententię fundamenta. Ad.1. enim (vt omittamus metaphoricas expositiones. Augu. supra dicto serm. & lib.2.de consensu euangel.cap.30. quas etiam attigit Hieron. Epist.24.) dicendum est, siue illud fuerit consilium, siue præceptum, siue temporale, siue perpetuum, non fuisse sensum verborum Christi instruere discipulos, vt nudis omnino pedibus incederent, sed vel, vt secum non ferrent duplicia calceamenta, & mutatoria, sicut supra explicuimus prohibuisse duas tunicas, & ita exponunt Burgens. & Caiet. Matth.10. in idem fere incidit, quod alij dicunt solum esse illo modo dicẽdi prohibitam nimiam curam, & solicitudinem earum rerum, quæ corporis cõmoditati inseruiũt. Sicut cùm ibidem dicitur *Neminem salutaueritis in via*, nõ significatur id, q̃ litera præ se ferre videtur, sed illo modo dicendi significata est diligentia, & solicitudo, quam in suo exercendo munere prædicatores euangelici adhibere debent. Vel certè melius intelligitur, Christum dixisse discipulis, vt sine calceis illud iter agerent, tum quia (si proprietas literæ retineri potest) non est cur ad alios sensus diuertamus. Tum etiam, quia Luc.22. iterum dixit illis, *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis.* At verò licet eos miserit sine calceis, non inde fit, vt nudis pedibus ambulauerint, sed (vt Marcus ca.6. expresse dicit) *calceati sandalijs*, quę hoc differunt à calceis, quod non cooperiunt totum pedem. Sed superiorem partem relinquunt apertam, Quod significat Aug. li.2.de consensu euang.cap.30. Responsio ad argumẽta in oppositum. Aug. Hieron. Burgenſis. Caietanus. Luc.22. Marc.6. Aug.

Quòd si quæras, cur Christo curæ fuerit

vt

Responsio christus calceatus incessit. Burgen. Caietan. Iansen. Frã.Tole. Aug.

Discipuli Christi calceati sandalijs cur incedere iussi.

vt discipuli potius sandalijs calceati incederent, quam calceis? Aug. varias rationes affert allegoricas, & inter alias hęc reddi potest, Christum significare voluisse solũ necessaria ferenda esse, sandalia autem cũ plãtã pedis muniant, humanæ necessitati præcise subueniũt, quòd autẽ superior pedis pars tecta sit, potius cõmoditatis cuiusdã, quam necessitatis esse videtur. Sed fortasse literalis ratio est, quia Iudææ incolę præsertim pauperes sandaliis frequentius vtẽtur: ad iter verò agendũ sandalia cum calceis cõmutarent. Voluit autẽ Christus discipulos suos etiam in via vti sandaliis, vt significaret nullo ipsis apparatu, vel sumptu opus esse, neque aliter in via, quã in vrbe, cũ se comitarentur, instructos ire oportere. Ita respõdet Ianſenius: Sed quia hæc tantum est coniectura, potuit etiã ẽ contrario accidere, vt iter agentes sandaliis vterẽtur propter maiorẽ facilitatem, & agilitatẽ, sicut nostrates homines, vulgares nimirũ, ac plebei, in itinere quidem sculponeis: in oppidis autẽ, & vrbibus calceis vti cernimus. Voluit ergo Christus, vt nullum aliud calceamentũ prẽter id, quo in itinere vsuri essent, secum adferrent, & hoc modo hæc responsio incidit in expositionem Caietani, eamque magis explicat.

Ianſen.

Ex hac verò doctrina, colligunt multi Christum rẽpore prædicationis vsum fuisse sandaliis, & non calceis. Ita sentiunt Ianſenius, & Toletus supra. Tum propter hoc consilium, quod Apostolis dedit, & eorum vsum, quẽ Marcus refert. Tum ex illo facto Magdalenę. Nam si Christi pedes non erant superius cooperti, facile poterant à Magdalena lacrymis irrigari. Prẽterea quia Apostoli post Christi Ascensionẽ dicũtur vsi fuisse sandaliis. Quod iuxta lectionem Græcã colligi potest ex actor. 12. vbi dixit Angelus Petro, *calcea te caligas tuas* Græce enim legimus *sandalia*. vbi Chryso. & alij Græci ita exponunt, & glossa ordinaria. Vnde fertur Romæ seruari quoddam Petri sandalium, & aliud B. Andreæ fertur esse in Hispania in ciuitate Ouetensi, & ita de Apostolis opinantur Abule. Mat. 10. q. 60. & 83 & Diony. Carthusianus ibidem. Et eundẽ fuisse vsũ priscorũ Christianorũ cõlligi potest ex Tert. li. de pallio cap 5 & clarius ex Clemen. Alexan. lib. 2. pedagogi ca 11: ergo verisimile est, Christum illis etiã fuisse vsum. Quę coniecturæ probant qui

Ianſen. Toletus. Marc. 6. Luc. 7. Chryſ. Glo. Ordi. Abulen. Cartuſ.

Tertul. Cle. Alex.

A dem fieri potuisse, vt Christus interdũ sandalijs vteretur, præsertim si illorum vsus erat in more Iudęorum, quod verò nunquam vsus fuerit calceis, non satis probãt. Nam si illi quoq; erant in vsu, cur non etiam fieri potuit, vt illis interdũ vteretur: cum communi vsui se accommodauerit, sicut diximus. Nihil ergo de hoc affirmari certo potest.

Ad secundam ergo coniecturã Hieronymi respondetur, vel milites crucifigentes Christũ cõtempsisse calceos, vel sandalia, quod nullius essent valoris, vel certè nomine vestimentorũ comprehendi potuisse, ita enim vulgari more loquimur.

Ad 3. de Magdalena iam respõsum est, si verum est Christum vsum fuisse sandaliis.

B Alij verò respondent morem fuisse veteribus, (quoniam in stragulis accumbebãt in conuiuijs) discalciari vt discũberent, ne forte calceorũ sordibus pretiosa lectorũ stragula inquinarentur. De quo multa cõgerit Dion. Lambinus in Scolijs Oratij satyra vltima li. 2. & Gulielmus Philander super Vitruuium li. 6. c. 5. Et fortasse hac de causa dictũ est Iudæis Exod. 12. vt mãducaturi agnum calceamenta haberẽt in pedibus, quia nimirum in conuiuijs sine calceis accumbere solerent, sed de hac re hactenus.

Accubitus veterum in mẽsis quatis.

Dion. Lã.

Gul. Phil. Exod. 12.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Christus in hac vita secundum legem conuersatus fuerit.

C AD quartum sic proceditur. *Videtur, quòd Christus nõ fuerit conuersatus secundum legẽ.*

Lex enim præcipiebat vt nihil operis in sabbatho fieret: sicut Deus die septimo requieuit ab omni opere, quod patrarat Sed ipse in sabbatho curauit hominẽ, & ei mandauit, vt tolleret lectum suum, ergo videtur, quòd non fuerit secundum legem conuersatus. ¶ 2. *Præterea. Eadem Christus fecit, & docuit, secundum illud Act. primo. Cœpit Iesus facere, & docere. Sed ipse Matth. 15. docuit, quòd omne quod intrat in os, non coinquinat hominem, quod est contra præceptum legis, quæ per esum, & contactum*

tum quorundam animalium dicebat hominem immundum fieri, vt patet Leuit. 11. Ergo videtur, quòd ipse non fuerit secundum legem conuersatus. ¶ 3. Præterea, idem iudicium videtur esse facientis, & consentientis: secundũ illud Rom. 1. Non solùm illi qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus. Sed Christus consensit discipulis suis soluentibus legẽ, in hoc quod sabbatho spicas vellebãt, excusando eos: vt habetur Matt. 12. Ergo videtur quòd Christus non conuersatus fuerit secũdũ legẽ. ¶ Sed contra est, qd dicitur Mat. 5. Nolite putare quoniã veni soluere lẽgẽ, aut prophetas. Quod exponẽs Chrys. dicit. Legẽ impleuit, primo quidẽ nihil transgrediendo legalium, secundò iustificando per fidem, quod lex per literam facere non valebat.

Hom. 16 in Matt. 4. p. a pri. illius to. 2.

¶ Respondeo dicẽdum, quòd Christus in omnibus secundum legis præcepta cõuersatus est. In cuius signum etiam voluit circuncidi: circũcisio enim est quædam protestatio legis implendæ: secundum illud Gal. 5. Testificor omni homini circuncidenti se, quoniã debitor est vniuersæ legis faciendæ. Voluit autẽ Christus secundum legem conuersari: primò quidem, vt legem veterem approbaret. Secundò, vt eam obseruando, in seipso consummaret, & terminaret, ostendens, quòd ad ipsum erat ordinata. Tertio, vt Iudæis occasionem calumniandi subtraheret. Quarto, vt homines à seruitute legis liberaret: secundum illud Gal. 4. Misit Deus Filium suum factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant redimeret.

Ad primum ergo dicendum quod Dominus super hoc se excusat à transgressione legis tripliciter. Vno quidem modo, quia per præceptum de sanctificatione sabbathi, nõ interdicitur opus diuinum, sed opus humanum: quanuis enim Deus die septimo cessauerit à nouis creaturis condendis, semper tamen operatur in rerum conseruatione, & gubernatione. Quod autem Christus miracula faciebat erat operis diuini. Vnde ipse dicit Ioã. 5. Pater meus vsq; modo operatur, & ego operor. Secundo excusat se per hoc, quòd illo præcepto non prohibentur opera, quæ sunt de necessitate salutis etiã corporalis. Vnde ipse dicit. Luc. 13. Vnusquisque vestrum sabbatho nõ soluit bouem suum, aut asinũ à præsepio, & ducit ad aquare? Et infrà. 14. Cuius vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, & nõ continuo extrahet illũ die sabbati? Manifestũ est autẽ, quod opera miraculorum, quæ Christus faciebat, ad salutem corporis, & animæ pertinebant. Tertio, quia illo præcepto nõ prohibentur opera, quæ pertinẽt ad Dei cultũ. Vnde dicitur Matth. 12. An non legistis in lege, quia sabbathis sacerdotes in tẽplo sabbathũ violant, & sine crimine sunt? & Ioann. 7. dicitur, quod circũcisionem accipit homo in sabbatho. Quod autẽ Christus paralytico mãdauit, vt lectum suũ sabbatho portaret, ad cultum Dei pertinebat, id est ad laudem virtutis diuinæ. Et sic patet, quod sabbathũ non soluebat, quanuis hoc ei Iudæi falsò obijcerent, dicentes Ioann. 9. Non est hic homo à Deo, qui sabbathũ non custodit. ¶ Ad secundum dicendũ, quod Christus voluit ostendere per illa verba, quod homo nõ redditur immundus secundũ animã ex vsu ciborũ quorũcunq; secundum suã naturã. Sed solũ secundũ quandam significationẽ: quod autẽ in lege quidã cibi dicũtur immũdi, hoc est per quãdã significationẽ. Vnde Aug. dicit cõtra Faustũ: Si de porco, & agno requiratur, vtrũ naturaliter mũdus est, dicimus, quia omnis creatura Dei bona est, quadã verò significatione agnus mũdus, porcus immũdus est. ¶ Ad tertiũ dicendũ, quod etiã discipuli quãdo esurientes, spicas sabbatho vellebant, à transgressione legis excusãtur, propter necessitatem famis. Sicut & Dauid non fuit transgressor legis, quando propter famis necessitatem comedit sanctos

li. 6. c. 7 nõ lõge aprin. to 6.

sanctos panes, quos ei edere non licebat.

Hic articulus diligenter expositus est superiori tomo dispu. 43. sect 2. dum quæreretur. Vtrum Christus subiectus fuerit alicui legi. Quapropter earundem rerũ inutili repetitione lectori molesti non erimus, Quod in sequẽtibus sæpe obseruabimus.

QVAESTIO. XLI.

De tentatione Christi, in quatuor articulos diuisa.

De qua doctores super Matthæum. ca. 4.

DEinde considerandum est de tentatione Christi.

Et circa hoc quæruntur quatuor.

¶ Primo, vtrum fuerit cõueniens Christũ tentari. ¶ Secundo, de loco tentationis ¶ Tertio, de tempore. ¶ Quarto, de modo, & ordine tentationis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum conueniens fuerit Christum tentari.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod Christo tentari non conueniebat. 216 Opu. 60. c 11. prin. *Tentare enim est experimentũ sumere, quod quidem non fit nisi de re ignota. Sed virtus Christi erat nota etiam dæmonibus: dicitur enim Luc. 4. quòd non sinebat dæmones loqui, quia sciebant eum esse Christum. Ergo videtur, quòd non decuerit Christum tentari. ¶ 2. Præterea, Christus ad hoc venerat, vt opera diaboli dissolueret: secundum illud Ioannis: 3. In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli. Sed non est eiusdem dissoluere opera alicuius, & ea pati. Et ita videtur inconueniens fuisse, quòd Christus pateretur se tentari à diabolo. ¶ 3. Præterea, Triplex est tentatio, scilicet à carne, à mundo, & à diabolo. Sed Christus non fuit tentatus nec à carne, nec à mundo. Ergo nec etiã debuit tentari a diabolo. ¶ Sed contra est, quod dicitur Mat. 4. Ductus est Iesus à*

A *Spiritu in desertũ, vt tẽtaretur a diabolo.*

¶ Respondeo dicendum, quod Christus tentari voluit. Primo quidem, vt nobis cõtra tentationes auxilium ferret. Vnde Greg. dicit in hom. Non erat indignum Redẽptori nostro, quòd tẽtari voluit, qui venerat occidi: Iustum quippe erat, vt sic tẽtationes nostras suis tentationibus vinceret, sicut mortẽ nostrã venerat sua morte superare. Hom. 16 in Euã. nõ lõge a princ. *Secundò, propter nostrã cautelã, vt nullus quãtũcunq; sanctus se æstimet securũ, & immunẽ a tentatione. Vnde, et post baptismũ tẽtari voluit: quia sicut Hilarius dicit super Mat. in sanctificatis nobis maximè diaboli tentamenta grassantur: quia victoria magis est ei exoptata de sanctis. Vnde, & Eccles. 2. dicitur, Fili, accedens ad seruitutẽ Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Cano. 3. in Matth. non lõge apri. B *¶ Tertiò, propter exemplum, vt scilicet nos instrueret qualiter diaboli tentationes vincamus. Vnde Aug. dicit in quarto de Tri. quod Christus diabolo se tentandũ præbuit: vt ad superandas tentationes eius mediator esset, non solùm per adiutoriũ, verùm etiam per exemplum.* li. 4 c 13 a liquãtulũ a prin. to 3. *¶ Quartò, vt nobis fiduciã de sua misericordia largiretur. Vnde dicitur Heb. 4. Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absq; peccato.*

¶ Ad primum ergo dicendũ, quòd sicut Aug. dicit in 9. de ciui. Dei. Christus tã tũ innotuit dæmonibus, quantũ voluit: li. 9. c. 21. apri to: 5. C *non per id, quod est vita æterna, sed per quædã tẽporalia suæ virtutis effecta: ex quibus quandam coniecturam habebant Christum esse filiũ Dei. Sed quia rursus in eo quædam signa humanæ infirmitatis videbant, non pro certo cognoscebant eũ esse filium Dei, & ideo eum tentare voluit. Et hoc significatur Matth. 4. vbi dicitur, quòd postquàm esuriit, accessit tentator ad eum: quia vt Hilar. dicit. Tentare Christum diabolus non fuisset ausus,*

Canone .3. in Mat.nõ remote a principio.

sus, nisi in eo per esuritionis infirmitatẽ quæ sunt hominis, recognosceret. Et hoc etiam patet ex ipso modo tentandi, cum dixit. Si filius Dei es. Quod exponens Ambr. dicit, Quid sibi vult talis sermonis exordius, nisi quia cognouerat Dei filium esse venturũ, sed venisse per hanc infirmitatem corporis non putabat?

Amb.l.4 in Luc.ca. 14.inord. in titul. de 3.tentatiõe Christi tomo.2.

¶ Ad secundum dicendũ, quòd Christus venerat dissoluere opera diaboli, non potestatiuè agendo, sed magis ab eo & eius mẽbris patiendo, vt sic diabolũ vinceret iustitia, non potestate, sicut August. dicit. 13. de Trinita. quòd diabolus non potentia Dei, sed iustitia superãdus fuit Et ideò circa tentationem Christi considerandum est, quid propria voluntate fecit, & quid à diabolo passus fuit. Quòd enim tentatori se offerret, fuit propriæ volũtatis. Vnde dicitur Matth. 4. Ductus est Iesus in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo. Quod Gregr. intelligendum dicit de Spiritu sancto: vt scilicet illuc eum Spiritus suus duceret, vbi eum ad tentandum spiritus malignus inueniret. Sed à diabolo passus est, vt assumeretur, vel supra pinnaculum templi, vel etiam in montem excelsum valde. Nec est mirũ (vt Gregorius dicit) si se ab illo permisit in montem duci, qui se pertulit etiam à membris ipsius crucifigi Intelligitur autem à diabolo assumptus nõ quasi ex necessitate: sed quia (vt Origen. dicit super Lucam) sequebatur eum ad tentationem, quasi athleta sponte procedẽs.

lib.13.c.15 in princip. tom.3.

hom.16. in Euange nõ lõge a principio.

Hom. 16. euan non longe a principio.

hom.31. in Lucam, in p.inc.to.3.

¶ Ad tertium dicendum, quòd sicut Apostolus dicit, Christus in omnibus tentari voluit absque peccato. Tentatio autem, quæ est ab hoste, potest esse sine peccato: quia fit per solam exteriorem suggestionem. Tentatio autem, quæ est à carne, non potest esse sine peccato: quia huiusmodi tentatio fit per delectationẽ, & concupiscentiã. Et sicut Aug. dicit nonnullum peccatum est quãdo caro concupiscit aduersus spiritũ. Et ideo Christus tẽtari voluit ab hoste, sed nõ à carne.

COMMENTARIVS.

RAtiones D. Thom. optimæ, & perspicuę sunt, atq; ex sanctis Patribus desumptæ quos ipse refert, quibus addi potest Cyprianus serm. de ieiunio, & tentat. Christi, vbi inter alia, inquit. *Voluit sapientia Dei erudiendos informare exemplo, & contra tentamenta proponere documenta, vt videret, & sentiret humana ratio, quam insuperabilis sit, victrixque peccati, si libertas arbitrij libero moderamine dirigatur.* Addit Chrys. hom. 13. in Matth. ideo post baptismum tẽtarũ fuisse, *vt vnusquisque baptizatorũ, si post baptisma maioribus tẽtationibus vrgeatur, nõ turbetur quasi insperatũ sibi aliquid obuiauerit.* In hom. verò. 5. imperfecti dicit ideo tentatũ esse Christum, post quam testimonio Patris declaratus est filius Dei, vt significare nobis, quando abrenuntiamus Diabolo, & filij Dei per baptismum efficimur, tunc totis nos, & viribus, & impetu agitari à dæmone, quasi à se alienos, & iam Christi milites designatos. Significatum etiam est inquit Tertullian. lib. de bap. cap. vlt. nemi- Tertul. nem intentatum regnum Dei consequuturum, simul vero declaratum est, ait idem Tertul. de orat. c. 8. quis sit artifex, & præses tentationum omnium, dataque nobis est virtus ad eum superandum, vt docuit Damas. lib. 3. cap. 20. & in idem redit, quod Damas. ait Athan. lib. de passione, & cruce Domini non longe à fine, tentatoris vires esse cõfractas, ita vt à sectatoribus Christi conculcari, & ludibrio haberi possit. Quod rectè expositi Aug. lib. 3. de mirabil. sacræ scripturę cap. 6. dicens, *Cum inimicus damnatur, & vincitur, humano generi libertas, & redẽptio præparatur. In hoc namque conflictu, dũ Satanas supra autorem se eleuare voluit, homo, qui sub eo illuc vsque fuerat, per Domini victoris auxilium vltra ipsum exercuit, & dum contra se fortiorem pugnare nititur, interim ille, qui erat infirmior, aduersus eum roboratur.* Ac deniq; eleganter Ambros. lib. 4. in Luc. *ductus est, vt diabolum prouocaret, nam nisi ille certasset, non mihi iste vicisset.* Mysterio, *vt illum Adã de exilio liberaret* Exemplo, *vt ostenderet nobis diabolum ad meliora tendentibus inuidere, & tũc magis esse cauendum, ne mysterij gratiam deserat mentis infirmitas.*

libr. 19. de ciuita. De c. 4. a me. dio. tom. 5

Tentaretur Cristus debuit.

Cypria.

Chrysost.

Tertul.

Damas. Athan.

Aug.

Ambr.

Sed est hoc loco obseruandũ, (vt simul solutionem ad. 1. D. Th. explicemus) alias esse

esse causas, ob quas Christus se tẽtari permisit, quas citati Patres explicarunt, alias vero, ob quas Dæmon Christũ tentare ausus est. Alios enim homines potissimum tentat Dæmon, vt ad peccandum inducat. Christum verò nec solum, nec præcipuè eã ob causam aggressus est, sed potissimũ, vt exploraret, vtrum verè filius Dei esset. Variis enim modis & suspicatus fuerat, & audierat (inquit Chry. dicta hom. 5. imperfecti) Christum esse filiũ Dei, & saluatorẽ mũdi, ab Angelis in die natiuitatis, à Ioanne, & à Patre in baptismo, aliunde verò signa, & infirmitates veri, ac passibilis corporis in eo conspiciebat, & ideò accessit exploraturus, an esset verè filius Dei. Quod satis indicauit prima interrogatione, *si filius Dei es*, quod omnes expositores intelligunt de filio Dei vero, ac naturali. Nam quòd Christus esset filius Dei per gratiã, id est, bonus, ac sanctus, dubitare non poterat, cũ peccatũ nullum, opera autem virtutis innumera in eo conspexisset. Quinetiã declarauit hoc in eo signo, quod ab eo postulauit, *Dic, vt lapides isti panes fiant.* Nã à puro homine, licet sancto nõ erat, cur huiusmodi signum exigeret, quia certus erat opus illud nec potuisse fieri humana virtute, imo neq; angelica, neq; ignorabat, homini iusto ex eo, quòd sit filius Dei adoptiuus, nõ statim dari virtutẽ ad similia opera faciẽda: de filio autẽ Dei naturali nõ dubitabat, quin tale miraculum edere posset. Voluit ergo explorare, an esset filius Dei naturalis: & ita exponunt Chrys. Cyprianus, & reliqui Patres supra citati.

Dæmõ Christũ cur tẽtauit.

Chryso. Cypri.

Ex quo intelligimus primo, Dæmonem vsque ad illud tempus nondum agnouisse, Christũ esse verũ Deũ, an verò illum postea cognorit, infra disputabimus. Hoc verò facile credi potest: tum ex hac ipsa tẽtatione, nam si persuasus esset, Christũ esse verum Deum, ac naturalẽ, illũ aggredi ausus non esset. Tum etiam quia vsque ad id tempus nondum Christus fecerat miracula in suæ diuinitatis testimoniũ, & quãuis multa mirabilia in eius cõceptione, & natiuitate cõtigerãt, nõnulla creduntur fuisse Dæmoni occultata virtute diuina, vt conceptio ex Virgine sine viro, & fortasse alia similia. Præterea cùm potuerit Deus illa omnia efficere in puro homine, dubitare potuit Dæmõ, factũ ne ita fuisset. Quã do verò audiebat, Christum vocari filium Dei, etiam potuit decipi, & existimare, solum propter singularem sanctitatem, & beneuolentiam Dei erga illum ita appellari.

Quocirca potius potest aliquis inquirere, quomodo potuerit Dæmõ dubitare, an Christus esset filius Dei naturalis, cùm nõ dubitaret eum esse verũ hominẽ, & de mysterio vnionis hypostaticæ nihil posset suspicari. Respõdetur (vt omittamus quæstionem illã an ex carentia subsistentiæ potuerit in hanc suspicionem venire, de qua in priori tomo satis dictum est) cum Amb. li. 4. in Lucam, & D. Th. hic, cognouisse Dæmonem Dei filiũ esse venturũ, quod intelligere potuit, vel per illã reuelationẽ, quã de Dei incarnatione habuit, statim ac creatus fuit, cuius occasione, & inuidia peccauit, per quam licet nec tempus, nec modũ nec causam humanæ redemptionis agnouit habuit tamen notitiam aliquam hypostaticæ vnionis, quam non solum possibilem, sed & futuram esse credidit, & ideó perspectis indicijs, quæ in Christo iam viderat, merito in suspicionem diuinitatis eius venire potuit. Vel certe cognoscere potuit Deum esse vẽturum per scripturas, & oracula prophetarũ, quibus satis aperte prædictũ erat Messiã vẽturũ, & futurum esse verũ Deũ, & hominẽ, vt in principio prioris tomi probatũ est. Eas ergo cũ intelligeret Dæmõ, dubitare potuit, an IESVS esset Messias, & consequenter an esset verus Deus. Dices, si ex scripturis cognitionem accepisset, non esset verum quod statim addunt Amb. & D. Th. *Sed venire per hanc infirmitatem corporis non putabat.* Quia ijsdem scripturis satis manifestum erat, Messiam quidem (quanuis verus Deus futurus esset) venturum tamen mortalem, atque passibilem, ergo Dæmon eo, quòd videret Christum passibilem, non dubitaret an esset verus Deus, vt dicti Patres dicunt sed potius coniungendo signa infirmitatis cum signis maiestatis adduci profecto posset, vt cum Messiam, ac verum Deum esse crederet. Respondetur hoc argumento concludi dæmonem non satis intellexisse scripturas omnes: neque omnia illarum mysteria inter se contulisse, vt Christum agnosceret. Quia quanuis Dæmon magna vi naturali ad intelligendum polleat: tamen scripturæ altiori,

Dubium.

Responsio

Amb. D. Thom.

De Christi diuinitate dubitare dæmõ quomodo potuit.

Obiect.

Responsio

quo sunt cõditæ Spiritu intelligẽdæ sunt, præsertim prophetice prędictiones, quę ante quã omnino cõpleãtur, obscurissimæ sunt. Accedit, quòd Dęmon prauo superbiæ, & inuidiæ affectu impediri multũ poterat, nec syncerum scripturæ sẽsum percalleret, sed de hac re iterum postea redibit sermo.

Secũdo, ex dictis intelligitur hanc tentationem à Dæmone fuisse instructam, & ad explorandum, & ad inducendum ad malũ. Quod eleganter dixit supra Ambrosius. *artificem Diaboli discę versutiam, sic tentat vt exploret, sic explorat, vt tentet.* Vsus enim est Ambrosius verbo *tẽtandi* in ea significatione magis vulgari, qua in malam partem accipitur, idemque est, quod ad malum inducere, quamuis primaria significatione idẽ tentare sit, quod rem incognitam explorare, vt D. Thom etiam notauit. 1. p. q. 114. ar. 2. Vnde in scriptura sacra tentatio vtro q; modo sumitur, vt vulgare est. Ex ijs denique fortasse ortum est, quod Augu. existimauit lib 9. de ciuitat. cap. 21 Diabolum, qui ad tentandum Christum accesit, fuisse principem Dæmonum, eò quòd ad rẽ grauissimam explorandam venerat.

Ambr. tẽtare quid sit.

D. Thom.

Aug.

In solutione ad secundum responsio in forma notãda est, argumentum enim erat. *Christus apparuit, vt dissoluat opera Diaboli*; atqui tentatio est opus Diaboli, ergo nõde buit illi subijci, sed eã impedire potius, ac dissoluere. Dicendum verò est, tentationẽ posse dici opus Diaboli actiuè (vt sic dicam) id est, vt ab illo progreditur, non tamẽ passiuè, vt in homine recipitur. Quia tentari, & pati non est malum, si homo tentationibus resistat, si verò consentiat, malũ id est, atque peccatum, quod licet per se, ac proximè sit opus hominis, etiam est opus Diaboli, vt consulentis, & inducẽtis. Christus ergo pręcipuè venit ad dissoluendum illud opus Diaboli, quod est peccatum, nõ tamen ad tentationes ita dissoluendas, vt omnino non sint, sed vt â nobis vinci possint, & ideó nõ fuit cõtrariũ fini eius vt se tẽtari permiserit, sed potius valde cõsentaneum, vt victoriã nobis cõtra tẽtationes Dæmonum reportaret, non solum magnitudine potentiæ, sed etiam merito iustitiæ, vt rectè D. Thomas. declarauit in hac solutione ad secundum.

Tentari quomodo non sit malum.

Solutio ad tertium existimari solet difficilis, quoniam in ea D. Thom. ait Christum non potuisse tentari per delectationem, & concupiscentiam carnis, quia hæc non potest esse sine peccato. Quod non videtur verum, quia hęc concupiscentia sæpe est omnino naturalis, & pręueniens omnem vsum rationis, & libertatis. Sed hęc difficultas expedita fuit in superioti tomo dispur. 34. sect 2. vbi diximus in nobis posse esse huiusmodi motus sine vlla culpa, etiã veniali, vt aperte probat ratio facta, & tradit Con. Triden. sess. 6. Quæ res tam clara est, vt D. Thom. de illa dubitare nõ potuerit. Cum ergo dicit in Christo esse non potuisse huiusmodi tentationis genus, quia nõ potest esse sine peccato, intelligi potest non simpliciter, sed sub ea conditione, si ab homine pręueniri potest, & euitari, & quia â Christo semper vitari poterat, ideó non potuit admitti sine aliqua culpa. Vel secũdo potest exponi, vt nõ sit sensus nõ posse esse sine peccato, id est quin ipsa sit peccatum, sed non posse esse sine aliquo peccato, quod sit veluti origo, & radix eius. Quia hæc tentatio, seu concupiscẽtia ad fomitem pertinet, qui tantum ex originali peccato originem ducit, & ideò interdum quasi per denominationem extrinsecam peccatum appellatur, vt Conc. Tridẽ. supra dixit. Addo etiam huiusmodi motus per se se esse indecentes, & ideò, quantus vis sua, ac formaliter culpæ non sint, si nulla voluntas intercedat, habent tamen quodammodo materialem turpitudinẽ culpæ, & idcirco nullo modo decebat esse in Christo: & sic intelligendus etiã est B. Cyprian. qui serm. de tent. Christi hæc scribit. *Honestius cum spiritu, quam cum carne luctamur, quia carnis fœdus complexus exhalans nebulas, eum, qui sibi adhæserit aliqua ex parte contaminat, nec libidinum morsus quisquã euasit illæsus.*

Con. Trid.

Concupisc. cẽtia carnis quomodo non est sine peccato.

Con. Trid

Cyprian.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Christus in deserto tentari debuerit.

227

AD secundum sic proceditur. *Videtur, quòd Christus nõ debuerit tẽtari in deserto. Christus enim tentari voluit propter*

art. prec.

ter exemplum nostrum: vt dictum est. Sed exemplum debet manifeste proponi illis, qui sunt per exemplum informandi. Non ergo debuit in deserto tentari.

hom.13. in Mat. paulo post princ. tom.5.

¶ 2. Præterea, Chrys. dicit super Mat. quod tunc maxime instat diabolus ad tẽtandum, cùm viderit solitarios: vnde & in principio mulierem tentauit, sine viro eam inuenies. Et sic videtur per hoc, quod in desertum iuit, vt tentaretur, quod tentationi se exposuit. Cum ergo eius tentatio sit nostrum exemplum, videtur quod etiam alij debeant se ingerere ad tentationes suscipiendas: quod tamen videtur esse periculosum, cum magis tentationũ occasiones vitare debeamus. ¶ 3. Præterea, Matthæ. 4. ponitur secunda Christi tentatio, quia diabolus Christum assumpsit in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi. Quod quidem non erat in deserto. Non ergo tentatus est solum in deserto. ¶ Sed contra est, quod dicitur Mat. 1. quod erat Iesus in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur a Satana.

Art. præc. ad. 2.

Respondeo dicendum quod (sicut dictum est) Christus propria volũtate se diabolo exhibuit ad tentandum, sicut etiam propria voluntate membris eius sẽ exhibuit ad occidendum, alioquin diabolus venire ad eum non auderet. Diabolus autem magis attentat aliquem, cùm est solitarius quia, vt dicitur Eccles. 4. si quispiã præualuerit contra vnũ, duo resistunt ei. Et inde est, quòd Christus in desertum exiuit, quasi ad campum certaminis, vt ibi à diabolo tentaretur. Vnde Ambro. dicit super Lucam, quòd Christus agebatur in desertum consilio, vt diabolum prouocaret: nam nisi ille certasset, scilicet diabolus, non iste mihi vicisset, ideſt, Christus. Addit auẽ & alias rationes, dicens hoc Christum fecisse mysterio, vt Adam de exilio liberaret, qui scilicet de Paradiso in desertum eiectus est: & exemplo, vt ostenderet nobis diabolum ad meliora tendentibus inuidere.

lib 4 in Luc. in tit. de ductu Iesu in desertum nõ longe a fine, to. 5.

Ad primum ergo dicendũ, quòd Christus proponitur omnibus in exemplum per fidem, secundum illud Heb. 12. Aspicientes in Autorem fidei, & consummatorem Iesum, Fides autem (vt dicitur Romanor. 10.) est ex auditu: non autem ex visu. Quinimo Ioan. 20. dicitur, Beati, qui non viderunt, & crediderunt. Et ideo ad hoc, quod tentatio Christi esset nobis in exemplum, non oportuit, quòd ab hominibus videretur, sed sufficiens fuit quòd hominibus narraretur. ¶ Ad secundum dicendum, quod duplex est tentationis occasio. Vna quidem ex parte hominis, puta cum aliquis se peccato propinquum facit, occasiones peccandi non euitans. Et talis occasio tentationis est vitanda, sicut dictum est Lot. Gene. 19. Ne steteris in omni regione circa Sodomam. Alia verò tentationis occasio est ex parte diaboli, qui semper inuidet ad meliora tendentibus: vt Ambr. dicit. Et talis tentationis occasio non est vitãda Vnde dicit Chrysosto. super Matthæum, quòd non solùm Christus ductus est in desertum à Spiritu, sed omnes filij Dei habentes Spiritum sanctum. Non enim sunt contenti sedere otiosi, sed Spiritus sanctus vrget eos aliquod magnũ appre hendere opus. Quod est esse in deserto, quantum ad diabolum: quia non est ibi iniustitia, in qua diabolus delectatur. Omne etiam bonum opus est desertũ quãtum ad carnem, & mundum: quia non est secundum voluntatem carnis, & mundi. Talem autem occasionem tentationis dare diabolo, non est periculosum: quia magis est auxilium Spiritus sancti, qui est perfecti operis actor, quàm impugnatio diaboli inuidentis. ¶ Ad tertium dicendum, quòd quidam dicunt omnes tentationes factas fuisse in deserto. Quorum quidam dicunt, quod Christus ductus est in sanctam ciuitatem, non realiter, sed secundum imaginariam visionem. Quidam au-

Art. præc. ad 3. & 2. 2 q 88. ar. 4 ad 2.

Amb. libr. 4. in Luc. De ductu Iesu in desertum non procul a fine tom. 5. Hom. 5. in Mat. in opere imperfecto in 2. par. aprin. to 2.

dam autem dicunt, quòd etiam ipsa ciuitas sancta, idest, Hierusalem, desertum dicitur: quia erat derelicta à Deo. Sed hoc non est necessarium: quia Marcus dicit, quod in deserto tentabatur à diabolo: non autem dicit, quòd solum in deserto.

In hoc ar. & duobus sequentibus explicat D. Th. circunstantias, ordinemque, ac modum tentationis Christi, & obiter attingit aliqua de ieiunio eius. Quæ omnia in sequenti disputatione commodius explicabuntur, contextus enim D. Tho. satis perspicuus est, nec alia indiget expositione.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm Christi tentatio debuerit esse post ieiunium.

228 *AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd Christi tentatio non debuerit esse post ieiuniũ. Dictum est enim supra, quòd Christum non decebat conuersationis austeritas. Sed maximæ austeritatis fuisse videtur, quod quadraginta diebus, & quadraginta noctibus nihil comederit: sic enim intelligitur quadraginta diebus & noctibus ieiunasse, quia scilicet in illis diebus nullum omnino cibum sumpsit, vt Gregorius dicit. Ergo non videtur, quòd debuerit huiusmodi ieiunium tentationi præmittere. ¶ 2. Præterea, Marci. 1. dicitur, quod erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur à Satana. Sed quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ieiunauit, ergo videtur, quod nõ post ieiunium, sed simul dum ieiunaret, sit tẽtatus à diabolo. ¶ 3. Præterea, Christus non legitur nisi semel ieiunasse. Sed non solùm semel fuit tentatus à diabolo: dicitur enim Lucæ. 4. quod consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo vsque ad tempus. Sicut ergo secundæ tentationi non præmisit ieiunium, ita nec primæ præmittere debuit. ¶ Sed cõtra est, quod dicitur Matth. 4. Cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit, & tunc accessit ad eum Tentator.*

q. præ. ar. 2

Ho. 16. in Euan. circa medium.

Respondeo dicendum, quod conuenienter Christus post ieiunium tẽtari voluit: Primo quidem propter exemplum: quia cùm omnibus (sicut dictum est) immineat se cõtra tentationes tueri, per hoc, quod ipse ante tentationem futuram ieiunauit, docuit, quod per ieiunium nos oportet contra tentationes armari: vnde inter arma iustitiæ Apostolus ieiunia connumerat 2. ad Corint. 6. Secundo, vt ostenderet, quod etiam ieiunantes diabolus aggreditur ad tentandũ, sicut alios qui bonis operibus vacant, & ideo sicut post baptismum, ita post ieiunium Christus tentatur. Vnde Chryso. dicit super Matth. vt discas, quàm magnum bonum est ieiunium, & qualiter scutum est aduersus diabolum, & quoniam post baptismum non lasciuiæ, sed ieiunio intendere oportet: & ideo Christus ieiunauit, non ieiunio indigens, sed nos instruens. Tertio, quia post ieiunium sequuta est esurios, quæ dedit diabolo audaciam eum aggrediendi: sicut dictum est. Cùm autem esuriit Dominus (vt Hilar. dicit super Matth.) non fuit ex surreptione inediæ, sed naturæ suæ hominem dereliquit: non enim erat à Deo diabolus, sed à carne vincendus. Vnde etiam vt Chrysost. dicit, non vltrà processit in ieiunando, quam Moyses & Helias, ne incredibilis videretur carnis assumptio.

ar. 1 huius quæst.

hom. 13. in Ma. paulo post princ. to. 2.

Ar. 1 ad. 1 argum.

Can. 3. in Matth. non longe a principio.

Hom. 5. in Matth in opere imperfecto, ante med. to. 2 et hom. 1. in Gen. a medio tom. 1.

Ad primũ ergo dicẽdum, quod Christũ non decuit conuersatio austerioris vitæ vt se communem exhiberet illis, quibus prædicauit. Nullus autem debet assumere prædicationis officium, nisi prius fuerit purgatus, & in virtute perfectus, sicut, & de Christo dicitur Actuum. 1. quod cœpit Iesus facere, & docere. Et

ideo

ideo Christus statim post baptismum austeritatem vitæ assumpsit, vt doceret post carnem edomitam, oportere alios ad prædicationis officium transire: secundum illud Apostoli, Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cùm alijs prædicauero, ipse reprobus efficiar.

¶ Ad secundum dicendum, quòd verbũ illud Marci, potest sic intelligi, quòd erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, quibus scilicet ieiunauit. Quod autem dicitur. Et tentabatur à Satana, intelligendum est, nõ in illis quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, quibus ieiunauit, sed post illos eo quòd Matth. dicit. Quòd cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurijt: ex quo sumpsit tentator occasionem accedẽdi ad ipsum, vnde & quod subditur Et angeli ministrabant ei, consecutiuè intelligendum esse ostenditur ex hoc, quod Matth. 4. dicitur, Tunc reliquit eum diabolus, scilicet post tentationem, & ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei. Quod verò interponit Matth. Eratque cum bestijs, inducitur, secundum Chrysost. ad ostendendum quale erat desertum, quia scilicet erat inuiũ hominibus, & bestijs plenum. Tamen secundum expositionem Bedæ Dominus tentabatur quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Sed hoc intelligendum est non de illis tentationibus visibilibus, quas narrant Matthæus, & Lucas, quæ manifestæ factæ sunt post ieiunium: sed de quibusdam alijs impugnationibus, quas forte illo ieiunij tempore Christus est à diabolo passus. ¶ Ad tertium dicendum, quòd sicut Ambros. dicit super Lucam, recessit diabolus à Christo vsque ad tempus, quia postea non tentaturus, sed apertè pugnaturus aduenit: tempore scilicet passionis. Et tamen per illã impugnationem videbatur Christum tentare de tristitia & odio proximorum, sicut in deserto de delectatione gulæ, & cõtemptu Dei per idololatriam.

Homil. 15. in Matth. paulo prin tom. 2. c. 1. Mar. in c. 1. Mar. in. c. 5 secundo eius ord. to. 2.

Lib. 4. in Lucan. c. de redes. diaboli à Christo ante med. tomo. 5.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum fuerit cõueniens ordo, & modus tentationis Christi.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd Christi non fuerit conueniens tentationis modus & ordo. Tentatio enim diaboli ad peccandum inducit. Sed si Christus subuenisset corporali fami, conuertendo lapides in panem, non peccasset: sicut non peccauit, cùm panes multiplicauit (quod non fuit minus miraculum) vt turbæ esurienti subueniret. Ergo videtur, quod nulla fuerit illa tentatio. ¶ 2. Præterea, Nullus persuasor conuenienter suadet contrarium eius, quod intendit. Sed diabolus statuens Christum supra pinnaculum templi, intendebat, cum de superbia, seu vana gloria tentare. Ergo inconuenienter persuadet ei, vt se mittat deorsum: quod est contrarium superbiæ, vel vanæ gloriæ, quæ semper quærit ascendere. ¶ 3. Præterea. Vna tentatio conueniens est, vt sit de vno peccato. Sed in tentatione, quæ fuit in monte, duo peccata persuasit, scilicet cupiditatem, & idololatriã. Non ergo conueniens videtur fuisse tentationis modus. ¶ 4. Præterea. Tentationes ad peccata ordinantur. Sed septem sunt vitia capitalia: vt in Secunda parte habitum est. Non autem tentauit nisi de tribus, scilicet gula, vana gloria, & cupiditate, nõ ergo videtur sufficiens tentationis modus fuisse. ¶ 5. Præterea. Post victoriam omnium vitiorum, remanet homini tentatio superbiæ, vel vanæ gloriæ: quia superbia etiam bonis operibus insidiatur, vt pereant: sicut dicit Augu. Inconuenienter ergo Mat. vltimã ponit tentationem cupiditatis in monte, mediã autem inanis gloriæ in templo, præsertim cum Lucas ordinet econuerso.

229 Opus. 60. c. 11. circa medium.

¶ 6. Præ-

Superillud Mat 4.nō in solo pane viuit.homo.to.9.

¶ 6. *Preterea Hieronym. dicit super Matth. quod propositum Christi fuit diabolum humilitate vincere, non potestate. Ergo non imperiose: & obiurgando, eum repellere debuit, dicens, Vade retro Satana.* ¶ 7. *Præterea, Narratio Euangelij videtur falsum continere. Non enim videtur possibile, quòd Christus supra pinnaculum templi statui potuerit, quin ab alijs videretur: neque aliquis mons tā altus inuenitur, vt inde totus mūdus inspici possit, vt sic ex eo potuerint Christo omnia regna mūdi ostēdi. Incōueniēter ergo videtur descripta Christi tētatio.*

¶ *Sed cōtra est, scriptura sacræ autoritas.*

¶. *Respōdeo dicēdū, quòd tētatio, quæ est ab hoste, fit per modum suggestionis, vt Gre. dicit. Non autē eodē modo potest aliquid omnibus suggeri, sed vnicuiq; suggeritur aliquid ex his, circa quæ est affectus. Et ideo diabolus hominem spiritualem nō statim tentat de grauibus peccatis: sed paulatim à leuioribus incipit vt postmodum ad graviora perducat. Vnde Gre. exponēs illud Iob. 39. Procul adoratur bellū, exortationē ducū, & vlulatū exercitus, dicit. Bene duces exhortari dicti sunt, exercitus vlulare, quia prima vitia deceptæ mēti quasi sub quadā ratione se ingerunt, sed innumera quæ sequūtur, dum hanc ad omnem insaniam pertrahunt, quasi bestiali clamore confundunt. Et hoc idem diabolus obseruauit in tentatione primi hominis: nam primò solicitauit mentem primi hominis de ligni vetiti esu, dicens Gen. 3. Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradisi? secundò, de inani gloria, cùm dixit, Aperientur oculi vestri. Tertiò perduxit tentationem ad extremam superbiam, cùm dixit. Eritis sicut dij, scientes bonum, & malum. Et hunc etiam tentandi ordinem seruauit in Christo. Nam primò tentauit ipsum de eo quod appetunt quantuncunque spirituales viri, scilicet de sustentatione corporalis naturæ per cibum: secundò, processit ad id in quo spirituales viri quandoque deficiunt, vt scilicet aliqua ad ostentationem operentur, quod pertinet ad inanem gloriam. Tertio, perduxit tentationem ad id, quod iam non est spiritualium virorum, sed carnalium scilicet vt diuitias, & gloriam mundi concupiscant vsque ad contemptū Dei. Et ideo in primis duabus tentationibus dixit, Si filius Dei es, non autem in tertia, quæ non potest conuenire spiritualibus viris (qui sunt per adoptionem filij Dei) sicut duæ primæ. His autem tentationibus Christus restitit testimonijs legis non potestate virtutis: vt hoc ipso, & plus hominē honoraret, & aduersarium plus puniret, cùm hostis generis humani non quasi à Deo, sed quasi ab homine vinceretur, sicut dicit Leo Papa.*

hom.16 in Euan. paulo post pri.

li.21. Moral.c.32 in principio.

A

B

C

¶ *Ad primum ergo diendum, quòd vti necessarijs ad sustentationem, non est peccatum gulæ, sed quod ex desiderio huius sustentationis homo aliquid inordinatū faciat, ad vitium gulæ pertinere potest. Est autem inordinatum, quòd aliquis, vbi potest recursus haberi ad humana subsidia, pro solo corpore sustentando, miraculosè sibi cibum quærere velit. Vnde, & Dominus filijs Israel miraculosè manna præbuit in deserto, vbi aliunde cibus haberi non poterat, & similiter Christus in deserto turbas pauit miraculosè, vbi aliter cibi haberi non poterant. Sed Christus ad subueniendum fami, poterat aliter sibi prouidere, quam miracula faciendo: sicut, & Ioannes Baptista fecit (vt legitur Matth. 3.) vel etiam ad loca proxima properando. Et ideo reputabat diabolus, quòd Christus peccaret, si ad subueniendum fami miracula facere attentaret, si esset purus homo.* ¶ *Ad secundum dicendum, quòd per humiliationem exte-*

Inscr.1.de quadrage. paulo ante medium.

exteriorem, frequẽter quærit aliquis gloriam, qua exaltetur circa spiritualia bona. Vnde Aug. dicit in libro de sermone Domini in monte. Animaduertendum est, non in solo rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse iactantiam. Et ad hoc significandum diabolus Christo suasit, vt ad quærendum gloriam spiritualem, corporaliter mitteret se deorsum. ¶ Ad tertium dicendum, quòd diuitias, & honores mundi appetere peccatum est, quando huiusmodi inordinatè appetuntur. Hoc autem præcipuè manifestatur ex hoc, quòd pro huiusmodi adipiscendis homo aliquid inhonestum facit. Et ideo non fuit contentus diabolus persuadere cupiditatem diuitiarum, & honorum: sed induxit ad hoc, quòd propter huiusmodi adipiscenda Christus eum adoraret, quod est maximum scelus, & contra Deũ. Nec solũ dixit, Si adoraueris me: sed addidit, Si cadens: quia, vt dicit Ambros, habet ambitio domesticum periculũ: vt enim dominetur alijs, prius seruit, & curuatur obsequio, vt honore donetur: & dum vult esse sublimior, fit remissior. Et similiter etiam in præcedentibus tentationibus, ex appetitu vnius peccati in aliud peccatum inducere est conatus, sicut ex desiderio cibi, conatus est inducere in vanitatem, sine causa miracula faciendi & ex cupiditate gloriæ, conatus est inducere ad tentandum Deum, per præcipitium. ¶ Ad quartum dicendũ, quòd (sicut dicit Ambros. super Lucam) non dixisset Scriptura, quòd consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, nisi in tribus præmissis esset omnium materia delictorum: quia causæ tentationum, causæ sunt cupiditatum, scilicet carnis oblectatio, spes gloriæ, & auiditas potentiæ. ¶ Ad quintum dicendũ, quòd sicut August. dicit in libr. de consensu Euangel. incertum est quid prius factum sit, vtrùm regna terræ prius demonstrata sint ei, & postea in pinnaculum templi locatus sit, an hoc prius, & illud postea: nihil tamen ad rem, dum omnia facta esse manifestum sit. Videntur autem Euangelistæ diuersum ordinem tenuisse: quia quandoque ex inani gloria venitur ad cupiditatem, quandoque ecõuerso. ¶ Ad sextum dicendum, quòd Christus cùm passus fuisset tentationis iniuriam, dicente sibi diabolo, Si filius Dei es, mitte te deorsum, non est turbatus, nec diabolum increpauit. Quando verò diabolus, Dei sibi vsurpauit honorem dicens, Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me, exasperatus est, & repulit eum dicens. Vade Satana. Vt nos illius discamus exemplo nostras quidem iniurias æquanimiter sustinere, Dei autem iniurias nec vsque ad auditum sufferre. ¶ Ad septimum dicendum, quòd sicut Chrysost. dicit, forsitan diabolus, quantum ad se, sic Christum assumebat in pinnaculum templi, vt ab omnibus videretur, ipse autem nesciente diabolo sic agebat, vt à nemine videretur. Quod autem dicit, & ostendit ei omnia regna mũdi, & gloriam eorum, non est intelligendum, quod videret ipsa regna, vel ciuitates eorum, vel populos, vel aurum vel argentum. Sed partes terræ, in quibus vnumquodque regnum vel ciuitas posita est, diabolus Christo digito demonstrabat: & vniuscuiusque regni honores, & statum verbis exponebat. Vel secundum Origen. ostendit ei quomodo ipse per diuersa vitia regnabat in mundo.

li. 2. c. 19. in med. to. 4.

li. 4 in Lucã in tit. de 3. tẽtat Christi, a med. tomo. 5

li. 4. c. de recessu diabolia Christo circa p. t. 5

lib. 2. c. 16 circa m. t. 4

Hom. 5. in Mat. circa mediũ, in opere imperfecto. to. 2.

Ho. 13 in Luc paulo à pri. to. 3.

DISPVTATIO. XXIX.

In quatuor sectiones distributa.

De recessu Christi in desertum, & ijs, quæ ibi acciderunt.

Nar-

NArrant Euangelistæ. Mat. & Lucas ca. 4. Mar. verò ca. 1. Christũ statim post baptismum ductum esse in desertum, & ieiunasse quadraginta dies, & noctes, posteaque esurijsse, ac tentatum esse. Quæ omnia eo quo sunt ordine proposita, explananda à nobis sunt.

SECTIO PRIMA.

Quid causæ fuerit, cur Christus in desertum secesserit.

Matt. 4. Marc. 1. Luc. 4. Christus in desertũ ab Spiritu sancto ducitur Hieron. Amb. Chrys. Orig. Cyprian. Athanas. Greg. papa. Chrysolo.

DVę causæ huius mysterij explicandæ nobis sunt, efficiens, & finalis. De efficiente dicit Matth. *Ductus est Iesus in desertum ab spiritu.* Marcus, *expulit eum spiritus.* Lucas verò, *Agebatur in spiritu* Quo loco omnes Patres intelligunt Spiritum sanctum significari, Hieron. in Matt. Ambr. lib. 4. in Lucam, Chrysost. hom. 13. in Matth. & 5. imperfecti. Origenes. 29. in Lucam *Quia quotquot spiritu Dei ducuntur, ij filij sunt Dei: hic autem extra omnes, proprie filius Dei erat, ideo, & ipsum oportebat Spiritu sancto duci.* Idem Cyprian. serm. de tentat. Athanas. in epist. ad Serapionem, Spiritũ sanctum non esse creaturam, Greg. homil. 16. in euangelia, Chrysolog. serm. 11. Et primo hoc colligit Athanas. ex absoluta, *Spiritus*, appellatione, ante quam proximè præcesserat, Spiritum sanctum tanquam colũbam descendisse in Christum. Vnde apertè constat eundem spiritum indicari, cùm subiungitur, *Ductus est a spiritu* Quod clarius est apud Lucam dicentem. *Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Iordane, & agebatur in spiritu. Nam cum sermo est* (inquit Athanas.) *de illis, apud quos est spiritus sanctus, & aliquid dicitur de spiritu in illis operante, sine additamento Dei, aut alterius notæ, ambiguum esse non potest, quin Spiritus sanctus intelligendus sit, maxime si adsit articulus, τὸ*, quẽ hoc loco reperies in omnibus euangelistis Præterea hoc satis probari potest ex verbis Matth. *Ductus est a spiritu, vt tentaretur a diabolo.* Nam si spiritus malus eum duxisset, dicturus potius erat euangelista. *Duxit eum spiritus vt tentaret eum.* Illa ergo distinctio, & contrapositio *spiritus*, & *diaboli* satis declarat ductum esse ab Spiritu sancto.

Ex quo intelligimus primo, non fuisse Christum ductum ab spiritu, motu corporali, externo, & quasi violento, sed interno instinctu, & spirituali motione, cui Christus voluntariè consentiens seipsum agebat, & ita intelligẽdum est naturali motu, & pregressu iuisse in desertum. Atque hac ratione exponẽda sunt illa verba Mat. *Ductus est a spiritu*, ideſt, *Spiritu sancto duce & comite*, vt Cyprian. inquit. Quod magis explicuit Lucas dicens. *Agebatur in spiritu.* Quod ita intelligendum est, sicut illud Paul. ad Rom. 8 *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*, ideſt, qui eius interno instinctu impulsu, de quo impulsu intelligendum est illud Marci, *expulit eum in desertum.* Vnde elegãter Cyrillus lib. 2. ad Reginas. §. de Christi sanctificatione, *Virtute* (inquit) *spiritus in desertum agi dicitur, non quod vi aliqua eo abreptus, adductusve sit: sed quod vitam ad tempus ibi traduxerit, moratusque sit spiritus virtute armatus supra humanæ naturæ conditionem,*

Sine vllẽ tia ab Spiritu Christus in desertum adducitur. Mat. 4. Cypr. Luc. 4. Roman 8. Marc. 1. Cyri. Ale.

Colligitur secundo, non potuisse Christum non recta intentione, & propter honestissimas causas in desertum duci, quandoquidem & Spiritus sancti motione, proprioque consensu, & voluntate, quæ non poterat non esse sancta, & honesta ductus est. Sed oritur circa hoc difficultas ex verbis euangelistæ dicentis. *Ductus est vt tentaretur a diabolo.* Vbi hanc vnicam ponit causam, quę non videtur ratiõni cõsentanea. Quia licet tentari non sit malum, quærere tamen tentationum occasiones, & hominẽ aliquid eo fine operari, vt tentetur, non videtur honestum, qui enim hoc intendit, virtute vult aliquid mali fieri, nam tentatio, vt à Dæmone proficiscitur, mala est. Sicut si homo quidpiam faceret, vt alteri daret occasionem peccandi, ipse sine dubio peccaret, ergo idem est de eo, qui operatur, vt Dæmoni occasionem præbeat malè operandi. Quia licet illa praua actio Dæmoni non imputetur ad nouam pœnam ratione status: tamen reuera ipsa vi sua est praua, quare non potest honestauoluntate intendi Nec refert, quod Dæmon sit paratissimus ad tentandum, quia quanuis propter honestum finem liceat vti malitia eius: qui paratus est, directe tamen intẽdere, vt is malum illud exequatur, quod facere paratus est, & hac intẽtione aliquid efficere, ideſt, ad exercitandum, seu prouocandum illum, non licet quia hoc est malum ipsum intendere, ac velle. Et augetur difficultas, quia *omnis Christi actio*

Dubium.

tio

actio nostra est instructio, licebit ergo nobis occasiones quærere, vt â Dæmone tentemur, quod planè videtur absurdum. Hoc enim esset tentare Deum, & occasionibus ac periculis peccandi sese exponere.

Ex hac difficultate oritur alia, quia non videtur decuisse, vt Christus in desertum recederet, et quasi eremiticam vitam institueret. Tum quia nec propter se indiguit, nec propter nos: quia nõ oportuit: vt illius viuendi modi nobis exemplum prebe ret, qui hominibus non expedit, cùm sit caritati, beneficientiæ, & humanæ communicationi contrarius, innumerisque periculis expositus. Tum maximè, quia non decebat solitariam, ac seueriſsimam vitam aggredi, quadraginta tantum dies duraturam, ne videretur manum ad aratrum misisse, & postea retro respexisse, atque inde sumerẽt homines occasionem ab instituta vitæ seueritate recedẽdi, q̃ ipsemet Christus dãnauit Lu. 9. Dicẽdũ verò est primo Christũ dominũ ob multas, easq; iustiſsimas causas statim post baptismum in eremũ secessisse. Nam licet Euangelistæ vnam tantum commemorent: non tamen excludũt alias, quæ à sanctis Patribus excogitatę sunt. Et in primis, si proximam, & quasi intrinsecam causam contẽplemur, sine dubio Christus reliquit hominum consortia, & recessit in locum omnino solitarium, & incultũ vbi tantum bestiæ versabantur (vt Marcus notauit,) vt illis diebus cœlestem, & quasi angelicam vitam ageret, *non quidem humanã, & corpoream* (ait supra Cyri.) *Sed supra humanæ naturæ conditionem*, vt ab omni corporis cura, & actionibus liber, soli diuinæ cõtemplationi vacaret. Hoc enim vitæ genus intelligere debemus Christum egisse illis diebus, nec enim otiosus esse poterat, cuius animus Deo erat coniunctissimus, nec somno indigebat, qui cibo, & potu nõ vtebatur. Cumque ille recessus in desertum quasi de se, & natura sua ad hũc finẽ tẽdat, nõ videtur dubitandum quin propter hũc finẽ â Christo & Sancto spiritu institutus sit, & in hunc modum possunt exponi illa verba Lucę, *agebatur in spiritu diebus quadraginta*, vt significet omnibus illis diebus actum esse à spiritu, ideſt vitam omnino spiritalem, ac pœnè diuinam omnibus illis diebus egisse: & ad hoc illuc esse ductum, vt huiusmodi vitam ageret. Verũtamẽ hæc ex positio violẽta esse videtur, tũ quia Grecę nõ dicitur *in desertо*, sed *in desertum*, quod significat terminum localis motus, qui nõ duraui. 40. diebus, tum etiam quia vt ex textibus Græcis emendatioribus constat, illud. 40. *diebus*, non coniungitur cum verbo agebatur quod præcesserat, sed cum sequentibus, vel si cum illo constituatur, aliquid sub intelligendum est, scilicet agebatur in desertũ vt ibi esset. 40. diebus. Docuit tamen hanc sententiam Cyprian. dicto serm. de tentat, *Elegitur* (inquit) *solitudo vt soli Deo vacans anima, cum in se per continẽtiam mactauerit voluptates, purgatis affectibus ad cælestia euolet*: loquitur de Christo ac si indigeret purgatione, & carnis maceratione, quia propter exemplum nostrum ita operatus est, ac si hęc illi essent necessaria. *Cypria.*

Et hinc solui potest obiectio, si quis dicat vt Christus huiusmodi duceret vitam, nõ indigebat solitudine, nec cessatione a cęteris humanis actionibus. Quia nihil illi impedimento esse poterat, quominus semper, & Deo frueretur per visionem beatã, & per inferiorem aliquam scientiam in perpetua contemplatione perseueraret. *Obiectio*

Respondetur quamuis per scientiam per se infusam potuerit Christus sine dependentia à sensibus contemplari diuina, tamen per cognitionem omnino naturalem non poterat sine speciali miraculo multa simul perfectè considerare, neque etiam per operationem phantasiæ simul comitari operationem intellectus si circa res varias, omninoque diuersas versaretur. Vt igitur Christus dominus secundum omnes animi vires tam naturales, quàm supernaturales, tam intellectus, & voluntatis, quàm phantasiæ, & appetitus totum sese in res diuinas immergeret, longè perfectiori modo, quàm ex natura rei posset, dũ alia sensibilia tractaret, & cum hominibus conuersaretur, potuit illis diebus in desertum recedere. Quo etiam modo intelligi possunt Euangelistę, cùm alijs in locis dicũt solitũ esse Christũ in desertum secedere, vt oraret, vt Lu. 5. *Ipse secedebat in desertum, & orabat*. Prętera quamuis recessus in eremũ non esset Christo necessarius propter hunc finẽ: tamen oportuit, vt suo exẽplo nobis ostenderet solitariã vitã esse ad contẽplationẽ aptiſsimã, & ad eã, vt ad finem potiſsimum ordinari, vt latè diserit Cassia. *Respõsio. Ad vacandum Deo quomodo solitudine Christus in diguit.* *Luc. 5.*

In desertũ Christus cur secedit

Marci. 1.

Cyrill.

Cassian. Cassian.colat.19. Et hinc oritur secunda A
causa, & quasi finis extrinsecus huius re
cessus Christi in eremũ, scilicet, vt homi
nibus daret exemplum. Primo quidem
Basi. ijs, qui solitariam vitam amant, eam suo
exemplo approbando, & suadendo: vt ele
ganter notauit Basilius opus.de laudi-
bus eremi, vbi post multa, quæ de illo
argumento dixerat concludit, *& quid am-*
Solitaria vita quam vtilis. *plius memorem? quandoquidem ipse salutator om*
nium in exordio suæ manifestationis inuisere, ac
propria te dignatus est habitatione consecrare.
Postquam enim baptismatis aquam, qua lotus est
lauit (vt euangelista testatur) statim spiritus ex-
pulit eum in desertum. Similia fere habet in
epistol.ad Chelidonium. Deinde hoc e- B
tiam facto dedit Christus exemplum ho-
minibus communem vitam degentibus
nimirum eos debere interdum ab homi-
num consortio recedere, & soli Deo va-
care, vt sine offensione, & periculo pos-
sint ad actionem descendere, & cum ho-
minibus agere. Quod [vt D.Thom.nota
uit) ad eos spectat maxime, qui profitẽtur
munus docendi, & instruendi alios: quos
prius oportet contemplationi se dare, vt
postea securius, maioriq; cum fructu pos-
sint in proximorum salutem incumbere.
Nam quia Christus hoc erat genus vitę
professurus, idcirco à diuina contempla
tione exorsus est. Vnde obiter expeditur
vltima difficultas supra tacta. Non enim
erat Christo domino, & muneri eius con C
ueniens, vt illa solitudo per totam vitam
duraret, sed solum, vt esset dispositio, &
præparatio ad suum munus exercendum
& hac intentione inita est, ideòque non
fuit præter animi constantiam, & robur,
quod quadraginta tantũ diebus in ea per
manserit.

Vltimo dicendum est, Christum etiã duc
Quomodo in desertum Christus cũ diabolo pugnaturus egreditur. tum esse in desertum, vt cũ dæmone pug
naret, eumque superaret. Hanc causam
reddit Euangelista, eòquòd aptior erat ad
explicandam tentationem, quam statim
erat narraturus. Potest autem (vt ad pri-
mam difficultatem respondeamus) hoc
explicari, primo, vt illa particula *vt* dicat
consequutionem, non verò propriã cau-
sam, & rationem, quod est in euangeliis
frequentissimum. Itaq; primariò, ac per
se recessit in eremũ Christus propter ho
nestatem, & exercitium virtutis, quod in
eo obiecto reperitur, præscius autem fo
re, vt ibi tẽtaretur à Satana, voluit id per
mittere propter causas ar.1. commemora
tas. Et hũc sensum indicauit Petrus Chri
sologus.serm.11.dicens. *Iesus ductus est in de* Pet Chry.
sertum a spiritu, non a diabolo, vt esset diuinus
cursus, non humanus incursus, vt esset spiritus
præscientię, inscitia non esset humana. Secun
do potest illa particula *vt* causaliter expli
cari, ita tamen, vt non tentatio, sed permis
sio tentationis, & fructus eius intelligan-
tur intenta. Quod quidem ad Spiritũsan
ctum proprissime referri potest, atq; ita
facilis res est. Nã Deus sapientissimè, ac
rectissimè facit permittendo tentationes
peccatorum, & aliquid operando, vt faci
lius tentationi locus sit, si dæmon illam
exercere volnerit. Namper hoc ipse neq;
inducit dæmonẽ, nec positiuè prouocat,
sed solum permittit propter maius bonũ
Tamẽ quia hæc permissio Dei cum præs
cientia illius coniuncta tam certa, & infal
libilis est, ac si esset efficax volũtas, ideò
interdum in scriptura sacra dicitur Deus
facere, quæ permittit: vel operari, ac si il-
lud intenderet, cum solam intendat per-
missionem, & hoc etiam modo loquun-
tur sancti Patres in præsenti tentatione,
vt videre licet in Amb.li.4.in Lu.Chry.
hom.13.in Matt. & alijs supra citatis. Sic
ergo Spiritussanctus hac intentione du-
xit Christum in desertum, vt eum à Dæ-
mone tentari permitteret propter effec-
tum, & fructum tentationis, quem præs-
ciebat. Quod non solum, cum Christo,
sed etiam cum alijs hominibus præstat
Deus, interdum cum iustis propter maius
illorum bonum, interdum cum peccato-
ribus in pœnam, & supplicium. Potest e-
tiam hæc intentio humanæ Christi volũ
tati tribui, ita vt non solum Spiritussanc
tus eum hac intentione duxerit, sed etiã
ipse hac intentione incesserit. Et hoc etiã
Christo domino licuit: tum quia illi cons
tabat hanc esse diuini spiritus voluntatẽ,
& intentionem: tum maximè quia præs-
ciebat nullum sibi ex ea tentatione peri-
culum imminere, sed potius in magnam
Dei gloriam, hominum vtilitatem, ac de
monis confusionem redundaturam. Quã
obrem non sequitur, posse alios homines
temere velle à dæmonibus tentari, aut se-
se eorum tentationibus obijcere. Quia il
lis, nec de suo periculo, nec de Spiritus
sancti voluntate, & speciali auxilio ita cõ
stat: quanquam (vt rectè hic D.Thom. di D. Thom.
xit ar.2.ad.2.) omnibus liceat virtutis per
fectio-

fectionem profiteri, tametsi intelligant, vehementius esse se à dæmonibus agitandos. Quia hoc non est Deum tentare, sed de illius potius auxilio, & virtute sperare quæ efficacior est, quàm omnis Dæmonũ tentatio. Et eadẽ ratione licet solitariã vitam aggredi, si quis à Spiritu sancto excitetur, licet illic vehementius soleat Dæmon homines vexare, vt idem notauit D. Thom. ex Chrysost. hom. 13. in Matt. Cauendum tamen est, ne temere id fiat, quia se cluso extraordinario Spiritus sancti instinctu secundum ordinariam legem, vita prorsus solitaria non est incipientibus accommodata, sed iis, qui diu se in virtute exercuerunt, & perfectionis apicem attigerunt, vt docuerunt antiqui Patres, Benedictus in sua Regula. c. 1. Hieron. epist. 1. ad Rusticum, August. lib. de moribus Ecclesiæ c. 3. Qua de re eleganter loquitur Abbas Ioannes apud Cassianũ collat. 19. c. 3. Et exhis sit satis difficultatibus supra positis. Quærere verò potest aliquis, quare remotus, ac solitarius sit locus electus ad congrediendũ cum Dæmone, sed hac de re opportunius erit sermo sect. 2. & 3.

Chrys. *Bened.* *Hie.* *Aug.* *Cassian.*

SECTIO II.

Quomodo potuerit Christus quadraginta diebus sine sensu famis ieiunare.

PRimo Christum quadraginta diebus ieiunasse, manifestè testantur Euangelistæ: causæ verò, cur ieiunare voluerit, facile ex dictis in præcedẽti sectione colligi possunt. Scilicet vt exemplo nobis esset. *Ne putet homo* (inquit Cyprian.) *Se iam euasisse periculum, & macerationecarnis non indigere, cum in eremum venit*, & rursus: *Elegit desertum, ac ieiunium, vt solitudine fugiens mũdum, & ieiunio macerans carnem, cum solo Dæmone dimicetur.* Sic Basil. homil. 1. de ieiunio. *Dominus noster non prius in carne, quam pro nobis assumpserat, diaboli insultus excepit, quam eam ieiunio communisset.* Deinde, vt ieiunij necessitatem, ac præstantiam commẽdaret: Vnde Tertull. lib. aduersus Psychicos c. 8. *Ipse Dominus baptisma suum, & in suo omnium, ieiuniis dedicauit, imo nouum hominem in veteris fugillationem virtute fastidiendi cibi initiabat: vt eum diabolo rursus per escã tentare quærenti, fortiorem fame ostentaret. Præstituit deinde ieiuniis legẽ sine tristitia transigendis: cur enim triste, quod salutare? Docuit etiam aduersus diriora Dæmonia ieiuniis præliãdum. Quid enim mirum, si eadem operatione spiritus iniquus educitur, qua sanctus inducitur?* Denique ostendere suo exemplo voluit ad orationem, & contemplationem ieiuniũ esse instar alarum, quibus anima sursum ferri, & cœlestia contemplari valet, vt dixit Chrysostom. homil. 1. in Genes. *Chrys.*

Cypria. *Christ⁹ cur ieiunauerit* *Basilius.* *Tertul.*

Secundo constat ex Euangelio, Christum ita ieiunasse illis quadraginta diebus vt nullum omnino cibũ, potum ve sumpserit. Expresse enim Lucas dicit. *Et nihil manducauit in diebus illis.* Vbi licet expressa mentio non fiat abstinentiæ à potu; nomine tamen manducationis cõprehenditur. Quia manducatio, seu refectio integra potum, ac cibum cõprehendit. Atq; in hũc modum ieiunium hoc Christi semper vniuersa intellexit Ecclesia. Vnde Cyril. lib. 2. ad Reginas. *Absque cibo, & potu* (inquit) *rebus vtique humani corpori necessariis ibi degebat.* Et Ignatius epist. 8. ad Philippen. *Quadraginta dies, & noctes perdurauit sine humano alimento*, & August. lib. 3. de mirabi lib. scrip. c. 6. *Nullo humani pastus suffragio fultus.* *Cir. Alex.* *Ignat.* *Aug.*

Dubium. Ieiunũ Christi in deserto quale. Basi.

Statim verò sese offert inquirendum, qua virtute potuerit Christus tot dies, noctesque sine cibo, potu que transigere, solane diuina, & miraculosa, an aliquo modo naturali. Quibusdã enim videtur potuisse hoc fieri modo quodammodo naturali, suppositа supernaturali perfectione animæ Christi, per quam ita fuit illis diebus diuinæ contemplationi intentus, & quasi cõtinua raptus ecstasi, vt operationes animæ vegetantis omnino fuerint impeditę: ad eum modũ, quo Paulus in raptu sine cibo, & potu, ac famis sensu permãsit. Quia cùm eadẽ anima sit harũ operationũ principium, dum eius virtus circa superiores actiones veluti absorpta est, impeditur profecto, ne alias inferiores actiones expedite exerceat. Quare tanta potest esse animæ in illas operationes intentio, vt hæ omnino impediantur. Vnde experimur ex nimia animi attentione in rerum meditatione, & contẽplatione fieri, vt cibus concoqui, ac digeri nequeat, ergo eadem ratione, & proportione fieri potest, vt omnino impediatur, impedita autem actione naturalis caloris, necessariò, ac sine nouo miraculo fit, vt homo sine cibo, & potu cõseruari possit, quandiu illa animi attentio durauerit.

Sed hęc sententia non potest satisfacere. Quia licet demus inter actiones vitales, in quibus anima propria virtute, & suo intrinseco, ac speciali modo operatur esse connexionem supradictam, actiones tamen merè naturales, quæ per solam alterationem qualitatū naturalium fiunt, impediri non possunt propter animi attentionem ad alias superiores actiones, quia illæ qualitates in actione sua merè naturali non pendent ab actuali animæ operatione, & influxu. At verò sola actio harum qualitatū sufficiens est, vt homo non possit naturaliter conseruari quadraginta diebus sine cibo, & potu. Quia tanto tēpore necessariò fieret alteratio à calore naturali & partib⁹ dissimilib⁹ inter se, & à medio, seu corpore circunstāte, & ab aliis causis externis, quæ naturale hominis temperamentum ad vitā conseruandam necessarium dissoluerent.

Responsio

Quapropter dicendum est, Christum dominū supernaturali virtute, & miraculorum effectrice vsum esse, qua huiusmodi actionē, & alterationem impediuit. In quo Moysem, & Eliam superauit, qui simili quidem modo quadraginta diebus sine cibo, potuq; manserunt Exod.34. & 3.Reg.c.19. sed illi extrinseca virtute Diuina: Christus verò propria, & intrinseca virtute, qua plenum dominium habebat supra corpus suum, vt ea tantum agere, & pati posset, quæ vellet. Atque hæc est cōcors Patrum sententia pręsertim Cyrilli, & Augustini locis statim citandis.

Qua Christus virtute quadraginta dieb⁹ ieiunus in deserto permansit.

Exod.34.

3.Reg.19

Cyril.

Aug.

Et hinc facile expeditur dubitatio alia, quæ propter singularem Caietani sententiā prętermtti hoc loco non potest. Dubitat enim ille Matth.4. Vtrum Christus quadraginta hisce diebus, quibus ieiunauit, esurierit, an verò expletis omnibus diebus. Et respondet omnibus illis diebus famen sensisse, quia superfluū est (inquit) multiplicare miracula sine necessitate, imò aliâs quoque frustra ieiunasset, si nihil sensisset. Nihil enim tale ieiuniū vel ad meritū, vel ad corporis afflictionē, vel ad nostrum exemplū contulisset. Quam sententiā hoc loco referens Medina probabilem existimat. Mihi tamen & improbabilis, & temeraria vt minimū videtur.

Dubium.

Caietā. Sē tentia.

Medina.

Responsio Mat.4.

Primū quia ferè apertè repugnat verbis Euangeliorum. Nam Matt. dicit, *Cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.* Dices, non tamen dicit antea non esuriisse. Respondeo nisi velimus vim literæ inferre, satis hoc significat illa vox, *postea*, præsertim cùm Lucas addiderit: *Et consummatis illis esuriit.* Nam si quis narret expleto tali tempore aliquid esse factum, planè significat antea non esse factum, vt patet ex similibus locutionibus eiusdem Lucæ. *Postquam consummati sunt dies octo*, cap.2. *Et cum complerentur dies Pentecostes.* Acto.1. Adde hanc esse cōmunem veterum Patrum, & expositorum intelligentiā, vt videre licet in Hilario, Origene, Hieron. Chrysost. Ambros. aliis denique Græcis & Latinis super Matth. & Lucam. Vnde Basil. dicta hom.1. de ieiunio: *Et vide* (inquit) *quam mirabiliter ille tentatori per esuritionē præbuit ansam, alioqui propter Diuinę naturę sublimitatem non patebat ad illum aditus diabolo, nisi se per esuritionem ad humanam imbecillitatem submisisset:* & Grego. Nyssen. lib. de Beatitudinib. in 4. *Cum quadraginta dies* (inquit) *ieiunus per mansisset, postea esurijt. Dedit enim quando volebat occasionem naturę officio suo fungendi; sed tentationum inuentor, cum intellexit affectum famis etiā illum inuasisse, consuluit, vt lapidibus exciperet appetitum;* & cætera, quæ persequitur, hoc tentationis genus egregiè ad mores accōmodans: & Cyril. dicto lib. ad Reg. *Cum quantum sat erat, iam ieiunasset, diuinaque virtute absque cibo, & potu in corruptam carnem conseruasset, vix tandem, quæ propria illius sunt pati eam siuit, esuriisse enim dicitur. Sed quam ob causam, quæso esuriit? Ob eam nimirum, quo apte per vtrumque Deum simul, & hominem se esse declararet.* Præterea Aug. lib.3. de Mirab. scrip. cap.6. *Quare consummatis quadraginta diebus esurire dominus Iesus describitur, cum Moyses, & Elias tanto temporis spatio per ieiunium famem pati non memorentur? Famem vero, & laborem Redemptor noster consummato tanto dierum numero sustinet, quatenus & tentatori occasionem tentandi inferret, & nosceretur, quam veram humanæ carnis substantiam gestaret.* Tandem Petrus Chrysolog. dicto serm.11. *Postea* (inquit) *esuriit. Hoc non est infirmitatis signū, sed insigne virtutis, quia cum dicit, postea esuriit, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus probat in illo esuriem non fuisse. Esuriem sentire, & vincere est laboris humani, diuinæ virtutis est esurię non habere.* Deinde vero subiungit rationes, ob quas postea esurire voluit, à superioribus Patribus tactas. Quas etiam non obscurè significa-

Post quadragintadies noctesq; ieiuni, Christus esuriit.

Luc 2.

Act 1.

Hilar.

Orig.

Hieron.

Chrys.

Amb.

Basil.

Gre. Nyss.

Cyril.

Aug.

Chrysol.

ficauit Ignatius dicta epis.& Cyprian.ser A
mon.de ieiunio,& tentat.Domini,& Ire
næ.lib.5.contra hæres.c.31. Ratione præ
terea hoc declaratur,refellendo simul cõ
iecturas Caietani. Quia vno,eodemq; mi
raculo fieri potuit, vt Christus sine cibo,
& potu quadraginta dies,noctesque tran
sigeret,& vt famem,ac sitim non sentiret:
nimirum impediendo, ac suspendendo ac
tionem caloris naturalis, aliorumque con
trariorum agentiũ,ergo in hoc nulla mul
tiplicantur miracula,quin potius maius es
set miraculum,quòd fame premeretur tot
diebus:nec tandem consumeretur. Nam
vel illa esuries augebatur indies, vel in
eodem statu permanebat:si primum,ergo
naturaliter mortem induceret,& maius es
set miraculum in tanta corporis alteratio
ne, ac debelitate viuum,ac vegetum con
seruari. Si secundum,illud certè vt mini
mum esset æquale miraculum. Quia in a- B
gentibus naturalibus eiusdẽ rationis est,
postquam applicata sunt, & non impedi
ta, inchoare actionem, & in ea ad finem,
vsque progredi. Et similiter eiusdem mi
raculi est eorum actionem vel in princi
pio, vel in progressu suspendere,ergo(si
alterutrum hic dicendum est) melius di
citur,actionem esse suspensam in princi
pio:& ideo illis diebus omnino fuisse ap
petitum cibi,& potus impeditum. Præte
rea dicunt Patres supra citati nõ sine mys
terio factũ esse,vt prius Christus tot die
bus famis morsum non sentiret,& postea
esuriret, nimirum vt cùm prius aliquod
dedisset suæ diuinitatis indicium, veram
postea humanitatẽ ostenderet, atque ita
Dæmonem dubium,ancipitemque relin
queret. Denique Christus illis diebus nõ
tantum ieiunauit, vt per carnis afflictio- C
nem pro nobis satisfaceret,nobisque exẽ
plo esset,sed etiam, vt doceremur prop
ter spirituales delectationes, corporales
contemnere:Item,perDiuinam contem
plationem,& gaudium, quod ex ea nasci
tur, quodammodo rerum sensibiliũ ap
petitum extingui,& memoriam cibi, ac
Cassian. potus auferri. Sicut de Ioanne Abbate re
fert Casian.collat.19.c.4. quòd delitiis
spiritualibus occupatus, non recorda ba
tur,an pridem comedisset, nec ne. Vnde
etiam sumi potest confirmatio, quia non
sentire famẽ, sine magno miraculo proue
nire interdum potest ex nimia rerum di
uinarum attentione, quæ omnes vires tũ
intellectus,tum etiã imaginationis absor
beat. Ergo vel hac de causa potuit Chris
tus non esurire illis diebus: postea verò
de illa attentione remittens, & calori na
turali,aliisq; agentibus veluti facultatem
agendi præbens, famem sensit, eamque
sustinuit toto tempore, quo tentationes
durarũt. In quo opportunum sitis nobis
exemplũ præbuit patienter,& æquo ani
mo ferendi corporis molestias, quæ exie
iuniis,& tentationibus oriuntur.

SECTIO III.

Quo loco & tempore Christus ieiunauit, & a Dæmone tentatus est.

DE causis, ob quas Christus tentari se permisit,satis in comment. art. 1. dictũ est,de circunstantiis verò illius tentationis pauca dicẽda superfunt.

Principiò igitur de tempore, quo tentatus fuit,sic scribit Matth. *Cum ieiunasset quadraginta diebus,et quadraginta noctibus,postea esuriit,& accedens tentator dixit ei,si filius Dei es, &c.* Ex quibus verbis colligũt omnes Patres,& docet expressè hic D.Tho. articul. 3. Christum fuisse tentatum illis tentationibus (quas Euangelistæ narrãt) post quadraginta dies ieiunij. Ita suppo nunt apertè omnes allegati in superiori sectione,qui dicunt,Dæmonem accepisse ansam tentandi Christum,quòd eũ esurientem vidisset. *Matth.* *Quo tẽpore Christus tentatus sit.*

Circa quod dubitare potest aliquis,quia Matth. non affirmat tentatorem accessisse, postquam vidit Christum esurientẽ: sed solum vnum post aliud narrat, ex ordine autem literæ non rectè colligitur, eodem ordine res gestas esse, quo recensentur, præsertim cùm alij Euangelistæ simpliciter narrent,Christum tentatum fuisse illis diebus; imò Lucas prius narrat fuisse tentatum, postea ieiunasse. Est autem aduertendum,D.Thom.hic artic. 3.in argum.sed contra in hunc modũ citare verba Matth. *Cum ieiunasset quadraginta diebus,& quadraginta noctibus, postea esuriit, & tunc accessit ad eum tentator.* Sed in textu Euangelij nõ est illa particula,Tũc, nec in Græcis,Latinis ve codicibus cùm tamen in ea tota vis testimonij sita esse videatur. Deinde refertur totus ille contextus tanquam vna periodus,cùm tamẽ dupplex sit,quarũ prior ibi finitur,*postea* *Dubium.* *D. Thom.*

esuriit, posterior verò subsequitur. Et *accedens tentator*, & ita locum habet difficultas proposita. Ad quam dicendum videtur, non ex solo ordine literæ: sed ex tota narratione hoc sufficienter colligi, præsertim cùm in fine illius cõcludant Matthæ. & Lucas. Et *consummata omni tentatione reliquit eum diabolus, & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei*. Ex quo rectè intelligimus post finitam tentationẽ Christum soluisse ieiunium, quod quadraginta diebus durauerat, ergo signum est, tentationem fuisse factam finitis illis diebus, vel certe in vltimo eorum. Quid enim horum duorum verius sit, non satis certum est. Nam cùm Lucas dicat: *Consummatis diebus postea esuriit*, & tentatio post famem intelligatur subsequuta, videtur accidisse die quadragesimo primo ab inchoato ieiunio, & hoc sentit D. Thom. hic art. 3. Aliunde verò obstat, quod Patres dicunt non sine mysterio factum esse, vt Christus non minus, quàm quadraginta diebus ieiunauerit, ne minor esse, quàm Moyses, & Elias videretur: & vt ieiuniũ in ecclesia seruãdum præsignificaret: Nec etiam quadraginta dies ieiunij excesserit, ne existimaretur non esse verus homo, & propter multa mysteria, quæ de quadragenario numero frequenter ipsi commentantur. At verò si post integros quadraginta dies Christus fuisset tentatus, oportuisset eum vltra qnadraginta dies ieiunare, quia non poterant tentationes illę vna hora, imò neque fortasse minorè tempore, quàm vnius diei absolui. Adde, argumentum illud sumptum ex eo verbo, *consummatis diebus*, non esse efficax, quia hic loquendi modus etiam locum habet, quando vltimus dies inchoatus est, vt supra diximus, exemplo eiusdem Lucæ capit. primo. *Postquam consummati sunt dies octo.*

Responsio

quadraginta dieb' cur Christus ieiunauerit.

Luc.1.

Nihilominus facile potest prior sententia defendi, dicendo tentationes breui tempore fuisse consummatas, & ideô non posse dici Christum vltra quadraginta dies ieiuna esse, quanuis non statim in initio, sed post aliquot horas diei quadragesimi primi cibum sumpserit.

Sed quanquam ratio facta satis concludat finem totius tẽtationis fuisse vel post quadraginta dies, vel in fine illorum: tamen non satis probat initium, seu primam illarum tentationum antea non fuisse. Quod quidem ex eo pendet, Vtrum illæ tentationes quasi continuè factæ fuerint, prout narrantur, an verò interpositis aliquot diebus. Intelligi enim potest Dæmonem cæpisse tentare Christum prima tentatione decimo, aut vigesimo die, postea verò nonnullis diebus interiectis addidisse secundam, ac denique in fine tertiò, ac vehementius incubuisse. Quæ explicatio Matth. non repugnat, vt dixi, Marco autem, & Lucæ consentanea est dicentibus: *Erat in deserto quadraginta diebus, & tentabatur a Satana.*

Sed nihilominus omnes Patres, & expositores intelligunt tentationes expressas ab Euangelistis continenter esse factas: quia Matth. & Lucas narratione sua hoc magis indicant. Item quia & ex modo primæ tentationis, & ex verbis Euangelistarum non obscurè colligitur, illam tentationem factam esse, postquã Christus esurire cæpit. Hinc enim occasione sumpta instigabat illum Dæmon, vt lapides in panem conuerteret, ergo omnes illæ tentationes factæ sunt post quadraginta dies. Deinde finitis tentationibus addit Lucas. Et *consummata omni tentatione diabolus recessit ab illo vsque ad tempus*, ergo significat, postquam illum tentare cæpit non destitisse vnquam, donec omnes tentationes consummaret. Sine dubio ergo asserendum est sine dierum interpolatione factas fuisse atque adeõ post quadraginta dies ieiunij, & inchoatas, & perfectas fuisse.

Christus tẽtari quando cęperit.

Sed adhuc explicanda supersunt verba illa Lucæ, & Marc. *& tentabatur a Satana.* Propter quæ graues aliqui autores dixerunt, quanuis illæ tentationes, quas in specie Euangelistæ exprimunt, factæ sint post ieiunium, aliis tamen modis, qui in Euangelio non explicantur, Christum tentatum à Dæmone fuisse illis quadraginta diebus. Ita sentit Beda libro. 1. in Marcum capit. 1. dicens. *Tentatur quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vt indicet, quod quandiu hic viuentes Domino seruimus, adest aduersarius, qui iter nostrum tentando impedire non cessat.* Clarius Origenes homil. 29. in Lucam. *Quadraginta* (inquit) *diebus tentatur Iesus, & quæ fuerint tentamenta, nescimus, quæ ideo forsitam prætermissa sunt, quia maiora erant, quam vt literis crederentur. Et si sic oportet dicere, sicut mundus capere non poterat omnes libros, si scripta fuissent, quæ fecit,*

Dubium.

Beda.

Orig.

cit, & docuit Iesus, sic quadraginta dierum tentationes, quibus tentatus est Dominus a diabolo, mundus ferre non poterat, si scriptura docuisset. Idem sentit Eusebius libro. 9. de Demonstr. capit. 7. vbi dicit diebus, & noctibus tētatum esse, & ad hunc sensum accōmodat verba illa Psalm. 90. *Non timebis a timore nocturno, a sagita volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & Dæmonio meridiano.* Et ibidem ait magnam Dæmonum cateruam omnibus illis diebus Christum circudasse ad eum inuadendum. Euthym. verò Matthæ. 4. ita explicat hanc sententiam, vt dicat illis diebus Dæmonem tentasse Christum, *e longinquo per somnium, per tristitiam, per ignauiam, & similia.* Nec D. Thom. hic artic. 3. ad 2. ab hac sententia est alienus, sed intelligendam esse dicit non de illis tentationibus visibilibus, quas Euangelistæ narrant: sed de quibusdam aliis impugnationibus, quas fortè illo ieiunij tempore Christus est a diabolo passus. Et Caietan. addit probabile videri illis diebus Dæmones formasse corporeas similitudines varias ad tentandum Christum, sicut de B. Antonio, aliisque Patribus anachoretis legimus. Denique hanc sententiam sequitur Iansenius capit. 15. Concordiæ. Est igitur hæc opinio satis probabilis. Nam & per se credibile est Dæmonem fuisse valde propensum ad tentandum Christum, & nisi fortasse speciali Dei prouidētia fuit impeditus, magna solicitudine ac diligentia id peregisse. Præterea verba Euangelij fauere videntur: Nam licet verba Marc. non ita vrgeant, quia ille, rem breuiter, & concisè narrat, & simul dicit: *Tentabatur a Satana, & Angeli ministrabant illi.* Vnde sicut ex hoc colligi non potest, sæpius Angelos ei ministrasse illis diebus: sed solum post ieiunium, & tentationes, ita non potest colligi sępius fuisse tentatū ante quadragesimum diem: sensus ergo erit in illis quadraginta diebus, vel immediatè post illos hæc omnia accidisse. Cæterum verba Lucæ magis videntur fauere, quæ ita habent. *Agebatur in spiritu in deserto*, vel, *in desertum diebus quadraginta, & tentabatur a diabolo*, vbi in Græco deest illa particula, *&*, vnde ille numerus dierum coniungi videtur, cum verbo *tentabatur*, seu cum participio *tentatus*, quod est in Græco, scilicet *quadraginta diebus tentatus a diabolo.*

Euseb. Psal. 90. Euthym. D. Thom. Caiet. Iansen

A

B

C

Sed reuera sensus Lucæ non est alius à sensu Marc. Nam in Græco vtrobique est participium, idemque contextus. Vnde recte intelligi potest primum illud verbum dictum esse à Luca per recapitulationem, seu anticipationem; postea verò distinctè, suoque ordine esse narrata, quę breuiter anticipata fuerant, quod frequens est in scriptura iuxta sextam regulam Ticonij apud August. lib. 3. de doct. Christ. capit. 36. Quo circa nullum video in Euangeliis sufficiens fundamentum, vt asseramus illis diebus fuisse Christum à Dæmone tentatum. Deinde probabilius videtur Dæmonem non tentasse illis diebus Christum in forma visibili, & quasi humana persuasione, sicut postea fecit, quod rectè docuit hic D. Thom. & est clara sententia omnium Patrum, quos sect. præcedenti retuli, Ignatij, Hilarij, Hieronymi, Chrysostom. Ambros. Cypriani, & aliorum, qui dicunt Dæmonem non fuisse ausum aggredi Christum, donec eum conspexit furientem, & humana patientem. Valde enim timebat, ne fortasse esset plusquàm homo, propter ea quæ de illo audierat, & viderat. Et ideò quandiu in deserto illum vidit vitam agentem supra humanæ naturæ conditionem, & nihil sentientem, nec occasionē inuenit, nec ausus est apertè cum illo cōgredi. Rursus secluso hoc tentationis genere, cùm ipse non potuerit Christum tētare interna tentatione: sed tantum externa per suggestionem, vix apparet, quibus aliis modis tentare eum illis diebus potuerit, nisi fortasse obiecta aliqua sensibilia exterius proponendo, quibus vel terreretur, vel perturbaretur, vt excitando strepitum vehementē, aut proponendo monstrosas figuras, & imagines. Qui sanè modus possibilis quidem fuit. Sed tam puerilis mihi videtur, vt vix credam Dæmonē iis modis aggressum esse Christum, cuius insignem virtutem & perfectionem vel inuitus agnouerat, & dignitatem Diuinam suspicabatur, ac reuerebatur. Quo circa illæ Origenis exaggerationes nimiæ sunt, & sine aliquo fundamento scriptæ, verba autem Euthym. minus cautè dicta. Quia Dæmon non poterat torporem, vel segnitiem in Christum immittere, quia hæc pertinent ad intrinsecum tentandi modum, & ad imperfectionem fomitis, cum hæc sine ali-

Responsio Quot dies, & quando tentatus à demone Christus sit Aug.

quo affectu sensibili minimè fiant: quem nō potuit Dæmō in Christo excitare, sed externa solum obiecta proponere, ac representare. Atque de tentationis tempore hactenus.

In deserto cur Christus tētatus.

Secundo, de loco tentationis docent Euangelistæ Christum ductum esse in desertum, ibique tentatum esse, quare dubium non est, quin Christi tentatio in deserto aliquo modo sit facta. Cuius rei variæ rationes morales traduntur à Patribus locis citatis, quas hic articul. 2. attigit D. Thom. quibus addi possunt duæ, quas indicauit Cyprian. alteram iis verbis. *Locus secretus eligitur, quia solius Dei iudicio ieiunia sunt agenda.* Quam latè prosequitur, docens voluisse Christum hoc exemplo docere in huiusmodi externis operibus virtutum in primis humanas esse laudes fugiendas. Quæ ratio licet à Cyprian. in ieiunio explicetur, eandem, maioremque vim habet in insigni victoria de Dæmone reportata. Quod infra declarat dicens recessisse in desertum, vt fugiendo mundum, expeditior esset ad Dæmonem superandum. Vnde alteram rationem his verbis adiungit. *Vt anima expedita liberius obuiet impugnanti, securior est congressus, vbi singula non vellicant dimicantem, nec inebriant animam lenocinia voluptatum.*

D. Thom. Cypria

Dubium.

Difficultas verò communis hoc loco est, an tota illa tentatio peracta fuerit in deserto. Ratio dubitandi est, quia quanuis Matthæ. & Luc. referant, primam tentationem factam esse in eodem deserto, in quo Christus ieiunauit: secundam tamen in pinnaculo templi: tertiam verò in mōte excelso narrant esse factam. Circa hoc quidam dicunt reipsa omnes tentationes fuisse in deserto factas, & Christum non vere, sed imaginariè tantum ductum esse in Ierusalem super pinnaculum templi. Ita refert hic D. Thom. & videtur insinuare, licet subobscurè Cyprian. dicto sermo. dum ait. *Localiter quidem in deserto prima fuit tentatio: sed cæteras eo modo circumduxit tētatoris astutia quomodo Ezechiel, cum super fluuiū Chobar sederet Ierosolymā raptus in spiritu, ciuitatē ædificat, & metitur, & muros & templum instaurat, hoc modo super culmen templi Christus erat in spiritu.* Et potest hoc suaderi, quia in Euangelio dicitur, Dæmonē ostendisse Christō super excelsum montem posito omnia regna orbis terræ: quod nequit intelligi secundum veram, ac realem præsentiam. Quia non poterant simul omnia regna mundi ita obiici oculis, ac fieri localiter propinqua, vt verè, & in seipsis cernerentur, ergo necesse est id secundum imaginariam præsentiam intelligi, ergo eademratione cętera quoque possunt intelligi.

D. Thom. Cyprian.

Responsio

Nihilominus vera sententia est, Christum dominum verè, & corporaliter ductum esse Ierosolymam, & super pinnaculum templi collocatum. Ita sentit Diuus Thom. hic, & Caietan. contrariam sententiam *figmentum* vocat, quia verba Euangeliorum sunt satis expressa. Matt. enim sic ait. *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, seu, in Ierusalem* (vt ait Lucas) *& statuit eum supra pinnaculum templi.* Quæ verba sunt historica, & propriè possunt intelligi. Deinde subiungit Euangelista, dixisse Dæmonem. *Mitte te hinc deorsum,* quæ verba necessariò supponunt Christum reuera fuisse in loco illo eminenti positum, quia (nisi ita esset) non posset inde se præcipitem agere. Præterea quia Dæmon non poterat interius immutare Christi phantasiam (hoc enim nō decebat) sed externa solum obiecta proponere, nō poterat ergo efficere, vt Christus imaginaria apprehensione supra pinnaculum templi ferri videretur. Deniq; in hoc nullum est incommodum, nulla indecentia, vt videbimus. Quapropter Patres omnes ita hunc locum ad literam intelligunt, vt verba sonant, vt ex omnibus supracitatis patet, & statim etiā nonnullos indicabimus.

D. Thom. Caiet. Mat. 4 Luc. 4.

Tētationes Christi non in deserto omnes sunt factę.

Nec coniectura ex tertia tentatione sumpta quicquā contrariæ sententię confert. Quia etiam in illa reipsa Christus fuit ductus super montem excelsum, eique demonstrauit Dæmon omnia regna mundi non solum imaginaria cognitione sed (vt rectè dixit Euthym.) *Digito ei demonstrans partes orbis, in quibus mundi regna sita erant, dicens. In hac parte est regnum Romanorum, in illa Persarum, in illa Syriorum, & sic de aliis, & hoc gloriam habet in iis rebus, illud in aliis, &c.* Hoc ergo modo in momento, id est, in breui tempore, (vt Lucas ait) *ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.* Quæ omnia sumpsit Euthymius, ex Chrisost. in imperfect. homil. 5. Theophyl. verò addit, *sensibiliter ei monstrasse in monte omnia regna, ante oculos ea apparere faciens* Sed hoc quomodo fieri potuit

Euthym. Chryf. Theophyl.

potuerit, vix intelligi potest, nisi fortasse A veluti describendo imagines quasdam vrbium, quod non videtur necessarium.

Dubium. Cypria. Sed quæres rursus. Quomodo Christus à Dæmone in hæc loca sit ductus. Cyprianus supra in conueniens ait esse credere diabolũ eum tulisse, aut quŏd Christus ei ferendum se comiserit, cuius insidias agnoscebat. Vnde concludit, proprio spiritu, idest, virtute animæ suæ Christum ad hæc loca deductum Dæmonis sequentem vestigia. In eandem sententiam *Ansel. Origen. Greg. pap.* propendent Anselm. Matthæ. 4. & Origen. homil. 31. in Lucam. D. autem Gregor. homil. 16. in Euangelia sentit Christum Dominum ab ipso Dæmone fuisse B in templum, & in montẽ excelsum transportatum. *Responsio* Nec mirum (inquit) est, si se ab illo permisit in montem duci, qui se pertulit etiã *Christus in templũ, & mõtẽ excelsum à Dæmone transportatus. Chrys. D. Thom.* ab illius membris crucifigi. In eadem sententia est Chrysostom. homil. 5. imperfecti, & ferè reliqui expositores, & D. Thom. hic articul. 4. ad. 7. Et hæc sententia videtur magis consentanea verbis Euangeliorum. Primùm, illud verbum, *Assumpsit*, propriè hoc significat. Deinde etiam verbum illud, *statuit eum super pinnaculum templi*, supponit, quòd ab ipso vehebatur. Etaddi potest coniectura, quia hic modus erat facilis Dæmoni. Nam si humano gressu totum illud iter esset agendum non nisi longo tempore, & magna Christi defatigatione confici posset. Rectè verò annotat D. Thom. cum Chrysost. quanuis Christus per aera vectus sit, non permisisse tamen, vt ab aliis cerneretur, ne aut scandalum, & admirationem eis ingeneraret, aut magus videretur.

Ex his ergo necessariò concluditur, nõ omnes tentationes factas esse in deserto: sed primam tãtum: secundam vero in tẽplo Ierosolymitano in pinnaculo, id est, in fastigio, seu in summitate ædificij, tertiam verò in alio monte excelso. Quod autem fuerit illud desertum, & quis hic mons, quantumque inter se, & a Ierosolymis distauerint, affirmare non possum. Quia quanuis nonnulla in expositoribus legantur, mihi valde incerta sunt, & ambigua, fuerunt autem hæc loca singulis tentationibus accommodata. *Loca tẽtationũ opportuna.* Nam locus desertus, vbi cibus humanus inueniri nõ poterat, aptus erat, vt homo famelicus cibum sibi miraculosè fieri optaret, locus eminens, & altus, atque in medio regiæ ciuitatis situs vanitati commodus: denique mons excelsus, oportunus apparebat vt oculus multa conspiceret, quæ animus appeteret, & ideò ad tentandum de auaritia meritò electus est. Neque huic sententiæ Euangelistæ repugnant, cùm ex eis potius deprompta sit. Nec enim affirmant omnem tentationem factam esse in deserto: sed solũm Christum tentatum esse in deserto, quod verum est, quia ibi primò tentatus est, indeque sumptũ omnis tentationis initium. Neque est incredibile, statim post vltimam tentationem Christum inuentum esse in deserto, propter verba Marc. dicentis. *Et erat in deserto* *Marc. 1.* *quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur à Satana, eratque cum bestiis, & Angeli ministrabant illi.* Ex quo loco videtur *Post vltimã* colligi hęc omnia peracta esse in deserto. *tentationẽ* Refert autem Matth. illud Angelorũ mi- *Christus in* nisteriũ fuisse post vltimam tentationem *desertum re* & omnes expositores intelligunt cibum *ducitur.* illi, ac potum in eodem deserto, in quo ieiunauerat, ministrasse, ergo credibile est reductũ esse in desertum è monte, in quo tentatus fuerat. Quod si hoc verum est, non est credendum, vectum esse à Demone, cum iam à tentando destitisset, & Matthæ. & Luc. narrent statim ab eo recessisse, sed vel eorundem sanctorum Angelorum ministerio, qui iam in deserto mensam illi parauerant, vel sua certe propria virtute, vt erat ei facillimum.

SECTIO IIII.

Quibus in rebus, quo ve ordine, ac modo Christus tentatus fuerit.

TRia in titulo proponuntur, quæ ad complementum huius disputationis necessaria videri possũt, & ideŏ breuiter expedienda sunt. Primo igitur (quod ad res, seu materias harum tentationum attinet) omnes affirmant vnam fuisse gulæ, alteram superbiæ, seu gloriæ vanæ, auaritiæ alteram. In quo nulla ferè est difficultas, solum est circa primam ad- *Qua de re* uertendum, illam vocari tentationem gu- *in deserto* læ, quia in materia cibi versabatur, & *tentatus sit* quia inducebat Christum ad subueniendum fami modo indebito, in quo includitur nimius cibi appetitus, & inordinatus non ex parte materiæ, seu quantitatis, quæ reuera non excessisset medium

temperantiæ in homine sic esuriente, cui nec manducatio, nec talis species cibi prohibita erat: Sed in modo iam explicato. Qui etiã vanitatem quandàm continebat petendo miraculum, quod neque ad Dei gloriam pertinebat, neq; ad alium finem tunc erat necessarium, sed solum cuiusdã ostentationis causa. Idem ferè in tertia tẽtatione adnotandum est. Nam licet promissio regnorum ad auaritiam pertineat: in ea tamen continentur ambitio, superbia, & similia vitia. Etenim appetitus regnandi, dominandique libido hæc omnia complectitur, & ita in omnibus his tentationibus fuit præcipuè intenta superbia, & vanitas, quanuis sub diuersis (vt ita dicam) coloribus, & ad diuersas materias applicata.

Illud prẽterea considerandum est, licet hæc vltima tentatio, ratione promissionis à Dæmone factæ, ad auaritiã pertinere dicatur: tamen ratione materię, seu actus ad quẽ inducebat Christũ, pertinuisse potiꝰ ad sacrilegium, & idololatriam. Tamen sicut Arist. dixit, qui furatur propter mæchiã potius est mæchus, quam fur, ita Dæmon inducens ad sui adorationẽ propter auaritiã, simplititer dicitur de auaritia tẽtasse, & hoc ipsum in aliis tentationibus notandũ est, quanuis in eis videatur paulatim processisse. Nam in prima, videtur respexisse ad aliquod de se non malum nẽpe esurientis corporis refectionẽ, per medium tamen malum, & inordinatum. In secunda respexit ad aliquid turpe quidẽ, & malum, sed quod de se videri posset, non admodum graue, vt est vana apud homines existimatio: per medium tamẽ magis, atq; euidentius inordinatum. In tertia verò manifestius prodidit malitiam suam, & ad summũ malum contra Deum induxit, propter infirmũ quoddam motiuum, quod radix, & occasio vitiorũ omnium esse solet.

Caiet. Rectè etiã aduertit Caietan. hoc loco, ita voluisse Dæmonẽ inducere Christum ad hæc vitia, vt in singulis diuinitatẽ eius explorare studuerit, ideoq; in prima ab illo requisiuit opus diuinitatis propriũ, nempe vt rem vnam in aliam solo Imperij sui nutu, verboq; conuerteret: quod non nisi à Deo, vel saltẽ virtute diuina fieri potest. Vnde si Christus in testimoniũ, & probationem, quòd esset filius Dei, prout à Dęmone exigebatur, opus illud patrasset, eui denter agnouisset Dæmõ, quod optabat. Christus autem dominus (vt notauit Irenæus lib. 5. contra hæres. c. 21.) ita illum eluſit. *Vt ad illud, si filius Dei es, tacuerit, & hominis confessione eum exęcauerit, dicens. Nõ in solo pane viuit homo.* Et hæc ferè omnia in secunda tentatione obseruari possunt, in qua etiã opus supernaturale in testimoniũ diuinitatis Dæmon postulauit. Cui tamen ita Christus respondit, vt de sua diuinitate silens, & humanitatẽ recognoscens ac secundũ illam subiectionem ad Deũ, diceret. *Non tentabis dominum Deum tuum.* At verò in tertia tentatione Dæmon nullum supernaturale opus exegit, quôd de illo obtinendo iam desperasset: sed flagitauit potius opus omnino diuinitati contrariũ & iniuriosum, vt si verus Deus esset, tanta blasphemia, & illata sibi prouocatus iniuria, se Dæmoni potius adorandũ imperaret, atque hoc modo suam diuinitatem proderet, Christus autẽ summa sapientia, & eximia autoritate (qualis hominem iustum deceret) & Dæmonis temeritatẽ, audatiamq; perfringit dicens, *Vade Satana*, & suam diuinitatem abscondit adiungens. *Dominum Deum tuum adorabis.*

Iren.

Ex quibus etiam relinquitur, quomodo Christus exẽplo suo docuerit, qua ratione sint à nobis Dæmonis tentationes superãdæ. Primò, verbo Dei et scripturis sãctis vtẽdo: Secũdo, diuina mãdata in memoriã reuocando. Tertio diuinis promissionibus cõfidendo. Quarto, tentatoris insidias percallendo, & nulla in re earũ, quas intendit, ei cooperãdo: sed magna fiducia in Deũ, & autoritate etiã, si opus fuerit, illum repellendo.

Secundo (quod ad ordinem pertinet) nõnulla est diuersitas inter Euangelistas, quoad secundã, & tertiã tentationẽ. Quia Luc. 2. loco tẽtationẽ de auaritia, seu idololatria in excelso mõte factã cõmemorat. Mat. verò hanc ponit tertio loco, in secũdo verõ tentationẽ factã in templo, quam Lucas. 3. loco recenset. Quapropter *Aug.* lib. 2. de consens. Euang. c. 16. dubiũ relinquit, quid horũ factũ sit prius, quem D. Thom. hic imitatur artic. 4. ad. 5. Caieta. autẽ ibidem miratur, cur Aug. hoc in dubium vocauerit, & certũ existimat, eum ordinem seruatũ fuisse, quẽ præscribit Mat thæ. Quia in Luca nulla est vox, quæ ordinẽ indicet, sed simplex narratio vnius rei post aliam, ex qua serie narrationis nõ satis

Aug.

D. Thom. Ordo tẽtationũ Christi. Caiet.

satis colligitur ordo rerum, at verò apud Matth. mutata sunt quæ ordinem indicāt. Nam finita prima, tētatione dicitur. *Tunc assumpsit, &c.* quæ particula consequutionem vnius post aliud indicat, & similiter post secundā subiungitur. *Iterum assumpsit eum, &c.* Quibus verbis idem ordo indicatur, & tandē absoluta vltima tentatione, concluditur. *Tunc reliquit eum diabolus.* Et hanc sententiam sequūtur cōmuniter expositores omnes, & veteres Patres, Hier. Hilar. Chrysost. & alij supracitati, quibus addi potest Pacianus in pareneſi de pœnitentia, in vltima parte, quæ est de baptismo, & expressius Cassian. collat. 5. cap. 6. Qui ordo tētationū est etiam ipsis rebus magis accommodatus, vt ex dictis, & ex iis, quæ D. Thomas tradit, planè colligitur.

Hieroym. Hilar Chrysost. Pacian. Cassian.

Tertio de modo harū tentationū omnes dicunt apparuisse Dæmonē in specie visibili vt ipsa verba scripturæ insinuant. Ac cedens tentator, nā illud verbū motum corporalē indicat. Deinde ipsa mutua colloquutio etiam indicat corporalia organa. In qua autē specie apparuerit Dæmon nō satis constat, omnes tamen existimant, in humana specie apparuisse, quia hæc ad loquendū, & audiendum est aptior. Et Carthus. addit apparuisse sub specie viri sancti. Denique credendū est apparuisse sub illa forma, quæ aptior ei ad persuadendū visa est: modus autē solū fuit per exteriorem sermonē, quia Dæmon non poterat Christi affectum, vel interiores sensus aliter excitare, vt in superioribus diximus, & notauit Damas. lib. 3. de fide c. 20. Vbi id confirmat, quia Dæmō non potuit alio modo Adamū tentare, ergo multo minus Christum. Vnde bene coniectat Caietan. hic, quanquam pauciſsimis verbis rei summa ab Euangeliſtis referatur, tamen verisimile esse Dæmonem longa oratione fuisse vsum, vt Christum flecteret, quā quam verisimilius sit à Christo solo vno, aut altero verbo Dæmonem fuisse superatum, ac repulsum.

Sub specie visibili Christo dia bolus tentator appa ret.

Chartus.

QVAESTIO XLII.

De doctrina Christi, in quatuor artic. diuisa.

DEinde considerandū est de doctrina Christi. ¶ Et circa hoc quæruntur quatuor. ¶ Primo, vtrū Christus debuerit prædicare solū Iudæis an etiā Gentilibus. ¶ Secundo, vtrum in sua prædicatione debuerit turbationem Iudæorū vitare. ¶ Tertio, vtrū debuerit prædicare publicè, vel occultè. ¶ Quarto vtrum debuerit docere solùm verbo, vel etiā scripto. ¶ De tempore autē, quo docere incepit, suprà dictū est, cùm de baptismo eius ageretur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum conueniens fuerit, Christū Iudæis, & non Gētibus prædicare.

AD primū sic proceditur. Videtur, quod Christus non solū Iudæis, sed etiā Gentilibus debuerit prædicare. Dicitur enim Isa. 49. Parū est, vt sis mihi seruus ad suscitādas tribus Israel, & fæces Iacob conuertendas, dedi te in lucē Gentiū, vt sis salus mea vsque ad extremū terræ. Sed lumen, & salutem Christus præbuit per suam doctrinā; ergo videtur, parū fuisse si solū Iudæis, & nō Gentilibus prædicauit. ¶ 2. Præterea, Sicut dicitur Matt. 7. Erat docēs eos, sicut potestatē habens. Sed maior potestas doctrinæ ostēditur in instructione illorū, qui penitus nihil audierūt, quales erāt Gentiles, vnde Apostol. dicit ad Rom. 15. Sic prædicaui Euangeliū hoc, non vbi nominatus est Christus, ne super alienū fundamentum ædificarē. Ergo multò magis Christus prædicare debuit Gentibus, quā Iudæis. ¶ 3. Præterea, Vtilior est instructio multorū, quā vnius. Sed Christus aliquos Gentilium instruxit sicut mulierem Samaritanā, Ioan. 4. & Chananeam, Matt. 15. Ergo videtur, quod multò fortius Christus debuerit multitudini Gentiū prædicare. ¶ Sed cōtra est q̄ Dominus dicit Matth. 15. Non sum missus nisi ad oues, quæ perierūt domus Israel, Sed Rom. 10. dicitur, Quomodo prædi-

cabunt, nisi mittantur? ergo Christus non debuit prædicare nisi Iudæis.

¶ Respondeo dicendum, quod conueniēs fuit prædicationem Christi, tam per ipsum, quàm per Apostolos à principio, solis Iudæis exhiberi. Primò quidem, vt ostenderet per suum aduentum impleri promissiones antiquitus factas Iudæis, non autem Gentilibus. Vnde Apostol. dicit Roman. 15. Dico Christum Iesum ministrum fuisse circuncisionis (id est Apostolum & prædicatorem Iudæorum) propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum. Secundò, vt eius aduentus ostēderetur esse à Deo. Quæ enim à Deo sunt, ordinata sunt: vt dicitur Roman. 13. Hoc autem debitus ordo exigebat, vt Iudæis, qui Deo erant propinquiores per fidem, & cultum vnius Dei, prius doctrina Christi proponeretur, & per eos transmitteretur ad Gentes. Sicut etiā in cœlesti hierarchia, per superiores Angelos ad inferiores, diuinæ illuminationes deueniunt. Vnde super illud Matthæ. 15. Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel, dicit Hieroym. Non hoc dicit, quin & ad Gentes missus sit: sed quod primùm ad Israel missus est. Vnde & Isa. vltim. dicitur. Mittam ex eis, qui saluati fuerint (scilicet ex Iudæis) ad Gentes, & annuntiabunt gloriam meam Gentibus. Tertiò, vt Iudæis auferret calumniandi materiam: vnde super illud Matth. 10. in viam Gentium ne abieritis, dicit Hieronym. Oportebat primùm aduentum Christi nuntiari Iudæis, ne iustam haberent excusationem, dicentes, ideo se Dominū reiecisse, quia ad Gentes, & Samaritanos Apostolos miserit. Quartò, quia Christus per crucis victoriam, meruit potestatem, & dominium super Gentes. Vnde dicitur Apocal. 2. Qui vicerit dabo illi potestatem super Gentes, sicut & ego accepi à Patre meo. & Phil. 2. dicitur, quòd quia factus est obediens vsque ad mortem crucis, Deus exaltauit illum, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, & omnis lingua ei confiteatur. Et ideo ante passionem suam noluit Gentibus prædicari suam doctrinam: sed post passionem dixit discipulis, Matthæ. vltim. Euntes docete omnes Gentes. Propter quod, vt legitur Ioan. 12. cùm imminente passione quidam Gentiles vellent Iesum videre, respondit, Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solùm manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Et sicut August. dicit ibidem, se docebat granum mortificandum in infidelitate Iudæorum, & multiplicandum in fide omnium populorum.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd Christus fuit in lumen, & salutem Gentium per discipulos suos, quos ad prædicandum Gentibus misit. ¶ Ad secundum dicendum, quòd non est minoris potestatis, sed maioris facere aliquid per alios, quàm per seipsum. Et ideo in hoc maximè potestas diuina in Christo monstrata est, quòd discipulis suis tātā virtutē cōtulit in docendo, vt Gentes, quæ nihil de Christo audierant, conuerterent ad ipsum. Potestas autem Christi in docendo attenditur, & quantum ad miracula, per quæ doctrinam suam cōfirmabat, & quantum ad efficaciam persuadendi, & quantū ad autoritatem loquentis: quia loquebatur quasi dominium habens super legem, cùm diceret, Ego autem dico vobis: & etiam quantum ad virtutem rectitudinis, quam in sua conuersatione monstrabat, sine peccato viuendo. ¶ Ad tertium dicendum, quòd sicut Christus non debuit à principio indifferenter Gentilibus suam doctrinam communicare, vt Iudæis tanquam primogenito populo editus obseruaretur: ita etiā non debuit Gentiles omnino reppellere, ne spes salutis eis præcluderetur. Et propter hoc aliqui Gentilium particulariter sunt admissi, propter excellentiā fidei, & deuotionis eorū.

In illud verbum Mat. 15. Nō sum miss. to. 9.

In illud Mat. 10. in viam gentium to. 9.

Tract. 51. in Ioan. circa medium illius, to. 9.

Com-

COMMENTARIVS.

SEntentia D. Thom. in hoc articulo est conueniens fuisse, vt Christus per se Iudæis tantum prædicaret, gentibus autem per Apostolos, & discipulos suos. Cuius rei optimas, & perspicuas congruentias affert. Intelligendum est autem (vt ex eodem colligitur in sol. ad 3.) non fuisse simpliciter Christo prohibitũ ne gentes doceret, cùm interdum legamus id feciſſe: sed missum esse duntaxat, vt publicè, & ex instituto Iudæis prædicaret, non verò gentibus, vtque hoc conuenienti tempore reseruaret per Apostolos exequendum. Ex quo rectè colligit D. Thom. in sol. ad 2. Christum non solum fuisse doctorem Iudæorum, sed etiã Gentium modo nimirum quodammodo excellentiori, quique virtutem eius, & potestatem excellentiæ valde commendat. Habuit quippe autoritatem ad creandos doctores gentium longè aliter, quàm homines possint: etiam si vtantur potestate ab eodem Christo data. Nam licet vicarius Christi possit mittere ad prædicandum, & dare ius docendi, non tamen facultatem, seu sufficientiam ad docendum, & multò minus potest tribuere vim, & efficaciam verbo. At verò Christus vtrumq; præbuit Apostolis, quos totius orbis doctores instituit, iuxta illud: *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non potuerunt contradicere omnes aduersarij vestri.* Luc. 21. Et ideò Paulus ad Galat. 1. gloriatur se esse constitutum Apostolum gentium *non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum*, & 1. ad Timoth. 2. *In quo positus sum ego prædicator, & Apostolus (veritatem dico, & non mẽtior) doctor gentium in fide, & veritate*, quòd nimirum Doctores ab ipso Christo immediatè creati excellentiores fuerint, & sapientia, virtuteq; maiores.

Christus doctor gentiũ quomodo

Luc. 21. Galatas. 1. 1. Timot. 2

Sed potest quis circa rationem quartã D. Thom. obiicere. Probat enim idcò noluisse Christum doctrinam suam gentibus ante mortem prædicare: quia eadem morte potestatem, & dominium super gẽtes meruit. Quæ ratio eodem modo in Iudeis procedit, quia etiam in illos singulare dominium, & potestatem per mortem comparauit: nam & pro illis mortuus est, sicut & pro gentibus. Respondetur rectè concludi hoc solo titulo non fuisse prædicandum Iudæis ante mortem: fuerunt tamen aliæ causæ, propter quas illis prædicare Christus debuit, scilicet quia illis fuerat specialiter promissus ac missus: & quia illis credita erant eloquia Dei, ac deniq; quia omnino oportebat, vt Christus per se ipsum aliquibus prædicaret: non poterat autem ab aliis conuenientius ordiri, quàm à Iudeis.

Obiectio.

Responsio

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum, Christus debuerit Iudæis sine eorum offensione prædicare.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod Christus debuerit Iudæis sine eorum offensione prædicare. Quia vt Aug. dicit in lib. de Agone Christia. in homine Iesu Christo se nobis ad exemplum vitæ præbuit filius Dei. Sed nos debemus vitare offensionẽ non solùm fidelium, sed etiam infidelium: secundum illud 1. ad Corint. 10. Sine offensione estote Iudæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei. Ergo videtur, quod etiam Christus in sua doctrina offensionem Iudæorum vitare debuerit. 231.

¶ 2. Præterea, Nullus sapiens debet facere vnde effectum sui operis impediat. Sed per hoc, quod sua doctrina Christus Iudæos turbauit, impediebatur effectus eius doctrinæ. dicitur enim Lucæ. 11. quòd cùm Dominus Pharisæos, & Scribs reprehenderet, cœperunt grauiter insistere, & os eius opprimere de multis, insidiantes ei, & quærentes aliquid capere ex ore eius, vt accusarent eum. Non ergo videtur conueniens fuisse, quòd eos in sua doctrina offenderet.

¶ 3. Præterea, Apostolus dicit primæ ad Timoth. 5. Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrẽ. Sed sacerdotes, & principes Iudæorum erant illius populi seniores. Ergo videtur, quòd non fuerint duris increpationibus arguendi. ¶ Sed contra est, quod Isa. 8. fuerat prophetizatum, quòd Christus esset in lapidem offensionis & petrã scandali duabus domibus Israel.

Respondeo dicendũ, quòd salus multitudi-

titudinis est præferenda paci, quoruncunque singularium hominum. Et ideo quando aliqui sua peruersitate multitudinis salutem impediunt, non est timenda eorum offensio à prædicatore vel doctore, adhoc, quòd multitudinis saluti prouideat. Scribæ autem & Pharisæi & principes Iudæorum sua malitia plurimum impediebant populi salutem: tum quia repugnabant Christi doctrinæ, per quam solam poterat esse salus, tum etiam quia prauis suis moribus vitam populi corrumpebant. Et ideo Dominus non obstànte offensione eorum, publicè veritatem docebat, quam illi oderant, & eorum vitia arguebat. Et ideo dicitur Matthæi. 15. quòd discipulis Domino dicentibus, Scis quia Iudæi audito hoc verbo, scandalizati sunt: respondit, Sinite illos, cæci sunt, ducesque cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd homo sic debet esse sine offensione omnibus, vt nulli det suo facto vel dicto minùs recto occasionem ruinæ. Sed cùm de veritate scandalum oritur, magis est sustinendum scandalum, quàm veritàs relinquatur: vt Gregor. dicit.* ¶ *Ad secundum dicendum, quòd per hoc, quòd Christus publicè Scribas & Pharisæos arguebat, non impediuit, sed magis promouit effectum suæ doctrinæ, quia cùm eorum vitia populo innotescebant, minus auertebatur à Christo propter verba Scribarum, & Pharisæorum, qui semper doctrinæ Christi obsistebant.* ¶ *Ad tertium dicendum, quòd illud verbum Apostoli est intelligendum de illis senioribus, qui non solùm ætate vel autoritate, sed etiam honestate sunt senes, secundum illud Numer. 11. Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti, quòd senes populi sint. Si autem autoritatem senectutis in instrumentum malitiæ vertant, publicè peccando, sunt manifeste*

Hom. 7. in Ezech. aliquantulum a pr.

A *& acriter arguendi: sicut & Daniel dixit Danie. 13. Inueterate dierum malorum, &c.*

DOctrina huius articuli moralis est, & concionatoribus vtilis, vt & prudenter, & fideliter suo munere fungi sciant, & ideò eam in sequenti disputatione latius tractabimus.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Christus omnia publice docere debuerit.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd Christus non omnia publicè docere debuerit. Legitur enim multa seorsum discipulis dixisse: sicut patet in sermone Cœnæ, vnde & Matt. 10. dixit. Quod B *in aure audistis in cubilibus, prædicabitur in tectis. Non ergo omnia publicè docuit.* 232 Opus. 60. c. 14

¶ *2. Prætereà, Profunda sapientiæ non sunt nisi perfectis exponenda: secundum illud 1. ad Corin. 2. Sapientiam loquimur inter perfectos. Sed doctrina Christi continebat profundissimam sapientiã. Non ergo erat imperfectæ multitudini communicanda.*

¶ *3. Prætereà, Idem est, veritatem aliquam occultare silentio, & obscuritate verborum. Sed Christus veritatem, quam prædicabat, occultabat turbis obscuritate verborum, quia sine parabolis non lo-* C *quebatur ad eos: vt dicitur Matth. 13. ergo pari ratione poterat occultare silentio.* ¶ *Sed contra est, quod ipse dicit Ioan. 18. In occulto locutus sum nihil.*

¶ *Respondeo dicendum, quòd doctrina alicuius potest esse in occulto tripliciter. Vno modo quantum ad intentionem docẽtis, qui intendit suam doctrinam non mãnifestare multis; sed magis occultare. Quod quidem contigit dupliciter, quandoque ex inuidia docentis, qui vult per suam scientiã excellere, & ideo scientiã suam*

suam non vult aliis communicare. Quod in Christo locum non habuit: ex cuius persona dicitur Sap. 7. Quam sine ficti- A
one didici, & sine inuidia communico,
& honestatem illius non abscondo. Quã-
doque verò hoc contingit propter inho-
Trac. 96. circa fin. to mo. 5. nestatem eorum, quæ docentur: sicut Au-
gust. dicit super Ioan. quod quæ dã sunt
mala, quæ portare non potest qualiscun-
que pudor humanus, vnde de doctrina hæ
reticorum dicitur Prouer. 9. Aquæ fur-
tiuæ dulciores sunt. Doctrina autem
Christi non est, neque de errore, neque
de immunditia, & ideò Dominus dicit B
Marc. 4. Nunquid venit lucerna, ideſt,
vera, & honesta doctrina, vt sub modio
ponatur? Alio modo aliqua doctrina est
in occulto, quia paucis proponitur, & sic
Christus etiam nihil docuit in occulto:
quia Christus omnem doctrinam suam vel
Tr. 113. in Io. in me. t. 9. turbæ toti proposuit, vel omnibus suis
discipulis in communi. Vnde August. di
cit super Ioan. Quis in occulto loquitur
qui coram tot hominibus loquitur præ-
sertim si hoc loquitur paucis, quod per
eos vult innotescere multis? Tertio modo
aliqua doctrina est in occulto quantum
ad modum docendi. Et sic Christus quæ-
dam turbis loquebatur in occulto, para- C
bolis vtens ad annuntianda spiritualia
mysteria, ad quæ capienda nõ erant ido-
nei, vel digni. Et tamen melius erat eis,
vel sic sub tegumento parabolarum, spiri
tualium doctrinam audire, quam omni-
no ea priuari. Harum tamen parabolarũ
apertam, & nudam veritatem Dominus
discipulis exponebat, per quos deueniret
ad alios, qui essent idonei: secundum il-
lud 2. ad Timoth. 2. Quæ audisti à me
per multos testes, hæc commenda fideli-
bus hominibus, qui idonei erunt, & alios
docere. Et hoc signatum est Nume. 4. vbi
mandatur, quod filij Aaron inuoluerent
vasa Sanctuarij, quæ Leuitæ inuoluta
portarent.

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd* (sicut Hilarius dicit super Matth. ex-
ponens illud verbum inductum) non le- can. 10. in Mat. parũa medio.
gimus Dominum solitum fuisse nocti-
bus sermocinari, & doctrinam tradi-
disse in tenebris: sed hoc dicit, quia om-
nis sermo eius carnalibus tenebræ sunt,
& verbum eius infidelibus nox est. Ita-
que quod à se dictum est, cum libertа-
te fidei, & confessionis vult esse loquen-
dum. Vel secundum Hieronym. compa-
ratiuè loquitur: quia videlicet erudie- Super verbũ Mat. ci-
bat eos in paruo Iudææ loco respectu to tatũ in ar. to. 9.
tius mundi, in quo erat per Apostolorũ
prædicationem doctrina Christi publi-
canda. ¶ *Ad secundum dicendum, quòd*
Dominus non omnia profunda suæ sa-
pientiæ sua doctrina manifestauit, non
solum turbis, sed nec etiam discipulis,
quibus dixit Ioan. 16. Adhuc multa ha-
beo vobis dicere, quæ non potestis porta-
re modò. Sed tamen quodcunque dignũ
duxit aliis tradere de sua sapientia, nõ
in occulto, sed palam proposuit, licet nõ
ab omnibus intelligeretur. Vnde Au- Tr. 113 in Ioã, in me-
gustinus dicit super Ioan. Intelligen- d. illius u. 9
dum est ita dixisse Dominum. Palàm lo-
cutus sum mundo: ac si dixisset. Multi
me audierunt, & rursus non erat palàm
quia non intelligebant. ¶ *Ad tertium*
dicendum, quòd turbis Dominus in pa-
rabolis loquebatur (sicut dictũ est) quia In cor. art.
non erant digni, nec idonei nudam ve-
ritatem accipere, quam discipulis expo-
nebat. Quòd autem dicitur, quòd sine
parabolis non loquebatur eis, secundum Hõ. 48. in Mat. circa principium illius. to. 2.
Chrisostomum intelligendum est quan-
tum ad illum sermonem: quamuis aliàs
sine parabolis multa turbis locutus fue-
rit. Vel secundum Agustinum in lib. de
Quæstionibus Euangel. hoc dicitur, non In li q. ex Ma. c. 15. t. 4. in princ.
quia nihil propriè locutus est, sed quia
nullum ferè sermonem explicauit, vbi
non per parabolam aliquid signifi-
cauerit: quanuis in eo ali-
qua propriè dixe-
rit.

Commen

COMMENTARIVS.

Christ⁹ omnia publicè nihil in occulto docuit Ioan. 18.

RESponsio D. Thom. simpliciter, & absolutè est Christũ omnia publicè, nihilq; in occulto tradidisse. Quę assertio sub his terminis de fide est, nam eisdem illã Christus asseruit. Ioan. 18. *Ego palam loquutus sum mũdo, & in occulto locutus sum nihil.* Circa quæ verba omnes ferè ex

Obiectio

Aug. Chrys. Cyr.

positores, præsertim Augustinus, Chrys. & Cyril. dubitant, quomodo Christus nihil in occulto docuerit, cũ sæpe cũ discipulis suis de diuinis rebus secretò egerit.

Mat. 17 & 20 & 24.

Matt. 20. *Assumpsit duodecim discipulos suos secreto, &c.* & cap. 17. *Accesserunt discipuli ad Iesum secreto, & dixerunt. Quare nos non potuimus eiicere illum?* & statim ipse docuit eos. Et similiter c. 24. *Accesserunt ad eum secreto dicentes. Quando hæc erunt?* & similiter eos solos instruxit designis diei iudicij. Præterea in die Transfigurationis, cũ opere ipso gloriam suã tribus tantũ Apostolis ostendisset, dixit eis. *Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis a mortuis resurgat.* Matth. 17. Ac denique in nocte cœnæ solis Apostolis multa, magnaq; mysteria declarauit, & illis specialiter dixit. *Iam nõ dicam vos seruos, sed amicos, quia omnia, quæ audiui a Patre meo nota feci vobis.* Alia rursum fit obiectio. Nam licet interdũ Christus publice coram multis loqueretur: ita tamen sub figuris, & parabolis loquebatur, vt à paucis intelligeretur, videlicet ab Apostolis, quibus interdum doctrinam suam priuatim declarabat, & dicebat. *Vobis datum est nosse mysteria Regni Dei: cæteris in parabolis vt audientes non intelligant.*

Ioann. 15.

Mat. 13.

Responsio

Ad has igitur difficultates soluendas, vsus est D. Tho. distinctione trimembri quam sumpsit ex August tract. 113. in Ioã nem, & possumus eã ad bimembrẽ reuocare. Dupliciter enim potest aliquis dici occulte loqui. Primo ex parte eorum, quibus loquitur, & ex modo, ac intentione qua loquitur, quia videlicet, & paucis loquitur, & secretè ita, vt intendat doctrinam suam occultare. Secundo ex parte modi, quia loquitur verbis obscuris, & sub ænigmate, quanuis corã multis loquatur. Prior sensus est proprius, quia hęc est significatio propria illius verbi, *in occulto loqui.* Et hoc sensu loquutus est Christus in citato loco. Vnde id explicuit, quia nõ in locis abditis, sed in synagoga, in templo corã omnibus semper docuerat. Quo verbo non excludit, quin interdum in deserto, interdum in naui, nonunquam domi loquutus sit: sed quòd publica loca ad docendum non fugerit, neque aliud publicè, aliud occultè prædicarit. Denique quòd nunquã ita docuit, vt voluerit doctrinam suam tanquam mendacem, & fraudulentam in angulo latere. Vnde si interdum solos discipulos docebat, eos tamen iam antea instruxerat. *Quod in aure auditis prædicate super tecta, & quod dico vobis in tenebris dicite in lumine.* Matth. 10. Vt autem acutè dixit August. qui ita loquitur, vt velit publicè dici, quæ docuit, non potest dici occultè loqui, etiamsi paucis loquatur. Et ita facile expediũtur omnia, quę in prima ratione dubitandi proponebantur. Quibus solum addenda sunt duo. Vnum est, licet Christus aliqua dixerit, vel ostenderit Apostolis, quæ voluit secretò teneri, quandiu ipse viueret, hoc non repugnare supradictis verbis eius. Quia illa omnia non aduersabantur iis, quæ publicè docebat, neque erant talia, quæ publicè dici nõ possent eò, quòd essent mala, aut suspecta (de quo genere doctrinæ Iudæi arguere Christum volebant) sed erant eiusdem rationis cum iis, quæ publicè docebat, & ad ea magis stabilienda, & declaranda referebantur, vtque oportuno tempore publicè vulgarentur. Alterũ est, multa Christum docuisse Apostolos, quę non erant in vulgus imperitę plebi propalanda: nec propterea dicẽdus est ea occultè docuisse Quia (vt notauit Gregor. lib. 2. Pastor. cap. 4. & latius Clemẽs Roman. epist. 3.) ad sapientiam doctoris pertinet, non omnia in vulgus effundere, sed ea dũtaxat quæ necessaria sunt, & quæ capere vulgus potest, altiora verò mysteria doctoribus solum, ac magistris populi tradẽ do. Quæ satis docentur publicè quando iis, qui sunt capaces, & ad quorum munus pertinet eorum cognitio proponuntur.

Doctrina a Christo in occulto quo modo tradita.

Mat. 10.

Aug.

Quę nam, & quibus publicè proponenda.

Greg. papa. Clem. pap.

Vide Cap in mãdatis dist. 43.

Ex his facile expediri potest secunda obiectio, quæ procedit iuxta aliam acceptionem occultæ doctrinæ ex parte modi, quę ad veritatem verborum Christi non referebat. Quia (vt August. etiam notauit) quando dixit. *Palam loquutus sum*, non fuit sensus, idest, perspicue, & clare: sed coram multis. Potest tamen etiam, hoc modo explicari Christi sententia;

vt

Cyril. vt etiam volunt Cyril. libr. 11. in Ioan. c. 44. Chryſoſt. hemil. 82. Theophyl. Ioan. 18. qui tamen non eodē modo exponunt verba Chriſti: Chryſoſt. enim, & Theophyl. dicunt Chriſtum reſpondiſſe ad mētem interrogantis, vt negaret ſe aliquid ſeditioſum, aut falſum docuiſſe, quale ipſi Phariſæi, & Pontifices exiſtimabant, & hoc modo dicit ſe palàm ſemper docuiſſe. Quia nunquā propter eā cauſàm quicquam occultè, & ſub ænigmate dixerat: ſed, ſi quid interdū hoc modo docuiſſet, ſolum fuit, quia myſteria erāt altiora, quā à multitudine capi poſſent. Aliter verò ait Auguſ. Chriſtū dicere omnia ſe loquutum eſſe palàm, nam (quod in ipſo erat) paratus profecto erat in palā docere omnia, vt á cunctis poſſet intelligi; quia verò nō omnes ad intelligendū erant, credē dumq; diſpoſiti, idcirco nō omnibus ita loquebatur. Tertio poteſt dici ex Cyrillo & ex paulo antea notatis, pietatis viā non ænigmaticè, ſed dilucide Chriſtum mundo prædicaſſe, quo ad omnia, quę neceſſaria ſunt, ideſt, quoad præcepta, doctrinamq; moralē, & cognitionē fidei, quoad myſteriorum ſubſtantiam: altiora tamen myſteria pro temporum, & perſonarum opportunitate obſcurius tradidiſſe.

Aug.

Cyr.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Chriſtus debuerit doctrinam ſuam ſcripto tradere.

Ad Heb. 8 lc. 2. in fin.

AD quartum ſic proceditur. *Videtur, quòd Chriſtus doctrinā ſuam debuerit ſcripto tradere. Scriptura enim inuenta eſt adhoc, quòd doctrina commendetur memoriæ in futurum. Sed doctrina Chriſti duratura erat in æternum: ſecundum illud Luc. 21. Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. Ergo videtur, quòd Chriſtus debuerit ſuam doctrinam ſcripto mandare.* ¶ 2. *Præterea, Lex vetus in figura Chriſti præceſſit: ſecundum illud Hebr. 10. Vmbram habens lex futurorum bonorum. Sed lex vetus à Deo fuit deſcripta: ſecundum illud Exo. 24. Dabo tibi duas tabulas lapideas, & legem ac mandata quæ ſcripſi. Ergo videtur, quòd etiam Chriſtus doctrinam ſuā ſcribere debuerit.* ¶ 3. *Præterea, Ad Chriſtum, qui venerat illuminare his, qui in tenebris & vmbra mortis ſedent (vt dicitur Lucæ primo) pertinebat erroris occaſiones excludere, & viam fidei aperire. Sed hoc feciſſet, doctrinam ſuam ſcribendo: dicit enim Auguſtin. in primo de conſenſu Euang. quod ſolet nonnullos mouere, cur ipſe Dominus nihil ſcripſerit, vt aliis de illo ſcribentibus neceſſe ſit credere. Hoc enim illi, & maximè Pagani quærunt, qui Chriſtum culpare, aut blaſphemare non audent, eique tribuunt excellentiſſimam ſapientiam, ſed tamen tanquam homini. Diſcipulos verò eius dicunt magiſtro ſuo amplius tribuiſſe, quā erat: vt eum filium Dei dicerent, & Verbum Dei per quod facta ſunt omnia. Et poſtea ſubdit. Videntur parati fuiſſe hoc de illo credere, quod de ſeipſe ſcripſiſſet, non quod aly de illo pro ſuo arbitrio prædicaſſent. Ergo videtur, quòd Chriſtus ipſe doctrinam ſuam ſcripto tradere debuerit.*

li 1. ca. 7. à te medium to. 4

Eod. li 1. de cōſenſu Euāg. ca. 7 circa med, to.

¶ *Sed contra eſt, quod nulli libri ab eo ſcripti habentur, in canone Scripturæ.*

¶ *Reſpondeo dicendum, conueniens fuiſſe Chriſtum doctrinam ſuam non ſcripſiſſe. Primo quidem, propter dignitatē ipſius. Excellentiori enim doctori excellentior modus doctrinæ debetur, & ideo Chriſto tanquam excellentiſſimo doctori hic modus competebat, vt doctrinā ſuam auditorum cordibus imprimeret. Propter quod dicitur Matth. 7. quòd erat docens eos ſicut poteſtatē habens. Vnde etiā apud Gentiles Pythagoras & Socrates, qui fuerunt excellentiſſimi doctores, nihil ſcribere voluerunt. Scriptura enim ordinatur ad impreſſionem doctrinæ in cordibus auditorum, ſicut ad finem. Secundò, propter excellentiam doctrinæ Chriſti, quæ literis comprehendi non poteſt: ſecundū illud Ioan. vlt. Sunt & alia multa quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur*

per

per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros Quos sicut August. dicit, non spatio locorum credendum est mundum capere nõ posse: sed capacitate legentium comprehendi fortasse non posse. Si autem Christus scripto doctrinam suam mandasset, nihil altius de eius doctrina homines æstimarent, quàm quod Scriptura contineret. Tertiò, vt ordine quodam ab ipso, doctrina ad omnes perueniret, dum ipse scilicet discipulos suos immediatè docuit, qui post modum alios verbo, & scripto docuerunt. Si autẽ ipsemet scripsisset, eius doctrina immediatè ad omnes peruenisset. Vnde & de sapientia Dei dicitur Prou. 9. quod misit ancillas suas vocare ad arcem. Sciendum tamen est (sicut Augus. dicit in primo de consensu Euange.) aliquos Gentiles existimasse Christum quosdam libros scripsisse, continentes quædã magica, quibus miracula faciebat, quæ disciplina Christiana condemnat. Et illi tamen, qui Christi libros tales se legisse affirmant, nulla talia faciunt, qualia illum libris talibus fecisse mirantur. Diuino enim iudicio sic errant, vt eosdem libros ad Petrũ & Paulum dicant tanquã epistolari titulo prænotatos eo quòd in pluribus locis simul eos cum Christo pictos viderũt. Nec mirum, si à pingentibus fingentes decepti sunt, toto enim tempore quo Christus in carne mortali cum suis discipulis vixit, nondum erat Paulus discipulus eius.

Tra. vlt. in Euan. Ioan nõ procula fine.

li. 1. ca 61 & 10. to. 4

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd (sicut Augus. dicit in eodem lib.) omnibus discipulis suis tanquã membris sui corporis Christus caput est. Itaque cum illi scripserunt quæ ille ostendit, & dixit, nequaquam dicendum est, quòd ipse non scripserit: quãdoquidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognouerunt. Quicquid enim ille de suis factis, & dictis nos legere voluit, hoc scribẽdũ illis tanquã suis manibus imperauit.*

A ¶ *Ad secundũ dicendum, quòd quia lex vetus in sensibilibus figuris dabatur, ideo etiã conuenienter sensibilibus signis scripta fuit Sed doctrina Christi quæ est lex Spiritus vitæ, scribi debuit non atramento, sed Spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, vt Apostolus dicit. 2. ad Corinth. 3.*

¶ *Ad tertium dicendum, quòd illi qui Scripturæ Apostolorum de Christo credere noluerunt, nec ipsi Christo scribenti credidissent: de quo opinabantur, quòd magicis artibus fecisset miracula.*

B COMMENTARIVS.

PRobat D. Thom. 3. rationibus non fuisse conueniens, vt Christus doctrinam suam scripto traderet. Et prima quidem ratio rectè probat, magis oportuisse, vt Christus verbo doceret, quia ille est perfectior docendi modus. Præsertim quando doctrina non tantũ ad illuminandum intellectum; sed etiam & maximè ad excitandum affectum ordinatur. Non videtur autẽ probare illa ratio non fuisse cõueniens, vt præter illum modum scripto quoq; Christus doceret, cum hic modus neque imperfectus sit, neque quidpiam includat, quod Christum non deceat, & melius videatur pluribus modis, quàm vno duntaxat docere: Eo vel maximè, quòd modus docendi in scripto habet aliquam perfectionem, qua alius modus caret, scilicet durationem stabilem. Quò fit, vt non modo præsentibus, sed prodesse etiã posteris queat. Et hinc eneruatur etiam tertia ratio. Cur enim non decuit, imò & melius fuit, vt Christus omnes nos immediatè doceret, si nõ verbo, saltem scripto? Certè si fieri potuisset, vt omnes eum loquentem audiremus melius id existimaretur, ac conueniẽtius? ergo cûm id potuerit saltem scripto fieri, cur negabimus id fuisse conueniens? Nã reuera magna fuisset consolatio fidelium si haberemus doctrinã ab ipsomet Christo scriptam. Et hinc tandem obscurior redditur Secunda ratio D. Thom. scilicet quòd altitudo doctrinæ Christi non poterat literis cõprehendi. Quidquid enim verbo profertur, potest literis significari. Verba enim vel scripta, vel voce prolata idem significant, si ergo doctrina Christi

obiectio circa rationes D. Thom.

C

Christi quantunuis excellens, & alta potuit verbo doceri, cur nō etiam scripto? Deinde doctrina Dei, & Spiritus sancti scriptis continetur, nec propterea putant homines in diuina scientia nihil aliud esse, quàm in scriptura contineatur, non est autem altior, quàm Spiritus sancti, doctrina Christi.

Potissima quidem ratio, quæ conuincit fuisse conueniens, vt Christus nihil nobis in scriptis traderet, est ita fecisse cum, quē constat nihil potuisse facere, vel omittere, quod non fuerit conueniens. Dixi tamen super articulum 1. huius. 3. part. interdum dici conueniens, quod non est malum: sed recta aliqua ratione fieri potest. Quid quid enim bonum est, ea ratione conueniens dici potest, & hoc sensu nulla est hic difficultas. Quod enim Christus dominus perse ipsum doctrinam suam scriberet, vel non scriberet, ex se indifferens est, & sine dubio potuit propter aliquam honestam rationem, vel fieri, vel omitti. Vnde, cùm de facto omissum sit, non est dubium quin consultò, & non casu fuerit à Christo factum, & consequenter, quòd propter honestum finem effectum sit, atque adeò, quod in hoc sensu fuerit conueniens. Alio verò modo dicitur conueniēs, quod consideratis omnibus magis eligendum iudicatur, vel quia propter se est amabilius, vel quia ad res alias est vtilius: & in hoc sensu non est facile rationem reddere, cur fuerit conueniens, vt Christus doctrinam suam scriptam non reliquerit. Neque fortasse id dicere est admodum necessarium, nam si aliquid scripsisset, non deessent rationes plures, propter quas id conueniētius crederetur, vel saltem erat res æquè indifferens, quia & scribendo, & nō scribendo æquè commodè, ac sufficienter potuit Christus finem suum assequi, & nostræ saluti, ac institutioni prouidere. Si tamen hoc verum est (vt reuera esse videtur) hinc satis probabiliter concludi potest, conuenientius fuisse, vt Christus in sua doctrina scribenda nullam operam poneret. Quia scriptioni intendere, per se nō est expetibile, neque Christo ad aliquam eius perfectionem, dignitatem ve necessarium. Si ergo ad commodum nostrum, neque erat necessarium, neque vtilius, impertinens fuit Christo huiusmodi actio.

Doctrinam scriptis a Christo traditā, cōueniēs ne fuerit.

Quod autem nobis necessaria non fuerit, notum est. Quod autem nec vtilior, patet, quia quidquid Christus perse ipsum scribere potuit, potuit etiam per alios, & cum eodem fructu, & æquali certitudine, & autoritate. In quo differt multum scriptura à voce viua. Nam scriptura à quocunque manet, non magis mouet, neq; illuminat, dūmodo omnino eādem doctrinā, & eisdem verbis contineat, & eadem veritatis autoritate munita sit. Quæ omnia potuit habere scriptura facta à Christo per ministros suos, & non per se ipsum: at verò viua vox tam ad docendum, quàm ad mouendum, & delectandum magnam vim & energiam habet à persona lóquentis, & ideò maximè oportuit, vt hoc saltem modo Christus nos doceret.

Responsio ad obiectionem.

Ex ijs facile est intelligere vim rationū D. Thom. Nam prima fundatur nō solum in hoc, quòd modus docendi voce melior est ac perfectior: sed etiā quia illo posito, alius nihil ad Christi perfectionē, vel ad nostrā vtilitatē referebat. Secunda verò solū est congruentia quædā, quia videtur magis cōsentaneū excellētię tātę doctrinę, vt in ipso modo docēdi Primi, ac supremi doctoris eius indicatū sit, illā literis cōprehendi nō posse. Tertia etiā est optima, quia supposito, scripturā illā non fuisse necessariā, cōuenientius fuit seruare ordinem suauis prouidētiæ Dei, vt homines per homines doceantur. Ex his etiam facile intelliguntur, quæ de hac quæst. disseruit Aug. lib. 1. de consens. euang. capit. 7. & sequentibus. Ex quo etiam intelligere licet ad Christi autoritatem pertinuisse, vt scriptoribus eius tanta fides haberetur, ac si ipse per se ipsum scripsisset.

Aug.

Dubium.

Hic verò optabit scire quispiam, quæ fides adhibenda sit ijs, qui dicunt Christum aliquid scripsitasse. Nam Eusebius. 1. lib. Hist. capite. 13. refert se vidisse epistolam à Christo domino scriptam, & ad Regem Abgarum missam. Ioannis etiam .8. legimus Christum digito scripsisse in terra. Respondetur, certissimum esse Christum nihil scripsisse ad docendū, seu quod doctrinam contineret, ita enim docet vniuersa Ecclesiæ traditio. Nec enim verisimile est Christū scripsisse aliquid ad docēdū, id q; in Ecclesia nunquam fuisse receptum. De illa verò epistola, & res incerta est, nam inter apocryphas ponitur à Gelasio, & ignoratur, (si fortè talis extitit epistola)

Euseb.

Ioann. 8.

Responsio. Nihil addoctrinam in scriptis a Christo relictum.

Gelas. pap.

vtrum à Christo perscripsum, an per aliquē discipulum sit scripta. Acdenique illa non fuit ad doctrinam tradendam, sed vrbanitatis, & salutandi causa.

Christus digito scripsit in terra cur.

Aliud verò quod ex Ioann. 8. affertur nō est ad rē. Primo, quia illa nō erat scriptura permanens, & durabilis, de qua nunc loquimur. Secundo quia non erat ad docendum sed ad significandum ijs, qui adulteram accusabāt, dignos esse, qui in terra scriberentur, iuxta illud Ierem. 17. *Recedentes à te in terra scribentur*, vt indicauit Hieron. lib. 2. cont. Pelag. & Rabanus in Ioannē, & Ambros. epist. 76. dum ait. *Peccatores in terra scribuntur, iusti in cœlo.*

Ierem. 17. Hie. Raban. Amb

DISPVTATIO. XXX.

In tres sectiones distributa.

De Christo Doctore, eiusque doctrina.

IN superiori tomo disp. 46. in initio adnotaui, pertinuisse ad Christum, quatenus sacerdos est, & summus Ecclesiæ pontifex, munus docendi, ac prædicandi hominibus, huius verò rei tractationem, quanuis cum disputatione de sacerdotio Christi coniuncta videretur, in hunc tamē locum distulimus, tum vt seruaremus D. Thomæ ordinem, tum etiam quia Christus in mortali vita hoc precipuè munus exercuit, postquam se hominibus manifestare cæpit. Possent autem de hac re multa disputari, quę vel in superioribus sunt dicta, vel ad alia Theologiæ loca spectant, & ideò, ne eadem repetamus, neque ad peregrinas quæstiones diuertamus, indicabo breuiter omnia, & ea seligam quæ ad præsens institutum spectant. Primo ergo inquiri posset, an in Christo domino fuerint omnia, quæ ad perfectum doctorem necessaria sunt. Sed circa hanc rem videantur, quę diximus de sciētia, gratia, innocētia, ac perfecta vita eius. Nam hæc sunt, quę perfectum aliquem doctorem constituūt, hic ergo solum dicendum, qua ratione conueniat Christo hoc munus, seu ius docendi homines. Secundo inquiri posset, quibus, & vbi prædicauerit, de qua re satis dictum est in commentarijs articul. 1. & 3. Tertio quid, seu quam doctrinam docuerit, & hæc res pertinet ad materiam de fide, & de sacramentis, docuit enim doctrinam fidei, & sacramentorum, hic satis est, supponamus, docuisse semper veritatem, non solum quia Deus erat, sed etiam quia vir summè sapiens, ac summè iustus non potuit aliud docere. Quia neque falli potuit propter summam sapientiam, neque fallere propter bonitatem, & innocentiam. Vnde etiam constat non quancunque veritatem, sed ad bonum animi spectantem docuisse, de quo nonnihil postea dicemus. Quarto tractari potest, quomodo docuerit. In quo multa continentur, scilicet an verbo, vel scripto, clarè, vel obscurè, publicè, vel secreto, de quibus iam egimus. Rursus an sufficienter doctrinam suam tradiderit, & veram esse, ac fidedignam ostenderit, & hoc ad materiam fidei spectat, vbi de credibilitate Christianę fidei latissime disseritur, & in sequenti Disputa. agentes de miraculis Christi nonnulla insinuabimus. Deinde ad hoc etiam pertinet, quanta autoritate, efficacique virtute verborum, atque adeò quo fructu, vel scandalo prædicauerit, de quibus nōnulla dicemus. Vltimo dicendum est, quanto tempore prędicauit. Nam de initio prædicationis eius iā diximus fuisse post baptismum, seu tentationem eius. Quot verò annis durauerit, hoc loco dicendum erit.

A

B

C

SECTIO PRIMA.

Vtrum Christus ad docendos homines venerit, & perfecte munus illud obierit.

Christus mādi doctor, & magister diuinitus datus.

DIco primo, Christum dominum esse missum à Patre in mūdum, vt esset doctor hominū, est de fide. Quę satis probatur. Isai 30 *& erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & non facient auolare a te vltra doctorem tuum.* Quia ex quo Christus Ecclesiā docere cæpit non illam deseruit, sed eam semper docet per se, aut per discipulos suos. Et ideò nomen hoc *doctoris* seu *magistri*, sibi specialiter reseruari voluit idem Dominus Matt. 23. dicens, *Nec vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus*, de quo propterea dicit eternus Pater per eundem Isaiam cap. 55. *Ecce testem populis dedi eum, ducem, ac præceptorem gētibus.* & cap. 49 *Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Israel, & fæces Iacob conuertendas. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ* & cap. 61. *Spiritus Domini super me, ad annūtiādū māsuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem* Et Ioel 2. *Filij Sion exultate, & lętamini in domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem iusti-*

Isai. 30.

Mat 23.

Isai. 49 55. & 61.

Ioā 2.

iustitię. Quem locum de Christo esse intelligendũ nullus, qui Iudæus non sit negare poterit. Præsertim cũ paulo inferius subiũgatur, *Et erit post hæc, effundã de spiritu meo super omnem carnem.* Quæ verba de Spiritus sancti aduentu interpretatus est Pet. act. 2. Præterea ipsemet Christus testatus est de se Ioa. 18. *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeã veritati,* & Luc. 4. *Ad euangelizandum pauperibus misit me* Et ideò Matth. 11. vt se Christus ostenderet verum Messiã, inter alia signa, hoc præbuit, *Pauperes euangelizantur.* Ac denique Ioannis. 13. *Vos* (inquit) *vocatis me magister, & domine, & bene dicitis, sum etenim.* Et ideò æternus Pater semel in baptismo, & iterũ in transfiguratione eum, vt proprium doctorem nobis proposuit dicens, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsũ audite.* Vnde Aug. orat. de quinque hæresibus ad finem, *Gratias* (inquit) *tibi Deus, æterna virtus, gratias tibi Deus Pater omnipotens, qui & filium tuum ostendisti, & mihi in doctorẽ dedisti.* Ratio verò, seu congruentia est. Quia ad salutem nostram, non tantum necessarium erat, vt Christus redemptionem nostram perficeret, sed etiam vt viam salutis opere, & verbo nobis ostenderet, alioqui nõ esset nobis sufficienter prouisum, quia sine fidei, & mediorum cognitione, quæ ad salutem necessaria sunt, nullus posset saluari. Et ideò (vt Greg. inquit. 1. p. pastor. cap. 5) *ita Deus in carne apparuit, vt non solum nos per passionem redimeret, sed etiam conuersatione doceret.* Et ipse Dominus propter hanc causam seipsum appellat *bonũ pastorẽ*, quòd & verbo, & doctrina oues suas pascat, & pro eis animam suam ponat. Vnde in priori tom. disp. 3. sect. 3 inter ratiões quas adduximus, propter quas fuit perse conueniens Deum fieri hominem, vna fuit vt ipsa Dei Sapientia, quæ est *lux vera*, hominem doceret, ac viam salutis ostenderet.

Act. 2.
Ioan. 18
Luc. 4.
Matth. 11.
Ioan. 13.
Luc. 9
Aug.
Gre. papa.
Ioan. 10.

Potestas docẽdi in Christo vnde orta.

Dico secundo, potestas docendi perse cõuenit Christo ratiõe hypostaticæ vnionis, vnde non solum homines, sed etiam angelos docere, & illuminare potest. Conclusio est certa, quia Christus ratione vnionis habet, quòd sit caput omnium, & consequẽter, vt possit in omnes influere, modo omnibus accõmodato. Deinde ratione vnionis est summus Sacerdos, ac supremus Ecclesiæ pastor, est autem de ratione summi Pontificis, vt possit docere, & illuminare A sibi subditos. Habet etiam Christus, quia Deus homo est, quasi ius quoddã ad saluãdos, & redimendos homines, & hoc etiam titulo habet, vt possit eos docere, quatenus hoc medium necessarium est ad saluté hominum. Et hinc fit, potuisse Christum obligare omnes homines ad suam doctrinã audiendam, quam ipse perse, vel per discipulos suos prædicabat, quòd ad potestatẽ excellentiæ Christi pertinet, de qua superiori tom. disp. 47. dictum est.

Virtus docẽdi in Christo quam excellens.

Dico tertiò, facultas, seu virtus docendi fuit maior in Christo, quam in vlla creatura esse possit. Hoc constat primo, quia in Christo est maior scientia, & altiori modo, quàm sit in vlla pura creatura, quam á principio habuit summè perfectam, & connaturalem. Vnde hoc illi singulare est, quòd ita docet, vt nunquam discat, & ita sit magister, vt nunquam fuerit discipulus. Nam licet anima eius in primo instãti suæ creationis â Verbo scientiã acceperit, & ea ratione dici possit tunc didicisse, & habuisse magistrum Deum ipsum. Quomodo intelligi possunt verba illa Ioannis 7 *Doctrina mea non est mea, sed eius, qui misit me,* vt intelligit etiam August. lib. 1. de Trinita. cap. 12. & Ambros. lib. 2. de fide. cap. 4. & lib. 5. capit. 2. tamen quia vnam, & eãdem personam cum Verbo componit, dicitur Christus hanc scientiam à se habere, vt sibi connaturalem, & ideò non tam didicisse, quàm perfectam scientiam simul accepisse. Discere enim videtur quendam motum, seu progressum ab imperfecto ad perfectum significare. Sicut etiam Christus vt C Deus per æternam generationem habet scientiam à Patre, de qua etiam intelligi possunt verba illa, *Doctrina mea non est mea, sed eius, qui misit me*, vt exponunt August. 2. de Trinit. capite. 2. & tract. 27. in Ioannem, & Cyrillus lib. 4. in Ioannem. capite 42. & Chrysostom. hom. 48 in Ioannem, & nihilominus non potest propriè, aut verè dici Verbum discere â Patre, quia per naturalem generationem ab illo habet scientiam perfectam. Ad hunc ergo modum loqui possumus de scientia humanitatis, quanuis nec tam perfecta illa sit, neque eodem modo connaturalis. Intelligendum ergo hoc est secundum quandã imitationẽ: non verò secundũ æqualitatẽ. Et huic modo loquẽdi fauet Amb. priori loco supra citato. Nam cùm prius dixisset, Christum

Ioan.
Aug.
Amb.

Excellentia doctrinæ in Christo vnde.

Cyril.
Chryso.

Amb.

tũ, vt hominem protuliſſe illa verba. *Mea doctrina non eſt mea*, ſubdit, *Iudæi cum doctrinam eius ſecundum hominem quærerent, & dicerent, quomodo hic literas ſcit, cum non didicerit? Reſpondit Ieſus, Mea doctrina non eſt mea. Nam cum ſine eruditione literarum doceat, non quaſi homo ſed vt Deus videtur docere, qui doctrinam non didicerit, ſed inuenerit. Adinuenit enim omnem viam diſciplinæ, & poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt,* Baruc. 3. Baruc. 3. Hæc eſt ergo prima cauſa obquã Chriſtus in ratione doctoris ſuper omnes eminet. Nã vt de eo teſtatus eſt Baptiſta Ioã. 3. *Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt & quod vidit, & audiuit, hoc teſtatur.* Ioan. 3. Secunda ratio eſt, quia in Chriſto eſt maior ſanctitas, & vitæ puritas, quæ ad excellentiam doctoris maxime pertinet. Propter quod ipſe dixit Ioan. 9. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* & ſubjunxit, *ſi veritatem dico vobis, quare non creditis mihi.* Ioan. 9. Tertia eſſe poteſt quia Chriſtus non ſolum habebat vim ad docendum exterius, proponendo veritatem (quod alij homines habere poſſunt) ſed etiam interius illuminando, & virtutem dando ad intelligendum, & credendum altiſsima myſteria, quæ ratio non attingit. Denique quia ita docet, vt etiam rudes, & *quodammodo* ad ſcientiam capeſſendam ineptos interdum ſubitò ſapientes reddat, & diuinorum capaces myſteriorum. Quarta excellentia eſt, quia docẽdo non ſolum illuſtrat intellectum, ſed etiã cor penetrat, vt Paul. ait ad Hebræos. 4. Propter quod merito dicebant diſcipuli Ioann. 6. *Quo ibimus, verba vitæ æternæ habes.* Et ideò, quando volebat, vnico verbo ita excitabat hominem, vt ſuæ voluntati, & vocationi ſtatim obediret, quod diuinæ virtuti, & efficaciæ verbi tribuendum eſt.

Heb. 4. Ioan. 6.

Ex quibus præterea intelligitur, excelluiſſe etiam Chriſtũ in modo docendi, vt ar. 1. ad 2. D. Tho. notauit, vbi ex quatuor cõditionibus hoc declarat. Prima, quòd ſuã doctrinã miraculis confirmabat. Secũda quia loquebatur in virtute, & efficacia ad perſuadendũ. Tertia quia magna autoritate ſuã doctrinam proponebat. Quarta quia quod docebat probitate vitæ confirmabat. Vbi Caieta. addit conditiones alias, quæ magis ſunt proprietates doctrinæ quàm modi docendi, ſcilicet excellentia doctrinæ, vtilitas, rectitudo, integritas & cõſũmata perfectio in rebus omnibus, quæ ad mores pertinẽt: Sed hæc (vt dixi) in materia de fide latius explicanda ſunt.

In modo docendi Chriſtus inter omnes excellens. D. Thom. Caiet.

SECTIO II.

Vtrum decuerit Chriſtum cum offenſione, & ſcãdalo Iudæorum docere.

RAtio difficultatis eſt, quia ipſemet Chriſtus dominus Matt. 7. monet. *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.* & Prouer. 9. commonefacit ſapiens, *noli arguere deriſorem, ne oderit te,* & Eccle. 8. *Non incendas carbones peccatorum, arguens eos, & ne incendaris fãma ignis peccatorũ illorum.* Cumergo Chriſtum non lateret doctrinam ſuã non profuturã Iudæis, ſed potius futuram eis occaſionem perpetrandi maiora mala, nõ par erat, vt eos doceret, aut corriperet. Nã & ratio caritatis hoc poſtulat, quę prohibet dari proximis occaſionem peccandi: & ratio etiam ipſius doctrinæ, ne otioſè, & ſine fructu proijciatur, atq; omnino cõtaminatur. Quamobrẽ dixit Aug. li. 50, homil. in 41. *Si ſcirem non tibi prodeſſe, nõ te admonerem, non te terrerem.* & ſerm. 36. de ſanctis. *ſolent* (inquit) *aliquoties doctores Eccleſiæ non pro negligentia peccãtium ab increpatione ceſſare, ſed quia eos timent, ex ipſa caſtigatione ad peiora mala prorumpere.* Quam rationẽ docendi tanquam prudentem laudat, & commendat & 1. lib. de Ciuitat. cap. 9. *Si propterea* (inquit) *quiſq; obiurgandis, & corrigendis male agentibus parcit, quia oportunius tempus inquirit, vel eiſdem ipſis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam, & piam eruditndos impediant infirmos alios, & premant, atque auertant a fide, non videtur eſſe cupiditatis occaſio: ſed conſilium caritatis.* Eadem autem eſt ratio de doctrina, & de correptione, & hæc omnia quæ Aug. deſcribit, in Chriſti prædicatione, & doctrina vſu venerunt: fuiſſet ergo caritatis conſilium Iudęos ita diſpoſitos nõ docere. Vnde Hiero. ſuper Amos. 5. in hanc ſentẽtiã videtur interpretari verba illa. *Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum eſt. Quãdo* (inquit) *vir Eccleſiaſticus, & prudẽs in domo Dei multas impietates eſſe cognouerit, & non ſolum multas: ſed & fortes, quæ opprimere poſſint iuſtitiam, taceat in illo tempore, nec det ſanctum canibus.* Ac denique Gregor. lib.

Matth. 7. Prouer. 9. Eccleſi. 8. Aug. Hieron. Amos. 5. Gre. Papę.

libr.6.in.1.Regum capitulo.2. propè finem. *Quandoque* (inquit) *mala Regum, & terræ magnorum toleranda sunt, ne exasperati ad peiora dilabantur.* Vnde tandem augetur difficultas, quia prædicatio Christi exemplum esse debuit futuris euangelij prædicatoribus, sed ij prædicare aut docere non debent, quando maius timetur damnum, quã fructus speretur, ergo nec docere Christus debuit cum tanta Iudęorum offensione.

Hæc difficultas ferè communis est in materia de correptione fraterna, & de scãdalo. Num de illa interrogari solet (vt videre est, 2.2.q.33.art.7.) an interdum sit facienda publicè, etiam si is, qui corrigitur, non sit emendatus, de scandalo verò tractari etiam solet, an propter aliquorum scandalũ correptio sit omittenda, atque eadẽ est ratio de doctrina. Et ad vtramque quæstionem definiendam regula generalis est, quã hic statuit D. Thom. salutem multitudinis præferendam esse bono priuato cuiuscunque personę. Vnde si doctrina per se bona sit, & ad salutem populi necessaria, aut valde vtilis, vel ad bonum promouendum vel ad vitanda mala, & peccata, omittenda non est, quanquam aliqui perturbãdi sint, & peiores efficiendi. Quia illud scandalũ non est datum, sed acceptum, nec factum, sed permissum, ordo autem caritatis non obligat ad vitandum huiusmodi scandalũ cum aliorum detrimẽto, vel incommodo. Et eadem ratio est de correptione, si enim consideretur correptio, vt ad emendationem delinquentis dirigitur, sub hac ratione facienda non est, vbi desperatur fructꝰ, necdum si maius detrimentum timeatur. At si reprehensio vnius consideretur, vt medium ad coercendos alios, vel saltem ad impediendum, ne scelera quorundam alios ad similia peccata inducant, (quod solum habet locum in peccatis publicis) sæpenũ est omittenda, non solum, si non speretur emendatio priuatæ personæ, sed neque etiã si maiora mala, & peccata ipsius timeãtur. Quia tunc reprehensio non est inutilis, cùm communitati profutura speretur. Neque est iniusta, cum sit quædam innocentum hominum, & ipsius virtutis, ac diuini honoris iusta defensio, & pœna quædam ipsius peccatoris de se medicinalis, ad quam infligendã ius habet euangelicus prędicator, ac doctor, quatenus ad commune bonum necessaria est. Neque etiam est contra ordinem caritatis, quandoquidem minus malum permittitur propter maius bonum, & scandalum illud non est actiuum, sed passiuum, vt explicatum est. Et hæc regula sic explicata, & generatim sũpta, omnino certa est, & indubitata. Hoc enim sensu in scriptura reprehẽdũtur Prophetę, & pastores, qui peccata populi non corrigũt, sed dissimulant. Isai.55 *clama, ne cesses*, & c. 56 *canes muti non valentes latrare.* Threnor. 2. *Neque aperiebant iniquitatẽ tuã*, & latissime Ezech 3 13 & 33. quibꝰ locis videdus est Hieronymus qui hoc recte declarat, & confirmat. Et Greg. 1.p. Pastoral. c.4. Optime Chrysost. in illud ad Timot.5. *Peccantẽ corã omnibus argue: Quid* (inquit) *non ne maius scandalum facit coram omnibus arguere? Minime id quidem. Magis enim scandalizantur, si peccata non ignorantes, nullum inferri videant cruciatum? sicut enim si impune peccatur, plurimi delinquunt, ita si peccata puniantur cõplures virtuti student*, loquitur autẽ de peccatis publicis, de quibus Paulus fuerat loquutus, vt omnes exponunt, & perse clarũ est. Nam de occultis Christus dixerat, *Corripe illũ inter te, & ipsum solum.* De quare Bern. epist. 78. elegãter dixit, *Cum carpuntur vitia, & inde scandalum oritur ipse sibi scandali causa est, qui fecit, quod argui debet, non ille, qui arguit. Denique, nec cautior sum in verbo, nec circunspectior in sensu, illo, qui ait, Melius est, vt scandalum oriatur, quam vt veritas relinquatur. Quanquã nescio quid prosit, si quod mũdus clamat, ego tacuero, omniumque passim naribus iniecto fœtore solus dissimulo pestem.* & Greg. lib. 7. epist. 1 quæ refertur in c. Paulus. 2. q. 7 exponens illud, *seniorem ne increpaueris. Hæc regula tũc seruanda est, cum culpa senioris exemplo suo nõ trahit ad interitum corda iuniorum, vbi autem senior ad interitum iuuenibus exẽplum præbet, ibi districta increpatione feriendus est.* Atq; multa similia de hoc argumẽto facile reperiuntur tam in dictis, quam in factis, & exemplis, tum Prophetarum, cum Apostolorum, & aliorum Sanctorum Patrum. Quanquam verò hæc generalis doctrina indubitata sit, eam tamen ad praxim reducere, circunstantias omnes prudenter perpendere, vt doctor euangelicus, neque intacendo segnis, neque in loquendo imprudens sit: valde est difficile, & ideó & constanti animo, & maturo iudicio pollere necesse est, cum, qui hoc munere fungitur.

Peccata publica etiam cum proximorum offensione quã do corrigẽda.

Isai. 55 & 56. Thren. 2. Ezech. 3. 13 33. Hieron. Greg. pap. Chrysost. 1. Timot. 5

Mat. 18. Bernar.

Greg.

Prudentia Christi in instruendis corripiēdis q; Iudęis.

Ex hac verò regula optimè colligitur, prudentissimè egisse Christum dominum cōstanter docendo, & corripiēdo Iudæos, etiā si multorū offensionem, & scandalum inde oriturum esse præsciret. Hoc constat primo ex ipsius Christi autoritate, qui nihil potuit imprudenter, aut præter caritatis ordinem operari, sed legimus ita fecisse, & discipulis interdum ipsum monentibus, q; Iudæi scandalizarētur, respondisse, *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Secundo id patet ex re ipsa. Nam doctrina Christi erat vniuerso mūdo necessaria, minoris q; momenti erat, quod vel pauci illam recipe rent, qui erant futuri veluti semen disseminandum, & multiplicandū in vniuerso orbe, quam quod Iudęi offensionis, ac scandali occasionem acciperēt. Deinde Iudæorum principes, Scribæ, & Pharisæi publicè corrumpebant populum, eiusque salutem impediebant, tum prauis moribus, tū etiam resistendo veritati, & doctrinā Christi, quæ sufficienter illis proponebatur, reprehēdēdo, & ideò non obstante qualibet eorum offensione, publicè à Christo obiurgandi fuerunt. Denique quanuis ex doctrina, & reprehēsione Christi Iudęi sumpturi erant occasionem occidendi ipsum, quod grauius peccatum fuit, quàm cætera omnia, quæ antea ipsi cōmisserant, tamen hoc eorū malo bene vsurus erat Deus ad maximum bonorum, quale est redemptio, & totius mundi salus. Non ergo debuit Christus doctrinam suam celare ne illud malum fieret, sed potius debuit, neque á docendo, neque ab increpando desistere, ne tantum bonum impediretur.

Responsio ad argumēta in oppositum.

Rationes autem dubitandi in initio positæ solum procedunt in illis casibus, quādo ex doctrina, aut reprehensione, vel priuata, vel publica nullum speratur commodum, sed solum detrimentum. Vel certē quando tantum est malum, quod timetur, tanque exiguum bonum. quod speratur, vt hoc potius prætermitti debere, quàm illud permitti, prudenter iudicetur. Sæpe enim huiusmodi casus morales euenire possunt, cúmque hęc res, neque intrinsecè mala sit, neque necessariò bona, sed iuxta diuersas circunstātias interdum vnum expediat, interdum aliud, ideo scriptura, & sancti nunc vno modo loquuntur, nūc alio, vbique tamen idem intendunt, nimirum vt id semper fiat, quod ordini caritatis magis fuerit consentaneum.

SECTIO TERTIA.

Quanto tempore Christus prædicauerit.

HAEC quæstio necessaria est, vt intelligatur, qua ętate Christus mortuus est, & ideò diligenter est hoc loco discutiēda. Prima ergo sentētia est quorundam Patrum, qui solum vnum annum Christi prędicationi adscribunt. Ita docent Clemens Alex. lib. 1. strom. non longè á fine, afferens illud Isai. 61. *Spiritus Domini super me, eo, quod vnxit me Dominus*, & infra, *Vt prædicarem annum placabilem Domino*, & in hanc sententiam merito citari possunt Lactantius, Iulius Africanus, & alij, qui asserunt, Christum trigesimo ętatis anno obiisse, quos infra suo loco referemus. Tribui etiā solet hæc opinio Tertulliano, quia lib. cont. Iudæos cap. 8. dicit, Christū mortuum esse anno, 15. Imperij Tiberij. Sed hic autor potius videtur errasse ponens initium prædicationis Christi anno. 12. Tiberij, vt supra exli. contra Marcionem annotauimus.

Clem. Ale. Esa. 61.

Lactant. Iul. Afr. Tertul.

Apol.

Secunda sententia est, Christum dominum duobus annis prædicasse. Hæc videtur fuisse sententia Apollinaris Laodiceni apud Hiero. Daniel. 9. & eā sequitur Cyri. Alexand. in. 29 caput Isaiæ in principio.

Hie. Cir.

Tertia sententia, & cōmunis est Christum prędicasse tribus annis, & nonnullis mensibus, cuius autores postea referam. Quarta sententia esse potest, posuisse in prædicatione supra quatuor annos menses quoque aliquot. Vt autē de his tribus sententijs vltimis feramus iudicium, (prima enim in omni sensu est improbabilis) est animaduertendum, initium prędicationis Christi posse cōputari vel à baptismo, vel á miraculo nuptiarum. Quæ differētia in nostra sententia multum ad præsentem quęstionem refert. Existimamus enim annum integrum inter illa duo mysteria intercessisse: qui verò hoc negant, tantunq; aliquot menses intercessisse asserunt, nihil referre putant, quòd à baptismo, vel nuptijs prædicationis sumatur exordium.

Principio igitur certū existimo, á miraculo nuptiarū posuisse in prædicatione Christū vt minimūduos ānos, & aliquot mēses, aut dies. In quo ferè omnes fācti Patres cō-

ueniūt

Ioan.2.&3 niunt,idque ex discursu Euangelij Ioannis manifestè colligunt. Nam capite.2. statim post miraculum nuptiarum commemorat vnum pascha, quod Christus Ierosolymis celebrauit,deinde ca.6.aliud memorat,quod sine vlla dubitatione est distinctũ á superiori(vt apertecõstat ex historia illorũ capitũ)itq; ita numeratur vnus annus,qui vt minimum inter illa paschata interpositus est. Rursus cap.11.&.13.men Io.11&13 tionẽ facit alterius paschatis,in quo Christus interfectus est,quod esse distinctũ á reliquis eodem modo ex eadem historia cõstat,ergo necesse est, vt prædicatio Christi durauerit saltẽ duobus annis,quia tria paschata non possunt minori tempore numerari. Quibus insuper addẽdum est tempus illud,quod à miraculo nuptiarum vsque ad proximũ pascha fluxit,quod iuxta sententiam supra á nobis approbatam fuit á B 6.die Ianuarij vsque ad finem Martij. Et ex eadem sentẽtia sequitur,si numeremus annos prædicationis Christi á baptismate, non posse á nobis pauciores,quàm tres numerari,& hinc etiam euidenter cõfutatur prima sententia. Quia siue initium prædicationis sumatur à baptismo, siue á miraculo nuptiarum,non potest prædicationis tẽpus vno anno coarctari. Aliæ verò tres sententiæ omnes habent aliquid probabilitatis, vel statuendo diuersum prædicationis initiũ,vel iuxta diuersas sententias probabiles circa annũ,qui á baptismo ad nuptias vsque fluxit,diuersimodè sentiendo.

Iam verò inquirendum supereſt, an ex historia euãgelica colligi possit alius huius prædicationis annus,petito ipsius prin C cipio,á miraculo numptiarum,atque adeó vtrum ab eo die numerãdi sint tres anni, an tantum duo. Nam quòd vltra triẽnium non extendatur,ex eadem historia euangelica Ioannis fere omnes autores colligunt. Quia Ioann. late describit, & per diuersa paschata indicat annos prędicationis Christi,saltem à miraculo nuptiarũ. Et ideò vanum esset,& sine fundamẽto,aliquem annum addere, qui ex hac euangelica historia non colligatur,vt dicemus latius agentes de morte Christi. Tota igitur cõtrouersia posita est in expositione illorũ verborum Ioannis cap.5. *Post hęc erat dies festus Iudæorum,& ascendit Iesus Ierosolymam.* Dubium est enim,quod fuerit illud festum. Si enim fuit pascha, cum illud sit distinctum A á iis,quæ c.2.& 6.memorantur, atque illis interiectum, necesse erit addere alium annum: si autem fuit festum Pentecostes, vel aliquod aliud,nulla erit necessitas addẽ di alium annum. Prima ergo expositio, & satis frequens est illud festum non fuisse pascha. Primo quia non est verisimile Ioannem cap.5 mentionẽ facere vnius paschatis,& statim c.6.transitum ad aliud facere, vnius integri anni historia prætermissa. Secundò,quia Ioan.dilligens fuit in designandis festis paschæ, vt seriem, & veluti chronologiam prædicationis Christi notaret,& ideò distinctè semper illa nominat, & non communi,vulgarique voce *dici festi.* Denique,quia aliàs necessarium erit nobis admittere quatuor annos integros prædicationis Christi numerando á baptismate,quod inauditum est,& cum humana historia,& chronologia non potest cohærere. Quod si inquiras,quod nã fuerit illud festum,de quo fit mentio Ioan. 5. Chrysost. hom.35.in Ioan.(quẽ Theoph. & Euthy. sequuntur) sine probatione dicit, *Vt mihi videtur Pentecostes*,Cyrillus verò lib.2.ca. 123. eandem tenens sententiam,probationem adiungit,quia hoc festum videtur immediatè sequutum post paschа,at verò Iudæi nullum festum immediatè post paschа celebrant,nisi Pentecostes. Assumptum verò solum probatur á Cyril.ex ordine historiæ,quia postquam c.2.Ioannes mentionem fecerat paschatis,vsque ad cap.5.non fecit mentionem alterius diei festi. Quæ tamen probatio non est efficax,sæpe enim euãgelica historia facit transitũ ab vno festo ad aliud remotum. Hanc sentẽtiam docuit etiã Apollin.apud Hiero. Daniel. 9.D.Thom.Albert.Mag. Lyranus, & alij super Ioan.& Petrus Comestor in histo. Euangel.c.81.

testimoniũ Io.5.de die festo Iudæorum.

1.expositio

Chrysost. Theoph. Euthim. Cyr.

Apollin. Hieron. D Thom. Alber. Lyra. Pet. Com.

Secunda expositio est,illud festum fuisse pascha. Ita sensit Irenæ. lib.2.aduersus Hęreses.c.39,& optime Rupert.lib.5. in Ioannem in initio. Atque idem sentiunt alij antiqui Patres infra citandi,& ex recentioribus Iansen.& Fran.Tolet.ibi,& Benedict. Pereirus.libro.11.in Danielem quæstione 7.Suaderi potest primo ex absoluta appellatione *dici festi*. Quia neque in veteri,neque in nouo testamento, alia solennitas absoluta *dici festi* appellatione nominatur, pascha verò quasi per antonomasiam sæpe ita vocatur, præsertim à Ioanne, vt

2.expositio. Irenæ. Rupertus. Iansen. Tolet. Pereirus.

Testimonij Ioã. de die festo intelligendũ de Paschate.

capit. 4. *Cum venisset in Galilęam excepe-runt illum Galilæi, cum omnia vidissent, quæ fe cerat Ierosolymis in die festo, & ipsi enim vene rant ad diem festum.* Vbi per diem festũ ne-cesse est, Pascha intelligi, alludit enim ad historiam, quam ca. 2. narrauerat, quomo do scilicet in die Paschæ eiecisset Chris-tus ementes, & vendentes è templo. Et videtur hic locus non parum vrgere, quia

Ioan. 2. & 5.

paucis interpositis subdit Ioan. in cap. 5. *Post hæc erat dies festus Iudæorum*, ergo ve risimile est in eadem significatione vsum

Ioan. 7. & 11.

esse illa voce. Præsertim quia statim cap. 7. agens de alia solennitate sub nomine *diei festi*, non simpliciter ita vocauit, sed cũ addito *diem festum Scenopegiæ*, ca. verò 11, & sequentibus sæpe Pascha, *diem festũ*,

Mat. 26 Luc. 2.

simpliciter appellat. Et similiter Matt. c. B 26. *Non in die festo*, & Luc. cap. 2. *secundum consuetudinẽ diei festi*, quem paulo antea *Pascha* vacauerat. Secundò est vehemẽs con iectura, quia illa omnia, quæ à Ioanne nar rantur dicta, & facta à Christo, à capit. 2. (vbi in die Paschæ dicitur eiecisse ementes, & vendentes, è templo) vsque ad ca. 5. (vbi fit mentio huius diei festi) non vi-dentur potuisse fieri solis quinquaginta diebus, imo neque breuiori tẽpore, quã

Ioan. 3.

integro anno, Quod ita declaratur.

Nam ca. 3. narrat colloquium Christi cũ Nicodemo, & postea dicit venisse Iesum cum discipulis in Iudæam, & ibi moratũ esse, & baptizasse. Quo loquendi modo significat nõ paucis diebus illic habitasse.

Ioan. 4. Tẽpus mes sis in Iudæa quando.

Deinde (quod magis vrget) cap. 4. narrat C rediisse Christum à Iudea in Galilæam, & transiisse per Samariam, & post collo-quium cum Samaritana inter alia dixisse discipulis. *Non ne vos dicitis, quod adhuc qua tuor menses sunt, & messis venit?* Quæ ver-ba perpendens Rupert. supra inquit, *cõstat, quod vbi non plus, quam quatuor menses ad messem interfunt, paschalis festiuitas non plus, quam duobus mensibus longe abest, quo vtique spatio temporis nulla alia festiuitas oc-currit, in qua secundum præceptum legis omne masculum deberet apparere ante conspectum Domini.* Et ex eisdem verbis colligunt. S. Thom. Hugo Cardin. Claud. Caietan. & Iansenius. illud tempus, in quo Christus Samariam pertransiit, fuisse hyemale in-ter Nouembrem, & Ianuarium. Quia tẽ-pus messis in Iudæa erat mensis Martij, vel Aprilis, vt colligi potest ex Iosue. 4.

Rupert. D. Thom. Hug Car. Clau. Caiet. Iansſ. Ios. 3 & 4

A Vbi dicitur populus Israel pertransisse Iordanẽ decimo die mẽsis primi (qui e-rat Martius) & tamen cap. 3. dictũ erat, il lud fuisse tempus messis his verbis, *Ior-danis ripas aluei sui tẽpore messis implcuerat.*

Dicere verò aliquis posset in ca. 4. per mensem primum non intelligi Martium, qui solum erat primus in ordine ad festi-uitates celebrandas, sed Septembrem, qui erat primus in computatione anni cõmu-nis Hebræorum. Sed hæc fuga excluditur cap. 5. vbi dicitur *transmisso Iordane feciſ-se populum Phase. 14. die mensis ad vesperã in cãpestribus Iericho*, nõ aũt est dubiũ, quin de eodem mense intelligatur, quia nõ per manserunt ibi sex menses, vt facerent pascha, sed post quatuor dies illud cele-brarunt, vt notauit Theod. q. 2. in Iosue, & indicauit Hieronym. lib. 1. contra Ioui nianum circa medium. Aliter eludi posset hic locus, dicendo verbis illis cap. 3. non affirmari illud fuisse tempus messis, sed comparari enundationem illamcũ ea, quę tempore messis fieri solebat. Nam septua ginta legũt, *sicut in tempore messis*. Sed huic expositioni obstat vulgata lectio, quę non habet, *sicut in tempore*, sed simplici-ter, *tempore messis*. Secundo, quia statim c. 5. post narratam paschæ celebrationẽ ad-ditur, *& comederunt de frugibus terræ die al tero*, (scilicet die. 15. mensis primi) *azimos panes, & polentam eiusdẽ anni, defecitque man na, postquam comederunt de frugibus terræ, C neque vsi sunt vltra cibo illo filij Israel, sed co-mederunt de frugibus præsentis anni terræ Ca naam.* Ergo negari non potest, quin eo tẽ pore fructus terræ iam ad maturitatẽ per uenissent, atque adeò, quòd tempus mes sis iam instaret. Atque ita exponũt hunc locum Lyranus, Hugo, & Abulens. q. 35. in cap. 3. qui aduertunt primum mensem Iudæorum interdum coincidere cum nos tro Aprili, & ita potuisse accidere illo an no, cúmque illa regio calidior sit, & pro-pè Iordanem esset, & humidior, atq; ma-gis dispositа, vt citius fructus matureſce rent, fieri potuisse vt eo iam tempore ali-qua ex parte messis inciperet. Et confir-mari potest hæc sententia ex Leuit. 23. v-bi præcipitur in paschate offerri manipu-lum primitiarum coram Domino, quod est signum eo tẽpore segetes fuisse iã ap-tas ad messem. Vnde Ioseph 3. antiquita. cap. 12. refert, tẽpore paschatis solita esse

Hugo Abulens Lyra.

Leu. 23.

Ioseph.

om

omnia sata habere iã culmũ, spicã, & grana & quãuis nõ essent omnino perfecta, fuisse tamẽ vicina maturitati saltẽ in aliquib⁹ locis. Ita vt meti possent, vt manipulus spicarum offerretur Deo, vtque possent grana torreri, & in sacrificium offerri. Quod etiam notauit Lyranus supra, & Leuiti. ac Exod. 23. Vbi propter hanc causam primus mensis vocatur. *Mensis nouorum*, & apertius cap. 23. *Mensis nouarum frugum*. Relinquitur ergo, tempus illud, in quo Christus pertransijt Samariam nõ potuisse esse paulo ante Pentecostem. Illud namque tempus non distabat â tempore messis per mẽses quatuor, maximè cùm Christus nõ de fine: sed de initio messis loquatur. Sic enim B ait. *Adhuc quatuor menses sunt, & messis venit* ergo illud festum, de quo Ioann. loquitur cap. 5. non potuit esse festum Pentecostes quia illud proxime sequutum est post transitum IESV per Samariam. Et eadem ratione concluditur, non posse etiam explicari locum illum de festo tabernaculorũ proximo Septembri celebrato post illud Pascha, cuius facta fuerat mentio cap. 2. Quia in illo tẽporis interuallo, nunquã defuere quatuor menses, vsq; ad tempus messis, ergo festum illud non fuit festum tabernaculorum. Nec etiam esse potuit festum Encęniorum (vt Caietan. finxit Ioan. 5. quem Canus sequitur lib. 10. de locis ca. 5. ad. 6.) tum quia illud festum non erat adeò solen C ne, vt simpliciter *dies festus*, quasi per antonomasiã diceretur. Quæ ratio generaliter probat de reliquis festis minoribus, quæ hyeme celebrabantur. Tum etiam, quia illo modo non possunt cõmode verba Christi explicari. Opotuisset enim, vt ante mẽsem Nouembris, in quem festum illud incidebat, Christus transisset per Samariam ergo tunc dicere non posset. *Adhuc quatuor menses sunt, & messis venit*. Eô vel maximè quòd solum in tribus solenniotibus festis Paschę Pẽtecostes, & Tabernaculorum tenebantur omnes Iudæi, qui terram promissionis incolebant, Ierosolymam ad sacrificandum ascendere, vt constat Exodi. 23. Illud autem festum, de quo Ioannes loquitur cap. 5. videtur fuisse aliquod ex ijs tribus, vt omnes grauiores expositores intelligunt. Nam verba illa. *Erat dies festus Iudęorum, & ascendit Iesus Ierosolymam*. vim habent causalis propositionis, scilicet ascẽdisse Christum, quia erat dies festus, nimirum in quo omnibus ascendendum erat. Cum ergo ostensum sit non fuisse festum Pentecostes, neque Tabernaculorũ, nihil sanè verisimilius dici potest, quàm quod fuerit festum Paschæ.

Lyra. Exod. 23. Leuit. 23

Ioann. 5.

Ioan. 2.

Caiet. Canus.

Exod. 23.

Contra hoc vero aliqui contendunt, tempus messis apud Iudæos fuisse eodem tempore, quo est apud nos. Nam Leuit. 23. & Exod. 23. indicatur finem messis in fine Augusti accidere solitum esse, atque ita colligunt festum Paschæ incidere solitũ in principium veris, vt Hieron. notat Aggæi. 2. Vnde fit eodem tempore paulo post pascha potuisse Christum dicere. *Adhuc quatuor menses sunt, & messis venit*, vt sensit Cyril. lib. 2. in Ioan. cap. 106. Cui sententiæ fauet Chry. to. 2, sermone quodam de Ioanne Baptista, vbi dicit, Iunium fuisse initiũ messis frumẽtaceæ. Iuxta quam sententiã recte intelligi potest locus Ioannis de festo Pentecostes. Sed præterquam quod illa expositio de festo Paschæ non solũ prædicta ratione: sed etiam alijs, & quidem efficacibus nititur. Hæc, quæ ad refellendam prędictam rationem afferuntur, nullo modo nobis suaderi possunt. Tum quia loca scripturę in contrarium adducta, tam aperta sunt, vt vix possint explicari. Tum etiã, quia id quod dicitur, repugnat, & principiis geographiæ, & omni historię, ac experientię. Tum etiam quia ex citatis locis Leuit. & Exod. 23. constat in festo Pentecostes solitas esse offerri primitias frugum, & duos panes ex primitijs tritici. Vnde fit eo tempore non solum inchoatum, sed ferè finitum fuisse tempus messis: in fine autem Augusti non solum messis, sed etiam vindemia finita erat, vt eisdem locis Lyranus, notat, & Deut. 26. Quod etiam est signum multò antea finitum fuisse tempus messis. Nullo ergo modo a paschate ad initium messis poterant quatuor menses superesse, non ergo potuerunt illa verba a Christo dici tempore veris statim post pascha, sed tempore hyemis ante pascha, ergo locus ille Ioan. 5. non potest de Pentecoste sed solum de pascha intelligi.

Ex hac ergo huius loci expositione (quã veriorem existimamus) concluditur, quatuor paschata numerari a Ioanne post miraculum nuptiarum, & consequenter numerando prędicationem Christi ab eo miraculo, tribus annis, & tribus mensibus duraſſe, atque adeò (si sumamus initium a tẽ-

Tẽp⁹ prędicationis Christi quantũ.

pore baptismi) numerandos esse quatuor annos, & tres menses. A

1. Obiectio Sed supersunt nonnullæ difficultates circa hanc sententiam. Prima est, quia nullus autor grauis tot annos tribuit prædicationi Christi, sed ad summum tres, & aliquot menses, vt videre licet in Euseb. libro. 8. de Demonst. demonst. 2. circa finem, vbi tamē non declarat, ex quo tempore illorū annorum seriem ordiatur in chronico tamen apertē videtur illos à baptismate Christi repetere, vt patet computando, quæ narrat in Olympiade ducentisima prima, & ducētisima secūda, sed apertissimè id docet li. 1. Hist. cap. 10. Euse. autem sequutus est Hiero. Daniel. 9. vbi Theodoret. idē sensit & clarius Ignatius epist. 5. ad Trallianos, *Triennium prædicauit Euāgelium, signa, & prodigia patrauit.* Et videtur initium sumere à baptismate, cuius proximè mentionem fecerat. Eandem sententiam videtur tenuisse Beda lib. de ratione temporum cap. 45. B & Aymo Apocalyp. 12. & Nicephor. lib. 1. cap. 29. Ad hanc difficultatem nihil aliud habeo, quod respondeam, nisi hos patres nō satis distinxisse inter initium prædicationis Christi sumptum a baptismo, vel à miraculo nuptiarū, solumque docere voluisse ex euangelio Ioannis tres tantum annos colligi posse, quod nos etiam fatemur. Cęterum, quia ex traditione Ecclesiastica alium integrum annum credimus intercessisse à baptismo, vsque ad nuptias, ideō annum alium annumerandum censemus, siue ille annumeretur inter annos prædicationis (quia ex tunc cæpit docere, & discipulos congregare, vt supra diximus) siue dicatur initium potius esse sumendū à nuptijs, quia tunc cępit Christus dominus manifestare gloriam suam hominibus, & doctrinam miraculis confirmare, quod ad modum loquendi spectat. Quanuis prior, qui initium doctrinę sumit à baptismate, videatur magis vsitatus, magisque historiæ, & rationi conformis.

Euseb. Hierony. Theodor. Ignat. Beda. Aymo. Nicephor. Responsio

2. Obiectio Luc. 3. Secunda difficultas sumitur ex Luc. c. 3. dicente. *Anno quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris, sub principibus sacerdotum Anna, & Caipha factum est verbum Domini super Ioannem.* Ex quibus verbis colligi videtur totum tē pus prædicationis Christi comprehensum esse sub pontificatibus Annæ, & Caiphæ, idest, baptizatum esse eo anno, quo Annas pontificatum gerebat, mortuum autem in pontificatu Caiphę. Nam hoc posterius manifestō constat ex omnibus euāgelistis, illud verō prius ex hoc loco Lucę deducitur. Et ita interpretatur Euseb. lib 1. Hist. cap. 10. Rursus addendum est ex Iosepho. lib. 18. antiquitatum. cap. 3. inter Annam, & Caipham tres Pontifices intercessisse, Ismaelem, Eleazarum, & Simeonem, qui eo tempore annui erant, vt aperte colligitur ex verbis illis Ioannis cap. 11 *Cum esset Pontifex anni illius*, & Iosephus idem testatur, ergo tota Christi prædicatio á baptismo vsque ad mortem non potuit integrum quadriennium efficere. Quo argumento vsus est Eusebius supra, eumque imitatur Nicephorus. Sed est valde inefficax argumentū multis de causis Primo quia etiam si cōcedātur omnia, quę in argumento sumuntur consequentia non est efficax. Quia cùm nō constet, quando inciperet, vel finiretur annus pontificatus illorum pontificum, fieri rectè potuit, vt sub illis quinque pontificibus Christus prędicauerit quatuor annis integris, & aliquot mensibus, vt facile constabit intuenti, & considerāti. Secundo, quia non satis constat Annam fuisse Pontificem eo anno, quo Christus est baptizatus. Quia verba illa Lucæ, *Sub principibus Anna, & Caipha*, valde ambigua sunt, & obscura. Quia nudè, ac simpliciter accepta potius indicare videntur, vtrunque fuisse Pōtificem eo anno, & per vices ministrasse, vt sentit Aug. tract. 49. in Ioannem. Alij existimant Caipham tunc fuisse Pontificem, & durasse vsque ad Christi mortem. Nam illum accepisse pontificatum quarto, vel quinto anno imperij Tiberij, & in eo perdurasse vsque ad finem imperij eius, non obscure colligitur ex Iosepho. lib. 18. antiq. cap. 3. & 6. quod verō ipse solus summus Pontifex esset, satis constat ex Matth. 26. *Duxerunt eum ad Caipham principem sacerdotum*, & Ioan. 11. & 18. *Duxerunt eum ad Annā primum, erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius*, ergo etiam ille solus erat pontifex anno baptismi Christi. Cum illo autē numeratus est Annas a Luca, tum quia pōtificatum paulo ante gesserat, & ideirco nomen principis sacerdotum nondum amiserat: tum etiam quia erat socer Caiphæ, ac propterea eximia autoritate pollebat, atq; hanc ob causam in passione Domini ad illum primūm ductus est Christus. Quidam etiam arbitrantur illum fuisse summū præ

Euseb. Nicephor. Responsio Aug. Mat. 26, Io. 11 & 18 Annæ, & Caiphę pōtificatusque lis.

sidem

sidem concilij Sanhedrin, ad quod veræ, vel falsæ doctrinæ iudicium pertinebat. Nã Act. 4. in illo Concilio, quod aduersus Apostolos coactum est. Annas vocatur princeps sacerdotum, Caiphas verò deinde cũ reliquis annumerãtur, cum tamen eodem anno, quo mortuus est Christus, durante adhuc Caiphæ pontificatu cõcilium illud congregatum sit. Alij denique arbitrãtur Annam, & Caipham alternis annis pontificalem dignitatẽ obtinuisse, & ideo dictum esse, *sub Anna, & Caipha.* Quia licet eo anno, quo Ioannes Baptista prædicare cæpit, alter eorum tantummodo esset pontifex, tamen sub vtriusque pontificatu prædicauit, & vterque dicebatur princeps sacerdotum, quia alternis sibi annis mutuo succedebant. Quæ res sicut probari nõ potest, ita neque alia efficaciori ratione refelli. Addo præterea contra Euseb. non potuisse dici *factum esse verbum Domini sub Anna, & Caipha,* solum quia Caiphas futurus erat pontifex post triennium, vel quadriẽnium, quando Christus mortuus est, præsertim cum eo anno defunctus iam esset Ioannes, nullo ergo modo consistere potest Eusebij computatio. Quod præterea euidẽter cõuincitur, quia historia Iosephi qua Euseb. vtitur, anteces sit ferè per quatuordecim annos Christi baptisma, & prædicationem: accidit enim in initio imperij Tiberij, vt dictum est, & euidenter constat ex Iosepho. Ex quo etiam facile intelligitur, non fuisse perpetuò obseruatum eo tempore, vt summi põtifices annui essent. Sed hoc pendebat ex Romanorum imperio: qui interdum breuiori tempore: interdum diuturniori, aliquem pontificem patiebantur esse. Vnde etiam euenire poterat, vt idem sæpe pontifex fieret. Ex historia ergo, & successione horum pontificũ nihil certi de tempore prædicationis Christi haberi potest.

3. Obiectio Tertia, & grauis difficultas sumitur ex chronologia Romana euangelicæ coniuncta. Nam ex Luca habemus Christum baptizatũ esse anno. 15. imperij Tiberij, sed historiæ graues anno eiusdẽ imperij decimo octauo Christũ defunctũ memorãt, ergo *Responsio.* non potuit prædicatio Christi a baptismate inchoata, quatuor integris annis durare. Sed hæc difficultas commodiorem locũ habebit infra, cùm agemus de anno, quo defunctus est Christus, vbi docebimus euenisse id quidem anno. 19. imperij Tiberij. Ex quo etiam confirmabitur amplius sententia, quam hic defendimus.

QVAESTIO. XLIII.

De miraculis à Christo factis in generali, in quatuor articulos diuisa.

DEinde considerandum est de miraculis à Christo factis, & primò in generali, secundò in speciali de singulis miraculorum generibus, tertiò in particulari de transfiguratione ipsius,

¶ Circa primum quæruntur quatuor. ¶ Primò, vtrùm Christus debuerit miracula facere. ¶ Secundò, vtrùm fecerit ea virtute diuina. ¶ Tertiò, in quo tempore inceperit miracula facere. ¶ Quartò, vtrùm per miracula fuerit sufficienter ostensa eius diuinitas.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Christus debuerit facere miracula.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod Christus miracula facere non debuerit. Factum enim Christi verbo ipsius debuit concordare. Sed ipse dicit Mat. 16. Generatio mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Non ergo debuit miracula facere. 234. Opu. 2. c. 7 & opu. 3. c 135 & op. 11. a. 17 & opu. 60. c. 51. princ.

¶ 2. Præterea, Sicut christus in secundo aduentu venturus est in virtute magna, & maiestate, vt dicitur Mat. 24. Ita in primo aduentu venit in infirmitate: secundum illud Isa. 53. Virum dolorum, & scientem infirmitatẽ. Sed operatio miraculorum magis pertinet ad virtutem, quam ad infirmitatem. Ergo non fuit conueniens quod in primo aduentu miracula faceret.

¶ 3. Præterea, Christus venit ad hoc vt homi-

homines saluaret per fidem, secundum illud Heb. 12. *Aspicientes in autorem fidei, & consumatorem Iesum.* Sed miracula diminuunt meritum fidei, vnde Dominus Ioan. 4. dicit. *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.* Ergo non videtur, quòd Christus debuerit miracula facere. ¶ Sed contra est, quod ex persona aduersariorum Dei dicitur Ioan. 11. *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?*

¶ *Respondeo dicendum, quòd diuinitus conceditur homini miracula facere propter duo. Primò quidem, & principaliter ad confirmandam veritatẽ, quã aliquis docet, quia enim ea, quæ sunt fidei, humanam rationem excedunt, nõ possunt per rationes humanas probari: sed oportet quòd probentur per argumentum diuinæ virtutis, vt dum aliquis facit opera, quæ solus Deus facere potest, credantur ea, quæ dicuntur esse à Deo, sicut cùm aliquis defert literas anulo Regis signatas, creditur ex voluntate Regis processisse, quod in illis continetur. Secundò, ad ostendendã præsentiam Dei in homine per gratiam Spiritus sancti, vt dum scilicet homo facit opera Dei, credatur Deus habitare in eo per gratiã. Vnde dicitur Gala. 3. Qui tribuit vobis Spiritũ, operatur virtutes in vobis. Vtrunque autem circa Christum erat hominibus manifestandũ, scilicet quòd Deus esset in eo per gratiã, non adoptionis, sed vnionis, & quòd eius supernaturalis doctrina esset à Deo. Et ideo conuenientissimum fuit vt miracula faceret. Vnde ipse dicit Ioannis decimo. Si mihi non vultis credere, operibus credite. Et Ioan. 5. Opera, quæ dedit mihi pater vt faciam, ipsa sunt, quæ testimoniũ perhibent de me.*

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd hoc quod dicit. Signum non dabitur ei, nisi signũ Ionæ Prophetæ, intelligendũ est, vt Chryso. dicit, quod tunc non acceperunt tale signum, quale petebant, scilicet de cœlo: non quod nullum signum eis dederit, vel quia signa faciebat, non propter eos, quos sciebat lapideos esse, sed vt alios emendaret: & ideo non eis, sed alijs illa signa dabantur.*

¶ *Ad secundum dicendum, quòd licet Christus venerit in infirmitate carnis, quod manifestatur per passiones: venit tamen in virtute Dei, quod erat manifestandum per miracula.* ¶ *Ad tertium dicendum, quod miracula in tantum diminuunt meritum fidei, in quantum per hoc ostenditur duritia eorum, qui nolunt credere ea, quæ scripturis diuinis probãtur, nisi per miracula. Et tamen melius est eis, vt vel per miracula conuertantur ad fidẽ, quam quod omnino in infidelitate permaneant: dicitur enim primæ ad Corin. 14. quod signa data sunt infidelibus, vt scilicet conuertantur ad fidem.*

Hom. 54. in Mat. ante me. to. 2.

COMMENTARIVS.

RESpondet D. Thom. conuenientissimum fuisse, vt Christus miracula faceret. Quod euidenter probat ex fine prædicationis Christi, & excellẽtia eius, ad quam confirmandam, & demonstrandam Christi diuinitatem vtilia erant miracula. Non tamen declarat, vtrum ad hunc finem fuerint simpliciter necessaria: cùm tamen ex verbis Christi domini interdũ necessitas, interdum vtilitas colligi videatur. Quam rem inferius disputabimus, vbi etiã exponemus, quod in fol. ad. 3. tetigit D. Thom. quomodo miracula conferant ad fidem, & augeant, vel minuant meritũ eius.

In fol. ad. 1. explicat D. Tho. locum illum Matt. 12. & 16. *Generatio prauа, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ.* In quo primum obseruandum est, Pharisæos petentes à Christo signum de cœlo dupliciter peccare potuisse. Primo, ex praua intentione, quia nõ petebant illud signum, vt crederent, sed vt occasionem haberent calumniandi Christum vt ariolum, seu incantatorem. Hanc enim fuisse istorum mẽtem indicauit Christus, tum eos appellãs hypocrytas, (vt Græca habent, nonnullaque latina) tum acriter incessens illis verbis, *Generatio prauа, et adultera.* Secundo peccabant per duritiam, & infideli-

Mat. 12 & 16.

Signum de cœlo Iudęi quorsumpe tunt.

infidelitatem contemnendo cætera miracula, quæ Christus faciebat, & nouum, atque inusitatum signum exigẽtes, vt Christi potentiam explorarent. Propter quod dicuntur accessisse ad tentandum eum, & hanc eorum mentem indicauit Christus, cùm illos arguit, quòd ex signis aeris faciẽ cœli dijudicare nossent: Messiæ autem aduentum ex proprijs eius operibus, & signis nollent agnoscere, & ideó sine necessitate nouum signum postularent. Propter hanc ergo duplicem causam Christus eos acriter repulit, & omnino negauit signum eis se esse daturum. Quod dupliciter D. Th. exponit. Primo, quôd Christus nõ negauerit absolutè se daturum vllum signum, quandoquidem postea multa edidit miracula, sed non daturum tale signũ, quale illi volebant. Ita exponit Chry. hom. 44 Iuxta quam expositionem, illud. *Nisi signũ Ionæ Prophetæ*, non habet vim excipiendi propriè (nam exceptio propriè fit ex rebus comprehensis sub clausula vniuersali, à qua fit exceptio, resurrectio autem non erat tale signum, quale petebant Iudæi) habet ergo vim aduersatiuæ, ita vt sit sensus non dabitur eis signum, quale petunt, sed aliud longè dissimile, quod omnes eorum calumnias possit superare. Alia expositio est. *Non dabitur eis*, idest, propter eos, ita vt non negauerit Christus se facturum signa, quæ alijs prodessent, sed negat se facturũ, vt consulat eorum vtilitati, vel vt annuat eorum petitioni, quia lapidei erant, imô ferrei, ideoq; talia signa poscebãt. Ita etiam exponit Chryso. & sequitur Euthym. in Matt. suo cap 23. & Theophyl. Matth. 16.

Signum de cœlo quomo Iudeis Christus negat, Chrys.

Chrys. Euth, Theoph. Obiectio.

Quod si obijcias, Etiam illud signum Ionæ non esse datum istis, qui signum petebant, idest: propter ipsos, aut ipsorum petitionem. Respondẽt Theophy. & Euthy. signa de cœlo, quæ facta sũt in morte Christi, & in eius resurrectione, ipsis Iudæis, & induratis specialiter data esse, vt vel cõuerterẽtur, vel inexcusabiles fierent, eorũque cęcitas omnibus nota foret. Vide Iansen. cap. 49. Con. & Toletum Ioan. 2. annot. 23.

Responsio.

Ians. Tolet.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrũ Christus fecerit miracula diuina virtute.

A *AD secũdum sic proceditur. Videtur, quòd Christus non fecerit miracula diuina virtute. Virtus enim diuina est omnipotens. Sed videtur quod Christus non fuerit omnipotens in miraculis faciendis: dicitur enim Marc. 6. quòd non poterat ibi, scilicet in patria sua virtutem vllam facere. Ergo videtur quòd non fecerit miracula virtute diuina.* ¶ *2. Præterea, Dei non est orare. Sed Christus aliquando in miràculis faciendis orabat: vt patet in suscitatione Lazari Ioan. 11. & in multiplicatione panum, vt patet Matt. 13. Ergo videtur, quòd non fecerit mirucula virtute diuina* ¶ *3. Præterea, Ea quæ virtute diuina fiunt, non possunt virtute alicuius creaturæ fieri. Sed ea quæ Christus faciebat, poterant etiam fieri in virtute alicuius creaturæ: vnde & Pharisæi ei dicebant, quòd in Beelzebub principe dæmoniorum eijciebat dæmonia. Ergo videtur quòd Christus non fecerit miracula virtute diuina.* ¶ *Sed contra est, quod Dominus dicit Ioan. 14. pater in me manens, ipse facit opera.*

233 3 di. 15. q. 1 ar. 3. co. & di 15. q. 1. ar. 3. cor. & ad. 4. & 4 d. 1. q 1. a. 1. & op. 11 c. 17.

B

¶ *Respondeo dicendum, quod sicut in prima parte habitum est, vera miracula sola virtute diuina fieri possunt: quia solus Deus potest mutare naturæ ordinem, quod pertinet ad rationem miraculi. Vnde Leo papa dicit in epistola ad Flauianum, quod cum in Christo sint duæ naturæ, vna earum est diuina, quæ fulget miraculis: altera scilicet humana, quæ succumbit iniurijs. Et tamen vna earum agit cum communicatione alterius, in quantum scilicet humana natura est instrumentum diuinæ actionis, & actio humana virtutem accipit à natura diuina, sicut supra habitum est.*

P. 1. q. 110 ar. 4.

Epi. 0 c 4 parũ a pri.

C

q. 13. ar. 3.

¶ *Ad primum ergo dicendum, quod hoc quod dicitur, non poterat ibi vllam virtutem facere, non est referendum ad potentiam absolutam: sed ad id quod potest fieri congruenter, non enim congruũ*

erat

erat, vt inter incredulos operaretur miracula. Vnde subditur. Et mirabatur propter incredulitatem eorum: secundum quemmodum dicitur Gen. 18. Num celare potero Abraham quæ gesturus sum? & 19. Non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc.

¶ Ad secundum dicendum, quòd (sicut Chrysost. dicit super illud Matt. 14. Acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, aspiciens in cœlum, benedixit, & fregit) oportebat credi de Christo quoniam à Patre est, quòd ei æqualis est. Et ideo vt vtrumque ostendat, nunc quidem cum potestate, nunc autem orans miracula facit: & in minoribus quidem respicit in cœlum, puta in multiplicatione panum: in maioribus autem, quæ sunt solius Dei, cum potestate à seipso agit: puta quando peccata dimisit, mortuos suscitauit. Quòd autem dicitur Ioann. 11. quòd in suscitatione Lazari oculos sursum leuauit, non propter necessitatem suffragij, sed propter exemplum hoc fecit. Vnde dicit. Propter populum, qui circunstat dixi, vt credant, quia tu me misisti. ¶ Ad tertium dicendum, quòd Christus alio modo expellebat dæmones, quàm virtute dæmonum expellantur. Nam virtute superiorum dæmonum, ita dæmones à corporibus hominum expelluntur, quòd tamen remanet dominium eorum quantũ ad animam: non enim contra regnum suũ diabolus agit. Sed Christus dæmones expellebat non solũ à corpore, sed multo magis ab anima. Et ideo Dominus blasphemiam Pharisæorum dicentium eum in virtute dæmoniorum dæmonia eijcere, reprobauit, primo quidem per hoc, quod Sathanas contra seipsum non diuiditur: secundo, exemplo aliorum qui dæmonia eijciebant per Spiritum Dei: tertio, quia dæmonium expellere non posset, nisi ipsũ vicisset virtute diuina: quarto, quia nulla conuenientia in operibus nec ineffectu erat sibi, & Sathanæ, cum Sathanas dispergere cuperet, quos Christus colligebat

Hõ. 50. in Mat. par. 4 prin. to. 2.

A

De hoc articulo legantur, quæ scripsimus priori tomo disput. 31. sect. 1. & 2.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Christus inceperit facere miracula in nuptijs.



AD tertium sic proceditur. Videtur quòd Christus non inceperit miracula facere in nuptijs mutando aquam in vinum. Legitur enim in lib. de infantia Saluatoris, quod Christus in sua pueritia multa miracula fecit. Sed miraculum de conuersione aquæ in vinum fecit in nuptijs tricesimo, vel tricesimo primo anno suæ ætatis. Ergo videtur quod non inceperit tunc miracula facere. ¶ 2. Præterea, Christus faciebat miracula secundum virtutem diuinam. Sed virtus diuina in eo à principio suæ conceptionis erat: extunc enim fuit Deus, & homo. Ergo videtur quòd à principio miracula fecerit. ¶ 3. Præterea, Christus post baptismum, & tẽtationem cœpit discipulos congregare, vt legitur Matth. 4. & Ioan. 1. Sed discipuli præcipuè cõgregati sunt ad ipsũ, propter miracula, sicut dicitur Luc. 4. quod Petrum vocauit obstupescentem propter miraculum quod fecerat in captura piscium. Ergo videtur quod ante miraculum quod fecit in nuptijs, fecerit alia miracula. ¶ Sed contra est, quod dicitur Ioan. 3. Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ.

B

C

226 4. d. 44. in expositione lit. & opus: 11. art. 18 & Io. 1. le. 21. co 1 & ca. 2. l. 1 fi. & c. 15. l. 5. fi.

¶ Respondeo dicendum, quod miracula facta sunt à Christo propter confirmationem doctrinæ eius, & ad ostendendã virtutem diuinam in ipso. Et ideo quantum ad primum non debuit ante miracula facere, quam docere inciperet. Non autem debuit incipere docere ante perfectam ætatem, vt supra habitum est, cum de baptismo eius ageretur. Quantum autem ad

q. 36. ar. 3.

tem ad secundum, sic debuit per miracula deitatem ostendere, vt crederetur veritas humanitatis ipsius. Et ideo sicut dicit Chrysost. super Ioan. decenter non incepit signa facere in prima ætate: existimassent enim phantasma esse Incarnationem, & ante opportunum tempus cruci eum tradidissent.

Hom. 2 in Ioan. parũ ante me, to. 3

¶ Ad primum ergo dicendum, quod sicut Chrysostom. dicit super Ioannem ex verbo Ioannis Baptistæ dicentis. Vt manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans, manifestum est quod illa signa, quæ quidam dicunt in pueritia à Christo facta, mendacia, & fictiones sunt. Si enim à prima ætate miracula fecisset Christus, nequaquam Ioannes eum ignorasset, neque reliqua multitudo indiguisset magistro ad manifestandum eũ. ¶ Ad secundum dicẽdum, quod Dei virtus operabatur in Christo secundum quod erat necessarium ad salutem humanam, propter quã, carnem assumpserat, Et ideo sic miracula fecit virtute diuina, vt fidei de veritate carnis eius, præiudicium non fieret.

Hom. 16. in Ioan. circa med. illius to. 3,

¶ Ad tertium dicendum quòd hoc ipsum ad laudem discipulorum pertinet, quòd Christum secuti sunt, cùm nulla eum miracula facere vidissent: sicut Grego. dicit in quadam homil. Et Chrysost. dicit, tunc signa, maximè necessarium erat facere, quando discipuli iam congregati erant, & deuoti, & attendentes his, quæ fiebant. Vnde subditur. Et crediderunt in eum discipuli eius: non quia tunc primùm crediderunt: sed quia tunc diligentius, & perfectius crediderunt. Vel discipulos vocat eos qui futuri erant discipuli sicut exponit Aug. in lib. de consensu Euangelistarum.

Gr. ho. 5 in Euã. in pr. Chrys. ho. 22 in Ioan paulo a pr. to. 3.

li. 2 c. 17 a med. to. 4.

Circa hunc articulum videantur dicta supra hoc tomo disputatione decimi septima sectione tertia.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum miracula per Christum facta sufficienter eius diuinitatem ostenderint.

AD quartum sic proceditur. Videtur quòd miracula quæ Christus fecit, non fuerint sufficientia ad ostendendam diuinitatem ipsius. Esse enim Deum, & hominem proprium est Christo. Sed miracula, quæ Christus fecit, etiã abalijs sunt facta. Ergo videtur, quòd nõ fuerint sufficientia ad ostendendam diuinitatem ipsius. ¶ 2. Præterea, Virtute diuina nihil est maius. Sed aliqui fecerunt maiora miracula, quam Christus, dicitur enim Ioan. 14. Qui credit in me opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horũ faciet. Ergo videtur quòd miracula quæ Christus fecit, non fuerint sufficientia ad ostendendam diuinitatem ipsius. ¶ 3. Præterea, Ex particulari non sufficienter ostenditur vniuersale. Sed quodlibet miraculorum Christi fuit quoddam particulare opus. Ergo ex nullo eorum potuit manifestari sufficienter diuinitas Christi, ad quam pertinet vniuersalẽ virtutem habere de omnibus. ¶ Sed contra est, quod Dominus dicit. Ioann. 5. Opera quæ dedit mihi Pater vt faciam, ipsa testimonium perhibent de me.

237 3, d. 15. q. 1. ar. 1 & d. 16. q. 1. a. 3. co. & 1. cõ c. 6. & l. 4 ca. 55. ad 8 & quod. 1. ar. 6. ad 4. & Ioã. 15. lc. 5. col. 2.

¶ Respondeo dicendum, quod miracula quæ Christus fecit sufficientia erant ad manifestandam diuinitatem ipsius, secũdum tria. Primo quidem, secundũ ipsam speciem operum, quæ transcendebant omnem potestatem creatæ virtutis: & ideo non poterant fieri nisi virtute diuina. Et propter hoc cœcus illuminatus dicebat Ioan. 9. A sæculo non est auditum, quia àperuit quis oculos cæci nati: nisi esset hic à Deo, non poterat facere quicquam. Secundò, propter modum miracula faciẽdi: quia scilicet quasi ex propria potestate

te miracula faciebat: non autem orando, sicut alij. Vnde dicitur Lucæ. 6. quòd virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Per quod ostenditur (sicut Cyrillus dicit, quod non accipiebat alienam virtutem: sed cum esset naturaliter Deus propriam virtutem super infirmos ostendebat, & propter hoc innumerabilia miracula faciebat. Vnde super illud Mat. 8. Eijciebat spiritus verbo, & omnes male habentes curauit, dicit Chrys. Intende quantam multitudinem hominum curatam transcurrunt Euangelistæ, non vnunquenque curatum enarrantes, sed vno verbo pelagus ineffabile miraculorum inducentes. Et ex hoc ostendebatur, quod haberet virtutem coæqualem Deo patri, secundum illud Ioan. 5. Quæcunque Pater facit, hæc & filius similiter facit. Et ibidem. Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat, sic & Filius hominis, quos vult viuificat. Tertiò ex ipsa doctrina, qua se Deum dicebat, quæ nisi vera esset, nõ confirmaretur miraculis diuina virtute factis. Et ideo dicitur Marci. 1. Quænam doctrina hæc noua: quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obediũt ei. ¶ Ad primum ergo dicendum, quod hæc erat obiectio Gentilium. Vnde Aug. dicit in Epist. ad Volusianũ. Nulla, inquiunt competentibus signis tantæ maiestatis indicia claruerunt, quia larualis illa purgatio, qua scilicet dæmones effugabat, debilium curæ, reddita vita defunctis, si & alia considerentur Deo parua sunt. Et ad hoc respõdet Aug. Fatemur, & nos talia quædã fecisse Prophetas, sed, & ipse Moyses, & cæteri Prophetæ Dominũ Iesũ prophetauerũt, et ei gloriã magnã dederũt. Quipropterea talia & ipse facere voluit, ne esset absurdũ quod per illos fecerat, si ipse etiã non faceret. Sed tamen, & aliquid proprium facere debuit, nasci de virgine, resurgere a mortuis, cœlũ ascendere: hoc Deo qui parũ putat, quid plus expectet ignoro. Nũ homine assumpto alium mundum facere debuit, vt eũ esse crederemus per quẽ factus est mundus. Sed nec maior mundus nec isti æqualis in hoc mundo fieri posset. Si autẽ minorẽ faceret infra istum, similiter hoc quoq; parũ putaretur. Quæ tamen alij fecerũt. Christus excellẽtius fecit. Vnde super illud Ioann. 15. Si opera non fecissẽ in eis, quæ nemo alius fecit, &c. dicit Augu. Nulla in operibus Christi videntur esse maiora, quam suscitatio mortuorum: quod scimus etiam antiquos fecisse Prophetas. Fecit tamẽ aliqua Christus, quæ nemo alius fecit. Sed respõdetur nobis, & alios fecisse quæ nec ipse nec alius fecit. Sed qui tam multa vitia, & malas valetudines, vexationesq; mortalium tanta potestate sanaret, nullus omnino legitur antiquorũ. Vt enim taceam quos iubẽdo, sicut occurrebãt, saluos singulos fecit. Marcus dicit, quod quocunque loco introibat in vicos, aut in villas, aut in ciuitates, in plateis ponebãt infirmos, et deprecabãtur eum, vt vel fimbriã vestimẽti eius tãgerent, & quotquot tãgebant, eũ salui fiebant. Hæc nemo alius fecit in eis. Sic enim intelligendum est quod ait, in eis, non inter eos, aut coram eis, sed prorsus in eis, quia sanauit eos. Nec tamen alius quicunq; in eis talia opera fecit, quoniam quisquis alius homo aliquid eorũ fecit, ipso faciente fecit: hoc autem ipse non illis facientibus fecit. ¶ Ad secundum dicendum quod Aug. exponens illud verbũ Ioan. inquirit, quæ sint ista opera maiora, quæ credentes in eum erãt facturi: an fortè, quòd ægros ipsis transeuntibus etiam eorum vmbra sanabat, maius est enim quòd sanet vmbra, quàm fimbria. Verũtamen quando ista Christus dicebat, verborum suorũ facta, & opera commendabat. Cùm enim dixit, Pater in me manens ipse facit opera: quæ opera tunc dicebat, nisi verba quæ loquebatur? Et eorundem verborũ fructus erat fides illorum. Veruntamen euãgelizantibus discipulis non tam pauci, quã

Hom. 28. in Mat. paulo a princi. to. 2.

Epi. 3. post med. illius to. 2.

Epist. 3 â me illius to. 2.

Inuitur. 13. tra. in Io. super illud, maiora demonstrabit illis tom. 9.

quam illi erant sed Gētes etiam crediderunt. Nonne ab ore ipsius dies ille tristis abscesit? & tamen postea, quod ab illo auditum non fecit vnus, fecerunt multi, cū per discipulos loqueretur. Ecce, maiora fecit prædicatus à credentibus, quā locutus est audiētibus. Verùm hoc adhuc mouet quòd hæc maiora per Apostolos fecit: nō autem ipsos tantum significās ait, Qui credit in me, opera quæ ego facio. & ipse faciet. Audi ergo, & intellige. Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet. Prius ego facio, deinde & ipse faciet: quia facio, vt faciat. Quæ opera nisi vt ex impio iustus fiat? Quod vtique in illo, sed non sine illo, Christus operatur. Prorsus maius hoc esse dixerim, quā creare cœlum, & terram, cœlū enim et terra transibunt, prædestinatorum autem salus, & iustificatio permanebit. Sed & in cœlis Angeli sunt opera Christi, nunquid etiam his operibus maiora facit qui cooperatur Christo ad suam iustificationē? Iudicet qui potest, vtrum maius sit iustos creare, quam impios iustificare. Certè si æqualis est vtrunque potentiæ, hoc maioris est misericordiæ. Sed omnia opera Christi intelligere, vbi ait. Maiora horum faciet: nulla nos necessitas cogit: horum enim forsitam dixit, quæ illa hora faciebat. Tunc autē verba fidei faciebat: & vtique minus est verba iustitiæ prædicare (quod fecit præter nos) quā impios iustificare, quod ita facit in nobis, vt faciamus & nos. ¶ Ad tertiū dicēdū, quòd quando aliquod particulare opus proprium est alicuius agētis, tūc per illud particulare opus probatur tota virtus agētis, sicut cū ratiocinari sit proprium hominis, ostēditur aliquis esse homo ex hoc ipso quod ratiocinatur circa quodcunque particulare propositum. Et similiter cùm propria virtute miracula facere sit solius Dei, sufficienter ostensum est Christum esse Deum, ex quocunque miraculo quod propria virtute fecit.

A DE quæstione huius articuli integra disputatio nobis est statim instituēda, & ideò solum est circa literā adnotandum, tria illa, quæ D. Th. in art. ponit non esse diuisim, sed coniunctim accipienda, & præsertim tertium non esse separandū â reliquis. Nisi enim Christus affirmasset, se esse Deum, & in huius veritatis confirmationem miracula edidisset, sola ipsa miracula per se sumpta non satis ostenderent, ipsum esse verum Deum, at verò facta in confirmationem doctrinæ, efficacissima fuerunt ad illam roborandam, vt statim ostendemus. Oportet antequam disputationem instituamus, sequentem quæstionem D. Thom. percurrere, quoniam eandem continet materiam, & si quid est in ea difficultatis, eadem disputatione aptius cō
B prehendetur.

QVAESTIO XLIIII.

De singulis miraculorum speciebus, in quatuor articulos diuisa,

DEinde considerandum est de singulis miraculorum speciebus. ¶ *Et primò de miraculis quæ fecit circa spirituales substantias.* ¶ *Secundò, de miraculis quæ fecit circa cælestia corpora.* ¶ *Tertiò, de miraculis, quæ fecit circa homines.* ¶ *Quartò, de miraculis quæ fecit circa creaturas irrationales.* 238

C

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum miracula facta per Christum circa spirituales substantias fuerint conuenientia.

AD primum sic proceditur. Videtur quod miracula, quæ fecit Christus circa spirituales substantias nō fuerint conuenientia. Inter spirituales enim substantias sancti Angeli præpollent dæmonibus: quia vt Aug. dicit in .3. de Trin. spiritus vitæ rationalis desertor, atque peccator, regitur per spiritū vitæ rationalem pium, & iustum. Sed Christus non legitur aliqua miracula fecisse circa An- li. 3. c. 4 nō procul a prin. to. 3.

gelos bonos. Ergo nec etiam circa dæmones aliqua miracula facere debuit.

¶ 2. Præterea, Miracula Christi ordinabantur ad manifestandam diuinitatem ipsius. Sed diuinitas Christi non erat dæmonibus manifestanda, quia per hoc impeditum fuisset mysterium passionis eius, secundum illud 1. Cor. 2. Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Ergo non debuit circa dæmones aliqua miracula facere. ¶ 3. Præterea, Miracula Christi ad gloriam Dei ordinabantur, vnde dicitur Matth. 9. quod videntes turbæ paralyticum sanatum à Christo, timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Sed ad dæmones non pertinet glorificare Deum, quia non est speciosa laus in ore peccatoris, vt dicitur Eccle. 15. Vnde, & sicut dicitur Mar. 1. & Luc. 4. non sinebat dæmonia loqui ea, quæ ad gloriam ipsius pertinebant. Ergo videtur non fuisse conueniens, quod circa dæmones aliqua miracula faceret. ¶ 4. Præterea, Miracula à Christo facta, ad salutem hominum ordinantur. Sed quædam dæmonia ab hominibus eiecta fuerunt cum hominum detrimento quandoque quidem corporali, sicut dicitur Marci. 9. quòd dæmon ad præceptum Christi exclamans, & multum discerpens hominem, exijt ab eo, & factus est sicut mortuus: ita vt multi dicerent, quia mortuus est. Quandoque etiam cum damno rerum: sicut quando dæmones ad eorum preces misit in porcos. quos præcipitauerunt in mare. Vnde ciues illius regionis rogauerunt eum, vt transiret à finibus eorum, vt legitur Mat. 7. Ergo videtur inconuenienter fecisse huiusmodi miracula. ¶ Sed contra est quod Zach. 13. hoc prænuntiatum fuerat vbi dicitur, Spiritum immundum auferam de terra.

¶ Respondeo dicendum quòd miracula quæ Christus fecit argumenta quædam fuerunt fidei, quam ipse docebat. Futurum autem erat, vt per virtutem diuinitatis eius excluderet dæmonum potestatem ab hominibus credituris in eum: secundum illud Ian. 12. Nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et ideo conueniens fuit, quòd inter alia miracula etiã obsessos à dæmonibus liberaret.

Ad primũ ergo dicendũ, quòd homines sicut per Christũ erãt à potestate dæmonũ liberandi, ita per eum erãt Angelis consociandi: secundum illud Col. 1. Pacificans per sanguinem crucis eius, quæ in cœlis, & quæ in terris sunt. Et ideo circa Angelos alia miracula hominibus demonstrare non conueniebat, nisi vt Angeli hominibus apparerẽt, quod quidem factum est in natiuitate ipsius, & in resurrectione, & ascensione eius.

Ad secũdum dicendum, quòd sicut Aug. dicit. 9 de Ciui. Dei, Christus tantum innotuit dæmonibus, quantum voluit, tantum autem voluit, quantum oportuit. Sed innotuit eis non sicut Angelis sanctis per id quod est vita æterna: sed per quædam tẽporalia suæ virtutis effecta. Et primo quidem videntes Christum esurire post ieiunium, æstimauerunt eum non esse filium Dei. Vnde super illud Lu. 4. Si filius Dei es, &c. dicit Ambro. Quid sibi vult talis sermonis exordius, nisi quia cognouerat Dei filium esse venturum, sed venisse per infirmitatem corporis non putauit? Sed postmodum visis miraculis, ex quadã suspicatione coniecturauit, eum esse filium Dei. Vnde super illud Mar. 1. Scio quòd sis sanctus Dei, dicit Chryso. quod nõ certam, aut firmam a diuinitus Dei habebat notitiam, sciebat tamen ipsum esse Christũ in lege promissum. Vnde dicitur Lucæ. 4. Quia sciebant ipsum esse Christum. Quod autẽ ipsum cõfitebantur esse filiũ Dei, magis erat ex quadã suspitione quàm ex certitudine. Vnde Beda dicit super Luc. Et dæmonia filiũ Dei cõfitebãtur. Et sicut postea dicitur, Sciebant eum

libro. 9. cap. 21. parũ a princ. tom. 5.

l. 4. in Lu. c. 14. in ti. de. 1 tent. Christi, nõ procul a p. tom. 3.

Super illud Lu. 4. Sciebãt ipsũ esse Christũ. Est c. 14 st cũd ordin. Bedæ. to. 2.

eum esse Christum: quia cum ieiunio fatigatum eum diabolus videret, verum hominem intellexit. Sed quia tentando non prævaluit, vtrum filius Dei esse dubitabat. Nunc autem per signorum potentiã, vel intellexit, vel potius suspicatus est esse filium Dei. Non ideo igitur Iudæis eũ crucifigere persuasit, quia Christum Dei filium non esse putauit: sed quia se morte illius non prævidit esse damnandum. De hoc enim mysterio à seculis abscondito, dicit Apostolus, quòd nemo principum huius sæculi cognouit: si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. ¶ *Ad tertium dicendum quod miracula in expulsione dæmonum non fecit Christus propter vtilitatem dæmonum sed propter vtilitatem hominum, vt ipsi eum glorificarent. Et ideo prohibuit eos loqui ea, quæ ad laudem ipsius pertinebant, primo quidem propter exemplum: quia, vt dicit Athanas. compescebat diaboli sermonem, qui vanus vera fateretur: vt nos etiam assuefaciat, ne curemus de talibus, etiam si vera loqui videãtur. Nefas est enim, vt cùm adsit nobis Scriptura diuina, instruamur à diabolo: Est enim hoc periculosum quia veritati frequenter dæmones immiscent mendacia. Secundo quia (sicut Chrysosto. dicit) nõ oportebat eos surripere officij Apostolici gloriam: nec decebat Christi mysterium lingua fœtida publicari, quia non est speciosa laus in ore peccatorum. Tertiò, quia (vt Beda dicit) nolebat ex hoc inuidiam accendere Iudæorum. Vnde etiam ipsi Apostoli iubentur reticere de ipso, ne diuina maiestate prædicata, passionis dispensatio differretur.* ¶ *Ad quartum dicendũ quòd Christus specialiter venerat docere, & miracula facere propter vtilitatem hominum, principaliter quantum ad animæ salutem. Et ideo permisit dæmones, quos eiiciebat, hominibus aliquod nocumentum inferre vel in corpore, vel in rebus propter animæ humanæ salutem, ad*

Id habet Chrys. concione 2. de Lazaro ante me. to. 2. & Theop. Luc. 4. & Marc. 1.

c. 4. in Lu. est in c. 14 secun. ord. Bedæ circa finẽ illust. 2.

hominum scilicet instructionem. Vnde, Chrysost. dicit super Matth. quod Christus permisit dæmonibus in porcos ire, nõ quasi à dæmonibus persuasus: sed primò quidem, vt instruat magnitudinem nocumenti dæmonum, qui hominibus insidiantur. Secundò, vt omnes discerent quoniam nec aduersus porcos audeant aliquid facere, nisi ipse consentiat. Tertiò, vt ostenderet, quòd grauiora in illos homines operati essent, quàm in illos porcos, nisi essent diuina prouidentia adiuti. Et propter easdem etiam causas permisit eum, qui à dæmonibus liberabatur, ad horam grauius affligi, à qua tamen afflictione cum continuò liberauit. Per hoc etiam ostenditur (vt Beda dicit) quod sæpe dum conuerti ad Deum post peccata conamur, maioribus, nouisque antiqui hostis pulsamur insidijs. Quod facit, vel vt odium virtutis incutiat, vel expulsionis suæ vindicet iniuriam. Factus est etiam homo sanatus velut mortuus (vt Hieronym. dicit) quia sanatis dicitur, Mortui estis, et vita vestra abscõdita est cum Christo in Deo.

Ho. 29. in Mart. circa me. to. 2.

Marc. 9. sup. verbũ in arg. cita. to. 9.

In hoc art. sola solutio ad. 2. singularem difficultatem tangit, an Dæmones agnouerint Iesum esse Messiam, & Deum, quam statim discutiemus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum conuenienter facta fuerint miracula per Christum circa cœlestia corpora.

AD secundum sic proceditur. Videtur quòd inconuenienter fuerint à Christo facta miracula circa cælestia corpora, vt enim Diony. dicit. 4. cap. de Diui. no. diuinæ prouidentiæ non est, naturam corrumpere, sed saluare. Corpora autem cœlestia secundum suam naturam sunt incorruptibilia, & inalterabilia: vt probatur in primo de cœlo. Ergo non fuit con-

ueniens vt per Christum fieret aliqua im A mutatio circa ordinem cœlestium corporum. ¶ 2. Prætera, Secundum motum cœlestium corporum, temporum cursus designantur, secundum illud Gen. 1. Fiant luminaria in firmamento cœli, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos. Sic ergo mutato cursu cœlestium corporum, mutatur temporum distinctio, & ordo. Sed non legitur hoc esse præceptum ab Astrologis, qui contemplantur sydera, & cõputant menses: vt dicitur Isaiæ. 47. Ergo videtur, quòd per Christum non fuerit aliqua mutatio facta circa cursum cœlestium corporum. ¶ 3. Prætera, Magis competebat Christo facere miracula viuens, & docens, quàm moriens: tum quia vt dicitur secundæ ad Corinth. vltimo, Crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei, secundum quam miracula faciebat: tum etiam quia eius miracula confirmatiua erant doctrinæ ipsius. Sed in vita sua non legitur, Christum aliquod miraculum circa cœlestia corpora fecisse: quinimo Pharisæis petentibus ab eo signum de cælo, eis dare renuit: vt habetur Mat. 12. & 16. Ergo videtur, quòd nec in morte circa cœlestia corpora aliquod miraculum facere debuerit. ¶ Sed contra est, quod dicitur Lucæ. 23. Tenebræ factæ sunt in vniuersa terra vsque ad horam nonam: & obscuratus est sol.

Art. 4. q. præc.

¶ Respondeo dicendum (quòd) sicut supra dictum est) miracula Christi talia esse debebant, vt sufficienter esse Deum ostenderent. Hoc autem non ita euidenter ostenditur per transmutationes corporum inferiorum, quæ etiam ab alijs causis moueri possunt, sicut per transmutationem cursus cœlestium corporũ, quæ à solo Deo sunt immobiliter ordinata. Et hoc

Parũ ante med. epist.

est quod Dionys. dicit in Epistola ad Polycarp. Cognoscere oportet non aliter aliquando posse aliquid peruerti cœlestis ordinationis, & motus, nisi causam haberet ad hoc mouentem, quæ facit omnia, & mutat secundum suum sermonem. Et ideo conueniens fuit, vt Christus miracula faceret etiam circa cœlestia corpora.

¶ Ad primum ergo dicendum quòd sicut inferioribus corporibus naturale est moueri à cœlestibus corporibus (quæ sunt superiora secundum naturæ ordinem) ita etiã naturale est cuilibet creaturæ, vt transmutetur à Deo secundum eius voluntatem. Vnde Augus. dicit. 26. contra Faustum, & habetur in gloss. Rom. 11. super illud, Contra naturam insertus es. &c. Deus creator, & conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit, B quia id est cuique rei natura, quod Deus facit. Et ita non corrumpitur natura cœlestium corporum, cùm eorum cursus immutatur à Deo, corrumperetur autem, si ab aliqua alia causa immutaretur.

li 26. c. 3. ante medi. tom. 6.

¶ Ad secundum dicendum, quòd per miraculum à Christo factum, non est peruersus ordo temporum. Nam secundum quosdam illæ tenebræ vel soli obscuratio, quæ in passione Christi accidit, fuit propter hoc, quòd sol suos radios retraxit, nulla immutatione facta circa motũ cœlestium corporum, secundum quem tempora mensurantur. Vnde Hieron. dicit C super Matth. Videtur luminare maius retraxisse radios suos, ne aut pendentem videret Dominum, aut impij blasphemantes sua luce fruerentur. Talis autem retractio radiorum non est sic intelligenda, quasi sol in sua potestate habeat radios emittere, vel retrahere: non enim ex electione: sed ex natura radios emittit: vt dicit Dion. 4. cap. de Diu. nomi. sed sol dicitur retraxisse radios, in quantum diuina virtute factum est, vt solis radij ad terram non peruenirent. Origenes autem dicit hoc accidisse per interpositionẽ nubium. Vnde super Matt. dicit, Conueniens est intelligere, quasdam tenebrosissimas nubes multas, & magnas concurrisse super Hierusalem, & terram Iudææ

In ca. 27 super illud. Abhora 6 tenebræ factæ sunt. s. 9.

Hom 35 in Mat. in s. f. ante fi. hom. to. 3.

& ideo

& ideo factæ sunt tenebræ profundæ à sexta hora vsque ad nonam. Arbitror enim sicut cætera signa, quæ facta sunt in passione, scilicet quòd velum templi est scissum, quòd terra tremuit. &c. in Hierusalem tantummodo facta sunt, ita & hoc. Aut si latius voluerit quis extendere ad terram Iudææ, propter hoc quòd dicitur, Tenebræ factæ sunt in vniuersa terra. Quod intelligitur de terra Iudææ sicut in 3. lib. Regum dixit Abdias ad Eliam, Viuit dominus Deus tuus, quia non est gens aut regnum, vbi non miserit dominus meus quærere te, ostendens quòd eum quæsierat in gentibus, quæ sunt circa Iudæam. Sed circa hoc magis credendum est Diony. qui oculata fide inspexit hoc accidisse per interpositionem lunæ inter nos, & solem. Dicit enim in Epist. ad Polycarpum. Inopinabiliter soli lunam incidentem videbamus, in Aegypto scilicet existentes: vt ibidem dicitur. Et designat ibi quatuor miracula.

In epi ad Polycarpũ post med. illius.

Quorum primum est, quod naturalis eclipsis solis per interpositionem lunæ, nũquam accidit, nisi tempore coniunctionis solis, & lunæ: tunc autem erat luna in oppositione ad solem, decimaquinta existẽs, quia erat Pascha Iudæorum. Vnde dicit: Non enim erat coniunctionis tempus. Secundum miraculum est, quod cum circa horam sextam luna visa fuisset simul cũ sole in medio cœli, in vesperis apparuit suo loco ideſt in Oriente opposita soli. Vnde dicit. Rursus ipsam vidimus, scilicet lunam, à nona hora (in qua scilicet recessit à sole cessantibus tenebris) vsque ad vesperam supernaturaliter constitutam ad diametrum solis, ideſt vt diametraliter esset soli opposita. Et sic patet, quod nõ est turbatus consuetus temporum cursus, quia diuina virtute factum est, & quod ad solẽ supernaturaliter accederet præter tempus debitum, & quòd à sole recedens, in locum proprium restitueretur tempore debito. Tertium miraculũ est, quòd

Loco nunc dicto.

In prædic. ep. ad Polycarpum a med illius.

A *naturalis eclipsis semper incipit ab Occidentali parte solis, & peruenit vsq; ad Orientalem. Et hoc ideo: quia luna secundum proprium motũ, quo mouetur ab Occidente in Orientem, est velocior sole in suo proprio motu, & ideo luna ab Occidẽte veniens attingit solem, & pertransit ipsum, ad Orientem tendens. Sed tunc luna iam pertransiuerat solem, & distabat ab eo quasi per medietatem circuli, in oppositione existens, vnde oportuit quòd reuerteretur ad Orientem versus solem, et attingeret ipsum primò ex parte Orientali, procedens versus Occidentem. Et hoc est quod dicit, Eclipsim etiam ipsam ex Oriente vidimus inchoatam, & vsque ad solarem terminum venientem (quia totum solem eclipsauit) postea regredientẽ.*

B *Quartum miraculum fuit, quòd in naturali eclipsi ex eadẽ parte incipit sol prius re apparere, ex qua parte incæpit prius obscurari: quia scilicet luna se soli subiciẽs naturali suo motu solem pertransit versus Orientem, & ita partem Occidentalẽ solis, quam primò occupat, primò etiam derelinquit. Sed tunc luna miraculose ab Oriente versus Occidentem rediens, non pertransiuit solem, vt esset eo orientalior: sed postquàm peruenit ad terminum solis, reuersa est versus Orientem: & ita partem soli, quam vltimo occupauit, primo etiam dereliquit. Et sic ex parte Orientali inchoata fuit eclipsis, sed in parte Occidentali prius incepit claritas apparere. Et hoc est quod dicit. Et rursus vidimus non ex eodem, ideſt non ex eadẽ parte solis & defectum & purgationem, sed econuerso secundum diametrum factam.*

C *Quintum miraculum addit Chrysost. super Matt. dicens, quòd tribus horis tunc tenebræ permanserunt, cum eclipsis solis in momento pertranseat, non enim habet moram, vt sciunt illi qui cõsiderauerunt. Vnde datur intelligi quòd luna quieuerit sub sole, nisi fortè velimus dicere, quod tempus tenebrarũ cõputatur ab inf*

Ho. 89. in Matth. non multum long a prin.

tanti, quo sol incepit obscurari, vsq; ad instans in quo totaliter fuit repurgatus. Sed sicut Orig. dicit super Matt. aduersus hoc filij sæculi huius dicunt. Quomodo hoc factum tam mirabile nemo Græcorũ aut Barbarorum scripsit? Et dicit, quod quidam nomine Phlegõ in Chronicis suis scripsit hoc in principatu Tiberij Cæsaris factum, sed nõ signauit quòd fuerit in luna plena. Potuit ergo hoc cõtingere, quia Astrologi vbique terrarũ tunc temporis existentes non solicitabantur de obseruanda eclipsi, quia tunc tempus non erat: sed illam obscuritatem ex aliqua passione aeris accidere putauerunt. Sed in Ægypto, vbi rarò nubes apparent propter aeris serenitatem permotus est Dion. & socij eius, vt prædicta circa illã obscuritatem obseruarent. ¶ *Ad tertium dicendum, quòd tunc præcipuè oportebat in Christo diuinitatem per miracula ostendere, quando in eo maxime apparebat infirmitas secundum humanã naturam. Et ideo in Christi natiuitate stella noua in cælo apparuit. Vnde Maximus dicit in sermone Natiuitatis. Si præ spe despicis erige parumper oculos, & nouam in cælo stellam, protestantem mundo natiuitatem Dominicam cõtuere. In passione autem adhuc maior infirmitas circa humanitatẽ Christi apparuit, & ideo oportuit vt maiora miracula ostenderentur circa principalia mũdi luminaria. Et sicut Chrysost. dicit super Matt. hoc est signũ quod petentibus promittebat dare dicẽs. Generatio praua, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ, crucem significans, & resurrectionem. Et enim multo mirabilius est in eo qui crucifixus erat, hoc fieri, quàm eo ambulante super terram.*

Ho. 35 in Matt. fo. 4 & 5. infin. ante fin. b. to. 5.

Ho. 89. in Mat. circa princ. to. 2.

B

C

COMMENTARIVS.

IN hoc art. D. Tho. totus est in explicandis signis cœlestibus, quę in morte Christi contigerunt. De qua re inferius suo loco disputandum á nobis est: sicut etiam suo etiam loco supra diximus de signo cœlestis sideris, quod tempore natiuitatis Christi Magis apparuit (quod hic D. Tho. in sol. ad 3. attigit) ideôque hoc loco nõ est nobis amplius immorandum.

Solum in sol. ad. 1. sano modo intelligenda sunt verba illa, quæ D. Tho. ex Aug. affert, id esse cuiusq; rei naturã, quod Deus facit, & ideô nihil posse Deũ facere in creatura, quod sit cõtra naturam eius, nec corrumpi aliquo modo cœlum, si á suo naturali motu â Deo immuretur, corrumpendũ autem fore, si ab aliqua creatura immutaretur. Nam per hæc verba solum indicata est potentia obedientialis, quam omnis creatura habet, vt Deo obediat, ratione cuius dicitur habere quandã vniuersalem propẽsionem ad omnia, quæ Deus in ea operari voluerit. Non est autem negandum, quin vnaquæque res habeat suam propriã, particularemque naturã. & connaturales proprietates, quæ tales sunt non solum, quia à Deo donãtur, sed quia ipsa res ex se illas postulat. Vnde si ijs priuetur, à quocũque priuetur, siue á Deo, siue â creatura aliquid præter naturam patietur, & ex parte corrumpetur, ac imperfecta manebit.

A loco

Verba Augustini de potẽtia creaturarũ obedientiali quomodo intelligenda.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum conuenienter Christus circa homines miracula fecerit.

240

AD tertium sic proceditur. *Videtur, quòd inconuenienter Christus circa homines miracula fecerit. In homine enim potior est anima: quam corpus. Sed circa corpora, multa miracula Christus fecit, circa animas verò nulla miracula legitur fecisse: nãneq; aliquos incredulos ad fidem virtuosè conuertit, sed admonẽdo, & exteriora miracula ostẽdendo, neque etiam aliquos fatuos sapientes legitur fecisse. Ergo videtur quòd non conueniẽter sit circa homines miracula operatus.*

¶ 2. *Præterea, Sicut suprà dictum est, Christus faciebat miracula virtute diuina, cuius proprium est subito operari & perfectè absq; adminiculo alicuius. Sed Christus nõ semper subito homines curauit quan-*

q præce ar ticulo. 2.

uit quantũ ad corpus: dicitur enim Mar. 8. quòd apprehensa manu cæci, eduxit eũ extra vicum, & expuens in oculos eius, impositis manibus, interrogauit eum si quid videret, & aspiciens ait. Video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterum imposuit manus super oculos eius & cœpit videre, & restitutus est ei visus, ita vt clare videret omnia. Et sic patet, quòd non subito eum curauit: sed primò quidem imperfecte, & per sputum. Ergo videtur, nõ cõuenienter circa homines miracula fecisse. ¶ *3. Præterea. Quæ se inuicem nõ cõsequuntur, nõ oportet quod simul tollantur. Sed ægritudo corporalis non semper ex peccato causatur, vt patet per illud quod Dominus dicit Ioa. 9. Neque hic peccauit, neq; parẽtes eius, vt cæcus nasceretur. Non ergo oportuit vt hominibus corporũ curationem quærentibus peccata dimitteret, sicut legitur fecisse circa paralyticum Mat. 9. Præsertim quia sanatio corporalis cum sit minus, quàm remissio peccatorũ, nõ videtur esse sufficiens argumẽtũ, quod possit peccata dimittere.* ¶ *4. Præterea, Miracula Christi facta sunt ad confirmationẽ doctrinæ ipsius, & testimonium diuinitatis eius: vt supra dictũ est. Sed nullus debet impedire finem operis sui. Ergo videtur inconuenienter Christus quibusdã miraculose curatis præcepisse, vt nemini dicerent: vt patet Matt. 9. & Mar. 8. præsertim quia quibusdam alijs mandauit, vt miracula circa se facta publicarẽt, sicut Mar. 5. legitur, quod dixit ei, quem à dæmonibus liberauerat. Vade in domũ tuã ad tuos, & annuntia eis quanta tibi Dominus fecerit.* ¶ *Sed contra est, quod dicitur Mar. 7. Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.*

4. præce. arti. 4.

¶ *Respõdeo dicendũ, quòd ea, quæ sunt ad finem, debent fini esse proportionata. Christus autem ad hoc in mũdũ venerat, & docebat, vt homines saluos faceret: secũdũ illud Ioã. 3. Nõ enim misit Deus filiũ suũ in mũdũ, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Et ideo cõueniẽs fuit, vt Christus particulariter homines miraculose curãdo, ostẽderet se esse vniuersalẽ & spiritualẽ hominum saluatorẽ.*

Ad primum ergo dicendum, quòd ea quæ sunt ad finẽ, distinguntur ab ipso fine. Miracula autem à Christo facta ordinabãtur sicut ad finẽ, ad rationalis partis salutẽ, quæ cõsistit in sapientiæ illustratione & hominũ iustificatione: quorum primum præsuponit secundum: quia, vt dicitur Sapie. 1. in maleuolã animã nõ introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Iustificare autẽ homines, nõ cõueniebat nisi eis volentibus, hoc enim esset & cõtra rationẽ iustitiæ, quæ rectitudinẽ voluntatis importat. Et etiã cõtra rationem humanæ naturæ, quæ libero arbitrio ad bonum ducenda est, nõ autem per coactionem. Christus ergo virtute diuina interius homines iustificauit, nõtamen eis inuitis: nec hoc ad miracula pertinet, sed ad miraculorum finem. Et similiter etiã virtute diuina simplicibus discipulis diuinã sapientiã infudit. Vnde dicit eis Lucæ. 21. Ego dabo vobis os, & sapiẽtiã, cui nõ poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri. Quod quidem quantum ad interiorem illuminationem inter visibilia miracula, nõ numeratur, sed solum quantum ad exteriorem actum, inquãtum scilicet videbant homines eos, qui fuerant illiterati & simplices, tam sapienter, & constãter loqui. Vnde dicitur Actor. 4. Videntes Iudæi Petri constantiã, & Ioannis, comperto quod homines essent sine literis, & idiotæ, admirabantur. Et tamen huiusmodi spirituales effectus, & si à miraculis visibilibus distinguantur, sunt tamen quædam testimonia doctrinæ, & virtutis Christi, secundum illud Heb. 2. Contestãte Deo signis & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus

nibus. Sed tñ circa animas hominum, maximè quantum ad immutandas inferiores vires, Christus aliqua miracula fecit. Vnde Hiero. super illud Mat. 9. Surgens secutus est, cum dicit, Fulgor ipse, & maiestas diuinitatis occultæ, quæ etiã in facie relucebat humana, videntes ad se trahere poterat ex primo aspectu. Et super illud Mat. 21. Eiciebat omnes vendentes, & ementes &c. dicit idem Hiero. Mihi inter omnia signa, quæ fecit Dñs, hoc videtur esse mirabilius quod vnus homo & illo tempore cõtemptibilis, potuerit ad vnius flagelli verbera tantam eijcere multitudinem. Igneum enim quiddam atq; sydereum radiabat ex oculis eius, & diuinitatis maiestas lucebat in facie eius. Et Orig. dicit super Ioan. hoc esse maius miraculum eo, quo aqua conuersa est in vinũ: eo quòd illic in animata subsistit materia, hic verò tot millium hominũ domantur ingenia. Et super illud Ioan. 18. Abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram dicit Aug. Vna vox tantam turbam odijs ferocem, armisque terribilem sine telo vllo percussit, repulit, strauit: Deus enim latebat in carne. Et ad idẽ pertinet quod dicitur Luc. 4. quòd Iesus transiens per medium illorum ibat. Vbi dicit Chrysost. quòd stare in medio insidiantium & non apprehendi, diuinitatis eminentiam ostendebat. Et quod dicitur Ioan. 8. Iesus abscondit se, & exiuit de templo: vbi Aug. dicit, Nõ abscõdit se in angulo tẽpli quasi timens, vel post murum aut columnam diuertens: sed diuina potestate se inuisibilem insidiantibus constituẽs, per medium illorum exiuit. Ex quibus omnibus patet, quòd Christus quando voluit virtute diuina animas hominum immutauit: non solùm iustificando, & sapientiam infundẽdo, quod pertinet ad miraculorum finem, sed etiam exterius alliciendo, vel terrendo, vel stupefaciendo, quod pertinet ad ipsa miracula. ¶ Ad secundum dicendũ, quod Christus venerat saluare mundum non solum virtute diuina, sed per mysterium Incarnationis ipsius. Et ideo frequẽter in sanatione infirmorum non sola potestate diuina vtebatur, curando per modum imperij, sed etiam aliquid ad humanitatem ipsius pertinens apponendo. Vnde super illud Luc. 4. Singulis manus imponens, curabat omnes, dicit Cyrillus. Quãuis vt Deus potuisset omnes verbo pellere morbos: tangit tamen omnes, ostendens propriam carnem efficacem ad præstãda remedia. Et super illud Marc. 8. Expuens in oculos eius impositis manibus, &c. dicit Chryso. Spuit quidem, & manus imponit cæco, volens ostendere quòd verbum diuinum operationi adiunctum miracula perficit: manus enim operationis est ostensiua, sputũ sermonis ex ore prolati. Et super illud Ioan. 9. Fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos cæci, dicit Aug. De saliua sua lutum fecit, quia verbum caro factum est. Vel etiam ad significandum, quòd ipse erat qui ex limo terræ hominem formauerat: vt Chrys. dicit. Est autem circa miracula Christi, considerandum, quòd communiter perfectissima opera faciebat. Vnde super illud Ioan. 2. Omnis homo primum bonum vinum ponit. dicit Chrysost. Talia sunt Christi miracula, vt multo his, quæ per naturam fiunt, speciosiora, & vtiliora fiant. Et similiter in instanti infirmis perfectam sanitatẽ conferebat. Vnde super illud Matth. 8. Et surrexit, & ministrabat illis, dicit Hieron. Sanitas, quæ confertur à Domino, tota simul redit. Specialiter autem in illo cæco contrarium fuit propter infidelitatem ipsius: vt Chrysost. dicit. Vel sicut Beda dicit. Quem vno verbo totum simul curare poterat, paulatim curat, vt magnitudinem humanæ cæcitatis ostendat, quæ vix, & quasi per gradus ad lucem redeat, & gratiam suam nobis indicet, per quam singula perfectionis incrementa adiuuat. ¶ Ad tertium dicendũ, quod sicut suprà dictum est, Christus mira-

Super illud Matt. 9. cũ transiret vidit hominẽ sedentẽ t. 9

Super illud Mrtt. 21 vidẽtes Prin. & scribæ mirabilia quæ fecit, to. 9.

In fol. 128 qui liber primo in lucem prodijt anno Domini. 1555. Parisijs apud Carollum Guillart. Trac. 112. in Ioã. post med. to. 9.

ho in Mat. circa med. tom 2

Trac. 54 in Io. non remote a pri. to 9.

h. 21. in Io. post med. illus to 3.

Super illud Matt. 8. Cũ veniſſet Iesus in domũ Petri to. 9. Hom. 9. in Mat. immutatur. Beda Mat. 8. Est c. 34 secundum eius or. to. 2 q. prec. Artic. 2.

miracula faciebat virtute diuina. Dei autem perfecta sunt opera, vt dicitur Deuteronomij. 32. Non est autem aliquid perfectum, si finem non consequatur: finis autem exterioris curationis per Christũ factæ, est curatio animæ, & ideò non cõueniebat Christo, vt alicuius corpus curaret, nisi eius curaret animã. Vnde super illud Ioan. 7. Totum hominem sanum fecit in sabbato, dicit Aug. quòd curatus est, vt sanus esset in corpore: & credidit, vt sanus esset in anima. Specialiter autem paralytico dicitur. Dimittuntur tibi peccata: quia vt Hieron. dicit super Matth. datur ex hoc nobis intelligentia propter peccata pleraque euenire corporum debilitates: & ideo forsitam prius dimittuntur peccata, vt causis debilitatis ablatis, sanitas restituatur. Vnde & Ioan. 5. dicitur, Iam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Vbi dicit Chrys. Dicimus quod ex peccatis nata erat ei ægritudo. Quanuis autem, vt Chrys. dicit super Matth. quanto anima est potior corpore, tantò peccatũ dimittere maius sit, quàm corpus sanare: quia tamen illud non est manifestum, facit mìnus, quod est manifestius: vt demõstraret maius, & non manifestum. ¶ Ad quartum dicẽdũ, quod super illud Matt. 9. Videte, ne quis sciat, dicit Chrys. Non est hoc contrariũ, quod hic dicitur, ei quod alteri dicitur, Vade, & annuntia gloriã Dei. Erudit. nos prohibere eos, qui volunt nos propter nos laudare: si autem ad Deum gloria refertur, non debemus prohibere, sed magis inungere, vt hoc fiat.

Trac. 30 in Io. a me. l. 9.

Mat. 9 super illud quid est facilius dicere tom. 9.

Hom. 37. in Ioan. to 3.

Hom. 30. in Matth. a medio. to. 2

Hom. 33. non multũ longe a p. tom. 2.

A

B

C

COMMENTARIVS.

QVæ D. Thom. docet in art, perspicua sunt. In solutione verò ad. 1. inuestigat, an sicut Christus fecit miracula in corporibus hominum, ita fecerit in animabus. In qua re in primis dubitari potest, cur D. Thom. omnino prætermiserit mortuorum resurrectionẽ. Huiusmodi enim miraculum non minus circa animam, quàm circa corpus fit. Tam supernaturale enim est animã semel à corpore separatã iterum illi vniri, sicut corpus animæ. Quando enim Christus dixit. *Lazare veni foras*, non minus miraculosum fuit animã obedire, & ab inferis illius vocis virtute reuocari, & corpori copulari, quàm corpus ipsum subito excitari, & extra monumentum prodire, hoc igitur miraculi genus circa animas versatur. Tamen D. Thom. de illo non est loquutus, quia in argumento nõ considerat animã in ordine ad corpus, seu vt est forma corporis. Quoniam miracula quæ circa illam sub hac ratione fiunt, cum terminentur ad totum compositum, sub miraculis (vt ita dicam) corporeis continẽtur. Considerauit ergo animam, vt est mens, seu spiritus, ideſt, vt intelligit, & amat, nam sub ea ratione quodammodo abstrahit à corpore.

Dubium.

Responsio

Conuersio peccatorum insigne miraculum.

In hac re est secũdò cõsiderandum, quòd licet hominum iustificatio potius sit finis miraculorum, quàm inter miracula annumeranda, tamen quoad modum interdum est miraculosa, & tali modo facta, potuit etiam ad doctrinæ confirmationem, & testimonium diuinitatis Christi adduci. Et hoc modo miraculosum fuit, quòd Christus verbo, & imperio suo peccata dimitteret, quanquam quia talis modus non obijceba tur sensibus, interdũ oportuerit eum alio sensibili signo cõfirmare, ac manifestare, sicut legimus factum Matth. 9. In hoc etiam genere numerari possunt subitæ cõuersiones hominum, qui diuturna consuetudine in peccatis volutabãtur, sicut de Matthęo legimus. Sicut enim Aug. inter magna miracula Christi ponit, quòd per paucos, & simplices homines mundũ conuerterit, ita merito etiã inter miracula magna numerari potest, quòd vno verbo Matthæum cõuerterit, Matt. 9. vt ibidẽ notat Hieron. quãquã ipse indicet aliquid sensibile reluxisse in facie Domini, quo videntes ad se trahere poterat primo aspectu, quod etiã hic D. Thom. refert, & non videtur ei displicere. Mihi tamen incertũ est, non enim videtur necessarium, quòd in vultu Christi aliquid sensibile miraculosè apparuerit, præter decentissimã vultus eius grauitatem, ac venustatem, efficatia enim verbi eius nõ erat in sensibili specie, sed in virtute, quanquã etiam aspectus eius esset gratissimus, & vt sic posset aliquid deseruire.

Matth. 9.

Augustt.

Matth. 9. Hieron.

D. Thom

Verbo. Christus. virtus, et energia. Ioan 18.

Tertio est in vltima parte eiusdē solutionis obseruandum, duo genera miraculorū ibi numerari. Primum est in virtute, quam Christus habebat in verbo ad terrēdos homines, eosque solo etiam verbo in terram prosternendos, vt Ioā. 18. fecit. Et hęc virtus esse poterat vel ex actione circa animā, quia timorem, ac terrorem illis incutiebat vel etiam circa corpora, quia efficaciter illa mouere poterat, atque dejicere.

D. Thom. Augu. Euthym. Ioan, 8. Luc. 4. Miraculosa Christi præsentis occultatio Iudęis coram, qualiter facta.

Aliud erat genus miraculi, quòd Christus hominum sensibus in eorum sese præsentia, & clara luce celabat. Quomodo exponit D. Th. cum Augu. quem ipse refert, & Euthy. Ioan. 8. illud Ioann. 8. *Iesus abscondit se, & exiuit de templo.* & fortasse eodem modo accidit, quod dicitur Luc. 4. *Iesus transiens per medium illorum ibat.* Quanquam potuerit alio etiam modo id fieri, scilicet vt sua ita illos prę tērtia perterrueri t, vt in eū quantumuis præsentem manus inijcere nō B sint ausi. Illa verò sui occultatio fieri potuit absque actione miraculosa circa alios per solam suspensionem influxus sensibilium specierum, sicut D. Th. supra docuit, tenebras in die passionis fieri potuisse per solam suspensionem influxus radiorum solarium. Et si hoc modo facta est, non potest computari hoc miraculum inter ea, quæ facta sunt circa animas, sed potius videtur esse miraculum circa ipsum corpus Christi, in quod tale habebat dominium, vt posset etiam actionem naturalem, seu emanationem specierum suspendere, sicut miraculū tenebrarum magis fuit circa solem, quàm circa aerem. Alio verò modo potuit illud miraculum fieri, scilicet vt quamuis ipse Christus sui species effunderet, alij nihilo minus vel illis vti, vel ad eum videndū at- C tendere non possent. & si hoc modo factū est, magis proptiè dici potest: miraculum illud circa animas extitisse, prior tamen modus videtur facilior, & consentaneus doctrinę D. Th. inf. q. 54. a. 1. ad. 2. & 3.

In sol. ad. 2. duo attigit D. Tho. Alterum est, cur Christus miracula fecerit per actiones, & res sensibiles quales sunt cōtactus, saliua, & alia id genus. Et respondet id fecisse, vt doceret ipsam carnem suā habuisse vim effectricem horum miraculorum: de quare videri possunt dicta superiori tomo disput. 31. sect 3. 5. 6. & 8. Alterum est, cur Christus quædam miracula non subito sed paulatim perfecit. Et duplicem causam indicat. Prior est indispositio nō physica, sed moralis hominis suscipientis beneficiū, quem paulatim volebat Christus ad perfecte credendum inflectere. Posterior est significatio alicuius mysterij. Quod est notandum, vt Christi miracula non solum vt eximia opera, ac beneficia â nobis considerentur, sed etiam vt signa, per quæ interdum aliquid innuebat, seu loquebatur. Reliquæ solutiones non indigent aliqua notatione.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrū cōuenięter Christus fecerit miracula circa creaturas irrationales.

AD quartum sic proceditur. Videtur quòd inconuenienter fecerit Christus miracula circa creaturas irrationales. Bruta enim animalia sunt nobiliora plantis. Sed Christus fecit aliquod miraculum circa plantas: puta cum ad verbum eius est siccata ficulnea: vt dicitur Mat. 21. Ergo videtur, quòd etiam circa animalia bruta miracula facere debuisset.

¶ 2. *Præterea, Pœna non iustè infertur nisi pro culpa. Sed non fuit culpa ficulneæ quod in ea Christus fructum non inuenit quando non erat tempus fructuum. Ergo videtur, quòd inconuenienter eam siccauerit.* ¶ 3. *Præterea, Aqua, & aer sunt in medio cœli & terræ. Sed Christus aliqua miracula fecit in cœlo (sicut supra dictum est) similiter etiam in terra quando in eius passione terra mota est. Ergo* C *videtur, quod etiam in aere, & aqua aliqua miracula facere debuerit, vt mare diuidere, sicut fecit Moyses, vel etiam flumen, sicut fecerunt Iosue & Helias, et vt fierent in aere tonitrua, sicut factū est in monte Sinai, quando lex dabatur: & sicut Helias fecit. 3. Regum. 18.*

¶ 4. *Præterea, Opera miraculosa pertinent ad opus gubernationis mundi per diuinam prouidentiā. Hoc autem opus præsupponit creationem. Inconueniens ergo videtur quòd Christus in suis miraculis vsus est creatione, quando scilicet multiplicauit panes. Non ergo conuenientia vi-*

deatur

dentur fuisse eius miracula circa irrationales creaturas. ¶ *Sed contra est, quod Christus est Dei sapiẽtia, de qua dicitur Sapiẽ. 8. quòd disponit omnia suauiter.*

Respondeo dicendum, quòd (sicut supra dictum est) miracula Christi ad hoc ordinabantur, quòd virtus diuinitatis cognosceretur in ipso ad hominum salutem. Pertinet autem ad virtutem diuinitatis, vt omnis creatura sit ei subiecta. Et ideo in omnibus creaturarum generibus miracula eum facere oportuit, & non solùm in hominibus, sed etiam in irrationalibus creaturis.

Art. Præc.

Ad primum ergo dicendum, quòd animalia bruta propinquè se habent secundum genus ad hominem, vnde & eodem die cum homine facta sunt. Et quia circa corpora humana multa miracula fecerat, non oportebat, quòd circa corpora brutorum animaliũ aliqua miracula faceret: præsertim quia quantum ad naturam sensibilem, & corporalem, eadem ratio est de hominibus, & de aliis animalibus, præcipuè terrestribus. Pisces autẽ cùm viuant in aqua, magis à natura hominum differunt, vnde & alio die sunt facti. In quibus miraculum Christus fecit in copiosa piscium captura: vt legitur Lucæ. 5. & Ioan. vlti. & etiam in pisce, quẽ Petrus cæpit, & in eo inuenit staterem. Quòd autem porci in mare præcipitati sunt, non fuit operatio diuini miraculi: sed operatio dæmonum ex permissione diuina.

¶ *Ad secundum dicendum, quod sicut Chrys. dicit super Matth. cùm in plantis, vel brutis aliquid tale Dominus operatur non quæras qualiter iustè sicata est ficus, si tempus non erat. Hoc enim quærere est vltimæ dementiæ, quia scilicet in talibus non inuenitur culpa, & pæna: sed miraculum in specie, & admirare miraculi factorem. Nec facit creator iniuriã possidenti, si creatura sua suo arbitrio vtatur ad aliorum salutẽ: sed magis (vt Hilar. dicit super Matth.) in hoc bonitatis dominicæ argumentum reperimus. Nam vbi afferre voluit procuratæ per se salutis exemplum virtutis suæ potestatẽ in humanis corporibus exercuit: vbi verò in contumaces formam seueritatis cõstituebat, futuri speciem damno arboris indicauit, & precipue (vt Chryst. dicit) in ficulnea, quæ est humidissima, vt miraculum maius apareat.* ¶ *Ad tertium dicendum quòd Christus etiam in aqua, & in aere fecit miracula, quæ sibi conueniebant quando scilicet, vt legitur Matt. 8. imperauit ventis, & mari, & facta est tranquilitas magna. Non autem conueniebat ei, qui omnia in statum pacis, & tranquillitatis reuocare venerat, vt vel turbationem aeris, vel diuisionem aquarum faceret. Vnde Apost. dicit Heb. 12. Non accessistis ad tractabilẽ, & accessibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam. Circa passionem tamen diuissum est velum, ad ostendendum reserationem mysteriorum legis. Aperta sunt monumenta, ad ostendendũ, quòd per eius mortem, mortuis vita daretur. Terra mota est, & petræ scissæ sunt, ad ostendendum, quòd lapidea hominum corda per eius passionẽ emollirẽtur, & quod totus mundus virtute passionis eius erat in melius commutandus.* ¶ *Ad quartum dicendum, quod multiplicatio panum non est facta per modum creationis, sed per additionem extraneæ materiæ in panes conuersæ. Vnde August. super Ioannem dicit, Vnde multiplicat de paucis granis segetes, inde in manibus suis multiplicauit quinque panes. Manifestum est autem, quod per conuersionem grana multiplicantur in segetes.*

Ho. 68. in Mat. dũ agit. de hist. ficulneæ, t. 3

Can. 21. in Mat. parũ ante mediũ

Loco iã dicto in prin. huius solutionis.

Tract. 24. in Ioan nõ procul a p. to. 9.

COMMENTARIVS.

Litera Diui Thomæ est elegantissima, & perspicua: Solum ergo superest circa totam quæstionem animaduertendum, D. Tho. mentionẽ fecisse omniũ miraculorũ, quæ circa res à se distinctas operatꝰ est Christꝰ, prætermisisse autem ea, quæ circa

circa seipsum est operatus, cùm tamen illa A sint omnium excellentissima, & maxima, & ad doctrinam Christi confirmandam efficacissima, ex quibus alia facta sunt in Christi infantia, vt partus ex Virgine, alia tempore prædicationis, vt quòd quadraginta diebus sine cibo, & potu ieiunauerit quod super aquas ambulauerit &c. alia in eius passione, & morte, vt quòd aqua, & sanguis fluxerint è corpore iam emortuo, alia in eius resurrectione. Hæc verò non sine causa prætermisit D. Thom. Nam inter hæc quædam sunt, quę ita pertinent ad corpus Christi, vt etiam fiant circa res alias, vt est occultari sensibus, ambulare super aquas, & hęc non sunt omissa, sed inter illa censentur miracula, quæ circa res alias sunt facta. Alia verò sunt miracula propria ipsius corporis Christi, quasi in ipso manentia, & hęc inter mysteria ipsius B vitæ Christi meritò numerantur, & declarantur, sicut in superioribus factum est de miraculis infantiæ, & ieiunij, & inferius fiet de miraculis passionis, & resurrectionis, & ideò nullum ex his miraculis declarandum supererat, præter quam transfiguratio eiusdem. De qua propterea conuenientissimo ordine Diuus Thomas quęstionem sequentem instituit, eamque nos post sequentem itidem disputationem, explicabimus.

DISPVTATIO. XXXI,

In quatuor sectiones distributa.

De efficacia miraculorum Christi ad doctrinam eius suadendam.

C

DE miracul's Christi secundum se, id est, an verè facta sint, qua ve potestate, ac virtute quaque actione, ac modo, nihil hoc loco addendum occurrit ijs, quæ in priori tom. disput. 31. tractauimus. Quoniam verò ea miracula Christus edidit ad suam diuinitatem manifestandam, confirmandamque doctrinam illud videtur huius loci proprium, vt ostendamus quàm fuerint ad hunc finem assequendum efficacia. In quo tria potissimum considerandaveniunt, scilicet, quâm fuerint illa miracula ad prædictum effectum necessaria, vel vtilia, rursus quàm sufficientia, & efficacia, ac denique in quibus hunc effectum habuerint.

SECTIO PRIMA.

Vtrum miracula Christi fuerint simpliciter necessaria ad suadendam, ac confirmandā eius doctrinam.

RAtio dubitandi est, quia ipsemet Christus Ioann. 15. dicit, *si opera non* Ioan. 15. *fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, ergo erant illa opera simpliciter necessaria, vt homines Christo credere tenerentur, quandoquidem sine illis non peccarent non credendo, certum est autē Christum de peccato infedelitatis fuisse locutum, ergo fuerunt illa miracula necessaria, vt Christi doctrinam satis credibilem redderent. Quia (vt constat ex materia de fide) obligatio ad credendum statim oritur, cum doctrina sufficienter prędicatur, ac proponitur. Vnde Ioann. 10. ait Ioan. 10. ipsemet Christus, *Opera, quę ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me*, & infra, *si non facio opera Patris mei, noli te credere mihi.* In quibus conditionatis loquutionibus necessitas talis medij virtute continetur. In cōtrarium verò est, quia præter miracula possunt esse alia testimonia, quę ad doctrinam confirmandam sufficiant, vt sunt vitæ puritas cum sapientia coniuncta, vnde Christus dicebat. *Quis ex vobis arguet me de peccato si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi.* Ioannes. 8. Item, Ioan. 8. prophetia, quę cum impleta ostēditur, sufficiens est veritatis testimonium, sic igitur Christus sine miraculis poterat ex prophetijs impletis ostendere se esse verum Messiam, (vt sæpius fecit) hoc autem principium sufficiens erat, vt ostenderet se esse Deum, nam hoc etiam de vero Messia erat prædictum ergo hoc etiam satis erat, vt suæ doctrinæ veritatem confirmaret. Et confirmatur, nam Ioannes Baptista nullis factis miraculis sola vitę sanctitate satis comprobauit testimonium, quod de Christo reddebat, ita vt non possent Iudæi prudenter non illi fidem adhibere, ergo &c.

Suppono sermonem esse posse vel de vtilitate miraculorum ad confirmandam doctrinam, vel de necessitate simpliciter, quę intelligi potest aut secundum legem Dei ordinariam, aut etiam de poten

etiam de potentia Dei absoluta, rursus, vel de necessitate absoluta, id est, nulla suppositione facta, vel de necessitate tantum ex hypothesi. Itē tractari potest de necessitate, vt doctrina prudenter credi possit, vel non tantum, vt possit, sed etiam debeat, nec possit homo sine infidelitate illi non assentiri. Denique sermo esse potest de necessitate, vel in ordine ad fidem humanā, vel in ordine ad diuinā, id est, certā & infallibilem, quę diuina autoritate nitatur. Aduertendum vltimo est, non esse hic sermonem de quacunque doctrina in generali, sed in particulari de doctrina Christi, quę est supra omnem sensum, & supra omnem creatum intellectum.

Miracula ad suadendam Christi doctrinā cōuenientissima.

Primò igitur certum est, ad suadendā hanc doctrinam aptissima media, & conuenientissima fuisse opera miraculosa in eius confirmationem facta. Hoc est certissimū, primó ex ipso vsu Christi testimonio confirmato, Ioan. 5. *Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati*, & infra, *Ego autem habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim, quę dedit Pater, vt perficiam ea, illa testimonium perhibent de me.* & cap. 10. *Opera, quæ facio in nomine Patris mei, hęc testimonium perhibēt de me* & infra, *si mihi non vultis credere, operibus credite*, & capit. 14. *Alioquin propter opera ipsa credite.* Idem confirmat potestas data Apostolis ad facienda miracula, quia post Christum futuri erāt primi huius doctrinæ prędicatores. Vnde Paul. ad Heb. 2. *quomodo nos effugiemus, si tantā neglexerimus salutem, quę cū initium accepisset enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis* Idem videre licet in lege veteri. Moysi enim, quia futurus erat primus illius legislator, magna virtus, & potestas in miraculis faciendis data est. Itē apud omnes homines, qui Deo nolunt resistere, magnam vim semper habuerunt miracula ad cœlestem doctrinam cognoscendam. Vnde Ioan. 3. dicebat Nicodemus, *scimus, quia a Deo veniisti Magister. Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo*, &. 3. Regum. 17. mulier illa videns resuscitatum filiū, dicebat ad Eliam, *In isto cognoui, quod vir Dei es tu, & quod verbum Dei manet in ore tuo.* Ratio denique hoc confirmat, quia supernaturalis doctrina necesse est, vt Deum ipsum habeat principalem autorem, & assertorē, ergo opera propria ipsius Dei sunt etiam aptissima ad confirmandam talem doctrinam, quòd nimirum à Deo ipso originem ducat. Quia euidens est talia opera non posse fieri nisi virtute diuina, euidens rursum est non posse Deū sua autoritate, singularique virtute mendacium confirmare, & ideò hæc mira opera in veritatis confirmationem facta vocantur á Patribus, *Quasi sigilum Dei*, quo talem doctrinam consignat.

Heb. 2.

Exod. 4.

Ioan. 3.

3. Reg. 17

Miracula non fuerūt simpliciter necessaria ad credendum Christi doctrinā

Secundò certum est, talia miracula non fuisse simpliciter necessaria, vt doctrina Christi prudenter credi posset, & deberet, non solum fide humana, ac formidolosa, sed etiam infusa, ac certa. Hoc etiam existimo certum, & probatur primò exemplo adducto Ioannis Baptistæ, cuius testimonium de Christo tale erat, vt omni fide dignum esset, ita, vt qui sufficientem illius cognitionem haberet, grauiter peccaret illi nō assentiendo, sed ille non fecit miracula, ergo non sunt simpliciter necessaria ad hunc effectum, non solum de potentia absoluta, sed nec de ordinaria. Maior patet ex illo Ioan. 1. *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine*, opera autem Dei sunt perfecta, & quādo ad munus aliquod seu ministerium destinat quempiam, dat ei omnia necessaria ad illud obeundum, dedit ergo Ioani omnia necessaria, vt sufficiens testimonium de Christo redderet (alioqui quid opus erat insufficienti testimonio, & fide non digno?) & ideò Christus Ioann. 5. tacitè reprehendit Iudæos, quòd testimonio Ioannis non habuissent fidem, vt ibi significarunt Chrysost. hom. 39. & Cyrillus lib. 2 cap. 149.

Ioan. 1.

Ioan. 5. Chrys. Cyril.

Obiectio.

Dices, Ioanni non fuisse necessaria miracula, quia nō introducebat nouam legem, nouam ve doctrinam supernaturalem, sed eandem, quam haberent Iudæi, stabiliebat, & confirmabat, solēmq; monstrabat Messiam, quē ipsi expectabant. Accedit, quòd sanctitas, & asperitas vitæ eius, magnaque autoritas, quam apud populum habebat, poterant ad prædictum genus doctrinæ confirmādum sine miraculis sufficere. Sed imprimis mysterium præcipuum, quod Christus, & Ioannes prædicarūt, & ex quo tota veritas doctrinæ, vtriusque pendebat idem omnino fuit, scilicet Iesum esse verum filium Dei, & Messiam in lege promissum, qui peccata mundi toleret, & spiritū vitæ conferret, ergo ex parte doctrinæ eadem erat difficultas. Deinde quoad vitæ inno-

Responsio

innocentiam, & sanctitatem maior fuit in Christo, & licet in exteriori modo viuendi maior esset asperitas in Ioanne: tamen hæc non est simpliciter necessaria ad veritatis confirmationem, quando alioqui puritas, & innocentia vitæ omnibus nota est, quæ tanta in Christo fuit, vt coram aduersarius ausus sit dicere, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* vbi non solum crimnis probationem, verum ne probabilem quidem, & apparentem obiectionem extimuit. Tanta erat, tamque omnibus cui dēs ipsius innocentia. Alunde etiam superabat Christus Ioannem in virtute, sapientia verborum, & in autoritate, qua loquebatur *tanquam potestatem habens*. Vnde non dubito quin seclusis miraculis, solaq; Christi prædicatio prout ab illo fiebat, esset sufficiēs ad doctrinā ita suadēdā, vt ad adhibēdam sibi fidem prorsus obligaret. Quomodo intelligi potest, quod ipsemet Christus dixit Ioan. 15. *si non venissem, & locutus eis nō fuissem peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo* Vbi nulla miraculorum mentione facta inexcusabiles appellat eos, qui sibi loquenti non crediderint. Tanta erat vis, & efficacia verborum eius. Vnde Ioan. 4 samaritana absque miraculis propter solum Christi sermonē credidit, & postea, *multo plures crediderunt propter sermonem eius, & mulieri dicebant. Quia iam non propter tuam loquelam credimus ipsi enim audiuimus, & scimus, quia hic est saluator mundi*. & tamen Christus ibi nulla miracula fecisse legitur, sed efficacia verbi sui illos ita interius commouit, vt & credere possent, & tenerentur. Et hæc est ratio a priori huius veritatis, quia Christi virtus non erat aligata miraculis, sed poterat alijs modis veritatem doctrinæ suæ ostendere & confirmare, atque ita eam prædicare vt exterius sufficienter proponeretur, & interius etiam sufficienter excitaret, atque illuminaret hominem, vt sive llet, posset quidem diuino fultus auxilio sibi præsentissimo credere.

Innotentia Christi quāta.

Ioan. 8.

Efficatia verborum Christi quanta.

Ioan. 15.

Ioan. 14.

Dico tertio, miracula Christi Domini quodammodo dici possunt ad confirmandam sufficienterque proponendam Christi doctrinam fuisse necessaria. Declaratur primo, quia quod moraliter est valde vtile dicit potest quodammodo necessarium, miracula autem Christi fuisse ad hunc effectum valde vtilia iam ostensum est. Et præter dicta notant sancti Patres aliam vtilitatē. Nam Christi opera simul erāt & miracula, & magna beneficia, & misericordiæ opera hominibus collata, & ad illustrandum intellectum, & ad amorem conciliandum aptissima. Quoniam verò ad suscipiendam doctrinam, quæ euidenter non cogit intellectum, necessaria est pia voluntatis affectio, ideo ex hoc etiam capite fuerunt illa opera quodammodo necessaria, vt ea doctrina ab animis audientiū beneuolè susciperetur. Secundo quanuis miracula non sint necessaria singulis, vt possent credere, tamen respectu communitatis possunt dici quodammodo necessaria, quia sine illis pauci crederent. Cuius signū est quia interuenientibus signis, etiā miracul's pauci in Christum crediderunt, quid ergo si miracula non extitissent? Et hęc ratio necessitatis maxime augetur, si Ecclesia non consideretur solum, prout erat in illis hominibus, qui Christum audierunt, sed vt erat perpetuo vsque ad finem seculi duratura in eis, qui nec viderunt Christum, neque audierunt, & hoc sensu videtur dixisse Gregor. libr. 27. Moral. capit. 6. *sanctis prædicatoribus nequaquam ad persuadendum verba sufficiunt, nisi etiam miracula addantur*. Tertio potest hæc necessitas ita explicari, vt non sit absoluta: sed ex suppositione. Prædictum enim erat, Messiam patraturum magna miracula, vt constat Isai. 35. & alijs locis, vt ergo Christus persuaderet hominibus se esse verum Messiam necessarium fuit, vt miracula faceret, quæ de Messia erant prædicta. Quia sicut necessarium fuit alia signa primi aduentus Messię impleri, ita & hoc.

Miracula ad firmādā Christi doctrinām quo modo necessaria.

Gregr

Isa 35.

Ex his ergo facilis est responsio ad rationes dubitandi initio positas, Nam, quæ secundo loco sunt positæ secundam assertionem confirmant: quæ priori loco iuxta primam, & terriam exponi possunt vno è tribus modis. Primus est, si Christus tam mira opera non fecisset, Iudæos fore excusandos, vt saltem non eo genere peccati, nec tam grauiter delinquerent, sicut nunc peccarunt, non verò quòd omnino culpa vacarent. Nam etiamsi absque tot miraculis non crederent, esset ignorantia crassa, & culpabilis, nūc autem non solum fuit ignorātia, sed & malitia, & blasphemia in Spiritum sanctum. Ab hoc ergo peccato excusari possent, si non fuissent miracula,

Responsio ad argumē tain oppositū

Testimonij Ioann. 15. primae expositio.

non ta

non tamen simpliciter ab omni peccato.
Toler. Hanc responsionem indicat Toletus Ioã. 4. annot. 17. in fine. Sed difficultatem patitur, quia verba Christi absoluta sunt, & generalia, vnde simpliciter negare videtur Iudæos cõmissuros peccatum infidelitatis non credẽdo in Christum, si ipse miracula nõ fecisset. Ita videtur exponere
Aug. Augustinus tract. 89.

Alter modus est, si Christus miracula nõ
Secũda expositio. fecisset, plurimos Iudæorum excusari potuisse à peccato infidelitatis. Doctores enim, qui scripturas intelligebant, Christique prædicationẽ facilius capere poterãt, inexcusabiles essent non credendo, etiam sine miraculis, at verò plebeij, qui difficilius mysteria capiunt, potuissent excusari à peccato, si nulla miracula vidissent, visis B autẽ tot mitis operibus inexcusabiles facti sunt. Hanc expositionem habet Toletus
Toler. cap. 15. annot. 2. Sed non minorem difficultatem habet, quàm præcedens. Quia etiam quoad hoc, verba Christi sunt generalia, imo (si rectè series cõtextus cõsideretur) prædicta Christi verba potius ad Principes, quàm ad plebẽ Iudæorum referebãtur. Sic. n. inquit, *Si me persequuti sunt, &*
Ioan. 15. *vos persequentur*; at verò potius Principes, quàm turba, persequuti fuerant Christũ. Addit, *Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum*; at Principes Iudæorum persecuti sunt Apostolos, potius, quã plebs. Subiungit, *Quia nesciunt eum, qui misit me, si non veniissem, & locutus fuissem eis*, & infra, *Si o-* C *pera non fecissem in eis*, &c. de persecutoribus ergo suis loquitur, & de eisdem vtrãque conditionalem propositionem profert.

3. expositio Tertius ergo modus exponendi esse potest, vt Christus loquatur de necessitate ex suppositione. Nam cum se Messiã esse prædicaret, si mira opera non præstitisset, quæ de Messia prædicta erant, non esset dignus, cui fides haberetur, nam facta dictis repugnarẽt, & ideò dicere potuit, *Si opera non fecissem, peccatum non haberent.* Dices ergo antequam Christus efficeret omnia miracula, quę de Christo prædicta erant, non tenebantur in eum credere. Respondetur, negando consequentiam. Sicut etiam, si Christus non resurrexisset, non peccaremus in illum non credendo. Nam, si Christus nõ resurrexit, *inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra, inuenimur*

Si Christus miracula nõ fecisset num Iudæi in nõ credẽdo peccassent.
Obiectio.
Responsio

autem, & falsi testes Dei. 1. ad Corint. 15. & A
tamen non inde fit, antequam Christus re- 1. Cor. 15.
surgeret Iudæos nõ fuisse obligatos ad credendum ei. Nam talis præcesserat prædicatio, quæ sufficiens erat ad credendum, illũ esse Messiam promissum, & ad sperandũ fore, vt implerẽtur, quæ deerant. Vnde vtrumq; vreum est, scilicet non fuisse expectanda omnia dicta miracula ad credẽdum, & quòd (si facta non fuissent) non peccarent, non credendo. Quia si Christus non fuisset facturus ea miracula, quæ de Messia erant prędicta, neque etiam posset ita proponere se esse Messiam, vt alios ad credendum obligaret, & in sensu composito impossibile fuit sic prędicare, & non facere prędicta miracula. Præter hos modos
4. expositio. occurrit alius, nimirum, vt illis verbis, *Si o-* B
pera non fecissem in eis, non tantum miracula: sed tota Christi vita, & prædicatio continẽtur, atque hoc modo nulla est difficultas. Quia sensus non est, si miracula nõ fecisse, sed absolutè, nisi dictis, & factis meã fidem satis confirmassem, *peccatum nõ haberent*, ex quo non sequitur, quòd si sola miracula deessent, etiam excusarentur. Et hic sensus videtur certè simplicior, eumq; indicauit Cyril. lib. 10. in Ioannem. cap. 30.
Cyril. Denique circa aliud testimoniũ ex Ioan
Testimonij Ioã. 10. expositio. ne. 10. *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere*, addi potest alius sensus, qui mihi videtur germanus, scilicet si opera, quæ facio non sunt à Patre meo, id est, si nõ sunt virtute diuina facta, sed Dęmonis præstigiis, non est, quòd mihi credatis: si autẽ ipsa opera sese manifestant, quòd sint diuina vel illis saltem credite. Ex quo sensu nulla difficultas relinquitur præsenti quæstioni. Quia licet Christo non essent miracula simpliciter necessaria, vt dignus fide haberetur: tamen postquam mira opera fecisset si non satis constaret, illa esse vera, & non ficta, non posset illi fides adhiberi, & hoc modo veritas miraculorum necessaria erat ad Christi doctrinam confirmãdam. Quæ etiam nõ est necessitas simpliciter, sed ex suppositione, scilicet suppositio, quòd miracula fiant.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum miracula Christi doctrinam ita cõfirmarent, vt ad credendum cogerent.

Principio

Principio certũ est, miracula Christi sufficientia fuisse ad doctrinam confirmandã ita, vt qui illa conspexerant, prudẽter credere, & possent, & tenerentur. Quod euidenter probant verba Christi paulo ante tractata, & alia multa in superiori sectione adducta, & quæ dicemus, euidentius hoc confirmabunt. Quod ergo hic, explicatione indiget illud est. Vtrum illa miracula euidenter ostenderent, Christum esse Deum, atque hoc modo cogerent, seu necessitatẽ inferrent intellectui ad assentiendum. Ratio difficultatis est. quia illa miracula non solum ostendebant euidenter, Christi doctrinam esse credibilem, sed etiam esse verã, euidentia autem veritatis cogit intellectũ. Antecedens probatur, quia euidens est, talia opera, scilicet suscitationem mortui, illuminationem cæci, & sanitates tali modo factas scilicet per solum imperium, vel per contactum non posse fieri nisi diuina virtute. Rursus est euidens illa opera esse facta à Christo in confirmationem doctrinæ suæ propterea enim dicebat, *Ipsa testimonium perhibent deme, & operibus credite.* Denique etiam est euidens, Deum non posse mentiri, & ideò nec etiam posse virtute sua speciali mendacium confirmare, ergo ex his principijs euidens erat Christum esse Deũ, & vera dicere. In cõtrarium verò est, quia si miracula Christi euidenter intellectum conuincerent omnes necessariò illum agnouissent, eique credidissent, atqui non ita accidit ergo,

Ioan. 10.

Vt controuersiam hanc melius comprehẽdamus, reuocanda tota Christi doctrina est ad duo principia, quę ipse in ea persæpe inculcabat, quoniã ab illis, & totius doctrinæ veritas, & cunctorum hominum salus pendebat. Vnum est esse se verum Messiam. Alterum est, esse verum Deũ. Quanquam enim hoc posterius ex priori necessario consequatur suppositis ijs, quæ de Messia in veteri testamento prędicta erãt (vt superiori tomo disput. 2. latè tractatũ est) tamen quia intelligentia, & cognitio scripturarum non omnibus inerat, voluit Christus vtrumque distinctè prędicare, & miraculis confirmare. Vnde vlterius aduertendum est miracula Christi dupliciter considerari posse, vno modo vt coniuncta cum scripturis, & prędictionibus, quæ de Messia erant, alio modo per se, sine coniunctione cũ superioribus prophetijs, nõ aliter, quàm si illæ non præcessissent. Et sub hac posteriori ratione adhuc possunt dupliciter considerari, vel vt cadunt in assertionẽ Christi, qui affirmabat se esse Messiam, & Deum, & in eius veritatis confirmationem talia miracula faciebat, vel per se sola, vt sunt veluti effectus diuinitatis sub illa humanitate latentis absque vllo alio principio.

Dico primo, miracula Christi per se sola, & cum nullo alio principio coniuncta, etiam si euidenter vera esse cognoscerentur non erant sufficientia ad cognoscendum Christum esse Messiam, aut Deum. Hæc assertio est per se euidẽs, quia poterat Deus illa miracula facere per hominem purum, qui non esset Messias. Nam etiam Christus Dominus de discipulis suis dixit. *Maiora horum facient.* Ioan. 14. de qua re dixi etiam priori tomo, disp. 3 sect. 2. Quinimò nec miracula sola per se euidenter ostẽdũt hominem esse sanctum, atque adeò nec vera semper dicere. Quia potest Deus miracula per peccatores facere, gratiæ enim gratis datæ non sunt euidentia signa sanctitatis.

Miracula Christi per se sola non euidẽter conuincunt illũ esse Messiã, & Deum.

Dico secundo, miracula Christi, vt conjũcta prophetijs, quæ de Messia erant, absq; alia Christi testificatione suæ diuinitatis euidenter ostendebant ipsum esse Messiã, & Deum, dummodo, & prophetiæ intelligerentur, & crederentur, & veritas miraculorum euidenter cognosceretur. Ratio huius posterioris partis est, quia cognitio conclusionis præsupponit cognitionem præmissarum. Quod autem ex illis principijs euidenter sequatur hęc conclusio, probatur. Quia in veteri testamento satis clare reuelatum erat Messiam futurum esse verum Deum, vt dicto loco ostendimus. Deinde prędicta erant eius miracula tanquam propria signa, quibus certò dignosci posset, ergo qui intuebatur illa opera, & euidenter cognoscebat esse illa, quæ Isai. 35. erant prædicta, euidenti signo cognoscere poterat Christum esse Messiam, & consequenter esse verum Deum. Et hoc argumento tacitè vsus est Christus Matth. 11. cùm Ioanni interroganti per discipulos, an ipse esset Messias, respondit quidem miracula ipsa quæ faciebat ostendens, alludẽs sine dubio ad locum Isaiæ, in quo eadem miracula eisdem penè verbis prędicta fuerant, vt indicauit Chrys. ibi hom. 37. & op-

Ex miraculis Christi, cũ Prophetarũ testificatione coniunctis diuinitas eius quo modo euidẽter agnoscitur.

Isai. 35.

Matth. 11

& optimè, ac eleganter Lactantius lib. 4. de vera sapientia cap.15.& Athanas. libr. de incarnatione Verbi, eiusque corporali aduentu. *Euidentia* (inquit) *documenta intuemur. Ait enim scriptura. Tunc aperientur oculi cæcorum, &c. Quomodo audent vel contra ista oculos attollere, siquidem prophetia Deum aduenturum significat, & signa eius præsentiæ tempus ostendunt?* & deinde notat, quanquam antiqui Prophetę vnum, vel aliud miraculum patrauerint: tam multa verò miracula ædere, proprium signum fuisse Messiæ. Quod etiam obseruauit Ambros. lib. 5. in Lucam cap. de missione discipulorũ Ioannis ad Iesum. Alia Patrum testimonia videri possunt in priori tom. disputat. 2. sectio. 3.

Lactan. *Athana.* *Ambro.*

Obiectio. Dicet aliquis hanc euidentiam solum esse consequentiæ, non consequentis: quia non solum fundatur in euidentia miraculorum, sed in testimoniis etiam veteris testamenti, quę non erant euidenter vera, sed fide credita. Respondetur quando testimonia continẽt prædictionem rerum futurarum, si res prędictæ iam videantur impletę, euidenter tunc constare illa fuisse vera. Quãuis ergo prophetiæ, in quibus hęc miracula, & signa Messiæ prędicta erant, antequam implerentur, sola fide crederentur: visis tamen effectibus, & euidenter agnitis, conuincitur intellectus, vt credat illam prędictionem fuisse veram. Et in prę senti materia etiam conuincitur, i lam prę dictionem esse à Deo, tum quia erat de re contingenti, & libera, tum etiã, quia erat de effectibus supernaturalibus, qui â Dei voluntate, & singulari influxu pendebant. Vnum verò est, quod in tota hac cognitione videtur potius creditum, quàm euidẽs, scilicet an hę prophetię dictæ sint de Messia, & in quo sensu: & quo ad hoc fatemur non esse hic maiorem euidentiam, quàm esse possit in interpretatione cuiusuis locutionis in propria, & simplici verborum significatione. Omnis enim euidẽtia, quę est in testificante, necessariò supponit verba, vel signa: quibus ille loquitur, & eorum nudam, atque apertam intelligentiam. Hic verò supponimus prædictas prophetias de Messia, & eius diuinitate, tam esse perspicuas, & claras, vt à nemine, qui non sit admodum pertinax, negari possint, maxime post earum euentum, vt prędicti, disputationibus, prima & secun-

Respõsio *B* *C*

A da superioris tomi fusè disseruimus. Denique ad rem præsentẽ satis nobis est euidentia consequentiæ. Quia solum hoc intendimus, ex illis Prophetiis sic intellectis, & euidentia miraculorum, necessariò, ac euidenter inferri Christum esse Messiã ac verum Deum.

Dico tertio, miracula Christi euidenter cognita, & coniuncta testimonio ipsius Christi, qui asserebat se esse Messiam, & verum Deum, & in eius confirmationem talia miracula faciebat, conuincere poterant Christum esse verum Deum euidentia morali in testificante. Hęc est sententia D. Thom. hic, vt eum exponit Caietanus hic & infra quęst. 47. articul. 5. & in eandem inclinat D. Tho. 3. dist. 16. quęstio. 1. articul. 3. & 1. contr. gen. cap. 6. Scotus in prolog. sent, quęst. 4. & eandem supponere videtur Athanas. dicto libro de incarnat. & Orig. lib. 8. contr. Celsum, eãque probat prima ratio dubitandi in principio posita. Fundatur enim hęc euidentia in hac ratiocinatione. Quidquid Deus sua autoritate confirmat, est verum, sed id quod Christus affirmabat, Deus sua autoritate confirmabat, ergo erat verum, atqui affirmabat se esse Messiam, & Deum, ergo verè ita erat. Omnes premissę sunt euidentes. Maior primi syllogismi, quia euidens est Deum non posse mentiri, vt nũc suppono. Minor, quia euidens est, vera miracula non posse fieri nisi virtute diuina: suppono autem euidenter cognosci illa miracula esse vera, & in confirmationem eorum, quę â Christo dicebantur facta. Deniq; quòd Christus hæc doceret euidens erat audientibus.

D. Thom. *Caiet.* *Scot.* *Athan.* *Orig.*

Obiectio. Subterfugere posset aliquis, dicendo minimè repugnare, vt Deus speciali auxilio, & gratia gratis data concurrat cum homine ad facienda miracula, quanuis ipse homo illa faciat in confirmationem falsitatis. Quia hinc non sequitur, quòd Deus mentiatur, & nullum aliud est principium huius repugnantię, aut incommodũ, quod inde sequatur. Antecedens declaratur. Nam primò, Deus dat sacerdoti supernaturalem facultatẽ consecrandi, & eã ipsius libertati cõmittit, vt benè, vel malè ea vtatur: & quando malè vtitur, Deus nihilominꝰ speciali, ac supernaturali auxilio cũ illo cõcurrit, ad faciẽdũ opus vi sua miraculosum: & nihilominus malitia hominis in Deũ non redundat, ergo idem erit

in præsenti,proportione seruata. Secundo Deus potest conferre homini gratiam sanitatum,vt similiter ea bene,vel male vtatur,ergo sicut potest Deus concurrere cum tali homine ad conferēdam miraculosè sanitatem,etiam si id faciat propter auaritiā, vel vanā gloriam,potest etiam concurrere, etiam si id faciat ad decipiendos alios homines,atque adeò in confirmationem falsitatis. Tertio est ratio à priori,quia licet homo,qui facit miracula,dicat se id facere in confirmationem eorum,quæ loquitur, nō inde fit Deum concurrere ad eandem confirmationem. Sed concurret solum ex vi prioris donationis, seu legis, vel pacti, quo statuit dare illi homini talem virtutem,& concurrere cum illo,propter quencunque finem ipse operetur,ergo etiam si Deus concurrat,non sequitur ipsum mentiri,nec confirmare mendacium:sed solum permittere,vt alij putent,confirmare. Denique nunquam est euidēs miracula,prout à Deo procedunt,fieri in confirmationem veritatis:sed solum,prout sunt ab homine. Quarto, amplius hoc exemplo illustratur difficultas:Fingamus Deū decreuisse crastina die miraculum aliquod facere propter finem sibi cognitum,& alicui homini hoc reuelasse. In eo casu posset huiusmodi homo errorem aliquem prædicare, ac dicere in eius confirmationem facturum Deum, tali die tale miraculum, nunquid propterea teneretur Deus cessare à perpetrando miraculo,ne mendacium cōfirmaretur? aut propterea confirmaret, quia homo dicit propter hanc causam fieri, cū reuera Deus hoc non intendat, nec propter hanc caucausam faciat? Sicut ergo in hoc casu non obstante mendacio hominis, posset Deus miraculum facere,& non propterea mentiretur,licet homines deciperentur,nec confirmaret mendacium, quanuis homines id existimarent:ita quanuis,propter alias causas daret alicui homini potestatem faciendi miracula,cum pleno dominio vtendi illa in quencunque vsum bonum,vel malum, non propterea mentiretur concurrendo cū tali homine,nec reuera mendacium sua autoritate cōfirmaret, quidquid homines sibi persuaderent.

Responsio.

Hæc argumenta (vt verum fatear) sunt apud me difficilia,& vellem potius eorum solutiones ab aliis discere,quā docere. Vnde Duran. quæst.1. prologi illa breuiter attingens,propter ea negat miracula facta in testimonium veritatis efficere euidentiam eius. Cuius sententia fortasse est vera de euidentia Mathematica,non tamē de euidentia morali,quæ sufficiat ad conuincendum intellectum non admodum praue dispositum. Quod ita declaro, supponendo id,quod in materia de fide latius docetur, pertinere ad diuinam prouidentiam:vt non permittat aliquid falsum suo sub nomine, & autoritate ita proponi,atq; exterius confirmari, vt secundum rectam rationem cogantur homines ad credendum illud esse dictum à Deo,& assentiendum ea certitudine,quæ omnem dubitationem expellat. Quia si Deus hoc permitteret,& cooperaretur ad omnia signa, & opera, quibus mendacium confirmatur, quanuis reuera propriè non mentiretur (vt argumenta facta probant) quodam modo tamen abuteretur suprema sua potestate in præiudicium suæ autoritatis, qua fide dignus existit. Nam si concurrentibus tot signis, & diuinis operibus exterius factis in confirmationem veritatis adhuc posset subesse falsitas, nulla supereesset via ad credendum Deo loquenti per homines, vel per signa, quod est contra diuinam veritatem, & autoritatem, quam ipsum oportet habere indicendo. Propter hanc ergo causam existimo esse moraliter euidens, fieri non posse,vt Deus concurrat cum homine ad perficienda vera opera supernaturalia,quæ fieri nō possūt nisi virtute diuina,& quod illa faciat in confirmationem falsæ doctrinę,quam vt diuinam, & â Deo reuelatam proponit.

Deus mendacia cōfirmare nō potest per opera supernaturalia in cōfirmationem falsæ doctrinæ facta.

Obiectio.

Dices, ergo eadem ratione pertineret ad Dei prouidentiam non permittere apparentia miracula, quæ virtute Dæmonum, fieri solent, & ab Antichristo fient. Quia illa etiam moraliter sufficiunt ad decipiendos homines, qui vix possunt vera miracula à falsis internoscere; illa autem deceptio, cum fiat sub specie diuinę virtutis & autoritatis,etiam redundat in præiudicium eiusdem diuinæ autoritatis, & meritò potest diminuere fidē,quæ Deo loquenti debetur. Respondetur non esse eandem rationem,quia quando sunt falsa miracula, semper relinquitur aliquis modus, quo moraliter possint diiudicari,si homines,quod in se est,faciāt ad cognoscēdāveritatē. Primo benè considerando ipsamet opera,signaq; & circūstantias eorū. Secūdo,considerando personā,vitam,& mores eius

Responsio.

eius qui sic loquitur, & operatur. Tertio, A considerando doctrinam ipsam, an aliqua in parte rationi aduersetur, vel aliis reuelationibus diuinis sufficienter propositis per Ecclesiam. Denique orãdo Deum, & consulendo scripturas, & prædictiones in ea factas, & signa data, ne in errorem inducamur. Itaque nõ pertinet ad prouidentiã Dei non permittere falsa signa, quæ ad probationem, & profectum electorũ prosunt: sed pertinet ad prouidẽtiam Dei dare auxilium, ac modum quo possint diiudicari, & cognosci, quia nõ est diuinæ bonitatis, & sapientiæ, vt permittat hominẽ tentari vltra id, quòd potest. Ac propterea quando facta morali diligentia, & inuestigatione adhuc constat euidenter vera esse miracula, quæ fiunt in cõfirmationem doctrinæ, nulla relinquitur ratio dubitãdi de talis doctrinæ veritate, præsertim si miracula sint frequẽtia, & magna auctoritate, ac potestate facta, & vitæ innocẽtia, ac sanctitate confirmata, & in ipsa doctrina nihil contra honestatem, nihil con- B tra rationem rectam, nihil denique cõtra alias diuinas reuelationes appareat. Quæ omnia in doctrina, & miraculis Christi cummulatissimè inuenta sunt, & ideò ad moralem euidẽtiam præstandam satis fuisse creduntur. Ex his ergo ad difficultates positas dicendum est, quanuis demus posse Deum permittere aliquem efficere miraculum, seu opus supernaturale affirmãtem, se id facere in confirmationem alicuius rei, quæ in se falsa est, quã tamẽ Deus neque affirmare, neque cõfirmare intendit. Nihilominus semper posse hominẽ si velit omnia, quæ tale opus circunstant attẽte considerare, ex eis coniicere, quo spiritu tale opus fiat, ita vt saltem dubitare possit, & ad Deum recurrere, & quantum in se est facere ad falsitatem vitandã, C quòd si ita segerat, ad diuinam prouidentiam spectabit nõ permittere eum decipi. Addo denique quãdo Deus dat potestatẽ ad supernaturale opus faciẽdum considerandum esse modum & finem eius. Quãdo enim datur modo stabili, ac permanẽti non ad confirmandã veritatẽ, sed ad aliquam publicam vtilitatem, vt interdum datur gratia sanitatis, vel alia similis: tunc licet quis diceret se illa vti in confirmationem veritatis, nõ ideò statim esset illi fides adhibenda, sed vtendum potiùs esset aliis regulis fidei certis, & infallibilibus. Si verò potestas hęc, & vsus ei⁹ datur singulari, & extraordinario modo. Ita vt nõ appareat alius finis vel vtilitas eius, præter veritatis confirmationem, tunc certè maxime spectat ad diuinam prouidẽtiam, non concurrere specialiter ad tale opus: quando homo per illud intẽdit falsitatem persuadere, ac alios decipere propter rationes dictas.

SECTIO III.

Vtrum miracula Christi coegerint Angelos ad credendum Christo prædicanti, se esse Messiam, ac Deum.

QVæstio hæc in malis Angelis tantum locum habet, quia beati semper Christum clarè cognouerũt, ac in Verbo viderũt: habere tamẽ posset locum in quolibet Angelo secundũ suam naturam solum cõsiderato. Et specialis ratio dubitandi in illis est, quia ipsi euidentissimè cognoscunt veritatem miraculorum, quia vident rerum substantias, & actiones, prout in se sunt. Vnde, si miraculum sit supernaturale quoad terminũ, vt quod duo corpora sint penetratiuè in eodem loco, postquam factum est, euidẽter illud vident. Idemque est, si miraculũ sit in modo, vel ex parte subiecti, vt quando cæcus illuminatur, vel mortuus resurgit, vel ex parte actionis, seu agentis, vt quando subitò, & sine applicatione naturalis agentis sit effectus sanitatis, vel alius similis. Rursus euidẽter etiam sciunt hęc miracula non posse fieri nisi virtute diuina, quia euidenter cognoscunt naturas rerũ, & sciunt in tota natura nõ esse virtutem, quæ ad hoc se extendat, sed solum in autore naturę, ergo visis huiusmodi miraculis cõuincũtur ad credendũ Deũ esse testem eius doctrinæ, quæ per talia miracula confirmatur, ergo & ad credendam ipsam doctrinam; sed Dæmones hoc modo videbant miracula Christi, videbant etiam ea facere in confirmationẽ doctrinæ suæ; Audiebant enim eum dicentem. *Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, adolescens, tibi dico surge.* Mat. 9. & Ioa. 11. *Vt credãt, quia tu me misisti,* & Ioan. 5. & 10. & sępe in sua prædicatione hoc Christus significabat. Et quod maximè vrget, nõ solum Christi, sed etiã ipsius Dei testimonium bis audierunt.

D. Thom. 1. p. q. 105. art. 8

Mat. 9. *Ioann. 11.* *Ioan. 5. & 10.* *Mat. 17.*

Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui, ipsum audite, & euidenter cognoscebant illud non fuisse pronuntiatum opera alicuius Dæmonis, sed Dei, vel per se ipsum, vel (quod perinde est) per sanctos Angelos, ac ministros suos, ergo conuicti fuerunt ad credendũ, eo modo, quo Iacobus ait. *Dęmones credunt, & contremiscunt*, In contrarium verò est illud Pauli. 1. ad Cor. 2. *Si cognouissent, nunquã Dominum gloriæ crucifixissent.*

Iacob 2.
1. Cor. 2.

In hac difficultate idem est quærere, an Dæmones de facto cognouerint, Christũ esse verum Messiam, ac Deum, & an ad hoc credẽdum fuerint conuicti, & necessitate compulsi. Quia ipsi vel non habẽt assensum opinatiuũ, & cũ formidine, vel (si illum habent) non habent piam volũtatis affectionem, qua propensi sint ad supernaturalem veritatem credendã, quando nullo modo cõguntur, & conuincuntur. Et ideò explicando, quid factum sit, simul explicabimus modum, seu necessitatem talis assensus.

Dico ergo primò, si Dæmones speciali Dei prouidẽtia impediti non fuerunt, ne Christum cognoscerent, conuicti sunt ad credendum, & assentiendum, illũ esse verum Messiam à Deo promissum. Propono conclusionem hanc sub conditione. Quia (vt Aug. ait libr. 9. de Ciuit. c. 21.) *Christus tantum innotuit Dæmonibus, quantum voluit, tantum autem voluit, quantum oportuit.* Hęc igitur conclusio colligitur ex doctrina D. Thom. & Sanctorũ, vt statim ostendam, eamq; docet Caiet. hic. Nunc solum ratione probatur. Quia (vt dixi) Dæmones euidẽter cognoscebant veritatẽ miraculorum Christi, & (quod magis est) si à Deo non fuerunt impediti, cognouerunt euidẽter fuisse conceptum sine opera viri, & natum ex virgine, matris integritate seruata, & in eius natiuitate euidenter audire potuerunt Angelos annuntiantes natũ esse Saluatorẽ, qui est Christus Dominus, quos euidenter sciebant non posse mentiri, cùm sciant esse beatos. Rursus euidenter cognoscebant innocentiam, & puritatem vitæ Christi. Adhæc audiebãt ipsum Christum expressè dicentem se esse Messiam promissum Ioan. 4. *Ego sum, qui loquor tecum*, & Matth. 15. cùm Petrus confessus esset, *Tu es Christus filius Dei viui* ipse confessionem eius approbauit dicẽs *Beatus es, &c.* & c. 11. cùm Ioannes Baptista misisset ad quærendũ, an ipse esset Messias, satis clarè affirmauit, ostendẽs miracula, & Ioan. 11. cum Martha dixisset, *Ego credidi, quia tu es Christus*, ipse tacitè probauit, & postea faciẽs miraculum, inquit: *Vt credant, quia tu me misisti*, intelligens se esse illũ, qui quasi per antonomasiam mittendus expectabatur. Quod clarị dixit Ioa. 17. *Vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*. Quæ verba tã clara sunt, & aperta, vt nullã amphibologiam, vel violentã, aut falsam interpretationẽ patiantur. Præterea clarè intelligebant Dæmones Christũ facere miracula in confirmationẽ huius veritatis, iuxta illud. *Vt credant homines, quia tu me misisti*. Denique sciebãt scripturas, & signa, ac miracula, quæ de Messia prędicta erant, & euidenter cernebant ea omnia compleri per Christũ, ergo vel inuiti cogebantur fateri ipsum esse Christum, si à Deo nõ sunt impediti, ne ipsum agnoscerent. Neque verò dici potest Dęmonẽ voluntariè non animaduertisse omnia signa, quibus Messias cognosci poterat, neque ea inter se, & cũ operibus Christi contulisse, vt eũ agnosceret. Quia (vt ex Euangelio colligitur, & notant Patres explicantes Christi tentationẽ, vt supra vidimus) Dæmõ summo ardebat desiderio cognoscendi Christũ, quis esset, ergo nõ est verisimile, volũtarie, & data opera prætermisisse aliquid, quo ipsum posset agnoscere: si ergo diuina prouidẽtia impeditus non fuit, euidenter cognouit illũ esse Messiam ex miraculis, & signis eius, cũ eiusdẽ ac scripturarũ testimonio cõiũctis, & inter se collatis.

Aug.
D. Thom. Caietan.
Dæmõ euidẽter agnoscebat veritatem miraculorum Christi.
Ioan. 4.
Matt. 15.
Mat. 11.

Sed inquirendũ superest, an fuerit Dæmõ impeditus à Deo, ne hoc agnosceret. Quidã affirmant toto tẽpore vitæ mortalis nunquã Dęmonẽ cognouisse Iesum esse Messiã, ita vt definitè, & indubitanter hoc iudicaret, cõsequẽterq; impeditũ esse á Deo, ne vel omnia Christi mysteria intueri, vel omnia verba eius audire, vel omnes prophetias, quæ de illo erãt, cõsiderare, & inter se conferre posset. Ita sentit Carthusian. Luc. 4. & Mar. 1. & super ad Roman. 10. artic. 4. citantur etiã Caietan. Scot, & Abulẽsis, sed falsò. Potest verò suaderi hęc opinio: quia si Dæmõ agnouisset Iesum esse Messiã, agnouisset etiã filiũ Dei, ac verũ Deũ, quia ex scripturis notum erat Messiam futurũ fuisse verum filium Dei, consequens autẽ est falsum.

Dubium.
Carthus.
1. Cor. 2.

Quia

Quia(vt Paulus citato loco dixit) si eum cognouissent esse Deum, nō essent ausi ei passionem, ac mortē tàm solicitè moliri. Et ideò Hiero. Matt. 1. cum Ignatio dicit impeditum esse Dæmonem, ne mysteria natiuitatis, & conceptionis Christi cognosceret, ne si eum Deum esse sciret, mortem eius impediret.

Hieron.
Ignat.

Sed cōtraria sententia mihi sine dubio vera videtur. Quia licet fortasse tempore infantiæ impeditus sit Dæmō, ne Christū agnosceret (nō ob eam profectò causam, ne mortem eius impediret; sed ob eā potius, ne illum acrius insectaretur, & maturius, quàm diuina prouidētia disposuerat interficeret, vt D. Thom. supra docuit. q. 29. artic. 1. ad 3.) Nihilominus tamē, postquam Christus cæpit prædicare, antequā pateretur, permissus est Dæmon, seu non impeditus cognoscere ipsum esse Christum. Ita docet eodem loco D. Thom. & hic. q. 44. art. 1. ad 2. & infra. q. 47. art. 5. Lyran. Marc. 1. & Luc. 4. & Abulen. Matthæ. 4. q. 22. Idem sentit Ambros. 1. ad Corint. 2. vbi expressè ait sciuisse Dæmones Iesum esse eū, qui in lege promissus erat. Et August. lib. quæst. noui, & vet. testam. q. 66. Greg. Beda, & alij infra citādi. Qui Patres hoc colligunt ex Marc. 1. & Luc. 4. vbi Dæmon sic Christum alloquebatur. *Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene, venisti perdere nos? scio te, qui sis, Sanctus Dei,* & Marc. c. 5. & Matth. ac Luc. 8. vocabant Dæmones Christum, *filium Dei altissimi.*

Respondeo Christum Dæmō Messiam verū esse cognouisse.
D. Thom.
Lyra
Abulens.
Amb.
Aug.
Greg.
Beda.
Marc. 1.
Luc. 4.
Marc. 5.
Matth. 8.
Luc. 8.

Responderi verò potest, vel vocasse filiū Dei per adoptionē, & eximiam sanctitatē & eadem de causa vocasse, *Sanctum Dei,* vel certè mentitos esse, & adulandi, & tētandi causa eum vocasse *Filium Dei.* Sed quāquam verba Dæmonis non faciant fidē: tamē verba Lucæ videtur cōuincere: subdit enim dicto cap. 4. *Non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.* Quæ verba aliqui ita interpretātur, vt illud. *Quia sciebant,* non sumatur causaliter, neq; Euangelista reddat causam, ob quam Christus nō sinebat Dæmonia loqui: sed sumantur indefinite, seu ad explicandum, quid erat illud, quod ea loqui, nō sinebat, nēpe quod scirēt ipsum esse Christum. Nam hoc est quod Dæmones dicebant: *Scio, quod sis Sanctus Dei,* ita Iansen. c. 28. Concord. & Erasmus Marc. 1. Cui expositioni fauet Græca lectio, quanquā alterā etiam expositionē admittat. Et iuxta hāc interpretationē hoc testimoniū non habet maiorē vim, quā præcedentia. Tamen simplicior sensus videtur, vt illa sint verba Euangelistæ, & causaliter exponātur. Et ita exponit Beda lib. 2. in Luc. c. 4. dicens. *Dæmonia filium Dei confitebantur, & attestante Euāgelista sciebant ipsum esse Christum.* Siue autē vno, siue alio modo interpretemur, Sancti Patres dicunt Dæmonē compulsum esse tacere, nō quia falsum diceret: Sed quia nolebat Christus Dæmonis testimonio cōprobari se esse filiū Dei. Ita Tertul. licet subobscurè lib. 4. contra Marci. c. 7. & 8. Hieron. Mar. 1. *Sciens Sanctum Dei, ob mutescere iubetur, quia sciens Deum, non sicut Deū glorificaut.* & Matt. 8. circa illa verba. *Quid tibi, & nobis Iesu fili Dei. Non voluntaris* (inquit) *ista cōfessio est, sed necessitatis extorsio:* & infra, *Dæmones cernentes Dominum in terris repente versari, ad iudicandos se venisse credebant.* Quæ verba ex Hiero. mutuatus est Beda. Chrys. hom. 5. in Marcū. *Cogitur verum dicere, tormenta cogunt, sed malitia vetat.* Et infra, explicans verbum illud Christi. *Obmutesce. Nolo me laudet vox tua, non veni, vt tuo testimonio cōprobarer:* Clarius id dixit Euthy. Marc. 1. & Theoph. Luc. 4. *Non sinebat* (inquit) *Dæmonia loqui, tum quod nō indigebat immundorum testimoniis, tum quod nolebat accendi inuidiam Hebræorum vidētium ab omnibus honorari.* Et Marc. 1. addit aliā rationē, scilicet vt nos doceret ne credamus Dæmoniis, etiā si vera dicant. Qui omnes Patres planè sentiunt verū pronūciasse Dæmonē, cùm aiebat se scire illum esse Christū. Ratio verò est, quia nullū est fundamentū, vt asseramus Deum impedi uisse Dæmonē, ne hanc veritatē agnosceret, ergo cū aliàs constet ipsum habuisse sufficiēs principiū ad eam cognoscēdā, & scriptura hoc magis significet, nō est, cur negetur. Antecedens probatur. Quia nec est autoritas vlla ad id asserendū, nec ratio aut inconueniēs, quod inde sequatur, vt ex sequēti conclusione apertè constabit. Et cōfirmatur tandē expresso testimonio Aug. lib. 9. de Ciuitat. c. 21. *Ipsi* (inquit) *Dæmones etiā hocita sciunt, vt eidē Domino infirmitate carnis induto dixerint. Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene, venisti huc ante tēpus perdere nos? Clarūest in his verbis, quod in eis et tanta scientia erat, & caritas non erat.* & inferius subdit, quāuis in principio Dæmō dubitaret, & ideò in tentatione explorare voluerit, an esset Christus: postea verò illū cognouisse

Luc. 4.

Iansen.
Eras.

Beda.

Dæmones tacere de Christi dignitate cur ab eo compulsi fuerint.
Hieron.
Beda.
Chrys.
Euthym.
Theoph.
Aug.

nouisse, *per quædam temporalia suæ virtutis effecta, & occultissimæ signa præsentiæ, quæ Angelicis sensibus, etiam malignorum spirituum potius, quam infirmitati hominum possent esse consp*

Christi diuinitatem dæmones ante eius mortē agnouerūt

picua.

Dico secundo, quanuis in principio Dęmon de Christi diuinitate dubitauerit, verisimile tamen est, antequam mortem eius machinaretur, existimasse, ac iudicasse illum esse filiū Dei naturalem. Hæc est

D. Thom.

sententia D. Thomæ locis citatis, quanuis dicat, Dæmonē nō habuisse firmum hac de re iudicium: sed potius suspicionē, & formidolosum assensum. Et eodem modo intelligendum est, quod docet D. Thom. 1.p.q.64.artic.1.ad 4. & eandē sententiā tuetur Caietan. hic. Quæ probatur ex eisdem locis Euāgelij supra adductis, adiunctis Patrū expositionibus, ac testimoniis.

Hieron.

Hieron. Matth. 8. in verbis supra citatis, non solum de Messia, sed de Deo, seu filio Dei loquitur, quanquā addat hæc verba. *Tam Dęmones, quam Diabolus suspicari magis filium Dei, quam nosse intelligendi sunt.* Sed verba, quæ postea subiungit, declarant vocare suspicionem, non quòd non esset iudiciū definitum, sed quia non erat clara cognitio, seu per Dei reuelationem, sed per signa. Sic enim inquit. *Nemo.n nouit Patrē, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Et eodem modo intelligendus est Beda lib. 2. in Lucam. c. 14. cùm ait de Dęmone. *Per signorū potentiam vel intellexit, vel potius suspicatus est esse filium Dei.* Idem lib. 1. in Marc. c. 8. & lib. 2. in Matth. c. 8. Euthym. & Theophylact. supra, & expressè Gregor. 33. lib. Moral. cap. 7. aliàs. 10. tractans illa verba. *In oculis eius quasi hamo capiet eum. In hamo* (inquit) *incarnationis captus est, quia dum in illo appetit escam corporis, transfixus est aculeo diuinitatis,* & infra subdit. *Et quidem Behemoth iste filium Dei incarnatum nouerat, sed redemptionis nostræ ordinem nesciebat.* Et infra, *Vnde bene dicitur, In oculis eius quasi hamo capiet eum, in oculis quippe habere dicimus, quod corā nobis positum videmus. Antiquus vero hostis humani generis redemptorem ante se positum vidit, quem cognoscendo cōfessus, confitendo pertimuit dicens. Quid nobis, & tibi fili Dei? In oculis itaque suis hamo captus est, quia & nouit, & momordit.* Idem ferè sentit hom. 25. in Euangelia, quanuis non nihil recedat à priori sententia. In eadem verò est Gregor. Nyss. orat. 1. de resurrec.

Mat. 11. Beda. Euthym. Theoph. Greg pap. Iob. 40.

Gre. Nis.

vbi eodem modo locum Iob interpretatur. Item August. locis citatis præced. cō clusione. Chryss. etiā hom. 5. in Marcum, prius videtur in hanc sententiam propensus, postea verò aut ab illa recedit, aut rem dubiam relinquit. Ponderat enim, cur dixerit Dęmō, *Scio, qui sis, sanctus Dei.* Et nō *Scio, qui sis, sanctus Deus.* Inquit, *O peruersitas mentis. Inter flagella, & tormenta positus & scit verum, & tamen confiteri non vult.* Subdit verò postea, *Fingis te scire, sed nescis, aut enim scis, & dolose taces, aut certe ignoras. Non est enim sanctus Dei sed sanctus Deus.* Notat autem circa hoc Euthym. non simpliciter dixisse, *Sanctus, sed cū adiectione articuli. Ille sanctus, siquidem & prophetæ sancti sunt: sed per participationem, solus autem Deus proprie, & natura sanctus est. Ob id ergo dixit, sanctus ille, hoc est natura, & proprie sanctus.* Et idem Chrysost. hom. 29. in Matth. affirmat tūc accessisse Dęmones diuinitatem Christi prædicantes. Nec dissentit Ambros. lib. 4. in Lucam cap. de confirmatione doctrinæ Christi per miracula, qui Iudæorū improbitatem inde exaggerat, quòd quē Dæmones confitentur, & Deum agnoscunt, ipsi negarunt. Clarius Tertullianus lib. contra Praxeam c. 26. probans Christum esse naturalē filiū Dei. *Hoc* (inquit) *& Sathanas cum in tentationibus nouit, Si filius Dei es, hoc & exinde Dæmonia confitentur. Scio, qui sis filius Dei:* & lib. 5. contra Marcionē, cap. 6. eadem ferè habet verba. Et eleganter Athanas. lib. de incarnatione Verbi Dei, eiusq; corporali aduentu satis post medium, vbi sic inquit. *Quod nō est persuasum hominibus impiis, id Dæmones suis oculis contuentur, Deumque illum esse & sentiunt & credunt, ideoque fugitiui, & adorabundi in has voces erumpunt, quæ tunc loquebantur, cum ille ad huc in carne versaretur, nouimus qui sis, tu es ille sanctus Dei. Rursumque clamabant, quid tibi nobiscum fili Dei?* Idemq; sentit in epistol. ad Marcellin. de interpretat. psalmorū in fine. Et Greg. Nazian. orat. 42. agens de Christi diuinitate. *Deitati fidem abrogas? hoc ne Dæmones quidem ipsi fecerunt. Ita & iudicij peruersitate Iudæos, & incredulitate Dæmones superas. Illi enim filij vocabulum æqualitatis vocem esse censuerunt, hi autem eum a quo fugabantur, Deum agnouerunt, doloribus nimirum, quos sentiebant, fidemipsis facientibus:* vbi Nicetas notat Grægorium alludere ad prędictum locum Marc. 1.

Aug. Chryso. Euth. Chryso. Ambr. Tertull. Athanas. Gre. naz. Nicet.

Secun-

Secundo principaliter probatur ratione, Primo, quia in veteri testamento euidentissimè prædictũ erat, Messiam futurum verum Deum, Deiq; filiũ (de quo in priori tomo disput.2. testimonia multa congessimus) sed Dæmon intelligebat eas scripturas, & cognoscebat Iesum esse Messiam, ergo & esse Deum. Secũdo, audiuit vnum, & alterũ testimonium Patris (vt supra diximus) audiuit etiam sæpe ab ipsomet Christo se esse filiũ Dei, & vnũ cum Patre, Ioan. 5. 8. 10. & sæpe, euidenterque cernebat miracula in eius rei confirmationem facta. Sed ad hæc dici potest primò, Deum impediuisse, ne Dæmon intelligeret scripturas de diuinitate Messiæ, aut certè, ne illas applicaret, & interfese, & cum verbis, factis, & persona Christi conferret, impediuisse etiam, ne audiret testimonium Patris de Christo, aut ipsius met Christi de seipso. Sed hæc euasio (vt supra in simili dixi) nullo fundamẽto nititur. Quia licet aliquo tempore oportuerit Christum occultari Dæmoni; tamen hoc nõ fuit necessarium toto tempore vitæ ad eum finem, scilicet vt nostra redẽptio, & passio Christi non impediretur, vt statim ostendam, secluſa autem hac necessitate nulla est ratio, neque autoritas, quæ probet Dæmonẽ impeditum esse à Deo, ne Iesum Deum esse agnosceret. Secundo responderi potest, Dæmonem sæpe quidem audiuisse, & legisse, Messiam esse Deum, Deique filium: tamen nõ satis intellexisse, an diceretur filius Dei naturalis, vel per participationem, & verisimili[9] esse hoc posteriori modo ea intellexisse, cùm non posset mysterium incarnationis intelligere naturali cognitione, & aliunde haberet voluntatem prauè affectam, vt propterea, vbi non omnino cogeretur, in deteriorẽ partem rem acciperet. Quæ quidem euasio conferre potest, vt intelligamus, quod aliqui sancti dicũt Dæmonem non tam habuisse certam cognitionem, quàm suspitionẽ diuinatis Christi, quia semper habuit hanc qualemcunque occasionem non nihil formidãdi, vel timendi: tamen non fuit sufficiens vel ad iudicandum contrarium, vel ad suspendẽdum assensum. Nam in primis Dæmon non ignorat Deum habere naturalẽ filiũ (mysterium enim Trinitatis à principio creationis agnouit) similiter ante incarnationis tẽpus cognouit filium Dei forc

Ioan. 5. 8. & 10.

Euasio.

Responsio.

A incarnandũ, vt Amb. & Greg. ante citati, & probatiores Theologi sentiunt, & D. Tho. in loco citato ex. 1. p. docet etiam à principio creationis habuisse omnes Angelos huius mysterij reuelationẽ. Ex hoc ergo capite nõ fuit difficile Dæmoni intelligere, ac credere aliquẽ hominem esse filium Dei naturalẽ. Quia hoc iam credebat esse possibile, & futurum: aliunde verò prædictiones scripturæ erant tam multæ, tamq; præspicuæ, vt vix credi possit angelicũ intellectum in eis percipiendis hallucinatum fuisse, verba etiam Christi erant tam clara, vt ipsi quoq; Iudæi (sicut Nazian. supra notauit) intelligerẽt prædicare seipsum verũ Dei filium, & æqualem Patri. Quanquã ergo Dæmon, quandiu non satis intellexit Iesum esse Messiã, potuerit dubitare de sensu, in quo Christus in baptismo v.g. dictus est filius Dei; tamen postquã sibi persuasit illũ esse Messiam, & tot testimonia diuinitatis eius vidit, & audiuit, sine dubio id credidit, quãuis fortasse interdum, quando non omnia considerabat, propter magnitudinẽ mysterij, & suam prauam dispositionem vel hæsitaret, vel etiam dubitaret.

Amb. Greg. D. Thom.

Vnde diabolus Christum agnouit esse filium Dei naturalem.

Greg. Naz.

B

Ex his verò necessariò cõcluditur, post Christi resurrectionem multò euidẽtius cognouisse Dæmonẽ Christi diuinitatẽ, & si quam fortasse hæsitationem, vel formidinẽ patiebatur, eam abiecisse, & vel inuitũ credidisse, atque tunc maximè locũ habuisse, quod Iacobus ait c. 2. *Dæmones credunt, & contremescunt*, quodq; ait Paul. ad Philip. 2. *In nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorũ, & omnis lingua confiteatur*, &c. Ratio verò est manifesta, quia in Christi morte, & resurrectione experti sunt Dæmones euidentiora signa diuinitatis Christi. Viderunt enim illũ descendentẽ, ad inferos cũ dominio, & potestate, & iustorũ animas ex Tartari faucibus eripientẽ, videbant præterea ab angelis sanctis adorari, & proclamari Deũ ac Dñm virtutum. Sic enim multi Patres interpretantur verba illa Psal. 23. *Attollite portas Principes vestras, et eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Rursus ex tũc cœperũt euidentius intelligere, quo sensu Iesus prædicaretur Deus, Deiq; filius nõ per participationem: vel adoptionẽ: sed per naturã. Ac deniq; intellexerũt eũ esse, qui sibi ipsis cũ primũ

Post resurrectionẽ illã de Christi diuinitate dubitatio nẽ Dæmonis habuit.

C

Ioan. 2. Philip. 2.

Psal. 23.

creati sunt, per fidem est propositus, vt eum venerarentur, & tanquam suum caput, ac principem recognoscerent, quod ipsi facere detrectantes, eiusque diuinitatem ambientes, *tanquam fulgur e cœlo ceciderunt.*

Testimonij Pauli. 1. cor. 2.

Supereſt vt explicemus illa verba Pauli. 1. ad Cor. 2. *Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Quę à multis nō de Dæmonibus, sed de Iudæorum principibus, vel in vniuersum de principibus, seu de sapientibus, seu philosophis huius sæculi intelliguntur. Quod patet ex Origen. hom. 2. in Cantica, & Tertulli. lib. 3. contra Marc. cap. 6. Chrys. Hieron. Theophyl. Anselm. ibi. Et est probabilis expositio, tamen habet difficultatem, quam attingam sect. sequenti. Præterea illa verba Pauli. *Sapientiam loquimur non huius sæculi, neque principum huius sæculi*, non videntur Iudæorum principibus conuenire. Tum quia non possunt dici *principes huius sæculi.* Tum etiam, quia Paul. vniuersaliter loquitur, dicens, neminem principum huius sæculi cognouisse mysterium Christi, quod propter solos Iudæos dici non potuisset. Quod argumentum visum est Caietan. ibi insolubile. Sed responderi posset, quod si qui erant principes sæculi, qui Christū potuissent, & debuissent agnoscere, maximè erant principes Iudæorū, vt Pilatus, ac alij, inter quos Christus versatus est, & ideo potuit Apostolus excò, quòd Christus est crucifixus ab illis principibus huius sęculi propter ignorantiam, generaliter concludere, non esse agnitum à principibus huius sæculi.

1. expositio Orig. Tertul. Chryso. Hieron. Theophyl. Anselm. 1. Cor. 2.

2. expositio Hieron. Ambro. Anselm. Aug. Greg. Caiet.

Sed quidquid sit de hac expositione, alij verba illa de Dæmonibus interpretantur, quæ etiam expositio est probabilis, & satis consentanea textui, eamque Hieronym. amplectitur Daniel. 10. Ambr. 1. ad Corin. 2. & ibi Anselmus, August. dicta quæst. 66. Noui testamenti, vbi propterea negat, Dæmones cognouisse Iesum esse filium Dei, quanuis cognouerint esse Christum. Ille verò liber non est certæ autoritatis. Gregor. etiam locis supra citatis verba illa de Dæmonibus intelligit, & propterea in posteriori loco dicit Dæmones prius in miraculis Deū cognouisse: postea verò, dum viderent eum passibilem, de cognitione sua in dubitationē cecidisse. Sed melior est responsio, quæ ex priori eius loco colligitur. Nimirum non dixisse Paulum, ignorasse Dæmones Christi diuinitatem: sed mysterium absconditum in Christi passione, & morte, scilicet salutem, ac reparationē hominū, ac imperij Dęmonum euersionem, maximamq; Dei gloriam, & honorem in ea cō tineri. Ita exponit D. Thom. hic dicens. *Non ideo Dæmon Christum Iudæis crucifigere persuasit, quia filium Dei non esse putauit, sed quia se morte illius non præuidit esse damnandū.* Quæ verba sumpsit D. Tom. ex Beda locis supra citatis. Eandem expositionem tradit Leo Pap. serm. 9. de passione dicēs. *Neque ipse itaque diabolus intellexit, quod sæuiendo in Christum, suum destrueret principatū qui antiquę fraudis iura non perderet, si se a Domini Iesu sanguine contineret; sed malitia nocendi auidus dum irruit, ruit, dum capit, captus est, dum prosequitur mortalem, incidit in saluatorem.* Caietan. etiam tam 1. ad Corinth. 2. quā hoc loco ingeniosè declarat, quomodo Dæmones, etiam si diuinam maiestatē in Christo cognouerint, non propterea à Christo persequēdo abstinuerint, quin potius ex odio, & ira, quam contra Deum & res omnes eius inueteratam habent, vehementius in eum exarserint. Quod ita potest amplius explicari. Nam dæmones ita Deum odio habent, vt si possent in ipsam Diuinitatem irruere, eamque in nihilum redigere, id facere tentarent. Ergo etiam si cognouerint Christi humanitatē esse deificatā, & ipsius Dei singulari modo effectam, multo maiori odio mortem, ignominiam, atque omnia illi machinarē tur mala. Item etiam si Dæmon cognouerit personam Christi, non propterea contineri potuit ex amore, aut reuerentia (vt per se constat) neque etiam ex timore seruili, quia nullum certum damnum timebat, vt magis iam explicabo.

D. Thom. Beda. Leo papa. Caietan.

Obiectio.

Duæ verò difficultates supersunt in hac expositione. Prior est, quia non videtur potuisse Dæmon cognoscere Iesum esse Messiam, ac verum Deum, & ignorare, per passionem, & mortem eius esse homines redimendos, quia hoc etiam erat expressè prædictum in Prophetis, præsertim in Psalmis, & Isaia, quin etiam ipse Christus sæpe prędixerat se post triduum resurrecturum, ergo necessario hoc etiam credebat Dæmon, ergo sciebat per mortem tendere Christum ad gloriam, non tā tum suam, sed etiam aliorum. Nam hoc

etiam

etiam satis apertè prædixerat ipsemet Christus, vt cum dicebat, *Vado parare vobis locum, vt vbi ego sum, & vos sitis* Posterior est, quia Dæmon, vt Iudæos ad necẽ Christi incitaret, præcipuè mouebatur ex odio Dei, ergo quanuis sciret futurum esse, vt per mortem Christi, amitteret imperium in omnes, non propterea desisteret à procuranda morte Christi, quia intelligebat maiorẽ fieri iniuriam Deo, Christum occidendo, quàm quolibet alio peccati genere. Hanc ergo iniuriam præ nimio odio prætulisset cuicunque alteri incommodo.

Ad priorem difficultatem respondetur, eas prophetias non fuisse adeò claras, vt necessarium fuerit Dæmoni omnes intelligere, antequam implerentur, & ideò facile potuit vel ignorare illas, vel certè nõ animaduertere. Præsertim cùm ob nimiã superbiam, & inuidiam totus esset positus in Christo expugnando, & superando. Considerandum est enim, sicut, cùm homo vehementi passione ducitur aduersus inimicum, non semper considerat incommoda sibi imminentia, & licet interdum aliquo modo represententur, fidem nõ adhibet: sed seipsum excęcat, ita accidisse Dæmoni ob prauum affectum, quẽ in Christum habebat. Multi verò existimant in ipsamet nocte passionis Christi, quando iam antiquæ prophetiæ ad exitũ perducebantur, cæpisse Dæmonem aliquid suspicari, & per vxorem Pilati voluisse Christi mortem impedire. Ita sentit Anselmus Lyran. & Caietan. Matt. 27. & Petrus Comestor in histor. Euangelica cap. 166. & optimè Bernar. serm. 1. de resurrectione. Sed hoc valde incertum est, nam multi antiqui Patres existimant, nõ Dæmonem, sed bonum aliquem Angelũ immisisse somnum illũ vxori Pilati, non vt impediretur mors Christi (sciebat enim Deus non fuisse impediendam) sed vt causam suam magis iustificaret, & nullam excusationem peccati Pilato relinqueret, & fidem nostram magis confirmaret. Nam si Dęmon voluisset impedire mortem Christi, potius per Iudæos, quã per vxorem Pilati id facere aggrederetur Ita sentiunt super Matth. c. 27. Orig. Hilarius, Hieron. Chrysostomus, Theophy. & Euthym. Amb. Luc. 23. August. serm. 121. de tempore, & Athanas. serm. de passione, & Cruce Domini, qui tamen fatetur, Dæmonem in morte Christi fuisse solicitum de perditione sua, & ideo incitasse Iudæos, vt dicerent verba illa. *Si filius Dei est, descẽdat de Cruce, & credimus ei. Quia Domini mortem*, inquit, *cuitare cupiebat, ne alius salus efficeretur.*

Ad posteriorem partem respondetur, quanquam peccatũ interficientiũ Christum fuerit maximum: tamen multo maiorem esse diuinam gloriam, quæ ex Christi morte, & hominum reparatione resultat. Item multò maius malum esse, quod consurgit ex infidelitate, & idololatria ferè totius orbis. Denique cùm Dæmon sit superbissimus, nunquam committeret aliquid, ex quo futurum sciret, vt imperiũ in homines amitteret, & cultu, ac adoratione priuaretur.

Respõsio

Matt. 27. Ansel. Lyr. Caiet. Pet. Com. Bernard.

Orig. Hilar. Hier. Chrys. Theoph. Euthy. Ambr. Aug. Athan.

SECTIO IIII.

Vtrum ex Christi miraculis cognouerint Iudæi, Iesum fuisse Messiam promissum, verumq; Deum.

DIximus de Angelis, supereſt dicamus de hominibus, & tota quęstio reuocatur ad Iudæos. Illi enim & Messiam sperabant, & notitiam diuinarũ scripturarum habebãt, & doctrinã Christi, ac miracula experti sunt. Agit autem ex professo de hac re D. Tho. infra. q. 47. artic. 5. non potuit tamen hoc loco prætermitti, ne res inter se connexas separaremus. Supponimus ergo ex hactenus dictis potuisse Iudæos præsertim, qui scripturas nouerant, & verba Christi audiebãt eiusque miracula conspiciebant, cognoscere illum esse Messiam, & consequenter verum Deum. Probatur primo de cognitione per fidem infusam, quia illud obiectum satis, superque proponebatur, vt expositum est. Secundo de cognitione per fidem humanam vehementer inducentẽ intellectum ad assentiendum propter motiua sensibus manifesta, suppositа præsertim prædictione scripturarum, ad quas Christus semper illos prouocabat dicens, *scrutamini scripturas, quia illæ testimonium perhibent de me. Et si Moysi crederetis, crederetis & mihi.* Neque hoc indiget maiori probatione, & ex iis, quæ dicemus, euidentius constabit. Difficultas ergo supereſt, an de facto Iudæi conuicti fuerint adhoc credendum. Ratio difficultatis est, quia su-

Ioan. 5.

pra diximus miracula Christi coniuncta scripturis,& testificationi eius euidenter ostendisse ipsius diuinitatem:euidẽtia autem cogit intellectum, ergo coegit etiam intellectus Iudæorum. In contrarium verò est,quia etiam supra diximus hanc euidentiam non oriri,nisi veritas miraculorum euidẽter cognoscatur,& prophetiæ, & testimonia perspicuè intelligantur: at verò homines nec possunt euidenter cognoscere veritatem miraculorum, quia nõ intuentur naturas rerum, nec scripturas possunt adeò clarè intelligere, præsertim prophetias. Adhæc quanuis nonnulla signa Messiæ in Iesu viderentur impleta:tamen multa alia implenda supererant, præsertim ea,quæ de secundo Christi aduentu sunt:neque verõ erat illis euidens, quæ essent de primo, quæ ve de secundo aduentu intelligenda. Denique hæc euidentia (esto)aliqualis esse possit,consurgit tamen ex plena multarũ rerum,& circunstantiarũ consideratione: ingeniũ autem humanum vix potest ita omnia necessaria considerare, quin aliquid prætermittat,præsertim si aliquo prauo, & repugnante affectu ducatur.

In hac re prima sentẽtia est,Iudæos cognouisse Iesum esse Messiam,& verũ Deũ, & nihilominus ex ira, atque odio, quod contra eum animo conceperant,illum interfeciisse. Ita sentiunt multi Patres exponentes parabolam vineæ Matthæ.21.vbi ait Christus. *Agricolę autem videntes filium dixerunt intra se,hic est hęres, venite occidamus eum*:Per quos agricolas Iudæos significabat,vt ipsi etiam statim intellexerunt,significat ergo eos cognouisse Christũ. Ita Origen. Origen.tract.19.in Matth.vbi inquit Iudæos cognouisse Christum esse filiũ Dei, eumque nihilominus occidisse, sicut Herodes credidit Christum nasciturum in Bethlehem, & nihilominus quæsiuit illũ,vt occideret,etiam si esset Messias promissus: Deique filius, Chrysost. quoque Chryſ. hom.40. imperfecti apertè dicit. *Ex omnibus operibus eius cognouerunt eum filium Dei esse, & hoc significant dicentes, hic est hæres.* Beda Rursus Beda lib.3.in Matth. *Manifestissime*(inquit) *probat Dominus non per ignorantiam,sed per inuidiam Principes Iudæorum crucifixisse filium Dei. Intellexerunt hunc esse de quo dictum est. Postula a me,& dabo tibi gentes hęreditatem tuam*, quæ verba vsurpauit Ansel. Ansel:eodem loco.Et confirmari hæc sententia potest ex verbis Christi Ioan.15. *Sinõ venissem, & loquutus eis non fuissem, peccatum non haberent,nunc autem excusationem non habent de peccato suo,quia & viderunt, & nouerunt me, & patrem meum.* Et ideò cap.12.vocat eos Christus *obcæcatos,& obduratos*,nõ ergo ex ignorantia sed ex malitia Christum cognitum occiderunt. Ioan.12.& 15.

Secunda sententia esse potest, Iudæos cognouisse Iesum esse Messiam: non tamen esse verum Deum. Ita sentit Euthy. in Matth.suo cap.50. Dicit enim Christum agnitum esse à Iudæis Regem Israel à Prophetis prædictum, non tamen filiũ Dei.Idem insinuat Theophyl. ibidem dicens agnouisse Christum, idem Burgen. Matth.21.Sixtus libr.6. an.98. Lyranus Mat.21.Et hęc opinio quoad partem negantem fundari potest in illis verbis.1. Corint.2. *Quem nemo principum huius sæculi cognouit. Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*, quæ (vt supra vidimus) à multis Patribus exponuntur de principibus Iudæorum. Neque hic habet locum expositio,quòd ignorauerint fructum redemptionis:non autem Christi diuinitatem. Quia Iudęi non habebant tam prauum affectum,& odium in Deum, sicut Dęmones,vt verum Deum agnitum interficere auderent.Et cõfirmari potest. Nam sæpe voluerunt Iudęi Christum interficere eò,quôd se Deo, ęqualem faceret,vt patet Ioan. 8. & 10. De *bono opere non lapidamus te,sed de blasphemia,quia tu,homo cum sis, facis teipsum Deum*.Denique nõ videntur Pharisęi intellexisse Messiam futurum verum Dei filium naturalem,ergo licet cognouerint esse Messiam, non indefit cognouisse etiam filium Dei. Antecedens colligi potest ex Matth.22. vbi Christus Pharisęos interrogauit. *Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est?* Ipsis autem respondentibus esse filium Dauid (quoniam reuera sentiebant futurum purum hominem) obiecit rursus verba eiusdem Prophetæ. *Dixit Dominus domino meo*, &c. vt concluderet esse plusquam hominem, & plusquam filium Dauid. Euthym, Theoph. Burgens. Sixt. Lyr. 1.Cor.2. Ioan.8.& 10. Matth.22. Psal.109

Tertia sententia est,Iudęos neutrũ cognouisse scilicet neque esse Messiam, neque verum Deum. Ita sentit Abulens. Matth.21.quęst.vltim.Caietan. Luc.23. circa illa verba. *Ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt*:vbi ait ignorasse Iudæos, quis esset ille, quem crucifigebant. Expressius Abulen. Caiet. Luc.23.

sius id docet hic.q.47. artic.5. Quorum potissima ratio est, quam superius tetigimus. Quia ipsi sperabant Messiam futurum Regem temporalem. Nihil enim spirituale in diuinis promissionibus, ac prophetiis intelligere valebant, vt in priori tom. disput. 1. sect. 4. fusè declarauimus, vbi plures ex Patribus retulimus hoc docentes, & in Euangelio habemus nonnulla vestigia. Nam ipsi etiam Christi discipuli in principio, nihil altius de regno Christi cogitabant. Vnde dicebant, *Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel.* Actor. 1. & Luc. 24. *Nos sperabamus, quod ipse esset redempturus Israel*, scilicet à Romanorum Imperio. Denique filij Zebedæi (vt Patres notant) nihil aliud, quàm regnum temporale cogitabant, quando præcipuas in illo sedes petebant Matth. 20. Cùm ergo Iudæi de regno Christi tẽporali cogitarent, & in eo nullum signũ, indicium ve eius modi regni cernerent, non videntur potuisse cognoscere eum esse Messiam.

Act. 1. Luc. 24. Matt. 20.

In hac quæstione primum oportet distinguere de iis Iudæis, qui in Christũ crediderunt, vel de iis qui eum interfecerũt, nam de his posterioribus præcipue est quæstio: De prioribus autem breuiter dicendũ est eos cognouisse Iesum esse Messiam, ac verum Deum, sicut cognouit Petrus, quando confessus est. *Tu es Christus filius Dei viui* Matth. 16. & Martha cùm dixit. *Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei, qui in hunc mundum venisti.* Ioan. 11. iuxta interpretationem Augustini tractat. 49. & Hilarij lib. 6. de Trinitate. Ea verò cognitio solùm erat per fidem, vt apertè cõstat ex verbis citatis, & ex illis, quæ Christus dixit Petro: *Caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus.* Et fortasse in aliquibus, saltẽ in principio non fuit illa fides cum certitudine necessaria ad fidem infusam, sed solum fides quædam humana propter apparentia motiua. Rursus intelligendum est, eosmet, qui in Christum credebant, ac ilius credidisse illum esse Messiam, quàm verum Deum. Quia hoc posterius continebat mysteriũ altius, & obscurius, quod (vt verisimile est) pauci distinctè intellexerunt vsque ad Christi resurrectionem, & Apostolorum prædicationem: sed inuolutè credebant, Christum esse filium Dei cum insigni quadam sanctitate, & excellentia. Quia vulgus non erat tunc capax maioris cognitionis, vt patet ex toto discursu Euangelij, & ex ignorantia, quę in aliquibus Apostolis erat nocte cœnæ, vt meritò Christus eis dixerit. *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me?* Ioan. 14. Vnde Petro dictum est ex singulari Patris dono tantam, tamque distinctam de Christo cognitionem ei fuisse datam, & de Martha Chrysost. & alij probabilius existimant non cognouisse distinctè Christum esse filium Dei naturalem. Ex his consequenter colligitur hos, qui in Christũ crediderunt, nõ omnes habuisse euidentiam veritatis doctrinæ eius, neque quòd ipse esset Messias, aut Deus. Fuit quidem ipsis euidens, ipsum esse dignũ fide, & prudẽter fieri credẽdo illi (vt satis ex superioribus constat) non tamen fuit euidẽs, vera esse, quæ diceret, tũ quia ferè omnes erant simplices, acilliterati homines, qui non sciebant scripturas. Tum etiam quia non omnes videbant cuncta miracula, & multò minus eorum veritatẽ euidenter cernebant. Præterea quia non omnes sciebant euidẽter miracula illa fieri in confirmationem doctrinæ, aut non posse permittere Deum, vt falsitatis prædicator talia signa faceret.

Ioan. 14. Chrys.

Credẽtes in Christũ quale de ipso, eiusq; doctrina notitiam habuerunt.

Non est autem incredibile, imò valde probabile, ac fortasse verum, nonnullos, qui miracula Christi viderunt, & in eum crediderunt, aliquando peruenisse ad euidentem cognitionem veritatis doctrinæ Christi, ac diuinitatis eius. Quod maximè credi potest de Apostolis, saltem post Christi resurrectionem (vt omittam beatã Virginem, quę multo antea hanc euidẽtiam habuit.) Ita docuit hoc loco Medina super. q. 42. Et suadetur breuiter. Quia (vt ostendimus) Christi opera coniuncta cum eius doctrina, & Prophetarum prædictionibus ad exitum iam perductis, sufficientia erant ad præstandam hanc cognitionem euidentẽ in testificante: sed Apostoli hæc omnia considerabant, & intelligebant. Nam in primis veritas miraculorum satis euidenter illis erat nota. Quid enim euidẽtius quàm Lazarũ fuisse mortuum, & postea vixisse? certè non erat minus euidẽs, quàm quemlibet alium hominem viuere, & idẽ iudicium est de illuminatione cæci nati, & similibus operibus, quæ ex diuturnitate, atq; permanẽtia effectuum, & ex eorum frequẽtia satis se se ostẽdebant esse vera. Præsertim cùm is, qui

Med.

qui ea faciebat, & homines ad bonos mo
res instituerent, & ad illos sese perfectè for
maret, nullamque temporalem vtilitatem
ab hominibus quæreret: sed solum Dei
honorem, & gloriam, & bonorum morũ
instaurationem. Accedit, quòd dum ipsi-
met Apostoli faciebant miracula, euiden
ter sciebant se non iniisse fœdus cum Dæ
mone, sed potius hostile bellum: sciebant
etiam talia opera esse, quæ non poterant
fieri vi Dæmonis: & tamen fieri videbãt
virtute Christi, & in confirmationẽ doc-
trinæ eius. Præterea euidẽter conspexe-
rant Christum à mortuis suscitatum (quã
tum humanis sensibus aliquid potest eui-
denter iudicari) ergo omnibus conside-
ratis euidẽs illis erat testimoniũ de Chris
ti diuinitate, ac eius doctrinę veritate. Ne
que contra hanc euidentem cognitionem
aliquid afferri potest, quod difficultatem
ingerat. Quia hæc euidentia nõ excludit B
fidem ab homine: quanquam enim assen-
sus hic euidẽs ex signis, nõ sit assensus fi-
dei infuse nec tam perfectus, aut certus, si
cut ille, nec in substantia sua supernatura
lis, sicut ille, quia nititur solo humano dis
cursu, & principijs, quatenus per sensus,
vel naturale lumen euidenter cognoscun
tur, nihilominus tamẽ huiusmodi cogni-
tio non excludit à subjecto fidem infusã,
qua homo voluntariè certiori assensu cre
dit non humanis sensibus, sed diuinæ ve-
ritati tanq; rationi assentiẽdi innixus. De
qua re latius in 2.2. disseritur.

D. Thom. Plebs Iudeorũ nõ agnouit Christũ esse Messiã: ac Deũ

Secundo, de aliis Iudæis, qui non sunt
Christum sequuti, D. Thom. distinguit
communem plebem à Iudæorum princi-
pibus, & Pharisæis, & de communi plebe
docet non agnouisse Iesum esse Messiã,
neque Deum: quæ sententia quoad hanc C
partem (si sano modo explicetur) mi-
hi certa videtur. Quia isti (vt supponi-
mus) non crediderunt in Christum fide
voluntaria (agimus enim de illis, qui per
voluntatem nõ ei adhæserunt) nec etiam
fide coacta, quæ euidẽtiam aliquam sup-
ponit. Quia ij non erant tam capaces, vt
possent ad euidentem cognitionem per-
uenire. Nesciebant enim scripturas, nec
virtutem miraculorum, nec sensum ver-
borum Christi, neque alia multa, quorũ
perfecta cognitio ad huiusmodi euiden-
tiam est necessaria. Non potest tamen ne
gari fuisse in illo populo rumorem spar-
sum, & vehementem suspicionem exor-

A tam, quòd Iesus esset Messias. Vnde Ioa.
7. Dicebant quidã, *Ecce palam loquitur & ni-
hil ei dicunt, nunquid vere cognouerunt princi-* Ioan.7.
pes, quia hic est Christus? statim verò subiũ-
gunt, *sed hunc scimus, vnde sit, Christus autem
cum venerit, nemo scit, vnde sit.* Ex quo etiã
dubitari non potest, quin præter eos, qui
vera, ac infusa fide in Christum credebãt,
multi ex plebe interdum hoc crederẽt fi-
de humana, sicut accidit in omnibus re-
bus, quæ in ore vulgi circumferuntur, &
per coniecturas eliciuntur. Et tales for-
tasse fuerunt multi ex illis, qui Matth. 21. Mat.21.
clamabant, *Osanna filio Dauid*, & illi de qui Ioan.7.
bus apud Ioan. cap. 7. subditur. *De turba
autem multi crediderunt in eum, & dicebant,
Christus cum venerit nunquid plura signa faciet,
quam quę hic facit?* & infra. *Alij dicebant, hic
est vere Propheta, alii, hic est Christus, alij, nun
quid e Galilæa venit Christus? & facta est dis-
sensio.* Itaque nullus ex his habebat euidẽ
tem cognitionem, sed fidem aliquam hu-
manam cum formidine, vel tantum du-
bitationem, & suspicionem. Alij verò habebant repugnantem sententiam
ortam, au ex praua voluntate, aut ex
euibus coniecturis, & nonnullis sig-
nis, quæ videbantur non esse in Christo
impleta, vel ex inconsideratione, vel denĩ
que ex timore Principum, qui eos infecta
bantur, qui in Christum credebant. Nam Ioan.9.
(vt dicitur Ioan. 9.) *Iam conspirauerant, vt
si quis confiteretur eum esse Christum, extra Sy
nagogam fieret.* Quæ tamen omnia ad eorũ
ignorantiam excusandam satis nõ erant.
Quia motiua ad credẽdum erant de se suf
ficientissima, & vrgentissima, & si quid
habebant dubitationis facta mediocri di-
ligentia poterant facile ab ipso Christo,
eiusque discipulis edoceri: timor autẽ hu
manus non poterat eos excusare, vt per se
constat. Potuit autem illa ignorantia cul
pæ grauitatem minuere, & ex parte excu-
sare, & impedimẽta auferre, vt postea faci
lius eos posset tanti peccati pœnitere. Vn Iustin.
de Iustinus q. 108. ex iis, qui Christũ non
agnouerunt, existimat fuisse eos, qui post
Christi mortem facile conuersi sunt. Et Beda
eodem fortasse sensu dixit Beda libr. 6. in
Lucam cap. 94. Christum orando in Cru-
ce obtinuisse remissionẽ peccati eis, qui
ex ignorantia peccauerant, non aliis.

Tertio, de principibus Iudæorum, &
Pharisæis, qui Christum persequuti sunt

ve-

verius videtur, eos non cognouisse, Christum esse filium Dei naturalem. Quod etiã D. Thom. docet & in eo cõueniunt autores primæ, & secundæ sententiæ, & ad id suadendum videntur efficacia ea, quæ in confirmationem secundæ sententiæ adducta sunt. Quia (quidquid sit, an cognouerint, illum esse Messiam) tamen (vt ego existimo) pauci, vel nulli ex principibus Iudæorum, qui eo tempore viuebant, intelligebant Messiam futurum verũ Deũ, neque mysterium incarnationis suspicabantur, & ideò in eo maximè scandalum patiebantur, quòd Christus, cùm esset homo, se prædicaret Deum: quod tamẽ nullum scandalũ eis esset, si sperarent aliquẽ qui simul esset verus homo, verusque Deus.

Iudeorum principes & Pharisei diuinitatem Christi ignorant.

Dices ergo, non erat in tota Synagoga Iudæorum, qui veram de Messia existimationem haberet. Respõdetur veram existimationem habebant, qui sperabant illũ verum hominem, Prophetam, sanctum, ac Deo coniunctissimũ, in qua vera cognitione implicitè credebant reliqua, quæ ad Christum pertinent, quod illis tunc ad salutem sufficiebat, pauci verò erant, qui distinctè altiora mysteria de Messia cognoscerent, & si qui erant, fuerant à Deo singulariter illuminati, vt Simeon, Anna, Zacharias, Elizabeth, & alij, qui sine dubio Christo non repugnarunt, sed facile obtemperarunt. Fortasse etiam aliquis erat tam versatus in scripturis, tamque sincerè, ac propriè eas intelligens, vt aliquid de diuinitate Messiæ vel suspicaretur, vel opinaretur: sed in hoc nihil certi affirmari potest. Quia illi Iudæi nullum signum aut vestigium dederunt talis cognitionis, neque tẽpore, quo Christus prædicauit, neque postea, semper enim conati sunt scripturas euertere, & ad falsos sensus detorquere.

Obiectio. Responsio

Quarto (quod attinet, an cognouerint Iesum esse Messiam) existimo illos fuisse ancipites, vel inconstantes, multũenim & signis, & prophetiis vrgebantur, & cõuincebantur. Vnde quando actuali passione odij, iræ, aut inuidiæ non erant commoti, & obcæcati, videbantq; signa Christi, & considerabant verba prophetarum, existimo sæpe definito assensu, quanuis humano, & ex coniecturis, iudicasse eum esse Messiam. Quia argumenta erant fortissima, quare ablato impedimento praui affectus, vehementisque passionis nõ poterant non interdum habere suum effectum. At verò (vt notauit Euthy. Luc. 23. & significat D. Thom. super. 21. cap. Matth. & loco supra citato) suborta passione, vel timore humano, quidam facile ab hac persuasione cadebant, quia firmam fidem non habebant. Nam (vt dicitur Ioan. 12.) *Cum tanta signa fecisset coram eis, non credebãt in eum, vt sermo Isaiæ Prophetæ impleretur, excæcauit oculos eorum, &c.* Alij verò, quanuis in eadem opinione persisterẽt, non audebant eam profiteri propter hominum timorem: Sic Ioannes eodem loco subiungit. *Verumtamen ex principibus multi crediderunt in eum sed propter Pharisæos non confitebantur, vt e Synagoga non eicerentur. Dilexerunt enim magis gloriam hominum, quam Dei.* Quo circa tẽpore passionis Pharisæos, & Principes, qui Christum crucifixerunt, verisimilius est tunc nõ credidisse illum fuisse verum Messiam, quod satis significauit eis Christus, quando in concilio interrogatus, an esset Christus, respondit, *Si dixero vobis non credetis mihi?* Lucæ. 22. & Ioa. 10. cum Iudæi dicerent. *Quousque animam nostram tollis?* ipse respondit. *Loquor vobis, & non creditis mihi.* & cap. 12. habentur verba supra citata. Ad hæc Petrus Actor 3. *Scio quod per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri.* Nam licet Caietan. hic dicat posse illam similitudinem intelligi in facto, seu in cooperatione eiusdem peccati, non tamen in modo, seu origine culpæ: tamen verba ipsa planè intellecta satis indicãt vtrosque ex ignorantia peccasse. Deinde Paulus in lege edoctus ad pedes Gamalielis dicit se misericordiam consequutum esse, quòd ex ignorantia fecerit. Vnde etiam colligi potest præceptorem eius in lege edoctum eadem ignorãtia laborasse, idem ergo credibile est de cæteris saltem frequẽtius. Præterea hoc ipsum indicauit Christus affixus Cruci Matt. 23. illis verbis. *Ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Denique cum Iudæi magna Dei beneficia per Messiam sperarent, & hanc fidem, & expectationem Messiæ non mutassent, si sibi persuasissent hũc esse Messiam, & in hac persuasione durassent, nõ potuissent illi mortem, ac perniciem tanto studio machinari, vt hic etiam optimè locũ habeat, quod Paulus dixit. 1. ad Corin. 2. *Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Euth. *D. Thom.* *Ioan. 12.* *Pharisæi Christũ nõ cognouerũt esse Messiã* *Luc. 22.* *Ioã. 10. & 12.* *Act. 3* *Caiet.* *Act. 22.* *1. Tim. 1.* *Mat. 23.* *1. Cor. 2.*

Neque

Neque contra hanc sententiam sic explicatā video aliquid obiici posse, quod difficultatem habeat, nisi fortasse illud Matth. 21. *Hic est hæres*. Ex quo (cùm in parabola dictum sit) non potest colligi firmum argumentum, tum quia non est necesse applicare singula verba parabolarum, tum etiam, quia nō omnia in proprietate, & rigore dicuntur. Vnde exponi potest eos dixisse, *Hic est hæres*, id est, hic se facit hæredem, & Dei filium, sicut Sap. 2. de Iudæis prædictum erat dicturos. *Filium Dei se nominat, morte turpissima condēnemus eum*. Deinde potest exponi. *Hic est hæres*, id est, qui primum locum in populo tenet quemq; omnes sequuntur, & colunt. Præterea Caietan. inquit illo verbo Christum sub parabola prædixisse, quod postea in concilio Iudæi propriis verbis dixerunt. *Omnes credent in eum* Dicere ergo. *Hic est hæres* non fuit dicere, hic est Messias, sed hic est, in quem omnes credent, & ita fiet Dominus, ac hæres populi Israel. Ianssenius verò dicit illo verbo significatum esse, vel quòd multi ex populo credebant, vel quòd ipsi Principes facile cognoscere poterant, & debebant: quæ responsio colligitur ex Iustino quæst. 140. Denique id dici potuit, quia interdum argumētis convincebantur ad id credendū, quāuis postea propter humanū timorem, aut auaritiam, alios ve affectus in sua cæcitate permanserint.

Obiectio. Responsio. *Matth. 21.* *Sapien. 2.* *Caietan.* *Ianss.* *Iustin.*

Vltimo verò addendum in hac quæstione est, Iudæos, vel omnes, vel ferè omnes euidenter cognouisse Christum fuisse virum iustum, & innocentem, & pœna mortis indignum. Hoc constat ex publica innocentia vitæ Christi, quæ tanta erat, vt eo interrogante. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* nullus sit ausus ei quicquam obiicere, etiam si maximo illum odio prosequerentur. Deinde ex operibus miraculosis, & doctrina eius id euidenter intellegere potuerunt. Denique etiam Iudas coram Iudæis professus est, se tradidisse sanguinem iustū, cui ipsi non contradixerunt.

QVAESTIO. XLV.

De Trāsfiguratione Christi, in quatuor art. diuisa

A De qua Doctores Matth. 17. Marc 9. Luc. 9. & Doctores in 3. dist. 16.

DEinde considerandum est de Transfiguratione Christi. ¶ *Et circa hoc quæritur quatuor.* ¶ *Primò, vtrum conueniens fuerit Christū transfigurari.* ¶ *Secundò, vtrùm claritas transfigurationis fuerit claritas gloriosa.* ¶ *Tertiò, de testibus transfigurationis.* ¶ *Quartò, de testimonio Paternæ vocis.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum fuerit conueniens Christum transfigurari.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd non fuerit conueniens Christum transfigurari. 142

Non enim competit vero corpori vt in diuersas figuras mutetur, sed corpori phantastico. Corpus autem Christi non fuit phantasticum, sed verum: vt suprà habitū est. Ergo videtur quod trāsfigurari non debuerit. ¶ *2. Præterea, Figura est in quarta specie qualitatis, claritas autem est in tertia, cùm sit sensibilis qualitas.* q. 5. art. 1. *Assumptio ergo claritatis à Christo, transfiguratio dici non debet.*

¶ *3. Præterea, Corporis glorioſi sunt quatuor dotes (vt infrà dicetur) scilicet impassibilitas, agilitas, subtilitas & claritas. Non ergo debuit transfigurari magis secundum assumptionem claritatis, quam secundum assumptionem aliarum dotium.* Nō cōpletur more præuentus.

¶ *Sed contra est, quod dicitur Matt. 17. quod Iesus transfiguratus est ante tres discipulorum suorum.*

Respondeo dicendum, quòd Dominus discipulos suos prænuntiata sua passione, induxerat eos ad suæ passionis sequelam. Oportet autem ad hoc quòd aliquis directè procedat in via, quòd finem aliqualiter

qualiter præcognoſcat: ſicut ſagittator non rectè iaciet ſagittam, niſi prius ſignum proſpexerit in quod iaciendum eſt. Vnde & Thomas dixit Ioan. 14. Domine, neſcimus quo vadis, & quo modo poſſumus viam ſcire? Et hoc præcipuè neceſſarium eſt, quando via eſt difficilis & aſpera, & iter laborioſum, finis vero iucundus. Chriſtus autem per ſuam paſſionem ad hoc peruenit, vt gloriam obtineret non ſolùm animæ, quã habuit à principio ſuæ conceptionis, ſed etiam corporis, ſecundum illud Luc. Vltim. Hæc oportuit Chriſtum pati, & ità intra re in gloriã ſuam. Ad quam etiam perducit eos, qui veſtigia ſuæ paſsionis ſequuntur, ſecundum illud Actor. 14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. Et ideo conueniens fuit, vt diſcipulis ſuis gloriam ſuæ claritatis oſtenderet, quod eſt ipſum trãsfigurari, cui ſuos configurabit, ſecundum illud Philippen. 3. Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. Vnde Beda dicit ſuper Matth. Pia prouiſione factum eſt, vt contemplatione ſemper manentis gaudij ad breue tempus delibata, fortius aduerſa tolerarent.

Mat. 9. parum a pri. to 2.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd ſicut Hieronym dicit ſuper Matth. nemo putet Chriſtum per hoc quod transfiguratus dicitur, priſtinam formam, & faciem perdidiſſe, vel amiſiſſe corporis veritatẽ, & aſſumpſiſſe corpus ſpirituale vel aereum. Sed quomodo transformatus ſit, Euangeliſta demonſtrat dicens, Reſplenduit facies eius ſicut ſol: veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. Vbi ſplendor faciei oſtenditur, & candor deſcribitur veſtium, non ſubſtantia tollitur ſed gloria commutatur. ¶ Ad ſecundum dicendum, quòd figura circa extremitatem corporis conſideratur: eſt enim figura, quæ termino vel terminis comprehẽditur. Et ideo omnia illa quæ circa extremitatem corporis conſiderantur, ad figuram quodammodo pertinere videntur. Sicut autem color, ita & claritas corporis non tranſparentis, in eius ſuperficie attenditur. Et ideò aſſumptio claritatis transfiguratio dicitur. ¶ Ad tertium dicendum, quòd inter prædictas quatuor dotes, ſola claritas eſt qualitas ipſius perſonæ in ſeipſa: aliæ vero tres dotes non percipiuntur niſi in aliquo actu, vel motu, ſeu paſsione. Oſtendit igitur Chriſtus in ſeipſo aliqua illarum trium dotium indicia, puta agilitatis, cùm ſupra vndas maris ambulauit: ſubtilitatis quando de clauſo vtero Virginis exiuit: impaſsibilitatis, quando de manibus Iudæorum vel præcipitare, vel lapidare eum volentium, illæſus euaſit. Nec tamẽ propter illa transfiguratus dicitur, ſed propter ſolam claritatem, quæ pertinet ad aſpectum perſonæ ipſius.

Super illud Matth 17. transfiguratus eſt ante eos. 9.

A

B

C

COMMENTARIVS.

PRimum omnium in argumento primo & ſecundo, cum ſolut. explicat D. Tho. quid nomẽ **Transfigurationis** ſignificet, dicens non ſignificare mutationem formæ, aut figuræ corporis Chriſti domini. Quia talis mutatio fieri non poterat ſine magna alteratione, & immutatione intrinſeca corporis Chriſti, quam tunc fieri non decebat, ſolũ ergo ſignificat immutationẽ in vultus ſplendore, & candore veſtium. Quod (vt D. Thom. refert) optimè colligit Hierony. ex ipſis verbis Euangeliſtæ. *Transfiguratus eſt ante eos, & reſplenduit facies eius, ſicut ſol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba, ſicut nix.* Quod ergo dixerat, *Transfiguratus*, ſequẽtibus verbis expoſuit. Eadem autẽ erit vocis ſignificatio, etiamſi iuxta proprietatem Græci idiomatis *transformationem* vocemus. Quia forma, & figura ad idẽ ſignificandũ accipi ſolent, vt patet ex Ariſt. cap. de qualitate, & ideô mutatio facta in hominis vultu, quoad omnia, quę in eius ſuperficie apparent, ſiue ſit color, ſiue ſplendor, *transformatio*, vel *transfiguratio* dici poteſt. Vnde rectè Euthy. ſuo c. 34. in Matt. *Trãsformatus* (inquit) *eſt, corpore quidem in propria figura manente, diuino vero ſplendore modicum quiddam in eo detegente.*

Hieron. Mat. 17. Ariſt. in prædicã. c. de qualit. Euthym.

te, ac faciem illustrante, speciemque illius ad ma A
ierem Dei similitudinem immutante. Et eodem
modo exponendum est verbum. Lucæ. 9.
Luc.9. dicentis. *Et facta est species vultus eius altera,*
scilicet quo ad splēdorē, non verò quoad
figuram, vel alias qualitates.

Secundo in corp.art. reddit D. Thom.
rationem, ob quā Christus transfigurari
Transfigurari cur Christus voluit. voluit, scilicet vt hominibus ostenderet
finem, & terminū, quo per Crucē, & pas-
sionem peruenturus esset, discipulosque
suos, atque in illis omnes homines ad ves
tigia Crucis suæ, spe perueniendi ad eun-
dem terminum. seu eiusdem glorię parti-
cipationem: excitaret, iuxta illud ad Rom.
Rom.8. 8. *Si filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, co-*
hęredes autem Christi, si autem compatimur, vt
& conglorificemur. Quam rationem ex Be
Beda D.Thom. Leo papa. Dascen. da refert D.Tho. eandem vero latē explī-
cat Leo Papa in serm. de transfig. & eam
tetigit Damascen. ōrat. de transfiguratio-
ne dicēs: *Nam qui laborum fructus perspectos*
habet, idem quoque intrepido animo in certamen
descendit. Etenim lucri cupiditas homines eo ad- B
ducere solet, vt corpori suo minime parcant.
Quod humanis exemplis fusè declarat, &
tacitam obiectionem dissoluit.

Obiectio. Posset enim aliquis dicere, satis fuisse
per fidem ostendi Apostolis Christi glo-
riam, & laborum terminum, vt possent
viam Crucis amplecti, non ergo necesse
fuit, etiā quoad externam speciem osten-
di. Nam & ipsemet Petrus huius mysterij
2.Petr.1. testis de eodem sermonem habens epist.
2. cap. 1. *Habemus* (inquit) *firmiorem prophe*
ticum sermonem, cui bene facitis attendentes tan
quam lucerne lucenti in caliginoso loco. Cui res
Responsio pondendum est, potuisse quidem fidem
sufficere, & ideò hanc ostensionem glo-
riæ Christi nō fuisse simpliciter necessā-
riam: fuisse tamen valde vtilem, ac conue
Damas. nientem. Quia (vt Damascen. prædicto C
loco subiungit.) *Spirituales Domini propug*
natores non terrenorum quæstuum cupidi, nec flu
xorum bonorum desiderio flagrantes, cum ea,
quę in spe posita sunt, ipsis etiam oculis contuen
tur, eosque, qui prius labores pertulerunt, bo-
norum in spe positorum deliciis fruentes conspiciunt, maioribus animis ad certamina se com-
parant. Secundam rationem significat eo-
dem loco Damascen. Christum transfi-
guratum fuisse, suamque gloriam disci-
pulis ostendisse, vt discrimen inter ve-
tus, acnouum testamentum significaret.

Olim enim Israeliticus populus in fa-
ciem Moysi intendere non poterat prop
ter splendorem vultus, nunc autem Apos 2.Cor.3.
toli *reuelata facie gloriam Domini speculan-*
tur. Quod etiam significatum esse dicit
in nube lucida, quæ in transfiguratione
apparuit. Moyses enim calliginem subi-
bat, vmbram, & opacitatem legis subin-
dicans: Christum autem, & Apostolos
nubes lucida obumbrat, quia iam *myste-* Coloss.1.
rium a sæculis absconditum detectum est, ac
perpetua, & sempiterna gloria ostendi-
tur. Tertiam rationem addere possumus,
ex Leone Papa, sermone de transfigurat. Leo papa.
Transfiguratum esse Dominum. *Vt de cor*
dibus discipulorum Crucis scandalum tolleretur,
nec conturbaret eorum fidem voluntaria humi-
litas passionis, quibus reuelata esset absconditę
excellentia dignitatis. Itaque hoc mysterio
actum est, vt Apostoli in fide de Christi
diuinitate confirmarentur, & eum esse ag
noscerent, quem prophetæ prædixerant,
& lex præfigurauerat. Petrus enim Mat-
thæ. 16. Christi diuinitatem prius confes
sus est: postea vero cūm Christus suam Mat.16.
passionem, & mortem prædicaret, existi-
mans rem illam Christo indignam, *Absit*
inquit, *a te Domine, non erit tibi hoc*, quem
Christus acriter reprehendit. Vt verō
eius, & aliorum discipulorum infirmita-
ti subueniret, statim capit. 17. eis suam
gloriam ostendit, vt neque propter infir Mat.17.
mitatem passionis de ipsius diuinitate du
bitarent, neque propter magnitudinem
diuinitatis Crucis opprobrium exhorres
cerent, cum illud talis haberet exitū glo-
riæ. Vnde quartam rationem colligere *Corpus*
possumus, voluisse Christum hoc myste- *Christi glo*
rio hominibus ostendere, quid corpori *ria priuatū*
suo esset debitum, quantaque illud priua *i hac verba*
ret gloria propter eorum commodum ac *propter ho*
reparationem. Et propter eandem fortas- *minum salu*
se causam, quando transfiguratus est, lo- *tem.*
quebatur *de excessu, quem completurus erat*
in Ierusalem, id est. de passione sua, quam
vt pro hominibus posset assumere, glo-
riam corpori suo debitam intra sinus ani
mæ miraculosè represserat. Cuius rei sig-
num, ac testimonium in die illa hominī-
nibus ostendit. Nam (vt Damascenus su Damas.
pra dixit.) *Non externa gloria illi corpori ac*
cessit, sed interna ex Verbi deitate, modo quo-
dam omnium sermonem excedente ipsi personā-
liter vnita.

Tertio

Tertio in fol.ad.3.incipit D.Thom. amplius explicare,quid sit hæc transfiguratio,nempè quòd sit assumptio, seu communicatio illius claritatis, quæ est vna ex quatuor dotibus gloriæ corporis. Quam rationem art.sequenti magis explicat: hic verò rationem reddit,cur potius assumptio huius dotis dicatur *transfiguratio*,quam assumptio agilitatis, quando super mare ambulauit,vel subtilitatis quando de clauso Virginis vtero prodijt.Habet autē difficultatem ratio D.Tho. quia indicat ex quatuor dotibus corporis glorioſi ſolam claritatem esse qualitatem inhærentem illi,quod certè non omnes admittunt.Multi enim existimant alias dotes esse qualitates,præsertim agilitatem,& impassibilitatem.Dici verò potest,primum D.Tho. non negare esse qualitates,sed esse qualitates sensibiles,quæ perse immutent sensum,sic enim ait, *Aliæ vero tres dotes nō percipiuntur,nisi in aliquo actu,vel passione*, non ergo dicit non esse,sed nō percipi.Et hoc sensu rectè accommodatur ratio. Nam ratio,& perfectio claritatis tota consistit in informatione,seu actu formali,quem confert corpori,quod propterea facit apparere alterius formæ, & idcirco immutatio secundum hanc dotem recte vocatur *transfiguratio*,seu *transformatio*:at verò aliæ dotes vel non sunt qualitates, vel non sunt huiusmodi:sed ordinantur ad aliquem actum secundum efficiendum,vel impedien dum,vnde fit,vt non immutent corporis formam,prout sensibus obijcitur, atque ita secundum illas non dicitur fieri *transfiguratio*,seu *transformatio*. Addo prēterea (quidquid sit,an propriæ dotes corporis glorioſi omnes sint qualitates,necne) certum tamen esse ad effectus aliarum dotiū quos Christus in mortali corpore assumpsit non fuisse necessarias inhærentes quàlitates,quia quòd ambulauerit super vndas maris, id fecit per virtutem miraculorum effectricem,quę nō est aliqua qualitas corpori Christi superaddita (vt late disseruimus priori tomo disp.31.sect.3.& 5.) quòd verò per aliud corpus penetrauerit,non potest per qualitateminhærentem fieri, quia neque in corpore glorioſo ille potest esse effectus qualitatis corporeæ vt infra latius dicemus. Denicq; quòd de manibus Iudæorum interdam illæsus euaserit(quod D.Th.reuocat ad dotem impassibilitatis) sine dubio non est factum per qualitatem, qua illud corpus in se fieret impassibile,sed solum,quia Iudæis occultatus est(vt supra circa.q.44.in commentario art.3.explicuimus) At verò claritas transfigurationis non potest intelligi absque inhærente qualitate,vt magis ex sequentibus patebit,& ideò optima est differentia à D.Tho.assignata.

Transfiguratio quid sit.

Obiectio.

Responsio D.Thom.

Cur sola immutatio secundū dotem claritatis,dicatur in Christo trāsfiguratio.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum claritas Christi in transfiguratione fuerit claritas glorioſa.

AD secūdum sic proceditur.Videtur quòd illa claritas non fuerit claritas glorioſa.Dicit enim quædam gloſſ.Bedæ super illud Matth.17.Transfiguratus est coram eis.In corpore,inquit,mortali ostendit non immortalitatem,sed claritatem similem futuræ immortalitati.Sed claritas gloriæ est claritas immortalitatis.Non ergo illa claritas, quam Christus discipulis ostendit,fuit claritas gloriæ.¶ 2.Præterea,Super illud Lucæ.9. Non gustabunt mortem donec videant regnum Dei,dicit gloſ.Bedæ,id est glorificationē corporis in imaginaria repræsentatione futuræ beatitudinis.Sed imago alicuius rei,non est ipsa res.Ergo claritas illa non fuit claritas beatitudinis.¶ 3.Præterea,Claritas gloriæ non est nisi in corpore humano. Sed claritas illa transfigurationis apparuit non solùm in corpore Christi:sed etiam in vestimentis eius & in nube lucida, quæ discipulos obumbrauit.Ergo videtur quod illa claritas non fuerit claritas gloriæ.¶ Sed cōtra est,quod super illud Matt.17.Transfiguratus est ante eos,dicit Hieron.Qualis futurus est tempore iudicij,talis Apostolis apparuit.Et super illud Matt.17. Donec videāt Filium hominis venientem in regno suo,dicit Chryſost.Volens mōstrare quid est illa gloria, in qua postea venturus est,eis in præsenti vita reuelauit,sicut possibile erat eos discere,vt neque in Domini morte iam doleant. 3.di.16.q. 2.art.2.

Superillud Matt.17. transfiguratus estante eosto.6.

Ho 57.in Mat circa princ.to.2

Respõdeo dicẽdũ quod claritas illa, quã Christus in transfiguratione assumpsit, fuit claritas gloriæ quantum ad essentiã, non tamen quantum ad modum essendi. Claritas enim corporis glorioſi deriuatur ab animæ claritate, ſicut Augu. dicit in Epiſtola ad Dioſcorum. Et ſimiliter claritas corporis Chriſti in transfiguratione deriuata eſt à diuinitate ipſius (vt Damaſce. dicit) & à gloria animæ eius. Quod enim à principio conceptionis Chriſti, gloria animæ non redundaret ad corpus, ex quadam diſpenſatione diuina factum eſt, vt in corpore paſsibili, noſtræ redemptionis expleret myſteria, ſicut ſuprà dictum eſt. Non tamen per hoc adempta eſt Chriſto poteſtas deriuandi gloriam animæ ad corpus. Et hoc quidem fecit quantum ad gloriæ claritatem in transfiguratione. Aliter tamen quàm in corpore glorificato: nam ad corpus glorificatum redundat claritas ab anima, ſicut qualitas quædam permanens corpus afficiens, vnde fulgere corporaliter, non eſt miraculoſum in corpore glorioſo. Sed ad corpus Chriſti in trãsfiguratione deriuata eſt claritas à diuinitate, & anima eius, non per modum qualitatis immanentis, & afficientis ipſum corpus, ſed magis per modum paſsionis tranſeuntis: ſicut cum aer illuminatur à ſole. Vnde ille fulgor tunc in corpore Chriſti apparẽs, miraculoſus fuit: ſicut & hoc ipſum quòd ambulauit ſuper vndas maris. Vnde Dion. dicit in Epiſtola. 4. ad Caium, Super hominem operabatur Chriſtus ea quæ ſunt hominis: & hoc monſtrat Virgo ſupernaturaliter concipiens, & aqua inſtabilis, materialium & terrenorum pedum ſuſtinens grauitatem. Vnde non eſt dicendum (ſicut Hugo de ſanct. Vict. dicit) quod Chriſtus aſſumpſit quatuor dotes, claritatis, in transfiguratione, agilitatis, ambulando ſuper mare, ſubtilitatis, egrediendo de clauſo vtero Virginis,

epi. 56. ante med. to. 2.

q. 14. arti. 1. ad. 1.

Incipit hæc epi. Quæris tuquidẽ circa med. illius.

A & impaſsibilitatis in cœna, quando dedit corpus ſuum ad edendum, ſine hoc quod diuideretur: quia dos nominat quãdam qualitatem immanentem corpori glorioſo. Sed miraculoſe habuit ea, quæ pertinent ad dotes. Et eſt ſimile quantum ad animam de viſione, qua Paulus vidit Deum in raptu, vt in ſecunda parte dictum eſt.

Ad primum ergo dicendum, quod ex illo verbo non oſtenditur, quòd claritas Chriſti non fuerit claritas gloriæ, ſed quod non fuerit claritas corporis glorioſi: quia corpus Chriſti nondum erat immortale. Sicut enim diſpenſatiuè factum B eſt, vt in Chriſto gloria animæ non redũdaret ad corpus, ita fieri potuit diſpenſatiuè, vt redundaret quantum ad dotem claritatis, & non quantum ad dotem impaſsibilitatis. ¶ Ad ſecundum dicendum, quod illa claritas dicitur imaginaria fuiſſe, non quin eſſet vera claritas gloriæ: ſed quia erat quædam imago repræſentans illam gloriæ perfectionem, ſecundum quam corpus erit glorioſum. ¶ Ad tertium dicendum, quòd ſicut claritas quæ erat in corpore Chriſti, repræſentabat futuram claritatem corporis eius, ita claritas veſtimentorum eius de- C ſignabat futuram claritatem ſanctorum quæ ſuperabitur à claritate Chriſti, ſicut candor niuis ſuperatur à ſplendore ſolis. Vnde Gregor. dicit. 32. Moralium, quòd veſtimenta Chriſti facta ſunt ſplẽdentia, quia in ſupernæ claritatis culmine ſancti omnes, ei luce iuſtitiæ fulgẽtes adhærebũt. Veſtium enim nomine iuſtos, quos ſibi adiunget, ſignificat: ſecundum illud Iſai. quadrageſimo nono. His omnibus velut ornamento veſtieris. Nubes autem lucida ſignificat Spiritus ſancti gloriam vel virtutem paternam (vt Orige. dicit) per quam ſancti in futura gloria protegentur. Quanuis etiam conuenienter ſignificare poſsit claritatem

li. 32. c. 5. in fine.

li. 3. in Ma. inter medium & fin. to. 3.

mun

mundi innouati, quæ erit sanctorum tabernaculum. Vnde Petro disponente tabernacula facere, nubes lucida discipulos obumbrauit.

COMMENTARIVS.

REsponsio D.Th.est, illam fuisse claritatem gloriæ quantum ad essentiā nō tamen quātum ad modū essendi. Explicat autē diuersitatem huiusmodi cō sistere in hoc, quod illa clariras non est data corpori Christi per modum qualitatis permanentis: sed passionis transeuntis: nō explicat autem vtrum illa differentia fuerit essentialis, an accidentalis. Dicēs enim fuisse claritatem gloriæ quoad essentiam, indicat fuisse eiusdē speciei, atq; adeò solum accidentaliter distingui, nisi interpretemur, dici *claritatem gloriæ quoad essentiam,* non secundū speciem vltimam: sed secun B dum gradum, seu ordinem rerum, quæ expositio videtur violenta. Aliunde, cùm D. Th. dicat differre, sicut lumen aeris à claritate solis, videtur constituere differentiam specificam. Nam ita censent multi Philosophi differre interse lumen āeris, & lucē solis. Sed prior expositio videtur probabilior, & quoad mentem D. Th. (vt probatū est ex verbis eius) & quoad rem ipsam. Quia maior. vel minor duratio qualitatis, quę prouenit ex sola causa extrinseca conseruante, non est satis ad specificam distinctionem, neq; illam indicat: sicut si Paulo in raptu data est visio Dei clara, & lumē glorię (hoc enim exemplo D. Th. hic vtitur) lumē illud, & visio nō erāt specie diuersa ab ijs, quæ sunt in animabus beatis, quanuis breui tēpore durauerint. Quia hoc fuit ab extrinseco, solum ex voluntate causæ conseruātis, sic ergo in præsenti. Item quia sancti citati dicūt Christum ostendisse tunc gloriam, quam prædicabat, C ergo.

Ex hac verò conclusione infert duo D. Th. Primum est, fuisse miraculosum corpus Christi fulgere illa claritate. Potest autem hoc miraculum explicari aut ex parte corporis, quia in statu corruptibili, & (vt ita dicam) animali, non est capax illius splendoris: & ex parte ipsius claritatis. Nam præter naturam eius est, quod fiat transeunter, & non permanenter, atq; incorruptibiliter. Vbi solum est considerandum corpori humano secūdū propriā & intrinsecam naturam semper esse supernaturalem claritatem glorię, sicut intellectui humano semper est supernaturale lumen gloriæ intellectuale. Ex hoc ergo capite non minus est miraculosa claritas corporis glorioſi; quàm fuit claritas transfigurationis. Rursus corpori humano informato anima beata ratione beatitudinis animę quodammodo naturalis, ac debita est propria gloria, & claritas. Vnde quia corpus Christi anima beata informabatur, ex hoc capite non magis fuit miraculosa hęc claritas transfigurationis, quam claritas corporis glorioſi. At verò, quia nō quidquid est supernaturale, miraculosum dicitur: sed quod præter legem, ordinariumq; modum fit, ideò claritas transfigurationis data corpori mortali tali modo miraculosa dicitur, nō ex parte principij, seu animæ, neque ex parte corporis secundum nudā essentiam eius, sed ex parte status, & ex parte modi. Adde etiam ex eo, quòd illa claritas data est ab alijs dotibus separata.

Claritas transfigurationis fuerit ne dos corporis glorioſi.

Secundo infert D. Tho. illam claritatem non esse dicēdam dotem corporis glorioſi; sed participationem eius, aut aliquid ad illam pertinens. Quod magis ad modum loquendi quām ad rem ipsam spectat, supposita sententia (quam duximus probabiliorem) has claritates non differre specie. Vult enim D. Th. dotem significare qualitatem habentem modū stabilem, ac permanētem, seu inamissibilem, sicut beatitudo hunc etiam statum requirit: dos enim significat beatificam proprietatem ad accidentalem saltem beatitudinem pertinētē.

Dubium. Caiet.

Circa rationem autem, qua D. Tho. probat illam fuisse claritatem glorioſam, dubitat Caieta. Quia solum probat in anima Christi eò, quod glorioſa esset, & diuinitati coniuncta, fuisse potestatem communicandi gloriam illam, & claritatem corpori. Sed hoc (vt idem Caietā vidit) facilem habet responsionem, quia probata ea potestate, Diuus Thomas pro comperto habuit â nemine posse in dubium reuocari, quin illa fuerit claritas gloriæ. Tum quia si aliqua claritas futura erat, potiori iure ac ratione futura illa, quæ à principio intrinseco dimanare poterat quām alia, quæ extrinsecus aduenire. Tum etiam quia illa claritas erat magis accommodata fini transfigurationis, scilicet vt homines aliquo modo suis oculis gloriam Christi

Claritas transfigurationis in Christi corpore miraculosa.

Responsio

conſpicerent. Quia, ſi non fuiſſet illa glorioſa claritas, non vidiſſent homines gloriam Chriſti.

Dubium. Aug. Damaſ.

Maior difficultas eſſe poterat in principio (quod D. Th. aſſumit) claritatē corporis glorioſi deriuari ex claritate animæ, ex Aug. epi. 56. ad Dioſcorū, & in Chriſto deriuari à diuinitate illi corpori cōiuncta, ex Damaſ. dicta orat. de trāsfiguratione. Sed prior pars, cùm communis ſit omnibus hominibus, non eſt hoc loco latè diſputāda.

Reſponſio

Ego verò ſic exiſtimo, id non eſſe intelligendum de propria, ac phyſica dimanatione, quia claritas glorioſa animæ nō eſt niſi aut lumen gloriæ, aut viſio beata: lumen autem gloriæ eſt virtus quædam intellectualis, quæ ex natura ſua ſolum eſt principium ſui actus ſecundi, ſeu operationis: operatio autem, quæ eſt ipſa viſio beata, eſt quidam actus immanens, qui per ſe, & natura ſua non eſt operatiuus extra ſuam potentiā. Deinde illud lumen, ac viſio per ſe omnino abſtrahunt â corpore, & communia ſunt angelis, atque illis omnino accidētarium eſt, quòd animæ uniatur corpori, nō eſt ergo vnde habeant naturalem virtutē effectricem claritatis in corpore, neque in anima glorioſa fingi, aut excogitari poteſt aliud principium, à quo phyſice manet claritas. Nā gratia, quæ eſt in eſſentia animæ, & quando conſummata eſt, vocatur etiam *gloria*, non eſt principium phyſicum talis claritatis, vt per ſe conſtat, Illud ergo fundamentum, ſeu dictum Aug. intelligēdum eſt, non ſecūdum dimanationem phyſicā, ſed ſecundum quandam rationem debiti fundatam vel in merito, vel in connaturali proportione inter animam, & corpus, & inter beatitudinem animæ, ac beatitudinē corporis. Et hoc ſatis eſt ad intentionem D. Th. vt ex dictis conſtat. Et eodē modo intelligenda eſt altera pars ex Damaſ. ſumpta. Nam ſi conſideretur diuina perſona, quatenus ſubſiſtentia eſt vnita illi corpori, vt ſic non eſt principium alicuius phyſicę actionis ad extra: ſed ſolū quatenus habet voluntatem, & omnipotentiam cum Patre, & Spirita ſancto communem, ergo ab illa vt vnita non potuit phyſice manare hæc claritas. Sed, quia ratione illius eſt aliquomodo debita, & quia eadem perſona, quę illā efficiebat, erat perſona illius naturæ, ideô dicitur ab ipſa diuinitate manaſſe. Sicut etiam gratia habitualis, & aliæ virtutes infuſæ dicuntur dimanare à gratia vnionis, ſicut explicuimus in priori tomo diſp. 18. ſect. 3. Hęc verò intelligenda ſunt de emanatione connaturali per propriā, & connaturalē actionem. Nā ſi ſit ſermo de actione inſtrumētaria, facile intelligitur, animam Chriſti habere vim ad efficiendam gloriam in ſuo corpore: ſed hāc vim nō habet propter beatitudinē animæ nec ſolum per illā: ſed propter vnionē ad Verbū, & per ſuā ſubſtantiā, vel volūtatē, vel per viſionē, ſi voluerit. Hanc verò actionem inſtrumentariam concedere omnibus beatis, ſeu viſionibus beatificis, volūtarium eſt.

Claritas corporis glorioſi quomodo ex animæ claritate dimanet.

Solutiones argumētorum claræ ſunt. Solum in ſol. ad. 3. eſt animaduertendum, D. Th. explicare candorem veſtium Chriſti in transfiguratione nihil aliud fuiſſe quā claritatem, & ſplendorem, & Caiet. addit ſplendorem veſtium à corporis ſplēdore redundaſſe, quod etiam ſignificauit Euthy. ſuo cap. 34. in Mat. dicens *Veſtimenta eius facta eſſe candida, ſicut lumen diffuſo etiam in illa ſplendore.* Addit etiam Caiet. nubem lucidam ſplendore ā corpore Chriſti, & eius veſtibus reſultante illuminatam eſſe. Quæ pie, ac probabiliter ſunt cōſiderata. Quia non eſt dubium, quin ipſamet virtus Chriſti fuerit proximum principium efficiens omnem illum ſplēdorem. Et ſic quidem fieri potuit, vt vnus ſplendor ab alio reſultaret. Et hic modus eſt magis cōnaturalis, magiſq; declarat vim, & energiam illius glorioſæ claritatis, qua corpora beata non ſolum in ſe lucida erunt, ſed etiam *fulgebunt ſicut ſol*, & circunſtantia corpora illuſtrare poterunt.

D. Thom. Caiet. Euthym.

Candor in veſte Chriſti, & ſplendor in nube vnde ortus.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum teſtes transfigurationis conuenienter fuerint inducti.

244

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quòd non conuenienter inducti fuerint teſtes transfigurationis. Vnuſquiſq; enim maximè poteſt perhibere teſtimonium de notis. Sed qualis eſſet futura gloria, tempore transfigurationis Chriſti nulli homini per experimentum erat adhuc notum, ſed ſolis angelis. Ergo teſtes transfigurationis

tionis magis debuerunt esse angeli, quàm homines. ¶ 2. Præterea Testes veritatis non decet aliqua fictio, sed veritas. Moyses autem, & Helias non ibi verè affuerunt, sed imaginariè: dicit enim quædã gloss. super illud Luc. nono, Erant autem Moyses & Helias, &c. Sciendum est, inquit, non corpora vel animas Moysi & Heliæ ibi apparuisse, sed in subiecta creatura illa corpora fuisse formata. Potest etiam credi angelico ministerio hoc factum esse, vt angeli eorum personas assumerent. Non ergo videtur quod fuerint conuenientes testes. ¶ 3. Præterea. Act. 10. dicitur, quòd Christo omnes prophetæ testimonium perhibent. Ergo non soli Moyses, & Helias debuerunt adesse tanquã testes, sed etiã omnes prophetæ. ¶ 4. Præterea, Gloria Christi omnibus Christi fidelibus repromittitur: quos per suam trãsfigurationem ad illius gloriæ desiderium accendere voluit. Non ergo solos Petrum Iacobum, & Ioannem in testimonium suæ transfigurationis assumere debuit, sed omnes discipulos. ¶ In contrarium est Euangelicæ Scripturæ autoritas.

Respondeo dicendum, quòd Christus transfigurari voluit, vt gloriam suam hominibus ostenderet, & ad eam desiderandam homines prouocaret: sicut supra dictum est. Ad gloriam autem æternæ beatitudinis adducuntur homines per Christũ, non solùm qui post eum fuerunt, sed etiã qui cum præcesserunt. Vnde eo ad passionem properante, tam turbæ, quæ sequebãtur, quàm quæ præcedebant, ei clamabãt Hosãna: vt dicitur Mat. 21. quasi salutẽ ab eo petentes. Et ideo conueniens fuit, vt de præcedentibus ipsum testes adessent, scilicet Moyses, & Helias, & de sequentibus ipsum, scilicet Petrus, & Iacobus, & Ioannes, vt in ore duorum, vel trium testium staret hoc verbum.

Ad primum ergo dicendum, quòd Christus per suam transfigurationem manifestauit discipulis corporis gloriam, quæ ad solos homines pertinet. Et ideo conuenienter non Angeli, sed homines ad hoc pro testibus inducuntur. ¶ Ad secundum dicendum, quòd glos. illa dicitur esse sumpta ex libro, qui intitulatur de Mirabilibus sacræ Scripturæ, qui non est liber autenticus, sed falso ascribitur August. & ideo illi glossæ non est standum. Dicit enim expressè Hieron. super Matthæum. Considerandum est quòd Scribis & Pharisæis de cœlo signa poscentibus dare noluit: hic verò vt Apostolorum augeat fidem, dat signum de cœlo. Helia inde descendente, quò conscenderat, & Moyse ab inferis resurgente. Quod non est sic intelligendum, quasi anima Moysi suum corpus resumpserit: sed quòd anima eius apparuit per aliquod corpus assumptum, sicut Angeli apparent. Helias autem apparuit in proprio corpore, non quidem de cœlo empyreo allato, sed de aliquo eminenti loco, quo fuerat in curru igneo raptus. ¶ Ad tertium dicendũ, quòd (sicut Chrys. dicit super Matt.) Moyses & Helias in medium adducuntur propter multas rationes. Prima est hæc: quia enim turbæ dicebant eum esse Heliam, vel Hieremiam, aut vnum ex Prophetis, capita Prophetarum secum ducit, vt saltem hinc appareat differentia seruorum, & domini. Secunda ratio est, quia Moyses legem dedit, Helias pro gloria Domini æmulator fuit. Vnde per hoc quod simul cum Christo apparent, excluditur calumnia Iudæorum accusantium Christum tanquam transgressorem legis, & blasphemum, Dei sibi gloriam vsurpantem. Tertia ratio est, vt ostendat se habere potestatem mortis, & vitæ, & esse iudicem mortuorum, & viuorum, per hoc quòd Moysem iam mortuum, & Heliam adhuc viuentem secum ducit. Quarta ratio est: quia sicut Lucas dicit, Loquebantur cum eo de excessu, quem completurus erat in Hierusalem, idest de passione, & morte sua. Et ideo

A

B

C

Ar. 1 huius quæst.

Aliàs, &

Super illud Matth. 17 Et aparuit illis Moses & Helias. tom. 9.

hom. 57 in Ma. super illud. Aparuerũt Moses & Helias. to. 2.

vt super hoc discipulorum animos confirmaret, inducit eos in medium, qui se morti exposuerunt pro Deo. Nam Moyses cum periculo mortis se obtulit Pharaoni: Helias verò Regi Achab. Quinta ratio est: quia volebat vt discipuli sui æmularentur Moysi mansuetudinem & zelum Heliæ. Sextam rationem addit Hilar. vt ostenderet scilicet se per legem, quam dedit Moyses, & per Prophetas, inter quos fuit Helias præcipuus, esse prædicatum. ¶ *Ad quartum dicendum, quod alta mysteria non sunt omnibus exponenda immediate: sed per maiores suo tempore ad alios debent deuenire. Et ideo, vt Chrysostom. dicit, assumpsit tres tanquã potiores. Nam Petrus excellens fuit in dilectione, quam habuit ad Christum, & iterum in potestate sibi commissa: Ioãnes verò in priuilegio amoris, quo à Christo diligebatur propter suam virginitatem: & iterum propter prærogatiuam euangelicæ doctrinæ: Iacobus autẽ propter prærogatiuam martyrij. Et tamen hos ipsos noluit hoc quod viderant, alijs annuntiare ante resurrectionem, ne (vt Hieron. dicit) & incredibile esset pro rei magnitudine, & post tantam gloriam apud rudes animos sequens crux scandalum faceret, vel etiam totaliter impediretur à populo: & vt cùm essent Spiritu sancto repleti, tunc gestorum spiritualium testes essent.*

Canone.17 in Mat.nõ remote à princ.

Hõ.57 in Ma.nõ procul a prin. to.2.

Super illud Mat.17. Nemini dixeritis visionem.

COMMENTARIVS.

Misterium transfigurationis corã testibus cur effectum. Euthy:

IN corpore art.probat.D.Thom.oportuisse mysterium hoc coram aliquibus testibus fieri. Quia (vt rectè supra notauit Euthym.) non fiebat propter Christum: sed propter vtilitatem nostram: si autem esset omnino occultum, quæ fuisset in eo vtilitas? Rursus optimam etiam congruentiam affert D. Thom. obquam decuit testes illos assumi, & ex hominibus, qui Christum præcesserant, & qui eum sequebantur, vt indicaretur omnes futuros esse participes illius gloriæ per eundem Christum. Cui addi potest, (quod Damas

Damas.

A cen.ait) vocasse Christũ testes vtriusq; testamẽti, vt se vtriusq; dominũ declararet, & eorum conformitatẽ ostenderet. Denique rectè etiam probat D.Tho. fuisse conuenientem illum numerum testium, vt in ore duorum, vel trium firmaretur hoc verbum. Quã rationem tetigit Leo Pap. dict. serm. de transf. Cui addi potest, accersitos esse tres testes ex ijs, qui sequebãtur Christum, cùm ex ijs, qui ipsum antecesserant, duo sint tantum vocati, vel vt significaretur maior perfectio legis gratiæ, pluresque esse gloriam cõsequuturos ex ijs, qui Christum sequuntur, quàm ex ijs, qui præcesserunt, vel certè, quia testimonium de excellentia illius gloriæ magis necessarium erat ijs, qui crucem Domini erãt inspecturi, & imitaturi, quàm ijs, qui iam præcesserant. Cur autem hi potius homines, quàm alij assumpti sint ad testimonium de hoc mysterio reddendum, explicat D.Tho. in

Deut. 71. 2.Cor 1 Mat.18.

Leo papa.

B solut.argument.

In sol.ergo ad primum rationem tradit, cur non sint vocati angeli, eamque esse dicit, *quia non spiritualis, sed corporalis gloria ostendebatur*. Vbi ponderandũ est, si D. Th. censuisset, angelos non habere gloriã per Christum, potuisse rationem reddere consentaneam ijs, quæ in corp.ar. docuerat, solum vocatos fuisse homines, quia soli illi per Christum ad gloriam adducuntur: tamen quia D.Tho. est in ea sententia, (quæ vera est) angelos etiam habere gloriam à Christo, ideo non est vsus ea ratione: sed alia de gloria corporis, quæ sufficiens est.

In sol verò ad.3. (omissa solutione ad.2. de qua postea disputandum) plures rationes adducit, ob quas Moyses, & Elias potius, quàm alij ex veteribus in transfiguC ratione apparuerunt, quæ sumptæ sunt ex Chrysos.hom.57.in Matth. & ex Hilario can.17.in Matth. Easdem ferè habet Damasc.dicta orat.de trãsfiguratione, & Leo magnus loco citato. Qui aliam rationem indicat, scilicet apparuisse Moysem legislatorem, vt ostenderetur posibilia fieri mandata per gratiam, & Heliam insignem prophetam, vt doceretur prophetiam veram fieri per Christi præsentiam. Adde ex Tertullian.li.4.cont.Marc.cap.22. apparuisse Moysem, & Eliam, quando Pater dedit testimonium filio, eumque nos audire præcepit. *Vt intelligatur facta translatio auditionis a Moyse legislatore, & Elia emulatore legis, a creatore in Chris-*

Chrys. Hilar. Damas. Leo papa.

tum

tum eius secundum decessionem veteris, & successionem noui testamenti. Tradit igitur Pater filio discipulos nouos, ostensis prius cum illo Moyse, & Elia in claritatis prærogatiua atque ita dimissis quasi iam officio, & honore perfunctis, & hanc rationem tetigit etiam Epiph. hæres. 42. confu. 17. Euangelij Marcionis dicens, Christum duxisse secum in gloria sua Moysem, & Eliam, vt sese ostenderet non esse contrarium legi, & prophetis,

Tertul. Epiphan.

In sol. ad. 4. rationem reddit, quare potius Petrus, Ioannes, & Iacobus huius mysterij testes vocati sint, quàm alij Apostoli. Et ferè eandem habet Damas. dicta oratione, dicens Petrum quidem vocatum esse, & quod esset caput Ecclesiæ, & quòd Christo testimonium reddidisset, esse filiũ Dei viui, vt experimento cognosceret reuelatione æterni Patris se tantum mysterium didicisse, Ioannes verò quód esset virgo, quodque de Christi diuinitate clarissimũ illud esset testimonium redditurus. *In principio erat Verbum*, vsque ad illud, *& vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a Patre.* Ioan. 1. vt posset dicere. *Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus: & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ annuntiamus vobis.* 1. Ioan. 1. Iacobum denique, quod Apostolorum primus martyriũ esset pro Christo subiturus. Denique (ait Damascen) *hi vocati sunt, quod summis virtutum ornamentis prediti essent, & singulariter* à Christo diligerentur.

Petrus, Iacobus, & Ioãnes testes assumpti trãsfigurationis cur. Damas.

Ioan. 1.

1. Ioan. 1.

Damas.

A

B

C

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrũ cõueniẽter auditum fuerit testimonium paternæ vocis in transfiguratione.

245 In cat. aur. Mat 17. li 2 & Mar. 9. li 1.

AD quartum sic proceditur. *Videtur, quòd incõuenienter auditum fuerit testimonium paternæ vocis dicentis. Hic est filius meus dilectus. Quia, vt dicitur Iob 33. semel loquitur Deus, & secundò id ipsum non repetit. Sed in baptismo hoc ipsum paterna vox fuerat protestata. Non ergo fuit conueniens, quòd hoc iterum protestaretur in transfiguratione.* ¶ 2. *Præterea. In baptismo simul cum voce paterna affuit Spiritus sanctus in specie columbæ, quod in transfiguratione factũ non fuit. Non ergo conueniens videtur fuisse Patris protestatio.* ¶ 3. *Pretereà, Christus docere incepit post baptismum, & tamen in baptismo vox Patris ad eum audiendum homines non induxerat ergo nec in transfiguratione inducere debuit.*

¶ 4. *Præterea, Non debent aliquibus dici ea, quæ ferre non possunt, secundum illud Ioan. 16. Adhuc habeo vobis multa dicere, quæ non potestis portare modò. Sed discipuli vocem Patris ferre non poterant, dicitur enim Matt. 17. quòd audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde, ergo non debuit vox paterna ad eos fieri.* ¶ *In contrarium est autoritas Euangelicæ Scripturæ.*

¶ *Respondeo dicendum, quòd adoptio filiorum Dei est per quandam conformitatem imaginis ad filium Dei naturalẽ. Quod quidem fit dupliciter. Primò quidẽ fit per gratiam viæ, quæ est conformitas imperfecta. Secundò, per gloriam patriæ quæ erit conformitas perfecta secũdum illud 1. Ioan. 3. Nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus: scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est. Quia igitur gratiam per baptismum consequimur, in transfiguratione autem præmonstrata est claritas futuræ gloriæ, ideo tam in baptismo, quàm in transfiguratione conueniens fuit manifestari naturalem Christi filiationem testimonio Patris, quia solus est perfecte conscius illius perfectæ generationis simul cum filio, & Spiritu sancto.*

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd illud verbum referendum est ad æternam Dei locutionem, qua Deus Pater Verbum vnicum protulit sibi coæternum. Et tamen potest dici,*

ci, quod licet idem corporali voce Deus protulerit, non tamen propter idem, ſed ad oſtendendum diuerſum modum, quo homines participare poſſunt ſimilitudinẽ filiationis æternæ. ¶ Ad ſecundum dicendum, quòd ſicut in baptiſmo, vbi declaratum fuit myſterium primæ regenerationis, oſtenſa eſt operatio totius Trinitatis per hoc quod fuit ibi filius incarnatus, apparuit Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ, & Pater fuit ibi declaratus in voce: ita etiam in transfiguratione, quæ eſt ſacramentum ſecundæ regenerationis, tota Trinitas apparuit, Pater in voce, Filius in homine, Spiritus ſanctus in nube clara. Quia ſicut in baptiſmo dat innocentiam, quæ per ſimplicitatem columbæ deſignatur, ita in reſurrectione dabit electis ſuis claritatem gloriæ, & refrigerium ab omni malo, quæ deſignantur in nube lucida. ¶ Ad tertium dicẽdum, quòd Chriſtus venerat gratiam actualiter dare, gloriam verò promittere verbo. Et ideo conueniens erat in transfiguratione inducũtur homines, vt ipſum audiant, non autem in baptiſmo. ¶ Ad quartum dicendum, quòd conueniens fuit diſcipulos voce paterna terreri & proſterni, vt oſtenderetur quod excellentia illius gloriæ, quæ tunc demonſtrabatur, excedit omnem ſenſum & facultatem mortalium, ſecundum illud Exod. 33. Non videbit me homo, & viuet. Et hoc eſt quod Hieronymus dicit ſuper Matthæum, quod humana fragilitas conſpectum maioris gloriæ ferre non ſuſtinet. Ab hac autem fragilitate ſanantur homines per Chriſtum, eos in gloriam adducendo: quod ſignificatur, per hoc quod dixit eis. Surgite, nolite timere.

Super illud Mat. 17. audientes diſcipuli ceciderunt in facies, to. 9.

Litera D. Thom. eſt elegans, & perſpicua nihilque addendum occurrit ijs, quæ ſupra diximus agentes de baptiſmo Chriſti, in quo Pater idem teſtimonium filio reddidit.

DISPVTATIO. XXXII,

In tres ſectiones diſtributa.

De ijs, quæ in transfiguratione Domini acciderunt.

EX rebus omnibus â Chriſto in vita geſtis ante paſsionem, ſolum myſterium transfigurationis ſupereſt explicandum, quod licet fuerit vnum ex miraculis, quod ad confirmationem doctrinæ ſuæ perfecit: tamen quia in propria illius perſona geſtum eſt, & ſingularem habet excellentiam, dignitatem, atque vtilitatem, ideô meritò propria, & ſpeciali diſputatione tractatur. Tria verô ſunt, quę ad illius cognitionem deſiderari poſſunt: Nimirũ quid ſit transfiguratio, propter quid, & quibus circunſtantijs ſit facta. Quęſtio enim, an facta ſit, locum non habet: ſed ſupponẽda eſt ex hiſtoria euangelica. Ex his autẽ tribus partibus, ſecunda ſufficienter explicata eſt in commentario art. 1. D. Thom. vbi rationes varias reddidimus propter quas Chriſtus transfiguratus eſt: de prima verò tertiaque parte multa etiam circa præcedentes art. dicta, pauca verò quædam addenda ſuperſunt.

SECTIO PRIMA.

Vtrum transfiguratio facta ſit per nouam claritatem gloriæ corpori, vel facici Chriſti inhærentem.

IN hac re variæ poſſunt eſſe ſententiæ. Prima eſt, transfigurationẽ Chriſti nõ eſſe factã per nouã aliquam mutationẽ effectam in ipſo obiecto: ſed ſolum per immutationem ſenſuum Apoſtolorum. Quæ ſentẽtia duobus adhuc modis fingi poteſt. Vnus eſt, quòd Apoſtoli reuera nihil exterius viderint: ſed ſolum imaginaria repręſentatione omnia, quæ ibi narrantur, tranſacta ſint. Hanc ſententiam tribuit Henrico Medina hic, non tamen deſignat locũ, neque ego reperire potui. Eandem adſcribunt aliqui Bedæ propter quædam verba quæ D. Tho. hic ar. 2. argumento. 2. refert. Sed illa, & â D. Tho. ſatis explicantur, & in Beda non reperiũtur. Quin potius Luc. 9. docet expreſſè contrarium. In gloſſ. autẽ interlineali Lucæ. 9. inueniuntur verba ſimilia: tamen ſenſus eſt quem D. Th. tradit.

Igitur

Igitur cuiuscunque sit illa opinio, erronea est, contra veritatem, expressamque historiam euangelij, quam ipse Beda satis aptè, & conuenienter exponit lib. 3. in Lucam. cap. 38. Itaque certum sit, proprietatem verborum esse retinendam, prout fides historiæ requirit, atque ita verè, ac sensibiliter faciem Christi splenduisse, & idem iudicium est de reliquis, quæ narrantur. Alter modus, seu secūda sententia est, faciē Christi affulsisse oculis discipulorum, nō quia nouum lumen acquisierit: sed quia tunc datum est discipulis, vt videre possent lumē, quo caro Christi in se semper fulgebat. Sicut enim Aug. 22. de ciui. c. 19. dicit in corpore Christi post resurrectionē claritatē non defuisse; sed oculis fuisse discipulorū absconditam, quia eam ferre nō poterat humanus atque infirmus aspectus, ita existimare aliquis posset, hāc claritatem nūquā defuisse corpori Christi, oculis tamen hominum fuisse occultam, quia illam intueri non poterant, atque ita in transfiguratione solum fuisse confortatos oculos discipulorum, vt illam possent aspicere. Quem dicē di modum posset aliquis ex Dama. collige re: sic enim scripsit in prædicta oratione. *Coram discipulis transfiguratur, qui semper eodem modo glorificatus est, ac diuinitatis fulgore collucet*, & infra, *Ac gloriam quidem caro, simul atque ex nihilo in ortu producta est, obtinuit diuinitatisque gloria corpori quoque gloriā conciliauit*, & infra. *Quanquam igitur nunquā sanctum illud corpus diuinæ gloriæ expers fuerit: at cum ea gloria in corpore sub aspectum cadente obscura esset, ab iis, qui carnis vinculo constringebantur, cerni non poterat. Transfiguratur itaque non quod non erat assumēs, neque in id, quod non erat, migrans, verum id, quod erat discipulis suis declarans, eorum nimirum oculos aperiens. Atque hęc sententia est horum verborum. Transfiguratus est ante eos. Idem enim ipse manēs præter id, quod prius cernebatur, aliud nunc discipulis apparere videbatur.* Ad hunc modum videtur loqui Epipha. lib. 2. hæres. 69. in fin.

Aug.

Damas.

Epiphan.

Sed longè alia est mens Damasceni. Sententia enim illa nullomodo sustineri potest, est enim erronea contra veram corporis Christi passibilitatem. Dicere enim corpus Christi fuisse sēper in se glorioſum, licet non apparuerit, nihil aliud est, quàm affirmare ipsum in se fuisse impassibile, quāuis pati videretur. Dices, habuisse semper in se dotem claritatis, absque dote impassibilitatis. Sed hoc est in primis contra vniuersæ Ecclesiæ sensum, ac perpetuam traditionem, quæ docet Christi corpus caruisse corporis gloriā, quandiu vixit. Est præterea fingere sine fructu, & fundamento quoddā perpetuum miraculum, nimirū vt corpus passibile, & mortale fuerit semper glorioſa claritate affectum, & quod splendor ille existens in corpore nullo modo sensibus obijceretur, & quòd corpus ipsum conspiceretur non aliter lucidum, aut coloratum, quàm sint alia corpora humana. Damascen. ergo in citato loco, gloriam corporis Christi vocat non claritatem corpoream: sed ipsammet hypostaticam vnionem: seu diuinitatē ipsi carni Christi substantialiter vnitam, & hoc sensu dicit corpus illud fuisse glorificatum statim, ac formatum est: hanc verò eius gloriam propter carnis passibilitatem fuisse occultam: in trasfiguratione autem fuisse manifestatam non in se: sed per radios glorioſæ claritatis ab illa manantes, nec quia ipsa tunc de nouo facta fuerit: sed quia tunc quodāmodo sit facta visibilis oculis discipulorū qui hoc sensu dicuntur fuisse tunc aperti, non quia immutatio in solis illis facta sit: sed quia latens diuinitas tunc quodammodo illis manifestata est. Hunc autem esse sensum Damas. constat, tum ex eius doctrina li. 3. de fide ca. 17. & in alijs locis frequenter, vbi hoc modo explicat hanc carnis glorificationem, quam *deificationem* etiam appellat. Tum etiam ex illamet oratione, vbi sæpe dicit claritatē transfigurationis manasse ex ipsa deitate, & discrimen constituit inter claritatem, qua facies Moysis splenduit, à Christi claritate, quòd illa fuit ab extrinseco: hęc verò (inquit) *ex insita diuinæ gloriæ claritate manabat.* Sentit ergo fuisse hāc claritatē nouā, quanuis à diuinitate manātē, & eodē modo exponendus est Epiph. Cum hac verò interpretatione optime consentit alter locus Gre. Nazian. orat. 49. de fide, vbi de hoc mysterio sic loquitur. *Vt sol cum in nube tegitur, claritas eius comprimitur, non cæcatur, & lumen illud, quod toto orbe diffusum claro splendore cūcta perfundit, paruo admodum obstaculo nubis includitur, non aufertur: sic & homo ille, quem Dei filius induit, deitatem in illo non intercepit, sed abscondit. Deniq; cum se in monte paulum extra ipsum hominem extulisset, fulgore luminis eius pene obcæcati Apostoli sunt*, & infra. *Vt*

Verba Damasceni quomodo intelligenda.

B

C

Christi corpus ante resurrectionē nō erat glorioſom.

Obiectio.

Responsio

fra. *Vt claritas solis non vsque ad nostros emicat visus, sed sibi salua est, quia quod non videtur, infirmitatis est nostræ, quorum oculos nubiū texit obscuritas, ita & maiestas illa diuina, quę vt dixi, corpus induerat, probat se non suo detrimēto proprio latuisse fulgore, sed carnis (vt dixi) beneficio, cuius causa filius Dei filius hominis effectus sustinuit.*

Tertius modus explicandi hoc mysteriū est, quōd reuera noua quædam claritas circa Christum sit effecta, ratione cuius facies eius splēdescere visa sit, ipsa verō claritas reuera nō adhęserit ipsi corpori, seu faciei Christi, sed solum aeri: ad faciem autem Christi terminata fuerit extrinsecè, seu per solam contiguitatem, sicut multi cēsent lucem solis terminari ad speculū, seu August. ad corporis opaci superficiem. Hic modus B dicendi videtur insinuari ab Aug. lib. 3. de mirab. sacr. scrip. c. 10. Vbi sic inquit, *Licet in hac ostensione Domini facies solari splēdidior fulserit, non ipsa caro splenduit, sed diuinitas latens in corpore luminis sui portiunculā conficiendam foris videntibus, quantum poterat, concessit.* Sed hic etiam modus explicandi, licet non sit tam apertè erroneus, sicut præcedē Matt. 17. tes, est tamē sine dubio falsus. Primō quia Matth. dicit, *resplenduisse faciem eius, sicut sol, & esse transfiguratum, seu transformatum,* Luc. 9. & Lucas dicit, *Et facta est species vultus eius altera.* Sed hæc omnia non possunt in proprietate sermonis esse vera propter solum extrinsecum corpus Christo adiacens de nouo immutatū, necesse est ergo, vt in ipsamet facie, & carne Christi facta sit immutatio per aliquam qualitatem illi inhęrentem, non quidem corrumpentem, neque alterantem naturalem dispositionem eius sed perficientem, & illustrantem illam.

Secundō quia, quod Christus paulo ante Matt. 17. dixerat Matth. 17. *Sunt quidam de hic astantibus, qui non gustabant mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo,* id est, in gloria sua, multi sancti interpretantur esse impletum in Christi transfiguratione, vt Chrys. Damas. Leo Papa, & alii supracitati, & Euseb. Emissen. serm. in sabbato Chrys. post. 2. Dominicam Quadrageſimæ. Qui Damasc. omnes colligunt tunc esse visum corpus Leo papa. Christi in glorioſa claritate corporis sui, Euseb. sed corpus glorioſum non erit splendens Emis. per claritatem alterius corporis ad ipsum August. extrinsecè terminatam, ergo nec corpus Christi. Neque mens Aug. in verbis supra citatis fuit negare carnē Christi verè splē A duisse, sed non proprio lumine, seu quod à se haberet, sed lumine à diuinitate manante, vt verba statim subiuncta declarant. *Vnde vestimenta candorem niuis habuerunt, dū neque de carne, neque de diuinitate erant: nisi forte vt per carnem diuinitas foris illuxit, sic & caro illuminata de diuinitate per vestimenta radiabat.*

Dicendum est igitur, Christum transfigurari nihil aliud fuisse, quàm corpus eius eximia glorię claritate sibi ipsi inhęrente de nouo affici, ac illustrari. Quod ex refutatione aliorum modorum, & ex dictis in comment. ar. 1. & 2. D. Tho. satis est comprobatum.

Sed possunt circa hoc nonnulla dubia agitari. Primum est, an illa claritas fuerit eiusdem naturæ cum lumine, & claritate so- Dubium. lis. Sed hæc dubitatio communis est omnibus beatis suppositis iis, quę diximus, Respons. scilicet claritatem corporis Christi fuisse eiusdem rationis cum claritate glorię, & ideō de illaplura dicemus infra de resurrectione disputantes. Nunc breuiter videtur illam claritatē esse altioris rationis, quanuis contrarium doceat in 3. dis. 16. q. 2. fine Durand. efficaci probatione. Nostra verō sententia est D. Thom. ibi. q. 2. art. 1. ad. 4. & ad. 2. & D. Thom. eandem videtur supponere in tota hac Richard. quæstione, tenet etiam Richar. in 4. d. 49. art. 4. q. 6. vbi dicit hanc claritatem esse supernaturalem. Idem sentit Scot. ibi. q. 15. & Sot. q. 4. art. 8. quanuis nonnihil hæsitet. Scot. C Et videtur hoc magis consentaneum mo- Sot. do, quo scripturę, de hac claritate loquuntur. Quanquam enim interdum illam comparent cum luce solis, sicut hic dicitur, *Et splenduit facies eius, sicut sol,* & Matth. 13. *Fulgebunt iusti, sicut sol,* tamen hę comparationes fiunt (vt Patres notant) quia non est Matt. 13. in sensibilibus aliud exemplum, quo intellectus noster possit manuduci ad concipiē am illam admirandam claritatem corporum glorioſorum. Quam alterius rationis esse indicant scripturę aliis locis Apocalip. 21. vbi cœlestem beatitudinem Ioānes describit, *Ciuitas* (inquit) *illa nō eget sole, neque luna, vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit illam, & lucerna eius est agnus,* & prius dexerat, *Vidi ciuitatem sanctam habentem claritatem Dei.* Solet enim scriptura, quādo excellentiam alicuius rei explicare vult, *Dei* cognomine insignire, vt *paradisus Dei, cedri Dei, montes Dei.* Sic ergo Ioannes, vt significet claritatem illam esse alterius ordinis, & excellentię, vocat *claritatem Dei.* Vn

de

de Pau. ad Phylip. 3. *Reformabit* (inquit) *corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*, non claritatis solis: sed alterius excellentioris claritatis, quæ propria est corporis Christi, & ab illo tanquam à primo fonte, & exemplari ad alia corpora beatorum manat. Deinde illa claritas habet principium, & radicem alterius ordinis, nempè supernaturalem gloriam animæ, ergo & ipsa esse debet supernaturalis. Nam si anima dotibus supernaturalibus perficitur, cur non etiam, & corpus? Præsertim cùm aliæ tres dotes corporis supernaturales sint. Denique non repugnat intelligere claritatem corporalem in specie sua nobiliorem claritate solis: cur ergo negabimus Deum illam dedisse corporibus beatorum, cum hoc totum perfectioni illius beatitudinis sit consentaneũ

Philip. 3.

Claritas corporis glorioſicorporesoculis nũ videri naturaliter possit.

An verò illa claritas gloriæ naturaliter possit oculis corporis videri, alio loco disputandum est. Mihi tamen videtur illam non esse extra latitudinem obiecti visibilis, quãquam corruptibilis oculus propter imbecillitatem non possit fortasse in illã intendere, vt ideò verisimile sit (quod Durã. etiam supra notauit) cõfortatos fuisse discipulorum oculos, vt possent eã claritatem intueri. Nam quòd eam oculis corporis viderint, certissimum est vt notauit Aug. li. cont. Adimant. Manich. ca. 28. De quo legi post D. Th. in. 4. d. 44. q. pri. artic. 4. quæst. 2. & quædicemus in materia de resurrectione.

Dubiũ. 2.

Alterum dubium est, vtrum hæc claritas transfigurationis fuerit tantum in superficie corporis Christi an etiam in intimis partibus corporis: sicut erat in nube, & videtur ètiam fuisse in vestibus, quia *diuinæ lucis communicatione condecoratę fuerunt*, vt Damas. loquitur: insinuans id, quod cum Caietan. supra dicebamus, corpus ipsum fulgore suo illuminasse vestes: nõ potuissent autẽ vestes illuminari á corpore ita, vt in externa superficie candidæ apparerent, ac lucidæ, nisi lux totam substãtiam vestium penetraret, ac si esset Chrystallus, vel aliud simile corpus. Nã si sola superficies vltima illustraretur, sola interior superficies, quæ erat carni coniuncta fuisset illuminata: exterius autem nõ appareret lux: sed potius contegeretur, si ergo lux vestes omnino penetrauit, multo magis totũ Christi corpus. Deinde hæc claritas dicitur manasse ab anima beata: ergo

Damas. Caiet

sicut anima beata totum corpus intime informat, ita videtur proportionatum, ac debitum illi esse, vt totum illud reddat fulgens, ac lucidum, atque ita videntur sentire Theologi de corporibus beatorum: sicut ignitus carbo totus fulget non solum in extima superficie, sed intus, quia intus habet conceptum lumen, qui per poros foras radios effundit, vel sicut sol nõ solum in vltima superficie: sed intimè in tota sua substantia lucidus est, ergo idem dicẽdum est de corpore Christi. Quod si cut sol fulsisse dicitur, & in gloria sua apparuisse eo modo, quo à beatis cõspicietur (vt Damas. ait) vel sicut in die Iudicij apparebit (vt inquit Hierony.) quantum ad claritatem scilicet corporis, non verò quantum ad visionem diuinitatis, quã discipuli mortali carne circũdati intueri nõ poterant, vt Leo Papa dicit.

Damas. Hierom. Leo papa.

Claritas transfigurationis in superficie tantum. extima corporis Christi recepta.

Nihilominus D. Th. ar. 1. ad. 2. sentit claritatem illam tantum fuisse in superficie externa corporis Christi, & idem habet in. 3. d. 16. q. 2. ar. 1. ad. 3. & Durand. q. 2. num. 7. Et D. Tho. hoc colligit ex nomine transfigurationis. Namsicut figura est in termino, seu superficie, ita color, seu claritas corporis opaci, & inde dicta est transfiguratio mutatio illa, quę facta est in extremitate, seu superficie corporis Christi, ergo illa claritas tantum ibi fulsit. Deinde non potest esse claritas tã profundi corporis, quin illud reddat transparens & visu penetrabile, quia lux est actus diaphani, vt diaphanum est: corpus autem Christi non videtur factũ fuisse trãsparens in transfiguratione, alioqui viderent Apostoli interiores partes corporis eius: cùm tamen solum legantur vidisse faciẽ eius splẽdescere. Quo circa nec vestimenta eius facta sunt transparentia, quia sola ipsa visa sunt alba, & nõ per illa visa est caro Christi. Vnde sicut cãdor, in extrema superficie tãtũ videtur itaille cãdor, seu splendor vestium. Ex his sententijs quælibet potest facile defendi: hæc tamen posterior videtur probabilior; tum propter autoritatem D. Thom. tum quia est magis consentanea verbis euangelij. Tum quia ad finẽ, & vtilitatem huius miraculi hoc satis est, & ideò non est augendũ miraculum sine necessitate: multo autẽ maius miraculũ est mortale corpus totum intimẽ lucere, quam in sola superficie extrema claritatem quantancũq; recipere. Qua propter licet probabile sit corpora gloriosa fut u

D. Thom. Durand.

Responsio

sa futura esse lucida omnino, & transparē A bra omnia in seipsis visa sint, nec necessarium est, nec verisimile, quanquam (si id asseratur) multo magis dicendum erit omnia illa perfusa fuisse lumine, & claritate. Sed illud prius (vt dixi) est verisimilius, Quod etiam Augustinus significauit illis verbis, *Caro illuminata per vestimēta radiabat*, & idem sensit Lyranus Luc. 9. dicens, *Vestimenta facta esse candida, vt essent conformia claritati corporis.* August. Lyra.

tia, nō est necesse, vt de corpore Christi in transfiguratione hòc fateamur. Quia licet tunc assumpserit claritatem gloriæ, non tamen modo perfecto, & stabili, & ideò satis est, quòd superficie tenus assumpserit.

Dubium 3 Matt. 17. Luc. 9. Tertium dubium esse potest, an hæc claritas fuerit tantū in facie Christi. Et ratio dubitandi esse potest, quia Matth. solū dicit, *Et resplenduit facies eius sicut sol.* Luc. verō, *Et facta est species vultus eius altera*, indicāt ergo solū in facie Christi fuisse claritatē illā. Deinde ad vtilitatē miraculi hoc satis est, qui sola species faciei ab Apostolis conspiciebatur. Nihilominus verisimilius est, totū corpus fuisse claritate perfussum, quia totum dicitur *transfiguratum*, seu *transformatum*. Et quia totum informabatur anima beata, & quia tota hæc illustratio poterat miraculo deseruire. Nā dum Euangelistæ dicunt splenduisse faciē eius, non excludunt reliquas corporis partes. B Nam sine dubio etiam splendebāt manus cum cerni oculis possent, reliquæ autem intimæ partes, quæ vestibus tegebantur, quanuis inse se immediatè non viderētur, in vestib⁹ tamē quodāmodo cōspiciebātur nēpe per splendorē, qui in vestes ipsas redūdabat. Vnde Marc. nulla faciei facta mētione solum dixit, *Transfiguratus est, & vestimenta eius facta sunt splendentia*, vbi particula, &, consequutionem quandā videtur significare, ac si diceret, totus ipse est trāsfiguratus, & noua claritate perfussus: vnde factum est, vt etiam vestimenta splenduerint, est ergo verisimile claritem illam per totum Christi corpus fuisse diffussam. Quam sententiam expressè docuit Hiero. in epist. 61. ad Panmachium aduersus errores Ioannis Ieroſolimitani, dicens, *Sic & Dominus noster in monte transfiguratus est in gloria, nō vt manus, ac pedes, cæteraq; mēbra perderet, & subito in rotunditate, vel solis, vel sphęrę volueretur: sed eadem membra solis fulgore rutilantia Apostolorum oculos præstringerent: Vnde & vestimenta eius mutata sunt in candorē, non in aerem, ne forte & vestes eius asseras spirituales. Et facies eius (inquit) fulgebat sicut sol. Vbi autem facies nominatur, existimo, quod & cætera membra conspecta sint.* Quod vltimum verbū sic intelligendū existimo, esse conspecta per vestimentorum splendorem, qui ex corpore radiabat. Nam, quòd vestes ipsæ factæ sint transparentes, & mē

Respōsio

Totū Christi corpus claritate gloriæ perfussum.

Marc.

Hieron.

C

SECTIO SECVNDA

Vtrum Moyses, & Elias vere cum Christo apparuerint in eius transfiguratione.

PRincipio dicendū erit de Elia, de quo minor difficultas est. D. Thom. igitur art. 3. refert Glossam super Luc. 9 dicentem Eliam verè non apparuisse, sed angelico ministerio simulacrum Eliæ demōstratū esse, & in solutione ad. 2. dicit illā Glossam sumptā fuisse ex libro de mirabilibus sacræ Scripturæ, Augustino falso ascripto, ac propterea nullius esse autoritatis. Sed in illis libris de mirabilibus sacræ scripturæ eam inuenire non potui. Nam licet referri soleat ex lib. 3. cap. 13. tamē ibi nulla omnino fit mentio Eliæ, in capite autem. 10. expresse contrarium docetur. nimirum vere ibi Eliā apparuisse. In Glossa verō ordinaria, & apud Hugonem Luc. 9. indicatur hęc sententia, & vt probabilis relinquitur, eāque tribuit Ambrosio Hugo Cardinalis, quam apud illum non reperio, neque alium inuenio huius sententiæ defensorē, neq; rationē, qua nitatur, quapropter, vt erronea reiicienda est. D. Thom. Glos. Glos. ord. Hugo Ca.

Dicendum itaque Eliam in propria, ac vera persona corpore, & animo viuētē ibi apparuisse. Hoc probatur ex historia euāgelica, Marc. enim sic inquit, *Et apparuit illis Elias cum Moyse*, Matthæus verò, *& apparuerūt Moyses, & Elias cūeo loquentes*, Lucas autem addit, *& ecce duo viri loquebantur cum eo, erant autem Moyses, & Elias.* Quæ verba in sua proprietate, quam historia requirit, vera esse non possunt nisi in prædicto sēsu, & ideò omnes Patres ita illa intelligunt, & consentit vniuersa Ecclesia. Præterea nulla in hoc est difficultas, quia Elias corpore, & animo viuus perseuerat, vt est cōmunis traditio Patrū, quos infra agentes de secundo Christi aduētu cōmemora- Marc. 9. Mat 17. Luc. 9. *Elias vere in transfiguratione Christi apparuit.*

morabimus, nunc duos tantũ testes proferamus. Alter est Aug. lib. 1. de peccator. meritis cap. 3. dicens, *Neque enim Enoch, & Elias per tam longam ætatem senectute marcuerunt, neque tamen credo eos iam in illam spiritualem qualitatem corporum commutatos, qualis in resurrectione promittitur, quæ in Domino prima præcessit, nisi quia isti fortasse, neque ijs cibis egent, qui sui consumptione reficiunt.* Alter est Tertull. lib. de anima. ca. 35. *Elias* (inquit) *non ex decessione vitæ, sed ex translatione venturus est, neque corpori restituendus, de quo nõ est exemptus, sed mundo reddendus, de quo est trãslatus, non ex postliminio vitæ, sed ex supplemẽto prophetiæ.* Cum ergo Elias nõ esset ex mortuis reuocãd⁹, sed ex alio loco, in quo viuit in montem Thabor transferendus, quod facili negotio fieri poterat, non est, quod ambigamus ita factum esse, cum scriptura dicat ibi Eliam apparuisse, & cum Christo loquutum esse. Vnde meritô Epipha. hæres. 64. ex Proclo, & Methodio hæc verba refert, & approbat. *Nihil Dominus mentitus est, quare non spectrum, aut visum ostẽdit discipulis in monte, Eliam, & Moysem, quo ipsos deciperet, sed id, quod erant ex ra falsitatem.* Statim verô occurrebat quæstio, ex quo loco adductus sit, D. Thom. enim hic solum dicit allatum esse nõ de cœlo empyreo, sed de aliquo eminenti loco, quô fuerat curru igneo raptus, sed quæstionem hanc in prædictum locum reiiciamus, vbi de Elia ex professo disputabimus.

Secundò ex dictis licet colligere veram Moysis animam alicui corpori coniunctam præsentẽ mysterio affuisse. Hoc enim, vt minimum probant verba scripturæ, & communis omnium Patrum cõsensus, vt statim videbimus. Vnde Augu. lib. de cura pro mortuis agẽda. c. 15. vbi probat animas mortuorum interdum apparere, cum induxisset Samuelis exemplum, quod in dubium reuocari poterat, subdit. *Quid de Moyse dicturi sum⁹ qui & in Deut. mortuus, & in Euangelio cum Elia, qui mortuus nõ est, legitur apparuisse viuentibus?* Vbi aperte sentit hoc non posse in dubium reuocari. Quapropter quod Hugo Cardinalis Luc. 9. ex Chrysost. refert, nullam animam ex inferno exiisse, donec Christus illuc descendit, intelligendum est de exitu ad statum gloriæ, quamuis ipse Hugo non rectè in hoc sentiat, sicut de Elia dictum est.

Controuersia autem est, in quo corpore Moyses apparuerit, & quomodo illi fuerit anima coniuncta. Quam vt explicemus, supponendum est, ante illud mysterium animam Moysis mansisse à corpore separatam, & in sinu Abrahę cum aliis Patribus quieuisse. Quod præmitto ad excludendas duas falsas opiniones. Prior est quorundam, qui dixerunt Moysem nondum esse mortuum, sed cum Elia vsque ad iudicii diem reseruari, vt iidẽ sint testes iudicii, qui fuerunt trãsfigurationis. Ita sentit Hilarius can. 20. in Matt. Amb. etiam lib. 1. de Cain, & Abel cap. 2. sentit Moysem non fuisse mortuum, & ideò dicit, *Nemo scit sepulturam Moysi, quia vitam eius omnes nouerunt.* Idem insinuat Hieron. exponens verba illa Amos. 9. *Qui ædificat in cœlo ascensionem suam, Ascendit* (inquit) *Dominus in cœlo cum Henoch, ascendit cum Elia, ascendit cum Moyse, cuius sepulturæ locus quia in cœlum ascenderat, in terra non potuit inueniri,* & Greg. Nyssen. lib. de vita Moysis sub finẽ sic de illo scribit, *Virtuosa vita huius sæculi finẽ affert verbo Dei consũmatũ, finẽ dico viuũ, cui non succedat sepultura, cui nõ addatur tumulus, cui nullã oculis caliginẽ, nullã faciei corruptionem inducat.* Et ex recentioribus tenuit hanc sententiam Catharin. Gen. 1. & 2. & Ioannes Arboreus lib. 11. Theosophiæ. c. 11. Qui autores nituntur quibusdam coniecturis, quas omitto, quia nihil habent difficultatis. Præsertim cũ de morte Moysis expressa habeamus sacræ scripturæ testimonia, Deut. 34. sic dicitur *Ascendit Moyses super montem Nebo, mortuusque est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab iubente Domino.* Quæ vulgata versio tollit ambiguitatem, quam habet versio septuaginta interpretum, & Ambrosium decepit. Illi enim legũt, *Mortuus est ibi iuxta verbum Domini*, exquo Ambros. colligit, illam non fuisse veram mortem, nam verbũ Domini non occidit, sed viuificat. Quæ leuis est coniectura, nam verbum Dei interdũ occidit. Verbum ergo illud nullum aliud fuit, nisi illud, quod cap. 32. Dominus dixerat Moysi, *Ascende in montem Nabo, & morere in monte.* Quod esse intelligendum de vera morte, tam expressè ibi explicatur, vt non videatur, quomodo potuerit in dubium reuocari. Additur enim, *Quem conscendens iungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, & appositus populis suis.* Quid clarius? Rursus additur,

Quia

Sepulcrũ Moysis occultũ quare.

Quia prævaricati estis cõtra me in medio filiorũ Israel. Vbi illa matura mors dicitur esse pœna illius culpæ. Denique post mortem dicitur traditus sepulturæ, vnde quod sepulcrum eius occultum dicatur, tãtũ abest vt inde conijciendum sit fuisse mortis expertem, vt potius mortem eius manifesto confirmet. Vnde Epiphan. lib. 1. Hæres 9. scribit corpus Moysis fuisse ab angelis sepultum, quod in honorem tanti viri factũ esse dicit Oecumen, super epistolam Iudæ ex Philone lib. de vita Moysis, & latè tractat Abulens. Deuter. 34. q. 3. & sequentibus. Chry. verò hom. 1. in Matt. dicit factum id esse, ne Hebræi corpus eius adorarent. Denique Iosephus lib. 4. antiquitatũ in fine, dicit consulto Mosem in sacris voluminibus scripsisse se mortuũ, ne Iudæi propter excellentem eius virtutem ãDeo raptum prædicarent.

Epiphani. Philo.

Abulens. Chrys. Ioseph.

Posterior sententia (quam etiam omnino falsam esse supponimus) dicit Mosem quidem mortuum esse: statim tamen surrexisse, ac propterea sepulcrũ eius agnouisse neminem, Ita tradidit Rabbi Samuel lib. de aduentu Messiæ, cap. 13. Sed hæc sententia erronea est, & sine vllo fundamento, & contra omnium Patrum consensum, vt videbimus statim, & latius infra agentes de descensu Christi ad inferos.

Rabbi Samuel.

Cum igitur animus Mosis tunc esset ã corpore separatus, de corpore in quo apparuit in trãsfiguratione, duplex est opinio. Prima apparuisse in corpore aereo, quod non informabat: sed solum vt motor illi coniungebatur, ad eum modum, quo angeli solẽt assumere corpora. Hæc est opinio D. Th. hic ar. 3. ad. 2. quem Lyranus sequitur Matth. 17. & Abulen. q. 54. & 55. ibi. Ratio solum est, quia ad illam apparitionem id satis erat, neque oportebat tantum miraculum fieri, cũm statim esset corpus relicturus.

D. Thom.

Abulen.

Secunda sentẽtia est, Moysem in suo vero corpore per veram resurrectionem, & propriam animæ informationem apparuisse. Ita docet Hieronym. cap. 17. Matt. illis verbis, *Moyse ab inferis resurgente.* Idem expresse Augus. dicto lib. 3. de mirab. sacræ scripturæ cap. 10. vbi in terminis quæstionem tractat, & vtramque opinionem referens, hanc eligit, & eandem indicat Damascen. dicta orat. dicens *In hoc monte mortuorum resurrectionis fides astruitur, ac mortuorum, ac viuorum Dominus esse declaratur, vt qui scilicet ex mortuis Moysem assumpserit, viuum autem Eliam testem adhibuerit,* & hanc opinionem amplexus est Sotus in. 4. d. 43 q. 2. ar. 1. ad. 2. Et licet prima sit probabilis hæc mihi magis probatur. Primo, quia hoc modo syncerior est veritas scripturæ. Dicit enim apparuisse Moysem, non esset autem Moses in omni propritate, nisi corpore constaret. Secundo, quia ibi apparuerunt Moses, & Elias, vt essent testes gloriæ Christi, qua propter non fictè, sed vere apparere debuerunt, ergo eadem ratione debuit adesse Moses in corpore proprio, quia adhibitus est, vt esset testis oculatus, qui proprijs sẽsibus gloriã Domini cõspiceret, quod esse nõ poterat, nisi in proprio corpore. Tertio, quia (vt est probabilior opinio) anima separata vi sua naturali non potest assumere corpus, neque mouere illud, ergo vt anima Moysis assumeret aereũ corpus, & per illud loqueretur, oportebat vim ei supernaturalẽ, & miraculosam imprimi, ergo, si oportet, vt fateamur aliquod supernaturale opus, melius est proprij corporis assumptionem, ac temporaneam resurrectionem fateri, cum & æquè facile à Deo fieri potuerit, illaque posita, scripturæ verba, ac totum mysterium prius, ac verius intelligantur. Quin etiam consonum huic sententiæ est, quod aliqui ex antiquis Patribus docent, in transfiguratione expleuisse Deum quod Moysi promiserat Exod. 33. Vbi Moysi petenti à Deo. *Ostende mihi gloriam tuam,* Dominus respondit, *cum transibit gloria mea, videbis posteriora mea,* vt exponit Tertullian. libr. 4. Marcion. cap. 22. & lib. contra Praxeã capit. 14. quibus locis dicit etiam in hoc monte expletum esse illud Num. 12. *Os ad os loquar ad eũ in specie, nõ in ænigmate,* idest *in specie hominis, quam erat gestaturus.* Eãdem expositionem late tradidit Irenæus lib. 4. contra hæres. cap. 37. & Cyril. Ierosolym. cat. 10. & Origen. hom. 12. in Exodũ, qui omnes Patres sentiunt Moysem non tantum visione intellectuali, sed etiam corporali vidisse gloriam Christi, & similiter, esse cum eo locutum, sentiũt ergo in proprio corpore viuum apparuisse.

Exod 33.

Tertul.

Irenæ. Cir. Ieros. Orig.

Moyses in proprio suo corpore in transfiguratione apparet. Hierom. Augusti. Damas.

Sed duo hinc oriũtur breuia dubia. Primum est, an corpora Moysi, & Eliæ apparuerint etiam splendentia, & gloriæ claritate rutilantia. Et ratio dubij esse potest, quia

Dubium. 1

quia Lucas inquit, *Erant autem Moyses, & Elias visi in maiestate*, quod alij vertunt, *visi in gloria, iuxta proprietatē vocis Græcæ δοξα.*

Vnde Tertulli. libr. contra Marc. cap.22. dicit Moysem, & Eliam visos esse *In consortio claritatis, quod dignationis, & gratiæ exemplum est.* Et Origenes. homili. 12. in Exod. *Apparuerunt* (ait) *Moyses, & Elias in gloria, hic non refertur, quia glorificatus est vultus eius*, scilicet Mosis, *sed quia totus apparuerit in gloria*, & infra, *necessario gauisus est, quia iam non solum vultu glorificatus descendit de monte, sed totus glorificatus ascendit in montem.* Quin Damasc. dicta orat. de transfiguratione, eandem sententiam indicans, rationem adhibet dicens. *Oportebat siquidem ipsis* (idest, discipulis) *conseruorum suorum, ac Dei famulorum gloria, animiq; fiducia cōspecta, Domini benignitatē, atq; indulgētiā admirari, atque zelū inde maiorē cōcipere, & ad suscipienda certamina cōfirmari*, & eādē sententiam indicat Epiphan. hære. 42. dū inquit Christum duxisse secū in propria sua gloria Moysem, & Eliam, & ostendisse discipulis, *quo ipsos cohæredes sui regni ostenderet.* In contrarium verò est. Primo, quia euangeliū de solo Christo dicit, *Resplenduit facies eius, sicut sol*, & solum illum fuisse transfiguratum, at si Elias claritatē glorię accepisset, etiam ille esset transfiguratus. Deinde quia Moyses, & Elias nō erant beati secundum animam, ergo non cōueniebat illis: vt haberent corpora glorificata.

Tertul. *Orig* *Damas.* *Epiphan.*

In hac re probabilius videtur, eos aliquomodo fuisse factos participes gloriæ, & claritatis corporis Christi (vt Lucas significat) videtur autem verisimile, habuisse illam claritatem ex consortio, & redundantia corporis Christi, quod videtur significasse Tertull. supra, loquens de Moyse, dum ait *stetisse cum Christo os ad os, & facie ad faciem, & in gloria ipsius nedum in conspectu. De qua* (inquit) *gloria non aliter illustratus discessit a Christo, quam solebat a creatore.*

Responsio Corpora Moysis & Eliæ nū apparuerit cū claritate gloriosa. *Tertul.* *Exod. 34.*

Alterum dubium est. Quomodo cognouerit Petrus Mosem, & Eliam. Hoc tetigit Tertull. supra, & primum dicit, nō potuisse eos cognoscere per imagines eorū, quia imaginum vsus erat Hebræis prohibitus. Sed hæc ratio rem incertam assumit, vt latè in priori tomo dixi disput. 54. sectio. 1. & 2. est tamen ratio verisimilis, Quia (quantum ex historijs colligitur) imagines apud Hebræos non erāt in vsu. Deinde docet Petrum eos cognouisse, *in spiritu*, idest, interno instinctu, & reuelatione, & est hoc verisimile. Quia cùm illi apparerent vt testes maiestatis, & gloriæ Christi, oportebat eos ab Apostolis cognosci. Tertio verò non est improbabile eos fuisse cognitos ex colloquio cū Christo, vel quia interdum sunt ab illo proprijs nominibus appellati, vel quia talem sermonem ipsi habuerunt de passione Christi, vt ex illo agnosci potuerint, vt notauit. & latius explicuit Iansen. cap. 67. concordiæ.

Dubiū. 2. *Tertul.* *Responsio Quomodo Moysē, & Eliā in mōte Thabor Petrus agnoscit.* *Ians.*

SECTIO TERTIA.

Quibus circunstantijs, quo ve ordine facta sit transfiguratio.

IN hac sectione breuiter comprehendā pauca quædam, quæ ad completam huius mysterij explicationem videtur necessaria. Primū igitur de tēpore, in quo Christus transfiguratus est, scilicet quo mense, die, aut anno, nihil ferè inuenio ab autoribus scriptum. Illud solum ex serie euangelicæ historiæ verisimilius colligitur, Christū post mortem Ioannis, cùm iā trigesimum tertium ætatis annum ageret nec multum à passione abesset, quam paulo antea (Matt. 16.) vt iam imminentem, discipulis nuntiauerat, transfiguratum esse. Ita sentiūt Ammon. Alexan. in harmonia euangelica, Iansenius in concordia, et Baronius in annalibus. In verbis autem euāgeliorū notari solet quædam diuersitas. Nam Matt. Marc. et Lucas numerant diē trāsfigurationis ab eo die, in quo Christus sermonem habuerat cum discipulis, eosque ad crucem ferendam hortatus fuerat, cōcludens sermonem illis verbis, *sunt de hic stantibus, qui non gustabūt mortem, donec videant filium hominis* &c. & Matt. & Mar. dicunt transfiguratum esse, *post dies sex.* Lucas vero *fere post dies octo*, Sed hāc varietatem facile Patres conciliant, quia Matt. & Mar. omiserūt dies extremos, quos Lucas numerauit. Ita Aug. de consensu euangelistarum cap. 56. & omnes expositores, & Epipha. lib. 2. hęres. 66. in fine, ac Damascen. in prædicta oratione. Qui addit Euangelistas vtroque modo numerasse proter

Transfigurationis Christi tempus. *Mat. 16.* *Amō Ale.* *Iansen.* *Baron.*

ter varia mysteria, quę in vtroque numero indicantur, vt latius ipse prosequitur.

Secundô de loco. Primum euangelistæ dicunt, Christum transfiguratũ esse in mõte. Cuius rei sancti Patres varias rationes morales, & mysticas afferunt. Illæ nobis sufficiant, quas paucis verbis cõplexi sunt Damasc. dict. orat. & Euthy. super Mat. *sub ducit illos in montẽ excelsum, Seorsim, vt a nullo alio conspici posit, nihil enim faciebat ad gloriam, sed omnia ad vtilitatem.* Præterea, vt discamus oportere ă terrena subleuari humilitate eum, qui diuina cõtẽplatione dignus habendus est. Item vt ostenderet tantum perfectis in caritate fore manifestandum. Denique quoniam solitudo mater est orationis. Addit Tertull. lib. 4. cõtra Mar. ca. 22. *In montem secedit, nam & pristinum populum apud montem, & visione, & voce sua Creator initiarat, oportebat in eo suggestu consignari nouum testamentum, in quo conscriptum vetus fuerat, sub eodem etiam ambitu nubis, quam nemo dubitauit de aere creatoris conglobatã. Nec nunc muta nubes fuit, sed vox solita de cœlo, & Patris nouum testimonium super filium, de quo in psal. 2. Filius meus es tu, ego hodie genui te, & in Isaia, quis Deum metuẽs audit vocẽ filij eius?*

Addunt præterea euangelistæ illum fuisse montem Thabor, quem multi censent esse illum montem, in quem (vt dicitur Matt. 28) discipuli iusu Domini cõgregati sunt vt ipsum ascendentem in cœlum conspicerent. Qui propterea in magna veneratione à Christianis est habitus, vt ex Hiero. colligitur in Epitaphio Paulæ, vbi refert eam solitam esse montem illum religionis ergo conscendere, & ex Beda de locis sanctis cap. 17. qui refert ibi fuisse tres ecclesias ædificatas in memoriam huius mysterij. Denique Damasce. supra dicta orat. intelligit tunc impletum esse illud psal. 88. *Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt. Nam Hermon (inquit) prius exultauit, quando paterno testimonio Christo ad baptismum profecto filij nomen tributum est, nunc vero exultat, ac lætitia perfunditur Thabor, diuinus, ac sanctus ille mons non minus gloria, quam altitudine sublimis.* & cætera, quæ ibidem eleganter prosequitur.

Tertiô circa ordinem ex Matt. & Marc. colligitur, primõ Christum fuisse transfiguratum, deinde apparuisse ei Moysem, & Eliam, postea dixisse Petrum, *Bonum est nos hic esse*, & statim factam esse nubem, quæ omnes illos complexa est, ac tunc auditam vocem *Hic est filius meus dilectus*, qua territi discipuli ceciderunt in terram, posteaq; à Christo confortati, leuantes oculos *neminem viderunt nisi solum Iesum*. Ex Luca verò addendum est, antequam Christus transfiguraretur, orasse, & interim discipulos somno grauatos dormitasse eisque, dormientibus Christum transfiguratum esse, eique Moysem, & Eliam apparuisse, & postea Apostolos excitatos è somno vidisse gloriam Christi, & qui cum eo adstabãt. Subdit autem Lucas Petrum non esse locutũ donec Elias, & Moyses iam â Christo discedebant. Quod nonnullam difficultatem habet, quam tetigit Aug. lib. 2. de consensu Euangelist. cap. 56. quia alij Euangelistæ significant multo antea Petrum loquutum, quâm Moyses & Elias cum Christo loquerentur. Dicendum verô est Petrum non esse loquutũ donec Moyses, & Elias colloquium cũ Christo finierũt, & signũ aliquod discedendi prębuerũt. Hinc enim Petrus motus videtur ad ea verba proferẽda, quasi dolens, quod gaudium illud tam breui tempore duraret. Addunt denique Euangelistæ præcepisse Christum discipulis, ne quidquam de ijs, quę viderant, loquerentur. Cuius rei causas adducit hic D. Tho. ar. 3. ad. 4. ex Hieronymo, quibus addi potest alia ex Damas. supra, quæ mihi valde placet, hoc fecisse Christum, ne aliorum discipulorum pectora mæstitia perfunderentur. Adde etiam, ne inuidię stimulis cõcitarentur, & præsertim (ait Damas.) *ne proditorem inuidiæ rabies in furorem ageret.*

Locus transfigurationis Christi. *Damasc.* *Euthym.*

Transfigurari in mõte cur Christus voluit, Tertul. *Exod. 19.*

Psal. 2. *Isai. 50.*

Matth. 28

Hieron.

Beda.

Damasc, Psal. 88.

Ordo gestorum in trænsfiguratione Crhisti.

Dublium.

Aug.

Resposn.

D. Thom. *Hieron.* *Damasc.*

QVAESTIO. XLVI.

De pasione Christi, in duo decim articulos diuisa.

De qua Doctores in. 3. d. 15. vsque ad. d. 20

Consequenter considerandum est de his, quæ pertinent ad exitum Christi de mundo. Et primò de pasione eius: secũdo de morte: tertiò de sepultura, quarto de descensu ad inferos. ¶ *Circa pasionẽ occurrit triplex cõsideratio: prima de ipsa pasione: secunda de causa efficiente pasionis: tertia de fructu pasionis.*

Cir-

¶ Circa primum quærentur duodecim. ¶ Primò, vtrùm necesse fuerit Christum pati pro liberatione hominum. ¶ Secundò, vtrùm fuerit alius modus possibilis liberationis humanæ. ¶ Tertiò vtrũ ille modus fuerit cõueniẽtior. ¶ Quarto, vtrũ fuerit conueniens quod in cruce pateretur. ¶ Quinto, de generalitate passionis eius. ¶ Sexto, vtrum dolor, quem in passione sustinuit, fuerit maximus. ¶ Septimo, vtrum tota anima eius pateretur. ¶ Octauo, vtrum passio eius impediuerit gaudium fruitionis. ¶ Nono, de tempore passionis. ¶ Decimo, de loco. ¶ Vndecimo, vtrũ cõueniens fuerit, ipsũ cũ latronibus crucifigi. ¶ Duodecimo, vtrũ passio ipsius Christi sit diuinitati attribuenda.

QVoniã præcipua mysteria â Christo in vltima cœna peracta, in sequẽti tomo in materia de Eucharistia explicãda sunt, ideò eis prætermissis incipit D. Th. agere de passione. In quo tractatu multa repetit, quę de incarnatione, & actionibus Christi in genere dicta sunt, & ideò vt breuitati consulamus, ea semper omittemus, & loca designabimus in quibus in priori tomo tractata fuerint.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum fuerit necessarium Christum pati pro liberatione humani generis.

246. 3. dist. 20. art. 1. q. 3. & ar. 4. q. 1. Et op. 2. ca. 7.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd non fuerit necessarium Christum pati prò humani generis liberatione. Humanũ enim genus liberari non poterat nisi à Deo: secundũ illud Isa. 45. Nun quid nõ ego Dominus, & nõ est vltrà Deus absq; me? Deus iustus, & saluans nõ est præter me. In Deum aũt non cadit aliqua necessitas: quia hoc repugnaret omnipotentiæ ipsius. Ergo non fuit necessariũ Christum pati. ¶ 2. Præterea, Necessariũ volũtario A opponitur. Sed Christus propria volũtate est passus: dicitur. n. Isa. 53. Oblatus est, quia ipse voluit, non ergo necessariũ fuit eũ pati. ¶ 3. Præterea, Sicut in Psal. 24. dicitur. Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas. Sed non videtur necessariũ, quòd patereturex parte misericordiæ diuinæ: quæ sicut gratis donatribuit, ita videtur, quòd gratis debita relaxet absque satisfactione, neq; etiã ex parte diuinæ iustitiæ, secundũ quã homo æternã dãnationẽ meruerat. Ergo videtur, non fuisse necessarium quod Christus pro liberatione hominum pateretur. ¶ 4. Præterea, Angelica natura est excellẽB tior, quã humana, vt patet per Diony. 4. ca. de di. no. Sed pro reparatione angelicæ naturæ, quæ peccauerat, Christus nõ est passus. Ergo videtur, quod nec etiam fuerit necessariũ eũ pati pro salute humani generis. ¶ Sed contra est, quod dicitur Ioã. 3. Sicut Moyses exaltauit serpẽtẽ in deserto: sic oportet exaltari Filiũ hominis, vt omnis qui credit in eũ, non pereat, sed habeat vitã æternã. Quod quidem de exaltatione in cruce intelligitur, ergo videtur, quod Christum oportuerit pati. ¶ Respõdeo dicendũ, quod (sicut Philosophus docet in quinto Meta.) necessariumC multipliciter dicitur. Vno quidem modo, quod secũdum sui naturã impossibile est aliter sehabere: & sic manifestũ est, quod nõ fuit necessariũ Christum pati, neq; ex parte Dei, neq, ex parte hominis. Alio modo dicitur aliquid necessarium ex aliquo exteriori. Quod quidem si sit causa efficiens vel mouẽs, facit necessitatem coactionis: vt pote cùm aliquis nõ potest ire propter violentiam detinentis ipsum. Si verò illud exterius, quod necessitatẽ inducit, sit finis, dicetur ailquid necessarium ex suppositione finis, quando scilicet finis aliquis, aut nullo modo potest esse, aut non potest esse conuenienter, nisi tali fine præsupposito. Non ergo fuit necessarium Christum pati necessitate coac-

cap. 4. non remote & princ.

li. 5. tex. 6. to. 3.

tionis, neque ex parte Dei, qui Christum diffiniuit pati, neque etiam ex parte ipsius Christi, qui voluntariè passus est. Fuit autem necessarium necessitate finis: qui quidem potest tripliciter intelligi. Primò quidem ex parte nostra, qui per eius passionem liberati sumus: secundum illud Ioan. 3. Oportet exaltari Filium hominis. Vt omnis, qui credit in eum non pereat sed habeat vitam æternam. Secundò, ex parte ipsius Christi, qui per humilitatem passionis meruit gloriam exaltationis. Et ad hoc pertinet quod dicitur Lucæ vlti. Nonne oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam? Tertiò, ex parte Dei, cuius diffinitionem circa passionē Christi prænuntiatam in scripturis, & præfiguratam in obseruantia veteris Testamēti oportebat impleri. Et hoc est quod dicitur Luc. 22. Filius hominis, secundū quod definitum est, vadit. Et Luc. vltim. Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd ratio illa procedit de necessitate coactionis ex parte Dei. ¶ Ad secundum dicendū, quod ratio illa procedit, de necessitate coactionis ex parte hominis Christi.

¶ Ad tertium dicendum, quod hominem liberari per passionem Christi, conueniēs fuit, & misericordiæ, & iustitiæ eius. Iustitiæ quidem: quia per passionē suam Christus satisfecit pro peccato humani generis: & ita homo per iustitiam Christi liberatus est. Misericordiæ verò, quia cum homo per se satisfacere non posset pro peccato totius humanæ naturæ (vt suprà habitum est) Deus ei satisfactorem dedit filium suum, secundum illud Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quē proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Et hoc fuit abundantioris misericordiæ, quā si peccata absq; satisfactione dimisisset. Vnde dicitur Ephes. 2. Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo. ¶ Ad quartum dicendum, quod peccatum Angeli non fuit remediabile sicut peccatum hominis, vt ex supradictis in prima parte patet. 1.1 ar.2. P.p.q.64. ar.2.

COMMENTARIVS.

TExtus D. Tho. est perspicuus, si aduertamus eum non loqui, de necessitate simpliciter, neque ad melius esse, vel ex suppositione, sed abstracte, ac precisse, nam in sequentibus explicat modū huius necessitatis. Tres verò quæstiones hic attigit D. Tho. Prima, an Christus liberè, vel necessariò se se morti obtulerit, quā priori tomo disp. 37. latè disputauimus. Secunda, an eius passio fuerit necessaria ad reparationem generis humani. Tertia, in sol. ad 3. cur Deus hominem lapsum reparauerit, & non Angelū, quas eodem tomo disp. 4. sectione. 1. & 2. & 4. tractauimus, vbi etiam diximus, cur magis dicatur nos redemisse Christus per passionem, & mortem, quàm per alia opera vitæ suæ.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum fuerit possibilis alius modus liberationis humanæ, quam per passionem Christi.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod non fuerit, possibilis alius modus liberationis humanæ, quam per passionem Christi. Dicit enim Dominus Ioan. duodecimo. Nisi granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum 247 3. dist. 20. art. 4 q. 1. Et opus. 1. ca. 17.

tuum fuerit multum fructum affert, vbi dicit Augustin. quòd seipsum granum dicebat: Nisi ergo mortem passus esset, aliter fructum nostræ liberationis non fecisset.

Trac. 51. in Ioan. circa med. to. 9.

¶ 2. Præterea, Matth. 26. Dominus dicit ad Patrem, Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Loquitur autẽ ibi de calice passionis, ergo passio Christi præterire non poterat. Vnde & Hilar. dicit: ideò calix transire non potest, nisi illum bibat, quia reparari, nisi ex eius passione non possumus.

Canon. 31. in Matt. nõ multum re mote a fine.

¶ 3. Præterea Iustitia Dei exigebat, vt homo à peccato liberaretur, Christo per passionem satisfaciente. Sed Christus B suam iustitiam non potest præterire: dicitur enim 2. ad Timoth. 2. Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. Seipsum autem negaret, si iustitiam suam negaret, cum ipse sit iustitia, ergo videtur, quòd non fuerit possibile alio modo hominem liberari, quã per passionem Christi.

¶ 4. Præterea, Fidei nõ potest subesse falsum. Sed antiqui Patres credidérũt Christum passurum, ergo videtur, quòd non potuerit esse, quin Christus pateretur.

¶ Sed contra est, quòd Augustin. dicit 13. C de Trin. Istũ modum, quo nos per mediatorẽ Dei, & hominum, hominem Christum Iesum, Deus liberare dignatur, asserimus bonum, & diuinæ congruum dignitati: verum etiã ostendamus, non alium modũ possibilem Deo defuisse, cuius potestati cuncta æqualiter subiacent.

li. 13. c. 10. circa pr. n. to. 3.

¶ Respondeo dicendum, quòd aliquid potest dici possibile, vel impossibile dupliciter. Vno modo simpliciter, & absolutè, alio modo ex suppositione. Simpliciter igitur & absolute loquẽdo, possibile fuit Deo alio modo hominẽ liberare, quã per passionẽ Christi: quia non est impossibile apud Deũ omne verbum, vt dicitur Luc. 1. Sed ex aliqua suppositione facta, fuit impossibile: quia enim impossibile est Dei præscientiam falli, & eius voluntatem, seu dispositionem cassari, suppositis præscientia, & præordinatione Dei de passione Christi, non erat simul possibile Christum non pati, vel hominem alio modo, quàm per eius passionem liberari. Et est eadem ratio de omnibus his, quæ sunt præscita, & præordinata a Deo, vt in prima parte habitum est.

¶ Ad primum ergo dicendũ, quod Dominus ibi loquitur suppositis præscientia, & præordinatione Dei, secundũ quãd erat ordinatũ, vt fructus humanæ salutis non sequeretur, nisi Christo patiente. Et similiter intelligendũ est, quod secundo obiicitur. Si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, scilicet propter hoc, quod tu ita dispositi, vnde subdit. Fiat voluntas tua. ¶ Ad tertium dicendũ, quòd hæc etiam iustitia dependet ex voluntate diuina, ab humano genere satisfactionem exigẽte pro peccato, nam si voluisset absque omni satisfactione hominem à peccato liberare, contra iustitiam non fecisset. Ciuilis enim Iudex non potest salua iustitia culpam sine pœna dimittere, qui habet punire culpam in alium commissam: puta, vel in alium hominem, vel in totam rempublicam, siue in superiorem principem. Sed Deus non habet aliquem superiorem, sed ipse est supremum, & cõmune bonũ totius vniuersi. Et ideò si dimittat peccatum, quod habet rationem culpæ ex eo quòd contra ipsum cõmittitur, nulli facit iniuriam: sicut quicunque homo remittit offensam in se commissam absque satisfactione, misericorditer, & non iniustè agit. Et ideò Dauid misericordiam petens, dicebat. Tibi soli peccaui: quasi dicat, potest sine iniustitia mihi dimittere. ¶ Ad quartum dicendum, quod fides humana, & etiam scripturæ Diuinæ, quibus fides instruitur, innituntur præscientiæ, & præordinationi Diuinæ. Et ideo eadem

Parte. 1. q. 13. ar. 3.

ratio est de necessitate, quæ prouenit ex suppositione eorũ, & de necessitate quæ prouenit ex præscientia, & voluntate diuina.

Huic art. nihil addẽdum occurrit; sed videnda sunt dicta in citatis locis.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm fuerit aliquis modus conuenientior ad liberationem humani generis, quam per passionem Christi.

248. 3 dist. 18. art. 6 q 3. cor. Et dist. 20. ar 4. q. 2. Et quol. 2. art. 2.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd alius modus conuenientior fuisset liberationis humanæ, quam per passionem Christi. Natura enim in sua operatione imitatur opus diuinũ, vt pote à Deo mota, & regulata. Sed natura non facit per duo, quod per vnum potest facere. Cum ergo Deus potuerit hominẽ liberare sola propria voluntate, non videtur conueniens fuisse, quòd ad liberationem humani generis Christi passio adderetur.

¶ 2. Præterea, Ea, quæ fiunt per naturã, conuenientius fiunt, quam ea quæ fiunt per violentiam: quia violentia est quædã excisio seu casus ab eo, quod est secundũ naturam: vt dicitur in libro 2. de cœlo. Sed passio Christi mortem violentã induxit, ergo cõueniẽtius fuisset, vt Christus naturali morte moriendo, hominem liberaret, quam quòd pateretur.

Ex lib. 2. tex. 18. to. 2.

¶ 3. Præterea, Conuenientissimum videtur, quòd ille qui violenter, & iniustè detinet aliquid, per superioris potentiã spoletur, vnde Isai. 52. dicitur: Gratis venundati estis, & sine argento redimemini. Sed diabolus nullum ius in hominẽ habebat, quem per fraudem deceperat, & per quandam violẽtiam seruituti subiectũ detinebat. Ergo videtur conuenientissimum fuisse, quod Christus diabolum per solam potentiam spoliaret absque sua passione. ¶ Sed contra est, quod Augusti. dicit 13. de Trin. Sanandæ nostræ miseriæ cõuenientior modus alius non fuit, quàm per Christi passionem.

Li. 13. c. 10. paulo post princ. to. 3.

¶ Respondeo dicendum, quod tantò aliquis modus conueniẽtior est ad assequẽdum finem, quantò per ipsum plura concurrunt, quæ sunt expedientia fini. Per hoc autem, quòd homo per Christi passionem est liberatus, multa concurrerunt ad salutem hominis pertinentia præter liberationem à peccato. Primò enim per hoc homo cognoscit, quantum Deus hominem diligat, & per hoc prouocatur ad eũ diligẽdum, in quo perfectio humanæ salutis consistit. Vnde Apost. dicit Rom. 5. Commendat suam caritatem Deus in nobis, quoniã cũ inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est. Secundò, quia per hoc dedit nobis exemplum obedientiæ, humilitatis constantiæ, iustitiæ, & cæterarum virtutum in passione Christi ostensarum, quæ sunt necessariæ ad humanam salutem. Vnde dicitur primæ Petri 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Tertiò, quia Christus per passionem suam non solum hominem à peccato liberauit, sed etiã gratiã iustificantem, & gloriam beatitudinis ei promeruit, vt infrà dicetur. Quarto, quia per hoc est homini inducta maior necessitas, se immunẽ à peccato conseruandi, qui se sanguine Christi redemptum cogitat à peccato: secundum illud primæ Corinth. 6. Empti enim estis pretio magno: glorificate, & portate Deum in corpore vestro. Quinto, quia hoc ad maiorem dignitatem hominis cessit: vt sicut homo victus fuerat, & deceptus à diabolo, ita etiam homo esset, qui diabolum vinceret: & sicut homo mortem meruit, ita homo moriendo, mortem superaret: vnde dicitur primæ ad Corinthios. 15. Deo

quæst. 48.

gratias,

gratia, qui dedit nobis victoriã per Dominum nostrum Iesum Christum. Et ideo conuenientius fuit, quòd per passionem Christi liberaremur, quàm per solam Dei voluntatem.

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd natura etiam vt aliquid cõuenientius faciat plura ad vnũ assumit, sicut duos oculos ad videndum. Et idem patet in aliis.*

¶ *Ad secundum dicendum, quòd sicut Chrysostom. dicit Christus non sui mortem, quam non habebat, cùm sit vita; sed hominum mortem venerat consumpturus. Vnde non propria morte corpus deposuit, sed ab hominibus illatam sustinuit. Sed etsi ægrotauisset corpus eius, & in conspectu omnium solueretur, inconueniens erat eum, qui sanaret aliorum languores, habere proprium corpus affectum languoribus. Sed & si absque morte corpus alicubi seorsum deposuisset, ac deinde se offerret, non crederetur ei de resurrectione differenti. Quomodo enim pateret Christi in morte victoria, nisi coram omnibus eam patiens, per incorruptionẽ corporis probasset extinctam?* ¶ *Ad tertiũ dicendum, quòd licet diabolus iniustè inuaserit hominem: tamen homo propter peccatum, iustè erat sub seruitute diaboli derelictus à Deo. Et ideo conueniẽs fuit, vt per iustitiã homo à seruitute diaboli liberaretur, Christo satisfaciente pro ipso per suam passionem. Fuit etiam hoc conueniens ad vincendam superbiam diaboli, qui est desertor iustitiæ, & amator potentiæ, vt Christus diabolum vinceret, & hominem liberaret, non per solam potentiam deitatis, sed etiam per iustitiam, & humilitatem passionis, vt Augustin. dicit 13. de Trinitate.*

li.1.ex ca. 13. & 19. simul to.3

COMMENTARIVS.

HIc etiam articulus in supradictis locis est expositus. Solum circa rationes D. Thom. & id, quod Caietan. notat, aduertendum est, duplicem hic fieri posse comparationem vna est, alterius modi redemptionis, qui esset à persona creata, cum redemptione facta â persona diuina, in quo sensu quæstio hæc magis est de incarnatione ipsa, quàm de passione, quanquam rationes D. Thom. præsertim 1.3. & 4. etiam in hoc sensu procedãt. Potest verò fieri alia comparatio inter hunc modum redemptionis, & alium, qui esset ab eadem persona diuina non per mortem: sed per aliud genus actionis, & hæc videtur esse propria huius loci, & de illa optimè procedunt etiã rationes D. Tho. cætera videantur locis citatis.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Christus pati debuerit in cruce.

AD quartum sic proceditur Videtur, quòd Christus non debuerit pati in cruce. Veritas enim debet respondere figuræ. 249 3.dist 20. art.4.q.2. ad.1.Et.4 cõtr.c.55. ad.17. & 18. Et.2. quol.q.1. a.2.Et of. 3.c.235. *Sed in figura Christi præcesserunt omnia sacrificia veteris Testamenti, in quibus animalia gladio necabantur, & postmodum igni cremabantur. Ergo videtur, quòd Christus non debuerit pati in cruce, sed magis gladio, vel igne.* ¶ 2. *Præterea, Damascen. dicit, quòd Christus non debuerit assumere detestabiles passiones. Sed mors crucis videtur fuisse maximè detestabilis, & ignominiosa, vnde dicitur Sapien. 2. Morte turpissima condemnemus eum. Ergo videtur, quòd Christus non debuerit pati mortẽ crucis.* ¶ 3. *Præterea, De Christo dicitur, Benedictus qui venit in nomine Domini, vt patet Matth. 21. Sed mors crucis erat mors maledictionis, secundum illud Deut. 21. Maledictus est à Deo, qui pendet in ligno. Ergo videtur, quòd non fuerit conueniens Christum crucifigi.* ¶ *Sed cõtra est, quod dicitur Phil. 2. Factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.*

li.3. orth. fid.ca.20.

¶ *Respondeo dicendum, quod conuenientissimum fuit Christum pati mortem crucis. Primo quidem, propter exemplum virtutis. Dicit enim Augustin.*

li 83. quæs. q. 25. in pr. to. 4.

lib. 83. quæst. Sapientia Dei hominem ad exemplum, quo rectè viueremus, suscepit. Pertinet autem ad vitam rectam, ea quæ non sunt metuẽda, non metuere. Sũt autem homines, qui quanuis mortem ipsam non timeant, genus tamen mortis horrescunt. Vt ergo nullum genus mortis rectè viuenti homini metuendum esset, illius hominis cruce ostendendum fuit: nihil enim erat inter omnia genera mortis, illo genere execrabilius, & formidabilius. Secundò, quia hoc genus mortis maximè conueniens erat satisfactioni pro peccato primi parentis, quod fuit ex eo quòd contra mandatum Dei, pomum ligni vetiti sumpsit. Et ideo conueniens fuit, quòd Christus ad satisfaciendũ pro illo peccato seipsum patcretur ligno affigi, quasi restituens quod Adam sustulerat: secundum illud Psalm. 64. Quæ non rapui, tunc exoluebam. Vnde Augustin. dicit in quodam sermone de passione. Contempsit Adam præceptum, accipiens ex arbore pomum: sed quicquid Adam perdidit, Christus in cruce inuenit. Tertia ratio est, quia (vt Chrisostomus dicit in sermo. de passione) in excelso ligno, & non sub tecto passus est, vt etiam ipsius aeris natura mundetur, sed & ipsa terra simile beneficium sentiebat, decurrentis de latere sanguinis stillatione mundata. Et super illud Ioan. 3. Oportet exaltari filium hominis, dixit. Exaltari audiens, suspensionem intelligas in altum, vt sanctificaret aerem, qui sanctificauerat terram, ambulando in ea. Quarta ratio est: quia per hoc quòd in alto moritur, ascensum nobis parat in cœlum, vt Chrysostomus dicit. Et inde est, quòd ipse dicit Ioan. 12. Ego, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Quinta ratio est, quia hoc competit vniuersali saluationi totius mundi. Vnde Gregorius Nissen. dicit, quòd figura crucis à medio contactu in quatuor extrema partita, significat virtutem & profundi-

In hom. de cruce & latrone, quæ incipit. Hodierna die, non remote a prin. to. 3

A uidentiam eius, qui in ea pependit, vbique diffusam. Chrysostom. etiam dicit, quòd in cruce expansis manibus moritur, vt altera manu veterem populum, altera eos, qui ex Gentibus sunt, trahat. Sexta ratio est, quia per hoc genus mortis diuersæ virtutes designantur. Vnde Augusti. dicit in lib. de gratia vet. & noui Testament. Non frustrà tale genus mortis elegit, vt latitudinis, & altitudinis, & longitudinis, & profunditatis, de quibus Apostolas loquitur, magister existeret. Nã latitudo quæ est in eo ligno quod transuersum desuper figitur, hoc ad bona opera pertinet: quia ibi extenduntur manus. Longitudo in eo quod ab ipso ligno vsque ad terram conspicuum est, ibi enim quodammodo statur, id est, persistitur & perseueratur, quod longanimitati tribuitur. Altitudo est in ea ligni parte, quæ ab illa quæ transuersum figitur, sursum versus relinquitur, hoc est, ad caput crucifixi: quia bene speranti sum superna expectatio est. Iam verò illud ex ligno quod fixum occultatur, vnde totum illud exurgit, profunditatem significat gratuitæ gratiæ. Et sicut Augustin. super Ioan. dicit. Lignum, in quo fixa erãt membra patientis, etiam cathedra fuit magistri docentis. Septima ratio est quia hoc genus mortis plurimis figuris respondet. Vt enim Augusti. dicit in sermone de passione, de diluuio aquarum humanũ genus arca lignea liberauit. De AEgypto Dei populo recedente, Moyses mare virga diuisit, & Pharaonem prostrauit, & populum Dei redemit. Idem Moyses lignum in aquam misit, & amaritudinem aquæ in dulcedinem commutauit. Ex lignea virga de spirituali petra salutaris vnda profertur. Et vt Amalec vinceretur, circa virgam Moyses expansis manibus extenditur: & lex Dei, arcæ Testamenti creditur lignea, vt his omnibus ad lignum crucis, quasi per quosdam gradus veniatur.

Inepi. 120 c. 26. a medio tom. 2.

Tract. 119 in Io. parũ a pr. to 9.

Ad

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd altare holocaustorum, in quo sacrificia animalium offerebantur erat factum de lignis, vt habetur Exod. 26. & quantum ad hoc veritas respondet figuræ. Non autem oportet, quòd quantum ad omnia: quia iam non esset similitudo, sed veritas, vt Damascen. dicit in 3. lib. Specialiter tamen, vt Chrysostom. dicit, non caput ei amputatur, vt Ioanni, neque sectus est, vt Isaias: vt corpus integrum, & indiuisibile morti seruet, & non fiat occasio volentibus Ecclesiam diuidere. Loco autem materialis ignis, fuit in holocausto Christi, ignis caritatis.*

lib. 3. orth. fid. c. 26. no lõge a fine.

lib. 14. c. 3. & 4. to. 6.

¶ *Ad secundum dicendum, quòd Christus detestabiles passiones assumere renuit, quæ pertinebant ad defectũ scientiæ, vel gratiæ, aut etiam virtutis. Non autem illas, quæ pertinent ad iniuriam ab exteriori illatam: quinimò, vt dicitur Hebr. 12. sustinuit crucem, confusione contempta.*

¶ *Ad tertium dicendum, quòd (sicut Augustinus dicit 14. contra Faustum) peccatum maledictum est, & per consequens mors, & mortalitas ex peccato proueniens. Caro autem Christi mortalis fuit, similitudinem habens carnis peccati: & propter hoc Moyses eam nominat maledictum: sicut & Apostolus nominat eam peccatum: dicens secundæ ad Corinth. 5. Eum qui non nouerat peccatũ, pro nobis peccatum fecit, scilicet propter pœnam peccati. Nec ideò maior inuidia est: quia dixit, Maledictus est à Deo: nisi enim Deus peccatum odisset, non ad eam suscipiendam, atque tollendam filium suum mitteret. Confitere ergo maledictum suscepisse pro nobis, quem confiteris mortuum esse pro nobis. Vnde ad Galat. 3. dicitur. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.*

(?)

A

B

C

COMMENTARIVS.

Passio Christi in cruce multis rationibus conuenientissima.

QVoniam de materia huius articuli integram disputationem instituturi sumus, nunc circa textum D. Thom. solum annotabimus, ex septem rationibus, quibus probat fuisse conuenies Christũ in Cruce pati, non omnes, ac singulas per se sumptas probare assertionem: sed vnaquæq; ratio probat fuisse conueniẽs aliquid, quod in eo mortis genere reperitur, & cõsequenter omnes simul sumptæ rectè concludunt illud mortis genus ad reparationẽ, & exemplũ nostrum fuisse conuenientissimũ. Itaque prima ratio D. Tho. probat decuisse Christum sustinere mortem valde *execrabilem, ac formidabilem.* Quæ duo verba videtur referri ad ignominiã, & dolorem, eò enim magis formidatur mors, quò maioribus cruciatibus, ac doloribus sustinẽda est, & eò magis eam execramur, quò cum maiori ignominia, & de decore coniuncta est. Vt ergo Christus exẽplo suo nos doceret, nõ solum non timere morẽt, sed nec genus mortis, etiãsi cum summo esset dolore, ignominiaq; cõiunctum, Crucem subire voluit, in qua & ingens dolor erat, & ignominia nõ minor. Vnde Isidor. lib. 5. Originum cap. vltimo, circa finẽ, *Maiorem* inquit, *esse pœnã Crucis, quam patibuli. Nam patibulum appensos statim exanimat, Crux autem suffixos diu cruciat. Vnde & in Euangelio latronibus, vt morerentur, & de ligno ante Sabbathum deponerentur crura confracta sunt, quia ligno suspensi, cito mori non poterant.* Et August. trac. 31. in Ioan. *Supplicium ideo durius erat, quia diutius cruciabat, & omnes crucifixi longa morte necabantur.* Et ideò cùm Christus citius inuentus fuerit mortuus, omnes admirati sunt. Et in eandẽ sententiam eleganter loquitur Aug. tract. 36. vbi dicit. *Illa morte peius nihil fuit inter omnia genera mortium, &c.* Eadem luculentius repetit idem August. serm. 18. de verbis Domini, vbi inter alia, inquit: *Si genus mortis exhorrescit infirmitas, nihil eo tempore fuit ignominiosius, quam mors Crucis, non enim frustra commendans eius obedientiã Apostolus addidit dicens, Factus est obediens vsq; ad mortẽ, mortẽ autem Crucis.* Quod Verbum ponderans etiam Chrys. serm. 7. in epistol. ad Philippens. sic scribit. *Papæ, quam magnum, & vehementer ineffabile est, quod seruus factus est. Quod vero mortem sustinuit, multo plus est: sed est & aliud maius*

Ignominia crucis quãta.

Isidor.

August.

Aug.

Chrys.

quiddã iſto, & admirabilius. Quãobrẽ? Quoniãnõ quæuis mors iſti ſimilis eſt, iſta nãque omniũ vi-
D. Thom. *debatur probroſiſsima, iſta plena dedecore, iſta maledicta, maledictus enim, inquit, omnis, qui pependit in ligno.* & D. Thomas. ibi dicit illo verbo, *mortem, mortem autem crucis*, notari,
Sap. 2. Chriſtum non fugiſſe ignominiam, quia illa mors erat ignominioſiſsima. Vnde & ſap. 2. dicitur in perſona Iudæorum, *Morte turpiſsima condemnemus eum.* Illo enim ſup
Lactant. plicij genere ſolũ mancipia, aut ſerui, non autem liberi ſolebant affici. Vnde Lactã. lib. 4. diuinarũ Inſtit. cap. 26. *Dicat*, inquit, *fortaſſe aliquis, cur ſi Deus fuit, & mori voluit, nõ ſaltem aliquo honeſto mortis genere affectus eſt? cur potiſsimum cruce? cur infami genere ſupplicij? quod etiam homini libero, quamuis nocenti videatur indignum.* Cuius rei optimã rationem affert, veluti amplificans ſuperiorem
B cauſam ex noſtro exemplo deſumptam, Iis verbis. *Vt is, qui humilis aduenerat, humilibus, & infirmis opem ferret, & in omnibus ſpem*
Acerbitas, & ignominia tãta in morte a Chriſto cur aſſumpta. *ſalutis oſtenderet, eo genere afficiendus fuit, quo humiles, & infirmi ſolent, ne quis eſſet omnino, qui eum non poſſet imitari.* Addendum verò vlterius eſt non ſolum propter exemplum noſtrum voluiſſe Deum tam acerbum, & ignominioſũ mortis genus Chriſtũ exantlare: ſed etiã, vt Chriſti obediẽtia ad Deũ, & caritas erga homines, & ſeueritas diuinæ iuſtitiæ magis oſtenderetur. Deniq; vt diuina ſapientia, ac virtus amplius eluceret, dum per mortem ignominioſam, & dæ
C monem vicit, & homines ad ſui cognitionem, & amorem traxit. Et ideò Paulus. 1.
1. Cor. 1. ad Corint. 1. Verbum crucis *Dei virtutem*
Leo Papa. appellat, & ſubdit, *Quia quod ſtultũ eſt Dei, ſapientius eſt hominibus, & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.* Vnde Leo Papa. ſerm. 1. de paſs. dñi. *Non eſt* (inquit) *dilectiſsimi, erubeſcenda crux Chriſti, quæ de virtute eſt diuini conſilij, non de conditione peccati.* & ſerm. 2. *Crux Chriſti ſacramẽtum veri, & prænũtiati habet altaris, vbi per hoſtiam ſalutarem, naturæ humanæ celebraretur oblatio. Ibi ſanguis immaculati agni, antiquę præuaricationis pacta delebat, ibi tota diabolicæ dominationis conterebatur aduerſitas, & de elatione ſuperbiæ victrix humilitas triumphabat.* Rurſus ſer. 8. o *admirabilis potentia crucis, o ineffabilis gloria paſſionis, in qua & tribunal domini, & iudicium mundi, & poteſtas eſt crucifixi.* Et cætera, quæ
Chryſoſt. eleganter proſequitur. Vltimò conſiderandum eſt in hac ratione ex Chryſoſto.

A dict. ſerm. 7. ad Philip. quanuis Chriſtus ob prędictas cauſas hoc genus mortis elegerit; Iudæos verò idẽ genus ignominioſę mortis ad eũ interficiendum delegiſſe, vt Chriſtũ probroſũ efficerẽt, *vt & ſi nemo propterea ab ipſo abſtineret, quod occiſus eſſet: abſtineret tñ vel ideo, qꝙ hoc pacto occiſſus eſſet.* Quã Iere. 11.
Iudęorum mentem ſatis ſignificauit Ieremias illis verbis, *Venite mittamus lignum in panẽ eius, & nomen eius nõ memoretur amplius.* *Verum* (proſequitur Chryſoſt.) *tanto magis* Chryſoſt.
ſplendet veritas, tanto redditur illuſtrior; quia tali mortis genere putabãt eum abominandum fore, & omnino abominandiſsimum, & tamen nihil potuerunt, ſed ipſe illuſtrior, ac maior eſſe oſtenditur.

Secunda ratio probat tantum decuiſſe Chriſtum in ligno mori, quoniam per lignum, ſeu fructum arboris deceptus homo fuerat. Quam rationem indicat Eccleſia, cùm in hymno canit, *Et medellã ferret inde, hoſtis vnde læſerat.* & alibi. *Vt qui in ligno vincebat, in ligno quoq; vinceretur.* Eandem breuiter ſignicauit Leo Papa ſerm. 6. de paſ- Leo Papa.
ſione, dicẽs. *Per lignũ erigitur lapſus in ligno, & guſtu fellis, & aceti diluitur eſca peccati.* Et Damaſc. Damaſce. lib. 4. cap. 12. *Quoniam morti per lignum aditus patuerat, conſentaneum erat, vt per lignũ quoque vita, & reſurrectio donaretur.* Hierony.
Et Hieronymus. ad Galat. 3. *Ille pependit in ligno vt peccatum, quod commiſeramus in ligno ſcientiæ boni, & mali, ligno deleret appenſus.*
C Decuit enim vt eiſdem armis, quibus Dæmon hominem vicerat, ab eodem vinceretur, & vt homo, ſicut per inobedientiam ligni peccauerat, ita per obedientiam in Can. 8.
ligno redimeretur. Ad quod accõmodari poſſunt verba illa Cant. 8. *Sub arbore malo ſuſcitaui te, ibi corrupta eſt mater tua.* Nam Greg.
priora verba de arbore crucis intelligit Greg. ibi.

Tertia, & quarta ratio ſolum ſunt congruentiæ, ob quas expediens fuit Chriſtum à terra eleuatum, ſeu in aere, mori: iux Exaltari Chriſtum a terra in ligno cur decuit.
ta illud Ioan 3. *Oportet exaltari filium hominis*, & capit. 12. *Ego ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum.* Quam rationem præter Chryſoſtomum (quem D. Thomas. citat) luculenter tractat Lactant. libro. quarto. de vera ſapientia capite. 26. vbi ſic inquit, *Illa quoque precipua fuit cauſa cur Deus crucem maluerit, quod illa exaltari eũ fuit neceſſe, & omnibus gentibus paſſionem Dei noteſcere. Nam quoniam is, qui patibu-*
Ioã. 3. & 12. Chryſ. D. Thom. Lactan.
lo

lo ſuſpenditur, & conſpicuus eſt omnibus, & cæ A
teris altior, crux potius electa eſt, quæ ſignificaret illum tam conſpicuum, tamque ſublimem futurũ, vt ad eũ cognoſcendum pariter, & colendũ cunctę nationes ex omni orbe concurrerent.
Athan. Eandem rationem ſimul cum multis aliis amplificat eleganter Athanaſ. lib. de incarnatione Verbi, & corporali eius aduẽtu. Primo, quia oportuit Chriſti mortem eſſe notiſsimam, & in oculis omnium, vt tanto eſſet admirabilior, & certior reſurrectio, quanto mors eſſet omnibus manifeſtior, ſeu (quod perinde ferè eſt) vt victoria de morte clarius oſtendi poſſet, dum eam in oculis omnium in ſe prouocatam, mortuam reddidiſſet, *ac iam deinde inanem, & exhauſtã, ſui corporis Incorruptibilitate probaſſet.* Secundo, quia oportuit Diabolum prȩcipitari, aeremque purificari. Dęmon enim è cœlo lapſus in hoc aere vim ſuam B
exercebat, & ideò Chriſtus in aere ſublimatus, aerem purgauit, & contra Dęmonum inſectationes vim, atque efficaciam tribuit. Tertio ſublimatus eſt in aere, quia nouũ cœlorũ iter nobis aperiebat, quos ipſe ſuo corpore in ſublimè attollebat. Nam quemadmodum illud pro omnibus morti obtulit, ita quoque per illud viam ad cœlos commonſtrauit.

Quinta, & ſexta ratio. D. Thom. propriè procedũt de ſupplicio, crucis quoad figuram, & proprium modum eius. Et quinta
Lactan. eſt præcipua, & quæ frequẽtius reperitur in Patribus, optime Lactan. ſupra, *Extendit in paſsione manus ſuas, orbemque dimenſus eſt, vt iam tunc oſtenderet ab ortu ſolis vſque ad occaſum, magnum populum ex omnibus linguis, & tribubus congregatum, ſub alas ſuas*
Athan. *eſſe venturum: & ſignum illud maximum, atq;* C
ſublime frõtibus ſuis ſuſcepturum. Et Athan. loco etiam ſupra citato, *Si mors Domini redemptio eſt hominum, quomodo nos aduocaſſet, niſi crucifixus eſſet? In ſola.n. cruce mors extẽſis manibus toleratur, ideo ergo par erat, vt Dominus hoc modo mortem ſuſtineret, manusq; eius extenderentur, vt hac quidem veterem populum, illa vero gentiles attraheret, & ambos in ſe coniungeret.* Iuxta quam interpretationem aliter poſſumus exponere latitudinem, lõgitudinem, ſublimitatem, & profunditatẽ crucis: quàm Aug. hic à D. Th. citatus. Latitudo.n. crucis deſignata ligno eius trãſuerſo indicat generalem fructũ crucis, pervniuerſum orbem diffundendum, vt Lact.

Quatuor partes crucis Chriſti quid portendant.

& Athan. expoſuerunt: longitudo verò ſignificata in ligno recto, cuius extremæ partes ſunt ſublimitas, & profundum, quia ex altera in terra infixum, ex altera verſus cęlũ erigitur, hoc (inquam) lignum indicabat crucem, & in terra, & in cœlo, & etiam ſubtus terram vim, & efficatiam habituram, iuxta illud ad Coloſ. 1. *Pacificans per ſanguinem crucis eius, & quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt,* & illud ad Philip. 2. *Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtiũ terreſtium, & infernorum.* Vnde Damaſcen. li. 4. de fide c. 12. dicit verbũ crucis appellari *virtutem Dei, quia ſicut quatuor extremæ crucis partes per medium cẽtrum interſe cohærent, & conſtringuntur, ita per Dei potentiam ſublimitas, & profunditas, ac longitudo, & latitudo, hoc eſt, omnis tam viſibilis, quã inuiſibilis creatura cõtinetur.* Aliter Hier. Mar. 15. inquit, *Species crucis, quid eſt, niſi forma quadrata mũdi? Oriens de vertice fulgens, Arcton dextra tenet, Auſter in læua conſiſtit. Occidens ſub plantis firmatur:* Et idem ferè habet Beda Luc. 22, vbi refert carmina Sedulij lib. 5. Paſchalis, in quibus eadem ſententia continetur. Aliter Clemens Alexandrinus oratione exhortatoria ad Gentes in fine, dicit, per extenſionem manuum Chriſti ſignificari, ſolutum eſſe hominem, qui alligatus erat interitui, & corruptioni. Denique Gregorius Nazian. oratione prima apologetica ante medium, ferè omnes has rationes breuiſsimis verbis complexus eſt, dicens, *Idcirco lignum aduerſus lignum, & manus aduerſus manum, illæ inquam fortiter extenſę, aduerſus incontinenter extenſam, illę clauis cõfixæ, atq; cõſtrictæ, aduerſus remiſſã, & ſolutã, illæ orbis fines coniũgẽtes, aduerſus eã, quæ Adamum e paradiſo exturbauit. Idcirco ſublimitas aduerſus lapſum, & fel aduerſus guſtum, & ſpinea corona aduerſus prauum imperium, & mors aduerſus mortem, & tenebrę aduerſus lumen, & ſepultura aduerſus illam in terram reuerſionem, & reſurrectio propter reſurrectionem.* Plura de hac re videri poſſunt apud Ambroſium ſerm. 55. & 56. Chryſoſtomũ tribus homiliis de cruce, in tertio tomo, & Irenæũ libro quinto contra hæreſ. capite. 17. & Cyprianũ, ſeu potius Ruffinũ in expoſitione ſymboli, Cyprianum etiam ſermone de paſsione Domini, & Auguſtinum libro ſecundo de doctrina Chriſti capite 41. & tractatu. 118. in Ioannem.

2. Coloſ. 1. Philippẽ. 2
Damaſ.
Hieron.
Beda.
Sedul.
Clem. Ale.
Greg. Na.
Ambr. Chryſ. Irenę. Ruffin. Cypri. Auguſ.

Septimam rationem ex eo conficit. D. Tho. quòd oportuit veteres figuras crucis impleri. Quę ratio ſupponit myſterium futurum, & conuenientiam eius ſecundū ſe, & ex eius ſuppoſitione procedit. Et ſimile argumentum ſumi poſſet ex prophetiis, quas infra ſuo loco afferemus. Nam etiam prophetias impleri neceſſarium erat. Offerebat autem ſe hoc loco occaſio multa dicendi de huiuſmodi Crucis figuris. Sed eam rem vt alienā ab ſcholaſtico inſtituto præter mittamus. Videri autem poſſunt multa de hoc argumento apud Iuſtinum Mar. dialogo cum Triphone, & apolog. 2. & Tertull. lib. 3. contr. Marcion. capit. 18. & ſequentib. & lib. contra Iudæos capit. 10. & ſequent. Lactan. lib. 4. de vera ſapientia capit. 18. & Auguſtinum lib. 16. contr. Fauſt. capit. 15. & ſequentibus, vbi explicat, Virgā, qua Moyſes petram percuſſit, fuiſſe crucis figuram. Damaſce. lib. 4. capit. 12. vbi inter alia explicat, Iacob, quando cancellatis manibus, & adorato virgæ faſtigio, filiis Ioſeph benedixit, crucis myſterium delineaſſe. Quod etiam attigit Hieronym. Ieremi. 31. Peruulgata etiam eſt Crucis figura in ſerpente æneo, quam ipſemet Chriſtus explicauit Ioan. 3. *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita oportet exaltari filium hominis.* Quam Cyrillus ibi, Auguſt. Chryſoſtom, & alij expoſitores latè explicant, & alij exponentes illud ad Galat. 3. *Factus pro nobis maledictum.* Refert etiam Iuſtinus ſupra, agnum paſchalem in figuram Crucis ſolitum eſſe aſſari affixum duobus lignis recto, & tranſuerſo in modum Crucis expanſis. Moyſem præterea orantem expanſis manibus in figurā Crucis, vt populus vinceret, hoc myſterium ſignificaſſe, multi Patres exponūt, quos retuli priori tom. diſp. 56. ſect. 3. Sed de his hactenus Solutiones argumentorum primi, & ſecūdi non indigent annotatione vlla. De loco verò illo ad Gal. 3. qui in ſol. ad 3. tractatur, plura dicemus inferius in diſputatione de Myſterio crucis.

Iuſtin. Tertull. Lactant.

Aug.

Damaſc.

Hieron: Figuręcrucis Chriſti. Ioan. 3. Cyril. Aug. Chryſ. Galat. 3. Iuſt. Mar.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum Chriſtus omnes paſsiones ſuſtinuerit.

250. Infr. q. 48 ter. 2. lib. 10. in 2. fo. a prin ipio libri.

AD quintum ſic proceditur. *Videtur, quòd Chriſtus omnes paſsiones ſuſtinuerit. Dicit enim Hilarius. 10. de Trinitate. Vnigenitus Dei ad peragendum mortis ſuæ ſacramentum conſummaſſe ſe omne humanarum genus paſsionum teſtatur, cùm inclinato capite emiſit ſpiritum. Videtur ergo, quòd omnes paſsiones humanas ſuſtinuerit.*

¶ 2. *Præterea, Iſa. 52. dicitur, Ecce intelliget ſeruus meus, & exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valde, ſicut obſtupuerūt ſuper eū multi, ſic inglorius erit inter viros aſpectus eius, & forma eius inter filios hominum. Sed Chriſtus eſt exaltatus ſecundum hoc, quòd habuit omnem gratiā, & omnem ſcientiā pro quo ſuper eum multi admirantes obſtupuerunt. Ergo videtur, quòd inglorius fuerit, ſuſtinendo omnem paſsionem humanam.*

¶ 3. *Præterea, Paſsio Chriſti ordinata eſt ad liberationem hominis à peccato, vt ſuprà dictum eſt. Sed Chriſtus venit liberare homines ab omni genere peccatorum, ergo debuit pati omne genus paſsionum.* ¶ *Sed contra eſt, quod dicitur Ioan. 19. quòd milites primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus eſt cum eo: ad Ieſum autem cū veniſſent, non fregerunt eius crura. Non ergo paſſus eſt omnem humanam paſsionem.*

Art. 3. huius quæſt.

¶ *Reſpondeo dicendum, quòd paſsiones humanæ poſſunt conſiderari dupliciter. Vno modo quantum ad ſpeciem, & ſic non oportuit Chriſtum pati omnem paſsionem, quia multæ paſsionum ſpecies ſibi inuicem contrariantur, ſicut combuſtio in igne, & ſubmerſio in aqua. Loquimur enim nunc de paſsionibus ab extrinſeco illatis, quia paſsiones ab intrinſeco cauſatas, (ſicut ſunt ægritudines corporales) non decuit eum pati, vt ſuprà dictum eſt. Sed ſecundum genus, paſſus eſt omnem paſsionem humanam. Quod quidem poteſt conſiderari tripliciter.*

q. 14. a. 4

Vno

Vno modo ex parte hominum, à quibus passus est. Passus est enim aliquid & à Gentilibus, & à Iudæis: & à masculis, & à fœminis, vt patet de ancillis accusantibus Petrum. Passus est etiam & à principibus, & à ministris eorum, & popularibus, secundum illud Psal. 2. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Passus est etiam à familiaribus, & notis, sicut patet de Iuda eum prodente, & Petro ipsum negante. Alio modo patet idem ex parte eorum in quibus homo potest pati. Passus est enim Christus in suis amicis, eũ deserentibus. In fama, per blasphemias cõtra eum prolatas. In honore & gloria, per irrisiones, & contumelias ei illatas. In rebus, per hoc quòd etiam vestibus spoliatus est. In anima per tristitiam, tædium, & timorem. In corpore, per vulnera, & flagella. Tertiò potest considerari quantum ad corporis membra. Passus est enim Christus in capite, pungentium spinarum coronam, in manibus, & pedibus fixione clauorum, in facie alapas, & sputa, & in toto corpore flagella. Fuit etiam passus secundum omnem sensum corporeum: secundum tactum quidem, flagellatus, & clauis confixus: secundum gustum, felle & aceto potatus: secundum olfactum, in loco fœtido cadauerum mortuorum (qui dicitur Caluariæ) appensus patibulo: secundum auditum, lacessitus vocibus blasphemantium & irridentium: secundũ visum, videns matrem & discipulum, quem diligebat, flentes.

Citat in argum.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd verbum illud Hilar. est intelligendum quantum ad omnia genera passionum, non autẽ quantum ad omnes species. ¶ Ad secundum dicendum, quod similitudo ibi attẽditur, non quantum ad numerum passionum & gratiarum, sed quantum ad magnitudinem virtusque: quia sicut sublimatus est in donis gratiarum super alios, ita deiectus est infrà alios per ignominiã passionis. ¶ Ad tertium dicendũ, quod secundum sufficientiam vna minima passio Christi sufficisset ad redimendum genus humanum ab omnibus peccatis: sed secundum conuenientiam, sufficiens fuit quòd pateretur omnia genera passionum, sicut iam dictum est.

COMMENTARIVS.

CIrca literam huius articuli ferè nihil annotandum occurrit, quia perspicua sunt omnia, quæ D. Thom. dicit, & sub iis capitibus, quæ numerat, potest quilibet ex Euangelica historia recensere in individuo personas, à quibus Christus passus est, conuitia, iniurias, passiones, ac dolores, quæ sustinuit, de quibus omnibus infra in disputationibus aliquid attingemus. Videri etiã possũt circa hunc artic. quæ in superiori tomo disputata sunt de defectibus à Christo assumptis, disput. 32. & 34. In his verò, quæ Caietan. notat, rectè dictum est mala pœnæ quodam modo esse deificata, eô quôd à Christo assumpta sunt. Quod verò malum culpæ quodammodo etiam deificatũ sit, non recte dictum est. Nam malo culpæ tanta dignitas omnino repugnat: Ratio enim ob quam malum pœnæ ad tantã dignitatem euectum est, nimirum vt valorem infinitum haberet ad satisfaciendũ Deo, & vt nobis fieret amabile, ac desiderabile, non habuit locum in malo culpæ, quod neque est aptum ad satisfaciendum, sed potius satisfactionem requirit, neque etiam debet à nobis expeti, quin potius ipsum malum pœnæ assumptũ est, vt sit inditio, quam sit nobis odio habendum malum culpæ. Quòd verò Christus assumpserit corpus de massa peccatrice, non id fecit, vt peccatum vllo modo deificaret, quia parentum peccata nullo modo ad ipsum pertinuerunt quoad culpam: sed solum quoad pœnam: sed id fecit, vt peccatores honoraret, eorumq; naturam deificaret. Hæc obiter dicta sint propter notatiunculam Caietani, quem non in re, sed solũ in proprietate sermonis lapsum esse existimo. De hac verò re disputatum est disp. 33 sect. 2. tomi prioris.

Articulus

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum dolor passionis Christi fuerit maior omnibus doloribus.

251 3.di.15.q.2.ar.3.q.3 Et op.3.c.238.&.29

AD sextum sic proceditur. Videtur, quòd dolor passionis Christi non fuerit maior omnibus aliis doloribus. Dolor enim patientis augetur secundum grauitatem, & diuturnitatem passionis. Sed quidam martyres, grauiores passiones & diuturniores sustinuerunt, quàm Christus, sicut patet de Laurentio, qui est assatus in craticula, & Vincẽtio, cuius carnes sunt vngulis ferreis laceratæ, ergo videtur, quòd dolor Christi patientis non fuerit maximus. ¶ 2. Præterea, Virtus mentis est mitigatiua doloris, in tantum quòd Stoici posuerunt, tristitiam in animum sapientis non cadere, & Aristot. posuit quòd virtus moralis mediũ tenet in passionibus. Sed in Christo fuit perfectissima virtus mẽtis, ergo videtur, quòd in Christo non fuerit maximus dolor. li.2.Ethi.ca.3.6.& 9.tom.5. ¶ 3. Præterea, quantò aliquod patiẽs est magis sensibile, tãtò maior sequitur dolor passionis. Sed anima est sensibilior, quàm corpus, cùm corpus sentiat ex anima. Adam etiam in statu innocentiæ videtur corpus sensibilius habuisse, quàm Christus, qui assumpsit corpus humanum cum naturalibus defectibus, ergo videtur quòd dolor animæ patientis in purgatorio, vel in inferno, vel etiam dolor Adæ, si passus fuisset, maior fuisset quàm dolor passionis Christi. ¶ 4. Præterea, Maioris boni amissio causat maiorem dolorẽ. Sed peccator peccando amittit maius bonum, quàm Christus patiendo: quia vita gratiæ est melior, quàm vita naturæ. Christus etiam, qui amisit vitam, post triduum resurrecturus, minus aliquid amisisse videtur, quàm illi qui amittunt vitam, permansuri in morte. Ergo videtur, quòd dolor Christi non fuerit maximus dolorum. ¶ 5. Præterea, Innocentia patientis diminuit dolorem passionis. Sed Christus innocenter est passus, secundum illud Hierem. 11. Ego autem quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, ergo videtur, qnòd dolor passionis Christi non fuerit maximus. ¶ 6. Præterea, in his quæ Christi sunt, nihil fuit superfluũ. Sed minimus dolor Christi sufficisset ad finem salutis humanæ: habuisset enim infinitam virtutem ex persona diuina. Ergo superfluum fuisset assumere maximum dolorem. ¶ Sed contra est, quod Thren. 1. dicitur ex persona Christi, Attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus.

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut suprà dictũ est, cùm de defectibus assumptis a Christo ageretur, in Christo patiente fuit verus dolor, & sensibilis, qui causatur ex corporali nociuo: & dolor interior, qui causatur ex apprehensione alicuius nocumẽti, qui tristitia dicitur. Vterque autem dolor in Christo fuit maximus inter dolores præsentis vitæ, quod quidẽ contigit propter quatuor. Primò quidẽ, propter causas doloris: nam doloris sensibilis causa fuit læsio corporalis, quæ acerbitatem habuit, tum propter generalitatem passionis, de qua dictũ est, tum etiã ex genere passionis: quia mors confixorũ in cruce est acerbissima: quia configũtur in locis neruosis, & maximè sensibilibus, scilicet in manibus, & pedibus, & ipsum pondus corporis pendentis continuè auget dolorem, & cùm hoc etiam est doloris diuturnitas: quia non statim moriuntur, sicut hi qui gladio interficiuntur. Doloris autem interioris causa fuit, primò quidem omnia peccata humani generis, pro quibus satisfaciebat patiendo, vnde ea quasi sibi ascribit dicens in Psalm. 21. Verba delictorum meorum: secundò, specialiter casus Iudæorum, & aliorum in eius morte delinquentium, & præcipuè discipulorum, qui scandalum passi sunt in Christi passione: tertiò, etiam amissio vitæ corporalis, quæ naturaliter est horribilis humanæ naturæ. Secundo potest

q.15.art.5 & 6

q.15 & ar. precedẽti

mag-

magnitudo doloris eius considerari ex perceptibilitate patientis, & secundum animam, & secundum corpus. Nam & secundum corpus erat optimè complexionatus, cùm corpus eius fuerit formatum miraculosè operatione Spiritus sancti: sicut & alia, quæ per miracula facta sunt, fuerunt aliis potiora (vt Chrysostomus dicit de vino, in quod Christus aquam conuertit in nuptiis) & ideò in eo maximè viguit sensus tactus, ex cuius perceptione sequitur dolor. Anima etiam secundũ vires interiores, efficacissimè apprehendit omnes causas tristitiæ. Tertiò, magnitudo doloris Christi patientis potest cõsiderari ex doloris, & tristitiæ puritate. Nam in aliis patientibus mitigatur tristitia interior, & etiã dolor exterior, ex aliqua consideratione rationis, per quandam deriuationem, seu redundantiam à superioribus viribus ad inferiores; quod in Christo patiente non fuit, quia vnicuique virium permisit agere, quod est sibi proprium, sicut Damascen. dicit. Quartò potest considerari magnitudo doloris Christi patiẽtis, ex hoc quòd passio illa, & dolor à Christo fuerunt assumpta voluntariè, propter finem liberationis hominum a peccato. Et ideò tantam quantitatem doloris assumpsit, quæ esset proportionata magnitudini fructus, qui inde sequebatur. Ex his igitur omnibus causis simul consideratis manifestè apparet, quòd dolor Christi fuerit maximus.

Hom. 21. in Io a medio illius. to. 3.

li. 3. c. 15. a medio.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd ratio illa procedit ex vno tantum prædictorum, scilicet ex læsione corporali, quæ est causa sensibilis doloris. Sed ex aliis causis multò magis dolor Christi patientis augetur, vt dictum est.

¶ Ad secundum dicedum, quòd virtus moralis aliter mitigat tristitiam interiorem, & aliter exteriorem dolorem sensibilem. Tristitiam enim interiorem diminuit directè, in ea medium constituendo, sicut in propria materia, Medium autem in passionibus virtus moralis constituit (vt in secunda parte habitum est) non secundum quantitatem rei, sed secũdum qnantitatem proportionis, vt scilicet passio nõ excedat regulam rationis. Et quia Stoici reputabãt, quòd nulla tristitia esset ad aliquid vtilis: ideò credebant quòd totaliter à ratione discordaret, & per consequens quòd totaliter esset sapienti vitanda, sed secundum rei veritatem tristitia aliqua laudabilis est (vt Augustin. probat in 14. de ciui. Dei,) quãdo scilicet procedit ex sancto amore, vtpote cùm aliquis tristatur de peccatis propriis, vel alienis. Assumitur etiam, vt vtilis ad finem satisfactionis pro peccato, secundum illud Apost. 2. ad Cor. 7. Quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilẽ operatur. Et ideò Christus, vt satisfaceret pro peccatis omnium hominum, assumpsit tristitiam, maximam quidem quantitate absoluta, non tamen excedentem regulam rationis. Dolorem autem exteriorem sensus, virtus moralis directè non minuit: quia talis dolor non obedit rationi, sed sequitur corporis naturam. Diminuit tamen ipsum indirectè, per redũdantiam à superioribus viribus in inferiores, quod in Christo non fuit, vt dictum est.

incorp. ar.

p. 2. q. 64. art. 1. & 2.

Luc. 14. c. 9. to. 5.

¶ Ad tertium dicendum, quòd dolor animæ separatæ patientis, pertinet ad statũ futuræ damnationis, quæ excedit omne malum huius vitæ, sicut sanctorum gloria excedit omne bonũ præsentis vitæ. Vnde cum dicimus Christi dolorem esse maximũ, non cõparamus ipsum dolori animæ separatæ. Corpus autem Adæ pati nõ poterat nisi peccaret, & sic fieret mortale & passibile, & minus doleret patiens, quàm corpus Christi, propter rationes prædictas. Ex quibus etiam apparet, quòd etiam si per impossibile ponatur, quòd Adam in statu innocentiæ passus fuisset, minor fuisset, dolor eius, quàm Christi.

¶ Ad

¶ *Ad quartum dicendum, quòd Christus non solum doluit pro amissione vitæ corporalis propriè, sed etiam pro peccatis omnium aliorum, qui dolor in Christo excessit omnem dolorem cuiuscunque cõtriti: tum quia ex maiori sapientia, & caritate processit, ex quibus dolor contritionis augetur, tum etiam quia pro omnibus peccatis simul doluit: secundum illud Isa. 53. Verè dolores nostros ipse tulit. Vita autem corporalis Christi fuit tantæ dignitatis, & præcipuè propter diuinitatem vnitam, quòd de eius amissione etiam ad horam, magis esset dolendum, quàm de amissione vitæ alterius hominis per quantumcumque tempus. Vnde & Philosophus dicit 3. Ethic. quod virtuosus plus diligit vitam suam, quantò scit eam esse meliorem, & tamen eam exponit propter bonum virtutis. Et similiter Christus vitam suam maximè dilectam, exposuit propter bonum caritatis, secundum illud Hiere. 12. Dedi dilectã animam meam in manibus inimicorum eius.*

lib. 3. c. 9. circa medium. to. 5.

¶ *Ad quintum dicendum, quòd innocentia patientis minuit dolorem passionis quantum ad numerum: quia cũ nocens patitur, dolet non solùm de pœna, sed etiã de culpa: innocens autem solùm de pœna. Qui tamen dolor in eo augetur ex innocentia, in quantum apprehendit nocumentum illatum, vt magis indebitum. Vnde etiam & alij magis sunt reprehensibiles, si ei non compatiuntur, secundũ illud Isa. 57. Iustus autem perit, & non est qui recogitet in corde suo.*

¶ *Ad sextum dicendum, quòd Christus voluit genus humanum à peccatis liberare non sola potestate, sed etiam iustitia. Et idcò nõ solùm attendit quantam virtutem dolor eius haberet ex diuinitate vnita, sed etiam quantum dolor eius sufficeret secundum humanam naturam ad tantam satisfactionem.*

COMMENTARIVS.

DE materia huius articuli agemus proxima disputatione. Litera autem D. Thom. non indiget alia expositione: nam ex iis, quæ ibi dicemus, fiet satis perspicua. Quod verò D. Thom. dicit hic in vltima ratione, & in sol. ad 6. Christum assumpsisse eam quantitatem doloris, quæ nõ solum ex vnione ad Verbum: sed ex se sufficeret ad condignam satisfactionem pro humana natura explicatum est in superiori tom. disp. 4. sect. 4. in sol. secundæ obiectionis, vbi diximus id esse intelligendum secundum quãdam proportionem.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum Christus passus fuerit secũdum totam animam.

AD *septimum sic proceditur. Videtur, quòd Christus non fuerit passus secundum totam animam. Anima enim patitur patiente corpore per accidens, inquãtum est corporis actus. Sed anima non est actus corporis secundum quamlibet partem eius: nam intellectus nullius corporis actus est, vt dicitur in 3. de anima. Ergo videtur, quòd Christus non fuerit passus secundum totã animam. ¶ 2. Præterea, Quælibet potentia animæ patitur à suo obiecto. Sed superioris partis rationis obiectũ sunt rationes æternæ: quibus inspiciendis, & cõsulendis intendit, vt Augustinus dicit 12. de Trinit. Ex rationibus autẽ æternis nullum potuit Christus pati nocumentum, cùm in nullo ei cõtrarientur. Ergo videtur, quòd non fuerit passus secundũ totam animã. ¶ 3. Præterea, Quando passio sensibilis vsque ad rationem pertingit, tunc dicitur completa passio, quæ in Christo non fuit, sed solum pro passio, vt Hieron. dicit. Vnde & Dion. dicit in epist. ad Ioannẽ Euangelistam, quòd passiones sibi illatas patiebatur secundum iudicare solum. Non ergo videtur, quòd Christus secundum totam*

252. 5. distin. 15. q. 2 ar. 1. q. 3. & ar. 3. q. 2. & veri. q. 26. ar. 3. ad 1. & ar. 8. & 9. Et quol. 7 ar. 5. Et opus. 3. c. 235. Ex lib. 3. ex tex. 6. & 12. to. 2.

lib. 12. c. 7. in fine to. 3

Hiero. super illud Matt. 2. Cæpit contristari & mæstus esse, tomo 9. Incipit hec epist. Diõ.

Diony. Saluto te anima, &c. circa medium illius.

1. Topi. c. 13. in loco. Ab his in quibus reperitur alterum contrariũ to. 1 Psal. 87. Est Augus. ibi. tom. 8.

totam animam pateretur. ¶ 4. Præterea Passio dolorem causat. Sed in intellectu speculatiuo nõ est dolor: quia delectationi, quæ est ab eo quod est considerare, nulla tristitia opponitur, vt Philosophus dicit in 1. Topic. Ergo videtur, quod Christus non pateretur secundum totam animam. ¶ Sed contra est, quod in Psalmo. 87. dicitur ex persona Christi, Repleta est malis anima mea. Glossa, non vitiis, sed doloribus, quibus anima carni compatitur, vel malis, scilicet pereuntis populi compatiendo. Non autem fuisset anima eius his malis repleta, si nõ secundum totam animam passus esset. Ergo Christus est secundum totam animam passus.

¶ Respondeo dicendum, quòd totum dicitur respectu partium: partes autẽ animæ dicuntur potentiæ eius. Sic ergo dicitur anima tota pati, inquantum patitur secundum suam essentiã, vel inquãtum secundum omnes suas potentias patitur. Sed considerandum est, quòd aliqua potẽtia animæ potest pati dupliciter. Vno modo passione propria, quæ quidem est secundum quod patitur à suo obiecto sicut si visus patiatur ex superabundanti visibili. Alio modo patitur aliqua potentia passione subiecti, super quod fundatur, sicut visus patitur patiente sensu tactus in oculo, super quem fundatur visus, puta cùm oculus pungitur, aut etiam distemperatur per calorem. Sic igitur dicendum est, quod si intelligamus totam animam ratione suæ essentiæ, sic manifestum est totam animam Christi passam esse. Nam tota essentia animæ cõiungitur corpori, ita quòd tota est in toto, & tota in qualibet parte eius, & ideò corpore patiente, & disposito ad separationem ab anima, tota anima patiebatur. Si verò intelligamus totam animam secundum omnes potentias eius, sic loquendo de passionibus propriis potentiarum, patiebatur quidem secundum omnes vires inferiores: quia in singulis viribus inferioribus animæ, quæ circa temporalia operantur, inueniebatur aliquid, quod erat causa doloris Christi: sicut ex supradictis patet. Sed secundum hoc superior ratio non patiebatur in Christo ex parte sui obiecti, scilicet Dei, qui non erat animæ Christi causa doloris, sed delectationis & gaudij. Secundum autem illum modũ passionis, quo potentia aliqua dicitur pati ex parte sui subiecti, sic omnes potentiæ animæ Christi patiebantur: omnes enim potentiæ animæ radicantur in essentia eius, ad quam peruenit passio, passo corpore, cuius est actus.

A

ar. 5. & 6. huius q.

B

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd licet intellectus, secundum quod est potentia quædam, non sit corporis actus: essentia tamẽ animæ est corporis actus, in qua radicatur potentia intellectiua, vt in prima parte habitum est.

¶ Ad secundum dicendum, quòd illa ratio procedit de passione, quæ est ex parte proprij obiecti, secundum quã superior ratio in Christo passa non fuit.

P p. q. 77. ar. 1. & 8.

¶ Ad tertium dicendum, quòd dolor tunc dicitur esse passio perfecta, per quã anima perturbatur, quando passio sensitiuæ partis pertingit vsque ad immutandum rationem à rectitudine sui actus, vt scilicet sequatur passionẽ, & non habeat liberum arbitrium super eam. Sic autem passio sensitiuæ partis non peruenit in Christo vsque ad rationem, sed ex parte subiecti, sicut dictum est.

C

¶ Ad quartum dicendum, quòd intellectus speculatiuus non potest habere dolorem, vel tristitiam ex parte sui obiecti, quod est verum absolutè consideratum, quod est perfectio eius. Potest tamen ad ipsum pertingere dolor, vel causa doloris per modum iam dictum.

in corp. ar.

in corp. ar.

COMMENTARIVS.

IN titulo huius artic. multæ quæstiones cõtinẽtur, quas D. Th. in corpore distinguit, vt bene Caie. explicat. Sed vna

vna tantum eſt, in qua nonnihil poteſt eſſe difficultatis, quæ â nobis in ſuperioribus eſt ſatis tractata. Prima ergo quæſtio eſt, an tota anima Chriſti ſecundum eſſentiam ſuam dolores paſſa ſit, & in hac, licet videatur eſſe aliqua controuerſia inter D. Th. hic, qui affirmat, & inter Scotum in 3. d. 15. qui hoc negare videtur; tamen in re non poteſt eſſe controuerſia; quia & certum eſt, dolorem non recipi immediate in eſſentia animę; ſed in potentia, cuius eſt actus vitalis, & immanens: & certum etiã eſt totam animam ſecũdum eſſentiam eſſe principale principium doloris, & hoc ſenſu ipſam pati, & ſentire dolorem.

Dub.1.

D. Thom. Scoto.

Reſponſio

Dub.2.

Altera quæſtio eſt, an omnes potentiæ animę Chriſti paſſæ fuerint ex parte ſubiecti, & hæc quæſtio videtur potius de modo loquendi, quàm de re. Quia potentiam aliquam pati ſolũ ex parte ſubiecti, nihil aliud eſſe videtur, (quantum ex D. Th. colligitur) quã quòd ſubiectũ, in quo talis potẽtia exiſtit, ſeu radicatur, patiatur, & hoc modo ex deciſione prioris quęſtionis eſt manifeſtum, omnes potentias animæ Chriſti paſſas eſſe patiente ipſa anima, in qua omnes potentię radicantur. Sed reuera valde impropriè dicetur aliqua potẽtia pati, ſolum quia eſt in ſubiecto, quod per aliam potẽtiam patitur, niſi paſsio vnius potentię aliquo modo redundet in alteram, impediendo illam à ſua actione, vel alio ſimili modo. Vt in exemplo D. Tho. quando tactus, qui eſt in oculo patitur, dicitur viſus pati, quia illa paſsio aliquo modo redundat in viſum, nam dum alteratur tactus, mutatur diſpoſitio neceſſaria in organo, ad exercendam conuenienti modo operationem viſus. Quòd ſi hoc rigoroſo ſenſu hæc ſecũnda quæſtio agitaretur, negandũ potius eſſet, Chriſtum paſſum eſſe ex parte ſubiecti ſecundum omnes animæ potentias, quia paſsio, aut dolor vnius potentiæ, quantunuis maximus, non redundabat neceſſario in omnes, etiamſi omnes in eadem anima radicarentur, neque impediebat illas, quominus operationes ſuas perfectè exercerent, vt hic D. Tho. docet, & latius dictum eſt in ſuperioribus, loco ſtatim citando. D. Tho. ergo quo ad hanc quæſtionem non eſt loquutus in hoc ſenſu rigoroſo, ſed in priori, ſiue ille proprius ſit, ſiue improprius.

Reſponſio

Dub.3.

Tertia quæſtio eſt, an anima Chriſti paſſa fuerit in omnibus potentijs ſuis per ſe, ac directe, ex proprijs actibus, & obiectis omnium potentiarum. Et hæc eſt propria quæſtio ad rem ſpectans, & hoc loco intenta. Cui D. Thomas. reſpondet animam Chriſti paſſam eſſe in omnibus inferioribus potentijs; non tamen in ratione ſuperiori. Et in priori quidem parte huius reſponſionis nulla eſt difficultas, ſi conſiderentur ea, quæ in præcedenti articulo dicta ſunt, & animaduertatur, non vocari hic paſsionem, ſolum dolorem, vel triſtiam, (hæc enim formaliter non ſunt, niſi in appetitu, & voluntate). Sed vocatur paſsio, omnis immutatio corporis, vel animi, ex qua nata ſunt oriri dolor, vel triſtitia. Illud etiam eſt aduertendum ſermonem hic eſſe ſolum de potentijs animæ, quæ ſunt ad cognoſcendum, & appetendum, quia eſt ſermo de paſsione animali, ſeu vitali, & ita in hac parte nulla eſt difficultas. At verô alia pars negans Chriſtum paſſum eſſe in portione ſuperiori, maiorem difficultatem, & controuerſiam habet, ſed ea eſt â nobis latè diſputata in ſuperiori tomo diſput. 38. ſect. 2. vbi dixi etiam in portione ſuperiori paſſum eſſe Chriſtum triſtitiã, & dolorẽ, & expoſui, D. Thom. hic eſſe intelligendum de ratione ſuperiori in ordine ad ſuum obiectum primarium, quod eſt Deus; ita enim ipſe ſeipſum expoſuit. Et eodem loco latè diſputaui, quomodo in eadem voluntate Chriſti potuerint ſimul eſſe gaudiũ, & triſtitia, quod D. Tho. ar. ſequenti tractat, cui propterea nihil addendum hoc loco occurrit.

Reſponſio Animæ Chriſti nũ in omnibus potentijs ſuis directè paſſa fuerit.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrum tota anima Chriſti in paſſione frueretur fruitione beata.

253. 3. diſt. 15. q. 2. ar. 3. q. 2. & veri. q. 10. ar. 11. ad 3. & q. 26. arti. 9. & 10. Et quodl. 1. q. 2. art. 2. cor. & opuſ. 3. ca. 238. & 239. queſt. 15. ar. 10.

AD octauum ſic proceditur. Videtur quod anima Chriſti in articulo illius paſsionis non tota frueretur fruitione beata. Impoſsibile eſt enim ſimul dolere, & gaudere, cùm dolor, & gaudium ſint contraria. Sed anima Chriſti tota patiebatur dolorem in tempore paſsionis: vt ſuprà habitum eſt. Non ergo poterat eſſe, vt tota frueretur.

¶ 2. Præ

li. 10. c. 5. & lib. 7. c. ult.

¶ 2. Præterea, Philosophus dicit in 7. Et hic, quòd tristitia si sit vehemens non solùm impedit delectationem contrariam, sed quamcunque, & è conuerso. Dolor autem passionis Christi fuit maximus (vt ostensum est) & similiter delectatio fruitionis est maxima: vt in principio Secundæ partis habitum est. Non ergo potuit esse, quòd anima Christi tota simul pateretur, & frueretur. ¶ 3. Præterea, fruitio beata est secundum cognitionem, & amorem diuinorum, vt patet per Augustin. in primo de doctrina Christiana. Sed non omnes vires animæ attingunt ad cognoscendum & amandum Deum. Non ergo tota anima Christi fruebatur. ¶ Sed contra est, quod Damascenus dicit in 3. lib. quod diuinitas Christi permisit carni agere, & pati quæ propria. Ergo pari ratione cùm proprium esset animæ Christi, inquantum erat beata, quòd frueretur, passio eius fruitionem non impediebat.

art. 6. huius quæst.

p. 2. q. 4.

li. 1. ex ca. 4. & 10. to. 3.

lib. 3. c. 15. post med.

art. præced.

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est prius, tota anima potest intelligi & secundum essentiam, & secundum omnes eius potentias. Si autem intelligatur secundum essentiam, sic tota anima fruebatur, inquantum est subiectum superioris partis animæ, cuius est frui diuinitate vt sicut passio ratione essentiæ attribuitur superiori parti animæ, ita è conuerso fruitio ratione superioris partis animæ attribuatur essentiæ. Si verò accipiamus totam animam ratione omnium potentiarum eius, sic non tota anima fruebatur, nec directè quidem, quia fruitio non potest esse actus cuiuslibet partis animæ, nec per redundantiam gloriæ: quia dum Christus erat viator, non fiebat redundantia gloriæ à superiori parte in inferiorem, nec ab anima in corpus. Sed quia nec è conuerso superior pars animæ impediebatur circa id quod est sibi proprium, per inferiorem, consequens est quod superior pars animæ, perfectè fruebatur Christo patiente.

A

B

¶ Ad primum ergo dicendum quod gaudium fruitionis non contrariatur directè dolori passionis: quia non sunt de eodem, nihil autem prohibet contraria eidem inesse non secundum idem. Et sic gaudium fruitionis potest pertinere ad superiorem partem rationis per proprium actum, dolor autem passionis secundum suum subiectum. Ad essentiam verò animæ pertinet dolor passionis ex parte corporis, cuius est forma: gaudium verò fruitionis ex parte potentiæ, cui subijcitur. ¶ Ad secundum dicendum, quòd verbum illud Philosophi habet veritatem ratione redundantiæ, quæ naturaliter fit ab vna potentia animæ in aliã. Sed hoc in Christo non fuit, vt suprà dictum est.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ratio illa procedit de totalitate animæ, quantũ ad eius potentias.

in corp. ar. & ar. 6.

DISPVTATIO. XXXIII.

In duas sectiones distributa.

De passione Christi in genere.

C

SVppono primo, sermonem esse de ijs, quæ Christus dominus passus est hominum actionibus, & iniurijs, præsertim eo tempore, quo potestati, & manibus eorum est traditus. Nam de cæteris passionibus, laboribus, ac doloribus, quæ reliquo vitæ tempore sustinuit, nihil fere in particulari scriptum habemus, quod ex positione indigeat, in communi verò satis de hoc diximus in superioribus, & præsertim in primo tomo super. qu. 14. & 15. D. Thom.

Ex quo loco secundo est in præsenti supponendum, Christum dominum vere, & non tantum specie sustinuisse passiones omnes, quæ de ipso leguntur, vt dolorem, tristitiam, timorem, & huiusmodi connaturales, & irreprehẽsibiles affectus. Quod late ibi ostendimus disp. 32. sect. 1. & 3. & disp. 34. sectio. 3. & latius disput. 38. sect. 3. & super quæstionem. 15. D. Th. in commentarijs. articuli. 5. & 17. Quibus locis

& varios errores refellimus, & nonnulla Patrum dicta præsertim Hilarij, quæ obscuriora videbantur, exposuimus. Rursus, Christum ab hominibus passiones multas sustinuisse, ex historiæ Euangelicæ veritate constat, de causis verò earũ, & de fructu, qui ex illis ad nos redũdauit, nihil nũc dicendum est, tũ quod D. Thom. tribus sequentibus quæstionibus de hac re latissimè disputat; tum quòd in superiori tomo satis á nobis explicata sint, vt ibi annotamus. Quid verò hæc passio sit, ex ipso nomine constat, & ex iis, quæ in citato loco de tristitia, & dolore dicta sunt, & in sequenti sectione amplius explicabitur, igitur duo tantũ in genere explicanda supersunt: quæ nimirum fuerint, & quam graues hæ Christi passiones.

SECTIO PRIMA.

Quæ passionum genera Christus sustinuerit.

HAeretici huius tẽporis non contẽti iis passionibus, & doloribus, qui in scriptura de Christo referuntur, dicunt ipsum pertulisse inferni cruciatus, & dolores. Quod nõ solũ affirmant de anima Christi post mortẽ (qua de re postea agemus) sed etiam de Christo viuente in hac mortali vita, præsertim eo tẽpore, quo passus dicitur, scilicet ab illa hora, qua in horto orauit vsq; ad crucẽ. Cùm autẽ hi hæretici cruciatus, & dolores inferni nominant, nõ intelligũt dolorẽ ex combustione ignis prouenientẽ, quã vocamus *pœnã sensus*, sed intelligunt *pœnã damni*, seu quandam participationẽ eius, quæ consistit in interna quadã, ac vehemẽti anxietate, atq; tristitia, quã dicunt Christũ habuisse, eo quòd sentiret Deũ sibi iratũ, seq; ita ab ipso derelictũ, vt vehementissimè timeret, ne à morte absorberetur, ac perpetuo à Deo alienatus maneret. Huius blasphemiæ primus assertor, & inuẽtor fuit Caluinus, quem Brentius Melancton, & alij sequuti sunt (vt refert Robertus Bellarminius lib. 4. de Christo c. 8.) Sed in hoc errore quã plures hæreses, & blasphemiæ continentur. Primo, quòd Christus in passione sua ita senserit Deũ sibi iratũ, vt de propria salute dubitauerit, quod repugnat & cum vera Christi diuinitate, & cum perpetua beatitudine animæ eius, & cũ summa innocentia, ac perfecta sciẽtia, qua & se immunẽ omni culpa cognoscebat, & diuinam iustitiã non ignorabat, quæ neminem sine propria culpa perpetuo damnat. Denique pugnat cum verbis ipsiusmet Christi: qui in horto discipulis dixit. *Spiritus quidem prõptus est, caro autem infirma*. Et Petro. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Nunquid hęc verba sunt hominis sentientis sibi Deum iratum? Postea verò dixit principi sacerdotum. *A modo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cęli*. Sunt ne hæc verba hominis de sua salute dubitantis? Deinde in cruce dixit latroni. *Hodie mecum eris in paradiso*, non ergo formidabat de sua salute, qui etiã alteri, & quidem maximo peccatori, salutem pollicebatur. Quod argumentũ notauit Hilarius lib. 10. de Trinit. vt hunc errorẽ, antequam natus esset, confutaret. Præterea Ioan. cap. 18. sic inquit. *Iesus itaque sciẽs omnia, quæ ventura erant superse, processit*, &c. non ergo accessit Christus ad passionem ignorans, quid sibi euenturum esset, atq; adeò nec de salute sua dubitans: quin potius sæpe antea ipse prædixerat. *Filius hominis tradetur ad flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget*. Ac denique discessurus ex hac vita, dixit ad Patrem. *In manus tuas Domine, commendo spiritum meum*.

Matth 26. Luc. 23. Hilar. Ioan 18. Matth. 10. Luc. 23.

Secundus error horum hæreticorum est, quòd Christo attribuunt vel desperationem, vel certè motus desperationis, & verba inordinatè prolata, quibus illum desperationis motũ expressit. Quod est hæreticum, vt constat ex dictis in priori tomo disp. 33. sect. 1. & 34. sect. 2.

Tertio errant hi hæretici, quoniam nõ putant ad redemptionem nostram suffecisse dolores, passionem, & mortem, quæ scriptura de Christo refert. Quod etiã èst hæreticum, nam scriptura sacra nõ tribuit nostram redẽptionẽ, nisi sanguini, & morti Christi ad Rom. 5. ad Colos. 1. ad Eph. 1. & sæpe aliãs.

Rom. 5. Colos. 1. Ephes. 1.

Quarto denique errant, quia sine vllo fundamento confingunt huiusmodi genus doloris, & anxietatis in Christo. Quia neque in scriptura fundamentum habet, neque perfectioni, & excellentiæ Christi consonat, quia huiusmodi pœnæ genus coniunctũ est vel cũ culpa, vel cũ magna ignorantia, nec denique ad nostram vtilitatem confert. Quia neque ad

Bellarmin.

exem-

exemplum, cùm nō deceat, neq; expediat, nos huiusmodi actiones imitari, neque etiam ad nostram redemptionem, quia aliæ passiones, quæ in euangelio narrantur, satis, superque fuerunt ad satisfaciendum pro nobis. Non immorabor autem in referendis, ac dissoluendis argumentis, quibus hi hæretici nituntur, tum quòd in eis nihil difficultatis sit, vt videre est in Bellarmino supra: tum etiam, quia (si aliquid in ea re potest esse vtilitatis) traditum est à nobis priori tomo locis nuper citatis.

Quas Christus passiones susceperit.

Dicēdum est ergo primo, Christum dominum suscepisse tātum eas passiones humanas, quas naturali modo ab hominib⁹ tolerare poterat. Non affero, passum esse omnes passiones huiusmodi, quę possibiles sunt. Neque enim fuit igne cōbustus, neque ense occisus, neque mēbra eius secta sunt, ossave cōfracta, quę omnia, & infinita similia vnus homo ab alijs pati potest, sed affero, quidquid Christus passus est, contineri sub hoc passionis modo. Quod ita declaro, quia non est fingendū Deum perse ipsum exagitasse Christum, aut speciali modo, vel miraculoso fuisse operatum, vt Christus inusitatas aliquas passiones sustineret, id enim alienum est à Dei benignitate, neque fundamentū vllum habet in scripturis, aut traditione aliqua. Quod enim Isa. 53. dicitur, Christus *percussus a Deo, & humiliatus*, de morte, ac flagellis eius a Hiero. & omnibus expositoribus, & permissiue intelligitur, sicut ad Rom. 8. dicitur. *Proprio filio suo non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Rursus non est etiam fingendum Deum permisisse Dæmoni, vt per seipsum illum torqueret suo arbitrio, & voluntate. Quia quanquam hoc per se indecens non esset, neque alienum à caritate Christi, si nobis esset necessarium (nam qui permisit se tentari, & in montem ferri ă Dæmone, permittere etiam posset, se torqueri: & dolorem ab eodem pati, & qui passu, est à membris Dæmonis, potuisset etiam permittere se ab eodem dæmone immediatè torqueri, vt aliàs argumētatur Gre. hom. 16. in euangelia) nihilominus tamen asserendum non est, ita factum fuisse, quia neque nobis est necessariū, nec id legimus aut nobis est traditum: sed solum permissum esse Dæmoni, vt per malos homines Christum affligeret, ac contristaret, quantum posset, ac vellet, iuxta illud Luc. 22.

Isai. 53. Hiero. Roman. 8.

Dæmō per se se non cruciauit Christum.

Greg.

Luc. 22.

A *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*, id est malignorum spirituū, qui cùm hactenus semper per vos me perdere conati sint, nunc tandem permittūtur, quod diu concupierunt, pernicere per vos, qui eorū estis ministri, vt bene exposuit Iansen. cap. 137. Concord. & ante eum Euthy. suo cap. 78. in Lucam, & Lyran. Luc. 22.

Iansen. Euthym. Lyr.

Ex his ergo concluditur, Christum tantum ea passionum genera sustinuisse, quę vi, & malitia humana effici potuerunt. Quia secluſa speciali virtute Dei, & immediata actione Dęmonis nō supereſt alius passionis modus, quia (vt supponimus) sermo est de passionibus ab extrinseco illatis non à naturalibus causis, nec casu, sed virtute, & industria alicuius liberi agentis.

Secundo dicendum est in hoc genere sustinuisse Christum omnes quo dammodo passiones, quas aliquis homo industria hominum pati potest. Hanc conclusionē rectè explicuit, D. Tho. ar. 5. & rectè docet intelligendam esse non de singulis speciebus passionū, quia hoc non fuerat possibile: tum quia quædam ex ijs passionibus alijs repugnant: tum etiam quia possunt infinitis modis excogitari. Intelligitur ergo de generibus passionū, quia scilicet Christus in omni bono humano passus est, in omni exteriori parte corporis, in omnibus sensibus, ab omnibus personis, à cōiunctis, ab alienis, à Iudæis, à gentibus, & sic de reliquis. Solum est aduertēdum nomine *passionis*, hic non comprehēdi solum passionem physicā, quæ corpus realiter attingit, & alterat, & dolorē efficit sed in vniuersum omnem actū, quo priuatur homo aliquo bono suo, vel aliquod malū patitur, siue sit per realem passionē, siue per extrinsecam tantum denominationē, vt accidit in infamia, vel per immutationem intentionalem sensuum, vt in contumelijs, vel per solā priuationē, vt in amicorū desertione, & similibus. Et hoc modo est facilis, & perspicua concl. quę satis ex euāgeliſtis cōstat.

B

C

Est verò prudenti lectori considerādum in his Christi passionibus nihil esse leuiter fingendū, quod vel ab euangeliſtis narratū non sit, vel ex ijs, quę ipsi narrāt, adiūcta Patrū expositione probabiliter colligi nō possit. Possunt quidē fideles piè meditari acerbitatem earū passionū, quæ narrantur, earumq; circunstantias ex ijs, quę humano modo cōtingūt, & ex affectu, &

dispositione talium personarum cõiectare: non tamen licet noua passionum figmẽta confingere, quia hoc neq; temeritate carere potest, neque euidenti periculo falsitatis. Cur autem voluerit Christus tot passionum genera perferre, optima est ratio, quã hoc loco Caie. adhibet, scilicet vt omnes illas deificaret, & hominibus expetendas redderet, & vt doceret hominẽ omnia humana cõmoda cõtemnere, & nihil eorũ malorum timere, quæ ab hominibus inferri possunt, sicut ipse dixerat. *Nolite timere eos* (timore scilicet mundano) *qui occidunt corpus: animam autem non possunt occidere.* Matt. 10. Quod vno verbo dixit Damas. li. 3. de fide. ca. 20. *Omnia hæc assumpsit, vt sanctitatem omnibus afferret*, & hic accõmodari possunt rationes omnes, quæ de supplicio crucis in ar. 4. D. Th. explicatę sunt

Caiet.

Matt. 10.

Damasc.

SECTIO SECVNDA.

Quam graues, & acerbi fuerint dolores passionum Christi.

QVoniam humana passio eo maximè videtur habere rationẽ pœnæ, quo dolorem, vel tristitiam infert, ideo ad intelligẽdam pœnam, quam Christus pro nobis sustinuit, acerbitatem dolorũ eius oportet explicare. Possumus autẽ id præstare, vel absolutè, vel cõparatione facta cum alijs doloribus. Et quidem priori modo, cũ nobis non constet, quis fuerit gradus illius doloris, solum dicere possumus dolores passionum Christi fuisse maximos, ac vehemẽtes vt cõstat ex ipsa narratione euãgelicæ historię, quã in sequẽtibus disputationibus ex parte explicabimus, & sanctorũ testimonia proferemus. Nunc sufficiant testimonia Dauidis, & Isaiæ, qui elegantissime acerbitatem passionũ Christi describunt: ille psalm. 21 *Circundederunt me vituli multi, tauri pinguesobsederũt me: aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens. Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea. Factum est cor meũ tanquam cęra liquescens in medio ventris mei,* & Psalm 68. *Sustinui, qui simul contristaretur & non fuit, & qui consolaretur, & non inueni,* Isaias. cap. 53. *Non est species ei: neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum Despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem.*

Acerbitas dolorũ Christi quanta.

Psal. 21.

Psal. 68.

Isai. 53.

Vt ergo hæc grauitas dolorum Christi aliquomodo à nobis explicetur, oportet comparatione vti. Potest autem hæc comparatio fieri, vel in specie doloris, quæ ex obiecto, et causis eius sumenda est: vel in intensione, quæ comparatio locum habet etiam inter dolores specie distinctos, sicut calor, & frigus possunt in intensione conferri, quanuis specie differãt: vel potest etiam fieri cõparatio in duratione doloris: vel denique in extensione, quæ solũ habere potest locum in dolore sensibili, quatenus eius causa per plures, vel paucio res partes corporis extendi potest. Rursus comparari potest dolor Christi, vel cũ dolore, quem patitur anima, aut angelus ab igne inferni, vel purgatorij, vel cum dolore, quem patientur damnati cum corporibus suis post resurrectionem: vel denique cũ omnibus doloribus, quos homines in hac vita passi sunt, aut etiam pàti possunt. Denique animaduertendum est, nomine doloris non solum intelligi sensibilem dolorem, qui ex reali lęsione corporis nascitur, sed etiam interiorem tristitiã, quæ nascitur ex apprehensione cuiuscunque mali præsentis, & odio illius, quæ tristitia, seu dolor interdũ esse potest de malo culpæ propriæ, vel alienæ, aut de malo pœnę. Vt igitur de his omnibus nonnihil dicamus, ab ijs quæ clariora sunt initiũ sumamus.

Primo itaque certum est, dolorẽ de peccatis omnibus fuisse in Christo vehementiorem, & intensiorem, quàm fuerit, vel secundum ordinariã potentiam esse possit in alio homine. Hoc affirmat D. Th. ar. 6. ad. 4. Vbi solum facit comparationem cũ dolore cuiuscunque hominis contriti. Et hoc sensu est euidẽs ob rationes, quas breuissimè D. Th. attigit. Quia ex parte materialis obiecti Christus doluit de omnibus peccatis hominum simul sumptis, ac perfectissime consideratis: ex parte obiecti formalis nullus ita cognouit, ac perpendit offensionem Dei, ingratitudinẽ, & malitiam omnẽ, quæ est in peccato: ex parte cognitionis, nullus tam clare, ac tanta animi attentione omnia, quę ad detestandum peccatum mouere possunt consideravit: ex parte principij nullus tanta caritate Deum dilexit, aut Deum colere ac diuinũ ius illesum seruare studuit. Denique nullus tantã gratiã habuit, tãtumq; auxilium ad detestãdũ peccata, ergo sine vllo dubio vehementius de illis doluit, quàm quiuis alius. Quę ratio procedit de dolore peccati, vt est ad satisfaciẽdum Deo, vel ex caritate Dei: eadẽ tñ fieri potest de dolore peccatorũ, vt sunt mala ipsorũ hominum, eisque

D. Thom.

Dolor Christi de peccatis omnibus quantus.

æternam damnationem pariunt. Nam etiã Christus intensius diligebat homines, & distinctius, ac clarius hæc eorũ mala, & dãna perpẽdebat, quã vlla creatura. Quin potius addo, huiusmodi dolorẽ de peccatis hominũ, fuisse in Christo vehemẽtiorẽ & intẽsiorẽ, quã sint oẽs alij dolores de quibuscunq; rebus, vel obiectis, qui in hominibus, vel Angelis sunt, vel secundũ ordinariam potentiã esse possunt. Quod ita declaro, quia omnes alij dolores, aut sunt praui aut honesti, naturales, aut supernaturales. De supernaturalibus iam dictũ est, & eadem est ratio de quolibet dolore honesto. Quia cùm hic dolor de peccatis omnibus, oriretur in Christo ex perfectissima caritate, & gratia, excessit in intẽsione, omnẽ actum virtutis cuiuscunq; creaturæ, quia nulla creatura tam intensè operata est in aliquo genere virtutis, sicut Christus dominus, quia gratia in Christo, excedit in intẽsione oẽm virtutẽ creaturæ: Christus autẽ dolebat de peccatis hominũ secundũ totam intensionẽ gratiæ suæ, & caritatis. Et eadẽ ratio concludit, si comparatio fiat cum quouis dolore prauo, & turpi. Quia omnis dolor huiusmodi, elicitur per solas vires naturæ humanæ, vel Angelicæ: nulla autem est naturalis potentia, quæ in suo gradu possit tam intensum actum efficere sicut potest gratia Christi in suo ordine: excessit ergo hic dolor Christi in intensione, omnes dolores hominũ, vel dæmonum, cuiuscunq; rationis sint.

Tristitia, quã Christus habuit de malis, quæ pati ebatur, sit necum tristitia dãnatorum comparanda. D. Thom.

Secũdo, si loquamur de interiori tristitia, quæ prouenire potest ex malo pœnæ proprio, certũ est naturalem tristitiã, quã Christus habuit de malis, quæ passus est, non fuisse tam vehementem ex parte obiecti, seu secundũ speciem suam, sicut est tristitia, quam damnati habent de suo statu, ac perditione. Hoc etiã docet D. Tho. articul. 6. ad 3. Et ratio est manifesta, quia illa tristitia oritur ex malo pœnæ altioris ordinis, & rationis, nimirum ex pœna dãni, & amissione æternæ beatitudinis, (de hac enim potissimum agimus, & habet cõiunctam desperationẽ salutis, sicut gaudiũ beatorum, cum certa, & inamissibili possessione cõiunctũ est: tristitia verò Christi de ꝓprio, malo pęnæ solũ fuit de malo tẽporali & humano, ergo sunt hæ tristitiæ diuersarũ rationum, & illa est specie sua multo acerbior, sicut malum ipsum, quo nititur est longè maius, nam actus proportio-

A natus est obiecto suo, & effectus causæ. An verò idem dicendũ sit, si hæ tristitiæ in gradu intensionis comparentur, nõ ita constat. Quia sicut in naturalibus qualitatibus, potest qualitas in sua specie minus perfecta, minusq; actiua, in intensione habere tot gradus, quot habet qualitas perfectior, vt patet in frigore, & calore, ita in actibus voluntatis, & appetitus potest idẽ reperiri, vt in amore patet, vel gaudio. Nã licet amor Dei, & gaudiũ de bonis eius, sit excellentius secundum speciem, quã amor vel gaudium boni creati: potest nihilominus interdum hoc esse intensius illo: sic igitur, quanuis hæc tristitia Christi secundum speciẽ sit inferioris rationis, quã tristitia damnatorum, fieri potuit, vt intẽsiuè

B esset maior. Quæ ratio sanè concludit hoc non repugnare, sed ita accidere potuisse. An verò ita de facto fuerit, non potest cõstare, & verisimilius est non fuisse tam intensam, quia hæc tristitia solũ eliciebatur ab appetitu, vel voluntate Christi iuxta naturales vires, & efficaciam earũ, erat enim tristitia merè naturalis, ergo ad summum, habuit maximam intensionẽ, quam anima Christi per naturales facultates, & vires earum potest efficere circa tale obiectum: sed verisimile est damnatos, v.g. Dæmones, etiam tristari de suo damno æternæ damnationis totis viribus, ac toto conatu, quẽ naturaliter possunt adhibere, ergo elicient tristitiã intensiorem, nam eorũ voluntas natura sua efficacior est, & obiectũ ipsum vehementius excitat ad talẽ conatum. Quòd si sit sermo de voluntatibus

C hominũ damnatorum, quanuis illæ in naturali efficacia nõ superent naturales vires voluntatis Christi: tamen vt minimũ, elicient actum tristitiæ intensum, quantum per vires naturæ possent, quia hoc naturale est, supposita apprehensione tãti mali, & vltra hoc vnusquisque cogetur diuina virtute, vt eo vehementiorẽ tristitiã sentiat, quo maiori pęna dignus est. Itaq; hęc Christi tristitia, cũ tristitia damnatorum, nec in specie, nec in gradu cõparabilis est.

Obiectio. Isai. 53.

Dicũt hæretici, ergo non sumpsit Christus pœnam, pro qua satisfacturus erat, nec æqualem illi, consequens est falsum, tum quia est contra illud Isaiæ. 53. *Disciplina pacis nostræ super eum.* Tum etiã, quia inde fit Christum non soluisse condignam pœnam. Sed hæc nullius momenti sunt, concedo enim Christum nõ assumpsisse formaliter,

cpcrs.

maliter, & in se pœnam illã, proqua satisfecit, alioquin assũpturus esset pœnã damni, & pęnam ignis æternam, assumpsit ergo pœnas huius vitæ, perquas pro pęnis alterius vitæ satisfaceret. Huius autẽ satisfactionis dignitas non ex idẽtitate pœnæ, sed ex proportione, neque ex sola qualitate, & quãtitate pœnæ, sed maximè ex dignitate personæ, & perfectione caritatis pẽsãda est, vt latius diximus in superioribus.

Responsio

Tertiò, si conferamus hanc Christi tristitiam cum omni alia humana tristitia, quę de humanis, ac tẽporalibus malis concepta est, verissimum est (quod. D. Tho. ait) Christi tristitiam fuisse summã in intensione, & acerbitate. Quod rectê probat D. Thom. discurrendo per omnes causas quæ huiusmodi tristitiam generare, vel augere possunt. Nam obiectum huius tristitiæ secundũ se maximũ erat. Primũ mors ꝙ inter omnia humana mala cẽsetur maximũ & in Christo augebatur ex dignitate vitæ eius, quę diuina erat propter vnionem. Secundò modus mortis ignominiosissimus, & acerbissimus, & cũ aliis grauissimis doloribus coniunctus, ex flagellis, spinis, & aliis similibus passionibus ortis. Tertiò, accedit perfecta, & intẽsissima aprehensio horum omniũ, quæ maximè solet tristitiam excitare. Quarto, voluntas, & appetitus Christi permissus est naturæ suę, vt circa tale obiectũ sic propositũ, quantũ naturæ propensione, & efficatia posset, contristaretur, & diuinitus factũ est, vt vnus actus alium non impediret, nec gaudiũ vnius partis in aliam redundaret, nec denique aliquod aliud solatium adhiberetur, quod tristitiam illam posset minuere, vel leuare. Nam humanum nullum habuit, quia ab amicis derelictus est, & ab vno vẽditus, ab alio negatus. Vnde de Christo dictum est. Isai. 63. *Torcular calcaui solus.* & psalm. 68. *consolantem me quæsiui, & non inueni.* Diuina verò consolatione omnino priuatus est modo iam explicato. Porro quãquam necessarium non sit Christum toto tempore vitæ hoc genus tristitiæ assumpsisse, tamen quod aliquo tempore saltẽ in passione illam assumpserit, omnes Theologi dicunt in. 3. d. 15. cum. D. Tho. hic, eiusque tristitiæ sufficientia, signa sunt sudor sanguineus, & illa verba Christi, *Tristis est anima mea vsque ad mortẽ*, quæ ita multi interpretantur, *Tanta afficior tristitia, quæ posset mortem afferre, nisi ego mea virtute illam impedirem.* Augu. verò psal. 86. ita exponit, *Tanta est tristitia animæ meæ, vt parum absim a morte.* Illa autem tristitia, quæ tum maxima videbatur, in progressu passionis aucta est, quando ipse dolor sensibilis, & mali perpessio interiori represẽtationi adiũgebatur: ac tandem in cruce videtur ad supremum gradum peruenisse, vt declarant illa Christi verba, *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* de quibus postea redibit sermo. Ergo omnibus perspectis talẽ interdum habuit Christus tristitiam humanam, ac naturalẽ, qualem nullus hominũ habuit, nec habebit. Fuit autem conueniens Christum tantam tristitiam assumere, propter congruẽtias sæpe allatas, scilicet propter maiorem excellentiam suæ satisfactionis, etiam ex parte pœnæ assumptæ, & propter exẽplũ nostrum, ac præterea, vt euidentius veritatem naturæ assumptæ demonstraret.

D. Thom.

Tristitia Christiquãta.

Isai. 63.

Psal. 68.

Sed obiici potest, quia in Christo multa erant, quæ possent tristitiam eius lenire. Primo ipsa virtutis operatio, atque animi fortitudo, & constantia, quæ perse plurimum valet ad consolandum hominem, etiamsi inter maximos labores, & res tristes versetur. Secundo caritas Dei, & proximi, quæ magnum gaudium secum affert. Tertio, spes fructus, videbat enim per eas passiones, hominum æternam salutem esse cõparandã. Qurato, etiã humana consolatione nõ omnino caruit. Nã licet exterius nullus amicorum permitteretur ad illũ accedere, & eum alloqui: tamen multi præsertim. B. Virgo, & Apostoli fidem ad illum seruarunt, & de eius passionibus anxij erant, ac solliciti, quod ipsum nõ latebat, ex quo nonnullum solatium humanum capere poterat. Imo nec angelica consolatione caruit, vt in horto declaratum est. Vnde nonnulla sumi potest coniectura, non omnino caruisse diuina, sicut multi sancti martyres inter ingentia tormenta exultabant consolatione diuina, ergo non videtur tristitia Christi fuisse tã acerba, tãq; omni consolatione destituta. Respõdetur quanquã fieri potuerit, vt Christus interdũ aliqua cõsiderauerit, quæ tristitiã possent remittere, & consolationem afferre, non tamen oportuit, vt hęc semper haberet animo pręsentia, vt ab eis aliquam consolationem caperet. Sed interdum vt summę tristitię locum daret, ab iis omnibus, quæ consolationem afferre poterant, animum auertebat (loquor extra visio-

Obiectio.

Responsio

Christus in passione sua omni solatio destitutus.

sionem beatam: quę ita superiorem partē perficiebat, vt in inferiorē nullo modo redundaret.) Interdum verò, ne tristitia cōficeretur, ac naturales vires ad patiendum amitteret, poterat tristitiam remittere, & ea considerare, quæ & consolari, & confortare hominē possent: & hoc solum probant omnia adducta: nihil tamen faciunt contra sententiam á nobis positam, quia non asserimus semper Christum habuisse illam summā tristitiam, sed aliquādo. Addo tamen aliud esse mente contēplari ea, quę possunt hominem excitare, & confortare ad agendum fortiter, constanterq; sustinendas passiones, & iniurias: aliud verò hæc considerare, vt tristitiam remittant. Possunt enim hæc duo coniungi, magna, scilicet animi constantia, & fortitudo cū eximia tristitia, & ita in Christo domino fieri potuit, vt ea consideratio, quæ animū confortabat, tristitiam non leniret. Vnde in horto dicitur apparuisse Angelus *confortans eum*: nō verò gaudium aliquod, vel delectationem afferens, itaque hoc sensu non est dubium, quin interdū in portione inferiori caruerit omni diuina cōsolatione, quæ tristitiam mitigare posset, qui in hoc voluit suos martyres superare, & maiorem animi fortitudinem, ac patientiā ostendere, & sua tristitia eorum consolationem promereri. B

Luc. 22.

Quarto superest cōferamus sensibilem Christi dolorem, cum reliquis. Est. n. in eo alia difficultatis ratio, quām in tristitia: Et (vt omittamus, quæ clara sunt) constat in duratione non fuisse Christi dolorem maiorem reliquis, cùm breui tempore duraverit. Deinde etiam est manifestum in extensione, quę est ex parte subiecti, nō excessisse, neque superasse dolores omnium martyrum. Quia aliqui martyres ita fuere minutatim in frusta dissecti, vt in omnibus partibus corporis externis, & internis doloremvehementem senserint. Alij sunt ferreis vnguibus laniati: alij lentis vel facibus, vel igne combusti per totum: at verò de Christo domino non constat, quòd in omnibus partibus corporis etiam externis læsionem acceperit, quæ proprium dolorem causare potuerit, vt v. g. in brachio, in crure, & in aliis fortasse partibus: de interioribus autem multo certius est non accepisse Christū propriam læsionē doloris effectricem. Quia nec flagella, nec claui, aut alia instrumenta doloris omnes partes penetrarūt. Verū est tamen quasi per quādam redundantiā, dolorem illū fuisse per totum corpus, & omnes partes præsertim solidas, & sentientes diffusum. Tum quia læsis quibusdā partibus, nerui contrahebātur, & aliarum partium virtus debilitabatur. Tum etiam, quia ex nimio labore, & fatigatione absq; vlla requie, quam haberet præsertim in cruce, necessariū fuit, vt omnes partes dolore afficerentur: & hoc sensu in extensione ex parte subiecti nullus dolor humanus videtur potuisse dolorem Christi superare, quanuis alij fortasse fuerint in hoc æquales. Quia cùm corpus humanū sit finitū, facile potest dolor totū illud occupare. Quod si ita cōtingat nō poterit esse in hoc excessus, sed æqualitas; in hoc autem dicimus excessisse interdum aliquos martyres, quod ferro, aut igne directè in pluribus partibus corporis externis, & internis tormēta passi sunt. Et hinc vlterius sequitur accidere potuisse, vt multi martyres in vna, vel altera parte corporis maiorem, ac intensiorē dolorem perpessi sint, quā Christus in alia, vt v. g. in oculis, lingua, & similibus partibus, in quibus alij vehemēter cruciati sunt Christus autem aut minimè, aut certè leuius. Cōparatio ergo fieri debet inter summū dolorē sensibilem, quem Christus habuit in ea parte corporis, in qua maximū dolorē sensit, & aliū quencumq; dolorem maximū. Ex quo intelligitur ad explicandā hanc acerbitatē doloris Christi nō referre multitudinē dolorum, seu læsionem; nempe quod in manibus, & pedibus clauis fuerit cōfixus, in capite spinis coronatus, & toto corpore flagellatus, nā hæc augent dolorē extensiuè, non intensiuè. In quo est notanda differētia inter dolorem, & tristitiā. Nam tristitia oritur ex apprehensione interiori: potest autē intellectus, vel imaginatio simul, ac per modum vnius apprehendere multa, quæ tristitiam vehementiorē, ac intensiorē efficiāt: at verò dolor sensibilis causatur ex reali læsione, & ideò quod hæc in diuersis partibus multiplicetur, nō auget dolorē intensiuè, sed extēsiuè, nisi fortasse lęsio vnius redūdet in alteram, vt supra dicebamus. C

Dolor Christi sensibilis quātus.

Dolores Martyrū in cōparatione doloris Christi quales & quanti.

Sic igitur intellecta, & explicata hac cō paratione sententia D. Tho. est, dolorem Christi fuisse maximum intensiuè, nō quidem omniū dolorū, qui esse possunt de potentia absoluta, (nam in eodem Christo

Dolor Christi intensiuè omnium maximus.

potuisset esse maior dolor, si vehementior causa, aut lęsio adhiberetur) sed eorũ, quos homines passi sunt. Cuius assertionis duplex ratio ex D. Tho. colligitur. Prima est quia magnitudo doloris oritur & ex magnitudine læsionis, quæ est causa doloris, & ex dispositione patiẽtis, quę esse potest magis perceptiua doloris, tum ex optima complexione corporis, in qua sensus tactus maximè viget: tum ex efficatia animæ, & interiori apprehensione, ex qua vis doloris maxime pendet. At vero in Christo domino, & læsio corporis fuit magna, præsertim quando clauis affixus, iisque toto corporis pondere duntaxat innixus, capite spinis coronatus, totoq; corpore cruciatus, in cruce pependit. Complexio etiam corporis eius fuit perfectissima, & vis animæ ad apprehendendum, & attendendum efficacissima, ergo & dolor eius fuit maximus. Secunda ratio, quæ ex D. Thom. colligitur, est, quia Christus voluntariè assumpsit hanc doloris magnitudinem, vt pro nobis exactius satisfaceret. Hæc verò secũda ratio ita intelligenda est, vt non putetur Christus suo arbitrio intendisse illum dolorem vltra eum gradum, quem tales causæ in tali corpore sic dispositio naturaliter efficere poterãt. Quia (vt cõcedamus hoc miraculum fuisse possibile) non est necessarium, neque vlla autoritate, vel ratione fundatum: sed ex hac ratione solum cõcludẽdum est, Christum dominum nullo modo impediuisse causas huius doloris, neque auertisse interiorem mentis, seu imaginationis apprehensionem: sed potius efficacissimè ea omnia considerasse, quæ augere dolorem possent. Itaque tota vis rationis in priori consistit, & posterior solũ est addita vel ad explicandam congruentiam, ob quam Christus tam acerbum dolorem assumpsit, vel ad excludendã tacitã obiectionem, causas scilicet doloris fuisse grauissimas, Christum autem voluntate sua potuisse illas impedire: nec enim ita fecit, sed vnicuique causæ, & facultati permisito operari, quę illius sunt propria, vt Damasc. dixit lib. 3. c. 15. & 20.

Damas.

Obiectio.

Sed adhuc supereſt difficultas circa assertionem D. Thom. & priorem eius rationem. Quanquam enim rectè concludat in eodem genere doloris, vel suppositis causis æqualibus, seu eiusdem rationis, non tamen in vniuersum probat de omnibus doloribus sensibilibus. Nam in iis potest esse non solũ diuersitas maioris, & minoris intensionis intra eandem speciem: sed interuenire etiam potest differentia specifica pro diuersitate læsionum, seu causarũ. Non enim videtur esse eiusdem rationis dolor, qui prouenit ex combustione ignis, & qui ex diuisione continui, aut qui ex nimio calore, vel ex nimio frigore nascitur. Habent enim obiecta valde diuersa, vnde etiam in ipso effectu sensibili modo valde diuerso percipiuntur, vt in fame, & siti perspicere licet, sunt enim hæ passiones quædam doloris. Et è contrario ex delectationibus sensibilibus confirmari potest, neque enim omnes sunt eiusdem rationis, igitur nec dolores. Hoc ergo supposito, fieri potest, vt alius dolor sensibilis specie sua sit grauior, quàm is, qui oritur ex confixione manuum, aut pedum, aut ex aliis læsionibus, quæ in Christi corpore factæ sunt. Vnde enim constat eam lęsionem natam esse efficere summum dolorem, quoad essentiam, & speciem doloris sensibilis? Quòd si ex alia causa v. g igne, aut simili potest oriri grauior dolor in specie, ergo, cùm aliæ causæ doloris alterius rationis applicatæ fuerint aliis hominibus, fieri potest, vt ex eo capite eorum dolor fuerit maior, saltem quoad grauitatem essentialem, quanquam ex dispositione patientis fuerit minor aptitudo ad dolendum. Quin potius hæc ratio procedere potest, etiãsi supponantur dolores esse eiusdem rationis, & differre solum in intensione. Nam potest esse tãtus excessus in læsione, causa ve doloris, vt excessum ex dispositione sentientis exuperet. Videntur autem læsiones, seu vulnera aliquorum martyrum plurimum excessisse lęsionẽ factam in corpore Christi, ergo.

Responsio

Hæc obiectio apud me conuincit non posse in hac re esse certitudinẽ: sed rem esse dubiam, & ancipitem, & potuisse quidem vno, vel altero modo accidere. Neq; ad perfectionem nostræ redemptionis, & passionis Christi multũ refert exacta hæc, in intensione, & doloris acerbitate comparatio, satis enim est, quòd assumpserit grauissimos dolores, quãtum expediebat decebatq; maximè: nihilominus tamen recedendum non est à sententia D. Thom. quam etiam Theologi in 3. dist. 15. magis probant, & communi sensu piorum fidelium videtur recepta, & ad illam accommodari solent verba illa Thren. 1. *Attendite,*

Thren. 1

te, si est dolor, sicut dolor meus. Magis enim exaggerat caritatem Christi erga nos: atq; illius prouidentia potuerunt facile omnes causæ ita disponi, præparari, aut permitti, vt maximum ipsi dolorē incuterent. Deinde ex parte subiecti constat fuisse in Christo sufficientem causam maioris doloris: ex parte verò læsionis valde grauem, & efficacem: ita, vt de nulla alia constet esse maiorem intensiue in determinata parte subiecti, ergo omnibus consideratis sentiendum est, dolorem Christi fuisse maximum inter omnes dolores, quos mortales homines in hac vita passi sunt, vel aliquādo patientur.

Ex quibus colligo primum, non solum in determinata corporis parte v. g. manibus, pedibus, & capite sensisse Christum dolorem maximum: sed etiam in toto corpore: ita, quòd considerando dolorem illū cùm Christus in cruce patiebatur, tanquā vnam passionem per totum corpus diffusam, nullus hominum vnquam habuerit totum corpus suum simul tanto dolore affectum. Quia licet ille dolor Christi non fuerit æqualis in omnibus partibus eius, & in aliqua habere potuerit remissiorem dolorem, quàm aliquis martyr in alia: tamen considerando totam integram corporis affectionem, in nullo fuit vnquam similis dispositio, & acerbitas doloris, vt ratio facta proportionaliter applicata sufficienter ostendit.

Dolor Christi pœna, & dolore dānatorū minor.

Secundo colligitur, quid dicendum sit, si hic dolor comparetur cum dolore gehennæ, qui dicitur *pœna sensus*. Ille enim sine vlla dubitatione est longè alterius rationis, & prout fit in solis spiritibus, habet etiam perceptionem, seu sensum alterius ordinis, & ideo non est dubium, quin ratione sua sit acerbior. Quòd autem sit etiam intensior in gradibus, non ita constat: est tamen verisimilius propter rationem supra factam de tristitia, quæ hic facile applicari potest. Nam & causa doloris, quæ est ignis, vt instrumētum diuinæ iustitiæ, & dispositio patientis, cùm sit pure spiritualis, ac propterea magis efficax, etiā ad maiorem intensionem conferre potest: An vero idem dicendum sit de animabus purgatorij, res magis dubia est, quia illæ mitius puniuntur. Vnde aliqui credunt non solum in Christo: sed etiā in aliis hominibus reperiri posse interdum maiorē dolorem, quām in animabus purgatorij. Sed quoad genus pœnæ, & doloris mihi non est dubium, quin dolor purgatorij sit maior, quia est eiusdem ordinis cum pœna sensus inferni. Quod verò attinet ad intensionem, probabile est, posse aliquā pœnam purgatorij esse minus intensam, quia potest esse propter causam leuem. De qua re larius in materia de purgatorio. Denique quid dicendum est, si comparatio fiat cum dolore sensibili, quem patientur corpora damnatorū post resurrectionē? Res etiā est incerta, quia ille dolor damnatorum videtur esse futurus sensibilis, ciusdē rationis cum dolore, qui percipitur ex cōbustione ignis. Nihilominus probabilius est etiam illum dolorem futurum esse maiorem, & ignem non solum naturali virtute: sed etiam vt instrumentum Dei ad illum esse cooperaturum: sed de hoc aliàs.

DISPVTATIO. XXXIIII.

In tres sectiones distributa.

De iis, quæ Christus dominus Vsque ad comprehensionem passus est.

EXplicata generatim acerbitate passionis Christi, vt ea, quæ nonnullam difficultatem habent in iis, quæ de rebus in ea gestis narrantur, & theologicam expositionē requirunt, in particulari pertractemus totam illam historiam in tres præcipuas partes diuidemus, primam vsque ad Christi comprehensionem, secundam vsque ad crucis gestationem, tertiam vsque ad mortem. In hac igitur disputatione, quæ primam partem continet, tria potissimum mysteria declaranda occurrunt, scilicet venditio Christi, Iudæque crimen, sudor sanguinis, quem crans in horto passus est, ac denique quomodo à Iudæis fuerit comprehensus. In quibus mysteriis exponendis nō solum dicemus, quid Christus passus fuerit (quod videtur nostri instituti proprium) sed etiā, si oportuerit, vt res tota magis illustretur, interdum declarabimus, quid Christus fecerit, loquutus ve sit.

SECTIO PRIMA.

Quam ob causam, & quo pretio Iudas Christum vendiderit.

PRimò supponendum est ex historia Euangelica, Iudam Christum vendidisse, vt constat ex verbis illis Matt. 26. *Tunc abiit vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes ad Principes sacerdotum, & ait, quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Ex quo loco coniectare possumus Iudam pepigisse cum Iudæis de Christo tradendo pridiè ante noctem cœnę. Vt enim ex eo loco cōstat, biduo ante pascha Principes, & Pharisæi concilium coegerunt, vt de Christo capiendo, & interficiendo deliberarent. Narrat autem statim Matth. Iudam, cùm ægrè tulisset factum illud de muliere, quæ in Bethania effudit vnguētum super caput Iesu, abiisse ad principes sacerdotū. Hinc ergo intelligi potest iuisse ad concilium, in quo erant congregati, atq; ita illo eodem die de tradendo Christo pepigisse.

Mat.26.

Obiectio. Dices, ergo die Martis vendidit illū: quia ille erat dies biduo ante pascha, quod die Iouis ad vesperam incipiebat, non ergo factū est hoc pridie ante cœnam.

Responsio Respondetur, si solum consideremus literam Euangelij potuisse hoc modo exponi, tamen adiuncta ecclesiastica cōsuetudo, & traditio declarat illud biduum dictum esse respectu diei festi, qui die Veneris celebrabatur, atque adeò factum Iudæ contigisse die Mercurij, & in eodē fuisse coactum concilium Iudæorū aduersus Iesum. Nam propter hanc causam dies Mercurij inter dies, qui spectant ad passionē Domini, numeratur: quia in eo cœpit pati Christus, cùm in eo venditus sit, & ideò etiam apud complures fuit antiqua consuetudo ieiunandi feria 4. in honorē passionis Domini, vt constat ex Augustino epist. 86.

Quonādie Iudas Christum vendidit.

Augusti.

Obiectio. Sed rursus dices, Matthęum narrat Iudam vendidisse Christum statim post cœnam factam in Bethania: constat autē ex Ioanne cap. 12. cœnam illam factam esse sexto ante pascha die, ergo venditio Iudæ antea etiam facta est.

Ioan 12.

Non defuerunt qui dicerent, cœnam illam, & vnctionem, de qua loquitur Ioannes, esse diuersam ab ea, de qua loquitur Matth. & ita potuisse diuerso tempore celebrari, alteram sexto die ante Paschа, alteram biduo. Nam etiam videntur in diuersis domibus celebratæ. Matthæ. enim ait, Christum cœnasse in domo Simonis leprosi: Ioannes vero significat cœnasse in domo Marthæ, aderant enim Lazarus, & Maria, & Martha ministrabat, non est autem verisimile ministrasse in aliena domo. Item Matth. dicit fœminam illā vnxisse caput Iesu, Ioannes verò ait Mariam vnxisse pedes: apud Matth. discipuli indignantur, apud Ioannem solus Iudas: & iuxta hanc sententiam facilis est responsio ad obiectionem, scilicet cœnam narratam à Matt. contigisse biduo ante Pascha: quam verò narrat Ioannes antea celebratam, uisse diuersam. Hæc fuit sententia Origenis tract. 35. in Matt. & eandem indicat Chrysost. hom. 81. in Matthæ. & clarè Euthym. suo c. 62. in Matt. & hanc sententiam sequutus est Cæsar Baronius in annalibus anno 32. & 34. eamque ex Euangelio colligi existimat.

Matt 26. Ioan. 12.

Orig Chrys. Euthym. Cæs. Barō

Sed leui fundamento motus est, quia neque Matth. neque Marcus scripserunt cœnam illam factam esse biduo ante Pascha, sed cùm narrare inciperent conciliū Iudæorum illo die factum, & deinde narraturi essent proditionem Christi, quam in eo concilio Iudas fecit, per recapitulationem interposuerunt, quid ante paucos dies gestum esset in illa cęna, vt occasionem indicarent, qua Iudas indignatus, & ad Christum prodendum impulsus est. Vnde neque etiam dicunt Iudam statim post illam cœnam abiisse ad prodendū Christum: sed finita narratione vnctionis, quā interposuerant, reuertuntur ad historiæ narrationem, quam aggressi erant. Deinde tot sunt circunstantiæ similes in vtraque cœna, & vnctione, vt non sit verisimile diuersas fuisse, præsertim cùm contrariæ coniecturæ non repugnent eidem cęnæ. Nam illa de diuerso tempore iam reiecta est: alia verò de diuersa domo non cogit, tum quia Chrysost. homil. 64. in Ioan. refert, multos sensisse cęnam, quam narrat Ioannes, non fuisse factam in domo Lazari, potuit enim Martha, vel ex magna ad Christum deuotione, vel propter cognationem, & familiaritatem aliquā cum Simone in domo eius ministrare. Tū etiam, quia Theophyl. in Matth. refert illum Simonem fuisse Patrem Lazari, & Marthæ, quod etiam refert Niceph. lib. 1. Hist. cap. 27. Reliquæ coniecturæ faciliores sunt, non enim oportet, vt singuli Euangelistæ singula narrent, sed satis est, vt ea: quæ referunt, inter se non pugnent: non pugnat autem, quòd eadem mulier

Response

Chrys.

Niceph. Theophyl.

in

in eadem cæna vnxerit pedes,& caput,& quòd Iudas cæperit indignari, & postea alii discipuli eum imitati sint,quanuis fortasse non eadem intentione,vt Chrys.dixit.Et eadē responsio est ad cętera,quæ obiici solent,vt egregiè obseruauit Augustinus, qui pręcipuus autor est huius sententiæ lib.2.de consensu euang.cap.79. quē sequuti sunt Anselm.Matth.26. & Rupertus lib.10.in Ioannem,& eam videtur tandem tenuisse Chrys.hom.64. in Ioannē, dum Matth,cum Ioanne concordare nititur,& eādem sequitur Hiero.Mat.26.qui attente est legendus,nā initio videtur distinguere mulierem, quę vnxit pedes Domini ab ea,quæ vnxit caput. Sed (quidquid sit de eius sentētia quoad distinctionem personarum,de quo aliàs) tamen nō distinguit has cænas in Bethania factas, & narratas à Matth.& Ioanne,vt euidenter patet ex sequentibus,imo in priori distinctione nō videtur agere devnctione pedum,quam narrat Ioannes, sed quam narrat Lucas. c. 7. quæ sine dubio fuit diuersa,& antea facta est.Denique hanc sententiam sequuntur Caiet.Iansen.Toletus, & alij.Et iuxta illā facile patet solutio ad obiectionem factam, nimirum Iudam non vendidisse Christum eo die,quo cęna facta est.Quia licet immediatè post illā narretur,non oportet res eodē ordine gestas esse,quo narrantur.

Secundò dicendum est de causa huius vē ditionis,quę inquiri potest, vel ex parte Dei,vel ex parte Iudæorum, aut ex parte Iudæ.Ex parte quidem Dei,cur permiserit Christum à Iuda vendi.Adquod respō dendum est,popter eam causam permisisse vendi, propterquam permisit comprehendi,flagellari,& crucifigi. Quam Paulus ad Rom.8.vno verbo cōplexus, dixit, *Qui proprio filio suo nō pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Itaq; inter alia voluit Christum pro nobis hoc genus iniuriæ, infidelitatis,& ingratitudinis perpeti, vt & nos doceret similia mala patienter ferre, & vt specialem modum tristitiæ, & doloris,quem talis proditio causare poterat,ad satisfaciendum pro nobis assumeret. Vnde de hoc afflictionis genere scriptum est psalm.40.*Homo pacis meæ,in quo speraui,qui edebat panes meos,magnificauit super me supplātationem.* Vbi August.& Hieron. de Iuda hoc intepretantur,& ponderant verbum illud *panes meos*,quo dicunt esse indicatum mysterium Eucharistiæ,cuius proditor Iudas particeps fuit,vt in materia de Eucharistia latius dicendum est.Et eodem modo exponunt verba illa psal. 54. *Si inimicus meus maledixisset mihi,sustinuissē vtiq;& si is,qui oderat me,superme magna locutus fuisset,abscōdissem me forsitam ab eo,tu vero homo vnanimis dux meus, & notus meus qui simul mecū dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus eum consensu &c.* psal.54.

Rursus ex parte Iudæorum inquiri potest, non quidem,quid eos impulerit, vt Christum comprehendere cuperent,(nam satis notum est ex euangelio,inuidia, & odio motos esse) sed specialiter quid eos mouerit, vt pecunijs emerēt,quem quotidie in templo,vel in ciuitate suo arbitrio,sine difficultate vlla poterant comprehēdere. Sed huius rei causam apperuerunt etiā euangelistæ.Marcus.n.sic inquit.capit.14. *Quærebant summi Sacerdotes, & Scribæ, quomodo eum dolo tenerent,& occiderent*, Lucas verò addit,*Timebant verò plebem.* Itaque sicut timebant illum occidere *in die festo,ne tumultus fieret in populo*,ita etiam timebant publicè, & coram plebe eum comprehendere, ne fieret seditio,& ne fortasse multi eum defendere conarentur.Propter hanc ergo causam quærebant oportunitatē,vt in loco securo, & remoto eum caperent, atque in iudicio sisterent,& tumultum, ac plebē contra eum excitarent,priusquam se tueri, aut à discipulis, amicisque defendi posset Ad hod ergo cautè præstandum suam industriam,ac dilligentiam Iudas promisit, & propterea gauisi sunt Iudæi, pecuniam que ei spoponderunt. Addi etiam potest timuisse Iudęos,ne Christus eorum cogitata cognoscēs fugeret, seque occultaret. Nam c.11.inquit Ioannes,Iudæos ad inuicem colloquentes dixisse, *Quid putatis, quia non venerit ad diem festum? Dederant autem Pontifices,& Pharisæi mandatū, vt si quis cognouerit,vbi sit,indicet,vt apprehendāt eum.* Ioann. 11.

Denique ex parte Iudæ quid ipsum impulerit ad vendendum Christū,non defuerunt quidā Hæretici Caiani appellati, qui dicerent,Iudā bene egisse vendēdo Christum, vel quia Christus legē peruertebat, quod Iudas impedire voluit,vel certè quia Christum perfectè cognouit,& ex perfecta cognitione veritatis eum prodidit zelo generis humani,quod cognouit non posse saluari nisi per Christum,nec Christū potuisse mori,nisi ab ipso proderetur.Ita se-

re re-

Augu. Ansel. Rupert. Chrisost. Hieroni.

Luc.7. Caiet Iansen. Tolet.

Christus a Iuda bendicur passus est. Rom.8.

Psal 40.

Aug. Hierony.

Irenę. Tertullią. Epiphan. Ioan.13. rè refert Iren.lib.1.contr.Hæres.cap. vlt. & Tertullian.lib.de præscriptionibus adversus hæreticos cap.47.& Epiphan. hæres.38.Possunt autem hi hæretici in confirmationem sui erroris adducere verba illa Christi. *Quod facis, fac citius.* Nisi enim benè operaretur, non eũ Christus ad operandum impelleret.

Sed repugnant euidentibus scripturæ testimoniis: passim enim in Euangelio hoc Iudæ peccatum damnatur,& Christus dixit, *Væ homini illi,per quem filius hominis tradetur,bonum erat ei,si natus non fuisset homo ille,* Matth.26.& apud Ioan.cap.13. *Vos mundi estis:sednon omnes,sciebat enim,quis esset,qui traderet eum,& propterea dixit,non estis mundi omnes,* & ibidem. *Cum diabolus misisset in cor,vt traderet eum Iudas,* & infra. *Et post buccellam, introiuit in eum Sathanas,& exiuit continuo.* Denique isti hæretici peiores ipso Iuda esse videtur. Ille enim peccatũ suum confessus est & agnouit,dicens. *Peccaui tradens sanguinem iustum.* Quibus verbis etiam rationem sui peccati agnoscit, quod nimirum contra omnem iustitiam, virum innocentem, ac sanctum prodiderit. Quanquam(vt notauit Leo Papa sermo.1.de Passione) non totam grauitatem sui peccati declarauit:in quo aliud peccatum suæ infidelitatis indicauit, non enim peccauit solum tradendo hominem iustũ: sed etiam tradendo ipsum filium Dei, quem ille non satis agnoscebat, nec credebat.

Mat.26. Ioan.13. Mat.27. Leo papa.

Dicendum est ergo, Iudam propter auaritiam Christum vendidisse. Hæc est communis sententia omnium Patrum, quam colligunt,tum ex eo,quòd Matt. & Marcus antequam narrent hanc Iudæ proditionem,interponunt indignationem eius ob vnguentum effusum super caput Iesu: Quam ortam fuisse ex auiditate pecuniæ, declarauit Ioannes illis verbis. *Non quia de egenis pertinebat ad eum,sed quia fur erat.* Vnde colligunt ex eo die machinatum esse Iudam,quomodo Christum venderet, vt illam iacturam resarciret. Tum etiam quia hanc mẽtem suam satis ipsemet expandit illis verbis. *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Vnde Aug.enarrat in Psal. 63. *Auaritia,quæ captiuauit discipulum comitem Christi,captiuauit & militem custodem sepulcri:* & Chrys.hom.64. in Ioannem,inquirens,cur Christus dispensatorem pecuniæ fecerit eum, quem furem, & auarũ esse non ignorabat, dicit Christum hoc permisisse, vt maius malum vitaret, scilicet,vt cupiditas,& auaritia eius inde expleri posset,& ita tolleretur ei proditionis occasio. Quam rationem attigit etiam Euthym.super cap.12. Ioannis, quæ tamen hoc sensu accipienda est,quòd tanta fuerit cupiditas Iudæ, vt expleri non potuerit iis,quæ furabatur, nisi etiam magistrũ suum venderet. Et ita sunt intelligenda verba,quæ subdit Chrysosto. *Neque enim poterat dicere pecuniarum id cupiditate fecisse sufficientes enim loculi esse debebant, qui eius satisfacerent cupiditati, sed sola malitia.* Non enim intendit negare Iudam hoc fecisse cupiditate pecuniæ;sed solum non fuisse talem cupiditatem illam, quæ aliquam vel humanam posset excusationem habere, erat enim nimis effrenata cupiditas, & ingenti malitia orta. Quam porrò admixtam auaritiæ malitiam significare volens Leo papa serm.9.de passione,inquit. *Impius Iudas maluit minister esse diaboli,quã Apostolus Christi,quem non timoris perturbatione deseruit,sed pecuniæ cupiditate distraxit. Hoc perfidus Iudas inebriatus veneno, dum sitit lucrum peruenit ad laqueum,& tam stulte impius fuit, vt triginta argenteis,& Dominum venderet,& magistrum.* Illud verò est considerandũ, non fuisse proditum â Iuda Christum, vt occideretur: sed solum quia existimauit fore, vt in exilium mitteretur, aut in carcere detineretur,ne populum commoueret.Hinc enim factum est, vt postea intelligens,Christum damnatum esse à Iudæis,pœnitentia ductus fuerit referens triginta argenteos,vt narratur Matth.27.nõ ergo motus est inuidia,aut odio,sicut alij Iudæi,sed auaritia.

A B C

Leo papa. Matt.27.

Auaritiæ causa Iudas Christum vẽdit. Ioan.12. Mat.16 Aug. Chrys.

Dices, qui potuit Iudas :qui tot,ac tanta miracula Christi conspexerat, propter solum affectum pecuniæ illum tradere Iudæis? Quidam dicunt Iudam nõ credidisse illa fuisse vera miracula:sed apparentia, & virtute Dæmonis facta,quod sentit Hieron.Matth. 26. Vel dici potest, quanuis crediderit miracula esse vera:nõ tamẽ cognouisse,nec credidisse Christum esse Deũ sed solum virum iustum & sanctum : hoc enim tam euidens illi erat ex dictis,& factis Christi,vt aliud sibi persuadere non potuerit, vt postea ipsemet confessus est dicens. *Tradens sanguinem iustum:* excæcatus tamen

Obiectio. Hieron. Matt.27.

tamen passione, & auaritia ipsum prodidit. Adquod eo facilius induci potuit, quò & indignatus erat ex priori facto, & non æstimauit tantum nocumentũ fuisse Christo inferendum, vt dictum est. Quanquã autem ille iustum esse Christum crederet, cum autem ad Pharisæos est loquutus, vt eum proderet, grauissimè mentitum esse credendum est (quod est nouum peccati genus) Vt enim factum suum excusaret, & probabile Iudęis faceret, necessarium illi fuit Christum accusare, & dicere se zelo legis moueri ad illum tradendũ, cuius mores expertus erat, neque ferre poterat, &c.

Ianſen. Ianſ. in Con. cap. 128.

Tertiò dicẽdũ de pretio, quo Iudas Christum vendidit, de quo solus Matth. scripsit

Mat. 27. fuisse triginta argenteos. Circa quod duæ occurrunt dubitationes. Prima est, quæ fuerit illa pecuniæ quantitas, si eã iis mensuris, quę apud nos sunt in vsu, metiamur, Secunda quomodo veritas non exactè respondeat figuræ. Nam Patriarchæ Ioseph venditio figura fuit venditionis Christi, ille autem tantum viginti argenteis vẽditus legitur Gen. 37.

Geneſ 37.

Dubium. Ianſ. Circa primam, magna est opinionum diuersitas, quas late refert Ianſen. capite. 128. Concord. quarum breuis summa est, quosdam asseruisse illos argenteos eiusdem valoris fuisse cum nostris, quos Hispani, *reales*, vocant. Ita sentit Ruper. lib. 10. in Matthęum, qui ait Iudam solitum fuisse furari decimam partem eorum, quæ habebat in loculis, & ita ceptis his triginta denariis, recuperasse decimam partem trecentorum denariorum, quibus vnguentum vendi poterat, quam sibi periisse indignè ferebat.

Rupert.

Secunda opinio est, vnunquenque argẽteum illorum habuisse valorem decem denariorum, seu argenteorum nostrorum, atque ita vendidisse Christum trecẽtis illis denarijs, quibus vnguentum vẽdi poterat. Ita Lyran. Matt. 26. Sed hæc dicta sunt sine fundamento.

Lyran. Ianſen.

Tertia ergo opinio Ianſenii est, valorẽ argentei fuisse quatuor argenteorum ex nostris, atq; adeò triginta argẽteos æquialuisse duodecim scutis argenteis, seu quindecim florenis, seu centum, & viginti argenteis ex nostris: hæc enim omnia idem sunt. Fundamentum est, quia *argenteus* substantiuè sumptus, idem solet significare, quod *siclus*, vt patet ex lib. 2. Reg. cap. 18. & Isaię. 7. adiuncta expositione

Siclus & drachmæ valor. *2. Reg. 18* *Iſai. 7.*

A Hieronymi, & ex Ioseph. lib. 3. antiquit. cap. 9. siclus autem pendebat quatuor drachmas, vt dicit Iosephus, & Hieron. Ezechiel. 4. & Iere. 32. drachma autem eiusdẽ ferè ponderis, & valoris erat cum nostro argenteo, vt Budęus, & omnes tradunt. Addit verò idem autor ex Budæo lib. 5. de asse, probabile etiam esse, argenteum, quo Hebręi vtebantur, duas drachmas Atticas pendisse, & ex iis esse triginta illos argenteos, quibus vẽditus fuit Dominus, quia etiam nunc aliqui eorum visuntur Romæ, & Parisiis eius ponderis, & qualitatis. Quam sententiam sequutus est Franciscus Ribera Amos. 8. & Zacha. 11.

Hieron. *Ioſeph.* *Budęus* *Fr. Rib.*

At verò Cæsar Baronius in annalibus in Appendice ad annum. 34. aliam excogitauit sententiam, dicens, verum quidem esse hoc pretium solutum esse Iudæ in nummis argenteis, qui erant in vsu Iudæorum, quales sunt, qui modo ostenduntur, & creduntur esse ex illis, qui Iudæ numerati sunt à Scribis, & Pharisęis, non tamen solos triginta esse numeratos, sed multo plures. Existimat enim argenteum hoc loco significare libram argenteam, quia iuxta Hebræorũ traditionẽ, quam ibi ex Rabbinis, & ex Aria Mõtano refert, hæc vox *argenteus*, licet in Pẽtateucho significet *siclum*: in Prophetis verò significat *libram*, & verisimile est Matt. hac significatione vsum esse illa voce, cum propheticã prædictionem afferat. Et ita iuxta hanc sententiam triginta argenteorũ valor fuit fere trecentorum aureorum. Nam vnaquęque libra argẽtea pendere dicitur quatuor & centum denarios, seu argenteos ex nostris. Præter dictam verò vocabuli obseruationem, nititur potissimum hic autor ea coniectura, quod triginta illis argẽteis emptus est ager figuli in peregrinorum sepulturam, vt constat Mat. 27. & Act. 1. vbi dicitur ager ille *Emptus de mercede iniquitatis*, quo significatur solo illo pretio emptum esse. Non est autem verisimile agrum propè Ierosolymam, quem esse oportuit non exiguæ magnitudinis, vt posset capere omnes peregrinos, quibus Ierosolyma abundabat, potuisse emi minori pretio, præsertim cùm ager ille non ad tẽpus, ideſt, vsque ad annum Iubilei (vt moris erat apud Iudęos) sed in perpetuũ emeretur, eò quòd vsui sepulturę ascribi deberet in posterum.

Argenteus quid. *Mat. 27.* *Act. 1.*

Sed (si coniectura vtendum est) obstat huic

huic sententiæ alia, quæ apud me maiorē (vt verum fatear) probabilitatem efficit. *Iudascur tā vili pretio Christum vendidi.* Qui enim credi potest, Iudæos tam facile obtulisse trecentos aureos propter opus, quod nullius ferè laboris, vel negotij erat præsertim cū Iudas nec rogatus, nec quæsitus sese ad tradendum Christum obtulerit propensumque ostenderit? Vnde Hieronym. Matt. 26. hac coniectura colligit Iudam vili pretio Christum vendidisse. *Sed quasi vile* (inquit) *tradens mancipium, in potestate ementium posuit, quantum vellent dare.* Et cæteri omnes expositores idem sentiunt, illud scilicet pretium fuisse multo minoris valoris. Quanquam enim dicere quis posset, Iudæos præ nimio desiderio, quod habebant comprehendendi Christum, facile maximam pecuniæ vim obtulisse: id fieret verisimile, si vel in opere ipso, vel in proditore aliquam difficultatem experti essent, eo vel maximè, quòd eo tempore decem aurei in maiori pretio, & æstimatione habebantur, quàm nunc centum.

Responsio Quo pretio Christus a Iuda venūdatus. Quocirca non coniecturis, sed propria significatione vocis, *argenteus*, quæstio hæc definienda esset: cùm autem vox illa sit valde æquiuoca, & varias monetas ex argēto factas significare soleat, vix potest certa ratione definiri, in qua significatione hoc loco sumenda sit tam in euangelio, *Zach. 11.* quàm apud Zachar. ca. 11. Videtur autem verisimilius argenteum illic significare simplicem aliquam monetam argēti, quæ tunc erat in vsu, & illam fuisse vel siclum, vel dimidiam partē sicli, vt tertia, & quarta opinio asserebat. Potuit autem ea quātitas pecuniæ sufficere ad emendū agrum in sepulturam peregrinorum, vel quia nō sola illa emptus est, nam licet scriptura dicat ex illis emptum esse, non tamen affirmat ex solis illis, vel certè quia non oportebat agrum esse adeò magnum, quia rari solent esse peregrini, qui in aliqua ciuitate moriuntur, etiam si magna illorum multitudo illuc confluat, vt etiam nunc Romæ, & Cōpostellæ videre licet. Nam ad sepeliendos peregrinos exiguus locus sufficit, præsertim, quia (vt dicebam) eo tempore moneta carior erat, quàm nunc sit, quare tunc decem aureis emi poterat ager, qui nunc fortasse non potuisset centum comparari.

Dubium. Ad vltimam dubitationem non defuerunt, qui in loco Gene. triginta argenteos existimarent esse legendum. Sed lectio illa nullam habet probabilitatem, quia & Hebrei codices habent viginti, & eodem modo legunt omnes codices emendatiores vulgatæ editionis. Septuaginta etiam interpretes quoad numerum, *viginti* legūt, quanuis quoad pecuniæ qualitatem nō argenteos, sed aureos interpretati sint. Iosephus etiam lib. 2. Antiquit. c. 3. numerum viginti retinuit, sed non dicit viginti aureis, vel argenteis fuisse vēditū, sed viginti minis, quod lōgè maius pretiūest. Nā vnaquæque mina sexaginta siclos pendebat, vt constat Ezech. 45. Sed in vtroq; erratum est, nam & Hæbraica veritas, & vulgata editio viginti argenteos habet, & ita esse legēdum notauit Hiero. quæstionib. Hebraicis in Gen. & Matth. 26. Vbi expressè refellit translationem septuaginta, subdens, *Neque enim pretiosior esse poterat seruus, quam dominus.* Ad dubitationem ergo respondetur, non oportuisse figuram in omnibus conuenire cum re repræsentata. Et addi potest ex prædictis verbis Hieronymi in hoc seruatam esse proprietatē figuræ, quod seruus minori pretio venditus est, quam dominus. Addo denique neque hunc pretij numerum relictum esse sine figura, & prophetia. Nam Exodo. 21. pro seruo, aut ancilla occisis solui præcipiebantur triginta sicli argentei: vnde Iudæi tanti Christum emere voluerunt, quātum ab eis seruus æstimabatur. Zachariæ aūt. 11. de hoc pretio prædictum erat. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos*, ideſt, cùm pro beneficijs acceptis gratiā reddere deberent, dederunt Iudę triginta argenteos, vt me traderet. Ita exponunt Hiero. ibi, & super Matt. Ruffin. in symbol. Cyrill. Ierosoly. cateches. 13. & huius prophetiæ meminit Matt. cap. 27. quā quam mutatis verbis, & non tribuit illam Zacharię, sed Ieremiæ, quod non paruam difficultatem multis ingessit, quàm variè expediunt Origen. Hieron, & alij expositores ibi. & Aug. lib. 3. de consen. euāgeliſtarum ca. 7. Sed illud verisimilius videtur, euangelistam non posuisse nomen Ieremiæ, sed simpliciter nomen prophetæ: ab aliquo autem additum nomen Ieremiæ in margine, postea irrepsisse in textū in aliquibus codicibus, non enim in omnibus habetur. Et hæc est sententia Hieron.

Ioseph. *Exech. 45* *Hieron.* *Responſ.* *Ioseph 4 fratribus in Aegiptū quo pretio venditus.* *Exod. 21.* *Zacha. 11.* *Hieron.* *Ruffin.* *Cyrill. Ier.* *Orig.* *Aug.*

Iansen. Cesa. Bar. ron.quam Iansenius cap.140.magis probat,& eandem sequitur Cæsar Baronius in dicta appendice.

SECTIO SECVNDA

Vtrum sudor sanguineus Christi in horto orantis verus,ac naturalis fuerit.

EXplicata Christi venditione,quæ legalem cœnam antecesit, explanãda sequebantur mysteria cœnæ:sed quoniam hæc in sequentem tomum,vbi mysterium Eucharistiæ explicabimus,à nobis reijciuntur,gradum facimus ad explicandum ea,quæ Christo oranti in horto contigerunt:hæc enim proximè post cœnam subsequuta sunt. Sic enim habent Euangelistę,*& hymno dicto exierunt in montem oliueti*, qui propè Ierusalem erat, *Sabbathi habens iter*, vt dicitur Act.1.ideſt,per vnum milliare distans,tantũ enim itineris licebat Iudæis in sabbatho agere (vt OEcumenius ibi notat)vel sex stadijs(vt Iosephus tradit lib.6.de bello Iudaico cap.3.)In eo ergo itinere,quantum ex Matt.& Mar.colligi potest,sermonem habuit Christus cũ discipulis,in quo & eorum scandalum, & mortem suam, ac resurrectionem iterum prædixit.Petroque asserenti se nullo modo scandalum in eum passurum, quòd eũ esset negaturus,etiam prædixit, quamuis iam antea in cœna iterum,atque iterũ eandem negationem illi prædixisset(vt Aug. notauit lib.3.de consensu euangelist.cap. 2.)& in eodem itinere pertransijt Christus torrentem Cedron,qui per vallẽ fluit, quæ inter montem oliuarum, & Ierusalẽ interiacet(vt Iosephus supra retulit)ac tandem peruenit in villam Gethsemani,quæ erat ad radices montis Oliuarum(vt Hieronym. refert lib.de traditionibus Hebraicis.)Erat aũt ibi hortus(vt Ioãnes refert) in quẽ ingressus est Iesus cũ discipulis,vt oraret.Tria autem sunt potissima, quæ ab euangelistis narrantur facta in illa oratione,primum,quòd *cepit Iesus pauere,& tædere,& mestus esse.* Secundum,orasse ad Patrem illis verbis *Pater,si possibile est.*&c. Tertium addit solus Lucas dicẽs, *Et factus est sudor eius,sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Quæ verba,quamuis Hilarius li. 1.de Trinit,dicat in multis codicibus tam Græcis,quàm latinis deesse, & idem significet Hieronym.lib.2.contra Pelagian. quatenus solum dicit eam partem historiæ in multis codicibus Græcis,& Latinis reperiri: tamen certa fide tenendum est eam partem esse canonicam,& scripturam sacram:præsertim post Con.Tridentini decretum in sess.4.vbi definit,libros scripturæ integros esse suscipiendos cum omnibus suis partibus,prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt,& in vulgata Latina editione habentur.Hæc autem pars cõmuni Ecclesię consuetudine,& consensu recepta est,& antiquissimi Ecclesiæ Patres eam vt canonicam susceperunt,vt patet ex Dionys.cap.4.de Cælest.Hiera.Epipha.hæres.69.Aug.Irenæo, & alijs quos statim referam. Quæ omnia intelligenda sunt etiã de illa parte, in qua Lucas refert apparuisse angelum confortantem Christum . Vnde. si in aliquibus codicibus hæc pars desit, credendum est expunctam fuisse ab aliquibus indoctis,specie pietatis. Nam &.S.Nicon in quadam epistola de religione Armenorum refert,eos abstulisse ex euangelio hanc historiam de sudore sanguinis imbecillitatis hoc esse existimantes non diuinæ maiestatis.

Con. Tri.

Igitur de prima,& secũda parte huius mysterij multa dicta sunt in superioribus, de prima in primo tomo.circa quæst. 15. D. Tho.in comment.ar.7.& disput.38. sect. 2.& in hoc,præcedenti disputat. multa de hac tristitia Christi dicta sunt. De secunda verò parte,ideſt de illa Christi oratione,& de voluntate à qua profecta est, dixi in primo tomo dis.33.sect.1.vbi refutaui hæreticos,qui hanc Christi orationem ausi sunt reprehendere,& disp.24.sect.3. interpretatus sum Aug.& Hieron.qui interdum indicant verba illa, *si possibile est*, &c.profecta esse ex ignorantia aliqua, & dubitatione,in disputat,verò.38.sect.2 expossui,illa oratione declarasse Christũ naturalem affectum voluntatis suæ:quẽ permittere in se voluit,& exterius exprimere, ad confirmandam naturæ assumptæ veritatem,& tristitię suæ acerbitatem declarandam.Solum ergo supereſt,vt hoc loco de tertia parte huius mysterij sermonem instituamus.

Christus in horto verũ ac naturalem sanguinẽ sudauit.

Dico ergo primò,Christum dominum verum,proprium,ac naturalem sanguinẽ emisisse,quando sanguinẽ sudasse fertur. Hæc assertio mihi est certa , nam verba Luc.sunt expressa,& cum historiam contineant,propriè intelligenda sunt. Vnde (quod

Theophyl. (quod Theophy. dixit) ea ſcripta eſſe per hyperbolem. Nam ſicut qui amarè flet, dicimus ſanguinem flere, ita qui præanxietate, & interno labore nimium ſudat, dicitur ſanguinem ſudaſſe, ideſt, fluentem ſudorem fortiter ſtillaſſe. Hæc (inquã) interpretatio cum aliena ſit â litera proprietate, & neceſſaria non ſit, nullo modo eſt admittenda. Sed ait Euthym. qui in eadẽ eſt Euthym. ſententia ſuo cap. 64. in Matth. Lucã non dicere Chriſtũ ſudaſſe ſanguinẽ: ſed ſudorem eius fuiſſe, ſicut ſanguinis guttas, ideſt fuiſſe craſſum, & cõcretum ſudorem ſimilem guttis ſanguinis. Sed certè, ſi ſolam ſimilitudinem voluiſſet Lucas ſignificare, potius dixiſſet, *Sicut guttæ aquæ*: ſimiliores enim videntur guttæ ſudoris guttis aquæ, quam ſanguinis. Adde particulam illam *ſicut*, non ſemper ſignificare in ſcriptura ſimilitudinem: ſed interdum identitatem, & veritatem, vt Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti a Patre*. Denique ſi in hoc loco per particulam illam, *Sicut*, importatur aliqua ſimilitudo, quæ à veritate deficiat, non eſt in ſubſtantia ſanguinis, quaſi verum ſanguinem non ſudauerit Chriſtus, ſed in forma, & figura guttarum. Quia fortaſſe non habebãt perfectam figuram guttæ, ſed illi ſimilẽ, vel certè, quia non erant ex puro ſanguine, ſed aliquid ſudoris habebant admixtum. Itaque ſimpliciter fatendum eſt, Chriſtũ ſanguinem verum ſudaſſe, vt euangelij litera præſefert, & communi ſenſu Eccleſiæ intellecta eſt, etiam ab Apoſtolorum temporibus, vt colligere licet ex Iuſtino Martyre dialog. cum Triphone, Irenæo lib. 4. contra hæreſ. cap. 32. vbi contra negantes veritatem carnis Chriſti illud incommodum infert, quod *globos ſanguinis*, non ſudaſſet. Idem repetit lib. 4. cap. 69. Idẽ ſentit aperte Epipha. in Anchorato, & Athanaſ. lib. 6. ad Theophyl. qui eſt de beatitudine filij Dei, anathema dicit in eos, qui Chriſtum verum ſanguinem ſudaſſe negant: Hilar. etiam & Hieronym. locis citatis, plane intelligunt ea verba de vero ſanguineo ſudore, & Auguſt. lib. 3. de cõſenſu euangeliſt. capit. 4. vbi dicit Chriſtum emiſiſſe ſudorem ſanguineũ. Ammonius verò Alexan. in Harmonia euangeliorum *ſudorem ſanguinolentũ*, appellauit. Ratio huius ſudoris propria, & literalis ſtatim explicabitur. Rationes autem myſticę variæ traduntur à Patribus, Beda ſuper Lucam

Ioan. 1.

Iuſt. Mar. Iren.

Epiphan.

Athan. Hilar. Hieron. Aug.

Amõ. Ale.

Beda.

A

B

C

dicit, ſignificatum eſſe hoc Chriſti ſudore defluente in terram, etiam terrenos homines ſanguine Chriſti eſſe irrigandos. Augu. in lib. ſententiarum, ſententia. 68, *Orans* (inquit) *cum ſudore ſanguineo dominus Ieſus Chriſtus, ſignificabat de toto corpore, quod eſt Eccleſia, emanaturas martyrum paſſiones*. Bernar. ſerm. 3. in Dominicam Palmarum, dicit Chriſtum non fuiſſe contentũ lacrymis oculorum: ſed totius corporis ſanguineis lacrymis peccata noſtra flere, ac lauare voluiſſe.

Aug.

Bernard.

Dico ſecũdo, Chriſtus dominus abſque ſpeciali miraculo ſanguinem ſudauit ex vi internæ afflictionis, & agoniæ, quam in illa oratione paſſus eſt. Ita ſentit Caietan. Luc. 22. á cuius opinione non multum diſcrepat Ianſenius cap. 137. Concord. Declaratur primo, ratione theologica. Quia ſi ille ſanguis miraculoſe eſſet emiſſus, & non ex vi interioris afflictionis nõ fuiſſet ſignum certum, & euidens maximi angoris, & triſtitiæ interioris, quia miraculoſe poterat etiam cum minima afflictione, imò ſine vlla emitti: conſequens autem eſt contra ſenſum omnium ſanctorum ab vniuerſa Eccleſia receptum. Secundo hoc explicat Caietan. naturali, & phyſica ratione. Quia ſicut magnitudo paſſionis pellit violenter ſudorem, ita ſi vehemens ſit paſſio, & deficiat ſudoris materia fieri poteſt, vt ſanguinem expellat. Sicut natura vi (vt ita dicam) effrenis concupiſcentiæ coacta, deficiente ſemine in proprijs organis, ſanguinem fundit & deficiente lacte, qui ninium vbera emungit, vt dicitur, elicit ſanguinem: in Chriſto autem corpus erat debile, & exhauſtum, cumque alioqui afflictio interior eſſet vehemens, fieri potuit, vt deficiente materia ſudoris, ſanguis fuerit ex vi interioris afflictionis expulſus. Nam & Ariſt. lib. 3. de Hiſt. animal. capi. 19. dicit interdum euenire ex abundantia ſanguinis, & intemperie corporis, vt aliquis ſanguinem ſudet: hæc autem cauſa non habuit locum in Chriſto: tamẽ, ſicut hæc á natura eſt, ita alia à nobis explicata eſt naturalis, & ſufficiens ad hunc effectum.

Sanguinei ſudoris in Chriſto cauſa quæ fuerit.

Caiet.

Ianſen.

Ariſt.

Dices, metus, & triſtitia, quibus tũc Chriſtus angebatur, non emittunt ſanguinem foras, ſed potius ad cor attrahũt, natura ita prouidente, vt principaliori mẽbro in huiuſmodi afflictionis tẽpore ſubueniatur. Reſpondetur ſi angor, et afflictio ex triſtitia,

Obiectio.

Reſpoſio

tia metuque proueniens tanta sit, vt corpus commoueat, & inflammet, vim habet attenuandi sanguinem, & aperiendi poros & hinc consequi potest emissio sanguinis ad exteriores partes corporis. Eo vel maxime, quòd licet Christus naturali affectu timeret: tamen deliberata voluntate & efficaci, & actu appetitus á voluntate imperato mortem, & omnes dolores, qui efficacissimè proponebantur, amplectebatur, & naturalem affectum superabat, & hinc agonia proueniebat. Ex hoc ergo actu fortitudinis, & audaciæ, magis quàm ex timore, & tristitia illa corporis alteratio, & sanguinis emissio prouenire potuit.

Luc.22. Quod satis narratione sua Lucas indicauit dicens. *Et factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.*

Obiectio. Sed vrgebis, nam licet fieri possit, vt aliquis subtilis sanguis per poros effluat: tamen verba Lucæ indicant, non tenues, sed crassiores guttas, ex crassiori sanguine concretas, vsque ad terram decurrisse. Hanc enim vim habet dictio Græca, θρόμβοι quæ grumum crassiorem significat, ergo nō videtur hoc naturaliter fieri potuisse.

Iansen. Quæ ratio tādem mouit Iansenium, vt diceret non omnino naturali causæ, sed miraculo tribuēndum esse, quod de Christi sudore refert Lucas.

Responsio Sed dici potest, licet propter dictam causam naturalē, subtilis sanguis, & liquid⁹ è Christi corpore flueret, tamen statim ac perueniebat ad externam corporis superficiem condensari potuisse absque miraculo, propter aeris intēperiem, præsertim cùm esset nox, aerque frigidior. Sic ergo sanguis densior, & crassior, effectus, & in guttulas diuisus, in terram decidebat.

Obiectio. Huic verò nostræ sententiæ contradicere videtur Hilar. lib. 10. de Trinit. his verbis. *Sudorem verò nemo infirmitati audebit deputare, quia dum & contra naturam est sudare sanguinem, neque infirmitas est, quod potestas non secundum naturæ consuetudinem gessit.*

Hilar. Exponi tamen potest hoc non fuisse infirmitatis, hoc est impotentiæ, & coactionis Christus enim non ex imbecillitate, aut ex impotentia ita timuit, aut tristatus est, vt sanguinem sudauerit, sed volūtarie hos affectus in seipso permisit. Deinde dici potest, potestatis miraculosæ in Christo fuisse sustinere tam ingentem tristitiam, ac internum dolorem, ex quo tam mirabilis externus effectus effluxit, fortasse enim id non est homini possibile per naturam: vel saltem fieri non potest, vt homo huiusmodi passionem patiatur, quin mors inde subsequatur, & hoc modo concedi potest aliquod miraculosum opus hic intercessisse. Non negat autem Hilarius, quod posito tali affectu in corpore ita dispositio, potuerit naturaliter sequi prædictus effectus.

Reliquum erat, vt de Angelo confortante Christum (quod eodem loco Lucas narrat) aliqua disputaremus: sed hunc locum sufficiēter tractauimus in priori tomo super quæst. 12. D. Th. in commē. ar. 4. quibus nihil fere hoc loco addendum occurrit. Id est duntaxat adnotandum, angelū illū in forma sensibili, & humana apparuisse, locutumque exterius loquutum ad Christum fuisse, vt ex verbis Lucæ facile colligi potest, & ex ijs, quæ supra agentes de tentatione Christi diximus, scilicet, nō potuisse interiores Christi potentias immutari immediatè ab angelis. Vnde sicut exterius tantū tentari potuit, ita & confortari, non tamen doceri, aut illuminari, vt in prædicto loco ex priori tomo citato D. Th. disseruit. Quis autem ille angelus fuerit, incertum est, nihilq; inuenio de ea re á sanctis Patribus dictum.

Angelus Christū in horto confortat.

SECTIO TERTIA.

Quæ mirabilia acciderint in Christi comprehēsione.

IN hoc mysterio duo præcipue cōsiderari possunt, scilicet quid in eo Christus sit passus, & quid egerit. Prior pars propria est nostri instituti, nihil tamē habet, quod scholasticā disputationem requirat, sed piā potius cōsiderationē, ac meditationem. Ad tria verò capita reuocari possūt, quę tūc Christus passus est. Primū est iniuria, & infidelitas Iudæ, qui osculi signo illū tradidit. De quo legi pōt Orig. tract. 36. in Mat. & Hiero. Mat. 26. qui dicūt timuisse Iudā, ne Christus seipsū trāsformaret, vel trāsfiguraret, ne agnosci posset, & ideo dedisse Iudæis hoc signū. Sed hoc difficile creditu est. Primo quia nō est sufficiens fundamentum, vt asseramus, Iudam hoc timuisse, quia trāsfigurationi domini non affuerat: neque ab alijs audire id potuit: cùm illis præceptum fuerit, ne id dicerent, & ipsi tacuerint, vt dicitur

Iudę osculum maxima Christi iniuria.

Origen Hieron.

Luc.9. Luc.9.Deinde,quia si Iudas timuit, ne A Christus eo modo se occultaret, etiam timere potuit,ne sibi ipsi inuisibilis fieret, vel alterius formæ,ergo pari ratione time re posset, ne suum signum esset inutile. Quin potius Cyrill.lib.11. in Ioann. cap. 33.& Chry.hom.82.in Ioannem, dicunt Christum potestate diuina ita se se occultasse ministris Iudęorum,& ipsi Iudæ, vt eum non agnouerint,quando eos interrogauit. *Quem quæritis?* quanquam neq; hoc sit admodū verisimile. Probabilius enim est,quod Aug.dicit lib.3.de consen. Euange.ca.5.& Ammonius in harmonia euāg. Iudam,qui alios antecedebat,primum omnium vsque ad Christum venisse,eumque agnouisse,& osculum dedisse,& tūc Christum eum interrogasse. *Amice ad quid venisti?* vt cor eius leniret, & ad meliorem mentem reuocaret:statim verò,vt eum confunderet,subiunxisse. *Oſculo filium hominis tradis?* ac deinde vlterius processisse,quasi sese offerens ijs,qui ad eum comprehendēdum veniebant,eosque interrogasse. *Quē quæritis?* non quia prius sese illis occultasset,sed vt ostenderet potentiam suam in miraculo,quod statim fecit,& quod volū tarie sese morti offerebat. Qui ordo rerū ex ipso euangelio satis constat,& quia si Iudas non cognouisset Christum, antequam ipse interrogaret, *Quem quæritis?* superuacaneum postea fuisset illius signum quia iam Christus se satis prodiderat.

Cyril. Chryſ. Ioan.18. Aug. Ammoni. Mat.26.

Obiectio. Oſculi signum Iudæis a Iuda cur datum. Dices, quid necesse fuit,Iudam præbere hoc signum,cum Christus esset omnibus probē cognitus,præsertim Phariseis eorumque ministris? Multi censent id factum esse propter Iacobum fratrem domini,qui erat Christo simillimus. Sed facilius dici potest,Iudam fuisse valde sollicitū,ne errore aliquo Christus ē manibus militum elaberetur,vt illa eius verba satis declarāt. *Tenete eum,& ducite caute.* Fereba tur enim semper eadem pecuniæ cupiditate,quia nōdū illam acceperat: sed promissa tantū illi erat,vt plane ex euangelio constat.Hacergo de causa,sollicitus fuit in eo signo præstando,& quia nox erat,& ideo facile in persona errari poterat,&prēterea quia cohors militum Romanorū, quę ad Christum capiendum veniebat,facile poterat eum de facie non agnoscere. Hæc ergo fuit prima iniuria,quam in hoc mysterio Christus passus est,quæ sane fuit maxima:in qua ferenda Christus summam patientiam,& caritatem ostendit.Iudas autē summam ingratitudinem,ac mentis cęcitatem,adeò vt visum Hieronymo sit,eum non credidisse signa,& miracula Christi fuisse vera:sed magicis artibus facta,alioqui non existimasset posse a se Christum decipi:Cyrillus autem supra dicit,eū passione obcęcatū non considerasse ea, quæ faciebat.Plura de hoc Iudę facinore legātur apud Chry.hom.de proditione Iudæ, & Leonem Magnum sermo.de passione.

Reſponſio

Ingratitudo Iudæ erga Christū quanta. Hieron. Cyril. Chryſ. Leo Papa.

Secundo passus est Christus desertionē ab amicis,& discipulis,*omnes enim relicto eo fugerunt*,quod nō sine speciali Christi prouidētia factum esse,satis significatum est illis verbis,quæ Ioānes refert,dixisse Christum.*Si ergo me quæretis, sinite hos abire*, vt ibidem Aug.notauit tract.112.*Ostendit*, inquit,*quam curam salutis eorum omni tempore habuerit*.Quod magis explicans Rupert. lib.13.in Ioan.ait prænouisse Christū,nō fuisse tunc Apostolos satis firmos in fide, neque dispositos ad patiendum, & ideô non permisisse eos comprehendi, quia facile eum essent negaturi.Et ita rectè exponit illud verbum,quod subdit Ioannes *Vt adimpleretur,quod dixit,quos dedisti mihi,nō perdidi ex eis quenquam*,quia etiam tūc seruauit eos corporaliter,ne spiritualiter perirent.Addunt verò Aug.& Chryſ.hom. 82.ex hac Christi prouidentia, & efficacia verbi eius factum esse:vt Iudæi nemi nē Apostolorum comprehenderint: neq; etiam Petrum,qui ausus fuerat seruū principis sacerdotum vulnerare,quod non immerito inter miracula ă Christo tunc facta computari potest.

Ab omnibus in comprehensione Christus deseritur. Mat.26. Ioan.18. Aug. Rupert. Ioan.18. Aug. Chryſoſt.

Ex quo vlterius colligit Caietan.adolescentem illum(quem Marcus refert comprehensum esse à militibus,& nudum relicta syndone ex manibus eorū effugisse) nō fuisse aliquē ex Apostolis. Quāquam Epiphan.hæres.78.dicat fuisse Iacobum fratrem domini,& Hieron.ps.37.Et quan uis Beda super Marcum probabile cēseat illum fuisse Ioannem Euangelistam, quæ fuit etiam sententia Ambr.super ps.36.& Greg.lib.6.Reg.cap.2.& 14.Morali.cap. 23.Sed Caiet.sententia verisimilior videtur,quā latius ipse confirmat in ientaculo 6.q.4 & fuit etiā sentētia Theo.&Euthy. in Mar.Quia cū verbum Christi fuerit efficax,nō potuerūt Iudęorū ministri in aliquē Apostolorū manū inijcere. Addo nullum esse fūdamētū ad affirmandum illum fuisse

Caiet. *In nullum Apoſtolorū miniſtri Iudæorum in hortomanus iniecerunt.* Epipha. Hieron. Beda. Ambr. Gregor. Theophyl. Euthym.

fuisse Iacobum, vel Ioannem, præsertim cùm neuter eorum adolescens tunc fuerit, vel potius adolescentulus (vt Græca habent). Nam Iacobus sexagesimum ætatis annum exeggerat, Ioannes verò trigesimũ attigerat, si tempora, & ætates, in quibus mortui sunt, cõsulantur. Addo incredibile esse aliquem ex Apostolis tunc fuisse nudum, & sola syndone coopertum, quare verisimile est (quod Caietan. dicit) illum fuisse aliquem ex seruis, qui in ea villa degebant. Sed de his satis.

Dubium. Inquiri verò hic posset, an Apostoli peccauerint fugiendo, & deserendo Christũ.

Responsio Respondeo breuiter, si actum illum externum secundum se, & secundum occurrentes circunstantias per se consideremus, nõ videri actum de se malum, quia neque ipsi poterant defendere Christum, nec debebant, (vt statim dicam) sese autem obijcere morti, aut comprehensioni nõ erat eis specialiter præceptum. Quia nõ erant ipsi pro hominibus moritur, nec Christo erat eorum mors tunc necessaria: neque etiam ad confitendam, vel non negãdam fidem, erat necessarium non fugere. Quia fuga de se non est contra fidei confessionem, ordinatur enim ad vitam custodiendam, non ad explicandam mentem, ergo non habebat ille actus, vnde esset dese malus, eo vel maxime, cũ discipuli audissent Christum dicentem. *Sinite hos abire.* Dico autem per se, quia per accidens, aut ratione scandali, aut ob conscientiam erroneã, aut si fortasse fuga illa ex aliqua dubitatione in fide, seu fiducia in Christum orta est, potuit in illo actu interuenire peccatum.

Fuga Apostolorum Christũ deserentium peccatum nc fuerit.

Comprehẽsio Christi qualis. Tertio passus est Christus cõprehensionem violentam magno cum strepitu armatorum hominum, à quibus non solum est comprehensus: sed etiam ligatus tanquam insignis quidam latro, & malefactor, vt ipsemet dixit. De quo mysterio legi potest Cyrill. Ierosol. cat. 13. Et Alexã. lib. 11. in Ioan. cap. 32. &, 33. & tunc impletum est illud, ps. 21. *Circundederunt me vituli multi; tauri pingues obsederunt me,* & illud, *Circundederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me,* Et illud Isai. 53. *Sicut ouis ad occisionem ducetur,* Et illud Thren. 4 *spiritus oris nostri Christus dominus captus est,* vt ibi Hieron. exponit.

Cyril.

Psalm. 21.

Isai. 53.

Thren. 4.

Hieron.

Quoad secundam partem superius proA positam, duo miracula breuiter consideranda sunt, quæ tunc Christus est operatus. Quia licet non directè pertineant ad passionẽ eius: pertinent tamen ad ostendendam innocentiam eius, & voluntatẽ, qua patiebatur: quæ duo in toto hoc negotio præ oculis semper habẽda sunt. Ideo enim Christus etiã eo tempore, quo infirmior, & imbecillior videbatur, miracula operari non destitit, ne existimaretur à maiestate, & potestate sua cecidisse, aut inuitus, & coactus pati. Primum ergo miraculũ fuit postrare vnico verbo, *ego sum,* tantam hominum multitudinem, quod factum est efficacia verbi, & potentiæ Christi. Nam si cut verbo suo omnia creauit, & panem in corpus suum conuertit, vel sicut psal. 24. dicitur. *Vox domini confringentis cedros,* ita facile fuit eodem verbo homines prosternere. Et non caret mysterio (vt Rupertus indicauit) verbum illud, *ego sum,* quod est diuinitatis proprium, à qua virtus, & efficacia illius verbi manauit. De quo elegan-

Efficacia verbi Christi quanta.

Ioan 18.

Psal. 24.

Rupert.

B ter Leo Pap. serm. 1. de Passione. *Hoc verbum illam manum ita ex ferocissimis congregatã, quasi quodam fulmineo ictu prostrauit, atque perculit, vt omnes illi atroces, minaces, atque terribiles retro acti corruerent.* & serm. 15. dicit hoc fuisse diuinæ potestatis indiciũ. *Quæ impiorum conatus, non armis contrarijs, neque vllius creaturæ potẽtis auxilio, sed sola Dei virtute prosterneret.* Et ibidem: *Vna domini voce ita percussa est illa multitudo, vt omnes simul amisso membrorum officio retrorsum acti, elisiq; corruerint.* Quo significat nõ solum impetu quodam deiectos esse in terrã, sed etiã priuatos esse virtute sentiente, & mouente, ita vt sustinere se ac regere nõ valerẽt, si cut paralyticis solet accidere.

Leo Papa.

Dubium.

C Queri autem solet, cur potius factum est vt retrorsum caderent, quam in faciẽ, vel alio modo. Cuius rei variæ rationes mysticæ videri possunt in Cyrill. lib. 11. in Ioannem cap. 33. & Greg. hom. 9. in Ezec. Propria, & literalis ratio esse videtur, quia maior potentia, & efficacia verbi Christi reluxit in eo deiectionis modo.

Responsio Cyril. Greg.

Secundum miraculum fuit, quòd Christus restituit auriculam Malco, quam ei Petrus abscinderat. Hoc enim post præcedens factum fuisse constat ex Ioann. 18. & late explicat August. lib. 3. de consens. euang. capit. 5. De hoc autem miraculo præter supradicta nihil aliud notandum

Ioan. 18.

Aug.

occurrit, quàm quòd propria, & speciali ratione videtur Christus hoc miraculu fe ciſſe, non ſolũ ad exemplũ manſuetudinis, & patientiæ: ſed etiam ne Iudæi arriperent occaſionem accuſandi illum, quòd ſe violenter defenderevoluiſſet, & publicum Reipublicæ miniſtrum, per ſe, aut per diſcipulos vulneraſſet.

Dubium. Hinc verò occaſio oritur inquirendi, an peccauerit Petrus in eo facto. Et ratio dubitandi eſſe poteſt, quia Petrus ex amore Chriſti motus eſt ad eum defendendum, vt Chriſoſtom. notat homil. 85. in Matth. & Hieronym. Matth. 26. & Auguſtinus lib. de agone Chriſtiano cap. 27. *Petrus* (inquit) *non ſuperbia, ſed quamus carnali, tamen amore Dñi hoc fecit*, idq; per ſe ſatis credibile eſt: & alioquin factũ ipſũ ex obiecto non erat malum, quia licitum eſt defendere innocentem, Eccleſiaſtici. 4. & Prou. 24. Vnde Cyrillus. libr. 11. in Ioannem capite. 35. *Petrus* (inquit) *gladium habuit, quia ſecundum legem gladio ſe defendere licebat. Vnde intentio Petri, qui gladium aduerſus hoſtes accepit, a mandato legali non fuit aliena*, & infra ſignificat Chriſtum non reprehendiſſe factum Petri, vt malum, ſed vt minus perfectum, *Chriſtus* (inquit) *motum huiuſcemodi, quanuis ſecundum legem fuerit, repreſsit, quaſi longe a perfecta virtute conſtitutum*. Quin potius Ambroſius Luc. 22. factum Petri comparat cum facto Phinees, *Petrus* (inquit) *eruditus in lege, promptus affectu, qui ſciret Phinees reputatum ad iuſtitiam, quod ſacrilegos peremiſſet, percuſsit principis, ſeruum*. Et confirmatur, nam Chriſtus paulò antea dixerat diſcipulis, *qui non habet, vẽ dat tunicam ſuam, & emat gladium*, ergo potuit Petrus intelligere, voluntatem Chriſti fuiſſe, vt gladios haberent ad ſui defenſionem, ergo exiſtimauit actum illum eſſe iuxta Chriſti voluntatem. Vnde Auguſtinus in quæſtionibus noui, & veteris teſtamenti quæſtione. 104. indicat, Petrum non iniuſtè percuſsiſſe, *Quia ſicut ſignificatur in Luca, ipſo Domino permittente percuſſit*, & infra addit, Chriſtum non dixiſſe Petro, *Qui accipit gladium, gladio peribit*, propter id, quod fecerat, *ſed ne iterum percuteret, permiſſum enim ei erat, vt dolorem faceret, non vt occideret*. In contrarium verò eſt, quia Chriſtus videtur reprehendiſſe factum illud, vt malum, pœnaque dignum, ſic enim ait, *Converte gladium tuum in vaginam, omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt*. Quæ verba ius indicant, non factum. Neque enim omnes, qui gladio aduerſus alios vtuntur, re ipſa gladio pereunt, digni tamen ſunt, vt gladio perimãtur. Quod de ijs neceſſe eſt intelligi, qui iniuſtè gladio vtuntur, & ideò non ſine myſterio dixit Chriſtus, *Omnes, qui gladium acceperint*, propria ſcilicet autoritate, vel arbitratu ſuo, vt notauit Auguſt. 22. contra Fauſtum cap. 70. ſignificat ergo Petrum, hoc modo vſum eſſe gladio. Item huius rei rationes varias ſubdit Chriſtus, dicens. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? Quomodo ergo implebuntur ſcripturæ?* Petrus enim ſatis intellexerat Dei ordinationem eſſe, vt Chriſtus pateretur, & Chriſti voluntatem eſſe, vt omnino ita fieret. Vnde alio in loco, cùm Petrus Chriſto prædicenti paſsionem ſuam dixiſſet, *Abſit a te Domine*, graniter ab ipſo increpatus audiuerat. *Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi, quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum*: ergo in hoc opere fecit contra Dei ordinationem, & Chriſti voluntatem ſibi cognitam, & (quantum in ſe eſt) voluit ſcripturarum prædictiones inanes reddere. Deinde addidit Chriſtus, *an putas, quia non poſſum rogare Patrem meum? &c.* ac ſi diceret, Tu exiſtimas indigere me defenſione tua, in quo multum erras, ergo etiam ex hoc capite reprehenſibile fuit factũ Petri. Ex imperfecta enim fide, & Chriſti exiſtimatione ortum eſt.

Reſponſio. In hac re mihi vera videtur ſententia Hieronymi, qui Matth. 26. vno verbo dixit, Petrum hoc feciſſe eodem mentis ardore, quo cætera. Alludit autem Hieronym. ad id, quod ipſemet dixerat Matth. 14. *In omnibus locis ardentiſsimæ fidei inuenitur Petrus. Volentem ad paſsionem pergere prohibet, & licet erret in ſenſu, non tamen erat in affectu, nollens eum mori, quem filium Dei fuerat paulo ante confeſſus.* Itaque ſi factum ipſum ſecundum ſe conſideremus, excuſari non poteſt propter rationes dictas: & præterea (vt rationi in contrariũ factæ reſpondeamus) quia factũ Petri nõ potuit habere rationẽ iuſtæ defenſionis, non ſolũ quia erat cõtra Chriſti voluntatẽ, ſed etiam quia illa non erat defenſio, ſed temeraria quædam aggreſsio, & irę impetus, aut vindictæ. Nõ enim Petrus poterat Chriſtum

Aug. Mat. 26. Mat. 16. Hieron. Quo animo Petrus Malchi auriculã obtruncat.

Christum à tot armatis vno mucrone militibus defendere. Vel igitur Petrus considerabat Christum vt imbecillem hominē indigentem defensione, & sic etiam ipse erat impotens ad defendendū, & ideō non habebat iustam rationem inchoādi defensionem, vt si aliquis videret decem homines aggredientes innocentem, si non speraret se posse defendere innocentē, etiam si speraret posse vnum, vel alterum ex aggressoribus occidere, non iuste faceret, neque actio illa dici posset iusta defēsio: vel Petrus considerabat Christum, vt habentem virtutem plusquam humanam, qua nixus, & in virtute verbi eius, quod dixerat. *Qui non habet tunicam, emat gladium*, sperabat se posse aduersus totam cohortem illū tueri, sicut alibi dixit, *Tota nocte laborantes nihil cæpimus, in verbo autem tuo laxabo rete.* Hanc enim fuisse mentem Petri verisimiliter possumus inde cōijcere, quòd statim Christo obtemperauit imperanti, *Conuerte gladium tuum in vaginam*, vt Chry. supra indicauit. Sed (licet hoc admittamus) nō possumus factum Petri secundum se excusare, quia vt tantum facinus aggrederetur virtute Christi fretus, debuisset illius verbum, & præceptum expectare. Et ita rectè intelligitur quod Aug. dixit. lib. 22. cōtr. Faust. cap. 70. Petrum non benè vsum fuisse gladio. *Quia Dominus* (inquit) *iusserat vt ferrum discipuli eius ferrent: sed nō iusserat, vt ferirent.* Ex quo vlterius duplex alia inordinatio in illo actu inuenitur. Altera, quòd Petrus se exposuit euidenti periculo mortis sine iusta causa: imō propter actionem iniustam. Altera, quòd Christum ipsum, quem defendere cupiebat, maiori periculo exposuit. Dedit enim occasionē Iudæis, vt acrius in Christum sęuirent, & causandi iustam aliquam, vel apparentem occasionē acusandi Christum. Et hæc quidem vera sunt, considerando factum secūdum se. An verò persona ipsa excusanda sit, non facile dixerim, quia ex nimio feruore, & amore potuit non cōsiderare has rationes omnes, inuoluntaria, seu inuincibili incōsideratione. Vnde Chry. dicit id fecisse Petrum ex pio, & feruenti amore: Ambros. verò indicat, fuisse illum actum quasi ex dono Spiritus sancti: at verò Augustinus supra, id nō excusat: sed plane dicit peccasse non minus, quam Moysem, quando percussit Aegyptium, *Vterq; enim*

Luc. 22.

Luc. 5.

Chryſ.

Aug.

Factū Petri culpa necarucrit.

Chryſoſ. Ambr. Aug. Exol. 2.

A (inquit) *non detestabili immanitate, sed emendabili animositate iustitiæ regulam excessit.* Imò nec Cyril. dict. cap. 35. videtur illum omnino excusare. Sed cū hoc ex interiori affectu, & dispositione Petri pendeat, non potest a nobis certa ratione definiri, non caret autem magna probabilitate dicere, Petrum tanto feruore, & amore motum esse, vt nihil peccauerit nō considerādo omnia, quæ in illo negotio cōsideranda erāt.

DISPVTATIO. XXXV.

In tres sectiones distributa.

De ijs, quæ Christus dominus Vsque ad latam mortis sententiam passus est.

B IN ijs omnibus, quæ Christus passus est, ex quo fuit comprehensus vsque ad flagellationem nihil fere est, quod disputationem nostram requirat, præterea, quæ Euangelistæ narrant de Petri negatione. Quæ licet non videatur ad Christi passionem pertinere: pertinet tamen maximè quia licet non externum dolorem: iniuriā tamen, & tristitiam ei intulit maximā. De ceteris ergo omnibus passionibus solū est historia euangelica breuiter adnotanda. Christus enim à militibus comprehēsus, primum ductus est ad Annā, de hoc enim nulla potest esse controuersia, cùm sit expressum in euangelio. Vnde, quod legitur apud Clemen. lib. 5. Const. Apostol. cap. 13. primùm ductum esse ad Caipham, deinde ad Annam, vt apocryphum reijciendū est, Quanquam Turrianus illud interpretari conetur. Deinde aliqui existimant in domo Annæ contigisse, quæ Ioannes narrat de prima negatione Petri, & de alapa Christo inflicta propter responsum, quod pontifici reddiderat: & ita intelligit Aug. lib. 3. de consens. Euang. cap. 6. Quia post eam narrationem subdit Ioānes, *Et misit eū Annas ligatum ad Caipham.* Alij verò existimant hæc verba dicta esse â Ioanne per recapitulationem, non seruato ordine historię, aut præteritum illud *misit* positum esse pro præterito plusquam perfecto *misserat*, Iuxta quam expositionem non est necesse aliquid horum factū esse in domo Annæ, sed in domo Caiphæ, vt sentit Orige. tract. 35. in Mat. & Cyril. libr. 12. in Ioannē cap. 1. qui tamē in lib. 11. cap. 38. quædam verba interponit in textu Ioannis,

Clem. pa.

Turrian.

Aug.

Ioan. 18.

Orig. Cyril.

quæ non habentur in vulgata, scilicet *miserunt autem eum ligatum ad Caiphã pontificẽ.* Ethęc expositio magis accõmodata est textui, præsertim iuxta ea, quæ alij euãgelistę narrãt vt videbimus sequẽti sectione. Itaque in domo Annæ nihil actum legimus: sed solũ videtur eò Christus adductus propter cõiũctionẽ Annæ cũ Caipha, vel vt illi aliquis honor deferretur, vel certe vt ipse autoritate sua Christi cõprehensionem approbaret, atq; proueheret, vt omittã rationes alias, quæ in Aug. Cyril. Beda, Euthy. & alijs expositoribus legi possunt.

Christus ad Annã cur ad ductus. *Aug.* *Cyril.* *Beda.* *Euthym.*

Post hæc ab Anna ductus fuit ad Caiphã: in cuius domo multa quidẽ contigerunt admiranda, & consideratione dignissima, quæ tamen nostrã explicationem nõ desiderant, nec nostri sunt instituti, sed solũ ad literã euangeliorum explicandam pertinent. Obseruandum ergo est breuiter, tota illa nocte Christum dominum in domo Caiphæ varijs iniurijs, ac doloribus fuisse affectum. Primũ enim alapis, & colaphis percusus est: deindè velauerunt faciẽ eius, vt liberius irriderent, & conuitijs incesserent, dicentes, *prophetiza nobis*, &c. quasi irridẽtes ei, quòd sese prophetam iactaret. Rursus expuebãt in faciẽ eius, quod erat eximiæ ignominiæ, vt constat ex Deu. 25 & Num. 12. Præterea credibile est aliis modis eum afflixisse, & ictibus eũ cęcidisse, & præsertim barbam eius expillasse, genasque vulsisse, iuxta illud Isai. 50. *corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus.* Illud etiam est obseruandum, Christum dominum percusum, & iniurijs affectum á Iudæis, interdum tacuisse: interdũ verò mansuete quidem: tamen prudenter & grauiter respõdisse, quôd præcipuè notatum est ab Aug. tract. 113 in Ioan. & li. 1. de serm. domini in monte cap. 20. & epis. 5. ad Marcellinum, notatum (inquam) est in verbis illis quæ Christus dixit, cùm primum alapam accepit, *si male locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem bene, cur me cædis?*

Christus in domo Caiphę quanta sit passus. *Matt. 26.* *Deu. 25.* *Num. 12.* *Isai. 50.* *Aug.* *Ioan. 18.*

Circa quæ dubitat Aug. quomodo Christus non obseruauit consilium, quod dederat *si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Et in primis respõdet, illud cõsilium non esse iuxta cotricẽ literę intelligendum, sæpius enim id facere non expedit. Sed literalis sensus illius modi loquendi est, similem iniuriã æquo & tranquillo animo esse ferendam, & debere nos esse parat os ad sustinendam potius aliam iniuriam, quàm vlciscendã prio rem. Et hoc modo perfectissimè seruauit Christus, quod præceperat. Vnde addit Aug. Christum tunc non tacuisse: sed respondisse, ne videretur ob iniuriam iratus, aut perturbatus, dum enim magna animi tranquillitate, & verborum mãsuetudine loquutus est, satis ostendit nihil esse interius perturbatũ. Sic Chry. hom. 3. in 1. ad Cor. circa finem, dicit Christum his verbis magis declarasse suam mansuetudinẽ, quàm si tacuisset. Hinc etiam Basil. hom. contra irascẽtes, hæc verba Christi tractãs *Mansuete* (inquit) *atque immoto animo percutientem sustine*, quod etiam optime prosequitur. 5. Ephrem. serm. de passione domini. Addendum vlterius est, Christum ita fuisse loquutum, vt innocẽtiam suam tueretur, & suam causam, quæ simul etiã Dei & omnium nostrum causa erat, defenderet, ne tacendo videretur sentire, se male fuisse loquutum, aut iusta de causa percussum. Et hoc ipsum in toto progressu dominicæ passionis est diligenter obseruandũ. Vbicunque enim ad refellendam calumniam, vel contra doctrinam suam, vel contra personam, & innocentiam respondere oportebat, id fecit summa animi modestia: atque interdum magna autoritate, ne animum despondisse videretur, & vt nobis exemplum daret, non solum patienter sustinendi iniurias, verum etiam constanter loquendi vbi oportuerit, & Dei honor, aut publica vtilitas id requisiuerit. Et hæc satis sint de reliqua parte totius historiæ passionis. Quomodo scilicet ductus fuerit Christus ad Pilatum, & Herodem, & coram hoc omnino tacuerit, coram illo verò interdum responderit, interdum minime. Quæ recte perpendit Athan. orat. de passione, & cruce domini, & alij Patres exponentes euangelia. Igitur tria precipua capita totius Historiæ, vsque ad crucifixionem exclusiuè tractanda selegimus, scilicet de negatione Petri, de Christi flagellatione, & de coronatione, & illusione, quæ cum illa coniuncta fuit.

Respõsio *Mat. 5.* *Dubium.* *In passione sua inter dũ cur pro se Christus respõderit.* *Aug.* *Chrys.* *Basil.* *Ephrem.* *Athan.*

SECTIO PRIMA.

Quoties Petrus Christum negauerit, & quomodo.

Duo

DVo sunt precipue declaranda, primum numerus negationum, secundum genus peccati, vbi nonnihil de Petri pœnitentia adiungemus. Circa primum nonnulli asserunt, Petrum negasse Christum pluries, quàm ter. Ita Carthusi. Matt. 27. & Caiet. Ioan. 18. Fundamentũ est, quia ex tribus primis euangelistis cõstat apertè, Petrum vt minimum ter negasse Christum in domo Caiphæ: sed ex Ioãne etiam colligitur negasse illum in domo Annæ, ergo necesse est, vt pluries, quãter negauerit. Imò si credendum est Augustt. tract. 113. in Ioan. & lib. 3. de consensu euangel. cap. 6. hinc efficitur sexies vt minimum negasse Christum, quia Augu. dicit ter in domo Annę illum negasse. Existimat enim Aug. omnes negationes relatas a Ioanne factas esse in domo Annæ. Primã quidẽ, quia ordo literæ Ioãnis hoc indicat, & præterea quia Matt. significat primã negationẽ in domo Caiphæ factam esse postquam Petrus ingressus fuerat atrium, iamque sedebat, Ioannes verò indicat negationem à se relatam accidisse in ipso ingressu. Et simile argumentum fit de secunda, nam Matt. refert Petrum secũdò negasse, cùm iamuam exiret ad interrogationem ancillæ, Ioannes verò dicit Petrum stantem ad ignem, vt calefieret, interrogatum ab ijs quia astabãt, negasse. Et idem argumentum fit de tertia negatione. Nam Ioannes dicit interrogatum fuisse Petrum à seruo pontificis, Matt. verò ab ijs, qui astabant. Verba etiam, quibus Petrus interrogatur, & quibus negat, in ijs euangelistis sunt valde diuersa, sunt ergo omnes negationes distinctæ. Quin potius propter simile argumentum addidit Caiet. septimam negationẽ in domo Caiphę. Quia Lucas post negationem ad interrogationem ancillæ, addit. *Et post pusillũ alius videns cum dixit, & tu de illis es, & dixit, o homo non sum.* Quæ negatio videtur diuersa ab omnibus, quæ Matth. & Mar. narrant: & tamen accidit in domo Caiphæ, quater ergo negauit in domo Caiphę, & ter in domo Annæ.

Dicendum verò est, Petrum ter tantum negasse Christum. Hæc sententia communior est, & probari potest primo ex verbis Christi, *ter me negabis.* Si enim pluries esset negaturus, cur non prædixisset: vel cur potius numerũ ternarium designaret, quàm alium? Certè nisi voluisset designare certum numerum, & dicere neque maiorem neque minorem esse futurum, potius simpliciter prædixisset, *Me negabis.* Addo euãgelistas omnes fuisse solicitos in demonstrando Christi prædictionem fuisse impletam, & ideò singuli Petri negationem narrarunt (vt notauit Chrys. hom. 82. in Ioan nẽ) vnde non nisi trinam singuli scripsere negationem, indicantes Christi prædictionem trina tantum negatione fuisse implendam. Secundo, omnes antiqui Patres exponentes euangelia tantum trinæ negationis mentionem faciunt. Multi etiam tractantes. 21. cap. Ioan. dicunt pro trina negatione reddidisse Petrum trinam confessionem. Vnde Aug. tract. 123. in Ioann. *Redditur* (inquit) *trinæ negationi trina cõfessio, ne minus amori lingua seruiat, quã timori, & plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quam vita presens,* & Cyrill. lib. 12. in Ioan. cap. 64 *Quoniam Petrus ter in tempore passionis negauit, iure nunc ab eo terna dilectionis confessione petitur, vt terna negatio æquali confessionis numero compensetur. Ita, quod verbis commissum fuit, verbis curatur.* Idem significauit Ambros. lib. 2 de sacram. cap. 7. dicens, *Petrus, qui antea negauerat, vt illum lapsum aboleret, tertio interrogatur a Christo, si se amaret.* Idem Luc. 22. Et Euthym. Ioann. 21. *Pro trina negatione trinam offert confessionem,* & Hieronym. epist. 149. ad Marcellam, *Trinam negationẽ trina postea confessione deleuit,* qui epist. 39. dixerat, *Petrum ter negantem, amare in suum locum restituere lacrymæ.*

Tertio, quia omnia, quæ euangelistæ referunt, possunt satis in concordiam redigi. Quia in primis verisimilius est, omnes negationes, quas Ioannes refert, accidisse in domo Caiphę. Quod dupliciter explicari põt. Primo cũ Euthy. super. 26. ca. Mat. si dicamus eãdem fuisse domũ Annæ, & Caiphæ. Potuit enim id facile contingere, eõ q Annas esset socer Caiphæ: cõtingit aũt sæpe, vt gener domũ soceri incolat. Hæc verò respõsio primò omnino diuinat: quia nõ habet fundamẽtũ ad hoc asserendum. Deinde non videtur consona euangelio, nam dicitur Christus missus ab Anna ad Caipham: si autem in eadem domo habitassent, non esset cur mitteretur. Nam licet dici posset, in eadem domo fuisse diuersa conclauia, inter quæ erat atrium, & ita potuisse ab vno ad alium mitti: tamen

Carthus. Caiet.

Aug.

Chrys.

Ioan. 21.

Aug.

Trina a Petro reddi-tur Christo pro trina negatione confessio.

Cyril. Ambros. Euthyn. Hieron.

Caiet. Luc. 22.

Petrus ter tantũ Christũ negauit. Mat. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 13.

men si intra eandem domum habitarent, cum vterq; maximo desiderio teneretur videndi Christum comprehensum, & alloquendi, & examinandi illum, non est veri simile expectasse, vt ab vno ad alium mitteretur, & non potius statim conuenisse simul, vt illum venientem exciperēt. Secundo ergo hoc melius explicatur dicendo, Christum ad Annam adductum nihil ibi fuisse immoratum: sed protinus ad Caipham fuisse deductum: atque ita negationes Petri, & omnia, quæ Ioannes narrat, in domo Caiphæ accidisse (vt supra ex Orig. retulimus) & fit verisimile. Quia semper Ioannes vocat *atrium*, seu *domum pōtificis*. Annas autem non erat Pōtifex: sed Caiphas. Quod enim Caiet. & alij dicunt simul ambos fuisse Pontifices, & fundamentum non habet, & contra legem erat, & mores Iudæorum, & verbis ipsius Ioannis repugnat dicentis singulariter de Caipha. *Quia erat pontif. x anni illius*, & de illo pontifice semper loquitur, cùm ait, *erat notus pontifici, in atrium pontificis*, ac denique cū dixit *pontifex ergo interrogauit Iesum*. Ex quo actu etiam intelligi potest illum fuisse Caipham. Nam examinare reum, ad pōtificem pertinebat. Denique iam supra explicuimus, quomodo illa verba Ioannis, *& misit eum Annas ad Caipham pontificem*, ad hunc sensum recte accommodentur, vel per recapitulationem, aut sumendo illud præteritum *Misit*, pro plusquam perfecto *Miserat*. Quod, ait Cyrill. Ioannem repetiuisse, vt indicaret locum, in quo omnes negationes Petri acciderunt.

In domo Caiphæ negationes Petri omnes acciderunt. Orig. Ioan. 18. Caiet. Ioā. 11. & 18. Cyril.

Secundo, supposita identitate loci, declaratur, quomodo omnes negationes, quas Euangelistæ referunt, sint eędem. Et quidem de prima nulla est difficultas inter Matth. Marcum & Lucam. Solum est inter eos differentia, quòd vnus quibusdā verbis vtitur, alius alijs, rem tamen eādem explicant, vel etiam vnus addit aliquid, quod alius tacet, vt v.g. Marcus, & Lucas. referunt Petrum tunc sedisse ad ignem, quòd Matt. non negauit, quamuis neque hoc dixit. Est etiam alia differentia quod Mat. & Marcus incipiunt narrare negationes Petri, post contumelias Christo factas in domo Pontificis: Lucas verò prius narrat negationem, sed hoc non refert (vt Aug. notauit lib. 3. de cons. euang. cap. 6.) quia non oportet ordinē narrationis sem per ordini rerum esse conformem, & veri similius est neque omnino antecessisse, neque subsequutas esse: sed fuisse interpositas. Quia contumeliæ ferè continue illa nocte Christo irrogabantur, negationes autem per interualla temporū factę sunt. Quod autem prima negatio (quam refert Ioannes non sit alia ab ea, quæ est prima apud alios euangelistas, non difficile explicatur. Quia in duobus videtur esse differentia, primo quia Matt. dicit Petrū extitisse foris in atrio, quando primū Christum negauit: Ioannes verò dicit iam fuisse introductū ab alio discipulo. Sed hęc non sunt pugnātia, quia aduerbium illud *foris*, relationem quodammodo dicit. Prius ergo erat Petrus *foris*, ideſt, extra totam domū, & â discipulo introductus est in primum atrium, & hoc dixit Ioannes, adhuc tamen dicitur esse *foris*, nō respectu totius domus: sed respectu secūdi atrij, vel illius aulæ in quam erat Christus introductus, & hic est sensus Matt. vt constat. Quoniā postquam narrauit contumelias Christi, subdit, *Petrus autem sedebat foris in atrio*. Tū ex Marco, qui loco illius aduerbij *foris* dicit. *In atrio deorsum*, In hoc ergo atrio, quod erat foris, & intus, respectu diuersorū, prima contigit negatio. Neque est verum Ioannem dicere factam esse in ipso ingressu ostij, sed solum narrat, Ioannem introduxisse Petrum: deinde ancillā ostiariam interrogasse Petrum: non verò dicit statim in ipso ingressu, id accidisse. Alterum, in quo discordare videntur est, quia Lucas dicit, Petrum, cum alijs circum sedisse ad ignem: Ioannes verò cum alijs stetisse, conciliantur tamen, quia in primis verbum *standi*, interdum significat solum præsentiam, vt Ioannis. 1. *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis*, & Luc. 8. *Foris stant quærentes te*. Deinde Ioannes non dicit Petrum stetisse, quando primo negauit: sed prius narrat negationem, postea subdit, *stabant autem*, &c. intelligi ergo potest sedisse quando negauit: statim verò post hāc negationem surrexisse, & exijsse foras ante atrium (vt Marcus retulit) & deinde iterū intrasse, & accessisse ad ignem, & cū alijs ibi fuisse.

Prima Petri negatio quæ. *Ioan. 1.* *Luc. 8.* *Secunda Petri negatio.*

De secunda negatione conueniunt Matth. & Marc. factam esse ad interrogationem ancillæ, quam Matthæus explicat fuisse diuersam à priori: Lucas verò ait. *Et post*

Luc.22. *post pusillum alius*, quo pronomine relatiuo masculini generis indicat, nō fuisse ancillam, sed aliquem hominem. Quod euidentius colligitur ex responsione Petri, *O homo non sum*, at verò Ioannes solum dicit. *Dixerunt ergo ei. Nunquid tu ex discipulis eius es?* Propter quod Augustin. supra, ait aliquē hominem simul cum ancilla interrogasse Petrum, dedisseque illi huius negationis occasionem. Sed est diligenter considerandum, Marcum, & Matt. non dicere ancillam alloquutam Petrum: sed circunstātes, ad quos cum illa esset loquuta, vnus ex eis interrogauit Petrum, an ita esset, sicut illa affirmabat, in hoc ergo nulla est repugnantia. Maior apparere potest esse in eo, quod Matth. dicit, hanc secundam interrogationem ancillæ factam esse, Petro ianuam exeunte: Ioannes verò dicit. *Erat autem Simon Petrus stans, & calefaciens se, dixerunt ergo ei, &c.* Propter hoc fortasse dixit Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 1. omnia hæc, quæ Ioannes narrat post primam negationem, pertinere ad tertiam. Sed iuxta hanc expositionem, vel fatendum est; esse plures negationes tribus (quod nostræ sententiæ aduersatur) vel Ioannē non narrasse tres, quod videtur esse contra cōtextum, & intentionem tam Ioannis, quā reliquorum Euangelistarum, vt supra notauimus. Aliter Origenes tract. 35. in Matth. explicat illud. *Exeunte autem ipso*, idest, volente exire, nondumautem egresso. Sed hoc repugnat Marco, qui statim post primam negationem dicit. *Et exiit foras ante atrium, & statim gallus cantauit.* Dicendum ergo videtur cum Beda, & Anselmo Marcū explicasse, quod Matth. breuius dixit. Cū ergo Matth. ait, *Exeunte autem illo*, non est intelligendum in ipso exitu, vel Petro forasexistente, secundo negasse: nam ex eodem Matth. constat omnes negationes factas esse intra atrium, vt patet ex illis verbis, quæ in fine subiunxit, *egressus foras fleuit amare.* Intelligendum ergo est, Petrum post primam negationē exiisse extra atriū, (vt Marc. dixit) & tunc ab alia quadā ancilla visum, atque ad eum iterum in atriū reuersum, & ad ignem applicatum, accessisse illam ancillam, & interrogasse, occasionemque secundo negandi dedisse. Imò addit Anselmus ancillam statim, ac vidit, & obseruauit Petrum exeuntem, dixisse circunstantibus. *& hic erat cum Iesu.* Petrum verò non fuisse interrogatū ab aliquo homine, nec respondisse negādo, do nec ad atrium, & ad ignem reuersus est.

Ioan.18. Aug. Ioan.18. Cyril. Orig. Beda. Anselm. Concordia euangelistarumcirca secundam Petri negationem. Anselm.

In tertia negatione facilior est concordia. Nam quod Matt. & Marc. aiunt. *Post pusillum*, Lucas explicuit, *& interuallo facto quasi horæ vnius* Rursus. Matt. & Marc. generatim dicunt eos qui astabant, interrogasse Petrum: Lucas verò dicit quendam singularem hominem hoc fecisse, & Ioānes explicat, illum hominem fuisse seruū Pontificis, cognatum Malchi, cuius auriculam Petrus abscciderat. Sed hæc etiam facile rediguntur in concordiam, potuit enim ille seruus inchoare sermonem, instare deinde alios, & Petrum vrgere. Atq; hac ratione nulla est repugnantia, nam omnis alia varietas, quæ est in interrogationibus aliorū, & responsionibus Petri, non spectat ad repugnantiam, vel contrarietatem: sed ad illam generalem varietatē, quæ in Euangeliis reperitur, & ad concordiam potius eorum spectat, vt Aug. notat lib. 2. de consensu Euangelistar. c. 12. & sequentibus, scilicet, quòd eandem rem variis modis referunt, & vnus attigit, quod alius omisit.

Tertia Petri negatio Aug. *Dubium.*

Solum hic dubitare quis poterat. Nam iuxta hæc quę diximus ante galli cantum tantum semel Petrus Christum negauit: Christus autem simpliciter dixerat. *Antequam gallus cantet, ter me negabis.* Matth. 26. Respondetur hoc explicuisse Marcum c. 14. dicentē. *Prius, quam gallus vocem bis dederit.* Et ideò ipse solus inter Euāgelistas curam habuit obseruandi, post primam negationem semel gallum cantasse, iterum autem post tertiam. Quod ergo apud Lucam, & Matth. dixit Christus. *Antequam gallus cantet*, intelligendum est, vel cum Augustin. Beda, & Anselmo supra, antequā gallus cantet, animo paratus eris ad ter me negandum, & exterius id exequi incipies. Vel melius cum recentioribus, antequam gallus præcipuum cantum suum det, seu antequam cantum suum expleat: dicitur enim gallus bis cantare, semel media nocte, & iterum propè auroram, & hunc posteriorem cantum esse præcipuum, & quasi complementum alterius. Sed facilius est dicere Marcum explicasse, quod alij Euāgelistæ dixerunt, & hæc de priori parte sectionis.

Petri negationes quomodo ante galli cātum fuisse dicātur. Mat. 26. *Responsio* Marc. 14. Aug. Bed. Ansel.

Circa posteriorem partem, scilicet quo modo Petrus peccauerit, non defuerunt etiam ex priscis Patribus, qui Petrum in

eo facto à peccato excusauerint, quanquã non omnes eodem modo. Principio igitur Hilar.can.32.in Matt.& Ambr.li.10. in.22.cap.Luc.excusant Petrum, ita verba eius interpretando, vt falsam negationẽ non contineant. Quod enim dixit. *Non noui eum*, dicunt esse verum, quia, *Nemo nouit filium, nisi Pater*. Quod verò dixit, *Nõ noui hominem, quem dicitis*, dicunt esse verum, quia non noscebat purum hominem, aut malefactorem hominem, sicut ipsi putabant. Et similiter, quod dixit, se non fuisse sequutum Iesum Nazarenum, dicunt sensum esse, non esse illum sequutum, quòd esset Nazarenus, & Galilæus, sed quòd esset filius Dei. Secundo dixit Orige.tract. 35.in Matt. Petrum quidem negasse Christum: tamen non peccasse, quia non poterat non negare. Quia, *Nemo potest dicere dominus Iesus, nisi in Spiritusancto*, & ideò ad eos, qui Iesum confitentur, dicitur. *Non estis vos, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*, Matt.10. At verò Petrus non habebat Spiritumsanctum. *Nondum enim erat hominibus datus, quia nondũ erat Iesus glorificatus*. Adde, quòd Christus prædixerat, Petrum se negaturum, & non poterat falsum esse, quod dixerat, ergo non poterat Petrus non negare.

Hilar. Ambr. Matth.11. 1.Cor.12. Matt.10. Ioan 7. Mat.10.

Dicendum est primo, Petrum grauiter peccasse negando Christum. Hoc est de fide. Probatur primo ex verbo Christi, *ter me negabis*, negare autem Christum graue peccatũ est ex obiecto suo, & ideò dixit idem Christus *Qui, me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*. Præterea negando Christum mẽtitus est, dicens, *Non sum, non noui hominem*, quod mẽdaciũ de se, & perniciosum, & iniuriosum erat Deo. Sed vlterius fuit iuramento confirmatum, periurium autẽ graue peccatũ est. Rursus quòd Petrus peccauerit, satis significauit Christus illis verbis. Luc. 22. *Et tu aliquando cõuersus confirma fratres tuos*. Denique ipsemet Petrus peccatum suum agnoscens, *Fleuit amare*. Et in hac sentẽtia cõueniunt omnes catholici scriptores, & est vniuersalis Ecclesię sensus. Exquo etiã certum est illud peccatũ fuisse mortale, vt apertè docẽt Aug.tract.113.in Ioannẽ, & Chry.hom.83.in Matt.vbi illud appellat *tetrum, & insolitum crimen*, Neq; excusatio Ambr.& Hilarij probabilis est, repugnat enim verbis Christi, *ter me negabis*, & alibi

Petrus in Christi negatione grauiter peccauit. Luc.22. Matt.26. August. Chrys. Ambr. Hilar.

A *Donec ter abneges nosse me*. Vnde Hierony. Matt.26.& epist.149.ad Marcellam, *Ridiculam* appellat illam interpretationẽ, quia mendacem facit saluatorem. Augu.etiam tract.6.in Ioan.de hac expositione dicit. *Quidam fauore peruerso Petrum excusare nituntur*, & infra, *sed quid multis immoror? cum ipse dominus abstulerit omnes humanę argumentationis ambages, dicens, Donec ter me neges: non accusemus Christum, cum defendimus Petrum*. Tandem persese satis constat incredibile esse, illas amphibologias, & verborum interpretationes fuisse à Petro excogitatas, & intentas. Et fortasse Hilarius, & Amb.solum asserere voluerunt, verba Petri secundum se considerata posse in hunc modum exponi. Vnde Hilar.non excusat Petrum à culpa, sed dicit, *prope sine piaculo fuisse: tamen quia ex infirmitate carnis, vel ambiguus extitit, amarissime fleuisse, recolẽtem trepidationis istius culpam, se neque admonitum potuisse vitare*. Ambros. etiam post illas interpretationes subdit. *Sed nos excusamus: dominus autem non excusauit. Non enim satis est inuoluta responsio confitentis Iesum, sed aperta confessio. Quid prodest verba involuere, si videri vis negasse? & ideo Petrus non de industria sic respondisse inducitur, quia postea recordatus est, & tamen fleuit. Maluit enim ipse suum accusare peccatum, vt iustificaretur fatendo, quam grauaretur negando. Quare fleuit? quia culpa obrepsit ei*. Fortasse etiam voluerunt hi sancti dicere, Petrum non negasse corde, & animo Christum: sed exterius, & in hoc peccasse: indicãt tamen etiam exterius vsum esse verbis ambiguis. Quod nõ est hæreticum: neque erroneum: non est autem probabile. Multo verò magis improbabilis, & erronea est excusatio Origenis. Quia certum est Petrum antea habuisse gratiam Spiritussancti. Neq; enim sine ipsius auxilio confiteri potuit Christum *filium Dei viui*, neque gratia carebat, quando Christus illi dixit. *Vos mundi estis sed non omnes*. & *Qui lotus est non indiget nisi vt pedes lauet*. Itaque quanuis ante passionẽ non esset datus Spiritussanctus signo visibili, & cum ea plenitudine, qua die Pente costes: tamen gratia Spiritus sancti, & auxilium ad non peccandum, & confitendũ Christum conferebatur hominibus: alioqui neque Iudæi peccatum haberent non credentes illi. Quod verò Christus prædixerit Petro, peccatum suum, non abstulit, ei li-

Hierony. Aug. Hilar. Matt.16. Mat.16. Ioan.13.

ei libertatem ad non peccandum, de qua re aliàs latius.

Secundo verò dicendum est, Petrum nō ita negasse Christum, vt fidem amiserit, sed solum caritatem. Ita docet Aug. tract. 113. in Ioan. & Cyrill. lib. 12. c. 1. Et ratio est, quia non legimus Petrum negasse dissentiendo: sed solum exterius negãdo, imô neque exterius negauit Christū esse Deū, vel Messiam sed solum se nosse illum, sequutum ve fuisse. Hoc autem peccatum directè est contra confessionem fidei; non contra fidem: vnde non expellit fidē, sed caritatem. Sicut qui exterius negat se esse Christianum, nō negat fidei veritatem, sed in eius confessione deficit, non est autem cur Petro imponamus aliud peccatū, quàm eius verba indicent. Vnde Leo Pap. serm. 9. de passione, sic Petrum alloquitur. *Vidit in te Dominus non fictam fidem, non dilectionem auersam, sed constantiam fuisse turbatam.* In quibus verbis non est intelligendum, Petrum habuisse caritatem: sed non amisisse illam existimationem, quam de Christo habebat, & bonum affectū erga illum, quanuis humanum, & imperfectum. Et eodem modo intelligēdus est Bernardus dicens, *in Petro non fuisse extinctam caritatem, sed sopitam.* Quod durius quidem dictum est: exponi tamen potest, quòd quia non peccauit ex defectu fidei, neque ex directa auersione in ipsum Christū: sed ex quadam fragilitate, ita caritatem amisit vt facile potuerit eam recuperare, ideòq; dicitur non tam extincta, quàm sopita. Quinimò Cyril. lib. 11. in Ioan. cap. 41 addit, illum negasse Christum ex quodam nimio affectu ad Christum, quia ex amore illius cupiebat eum videre, & ideo negauit, ne ingredi atrium, & ibi adesse, ac videre Christū prohiberetur. Probabilius autem est præ timore eum negasse, sicut ei indicauerat Christus, dicens. *Animam tuam pro me pones? Amen amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges.* Nam his verbis satis significauit, non ex affectu ad ipsum: sed ex mœtu illum fuisse negatu-rum.

Quas verò ob causas Deus tam grauem lapsum permiserit, facile potest vnusquisque considerare, & apud prædictos Patres legere, præsertim Leonem dicto sermo. 9. Chrysost. hom. 80. in Matth. Augustin. sermo. 124. de tempore, Cyrillum lib. 12. capit. 1. & Gregor. homil. 21. in Euangelia.

Aug. Cyril. *Petrus negãdo Christū fidē non amisit.*

Leo Papa.

Bernar.

Cyril.

Ioan. 13.

Petrus negare Christum cur a Deo permissus.

Leo Papa. Chrysost. Aug. Cyril. Greg.

A Solum hoc adnotandum existimo, propter huius temporis hæreticos, qui propter hunc Petri lapsum, & alios, quos ipsi vel confingunt, vel vltra veritatem exaggerant, eum dicunt fuisse indignum Ecclesiæ primatu: adnotãdum (inquam) est, Ideò permissum fuisse sic cadere, quia futurus erat pastor Ecclesiæ, vt in sua culpa disceret, qualiter aliorum misereri debuisset (vt Gregor. ait.) Vel (vt ait Hieronym. dicta epistol. 149.) vt exemplo Petri intelligeremus, quanta vis sit pœnitentiæ, per quam non solum veniam consequi: sed etiam maiorem dignitatem recuperare, aut obtinere possumus. Addunt etiam Ambros. Luc. 22. & D. Thom. Matthæ. 26. Petrum permissum esse cadere, quia nimium de sua constantia fidebat, vt paulo antea illis verbis ostendit, *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* (vt ibidem Hieronym. & Chrysostom. homil. 83. adnotarunt) & ita illius exemplo omnes edocti sumus, neminem quantumuis sanctum, & in quauis dignitate constitutum, debere de sua gratia, vel stabilitate confidere.

Gregor. Hieron.

Ambr. D. Tho.

Hieron. Chrys.

B Vltimo dicendum est, Petrum statim sui peccati perfectam pœnitentiã egisse, atq; illius veniam fuisse consequutũ. Hoc cõstat ex Euangelistis, ex quibus solus Lucas originem huius pœnitentiæ indicauit dicens. *Et conuersus Dominus, respexit Petrum.* Circa quæ verba dubitari solet, an intelligenda sint de corporali, vel tantum de spiritali intuitu. Ratio difficultatis est, quia C Petrus negauit deorsum in atrio: Christus autem erat superius in interiori parte domus. Propter quod Augustin. lib. 3. de consens. Euang. cap. 6. & lib. 1. de gratia Christi cap. 45. hoc interpretatur de interiori aspectu, seu auxilio, quo Christus dominus respexit Petrũ, eumque ad pœnitentiam excitauit, & negat posse dici, quòd corporalibus oculis Dominus visibiliter aspexerit Petrum. Et ita etiam interpretatur prædicta verba Ambros. super Lucam. Idem sentit Beda lib. 6. in Luc. 22. cap. Eadem videtur esse sententia Leonis Pap. sermo. 9. de Passione dicens. *Dominus Iesus, qui intra pontificale concilium, solo corpore tenebatur, trepidationem discipuli foris positi diuino vidit intuitu, & pauentis animum, mox vt respexit, erexit, & in fletus pœnitudinis incitauit.* Et eleganter serm. 3. *Illis turbatum discipulũ conuenit oculis, quibus eum pie viderat esse turban-*

Petrus post pœnitentiã peccatum venia adeptus Luc. 22.

Dubium.

Aug.

Ambr. Bed. Leo Papa.

dum,

dum, & in illum conuersa est veritatis inspectio vbi erat cordis faciẽda correctio. Et potest hæc sententia confirmari ex illis scripturæ locutionibus, *Respice in me, & miserere mei,* & similibus. Quæ sententia, cùm sit tantorũ Patrum, non potest non esse valde probabilis. Mihi tamen difficultatem ingerunt verba Luc. Non enim tantum dixit, *& dominus respexit Petrum,* sed dixit, *& conuersus dominus respexit Petrum.* Nam illud participium, *conuersus,* nõ potest intelligi de interiori, & spiritali cõuersione, quia Christus non fuerat antea auersus à Petro, ergo intelligitur de conuersione corporali, habebat enim faciem auersam â Petro, eam que ad illum conuertit. Et ita intelligunt Chry. hom. 86. in Matt. Euthy. cap. 66, in Matt. Theoph. Luc. 22. qui notant, Petrũ adeò fuisse timore turbatum, vt vix galli cantum audierit, donec Christus signo vultus eum alloquens, excitauit, & ad saniorẽ mentem reuocauit. Et hanc sententiam amplectitur Maximus Tauruensis duab. homilijs de negatione Petri, vbi dicit, Christum oculis respexisse Petrum, & mihi videtur magis literalis. Neque est difficile inuenire modũ, quo Christus potuerit corporaliter respicere Petrum: vel quia Christus eductus est foras, & in trãsitu respexit Petrũ, vel quia non constat tertiam negationem, quæ per horam distauit â secunda factam esse infra in atrio. Nullus enim euãgelistarum hoc dicit: sed tantum de prima. Imò neque dicunt factam esse ad ignẽ, & potius ibi significant factam, quò satellitum multitudo confluebat, quos verisimile est non longè â Christo concurrisse, fieri ergo potuit, vt Petrus cupiens videre Christum (vt ex Cyril. supra dicebamus) curauerit ascendere, & ingrediaulã, ita vt potuerit videre Christum, simulque ab eo conspici. Vtcunque verò sit, certum est aspectum exteriorem nõ fuisse sine interiori illustratione, & motione, qua ita Christus tetigit cor Petri, vt flante eius spiritu, ex oculis Petri aquæ fluxerint, & felices manarint lacrymæ, *quæ ad diluendam culpam negationis* (vt Leo Papa inquit) *virtutem certi habuere baptismatis.* Quibus verbis significat talem fuisse pœnitentiam Petri, vt nõ solum ad culpam, sed etiam ad omnempœnam tollendam sufficerint. Quod verisimile faciunt illa verba euangelistarum, *Flevit amare,* De quibus, ac de pœnitentia Petri plura videri possũt apud citatos Patres præsertim Ambr. super Luc. 22. cap. Aug. dicto libro 1. de gratia Christi cap. 44. & 45. Chrysostom. hom. 1. & 4. de pœnitentia, & orat. 5. contra Iudæos.

Psalm. 24. — Christus corporalibus ne oculis Petrum negãtem aspexerit. — Chryſ. Euthym. Theoph. — Maxim. — Cyril. — Petri lacrymæ. — Psal. 147. — Leo papa. — Mat. 26. — Luc. 22. Aug. Ambr. Chriſoſ.

SECTIO SECVNDA.

Quoties, & quã acerbe flagellatus sit Christus.

QVôd Christus domin⁹ iussu Pilati sit flagellatus, expresse referũt Matth. Mar. & Ioan. An vero de eadẽ flagellatione loquantur, non cõstat, quia Matt. & Marcus significant fuisse flagellatum, postquam sententia mortis fuit in eum prolata, sic enim aiunt. *Videns Pilatus, quia nihil proficeret, tradidit illis Iesum flagellis cæsum, vt crucifigeretur:* at vero Ioannes cap. 19. apertè dicit eum fuisse flagellatũ ante sententiam mortis in eum latam. Ex qua diuersitate oritur ratio dubitandi: an fuerit bis flagellatus (vt quidam volunt) semel ante sententiam, iterum verò post illam, vel si semel tantum, an ante sententiam, & Marcus, & Matt. loquuti fuerint per recapitulationem: an verò pòst sententiam, & Ioannes loquutus fuerit per anticipationem. Et hinc oritur alia dubitatio, quæ fuerit ratio huius flagellationis. Hiero. enim Matth. 27. refert, fuisse Romanis consuetudinem eos prius flagellandi, qui pœna capitis dãnandi forent, quod si Christus ob hanc solam causam flagellatus est semel, & post sententiam latam flagellandus fuit. Lucas autem, quanuis flagellorũ expressè mentionem non fecerit: tamen illis verbis, *Corripiam eum, & dimittam,* ea significauit (vt notauit Euthy.) & ita ex his verbis colligunt Cyril. Aug. Chry. Theoph. Euthy. & alij expositores, Pilatum flagellasse Christum, vt aliqua ex parte satisfaceret furori Iudeorum, eumque posset morte liberare. Quod etiam indicauit Ioãnes referens post flagellationem exijsse Pilatum, & ostendisse Iudeis Christum, atq; dixisse. *Ecce homo, nullam inuenio in eo causã.* Et iuxta hęc necesse est fuisse fragellatum ante sententiam. Quod si flagellatus etiam fuit propter priorem causã (vt sentit Hieron. & Matt. indicat) sequitur bis esse flagellatũ. Tertio hinc oritur alia dubitatio de acerbitate flagellationis. Nam, si solum est facta tanquam via ad mortis supplicium, credendum est non fuisse valde acerbam: sed pro consuetudine, & more Romanorum. Si autem facta est animo satisfaciendi Iudęis, vt essent contenti illa pœna, fit

Matt. 27. — Marc. 15. — Ioan. 19. — Hieron. Christus à Pilato flagellari iubetur quare. — Luc. 23. Euthym. Cyril. Aug. Chryſ. Theoph. Euthym. Ioan. 19.

verisi

verisimile fuisse acerbissimam ad placandos Iudæorum animos.

Christus semel tantum flagellatus ante mortis sententiam

Dico primo Christum dominum fuisse flagellatum, antequam sententia mortis in eum esset lata, & non amplius. Prior pars est certa, nam expresse id asserit Ioannes, neque habet locum anticipatio, quia ipse satis explicat ordinem rerum, cum ait post flagellationem contendisse Pilatum cum Iudæis, an esset morte dignus, necne, ac tandem timore humano adductũ, sedisse pro tribunali, mortisque sententiam protulisse. Posterior pars est ita recepta, vt contraria, vel propter solam nouitatem nullo ferè fundamento nixam, prorsus reijcienda sit. Nullus enim antiquorum Patrum hoc excogitauit, & euangelium Ioannis vix hoc admittit. Nam post sententiam mortis latam illis verbis, *Tunc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur*, statim sequitur, *Iohan. 19.* *susceperunt autem Iesum, & eduxerunt eũ*, &c. Deinde verba Mat. & Marci nullo modo indicant aliam flagellationem, quę post latã sentẽtiam subsequuta sit, sic enim habẽt. *Mat. 27.* *Marc. 15.* *Tunc dimisit illis Barbabeam: Iesum autem flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur.* Quibus verbis non dicũt, flagellasse Iesum, vt crucifigeretur: sed Iesum iam flagellatum tradidisse, vt crucifigeretur, quod verũ erit, etiam si multo antea Christus esset flagellatus. Deinde (si attentè consideretur, omnes circunstantiæ) facile intelliget omnes hos euangelistas de eadem flagellatione esse locutos. Nam Ioannes ante sententiam narrat Christum fuisse flagellatum, spinis coronatum, & à militibus illusum, quæ omnia Matt. & Marcus post sententiam retulerunt, necesse est ergo dicamus, omnia hæc per recapitulationem fuisse ab eis narrata, nisi velimus fingere ea omnia bis facta esse. Denique (esto) concedamus fuisse Romanis morem flagris cędendi capite plectẽdos: tamen ea flagellatio potuit etiã ad hũc finem sufficere, vt dicemus.

Flagellari Christus cur voluerit.

Dico secundo, Pilatum flagellasse Christum, vt Iudæis satisfaceret Christum verò flagellari voluisse, vt Patri satisfaceret. Ratio enim hui⁹ insignis ignominiæ, ac doloris inquiri põt vel ex parte Dei, & Christi, vel ex parte Pilati, & Iudæorũ. Et ex parte quidem Dei, & Christi eadem ratio est, huius passionis, quæ cęterarum, quam explicuit Isai. ca. 53. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*, & infra, *Vulneratus est propter iniquitates nostras, disciplina pacis nostræ super eum.* & Ps. 128. *supra dorsum meum fabricauerunt peccatores prolongauerunt iniquitatem suã*, & ideò psalm. 34. dicitur in persona Christi, *Congregata sunt super me flagella, & ignoraui*, id est, innocens fui, & causam illorum in me nesciui: sed aliorum culpas in me expiandas suscepi. Propter quod ps. 37. ait. *Et ego in flagella paratus sum*, & per Isaiam cap. 50, *corpus meum dedi percutientibus*, & ps. 72. *Et castigatio mea in matutinis.* Christus enim matutino tempore flagris cęsus fuit. Ex quibus colligere licet aliam diuinam rationem huius flagellationis, scilicet, vt prophetię implerentur, quã quam ipsarum prophetiarum ratio sit, quę prius est tacta. Quæ ita etiam explicari potest, Christum flagellãtum esse, vt à nobis auerteret diuina flagella. Item, vt nos doceret patienter sustinere, si contingat propter eum flagellari, iuxta illud Act. 5. *Ibant Apostoli gaudentes*, &c. At verò ex parte Iudæorum nõ est, quòd rationem reddamus, ipsi enim reuera nec postularunt, nec intẽderunt flagellationem Christi, quãquam eis non displicuerit, dummodo non ea sola afficeretur pœna. Pilatus ergo suo arbitratu illum flagellauit, vt Iudæis aliquid concederet: vsus autem est illa pœna. Primò, quia extra pœnam mortis, aut mutilationis nulla est in vsu grauior, maiorisve doloris. Secũdò, quia nulla erat maioris ignominiæ, erat enim pœna seruorũ, vt colligitur ex lege in seruorum. ff. de pœnis. Et ex Act. 22. constat, non licuisse ciuem Romanũ flagellari propter ignominiã. Quod etiam legitur apud Ciceronem orat. pro Caio Rabirio, & in septima actione in Verrem. Tertio, quoniam hæc pœna non excludebat pœnam mortis: sed illam fortasse antecedebat, voluit Pilatus hanc potius adhibere, quàm aliam, ne Iudæos ad iram commoueret, si forte desperarẽt eũ mortis pœna esse puniẽdum, voluit ergo eos paulatim lenire, atq; adducere, vt pœnam mortis ei remitti consentirent.

Flagellarũ ignominia quanta.

Act. 22.

Cicero.

Christus atrociter flagellatur

Dico tertio, Christũ valde grauiter fuisse flagellatum. Ita videntur sentire omnes viri Catholici, ac pij, qui de hoc mysterio scripserunt, & colligi potest ex prædicta ratione. Nam Pilatus eo animo Christum flagris cædi iussit, vt ea esset totius accusationis integra pœna, Iudæique maiorẽ nõ exigerent, ergo verisimile est præcepisse, vt fla

Psal. 128. *Psal. 34.* *Psal. 37.* *Isai. 50.* *Psal. 72.* *Act. 5.*

vt flagellatio esset acerba, & grauis: si enim esset moderata, non existimaretur satis ad placandos Iudæos. Secundo confirmari potest: nam Christus vbicunq; prædicebat suam passionem primum omniū commemorabat flagella Matt. 20. *Tradetur gentibus ad flagellandū.* &c. & in prophetijs de passione Christi, fit insignis mētio huius vapulationis, psa. 72. *Fui flagellatus tota die,* Quod aliqui explicant dictum esse propter magnitudinem flagellationis, ideſt, tam crudeliter, ac si tota die essem flagellatus. Non est ergo verisimile, quod quidam dicunt tantum quadraginta plagas vna minus iuxta consuetudinē Iudæorū accepisse. Tertio hoc explicatur ex circunstantijs huius flagellationis, nam primo Christus, vt flagellaretur alligatus columnæ est, vt habet traditio. Nam hæc columna dicitur Romæ esse in templo sanctæ Praxedis, & Hieron. epi. 27. sic inquit de locis Ieroſolymitanis. *Ostendebatur illic columna Ecclesiæ porticum sustinens infecta cruore domini, ad quam vinctus ducitur, & flagellatus.* Quibus verbis significat columnam illam esse maiorem ea, quæ Romæ conſpicitur, & ideò fortasse illa Romana tantū est pars eius columnæ, nisi loquatur Hieron. de inferiori porticu, quæ humiliori columna poterat sustineri. Beda lib. de locis sanctis cap. 3. dicit in superiori planitie montis Sion ædificatam esse magnam Ecclesiā, *in cuius medio erat columna marmorea, cui adhærens dominus flagellatus est,* Secundo flagellatus fuit Christus â militibus. Quod enim Ioannes dicit. *Apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit,* non est putandum Pilatum manu sua flagellasse Christū, vt existimauit Beda li. 4. in Mar. cap. 44. Id enim incredibile est, non enim erat officium illud Præsidis, cum vile, & infimum sit, & præter omnium gētium consuetudinem. Neque verò fingi potest Pilatum aliqua ira perciturn id fecisse. Nam potius fauebat Christo, & curabat eum eripere è manibus Iudæorum. Dicitur ergo flagellasse illum, quia tradidit eū militib⁹, vt flagellarēt. Vnde cōiectare licet eos magna vi adhibita eū verberasse, q̄ ex alijs conuitijs, quibus eū affecere, non obscurè colligitur. Et præsertim quia præter iussum præsidis videntur illum spinis coronasse. Quod significauit Ioannes, cùm subdidit, *& milites plectentes coronam de spinis,* &c. Et verisimile etiam est Iudæos, qui aderant, milites incitasse, & data etiam pecunia corrupisse, vt eū aerius verberarent. Tertio flagellum (vt Euthym. notat cap. 67. in Mat.) erat è funiculis, aut loris contextum, & quidam dicunt habuisse in extrema parte ferrea quędam puncta, quæ carnē lacerarent, alij verò affirmant etiam catenas fuisse loris admixtas. Quanuis alij dicant primo fuisse funibus crasioribus flagellatum: secundo additos esse ferreos scorpiones: tertio catenis, quarto virgis spineis cæsum, nō quod quater sit flagellatus, sed quod in eadē flagellatione hæc omnia instrumēta sint cōtinēter intermixta. Sed hæc incerta sunt, quāuis dicātur ex quadā traditione referri ab ijs, qui terram sanctam incolunt.

Ioan. 19. Euthym.

Quarto de numero plagarum nihil inuenio ab antiquis Patribus scriptum, multi tamen pij scriptores præsertim ex recentioribus affirmant fuisse vltra quinq; millia, quod aliquib⁹ videtur incredibile. Quianec Iudæi, nec Romani consueuerāt, ita flagellare, & quia tot verbera sufficerent ad necandum hominem, cùm ergo Pilatus flagellaret Christum, ne illū necaret, non est verisimile permisisse, eum tam atrociter verberari. Et licet Ludolphus Carthus. in vita Christi. 2 p. cap. 58. & Echius in serm. de passione domini, & alij referāt hoc fuisse reuelatum cuidam fœminæ, tamen neq; huiusmodi reuelationes fœminarum, cogunt nos, vt eas veras esse credamus, neque ibi dicitur plagas flagellorum sed vulnera passionis eum numerum excessisse. Itaque hęc res incerta est. Vnde licet verisimilius sit flagella multum excessisse quadragenarium numerum propter rationes adductas, & quia Christus non more Iudæorum, sed Romanorum flagellatus est: tamen quantus fuerit ille numerus, affirmare non possumus, quia neque in euāgelio habetur, neque in scriptura, neque à sanctis Patribus traditus est.

Ludolph. Echius.

SECTIO TERTIA.

Quę, & quanta passus fuerit Christus, quando spinis fuit coronatus.

IN hoc mysterio explicādo ferè nihil est difficultatis, & ideo breuiter expediemus illud. Tria enim possunt hoc loco desiderari, primò quæ, & qualis fuerit hæc corona. Secundo, quibus circunstantijs

Mat. 20.

Psal. 72.

Hieron.

Beda.

Beda.

Christus à militibus Romanis flagellatus

tantiis hęc coronatio facta sit. Tertio quę fuerit eius causa, & ratio.

Spinea corona Christi. Circa primum Euangelistæ nihil aliud dicunt, præterquàm Christo domino impositam fuisse à militibus spineam coronam. Vbi est apud Ioannem obseruandũ, quod supra cepimus indicare: sic enim scribit. *Ioan. 19.* **Apprehendit *Pilatus Iesum, & flagellauit & milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius.** In qua diuersitate narrationis, videtur planè indicare Pilatum nõ iussisse militibus, vt imponerent hanc coronam Christo, neq; aliis contumeliis eũ afficerent, quæ ibi narrantur. Nam, si Pilatus hoc iussisset, sicut dicitur flagelasse Christum, ita dici posset & spinis coronasse. Quia (sicut diximus) non per seipsum flagellauit: sed per milites, cum ergo Euangelista vnum tribuat Pilato: aliud verò militibus, videtur planè insinuare Pilatum non ita præcepisse vnum, sicut aliud, vt obseruauit Chrysost. hom. 83. in Ioan. *Chrys.* Augus. verò tract. 116. solum sub disiunctione dicit Pilatum præcepisse hæc, vel permisisse: quo pacto etiã Leo Pap. serm. 10. de passio. loquens de Pilato, inquit, *Dominum Iesum diuersis contumeliis affici aut permisit, aut iussit.* *Aug.* *Leo Papa.* Qualis autem fuerit illa corona, & quales spinæ, ex quibus fuit cõtexta, communiter fertur fuisse ex iuncis marinis, qui habent oblongas, & acutas spinas duriores terrestribus, & ita indicãt spinæ illæ, quæ in Ecclesia asseruãtur. De numero verò spinarũ, nonnulli affirmant fuisse duas, & septuaginta, alij plures, alij verò pauciores: quo autem fundamento, vel traditione hæc nitãtur, non inuenio, quia veteres Patres agentes de hoc mysterio, nihil dicunt: omnes tamen intelligunt illam coronam fuisse integram, ac circularem, quæ, coronæ instar regiæ, totum vndique caput Saluatoris ambiret.

Dubium. Potest verò aliquis dubitare, cùm hęc corona Christo sit ante latam sententiam mortis imposita, quando Pilatus adhuc curabat eum â morte liberare, quomodo permiserit huiusmodi coronam illi imponi, quæ non poterat non inferre vulnera læthalia: *Responsio* Respondetur non esse hoc necessarium, quia non est intelligendum spinas illas craneum capitis perforasse. Sed solam carnem, & pellem, quæ est in capite, & verisimile est spinas ita fuisse infixas, per superiorem capitis partem, vt per inferiorem sanguine consperſæ prodirent. atque hac ratione fortiter in carne infixæ hærerent. Vnde necesse erat vehementem sequi dolorem, præsertim quando venas simul, & neruos traiecissent.

Quod attinet ad secundũ, multas, & graues contumelias narrant Euangelistæ, quas Christus in hoc mysterio passus est ab integra cohorte. Etenim cùm Iudæorum vox esset, Christum se fecisse Regem, *Hieron.* voluerunt milites (vt Hieronym. Athanasius, Cyril. Chrysostom. & omnes notãt) *Athanas.* *Cyril.* ei vt falso fictoque Regi illudere. Primũ *Chrysost.* ergo adduxerunt Iesum in prætorium, vt in loco publico maior esset iniuria, maiorque contumelia. Deinde exuunt illum propriis vestibus (vt inquit Matth.) *Mat. 27.* ex quo aliqui colligunt omnibus vestibus fuisse priuatum, ita vt nudus manserit. Sed est animaduertendum, duobus modis posse intelligi hæc peracta fuisse, primò vt eodem loco, & vna quasi continenti actione Christus fuerit flagellatus, indutus purpura, coronatus, & illusus, & si hoc ita est, constat illum fuisse nudatũ omnibus vestibus, vt flagellaretur, & consequenter veste purpurea indueretur, & illuderetur, quia iuxta hanc expositionem non fuit bis denudatus: sed semel tantum. Neque videtur aliquid esse in Euangelio quod repugnet huic expositioni. Nam licet Matth. post illa verba. *Mat. 27.* **Tunc dimisit illis Barabbam, Iesum autem flagellatũ tradidit eis, vt crucifigeretur** subdat. **Tunc milites præsidis suscipientes Iesum in prætorium, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem: & exuentes eum, chlamydem coccineã circundederunt ei**: tamen certum est vel illa verba. **Iesum autem tradidit, vt crucifigeretur**: dicta esse per anticipationem, vel hęc posteriora per recapitulationem. Nam ex Euangelio Ioannis constat, prius fuisse Christum iis omnibus contumeliis affectum, quàm fuerit traditus ad crucifigendum, ergo non obstantibus illis prioribus verbis rectè intelligi potest: Iesum, statim ac flagellatus est, antequam propriis vestibus indueretur, chlamyde coccinea circundatum, aliaque ludibria esse passum. Et confirmatur, nam verisimile est Christum, quando flagellatus est, traditum esse militibus, quos supra diximus fuisse ministros, & ab eis ductum esse in atrium prætorij, tum quia si verum est Christum alligatum esse ad columnam,

vt

vt flagris cęderetur, melius intelligitur id A factũ esse in atrio, quàm in interiori parte domus. Tum etiam quia si flagellatus est ad placandos Iudæos, etiam verisimile est publicè fuisse flagellatum, vt & ab omnibus conspiceretur, maiorique ignominia afficeretur, ergo, quanuis Euangelistæ in ordine narrationis hoc non explicẽt tamen ex his, quæ narrant, verisimiliter colligitur non bis, sed semel tantum fuisse Christum traditum militibus ante sententiam mortis, vt eum educerent in atrium prætorij, & flagellarent, eos vero statim post flagellationem induisse eum purpura, coronasse spinis, atque illusisse.

Alio vero modo intelligi potest, Christum post flagellationem permissum esse proprijs vestibus indui: postea verò, cùm Pilatus differret mortis sententiam in eũ dicere, vel eo pręcipiente milites, vt magis Iudæos placaret, vel sua voluntate B in Iudæorum gratiam, aut certe, vt veluti ludicro aliquo spectaculo oblectarentur, eum iterũ exuisse. Quem sensum videtur indicare Matt. illis verbis, *& exuerunt eum, & chlamydem coccineam circundederunt*. Quibus significat, tunc eum non ad flagellationem: sed ad hunc specialem actum, exutum fuisse. Et hæc videtur esse communior expositio omnium interpretũ. Qua supposita non satis constat an tunc fuerit, nudatus omnibus vestibus: vel solum aliqua superiori veste, hinc enĩ videtur hoc posterius probabile, quia vestis purpurea, qua indutus est, erat tãtum superior quedã vestis non videtur autem consentaneũ, C vt toto corpore nudus sola chlamyde coccinea fuerit circundatus, vestis enim illa non erat ad hunc vsum apta, neque ad repræsentationem, quam ipsi milites intendebãt. Nihilominus Orig. tract. 35. in Matth. dicit eum tunc non solum fuisse vestimentis spoliatum extimis: sed etiam tunica inconsutili, & stola. Itaque sentit omnino fuisse nudatum, & verbũ illud Mat. *& exuerunt eum*, simpliciter, & absolute dictum videtur hoc indicare. Atque ita hęc sententia est probabilis, & accommodata tum ad pietatem: nam hoc modo intelligitur, hanc iniuriam, nec sine magno dolore fuisse, quia vestes carnibus recenti verberatione laceratis adhærebant, vnde non poterant sine magno dolore diuelli, nec sine magno pudore, qui ex illa denudatio ne oriebatur: tum etiã ad mysticos sensus. Sic enim intelligitur ter fuisse Christus proprijs vestibus omnino nudatus, vt flagellaretur, vt illuderetur, vt crucifigeretur. In quibus plura moralia documẽta facile excogitari possunt.

Orig.

Christus in Prætorio a Pilati militibus nudatus.

Præterea, post prædictam denudationẽ sequutæ sunt aliæ contumeliæ. Induerunt enim eũ veste coccinea, coronarũt spinis dederuntque ei arundinem pro regali sceptro, ac denique flectẽtes genua coram ipso, spuebant in faciem eius, alapas dabant, & arundine percutiebant. Quæ multa indigent meditatione: disputatione vero fere nulla. Illa enim diuersitas, quæ videtur esse inter Matt. & alios euangelistas de veste rubra, quia Matt. eam vocat *coccineam*, Marcus verò, & Ioannes *purpuram*, facile conciliatur. Quia licet *coccus*, & *purpura*, proprię, & in rigore sumpta diuersa sint, vt constat ex Plinio lib. 9. cap. 35. & 36. & lib. 21. cap. 8. tamen propter similitudinem coloris interdum vnum pro alio vsurpatur, & ita in præsenti nihil aliud significant, quàm vestem rubei coloris, aptam ad ludicram illam regni Christi repræsentationem quia purpura Reges, & Imperatores vti solebant. Et ita exponit, Athanas. in lib. de Pass. & cruce domini. Ambros. verò Luc. 23. *chlamydem coccineam & purpuream tunicam*, distinctas vestes fuisse existimat. Sed id non est necesse, quanuis si verum est Christum omnino fuisse nudatum proprijs vestibus, non est incredibile præter chlamydem indutum esse alia veste. Quia chlamys solum erat paludamentum: quo principes, & milites Romani super arma vtebantur.

Chlamyde coccinea Christus induitur. *Plini.* *Athan.* *Ambr.*

Quod attinet ad tertiã rationẽ huius mysterij, eodẽ modo explicãda est, quo in alijs fecimus. Nam ex parte eorum, qui his iniurijs Christum afficiebant, ratio iam explicata est, scilicet vt regno eius irriderẽt, simulque vt eum dolore, ac dedecore afficerent. Ex parte autem Dei, & Christi plura mysteria sancti Patres considerant, ex quibus Hieron. Matth. 27. *Nos*, inquit, *hæc intelligamus mystice, in chlamyde coccinea opera gentium cruenta sustentat, in corona spinea maledictum soluit antiquum spinas, & tribulos germinabit tibi Gen. 3. in calamo venenata occidit animalia*. Quod explicans Athan. serm. de Pass. & cruce domini, inquit, Dæmonem ignorantem dedisse Christo gladium contra

Mystica in contumelijs Christi significatio. *Hieron.* *Gen. 3.*

contra se, quia arundo serpentibus læthalis esse dicitur. Alij in chlamyde rubea dicunt significatum esse imperium, quod Christus suo sanguine comparabat. Vnde
Apoc. 19. Apocal. 19. visus est veste conspersa sanguine, in qua scriptum erat: *Rex Regum, & dominus dominantium.* Clemens verò Ale
Cle. Alex. xan. lib. 2. Pædagogi cap. 8. addit, coronã spineam nos prophetice significasse, & typum fidei nostræ fuisse, quod ibi latè explicat. Nec dissimiliter Tertullian. lib. de
Tertul. corona militis capit. 14. *Ex spinis*, inquit, *in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis*, & alia quæ ibi prosequitur.

DISPVTATIO. XXXVI.

In quatuor sectiones distributa.

De crucifixione Christi.

EXplicatis omnibus cruciatuum, ac ignominiarum generibus, quæ ante latã sentẽtiã saluator noster passus est, superest, vt de vltimo eius supplicio sermonem instituamus. Duo sunt autem cõsideranda, primum id, quod pertinet ad crucifixionem ipsam, & intrinsecum modum eius: secundum de extrinsecis circũstantiis illius.

SECTIO PRIMA.

Quam inique fuerit Christus ad Crucis supplicium damnatus.

ANtequam de crucifixione ipsa dicamus, oportet, vt de sententia iudicis, ac de itinere Christi vsque ad locum supplicij nonnulla præmittamus. Primum expediemus in hac sectione. In qua breuiter dicẽdum est, Christum Dominũ iniqua, atque iniusta Pilati sentẽtia damnatum esse ad crucis supplicium, Iudæis hoc pertinaciter efflagitantibus. Hoc constat ex narratione Euangelistarum, præsertim Ioannis: vnde Petrus 1. cano. cap. 2. inquit.
1. Pet. 2. *Tradebat autem iudicanti se iniuste*. id est permittebat se tradi iudici, qui iniustè eum iudicaturus erat. Aduertendum autem est Græcè legi, *Iudicanti se iuste*: & sic est sensus diuersus, sed nõ contrarius, scilicet, *cũ paceretur, non comminabatur: tradebat autem*, id est, committebat omnia diuino iudicio
Ioan. 19. seu Deo, qui iustum iudicium de se ferebat, non iniustum, sicut homines.

Dubium. Solum potest hoc loco inquiri primõ, quid mouerit Iudæos, vt hoc genus supplicij Christo domino procurarẽt. Ratio dubitationis est, quia ipsimet dixerunt. *Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit*: at verò in tota lege veteri non erat lex, quæ hoc genus mortis imponeret. Illi enim alluserunt ad *Leuit. 24.* legem latam Leuit. 24. cõtra blasphemos, sic enim paulo ante dixerant. *Blasphemauit, quid adhuc egemus testibus?* ibi autem nõ *Matt. 26.* imponebatur pœna crucis, sed lapidationis. *Responsio* Respondetur Iudæos ex sola ira, & odio optasse hanc mortem Christo propter maiorem acerbitatem, & ignominiam eius (vt supra in commentario art. 4. diximus.) Vnde non postulabant, vt iuxta legem Moysi iudicaretur: sed iuxta morem Romanorum, nec solum vt blasphemus, sed etiam vt reus Cæsareæ maiestatis, quia se Regem fecerat, & ideò summã & acerbissimam pœnam postulabant. Quia tamen interdum videbant Pilatum propensum ad absoluendum Iesum, suam etiam legem interponebant, & secundum illam etiam esse reum mortis affirmabant. Nam si hoc semel obtinerent, facile existimabant fore, vt illud etiam genus mortis, quod optabant, assequerentur. Notant etiam aliqui, Iudæos solitos esse homicidas crucifigere: Romanos verò, famosos latrones. Vnde hoc supplicium duplici titulo Barabbæ debitum erat, qui & homicida erat, & latro (vt Euangelium testatur.) Quoniam ergo Iudæi Barabbam Christo prętulerant, in eum transferendum putarunt esse suppliciũ, quod illi homicidę, ac latroni debebatur, & ita statim, ac illis data est optio, & Barabbam elegerunt, aduersus Christum clamare cęperũt, *Crucifige, crucifige.*
Luc. 23. *Ioan. 19.*

Dubium. Secundo inquiri põtest, quanuis hæc sententia lata in Christum reipsa iniusta fuerit, & Iudæi ab hac iniustitia, & multiplici alia malitia odij, inuidiæ, &c. excusari non possint, eô quòd vel ex malitia, vel ex affectata ignorantia id egerint: an saltim Pilatus possit excusari ignorantia. Videtur enim potuisse excusari, quia secundum allegata testimonia satis videntur probata delicta, quæ Christo obiiciebãtur, quãdoquidẽ infinita erat hominũ multitudo, quæ hæc testa

batur, & confirmatur. Nam Christus dixit Pilato, *Non haberes in me potestatem vllã, nisi tibi datũ esset desuper*, ergo Pilatus vtens hac potestate à Deo data, existentibus legitimis accusatoribus, & testibus, potest à culpa excusari. Respondetur nullo modo excusari posse. Fuit quidem peccatũ eius aliqua ex parte leuius peccato Iudæorum: nõ tamen potest excusari, quin grauissimè peccauerit. Et vtrumq; significauit Christus illis verbis Ioan. 19. *Propterea, qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.* Vbi iuxta communem expositionem Cyril. Chrysost. Augustini, Euthymij, & aliorum, quã etiã probant Leo, serm. 8. de passione, & Basil. in regulis breuioribus, respons. 46. & colligitur ex August. in enarrat. ps. 63. comparatio fit inter peccatum Pilati, & Iudæorum, & horum grauius esse dicitur, quam illius. Deinde ipsemet Pilatus cognouit Christi innocentiam; imò Athanas. serm. de passi. & cruce, dicit, cognouisse Christi diuinitatem, quod difficilius est creditu; tamen de innocentia non est dubium, id enim ipse testatus est, & verbis, & signo lauandi manus. Euidenter etiam cognouit nõ fuisse legitimas probationes, quia neq; ordo iuridicus seruatus est, nec examinati testes. Deniq; publica quadã euidẽtia cõstabat de Christi innocẽtia, & Iudæos odio, atq; inuidia cõtra eũ fuisse percitos. Peccauit ergo Pilatus tã in re iudicata, quã in modo iudicãdi, & celeritate, ac temeritate ferẽdi sẽtẽtiã. Quo loco rectè accõmodari possunt verba Basil. epist. 37. dicentis, *Stij, qui rerum in hoc mundo potiuntur, quando factorosum aliquem morti sunt adiudicaturi, cortinas obducunt, & spectatissimos quosque ad causæ tractationem aduocant, multumque temporis insumunt, nunc legis rigorem contuentes, nunc naturæ communionem suspicientes, multumque ingemiscentes, iudicandi necessitatem deplorantes, quanto magis oportebat, &c.* Et similia legi possunt in Clemente lib. 2. Const. capi. 56. Ad rationem ergo dubitandi iam responsum est.

Respõsio

Ioan. 19.

Cyril. Chrysost. Aug. Euthym. Leo Papa. Basil.

Peccatum Pilati in Christidãnatione, leuius peccato Iudæorum.

Basil.

Clem. Pap.

Adillud verò de potestate Pilati respõdetur, cũ Chrys. ho. 83. in Ioã. illa Christi verba permissiuè esse intelligenda. Itaq; non fuit illi data potestas, sed permissa. *Alioquin*, ait Chrysost. *si data esset ei potestas nõ esset reus criminis.* Sed hoc expositione indiget, quia nomine potestatis intelligi potest, vel facultas seu vis ad interficiẽdum, vel iurisdictio, & autoritas, priorem potestatem habebat Pilatus in Christum, si solum naturales vires humanitatis consideremus. Nam si Christus voluisset potestate effectrice miraculorum vti, nõ haberet Pilatus vim interficiendi Christum; & ex hoc capite potest illa potestas dici permissa potius, quàm data, quanuis aliũde vis illa, & facultas, quam Pilatus habebat per se, & suos milites, ad occidendum Christum, non solũ permissa, sed data dici potest à Deo, eo modo, quo temporalia bona dantur â Deo per prouidentiam naturalem, quanuis postea homo illis male vtatur. At verò si loquamur de potestate, vt dicit iurisdictionem, & autoritatem superioris, hanc dicunt aliqui habuisse Pilatum nõ solũ permissam, sed concessam, quia erat præses, & Dñs se ei subdiderat; nihilominus verò peccasse nõ peccato vsurpatę iurisdictionis; sed peccato abutẽdi iurisdictione sibi data. Sed veri⁹ existimo Pilatũ non habuisse talem potestatem in Christum. Cũm enim esset Dei filius, liber erat, nulliq; humanę potestati subiectus, vt dictum est priori tomo disp. 43. sect. 2. Hoc ergo sensu non potest dici illi data potestas; sed permissa. Quia Christus dominus nũquam se illi subdidit iure, (vt ita dicam) idest volens reuera fieri subditus illius, & vt alius haberet iurisdictionem in se. Vbi est enim declarata hæc Christi voluntas, vel quo fũdamẽto fingi potest? De facto verò permisit se tractari, vt subditũ. Vnde etiã exhoc capite fuit iniqua sẽtẽtia Pilati, quia fuit in nõ subditũ, quãquã circa hanc circunstantiã potuerit facilius per ignorantiam excusari; non credo tñ fuisse illam ignorantiã inuincibilẽ, quia ab ipsismet Iudæis audiuit, quòd Christus filium Dei se fecisset, & *cum audisset hunc sermonẽ, magis timuit*, & ex ore ipsius Christi audierat, ipsũ esse regẽ, nõ ad modũ regũ huius mũdi, sed alio excellẽtiori, audierat etiam multa alia de Christo, quæ illũ obligabãt, saltẽ ad expectãdũ, & inquirẽdũ, vt veritatẽ cognosceret, & quis ille esset, quẽ iudicãdum sibi offerebant, & tamen propter humanum timorem temerè se prẽcipitem egit, & in illum sentẽtiã dãnationis dixit.

Chrysost.

Fuerit nec aliqua Pilati potestas in Christũ.

Ioan. 19.

Pilati in Christum sententia multis modis iniusta.

Ex quibus tandem colligitur, hanc Pilati sententiam multis capitibus fuisse iniustam ex defectu iurisdictionis, ordinis iudiciarij, & ex defectu æquitatis. Nihilominus

lominus tamen peccatum Iudæorum fuit grauius, quia omnis hæc iniquitas ab illis habuit originem, ipsi enim quasi coegerunt illum, vnde ij ex odio peccarunt, ille verò ex timore humano. Denique illi maiorem habebant de Christo, & de diuinis rebus cognitionem, & ideò minus potest eorum peccatum excusari.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum Christus crucē, in qua suspensus est, proprijs humeris gestauerit.

HAc in re nonnulla videtur esse diuersitas inter euangelistas. Nam Lucas videtur hoc negare, cùm dicit. *Iesum vero tradidit voluntati eorum. Cum autem ducerent eum, apprehenderunt Simonem quendā Cyrenensem venientem de villa, & imposuerūt illi crucem portare, post Iesum.* & eodem ferè modo loquuntur Marcus, & Matt. At verò Ioannes expressè dicit. *Et baiulās sibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur, Caluariæ locū.* Vnde certum de fide est, Christum portasse crucem suam aliquo tempore, vel spacio illius itineris. Nam hoc manifestè dicit Ioannes. Vnde omnes colligunt, vt minimum impositam esse Christo crucem, quādo exiuit de prętorio, eamque portasse vsque ad eum locū, in quo Simoni Cyrenensi occurrerunt. Nam, quòd eum in via offenderint, Lucas significat illis verbis *venientem de villa*, ergo vsque ad eum locum portauit illam Christus, vt Ioannes docet. In quo dicunt sancti impletam esse figuram Isaac, portantis ligna ad sacrificium Genes. 22. ita Chrysost. hom. 84. in Ioan. & August. serm. 71. de tempore, qui addit, tunc etiam impletū esse illud, quod per Isaiam scriptum erat capit. 9. *Factus est principatus super humerum eius.* Crux enim, quia Christus per illam de Dæmone triūphauit, & suam exaltationem meruit, (vt dicitur ad Philip. 2.) insigne est, & quasi sceptrum regale imperij Christi. Vnde eleganter Tertullian. libr. cont. Iudæos. capi. 10. *Quis omnino Regum insigne potestatis suæ humero præfert, & non aut capite diadema, aut in manu sceptrum, aut aliquam proprie vestis notam? sed solus nouus Rex sæculorum Christus Iesus nouæ gloriæ, & potestatem, & sublimitatem suam in humero extulit, crucem scilicet, vt secundum prophetiam, Dominus ex inde regnaret a ligno.* Eadē repetit lib. 3. cont. Marcionem capi. 19. Sic etiam Iustinus Apolog. 2. pro Christianis dicit illis verbis, *significatam esse vim crucis, cui dominus humeros subiecit.* Eadem ferè tradit Ambros. libr. 3. de fid. cap. 4. & eleganter Aug. tract. 117. in Ioannem, *Ibat*, inquit, *ad locum, vbi fuerat crucifigendus, portans crucem suam Iesus, si spectet impietas, grande ignominię documentū, si pietas, grande fidei munimentum: si spectet impietas, videt regem, pro virga regni lignum sui portare supplicij; si pietas, videt Regem baiulantē lignum ad semetipsum figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus regum, in eo spernendus oculis impiorum, in quo erant eum gloriatura corda sanctorum. Dicturo enim Paulo, mihi absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, ipsam crucē suā suo gestans humero cōmēdabat, & lucernæ arsuræ, quæ sub modio ponenda nō erat, cādelabrū ferebat.* Sed elegātissimè inter omnes Leo Papa. ser. 8. de pass. *Traditus* (inquit) *dominus sauiētium voluntati, ad irrisionem regiæ dignitatis, supplicij sui iussus est esse gestator, vt impleretur, quod Isaias propheta pręuiderat dicens. Ecce natus est puer, cuius imperium super humeros eius. Cum ergo dominus lignum portaret crucis, quod in sceptrū sibi conuerteret potestatis, erat quidem hoc apud impiorum oculos grande ludibrium: sed manifestabatur fidelibus grande mysterium: quia gloriosissimus diaboli victor, & inimicarum virtutū potentissimus debellator, pulcra specie triumphi sui portabat trophęum, & inuictę patientiæ humeris signum salutis adorandum regnis omnibus inferebat.* Ex quibus testimonijs colligi possunt plures rationes ex parte Dei, & Christi, propter quas hoc mysteriū peractum est. Quibus addi possunt egregia verba Euthymij in Ioan. *Ferebat crucem in humeris tanquam extremus miles lanceam, qua deiecturus erat aduersariū.* Et quę scribit Cyril. libro. 12. in Ioan. capi. 28. *Crucem portat Christus, non sibi, sed nobis transgressoribus debitam;* & infra, *hoc singulari, præclarissimoque Christi facinore ad fortitudinē, roburq; animi, quo pati omnia pro pietate velimus, mirum in modum exhortamur, omnis enim*, inquit, *qui nō accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Et hęc quidem ex parte Christi.

At verò ex parte militū, & Iudæorū imposita est illi crux, quia moris erat, vt homines crucifigendi crucē deferrent, vt testatur Plutarch. li. de sera Numinis vindicta. Quo circa ex vi sētētiæ latę, & nō solū

ex singulari odio, hæc pœna Christo fuit addita. Quod indicauit Euthym. cap. 67. in Matth. dicens. *Primum imposuerunt ipsi Crucem tanquam condemnato, & baiulans eam exiuit.* Nec sunt dissimilia, quæ dicit Athanas. de pas. & cruc. Domini. *Postquam Dominus iudicatus est, Crucem suam sustulit, siquidem iudicium subiit, & stetit ante præsidem.* Et idem insinuat Chrysost. hom. 88. in Ioannem, illis verbis. *Et ei crucem tanquam reo imposuerunt.*

Euthym. Athan. Chrysost.

Addendum denique est propter alios Euangelistas ab eo loco, quo Simon Cyrenæus in via occurrit, ei fuisse crucē impositā, vt eā post Christū portaret. Quod duobus modis intelligi potest, primo vt non fuerit Christo crux sublata: sed Simō conductus fuerit, vt simul cum Christo illam portaret, & ita intelligit Caietan. verba illa Luc. 23. *Imposuerunt crucem Simoni, vt portaret illam post Iesum, Christus enim* (inquit) *ferebat illam in anteriori parte: Simon vero in posteriori, & ita ibat post Iesum.* Atq; hæc explicatio videtur posse confirmari ex Ioanne dicente, Et *baiulans sibi crucem exiuit in eum, qui dicitur caluariæ locum.* In quibus significat, vsque ad illum locum eam portasse. Et hanc expositionem confirmant multæ picturæ. Alio verò modo exponi possunt illa verba Lucæ, occurrēte Simone, crucem sublatam Christo, illi fuisse impositam, vt eam ferret post Iesum siue illud, *post*, explicetur in ordine ad tempus, idest, postquam Christus illam portauerat, siue in ordine ad locum, idest, quòd Christus anteiret, sequeretur autem Simon portans crucem. Et hoc significant magis verba Euangelistarum. *Angariauerunt Simonem, vt tolleret crucem eius, & imposuerunt ei crucem.* Atque est communior Patrum expositio Hieronym. Theophyl. Euthym. Matth. 27. & August. libr. 3. de consens. Euang. cap. 10. Origen. tractat. 35. in Matth. & Athanas. orat. de passion. & cruce Domini. Ratio verò huius facti verisimilis est, quia Christus defatigatus cruciatibus, vel deficiebat in via, & interdum cadebat, vel lentius incedebat, quàm ipsi cuperent, quiuitam eius citò finire cupiebant, & ne turbatio populi oriretur, & quia erat dies festus, & post illum Sabbathum sequebatur. Fuerunt autem à Deo multa mysteria in hoc facto significata, quæ in prædictis sanctis legi possunt, & apud Gregor. libr. 8. Moral. capit. 26.

Luc. 23. Caiet. Ioan. 19. Hieron. Theophyl. Euthym. Aug. Orig. Athan. Greg.

Inquiri verò potest hoc loco (quod ad ea, quæ diximus magis explicanda conferet) quanta fuerit crucis magnitudo. De hac re nihil dicūt sancti antiqui. Quidam verò recentiores explicantes Euāgelia referunt crucem Christi fuisse longitudinis quindecim palmorum: tantæ verò crassitudinis, vt posset pondus hominis etiā proceræ staturæ facilè sustinere. Addit verò Petrus Comestor cap. 172. histor. Euang. quatuor fuisse ligna in cruce, primum rectum, quod fuit prædictæ magnitudinis, secundum transuersum, de quo nihil legimus, credendum verò est fuisse alteri proportionatum, tertium fuit tabula, in qua titulus crucis scriptus fuit. Ex quo obiter colligi potest, necessarium fuisse, vt in cruce Domini super lignum transuersum fuerit aliqua pars ligni recti eminens, in qua titulus crucis configi potuerit, ita vt crucis figura talis fuerit, qualis in Ecclesia depingitur. Quod etiam significare videntur omnes Patres distinguentes quatuor crucis partes, altitudinem, latitudinem, lōgitudinem, & profundum. Omnes enim, & præcipuè August. lib. 2. de doctrin. Christian. capit. 41. distinguētes has quatuor crucis partes altitudinem appellant superiorem partem crucis, quæ est super lignum transuersum. Verum est tamē, argumentū illud ex titulo crucis desumptum non satis ostendere, figuram crucis per se habuisse hanc superiorem partē. Vnde aliqui existimant tantum fuisse instar figuræ literę, T. quæ erat signum salutis, & liberationis à percussione Angeli, Ezech. 9. & apud AEgyptios dicitur vitam significasse (vt Ruffinus refert lib. 2. Histor. cap. 29. & lib. 5. cap. 17.) Ad affigendum autē titulum poterat aliquod frustum ligni superaddi, & cruci affigi. Sed quanquā hoc ita sit, & res sit incerta, nō tamen videtur sine maiori fundamento recedendū à communi existimatione fidelium, videtur enim orta ex antiqua traditione, quæ in imaginibus etiam conseruatur. Et videtur quoque hæc figura magis accommodata homini crucifixo, qui corpore similē figurā refert. Deniq; sæpe homines inuerso ordine crucifigebantur (vt de sancto Petro cōmunis habet traditio) & tunc necesse erat crucem habere supra lignū transuersum, partem aliquam, quæ terræ infigeretur

Dub. 1. Pet. Comest. Aug. Ruffin. *Figura crucis Christi qualis.*

infigeretur. Quartum lignum Crucis dicitur fuisse stipes defossus in rupe, in quo infixa erat Crux. Sed de hoc ligno maior mihi est dubitatio, quia non video, cur non fuerit facilius, & firmius ipsummet lignum Crucis in terra, seu rupe defigi. Quidquid tamen sit, certum est, quando Christus crucem portabat, solũ constasse ex duobus lignis recto scilicet, & transuerso.

Dub. Tandem potest inquiri, an verum sit, quod à multis affirmari solet: beatam Virginem occurrisse Christo domino in via Crucem portanti. *Responsio* Respondetur hoc in scriptura non contineri: neque ab antiquis Patribus tradi: non tamen esse reiiciendum. Id enim affirmant sanctus Bonauentur. in lib. meditat. vitæ Christi, capit. 77. & sancta Brigitta libr. 1. reuelat. *Bonau. Brigit.* capit. 10. vbi dicit beatam Virginem præsentem affuisse, quando Christus flagellatus est, & quando portauit crucem, & quando fuit cruci affixus, cumque hoc postremum ex Euangelio constet, ex eo potest id, de quo agimus, probabiliter colligi. Quia rumor passionis Christi per Ioannem, vel alios potuit ad Virginem perferri: statim ac comprehensus est. Vnde verisimile est multò ante, quàm damnatus esset ad mortem, Virginem exiisse domo, vt eum videret, vehementi enim amore, & dolore angebatur, non ergo fuit difficille, vt audita sententia mortis statim ad locum supplicij properaret, & in via vel illi occurrerit, vel expectarit, vt eum conspiceret. Cauendum est tamen, ne quis existimet beatam Virginem fuisse inter mulieres illas, quæ Christum flebant, ad quas ipse dixit. *Nolite flere super me.* Illæ enim (vt notat Leo Papa sermo. 10. de Passione) solum mouebantur quodam humano affectu, quo *solet infirmior sexus, etiam pro iis, qui digni sunt morte, ad lacrymas moueri*: quem non reprehendit Christus, nam licet supernaturalis non esset: erat tamen pius, sed reprehendit earum existimationem. Putabant enim eum coactum pati, vt imbecillem, & qui se tueri non posset, & causam mortis non intelligebant, nec peccatum eorum, qui eum occidebant, & ideò illis dixit Christus. *Nolite flere super me: sed super filios vestros*: hæc autem existimatio in beatam Virginem cadere non poterat. Et quanuis summè doleret, ac fleret: tamen exterius nullum signum vociferationis, aut perturbationis edidisse, sed summa modestia, ac constantia dolorem hunc vehementissimum tulisse, putandum est. Vnde quod supra Bonauentur. dicit, beatam Virginem factam esse semimortuam præ anguſtia, piè interpretandum est, sicut infra dicemus, agentes de crucifixione.

Christo crucem gestãti occurrisse matrem in via verisimile est. *Luc. 23.* *Leo Papa.*

SECTIO III.

An vere Christus dominus fuerit Cruci affixus.

NOn defuerunt hęretici, qui negarent Christum dominum fuisse in Cruce positum: sed Simonẽ Cyrenensem, qui conductus fuit, vt crucem ferret, fuisse etiam Christi loco cruci affixum. Ita sensit Basilides, vt referunt Irenæus lib. 1. contr. Hæres. capit. 23. Tertullian. lib. de prescript. Hęreticor. c. 46. Eusebius lib. 4. Histor. c. 8. Epipha. hęres. 2. Augu. hęr. 4. qui nullũ referunt huius hęresis fundamentum. Potest tamen afferri illud Deuteronom. 21. *Maledictus omnis, qui pendet in ligno*, si ergo Christus in eo pependisset, eum hęc maledictio comprehendisset, quod absurdissimum est dictu. Alij verò hęretici dixerunt quidẽ Christum positum fuisse in cruce: negarunt tamen fuisse clauis affixum, sed funibus, aut alio modo ligatum. Hunc errorem tribuunt aliqui Anabaptistis. Sed ego non reperio apud Prateolum, vel alium, qui hęresum cathologum conscripserunt: refert autem Prateolus quendam Ioannem VVestphalum hęreticum in quadam cõcione de passione dixisse. *Quis scit, an funiculis eum alligauerunt cruci?* Fundamẽtum horum hæreticorũ esse potuit, quia apud Hebræos erat mos suspendendi homines in cruce, non tamen clauis affigendi, vt patet ex Deuter. 21.

Irenæ. *Tertul.* *Euseb.* *Epiphan.* *Aug.* *Deu. 21.* *Prateol.* *Deu. 21.*

Dicendum verò est primo, Christũ dominum in cruce fuisse positum, ac supplicio affectum: est de fide, quæ primo constat ex historia Euangelica, & ex Paulo ad Philip. 2. dicente. *Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*, & 1. Cor. 1. *Prædicamus Christum, & hunc crucifixum:* Et plura afferemus in 2. conclusione. Est enimin nouo testamẽto frequẽtissima hęc veritas. Secundo probari potest ex veteri

Crucis supplicio Christus afficitur. *Philip. 2.* *1. Cor. 1.*

testamento, in quo multis oraculis prædicta fuit hæc veritas, Deuteron.28. *Erit vita tua pendens ante te,* quod de hoc mysterio interpretatur Leo Pap. serm.8. de Passione, Aug.16. cont. Faust. cap.22. & 23. Iren. lib.5. cap.18. Lactan. lib.4. de vera sapientia cap.18. Tertull. lib. cont. Iudæos capit. 11. & 12. qui legit, *Erit vita tua pendēs in ligno ante oculos tuos,* & Cypr. lib.2. ad Quirinum. ca.20. Præterea Psal.95. Dauid prædixerat, *Dicite in gentibus, quia dominus regnauit a ligno.* Quanquā enim neque in vulgata editione, habeatur particula illa, *a ligno,* neque in Hebræis codicibus, tamen olim fuisse particulam eam in Hebræo, & malitia Iudæorum expunctā, contendit Iustinus Martyr dial. cont. Triphonem, & ita refert hunc locum Tertull. contra Iudæos cap.10. & 12. & Leo Pap. serm.4. de Passione, Cyprian. lib. de monte syna, & Syō, Augus. & Arnob. in illum locum, & Ambros. 1. Cor. 15. Ac denique magno argumēto est, q septuaginta interpretetes ita verterint, quanquā Genebr. existimat, particulam illam additam esse ab ipsis interpretibus spiritu prophetico, ad explicādū modum singularem, quo dominus regnaturus erat, & tempus, ex quo regni possessionem erat obtenturus, scilicet, ex quo mortuus est in ligno. Sed verius existimo, (quod etiam viri docti cēsent, vt notauit Pamelius super Tertullianum) hanc esse genuinam lectionem illius loci, quam Ecclesia videtur recepisse in illo hymno. *Impleta sunt, quæ concinit, Dauid fidelis carmine, dicēs in nationibus, regnauit a ligno Deus.* Præterea hoc idem mysterium indicatum est à Ieremia cap.11. *Mittamus lignum in panem eius,* ideſt crucem in corpus eius, quod est *panis vitę,* vt exponit Tertullian. lib.3. cōt. Marcian. cap.19. & lib.4. cap.40. & Iustinus prædicto dialog. & Lact. lib.4. ca.18. & Cyprian. lib.2. cont. Iud. cap.15. & 20. & Ruffinus in expositione symboli, & indicant Hieronym. & Orige. in Ieremiam. Denique in hunc etiam sensum à prędictis Patribus exponitur illud Deut.33. vbi Moyses benedicens Ioseph, ait, *Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius, & cornua* Rhinocerotis *in manibus eius, in illis ventilabit gētes vsque ad terminos eius.* De quo testimonio videri potest Iustinus dicto dialogo; & optimé Terrullian. libr. contra Iudæos ca. 10. vbi dicit cornua Rhinocerotis præferre figuram crucis. Vnde de eodem mysterio rectè intelligitur illud Abac.3. *Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius.* Quem locum de eodem mysterio exponunt Hieronym. ibi, & Cyprian. dicto libro contra Iudæos cap. 21. Augus. 18. de Ciuitat. ca.32. & Euseb. lib.6. de Demonst. capit.15. Et ad hoc videtur alludere Paul. 1. ad Corinth. 1. dicens, *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Nam in cruce Christi, quæ hominibus infirma videtur, eius maxima fortitudo relucet. Rationes ad probandam hanc conclusionem pqtendæ sunt ex dictis supra in commētario ar. 4. vbi exposuimus, quid mouerit Iudæos, vt Christum supplicio crucis afficerent; quid verò Deum, & Christum, vt tantam ignominiam sustinerè voluerit.

Quo circa nihil huic veritati repugnat locus ille Deuterono. 21. Primò, quia vt Paul. ait ad Galat.3. tanta fuit Christi caritas, vt, *nos redemerit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Vnde Augus. lib. 14. cont. Faust. cap.2. & 12. refellens Fausti hæresim. qui propter hunc locum libros Moysis reiiciebat, sic, inquit, *Aufert Christus de maledicto maledictū, quomodo de morte mortē, & de peccato peccatum.* In Christo ergo nihil aliud est illa maledictio, quàm mors, vel pęna peccati nō proprij, sed nostri. Et eādem responsionem habet idem Augus. contra Adimantum Manichæum capit. 21. Secundo addendum est ex Hieronym. ad Galat.3. & Tertullian. libr. cōtra Iudæos cap.31. literalem sensum illius loci Deuteron. 21. esse, maledictionem illā ferri in eum, qui propter merita delictorum suorum suspenditur in ligno, quia nō pati pęnam, sed esse dignū pęna, inuisum est Deo, & eandem expositionem amplectitur Epipha hęres. 66. & colligi potest ex ipso contextu, sic enim incipit. *Quando peccauerit homo, quod morte plectendum est,* &c. Idque rectè confirmat Hieronym. Nam si Mardocheus iniustè suspenderetur in ligno, in quo iustè fuit suspensus Aman, aut si tres pueri apud Danielem cruci affigerentur, quia non adorabant idòla, nullo modo ad eos pertinuisset hæc maledictio. Iuxta hanc ergo expositionē non est Christus comprehensus sub hoc maledicto legis, quin potius de ligno, in quo ipse fuit suspensus, scriptum est, *Benedictum lignum, per quod fit iustitia.* Sapientiæ 14. Tamen sicut Christus quanuis

non

Deut.28. Leo Papa. Aug. Iren. Lact. Tertull. Cyprian. Psalm.95. Iust. Mar. Tertul. Leo papa. Cyprian. Aug. Arnob. Ambr. Genebrar. Pamel. Mysterium crucis olim prænūciatū Ierem. 11. Tertul. Iustin. Lactan. Cyprian. Ruffin. Hieron. Orig. Deut. 33. Iustin. Tertull. A B C Abac.3. Hieron. Cyprian. Aug. Eusēb. 1.Cor.1. Galat.3. Aug. Hieron. Epipha. Sap.14.

non assumpserit carnem peccati, quia assumpsit similitudinem eius, dicitur interdum ab Apostolo factus pro nobis peccatum, ita quanuis nõ assumpserit id, quod maledictione dignum est in iis, qui iustè suspendantur in ligno, dicitur tamen ab Apostolo factus pro nobis maledictum, & hæc est mens August. citatis locis. Nõ omittam vltimo animaduertere, quod Hieronymus supra refert, se fuisse edoctum à quodam Hebræo, posse illum locum Deuteronom. ita legi. *Non permanebit cadauer eius in ligno, quia contumelioſe Deus ſuſpensus eſt.* Iuxta quam lectionem sensus erit, quia Deus contumelioſè suspendendus est in ligno, in eius honorẽ lege præscriptum sit, vt corpora crucifixorum non maneant in ligno: sed sepulturæ tradantur.

Hieron.

Christus in cruce clauis affixus.

Dico secundo, Christus dominus fuit in cruce clauis affixus. Est de fide, expresse enim habetur sæpe in Euangelio. Nam vox *crucifixionis* hoc proprie significat, ea autem vtuntur Euangelistæ, & Petrus Act. 2. & 4. *Quem vos crucifixistis*, & Paul. 1. ad Corin. 2. *Prædicamus Christum, & hũc crucifixum*. Denique, ne possint hæretici impropriè interpretari crucifixionẽ prosuspensione, vel adhæsione in ligno, est euidens locus Ioan. 20. vbi dixit Thomas: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, non credam*. Cui postea dixit Christus: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas*. Præterea prædicta erat hæc veritas Zachariæ capit. 12. *Aspicient ad me, quem confixerunt*. Quem locum de hoc mysterio exposuit Ioan. cap. 19. & latè tractant expositores ibi, & Euseb. lib. 8. de Demonst. cap. 4. August. 1. de Trinitat. cap. 13. & 20. de Ciuit. cap. 30. Et rursus apud eundem prophetã capit. 13. dicitur. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? & dicent, his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me*. Quę verba Ecclesia intelligit de plagis Christi, & est satis consentanea expositio, vt rectè prosequitur Franciscus Ribera in eum locũ. Denique est aperta prophetia Psal. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos*. Nam licet Hebræi contendant, non esse ita legendum: sed, *sicut leo manus meas, & pedes meos*, supple, lacerauerunt: tamen illa locutio noua est ab inimicis Christi excogitata ex similitudine quadam literarum; cæterum septuaginta Interpretes

Act. 2. & 4. 1. Cor. 1. Ioan. 20.

Za. 12. & 13. Ioan. 19. Euseb. August.

Frãc. Rib. Psal. 21.

A verterunt, vt vulgata habet lectio, & Hieronymus sequens Hebraicam veritatem eodem modo transtulit. *Fixerunt manus meas, & pedes meos*. Neque vnquam meminit alterius lectionis, quod argumento est eius tempestate non fuisse confictam. Rursus ex Ecclesiastica historia constat hæc veritas. Nam Helena Constantini mater, simul cum Cruce clauos inuenit, quibus Christus dominus crucifixus fuit, vt refert Theodoret. lib. 1. Hist. Eccles. cap. 18. Nicephor. lib. 8. capit. 29. Sozomenus lib. 7. capit. 1. Socrates lib. 1. capit. 17. Ruffinus lib. 1. capit. 18. & Ambros. in oratio. de obitu Theodosij.

Hierony. *Theodoret.* *Nicephor.* *Sozom.* *Socrat.* *Ruffin.* *Ambr.*

Denique vt fundamento contrariæ hæresis respondeamus, primum non fuit omnino præter consuetudinem Iudæorum, eos, quos Cruce puniebant, clauis affigere, legimus enim 2. Reg. cap. 21. septẽ filios Saul fuisse crucifixos, nam licet lex non præscriberet talem modum pœnę: nõ tamen prohibebat. Deinde (quidquid sit de lege Iudæorum) constat tamen Romanos vsos esse hoc genere supplitij, de quo multa legi possunt apud Couar. lib. 4. variarum resolu. cap. 5. Christus autem non est punitus â Iudęis, sed à Romanis, vnde multa in illo gesta sunt, quæ lege veteri non erant præscripta. Latus enim eius apertum est, & nisi inuentus esset mortuus, crura essent illi confracta. Et ex his etiã colligi potest ratio, ob quã Christus est hoc supplicio affectus. Nam ex parte Gentilium fuit eorum consuetudo: ex parte Iudæorum odium in Christum: ex parte verò Christi fuit voluntas sustinendi maximum dolorem, qui in his clauorum vulneribus sentitur, vt in superioribus explicatum est.

B

2. Reg. 21.

Couarru.

C

Duo verò supersunt hic explicãda. Primum est, an Christus fuerit Cruci affixus in terra, vel in aëre, idest, vtrũ priusquã erecta fuerit Crux, & defossa in terram, Christus in ea fuerit affixus: an vero ècontrario, prius fuerit erecta, deinde Christus in ea sit appensus. Quidam dicunt factum esse priori modo, & referunt, in locis sanctis demonstrari nunc locũ crucifixionis distantem à loco, in quo Crux infixa, est terrę per aliquot passus. Et videtur hic modus esse facilior, tum ad crucifigendũ Christũ, tum ad amplius eum torquendum. Vnde multi meditantur vehementer fuisse extẽsum corpus Christi, vt

Dubiũ. 1.

Respõsio

manus, & pedes ei⁹ foramina in cruce facta poſſent attingere. Quo ſenſu exponunt
Hieron. Hierony. Augu. & Euthy. illud Pſalm. 21.
Aug. Euthym. Pſal. 21. *Dinumerauerunt omnia oſſa mea*, & illud, *Diſperſa ſunt omnia oſſa mea*; ideſt quaſi ex locis ſuis euulſa, atque ita diſtenta, vt dinumerari poſſent: hoc autem non poterat tã facile fieri in aere, ſicut iacente cruce ſuper terram. Alij nihilominus dicunt prius fuiſſe crucem erectam, & poſtea eleuatum Chriſtum, vt in ea crucifigeretur: Et hoc
Bonau. Ludolph. Ambr. Cypr. Greg. docet Bonau. in lib. meditat. vitæ Chriſti ca. 78. & Ludolphus. 2. par. vitę Chriſti. capit. 63. & li. 1. reuelationum S. Brigittæ ca. 10. vbi etiam ſcribitur, poſt quã altera manus cõfixa fuit cruci, fune attractã eſſe
Gen. 49. alteram, donec pertingeret ad foramen in alia crucis parte factum. Et huic ſententię videntur fauere ſancti, qui de crucifixione Chriſti per modum aſcenſus loquuntur, vt Ambr. lib. 10. in Lucam. cap. *Qualis Chriſtus crucem aſcenderit*, quod ſic incipit. *Refert igitur cõſiderare qualis aſcendat, &c.* & Cypr. ſerm. de paſsione domini, *Aſcendiſti domine palmam, quia illud crucis tuæ lignum portendebat triumphum de diabolo*, & Greg. Canti. 7. ita explicat, illud *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius, quia in cruce ſuſpenſus fructum vitæ apprehẽdit*, iuxta illud Gen. 49. *Ad prædam fili mi aſcendiſti*. Sed hæc facile poſſunt ad vtrumque dicẽdi modum accõmodari, & ideò vtrũque poteſt quilibet piè meditari, nã quomodo reipſa factum ſit, in certum eſt.

Dub. 2. Secũdo quæri poteſt, quot clauis fuerit Chriſtus affixus. Nã cũ certũ ſit nõ fuiſſe pauciores tribus, nec plures quatuor, nõ ſatis cõſtat, an fuerint tres, vel quatuor. Multi. n. cenſent fuiſſe tãtũ tres, quod ſentiũt
Bonau. Ludolph. Carthuſi. Bonauen. & Ludolphus Carthuſian. locis antea citatis, & nonnulli recentiores, videturq; eſſe cõmunis ſenſus populi Chriſtiani, & frequẽs pictura Chriſti crucifixi.
Quot clauis cruci Chriſtus affixus. Ratio verò adjungi poteſt, vel quia hic numerus clauorum ſufficit, vel quia maiorẽ cruciatum, & dolorem affert, quia ſi tantũ fuerũt tres claui, oportuerit vtrumque pedem alterum ſuperpoſitũ alteri vno clauo configi, quare neceſſe fuit huiuſmodi clauum longiorẽ, & craſsiorẽ eſſe, ac proinde magis, magiſque terebrare pedes. Propter quam rationem videtur in hanc ſententiã
Abulenſ. inclinare Abulẽs. parad. 3. c. 10. Eamque nonnulli cõfirmare nitũtur ex citatis hiſ torijs de inuentione clauorum, ſed nihil ex eis effici poteſt, quia nihil dicunt de numero clauorum, & Ambroſ. & alij tantum duorum mentionem faciunt, quorum alte-
Ambroſ. rum in freno equi, alterũ in clypeo Cõſtantini Helena ponendum curauit. Aliorũ verò opinio eſt, eos clauos fuiſſe quatuor.
Greg. Tu. Ita ſentit Greg. Turonen. lib. 1. de gloria martyrum cap. 6. vbi dicit in ſtipite crucis fuiſſe tabulam in qua pedes Chriſti ſingulis clauis infixi fuerunt. Et huic ſententię
Cyprian. videtur fauere Cyprian. ſerm. de paſsion. dicens, *Clauis ſacros pedes terebrantibus*. atq; eadem ſententia habetur 1. libro reuelat. S. Brigittę. ca. 10. & illi fauent aliquę antiquæ imagines, in quibus cernitur Chriſtus hoc modo crucifixus. Et poteſt etiam afferri conjectura, tum quia difficile erat, vtrumque pedem vno clauo perforari, & præſertim, quia erat vehemẽs periculum, ne aliquod os confringeretur; cum tamen certum ſit nullũ os corporis Chriſti fuiſſe confractum. In hac re nihil certi ſtatui poſſe exiſtimo.

SECTIO QVARTA.

Vtrum Chriſtus omnino nudus, & ſpinis coronatus fuerit crucifixus.

Explicato myſterio crucifixionis Chriſti, ſequitur, vt de circunſtantijs eius dicamus. Incipimus autem ab ijs, quę propinquiores videntur Chriſti corpori, hæ verò tantum duæ ſunt, quę in titulo propoſito attinguntur.

Circa priorem ergo partem de Chriſti nuditate. Vnum videtur certum, ſcilicet, Chriſtum dominum fuiſſe nudatum omnibus veſtibus, quibus induebatur. Nam euangelium dicit, milites diuiſiſſe ſibi veſtimenta Chriſti, & ſuper tunicam, quæ interior ſubucula fuiſſe exiſtimatur, miſiſſe ſortem. In dubium ergo reuocatur, an nudus omnino fuerit crucifixus, vel aliquod velum ei ſit datum, quo verenda tegerentur. Quidam enim hoc poſterius ſentiũt, ac piè meditantur, quod legitur in dicto libr. reuelat. S. Brigittæ, vbi B. Virgo ſic loquens introducitur, *Stante filio meo, ſicut natus erat, nudo corpore, vnus tũc accurrens apportauit ſibi velamen, quo ipſe exultans intime velabat verenda ſua*. Iuxta quæ verba Chriſtus prius tectus fuit, quàm crucifigeretur,

vel

vel in altum eleuaretur. Et confirmari potest, quia Christus tantũ ea passus est, quæ ipse decreuit, ac voluit, ergo cùm in hac nuditate videatur esse quędam indecentia valde repugnans honestati, verisimile est Christum ita decreuisse passionem suam, ac mouisse voluntates eorum, qui astabãt, vt huiusmodi nuditatem adeò verecundã pati, minime coactus sit. Denique propter hanc naturalem honestatem omnes crucifixi imagines hoc modo depingũtur, ergo verisimile est propter eandem causam effecisse Deũ, vt in ipsa re representata eadẽ honestas seruaretur.

Nihilominus cõmunior sentẽtia sanctorũ Patrum est, Christum omnino nudũ, absque alicuius partis velamine, crucẽ ascendisse. Ita Amb. li. 10. in Lucam, vbi sic inquit, *Refert considerare qualis ascendat, nudum video. Talis ascẽdit, quales nos autore Deo natura formauit, talis in paradiso homo primus habitauerat, talis ad paradisum homo secundus intrauit.* Idem significat Athanas. orat. de Passio, & cruce. domini, dicẽs. *Exuebat vestimenta sua; decebat enim, cum hominem introduceret in paradisum, exuere tunicas, quas Adã accepit, cum e paradiso eijceretur.* Atque eandẽ sententiam amplectuntur Bonauent. & Ludolphus locis citatis. Cõjectura etiã adjũgi potest, primô quia Christus, cùm alligatus fuit columnæ, vt flagellaretur, omnium sententia omnino nudus fuit, ergo non recusauit pro hominibus affici hoc dedecore, & dolore, atq; tristitia ex huiusmodi pudore orta. Præterea (si ratione humana vtamur) nõ est verisimile hostes ipsos Christi habuisse curam tegẽdi illum, vix etiam aliqui ex ijs, qui astabant, ausurus esset illi subuenire, aut hanc beneuolentiam in eum ostẽdere: quinimô, etiã si aliquis vt B. Virgo, Magdalena, aut Ioannes hoc auderet, nõ fuisset permissus ab ijs, qui omnem injuriam, & ignominiam Christo vehementer optabant. Si autẽ diuinæ prouidentiæ rationem spectemus, nihil absurdi est, quòd Christus nuditate sua nostram nuditatem operire voluerit, omniumque temporalium rerum abjectionem perfectam docuerit. Item hoc signo manifestauit fuisse, à Petre relictũ voluntati, & arbitrio Iudæorum. Deniq; in huius rei cõfirmationẽ afferri potest, hãc Christi nuditatem figuratam esse in Noe, Gen. 9. qui, cũ vineã plãtasset, inebriatus vino illius, omnino nudatus est. Quod de Christo eleganter explicant Augus. 16. de Ciuitat. cap. 2. & li. 12. cont. Faust. ca. 263. & Cyprian. epist. 63. Rupertus, & Eucher. in Genesim. In re igitur incerta, hæc sententia posterior probabilior videtur.

Chistus omnino nudus cruci affigitur. *Ambr.* *Athanas.* *Bonauen.* *Ludolph.* *Gen. 9.* *Aug.* *Cyprian.* *Rupert.* *Eucher.*

Circa posteriorem partem, Prima sententia est Christum non fuisse crucifixũ cum spinea corona, quia quando nudatus est chlamyde coccinea, & proprijs iterum indutus vestibus ad portandã crucem, deposuit cætera insignia regia, quanuis ludicra, ergo verisimile est etiam tum ablatã illi fuisse coronã. Ita colligit Euthym. ca. 67. in Matt. Sed hæc opinio nullam affert probabilem coniecturã, & ideò probabilior est altera sentẽtia, quæ affirmat, Christum ductum esse ad patibulum cũ spinea corona, & cum eadem esse cruci affixum. Ita docuit Orig. tract. 35. in Mtth. qui melius, quàm Euthym. ita colligit ex verbis Matt. *De chlamyde scriptũ est, quoniam denuo spoliauerunt eum chlamydẽ coccineam; de corona autẽ spinea nihil tale euangelistæ scripserunt, propterea quod, & nos quærere voluerunt exitũ rei de corona semel imposita, & nunquam detracta.* Et eadem sententiam indicat Cyprian. serm. de passione domini, vbi Christum in cruce pendentem sic alloquitur. *Consideraui opera tua, & expaui: clauis sacros pedes terebrantibus, fossisque manibus de vulnerum anxietate non loqueris, de spinis sacrum caput pungentibus non quæreris; sed satagis, vt innotescat posteris, quare derelictus a Deo videaris, expositus cõtumelijs, & Iudæorũ ludibrijs,* In eadem sententia est. Tertullian. lib. cõt. Iudæos capit. 13. vbi de Christo explicans figuram Isaac, inquit, *Isaac cum ligno reseruatus est, ariete oblato in vepre cornibus hærẽte, & Christus suis temporibus lignum humeris suis portauit, in hærens cornibus crucis, corona spinea in capite eius circundata.* Confirmari etiã hoc potest ex traditione, quę habet, Christum, cùm duceretur ad locũ supplicij portans crucem in via, sudario quodam faciẽ tersisse, atque in eo effigiem suam impressam reliquisse, & sudariũ ipsum sanguine tinctum, qui per faciem fluebat propter spineam coronam. Deinde, si ex parte militum rationem literalem attẽdamus, potest reddi probabilis ratio, qua re exuerunt eũ chlamyde, non verô abstulerunt coronã spineam, quia vestis illa purpurea fortasse erat alicuius valoris, & erat aliena, & fieri potuit, vt proprius dominus eam recuperare voluerit. Quæ ratio in corona spinea

Euthym. *Christus spinis coronatus cruci affigitur.* *Origen.* *Cyprian.* *Tertull.*

locum non habet. Rursus auferre coronã esset aliquo modo leuare dolorem eius: in mutatione autem vestium nulla erat diminutio doloris: quin potius poterat esse aliqua accretio, non est ergo eadem ratio de vtroque: & ideò non rectè dicitur, Euangelistam sub vno aliud comprehendisse, sed melius colligitur, affirmando vnum, & tacendo aliud, indicasse vestem esse sublatam, non autem coronã. Vltimo non omittam aduertere, quosdam existimare, necessarium fuisse auferri coronam, vt vestis in consutilis indui, exui ve posset. Vnde meditantur tempore crucifixionis sublatam esse, & iterum impositam. Quod etiam indicatur in libr. 1. Sanctę Brigittæ c. 10. & 11. Et aliqui addunt, quando iterum corona imposita est, noua vulnera in capite effeciſſe. Sed hęc quanuis vera esse possint, & ideò nullum sit periculum ea piè meditandi: tamen non habent sufficiens fundamentũ, vt simpliciter asserantur, quia spinæ non erant adeo oblongæ, & vestis ipsa, quanuis esset inconsutilis, poterat esse superiori parte satis diuisa, ita vt commodè exui posset, sed de his hactenus.

Aliæ circunstantiæ huius mysterij sunt tempus, locus, & latronũ societas, cũ quibus crucifixus est Christus, de quibus quoniam D. Thom. tractat in reliquis articulis huius quæstionis, ideò illos explicando hanc disputationem simul absoluemus.

ARTICVLVS NONVS.

Vtrum Christus fuerit conuenienti tempore passus.

254 Infr. arti. 10. cor.

AD nonum sic proceditur. Videtur, quòd Christus non fuerit cõuenienti tempore passus. *Passio enim Christi figurabatur per immolationem agni paschalis: vnde & Apostolus dicit. 1. ad Corinth. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus. Sed agnus paschalis immolabatur decima quarta die ad vesperam: vt dicitur Exod. 12. Ergo videtur, quod Christus tũc debuerit pati, quod patet esse falsum. Nã tunc pascha cum suis discipulis celebrauit (secundum illud Marc. 14. primo die azymorum, quando pascha immolabant) sequenti autem die passus fuit.* ¶ 2. *Præterea, Passio Christi dicitur eius exaltatio: secundum illud Ioan. 3. oportet exaltari filium hominis. Ipse autem Christus dicitur sol iustitiæ: vt patet Malach. vltim. Ergo videtur quòd debuerit pati hora sexta, quando sol est in sua maxima exaltatione, cuius contrarium videtur per id quod dicitur Marc. 15. Erat autem hora tertia, & crucifixerũt eũ.* ¶ 3. *Præterea, Sicut sol in hora sexta maximè exaltatur quolibet die, ita in solstitio æstiuali maximè exaltatur quolibet anno. Debuit ergo magis pati circa tempus solstitij æstiualis, quàm circa tempus æquinoctij vernalis.* ¶ 4. *Præterea, Per præsentiam Christi in mundo, mundus illuminabatur, secundum illud Ioan. 9. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi: conueniens igitur fuisset humanæ saluti, vt diutius in hoc mundo vixisset, ita quod nõ pateretur in iuuenili ætate, sed magis in senili.*

¶ *Sed contra est, quod dicitur Ioan. 13. Sciens Iesus quia venit hora eius, vt trãseat de hoc mundo ad patrem. Et Ioan. 2. dicit, Nondum venit hora mea. Vbi dicit Augustinus. Vbi tantum fecit, quantum sufficere iudicauit, venit hora eius, non necessitatis, sed voluntatis. Conuenienti igitur tempore passus est.*

Trac. 8 in Ioã nõ pro cul a fine.

¶ *Respondeo dicendum, quòd (sicut suprà dictum est) passio Christi subiecta erat eius voluntati. Voluntas autem eius regebatur diuina sapientia: quæ omnia conuenienter, & suauiter disponit, vt dicitur Sapien. 8. Et ideò dicendũ est, quòd conuenienti tempore passio Christi celebrata est. Vnde Aug. in lib. Quæstionũ vet. & no. Test. dicit, Omnia propriis locis, & temporibus gessit Saluator.*

art. 1. huius quæst.

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd quidam dicunt Christum fuisse passum decima quarta luna, quando Iudæi pascha immo-*

immolabant. Vnde & Ioan. 18. dicitur, quòd Iudæi nõ introierunt in prætoriũ Pilati ipso die passionis, vt non contaminarẽtur, sed vt manducarẽt Pascha. Vbi Chrys. dicit, quòd tunc Iudæi faciebant pascha, ipse verò ante vnam diem celebrauit pascha, reseruans suam occisionẽ sextæ feriæ, quando vetus pascha fiebat. Cui videtur consonare: quod dicit Ioan. 13. quod ante diem festum paschæ, Christus facta cœna pedes discipulorũ lauit. Sed contra hoc videtur esse quod dicitur. Matth. 26. quod prima die azymorũ accesserũt discipuli ad Iesum dicentes. Vbi vis paremus tibi comedere pascha? Ex quo patet, quòd cùm primus dies azymorum dicatur decimus quartus dies mensis primi, quãdo agnus immolatur, & luna plenissima est (vt Hieronym. dicit) constat decima quarta luna Christum cœnam fecisse, & decima quinta eum esse passum. Et hoc expressius manifestatur per id, Φ dicitur Mar. 14. Primo die azymorum, quando pascha immolabant, &c. Luc. 22. Venit dies azymorũ, in quo necesse erat occidi Pascha. ¶ Et ideò quidam dicunt quod Christus die conuenienti in 14. luna pascha cum discipulis suis manducauit, demonstrans quod vsq; ad vltimum diẽ non erat contrarius legi, vt Chrysost. dicit super Matthæ. Sed Iudæi occupati circa procurationem mortis Christi cõtra legem celebrationem paschæ in crastinũ distulerunt. Et propter hoc de his dicitur quòd in die passionis Christi noluerunt, intrare prætoriũ, vt nõ cõtaminarẽtur, sed vt manducarent Pascha. ¶ Sed nec istud videtur esse cõsonum verbis Marci dicentis: Primo die azymorum quando pascha immolabant. Simul ergo Christus, & Iudæi vetus pascha celebrauerunt. Et sicut Beda dicit super Mar. licet Christus, qui est pascha nostrum, sit crucifixus sequenti die, hoc est, decima quinta luna: attamen nocte qua agnus immolabatur, corporis sanguinisq; sui, discipulis tradens mysteria celebranda, & à Iudæis rẽtus, ac ligatus ipsius immolationis, hoc est passionis suæ, sacrauit exordium. Cũ autem dicitur Ioan. 13. ante diem festum paschæ intelligitur, hoc fuisse decima quarta luna, quod tũc cuenit. 5. feria, nã luna existente decima quinta erat dies solennissimus paschæ apud Iudæos. Et sic eundem diem, quem Ioannes nominat ante diem festũ paschæ, propter distinctionem naturalem dierum, Matthæus nominat primum diem azymorum: quia secũdum ritũ Iudaicæ festiuitatis solennitas incipiebat à vespera præcedentis diei. Quod autem dicitur, eos comesturos esse pascha in decima quinta luna, intelligẽdum est, quòd ibi pascha non dicitur agnus paschalis (qui immolatus fuerat decima quarta luna) sed dicitur cibus paschalis, idest azymi panes: quos oportebat comedi à mũdis. Vnde Chrys. ibidem aliã expositionẽ ponit, quod pascha potest accipi pro toto festo Iudæorum, quod septẽ diebus agebatur. ¶ Ad secũdũ dicendũ, quod sicut Augustinus dicit in libro de cons. Euangeli. hora erat quasi sexta, cũ traditus est Dominus crucifigẽdus à Pilato, vt Ioãnes dicit. Nõ enim erat plenè sexta, sed quasi sexta, idest, peracta quinta, & aliquid etiã de sexta esse cœperat, donec completa sexta, Christo pendente in cruce, tenebræ fierẽt. Intelligitur aũt fuisse hora tertia, cũ clamauerunt Iudæi, vt Dominus crucifigeretur: & veracissimè demonstratur, tunc eos crucifixisse quando clamauerunt. Ergo nequisquam cogitationem tanti criminis auersus à Iudæis in milites cõuerteret, erat, inquit, hora tertia, & crucifixerunt eum, vt illi eum potius crucifixisse inueniantur, qui hora tertia, vt crucifigeretur, clamauerũt. Quãquã nõ desunt, qui per parasceuen, quam Ioan. cõmemorat, dicens, Erat parasceue hora quasi sexta, horã diei tertiam velint intelligi. Parasceue quippe interpretatur præparatio. Verum autem pascha

hom. 82. in Ioã parũ a med. to. 3.

super illud Mat. 26. prima die azymorum accesserunt to. 9.

hom. 82. in Mat. paulo a princi. to 2.

Belaine. Marc. 14. in c. 43. secũdũ sed ẽ ordinẽ. to. 2.

A

B

C

hom. 86. in Ioan. a medio, tom. 3.

li. 3. c. 13. nõ procul. a princ to. 4

paschæ quod in passione Domini celebratur, incepit præparari ab hora noctis nona, quãdo scilicet omnes principes Sacerdotum dixerunt, Reus est mortis. Ab illa ergo noctis hora, vsque ad Christi crucifixionem, occurrit hora paraſceues ſexta, ſecundum Ioan. & hora diei tertia ſecundum Marc. Quidam tamen dicunt, quòd hæc diuersitas ex peccato scriptoris apud Græcos contingit: nam figuræ, quibus tria & ſex repræſentantur, ſatis ſunt propinquæ apud eos. ¶ *Ad tertium dicendum, quòd ſicut dicitur in libr. de Quæſtionibus vet. & no. Teſtamenti, tũc voluit Dominus paſſione ſua mundum redimere, & reformare, quando eum creauerat, ideſt, in æquinoctio. Et tunc dies ſuper noctem increſcit: quia per paſſionem Saluatoris à tenebris ad lucem perducimur. Et quia perfecta illuminatio erit in ſecundo aduentu Chriſti: ideò tẽpus ſecundi aduentus æſtati comparatur. Matt. 24. vbi dicitur, Cũ ramus eius iam tener fuerit, & folia nata, ſcitis quia propè eſt æſtas: ita & vos cùm videritis hæc omnia, ſcitote quia propè eſt, & in ianuis. Et tunc etiam erit maxima Chriſti exaltatio.* ¶ *Ad quartum dicendũ, quòd Chriſtus in iuuenili ætate pati voluit, propter tria. Primò quidem, vt ex hoc magis ſuam dilectionem commendaret, quod vitam ſuam pro nobis dedit, quando erat in perfectiſſimo ſtatu. Secundò, quia nõ conueniebat, vt ineo appareret naturæ diminutio, ſicut nec morbus, vt ſuprà dictum eſt. Tertiò, vt in iuuenili ætate moriens & reſurgens, futuram reſurgentiũ qualitatem in ſeipſo Chriſtus præmonſtraret. Vnde dicitur Epheſ. 4. Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.*

in lib q. ex no. Teſta. q. 55. in princ. tom. 4. interopera Aug.

q. 14. ar. 4

MAteria huius articuli latiſsima eſt, & integram diſputationem, ac plures quęſtiones requirit, & cõprehendit non ſolam crucifixionem, ſed totam paſsionem Chriſti à principio eius vſque ad finem, & ideò infra commodioti loco, poſtquam de Chriſti morte dixerimus, propriam de hac materia diſputationem inſtituemus.

ARTICVLVS DECIMVS.

Vtrum Chriſtus fuerit conuenienti loco paſſus.

AD decimum proceditur. *Videtur, quòd non conuenienti loco Chriſtus paſſus fuerit. Chriſtus enim paſſus eſt ſecundum carnem humanam, quæ quidem concepta fuit ex Virgine in Nazareth & nata in Bethlehem. Ergo videtur quòd nõ in Ieruſalem, ſed in Nazareth, vel in Bethlehem pati debuerit.* ¶ *2. Præterea, veritas debet reſpondere figuræ. Sed paſsio Chriſti figurabatur per ſacrificia veteris legis. Sed huiuſmodi ſacrificia offerebantur in templo. Ergo videtur, quòd & Chriſtus in templo pati debuerit, & non extra portam ciuitatis.* ¶ *3. Præterea, Medicina debet morbo reſpondere. Sed paſsio Chriſti fuit medicina contra peccatum Adæ. Adam autem non fuit ſepultus in Ieruſalem, ſed in Hebron, dicitur enim Ioſue. 14. Nomen Hebron antè vocabatur Cariatharbe: Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt. Ergo videtur, quòd Chriſtus in Hebron, & non in Ieruſalem, pati debuerit.* ¶ *Sed contra eſt, quod dicitur Luc. 13. Non capit Prophetam perire extra Ieruſalem. Sed Chriſtus fuit Propheta. Conuenienter ergo paſſus eſt in Ieruſalem.*

Supra q. 35 ar. 7. ad 1. & inf. q. 83 art. 3. ad 1. Et op. 60. c. 18. col. 2

¶ *Reſpondeo dicendum, quòd ſicut dicitur in lib. 83. quæſtionũ. Omnia propriis locis & temporibus geſsit Saluator: quia ſicut omnia tempora ſunt in manu eius, ita etiam omnia loca. Et ideò ſicut conuenienti tempore Chriſtus paſſus eſt, ita etiam conuenienti loco.*

Aug. in li. q. ex nou. Teſt. q. 55. in princ. to. 4.

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd* A *Christus conuenientissimè in Ierusalem passus est. Primò quidem: quia Ierusalem erat locus à Deo electus, ad sacrificia sibi offerenda. Quæ quidem figuralia sacrificia figurabant Christi passionem, quod est verum sacrificium, secundum illud Ephes. 5. Tradidit semetipsum hostiam & oblationem in odorem suauitatis. Vnde Beda dicit in quadam homilia, quòd appropinquante hora passionis, Dominus appopinquare voluit loco passionis, scilicet in Ierusalem, quo perueniit ante sex* B *dies Paschæ, sicut agnus Paschalis ante sex dies Paschæ, idest, decima luna secundum præceptum legis ad locum immolationis ducebatur. Secundo, quia virtus passionis eius ad totum mundum diffundenda erat, in medio terræ habitabilis pati voluit, idest, in Ierusalem. Vnde dicitur Psalm. 73. Deus autem rex noster, ante sæcula operatus est salutem in medio terræ, id est in Ierusalem: quæ dicitur esse vmbilicus terræ. Tertio, quia hoc maximè conueniebat humilitati eius: vt scilicet sicut turpissimum genus mortis elegit, ita etiam ad eius humili-* C *tatem pertinuit, quòd in loco tam celebri confusionem pati non recusauit. Vnde Leo Papa dicit in quodam sermone Epiphaniæ. Qui serui susceperat formam Bethlehem præelegit natiuitati, Ierusalem passioni. Quarto, vt ostenderet à principibus populi Iudæorum, exortam esse iniquitatem occidentium ipsum: & ideo in Ierusalem, vbi principes morabantur, voluit pati. Vnde dicitur Actuum 4. Conuenerunt in ista ciuitate aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus cum Gentibus, & populis Israel.*

¶ *Ad secundum dicendum, quòd Christus non in templo, aut in ciuitate, sed extra portam passus est propter tria. Primo quidem, vt veritas responderet figuræ: nam vitulus, & hircus, qui solenni-* *sumo sacrificio, ad expiationem totius multitudinis offerebantur, extra castra comburebantur, vt præcipitur Leuitic. 16. Vnde dicitur Hebræo. 13. Quorum animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta, per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra: propter quòd & Iesus, vt sanctificaret per suũ sanguinem populum, extra portam passus est. Secundo, vt per hoc daret nobis exemplum exeundi à mundana conuersatione. Vnde ibidem subditur. Exeamus igitur ad eum, extra castra, improperium eius portantes. Tertiò, vt* In ser. qui incipit: hodierna die dñs noster: aliquantulũ a prin. to. 3 *Chrysostomus in sermone de passione, dicit. Noluit Dominus pati sub tecto, nõ in templo Iudaico, ne Iudæi subtraherent sacrificium salutare, ne putares pro illa tantum plebe oblatum. Et ideo foras ciuitatem, foras muros, vt scias sacrificium esse commune, quod totius terræ est oblatio, quod communis est purificatio.*

¶ *Ad tertium dicendum, quod (sicut Hieronymus dicit, super Matthæum.) Quidam exposuit Caluariæ locum, in quo sepultus est Adam, & ideo sic appellatum: quia ibi antiqui hominis sit conditum caput. Fauorabilis interpretatio, & mulcens aurem populi, nec tamen vera. Extra vrbem enim, & foras portam, loca sunt in quibus truncantur capita damnatorum, & Caluariæ, idest, decollatorum sumpsere nomen. Propterea autem ibi crucifixus est Iesus, vbi prius erat area damnatorum, vt ibi erigerentur vexilla martyrij. Adam vero sepultum iuxta Hebron, & Arbee, in Iesu filij Naue volumine legimus. Magis autem Iesus crucifigendus erat in loco communi damnatorum, quàm iuxta sepulcrum Adæ, vt ostenderetur quod crux Christi, non solùm erat in remedium, contra peccatum personale ipsius Adæ, sed etiam contra peccatum totius mundi.*

Super illud Ma. 27. Et venerũt in locũ qui dicitur Golgotha, to. 9

COM-

Ho. in Dominica Palmarum in prin. quere eam in homiliario totius anni.

Inser 1. ante medium.

COMMENTARIVS.

PRima generalis aſſertio D. Thom. eſt Chriſtum eſſe conuenienti loco paſſum. Quam fundat in ratione generali, ſcilicet, quia omnes circunſtantiæ paſſionis Chriſti fuerunt ſpeciali Dei prouidẽtia definitę, ac ordinatæ, iuxta illud Actuũ. 2. *Hunc definito cõſilio, & præſciẽtia Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemiſtis*, & cap. 4. *conuenerunt in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri.* Act. 2. & 4

Circa quam rationem, quoniam D. Tho. in his articulis ſæpe illam repetit, obſeruandum eſt in paſsione Chriſti conſiderari poſſe actionẽ Iudæorũ, quæ cũ mala ſit, non fuit definita à Deo abſoluta, & efficaci voluntate: ſed ſolum permiſſa. Poteſt item conſiderari paſsio Chriſti, quæ bona eſt, & hæc fuit à Deo voluntate abſoluta præordinata, ſicut etiam ab ipſo Chriſto fuit abſoluta voluntate amata.

Quoniam verò paſsio hæc ab illa actione neceſſario pendebat, eſt vlterius conſiderandum, Deum prius ratione, noſtro modo intelligendi, quam in æterno conſilio præordinaret hanc paſsionem, præuidiſſe quid Iudęi facturi eſſent in Chriſtum, ſi illis permitteret ſuo arbitrio, & voluntate vti; qua præſcientia ſuppoſita Deus ordinauit Chriſtum tali tẽpore, & loco naſci, prædicare, & alia opera facere, ſimulq; voluit permittere Iudæos ea facere, quæ facturos ipſe præuiderat, ſi permitterentur, & tũc etiã voluit, & ordinauit vt Chriſtus ea pateretur, quæ paſſus eſt, & eo tempore, loco, atque modo, quo paſſus eſt, & hoc ſenſu dicitur præordinata paſsio Chriſti, ita vt illud verbum dicat anteceſsionem æternitatis, in qua conſilium Dei difinitũ eſt, ad tempus, in quo executioni mandatum eſt, non verò, vt dicat anteceſsionẽ ordinis, ſeu rationis voluntatis prædefinientis paſsionem Chriſti, ad voluntatem permittentem actionem Iudæorum, neq; ad prædictam ſcientiam conditionatam, quę vtrique voluntati neceſſario ſupponenda eſt. Hoc ergo modo dicitur Deus prædefiniiſſe locum, & tempus paſsionis Chriſti, quatenus ſe tenent (vt ita dicam) ex parte paſsionis, nõ verò, vt tenent ſe ex parte actionis Iudæorum, quia vt ſic non ſunt prædefinita; ſed permiſſa. Quanquã ea permiſsio, ſuppoſita prædicta ſcientia conditionata, quoad infalibilem conſequutionem rei permiſſæ, eandem certitudinem habeat, quam voluntas efficax, ſolumque differat in cauſalitate. Addo denique, quanuis Deus non prædefiniat actũ peccati, quia non poteſt inſtigare, nec determinare volũtatem ad talem actum, nec abſolutè velle illud, cùm prauum obiectũ ſit: tamen ſuppoſita determinationè voluntatis humanæ ad aliquod malum agendum, poſſe Deum pro ratione ſuæ ſapientiæ inclinare illam, vt in hoc loco, potius, quàm in alio id operetur, quia facta priori ſuppoſitione iam hoc non eſt malum, ſed indifferens, vel bonum reſpectu cauſę extrinſecæ. Sicut ſuppoſita determinatione voluntatis ad peccandum. v. g. ad iniuriam faciendam nõ eſt per ſe malum inclinare, & conſulere, vt hanc potius, quàm illam inferat. Hoc ergo etiã modo potuit Deus præordinare locum mortis, & paſsionis Chriſti ſuppoſita Iudæorum praua diſpoſitione à Deo pręuiſſa; ſed hęc in p. p. & r. 2. vberius diſputantur. Suppoſita ergo hac generali aſſertione, vt magis in ſpecie hęc circunſtantia explicetur, diſtinguere poſſumus more philoſophorum, tria loca paſſionis Chriſti. Vnus eſt communiſsimus, ſcilicet ciuitas Ieroſolymorum, alius eſt locus communis extra ciuitatẽ, tertius quaſi proprius, nimirum mons Caluarię. De his ergo tribus locis tres aliæ colliguntur aſſertiones ex tribus ſolutionibus argumentorum.

Paſsio Chriſti qualiter a Deo præordinata.

Locus paſſionis quo modo præordinatus a Deo.

Secunda ergo aſſertio D. Tho. eſt, conueniens fuiſſe Chriſtum pati Ieroſolymis. Hanc probat D. Thom. ſol. ad 1. quatuor optimis rationibus. Prima ex eo ſumitur, quod Ieruſalem erat ciuitas à Deo conſtituta ad ſacrificia ſibi offerenda, quibus Chriſti ſacrificium præfigurabatur. Circa quam ſolum occurrit aduertendum (ſi rationem à priori ſpectemus) potius ea de cauſa ſtatuiſſe Deum, vt ſacrificia, Chriſti holocauſtum repreſentantia, Ieroſolymis ſibi offerrẽtur, quia in eo loco erat Chriſtus moriturus. Nam ſacrificium mortis Chriſti fuit cauſa exemplaris, & quodam modo finalis præcedentium ſacrificiorũ, cùm ergo dicitur Chriſtus tali loco mortuus, vt implerentur figurę, illud non tam explicat cauſam, & rationem, quàm conſequutionem, & neceſſariam cõnexionẽ.

Chriſtus cur Ieroſolymis paſſus.

Secunda ratio ſumpta eſt ex pſalm. 73. *Operatus eſt ſalutẽ in medio terræ.* Qui locus ſaltem Pſal. 73.

saltem in spirituali sensu, recte intelligitur de redemptione hominum, quã Christus operatus est, quæ quia omnibus hominibus erat profutura, merito in Ierusalem facta est, quæ in medio terræ sita esse dicitur. Quam rationem indicauit Tertullian. lib. 2. carminum contra Marcionem ca. 4. Tertul.

Golgotha locus est, capitis caluaria quondam,
Lingua paterna prior sic illum nomine dixit,
Hic medium terræ est; hic est victoriæ signũ.

Hieronymus etiam Ezech. 5. dicit Ierusalem *in medio mundi sitam esse*, ita exponens prædicta verba psalm. 73. & illa Ezechi. 5. *Ista est Ierusalem, in medio gentium posui eam, & in circuitu eius terras.* idem Cyril. catech. 13. & Hilar. canon. 33. in Mat. Beda etiam de locis sanctis cap. 3. Iosephus autem lib. 3. de bello Iudaico cap. 2. solum dicit, Ierusalem esse in medio Iudææ, & quasi vmbilicum illius regionis; inde autem fit esse ferè in medio orbis, qui tunc habitari existimabatur, & hoc satis est ad significationem mysterij, quanquam in rigore, & propriè non sit Ierusalem in medio totius mundi. Tertia ratio est moralis, & satis clara. Quarta verò videtur maximè literalis. Nam quia Ierusalem erat quasi Metropolitana ciuitas Iudęorum, in qua erãt capita totius synagogæ, & principes sacerdotum, & concilium sanhedrin, oportuit Christum ibi prædicare, & seipsum manifestare, Ex quo consequutum est, vt ibi etiã fuerit interfectus. Propter quod generalem sententiam protulerat ipse Christus, *Non capit Prophetam perire extra Ierusalem.* Luc. 13. Quod intelligi potest vel per antonomasiã dixisse de seipso, qui erat propheta ille prædictus Deuteron. 18. Vel (si generaliter intelligatur) sensus est, Ieroſolymitanam ciuitatem fuisse aptissimum locum ad similia flagitia patranda. Quia ad eam præcipue mittebantur prophetæ, & quia quò erat magis ampla, ac nobilis, eò maioribus peccatis, & iniustitijs abundabat.

Hieron. Ezech. 5. Cyril. Hilar. Beda. Ioseph. Luc. 13. Deut. 18.

Tertia assertio D. Tho. in sol. ad 2. est, oportuisse Christum pati, non in ciuitate; sed extra portam eius. Ex qua conclusione intelligimus, præcedentem ita esse intelligendam, vt nomine Ierusalem comprehẽdatur nõ solùm ciuitas, sed etiam eius suburbia; vel certe vt Ieroſolymis interfectus dicatur Christus, quia à ciuitate Ieroſolymitana, quæ præcipue sunt homines ipsi, & intra ciuitatem ipsam traditus est, & damnatus ad mortem, quanuis extra ciuitatis mœnia ductus sit, vt interficeretur. Huius autem assertionis tres etiam congruẽtias optimas affert D. Tho. mysticas, & morales. Et de prima videri potest locus Pauli ad Hebr. 13. & ibi expositores, & Tertull. lib. contr. Iudęos in fine. Addi præterea potest, sicut sacrificiũ Christi figuratum fuit in Abel, ita etiã in hoc fuisse impletam illam figurã, quia Cain foras fratrem eduxit, vt eum occideret. Deinde pati voluit Christus extra Ierusalẽ, vt significaret, passionem suam parum profuturam fuisse illi genti, & futurum fuisse, vt fructus eius ad alias gẽtes deriuaretur. Vn de aliqui traditione haberi dicunt, Dominum in cruce positum terga vertisse ad ciuitatem Ierusalem. Sed hęc, & alia similia mystica sunt. Historica verò ratio esse videtur, tum quòd malefactores frequentius occidi solent extra ciuitatem. Tum etiam, quòd in lege Moysis præcipiebatur, blasphemos duci extra castra, vt punirentur, Christus autẽ vt blasphemus delatus fuit.

Extra muros Ierusalẽ cur Christus sit passus. Hebr 13. Tertul.

Quarta assertio D. Tho. in sol. ad 3. est Christum conuenienter crucifixum esse in monte Caluariæ, qui erat communis locus damnatorum. Circa quam cõclusionẽ est aduertendum, fuisse communem sanctorum Patrum traditionẽ, Adam sepultũ esse in eo monte, in quo Christus fuit crucifixus, indeque appellatum esse *Caluariæ montem*, quia ibi primi hominis caput reconditum erat. Ita docuit Orig. tracta. 35. in Matt. Tertulli. lib. 2. Carminum contra Marcionem cap. 4.

In mõte Caluariæ cur Christus sit passus. Origen. Tertull.

Hic hominem primum suscepimus esse sepultũ,
Hic patitur Christus, pio sanguine terra madescit,
Puluis Ade vt possit veteris, cũ sãguine Christi
Commixtus, stillantis aquæ virtute lauari.

Idem Athanas. ser. de Passione, & cruce domini, Epiphan. hęres. 46. Chrysost. ho. 84. in Ioannem. Ambro. lib. 5. epist. 19. & Luc. 23. Augustinus serm. 71. de tempore, vbi has etiam congruentias adiungit, dicens. Et *vere, fratres, non incongrue creditur, quia ibi erectus sit medicus, vbi iacebat ægrotus, & dignum erat, vt vbi occiderat humana superbia, ibi se inclinaret diuina misericordia, & sanguis ille pretiosus etiam corporaliter pulueren antiqui peccatoris, dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur.* & Basil. in cap. 5. Isaiæ in principio dicit, hanc famam non scripto proditam, sed memoria conseruatam in Ecclesia fuisse, & statim adiungit similes

Adam in mõte Caluariæ sepultus creditur. Athanas. Epiphan. Chrysost. Ambr. Aug. Basil.

similes congruentias. In eadem sententia est Cyprianus sermo. de Resurrectione domini, ac denique Hieronym. Epistol. 17. ad Marcellam, nomine Paulæ, & Eustochij. Hæc verò sententia non placuit eidem Hieronymo Matth. 27. & super ad Ephes. 5. existimat enim eum locū, in quo crucifixus est Dominus, fuisse illū, in quo alij malefactores solebant supplicio affici, & ideò dictum esse Caluarię locum, quia *capita damnatorum ibi truncabantur*. Et confirmat, ex eo, quòd alij duo latrones ibidem crucifixi sunt cum Christo. Addit tandem, Adā sepultum esse iuxta Hebron, vt legimus Iosue. 14. *Adam maximus ibi inter Enacim situs est*. Et hāc sententiam sequuti sunt multi ex posterioribus Doctoribus. Rupertus in Ioannem, & D. Thom. hoc loco, Lyranus, Ianse-nius, Erasmus, & alij. Addit D. Thomas congruentiam, quia magis fuit expediens Christum crucifigi in communi loco dānatorum, quàm super sepulcrum Adæ, ne Christi crux profutura putaretur peccato Adæ, & non aliorum.

Cyprian. *Hieron.* *Iosue. 14.* *Rupert.* *D. Thom.* *Lyr.* *Ianſen.* *Erasm.*

Sed in hoc aliud est loqui de reipsa, an scilicet Adamus sepultus esset in loco Caluariæ, aliud de denominatione caluariæ, vnde sumpta sit. Quod ergo ad rem attinet, in primis non videtur contemnenda tantorum Patrum traditio. Neque enim verisimile est, non fuisse ex aliquo probabili fundamēto ortam. Præsertim, quia argumentum Hieronymi ex loco Iosue 14. desumptum, non est efficax. Quia nomen *Adam*, non est tantum proprium: sed communes, idem significant quod homo. 2. Reg. 7. Oseæ. 11. Sumitur autem prædicto loco in hac significatione, & sensus est, aliquem hominem procerę staturæ ibi esse sepultum. Vnde idem Hieronymus in Epistola 27. quæ est epitaphium Paulæ, dicit plerosque existimasse illum maximum hominem ibi sepultum esse Caleb. Alij ex textu colligunt esse Enac filium Arbe, de quo fit mentio Iosue. 15. Ille enim existimatur fuisse gygas, & progenitor gygantum, qua de causa gygantes in scriptura vocātur filij Enacim. Numer. 13. Deuteronom. 1. & 2. Iosue 11. Et Ioseph. lib. 3. Antiquit. capit. 2. refert eo loco solita esse reperiri ossa gygantum, qui ibi sepeliebantur. Alij censent, illum hominem fuisse Arbe, cuius erat illa ciuitas, & â quo nomen accepit.

2. Reg. 7. *Oseæ.* *Hieron.* *Iosue. 15.* *Enac gygās tum progenitor.* *Mum. 13.* *Deut. 1. & 2.* *Iosue. 11.* *Ioseph.*

Denique aliqui dicunt, Adamum prius sepultum esse Ierosolymis in monte Caluarię: postea verò translatum esse in Hebron. Sed hoc nullo nititur fundamento. Prior verò solutio omnino soluit argumētum Hieronymi, quare non est relinquenda communis traditio.

Addendum autem est, satis etiam credibile esse, illum locum fuisse quoque communem aliis damnatis ad mortem, tū quia nulla est ratio, cur singamus Christum ad locum peculiarem fuisse ductum: tum etiam, quia cùm esset eminens, & propè ciuitatem, facile intelligi potest fuisse commodum ad illum vsum. Neque obstat, quòd Ioannes dicat in illo loco fuisse hortum, seu prędium. Quia non oportet intelligi eam partem, in qua crucifixus est Dominus, fuisse prædium, vel hortum, alioqui non dixisset in loco, vbi crucifixus est Dominus, fuisse hortum: sed potius Christum fuisse crucifixum in horto. Intelligi ergo debet, propè illum locum fuisse hortum, aut certè in ipso monte ad radicem eius fuisse prędia, solitosq; esse puniri damnatos ad mortem, in superiori eius parte, ā qua potuit totus *mons Caluariæ* appellari. Atque ita in illo loco, vbi crucifixus est Dominus, ideſt in monte illo, potuit esse hortus, quanuis ex alia parte, etiam esset locus institutus ad supplicia damnatorum.

Obiectio. *Ioan. 18.* *Responsio.*

Vnde (quod attinet ad denominationem caluariæ) probabile est, quod Hieronymus dicit, sumptam esse ex eo, quòd ibi, *truncarentur capita damnatorum*: illa enim alia etymologia est valde recondita, & incerta, sed hoc cum ad nomen pertineat non multum refert. Non prętermittam autem adnotare aliam etymologiam, quam Cyrillus Ierosolymitan. catdecima tertia, scriptam reliquit. *Aliqui* (inquit) *prophetice locum hunc caluariæ appellarunt, in quo verum caput Christus crucem sustinuit, sicut Apostolus dicit, qui est caput omnis principatus, & potestatis, caput hoc in loco Caluarię passum est. O magnam propheticam appellationem, modo enim, & nomen hoc te admonet, vt non tanquam simplici homini attendas crucifixo, caput enim omnis potestatis crucifixum est.* Denique adnotandum est, quod affirmat Augustinus dicto sermo. 71. de tempore, hunc montem, in quo crucifixus fuit Dominus, fuisse illum, in quo Abraham filium Isaac sacri-

Caluariæ locus vnde dictus. *Cyril. Ier.*

sacrificare voluit,& in eam sententiam re fert Hieronymum, qui hoc affirmat Mar. 15. ex traditione Iudæorum, quanuis multi existiment, hos commentarios non esse Hieronymi,& in eandem sententiam cõsentit Beda lib. de locis sanctis cap. 2.

Hieron.

Beda.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

Vtrum conueniens fuerit, Christum cum latronibus crucifigi.

256 AD vndecimum sic proceditur. *Videtur quod non fuerit conueniens Christum cum latronibus crucifigi, dicitur enim 2. ad Corint. 6. Quæ participatio iustitiæ cũ iniquitate? Sed Christus factus est nobis iustitia à Deo, miquitas autem pertinet ad latrones. Non ergo fuit conueniens, vt Christus simul cum latronibus crucifigeretur.* ¶ *2. Præterea, Super illud Matthæi. 26. Si oportuerit me mori tecum, nõ te negabo, dicit Ori. Mori cum Iesu pro omnibus moriente, hominum non erat. Et Ambros. dicit super illud Luc. 22. Paratus sum tecum,& in carcerem,& immortem ire, Passio, inquit, Domini æmulos habet, pares non habet. Multò igitur minus conueniens videtur, quòd Christus simul cum latronibus pateretur.*

Ori. ho 35 in Mat. post 5 fo. a prin hom. to. 3. libr. 10. in Luc. c. cuius tit. est, de spõsione præmij, to. 5.

¶ *3. Præterea, Matth. 27. dicitur, quòd latrones, qui crucifixi erãt cum eo, improperabant ei. Sed Lucæ. 23. dicitur, quod vnus eorum, qui crucifixus erat cũ Christo, ei dicebat, Memento mei Domine, dũ veneris in regnum tuum. Ergo videtur, quod præter latrones blasphemantes, fuerit cum eo crucifixus alius non blasphemans. Et sic videtur inconuenienter ab Euangelistis narratum, quod Christus fuerit cum latronibus crucifixus.* ¶ *Sed cõtra est, quod Isaiæ. 53. fuerat prophetatũ Et cum sceleratis reputatus est.*

¶ *Respondeo dicendum, quod Christus inter latrones crucifixus est, alia quidem ratione quantum ad intentionem Iudæorum, alia verò quantum ad Dei ordinationem. Quantum enim ad intentionem Iudæorum, duos latrones vtrinque crucifixerunt (sicut dicit Chrysostom.) vt eorum suspicionis fieret particeps. Sed non ita euenit: nam de illis nihil dicitur. Huius autem vbique crux honoratur, Reges diademata deponentes, assumunt crucem in purpuris, in diadematibus, in armis, in mensa sacrata: vbique terrarum crux emicat. Quantum verò ad Dei ordinationem, Christus cum latronibus crucifixus est: quia vt Hieronym. dicit super Matthæum. Sicut pro nobis maledictum crucis factus est Christus, sic pro omnium salute inter noxios quasi noxius crucifigitur. Secundò, vt dicit Leo papa in sermone de passione, duo latrones, vnus ad dexteram,& alius ad sinistram crucifiguntur: vt in ipsa patibuli specie monstraretur illa, quæ in iudicio ipsius, omnium hominum facienda est discretio. Et August. dicit super Ioan. Ipsa crux, si attendas, tribunal fuit: in medio enim iudice constituto, vnus, qui credidit, liberatus, alius qui insultauit, damnatus est: iam significabat quid facturus est de viuis,& mortuis, alios posiurus ad dextram, alios verò ad sinistram. Tertiò, secundum Hilarium, duo latrones læuæ, ac dextræ affiguntur, omnem humani generis vniuersitatem vocari ad sacramentum passionis Domini ostendentes. Sed quia per diuersitatem fidelium, ac infidelium, fit omnium secundum dextram sinistramque diuisio, vnus ex duobus ad dextram eius situs, fidei iustificatione saluatur. Quartò, quia vt Beda dicit super Marc. latrones, qui cum Domino crucifixi sunt, significant eos, qui sub fide,& confessione Christi, vel agonem martyrij, vel quælibet arctioris disciplinæ instituta subeunt. Sed qui hoc pro æterna gloria gerunt, dextri latronis fide designantur: qui verò humanæ laudis intuitu, sinistri latronis mentem imitantur,& actus-*

A

B

C

hom. 88. in Matt. aliquãtulum a prin. to. 2

Mat. 27 super illud venerũt in locum qui dicitur Golgotha to. 6. in 4 ser. de passione parum a prin.

Aug. trac. 31. in Ioan. infin. to. 9.

cano. 33. in Matt. ante medium.

capi. 15. in Mar. in ca. 44. secundũ cius ord. circame-dium to. 2.

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd sicut Christus debitum mortis non habuit: sed mortem voluntariè subijt, vt sua virtute vinceret mortem, ita etiam non habuit meritum, vt cum latronibus poneretur, sed voluit cum iniquis deputari, vt sua virtute iniquitatem destrueret. Vnde Chrysostom. dicit super Ioann. quod latronem in cruce conuertere, & in paradisum inducere, non minus fuit, quàm concutere petras.* ¶ *Ad secundũ dicendum, quòd non conueniebat, vt cũ Christo aliquis alius patereretur ex eadem causa. Vnde Orig. ibidem subdit. Omnes fuerant in peccatis, & omnes opus habebant, vt pro eis alius moreretur, non ipsi pro alijs.*

¶ *Ad tertium dicendum, quod sicut August. dicit in lib. de consensu Euangelistarum, possumus intelligere Matt. posuisse pluralem numerum pro singulari, cùm dixit, latrones improperabant ei. Vel potest dici secundum Hieron. quòd primũ vterque blasphemauerit, deinde visis signis vnus eorum crediderit.*

Hom. 84. in 10. non remote a prin. to. 3.

Finitis. 5. fo. prioribus a prin. hom. 35. in Mat. numerando to 3. Li. 3 c. 16 in medio to. 4.

Super illud Mat. 27. latrones improperabãt ei. to. 9.

COMMENTARIVS.

IN hoc ar. explicat D. Tho. aliam circunstantiam crucifixionis domini, eiusque optimas rationes reddit, tũ ex parte Iudæorum, tũ ex parte Dei. Ex parte quidem Iudæorum vnam reddit rationem sumptam ex Chry. hom. 88. in Matt. voluisse scilicet Iudæos Christi causam confundere cum causa latronum, vt eadẽ omnium ratio esse existimaretur. Item addi potest, id fecisse, vt supplicium Christi in maiorẽ eius ignominiam cederet, iuxta illud Isai. 53. *Et cũ iniquis deputatus est.* Quã quam enim hoc intelligi possit impletum in ipsomet supplicio crucis, quo affectus est, ac si esset reus: tamen Marcus cap. 15. notauit, hoc facto specialiter impletã prophetiam illam. Secundo ex parte diuinæ prouidentiæ affert D. Tho. quatuor rationes ex Patribus desumptas, ob quas hoc facinus permissum est. Quibus addi põt alia ex Chrysost. hom. 84. in Ioan. Permissse hoc Deũ, vt sicut (iuxta cõmune proverbiũ) oppositа iuxta se posita magis elucescunt, ita iustitia Christi inter latrones posita clarior appareret. Vnde *tribus cruci fixis miracula patuerunt: nemo tamen vllum alteri latronum attribuit. sed soli Iesu, & ita diaboli insidiæ irritæ factæ sunt.* Alia etiam ratio ad iungi potest. Fuisse, scilicet, hoc eximium diuinæ prædestinationis consilium, quo præordinatum erat, vt latro ille eo modo admirabili salutem æternam consequeretur, vt tradit Au. ser. 120. de tẽpore his verbis. *Vt redimeret impios (sicut alt sermo diuinus) vt redimeret iniquos, inter iniquos reputatus est, inter duos, quos dextra, læuaque legimus, pepẽdisse. Seipsum cõfusioni, & opprobrio crucis tradidit, vt latronem glorificaret.* Hoc autẽ conuenientissimum fuit, Tum vt efficacia passionis statim in ipso ligno crucis conspiceretur, tum etiam, vt diaboli insidiæ in caput ipsius retorquerentur, vt Chrys. supra dixit. *Quia dũ ex duobus vnus saluus factus est, non solum crucifixi gloriam non offendit: sed potius non parum auxit.* Neque enim minus fuit in cruce latronem conuerti, & in paradisum ingredi, quàm petras collidi.

Aug.

Chrys.

Solutiones ad primũ, & secundũ non indigent expositione. In solutione vero ad 3. attingit D. Th. concordiam euangelistarum. Nam Matt. & Marcus in plurali dicunt latrones improperasse Christo: Lucas verò vnum ait blasphemasse, alterum verò confessum esse Christum. Et duas adhibet solutiones. Prior est, in principio vtrumque latronem blasphemasse Christũ postea verò alterum pœnituisse. Hanc ponit D. Tho. posteriori loco, vnde videtur illã magis probare. Fuit autẽ hæc expositio Hieron. Chry. Theoph. & Euthymij in Matt. & Cyril. Ierosoly. cat. 13. Orige. tract. 35. in Mat. & significat eã Hila. can. 33. in Matt. Posterior expositio est, Mar. & Mat. loquutos fuisse figuratè, vtẽtes numero plurali pro singulari, quelocutio est frequens in scriptura. Ita Epiphan. hæres. 66. in catalogo hæresum, & Aug. lib. 3. de consen. euan. ca. 16. & Ansel. in Matth. Et hæc expositio videtur mihi præferenda, quãquam Amb. lib. 10. in Luc. sub dubio vtramq; relinquens, dicat. *Fortasse & iste prius conuitiatus est, sed repente conuersus,* & infra. *Potuit enim de vno pluraliter dicere, sicut est illud ad Hebr. 11. In pellibus caprinis, sectisunt, obturauerunt ora leonum, cum solus Elias melo-*

Mat. 27. Marc. 15. Luc. 23.

Hieron. Chrys. Theophyl. Euthym. Cyril. Orig. Hilar. Matth. Epiph. Aug. Ansel. Ambr.

Chrysost.

Isai. 53.

Marc. 15.

Chrysost.

melotem habuiße, Isaias sectus eße, Daniel leonibus intactus manſiſſe, doceatur.

Dubium. 1 Sed antequam ad alia tranſeamus, oportet de his latronibus nonnulla breuia dubia explicare. Primum eſt, an fuerint clauis affixi crucibus. Cui breuiter affirmando reſpondendum eſt ſine vlla dubitatione. Primo propter verbū *crucifigendi*, quo Euangeliſtæ vtuntur. Nam propriè ſignificat fixionem clauis factam, præſertim cū in eodem contextu eodem modo de Chriſti, atque iſtorum crucifixione ſermo ſit. Et vbicunque in ſcriptura legimus aliquem fuiſſe crucifixum, & non tantum ſuſpenſum, intelligimus clauis eſſe affixū. Deinde ex iis, quæ leguntur de inuentione cru B cis Chriſti. Legimus enim in hiſtoriis ſupra citatis, cùm inuentæ eſſent tres cruces, non potuiſſe diſcerni, quæ nam illarum eſſet Chriſti, donec miraculo diiudicatum hoc eſt. Hinc enim neceſſariò concluditur cruces illas fuiſſe, & eiuſdem figuræ, & omnes habuiſſe foramina clauorū. Si enim crux Chriſti hac in re excelleret, facilè potuiſſet eo ſigno à cæteris diſcerni. Et quanquam Ambroſ. in oration. de obitu Theodoſij, differat à prædictis hiſtoriographis, quia non dicit crucē Chriſti miraculo eſſe cognitam: ſed in titulo, nam licet titulus ſeparatus fuerit inuētus, & non cruci affixus, tamen potuerunt videri in ſummitate crucis ſigna, & veſtigia affixionis tituli, quod etiā ſentit Chryſoſt. hom. 84. in Ioan. (quanquam hoc ita ſit) nihilominus Ambroſ confirmat hanc ſententiam, quatenus dicit, illas cruces in reliquis omnibus fuiſſe ſimiles, nec potuiſſe diſcerni. Tandem adhiberi poteſt coniectura, quia cùm Iudæi voluerint Chriſtum exiſtimari latronem, eiuſque cauſam ſimilem reputari cauſæ latronum, veriſimile eſt eodem genere pœnæ exterioris latrones affeciſſe. Et hanc ſententiam docuit Auguſt. ſermo. 130. de tempore, vbi de bono latrone loquens, inquit. *In ſemetipſo erat clauis confixus, & non ſaucium intellectum, neque confixum ſenſum habebat:* & Chryſoſtom. hom. 1. de cruce, & latrone. *Quod mente ſana vigilabat clauorum cō fixione conſtrictus, quis poterit non admirari?* & Gregor. 18. Moral. capit. 23. *In cruce claui manus, pedeſque eius ligauerunt, nihilque in eo a pœnis liberum, niſi cor, & lingua remanſerant.* Denique Abulenſ. paradoxa, 3. cap. 44. rec

Reſponſio Latrones cum Chriſto crucibus clauis affixi.

Ambr.

Chryſoſ.

Aug. Greg.

Abulenſ.

A tè notat conſuetudinem quorundam, qui aliter latrones pingunt ligatos, & non affixos, ex indiſcreta aliquorum deuotione introductam eſſe.

Secundo, de bono latrone dubitari poteſt, quomodo Chriſtum cognouerit, cū tam multa tunc eſſent, quæ illius fidem & cognitionem poſſent impedire. Præſertim ex parte Chriſti ſcandalum crucis, videbat enim tunc eum in ſumma ignominia, dolore, & abiectione: ex parte verò ipſius, quod etiam erat poſitus in graui ſimo dolore, & anguſtia. Communis reſponſio ſanctorum Patrum eſt, hunc latronem fuiſſe tunc interius à Deo illuminatum, cùm exterius nihil haberet, quod eum ad eam fidem, & confeſsionem excitaret. Vnde Leo Papa ſermo. 2. de Paſſione. *Quæ iſtam fidem exhortatio perſuaſit? quæ doctrina imbuit? quis prædicator accendit? non viderat prius acta miracula, ceſſauerat tunc languentium curatio, cæcorum illuminatio, viuificatio mortuorum: ea ipſa, quæ mox erant gerenda, non aderant: & tamen Dominum confitetur, & Regem, quem videt ſupplicii ſui eſſe conſortem. Inde ergo oriebatur hoc donum, vnde accepit fides ipſa reſponſum.* In qua ſententia Leonis notanda ſunt illa verba, *ea ipſa, quæ mox erant gerenda, non aderant.* Videtur enim illis tacitè reprehendere id, quod apud Hieronym. in capit. 27. Matth. reperimus ſcriptum, *Sole fugiente, terra commota,* C *ſaxiſque diſruptis, & ingruentibus tenebris, vnū latronem cepiſſe credere, & confiteri Ieſum.* Quam ſententiam pēnè eiſdem verbis habet Chryſoſtom. homil. 2. de cruce, & latrone, & ſignificat Origen. tractat. 35. in Matthæ. Sed mirum eſt, hos Patres non animaduertiſſe, hanc ſententiam pugnare cum Euangelio, quia exceptis tenebris, cætera ſigna acciderunt mortuo iam Chriſto, (vt plane ex Euangelio conſtat) cum tamen ex eodem Euangelio præſpicuum ſit, latronem conuerſum eſſe viuēte Chriſto. Solis autem defectio, & tenebræ poſt latronis conuerſionem â Luca narrantur. Eandem verò cum Leone ſententiam docet Cyril. cat. 13. dicens. *Quæ virtus te illuminauit, o latro? quis te docuit adorare contemptum, & ſimul cruci affixum? o lumen perpetuum illuminans obſcuratos.* Eandem ſententiam latiſsimè proſequitur Auguſt. dicto ſerm. 130. de tempore. Chryſ. ſermo. de latrone, & ſerm. 1. de cruce, & latrone.

Latro Chriſtum decrucē pendentem quomodo cognoſcit.

Leo Papa.

Hieronym. Chryſoſ. Origen.

Cyril.

Aug. Chryſoſ.

Cæterum (quanquam verum sit, hoc ita fieri potuisse, sicut hi Patres affirmāt) tamen duo nihilominus videntur addenda. Primum est, fieri etiam potuisse, vt hic latro, antequam esset datus in custodiam Christi prædicationem audierit, miraculaq; conspexerit, & fortasse in ipsum crediderit: cur enim hoc repugnat? aut vnde potest oppositum ostendi? nō enim necesse est, vt omnes, qui Christo credere incipiebant, statim vitia, ac peccata relinquerent, potest enim fides incipere esse sine caritate, sicut & conseruari. Vnde Aug. Augustlib.1.de Origin. anim. capite.9. sub dubio relinquit, an fuerit antea baptizatus baptismo Christi. *Baptizatum* (inquit) *non fuisse, quoniam nemo nostrum nouit, nemo conuincit.* Sed quanuis hic modus dicendi neque Euangelio, neque rationi repugnet: non est tamen recedendum à cōmuni sententia Patrum, qui vbique sentiunt latronem illum in cruce cępisse credere in Christum. Quod pręter citatos Aug. Cyprian. Gre. Patres affirmat Augustlib.4. de baptismo contra Donatistas capit.22.& sequētibus, & insinuat Cyprian. serm. de cœna domini, & Greg. loco supra citato. *Inspirante Deo, totum illi obtulit, quod in se liberum inuenit, vt corde crederet ad iustitiam, ore cōfiteretur ad salutem. In corde autem fidelium tres summopere manere virtutes testatur Apostolus, fides, spes, caritas, quas cunctas subita repletus gratia, & accepit latro, & seruauit in cruce.* Quæ tamen sententia facilius fundari potest, si teneamus primam sententiam recitatam in concordia Euangelistarum, nimirum principio ambos blasphemasse: postmodum verò alterum credidisse. Supposita verò altera expositione, solum potest fundari hæc communis opinio probabili coniectura: Quia cùm de hoc homine solum legamus antea fuisse latronem, & solum in cruce confessum esse Christum, non est, vnde fingatur antea credidisse. Pręsertim cum probabile sit magnam partem illius temporis, quo Christus prædicauit, in vinculis fuisse: reliquam verò partē in latrocinijs cōsumpsisse. Leo Pap. Ait enim Leo Papa supr., fuisse insidiatorem viarum, & saluti hominum semper infestum, quod colligit ex supplicio crucis. Vnde subdit, *Vsque ad crucem reus, fit Christi repente confessor.*

Secundo addendum est, quanuis verum sit, in cruce fuisse conuersum ad fidē, & prę cipuam causam illius conuersionis fuisse internam motionem, & illustrationem Spiritus sancti; ex parte tamen obiecti, fit credibile iuuari potuisse, primo, fama miraculorū, quæ audierat, & fortasse etiam nonnulla viderat, vt expressē attigit Origen. dicto tract.35.in Mat. secūdo exemplis virtutum, quæ in Christo conspiciebat, eximiæ videlicet caritatis, qua illum pro inimicis orantem audierat, & patientiæ, ac modestię, &c. vt expressē notarunt Theophyl. Luc.23. & Euthy. cap. 67.in Mat. tertio publica voce populi acclamantis Christum innocentem, propter odium vsque ad crucem adductum esse. Sed hæc omnia non satis essent sine magna, & pænè miraculosa Dei motione, & illustratione, qua cognitionem Christi tam explicatam habuit, vteum, & innocētem hominem, & altioris regni regem, & supremum dominum, in cuius potestate esset subuenire, si vellet, simul cōfiteretur. Orig. Theophyl. Euthym.

Tertio dubitari potest, quomodo sanctus hic latro saluus fuerit sine baptismo; Quod dubium propono, solū propter Cyprianum, & Augustin. ille enim Epist. 73. ad Iubaianum, propter hanc fortasse causam, hunc latronem martyrem facit, & suo sanguine baptizatum, idque repetit in Serm. de cœna, & in Serm. de passione domini. Quam sententiam refert Augustlib. 1. de Anima, & eius origine cap.9.& lib. 4 de baptis. cap. 22. & hoc posteriori loco dicit, martyrium non fuisse simpliciter necessarium huic latroni, vt potuerit saluari. Quia fides, & contritio cordis sufficere potest, vbi propter temporis angustias baptismus conferri nequit. In priori verò loco explicat Cyprianum in hunc modum, quòd licet non fuerit propriè martyr, quia nō est mortuus propter Christum, neq; in testimonium fidei eius: *Tamen apud Deum tantum valuit, quod confessus est dominum crucifixum, quantum, si fuisset pro domino crucifixus, atque ita inuenta est in co mensura martyris, qui tūc in Christum credidit, quando defecerunt, qui futuri erant martyres.* Addit verò ibidem Augustinus, non esse improbabile, tunc fuisse baptizatum baptismo aquę, tinctum illa aqua, quæ ex latere Christi manauit. Sed hi duo sancti Patres fuerunt solliciti in explicādo, quomodo potuerit hic sanctus latro sine baptismo Dubium. 3 Cyp. Aug. Responsio

Bonus latro sine baptismo sanguinis, et aquæ saluari quo modo potuit.

tismo saluari, & ideo alius ad baptismum sanguinis, alius ad baptismum aquæ, vel flaminis recurrunt. Verum non oportebat esse sollicitos: quia tũc necessitas baptismi nõdum vrgebat, quare nec fuit propriè martyr, neq; est verisimile potuisse baptizari aqua, quæ de latere Christi profluxit. Tum quia nullus ibi erat baptizãs cùm Christus esset mortuus, & fortasse etiam ipse latro. Tum etiam quia nulla fuit forma. Denique quia vix est credibile, aquam tanto impetu è latere exilijsse, vt latronem attingeret, præsertim si verum est, hunc latronem dexteram Christi tenuisse; aquam verò de latere Christi sinistro manasse.

Dubium. 4 Luc. 23.

Quarto dubitari potest de sensu verborum Christi, *Hodie mecum eris in paradiso*. Quia vox illa, *paradisus*, varias significationes habet in scriptura: sed ad rẽ duę sunt præcipuæ, altera, qua vsurpatur pro terrestri paradiso, altera, qua metaphoricè pro gloria cœlesti sumitur. Neq; enim defuerunt Patres, qui priori modo in his verbis Christi accipi contendant, vt Iustinus martyr quæst. 75. 76. & 85. ad Orthodoxos, & multi ex Patribus (quos retulimus) dicunt latroni fuisse promissum paradisum, ex quo eiectus fuit Adã. Et hanc expositionem defendit Euthim.

Iustin.

Euthym.

capite 81. in Lucam. Sed hæc expositio primo fundata videtur in falso errore, iã ab Ecclesia damnato, quòd animæ ante diem iudicij cœlestem gloriam non assequantur. Præterea non potest accommodari verbis Christi, tum quia promissio eius respondet petitioni latronis: ille autem non petebat terrestrẽ paradisum: sed consortium regni cœlestis: tum etiã, quia Christus non erat futurus illo die in paradiso terrestri, vt infra Disput. 43. sect. 4. dicturi sumus, vbi illã particulam, *Hodie*, exactius explicabimus. Omitto (quod multi censent) paradisum terrestrem non extare iam nunc. Quod si ita est, non potuit certè fieri illius promissio. Promisit ergo Christus latroni visionem beatam, eodem die conferendam. Et ita intelligũt Patres citati, & præterea August. Epist. 57. ad Dardanum, vbi latissimè hunc locum tractat, & licet per paradisum videatur intelligere locum corporeum: intelligit tamen esse locum illum, in quo beati fruuntur Deo, vbicunque ille sit.

Responsio Quid paradisi nomine Christus latroni promisit.

Aug.

A Solum superest hoc loco adnotandus locus Cyrilli Ierosolym. ne alicui fortasse sit occasio errandi. In citata enim cat. 13. prædictam expositionẽ eleganter approbans, ex ea infert hunc latronem ingressum fuisse paradisum ante omnes antiquos Patriarchas, atque adeò hunc primum inter homines, post Christum, Deũ clarè vidisse. Sed hæc sententia in rigore non est vera, quia, (vt infra dicemus) ianua regni cœlestis in instãti mortis Christi aperta fuit hominibus, in eodem ergo momento omnes, qui digni erant, neque alio impedimento tenebantur, ingressi sunt, ergo cùm Christus mortuus fuerit ante latronem, necesse est, vt multi fuerint paradisum ingressi ante illum. Neq; ex verbis Christi potest aliud colligi,

Cyrilli Ierosol. dictũ de bono latrone

B quia non dixit latroni, tu solus, vel tu primus eris mecum in paradiso. Neque fortasse Cyrillus voluit oppositum docere: sed solum ponderare huic latroni primũ omnium factam esse promissionem specialem, & datam certam spem ingrediendi paradisum, statim post suum obitum, quod neq; Abrahæ, neque Moysi concessum est. Itaq; verba Cyrilli, licet minus propria sint, intelligenda sunt tamẽ, nõ de proprietate absoluta: sed proportionali, vt ita dicam, idest, hunc latronẽ fuisse primum, qui statim post suum obitum paradisum ingressus est. Atque ita prius proportionaliter ingressum esse, quã omnes anteriores sanctos. Illi enim lõgo tẽpore post mortem: hic verò statim ab instanti suę mortis vidit Deum.

C Sed hac occasione inquiri hic poterat, an hoc sit certum, scilicet, latronẽ hũc statim post obitum admissum fuisse in paradisum, absque vlla mora. Respondetur de fide solum est certum, eo die, quo Christus dixit, ingressum fuisse paradisum. Quod potest intelligi vel de die artificiali, vt sit sensus, *Hodie*, idest, ante solis occasum, vel de die naturali, & ita potest extendi vsque ad mediam noctẽ. Vnde siquis diceret post mortem habuisse hunc latronem aliquid purgandũ, atque ita per aliquot horas fuisse in purgatorio; dum tamen diceret intra illum diem naturalem fuisse in paradiso, nihil diceret contra fidem. Cæterum probabilius, & doctrinæ sanctorum magis consentaneũ, ac denique ferè certũ est, statim sine vlla

Dubium.

Responsio

mora fuisse beatum. Quia credendum est conuersionem adeó miraculosam fuisseita perfectam, vt integram remissionem culpæ, & pœnæ consequuta sit. Itẽ quia opera Christi erant perfecta, & verba eius indicant plenissimam remissionem. Deniq; etiam tormentũ crucis, & cõfractio crurium illi potuerunt ad plenam satisfactionem valere. Et fortasse hoc etiam senserunt Cyprian. & Aug. appellantes hunc martyrem, & baptizatum. Quia scilicet assequutus est plenam remissionem, quæ per baptismum, & martyrium obtineri solet.

Animaboni latronis sine purgatorio paradisumingressa.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

Vtrùm passio Christi sit eius diuinitati attribuenda.

257 4.contr.c. 55. ad 14.

AD duodecimum sic proceditur. *Videtur quòd passio Christi sit eius diuinitati attribuenda. Dicitur enim primæ ad Corinth.2. Si cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Sed dominus gloriæ est Christus secundum diuinitatem, ergo passio Christi cõpetit ei secundum diuinitatem.*

¶ *2. Præterea, Principium salutis humanæ est ipsa diuinitas, secundum illud Psal.36. Salus autem iustorum à Domino. Si ergo passio Christi ad eius diuinitatem non pertineret, videretur quòd non posset nobis esse fructifera.*

¶ *3. Præterea, Iudæi puniti sunt pro peccato occisionis Christi, tanquam homicidæ ipsius Dei: quod magnitudo pœnæ demonstrat. Hoc autem non esset, si passio ad diuinitatem nõ pertineret, ergo passio Christi ad diuinitatem eius pertinuit.*

¶ *Sed contra est, quod Athanasius dicit in Epistola ad Epictetum. Natura Deus manens Verbum est impassibile. Sed impassibile non potest pati. Passio ergo Christi non pertinebat ad eius diuinitatem.*

Incipit hæc Epis. Ego arbitrabar.

¶ *Respondeo dicendum, quòd (sicut suprà dictum est) vnio humanæ naturæ, & diuinæ facta est in persona, & hypostasi, & supposito, manente tamen distinctione naturarum: vt scilicet sit eadem persona, & hypostasis diuinæ, & humanæ naturæ, salua tamen, vtriusque naturæ proprietate. Et ideò (sicut supra dictum est) supposito diuinæ naturæ, attribuenda est passio, non ratione diuinæ naturæ, quæ est impassibilis, sed ratione humanæ naturæ. Vnde in Epistola synodali Cyrillus dicit. Siquis non confitetur, Dei Verbum passum carne, & crucifixum carne, anathema sit. Pertinet ergo passio Christi ad suppositum diuinæ naturæ, ratione naturæ passibilis assumptæ, non autem ratione diuinæ naturæ impassibilis.* q.2.ar.2.ct 3. q.16.art.5 Habetur in prima synodo Ephec.a non.12.

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd Dominus gloriæ dicitur crucifixus, non secundum quòd est Dominus gloriæ, sed secundum quod erat homo passibilis.*

Ad secundum dicendum, quòd (sicut dicitur in quodam sermone Ephesini concilij) mors Christi tanquam facta mors Dei, scilicet per vnionem in persona, destruxit mortem: quoniam Deus, & homo erat, qui patiebatur. Non enim natura Dei læsa est, sed humana, neque mutatione sua suscepit passiones.

¶ *Ad tertium dicendum, quòd sicut subditur ibidem, non purum hominem crucifixerunt Iudæi, sed Deo intulerunt præsumptiones. Pone enim principem loqui per verbum, & hoc formari per literas in charta aliqua, & dirigi ciuitatibus, & aliquis inobediens, chartam disrumpat, ad mortis sententiam deducetur, non tanquam chartam disrumpens, sed tanquam verbum imperiale disrumpens. Non ergo securus sit Iudæus, tanquam purum hominem crucifigens: quod enim videbat, quasi charta erat: quod autem in ea celabatur, imperiale verbum* In illo ser. Cõc. Ephe. fini.

erat

er it natum ex natura, non prolatum per linguam. A

Circa hunc artic. legãtur dicta de communicatione idiomatum in priori tomo.

DISPVTATIO. XXXVII.

In quatuor Sectiones distributa.

De ijs, quæ Christus in cruce pẽdens ante mortem passus, & operatus est.

EXplicata crucifixione Christi, antequam ad eius mortem gradum faciamus, ad huius materiæ complementum operæ pretium visum est nonnulla, quæ dum Christus vixit cruci affixus, acciderunt, & notatu digna sunt, explanare. Nam quædam exillis ad Christi passionem, iniuriasque ei illatas pertinent: quædam verò eius caritatem, & innocentiam demonstrant, quæ in hac passionis causa potissimum perpendenda sunt. Omnia igitur, quæ Euangelistę narrant, ad quatuor præcipua capita redigi possunt. Primum est diuisio, & sortitio vestimentorum Christi â militibus facta. Alterum est tituli crucis impositio: Tertium, quòd aceto fuerit potatus. In vltimo comprehẽdemus verba, quæ Christus in cruce loquutus est, simulque an tunc testamẽtum condiderit, explicabimus. B

SECTIO PRIMA.

Quomodo milites vestimenta Christi interse diuiserint, & quod genus peccati, & iniuriæ hoc fuerit.

DE hoc mysterio duo narrant Euangelistæ. Primum est, milites quædam Christi vestimenta interse diuisisse. Alterum super tunicam inconsutilem misisse sortem. Vtrumque autem (si diuinæ prouidentię rationem spectemus) factum est, tum vt adimpleretur prophetia, vt Euangelista notauit, *Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortẽ.* Tum quia Christus omnibus rebus, ac fortunæ bonis priuari, & spoliari voluit tum propter alias rationes mysticas, quas Patres tradunt, vt statim adnotabimus. Si verò ex parte militum causam considere- C

Diuisio, ac sortitio in vestimentis Christi a Deo cur permissa. Psal.21.

mus Theophy. & Euthy. dicũt, & indicat etiam Chry. milites non ex auaritia, nec propter vestium ęstimationem motos esse ad diuidendas, & sortiendas illas (alioqui idem fecissent de vestibus latronum, quas non est verisimile fuisse viliores,) sed id fecisse in nouam irrisionem Christi, illum subsannando, ac si illa essent vestimenta eo digna, qui se Regem prædicauerat. Sed in primis, vnde constat nõ vsurpasse milites, atque interse diuisisse vestes latronum? Nam quòd Euangelistæ hoc non narrent, nullum est argumentũ, quia ipsi non assumpserũt prouinciam narrãdi omnia, quæ circa illos acta sunt: sed solum attigerunt eà, quæ ad Christi historiam texendam poterant conducere. Deinde, quanuis illa ratio horum autorum cõtemnenda non sit: non est tamen negandum, quin etiam propter vtilitatem suam id fecerint milites. Nam id solet esse veluti stipendium huiusmodi ministrorum, vt notauit Cyrill. lib. 12. in Ioann. capite 32. Vnde, eam etiam ob causam tunicam inconsutilem non diuiserunt: sed sortiti sunt, quia, si scinderetur, omnino redderetur inutilis. Addunt verò nonnulli, ex Procopio Gaza in Genesim capite 28. milites fuisse sollicitos, vt haberent partem vestium Christi, præsertim tunicam, quia sperabant fore in eis virtutem ad depellẽdos morbos. Nam sæpe audierant, & fortasse etiam viderant plurimos, earum contactu in pristinam sanitatem fuisse restitutos. Sed hoc non est verisimile. Huiusmodi.n. spes sine aliqua fide in Christum haberi non poterat: illi autem milites nullam fidem, vel æstimationem de Christo habebant. Quod si fortasse existimabant illum esse virum sanctum, & timore humano, vel cupiditate eum ausi erant occidere, & in eo peccato perseuerabant, quomodo credibile est eos speras se per illius vestes consequuturos esse salutem, aut alia supernaturalia beneficia? Nulla ergo pietatis specie moti sunt ad hoc agendum: sed solum vel propter vtilitatem temporalem, vel vt Christũ irriderent. Ex quo intelligitur actum illum ex parte militum fuisse nouũ peccatum furti, seu rapinæ, præter aliam rationem iniuriæ, quæ esse poterat in irrisione, & contemptu Christi.

Theophyl. Enthym. Chryſ.

Diuisio vestimentorum Christi a militibus cur facta.

Lyra. Proc. Ga.

Sed circa singula aliquid notandum superest. Et primò circa diuisionem. Duo-

bus enim modis fieri potuit, primo absque diuisione alicuius vestis, distribuēdo scilicet integras vestes in quatuor partes : & vnoquoque milite vnam accipiente . Hunc modum refert Euthy. sed non approbat. Primo quia iuxta illum oportebat ad minimum Christum indui quinque vestibus, quod ipsi videtur incredibile. Sed certè (licet id credi non possit de vestibus, quæ totum corpus tegunt, vt sunt toga, vel tunica) tamen si numerentur etiam vestes, quæ tātum partem corporis operiunt, vt sunt thorax, caligæ, & alia id genus, id non est improbabile, neque etiam est incredibile Christum huiusmodi genere vestium fuisse vsum. Secundo verò improbatur ille modus dicendi ex verbis Ioannis. *Et fecerunt quatuor partes vnicuique militi partem, & tunicam, &c.* & infra. *Non scindamus eam*. Quo verbo apertè indicatur, alias vestes fuisse scissas. Præterea quia si facta esset partitio sine scisione, per partiales vestes, potuisset tunica alicui illarum partium annumerari, atque ita non fuisset necesse sortem mittere super eam. Et ideò Euthy. (quem alij recentiores sequuti sunt) probabilius existimat, illam partitionem factam esse scissis vestibus per futuras in quatuor partes, iuxta numerū militum, quos quatuor fuisse rectè hinc deducit Augustin. tract. 118. in Ioann. Et hanc sentētiam docuit Cyrill. cat. 13. ille verò existimat, Christum prēter tunicam non habuisse nisi aliam vestem, quæ necessario diuidēda fuit, cum in sortes nō fuerit missa. Euthy. verò vt minimū existimat fuisse duas prēter tunicā, quia in plurali dicūtur vestimenta diuisa: quod tamē argumētum non est efficax. Quia (vt supra diximus,) quando est Sermo de multis interdum solet, in numero multitudinis referri, quod circa vnum duntaxat gestum est. Atque ita de hoc numero vestiū Christi nihil certi potest affirmari, quanuis de scissione vestium prędicta sententia probabilior videatur.

Euthym. *Partitio vestimentorū Christi inter milites quomodo facta.*

Ioan. 19.

Aug. *Cyril.*

Tertio circa sortitionem, dubitari solet, an sola tunica missa sit in sortē, vel etiā vestes aliæ. Ratio dubij est, quia Ioannes solū de tunica refert dixisse milites, *Non scindamus eam, sed sortiamur*. Et idem videtur colligi ex prophetia Dauid, *Super vestem meam miserunt sortem*. Et ita sentiunt Aug. & S. Tho. in Ioannem. In contrariū vērō est, quia reliqui euāgelistæ dicunt, *Diuidentes vestimenta, miserunt sortes*. Et Marcus addit, *Mittentes sortem super eis quis quid tolleret*. Et ita multi existimāt facta diuisione vestiū in quatuor partes, vt nullus cōqueri posset, sorte definitū esse, quæ pars cuiq; obtingeret. Ita significat Ambros. Luc. 23. dicens. *Diuiduntur vestimenta: alij aliud sorte defertur*. Et Theoph. Mar. 15. & hanc sententiā recētiores amplectuntur. Et videtur certè valde consentanea verbis Marci, quibus indicatur, quidquid vnusquisq; militūaccepit, sorte tulisse. Et perse videtur hoc verisimile, scilicet ad vitādas contentiones, & rixas ad sortes descēdisse. Quia aliàs nullus esset sua parte cōtentus. Et hoc etiā est argumentū, eos in propriā vtilitatē vestes diuisisse. Nec repugnat hæc sententia Ioanni, aut prophetiæ, quia sensus illius est, solā vestē incōsutilē mansisse indiuisam, & tantū sorte alicui obtigisse: cæteras autem vestes diuisas fuisse: non excludit tamen, quin de illis postea iacta fuerit sors.

Dubium. *Ioan. 19.* *Psal. 21.* *Aug.* *D. Thom.* *Mat. 27.* *Luc. 23.*

Marc. 15.

Amb.

Theophyl. *Responsio* *Sortitio super vestes Christi omnes facta.*

Vltimo loco superebat dicēdū de mysterijs, quæ in hac diuisione, & sortitione latuerunt: sed quoniā hoc ad institutū nostrū nō pertinet, videantur de hac re sancti Patres exponētes euāgelia, præsertim Cyrill. Aug. Amb. Chry. & Atha. dicto serm. de pass. & cruce. Duplex verò mysteriū frequētius notatur à Patrib⁹. Primū est, per vestes Christi, Ecclesiam significari. Nā de iustis scriptum apud Isaiam est, *His omnibus tanquam ornamento vestieris*. Ecclesiæ autem amplitudo significata est in quatuor partibus vestimentorum, quæ quatuor orbis plagas significant. Per tunicā autem inconsutilem significata est vnitas Ecclesiæ, vt prēter notatos Patres, notauit Cyprian. libr. de vnitate Ecclesiæ. Alterū est (quod obseruarūt Cyrill. & Atha.) Tunicam inconsutilem significasse carnē Christi, quam quatuor orbis partes impatibiliter interse partiti sunt. Cū quo mysterio rectè quadrat, quod notauit Euthy. vestem illam fuisse à B. Virgine contextā. Addit Ambrosius aliam mysticam significationē quatuor Euangelistarum, sorte diuinæ gratiæ interse gesta Christi diuidentium, quā eleganter persequitur.

Cyr. *Aug.* *Ambr.* *Chryſ.* *Athanaſ.* *Iſai. 49.*

Cyp. *Cyril.* *Athana.*

SECTIO SECVNDA.

Cur fuerit titulus super Crucem Christi impositus.

In

IN narrãda historia huius tituli oẽs Euãgelistæ cõueniũt, sed in modo narrãdi aliquatenꝰ differre videtur. Primo enim Matt. post Christũ crucifixũ, & diuisa vestimẽta, subdit, posità esse *causam super caput eius*. Ioannes verò prius narrat tituli inscriptionẽ, posteaveſtiũ diuisionẽ. Sed hoc nihil affert difficultatis. Quia (vt sæpe diximus) nõ oportet ordinẽ narratio nis ordini rerũ respondere, neq; Euãgelistæ dũ aliquid prius memorant, propterea affirmant factũ esse prius: In certũ tamen hinc relinquitur, vtrũ horum prius fuerit, nec mihi cõstat, an positus sit titulus super crucẽ, postquam in illa elatus in sublimẽ Christus est, an verò prius: verisimile tamen est nõ fuisse positũ, donec iam Christus fuit crucifixus. Vnde si affixus fuit cruci antequã à terra eleuaretur, probabile est tunc etiã fuisse titulũ affixum, nã maiori difficultate, & labore postea affigeretur. Si autẽ Christus affixus est cruci iam erectæ, & eleuatæ in aera, credibilius est finita Christi crucifixione, statim affixũ esse titulum. Vnde vtraque ratione, fit probabile, hũc actũ antecessisse diuisionẽ vestiũ.

Titulus cruci Christi quando impositus.

Dubium.

Quòd si ratio inquiratur, cur titulus causæ fuerit affixus cruci Christi potius, quam crucibus latronum. Responderi potest primo, fortasse etiam eorum cruces habuisse titulos, quia licet Euãgelistæ nõ narrent, tamẽ non inde fit nõ habuisse, vt in simili supra diximus. Quod si ita est, ratio huius inscriptionis reddi poterit. Quia mos erat inscribẽdi causam supplicij. Nihilominus tñ Chrys. hom. 84. in Ioan. ex iis, quæ in inuentione crucis Christi acciderunt, probat latronibus nõ fuisse titulos superpositos. Atq; hinc colligit, non sine speciali Dei ordinatione hoc factũ esse: dicens. *Non parua in hoc dispensatio, sed hinc pẽdet. Cum enim postmodum defossum esset lignum crucis, nulla de eo cura susceptа, cum & fideles timerent, & aliis vacarent, contigit vt diu post perquireretur: & cum tres cruces inuentæ essent, par est, & quia media erat, & propter titulum, Domini crucem agnitam, nam latronum cruces titulum non habebant.* Eandemq; sentẽtiã eisdẽ penè verbis sequutus est Euthy. c. 67. in Matthæ. dicens. *Iuxta Diuinam omnino prouidentiam titulum super solam Christi crucem positum esse.* Et inferius etiam addit, inuentam Domini crucem: *A titulo potissimum fuisse cognitam.* Theoph. verò in Ioan. c. 19. ita hoc explicat, vt dicat, propterea diuina dispensatione factũ esse, vt sola crux Christi titulum haberet, vt postea non ignoraretur, sed per hoc signũ cognosci posset. Sed quidquid de re ipsa sit, ratio verò, quę hos Patres mouit, non videtur multũ vrgere. Primo quidẽ, quia iuxta historiã in Ecclesia magis receptã, & supra indicatam; in crucis inuentione non fuit cognita crux Domini, ab aliisque discreta ex titulo, sed speciali miraculo. Deinde, quia licet demus ex titulo fuisse cognitã, potuit hoc esse, nõ quia aliæ cruces titulis carerent: sed quia diuersas admodum supplicij causas cõtinebant. Quod significauit Ambros. orat. de obitu Theodosij dicens. *Tria patibula confusa reperit: Sed non potuit obliterari Christi triumphus*, & infra. *Inuenit quia in medio patibulo prælatus titulus erat, Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*, & infra. *Habeat ergo Helena, quæ legat, vnde crucem Domini recognoscat.* Ergo licet aliæ cruces titulos haberent, ex varietate inscriptionũ posset satis crux Christi cognosci. Quanuis autem hæc ratio nõ cogat, nihilominus illorum Patrũ opinio per se probabilis est, & potest facile sustineri. Ea verò posita necesse est reddere specialẽ rationem, cur potius Christi causa, quã aliorum inscripta sit. Et fortasse esse potuit, quia eius causa erat insignior, & illustrior. Nã licet fortasse huiusmodi titulus nõ omnibus soleret apponi: probabile tamen est in causis insignibus, hunc morem seruatum esse. Fortè etiam propria, & specialis ratio mouit Pilatum, de qua statim dicam.

Responsio

Latronum crucibus titulus non superpositus fuit.

Chrys.

Euthym.

Theophyl.

Ambros.

Secũdo videtur discordare inter se Euãgelistę in describẽdo hoc titulo, qui causam supplicij Christi cõtinebat. Matt. enim dicit scriptũ esse. *Hic est Iesus Rex Iudeorum.* Marc. tantũ habet, *Rex Iudæorũ.* Luc. *Hic est Rex Iudęorũ.* Ioanes verò. *Iesus Nazarenus Rex Iudęorum.* Dicendũ vero est nullo modo inter se pugnare, cum eandem rem contineant, quanuis diuersis verbis. Ea tamen, quæ Ioannes retulit, sunt reuera ipsamet, quæ scripta fuerunt in titulo, vt nunc etiam conspiciuntur Romæ in templo Sanctæ crucis. Continent autem illæ quatuor voces, primò nomen propriũ, (quod Lucas omisit, & per pronomẽ *hic* illud explicauit.) Quia verò multi eo nomine appellari poterãt, subiunctũ est cognomẽ ex patria sumptum: alia verò duo verba causam continent, quam eisdem verbis omnes Euangelistæ posuerunt. Verbum autem

Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19. Titulus crucis Christi superpositus qui.

autem illud *hic eſt*, (quod Matth. & Lucas A
poſuerunt) formaliter non erat in titulo: erat tamen virtute, & in ſenſu, quem
ipſi explicarunt, potius quàm formalia
Dubium. verba.

Sed hic rurſus inquiri poteſt, cur Pilatus voluerit his verbis cauſam Chriſti deſcribi: Non enim dixit. Hic ſe regem finxit, aut fecit: ſed ſimpliciter eum *regem* appellauit. Et difficultatem auget, quòd, cùm Iudæi conquererentur de huiuſmodi titulo, vellentque inſcribi ipſum dixiſſe, *Rex ſum Iudæorum*: ipſe nihilominus in ſententia perſtitit. Hac de cauſa aliqui exiſtimant Pilatum reuera cognouiſſe, Ieſum eſſe verum Regem, ſicut antea multis verbis ſignificauerat Iudæis dicens: *Ecce Rex veſter*, & rurſus, *Regem veſtrum crucifigam*? Et huic ſententiæ videtur fauere Chry
Chry. *Ioann. 19.* ſoſtom. homil. 84. in Ioan. dum ait, Pilatum ſcripſiſſe hunc titulum, cùm vt Iu- B
dæos vlciſceretur, tum vt Chriſtum excuſaret. *Nam cum eum tanquam prauum tradidiſſet, & ſententiam hanc latronum ſocietate confirmari vellet, ne quis tam turpem mortis notam inurere, & tanquam malum, & perditum eũ accuſare poſſet, vt calumniantium os obſtrueret, in Regem ſuum inſurrexiſſe denuntiat, & tanquam trophæo cuipiam literas inſculpſit, clara voce, & victoriam, & regnum profitentes, quanuis non perfecte.* Sic etiam Auguſtinus
Aug. *Pſal. 56.* Pſalm. 56. dicit hunc titulum ſcriptum eſſe: *Ad exprobrãdam frontem Iudæorum, quod a Rege ſuo manus nõ abſtinuerunt.* Et rurſus poſtquam retulit querelam Iudæorum apud Pilatum de hoc titulo, *Reſpondit* (inquit) *eis Pilatus. Quod ſcripſi, ſcripſi, quid ſuggeritis mihi falſitatem? ego non corrũpo veritatem.* Et ibi latè explicat hoc myſterium prædictum eſſe in titulo illius C
Pſalmi, qui eſt huius modi. *In finem ne corrumpas tituli inſcriptionem.* Nam *illud* (inquit) *ne corrumpas tituli inſcriptionem, non video, quomodo pertineat ad illum Dauid. Non enim aliquis titulus inſcriptus erat ipſi Dauid, quem corrumperet Saul.* Vnde inferius concludit. *Saul ergo, populus Iudæorum erat, Dauid Chriſtus erat, tituius ibi, Rex Iudæorum.* de quo infra iterum redibit ſermo. Et confirmari hoc poteſt, quia Pilatus euidenter cognoſcebat innocentiã Chriſti, quam apertè eſt profeſſus, & alioqui ipſum audierat dicentem, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*. Intellexerat etiam, quid vxor ſua paſſa eſſet propter Chriſtum, ergo non eſt mirum, quòd ſibi perſuaſerit Chriſtum eſſe regem. Cæterum hoc eſt creditu difficile. Primo quia vel Pilatus intellexit Chriſtum iure, licet nõ facto, eſſe regem temporalem Iudæorum & hoc non, quia Chriſtus illi dixit, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, neq; habuit aliquod aliud fundamentum ad hoc credendum. Vel intellexit eſſe regẽ ſpiritualem, & alterius rationis, & (ſi hoc intellexiſſet) non dixiſſet eſſe regem Iudæorũ: ſed totius mundi.

Dici ergo poteſt, Pilatum non intel- *Reſponſio*
lexiſſe Chriſtum eſſe regem eo modo, quo nos credimus eum eſſe Regem, ſcilicet regem cœli, & terræ, & reuera ſupremum dominum totius mundi: aut *Tituli cruetiam Iudæorum*, hæc enim, & ſimilia, *cis inſcrip-*
non poſſunt vllo ſufficienti fundamento *tio talis a*
affirmari. tamen quia certò ſciebat Chriſ- *Pilato cur*
tum eſſe innocentem, vt ſæpe confeſſus *poſita.*
eſt, & ab ipſomet audierat ſe Regem eſſe, non tamen huius mundi, non credidit ipſum mentiri: Sed confuſè intellexit, eum habere inter Iudæos regiam dignitatem alterius rationis à regno temporali, pertinentem ad ritum Iudaicum, ſicut pontifices, & prophetæ habebant inter Iudæos ſingularem excellentiam, & dignitatem. Itaque veriſimile eſt intellexiſſe Chriſtum, iuxta religionem Iudæorum fuiſſe virum, ab illorum Deo miſſum, eiſque datum, vt in rebus ad religionem pertinentibus eos inſtrueret, & gubernaret. Et hoc ſenſu, alio ve ſimili vocaſſe illum *Regem Iudæorum*, atque ita non in Chriſti ignominiam, & accuſationem: ſed potius in excuſationẽ, & honorẽ atq; in Iudęorum opprobrium, & indignationẽ, hunc titulum poſuiſſe. Erat enim illis infenſus, propterea quòd in procurãda morte innocentis, ei fuerant moleſtiſsimi. Et hoc modo explicata hæc ratio eſt ſatis probabilis, quam ex contextu Euangelico *Tolet.*
acutè deduxit noſter Franciſcus Toletus *Ioan. 19.*
capit. 18. & 19. in Ioannem. Alio verò modo poteſt hæc ratio explicari, Pilatum poſuiſſe hunc titulum ex humano timore. Nam quia Iudęi illi comminati fuerãt, *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris.* Voluit quaſi teſtimonio publico oſtendere, & ſatisfacere Cęſari, cp regnũ eius diligẽter defendiſſet. Voluit etiã omnibus ſatisfacere, cur ad mortem damnaſſet hominem, quẽ

inno-

innocentem iudicauerat, scilicet quia accusatus esset, quòd regnum affectasset, aut quòd Regis Iudæorũ nomen vsurpasset. Noluit autem scribere, *Se fecisse Regẽ Iudæorũ*: sed simpliciter, *Rex Iudæorũ*, vel in odiũ ipsorum Iudæorum, quibus hoc displicebat, vel quia nunquam ipsum audierat dicẽtem se esse Regem Iudæorum: sed Regẽ, *qui testimonium perhiberet veritati*, sed ipsos tantum Iudęos audierat hoc illi obijciẽtes, & ideò noluit scribere se, fecisse, aut dixisse Regem Iudęorum: sed simpliciter, & indefinitè, *Rex Iudæorum*. Denique addit Cyrill. Alex. lib. 12. in Ioann. cap. 31. & August. tract. 117. in Ioannem, diuina prouidentia factum esse, ad gloriã Christi, & prophetiarum complementũ, vt Pilatus etiam ignorãs, quid faceret, regnum Christi, Iudæis reluctantibus, publicè profiteretur. Vnde de hoc mysterio intelligit fuisse scriptum in titulo Psal. 56. *Ne corrumpas tituli inscriptionem*. Quòd ita explicuit etiam Nicolaus Papa. 1. Epist. ad Michael. Imperatorem. Vnde sumpsit August. occasionem dubitandi, *Si diuina prouidentia factum est, cur non potius Rex hominum, quam Rex Iudæorum scriptum est?* Et respondet, intelligendos esse in illo titulo Iudęos spirituales, ideſt, fideles, & iustos, qui filij Abrahæ dicuntur ad Galat. 3. & ad Roman. 4. Quod quidem intelligendum est in mystico sensu, fortasse ab Spiritusancto intento. Nam ad literam Pilatus solum intellexit de Iudæis carnalibus, à quibus Christus accusatus erat, quòd ipsorum regnum affectasset.

Tituli crucis inscriptio redũdat in gloriam Christi. *Cyril.* *Aug.* *Psal. 56.* *Nic. Papa.* *Aug.* *Galat. 3.* *Rom. 4.*

Tertio narrant Lucas, & Ioannes hunc titulum scriptum esse Hebraicè, Græcè, & Latinè, quod tamen reliqui Euangelistæ non expresserunt: nec tamen negarunt. Intelligendum autem est, titulum non semel tãtum partim Hebraicè, partim Græcè, partim Latinè: sed ter potius in prædictis idiomatibus fuisse integrè descriptũ. Ita enim omnes expositores docent, & ex ipso titulo, (qui Romæ asseruatur) clarè cõstat. Ratio etiam id persuadet. Vt enim notarunt Aug. tract. 117. in Ioan. Euthy. capit. 67. in Matt. scripsit Pilatus titulum illis tribus linguis, vt ab omnibus gentibus, & nationibus, quæ ad diem festum Ierosolymam venerant, legi posset. Erant enim illę linguę præcipuæ, & frequentiores in orbe, Hebræa propter antiquitatẽ, & quia illius regionis erat propria, Græca propter sapientiam, & eloquentiã Græcorum, latina propter Romanorum potentiam, & gloriam, ergo ad hunc finem necessarium fuit, vt in vnaquaque harũ linguarum integrè scriberetur. In quo etiam significatum fuit Christi regnum pervniuersum terrarum orbem propagatum iri, & omnes gentes, ac linguas Christi obsequio fuisse mancipandas, iuxta illud Daniel. 7. *Dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, & tribus, & linguæ ipsi seruient*, & illud Psal. 71. *Adorabunt eũ omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei*. Et ad Philipp. 2. *Et omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris*. Ita Cyrill. Alex. lib. 12. in Ioann. cap. 30. & significauit Nicolaus Papa loco citato. Addit Theophy. Luc. 23. *Hoc, licet non è mente scribentis, symbolum fuisse, quod potentissimi gentium, quales Romani, & sapientissimi, quales Græci, & religiosissimi, quales Hebræi, regno Christi subijciendi essent*. Et super Ioannem capit. 19. inquit, his linguis significatum esse, *Dominum, regem esse philosophiæ practicæ, naturalis, & theologicæ*, quod fusius prosequitur.

Tituli crucis mystica significatio

Dan. 7. *Psal. 71.* *Philip. 2.*

Cyri. *Nicę. Pap.* *Theophyl.*

Titulus crucis quonam idiomate inscriptus.

Aug. *Euthym.*

SECTIO TERTIA.

Quando, & quomodo vinum, & acetum felle mixtum fuerint Christo ad bibendum data.

RAtio difficultatis est, quia Matt. & Marcus ante crucifixionem narrant datum esse Christo vinum ad bibẽdum, ita enim legimus in vulgata Latina. Nam iuxta Græcam Matt. non dicit, *Vinum*, sed, *acetum*, & ita legunt Græci, Origenes, Chrys. Theophy. & Euthymius. Et præterea interse differunt, Nam Matt. dicit illud fuisse, *Vinũ felle permixtum*, Marcus autem dicit fuisse, *Myrrhatum vinum*, Matt. quoque ait, *Gustasse illud, non tamẽ bibisse*, Marcus verò simpliciter negat accepisse. Post crucifixionem verò ijdem narrant, datum esse Christo acetum ad bibẽdum in spongia: Lucas verò, & Ioannes prætermisso priori potu vini, tantum aceti meminerũt. Ioannes autem in eo enarrando differt à prioribus Euangelistis, cùm dicat acetum datum esse Christo occasione illius verbi, *Sitio*, quod in cruce protulit: alij verò dicuat propinatum

tum illi esse acetum, statim ac dixit, *Eli, Eli, &c.*

Primo igitur omnium certum est, bis vt minimum fuisse Christo potum in passione datum: Id enim expresse habetur ex Marco, & Matth. Vnde mirum est in hoc Lyranum super Matthæ. hallucinatum fuisse. *Lyr.*

Secundò certum est prius, quàm Christus Crucem ascenderet, illi fuisse propinatum vinum ad bibendum, statim ac in montem Caluariæ peruenit, paulo antea, quàm crucifigeretur. Ita enim Matthæus, & Marcus significant, & credibile est, fuisse illius gentis consuetudinem, quando aliquis esset capite plectendus, præsertim in Cruce, quod erat acerbissimum supplicium, vt vinum deferrent, quo possent hominem confortare, ne deficeret. *Ante crucifixionem potus Christo datus.*

Difficultas verò est, an hic potus datus sit Christo semel tantum ante crucifixionē, vel etiam bis, atque adeò, an Matthæus, & Marcus de eodem potu loquantur. Communis sententia affirmat, fuisse eundem potum, qui reuera fuit vinum, vt Marcus ait, & in Matthæ. vel ita est legendum (vt etiam aliquot Græci codices habent) vel si legatur *acetum*, ita dictum est, quia erat vinum acidum, iamque aceti saporem referebat. Illud autem fuit *myrrha conditum* (vt Matthæus dicit) dicitur autem à Marco *cum felle mixtum*, quia vel simul fellem habuit, vel per metaphoram, quia amarissimum erat, dictum est felle mixtum. Hoc autem vinum Christus non accepit, vt Marcus dixit. Quia licet illud degustauerit (vt Matthæ. refert) non tamē bibit, neque in stomachum traiecit. Ita fere hoc explicant, & euangelistas conciliāt Hieronymus, Beda, Anselmus, & Augustinus libro tertio de consensu Euangelistarum capite vndecimo. Aliis verò magis placet Matthæum, & Marcum de diuersis potibus esse loquutos. Quam sententiam indicat Euthymius capit. 67. in Matthæum, & Theophylactus in Marcum, vtranque sentētiam probabilem relinquit. Hanc verò posteriorem opinionem constanter defendit Cæsar Baronius in annalibus, anno 34. noua quadam ratione, quam eleganter, & eruditè persequitur. Dicit enim, vinum myrrhatum non fuisse vinum amarum (vt cæteri omnes scriptores communiter existimant) sed vinum optimum, quod in vasis myrrhinis admixtis variis speciebus condiebatur, vt saporem odoremque gratissimum imbiberet, & ad cōfortandum hominem maiorem vim haberet. Huiusmodi enim vinum in vsu, magno que pretio fuisse apud antiquos, probat ex Plinio libro decimo quarto Historiarum capite duodecimo, & ex Martiali, veteribusque aliis apud quos *myrrhina* appellatur. Ex nominis ergo similitudine coniectat hic autor, huiusmodi fuisse vinum myrrhatum, de quo Matth. loquitur. Vnde consequenter colligit illud non fuisse propinatum Christo ex odio: sed ex commiseratione alicuius, qui id attulerat, vt aliquod solatium Christo, vel etiam aliis damnatis ad mortem afferret. Quod, cùm gustare noluisset, ab aliis (inquit) qui eum odio habebant, vinum felle mixtum ei propinatum est. Et huic sententiæ fauet, quod Lyranus in Matthæ. refert ex traditione Iudæorum, statutum esse à senioribus eorum, vt damnatis ad mortem vinum aromaticum daretur, propter illud Prouerbior. vltimo. *Date siceram mærentibus, & vinum iis, qui amaro sunt animo*. Hæc sententia non est improbabilis, præsertim si (vt Græca frequentius habent) Matthæ. *acetum* scripsit. Non enim placet, vt aceti nomine vinum ad corruptionem tendens, explicemus: alioqui etiam posset eodem modo exponi aliud acetum, quod post crucifixionem ei datum est: & eodem modo posset explicari prophetia, vnde non posset constare verum, & proprium acetum Christo fuisse propinatum. Et eadem ratione non placet, vt apud Matth. nomine *fellis* intelligamus amaritudinem myrrhæ. Non enim metaphoris vti necesse est, vbi proprietas potest retineri verborum: Si verò (vt probabilius est) Matthæ. non *acetum*, sed, *vinum*, scripsit (in quo Græci codices sunt emendandi: facile enim potuerunt corrumpi, propter vocis similitudinem, vt Iansenius notauit) hoc (inquam) posito, facile defendi potest, illud vinum fuisse vnum, & idem, dummodo myrrhatum, & felle mixtum censeatur. Si cui verò placuerit fuisse diuersa, non repugnabit Euangelio, aduersabitur tamen ferè omnibus expositoribus. Rursus an illud vinum myrrhatum fuerit, tam pretiosum

Dubium.

Hieron. Beda. Anselm. Aug. Euthym. Theophyl. Cæs. Bar.

Vinum myrrhinum, seu myrrhatū.

Lyra.

Quale vinū antecrucifixionem Christo datum.

tiosum (vt Baronius scribit) mihi incertũ est, & difficille est criditu tanta diligẽtia, & cura in crucifixorum vsus fuisse cõditum. Nam si dicamus hoc beneficium specialiter fuisse Christo collatũ, propter specialẽ alicuius deuotionẽ: id nõ fit, probabile, cum Psa. 68. de illo scriptũ sit. *Consolantem me quæsiui, & non inueni*, ac statim subdatur, *Dederunt in escã meam fel*, nãlij: qui eũ amore prosequebantur, vel nõ audebãt illi subuenire, vel præ nimio dolore vix poterãt; vel certè intelligebãt nõ fore hoc illi gratum. Si autem dicamus huiusmodi vinum solitũ esse dari hominibus damnatis ad mortem, etiam id difficile credi poterit, præsertim cùm autores scribant illam pretiosam myrrhinam in vasis myrrhinis, quæ sunt pretiosissima, & rarissima admixtis varijs, & pretiosis rebus, solere condiri. Facilius ergo credi poterit, in eo vino admixtum aliquid myrrhæ, non ex odio: sed ex consuetudine, neq; ob delicias, & gustum, (fortasse enim amarũ erat) sed quòd esset efficacius ad confortãdum hominem, & impediendũ, ne vapores caput hominis occuparẽt, vt ibidem ex Aristotele Baronius refert. Nam si hunc effectum efficere potest vas myrrhinum, eundem poterit præstare myrrha vino immixta. Sed hæc sint satis de re incerta, concordia enim Euangelistarum satis ex dictis constat.

Psal. 68.

Arist. Baron.

Dub.

Quæri verò potest, cur Christus illud vinum nõ biberit? De vino felle mixto, ait Theophyl. fuisse mortiferum, & habuisse venenum admixtũ, & quia Christus elegerat mortem crucis, & non aliam, noluisse accipere. Sed hoc non video, quo fundamento dictum sit. Hieronymus ad mysticos sensus recurrit. Ait enim gustasse: sed non bibisse, vt significaret, se mortem gustaturum, non tamen in ea permãsurum. Alij dicunt significasse, gustasse se peccati pœnam, nõ tamẽ bibisse culpam. Fortasse literalis ratio est, quia tunc non indigebat potu, & noluit bibere sine causa. Vel certe noluit tunc extinguere sitim, vt vehemẽtius eam in cruce pateretur. Tum quia hæc maior pœna erat, quã illa, quæ esse poterat in vini amaritudine. Tum etiã, vt in cruce impleretur prophetia, quæ de siti Christi erat prædicta. Si autem vinum myrrhatum erat dulce, & pretiosum, illud nec gustare voluit, cùm vinum felle permixtum saltem gustauerit, vt omnem consolationẽ omnino respueret. Deniq; ipse dixerat in cœna, non gustaturũ vinum vsq; ad mortẽ, quod voluit obseruare.

A

B

C

Tertio dicendum est, Christo iam crucifixo, & in cruce pendenti in spongia propinatum fuisse acetum. Hoc constat ex omnibus Euangelistis. Sed superest inter expositores controuersia, an Euangelistæ omnes de eodem potu loquantur. Et ratio dubij est. Quòd Matt. & Marc. dicunt spongiam fuisse arundini, vel calamo impositam, Ioannes autem inquit: *Illi autem spongiam plenam accto hyssopo circũponentes, obtulerunt ori eius.* Propter quod Cyril. Alexand. 12. lib. in Ioann. capit. 35. docet, diuersas fuisse has actiones. *Alij* (inquit) *calamo, alij ligno hyssopi potũ Iesu offerebant.* Sed hæc dubitandi ratio non cogit ad hoc asserendum, nam si lignum hyssopi satis esse poterat ad sustinendam spongiam, non est difficile intelligere, ipsummet vocari potuisse arundinem, vel calamum, & ita sentiunt Theophy. & Euthy. est tamen perse difficile credere, lignum, seu culmum hyssopi fuisse aptum ad hoc munus, cùm hyssopus herba sit humilis, & mollis, quę non emittit longum, neq; durum calamum, vt videre licet in Plinio lib. 26. capite 4. Dioscoride lib. 3. capite 28. Vnde 3. Reg. 4. de Salomone dicitur, *disputauit super lignis, a cedro, quæ est in Libano, vsq; ad hyssopum, quæ egreditur de pariete*, quasi diceret, quę est minima herba. Quocirca hæc difficultas non tam est de concordia Euangelistarum, quàm de intelligentia Ioannis, quomodo scilicet, potuerit spongia hyssopo circumponi. Quidam igitur dicunt spongiam nõ fuisse impositam hyssopo; sed potius hyssopum mixtum aceto, & spongiam fuisse illo liquore, ex aceto, & hyssopo confecto, imbutam. Hanc interpretationem indicauit Theophy. in Ioannem, & eam defendit Baronius loco citato, quam dicit esse accommodatam textui Græco. Sed plane repugnat verbis Ioannis, cum aperte dicat, spongiam aceto plenam, hyssopo fuisse circumpositam, & non è contra acetum fuisse hyssopo conditum. Et textus Græcus eodem prorsus modo habet, quo Latinus vulgatus. Caietanus ergo respondet

Spõgia accto plena Christo in cruce pendenti oblata.

Mat. 27. Marc. 15. Ioan. 19. Cyril.

Theophy. Euthym.

Hyssopus herba.

Plin. Dipscori. 3. Reg. 4.

Theophyl. Baron.

Caiet.

det spongiam fuisse ligatam calamo, nexu herbæ hyssopi. Sed, vt verba Ioannis melius accommodentur, intelligi potest, in summitate arundinis factum esse ex herba hyssopi, receptaculum quoddam, & veluti canistrum, in quo facile posset immitti, ac sustineri spongia. Atque hac ratione propriſsime intelligitur, simul fuisse spongiam impositam & calomo, & hyssopo. Qui modus fit etiam verisimilis ex eo, quòd accommodatior erat, vt facile posset spongia poni in summitate calami, absque alio vinculo, & nexu.

Hyssopo spõgia quo modo impo sita.

Maiorem rationem dubitandi affert dif ferentia supra tacta in enarratione euangelistarum. Nam Ioannes dicit Christo sitienti, & propria voce sitim explicanti, datum esse hunc potum. Alij verò dicunt, post verbum illud. *Eli, Eli,* &c. quendam ex ijs, qui astabant, per iocum, & irrisionem accepisse spongiam, vt ei potum daret. Propter quam varietatem videtur posse defendi sententia illa Cyrilli, sæpius datum esse acetum Christo in cruce pendenti. Cui etiam fauet modus loquendi Lucę. *Illudebant ei milites accedentes, & acetum offerentes ei, dicentes, si tu es Rex Iudæorum saluũ tefac.* Sed tamen verior sententia est, de eadem re euangelistas esse loquutos. Statim enim post illa verba. *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Christus protulit aliud verbum, quod solus Ioannes scripsit, *sitio,* quod proprie & de siti corporali intelligẽdum est. Reuera enim sitiebat, & (vt Cyrillus supra notauit) naturale ei fuit vehementem sitim pati, quia ab hora cœnæ nihil biberat, & semper vigilauerat, multumque laborauerat, ac vehementi agonia, & tristitia sudorem, ac sanguinem emiserat. Denique cruci affixus ferè totum sanguinem fuderat, ac penè exhaustus fuerat. Quæ omnia ex natura rei acerbam sitim excitare poterant, quam Christus explicare voluit (præter mysticos, & spirituales sensus) vt ostenderet se non solum exterius, sed etiã interius vehementer torqueri. Sciens etiã inde futurum fuisse, vt scripturæ implerentur, dum Iudæi, vel milites mouerentur ad nouam pœnam, & iniuriam illi inferendam in scripturis prædictam, quam ipse non recusabat, quanuis eorum actionem non intenderet. Occasione igitur il-

Dubium.

Ioan.19.

Cyril.

Luc.23.

Responsio Sitis Christi de cruce pendẽtis vnde orta.

Mat.27.

Ioan.19.

A lius verbi á Christo prolati oblatum est illi acetum, quod Ioannes explicuit. Alij euangelistæ, quanuis hoc prætermiserint, non tamen negarunt. Quod autem Lucas in plurali loquitur, intelligendũ est, sicut supra diximus, per syllepsim, seu synedochem. Nam quod fit à multitudine, quanuis per vnum fiat, solet dici factum esse a pluribus.

Sed inquirì hic solet, quomodo tam facile potuerint ad manũ haberi spõgia, aliaque instrumenta necessaria ad dãdum potum Christo iam in crucem acto. Responsio communis Caiet. Iansenij, & aliorum est fuisse consuetudinem deferendi acetũ quo potarent crucifixos, eorumque mortẽ accelerarent. At verò Cæsar Baronius supra, contendit spongiam, acetum, & hyssopum adduci solita vt cruciatus esset productior, & vehementior. Quia illa omnia apta erant ad sistendum sanguinem, siue acetum potaretur, siue vulneribus applicaretur, vt ex Plinio & alijs colligit. Sed ipse in eo discursu supponit acetum illud fuisse hyssopo conditum, quod nobis supra non placuit. Dici tamen in præsentia potest, satis esse, quòd vtcunque sit hyssopo admotum. Nam & perse habet ad hoc virtutem aliquam, & inde potest maiorẽ participare, sicut ex coniunctione etiam cum spongia ad eum effectum dicitur reddi efficacius. Aliud tamen videtur huic sententiæ obstare, quia verisimilius est voluisse milites, & Iudęos mortem crucifixorum accelerare potius, quam retardare, illos quidem, vt sese expedirent, neque cogerẽtur ibi diutius adesse ad custodiam damnatorum: hos verò, quoniam secundum legem oportebat eadem die crucifixos è patibulo deponere. Quæ coniectura magis vrgebat in morte Christi: tum quia ex odio, & timore tumultus, vehementer optabant illum citissimè occidere. Tum etiam, quia erat dies festus. Sed hæ coniecturæ facile solui possunt. Quia milites non poterant immutare eam consuetudinem: si a iudicibus statuta erat, neque Romani Iudęorum legibus astringebantur. Quare cum hæc sententia principijs philosophicis sit magis consentanea, & scripturæ, & Patribus non repugnet, præferenda videtur. Nam etiam Lyranus super Matt. priorem sententiam reijcit. Etenim illa sine vllo fundamento asserit,

Dubium.

Cæs. Bar.

Acetum Christo in cruce datum.

Lyra.

acetũ

acetum potatum habere vim ad acceleran dam mortem.

Dubium. Vltimo tandem circa hunc Christi cruciatum inquiri potest, cur, sicut ad expletionem prophetię propinatum fuit Christo acetum in potum, nõ etiam datum fuit fel in cibum. Vtrumque enim ps. 68. prædictum erat, *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Neq; enim negari potest, quin vtraque pars huius prophetiæ Christum respiciat, cùm vtraq; ab euangelistis de Christo explicata sit. Respondent quidam ex Aug. super psal. 68. illa verba, *Dederunt in escam meam fel*, per modum prouerbij esse intelligenda, idest, incredibili acerbitate dolorũ me cruciarũt. Est enim phrasis hæc in scriptura trita satis, ac peruulgaris. Quam expositionem indicant etiam Theodoret. & Basilius sic exponentes. *Ipsum cibum amarum mihi reddiderunt, quia cibus in dolore, & angustia sumptus, etiam si suauis sit, amarus redditur.* Hæc expositio mihi non probatur, quia non seruat scripturæ proprietatem absque sufficiẽti causa. Alioqui etiam potũ aceti possemus metaphoricè interpretari. Cur enim vnam partem potius quàm aliam proprie intelligemus? Euthymius igitur partim super ps. 68. partim super Matt. multa commentatur, vt explicet hoc esse ad literam impletũ, & dicit fieri potuisse, vel vt aliqui porrexerint Christo fel ad manducandũ, vel fragmenta fellis aridi pro buccella panis, aceto, vinove diluta dedisse. Sed hæc, licet vera esse possint: tamen quia non colliguntur ex euangelio, non videntur probãda. Nam iuxta hanc responsionem seq, litur, saltem ex euangelijs non satis ostendi, illam prophetiam fuisse impletã. Quod videtur esse præter intentionem Matth. qui non sine causa fel nominauit, & expressit, vt communiter expositores ibi intelligunt, & Hieron. ps. 68. & Ruinus in symbolo, & Tertullian. lib. contr. Iudæos cap. 10. Censeo igitur, primam partem illius prophetiæ impletam esse, quando ante crucifixionem datum fuit Christo vinum felle permixtum. Quia etiamsi fel datum sit in vino, verè dicitur datum esse in cibum. Non enim ita sunt intelligenda verba psalmi, *dederunt in escam meam fel*, id est, in cibo meo miscuerunt fel: sed, ipsum fel dederunt mihi in escam: hoc autem verissimè, ac proprissimè dicitur, etiamsi id, quod datur in cibũ vino, vel alteri liquori permixtum, detur, vt sorberi potius possit, quàm comedi, quod satis cõstat ex vulgari, & communi loquendi modo. Verè enim dicitur auis dari in escam, etiamsi comminuta, vel in ius redacta prębeatur. Et hæc est (vt existimo) intelligentia antiquorum Patrum, & propter hanc causam Tertullian. supra ita legit prædicta verba psalmi, *Miserunt in potum meum fel.* Lactantius verô lib. 4 cap. 18. dicit illa verba psalmi impleta esse in cibo, & potu, quæ, antequam Christum Iudæi crucifigerent, illi obtulerunt.

Psal. 68. Aug. Theodore. Basil. Euthym. Mat. 27. Hieron. Ruffin. Tertul. Responsio

Fel Christo in escam quomodo, vel quando datum. Tertul. Lactant.

SECTIO QVARTA.

Vtrum Christus verbis, quæ in cruce protulit, testamentum condiderit.

HAnc propono dubitationem, tum vt occasionem nobis præbeat breuiter explicandi verba, quæ Christus in cruce loquutus est: tum etiam quód ad intelligenda nonnulla scripturæ testimonia, fideique mysteria conducere potest. Est igitur in primis supponendum, testamentum propriè significare vltimam hominis voluntatem, qua de sua hęreditate disponit; vt constat ex communi vsu huius vocis. Quia verò hominis voluntas non fit nota hominibus nisi per aliquod signum, aut instrumentum: ideô ipsum etiam instrumentum, quo voluntas testatoris continetur, ac panditur, *testamentum*, solet appellari, & vtraque significatio ad Deum est in scripturis translata. Voluit enim Deus homines esse particepes hęreditatis suę. Et hanc suam voluntatem varijs modis contestatus est, vnde hæc volũtas Dei hominibus significata, *testamentum* dicitur. Tamẽ, quia hæc voluntas Dei manifestatur homini per modum promissionis non absolutæ, sed conditionatæ, ideo testamentum Dei dicitur etiam fędus, & pactum. Vnde Aug. lib. 1. locutionum de Genesi num. 94. *Amant* (inquit) *scripturæ pro pacto ponere testamentum.* Et ideo vbi Exod. 24. legimus. *Hic est sanguis fœderis*, Paul. ad Heb. 9. citat. *Hic est sanguis testamenti*, & vbi Genes. 17. circuncisio dicitur, *signum fœderis.* Eccles. quadragesimo quarto dicitur. *In carne eius stare fecit testamẽtum.* Rursus quia cõditio, sub qua Deus suam

Testamẽtũ Dei quod sit. Aug. Exod. 24. Hebr. 9. Gen. 17. Eccle. 44.

ſuam hereditatem promittit, eſt obſeruatio mandatorum eius; ipſum etiã Dei præceptum, *teſtamentum* appellari ſolet, vt Ioſue. 7. *Tranſgreſſus eſt teſtamentum meum, quod diſpoſui ad eos*, vt ibi notauit Aug. lib. locutionus in Ioſue. Hinc denique diſtinguntur duo teſtamẽta in ſcripturis *nouum, & vetus*, vt conſtat Ierem. 31. ad Galat 4. ad Hebr 8. quæ diſtinguuntur tum in diuinis promiſsionibus, quæ in teſtamento veteri præcipue erant temporales: in nouo autem ſpirituales, & æternæ: iuxta illud: *Melioris teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſsionibus ſancitum eſt*, ad Hebr. 8. Tum quia illud continebat præcepta externa, & carnalia: hoc autem interna, & ſpiritualia, iuxta illud. *Pactum feriam cum domo Iſrael. Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eã*, ad Hebr. 8. Denique illud ſacramenta habebat egena, & infirma, vnde iubebat: ſed nõ iuuabat, hoc verò habet ſacramenta efficacia gratiæ, quibus plurimum iuuat ad implendum, quod iubet, vt latiſsimè tractat Auguſ. lib. toto de ſpiritu, & litera, præſertim cap. 25. & lib. quæſtionum in Exodũ, quæſt. 166. & lib. 3. contra duas Epiſt. Pelagian. cap. 4. Hinc denique ipſę ſcripturæ, in quibus hęc voluntas, & promiſsiones Dei continentur, *teſtamentum nouum, & vetus* dicuntur, tanquam inſtrumenta Dei voluntatem continentia, & ſignificantia. Præcepta etiam ipſa vetera, & noua poſſunt dici *vetus, & nouum teſtamentum*, ac deniq; ipſa ſacramenta, quæ etiam ſunt ſigna, vel inſtrumenta pacti, promiſsioniſque diuinæ.

Ioſue. 7. Aug. Teſtamentum nouum & vetus. Ierem 31. Galat. 4. Hebr. 8. Ierem. 31. Hebr. 8. Aug.

Secundo ſupponendum eſt, Chriſtum dominum teſtamentum condidiſſe nõ vetus & temporale: ſed nouum, & æternum. Hoc in primis conſtat ex Paul. Hebræ. 7. dicente. *Melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Ieſus.* Vocat autem *ſponſorem*, quia (vt dicebamus) diuinum teſtamentum per modum pacti, & promiſsionis fit, dando leges, & præcepta, & promittendo hæreditatem ſeruantibus ea, & ideò capit. 8. vocat Chriſtum, *Mediatorem noui teſtamenti.* Quia Deus per Chriſtum nouum teſtamẽtum condidit, & bona illius repromiſit, quæ ſuo ſanguine idẽ Chriſtus nobis promeruit, & ideò ſanguis eius dicitur, *Sanguis noui teſtamenti.* Marc. 14. Lucæ. 22. & 1. ad Corin. 11. & ad Hebr. 13. dicitur, *Sanguis teſtamenti æterni.* Quia Chriſtus teſtamentum quod condidit, ſuo ſanguine ita cõfirmauit, vt in æternum duraturum ſit, vel ſimpliciter, quantum ad bona, quæ promiſit, vel vſque ad finem ſæculi, quoad leges, & ſacramenta, quæ ſtabiliuit. Et hinc colligitur, Chriſtum ante mortem ſuam condidiſſe hoc teſtamentum, quia prior debet eſſe inſtitutio teſtamenti, quam mors teſtatoris, teſtamentum enim morte confirmatur, vt Paulus docuit ad Hebr. 9. *Alioquin* (inquit) *nondum valet, quandiu viuit, qui teſtatus eſt.* Vbi de Chriſto domino loquitur, ſupponit ergo Chriſtum, dum vixit, teſtamentum cõdidiſſe. Loquimur autem de teſtamento, vt ſignificat vltimam voluntatem verbis, aut ſignis ſufficienter expreſſam, ſiue ſit ſcriptum, ſiue non, hoc enim nihil ad rem præſentem refert.

Teſtamentũ nouum, & æternum Chriſtus cõdidit. Hebr. 7. Hebr. 8. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11. Hebr. 13. Hebr. 9.

His ergo poſitis dificultas ſupereſt, an Chriſtus dominus in cruce poſitus, hoc teſtamentum condiderit, vel antea. Prima ſententia eſſe poteſt, Chriſtũ in cruce teſtamentum condidiſſe. Primo, quia ſi verba Chriſti in cruce ſpectemus, inueniemus omnia, quæ in prudenti teſtamento condẽdo obſeruari ſolent. Primo enim ſolet is, qui teſtatur, animam ſuam Deo offerre, & cõmendare: hoc Chriſtus in cruce præſtitit. Secundo ſolet, qui teſtatur, ſi ab aliquibus paſſus eſt iniurias, eas in teſtamento remittere, quod etiam Chriſtum in cruce feciſſe legimus. Tertio qui teſtatur, prouidere ſolet filiis, ſi eos habet, vel parentibus, ſi eius ope indigẽt, vel amicis: Chriſtus autem in cruce, & matris curã habuit, & amici Ioannis, ac ſpiritualis filij: vnde Ambroſ. Epiſt 82. in fin. *Teſtabatur in cruce Chriſtus, & inter matrem, atque diſcipulum diuidebat pietatis officia* Denique hæreditatem promittit, qui teſtatur: hanc Chriſtus latroni pollicetur in cruce, & in perſona eius, omnibus in ſe credentibus, ac verè pœnitentibus. Secundo ibi concurrebãt omnes circunſtantiæ ad condendum teſtamentum neceſſariæ. Solet enim teſtamentum, quando neceſsitas, aut periculũ prius non vrget, in finevitę inſtitui: Chriſto autem nullum imminebat periculum, cùm horam mortis ſuę pręſciret, non ergo illi fuit neceſſarium teſtamentum condere ante vltimum vitæ terminum. Fuit autem conueniens vſque ad illud tempus differre, tum vt oſtenderet in ſua voluntate, & conſilio omnia momenta eſſe poſita, tum etiam, vt ſe oſtenderet liberum, ſuiq; iuris,

Prima ſententia. Ambr.

iuris, etiam si clauis fixus, & in hostium potestate, quasi vinctus, & captiuus esse videretur. Deinde, vt testamẽtum eius statim, ac esset absolutum, seu (vt ita dicam) immediate post, morte confirmaretur. Tãdem quia, vt testamentum sit validũ, oportet, vt solenne sit, & coram testibus fide dignis fiat, testamentum autem in cruce institutum, maximam solennitatem habuisse necesse est. Nam publicè, & coram omni plebe fiebat, & in loco alto, ac voce publica, vt à nemine posit ignorari, & coram testibus fide dignissimis, Maria virgine, Ioanne euãgelista, Magdalena, & alijs.

Heb. 8. Tertio tunc Christus condidit testamentum nouum, quãdo abrogauit prius. Quia (sicut Paulus ait ad Heb. 8. *Dicendo nouum, veterauit prius: quod autem antiquatur, & senescit, prope interitum est*, ita nos dicere possumus, instituendo nouum testamentum abrogasse prius. Sed Christus in cruce pẽdens dixit. *Consummatum est*. Quo verbo significauit impletas fuisse omnes prophetias, omnesque vmbras, & figuras, & consequenter consummatum testamentum, quod in illis fundabatur, ergo illo verbo significauit Christus & nouum testamentum fuisse tunc plenè conditum, & antiquum ablatum, vt explicuit D. Th. hic. q. 47. ar. 2. ad 1.

Ioan. 19.

D. Thom.

2. Sentẽtia Secunda sententia esse potest, Christum dominum nõn in cruce, sed in nocte cœnę condidisse testamentum nouum. Hæc videtur antiquorum Patrum sententia. Damas. li. 4. cap. 14. *Cum voluntariam* (inquit) *mortem nostra causa susceperturus esset, ea nocte qua seipsum tradebat, testamentum nouum sanctis suis discipulis, & Apostolis, ac per illos omnibus, qui in eum credunt, instituit.* Indicauit etiã Tertull. lib. 4. contra Mar. cap. 40. vbi de mysterio, quod Christus in cœna perfecit sermonem habens inquit. *Sic, & in calicis mentione testamentum constituit, sanguine suo obsignatum.* Vbi alludit ad verba, quæ Christus in cęna protulit. *Hic est sanguis meus noui testamenti*, illius scilicet, quod ipse tunc condebat. Quod etiam significauit Chrysost. hom. 83. in Matt. dicens: *Hoc ipsum testamentum nouum confirmat. Et quemadmodum vetus pecudes, & vitulos habebat, eodem modo nouum dominicum possidet sanguinem.* Et idem sentit Amb. 1. ad Corin. 11. Secundo hoc idem probatur ex verbis Christi Luc. 22. *hic calix nouum testamentum est in meo sanguine*, vel (vt Matt. & Marcus habent) *Hic est*

Damas.

Tertul. Chrysost. Mar. 4.

Amb. Luc. 22. Matth. 26. Marc. 14.

A *sanguis noui testamenti*, Quo loco omnes expositores Chrys. Theophy, Euthy. Ansel. Ambrosius. aduertunt opposuisse Christum sanguinem suum sanguini hircorũ, & vitulorum, quo antiquum testamentum sancitum est, dicente Moyse. Exodi. 24. *Hic est sanguis testamenti, quem mandauit ad vos Deus.* Sicut ergo Moyses dicẽs illa verba obsignauit vetus testamentũ, ita Christus dicens. *Hic est sanguis noui testamenti*, nouum testamentum obsignauit: Nõ potest autem testamentum obsignari, nisi etiam condatur, ergo ibi etiam conditum est nouum testamentum. Tertio ex ijs, quæ gesta sunt in cęna. Ibi enim Christus præcipua præcepta legis nouæ discipulis tradidit, nimirum præceptum caritatis. *Hoc est*

B *præceptum meum vt diligatis inuicem*, & illud, *Mandatum nouum do vobis*, & præceptũ noui sacrificij. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus etiam verbis vsum præcipui sacramenti præcepit. Ibidem etiã facta est promissio remissionis peccatorũ, quæ virtute continet promissionem gratiæ, & gloriæ, & non est facta vni, vel alteri: sed omnibus præsentibus, & absentibus. *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* In his autem quasi in primis quibusdam capitibus continetur nouum testamẽtum, in quo per se, & essentialiter tantum sunt præcepta fidei viuæ, & sacramentorũ cum promissione æternæ hereditatis. Deinde hoc totum gestum est coram legitimis testibus, qui futuri erant principes Ec-

C clesiæ, *& ministri noui testamenti*, 2. ad Cor. 3. quod ministerium in eadem cœna sunt consequuti. Nam illis verbis. *Hoc facite in meam commemorationem*, ordinati sunt sacerdotes, & *dispensatores mysteriorum Dei*. 1. ad Corint. 4. non debuerunt autem ministri testamenti ante ipsum testamentum initiari, sed in ipso testamento solent instituui. Denique tempus illud aptissimum erat ad testamentum condendum, quia tunc Christus vale dixit discipulis suis, vt ad passionem, & mortem iret. Vnde oportuit, vt prius disponeret ea, quæ ad nouũ testamentum pertinebant.

Mat. 26. Luc. 22. 2 Cor. 3. 1. Cor. 4.

3. Sententia Tertia sententia esse potest; Christum neque in cœna, neque in cruce testamentum condidisse: Sed paulatim in discursu vitæ suæ, præsertim à baptismate, & prædicatione sua. Fundamentum est, quia cõdere testamẽtum nouum nihil aliud fuit, quàm e gẽ nouam ferre sub expressa pro-

missione gratiæ, remissionis peccatorum, A ac regni cœlorum, noua sacramenta, ac nouum ritum colendi Deum instituendo: Sed Christus non præstitit hoc in sola cœna, & cruce, sed prædicto tempore. Nam statim á principio prædicationis cœpit promittere regnum cœlorum, eamq; promissionem sæpissimè in discursu prædicationis suæ confirmauit. Deinde vel in baptismo, vel paulo post, sacramentum baptismi instituit, qui est quasi fundamentum, seu initiũ nouæ legis, & ianua, qua Christi hæreditatem adimus. Rursus alia sacramenta discursu temporis instituit, nec de omnibus constat, quando sunt instituta, quanuis constet de aliquibus. Adhæc pre B ceptum fidei de suo aduentu, ac de diuinitate sua, quæ est vna ex præcipuis conditionibus noui testamenti, multo ante cœnam sufficienter prædicauit, ac promulgauit Christus Dominus, ergo non vno, vel alio definito actu; ac tempore condidit hoc testamentum: sed successione temporis, ac diuersis actionibus. Ex hoc autem discursu (si recte procedit) apertè colligitur, nouum testamentũ non fuisse à Christo integrè conditum ante mortem. Multa enim ex præcipuis, ac valde necessariis, addita sunt post resurrectionem eius, nam eo tempore institutum est sacramentum pœnitentiæ, & præceptum confessionis latum: imò & præceptum baptismi antea C datum non erat. Monarchia etiam Ecclesiastica postea instituta est, & suprema potestas Petro delegata, antea enim solũ erat promissa, hæc autem omnia constituunt integrè nouam legem, seu nouum testamentum.

Vt rem hanc exactè explicemus, duplici ratione Christi personam considerare possumus. Vno modo vt personam publicam, id est, vt caput, & autorem, summumque Ecclesiæ Pontificem, ac legislatorem. Secundo vt personam priuatam habentem propriam aliquam, & specialem cognationem. Sicut enim solet distingui duplex ratio in gratia Christi, scilicet capitis, & priuatæ personę, ita nos hanc duplicem rationem in eius voluntate considerare possumus, & sub vtraque intelligi potest condere testamentum, & declarare vltimam voluntatem suam. Et nouum quidem testamentum proprie condidit vt caput, & Pontifex Ecclesiæ. Quia condidit illud vt legislator, & quatenus virtutem habet ad infundendam gratiam, & gloriam in cohæredes suos. Vt priuata autem persona diceretur condere testamentum: si tantum vt homo ex bonis temporalibus, & humanis aliquid legasset.

Dico ergo primò Christus dominus vt caput, & Pontifex Ecclesiæ nullo modo instituit testamentum nouum in cruce pendens. Hæc conclusio probatur. Quia Christus in cruce nullum verbum protulit, quod ad hoc testamentum condendum pertineat. Quod breuiter ostenditur discurrendo per singula verba, quæ in cruce protulit, quæ septem ab Euangelistis referuntur. *Christus vt caput, & Pontifex Ecclesiæ nouũ testamentũ in cruce nõ condidit.*

Primum est illud, *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Quod retulit Lucas capit. 23. Quibus verbis ostenditur, in primis (vt Irenæus ait lib. 3. contr. Hæres. capit. 20.) longanimitas, patientia, misericordia, & bonitas Christi, dum etiam eos, qui ipsum occidebant excusat, Cyp. pro eisq; orat. Deinde (vt ait Cypria. ser. de passione) ostendit se Christus in verbis illis Pontificem, ac mediatorem inter Deum, & homines. Quia (vt Paul. dicit ad Hebræos. 5.) *Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quę sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis, vt condolere possit iis, qui ignorant, & errant.* Vnde Leo Papa serm. 4. de passione, Passio (inquit) *Christi salutis nostrę continet sacramenta, quam* Dominus Iesus *ita ad omnium suscepit salutem, vt inter clauos, quibus ligno tenebatur affixus, pro interfectoribus suis paternæ clementiæ supplicaret, & diceret, Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Paul. autem ad Hebræ. 5. de Christo Pontifice loquens ait. *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui posset illum saluum facere a morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia.* Exauditus autem dicitur, ad ostendendam vim, & efficaciam illius orationis. Eo enim modo exaudita fuit oratio, quo Christus exaudiri voluit. Vnde licet, non omnibus crucifixoribus dimissum sit peccatum: nihilominus tamen oratio Christi suum effectum consequuta fuit, quia Christus (vt ait Theoph. Luc. 23.) non absolutè voluit omnibus dimitti: sed omnibus, qui illius pœnitentiã agerent. Vnde Hiero. in illa verba Isa. 27. *Id circo super hoc dimittetur iniquitas domui Iacob. Propter hoc* (inquit) *id est, propter* *Prima Christi in cruce pendentis vox.* *Luc. 23.* *Iren. orat.* *Cyp.* *Heb. 5.* *Leo Papa.* *Hebre. 5.* *Oratio Christi de cruce pręcantis exaudita quomodo.* *Theophyl.* *Hiero.*

Christi

Christi orationem, auferetur peccatum eius, si A *voluerit agere pœnitentiam, & merebitur benedictionem Dei, qui sibi male dictionem fuerat imprecatus, dicens: Sanguis eius super nos & super filios nostros.* Itaq; ea oratione & veniã pœnitentibus obtinuit, & auxilium sufficiens, quo pœnitere possent. Adde etiam ex D. Thom supra quæst. 21. artic. 4. ad 2. & Euthy. Luc. 23. illa oratione obtinuisse Christum efficax auxilium ad peccati remissionem cum effectu consequendam: hoc tamen modo non esse factam pro omnibus, sed pro prædestinatis tantum: & hoc sensu videtur dixisse Leo Pap. sermo. 11. *De eius orationis potentia fuisse, vt prædicatio Petri Apostoli ex iis, qui dixerunt, sanguis eius super nos, & super filios nostros,* B *multorum ad pœnitentiam corda conuerteret, & vno die baptizarentur tria fere millia Iudæorum, fieretque cor vnum, & anima vna: paratorum iam pro eo mori, quem poposcerant crucifigi.* Et ita etiam censent multi, confessionem latronis, & centurionis, & eorum, qui *reuertebantur percutientes pectora sua*, huic Christi orationi esse adscribendam. Denique multi existimant, propter hanc Christi orationem, Iudæorum supplicium per quadraginta, & eo amplius annos dilatũ esse, vt possent (si vellent) pœnitentiam agere, suiq; peccati remissionem consequi. Quod indicat Cypri. supra, vbi copiose, & eleganter de huius orationis efficacia tractat. At verò in huius orationis verbis nihil est, quod ad testamentum nouum cõdendum pertineat, quia licet Christus exemplum nobis dederit pro inimicis orandi: non tamen illis verbis aliquid præcepit, vel promisit, vel aliquem noui testamenti ritum instituit.

Luc. 23. D. Thom. Euthym. Leo Papa.

Secunda Christi pendẽtis in cruce vox. Luc. 23.

Secundum verbũ Christi in cruce fuit ad latronẽ: *Hodie mecum eris in paradiso*, de quo multa in superioribus dicta sunt. Et hoc etiã fuit quidẽ verbũ summi Pontificis, qui potestatẽ habebat excellẽtiæ ad remittenda peccata, & dandi gratiã, ac perseuerantiã in illa, atq; adeò promittendi regnũ cęlorũ: sed neq; hoc verbũ aliqua ratione ad nouum testamentũ condendum spectauit. Sicut etiam, cũ dixit Magdalenæ *Remittuntur tibi peccata tua*, ille fuit quidam actus potestatis excellentię, & remissionem peccatorum per eum pręstitit: non tamen propterea ad institutionem noui testamenti pertinuit.

Luc. 7.

Tertium verbum Christi fuit ad matrẽ. *Mulier, ecce filius tuus*, Et ad Ioannem, *Ecce mater tua*. Quod quidem fuit verbum pietatis, & caritatis, quo ostendit quanta cura, & solicitudine res matris curabat, quantumq; dolori eius: & orbitati compatiebatur. Fuit etiam (vt August. dicit tract. 119. in Ioannem) exemplũ, quo docuit, quomodo sint honorandi parentes. Per se autem constat illa verba nihil pertinuisse ad noui testamenti institutionẽ. Imò neq; illis verbis explicuit Christus aliquem actum pertinentem ad ipsum, vt caput Ecclesiæ, seu vt personam publicam: sed fuit actus personæ priuatæ: quæ curam gerebat matris suæ. Quanquam enim Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 34. reprehẽdat eos, qui dicunt Christum carnis coniunctione cõmotum fuisse, tamen non videtur negandum, quin propter specialẽ coniunctionẽ, quam secundũ naturam humanam Christus habebat cum Virgine, specialem illius curam gesserit, vt Augustin. supra docuit. Chryso. Theophyl. & Euthy. in Ioãnem. Neq; ipse Cyrillus hoc negare potuit. Nã statim subdit, illo actu, & reipsa nos docuisse Christũ honorandos esse parentes, ergo tunc Christus loquutus est ad Virginem, vt ad parentem. Imò Chryso. ait, hoc facto obstruxisse Christum os Marcionis. *Nam, si non esset genitus* (inquit) *secundũ carnem, neque matrem habuisset, cuius gratia tantã circa eam solam habuisset prouidentiam?* Vnde eleganter Cyprian. serm. de passione Domini. *Considero te in cruce de matre solicitum, cui volẽti loqui tecum, cum euangelizares, negaueras retroactis diebus colloquium. Nunc materno moueris affectu, & thalamum humanitatis tuæ cubiculario dilecto commendas, & prouides sedulo benedictæ inter mulieres apostolicã clientelam, & obsequium virginis, virgini discipulo tradis.* Sensus ergo Cyrilli est, Christũ non fuisse commotũ exsensibili affectu, sed ex ratione dictante matrẽ esse honorandam. Cur autẽ Christus cõmuni nomine *mulieris* Virginẽ appellarit, dixi superius disput. 1. huius tomi: sect. 1. Quam etiam ob causam, eam potius Ioanni, quã alteri cõmendauerit, alterius negotij est. Dici autẽ potest breuiter, mortuũ iã tũc fuisse Iosephũ (vt in superioribꝰ diximus) ex Apostolis verò solũ Ioannẽ affuisse cruci, & sua cõstantia, & amoris significatione tãtum honorem, tantumq; beneficium meruisse:

Tertia Christi de cruce pendentis vox. Ioan. 19. Aug. Cyril. Aug. Theophyl. Euthym. Chryso. Cyprian.

ad quod etiam plurimum contulit singularis eius puritas, & virginitas, & quôd, (vt par est credere) singulari amore Virginem prosequeretur, & (quod caput est) quôd eum Christus vnicè diligebat. Neque verò defuere quidam, qui affirmarēt, & scriptis proderent, tam efficacia fuisse illa Christi verba, vt proprium, ac Physicum effectum effecerint, quem significabāt, ita vt veras, & physicas relationes matris, & filij, Virgini, Ioannique impressse rint. Sed hoc fictitium est, & impossibile. Quia relationes non possunt imprimi sine fundamento. Illud tamen verisimile est, Christum illis verbis impressisse Virgini, & Ioanni singularem quendam mutuum affectum maternum, ac filialē. Sed de hoc alias.

Matth.27. Marc. 15.

Quartum verbum est, *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* De cuius sensu nihil hoc loco dicā, quoniam illud satis tractaui in priori tomo, disput. 33. sect. 1. & inferius dis. 38. sect. 2. iterū de illo sermo redibit. Certum ergo est verbum hoc, cùm nec promissionem, nec præceptum contineat, ad rationem testamenti nullo modo pertinere: sed solum fuisse quandam ostēsionem grauissimi doloris, & afflictionis, quam Christus patiebatur in inferiori parte absque vllo solatio, quod in eam redundaret, Et eadem ratio est de quinto verbo, *sitio*, de quo in præcedenti sectione multa diximus. Vtrumque enim fuit prolatum tantùm ad explicandum dolorem animi, & corporis, vt vtriusque veritas, & acerbitas pœnę manifestaretur.

Quarta, & quinta Christi pendētis de cruce vox.

Ioan. 19.

Sextum verbum, *consummatum est*, nullam institutionem continet, nec promissionē, aut præceptum: sed solam testificationem Christi, quòd iam prophetiæ completæ essent, quæ de passionibus prædictæ erāt. Ac si diceret, nihil aliud iam superest in mea passione implendum, sicut Lucæ. 18 dixerat, *Ecce ascendimus Ierosolymā, et consummabuntur omnia, quæ dicta sunt a prophetis de filio hominis.* Hic est enim sensus literalis, illius verbi, quod Christus protulit, vt significaret mortem suam non casu accidere, sed eo tempore, ac modo, quo â Deo prę-ordinata erat, & prædicta. Quod autem testamentum vetus consummaretur, ideſt aboleretur, consequutum quidem est ex morte Christi, hoc tamen non est propriè illo verbo significatum. Quia nec verbū,

Sexta Christi de cruce pendentis vox.

Luc. 18.

A *Consummatum est*, id propriè significat, nec tunc, quando Christus illud protulit, testamētum vetus exoleuerat: sed paulò post in morte eius abrogatum est.

Septimum verbum fuit, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, Quod statim præ se fert nihil continere subsese, quod ad institutionem testamenti noui pertineat, neque prolatum esse à Christo, vt exerceret aliquod munus capitis, & Pontificis: sed solum vt ostenderet affectum, pietatem, ac reuerentiam, quam erga patrem habebat suum. Et aduenisse iam tempus, de quo ipse prædixerat Ioannis. 16. *Exiui a Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Et vt confutaret hæreticorum blasphemiam, qui propter superiora verba, *Deus Deus meus*, &c. desperationem illi imponere ausuri erant. Nam in hoc verbo ostendit summam certitudinem, & securitatem quòd suus spiritus esset sub tutela, & protectione Dei. Hoc enim proprie metaphorica illa locutio significat, iuxta illud sapientiæ. 3. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis: visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace* & Deu. 33. *Omnes sancti in manu illius sunt.* Addunt etiam aliqui eo verbo indicasse Christum certitudinem suę resurrectionis. Nam verbum illud *commendandi*, iuxta proprietatem verbi Græci, significat traditionem alicuius rei, veluti in depositum, vt seruetur, & post exiguum tempus restituatur.

Septima Christi pēdentis in cruce vox. Luc. 23.

Ioan. 15.

Sap. 3.

Deut. 33.

C Ex his ergo omnibus satis constat, nullum in verbis Christi prolatis in cruce, vestigium fuisse institutionis testamenti noui, cùm tamen de ratione testamenti sit, vt proprijs, & claris verbis instituatur. Dicet aliquis non verbo, sed facto ipso instituisse testamentum nouum, proprium sacrificium offerendo, quo testamentum illud confirmatum est. Sed hoc nullius momenti est, quia aliud est obsignare testamentum, aliud condere, sicut etiam inter homines testamentum morte cōfirmatur, ideſt, stabile, & irreuocabile fit: non tamen in ipsa morte fit, sed factum supponitur. Adde (quod infra ostendemus) illud sacrificium crucis non fuisse sacrificium proprium nouæ legis, vt propter solum illud possit dici, aliquo modo tunc esse testamentum nouum conditum.

Obiectio.

Responsio

Dico

Dico secundo Christus dominus, vt caput, & princeps Ecclesiæ præcipuè condidit nouum testamentum in cœna quoad id, quod in eo est præcipuum, quanuis aliqua, quæ ad illius integritatem pertinent, aliis temporibus instituerit. Priorem partem huius assertionis probant, quæ adduximus in secunda sentẽtia. Et potest breuiter ita explicari. Quia tunc aliquis propriè dicitur instituere testamentum, quando aliquibus relinquit omnia bona sua, sed Christus in cœna reliquit Ecclesiæ suum corpus, & sanguinem, atque se ipsum totum; in quo & omnes diuitiæ eius, & omne bonum continetur: vbi non incommodè applicari potest illud Zach. 9. *Quod est bonum eius, & quod pulchrum eius, nonne frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Deinde tunc etiam promisit Ecclesiæ suum spiritum, & præcipua præcepta tradidit (vt supra dicebamus) ac denique noui testamenti expressam mentionem fecit, ergo sine dubio tunc præcipuè condidit testamentum nouum, quod suo etiam sanguine tunc incruentè immolato sanciuit: postea verò in sacrificio cruento omnino stabiliuit, ac confirmauit. Posterior pars assertionis satis probatur ex iis, quæ in tertia sententia adducta sunt. Nam cùm testamentum nouum multa contineat, potuit pro ratione diuinæ sapientiæ tẽporibus opportunis quoad diuersa præcepta, & sacramenta paulatim, & successiuè perfici. Neque est inconueniens, testamentum hoc prius fuisse morte testatoris confirmatum, quàm fuerit omni ex parte absolutum, quia hoc ipsum indicium fuit, testatorem non diu fuisse inter mortuos permansurum, sed paulò post ad vitam rediturum, atq; omnibus rebus suis vltimam manum impositurum, antequam in cœlum ascenderet.

Christus vt caput, & princeps ecclesiæ nouũ testamentũ præcipue in vltima cœna cõdidit.

Zach. 9.

Dico tertio Christus, vt priuatus homo propriè testamentum non condidit. Quia nulla bona temporalia habuit, de quibus disponeret: si autem aliquid egit, quod vmbram testamenti haberet, illud potius in cruce, quàm alibi factum reperitur. Hoc probant adducta in prima opinione, & nihil amplius. Atque hęc de Christi passione sufficiant.

Christus vt priuatus homo testamẽtũ proprie non condidit.

(?)

QVAESTIO XLVII.

De causa efficiente Passionis Christi, in sex articulos diuisa.

DEinde considerandum est de causa efficiẽte passionis Christi. ¶ *Et circa hoc quærũntur sex.*

¶ *Primò, Vtrum Christus fuerit ab aliis occisus, vel à seipso.* ¶ *Secundo, ex quo motiuo seipsum passioni tradiderit.* ¶ *Tertio, Vtrum Pater tradiderit eum ad patiendum.* ¶ *Quarto, Vtrum fuerit conueniens, vt per manus Gentium pateretur, vel potius à Iudæis.* ¶ *Quinto, vtrum occisores eius cum cognouerint.* ¶ *Sexto, de peccato eorũ, qui Christum occiderunt.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Christus fuerit ab alio occisus an a seipso.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod Christus non fuerit ab alio occisus, sed à seipso. Dicit enim ipse, Ioannis, 10. Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam. Ille autem dicitur aliquem occidere, qui animam eius tollit. Non est ergo Christus ab aliis occisus, sed à seipso. 258 *Infr. q. 50 ar. 1. ad 2. & q. 51. a. 3 cor. Et op. 3. c. 337 & 338.*

¶ *2. Præterea, Illi qui ab aliis occidũtur, paulatim debilitata natura deficiunt, & maximè hoc apparet in crucifixis: vt enim dicit Augustin. in 4. de Trinitat. longa morte cruciabantur ligno suspensi, In Christo autem non hoc accidit: nam clamans voce magna, emisit spiritum: vt dicitur Matthæ. 27. Non ergo Christus est ab aliis occisus, sed a seipso.* *li. 5. ca. 13. paulo post prin. to. 3.*

¶ *3. Præterea, Illi qui ab aliis occidũtur, per violentiã moriuntur, & ita nõ volun-*

tariè: quia violentum opponitur voluntario. Sed Augustin. dicit in 4. de Trinit. quod spiritus Christi non deseruit carnem inuitus, sed quia voluit, quando voluit, & quomodo voluit. Nō ergo Christus est ab alijs occisus, sed à seipso.

¶ Sed contra est, quod dicitur Luc. 18. Post quam flagellauerint, occident eum.

¶ Respondeo dicendum, quòd aliquid potest esse causa alicuius effectus dupliciter. Vno modo directè ad illud agendo. Et hoc modo persecutores Christi eum occiderunt, quia sufficientem causam mortis, ei intulerunt, cum intentione occidendi ipsum, & effectu subsequente: quia scilicet ex illa causa est mors subsecuta. Alio modo dicitur aliquis causa alicuius indirectè, scilicet quia non impedit cū impedire possit, sicut si dicatur aliquis aliū perfundere, quia nō clausit fenestrā per quàm imber ingreditur. Et hoc modo ipse Christus fuit causa suæ passionis, & mortis: poterat enim suam passionem, & mortem impedire. Primò quidem, aduersarios reprimendo, vt eum aut non vellent, aut non possent interficere. Secundò quia spiritus eius habebat potestatem conseruandi naturam carnis suæ, ne à quocū que læsiuo inflicto opprimeretur. Quod quidem habuit anima Christi, quia erat Verbo Dei cōiuncta in vnitate personæ, vt Aug. dicit in quarto de Trini. Quia ergo anima Christi nō repulit à proprio corpore nocumētum illatum: sed voluit quod natura corporalis illi nocumento succumberet, dicitur suam animam posuisse, vel voluntariè mortuus esse.

li. 4. ca. 13 de Tri. to. 3

¶ Ad primū ergo dicēdum, quòd cùm dicitur. Nemo tollit animam meam à me intelligitur, me inuito: quod enim aliquis ab inuito aufert, qui resistere non potest, illud propriè dicitur tolli.

¶ Ad secundum dicendum, quòd vt Christus ostenderet, quòd passio illata per violētiam, eius animam non eripiebat, naturam corporalem in sua fortitudine conseruauit, vt etiam in extremis positus voce magna clamaret, quod inter alia miracula mortis eius computatur. Vnde dicitur Marc. 15. Videns autem Cēturio qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait. Vere hic homo filius Dei erat. Fuit etiam & mirabile in Christi morte, quòd velocius mortuus fuit alijs, qui simili pœna afficiebantur. Vnde dicitur Ioā nes 19. quòd eorum, qui cum Christo crucifixi erant, fregerunt crura, vt cito morerentur: ad Iesum autem cùm venissent vt viderunt eum iam motuum, non fregerunt eius crura. Et Marc. 15. dicitur, quòd Pilatus mirabatur, si iam obijsset. Sicut enim eius voluntate, natura corporalis conseruata est in suo vigore vsque ad extremum: sic etiam quando voluit, subitò cessit nocumento illato.

¶ Ad tertium dicendum, quòd Christus simul & violentiam passus est, vt moreretur, & tamen voluntariè mortuus fuit: quia violentia corpori eius illata est, quæ tamen tantum corpori eius præualuit, quantum ipse voluit.

COMMENTARIVS.

MAteria huius art. per se est perspicua, solum est aduertendum, cùm D. Tho. dicit Christum fuisse causam passionis, & mortis suæ non directā: sed indirectam, non loqui de causa propria, seu morali, sed de causa tantum per accidens physicē loquēdo. Nā vt aliquis dicatur causa simpliciter, & moralis alicuius effectus, non satis est, quòd possit effectum impedire, & non faciat: sed oportet vt etiā teneatur, quia alioqui effectus nō imputatur, nec moraliter reputatur voluntarius: Christus autem dominus, licet potuerit suam mortem vitare, non tamen tenebatur. Quia licet homo semper teneatur non se occidere, non tamen tenetur semper custodire vitam, cùm possit: sed potest eam exponere propter graues causas, sicut Christus eam exposuit pro hominum redemptione.

Dubium. Caietan. Scot.

Dubitat autē hic Caiet. quomodo verū sit, potuisse Christum vitare mortem suā. Quia

Scot.

Quia Scot.in 3.dist.16.quæs.2.hoc negare videtur. Sed non video hic specialem quæstionem de morte potius, quã de aliis defectibus,seu passionibus corporis , de quibus generatim dictum est superiori tomo,disp.32.sect.3. Et summa omnium est, voluntatem Christi per vires suas naturales non potuisse vitare dolorem, passiones,& mortem, vbi semel corpori sufficiẽtes causæ naturales horum effectuum essent applicatæ. Et hoc sensu existimo loquutum Scotum,eumque Caietan.admittit,nequevllus catholicus potest in dubiũ reuocare. At verò voluntas Christi,vt organũ Verbi poterat multis modis hos effectus impedire,quod etiam constat, suppositis instrumentaria virtute , quam anima Christi habuit ad supernaturales effectus. Scotus autem, quia virtutẽ hanc instrumentariam propriam,& physicam non admittit, nihil de hac potestate loquutus est:non tamen credo,negaret,quin eo modo, quo Christus faciebat alia miracula, posset etiam hoc facere,si expediret. Occurrebat tamen hic quæstio, quam Diuus Thom. attingit in solut. argument. quomodo de facto mors, seu separatio animæ Christi à corpore facta sit, & vtrum ad illam aliquid anima Christi directè,& positiuè fuerit cooperata. Sed hoc pertinet propriè ad disputationem de morte Christi, quam infra circa quæstionem. 50. instituemus.

Responsio Christus vitare mortẽ suam quomodo potuit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Christus fuerit ex obedientia mortuus.

259 Inf.q. 48. ar.2.& 3. co.Et 4 cõtra.c.55 ad 13.& 16. Et op.3.c. 234.Et Ro.5.l 2 fi.& lib.5. co.5.fi.

AD secundum sic proceditur. *Videtur,quod Christus nõ fuerit ex obediẽtia mortuus. Obedientia enim respicit præceptum. Sed non legitur Christo fuisse præceptum, quòd ipse pateretur. Non ergo ex obedientia passus fuit.* ¶ 2. *Præterea, Illud dicitur aliquis ex obedientia facere, quod facit ex necessitate præcepti. Christus autem, non ex necessitate, sed voluntariè passus fuit. Non ergo passus est ex obedientia.* ¶ 3. *Præterea, Caritas est excellentior virtus, quàm obediẽtia.*

A *Sed Christus legitur ex caritate passus: secundum illud Ephes.5. Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. Ergo passio Christi magis debet attribui caritati, quàm obedientiæ.* ¶ *Sed contra est, quod dicitur Philip.2. Factus est obediẽs Patri vsque ad mortem.*

¶ *Respondeo dicendum, quòd conuenientissimum fuit, quòd Christus ex obedientia pateretur. Primò quidem, quia hoc conueniebat iustificationi humanæ: vt sicut per vnius hominis inobediẽtiam peccatores constituti sunt multi, ita per vnius hominis obedientiam, iusti constituantur multi, vt dicitur Roman. 5. Secundo hoc conueniens fuit reconciliationi Dei ad homines. Vnde dicitur Roma. 5. Reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, in quantum scilicet ipsa mors Christi fuit quoddam sacrificium acceptissimum Deo: secundum illud Ephes. 5. Tradidit ipsum pro nobis, oblationem,& hostiam Deo in odorem suauitatis. Obedientia verò omnibus sacrificiis anteferetur, secundum illud Primi Reg.15. Melior est obedientia quàm victimæ. Et ideo conueniens fuit, vt sacrificium passionis,& mortis Christi ex obedientia procederet. Tertiò hoc conueniens fuit eius victoriæ, qua de morte,& autore mortis triumphauit. Non enim miles vincere potest, nisi duci obediat, & ita homo Christus victoriam obtinuit, per hoc quod Deo fuit obediens: secundum illud Prouer. 11. Vir obediens loquetur victorias.*

B

C

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd Christus mandatum accepit à Patre, vt pateretur: dicitur enim Ioan.10. Potestatem habeo ponendi animã meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam, & hoc mandatum accepi à Patre meo, scilicet ponendi animam,& sumendi eam. Ex quo (vt Chrysost. dicit) non est intelligendum, quod prius expectauerit audire,*

hom.59.in Ioã.in pag. 3 a princi. to.3.

& opus ei fuerit discere: sed voluntariũ monstrauit prôcessum, & contrarietatis ad Patrem suspicionem destruxit. Quia tamẽ in morte Christi lex vetus consummata est (secundum illud quod ipse moriens dixit Ioan. 19. Consummatum est) potest intelligi quòd patiendo, omnia veteris legis præcepta impleuit. Moralia quidem, quæ in præceptis caritatis fũdãtur, impleuit in quantum passus est, & ex dilectione Patris (secundum illud Ioan. 14. Vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, surgite eamus hinc, scilicet ad locum passionis) & etiam ex dilectione proximi: secundum illud Gal. 2. Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Cæremonialia verò præcepta legis, quæ ad sacrificia, & oblationes præcipuè ordinantur, impleuit Christus sua passione, in quãtũ omnia antiqua sacrificia, figuræ fuerũt illius veri sacrificij, quod Christus obtulit, moriẽdo pro nobis. Vnde dicitur Colo. 2. Nemo vos iudicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomœnie, quæ sunt vmbra futurorũ, corpus autem Christi: eo scilicet, quòd Christus cõparatur ad illa, sicut corpus ad vmbrã. Præcepta verò iudicialia legis, quæ præcipuè ordinantur ad satisfaciendam iniuriam passis, impleuit Christus sua passione: quoniam (vt in Psa. 68. dicitur) quæ nõ rapuit, exoluit, permittẽs se ligno affigi, pro pomo, quod de ligno homo rapuerat contra Dei mandatum.

¶ Ad secundum dicendum, quòd obediẽtia etsi importat necessitatẽ respectu eius quod præcipitur, tamen importat voluntatem respectu impletionis præcepti, & talis fuit obedientia Christi. Nam ipsa passio, & mors secundum se cõsiderata, naturali voluntati repugnabat: volebat tamẽ Christus Dei voluntatem circa hoc implere: secundum illud Psalm. 39. Vt facerem voluntatem tuam Deus meus volui. Vnde dicebat Matth. 26. Si nõ potest transire à me calix iste, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

¶ Ad tertium dicendum, quòd eadẽ ratione Christus passus est ex caritate, & obediẽtia: quia & præcepta caritatis ex obedientia impleuit, & obediẽs fuit ex dilectione ad patrem præcipientem.

Materia huius ar. diligenter disputata est in priori tomo. disput. 43. sect. 1. 2. & 3. & quia hic nihil addendum occurrit, nihil etiam repetendum esse censeo.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Deus pater tradiderit Christum passioni.

AD tertium sic proceditur, Videtur, quòd Deus pater non tradiderit Christum passioni. Iniquũ enim, & crudele videtur esse, quòd innocens passioni, & morti tradatur. Sed, sicut dicitur Deu. 32. Deus fidelis, & absque vlla iniquitate. Ergo Christum innocentẽ nõ tradidit passioni, & morti. ¶ 2. Præterea, Nõ videtur, quòd aliquis à seipso, & ab alio morti tradatur. Sed Christus tradidit semetipsum pro nobis: secũdum quod dicitur Isa. 53. Tradidit in mortem animam suam. Non ergo videtur, quòd Deus pater eum tradiderit. ¶ 3. Præterea, Iudas vituperatur ex eo, quòd tradidit Christũ Iudæis: secundum illud Ioan. 6. Vnus ex vobis diabolus est: quod dicebat propter Iudã, qui eum erat traditurus. Similiter etiã vituperantur Iudæi, qui eum tradiderũt Pilato: secundum quod ipse dicit Ioan. 18. Gens tua, & Pontifices tui tradiderũt te mihi. Pilatus etiam tradidit ipsum, vt crucifigeretur, vt habetur Ioan. 19. Non est autẽ participatio iustitiæ cum iniquitate, vt dicitur 2. ad Cor. 6. Ergo videtur quòd Deus pater non tradiderit Christũ passioni. ¶ Sed contra est, quod dicitur Ro. 8. Proprio filio suo nõ perpercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum.

¶ Respon-

260 3. d. 20. ar. 5. q. 1. Et quol. 1. ar. 3. fi. & Matth. 26. co. 2.

Ar. præce. ¶ *Respondeo dicendum, quòd (sicut dictum est) Christus passus est voluntariè ex obedientia Patris. Vnde secundùm tria Deus pater tradidit Christum passioni. Vno quidem modo, secundum quod sua æterna voluntate præordinauit passionẽ Christi ad humani generis liberationẽ, secundum illud quod dicitur Isaiæ. 53. Dominus posuit in eo iniquitatem omniũ nostrum: & iterum, Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Secundò, in quantum inspirauit ei voluntatẽ patiẽdi pro nobis, infundendo ei caritatẽ. Vnde ibidem sequitur, Oblatus est, quia ipse voluit. Tertiò, nõ protegendo eum à passione, sed exponẽdo persequẽtibus. Vnde & legitur Matth. 27. quòd pendens in cruce Christus dicebat, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? quia scilicet potestati persequentium eũ exposuit, vt Aug. dicit, de gratia noui Testam.*

Inepi. 120. ex c. 6. & 10. to 2. ¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd innocentem hominem passioni, & morti tradere contra eius voluntatẽ, est impiũ, & crudele: sic autem Deus pater Christum non tradidit, sed inspirando ei voluntatem patiendi pro nobis. In quo ostẽditur, & Dei seueritas, qui peccatum sine pœna dimittere noluit (quod signat Apostolus dicens. Proprio filio suo non pepercit) & bonitas eius in eo, quòd cũ homo sufficienter satisfacere non posset per aliquam pœnam, quã pateretur, ei satisfactorem dedit. Quod signauit Apostolus dicens. Pro nobis omnibus tradidit illũ, & Rom. 3. dicit. Quẽ, scilicet Christum, proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* ¶ *Ad secundum dicendum, quòd Christus secundũ quod Deus, tradidit semetipsũ in mortẽ, eadẽ voluntate, & actione, qua & Pater tradidit eum: sed in quãtum homo tradidit seipsum voluntate à Patre inspirata. Vnde non est contrarietas in hoc, quòd Pater tradidit Christum, & ipse tradidit semetipsum.* ¶ *Ad tertium dicendum, quòd eadem actio diuersimodè iudicatur in bono vel in malo, secundum quod ex diuersa radice procedit. Pater enim tradidit Christum, & ipse semetipsum, ex caritate, & ideò laudantur. Iudas autem tradidit ipsum ex cupiditate, Iudæi autem ex inuidia, Pilatus ex timore mundano, quo timuit Cæsarem: & ideò ipsi vituperantur.*

COMMENTARIVS.

Testimonij Pauli ad Rom. 8. Expositio.

HVnc àr. proposuit D. Thom. ad explicãda illa verba Pauli ad Rom. 8. *Proprio filio suo non pepercit Deus: sed pro nobis omnibus tradidit illũ.* Quę sic egregiè exponit, Deum tradidisse Christũ pro nobis, quatenus ęterno consilio definiuit, vt per mortẽ suam nos redimeret, ex quo ortum est, vt pro nobis fieret homo passibilis, eique Pater inspirauerit voluntatem moriendi pro nobis, ac denique, vt manibus persequentiũ illum obiecerit, & eorũ voluntati, potestatique permiserit. Vnde Origen. libr. 7. in epist. ad Rom. *Pro nobis* (inquit) *tradidit eum, non illa traditione, qua dictum est, Tradet frater fratem in mortem, & parentes filios: sed tradidisse eũ dicitur hoc ipso, quod eum, cum in forma Dei esset, passus est exinanire semetipsum, & formã serui suscipere, & vsq; ad mortẽ crucis peruenire.* Ex qua expositione obiter refellitur impietas hęreticorũ nostri temporis, dicentium, Patrem tradidisse Christũ inspirando Iudæis eius mortem, eosque ad illam instigando. Sed de hoc alias. Eodem autem modo exponenda sunt ferè similia verba Isai. cap. 53. *Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrũ*, quæ septuaginta hoc modo verterunt, *Dominus tradidit eũ propter iniquitates nostras.* Quæ in hũc modũ legit, & exponit Tert. li. cõtra Praxeam cap. 30. vbi, Patrem tradere filiũ, exponit nihil aliud fuisse, quàm mortem permittere. Clemens verò Alexand. lib. 1. Pedagogi cap. 8. sic legit, *Dominus tradidit ipsum peccatis nostris*, & exponit, *Peccatorum scilicet correctorem, & directorẽ, & ideo hic solus potest peccata dimittere.* Sic etiã exponenda sunt verba Christi Matt. 26. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis, vt bibam illum?* Dicitur enim dedisse prædictis modis. Solum est in his locutionibus considerandum, cùm dicitur Pater tradidisse

Deus Pater Christum suũ pro nobis tradidit morti Origen.

Isai. 53.

Tertul.

Cle. Alex.

Mat. 26.

Chriſtum, ſi in verbo, *tradendi*, includatur miſsio filij, propriè id dici de prima perſona Trinitatis: ſi autem ſolum dicat ordinationem redemptionis noſtræ, & permiſsionem mortis Chriſti, ſic propriè dici de tota Trinitate, atque hoc ſenſu Patrē non perſonaliter, ſed eſſentialiter ſumi, quanuis apropriate poſsit accommodari primę perſonæ Trinitatis.

Circa rationem verò expoſitionis D. Thom. inquiri poterat, quomodo Deus prædeſiniuerit mortem Chriſti. Item quomodo eam Chriſto inſpiraverit, & ſuam de illa voluntatem oſtenderit. Sed de hac re videantur, quæ ſupra notauimus quæſtione præcedenti in commentar. artic. 10. & in priori tom. diſp. 45. ſect. 3.

Dubium. Caiet. Circa ſol. ad primum, meritò dubitauit Caietan. quomodo D. Tho. agens de Deo dixerit impium eſſe, innocentem inuitum ad mortē trahere. Cū enim Deus ſit dominus vitæ, & mortis, reſpectu illius non eſſet impium, etiam ſi innocentem inuitum ad mortem traderet. Et reſpondet, cùm D. Thom. ita loquutus eſt, non tractaſſe in ordine ad Deum: ſed ſecundum ſe, & abſolutè. Sed non ſatis percipitur, quomodo de hoc poſsimus loqui abſolutè, & nō in ordine ad aliquem. Vel quid referat ad argumentum, quòd de Deo procedit, conſideratio abſoluta, quę in Deo non habet locum. Deinde, etiam reſpectu hominis nō poteſt ea locutio accōmodari, quia reſpectu hominis iniquum eſt innocentem morti tradere, non ſolum inuitum, ſed etiam volentem. Dices, interdum ex iuſta cauſa poteſt tradi innocens hoſti, etiam ſi occidendus ſit, dum modo ab habente poteſtatem tradatur, vt à Republica. Reſpondetur, in eo caſu etiam inuitum poſſe tradi: imō hoc ipſo quòd eſſet ſimpliciter inuitus, iam non eſſet innocens, quia in eo caſu tenetur ipſe conſentire. Et ſimiliter in præſenti, ſi Deus vellet aliquem innocentem morte afficere, & ipſe abſolutè repugnaret, hoc ipſo deſineret eſſe innocens, ſi de diuina voluntate ei conſtaret. Videtur ergo Diuus Thomas vſus illa propoſitione, ſolum ad explicandam ſuauem diuinæ prouidentiæ diſpoſitionem. Nam licet ſit abſolutus dominus, & poſsit ſuo arbitratu abſque alia cauſa, quem voluerit vita priuare, nō vult tamen vti abſoluto dominio, ſed legibus iuſtitiæ, & æquitatis quodam modo ſe accommodat. Et hoc modo non conſiderando in Deo abſolutam Domini poteſtatem, ſed ſolam rationem gubernatoris, ac iudicis, crudele eſſet, & iniquum, innocentem inuitum interficere. Præſertim quia hoc ipſo, quòd mors ei eſſet inuoluntaria, eſſet quoque conſequenter ad ſatisfaciendum Deo, & ad omnes alios effectus prorſus inutilis. Et hoc fortaſſe ſibi voluit Caiet. quanuis obſcurè loquutus ſit. Aliæ ſolutiones clarę ſunt ex dictis.

Reſponſio

Obiectio.

Reſponſio

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum fuerit conueniens, Chriſtum pati à Gentilibus.

261 AD quartum ſic proceditur. *Videtur, quod non fuerit conueniens Chriſtum pati a Gentilibus. Quia enim per mortem Chriſti homines erant a peccato liberandi, conueniens videbatur, vt pauciſsimi in morte eius peccarent. Peccauerunt autem in morte eius Iudæi, ex quorum perſona dicitur Matth. 21. Hic eſt hæres, venite occidamus eum. Ergo videtur conueniens fuiſſe, quod in peccato occiſionis Chriſti Gentiles non implicarentur.*

¶ 2. *Præterea, Veritas debet reſpondere figuræ. Sed figuralia ſacrificia veteris legis non Gentiles, ſed Iudæi offerebāt. Ergo neque paſsio Chriſti, quæ fuit verum ſacrificium, impleri debuit per manus Gentilium.* ¶ 3. *Præterea, ſicut dicitur Ioan. 5. Iudæi quærebant Chriſtum interficere, non ſolum quia ſoluebat ſabbathum, ſed etiam quia patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe Deo faciens. Sed hoc videbatur eſſe ſolùm contra legem Iudæorū, vnde & ipſi dicunt Ioan. 19. Secundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit. Videtur ergo conueniens fuiſſe, quòd Chriſtus non à Gentilibus, ſed à Iudæis pateretur, & falſum eſſe quod dixerunt, Nobis non licet interficere quenquam: cùm multa pecca-*

ta ſecundum legem morte puniantur, vt patet Leui. 20. ¶ *Sed contra eſt, quod ipſe Dominus dicit Matt. 20. Tradent cũ Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.* A

¶ *Reſpondeo dicendum, quòd in ipſo modo paſsionis Chriſti præfiguratus eſt effectus ipſius. Primo enim paſsio Chriſti effectum ſalutis habuit in Iudæis: quorum plurimi in morte Chriſti baptizati ſunt: vt patet Actuum. 2. & 3.*

Secundò verò Iudæis prædicantibus. effectus paſsionis Chriſti tranſiuit ad Gentes. Et ideo conueniens fuit, vt Chriſtus à Iudæis pati inciperet, & poſtea Iudæis tradentibus, per manus Gentilium, eius paſsio finiretur. B

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd Chriſtus ad oſtendendum abundantiam caritatis ſuæ, ex qua patiebatur, in cruce poſitus veniam perſecutoribus poſtulauit. Et ideò vt huius petitionis fructus ad Iudæos, & Gentiles peruenire t, voluit Chriſtus ab vtriſque pati.*

¶ *Ad ſecundum dicendum, quod paſsio Chriſti fuit ſacrificij oblatio, in quã tum Chriſtus propria voluntate mortem ſuſtinuit ex caritate. In quantum autẽ à perſecutoribus eſt paſſus, non fuit ſacrificium, ſed peccatum grauiſsimum.*

¶ *Ad tertium dicendum: quòd ſicut Aug. dicit Iudæi dicentes, Nobis non licet interficere quenquam, intellexerunt non ſibi licere interficere quẽquam, propter feſti diei ſanctitatem, quàm celebrare iam cæperant. Vel hoc dicebant (vt Chryſo. dicit) quia volebant eum occidi, non tanquam tranſgreſſorem legis, ſed tanquam publicum hoſtem, quia Regem ſe fecerat: de quo non erat eorum iudicare. Vel quia non licebat eis crucifigere (quod cupiebant) ſed lapidare: quod in Stephano fecerunt. Vel melius dicendum eſt, quod per Romanos quibus erant ſubiecti, erat eis poteſtas occidendi interdicta.* C

Tra. 114. in Ioã. circa medium. to. 9.

Ho. 82. in Ioann. poſt med. illius to. 3.

COMMENTARIVS.

HIc articulus non indiget expoſitione. Solũ eſt notãda ſolutio ad. 3. in qua D. Th. dubitat: quomodo vera fuerint verba illa, quæ Iudæi dixerũt Pilato Ioan. 18. *Nobis non licet interficere quenquã*, cùm ipſimet dixiſſent *Nos legem habemus, & ſecundum legem noſtrã debet mori.* At verò licitum erat Iudæis, eum interficere, qui ſecundum legem reus mortis erat. Refert igitur D. Thom. varias reſponſiones. Prima eſt non licuiſſe Iudæis interficere quenquam in die Paſchæ. Ita reſpondent Cyril. lib. 12. ca. 6. & Aug. tract. 114. & eandem attigit Chryſoſto. hom. 82. in Ioannem, & 86. in Matt, & Beda Ioann. 18. Et poteſt fundari in eo, quod refertur. Act. 12. vbi, cùm Herodes apprehendiſſet Petrum, quoniam dies erant azymorũ. non ſtatim interfecit illum: ſed tradidit militibus ad cuſtodiendum. *Volens poſt paſcha producere eum populo.* Sed hic locus non ſatis probat id non licuiſſe: ſed non decuiſſe, vel ordinariè non fuiſſe in vſu: in caſu autem raro, & atroci, qualem Iudæi fingebant cauſam Chriſti, non ſatis conſtat id non licuiſſe. Præſertim cùm iã eſſet cauſa ab eis in conſilio præiudicata, eſſetque per milites ſolos executioni mãdanda. Præterea ſi ſolum propter temporis circunſtantiam hoc illis non licuiſſet, facile fuiſſet Pilato reſpondere illis, vt paucos dies expectarent: poſtea verò eum interficerent.

Teſtimonij Ioan. 18. Expoſitio, prima. Ioann. 19.

Cyril. Aug. Chryſoſt. Beda. Act. 12.

Secunda reſponſio eſt, Iudæos voluiſſe Chriſtum occidere, non tantum vt legis ſuæ tranſgreſſorem; ſed etiam vt ſeditioſum, hoſtemque Cęſaris, cuius regnum affectaſſet, propter quod delictum non licebat eis iudicare, neque interficere illũ. Sed & hæc reſponſio eſt difficilis creditu. Tum quia Iudæi, quando illa verba dixerũt, nullum aliud crimen Chriſto obiecerant, niſi blaſphemiam. Tum etiã quia per legem etiam licebat Iudæis, quodcunque crimen punire condigna pœna.

Expoſit. 2.

Tertia reſponſio eſt, Iudæos non eſſe loquutos de quacunque pœna mortis: ſed de crucifixione ita, vt idem fuerit dicere. *Nobis non licet interficere*, ac ſi dixiſſent nobis non licet crucifigere. Hanc expoſitionem habet etiam Chryſoſtomus. & eam ſequuntur Euthym. & Theophyl. Et illi fa-

Expoſit. 3. Chryſo. Euthym. Theophyl.

fauent verba, quæ statim subdit Euangelista. *Vt sermo Iesu impleretur, quem dixit significans, qua morte esset moriturus*, scilicet morte crucis, ac si apertius diceret, hoc dixerunt Iudæi, vt crucifigeretur. Sed in primis hæc verba significare possunt non causam, propter quam id dixerunt Iudæi, sed consequutionem, vt sæpe diximus. Deinde etiam si mens, & desiderium Iudæorum esset hoc efficere, vt Christus crucifigeretur: tamen illis verbis non hoc significarunt, nec videtur esse posse hic illorum sensus. Tum quia nec verba id significant, & tunc nondum à Pilato petierant Christum crucifigi. Tum etiam, quia facilè potuisset illis respondere, non oportere eum crucifigi: sed satis fuisse lapidari, vel alio mortis genere affici.

Expositio. 4. Quarta responsio, quam Diuus Tho. magis probat, est, eo tempore non licuisse Iudæis aliquem interficere non propter legem Dei prohibentem, sed quia per Romanos id erat eis interdictum. Quod ex Euangelio colligi ex parte potest. Ideò enim adduxerunt Christum ad Pilatum, ideò etiam ab eo postularunt, vt Barabbam sibi concederet, quia ipsi non erant *Act. 18.* iudices in causa mortis. Item Acto. 18. adduxerunt Paulum coram Gallione, quia ipsi non sunt ausi illum occidere. Quin *Ioseph.* etiam Ioseph. 20. libr. Antiquit. capit. 8. refert Annam Pontificem occidisse Iacobum sine consensu præsidis Romani, & propterea priuatum fuisse pontificatu. *Rupert.* Et hanc expositionem sequitur Rupertus in Ioannem. Sed habet difficultatem. *Ioan 8.* Quia id, quod assumitur, est valde incertum. Nam Ioan. octauo: Iudæi in causa adulteræ ostendebant, se habere facultatem lapidandi illam iuxta legem Moysi *Actor. 7.* & Actor. 7. lapidauerunt Stephanum. Dici potest factum esse vel consentientibus, vel conniuentibus Romanis: non *Ioan. 18.* quia absolutè hoc esset in eorum potestate. Sed hinc oritur potissima difficultas contra hanc responsionem. Nam saltem ex consensu præsidis Romani absque vlla dubitatione eis licebat interficere malefactorem: at verò iam Præses Romanus suum consensum dederat, dicens, *Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum*; iam ergo non poterant illo sensu respondere. *Nobis non licet.*

Quinta responsio, est Pharisæos ex speciali, & propria secta hoc obseruasse, vt neminem ad mortem damnarent, vt refert Iosephus filius Gorionis libr. quarto historiæ Iudaicæ, capit. sexto. Ideo ergo, specie religionis, dixerunt, *Nobis non licet*: multi enim, & precipui ex his, qui mortem Christi procurabant, erant Pharisæi, & quia autoritatem apud populum habebant, eos alij imitati sunt, hoc præcipuè ea excusatione intendentes, vt & Christus à Romanis crudeliori morte afficeretur, & ipsi minorem apud plebem inuidiam sibi conciliarent. Sed hæc responsio, in primis diuinat, & leui nititur fundamento. Deinde, cùm Pilatus dixit. *Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum*: non est loquutus ad Pharisæos: sed ad iudices populi, non ergo Pharisæi, sed iudices debuerunt respondere. *Expositio. 5.* *Ioseph.* *Ioan. 18.*

Quo circa illud, in quo omnes hæ expositiones conueniunt, certum est: Iudæos vsos fuisse hac excusatione, intentione crucifigendi Christum, & vitandi populi inuidiam. Quomodo autem verum dixerint ad se excusandum, incertum est. Omnibus verò consideratis, id, quod prima sententia asserebat, videtur verisimilius. Illi etenim omnino volebant statim Christum interfici, timebant enim vehementer, ne è manibus elaberetur: & ideò sumpserunt eam probabilem excusationem, quòd eo tempore non liceret eis, aliquem ad mortem damnare. Quę expositio euidentius constabit ex iis, quæ infra dicemus de die, in quo interfectus est Dominus.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum Christi persecutores eum cognouerint.

AD *quintum sic proceditur.* 262. *Videtur, quod persecutores Christi eum cognouerint. Dicitur enim Mat. 21. quod agricolæ videntes filiũ dixerũt intra se. Hic est* opus 60 c. 18. in fin. & 1 ad Cor 2. lect. 2. co. 1.

Id innuit c. 21. Mat. in fin. illiusto. 9. & etiam in gloss. or.

est hæres, venite occidamus eum. Vbi dicit Hieronym, Manifestè Dominus probat ex verbis Iudæorum, principes non per ignorantiam, sed per inuidiam Dei filium crucifixisse: intellexerunt enim eum esse illum, cui Pater per Prophetam dicit, Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam. Ergo videtur, quod cognouerint eum esse Christum, vel filiũ Dei.

¶ 2. Præterea, Ioan. 15. Dominus dicit. Nunc autem & viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum. Quod autem videtur, manifestè cognoscitur. Ergo Iudæi cognoscentes Christum, ex causa odij, ei passionem intulerunt.

¶ 3. Præterea, In quodam sermone Ephesini concilij dicitur, Sicut qui chartam imperialem discerpserit, tanquàm Imperatoris disrumpens verbum, ad mortem addicitur: sic crucifigens Iudæus, quem viderat, pœnas dabit, tanquam in ipsum Deum, verbum præsumptionis inijciens. Hoc autem non esset, si eum esse Dei filiũ, non cognouissent: quia ignorantia eos excusasset. Ergo videtur, quod Iudæi crucifigentes Christum cognouerint eum esse filium Dei. ¶ Sed contra est, quod dicitur 1. ad Corinth. 2. Si cognouissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent, & Act. 3. dicit Petrus, Iudæis loquens, Scio quia per ignorantiam feciſtis, sicut & principes vestri, & Dominus in cruce pendens dicit, Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.

¶ Respondeo dicendum, quòd apud Iudæos, quidam erant maiores, & quidam minores. Maiores quidem qui eorũ principes dicebantur, (vt dicitur in lib. Quæstionum veteris, & noui Test.) sicut & dæmones, cognouerunt eum esse Christum promissum in lege: omnia enim signa videbant in eo, quæ dixerãt futura prophetæ. Mysterium autem diuinitatis eius ignorabant: & ideò Apostolus dicit. Quod si cognouissent, nunquàm dominum gloriæ crucifixissent. Scien[illegible]tamẽ, quòd eorum ignorãtia non eos excusabat à crimine: quia erat quodammodo ignorantia affectata: videbant enim euidentia signa diuinitatis ipsius: sed ex odio, & inuidia Christi, ea peruertebant, & verbis eius, quibus se Dei filium fatebatur, credere noluerunt, vnde ipse de eis dicit Ioa. 15. Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Et postea subdit, Si opera non feciſsem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, & sic ex persona eorum accipi potest, quod dicitur Iob. 21. Dixerũt Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarũ nolumus. Minores verò, ideſt, populares, qui mysteria Scripturæ non nouerant, non plenè cognouerũt ipsum esse nec Christum, nec filium Dei: licet enim aliqui eorum in eum crediderint, multitudo tamen non credidit. Et si aliquãdo dubitauerunt, an ipse esset Christus, propter signorum multitudinem, & efficaciam doctrinæ (vt habetur Ioan. 7.) tamen postea decepti fuerunt à suis principibus, vt eum non crederent, neque filium Dei, neque Christum. Vnde & Petrus eis dixit. Scio quia per ignorantiam feciſtis, sicut & principes vestri: quia scilicet, per principes seducti erant.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd illa verba dicuntur ex persona colonorum vineæ, per quos significantur rectores illius populi: qui eum cognouerunt esse hæredem, in quantum cognouerunt eum esse Christum promissum in lege. Sed contra hanc responsionem esse videtur, quòd illa verba Psalmi Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, eidem dicũtur, cui dicitur, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Si ergo cognouerunt eum esse illum, cui dictum est, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, sequitur quòd cognouerint eum esse filium Dei. Chryso. etiã ibidem dicit, quod cognouerunt

Aug. in lib. q. ex no. test. a. qui incipit, Deus certe. q. 66 a me. to. 4.

nouerunt eum esse filium Dei. Beda etiã dicit super illud Luc.23. Quia nesciunt quid faciunt. Notandum, inquit, quòd non pro eis orat, qui quem filium Dei intellexerunt, crucifigere, quàm confiteri maluerunt. Sed ad hoc potest responderi quòd cognouerunt eum esse filium Dei, non per naturam, sed per excellentiam gratiæ singularis. Possumus tamen dicere, quòd etiam, verum Dei filium cognouisse dicuntur, quia euidentia signa huius rei habebant: quibus tamẽ assentire, propter odium, & inuidiam noluerunt, vt eũ cognoscerent esse filium Dei. ¶ Ad secũdum dicendum, quòd ante illa verba præmittitur, Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent & postea subditur. Nunc autem viderunt, & oderunt, & me, & patrem meũ. Per quod ostenditur, quòd videntes opera Christi mirifica, ex odio processit, quòd eum filium Dei non cognouerunt. ¶ Ad tertium dicendum, quòd ignorantia affectata non excusat à culpa, sed magis videtur culpam aggrauare: ostẽdit enim hominem sic vehementer esse affectum ad peccandum, quòd vult ignorantiam incurrere, ne peccatum vitet. Et ideò Iudæi peccauerunt, non solùm hominis Christi, sed etiam tanquam Dei crucifixores.

hom.40.in Mat.in opere imperf. a me. to. 2. cap. 94 secund. ord. Bedæ circa prin. to. 2.

Hunc articulũ tantum, per occasionem hic D. Thom. præmisit, vt in artic. sequẽti, peccatum crucifigentium Christum explicaret; nos verò supra rem hanc in proprio loco tractauimus, cùm de Christi miraculis ageremus.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum peccatum Christum crucifigentium fuerit grauissimum.

263 Sup.art.4. ad 2.fin. & opus.60.c. 18.fi.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quòd peccatum crucifigentium Christum, non fuerit grauissimum. Non enim est grauissimum peccatum, quod excusationem habet. Sed ipse Dominus excusauit peccatum crucifigentium eum, dicès, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Non ergo peccatum eorum fuit grauissimum. ¶ 2. Præterea, Dominus dixit Pilato Ioan. 19. Qui tradidit me tibi, maius peccatum habet. Ipse autem Pilatus fecit Christum crucifigi per suos ministros, Ergo videtur fuisse maius peccatum Iudæ proditoris, peccato crucifigentium Christum. ¶ 3. Præterea, Secundum Philosophum in 5. Ethicor. Nullus patitur iniustum volens, & sicut ipse ibidem dicit, Nullo patiente iniustum, nullus facit iniustum: ergo volenti nullus facit iniustum. Sed Christus voluntariè est passus: vt supra habitum est. Non ergo iniustiũ fecerunt crucifixores Christi, & ità eorum peccatum non fuit grauissimum.

l.5.Eth.c. 9.tom.5. ar.2. huius quæst.

¶ Sed contra est, quod super illud Matthæ. 23. Et vos implete mensuram patrum vestrorum, dicit Chrysost. Quantum ad veritatem excesserunt mẽsuram patrum suorum: illi enim occiderunt homines, isti Deum crucifixerunt.

hom.45.in Mat in opere imperf. aliquantulum a med tõm.2.

Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est. Principes Iudæorum cognouerunt Christum: & si aliqua ignorantia fuit in eis, fuit ignorantia affectata, quæ eos nõ poterat excusare. Et ideò peccatum eorum fuit grauissimum: tum ex genere peccati, tum ex malitia voluntatis. Minores autem Iudæi grauissimè peccauerunt quantum ad genus peccati: in aliquo tamẽ diminuebatur eorum peccatum, propter eorum ignorantiam. Vnde super illud Luc. 23. Nesciunt quid faciunt: dicit Beda, Pro illis rogat qui nescierunt quid facerent: zelũ Dei habentes sed non secundum scientiam. Multò autem magis fuit excusabile peccatum Gentilium, per quorum manus crucifixus est, qui legis scientiam non habebant.

art prec. in arg.1.& in respõsione. c.94.secũ. ord. Bedæ, circ. princi.

Ad primum ergo dicendum, quòd excusatio

In cor. ar. *cusatio illa Domini non refertur ad principes Iudæorum, sed ad minores de populo: sicut dictum est. ¶ Ad secundum dicendum, quòd Iudas tradidit Christum, non Pilato, sed principibus Sacerdotum, qui tradiderunt eum Pilato: secundum illud Ioan. 18. Gens tua, & pontifices tui tradiderunt te mihi. Horum tamen omnium peccatum fuit maius, quàm Pilati, qui timore Cæsaris Christum occidit. Et etiam quàm peccatum militum, qui de mandato præsidis Christũ crucifixerunt non ex cupiditate, sicut Iudas, nec ex invidia & odio, sicut principes Sacerdotũ. ¶ Ad tertium dicendum, quòd Christus voluit quidem suam passionem, sicut & Deus eam voluit. Iniquam tamen actionem Iudæorum non voluit, & ideo occisores Christi ab iniustitia non excusantur. Et tamen ille, qui occidit hominem, iniuriam facit, non solùm homini occiso, sed etiam Deo, & reipublicæ. Sicut etiam*

L. 5. eth. c. vlt. non longe a princ. to. 5. *& ille qui occidit seipsum, vt Philosophus dicit in 5. Eth. Vnde & Dauid damnauit illum ad mortem, qui non timuerat mittere manum, vt occideret Christũ Domini, quanuis eo petente: vt legitur. 2. Reg. 1.*

COMMENTARIVS.

REsponsio D. Thom. est peccatum illud fuisse grauissimũ ex genere suo, & in principibus Iudæorum habuisse magnam grauitatem ex malitia, & ex ignorantia affectata: in plebe autem leuius fuisse propter maiorem ignorantiam, quæ quò maior erat in militibus Romanis, eò magis eos excusare poterat.

Peccatum crucifigentium Christum quale. Circa quam doctrinam, vt eam explicemus, nonnulla notanda sunt. Primum est, in hoc peccato occisionis Christi secundum se considerato plures malitias secundum speciem reperiri. Nam primò si consideremus Christum vt innocentem, & ea morte indignum, illud fuit peccatum homicidij, & iniustitiæ. Secundo cõsiderando Christum, quatenus erat Messias pro-

A missus à Deo, hominumque redemptor, vt sic occisio eius habet malitiam impietatis, eò grauiorem, quò spiritualis coniunctio, seu paternitas maior est, quàm carnalis. Tertio si consideretur, quatenus fidei prædicator, quam sufficienter proponebat, eius occisio habet malitiam infidelitatis. Quia in odium eius fidei, quam prædicabat, illum occiderunt. Vnde dicebant. *Secundum legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit.* Quarto potest considerari Christus, quatenus Deus erat, & homo, & vt sic occisio eius fuit immane sacrilegiũ contra iustitiam Deo debitam. Nam sicut Christi adoratio actus est religionis, qua Deus colitur, ita eiusdem interfectio, aut quælibet iniuria, aut contumelia, sacrilegium est religioni contrarium.

B Ex his sequitur primo, nullam malitiã illius peccati fuisse summam ex iis, quæ esse possunt in omni genere peccati, vt benè notauit Gabr. lect. 87. in Canon. ex Diuo Thom. hac. 3. par. quæs. 80. articul. 5. Nam malitia odij Dei secundum se, & ex genere suo grauius peccatum est, quia directè, & formaliter contra Deum. Dices, etiam peccatum Iudæorum, fuit odium Dei, iuxta illud Ioan. 17. *Nunc autem & viderunt: & oderunt me, & Patrem meum.* Respondetur primum, aliud esse loqui de peccato exterio crucifixionis, aliud de interiori actu, à quo procedebat, vel imperabatur. Peccatum ergo ipsum secundum se habebat malitiã iniustitiæ, vel sacrilegij, & per se non requirebat formale odium, sicut occisio hominis per se est iniustitia, & non requirit odium, quanuis ex ipso possit procedere. Deinde (esto) peccatum illud in Iudæis, præsertim in principibus eorũ, ortũ fuerit ex formali odio Christi, quod veluti per communicationem idiomatum erat odium Dei: sed tamen non erat formale odium Dei, vt Deus est. Neque enim Iudæi abominabantur diuinam naturã, aut personam, neque ei secundum se malum aliquod optabant: sed erat odium Dei in assumpta natura, quod secundum se minus peccatum est, quàm odium diuinitatis. Sicut caritas ad Deum maior est, quãm ad Christum vt hominem. Quin potius si formaliter, & secundum speciem comparetur infidelitas Iudæorum cum Christi homicidio, maius peccatum fuit infidelitas, quàm occisio Christi. Quia per se maiori virtuti opponitur, scilicet fidei,

Peccatũ crucifigentium Christum non fuit omnium grauissimum. Gab. D. Thom. Obiectio. Ioann. 17. Responsio

fidei,quæ maior est,quàm religio, vel iustitia,& quia infidelitas est peccatum contra diuinitatem secundum se, cum aliud peccatum circa humanitatem versetur. Et hinc etiam rectè colligit Gab. supra, maius fuisse peccatū in Iuda desperare,quam tradere Christū. Quia illud prius fuit contra virtutem theologicam,atque adeò contra diuinitatem ipsam. Vnde ab aliquibus peccatum illud dicitur esse *peccatum in Spiritumsanctum*,quod maius est,quàm *peccatum in filium hominis*. Et hoc modo intelligi potest dictum Greg.li.11.mor.c.5. *Iudas peius de peccato pœnituit,quam peccauit.*

Gab. Peccatum desperationis in Iuda grauius peccato proditionis Gre. Pap.

Secundo sequitur, post peccata contra theologicas virtutes,hoc peccatum occisionis Christi esse ex suo genere maximū, vel ferè. Probatur,nam in primis est contrarium maximæ virtuti post theologicas, quæ est religio,seu iustitia ad Deū. Deinde immediate attingit ipsam personam Dei,quanuis non in propria,sed in assumpta natura. Dices,maius videri peccatum blasphemiæ, & contumeliæ in Deum ipsum secundum se,seu in diuinitatem eius, quia attingit Deum ipsum non in assumpta natura,sed in propria. Respondetur posse quidem inter hæc duo peccata inueniri mutuum aliquem excessum,secundum rationes,cōparationesq; diuersas omnibus tamen consideratis maius esse peccatum occisionis Christi. Quia Deum lædit in re sibi maximè coniuncta, & de se maius nocumentum infert,auferendo vitam infiniti valoris: Blasphemia verò tantum lædit Deum in honore,vel fama,quæ sunt magis extrinseca. Et iuxta assertionem hanc potest exponi D.Th.hic,cùm ait hoc peccatum esse grauissimum,scilicet inter ea, quæ sunt contra virtutes morales: quāuis etiam possit intelligi, non loqui in proprio rigore respectiuo: sed absolutè vocare grauissimum,idest,valde acerbum, & graue. Sicut etiam ibi dixit fuisse grauissimum ob circunstantiam,ex parte peccantium ex malitia: cum tamen sine vlla dubitatione potuerit ea circunstantia grauiori modo concurrere. Aliam interpretationē postea subijciemus. Et hęc de grauitate illius peccati secundum se considerati.

Grauitas peccati crucifigentium Christū ex obiecto.

Obiectio.

Responsio

D. Thom.

Secundo igitur possumus spectare grauitatem huius peccati ex parte peccantium. In quibus multa possunt considerari, Primum est scientia,vel ignorantia,de qua re satis in superioribus diximus. Et ad minimū certum est ex dictis, neminem ex ijs, qui ad Christi mortem concurrerunt, posse simpliciter excusari propter ignorantiā â grauissima culpa,saltem homicidij viri sancti,& innocentis. Quod de Pilato, supra ostendimus,quia ipse cōfessus est, *Nullam inuenio in eo causam*,& cùm lauit manus suas dixit. *Innocens ego sum a sanguine iusti huius*. De principibus etiam Iudęorum id satis constat ex supra dictis, quibus addi potest,ipsos scienter,falsos aduersus Christum testes induxisse. De plebe autem Iudæorum potest esse aliqua dubitatio, & maior de militibus romanis. Nihilominus tamen innocentia Christi tam publica erat,ac manifesta,vt neminem ad illius mortem cooperantem ignorantia excusare potuerit,saltem â malitia iniustæ cædis. At verò quoad aliam malitiam sacrilegij, vel impietatis poterat maior ignorantia interuenire,atque adeò excusatio maior saltem in gentilibus, & in plebe Iudęorum, vt patet ex D.Tho.hic,& ex superius dictis. Quanta verò fuerit,non potest à nobis definiri: vix tamen potest in aliquo admitti inuincibilis, cùm omnes multa de Christo,eiusque diuinitate vidissent signa,& audissent testimonia,quæ vel ad credendum,vel saltem ad veritatē plenius discendam,eos obligarent. In principibus autem Iudęorum nulla esse potuit excusatio vt Christus ipse dixit Ioan.15. quia eorū ignorantia fuit valde crassa,& affectata,& ex quadam obstinatione,& duritia magis quàm ex fragilitate aliqua. Non videtur tamen posse negari quin, si Iudæi agnoscerent, & sibi persuaderent,Christum esse verum Deum,& nihilominus eum interficere ausi essent,peccatum ex hac parte esset grauius,quia esset maior irreuerentia, & iniuria Dei. Nihilominus tamē Iudęorum peccatum dicitur grauissimū ex parte peccantium,vel quia sermo est de peccato,quod moraliter loquēdo in hominē cadere poterat,nam ille alius modus peccandi,& occidendi Deum cognitum, vix poterat in homines cadere. Vel certe quia circunstantia infidelitatis, & voluntariæ excœcationis nō minus quam alia videtur aggrauare. Huc accedunt alię circunstātiæ grauissimæ prauorum affectuum,odij,irę, & inuidię in Christū,qui ex magna superbia,& ambitione oriebantur. Quæ omnia ex historia euangelica constant,& ex summa illa diligentia,importunaque postulatio-

Crucifixores Christi inexcusabiles in peccato suo omnes. Ioan.18.et 19. Mat.27.

D.Thom.

tione ac furore, quo in morte Christi pro curãda impij Iudæi debacchati sunt. Quo tandem fit, vt peccatũ illud saltem in individuo, cõsideratis omnibus malitijs, & circũstantijs eius, possit existimari grauissimum omnium, quæ ab hominibus vnquam commissa sunt. Quo sensu potest exponi D. Tho., & eodem videtur dixisse Bernar. serm. quodam de passione domini peccatum illud fuisse, *Grauissimum, ac singulare*, quanquam hoc etiam incertũ sit, & Bernar. recte intellectus facile possit exponi. Solet vero cõparari hoc peccatum cum peccato Adę, quia illud videtur fuisse grauius propter nocumentum generis humani. Sed Bernard. supra videtur hoc peccatum præferre, quia maioris æstimationis est dignitas Filij Dei, quã omnes homines: & præsertim, quia non cõstat illud nocumentum esse ita præuisum ab Adamo, vt multum aggrauaret. Sed de hoc etiam nihil certi definiri potest. An vero quia persona Christi fuit infinita, peccatum crucifigentium Christum fuerit infinitum, & cur Iudæorum de meritũ ex illa circunstantia non tantum creuerit, quantum Christi meritum, & satisfactio ex circunstantia personæ patientis, latè tractatum est in priori tomo disputatio 4. sect. 4.

Peccatum crucifigentium Christũ grauitas & magnitudo. D. Thom. Bernard.

In solut. ad 1. explicat D. Thom. verba illà Christi, *Pater dimitte illis, non .n. sciũt, quid faciunt*, quod illa excusatio nõ ad principes, sed ad minores de populo Iudæorũ referenda sit. Quæ est expositio Bedæ Luc. 23. & Iustini. q. 108. Quod si obijcias verba Petri Act. 3. *Scio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri.* Respondendum est, illam particulam, *sicut*, dicere similitudinem in ignorantia aliqua, non æqualitatem. Sed difficile creditu est, Christum orasse tantum pro plebe, & non pro principibus. Tum quia oratio est vniuersalis, & illa causa nõ videtur addita ad limitandam orationem: sed ad facilitandã impetrationem. Tum etiam, quia Christus dedit exemplũ dilectionis inimicorum, vnde orare etiam debuit pro principibus Iudæorũ, qui erant præcipui inimici eius. Denique, quia effectus illius orationis, quos supra posuimus, etiam in principibus Iudæorum locum habere potuerunt. Quare dici potest, orationem Christi generalem fuisse, & illam excusationem ad omnes etiam pertinere posse, quia omnes aliqua ignorantia laborarunt. Nam licet hæc in principibus fuerit affectata, tamen quatenus ex aliqua parte diminuit audaciam, vel irreuerentiam in Deum, potuit ad impetrandam veniam allegari. Et huic expositioni magis videtur fauere omnia, quæ circa hanc orationem ex sanctis Patribus supra tradidimus.

Testimonij Luc. 23. Expoſitio. Bedæ. Iuſtin. Act. 3.

Oratio Christi pendẽtis in cruce generalis pro omnibus crucifixoribus.

In Sol. ad 2. D. Thom. insinuat, grauius peccasse Pontifices Iudæorũ, quàm Iudam, Pilatumque, & milites eius. Et de hac parte posteriori supra diximus. Circa priorem verò Caietan. censet peccatũ Iudæ fuisse grauius, propter maiorem Christi cognitionem, & altiorem statum, quem habebat: & propter maiorem ingratitudinem, ac denique propter maiorem proditionis turpitudinem. Ad D. Thomam autem tacitè respondet, non definijsse cõtrarium, sed indecisam quæstionem reliquisse. Cæterum ego in primis existimo D. Thom. definiisse quæstionẽ, alias argumento non satisfeciſſet. Deinde cẽseo, eius sententiam esse veriorẽ propter duas præcipuas rationes, quas D. Thom. insinuat. Prima est, quia Iudas reuera noluit Christum occidi, neque id futurum existimauit, vt eius pœnitentia, quanuis perspersa, declarauit, & supra etiam exposuimus. Et hanc rationem insinuat D. Tho. cùm dicit Iudam non tradidisse Christum Pilato: sed Pontificibus. Altera est, quia Iudas ex cupiditate, non ex inuidia, & odio tradidit Christum, sicut principes Iudeorũ. His addi potest, quòd Principes Iudæorum maiori duritia, & pertinacia in Christo tradendo perdurarunt, quod etiã est signum vehementioris, ac intensioris affectus, quæ omnia, si rectè perpendantur, videntur magis peccatum augere.

D. Thom. Caiet.

Grauius peccauerũt pontifices Iudæorum quã Iudas

Solutio ad 3. clara est. Ex ea tamen colligi potest summa quædam totius quæstionis huius de causa efficiente passionis Christi. Illud enim opus, vt fuit actio Iudæorum, nullo modo est tribuenda Christo, aut Deo. Quia licet Deus ad eam cõcurrerit physicè tanquã vniuersalis causa: tamen quia illa actio absolutè mala est, in Deum referri non potest: sed hoc modo tribuitur Iudæis, vt proditorib⁹, & homicidis Act. 7. gentibus, vt executoribus, Matt. 20. Luc. 18. Dæmoni, vt primo instigatori, Ioann. 13. At verò quatenus illa passio tenuit se ex parte Dei, & Christi, qui voluntate sua illam acceptauit, permi-

Cauſa efficiens paſsionis Christi quæ.

Act. 7. Mat. 20. Luc. 18. Ioan. 13.

sit, & non impediuit, sic tribuenda est Christo, & Deo. Et ita intelliguntur scripturæ Isai. 53. Ioan. 11. ad Galat. 2. ad Rom. 8. Nec de hac materia aliquid amplius disputandum occurrit.

QVÆSTIO XLVIII.

De modo passionis Christi quantũ ad effectũ, in sex articulos diuisa.

DEinde considerandum est de effectu passionis Christi. Et primò de modo efficiendi: secundò de ipso effectu. ¶ Circa primum quæruntur sex.

¶ Primo, Vtrùm passio Christi causauerit nostram salutem per modum meriti.

¶ Secundo, Vtrùm per modum satisfactionis.

¶ Tertio, Vtrùm per modum sacrificij.

¶ Quarto, Vtrùm per modum redemptionis

¶ Quinto, Vtrùm esse redemptorem sit proprium Christi.

¶ Sexto, Vtrùm causauerit effectum nostræ salutis per modum efficientiæ.

Sensus D. Tho. in titulo quæstionis est, agendum esse de modo, quo passio Christi suum effectum operata est. Itaq; non hic agitur de modo passionis secundum se, sed de modo, quo influit in effectum. Et hac occasione tractat hic D. Thom. de merito, & satisfactione Christi, & de redemptione nostra, quæ res, quia copiosè disputata est a nobis in priori tomo, hoc loco iterum repetenda non erit, vbi nihil noui addendum occurrit, sed quæ in genere dicta sunt de operibus Christi, passioni applicanda sunt.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrũ passio Christi causauerit nostram salutem per modum meriti.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd passio Christi nõ causauerit nostram salutem per modum meriti. Passionum enim principia non sunt in nobis. Nullus autem meretur vel laudatur, nisi per id, cuius principium est in ipso. Ergo passio Christi nihil est operata per modum meriti. ¶ 2. Præterea, Christus ab initio suæ cõceptionis meruit, & sibi, & nobis: vt pra dictum est. Sed superfluum est aliquem iterum mereri id quod ante meruerat. Ergo Christus per suam passionem non meruit nostram salutem. ¶ 3. Præterea, Radix merendi est caritas: Sed caritas Christi non fuit magis augmentata in passione, quàm ante. Ergo non magis meruit salutem nostram patiendo, quàm ante fecerat. ¶ Sed contra est, quod super illud Philip. 2. Propter quod & Deus exaltauit illũ, &c. dicit Aug. Humilitas passionis, claritatatis est meritũ, claritas humiliatis est præmiũ. Sed ipse clarificatus est, non solùm in seipso, sed etiã in suis fidelibus: vt ipse dicit Ioã. 17. Ergo videtur, quod ipse meruerit salutem suorum fidelium.

264 Inf. q. 61. ar. 5. et 5. d. 18. ar. 5 et 4. d. 1. q. 1. ar. 4. q. 3. veri q. 26. a. 6. ad 20. & to. 4. fi. q. 19. ar. 4 & q. 34. ar. 2.

Tr. 104. in Ioann. non procul a fi. to. 9.

Respondeo dicendum, quod (sicut supra dictum est) Christo data est gratia, non solùm sicut singulari personæ, sed in quantum est caput Ecclesiæ: vt scilicet ab ipso redundaret ad membra. Et ideo opera Christi hoc modo se habent tam ad se, quàm ad sua membra, sicut se habẽt opera alterius hominis in gratia constituti ad ipsum. Manifestum est autem, quod quicunque in gratia constitutus, propter iustitiam patitur, ex hoc ipso meretur sibi salutem, secundum illud Matthæi. 5. Beati qui persequutionem patiũtur propter iustitiam. Vnde Christus per suam passionem non solùm sibi, sed etiam omnibus membris suis meruit salutem.

Quæst. 8.

Ad primum ergo dicendum, quod passio, in quantum huiusmodi non est meri-

meritoria: quia habet principium ab exteriori. Sed ſecundum quod eam aliquis voluntariè ſuſtinet, ſic habet principium ab interiori: & hoc modo eſt meritoria.

¶ *Ad ſecundum dicendum, quòd Chriſtus à principio ſuæ conceptionis meruit nobis ſalutem æternam: ſed ex parte noſtra erant quædam impedimenta, quibus impediebamur conſequi effectum præcedentium meritorum. Vnde ad remouendum illa impedimenta oportuit Chriſtum pati: vt ſuprà dictum eſt.*

¶ *Ad tertium dicendum, quòd paſſio Chriſti habuit aliquem effectum, quem non habuerunt præcedentia merita: non propter maiorem caritatem, ſed propter genus operis, quòd erat conueniens tali effectui: vt patet ex rationibus ſuprà inductis de conuenientia paſſionis Chriſti.* q.46.a.3. q.46.a.3. & aliis.

De hoc art. videantur dicta in priori tomo diſput. 41. ſect. 1. & ſequentibus, cũ illis coniungendo, quæ diximus diſp. 39. ſect. 2. vbi tractauimus, per quos actus Chriſtus meruerit.

In ſol. ad 2. & 3. attingit D. Thom. an Chriſtus meruerit aliquid ſua paſſione, quod prioribus actibus non meruerit, & cur meritum noſtræ ſalutis ſpecialiter tribuatur paſſioni, cùm per reliqua opera vitæ ſuæ etiam nobis meruerit? Sed de his videnda ſunt, quę diximus eodem tomo diſp. 4. ſect. 4. in 2. obiectione.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm paſſio Chriſti cauſauerit noſtram ſalutem per modum ſatisfactionis.

265. 4. co. c. 55 ad. 2. & 24. & op. 60. ca. 18. col. 6.

AD ſecundum ſic proceditur. *Videtur, quòd paſſio Chriſti non cauſauerit noſtrã ſalutẽ per modum ſatisfactionis. Eiuſdem enim videtur eſſe ſatisfacere, cuius eſt peccare: ſicut patet in aliis pœnitentiæ partibus: eiuſdem enim eſt conteri, & confiteri, cuius eſt peccare. Sed Chriſtus non peccauit: ſecundum illud 1. Petri 2. Qui peccatum non fecit. Ergo ipſe non ſatisfecit propria paſſione.*

¶ 2. *Prætereà, Nulli ſatisfit per maiorem offenſam. Sed maxima offenſa fuit perpetrata in Chriſti paſſione, quia grauiſsimè peccauerunt qui eum occiderunt: vt ſuprà dictum eſt. Ergo videtur quòd per paſſionem Chriſti non potuerit Deo ſatisfieri.* q.præ.a.6.

¶ 3. *Prætereà, Satisfactio importat æqualitatem quandam ad culpam, cùm ſit actus iuſtitiæ. Sed paſſio Chriſti non videtur eſſe æqualis omnibus peccatis humani generis: quia Chriſtus non eſt paſſus ſecundum diuinitatem, ſed ſecundum carnem: ſecundum illud 1 Petri 4. Chriſto igitur paſſo in carne. Anima autem in qua eſt peccatum, potior eſt quàm caro. Non ergo Chriſtus ſua paſſione ſatisfecit pro peccatis noſtris.*

¶ *Sed contra eſt, quòd in perſona eius dicitur Pſalm. 68. Quæ non rapui, tunc exoluebam. Non autem exoluit qui perfectè non ſatisfecit. Ergo videtur quòd Chriſtus patiendo, perfectè ſatisfecerit pro peccatis noſtris.*

Reſpondeo dicendum, quòd ille prioriè ſatisfacit pro offenſa, qui exhibet offenſo id, quod æquè vel magis diligit, quam oderit offenſam. Chriſtus autem ex caritate, & obedientia patiendo, maius Deo aliquid exhibuit, quam exigeret recompenſatio totius offenſæ humani generis. Primò quidem propter magnitudinem caritatis, ex qua patiebatur. Secundò, propter dignitatem vitæ ſuæ, quam pro ſatisfactione ponebat: quæ erat vita Dei, & hominis. Tertiò, propter generalitatem paſſionis, & magnitudinem doloris aſſumpti: vt ſupra dictum eſt. Et ideo paſſio Chriſti non ſolũ ſufficiẽs, ſed etiã ſuperabundãs ſatisfactio fuit pro peccatis humani generis: q.46.a.6.

ſecundum illud 1. Ioan. 2. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, nō pro noſtris autē tantùm, ſed etiā pro totius mundi.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd caput, & membra ſunt quaſi vna perſona myſtica: & ideo ſatisfactio Chriſti ad omnes fideles pertinet, ſicut ad ſua membra. In quantum etiā duo homines ſunt vnum in caritate, vnus pro alio ſatisfacere poteſt, vt infrà patebit. Non autē eſt ſimilis ratio de confeſſione, & contritione: quia ſatisfactio conſiſtit in actu exteriori, ad quem aſſumi poſſunt inſtrumēta, inter quæ computantur etiam amici.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd maior fuit caritas Chriſti patientis, quàm malitia crucifigentium. Et ideo plus potuit B *Chriſtus ſatisfacere ſua paſſione, quàm crucifixores offendere occidendo: in tantum quòd paſſio Chriſti ſufficiens fuit, & ſuperabundans ad ſatisfaciendū pro peccatis occidentium ipſum.*

¶ Ad tertium dicendum, quòd dignitas carnis Chriſti non eſt æſtimanda ſolùm ſecundum carnis naturam, ſed ſecundum perſonam aſſumentem, inquantum ſcilicet erat caro Dei, ex quo habebat dignitatē infinitam.

Videantur dicta in priori tomo, in tota diſput. 4. In ſol. ad 1. attingit D. Th. quæſtionem, cur vnus homo poſſit ſatisfacere C pro alio: nōn verò conteri, vel confiteri. Sed hæc res habet propriū locum in materia de ſatisfactione.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm paſsio Chriſti operata ſit per modum ſacrificij.

266 Inf. q. 49. art. 4. cor. & q. 73. a. 4. co. & ad 3. & q. 83 ar. 1. co. & op. 60. ca. 18. col. 6.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quòd paſſio Chriſti non ſit operata per modum ſacrificij. Veritas enim debet reſpondere figuræ. Sed in ſacrificiis veteris legis, quæ erant figuræ Chriſti, nunquam A *offerebatur caro humana, quinimo hæc ſacrificia immunda, & nefanda habebantur: ſecundum illud Pſalm. 105. Effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarū, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaam. Ergo videtur, quòd paſſio Chriſti ſacrificium dici non poſſit.*

¶ 2. Præterea, Auguſtinus dicit in 10. de Ciuitate Dei, quòd ſacrificium viſibile, inuiſibilis ſacrificii ſacramentum, ideſt, ſacrum ſignum eſt. Sed paſsio Chriſti non eſt ſignū, ſed magis ſignatum per alia ſigna. Ergo videtur, quòd paſsio Chriſti non ſit ſacrificium. li. 18. ca. 5. Paulo a princ. to. 5

¶ 3. Præterea, Quicunque offert ſacrificium, aliquod ſacrum facit, vt ipſum nomen ſacrificii demonſtrat, Illi autem qui Chriſtum occiderunt, non fecerunt aliquod ſacrum, ſed magnam malitiam perpetrauerunt. Ergo paſſio Chriſti magis fuit maleficium, quàm ſacrificium.

¶ Sed contra eſt, quod Apoſtolus dicit Ephe. 5. Tradidit ſemetipſum pro nobis, oblationem, & hoſtiā Deo in odorem ſuauitatis.

¶ Reſpondeo dicendum, quòd ſacrificium propriè dicitur aliquid factum in honorem propriè Deo debitum ad eum placandum. Et inde eſt quod Auguſt. dicit in 10. de Ciuitat. Dei. Verum ſacrificium eſt omne opus quod agitur, vt ſancta ſocietate inhæreamus Deo, relatum ſcilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati eſſe poſſimus. Chriſtus autem (vt ibidem ſubditur) ſeipſum obtulit in paſſione pro nobis, & hoc ipſum opus quod voluntariè paſſionem ſuſtinuit Deo maximè acceptum fuit, vtpote ex caritate maximè proueniens. Vnde manifeſtum eſt, quod paſſio Chriſti fuerit verum ſacrificium. Et ſicut ipſe poſtea ſubdit in eodem libr. Huius veri ſacrificii, multiplicia variaque ſigna erant ſacrificia priſca Sanctorum: cùm hoc vnum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res vna diceretur, vt ſine faſ- li. 10 ca. 6 in pri. to. 5

tidio

tidio multum commendaretur. Et cũ quatuor considerentur in omni sacrificio (vt Aug. dicit in 4. de Trì.) scilicet cui offeretur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur, idem ipse vnus verusq; mediator per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, vnum cum illo maneret, cui offerebat, vnum in se faceret, pro quibus offerebat, vnus ipse esset, qui offerebat, & quod offerebat.

li. 4 a. 14. non longe fin. tom. 3.

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd licet veritas respondeat figuræ, quãtum ad aliquid: non tamen quantum ad omnia: quia oportet, quod veritas figurã excedat. Et ideo conuenienter figura huius sacrificij, quo caro Christi offertur pro nobis, fuit caro non hominum, sed aliorum animalium significantium carnem Christi, quæ est perfectissimum sacrificium. Primo, quidem, quia ex eo quod est humanæ naturæ caro, congruè pro hominibus offertur, & ab eis sumitur sub sacramento. Secundo: quia ex eo quod erat passibilis, & mortalis, apta erat immolationi. Tertio, quia per hoc, quod erat sine peccato, efficax erat ad emundanda peccata. Quarto, quia ex eo, quod erat caro ipsius offerentis, erat Deo accepta propter ineffabilem caritatem, suam carnem offerentis. Vnde Aug. dicit in 4. de Tri. Quid tam congruenter ab hominibus sumeretur, quod pro eis offerretur, quã humana caro? & quid tam aptum huic immolationi, quàm caro mortalis? & quid tam mundum pro mundandis vitijs mortalium, quàm sine contagione carnalis concupiscentiæ caro, nata in vtero, & ex vtero virginali? & quid tam gratè offerri, & suscipi posset, quam caro sacrificij nostri, corpus effectum sacerdotis nostri? ¶ Ad secundum dicendum, quod Augustin. ibi loquitur de sacrificiis visibilibus figuralibus. Et etiam ipsa passio Christi licet sit aliquid signatum per alia sacrificia figuralia, est tamen signum alicuius rei obseruandæ a nobis: secundum illud 1. Pet. 4. Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desijt a peccatis, vt iam non hominum desideriis, sed voluntate Dei, quod reliquũ est in carne viuat temporis. ¶ Ad tertium dicendum, quod passio Christi ex parte occidẽtium ipsum, fuit maleficium: sed ex parte ipsius ex caritate patientis, fuit sacrificium. Vnde hoc sacrificium ipse Christus obtulisse dicitur: non autem illi, qui eum occiderunt.*

li. 4. c. 14 in me to. 3.

loco citato in arg.

A

B

C

COMMENTARIVS.

MAteriã huius artic. tractaui etiam in superiori tom. disp. 46. sect. 1. Cùm enim de sacerdotio Christi sermo esset, operæ pretium fuit explicare proprium illius sacrificium, quoniã est potissimus actus sacerdotij, & potestas per actus explicanda est. Hic igitur solũ circa D. Th. rationem occurrit difficultas. Probat enim Christi passionem fuisse sacrificium, quia fuit aliquid factum in honorem propriè Deo debitum ad eum placandum. Quæ ratio, (si solida est) probat circuncisionem Christi fuisse sacrificium, & ieiunium, orationem, & similia. Nam in hęc omnia conuenit illa ratio sacrificij, quam D. Thom. ex Aug. sumpsit. Vnde non videtur D. Tho. probare, & consequẽter nec docere passionem Christi esse propriè, & in rigore sacrificiũ: sed solum ea lata, & communi significatione, qua omne opus bonum factum in cultum Dei, ad eumq; placandum, dicitur sacrificium. Et augetur difficultas, nam sacrificium propriè dictum debet esse signũ sensibile publica autoritate ad significandũ aliquid sacrum, & spirituale impositum, & permanenti lege statutum, quę omnia non videntur conuenire Christi passioni, & morti. Hæc verò difficultas postulabat ad perfectã sui decisionem, integrũ tractatum de natura sacrificij: Quia verò iã dudum ab initio statuimus, ne peregrinas quęstiones aliũde quasi diuulsas adduceremus, & quoniã in sequenti tomo, quem Deo auspicante propediẽ in lucem emittemus, materiã de sacrificio integrè disputamus, ideò ad dubitationẽ positam hoc loco dicẽdũ est, D. Thom. breuiter, ac concisè sacrificij notionem hoc loco

Dubium.

D. Thom. Aug.

Rẽsponsio

posuisse. Nam (vt argumentum conuincit) in ea amplitudine multa continentur, quæ propriè sacrificia non sunt, atque idcirco addendum est, de ratione sacrificij esse, vt sit oblatio exterior, & sacra, ordinata ad colendum, vél placandum Deum publico, & solenni ritu. Agitur enim hic præcipuè de sacrificio propitiatorio, quod est actus sacerdotis propriè dicti, qui (vt Paulus ait ad Hebr. 5.) *Ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Quam rationem sacrificij etiam in superiori tomo sufficienter explicatam reliquimus, & ex ea optimè concluditur Christi passionem, & mortem fuisse verum ac proprium sacrificium, quia per eam Christus *se obtulit oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis*, ad Ephes. 5. ad Hebræos. 7. & sequentibus. Fuit etiam illa oblatio à Deo ordinata, & instituta, tanquam supremus cultus illi offerendus pro toto genere humano in satisfactionem, & reconciliationem eius, & ad hunc cultum offerendum, Christum summum Sacerdotem ordinauit, vt prædicto loco latius explicatum est. Ad argumentum ergo respondetur non esse eandem rationem de aliis actionibus, vel operibus Christi. Tum quia alia non sunt ita ordinata ad placandum Deum, & consummandam redemptionem, sicut passio, & mors, tum etiam quia de ratione sacrificij est, vt victima aliquo modo conficiatur, & immutetur in honorem Dei, quod factum est per passionem: non verò per alias actiones. Sunt verò qui dicant, totam Christi vitam fuisse veluti vnicum sacrificium, quod in morte consummatum est. Quod piè dictum est, non tamen in rigore, secundum propriam rationem sacrificij. Quin potius neque tota passio videtur propriè, & intrinsecè pertinere ad rationem sacrificij: sed solum id, quod Christus in cruce passus est. Ibi enim accepit vulnera lethalia: & ad illius mortē proxime ordinata. Et ideò dicitur à Patribus hoc sacrificium oblatum in altari crucis, vt videre licet in Leone Papa Epistol. 84. ad Episcopos Palestinæ. Et multi eo modo exponunt verba Pauli ad Hebræos. 13. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt.* Et colligi etiā potest ex Paulo ibidem dicente. *Quorum animalium infertur sanguis pro peccato, horum corpora cremā-*

Heb. 5 Passio Christi verum ac proprium sacrificium. Ephes. 5. Hebre. 7. Heb. 13.

A *tur extra castra, ita & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est*: indicans in mysterio crucis, quod extra portam peractum est, oblatum fuisse hoc sacrificium. Ideò etiam Christus portans crucem dicitur fuisse significatus in Isaac portante ligna ad sacrificium. Igitur reliqua, quæ antecesserunt, fuerunt quasi via, & applicatio victimæ ad sacrificium: ipsum verò sacrificiū non sine magno mysterio, & diuina ordinatione veluti ritu mystico extra portam in altari crucis, manibus extensis, solenni die Paschæ, consummatum est. Gen. 22.

Ad aliam difficultatem, quòd sacrificium oportet esse signum sensibile. Respondetur, duplicem significationem posse in sacrificio excogitari, aliam moralē, de qua dixit Augustinus lib. 10. de Ciuit. ca. 5. *Sacrificium visibile inuisibilis sacrificij signum esse*: aliam mysticam, de qua dixit Augustinus lib. 1. contra aduersarios legis, & Proph. capit. 18. *Vnum verum, & singulare sacrificium Christi multis esse antea sacrificiorum significatum figuris.* Prior significatio est essentialis omni sacrificio, quia sine illa esse nō potest verus cultus latriæ, quod est de essentia sacrificij: & hæc significatio in Christi sacrificio inuēta est. Significabat enim internū sacrificium, quo Christus vitam suam offerebat ad placandum Deum, significabat etiam destructionem peccati, & ipsius mortis mortem, quam sacrificiū illud operaturum erat. Posterior autē significatio non est de essentia sacrificij, sed inuenta est in omnibus sacrificiis veris, & à Deo, vel ex singulari eius inspiratione institutis, vel in expectationem, vel in commemorationem sacrificij Christi. At verò in sacrificio Christi, quod fuit prototypus cæterorum sacrificiorum, non oportuit significationem illam inueniri, sed potius ipsum per cætera sacrificia significari.

B

C

Aug. *Quæ nam significatio sit de ratione proprij sacrificij.*

Et ex his ad alteram partem (scilicet quòd oporteat sacrificium lege stabiliri) respondetur, illud esse verum de sacrificio (vt ita dicam) legali, quod cum lege durat non verò de sacrificio, quod est supra omnem legem communiter hominibus impositam, quale fuit sacrificiū Christi, quod causa vniuersalis, & exemplar sacrificiorum omniū, finisque legis veteris, ac principium, & fundamentum nouæ, fuit.

ARTI-

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrùm passio Christi operata sit nostram salutem per modum redemptionis.

167 Infr.q. 49 ar.2.&2. d.19.ar.2. &3.d.19. art.4.& op.60.ca, 18.col.6.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd passio Christi non sit operata nostram salutem per modum redemptionis. Nullus enim emit, vel redimit quod suũ esse non desiit. Sed homines nunquã desierunt esse Dei: secundum illud Psalm. 23. Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi, qui habitãt in eo. Ergo videtur, quòd Christus non l.13.de Tr. cap.13.in prin.to.3. redemerit nos sua passione. ¶ 2. Præterea, Sicut Augustinus dicit 13. de Trinitate. Diabolus à Christo iustitia superandus fuit. Sed hoc exigit iustitia, vt ille qui inuasit dolosè rem alienam, debeat priuari ea, quia fraus, & dolus nemini debet patrocinari, vt etiam iura humana dicunt. Cùm ergo diabolus creaturam Dei, scilicet hominem, dolosè deceperit, & sibi subiugauerit, videtur, quòd non debuerit homo per modum redemptionis ab eius eripi potestate.

¶ 3. Præterea, Quicunque emit, aut redimit aliquid, pretium soluit ei, qui possidebat. Sed Christus non soluit sanguinem suum (qui dicitur esse pretium redemptionis nostræ) diabolo, qui nos captiuos tenebat. Non ergo Christus sua passione nos redemit. ¶ Sed contra est, quod dicitur 1. Pet. 1. Non corruptibilibus auro, vel argẽto redẽpti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati, & incontaminati Christi. Et Galat. 3. dicitur, Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictũ. Dicitur autẽ pro nobis factus maledictũ, inquantũ pro nobis passus est in ligno, vt suprà dictum est. Ergo per passionem suam nos redemit.

9.46 ar.4 ad. 3. arg.

A ¶ Respondeo dicendum, quòd per peccatum dupliciter homo obligatus erat. Primò quidem seruitute peccati, quoniã qui facit peccatum, seruus est peccati: vt dicitur Ioan. 8. & 1. Pet. 2. A quo quis superatus est, huius & seruus est. Quia igitur diabolus hominem superauerat, inducendo eum ad peccatum, homo seruituti diaboli addictus erat. Secũdò, quãtum ad reatum pœnæ, quo homo erat obligatus secundum Dei iustitiam. Et hoc etiam est seruitus quædam, ad seruitutẽ enim pertinet, quòd aliquis patiatur quod non vult: cùm liberi hominis sit vti seipso, vt vult. Quia igitur passio Christi fuit sufficiẽs, & superabũdãs satisfactio pro peccato, & reatu pœnæ generis humani: eius passio fuit quasi quoddam pretium, per quod liberati sumus ab vtraque obligatione. Nam ipsa satisfactio qua quis satisfacit, siue pro se, siue pro alio, pretium quoddam dicitur, quo seipsum, vel alium redimit à peccato, & à pœna: secundum illud Danie. 4. Peccata tua eleemosynis redime: Christus autem satisfecit non quidem pecuniam dãdo, aut aliquid huiusmodi: sed dando id quod fuit maximum, seipsum scilicet pro nobis. Et ideò passio Christi dicitur esse nostra redemptio.

C ¶ Ad primum ergo dicendum, quòd homo dicitur esse Dei dupliciter. Vno modo inquantum subiicitur potestati eius. Et hoc modo nunquam homo desiit Dei esse: secundum illud Daniel. 4. Dominatur excelsus in regno hominum, & cuicunque voluerit, dabit illud. Alio modo per vnionem caritatis ad eum: secundum quod dicitur Romanorum 8. Si quis spiritum Christi non habet, hic nõ est eius. Primo ergo modo nunquam homo desiit esse Dei: secundo verò modo desiit esse Dei per peccatum. Et ideò inquãtum fuit à peccato liberatus Christo passo satisfaciente, dicitur per passionem Christi esse redemptus. ¶ Ad se-

cundum dicendum, quòd homo peccando obligatus erat, & Deo, & diabolo: quantum enim ad culpam, Deum offenderat, & diabolo se subdiderat, ei consentiẽs. Vnde ratione culpæ non erat factus seruus Dei: sed potius à Dei seruitute recedens, diaboli seruitutem incurrerat, Deo iustè hoc permittente, propter offensam in se commissam. Sed quantum ad pœnam, principaliter homo erat Deo obligatus sicut summo iudici: diabolo autem tanquam tortori: secundum illud Matt. 5. Ne forte tradat te aduersarius tuus iudici, & iudex tradat te ministro, ideſt, Angelo pœnarum crudeli: Vt Chryſoſt. dicit. Quanuis igitur diabolus iniustè, quantum in ipso erat, hominem sua fraude deceptum, sub seruitute teneret, & quantũ ad culpam, & quantũ ad pœnã: iustũ tamẽ erat hoc hominẽ pati, Deo permittente quantum ad culpam, & ordinante quantum ad pœnã. Et ideò per respectum ad Deum, iustitia exigebat, quòd homo redimeretur, non autem per respectum ad diabolum.

hom. 11. in Mat in ope reimpe. nõ longe a fi. to. 2.

¶ Ad tertium dicendum, quòd quia redemptio requirebatur ad hominis liberationem per respectum ad Deum, non autem per respectum ad diabolum, non erat pretium soluendũ diabolo, sed Deo: & ideò Christus sanguinem suum (qui est pretium nostræ redẽptionis) non dicitur obtulisse diabolo, sed Deo.

Quod in hoc art. quæritur, reipsa diuersum non est ab eo, quod in præcedentibus tractatum est: solumque proponitur ad explicandam metaphoram emptionis, seu redemptionis, qua meritum, & satisfactio Christi pro nobis in diuina scriptura explicantur. De qua re satis, superque dictum est superiori tom. disputa. 4. sectione tertia.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrùm esse redemptorem, sit propriũ Christi.

A AD quintum sic proceditur. Videtur, quòd esse redemptorem, non sit proprium Christi. Dicitur enim in Psal. 30. Redemisti me Domine Deus veritatis. Sed esse dominum Deum veritatis, conuenit toti Trinitati. Non ergo est proprium Christi. ¶ 2. Præterea, ille dicitur redimere, qui dat pretium redemptionis, sed Deus pater dedit filium suum redemptionem pro peccatis nostris, secundum illud Psalmi 100. Redemptionem misit Dominus populo suo. Gloss. ideſt Christum, qui dat redemptionem captiuis. Ergo non solùm Christus, sed etiam Deus pater nos redemit. ¶ 3. Præterea, Non solùm passio Christi, sed etiam aliorũ Sanctorũ profícua fuit ad nostram salutem: secundũ illud Gloss. 1. Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia. Ergo non solùm Christus debet dici redemptor, sed etiam alij Sancti. ¶ Sed contra est, quòd dicitur Galat. 3. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Sed solus Christus factus est pro nobis maledictum. Ergo solus Christus debet dici noster redemptor.

268 3. dist. 19. art. 4. q. 2.

Glo inter. Idem.

B

C Respondeo dicendum, quòd ad hoc quòd aliquis redimat, duo requiruntur, scilicet actus solutionis, & pretium solutum. Si enim aliquis soluat pro redemptione alicuius rei, pretium, quod non est suum, sed alterius, ipse non dicitur redimere principaliter: sed magis ille, cuius est pretium. Pretium autem redemptionis nostræ est sanguis Christi, vel vita eius corporalis, quæ est in sanguine, quo ipse Christus exoluit. Vnde vtrunque istorum ad Christum pertinet immediatè, inquantum est homo, sed ad totam Trinitatem, sicut ad causam primam, & remotam: cuius erat, & ipsa vita Christi, sicut primi autoris, & à qua inspiratum fuit ipsi homini Christo, vt pateretur pro nobis.

nobis. Et ideò esse immediatè redemptorē, proprium est Christi, inquantum est homo: quanuis ipsa redemptio possit attribui toti Trinitati, sicut primæ causæ.

Ad primum ergo dicendum, quòd Elicitur ex Gloss. ordi. ibi, *Gloss. hoc sic exponit, Tu Domine Deus veritatis, redemisti me in Christo clamāte: in manus tuas Domine commendo spiritum meum. Et sic redemptio immediatè pertinet ad hominem Christum: principaliter autem ad Deū.*

¶ *Ad secundum dicendum, quòd pretium redemptionis nostræ homo Christus soluit immediatè: sed de mandato Patris, sicut primordialis autoris.*

¶ *Ad tertium dicendum, quòd passiones Sanctorum proficiunt Ecclesiæ, non quidem per modum redemptionis, sed per modum exempli, & exhortationis, secundum illud 2. ad Corinth. 1. Siue tribulamur pro vestra exhortatione, & salute.*

COMMENTARIVS.

HVnc articulum egregiè exposuit Caietanus hic. Ex quo aduertendum est primo, posse munus redimendi dici proprium Christi, vel respectu aliarum diuinarum personarum, vel respectu aliorum hominum, vel etiam angelorum. Priori modo ita est proprium Christi esse redemptorem, sicut proprium est illius, incarnari, esse hominem, pati, & mori. Quo circa si redimere significet vitam suam, & sanguinē offerre pro hominibus, hoc ita est proprium Christi, vt nō conueniat alijs personis. Si autem significet absolutè conferre pretium, vel concurrere, excitare, & mouere ad ipsam pretij oblationē, sic non est proprium Christi: sed totius Trinitatis opus. Nam sicut tota Trinitas operata est incarnationem, ita etiam contulit Christo humanam vitam, & sanguinem, atque adeò pretium, quo nos posset redimere, eademque Trinitas inspirauit Christo voluntatem moriendi pro nobis, & illi cooperata est, vt seipsum pro nobis offerret in pretium. Quòd si inquiras, an absolutè Christus solus dicendus sit nos redemisse, & non Pater, neque Spiritus sanctus. Respondeo, hoc ad significationem vocis pertinere, atque ita consulendum esse vsū eius. Videtur autē in scriptura, præsertim in nouo testamento, vbi frequentius sermo est de hominum redemptione, *Redimere*, Dici de eo, qui immediatè soluit pretium, ideôque significare propriam actionem personalem Christi, sicut comedere, vel sanguinem effundere. Vnde Apoc. 5. dicitur de agno, *Dignus es domine accipere librum, & aperire signacula eius quoniā occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo*, & ad Titum. 2. *Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, &c.* Et eodem sensu nomen redemptoris absolutè dictum, proprium est Christi, qui eodem modo dicitur *nostra sanctificatio, & redemptio.* 1. ad Cor. 1. & ita etiam redemptio sæpè attribuitur Christo, vt propria illius, ad Roman. 3. ad Ephes. 1. & ad Colos. 1. 1. ad Timot. 2. & ad Hebræos. 9. Quia ipsius proprium fuit, *Dare animam suam in redemptionem pro multis* Matt. 20. Interdum verò *redimere* sumitur priori modo, & ita explicat D. Thom. hic ad. 1. illud Psal. 30. *Redemisti me, domine Deus veritatis.* Idest redemisti me per Christum, & in Christo: quanquam ad literam, *Redimere*, Illo loco nihil aliud sit, quàm de manibus persequētium eripere, quæ significatio frequens etiam est in scriptura. In ea verò significatione videtur proprie dictum Luc. 1. *Benedictus dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.* Et ad eundem modum exponit D. Tho. in Sol. ad 2. illud Psal. 100. *Redemptionem misit dominus populo suo.*

Redēptio hominum propria Christi quo modo.

1. Cor. 1. Rom. 3. Ephes. 1. Coloss. 1. 1. Tim. 2. Hebr. 9. Matth. 20. D. Tho. Psal. 30. Luc. 1. Psal. 100.

Posteriori modo, idest, facta comparatione ad alias personas creatas, certum, est proprium esse Christi esse redemptorem. Qua de re videantur dicta priori tomo in commentario art. 1. quæst. 26. D. Thom. vbi exposuimus, quomodo Christus sit vnicus mediator inter Deum, & homines, idemque his nominibus, *Redemptoris*, & *Mediatoris*, significari. Contra hoc verò obijcit D. Tho. in argumento. 3. illud ad Coloss. 1. *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Et respondet, passiones Sanctorū proficere Ecclesiæ, non per modum re-

Obiectio Testimonij Pauli ad Coloss. 1. Expositio. Caiet.

demptionis: sed per modum exempli: & exhortationis. Circa quam responsionem meritò dubitat Caietan. quia præter illos duos modos exempli, & exhortationis, possunt opera iustorum prodesse alijs per modum satisfactionis, vel quia vnus propria voluntate potest pro alio satisfacere, illi suam satisfactionem applicando: vel quia satisfactiones sanctorum in thesauro Ecclesiæ repositæ possunt per claues Ecclesiæ applicari alijs ad indulgentiam, & remissionem pœnarum. At verò satisfactio pro alijs genus quoddam redēptionis est, quādoquidē soluto pretio alter â pœna liberatur. Ad quam obiectionem Caiet. multa dicit, nescio tamen an mentem D. Thom. satis explicent. Ego existimo D. Thom. prudenter egisse, id tantum attingendo, quod locus Pauli postulabat. Nam reuera literalis sensus illius loci est, quem D. Tho. significauit. Nam passionibus Christi verè, ac propriè nihil deest, nisi vt nobis earum fructus applicetur, & in hoc laborabat Paulus exemplo, & doctrina, & propter hoc passiones sustinebat, vt etiam in superiori tomo disp. 4. sect. 10 attigimus, & fauente Deo, latius in materia de satisfactione dicemus. An verò passiones iustorum possint alijs prodesse ad satisfactionem, quia neque huius loci erat, neque breuiter explicari poterat, D. Tho. omnino ab ea quæstione abstinuit: & simpliciter negauit huiusmodi opera prodesse Ecclesiæ per modum redemptionis. Ita enim loquendum est absolutè, & simpliciter, etiam si prosint per modū satisfactionis: vel quia licet vnus possit satisfacere pro alio: non tamen de condigno: sed tantum de congruo (vt multi volunt,) vel quod certius est, quia non exper fecta iustitia, quam nomen redemptionis significat. Et hæc videtur esse magis propria ratio, quam alię, quas attigit Caietan. etsi illæ non sint reijciendæ, scilicet, quia satisfactio Christi, est simpliciter necessaria: aliæ tantū ex abundantia: illa liberat simpliciter ab omni culpa, & pœna: hæ tātū à quadam pœna temporali. Quibus etiam addi potest, alias satisfactiones non prodesse ecclesię, nisi vt fundatę in Christo, ex cuius meritis, & virtute prouenit, vt inter membra eius esse possit satisfactionis communicatio. Denique propter has causas nō dicitur homo redimere seipsum quanuis possit prosè satisfacere, ergo multo minus poterit dici redimere alios, etiā si aliquo modo pro illis satisfaciat.

Operæ sanctorum quomodo prosint Ecclesiæ.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrùm passio Christi operata sit nostram salutem per modum efficientiæ.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quòd passio Christi nō sit operata nostram salutē per modum efficientiæ. Causa enim efficiēs nostræ salutis est magnitudo diuinæ virtutis: secundū illud Isa. 59. *Ecce non est abbreuiata manus eius, vt saluare non possit.* Christus autē crucifixus est ex infirmitate: vt dicitur 2. ad Corint. 13. *Non ergo passio Christi efficienter operata est nostram salutem.* 269 Inf. q. 49. 4. 1. cor. Et op. 3. c. 38 fi. et ad Ro. 4. fi. & 1. Co. 1. lect. 2. co. 4.

¶ 2. *Præterea, Nullum agens corporale efficienter agit nisi per contactum, vnde etiam & Christus tangendo mundauit leprosum, vt ostenderet carnē suā salutiferam virtutem habere: sicut Chrysost. dicit. Sed passio Christi non potuit contingere omnes homines. Ergo non potuit efficienter operari salutem omnium hominum.* hom. 26 in Matt. & in opere imperf. ho. 21. id innuit,

¶ 3. *Præterea, Non videtur to. 2. eiusdem esse operari per modum meriti, & per modum efficientiæ: quia ille, qui meretur, expectat effectum ab alio. Sed passio Christi operata est nostram salutem per modū meriti. Non ergo per modum efficientiæ.* ¶ *Sed contra est, quod dicitur 1. ad Corin. 1. quòd verbum crucis, his qui salui fiunt, est virtus Dei. Sed virtus Dei efficienter operatur nostram salutem. Ergo passio Christi in cruce efficienter operata est nostram salutem.*

¶ *Respondeo dicendū, quòd duplex est efficiens, principale, & instrumentale. Efficiens quidem principale humanæ salutis, est Deus. Quia verò humanitas Christi est diuinitatis instrumentum (vt suprà dictum est) ideò ex consequenti omnes actiones & passiones Christi, instru-* q. 13. art. 2. & 3. & q. 43. art. 2.

inſtrumentaliter operantur in virtute diuinitatis ad ſalutẽ humanã. Et ſecundũ hoc paſsio Chriſti efficienter cauſat ſalutem humanam.

Ad primum ergo dicendum, quòd paſsio Chriſti relata ad Chriſti carnem, cõgruit infirmitati aſſumptæ: relata verò ad diuinitatẽ, conſequitur ex ea infinitã virtutẽ, ſecũdũ illud 1. ad Corin. 1. Quod infirmum eſt Dei, fortiùs eſt hominibus: quia ſcilicet ipſa infirmitas Chriſti, in quantum eſt Dei, habet virtutem excedentem omnem virtutem humanam. ¶ *Ad ſecundũ dicendum, quòd paſsio Chriſti, licet ſit corporalis, habet tamen ſpiritualem virtutẽ ex diuinitate vnita. Et ideò per ſpiritualem contactum efficaciã ſortitur, ſcilicet per fidem & fidei ſacramẽtum: ſecundum illud Apoſtoli, Quem propoſuit Deus propitiatorẽ per fidem in ſanguine ipſius.* ¶ *Ad tertiũ dicendũ, quòd paſsio Chriſti ſecundum quod comparatur ad diuinitatem eius, agit per modum efficientiæ: inquantum verò cõparatur ad voluntatẽ animæ Chriſti, agit per modũ meriti: ſecundũ verò quod conſideratur in ipſa carne Chriſti, agit per modũ ſatisfactionis, in quantum per eam liberamur à reatu pœnæ: per modum verò redemptionis, inquantum per eam liberamur à ſeruitute culpæ: per modum autem ſacrificij, inquantum per eam reconciliamur Deo, vt infrà dicetur.*

Doctrina D. Thom. in hoc art. difficilis plane eſt, niſi benignè explicetur. In quo tam ad rem explicandam, quàm ad exponendam ſententiam D. Tho. pro viribus laboratũ eſt ſuperiori tom. diſp. 31. ſect. 7. Neq; hoc loco aliquid addendũ occurrit.

QVAESTIO XLIX.

De Effectibus paſsionis Chriſti, in ſex articulos diuiſa.

DEinde conſiderandum eſt de ipſis effectibus paſsionis Chriſti. ¶ *Et circa hoc quæruntur ſex.* ¶ *Primò, vtrũ per paſsionem Chriſti ſimus liberati à peccato.* ¶ *Secũdò, vtrùm per eam ſimus liberati à poteſtate diaboli.* ¶ *Tertiò, vtrùm per eam ſimus liberati à reatu pœnæ.* ¶ *Quartò, vtrùm per eam ſimus Deo reconciliati.* ¶ *Quintò, vtrùm per eam ſit nobis aperta ianua cœli.* ¶ *Sextò, vtrùm per eam Chriſtus adeptus ſit exaltationem.*

Cùm paſsio Chriſti potiſſimum operetur per modum meriti, & ſatisfactionis, nihil aliud eſt quærere effectus illius paſsionis, quàm quærere quid Chriſtus ſua paſsione meruerit, aut pro quibus perſonis, vel pro qua re ſatisfecerit. De quo in priori tomo fuſè diſputatum eſt, & ideò ferè in tota hac quæſt. nihil aliud præſtabimus, quàm deſignare loca, in quibus tractata vnaquęq; res eſt. Ordo verò huius, præcedentiſque quęſtionis videri poteſt quodã modo inuerſus, quia prius oportebat inueſtigare, quid cauſą poſsit operari, & deinde modum, quo poteſt operari: D. Tho. verò voluit prius explicare varios modos operandi paſsionis Chriſti, quia ad ſingulos effectus poſſunt omnes, vel plures eorum applicari, quod in artic. 1. & alijs præſtat, eſtq; ad eorum intelligentiam obſeruandum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm per paſsionem Chriſti ſimus liberati à peccato.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quòd per paſsionem Chriſti non ſimus liberati à peccato. 270 3. d. 19. ar. 1. *Liberare enim à peccato, eſt proprium Dei: ſecundũ illud Iſa. 43. Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me. Chriſtus autem non eſt paſſus ſecundũ quod Deus, ſed ſecundum quod homo. Ergo per paſsionẽ Chriſti non ſumus liberati à peccato.* ¶ 2. *Præterea, Corporale nõ agit in ſpirituale. Sed paſsio Chriſti eſt corporalis, peccatum autem non eſt niſi*

in

in anima, quæ est spiritualis creatura. Ergo passio Christi non potuit nos emundare à peccato. ¶ 3. Præterea, Nullus potest liberari à peccato, quod nondũ cõmisit, sed quod in posterum est committendum. Cũ igitur multa peccata post Christi passionem sint commissa, & tota die committantur, videtur quòd per passionem Christi non simus liberati à peccato. ¶ 4. Præterea, posita causa sufficiẽt nihil aliud requiritur ad effectum inducendum. Requiruntur autem adhuc alia ad remissionem peccatorum, scilicet baptismus, & pœnitẽtia. Ergo videtur, quòd passio Christi non sit sufficiens causa remissionis peccatorum. ¶ 5. Præterea, Prouer. 10. dicitur, Vniuersa delicta operit caritas, & 15. dicitur, per misericordiã, & fidem purgãtur peccata. Sed multa sunt alia de quibus habemus fidem, & quæ sunt prouocatiua caritatis, ergo passio Christi non est propria causa remissionis peccatorum. ¶ Sed contra est, quod dicitur Apoca. 1. Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.

Respondeo dicẽdum, quòd passio Christi est propria causa remissionis peccatorũ tripliciter. Primò quidem, per modũ prouocãtis ad caritatem: quia vt Apost. dicit Rom. 5. Commendat Deus suam caritatem in nobis, quoniam cùm adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est. Per caritatem autem consequimur veniam peccatorum, secundum illud Lucæ 7. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniã dilexit multũ. Secundò passio Christi causat remissionem peccatorũ per modum redemptionis: quia enim ipse est caput nostrum per passionem suam, quã ex caritate, & obedientia sustinuit, liberauit nos tanquam membra sua à pecatis: quasi per pretium suæ passionis. Sicut si homo per aliquod opus meritorium, quod manu exerceret, redimeret se à peccato quod pedibus commisisset. Sicut enim naturale corpus est vnum ex mẽbrorum diuersitate consistens, ita tota Ecclesia, quæ est mysticum corpus Christi, computatur quasi vna persona cum suo capite quod est Christus. Tertiò, per modum efficientiæ, in quantũ caro secundùm quã Christus passionem sustinuit, est instrumentũ diuinitatis: ex quo eius passiones, & actiones operãtur in virtute diuina ad expellendum peccatum.

Ad primum ergo dicendum, quòd licet Christus non sit passus secundũ quòd Deus, tamen caro eius est diuinitatis instrumentum. Et ex hoc passio eius habet quandam diuinam virtutem dimittendi peccata, vt dictum est. ¶ Ad secundum dicendum, quòd passio Christi licet sit corporalis: sortitur tamen quandã spiritualem virtutem ex diuinitate, cuius caro ei vnita est vt instrumentum. Secundum quam quidẽ virtutem, passio Christi est causa remissionis peccatorũ. ¶ Ad tertium dicẽdum, quòd Christus sua passione nos à peccatis liberauit causaliter, ideſt, instituẽs causam nostræ liberationis, ex qua possent quæcunque peccata quandocunque remitti, vel præterita, vel præsẽtia, vel futura. Sicut si medicus faciat medicinam, ex qua possint quicunque morbi sanari, etiam in futurũ. ¶ Ad quartũ dicendum, quod quia passio Christi præcessit, vt causa quædam vniuersalis remissionis peccatorum (sicut dictũ est) necesse est quòd singulis adhibeatur ad deletionem propriorum peccatorum. Hoc autem fit per baptismum, & pœnitentiam, & alia sacramenta, quæ habẽt virtutem ex passione Christi, vt infrà patebit. ¶ Ad quintum dicendum, quòd etiam per fidem applicatur nobis passio Christi ad percipiendum fructum ipsius: secundum illud Rom. 3. Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius. Fides autem per quam à peccato mundamur, non est fides informis: quæ potest esse etiam cùm peccato, sed est fides formata per caritatem, vt sic passio Christi

Incor. ar.

q. 46. ar. 4 & alijs.

q. 62. art. 5

Christi nobis applicetur, non solum quantum ad intellectum, sed etiam quantum ad affectum. Et per hunc etiam modum peccata dimittuntur ex virtute passionis Christi.

De hoc artic. videantur dicta superiori tomo, disput. 4. sect. 3. & disput. 41. sectione. 1.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum per passionem Christi simus liberati a potestate diaboli.

271 2. d. 19. ar. 2. & 3. dis. 19. a. 2. et veri q. 29. a. 7. ad 9. et cpu. 60 c. 18. co. 8. et He. 2. le. 4 6. 1.

AD secundum sic proceditur. *Videtur, quòd per passionẽ Christi non simus liberati à potestate diaboli. Ille enim non habet potestatem super aliquos, in quibus nihil sine permissione alterius facere potest. Sed diabolus nunquam potuit aliquid in nocumentum hominum facere, nisi ex permissione diuina: sicut patet Iob 1. & 2. quòd potestate diuinitus accepta, eũ primo in rebus, & postea in corpore læsit. Et similiter Matt. 8. dicitur, quòd dæmones nisi Christo concedente, non potuerũt in porcos intrare. Ergo diabolus nunquã habuit in hominibus potestatem. Et ita per passionẽ Christi nõ sumus liberati à potestate diabolo.* ¶ *2. Præterea, Diabolus potestatem suam in homines exercet tentando, & corporaliter vexando. Sed hæc adhuc in hominibus operatur post Christi passionẽ. Ergo non sumus per passionem Christi ab eius potestate liberati.* ¶ *3. Præterea, Virtus passionis Christi in perpetuum durat (secundum illud Hebræ. 10. Vna oblatione consummauit sanctificatos in sempiternum) similiter etiam vbique extenditur. Sed liberatio à potestate diaboli, nec est vbique (quia in multis partibus mundi adhuc sunt idololatræ) nec etiam erit semper: quia tẽpore Antichristi maximè suam potestatẽ exercebit diabolus in hominum nocumentũ: de quo dicitur 2. ad Thes. 2. quòd eius aduẽtus erit secundum operationem Satanæ in omni virtute, & signis & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis. Ergo videtur, quod passio Christi non sit causa liberationis humani generis à potestate diaboli.* ¶ *Sed contra est, quod Dominus dicit Ioan. 12. imminente passione, Nunc princeps huius mundi eicietur foras: & ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. Est autem exaltatus a terra per crucis passionem. Ergo per eam diabolus est à potestate hominũ iectus.*

Respondeo dicendum, quòd circa potestatẽ, quã diabolus in homines exercebat ante Christi passionem, tria sunt consideranda. Primum quidem ex parte hominis, qui suo peccato meruit, vt in potestatem traderetur diaboli, per cuius tentationẽ fuerat superatus. Aliud autem est ex parte Dei, quẽ homo peccãdo offenderat, qui per suam iustitiam hominem reliquerat potestati diaboli. Tertium est ex parte ipsius diaboli, qui sua nequissima voluntate hominem à consecutione salutis impediebat. Quantum ergo ad primum, homo est à potestate diaboli liberatus per passionẽ Christi, in quantũ passio Christi est causa remissionis peccatorum. Quantum autẽ ad secundum dicendũ, quòd passio Christi nos a potestate diaboli liberauit, in quantum nos Deo reconciliauit, vt infra dicetur. Quantum verò ad tertium, art. 3. huius quæst. *passio Christi nos a diabolo liberauit, in quantũ in passione Christi excessit modũ potestatis sibi traditæ a Deo, machinando in mortem Christi, qui nõ habebat meritum mortis, cum esset absque peccato. Vnde Augus. dicit in 13. de Tri. Iustitia Christi victus est diabolus, quia cùm in eo nihil morte dignum inueniret, occidit eum tamen: & vtique iustum est, vt debitores, quos tenebat, liberi dimittantur, in eũ credẽtes, quẽ sine vllo debito occidit.* l. 13. c. 14. non lõge a fin. tom. 3

Ad primum ergo dicendum, quòd non dicitur

dicitur sic diabolus in homines potestatem habuisse, quasi posset eis nocere, Deo non permittente. Sed quia iustè permittebatur nocere hominibus, quos tentando, ad suum cõsensum perduxerat. ¶ Ad secundum dicendum, quòd diabolus etiã nunc potest quidem Deo permittente homines tentare, quantum ad animam, & vexare quantum ad corpus. Sed tamen præparatum est homini remedium ex passione Christi, quo se potest tueri contra hostis impugnationes, ne deducatur in interitum mortis æternæ. Et quicunque ante passionem Christi diabolo resistebãt per fidem passionis Christi hoc facere poterant, licet passione Christi nondum peracta. Quantum autem ad aliquid nullus poterat diaboli manus euadere: vt scilicet non descenderet in infernum à quo post passionem Christi, se possunt homines eius virtute tueri. ¶ Ad tertium dicendum, quòd Deus permittit diabolo posse decipere homines in certis personis, temporibus, & locis, secundum occultã rationem iudiciorum suorum. Semper tamen per passionem Christi est paratũ hominibus remedium se tuendi contra nequitias dæmonum, etiam tempore Antichristi. Sed si aliqui hoc remedio vti negligant, nil deperit efficaciæ passionis Christi.

A B

COMMENTARIVS.

EAdem sunt loca consulenda, quia res eadem est, alijs verbis explicata, quia nõ aliter liberauit nos Christus á potestate diaboli, quàm liberando nos à peccato. Quod fecit aut merendo nobis remissionem peccati iam contracti, vel cõmissi, vel merendo nobis auxilium ne in peccata labamur, & quo dæmonis tentationes vincere possimus: vel certè suis meritis obtinendo, ne dæmon nos tam acriter insectari, & tentare permittatur. Quæ in prædictis locis tractata, & explicata sunt omnia. Circa id verò, quod D. Th. ait, dæmonem in passione excessisse modum potestatis sibi traditæ á Deo, dubitat Caiet. quia dæmon non potuit facere, nisi quod Deus illi permisit. Sed responsio est facilis, D. Th. nõ loqui de absoluta permissione Dei: sed de potestate illa, quæ data est dæmoni vt tortori ad vindicandam in homine iniuriam diuinam, quã in se, vel in suo parente cõmiserat. Quam potestatem excessit, quando Christum aggressus est, qui immunis erat à peccato.

C

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum per passionem Christi homines sint liberati à pœna peccati.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd per passionẽ Christi, nõ sint homines liberati à pœna peccati. Præcipua. n. pœna peccati est æterna damnatio. Sed illi qui damnati erant in inferno pro suis peccatis, non sunt per Christi passionem liberati: quia in inferno nulla est redẽptio. Ergo videtur, quòd passio Christi nõ liberauit homines à pœna peccati. 272 Inf. q. 52. ar. 5 cor, & q. 86. a. 4. ad 3. Et 3. di. 19 a. 3. & verit. q. 29. a. 7. ad 9.

¶ 2. Præterea, Illis, qui sunt liberati à reatu pœnæ, non est aliqua pœna iniungẽda. Sed pœnitentibus iniungitur pœna satisfactoria. Non ergo per passionẽ Christi sunt homines liberati à reatu pœnæ.

¶ 3. Præterea Mors est pœna peccati: secundũ illud Rom. 6. Stipendium peccati mors. Sed adhuc post passionẽ Christi homines moriuntur, ergo per passionẽ Christi nõ sunt homines liberati à reatu pœnæ.

¶ Sed cõtra est, quod dicitur Isa. 53. Verè lãguores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.

Respõdeo dicendũ, quòd per passionẽ Christi liberati sumus à reatu pœnæ dupliciter. Vno modo directè, inquantũ scilicet passio Christi fuit sufficiens, & superabundans satisfactio pro peccatis totius humani generis. Exhibita autẽ satisfactione sufficienti, tollitur reatus pœnæ. Alio modo indirectè, inquantum scilicet passio Christi est causa remissionis peccati, in quo fundatur reatus pœnæ.

¶ Ad

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd paſ* A *ſio Chriſti ſortitur effectũ ſuum in illis, quibus applicatur per fidẽ & caritatem, & per fidei ſacramenta. Et ideo damnati in inferno, qui prædicto modo paſsioni Chriſti non coniunguntur, effectum eius percipere non poſſunt.* ¶ *Ad ſecundum dicendum, quòd (ſicut ſupra dictum eſt) ad hoc, quòd conſequamur effectum paſ-*
ar. 1. huius q. in cor. et ad. 4. *ſionis Chriſti, oportet nos ei configurari. Configuramur autẽ ei in baptiſmo ſacramentaliter: ſecundum illud Rom. 6. Conſepulti ſumus ei per baptiſmum in mortẽ. Vnde baptizatis nulla pœna ſatisfactoria imponitur: quia ſunt totaliter liberati per ſatisfactionem Chriſti. Quia verò Chriſtus ſemel tãtùm pro peccatis noſ-* B *tris mortuus eſt (vt dicitur 1. Pet. 3.) ideo non poteſt homo ſecundariò configurari morti Chriſti per ſacramentum baptiſmi. Vnde oportet, quòd illi qui poſt baptiſmum peccant, configurentur Chriſto patienti, per aliquid pœnalitatis vel paſſionis, quam in ſeipſis ſuſtineant: quæ tamen multò minor ſufficit, quàm eſſet condigna peccato, cooperante ſatisfactione Chriſti.* ¶ *Ad tertium dicendum, quòd*
ar. 1. huius quæ. *ſatisfactio Chriſti habet effectum in nobis, in quantum incorporamur ei, vt membra ſuo capiti: ſicut ſupra dictum eſt. Membra autem oportet capiti conforma-* C *ri. Et ideo ſicut Chriſtus primò quidem habuit gratiam in anima cum paſsibilitate corporis, & per paſsionem ad gloriã immortalitis peruenit, ita & nos qui ſumus membra eius, per paſsionem ipſius liberamur quidem à reatu cuiuslibet pœnæ: ita tamen, quòd primò recipimus in anima ſpiritum adoptionis filiorum, quo aſcribimur ad hæreditatem gloriæ immortalis, adhuc corpus paſsibile, & mortale habẽtes. Poſtmodum verò configurati paſsionibus, & morti Chriſti, in gloriã immortalem perducimur: ſecũdum illud Apoſtoli Rom. octauo. Si filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur.*

Videantur loca prædicta, & pro materia de ſatisfactione notetur ſolutio ad 2. quam merito Caiet. obſeruauit.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrùm per paſsionem Chriſti ſimus Deo reconciliati.

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quòd per paſsionẽ Chriſti non ſimus Deo reconciliati. *Reconciliatio enim non habet locum inter amicos. Sed Deus ſemper dilexit nos: ſecundum illud Sapien. 11. Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorũ quæ feciſti. Ergo paſsio Chriſti non reconciliauit nos Deo.* ¶ 2. *Præterea, Non poteſt idem eſſe principium & effectus: vnde gratia, quæ eſt principium merendi, non cadit ſub merito. Sed dilectio Dei eſt principium paſsionis Chriſti: ſecundum illud Ioan. 3. Sic Deus dilexit mũdum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Non ergo videtur, quòd per paſsionem Chriſti ſimus reconciliati Deo, ita quòd de nouo nos amare inciperet.* ¶ 3. *Præterea, Paſsio Chriſti impleta eſt per homines Chriſtum occidentes, qui ex hoc grauiter Deo offenderunt: Ergo paſsio Chriſti eſt magis cauſa indignationis, quàm reconciliationis Dei.* ¶ *Sed contra eſt, quod Apoſtolus dicit Roma. 6. Reconliati ſumus Deo per mortem filij eius.*

Sup. q. 49 a. 4. cor. et 3. d. 19. ar. 5. qu. 1. & opu. 60. c. 18. co. 8.

¶ *Reſpondeo dicendum, quòd paſsio Chriſti eſt cauſa reconciliationis noſtræ ad Deum dupliciter. Vno modo, inquantum remouit peccatum per quod homines conſtituuntur inimici Dei: ſecundum illud Sapient. 14. Similiter odio ſunt Deo impius, & impietas eius, & in Pſal. 6. Odiſti omnes qui operantur iniquitatem. Alio modo in quantum eſt ſacrificium Deo acceptiſsimum: eſt enim*

enim hoc propriè sacrificij effectus, vt per ipsum placetur Deus. Sicut cùm homo offensam in se cõmissam remittit propter aliquod obsequium acceptum, quod ei exhibetur. Vnde dicitur 1 Regum. 26. Si Dominus incitat te aduersum me, odoretur sacrificium. Et similiter tantum bonum fuit, quòd Christus voluntariè passus est, quòd propter hoc bonum in natura humana inuentum, Deus placatus est super omni offensa generis humani, quantũ ad eos, qui Christo passo coniunguntur, secundum modum præmissum.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd Deus diligit omnes homines, quantum ad naturam, quam ipse fecit: sed odit omnes quantum ad culpam, quam contra eum homines committunt: secundum illud Eccl. 12. Altissimus odio habet peccatores.

¶ Ad secundum dicendum, quòd passio Christi non dicitur quantum ad hoc Deo nos reconciliasse, quòd de nouo nos amare inciperet: cùm scriptum sit Hieremiæ trigesimo primo. In caritate perpetua dilexi te. Sed quia per passionem Christi sublata est odij causa, tum per ablationem peccati, tum per recompensationem acceptabilioris boni. ¶ Ad tertium dicẽdum, quòd sicut occisores Christi homines fuerunt, ita & Christus occisus. Maior autem fuit caritas Christi patientis, quam iniquitas occisorum. Et ideo passio Christi magis valuit ad reconciliandum Deum toti humano generi, quàm ad prouocandum ad iram.

COMMENTARIVS.

MAteria huius articuli in eisdem locis disputata est. Est enim eadem, quæ præcedentium diuersis vocibus, & respectibus. Solum est sol. ad 2. adnotanda. Non enim videtur directe respõdere argumento. Nam argumentum procedebat de dilectione Dei, hoc modo. Quia reconciliare nos Deo videtur idem esse, quod promereri nobis amorem diui-

A num, cuius peccando facti eramus indigni: sed Christi passio non potuit promereri nobis Dei dilectionem quia potius supponit Dei dilectionem erga nos, & ab illa processit. Quod argumentum non minus in dilectione æterna procedit, quàm si ex tempore in Deo inciperet: D. Tho. autem in solutione solum respondet Christũ per passionem suam non meruisse, vt Deus ex tempore nos diligere inciperet, quod est euidens. Quia id repugnat Deo, cùm includat mutationem. Meruit ergo, vt ille amor Dei in tempore inciperet habere in nobis effectum, & quantum in se est, abstulit impedimentum illius amoris, offerẽdo condignam fatisfactionem pro peccatis nostris. Sed quanquam hoc verum sit, non videtur omnino satisfactum propriæ difficultati. Ideò addendum est, quanuis dilectio Dei secundum se sit vna, & simplex; per comparationem tamen ad diuersa obiecta ratione distingui, & secundum quandam rationem posse esse principium,

B secundum aliam verò terminum meriti. Vt in præsenti, illa dilectio generalis Dei circa genus humanum, qua voluit illi dare Christum in redemptorem, non cadit sub meritis Christi, sed est principium eorum: at illa, qua propter merita Christi iã exhibita, vel prẽuisa homines sanctificat, & sibi reconciliat, potest optimé cadere sub meritis Christi, siue promerendo nobis effectum illius dilectionis, siue ipsam met dilectionem, vel electionem Dei, vt a nobis liberè terminatam. Vtrunque enim verum est, quidquid aliqui hoc loco contendant. De qua re plura non dicam, quia fusè illam disputaui priori tomo disputat. 41. sectio. 4.

Dilectio Dei, secundum quam cadere sub Christi merito quo modo potuit.

ARTICVLVS QVINTVS.

C

Vtrum Christus sua passione aperuerit nobis ianuam cœli.

274

AD quintum sic proceditur. Videtur, quòd Christus sua passione non aperuit nobis ianuã cœli. Dicitur enim Prouerb. 11. Seminãti iustitiã, merces fidelis. Sed merces iustitiæ est introitus regni cœlestis. Ergo videtur, quòd sancti Patres qui operati sunt opera

3. d. 18. ar. 6. q. 2. & 3. d. 19. art. 3 & 4. d. 4. q. 2 ar. 2. q. 6 et ver. q. 29. arti. 7. ad. 9.

opera iustitiæ, fide consecuti essent introitum regni cœlestis etiam absq; Christi passione. Non ergo passio Christi est causa apertionis ianuæ regni cœlestis. ¶ 2. Præterea, Ante passionem Christi Helias raptus est in cœlum: vt dicitur 4. Regum. 2. Sed effectus non præcedit causam. Ergo videtur, quòd apertio ianuæ cœlestis non sit effectus passionis Christi. ¶ 3. Præterea. Sicut legitur Matthæi. 3. Christo baptizato aperti sunt ei cœli. Sed baptismus præcessit passionem. Ergo apertio cæli non est effectus passionis Christi. ¶ 4. Præterea, Mich. 2. dicitur. Ascendit pandens iter ante eos. Sed nihil aliud videtur esse pandere iter cœli, quam eius ianuam aperire. Ergo videtur, quòd ianua cœli sit nobis aperta, non per passionem Christi, sed per ascensionem eius. ¶ Sed contra est, quod Apostolus dicit Hebræo. 10. Habemus fiduciam in introitu Sanctorum, scilicet cœlestium, in sanguine Christi.

¶ Respondeo dicendũ, quòd clausio ianuæ est obstaculum quoddam prohibens ab ingressu. Prohibebantur autem homines ab ingressu regni cœlestis propter peccatum. quia sicut dicitur Isa. 35. Via illa sãcta vocabitur, & non transibit per eam pollutus. Est autem duplex peccatũ impediens ab ingressu regni cœlestis. Vnum quidem cõmune totius humanæ naturæ, quod est peccatum primi parentis, & per hoc peccatũ præcludebatur homini aditus regni cœlestis. Vnde legitur Gen. 3. quod post peccatum primi parentis, collocauit Deus cherubim, & flammeum gladium atq; versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ. Aliud autem est peccatum speciale vniuscuiusque personæ, quod per proprium actum committitur vniuscuiusque hominis. Per passionem autem Christi liberati sumus, non solùm à peccato communi totius humanæ naturæ, & quantum ad culpam, & quãtum ad reatum pœnæ, ipso soluente pretium pro nobis, sed etiam à peccatis propriis singulorum, qui communicãt eius passioni per fidem, & caritatem, & fidei sacramenta. Et ideo per passionẽ Christi aperta est nobis ianua regni cœlestis. Et hoc est quod Apostolus dicit Heb. 9. quòd Christus assistens pontifex futurorum bonorum, per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta, æterna redemptione inuenta. Et hoc figuratur Numeri 35. vbi dicitur, quòd homicida manebit ibi, scilicet in ciuitate refugij, donec Sacerdos magnus, qui oleo sãcto vnctus est, moriatur, quo mortuo poterit in domũ suam redire.

¶ Ad primum ergo dicendum, quod sancti Patres operando opera iustitiæ, meruerunt introitum regni cœlestis per fidem passionis Christi (secundum illud Heb. 11. Sancti per fidem vicerunt regna operati sunt iustitiam) per quam etiam vnusquisque a peccato purgabatur, quantum pertinet ad emundationem propriæ personæ. Non tamen alicuius fides vel iustitia, sufficiebat ad remouendum impedimentum, quod erat per reatum totius humanæ creaturæ, quod quidem remotũ est pretio sanguinis Christi. Et ideo ante passionem Christi nullus intrare poterat regnum cœleste, adipiscendo scilicet beatitudinem æternam, quæ consistit in plena Dei fruitione. ¶ Ad secundum dicendum, quòd Helias subleuatus est in cœlum aereum: non autem in cœlum empyreum, qui est locus Sanctorum. Et similiter etiam Enoch raptus est ad Paradisum terrestrem: vbi cum Helia simul creditur viuere vsque ad aduentum Antechristi. ¶ Ad tertium dicendum, quod (sicut suprà dictum est) Christo baptizato aperti sunt cœli, non propter ipsum Christum, cui semper cœlum patuit: sed ad significandum, quòd cœlum aperitur baptizatis baptismo Christi, qui habet efficaciam ex passione ipsius. q. 39. ar. 3.

¶ *Ad quartum dicendum, quòd Christus sua passione meruit nobis introitum regni cœlestis, & impedimentum remouit. Sed per suam ascensionem nos quasi in possessionem regni cœlestis introduxit: Et ideò dicitur, quòd ascendit pandens iter ante eos.*

COMMENTARIVS.

IN titulo huius articuli obseruãdum est non esse omnino idẽ mereri nobis regnum cœlorum, seu æternam beatitudinem, & aperire nobis ianuam regni. Nam licet in hoc illud contineatur: non tamen conuertuntur, Christus enim Angelis meruit regnum cœlorum: non tamen propriè eis aperuit ianuam regni, quæ nunquam eis clausa fuit. Hominibus autem per peccatum fuit clausa, per quod contraxerunt reatum æternæ damnationis, & carentiæ beatitudinis, pro quo Christus condignè satisfaciendo, ianuam regni nobis aperuit. Et ita in hac metaphora duplex ille effectus hactenus explicatus meriti, & satisfactionis Christi pro nobis, continetur. Quare in re ferè non explicat effectum distinctum à præcedentibus. Solum in circunstãtia temporis (vt ita dicam) nouum aliquid hoc loco addi potest.

Ad quod intelligendum obseruandum est, dupliciter potuisse Christum aperire hominibus per suam passionem ianuam regni. Vno modo per passionem vel exhibitam, vel præuisam. Nã sicut Deus propter satisfactionem Christi, & merita præuisa, contulit gratiam antiquis iustis, eisq; æternam pœnam remisit; ita etiam potuisset illis æternam beatitudinem conferre. Vnde sicut verè nunc dicuntur per passionem Christi iustificati, ita etiam verè dicerentur per eandem passionem ad regnũ introducti, & consequenter diceretur ianua regni per ipsammet passionẽ eis aperta, quæ per peccatum Adæ fuerat clausa. Quod ergo passio Christi absolutè abstrahendo ab hoc, quòd sit exhibita, vel tantum præuisa, aditum hominibus ad regnum aperuerit, certissimum est ex dictis de meritis, & satisfactione Christi, nec nouam habet quæstionem. Alio ergo modo intelligi potest, passionem Christi exhibitam statim aperuisse hominibus ianuam regni cœlestis: non tamen solum præuisam, & in hoc sensu propriè tractatur, ac definitur hæc quæstio, & in ea, præter omnia, quæ diximus de merito, & satisfactione Christi, duæ aliæ catholicæ veritates includuntur. Prior est, ante mortem Christi nulli hominum patuisse aditum ad æternam beatitudinem obtinendam. Posterior est, à morte Christi omnes iustos, qui nihil habent purgandum, statim introduci ad regnum cœlorum. Sed hæc posterior quæstio proprium locum habet in materia de beatitudine, & ideò, ne ab instituto more recedamus, in eum locum reiicienda est, præsertim cùm ad explicanda Christi mysteria, & valorem meritorum eius ferè nihil pertineat. Certum est enim ex principiis iam traditis, Christum exhibendo satisfactionem, (quantum in se est) sufficientissimè aperuisse ianuam regni, & abstulisse omne impedimentum, atque adeò, quantum est ex parte Christi, statim dari. An verò aliunde, vel ob alias causas differatur, alterius speculationis est, quanquam de fide sit non differri. Prior verò quæstio poterat hoc loco disputari: tamen quia inferius occurret cõmodior locus, cum agemus de statu, & loco animæ Christi separatæ â corpore, ideò vsque in illum locum differenda est.

Ianua cœli per passionẽ Christi quomodo hominibus aperta.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrùm Christus per suam passionem meruerit exaltari.

AD *sextum sic proceditur. Videtur, quòd Christus per suam passionem non meruerit exaltari. Sicut enim cognitio veritatis est proprium Deo, ita & sublimitas: secundum illud Psalm. 112. Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cœlos gloria eius. Sed Christus, secundum quod homo, habuit cognitionem omnis veritatis, non ex aliquo merito præcedente, sed ex ipsa vnione Dei, & hominis: secundum illud Ioan. 1. Vidimus gloriã eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenũ gratiæ, & veritatis. Ergo neq; exaltationem habuit ex merito passionis, sed* 275 3. dist. 18. art. 4 q. 3.

ex

ex ſola vnione. ¶ 2. Præterea, Chriſtus meruit ſibi à primo inſtanti ſuæ conceptionis, vt ſuprà habitum eſt, non autem maior caritas fuit in eo tempore paſſionis, quàm ante Cum ergo caritas ſit merendi principium, videtur, quòd non magis meruerit per paſſionem ſuam exaltationem, quam ante.

q. 19. ar. 4 & q. 34. ar. 4.

¶ 3. Præterea, Gloria corporis reſultat ex gloria animæ, vt Aug. dicit in Epiſtola ad Dioſcorum. Sed Chriſtus per paſſionem ſuam non meruit exaltationem quãtum ad gloriam animæ, quia anima eius fuit beata a primo inſtanti ſuæ conceptionis. Ergo neque etiam per paſſionem meruit exaltationem, quantum ad gloriam corporis. ¶ Sed contra eſt, quod dicitur Philip. 2. Factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod, & Deus exaltauit illum.

Epi. 56. ante me. to. 2.

¶ Reſpondeo dicendum, quòd meritum importat quandam æqualitatem iuſtitiæ, vnde & Apoſtolus dicit Roma. 4. quod ei, qui operatur merces imputatur ſecundum debitum. Cùm autem aliquis ex ſua iniuſta voluãtate ſibi attribuit plus, quàm ſibi debeatur, iuſtum eſt, vt diminuatur etiam quantum ad id, quod ſibi debebatur: ſicut cùm furatur quis vnam ouem, reddet quatuor, vt dicitur Exodo. 22. Et hoc dicitur mereri, in quantum per hoc punitur eius iniqua voluntas. Ita etiam cùm aliquis ſibi ex iuſta voluãtate ſubtrahit quod debebat habere, meretur, vt ſibi amplius ſuperaddatur, quaſi merces iuſtæ voluntatis. Et inde eſt, quòd ſicut dicitur Luc. 14. Qui ſe humiliat, exaltabitur. Chriſtus autem in ſua paſſione ſeipſum humiliauit infra ſuam dignitatem, quantum ad quatuor. Primò quidẽ, quantum ad paſſionem, & mortem, cuius debitor non erat. Secundò, quantum ad locum quia corpus eius poſitum eſt in ſepulcro, & anima in inferno. Tertio, quantum ad confuſionem, & opprobria, quæ ſuſtinuit. Quartò, quantum ad hoc, quòd eſt traditus humanæ poteſtati, ſecundum quod ipſe dicit Pilato Ioan. 19. Non haberes in me poteſtatem, niſi datum tibi eſſet deſuper. Et ideo per ſuam paſſionem meruit exaltationem quantum ad quatuor. Primo quidem, quantum ad reſurrectionem glorioſam: vnde dicitur in Pſal. 138. Tu cognouiſti ſeſsionem meam, ideſt, humilitatem meæ paſſionis, & reſurrectionem meam. Secundò, quantum ad aſcenſionem in cœlum: vnde dicitur Epheſ. 4. Deſcendit primùm in inferiores partes terræ: qui autem deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cœlos. Tertiò, quantum ad conſeſſum paternæ dexteræ & manifeſtationem diuinitatis ipſius: ſecundum illud Iſa. 52. Exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valde: ſicut obſtupuerunt ſuper eũ multi, ſic inglorius erit inter viros aſpectus eius. Et Phili. 2. dicitur. Factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt ſcilicet ab omnibus nominetur Deus, & omnes ei reuerentiam exhibeant ſicut Deo. Et hoc eſt quod ſubditur. Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtiũ, terreſtrium, & infernorum. Quartò, quãtum ad iudiciariam poteſtatem: dicitur enim Iob. 36. Cauſa tua quaſi impij iudicata eſt, cauſam, iudiciumque recipies.

¶ Ad primum ergo dicendum, quod principium merendi, eſt ex parte animæ, corpus autem eſt inſtrumentum meritorij actus. Et ideo perfectio animæ Chriſti quæ fuit merẽdi principium non debuit in eo acquiri per meritum, ſicut perfectio corporis, quod fuit paſſionis ſubiectum, & per hoc fuit ipſius meriti inſtrumentum.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd per priora merita Chriſtus meruit exaltationem ex parte ipſius animæ, cuius voluntas caritate, & alijs virtutibus informabatur. Sed in paſſione meruit ſuam exal-

tationem per modum cuiusdam recompensationis, etiam ex parte corporis: iustum est enim, vt corpus quod fuerat ex caritate passioni subiectum, acciperet recompensationem in gloria. ¶ Ad tertium dicendum, quòd dispensatione quadam factum est in Christo, vt gloria animæ ante passionem non redundaret ad corpus, ad hoc quòd gloriam corporis honorabilius obtineret, quando eam per passionem meruisset. Gloriam autem animæ differri non conueniebat, quia anima immediatè vniebatur Verbo, vnde decens erat, vt gloria repleretur ab ipso Verbo: sed corpus vniebatur Verbo, mediante anima.

De hoc articulo egimus in priori tomo, disput. 40. sect. 3.

HOc loco Bartholomæus Medina, prolixam instituit disputationem de mediis, quibus Christi merita hominibus applicantur, & cur quibusdã, non veró omnibus fructus infinitus meritorũ Christi communicetur. Sed disputatio hæc neque huius loci est, neque vnam tantum Theologiæ materiam, sed plures, easq; grauissimas complectitur, de gratia, & iustificatione, de fide, & operibus, de sacramentis, de prædestinatione, ac reprobatione hominũ, quæ omnia pro dignitate hoc loco tractare, satis per se constat, nec fieri posse, nec expedire, in summã verò ea redigere, & superuacaneum est, & inutile. Quod verò ad præsentem rem spectat paucis verbis attigimus in priori tomo, disp. 4. sect. 3. in fine.

QVAESTIO L.

De morte Christi, in sex articulos diuisa.

DEinde considerandũ est de morte Christi. ¶ Et circa hoc quærũtur sex.

¶ Primo, vtrum conueniens fuerit Christum mori. ¶ Secundò, vtrum per mortem fuerit separata diuinitas à carne. ¶ Tertiò, vtrum fuerit separata diuinitas ab anima. ¶ Quartò, vtrum Christus in triduo mortis fuerit homo. ¶ Quintò, vtrũ corpus eius fuerit idem numero viuum, & mortuum. ¶ Sexto, vtrum mors eius sit aliquid operata ad nostram salutem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum conueniens fuerit Christum mori.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd non fuerit conueniens Christũ mori. Illud enim quod est primum principium in aliquo genere, non disponitur per illud quod est contrarium illi generi: sicut ignis, qui est principium caloris, nunquam potest esse frigidus. Sed filius Dei est fons & principium omnis vitæ: secundum illud Psalm. 35. Apud te est fons vitæ. Ergo videtur, quòd non fuerit conueniens Christum mori. ¶ 2. Præterea, Maior est defectus mortis, quã morbi: quia per morbum peruenitur ad mortem. Sed non fuit conueniens Christum aliquo morbo languescere: vt Chrysostom. dicit. Ergo etiam non fuit conueniens Christum mori. ¶ 3. Præterea, Dominus dicit, Ioãnis. 10. Ego veni, vt vitã habeant, & abundantius habeant. Sed oppositum non perducit ad oppositum. Ergo videtur, quòd non fuerit conueniens Christum mori.

276 Infr. q. 52. art. 1. cor. 4. cõ. c. 55 ad 1. & quol. 2. ar. 2. cor. & opus. 2. ca. 7 et opu. 3. c. 24. et 238 fin. & opu. 60. ca. 19.

¶ Sed contra est, quod dicitur Ioan. 11. Expedit nobis, vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Quod quidem Caiphas propheticè dixit, vt Euangelista testatur.

¶ Respõdeo dicendũ, quod cõueniens fuit Christũ mori, Primò quidẽ ad satisfaciẽdum pro humano genere, quod erat morti adiudicatum propter peccatum: secundum illud Genes. 2. Quacunque die comederitis, morte moriemini. Est autem conueniẽs satisfaciendi pro alio modus, cum aliquis se subiicit pœnæ, quam alius meruit. Et ideo Christus mori voluit, vt moriendo, pro nobis satisfaceret, secundum

cundum illud 1.Pet.3.Christus semel pro peccatis nostris mortuus est. Secundò ad ostendendum veritatem naturæ assumptæ: sicut enim Eusebius dicit. Si aliter post conuersationem cum hominibus, euanescens subitò euolaret fugiens mortem, ab omnibus compararetur phantasmati. Tertiò, vt moriendo, nos à timore mortis liberaret: vnde dicitur ad Heb. 2. quòd communicauit carni, & sanguini, vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, idest, diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti. Quartò, vt corporaliter moriendo similitudini peccati, ideſt, pœnalitati, daret nobis exemplum moriendi spiritualiter peccato, vnde dicitur Rō.6. Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quòd autem viuit, viuit Deo: ita & vos existimate mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo. Quintò, vt à mortuis resurgendo, & virtutem suam ostenderet, qua mortem superauit, & nobis spem resurgendi à mortuis daret. Vnde Apostolus dicit 1.ad Cor.15. Si Christus prædicatur, quòd resurrexit à mortuis, quomodo quidam in vobis dicunt, quòd resurrectio mortuorum non est?

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd Christus est fons vitæ secundū quod Deus non autem secundum quod homo: mortuus est autem secundum quod homo, non secundum quod Deus. Vnde Augustin. dicit contra Felicia. Absit, quòd Christus sic senserit mortem, vt quantum in se est vita, vitam perdiderit: si enim hoc ita esset, vitæ fons aruisset. Sensit ergo mortem participatione humani affectus, quē sponte susceperat: non naturæ suæ perdidit potentiam, per quam cuncta viuificat.*

li.cont. Felic c.14.in princ.to.6

¶ *Ad secundum dicendum, quòd Christus non sustinuit mortē ex morbo prouenientem, ne videretur ex necessitate mori propter infirmitatem naturæ. Sed sustinuit mortem ab exteriori illatam, cui se spontaneum obtulit, vt mors eius voluntaria ostenderetur.* ¶ *Ad tertium dicendum, quòd vnum oppositum per se non ducit ad aliud: sed quandoque per accidēs: sicut frigidum, quandoque per accidens calefacit. Et hoc modo Christus per suam mortem nos perduxit ad vitam, dum sua morte, mortem nostram destruxit: sicut ille, qui pœnam pro alio sustinet, remouet pœnam eius.*

HIC art. nulla indiget expositione. Nam congruentię, quas D. Tho. affert, sunt perspicuę, & de illis: atque alijs videri possunt sententiæ Patrū, quas supra retulimus agentes de passione, & crucifixione. Nam eadem est horum omnium ratio. Videri etiam possunt hę rationes, & aliæ apud Euseb. lib. 4. de Demonst. cap. 12. & Athan. serm. de passione, & cruce domini. In solutionibus item argumentorum nulla est difficultas. Circa solutionem vero ad 2. cur Christus non assumpserit corporis ægritudines, & an naturaliter moreretur, si non esset violenter occisus, videantur, quę diximus superiori tomo disp. 32. sect. 2.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum in morte Christi fuerit separata diuinitas â carne.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd in morte Christi fuerit separata diuinitas à carne. Vt enim dicitur Matt. 27. Dominus in cruce pendens clamabat Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Quod exponens Ambr. dicit. Clamabat homo, separatione diuinitatis moriturus: nam cùm diuinitas à morte libera sit, vtique mors ibi esse non poterat, nisi vita discederet: quia vita diuinitas est. Et sic videtur, quod in morte Christi sit diuinitas separata à carne.

277 3.d.22.q.2. art 1. q.1. & d 21.q.1 art.1.q 1. & quod.2. art.1.cor. & quo. 4. ar. 6. cor. & opusc.3. cap.236.et 237. & opusc.60.ca. 19.fin. li.10.in Luc.in tit. de cōmēd. spiritus Iesu in med. to.5. q.6.art.1.

¶ 2. Præterea, Remoto medio separantur extrema. Sed diuinitas vnita est carni mediante anima: vt suprà habitum est. Ergo videtur, quòd cùm in morte Christi anima sit separata à carne, quod per con-

sequens diuinitas sit à carne separata.

¶ 3. Præterea, Maior est virtus viuificatiua Dei, quàm animæ. Sed corpus mori non poterat nisi anima separata: ergo multò minus mori poterat nisi separata diuinitate. ¶ Sed cõtra est, quod ea quæ sunt humanæ naturæ, non dicuntur de filio Dei, nisi ratione vnionis, vt suprà habitũ q. 16. ar. 4 *est. Sed de filio Dei dicitur id, quod conuenit corpori Christi post mortem, scilicet esse sepultum: vt patet in Symbolo fidei, vbi dicitur, quòd filius Dei cõceptus est, & natus ex Virgine, passus, mortuus, & sepultus. Ergo corpus Christi non fuit in morte à diuinitate separatum.*

¶ Respondeo dicendũ, quòd illud, quod per gratiam Dei conceditur, nunquam absque culpa reuocatur, vnde dicitur Roman. 11. quòd sine pœnitentia sunt dona Dei, & vocatio. Multò autem maior est gratia vnionis, per quam diuinitas vnita est carni Christi in persona, quàm gratia adoptionis, per quam alij sanctificantur, & etiam magis permanẽs ex sui ratione: quia hæc gratia ordinatur ad vnionẽ personalem, gratia autem adoptionis ad quãdam vnionem affectualem, & tamen videmus, quòd gratia adoptionis nunquam perditur sine culpa: cùm igitur in Christo nullum fuerit peccatum, impossibile fuit: quòd solueretur vnio diuinitatis à carne ipsius. Et ideò sicut ante mortẽ caro Christi vnita fuit secundum personã & hypostasim Verbo Dei, ita & remãsit vnita post mortẽ, vt scilicet non esset alia hypostasis Verbi Dei, & carnis Christi post mortem, vt Damascen. dicit in 3. libr.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd derelictio illa non est referenda ad solu- lib. 3. orth. fi. c. 27. circa finem. *tionem vnionis personalis: sed ad hoc quòd Deus pater eum exposuit passioni. Vnde derelinquere ibi, non est aliud, quã non protegere à persequentibus. Vel dicit se derelictum quantum ad illam oratio-*

nem, qua dixerat, Pater si fieri potest, transeat à me calix iste: vt Augustin. exponit in libro de Gratia noui Testamenti. In epi. 120 ex. ca. 6. et 10. tom. 4.

¶ Ad secundum dicendum, quòd Verbum Dei dicitur vnitum carni, mediante anima, in quantum caro per animam pertinet ad humanam naturam, quam filius Dei assumere intendebat: non autem ita quòd anima sit quasi medium ligans vnita. Habet autem caro ab anima quòd pertineat ad humanam naturam, etiam postquam anima separatur ab ea: in quantum scilicet in carne mortua remanet ex diuina ordinatione quidam ordo ad resurrectionem. Et ideò non tollitur vnio diuinitatis ad carnem. ¶ Ad tertiũ dicendum, quòd anima habet vim viuificandi formaliter: & ideo ea præsente, & vnita formaliter, necesse est corpus esse viuũ. Diuinitas autem non habet vim viuificandi formaliter, sed effectiuè: non enim potest esse corporis forma. Et ideo non est necesse, quòd manente vnione diuinitatis ad carnem, caro sit viua: quia Deus non ex necessitate agit, sed ex voluntate.

COMMENTARIVS.

EGregia est ratio, qua D. Thom. probat corpus Christi in morte nõ fuisse à diuinitate separatum. Quia Deus neminem priuat gratia illi concessa absq; eius culpa: gratia autem vnionis facta est corpori Christi. Quam rationẽ sumpsit ex Gregor. Nyssen. orat. 1. de resurrect. cuius verba in disput. referam. Eamq; confirmat D. Tho. cõparatione facta inter gratiam vnionis, & adoptionis. Nã gratia adoptionis nũquã amittitur sine culpa, ergo neq; gratia vnionis, quæ maior est, & ex suo genere permanentior, cùm sit substantialis vnio ipsius diuinitatis. Vnde rectè notat Caietan. primam propositionem assumptam intelligendam esse de gratiis suo genere permanentibus, ac de se incorruptibilibus. Nam gratiæ, quæ consistunt in actu secundo, & de se sunt veluti transeuntes, haberi possunt, & amitti sine culpa.

Gre. Nyss.

Corpus Christi in morte à diuinitate non se iunctum — *quare* — Caie.

Sed dicere aliquis posset, quãuis gratia Dei de

Obiectio. de se permanens non auferatur sine culpa, manente subiecto, tamen destructo subiecto posse id accidere. Sicut, si verum est, per gratiam adoptionis aliquas virtutes, vel qualitates permanentes infundi corpori hominis, quanuis illæ non amittantur sine culpa manente homine: tamen illo mortuo destruentur, etiamsi nulla culpa intercedat, ergo eodem modo, cum gratia vnionis facta sit humanitati, destructa per mortem humanitate, tolletur illa gratia. Respondetur vnionem
Responsio illam ita esse factam cum humanitate, vt perse, & immediatè facta etiam fuerit cum anima, & corpore (vt supra. q. 6. latè dictum est) & ideo quâuis per mortem destructa fuerit humanitas: non tamè destructum omnino fuit subiectum, in quo vnio illa facta est, ac proinde non fuit priuatum gratia vnionis sibi concessa. Di
Obiectio. ces, ergo nulla pars corporis, seu materiæ, in qua facta est hęc vnio separata est amplius à Verbo, propter eandem rationem: consequens autem est planè falsum. Quia partes materiæ, quę per continuam actionem materiæ resoluebantur, vnitæ erant B Verbo, & tamen sine dubitatione vlla, dimittebantur. Respondetur, negãdo sequelam, quia in huiusmodi partibus, cùm resoluuntur, & separantur potest dici destrui subiectum, in quo facta est vnio. Quia licet maneat eadem materia prima: non tamen manet in ratione corporis humani, seu partis humani corporis, cui facta est hæc gratia. Nam propterea dicitur corpus hoc assumptum mediante anima, vt hic
D. Tho. explicat D. Thom. ad. 2. & latius diximus priori tomo, disp. 17. sect. 4. Denique in illis partibus, cùm non essent iterũ vniendæ animę, non fuit ratio, ob quam diuinitati vnitæ manerent.

In sol. ad. 1. obseruandum est, in argumẽto D. Thom. proposuisse sententiam Am
Amb. broſij exponentis verba illa, *Deus, Deus*
Mat. 27. *meus, vt quid dereliquisti me?* de derelictione
Hila. per separationem diuinitatis à carne, cui potuisset etiam adiungere Hilarium can. 33. in Matth. dicentem, *clamor vero ad Deũ corporis vox est recedentis a se Verbi contestata dissidium.* In solutione verò respondet D. Thom. aliter exponendo verba Christi, de derelictione per permissionem passionis, & mortis. Ad autoritatem autem Ambrosij nihil dicit, modestè illũ reprehendens, & eius sententiam relinquens, A indicans nullam pati expositionem: & idẽ iudicium est de verbis Hilarij, sunt enim simillima. Possemus quidem eos exponere de recessu, vel separatione diuinitatis non substantiali, sed quoad protectionem & defensionem: tamen vix patiuntur verba hunc sensum: sed de hoc plura in Disp.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum in morte Christi fuerit facta separatio diuinitatis ab anima.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd in morte Christi fuerit facta separatio diuinitatis ab anima. Dicit enim Dominus Ioan. 10. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Non autem videtur, quòd corpus animã ponere possit, eam a se separando: quia anima non subijcitur potestati corporis, sed potius conuerso. Et sic videtur quòd Christo, secundum quod est Verbum Dei, conueniat animam suam ponere. Hoc autem est eam a se separare. Ergo per mortẽ anima eius fuit a diuinitate separata.* 278 3. d. 21. q. 1 ar. 1. q. 2. & quod. 2. ar. 1. co. & opusc. 3. c. 236. & op. 60. c. 9. fi. & Psal. 21. col.

¶ 2. *Præterea, Atha. dicit maledictum, qui totum hominem quem assumpsit Dei filius, denuo assumptum, vel liberatũ, tertia die a mortuis resurrexisse non confitetur. Sed non potuit totus homo denuo assumi, nisi aliquando fuerit totus homo a Verbo Dei separatus. Totus autem homo componitur ex anima & corpore. Ergo aliquando fuit facta separatio diuinitatis & a corpore & ab anima.* ¶ 3. *Præterea, Propter vnionem ad totũ hominem, filius Dei verè dicitur homo. Si ergo soluta vnione animæ & corporis per mortẽ, Verbum Dei remansit vnitum animæ, sequeretur quòd verè dici potuisset, filiũ Dei esse animam. Hoc autem est falsum: quia cùm anima sit forma corporis, sequeretur, quod verbũ Dei fuerit corporis forma, quod est impossibile, ergo in mor-* refertur. 3. sentent. di. 2 paragrapho. 6.

te Christi anima fuit à Verbo Dei separata.

¶ 4. Præterea, Anima & corpus ab inuicem separata, non sunt vna hypostasis, sed duæ. Si igitur Verbum Dei remansit vnitum tam corpori, quàm animæ Christi, separatis eis ab inuicem per mortem Christi, videtur sequi, quòd Verbum Dei durante morte Christi fuerit duæ hypostases, quod est inconueniens. Non ergo post mortem Christi remansit anima Verbo vnita.

lib.3. orth. fid. c.27. in medio.

¶ Sed contra est, quod dicit Damascen. 3. in lib. Etsi Christus mortuus est vt homo, & sancta eius anima ab incontaminato diuisa est corpore: diuinitas tamen inseparabilis ab vtrisque permansit ab anima dico, & corpore.

ar. præc. in arg 2 & q. 6. ar. 1.

¶ Respondeo dicendũ, quòd anima vnita est Verbo Dei immediatius, & prius, quã corpus, cũ corpus vnitũ sit Verbo Dei mediante anima, vt supra dictum est. Cùm ergo Verbũ Dei non sit separatũ in morte à corpore, multò minus separatum est ab anima. Vnde sicut de filio Dei prædicatur id, quod conuenit corpori ab anima separato, scilicet esse sepultum: ita de eo in Symbolo dicitur, quòd descẽdit ad inferos, quia anima eius à corpore separata, descendit ad inferos.

Tra. 47 in Ioãnẽ, post med. to. 9.

¶ Ad primum ergo dicẽdum, quòd August. exponens illud Verbum Ioan. inquirit, cùm Christus sit Verbũ, anima, & caro, vtrum ex eo quod est Verbũ, ponat animam, an ex eo quod est anima, an iterum ex eo quod est caro. Et dicit, quod si dixerimus, quòd Verbum Dei animam posuit, sequitur, quòd aliquando anima illa separata est à Verbo, quod est falsum: mors enim corpus ab anima separauit, à Verbo autem animam separatam esse non dico. Si verò dixerimus, quòd ipsa se anima ponat, sequitur, quòd anima ipsa à se separata sit: quod est absurdum. Relinquitur ergo, quòd ipsa caro animam suã ponit, & iterum eam sumit, non potestate sua, sed potestate Verbi inhabitantis carnem: quia sicut suprà dictum est, per mortem non est separata diuinitas Verbi à carne. Incor. ar.

¶ Ad secundum dicendũ, quòd in Verbis illis Athanasius non intellexit, quòd totus homo denuò sit assumptus, id est, omnes partes eius, quasi Verbum Dei partes humanæ naturæ deposuerit per mortem: sed quòd iteratò totalitas naturæ assumptæ, sit in resurrectione redintegrata per iteratam vnionem animæ & corporis. ¶ Ad tertium dicendum, quòd Verbum Dei propter vnionem humanæ naturæ, non dicitur humana natura: sed dicitur homo, quod est habens humanam naturam. Anima autem & corpus sunt partes essentiales humanæ naturæ. Vnde propter vnionem Verbi ad vtrunque eorum, non sequitur, quòd Verbum Dei sit anima vel corpus, sed quod sit habens animam vel corpus.

lib.3 orth. fid. ca.27. a medio.

¶ Ad quartum dicendum, quod sicut Damascen. dicit in 3. libro, quòd in morte Christi est separata anima à carne, non est vna hypostasis in duas hypostases diuisa, nam & corpus & anima Christi secundum idem ex principio in Verbi hypostasi habuerunt existentiam, & in morte inuicem diuisa, singulum eorum mansit vnam hypostasim Verbi habens. Quare vna Verbi hypostasis, Verbi & animæ & corporis extitit hypostasis: nunquam enim neque anima, neque corpus propriam habuerunt hypostasim, præter Verbi hypostasim. Vna enim semper Verbi hypostasis, & nunquam duæ.

COMMENTARIVS.

HIc articulus ex dictis in superiori explicatus est. In solutione tamen primi argumenti tractat D. Thom. verba illa Ioan. 10. Ego pono animam meam, vt iterum sumam eam, nam potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam. Quibus videtur significare, Verbum diuinum Ioan. 10.

num animam à ſe ſeparaſſe, & iterum aſſumpſiſſe, quia illud pronomẽ ego pro perſona Verbi ſupponit. Et reſpondet ex Auguſtin. tract. 47. in Ioan. illa verba dicta eſſe à Verbo non ſecundum ſe: ſed ratione carnis, ita vt Verbum per carnem animam poſuerit, id eſt, ab eadem carne animam ſeparauerit, & iterum aſſumpſerit. Sed (quidquid ſit de reipſa) non exiſtimo tamen propter hæc verba eſſe neceſſarium dicere, carnem ipſam ſpecialiter concurriſſe ad deponendam, & reſumendã animam. Aliis enim duobus modis poteſt ſufficiẽter explicari ille locus. Primo, vt, *anima*, nihil aliud ſignificet, quãm vitam corporalem, ſicut eſt frequens in ſcriptura, & ibidem paulo antea: *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis*, id eſt, vitam ſuam: Et ita ſenſus eſt facilis, vitam meam corporalem pono, id eſt, voluntarie amitto, *vt iterum ſumam*, id eſt, vt iterum illam mihi reſtituã, & ita exponunt Chryſ. Theophil. & Euthym. Vel ſecundo, ſi per *animam* intelligamus eſſentialem partem, *Verbum ponere animam*, non eſt ſeparare illam à ſe, ſed ſeparatã à corpore ponere. Prior tamen expoſitio videtur propria, & literalis.

Aug. *Teſtimonij Ioan 10. expoſitio.* *Chryſ. Theophyl. Euthym.*

In ſolutione ad ſecundum, attingitur quæſtio, an tota humanitas habeat aliam vnionem ad Verbum diſtinctam à partialibus vnionibus corporis, & animæ: quæ in morte fuerit amiſſa, & in reſurrectione reſtituta. Nam Athanaſius, ibi citatus affirmantem partem indicat, Diuus Thomas verò nihil de hoc affirmauit: ſed ſolum dixit totalitatem naturæ redintegratam fuiſſe in reſurrectione per iteratam vnionem animæ, & corporis. Sed hanc rem ſatis diſcuſſimus priori tomo, diſputatio. 17. ſectio. 5. vbi ſententiam, quam hic indicat Athanaſ. probabiliorem duximus.

Athanaſ.

Circa ſolutionem ad tertium, tractat D. Thomas, an ex vnione Verbi cum anima, vel corpore, ſequatur communicatio idiomatum, quod anima ſit Deus, &c. videantur dicta de hac re ſuprà diſputat. 14. ſectione 3. & 4. & diſputatio. 15. ſectione 6. in fine.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Chriſtus in triduo mortis fuerit homo.

A AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod Chriſtus in triduo mortis fuerit homo. Dicit enim Auguſt. in primo de Trinit. Talis erat illa ſuſceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum. Sed illa ſuſceptio non ceſſauit per mortem. Ergo videtur, quod per mortem non deſierit eſſe homo. 279 3 d. 22. q. 1 arti 1. & quo. 2. art. 1 & quo. 3 ar. 4 cor. ſi & quo 4 ar. 1. et op. 3 c. 236. et opu. 60. c. 20 fin. lib. 1. c. 13. circa prin. tom 3. lib. 9, c. 4. ante med. tom. 5.

¶ 2. Præterea, Phil. dicit in 9. Ethic. quod vnuſquiſque homo eſt ſuus intellectus: vnde & poſt mortem, animam Petri alloquentes dicimus, Sancte Petre ora pro nobis. Sed poſt mortem filius Dei non fuit ſeparatus ab anima intellectuali. Ergo in illo triduo filius Dei fuit homo.

¶ 3. Præterea, Omnis ſacerdos eſt homo, Sed in illo triduo mortis, Chriſtus fuit ſacerdos: aliter enim non verum eſſet quod dicitur in Pſal. 109. Tu es ſacerdos in æternum. Ergo Chriſtus in illo triduo fuit homo. B

¶ Sed contra, Remoto ſuperiori, remouetur inferius. Sed viuum, ſiue animatum eſt ſuperius ad animal, & ad hominem: nam animal eſt ſubſtantia animata ſenſibilis: ſed in illo triduo mortis corpus Chriſti non fuit viuum, neque animatum. Ergo non fuit homo.

Reſpõdeo dicendũ, quod Chriſtum verè fuiſſe mortuũ, eſt articulus fidei. Vnde aſſerere omne illud, per quod tollitur veritas mortis Chriſti, eſt error cõtra fidem. Propter quod in epiſt. ſynodali Cyrilli dicitur, Si quis nõ cõfitetur Dei Verbũ paſſum carne, & crucifixũ carne, & quod mortẽ guſtauit carne, anathema ſit. Pertinet autẽ ad veritatem mortis hominis vel animalis, quod per mortẽ deſinat eſſe homo vel animal: mors enim hominis, vel animalis proũenit ex ſeparatione animæ, quæ complet rationẽ animalis, vel hominis. Et ideo dicere Chriſtũ in triduo mortis hominẽ fuiſſe, ſimpliciter, & abſolutè loquendo, erroneum eſt. Poteſt tamen dici, quod Chriſtus in triduo fuit homo mortuus. C *Habetur in Concil. 1. Ephe. c. 12.*

Quidam tamen confessi sunt Christum in triduo hominem fuisse, dicentes quidē verba erronea, sed sensum erroris non habentes in fide. Sicut Hugo de sancto Vic. qui ea ratione dixit Christum in triduo mortis fuisse hominem, quia dicebat animam esse hominem, quod tamen est falsum: vt in prima Parte ostensum est. Magister etiam sententiarum in 22. dist. tertij libr. posuit, quòd Christus in triduo mortis fuit homo alia ratione: quia credidit quod vnio animæ, & carnis non esset de ratione hominis, sed sufficeret ad hoc, quod aliquid sit homo, quod habeat animam humanam, & corpus, siue coniuncta, siue non coniuncta. Quod etiam patet esse falsum ex his quæ dicta sunt in. 1. p. et ex his quæ supra dicta sunt, circa modum vnionis.

In lib. 2. de sacr. 1. par te cap. 11.

q. 75. ar. 4 lib. 3. sent. d. 22. pa. 1

P. p. q. 75. art. 4. q. 2. art. 5.

A

Ad primum ergo dicendum, quod Verbum Dei suscepit animam, & carnem vnitam: & ideo illa susceptio fecit Deū hominem, & hominem Deum. Non autem cessauit illa susceptio per separationem Verbi ab anima, vel à carne, cessauit tamen vnio carnis, & animæ. ¶ Ad secundum dicendū, quod homo dicitur esse suus intellectus, non quia intellectus sit totus homo, sed quia intellectus est principalior pars hominis, in quo virtualiter consistit tota dispositio hominis. Sicut si rector ciuitatis dicatur tota ciuitas, quia in eo consistit tota dispositio ciuitatis. ¶ Ad tertium dicendum quod esse sacerdotem, conuenit homini ratione animæ: in qua est ordinis character. Vnde per mortē homo nō perdit ordinē sacerdotalem, & multo minus Christus, qui est totius sacerdotij origo.

B

C

COMMENTARIVS.

QVæstio huius art. (si recte consideretur) eadem est cum illa, quam D. Tho. tractauit supra. q. 2. art. 5. an in Christo homine facta fuerit vnio animæ & corporis. Quia qua ratione fuit necessaria illa vnio animę, & corporis vt Verbum fieret homo, eadem ratione fuit necessaria, vt perseueraret homo, & ideŏ sicut ex principio fidei, quod Deus factus est homo, necessario sequitur assumpsisse corpus, & animam inter se vnita, ita ex cōtrario principio, quòd in morte dissoluta fuit vnio animę, & corporis, sequitur tūc Deum desijsse esse hominem. Quo circa nulla hic supereſt noua difficultas. Videantur dicta priori tomo. disputatio. 13. sect. 4.

Dubium.

An verò concedendum sit, in triduo fuisse Christum, quæstio est de modo loquendi, & Durandus quidem in. 3. d. 26. q. 2. absolute negat. Quia Christus dicit suppositum subsistens in duabus naturis, humana & diuina: Christus autem in triduo non subsistebat in illis duabus naturis. Item Iesus non erat in triduo, quia si non erat homo, non erat hic homo, ergo neque erat Christus. Vnde infert Durandus non esse verum, Christum descendisse ad inferos, & iacuisse in sepulcro. Alij verò dixerunt in triduo verè, ac proprie fuisse Christū, quia fuit eius anima: quæ est Christus. Ita Vvicleph, (vt refert Vvaldens. lib. 1. doctrinalis fidei antiquæ cap. 34.) qui hæreticus in modo loquendi non errabat: tamen in sensu, & ratione suæ locutionis incidit in errorem, quem ex Hugone hic refert D. Thom. Dicebat enim animam esse hominem. Dicendum est ergo propriè, & in rigore Christum, vt significat subsistentem in duplici natura integra, non permansisse in triduo, vt argumentum supra factum probat: tamen per synecdochem tribuendo parti appellationem totius, dicitur Christus fuisse in triduo, sicut nunc dicitur Sanctus Petrus esse in cœlo. Vel certe (vt Caiet. hic notat circa titulum arti.) Christus in triduo non significabat suppositum duarum naturarum, ideſt, diuinitatis, & humanitatis: sed suppositum diuinitatis, quod erat vnitum animæ, & corpori. Sed hæc sint satis de quæstione de modo loquendi.

Durand.

Vvaldens.

D. Thom.

Responsio In triduo vere ac proprie Christus fuerit, Caie

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum fuerit idem numero corpus Christi viuentis & mortui.

AD

280 quo.2.ar.1 & quo.3. ar.4 ad 1 & quod.4. q.5.

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quòd non fuerit idem numero corpus Chriſti viuentis, & mortui. Chriſtus enim verè mortuus fuit, ſicut & alij homines moriuntur. Sed corpus cuiuſcunque alterius hominis, non eſt ſimpliciter idem numero mortuum & viuum: quia differunt eſſentiali differentia. Ergo neque corpus Chriſti, eſt ſimpliciter idem numero mortuum & viuum. ¶ 2. Præterea, Secundum Philoſ. in 5. Metaph. Quæcunq; ſunt diuerſa ſpecie, ſunt etiam diuerſa numero. Sed corpus Chriſti viuum, & mortuum fuit diuerſum ſpecie, quia non dicitur oculus, aut caro mortui, niſi æquiuocè: vt patet per Philoſophum in 2. de Anima & 7. Metaph. Ergo corpus Chriſti non fuit ſimpliciter idem numero viuum, & mortuum. ¶ 3. Præterea, Mors eſt corruptio quædam. Sed illud quod corrumpitur corruptione ſubſtantiali, poſtquam corruptũ eſt, iam non eſt: quia corruptio, eſt mutatio de eſſe in non eſſe. Corpus ergo Chriſti poſtquam mortuum fuit, non remanſit idem numero, cùm mors ſit ſubſtantialis corruptio.

Li.5. met. tex.12. to.3.

Li.2. de anima tex. 9. & 7. met. tex.35 to.2 & 3.

circa me. il lius. inci. Ego arbitrabar.

¶ Sed contra eſt, quod Athanaſius dicit in Epiſtola ad Epictetum: Circunciſo corpore, & potato, & manducante, & laborante, & in ligno affixo, erat impaſſibile, & incorporeũ Dei Verbum, hoc erat in ſepulcro poſitum. Sed corpus Chriſti viuum fuit circunciſum, & in ligno affixum. Corpus autem Chriſti mortuum fuit poſitum in ſepulcro. Ergo hoc idem corpus, quod fuit viuum, fuit etiam mortuum.

Reſpondeo dicendum, quòd hoc quod dico ſimpliciter, poteſt accipi dupliciter. Vno modo ſecundum quod ſimpliciter idẽ eſt quod abſolutè: ſicut ſimpliciter dicitur quod nullo addito dicitur, vt Philoſo. dicit. Et hoc modo corpus Chriſti mortuum, & viuum ſimpliciter fuit idem numero: dicitur enim aliquid eſſe idem numero ſimpliciter, quia eſt ſuppoſito idem. Corpus autem Chriſti viuum, & mortuum, fuit ſuppoſito idem: quia non habuit aliam hypoſtaſim, viuum & mortuum, præter hypoſtaſim Verbi Dei, vt ſuprà dictum eſt. Et hoc modo loquitur Athanaſ. in autoritate inducta. Alio modo ſimpliciter idem eſt, quod omnino vel totaliter: & ſic corpus Chriſti mortuum & viuum non fuit ſimpliciter idem numero: quia non fuit totaliter idem, cùm vita ſit aliquid de eſſentia corporis viuentis: eſt enim prædicatum eſſentiale, non accidentale. Vnde conſequens eſt, quòd corpus, quod deſinit eſſe viuum, nõ totaliter idem remaneat. Si autem diceretur, quòd corpus Chriſti mortuum totaliter idem remaneret, ſequeretur quòd non eſſet corruptum, corruptione dico mortis: quod eſt hæreſis Gaianitarum, vt Iſidor. dicit, & habetur in Decretis 24. quæſtio. 3. Et Damaſ. dicit in 3. lib. quòd corruptionis nomen duo ſignificat: Vno modo ſeparationem animæ à corpore, & aliàhuiuſmodi: alio modo perfectam diſſolutionem in elementa. Ergo incorruptibile dicere corpus Domini (ſecundum Iulianum & Gaianum) ſecundum primum corruptionis modum ante reſurrectionẽ, eſt impium, qnia corpus Chriſti non eſſet conſubſtãtiale nobis, nec in veritate mortuum eſſet, nec ſecundũ veritatem ſaluati eſſemus. Secundo autem modo corpus Chriſti fuit incorruptum.

Arti.2. huius quæſt. In argu. Sed contra

Iſid.8.ety. ca 5 In Decre 24. q. 3. ca. Quidamautem hæretici a medio. Dam.li.3. cap. 28. in princip.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd corpus mortuum, cuiuſcunque alterius hominis, non remanet vnitum alicui hypoſtaſi permanenti, ſicut corpus Chriſti mortuum. Et ideò corpus mortuum cuiuſcunque alterius hominis, non eſt idem ſimpliciter, ſed ſecundum quid: quia eſt idem ſecundum materiam, non autem idem ſecundum formam. Corpus autem Chriſti remanet idem ſimpliciter propter identitatem ſuppoſiti: vt dictum eſt. ¶ Ad ſecundum dicendum,

In cor. ar.

dum: quod quia idem numero dicitur aliquid secundum suppositum, idem autem specie est idem secundum formam, vbicunque suppositum subsistit in vna sola natura, oportet, quod sublata vnitate speciei, auferatur vnitas numeralis. Sed hypostasis Verbi Dei subsistit in duabus naturis, & ideo quamuis in Christo non remaneat corpus idem secundum speciē humanæ naturæ, remanet tamen idem numero secundum suppositum Verbi Dei.

¶ *Ad tertium dicendum, quod corruptio, & mors non competit Christo ratione suppositi secundum quod attenditur vnitas, sed ratione naturæ, secundum quam inuenitur differentia mortis, & vitæ.*

COMMENTARIVS.

REsponsio D.Tho. est, simpliciter, id est, absolute, & sine addito, fuisse idem numero corpus propter identitatem suppositi: non tamen fuisse omnino, & ex omni parte idem, cum fuerit sub diuersis formis. De qua assertione quoad rem ipsam postea disputabimus. Quoad intelligentiam verò literæ D.Thom. difficile est, quod ait, illud dici simpliciter idem numero, quod est supposito idem. Anima enim, & corpus Christi inter se non erant vnum numero, etiamsi essent supposito idem, & humanitas, & diuinitas non sunt numero idem, etiamsi sint supposito idē. Et similiter, si Christus dimitteret animā, quam habet, & assumeret aliam, non propterea essent vna numero, licet essent in eodem supposito. Respōdeo, totum hoc pertinere etiam ad modum loquendi. Existimo tamen D.Thomā locutum esse in eo sensu, quo superiori tomo, disput. 13. sect. 2. cum eodem Diuo Thoma, diximus, si Verbum assumeret plures humanitates, futurum esse vnum hominem, & non plures. Sic ergo in præsenti dicit, esse idē corpus numero propter identitatem suppositi, loquendo de corpore in concreto. Obiectiones autem factæ solum probant naturas, vel partes in abstracto sūptas nō posse dici idem numero propter idētitatem suppositi.

Obiectio.

Responsio

ARTIRICVLVS SEXTVS.

Vtrum mors Christi aliquid operata sit ad nostram salutem.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod mors Christi nihil operata sit ad nostram salutē. Mors enim est quædam priuatio: est enim priuatio vitæ. Sed priuatio, cum non sit res aliqua, non habet aliquā virtutem agendi. Ergo non potuit aliquid operari ad nostram salutem. ¶ 2. Præterea, Passio Christi operata est ad nostram salutem per modum meriti. Sic autem nō potuit operari mors Christi: nam in morte separatur anima a corpore, quæ est merendi principium. Ergo mors Christi non est operata aliquid ad nostram salutem. ¶ 3. Præterea, Corporale non est causa spiritualis: Sed mors Christi fuit corporalis, non ergo potuit esse causa spiritualis nostræ salutis. ¶ Sed cōtra est ✠ Augustinus dicit in 4. de Trin. Vna mors nostri Saluatoris (scilicet corporalis) duabus mortibus nostris (id est, animæ, & corporis) saluti fuit.

281 Infr. q 52. ar 2. cor. et q 56. ar. 1 ad 4 & ad Gal. 1. col. 4.

Aug. l. 4. c. 1. cir ca fi. to. 3.

Respondeo dicendum, quod de morte Christi dupliciter loqui possumus. Vno modo, secundū quod est in fieri: alio modo secundum quod est in facto esse. Dicitur autē mors esse in fieri, quando aliquis per aliquā passionē vel naturalē, vel violē tā tendit in mortem. Et hoc modo idē est loqui de morte Christi, & de passione ipsius. Et ita secūdū hunc modū mors Christi causa est salutis nostræ secūdū id quod Quæst. 49 *de passione suprà dictū est. Sed in facto esse, mors Christi cōsideratur, secūdūquod iā facta est separatio corporis & animæ, & sic nunc loquimur de morte Christi. Hoc autē modo mors Christi nō potest esse causa salutis nostræ per modū meriti, sed solum per modū efficientiæ: inquantum scilicet nec per mortem diuinitas separata fuit a Christi carne: & ideo quicquid contigit circa carnem Christi, etiā anima*

animæ separata, fuit nobis salutiferum virtute diuinitatis vnitæ. Consideratur autem propriè alicuius causæ effectus secundum similitudinem causæ: vnde quia mors est quædam priuatio vitæ propriæ, effectus mortis Christi attenditur circa remotionem eorum, quæ contrariãtur nostræ saluti, quæ quidem sunt mors animæ & mors corporis, & ideò per mortem Christi dicitur esse destructa in nobis & mors animæ, quæ est per peccatum nostrum (secundum illud Rom. 4. Traditus est, scilicet in mortem, propter delicta B *nostra) & mors corporis, quæ consistit in separatione animæ: secundum illud primæ ad Corint. 15. Absorpta est mors in victoria.*

Ad primum ergo dicendum, quòd mors Christi est operata salutem nostrã ex virtute diuinitatis vnitæ, & non ex solatione mortis. ¶ *Ad secundum dicendum, quod mors Christi secundum quòd consideratur in facto esse, etsi non est ad nostram salutem operata per modum me-*
Incorp. ar. *riti: est tamen operata per modum efficiẽtiæ, vt dictum est.* ¶ *Ad tertium dicendum, quòd mors Christi fuit quidem* C *corporalis: sed corpus illud fuit instrumẽtum diuinitatis sibi vnitæ, operãs in virtute eius etiam mortuum.*

COMMENTARIVS.

DVo docet in hoc articul. D. Thom. Primum est, Christum per mortem in facto esse nihil meruisse nobis: sed solum per mortem in fieri. Quod est dicere, Christum meruisse nobis toto tempore, quo patiebatur: in instãti verò mortis iam non meruisse. Quod est verisimum, quia tunc iam non erat homo, nec viator, vt latius est à nobis disputatum in superiori tomo disp. 39. sect. 3. Alterũ est, mortem Christi in facto esse per modum efficientiæ operatam esse nostram salutẽ. Quod necessariò est intelligendum de carne ipsa, seu humanitate, quod scilicet, ratione mortis fuerit veluti proportionatũ, & accommodatum instrumentum ad aliquos effectus nostræ salutis, vt etiam hic

A Caietan. & Medina explicarunt, & latius diximus priori tomo, disp. 31. sect. 7.

DISPVTATIO XXXVIII.

In tres sectiones distributa.

De morte Christi quo ad substantiam, & causas eius.

POstquam disputatum est de passione Christi, consequens est, vt de illius morte differamus. De qua tria disputãda occurrunt, primum de morte ipsa secundum se, quod in hac disputatione breuiter expediemus, quia circa D. Thom. literam omnia ferè tacta sunt. Secundo, de prodigiis, quæ in ea morte acciderunt, de quo dicemus disputatione sequenti. Ac denique de tempore quo illa mors accidit, hæc enim sola circunstantia explicãda superest. Cęteræ enim cum ipsa passione expositæ sunt.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Christus vere, ac naturaliter mortuus fuerit.

NOn defuerunt hæretici, qui negarent, Christum verè mortuum esse: Ita enim senserunt Caiani, vt hic D. Tho. refert ex Damasc. lib. 3. de fide c. 28. & Isidor. 8. Ethymolog. cap. 5. Et idem necesse est sensisse hæreticos omnes, qui in Christo veritatem humanæ naturæ, aut corporis humani, aut corporis passibilis negarunt, quorum errores fusè relati, atq; refutati sunt in 1. tom. quæst. 4. & 5. & 14. Hi hęretici nullum omnino habent fundamentũ, nisi fortasse, quôd indecens, & indecorum illis visum est Deũ mori, vel certe, quòd putarunt Christi corpus ex vi vnionis factum esse impassibile. Quod vidętur etiam sensisse Ambros. lib. 10. in Lucam, quatenus sentit, necessariũ fuisse diuinitatẽ recedere â corpore, vt mori posset. *D. Thom. Damasce. Isidor.*

At verò fidei veritas: imo & articulus fidei est, Christum verè fuisse mortuum. In qua veritate probanda non opor- *Christus vere mortuus*
tet prolixius immorari, quia verba Euangelistarum sunt expressa, & in omnibus symbolis eam apertè profitemur. Ac denique hæc est vnica fides, & spes Christianorum, qui per mortẽ Christi credunt se esse redemptos à morte peccati, & ab

æterna

æterna morte animæ, & corporis. Rationes verò sunt theologicæ quidē, quia ad manifestationem diuinæ sapientiæ, & virtutis, & ad delendū delicta nostra, id fuit conuenientissimū, iuxta illud, *Mortuus est propter delicta nostra*, ad Roman. 4. Physicæ verò, quia reuera habuit corpus passibile, & mortale, & tot doloribus, ac passionibus affectum est, vt ad interimendū hominem fuerint sufficientissimæ.

Sed hinc nascitur dubium, an illa mors fuerit naturalis. Potest autem dici naturalis, vel vt distinguitur à miraculosa, vel vt distinguitur à violēta, vel vt distinguitur à libera, & de singulis breuiter dicemus.

Dico ergo secundo, mors Christi in se non fuit miraculosa: sed naturalis. Explico. Nam vt mors in Christo locum haberet. Quoddam miraculum supponi necesse fuit, nimirum vt quanuis anima esset gloriosa, corpus permitteretur esse passibile, & hoc sensu omnis passio, & dolor, & mors Christi potest dici miraculosa, tanquam ex miraculo proueniens. At verò supposito hoc miraculo, dicimus Christi mortē fuisse naturalē, ideſt ex vi actionis naturalium causarum necessario, ac naturali ordine subsecutam. Quo in sensu est certa conclusio, quam docent Theologi in 3. distinct. 36. qui etiam addunt, futurum potius fuisse magnum miraculum, si ex talibus tormentis in tali corpore mors non fuisset subsecuta. Ratione declaratur, quia naturale est homini, vt ad conseruandam vitam talem corporis dispositionem, ac compositionem requirat, ita vt si illa dissoluatur, vel remittatur vsque ad certum gradum, vel terminum, sub illo conseruari nequeat: sed corpus Christi domini magnam per passionem passum est alterationem, & dissolutionem quandam debitæ compositionis, quatenus sanguinem suum effudit, & cum eo alios humores. Ex quo necesse etiam fuit, vt magna vis vitalium, & animalium spiritum effluxerit, ergo, cum hæc alteratio, & dissolutio multis horis durauerit, necessarium fuit peruenire ad eum statum, in quo vita naturaliter conseruari non posset, atque adeò, & mortem naturaliter ingruere.

Mors Christi naturalis

Obiectio.

Dices, potuit anima Christi à corpore recedere, antequam ad eum terminum, extremumque discrimen perueniret, & tunc mors miraculosa esset: ita verò factum esse colligi potest ex illis verbis. *Ego pono animam meam, & nemo tollit eam à me.* Ioann. 12 Vnde D. Tho. q. 47. art. 1. ad. 2. dicit mirabile fuisse in Christi morte, quod mortuus sit citius, quam alij, qui simili passione afficiebantur. Pilatus quoque miratus fuit, quod iam obijsset Mar. 15. & addit D. Tho. *Sicut enim eius voluntate natura corporalis conseruata est in suo vigore vsque ad extremum, sic etiam quando voluit, subito cessit nocumento illato.* sic etiam Cyprian. libr. de idolorum vanitate de Christo dicit, *Cruci fixus prę uento carnificis officio spiritum sponte dimisit*, Et Origenes libr. 2. contra Celsum significat, animam Christi sponte recessisse a corpore quando adhuc naturaliter posset viuere. Et confirmari hoc potest ex modo mortis Christi: refert enim Ioannes, Christū prius voce magna clamasse, finitisq; illis verbis. *Pater in manus tuas cōmendo spiritum meū*, statim efflasse animam. Sed si esset in naturali dispositione morti proxima, non potuisset tam potentem clamorem effundere. Ergo signum est, emisisse spiritum, etiam tunc cùm robur corporis, & firmitatem haberet, atque adeò prius, quā naturalis necessitas postularet. Vnde etiam *Centurio videns, quod sic clamans expirasset, exclamauit vere filius Dei erat iste.* Quod non aliunde intulit, nisi quia conspexit eū arbitrio suo emisisse spiritum statim, ac tā valide clamauit. Vnde Hiero. ibi. Matt. 26. *Diuinæ potestatis inquit fuisse indicium, spiritum sic emittere.* & Marc. 15. *Nos* (inquit) *cum ima voce, vel sine voce morimur, qui de terra sumus: ille vero cum exaltata voce expirauit qui de cœlo descendit.* Et Chrys. hom. 89. in Matt. *Ea propter* (inquit) *voce magna clamauit, vt ostenderet sua totum id fieri potestate.* Quod alijs verbis docuit Athan. q. 77. ad Antiochū dicēs, *Christum clamasse, vt suā declararet potentiam*, &. q. 76. hoc ipsum indicat, tractās quæstionē cur Christus prius inclinauerit caput, & postea spiritū emiserit cū alij homines prius mori soleant, & postea caput inclinare. *Quia omnib⁹* (inquit) *impletis, quæpati debuerat, sola mors restabat adhuc, atq; hæc quidē sibi metuēs appropinquarenō audebat, ideo Christ⁹ inclinato capite vocauit ipsā* Et in eodē sēsu videtur dicere Eusli. 4. de Demōs. ca. 12 *cum altius vocem emisisset. solutus a corpore abijt, neutiquā expectans, dum mors ad ipsum accederet, sed illā cunctātē, ac veluti cessantem, & fugitātem, ipse a tergo insequitur*, Et hanc sentētiā tenet Gab. lect. 82. in Can.

Ioann. 10.

D. Thom. Marc. 15. Cyp.

Can. lit. D. ibi addit congruentiam, scilicet Christum anteuertisse tempus naturalis mortis, vt euidentius constaret sua spõte, & voluntate mori.

Nihilominus hic modus dicendi non est verisimilis, sed omnino dicendum videtur, animam Christi non prius deseruisse corpus suum, quàm in illo fuerit sufficiens causa mortis, idest, talis dispositio, cum qua non posset anima naturaliter corpus illud informare. Probatur primo, quia alioqui Christus non esset occisus à Iudæis, & Gentibus. Quia reuera nõ fuisset mortuus ex vi vulnerum ab eis inflictorum. Neque satis est, quôd Gabriel ait, occidisse eum quia voluntariè inflixerunt vulnera, ex quibus mors esset secuta, nisi Christus præueniisset. Nam licet hoc satis fuerit ad committendam culpam internam homicidij; non tamen, vt verè dicerentur exterius occidisse, quia de facto non est mors ex eorum actione secuta. Sicut quando Saul iacebat in terra lethalibus sauciatus vulneribus, ex quibus fortassè interiret, vtque citius moreretur, postulauit ab Amalecite, vt ipsum interficeret, certè in eo casu Saul non dicitur verè interfectus ab iis militibus, qui prius eum vulnerarant: Sed ab illo, qui eum vltimo percussit, quẽ propterea Dauid postea capite plecti iussit, eò quòd ausus esset interficere *Christum domini*. Sic ergo in præsenti dici non posset verè, ac propriè, occisus à militibus Christus. Vnde fieret vlterius Christum, seipsum interfeciisse, quia illa mors eo instanti, quo facta est, aliquam causam efficientem habuit: sed non naturalem extrinsecam, vt prædicta opinio asserit, ergo. Tandem nulla est ratio, vel coniectura, quæ cogat ad illũ mortis modum asserendum, nec videtur rationi consentaneum, vt prius anima Christi deseruerit corpus suum, quàm sit deserta ab ipso (vt sic dicam) id est, quâm corporis debilitas, ac necessitas naturalis id postularet.

Christus ex vi vulnerũ moriuus.

1. Reg. 31.

2. Reg. 1.

Quin potius existimant aliqui, non statim mortuum esse Christum, ac corpus habuit ita debilitatum, ac dispositum, vt naturaliter non posset ab anima informari, sed miraculosè aliquo tempore vitam conseruasse. Quod videtur significare D. Thomas quodl. 1. artic. 3. & coniectura esse potest. Quia vix credibile est, corpus temperatissimum post tam crudelem flagellationem, atrociaque tormenta tam multa, & tam copiosam sanguinis effusionem, potuisse naturaliter tanto tempore morti resistere. Et confirmari hoc potest ex sudore sanguineo Christi, & tristitia vehementi, quam tũc passus est, quæ tanta fuisse videtur, vt ad hominem extinguendũ sufficeret. Præsertim cùm vsque ad mortem durauerit iuxta illud. *Tristis est anima mea vsq; ad mortem*: hoc enim etiam exponi potest (vt Caiet. ibi indicauit) de intensione tristitiæ, quæ tanta fuit, vt ad mortem vsque perduceret, nisi ei diuina virtus obstitisset. Nec verò ex hoc modo dicendi sequitur fuisse mortem Christi miraculosam, sed potius dilationem mortis. Et iuxta hunc etiam dicendi modum rectè intelliguntur omnia, quæ ex scriptura, & Patribus adducta sunt. Sic enim Christus, quando voluit, emisit spiritũ, & non quando leges naturæ ad id cogebant, quod diuinæ potestatis est.

Matth. 26. Caiet.

Sed (licet hoc probabile sit) non tamẽ videtur necessarium. Nunquã enim Christi anima præternaturali modo corpus suũ informauit: sed semper habuit in corpore connaturales, ac sufficientes dispositiones saltem, quæ ad conseruationem necessariæ sunt. Cur enim fingemus miraculum non necessarium, quod nec in scriptura, nec in ratione fundari potest, nec ad explicandam acerbitatem passionis, & mortis Christi quicquam refert? Quo circa, si fortasse nocumenta illata Christo in passione de se fuerunt efficacia, vt breuiori tempore mortem afferrent, & illis diuina virtute restitit Christi corpus, seu anima, ne tam citó deficeret, non id factum est conseruando animã in corpore sine sufficienti dispositione, sed efficiendo potius ne corporis dispositiones tanta celeritate deficerent, idest, retinendo sanguinem, & spiritus, ne breuiori tempore eis corpus destitueretur, caloremq; & alias corporis qualitates similiter conseruando, ne proportio, ac temperamentũ omnino necessarium solueretur. Etenim (si quod genus miraculi intercesserit) istud videtur facilius, magisq; proportionatũ, quãquam & hoc incertũ sit, neq; admodũ necessarium videatur. Nam (quod ad tristitiam interiorem attinet) non credo Christũ in suo appetitu talẽ, ac tantã permisisse, quæ ipsum posset naturaliter interimere. Quo enim fundamento hoc affirmari potest? Nam

potius

potius videtur aliquid inordinationis, vel indecentiæ habere: non enim potest tristitia interimere, nisi intercedēte magna cō motione humorum, & corporis alteratione. Deinde ratio postulat, vt in huiusmodi affectibus admittendis, præsertim quā do ex sola interna consideratione excitantur moderatio aliqua adhibeatur. Quod verò attinet ad extrinseca nocumenta, & vulnera, non satis constat talia fuisse, vt non potuerit humanum corpus dimidia diei parte illa sustinere.

Clamor Christi in cruce tam iammoritu ri miraculo fus.

Vnum ergo solum miraculum certū est in ea morte interceſsisse, scilicet, quòd potuerit voce magna clamare, cum esset iam morti proximus. Non enim fieri poterat, vt haberet naturalem virtutem, ac robur ad eum clamorem emittendum, corpus penè exangue, ac vitalibus spiritibus, & consequenter viribus fere exhaustum. Et in hoc miraculo ostendit Christus (vt prędicti Patres aiunt) potentiam suam. Sicut enim potuit resistere, & superare debilitatē corporis ad sic clamandum ita potuisset morti resistere, si vellet, & ideo ait D. Th. dicto quolib. declarasse Christum illo facto, se esse dominum vitæ, & mortis. Et nō necessitate absoluta: sed sponte mortē sustinere, cui facile resistere posset, si vellet. Et ita etiā facile intelliguntur omnes scripturæ, & sentētiæ Patrum adductæ. Hinc vero non fit, mortem Christi in se, & propriè fuisse miraculosam: sed habuisse miraculum adiunctum, quod paulo ante præcessit.

D. Tho.

Obiectio Responsio.

Dices, miraculum fuit, corpus, quod robur habuit ad talem vocem emittendam, statim mori. Respōdeo, si robur illud fundatum esset in intrinseca corporis dispositione, bona esset consequutio: tamē, quia non inde ortum est: sed ex virtute operatrice miraculorum, ideò nullum nouum miraculum fuit, quòd corpus diuinitus eleuatum ad illam vocem emittendam, statim naturæ suæ relictum, mortem naturaliter oppeteret. Centurioni autem miraculosa fuit illa rerum successio, & coniunctio, quia reuera simpliciter loquendo miraculosa erat, quanuis ipse fortasse nō perciperet, in quo esset ratio miraculi constituta. Pilatus autem (vt ego existimo) non tam mirabatur de velocitate mortis Christi, quod existimaret tormenta non fuisse sufficientia ad illum interficiendū, quām quod aliquid diuinum, seu plusquam humanum de Christo suspicatus fuerat, & ideò vel speraret, vel formidaret illū non tam cito, aut certe neque omnino moriturum fuisse.

A

Dico tertio, Mors Christi violenta fuit, & non naturalis. Probatur, quia licet naturale fuerit mori posita tali corporis dispositione: tamen ea dispositio ex causa extrinseca, ac violenta orta est. Oportet autem meminisse violentum non esse idem, quod coactum (hoc enim opponitur appetitui elicito: illud vero naturali) vis autem illata Christo, & si non fuerit propriè coactio, quia ipse voluntate absoluta non restitit, si enim resistere voluisset, nulla humana vis contra eum valuisset. Fuit autē violenta, quia fuit contra naturalem inclinationem. Et specialiter in hominibus violenta mors dicitur, quæ sit præter intrinsecam hominis dispositionem, & actionē ac reactionem, ex qua naturalis mors solet oriri, & fit per applicationē extrinsecæ causæ corrūpentis.

Mors Christi violenta sed nō coacta.

B

Dico 4. Mors Christi nō fuit naturalis, ideſt necessaria: sed poti' libera, ac volūtaria, quaten' supernaturali virtute illāimpedire potuit, & noluit, vt in. q. 47. ar. 1. satis explicatū reliquim'. Dices ergo male egit Christi anima recedendo a suo corpore voluntate sua, cùm posset in illo permanere. Respondet D. Tho. in dicto quod. *Si anima in sui potestate haberet recedere a corpore, quando vellet, & iterum aduenire non maioris esset culpæ, si corpus desereret, quam quod habitator suam deserat domum.* Quia ergo Christi anima hanc potestatem habuit, ideo nulla culpa illi fuit sic recedere. Iuxta quam responsionem, etiamsi illa anima recederet à corpore optimè disposito, nulla esset culpa: imo neque se occidere, esset Christo culpæ tribuendum. Quod quidem in sensu composito verum est. Nā si Christus id feciſſet, nulla esset culpa: tamen secundum se, seclusisque miraculis, obiectum illud sese occidendi malū est. Facilius ergo dicitur (quod in dicto etiam artic. 1. q. 47. indicauit D. Thom.) animam Christi non debuisse miraculo vti, vel ad resistendum causis extrinsecis, ne corpori nocerent, vel ad informandum corpus carens dispositione ad huiusmodi informationem necessaria. Nulla enim vel naturalis, vel diuina lex obligabat ad huiusmodi miraculum efficiendum: sed potius lex caritatis, & obedientiæ po

Mors Christi omnino libera, ac voluntaria Obiectio. D. Thom.

C

Responsio

tiæ postulabant, vt propter consummandam hominis redemptionem mortis legibus se subijceret. A

SECTIO SECVNDA.

Quænam substantialis vnio in Christi morte dissoluta sit.

Separatio animę a corpore in morte Christi facta.

PRimũ omniũ constat, in morte Christi factã esse separationẽ animæ à corpore. In hac enim separatione essentialiter mors hominis cõsistit, & hanc separationẽ significarũt Euãgelistæ illis verbis, *Expirauit*, seu, *Tradidit, vel emisit spiritũ*. Animam. n. *Spiritum* appellarunt, vt Sancti omnes interpretantur exponentes illa verba, & Athanas. lib. de Incarnat. Epiph. hæresi. 42. in cõfutatione. 73. Marcionis. Et rationẽ Caiet. addit, quia animus dũ vnificat corpus, habet rationẽ animę, quia tunc propriè animat: cum verò incipit esse à corpore separat⁹, veluti induit rationẽ spiritus. Quæ ratio (si etymologiam vocis spectemus) nõ est contemnenda (si autem vsum,) & anima quoq; separata, nomẽ, *animæ* retinet iuxta illud, *Nõ derelinques animã meã in inferno*, Ps. 15. & anima cõiũcta vocatur spiritus, iuxta illud, *Et insufflauit in eo spiraculum vitę*, Gen. 1. Eccl. 12. *Spiritus redit ad Deum, qui dedit illum* vbi simul anima separata & coniuncta *spiritus* appellatur. B

Psal. 15. Gen. 1. Eccle. 12.

Hinc sequitur primò in morte Christi desiisse esse humanitatẽ eius. Quia de essentia humanitatis est vnio corporis, & animæ. Vnde etiã sit deperditam tunc esse vnionẽ humanitatis ad Verbũ, non per propriã, seu purã, ac præcisam separationẽ extremorũ, sed p destructionẽ alterius extremi, vt notauit Duran. in. 3. d. 21. q. 1. Nã duarum rerum vnio vtriusq; existentiã necessariò supponit, vnde ablata humanitate nõ potuit manere vnio humanitatis ad Verbũ. Dices, verũ est non mansisse illã vnionem in humanitate, mansisse tamẽ in anima, & corpore; atq; ita, licet non manserit vnio humanitatis, idest, afficiens, & vniens humanitatem: mansit tamen vnio, quæ erat humanitatis, vniens Verbo animam, & corpus. Respondetur hoc quidẽ rectè dici, (si vnio humanitatis ad Verbũ nihil addit partialibus vnionibus animæ, & corporis,) tamen, si verum est totalem vnionem humanitatis partialibus illis vnionibus quicquam addere, sicut totalitas humanitatis addit aliquid præter animã, & corpus, saltẽ modũ distinctũ, necesse est dicere, destructa humanitate, destrui etiam eius vnionẽ, vt totalẽ: & formaliter, ac integre nõ manere, etsi maneant partiales vniones, ex quibus in reipsa cõstabat, sicut etiã nõ manet humanitas, etiã si maneãt partes, ex quibus constabat. C

In morte Christi humanitas esse desijt.

Durand.

Obiectio

Responsio

Secũdo ex dicto principio infertur, Verbũ in triduo ab instanti mortis nõ fuisse hominẽ. Quia homo humanitate constituitur: destructa ergo humanitate desijt esse homo. Dices, homo anima constituitur: sed Verbũ habuit animã, ergo mansit homo. Itẽ homo constat corpore, & animo, sed tunc Verbũ etiã his constabat, ergo. His rationibus videntur moti Hugo Victorinus lib. 2. de Sacrament. p. 1. ca. 11. & Mag. in. 3. d. 22. vt dicerent, nõ obstante morte Christi, Verbũ per mansisse hominẽ. Sed, (vt D. Th. supra, & Bonauent. et reliqui Theologi in prædicta. d. notarunt) grauiter lapsi sunt in re Theologica, ex falso philosophico principio. Respondetur ergo hominẽ cõstitui anima, vt forma informante corpus: in morte verò Christi permansisse animã in Verbo, vt partialẽ naturã hypostaticè terminatã: nõ vero vt formã informantem. Ac similiter homo constat corpore, & animo, vt partibus essentialibus vnam naturã actu cõponentibus: in Verbo autẽ manserunt anima, & corpus post Christi mortẽ, non vt partes actu cõponentes vnam naturã, sed solũ vt subsistentes eadẽ Verbi subsistentia, & ideò certũ est Verbum in triduo nõ fuisse hominem.

Verbum in triduo desijt homo esse.

Obiectio. Hug. Vict. Magist.

Responsio.

D. Thom Bona.

Dico secundo, in Christi morte non fuisse separata â diuinitate corpus, & animã. Itaq; non proprijs: sed diuina Verbi subsistentia substiterunt. Conclusio est communis theologorum cum D. Th. hic, & Magist. 3. d. 21. & est certa ex cõmuni traditione, & consensu Ecclesiæ. Primum enim colligitur ex symbolo Apostolorũ, in quo sic habetur. *Et in Iesum Christum filium eius, vnicum dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, passus sub Põtio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, descendit ad inferos*. Quæ omnia dicuntur de filio Dei solũ per communicationem idiomatum propter hypostaticã vnionem. Sicut ergo ex his verbis necessario infertur, quando Christus pependit in cruce, Verbum fuisse naturæ humanæ hypostaticè vnitum: ita etiam

Corpus, & anima in Christi morte adiuinitate separata non sunt. Symbol. Apo.

Concluditur, cùm corpus eius iacuit in sepulcro, vel anima descēdit ad inferos, Verbum fuisse illis hypostaticè vnitū. Et hoc modo afferri possent hoc loco omnia testimonia Patrum asserentium, Christū, vel Deum sepultum esse, vel ad inferos descendisse, quæ postea suis locis referemus. Cō firmari hoc potest ex alia locutione fidei, scilicet, Deum mortuum esse, seu mortem pro nobis accepisse, vt expresse loquitur Concilium Toletan. 11. in confessione fidei. Nam sicut, si in instanti conceptionis Christi Verbum non fuisset vnitum corpori, non potuisset verè dici Deus cōceptus ex Virgine, ita, si nō esset vnitum corpori mortuo in instanti mortis, nō potuisset verè dici Deus mortuus, seu assumpsisse mortem. Sicut etiam, si Verbum dimitteret humanitatem, licet in eodem instanti peccaret, iam Deus non peccaret. Video dici posse, participiū *mortuus*, ampliare ad id, quod est, vel fuit: tamen reuera, *assumpsisse mortem*, non rectè ita explicatur, sed requirit vnionem cum corpore mortuo, præsertim cùm etiam sit concedendū, Deum surrexisse à mortuis. Nā, teste Paulo ad Colossen. 1. filius Dei hac ratione est *primogenitus mortuorum*. De quo idem Paul. Actor. 13. interpretatur illud Psal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Non autē resurgit, nisi quod mortuum iacet, ergo necesse est ad veritatem harum locutionum, vt filius Dei manserit corpori vnitus. Præterea est hæc communis Patrum sententia, Damasceni lib. 3. cap. 27. ex quo illud axioma manauit. *Quod Deus assumpsit, nunquam dimisit*. Gregor. Nyssen. orat. 1. de Resurrectione. *Cum Deus* (inquit) *totum hominem per sui infusionem, & contemperationem in diuinam naturam transformasset, in tempore, quo passio administrata est, ab altera parte id, quod semel immixtum, & contemperatum erat, non separauit. Nam dona Dei huiusmodi sunt, vt eorum illum pœnitere non possit: sed animam quidem Deitas a corpore sponte sua disiunxit, se autem in vtrisque manere ostendit*. Et infra ex hac veritate declarat, quomodo simul esse potuerit idem filius Dei in sepulcro, & in paradiso. Quod clarius dixit Athanas. lib. de Incarn. Christi. *Nonne diuisus in duas partes vt homo, & in sepulcro, & apud inferos agebat*: & infra inquit. *Deitatem nudam non potuisse ad inferos descendere, & expirationē non fuisse Deitatis traductionem, seu transmigrationem: sed animæ discessum*. Idē latè docet Augustinus tract. 47. in Ioannem. Ratio verò est, quam supra in comment. art. 2. Diui Thomæ explicatam reliquimus. Hic verò addere possumus, cùm Christus statim surrecturus esset in eadē humanitate Verbo hypostaticè vnita, non oportuisse, vt relinqueret partes eius, et eas statim reassumeret. Præterea, Verbum assumpsit nostram naturam, ad operandum nostram salutem: sed etiam in morte illam operatum est moriendo, descendēdo ad inferos, resurgendo, ergo oportuit semper illā vnionem conseruare, vt hæc omnia Deus ipse pro nobis operaretur. Tandem, corpus & anima Christi ita fuerunt vnita hypostaticè Verbo Dei, vt vnio eorum ad Verbū non habuerit essentialem, seu physicā dependentiam ab vnione eorum inter se, ergo dissoluta hac vnione nō sequitur illam etiam fuisse dissolutam: ergo nō fuit amissa. Quia quod non est necessariū ad mortem Christi, neque ad nostram salutem, & ad honorem Christi non pertinet: sed potius illi, ac diuinæ gratiæ derogat, nullo modo asserendū est. Dices ex Ambros. libro 10. super Lucam, corpus Christi non potuisse mori manens Verbo vnitū, quia cum Verbum sit vita, illo præsente nō potuit mors in Christo locum habere. Respondetur, si (vt Ariani dicebant) Verbū fuisset carni vnitum per modū animę formaliter viuificantis illam, argumentum locum haberet: tamen, cùm illa sententia sit hæretica, facile respondetur, Verbum in se esse vitam, non fuisse tamē vnitum corpori vt formam viuificantem: sed per modum subsistentiæ, & ideò sicut manet corpus subsistens absque anima, & humana vita, ita potuisse manere corpus vnitum Verbo absque eadem vita: Vnde eleganter Augus. lib. contra Felicianum c. 14. *Sic mortuus est non recedente vita, sicut passus est non recedente potentia*.

Con. Tole. 11. — Coloss. 1. Psal. 2. — Damasce. Gre. Nyss — Athanas. — A — B — C — Aug. — Obiectio. Ambros. — Responsio — Aug.

Contra hanc autem veritatē videntur sensisse (vt supra dixi) Hilar. in Matth. & Ambros. in Lucam, ita exponentes verba illa Christi, *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Et eodē modo videtur loqui Eusebius lib. 4. de Demonst. c. 12. vbi sic inquit. *Tanquā homo corpus de more sepeliendum reliquit, ab eodē vero corpore tanquā Deus discessit*. Sed horū Patrū sententia, si (vt verba sonāt) intelligatur de recessu per separationē hypostasis, omnino vt erronea reiicienda est, nec video probabile fundamentū, quo nitatur.

Obiectio. Hilar. Amb. Matth. 27. Euseb. — Responsio

Nam

Nam verba illa Christi domini, *Vt quid dereliquisti me?* longè diuersum sensum habent, scilicet de desertione, per carentiam omnis gaudij, & consolationis, qua acerba passionis pœna, ac tristitia mitigaretur. Possent autem dicti Patres, (vt supra dicebã,) exponi de separatione quoad protectionẽ carnis: quod necessariũ videtur in Ambrosio. Neq; enim dicere quis audebit, illũ existimasse, diuinitatem fuisse corporis Christi loco animæ, cùm ergo dicit, *cum diuinitas vita sit, non posset caro mori, nisi ab ea separaretur*, necessariò exponendus est per metaphorã loqui. Ad eum mõdũ, quo apud Theoderetũ in reprehensione. 12. Anathematismi Cyrilli, ex persona eiusdẽ Cyrilli referuntur hæc verba, *Non passus Deus Verbum carni vnitum: sed caro cõiuncta Deo Verbo, & secundum suam indulgentiã propria sustinuit. Non enim passio, vel mors facta fuissent, nisi ipse permisisset. Nam si anima præsente non fit mors, quomodo Deo præsente, nec solũ præsente simpliciter: sed etiam coniuncto secundum summam quandã, & ipsi soli cõprehensibilẽ vnionem, turbaret eius tẽplum, vel passio, vel mors?* Quæ verba ipse Cyrillus in responsione admittit. Vnde necessariò sunt in prædicto sensu intelligenda.

Theodore. Cyril.

Vltimo hic inquiri poterat, quæ cõmunicatio idiomatũ ex hac vnione oriatur, de quo videri possunt dicta supra priori tom. q. 16 & aliquid addemus infra. q. 51. art. 1. circa fol. ad. 3. Rursus tractadũ supererat, an idẽ sentiendũ sit de sanguine in passione effuso: mãsisse, scilicet, vnitũ Verbo in triduo. De hac verò re dicemus commodius infra disput. 47. sect. 3.

SECTIO TERTIA.

Vtrum in morte Christi aliqua noua generatio, vel hypostatica vnio intercesserit.

HAEC quæst. non habet locũ in anima Christi domini. Quia ex illa nihil generari poterat, nec noua vnio inea fieri, quia prior cõseruata satis erat, vt Verbo vnita maneret. Quãquã dubitãt aliqui, an fuerit necessariũ priorẽ vnionẽ dissolui, & nouã fieri, sed sine dubio id necesse nõ fuit, quia, (vt diximus late in superiori tom. q. 6.) partes, scilicet anima, & corpus, secundũ se, ac prius natura fuerũt vnitæ Verbo independenter à tota humanitate. Procedit ergo quæstio in corpore Christi, & duplex dubitatio in ea cõtinetur, altera physica est, altera Theologica.

Dubiũ physicum

Physica dubitatio est, an in corpore Christi recedẽte anima, introducta fuerit alia forma substãtialis. Videtur enim hoc necessarium fuisse iuxta principia Philosophiæ, ne materia manserit sine forma substantiali: hac enim de causa in vniuersum necessarium est, corruptionem vnius esse alterius generationem. In contrarium verò est, quia si alia forma esset introducta, non mansisset idem corpus, quia variata forma non manet idem compositum: cõsequens autem est contra modum loquẽdi scripturæ, & sanctorum. Ioann. 19. *Hic accesit ad Pilatũ, vt tolleret corpus Iesu* Psal. 19. *Caro mea requiescet in spe.* Vnde Athan. epistola ad Epictetum contra Hæreticos, *Corpus quidem cruciatus patiebatur, fluxitque ab illius latere sanguis, & aqua: idem tamen, quia templum Verbi, deitate adimplebatur.* Et in Rescripto ad Liberium, dixit, *Eandem carnem Christi fuisse obnoxiam passionibus, & morti, & affixam in cruce, & postea resuscitatam.* Similiter Leo Papa, Serm. 1. de Ascẽsione. *Ad sananda,* (inquit,) *infidelium cordium vulnera, clauorũ, & lanceæ erant seruata vestigia, vt non dubia fide, sed cõstantissima scientia teneretur, eam naturam in Dei Patris cõsessuram throno, quæ iacuerat in sepulcro.* Et similia ferè habet Aug. lib. contra Felicianum cap. 14. & Serm. 3. de Ascensione, *Ossa intra sepulcri angustias paulo ante concluſa Angelorũ cætibus inferũtur.* Greg. hom. 29. in euangelia, & alij Patres agentes de sepultura, ascensione, & resurrectione domini.

Ioan. 19. Psal. 19. Athana. Leo Papa Aug. Gre.

Propter hæc aliqui Theologi dixerunt, in corpore Christi defuncti nullã formã substantialem fuisse introductam, quãuis non omnes eodem modo. Alij. n. in vniuersum putãt idẽ vsu venire in quauis hominis morte. Existimant. n. recedente anima manere formam corporeitatis solã, eãque ad materiã cõseruandã sufficere. Hæc fuit opinio Henrici quodlib. 2. q. 2. quã la defendit Scot. in. 4. d. 11. q. 3. Durandus etiam in 3. d. 21. q. 1. significat eam sentẽtiam philosophicam esse præferendam, quia necessaria videtur ad vitandũ erroneum loquendi modũ in hac materia, scilicet non mansisse idem numero corpus mortuum, quod erat viuum, & consequẽter illud corpus, quod prius fuit vnitũ Verbo, non mansisse illi vnitũ, quia destructo altero extremo necesse est destrui vnionem. Sed hęc sententia supponit duo prin-

Opinio de formacorporeitatis. Henric. Scot. Durand.

principia philosophica falsa. Vnũ est for A mã corporeitatis esse re distinctam ab ani ma. Aiterũ est posse manere substantiale indiuiduum corporis, in nulla tamẽ specie corporis constitutũ. De quibus nõ est hic disputandi locus: satis sit dicere, verã theo logicã doctrinã nõ posse ex his falsis prin cipiis pendere, vt statim explicabimus.

Aliorũ ergo sententia fuit, mansisse cor pus Christi post mortẽ absque vlla forma substantiali. Ita iudicat probabile Henri cus quodlib. 1. q. 4. tenet Marsilius in 3. q. 3. art. 1. & latius q. 13. art. 1. qui dicit, nemi nem antiquorũ Doctorum asseruisse, nouã formam introductam fuisse in corpus Christi, anima recedente. Vnde supponen do non esse in cõposito formam corporeitatis distinctam ab anima, omnino existi mat necessarium, vt manserit materia sine forma. Qui nõ fundatur in principio phi losophico. Neque enim existimat hoc es- B se naturale in morte cuiuslibet hominis, sed vtitur ratione theologica, scilicet, quia illa forma vel fuisset assumpta à Verbo, vel non, neutrum autẽ existimat dici posse si ne magno incõmodo. Sed hoc postea vi debimus. Nunc hic dicendi modus non vi detur verisimilis, quia fingit nouum mira culum sine vlla causa, vel necessitate, & si ne vllo fundamẽto. Vnde mirũ est, quo modo Marsilius dicat, nullum autorẽ asse ruisse nouã formam substantialẽ introduc tam fuisse in materiã corporis Christi, cũ D. Thom. totaq; eius schola negent fieri posse, vt materia maneat sine forma. Dein de cur negabimus, corpus Christi mortuũ fuisse verum cadauer humanũ? Nã si hoc negatur propter solam identitatem corpo ris viui, & mortui, negetur etiam in cada ueribus Sanctorum introduci formam ca- C daueris, quia reliquiæ Sanctorum adorã tur tanquã ipsamet sanctorũ corpora. Præ terea, supponendo (vt Marsil. admittit) non dari formam corporeitatis, hoc ipso quod anima separatur à materia, non po test manere idem corpus, quod antea erat, quatenus corpus significat compositum ex materia, & forma, siue introducatur alia forma, siue non, ergo negare huiusmodi formam nihil ferè confert ad saluandã cor poris identitatem, cùm in omni sententia maneat eadem materia: non tamen idem compositum ex materia, & forma.

Dicendum est ergo, ex Christi morte consecutum fuisse, vt in materiã corporis eius noua forma cadaueris introduceretur, sicut in reliquorum hominũ morte fit. Et hæc est sententia D. Thom. hic, & disci pulorum eius. Quia hic est ordo, & mo dus naturalis humanæ mortis, quem im mutari nõ fuit necesse. Quomodo autem illud corpus mortuum idẽ fuerit cum vi uo, satis explicatum est à D. Tho. supra. Illud solum addo, hanc identitatẽ melius intelligi, si dicamus manere idem corpus numero, quoad materiam, quantitatem, & omnia alia accidentia sensibilia, â quibus corporis ratio, vel denominatio præcipuè sumi videtur. Quia prima radix quãtitatis, & corporeę molis est materia: forma au tem cadaueris non per se intenditur, sed per accidens introducitur, ne materia maneat sine forma, & quia illa materia reti nens priorẽ organizationem, retinet etiã habitudinem ad priorem formam: hæc sa tis sunt, vt illud dicatur simpliciter idẽ cor pus. Neque enim in omnibus rebus inue nitur idem modus identitatis, seu vnitatis. In Christo etiã illud fuit singulare, quod fuit etiam corpus illud omnino idem ex parte suppositi, vt iam explicabimus.

Occurrit igitur secũda dubitatio Theo logica, quam supra latè versat Marsilius, an scilicet illa forma cadaueris, atque adeò integra natura ex illa forma, & materia cõ posita assumpta fuerit à Verbo Dei. Mar silius enim supra existimat, semel admissa huiusmodi forma necessarium esse dicere, illam, & compositum ex illa non esse as sumptum hypostaticè à Verbo Dei. Quia aliàs aliquid Verbum assumpsisset, quod postea dimitteret, contra cõmune axioma Theologorum. Quod potest confirmari primo, quia assumptio illius formæ, & cõ positi non erat ad nostram redemptionem necessaria, & alioqui erat noua actio su pernaturalis, cuius effectus statim erat dis soluendus, ergo superuacaneum fuisset il lam actionem efficere. Etaliunde nihil est quod nos cogat ad huiusmodi assumptio nẽ asserendã. Quia ex doctrina scripturæ, & sanctorũ solum habemus, corpus Chris ti mansisse vnitũ Verbo Dei, quod neces sario intelligẽdum est de corpore, ꝙ antea erat vnitũ, quia sancti non dicunt nouam vnionem esse factam: sed priorem non fuisse dissolutam, ergo solum intelligunt de corpore quoad materiã primã. Et cõfir matur secũdo, quia licet illud corpus mã serit vnitũ Verbo, nõ admittũtur à Theo-

logis

Henric. Marsil.

In demor. tuum Christi corpus cadaueris formam introducta. D. Thom.

Corpus Christi mortuũ idẽ cum viuo quomodo fuerit.

Dubium Theologicum. Marsi.

lòcis hæ loquutiones, cadauer est Deus, vel è contrario, Deus est cadauer. Cuius rei non potest reddi ratio melior, quàm Deum non assumpsisse totam naturam illius cadaueris, sed solâ materiâ. Nã quod quidam dicunt naturam cadaueris esse imperfectam, & quasi per accidens, & propter aliud, non propter se assumptam, non videtur satisfacere. Quia natura integra cadeueris non est pars alterius, sicut materia, forma, aut sanguis: sed est perse natura integra licet imperfecta, & ideò videtur satis esse, vt ex illa resultet communicatio idiomatum, sicut resultaret, assumpta natura ignis, vel leonis. Vnde D. Thomas hic artic. 3. ad. 3. negans hanc loquutionem, *Deus est corpus*, rationem reddit, *Quia tantum assumpsit corpus, prout est pars essentialis humanæ naturæ*, ergo cùm cadauer, prout includit aliam formam substantialẽ, non posit dici pars essentialis humanæ naturæ, sentit D. Thom., vt sic non fuisse vnitum Verbo Dei. Et eodẽ modo Richard. in 3. d. 21. articul. 1. quæst. 2. ad. 2. dicit. *Verbum non remansisse vnitum carni post separationem animæ, vt quidam toti, sed vt parti humanæ naturæ.* Et idem ferè dicit Bonauent. artic. 1. quæst. 2.

D.Thom.

Richard. Bonau.

Aliunde verò videtur necessario dicẽdum nouam illam formam, & naturam ex illa compositam, fuisse assumptam à Verbo. Quod Marsilius supra probat, quia aliàs illud cadauer subsisteret noua subsistentia creata. Quia natura integra substantialis ab alio nõ assumpta, necessariò habet secum suam subsistentiam, esset ergo in illo cadauere suppositum creatum præter subsistẽtiã Verbi, quod videtur esse valde absurdum, & contra Damas. & alios Patres dicentes in corpore Christi mortuo, & anima separata, non fuisse aliud suppositum præter Verbum Dei, vt D. Thom. hic art. 3. ad. 3. late refert.

Damas. D.Tho.

In hac re, quam à paucis autoribus inuenio in terminis disputatam, nihil noui affirmare audeo: sed censeo simpliciter assẽrendum, corpus Christi mortuum mansisse vnitum Verbo Dei, & in illa substantia absolutè, & simpliciter nullum aliud suppositum extitisse, præter Verbum Dei. Et quoad hoc rectè loquitur Marsil. supra, & verè dicit, nullum autorem contrarium asseruisse. Potest autem hoc varijs modis explicari. Primo, si teneamus in substãtijs omnino materialibus, quarum formæ nõ subsistũt, nõ esse aliã subsistẽtiã præter subsistẽtiã materiæ, in qua forma existit, & per quã tota natura subsistit. Nã ea opinione suppositâ, dici posset in præsẽti nullã esse factã nouã vnionẽ ad formã, vel naturam cadaueris: sed ex vi solius vnionis antea factæ illius materiæ cũ Verbo mansisse totũ illud cadauer subsistens in Verbo, eo modo, quo subsistere potest. Et hic modus nullũ habet in Theologia incommodũ. Tamẽ quia illud fundamentũ metaphysicũ multis videbitur difficile, adiungi potest alius modus, nimirũ, quanuis ex natura rei ex materia, & forma vnitis resultet subsistentia totius, cuius cõpositionẽ ingreditur partialis subsistentia materiæ: tũ, quia materia corporis Christi subsistebat subsistẽtia Verbi, quæ nõ potest esse pars, seu nouã subsistentiã cõponere, ideò ex vi præcedentis vnionis talis materię ad Verbũ impedimentũ esse positũ, ne adueniente forma cadaueris resultaret substistentia totius: & ita, quanuis talis forma denuò adueniens nõ fuerit in se, & proximè vnita Verbo: nihilominus ex illa, & materia nõ resultasse suppositũ creatũ, neque illã integrã naturã mansisse perse, & adæquatè subsistentẽ in se: sed in Verbo, mediãte sola materia, in qua extitit forma, solũ per inexistentiam, & quasi inhærentiã absq; alia subsistentia. Et hic modus est etiam probabilis, & facile defendi potest. Tertio verò dici potest, totã illam naturã substantialẽ speciali modo vnionis sibi adæquato vnitam esse immediatè Verbo. Qui modus videtur magis receptus, & facilior, quia nullũ est incõueniens, quòd Verbum aliquid assumpserit, quod postea idmiserit, quando illud nõ est perse, & ex primaria intentione assumptũ: sed veluti in via, & propter aliud. Deinde suppositopriori miraculo, seu supernaturali opere, rebus ipsis magis cõsentaneũ est, vt neque cũ subsistẽtia diuina alia cõiũgatur, quod vix intelligi põt, neq; natura integra maneat sine proxima, & adæquata subsistentia. Et ita licet, negari nõ possit, quin oportuerit hunc modũ vnionis noua actione fieri, quãdoquidẽ ipse est nou⁹, & res etiã quæ vnitur, noua est: tũ, quia fit consequẽter ratione prioris operis, vel miraculi, ideò nõ cẽsetur omnino noua vnio: sed veluti cõsequens, & cõcomitans antiquam. Et hoc modo facile est rationibus dubitãdi in principio positis satisfacere.

In morte Christi non nunc intercesserit hypostatica vnio

DISPVTATIO. XXXIX.

In duas sectiones distributa.

De Prodigijs, quæ in morte Christi domini acciderunt.

IN hac disputatione sermo est de miraculis, seu prodigijs in Christi morte factis, in alijs creaturis: nã de ijs, quę facta sũt in ipso corpore Christi, partim superiꝰ dictũ est, partim in sequẽtibꝰ disputationibus dicemꝰ, agẽtes de ijs, quæ in corpore Christi gesta sũt. Hæc aũt prodigia dicũtur in Christi morte facta nõ solũ, quia in ipsomet instãti mortis acciderũt, (hoc.n. vix cõstare potest,) sed quia propè ipsam mortẽ, Christo iã in cruce pendente, facta sunt. Ex quibus vnũ insigne prodigiũ narratur obuenisse ante Chri mortẽ, scilicet solis defectio, Et *tenebræ factæ sup vniuersam terram*, in quo multa continẽtur miracula, vt infra videbimus. Post mortẽ verò varia prodigia narrãtur ab euãgelistis, præsertim à Matt., quæ breuiter explicabũtur.

SECTIO PRIMA.

Vtrum in morte Christi tenebræ factæ sint in vniuerso orbe, & quæ earum causa fuerit.

QVòd Christo in cruce pẽdente, factæ sint tenebræ super vniuersam terrã à sexta hora vsq; ad horã nonã, ijs ferè verbis affirmant Matt. Marc. & Lucas. Quare de hoc nulla est controuersia: sed de eorũ verborũ intelligentia, & præsertim, an intelligendũ sit in vniuerso mundo defecisse lumen solis, vel tantũ in regione Iudææ, quę ibi nomine vniuersæ terræ appellata sit. Hac in re fuit sentẽtia Origẽ. tract. 35. in Matt. quẽ Erasm. in 27. ca. Matt. est secutus, tenebras illas solũ in Iudæa accidisse. Ratio esse potest, quia huiusmodi prodigia præcipuè fiebãt propter Iudæos, ergo nõ oportebat signũ hoc extra Iudæorũ fines apparere. Sicut etiã alia prodigia, scilicet terræmotus, &c. non acciderunt nisi in illa regione. Nec verbũ euangelistarum, *Super vniuersam terram*, cogit ad aliam interpretationẽ. Quia interdum in scriptura ille modus loquendi reperitur. Et confirmatur primò ex Origene, quia si illæ tenebræ in vniuerso orbe accidissent, notatæ sine dubio essent, & obseruatæ ab aliquo gẽtilium scriptorũ, qui eo tẽpore, vel prope floruerunt, Strabone Valeri. Maximo, aut Plinio, erat enim res valde admirabilis, notatuq; digna: nullus autẽ illius prodigij meminit. Secũdo quia, nisi multa miracula multiplicentur, nõ potuit illa solis defectio esse tam vniuersalis. Quia vel facta est per interpositionem nubium densissimarum, ad eum modum, quo facta sunt in Aegypto, (vt Origen. putat) vel certè (vt Dionysius indicat) per interpositionẽ lunæ: neutro autẽ modo potuerunt tenebræ esse adeò vniuersales. Dionys.

Dicendum verò est primo, eam solis defectionem vniuersalẽ fuisse in toto orbe. Chrys. Euthym. Theophyl. Hieron. Gaudent. Athan. Tertul. D. Thom. Hæc est cõmunis sententia, Chrysost. hom. 89. in Matt. quã clarius explicuit Euthy. ca. 67. & Theophy. Matt. 27. Hier. ibidẽ, & frequentius cæteri expositores. Gaudẽti. tract. 3. in Exod. Idẽ significat Athan. serm. de pass. & cruce dñi, illis verbis. *Rerum natura suo sole destituta fuit.* Idẽ sentiũt Tertull. & alij, quos referam, & D. Thom. sup. q. 44. ar. 2. ad secundũ. Quæ probatur primo ex verbis omnium Euãgelistarum, sunt.n. adeò expressa, & conformia, vt temeritatis esse videatur ea restringere, aut sine fundamento in sensu improprio interpretari. Et confirmari hoc potest, quia in scriptura, hæc solis defectio occasus solis appellatur: occasus autẽ solis significat generalẽ lucis absentiã. Antecedens patet ex illo Amos. 8. *Et erit in die illa dicit dñs, occidet vobis sol in meridie, & tenebrescere faciam terrã in die luminis.* Quẽ locum de hoc mysterio interpretantur præter Hieronym. & alios interpretes, Cyrill. Ieroſoly. cat. 13 Isidor. lib. de pass. dñi ca. 45. Tertull. lib. 4 cont. Marcionẽ ca. 42. Cypr. lib. 2. ad Quirinum ca. 23. Ruffin. in symbo. Euseb. lib. 10. de Demõst. ca. 6. Aug. lib. q. ex vtroq; testam. q. 15. & nonnulli ex his, præsertim Tertull. de eodẽ mysterio interpretantur verba illa Isai. 50. *Induam cœlos tenebris*, & Isido. citat etiã illud Ierem. 15. *Occidit ei sol cum adhuc esset dies.* Secũdo, Dionys. Areopag. epist. 7. ad Polycar. contra Apolophanẽ refert, se Heliopoli in Aegypto vidisse eã solis defectionẽ simul cũ ipso Apolophane. Idẽ repetit epist. 10. ad eundẽ Apolophanem. Et licet Erasmus has epistolas non recipiat: tñ apud omnes eruditos, & probos in autoritate sunt. Rursus Tertull. in Apologetico. ca. 21. indicat etiã Romæ visam esse illã solis defectionẽ, quẽ, nõ est verisimile scribentem aduersus gẽtes, vti historia incerta, & illis incognita. Sunt autem hæc Tertulliani verba: *Eodem momento*

Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Origen. Erasm. Amos. 8.

mento dies, medium orbem signante Sole, subducta est: deliquium vtique putauerunt, qui id quoque super Christum prædicatum non scierunt. Et tamen eum mundi casum relatum in archiuis vestris habetis. Ex Græcis præterea historiographis Phlegon lib. 14. olimpiadarum eiusdem eclipsis meminit, vt ipsemet Origenes supra refert, & Eusebius in Chronico sub Tiberio, Orosius etiam lib. 7. suæ historiæ, capite 4. Idem colligitur ex Greg. Turo. lib. 1. sacræ hist. Sedulio lib. 5. Paschal. Lactantius quoque lib. 4. de vera sapientia capite 19. refert, huiusmodi vniuersalem Solis defectionem à Sybillis fuisse prædictam. Tertio, nulla est ratio, propter quam omnia prodigia facta in Christi morte debuerint intra Iudææ terminos contineri, cùm Christus nō solum pro Iudeis, sed etiam pro gentibus moreretur, necessariumque foret diuinitatē eius, & huminitatem omnibus esse testatam. Quòdsi aliquod prodigium vniuersale esse debuit, maxime illud, quod in Sole fiebat, quod est totius mundi lumina re. Adde etiā ex prædictis historijs colligi, terræmotum nō fuisse tantū in Iudæa, de quo infra dicam. Vnde illis duobus signis cœli, & terræ, monstratū est, eum, qui moriebatur cœli, & terræ esse conditorē, & tam cœlestes, quàm terrestres creaturas domino suo famulari, ac mortem eius deflere, vt Theophyl. notauit. Ex quibus nō solum nostra sententia confirmata relinquitur: sed etiam ostensum est, coniecturas Origenis nullius esse momenti.

Phlegon. *Orige.* *Euseb.* *Oro.* *Gre. Tur.* *Sedul.* *Lactan.* *Aug.* *Isai. 50.* *Eclipsis solis in morte Christi fac ti mundo vniuersalis* *Origen.* *Theophyl.*

Colligitur etiam hinc non esse verisimilem modum, seu causam harum tenebrarū quam Origenes excogitauit, scilicet, quòd nubes aliquæ valde densæ inter Solem, & terram interpositæ fuerunt. Quemadmodū probabile est, tenebras Aegyptiacas accidisse, quę harum figuræ fuerunt. Illa. n. causa sine vllo fundamēto excogitata fuit ab Origene, quia sufficiens visa est ad eā exiguā extensionē tenebrarū, quā ipse factā opinatus est. Tamē ad obscurandum Solē in toto orbe minime potuit esse sufficiens. Ac deinde Eusebius supra ex Phlegoneo refert, in eis tenebris visas esse stellas in toto cœlo, quod est signum, magnā fuisse aēris serenitatē, ac perspicuitatē, nō ergo erat dēsis nubibus obscuratū. Quòd præterea ad maiorē miraculi euidentiā, ita fieri oportuit. Nā si solo nubiū obiectu, & in paruo terræ spatio illę tenebræ contigissent, facilē existimari posset casu aliquo, & ab aliqua causa naturali prouenire potuisse, vt indicauit Augst. de mirabilib. sacræ scripturæ lib. 3. cap. 12.

Exodi. 10 *Euseb.* *Phlegon.* *Aug.*

Sed difficultas est in assignādo modo, & causa huius effectus. Et ratio dubitādi est, quia Dionys. supra refert, huiusmodi tenebras factas esse per eclipsim, seu interpositionē Lunæ inter Solē, & terrā; in qua etiā interpositione quatuor pōderauit miracula prēter totū naturę ordinē. Primū, quòd luna obiecta est soli in plenilunio, cū naturaliter solū possit hoc fieri tēpore coniūctionis solis cū luna. Quo argumēto vtitur sępe Aug. vt probet illā eclipsim miraculosam fuisse, vt epist. 80. ad Hisichiū, & lib. 3. de Ciuit. ca. 15. Secundū, quòd luna paulo ante in proprio situ erat, maximē distās à sole, quia suo naturali motu discurrebat: subitō verò magna celeritate retro acta est, soliq; obiecta, ac finito triū horarū spatio iterū eadē celeritate ad eū situ reuersa est, ad quē, suo naturali motu incedēs, illis horis peruenisset. Quo factū est, vt licet tēpore, quo durauit hoc prodigiū, cœlorū motus fuerint aliquātulū immutati: eo verò transacto, in suo naturali ordine, situq; permanserint, ac si nihil accidisset. Tertiū miraculū, quod in naturali eclipsi luna incipit obijci soli ab occidētali parte, quoniā tendit ab occidente in oriens: in hac verō eclipsi cępit obscurare solē à parte orientali, quia retroacta est ab oriēte in occidens. Quartū, quia in naturali eclipsi, ea pars solis, quæ prius obscuratur per interpositionēlunę, prius etiā incipit apparere, luna in suo proprio motu, velociusquā sol progrediente: at verò in hac eclipsi luna, postquā obiecta soli est, nō est vlterius progressa: sed retrogrediēdo in suū situm recurrit. Vnde factum est, vt ea pars solis, quæ vltimò obscurata fuerat, prius apparere inceperit. Hæc notauit Dionys., vt fusius explicuit D. Th. in loco citato: & ita ipse etiā pro cōperto habet, has tenebras factas esse per interpositionē lunæ. In contrariū verò est, quia sola luna nō potest impedire illustrationē solis in toto orbe.

Dubium, Dionys. *Eclipsis solis inmorte Christi mul tis clara miraculis.* *Aug.* *D. Thom.*

Dicēdū est ergo secūdo, propriā, & adequatā causam harū tenebrarū terrę fuisse, quia diuina virtute factū est, vt sol radios suos cōtineret, ita vt licet nullū corpus interijceretur inter solem, & terram, nō illuminaret illam. Hæc est sententia Hieronymi in capit. 27. Matth. quem sequitur

Beda lib.4. in Marcum cap. 15. & lib. 6. in Lucam cap.23. Caietan. & alij. Eandem prius significauit Cypria. de bono Patiē. dicens, *cum ad crucem domini confundantur sidera, elementa turbentur, contremiscat terra, nox diem claudat, Sol, ne Iudæorum facinus aspicere cogatur, & radios, & oculos suos subtrahat, &c.* Idem sentit Orosi. lib. 7. hist. cap. 8. Et probatur dicta ratione, aliter enim non potuisset defectio solis esse vniuersalis. Præterea, hic modus est facilis, quia, sicut ignis Babylonicus continuit actionem suam, Deo suspendente cōcursum suum, ita Sol potuit non illustrare terrā, quia Deus suspendit suum concursum.

Eclipsis solis in morte Christi cauſa quæ fuerit.
Hieron.
Bed.
Caie.
Cyp.
Oros.

Tertio addendum est, simul interpositam fuisse Lunam inter Solem, & terram. Hoc solum constat autoritate Dionysij. Et congruentia reddi potest, quia vt miraculum esset maius, & manifestius, voluit Deus vtroque modo fieri. Deinde voluit vtrumq; luminare maius Christo speciali B ter deseruire, & ad occultandā Christi nuditatem quantum in se erat, quodammodo facere, alterum cōtinendo radios suos alterum retrogrediendo, vt sese soli obijceret, in quo dignitas Christi morientis manifestata est, cui cœlestes creaturæ seruiebāt. Propter quam etiam causam aliud miraculum superioribus adiūctum est (vt D. Thom. supra notauit, ex Chrys. homil. 89. in Ioan.) scilicet, quòd illæ tenebræ per tres horas durarunt, cùm naturalis eclipsis tanto tempore durare non posit. Quia scilicet Christus in cruce tribus horis pependit, quo euidenter ostensum est, effectum illum non casu, nec propter aliam causam fieri, nisi propter Christum. Potuit autem fieri, vt illis tribus horis vtrumque astrum nimirum Sol, & Luna C quieta permanserint, (vt D. Tho. supra indicat,) vel certè, quòd facilius videtur, vt Sol naturalem suum motum perageret, & illum Luna præternaturaliter subsequeretur, seruans semper eandē proportionē, & interpositionem inter Solē, & terram.

D. Thom.
Chry.
Eclipsis solis in Christi morte quandiu duarit.

Dices, si Sol continuit radios suos, qui fieri potuit, vt Dionysius conspiceret Lunæ interpositionem, & eclipsim. Respondetur solum impeditū fuisse Solē, ne terram illuminaret: non tamen, ne superiores cœli partes illustraret. Nam (vt supra diximus) eo tempore stellæ lucebant, quas à Sole illustrari, cōmunior est Philosophorum sententia. Adde, etiā ingressum, egressumque lunæ sub sole successiue factum esse, & non oportuisse perfectas tenebras vnico instanti fieri, aut expelli, sed paulatim prout luna ingrediebatur, & egrediebatur sub sole, atque ita factum esse, ex Dionysij obseruatione non obscurè colligitur. Imo D. Tho. existimat probabile, non esse necessarium, vt perfectę tenebrę tribus horis durauerint, sed illas horas computari ab eo tempore, quo cæpit remitti lumen solis, vsque ad illud instans, in quo ad naturalem statum restitutum est. Quod est quidē verisimile, quāquam existimo, tempus illud, quo immorata luna est ingrediendo, & egrediendo sub sole, fuisse perexiguū. Quia licet tāta mora intercesserit, vt obseruari sensibus potuerit, tñ nō est necesse tātā fuisse, vt per horā integram durauerit, atque ita perfectæ tenebræ vltra duas horas durarunt, & ideò simpliciter tribus, aut fere tribus horis durasse, dici possunt.

Obiectio.
Responsio.

SECTIO SECVNDA.

Quæ prodigia, & quomodo facta sint mortuo iā Christo, & in cruce pendente.

MIraculum defectionis solis, de quo hactenus, ante Christi mortē accidit: cætera, quæ ab euangelistis narrantur post mortem, licet plura numero sint: breuius tamen expediri possunt. Primum ergo Matthæus narrat velum tē pli scissum esse, quod Lucas posuit antequam mortem Christi narraret, sed anticipatione vsus est, verba enim Matth. satis clare denotant consequutionem rerum. Sic enim ait, *Emisit spiritum, & ecce velum templi scissum est*, ac si clarius diceret, *& statim*, seu *subito* hoc euenit, vt notauit Augustinus libro tertio de consensu euangelistarum capite, 9. Quid autem voluit Deus hoc prodigio significare? Multa dicunt sancti Patres, quæ ad expositores euangeliorum magis expectant. Omnia verò videtur comprehendisse Amb. lib. 10. in Lucā paucis his verbis. *Velum scinditur, quo vel duorum populorū diuisio, vel mysteriorū synagogæ prophanatio, declaratur. Scinditur ergo velū vetus, vt Ecclesia noua fidei suæ vela suspēdat. Synagogæ velamē aufertur, vt religionis interna mysteria reuelato mentis cernamus obtutu.* Itaque hac veli diuisione significatū est, antiquatam iam esse legem Iudaicam, tem-

Primū post mortem Christi prodigium.
Mat. 27.
Luc. 23.
Aug.
Velum templi scissum quid portenderit.
Amb.

plum

Dan.9. plum fore prophanandum,& sacrificia abolenda, sicuti prædictum erat Daniel.9. Rursus sacramẽta,quæ sub velamine literæ occulta erant, per Christi mortẽ esse patefacta. Quam porro mysticam significationem elegãter,vt solet, persequitur Leo papa ser.17.&.18,de passione. Addit Cyrillus lib.12.in Ioan.cap.37.etiam significatum esse, per mortem Christi propalatam esse sanctorum viam, & ianuam cœli apertam,quæ antea clausa erat, ad Heb.9. Denique subiungit Theophyl. Matt. 27. voluisse Deum signo Iudæis accommodato ostendere, quantum eorũ scelus detestaretur. Mos enim erat Iudæis, audita blasphemia in Deum scindere vestes suas: *Ita ergo* inquit *nunc diuinum templum, quasi ægre ferens mortem Christi, disrumpit vestem suam.*

Leo Papa
Cyrl.
Heb.9
Theophyl.

Est autem de hoc velo cõtrouersia, quotuplex fuerit,& quodnam fuerit scissum. Ianſenius enim cap.143. Concord. refert opinionem Origenis,asserentis duo fuisse in templo vela,vnum in intima parte templi,quæ *Sãcta sanctorum* dicebatur,in quã solus supremus Pontifex semel in anno ingrediebatur: quamque velum hoc diuidebat ab alia parte,quæ dicebatur *Sãcta*, in quam reliquis sacerdotibus ad sacrificia offerenda ingredi fas erat. Alterum in exteriori parte templi,quod diuidebat Sancta ab alia parte templi magis externa, in quam populus ingrediebatur: & hoc posterius diuisum esse, ait Orig. non prius. Quam Origenis sententiam Ianſenius improbabilem esse censet,quia,licet in tabernaculo fuerint duo vela (vt ex ad Heb.9. cõstat) tamen in templo Salomonis nõ videtur fuisse, nisi vnum coram propitiatorio. *Quia propriorivelo erant*, inquit, *ostia, & portę templi.* Et confirmatur, quia si esset duplex,non diceret Euangelistæ adeò indistinctè, *Et velum templi scissum est*, In modo ergo loquendi satis significant fuisse tantum vnicum.

Dubium.
Ianſ.
Orig.
Hebręo.9

Velumtempli quotuplex.
Ioseph.

Sed in primis (quod attinet ad numerũ velorum) sentẽtia Origenis valde probabile habet fundamentum. Nam Iosephus lib.6 de bello iudaico cap.6. id expresse testatur,describens enim totam fabricam templi,dicit,illam interiorem partem, ad quam soli sacerdotes ingrediebantur, separari ab exteriori,interiecta porta deaurata,quæ fores habebat aureas,& aulæum longitudine pari,hoc est velum, quod ibi A latè describit. Et infra subdit. *Intima vero templi pars viginti cubitorum erat: discernebatur autem similiter velo ab exteriori,& Sancta sanctorum vocabatur:* Deinde præter Iosephum, & Origenẽ testatur id apertè Cyril.lib.12.in Ioan.cap.37. vbi prius sic inquit. *Velum templi linteamen quoddam erat de latere ad latus, a superioribus templi in medio pendens, vt ad interius tabernaculum solus Põtifex ingredi posset.* Postea verò subdit. *In primis enim ianuis templi velum erat extensum, intra quod primum tabernaculum erat.* Eandẽ sententiam manifeste supponit Hierony. epist.150.quæs.8.cùm quæstionem proponit, quod velum templi sciſſum fuerit exterius, an interius. Quo circa cùm res hęc solum ex historia pendeat,& tam graues, antiquique scriptores hoc referant,non video quo fundamento negari possit. Nam quod Euangelistæ indefinitè loquantur nullum est argumentum. Sępe enim indefinita loquutio æquiualet particulari, ac si dicerent, quoddam velum templi sciſſum esse. Neque oportuit magis definitè loqui, quia ad historiam nihil referebat. Quod verò in exteriori parte templi parietes essent, & ostia, nihil impedit, quominus in eis velum esse posset, vt per se constat.

Cyril.
Hieron.

Quod autem ex iis velis sciſſum fuerit, res dubia est. Communis enim opinio esse videtur sciſſum fuisse velum, quod Sancta sanctorum occultabat,& hoc apertè sentit Cyrillus supra. Nam Sancta sanctorum cœlestem patriam representabat, vt colligitur ex Paulo ad Hebr. 9. si ergo sciſsio veli significauit ianuam cœli aperiri, necesse est, vt illud velũ sciſſum fuerit, quod coram sanctis sanctorum pendebat. Idem docet expresse Isidorus super Exodum, cap.50. Euthym.cap.67. in Matthæ. Leo Pap.sermo.10.de Passione: *Velum, cuius obiectu includebantur Sancta sanctorum, a summo vsque ad ima disruptum est, & sacrum illud, mysticumque secretum, quod solus summus Pontif. x iussus fuerat intrare, reseratum est, vt nihil tam esset discretionis, vbi nihil resederat sanctitatis*: Ex quibus verbis aliæ rationes mysticæ ad hoc confirmandum sumi possunt. Cæterum exterius velũ sciſſum fuisse præter Origen. tract.35.in Matth.affirmat expresse Hieronymus loco nuper citato. Et vterque vtitur mystica coniectura. *Quia nunc ex parte videmus, & ex parte cognoscimus: cum autem venerit, quod perfectum*

Dubium.
Quodnam velumtẽpli sciſſum.
Cyril.
Heb.9.
Isidor.
Euthym.
Leo Papa.
Origen.
Hieron.

tum est, tunc & velum interius dirumpendũ est, A *vt omnia, quæ nunc nobis abscondita sunt, domus Dei sacramenta videamus. Nunc. n. per speculũ videmus in ęnigmate, & cum historię nobis velum scissum sit, vt ingrediamur atrium Dei: tamẽ secreta eius, & vniuersa mysteria quæ in cœlesti Ierusalem clausa retinentur, scire non possumus.* Hæc Hieronymus, quæ videtur ad literam ex Origene desumpsisse. Quid igitur horum verius sit, mihi incertum est. Quia allegoricæ rationes non cogunt, & verba Euangelistarum communia sunt. Si tamen verum est, quod refert Aristeas in historia de septuaginta interpretibus, illud extrinsecum velum tale fuisse, vt templum in circuitu clauderet, verisimile est fuisse appellatum simpliciter, *velum templi.* Sed quoniã illius Iosephus non meminit, imo videtur prorsus diuersum ab ijs, quæ Iosephus commemorat, mihi suspecta res est. B

Aristeas.

Secundũ in morte Christi prodigiũ terræ motus.

Psal. 17.

Hebr. 12.

Secundum prodigium fuit terræ motus, quod factum est primo ad iram Dei indicandam iuxta illud Psal. 17. *Commota est, & contremuit terra, & fundamenta eius conturbata sunt, quoniam iratus est eis.* Secundo ad significandam magnam mutationem rerũ futuram. Quod insinuat Paul. ad Hebr. 12. dicens, *Cuius vox mouit terram tunc,* (id est, cùm promulgaretur lex vetus,) *nũc repromittit dicens. Adhuc semel, & ego mouebo non solum terram: sed & cœlum. Quod autem adhuc semel dicit, declarat mobilium translationem, tanquam factorum, vt maneant ea, quę sunt immobilia.* Tertio ad indicandum supplicium, quod Iudæis imminebat propter mortem Christi. Ac denique propter alias causas, quæ Theophy. Euthym. & alij expositores Euangeliorum, & Hieronym. dicta quæst. 8. obseruarunt. C

Theophyl. Euthym. Hieron.

Dubium. Origen.

Terræ mõtus in mõte Christi factus num generalis fuerit.

Corn. Ta. Plin. Pau. Oros.

Quæri verò potest, quibus in locis hic terræ motus contigerit. Origenes tract. 35. in Matth. sentit solum Ierosolymis, vel ad summum in terra Iudææ accidisse. Et sanè ex euangelijs nihil aliud colligi potest, vnde hoc satis est, ad historiæ euangelicæ veritatem. Ex alijs verò historijs colligi videtur, non solum in Iudæa, sed alijs etiam in locis eo tempore terræ motũ accidisse. Referunt enim Cornelius Tacitus lib. 2. suorum Annalium, & Plinius lib. 2. historiæ cap. 84. Paulus Orosius lib. 7. historiæ cap. 4. tempore Tiberij plures ciuitates in Asia terræmotu corruisse. Quem terræmotum accidisse eodem die passionis domini multi arbitrantur, ad quẽ videtur alluisse Aug. de mirabilibus sacræ scripturæ lib. 2. cap. 3. dicens. *In die mortis domini duodecim ciuitates in Tracia terræmotu concidisse.* Sed tñ cum terræmotum non in anno dominicæ passionis: sed trede cim, vel. 14. annos antea accidisse, colligitur ex Euseb. in Chronico, qui terræmotũ illũ adscribit quinto anno Tiberij: cùm tamen Christus anno 18. vel 19. eiusdem Tiberij obierit. Nihilominus tamen idẽ Eusebius in 18. anno Tiberij scribit hæc verba, *Bithinia terramotu concussa, & in vrbe Nyssena ædes plurimæ corruerunt, quę omnia his congruunt, quæ in passione Saluatoris acciderunt.* Et infra, ex Phlegonte refert, hũc terræmotũ Bithiniæ eodem anno, & die, quo generalis solis defectio, accidisse. Itaque duo terręmotus videntur accidisse in Asia tempore Tiberij, vnusque eorum in diem passionis domini incidisse, fuit igitur mota terræ in alijs regionibus extra Iudæam. An verò tota terra cõtremuerit, non constat.

Aug. Euseb.

Phlegon.

Tertium in morte Christi prodigium petrarum disruptio.

Hieron.

Cyr. Iero.

Baron.

Tertium prodigium fuit petrarum discissio. Quod aliqui existimant consequutũ esse ex vehementi terræmotu, & petrarũ concussione. Quod fieri quidem potuit: tamen Matt. hoc narrat, vt prodigium diuersum, & speciali Dei prouidẽtia factum ad conuincendam Iudæorum perfidiam, & eorum corda lapidea significanda, quæ tot prodigijs commota non sunt, cùm tñ dura saxa scissa fuerint. Addit Hieronymus ex Euangelio Nazaræorum, etiam superliminare tẽpli, quod ingẽtis erat magnitudinis, per medium diuisum fuisse, & Cyrill. Ierosolymitan. Cat. 13. refert, in monte Caluariæ vsq; in hodiernam diem apparere, clareque monstrari, vbi petræ scissę sint propter Christum. Præterea, dicitur esse traditio incolarum eius loci, rupem illius montis, in qua tres cruces fixæ erant, ita diuisam fuisse, vt scissio inter crucem Christi, malique latronis interiecta sit, quasi eum à Christo separans. Refert denique Baronius in Annalibus, anno. 34 non solum Ierosolymis: sed in alijs etiam regionibus disruptos fuisse montes, scilicet montem Aluerniæ in Hetruria, & Caietæ promontorium prope campanum littus, quod dicit constare ex traditione incolarum.

Quartum in morte

Quartum prodigium fuit sepulcrorum patefactio. Quod Cæsar Baronius terræmotui

te Christi prodigiũse pulcrorum patefactio. Cæs. Barõ. D. Thom. Cyr. Iero.

motui etiam tribuit. Sed dubitari non potest, quin fuerit singulari Dei prouidentia factum ad efficaciam mortis Christi ostendendam, per quam mortua mors fuerat & sancti erant ad immortalem vitam reuocandi. Vide D. Thom. supra quæst. 45. artic. 4. ad 3. *Aperta sunt monumenta ad ostendendũ, quod per eius mortem mortuis vita daretur*, & Cyril. Ierosolymitan. dicta cat. 13. *Defecit* (inquit) *sol propter iustitiæ solem, petræ scissæ sunt propter spiritalem petram, sepulcra aperta sunt, & mortui surrexerunt propter eum, qui est inter mortuos liber, & emisit ipse vinctos de lacu non habente aquam.* Obseruanda autem sunt verba Matth. sic scribentis. *Et monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorũ, qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.*

Mat. 27.

In quibus dubitari potest, an hæc omnia acciderint statim mortuo Christo. Nã dificile est creditu, aliquem ex iis sanctis ante Christum surrexisse: è contrario verò non videtur posse dubitari, quin monumenta statim aperta fuerint simul cum terræmotu, & petrarum scissione: at verò resurrectio sanctorum eodem contextu, & modo narratur. Nihilominus dicendum est, monumenta quidem fuisse aperta eodem tempore, quo terræmotus fiebat, & saxorũ crepitus, ac scissio. Ita enim Matt. indicat, & omnes interpretes, & sancti exponunt. Quia omnia hæc signa sunt quodammodo eiusdẽ rationis, & inter se connexa, præsertim, si verum est, ex terræmotu reliqua esse cõsequuta. At verò de corporibus, quæ in monumẽtis iacebant, probabile est, non surrexisse vsque ad Christi resurrectionem. Nam ipse Matthæ. dicit. *Exiuisse de monumentis post resurrectionem Christi*, ita enim distinguenda, & construẽda sunt verba Matth. vt habemus in Vulgata. Certum est autem simul, ac resurrexẽrunt, exiuisse de monumentis. Itaque alia verba. *Et multa corpora sanctorum, quæ dormierant, surrexerunt*, per anticipationem posita sunt, de qua re plura dicemus infra, de Christi resurrectione agentes.

Dubium.

Responsio

Hieron. Chry. Euseb. Ioseph.

Præter hæc prodigia, quæ ex Euangelio habentur, narrant aliud Hieron. & Chrys. in Matth. Euseb. in Chronico, auditas scilicet tunc fuisse voces in templo clamantium. *Migremus ex hoc loco.* Sed an hoc acciderit tempore passionis, incertum est.

A Nam Iosephus (cuius testimonio Hieronym. & Euseb. vtuntur) factum esse dicit paulò ante excidium Ierosolymitanum, tẽpore Pentecostes, vt constat ex libr. 2. de bello Iudaico, cap. 13. & lib. 7. c. 12. Aliud ex Plutarcho narrat Eusebius libr. 5. de præparatione cap. 9. circa insulas (quas appellant Echinadas) â quibusdam Romanis ex AEgypto in Italiam nauigantibus auditam fuisse vocem gubernatori nauis præcipientem. *Quando iuxta paludem fueris, annuntia Pan magnum mortuum esse.* Quod cùm ille fecisset, magnus gemitus auditus est quorundam discedentium ab illo loco. Quod multi referunt ad mortem Christi, per quam Princeps huius mũdi foras eiectus est. Denique Paulus Palacios super

Plutarch. Euseb.

Pau. Pala.

B Matth. aliud prodigium refert ex reuelatione Sanctæ Brigittæ. Eodem momento, quo Christus expirauit, omnes homines, qui vbique terrarum erant, subito quodã horrore, ac timore fuisse perculsos, causam illius effectus ignorantes. Sed horũ, quæ in Euangelio non habentur, fides sit pẽnes autores.

DISPVTATIO XL.

In sex sectiones distributa.

De tempore passionis, & mortis Domini.

DIsputationem hanc in hunc locum reiecimus, quoniã passioni, & morti Christi communis est. Sumus autem in ea annum, mensem, diem, & horam

C declaraturi, in qua Christus mortuus est. Et quoniam ex Euangelio constat mortuũ esse die proximè sequenti, postquam cum discipulis cœnauit, hic etiã tractanda erit celebris illa controuersia, quotodie lunæ Christus cœnauerit, ac mortuus fuerit. Quamobrem non poterit disputatio hæc non esse cæteris prolixior.

SECTIO PRIMA.

Quo anno ætatis suæ Christus dominus diem obierit.

INquirimus primum omnium ætatis annum, quoniam illo cognito, & suppositis iis, quæ superiori tomo de anno incarnationis Dominicæ dicta sunt, facilè erit intelligere, quo anno ab orbe condito fuerit mortuus. In hac ergo quæstione

sex

sex inuenio sententias, quatuor improbabiles,& iam antiquatas:duas verò probabiles,ex quatuor prioribus duæ peccant per excessum,per defectum duę.

Irenæ. Aug. Prima est Christum excesisse quadragesimum ætatis annum.Hanc docuit Irenæus.2.lib.contra hæres.capit.39. &.40. vbi ferè quinquaginta annos ætatis Christo attribuit: Augustetiam lib.2.de doct. Chri.ca.28. refert quosdā dixisse, Christum quadraginta sex annos vixisse, quos ex ignorantia historiæ lapsos dicit. Et Irenęus quidem suam sententiam confirmat: primo autoritate,& traditione quorundā præsbyterorū Asiæ,indicans eos à Ioanne Euangelista edoctos fuisse. Secundo id *Ioan.8.* colligit ex verbis Ioan.8.*Quinquaginta annos nondum habes,& Abraham vidisti?* Nullus enim ad iuuenem triginta annorum ita loquitur,sed ad eum, qui iam non longè â quinquagesimo ætatis annos distare videtur. Tertio additconiecturas,scilicet,quia decuit Christū omnē hominis ætatē sanctificare. Præterea quia hæc ętas prouectior honorabilior,& muneri præceptoris accommodatior erat. Hæc verò sententia ab omnibus Patribus reiecta est. Quia tū ex euangelica,tum ex humana historia falsa esse conuincitur. Primum satis constat ex ijs,quę dicta sunt de tēpore,quo Christus baptizatus est,ac prædicauit. Nam ex euangelio constat baptizatum esse trigesimum annum agentem,& paulo post suā prædicationēinchoasse,vt ex modo euāge *Act.1.* licæ narrationis,& ex verbis Petri Act.1. constat. Rursus,non prædicauit vltra quatuor annos,præsertim à miraculo nuptiarum,vt in superioribus ostensum est. Secundum declaratur, qui Christus passus est sub Pontio Pilato,vt præter euangelicam historiam scripsit etiāIoseph.lib.18. antiq. cap.6.vbi Christo domino illustre *Ioseph.* testimonium reddit. Idem verò Ioseph. eodem lib.cap.11.refert,Pilatum ante Tiberij mortē Ierosolyma discessisse, ergo necesse est,vt Christi mors Tiberio imperante contigerit, Tiberius autem viginti tribus annis nondum integris imperauit, vt in omnibus historijs vulgatū est.Cùm ergo trigesimus Christi annusin decimūquintum imperij Tiberij inciderit, nullo modo potuit quadregesimū ætatis annū Christus attingere.Et hoc euidentius constabit exsequentibus , vbi ostendemus Christum decimo octauo, vel decimo no

A no anno imperij Tiberij Cæsaris passum esse.Fundamenta Irenęi non habent difficilem responsionem. Illorum enim prę byterorum traditiones apocryphæ sunt, & ignotæ autoritatis. Illa autem verba euangelij, *Quinquaginta annos nondum habes*, dici potuerunt vsitato quodam,& vulgari modo loquendi,vel certè quòd Christus, ob vultus grauitatem,& corporis macerationem,ac seueram vitam, maioris ætatis appareret,quàm reipsa esset.Reliqua solutione non indigent.

Secunda sententia esse potest,Christum mortuum esse anno.34.ætatis expleto , & 35.inchoato. Quæ licet à nullo autorum, (vt reor) asseratur:videtur tamē posse colligi ex probabilibus principijs . Primum B est,Christū baptizatum esse anno trigesimo ætatis expleto.Secūdū,post integrum annum effeciisse miraculum in nuptijs. Tertium, à nuptijs vsque ad mortē Christi quatuor paschata numerari à Ioāne , id-est , tres anni integri,& aliquot menses. Exijs ergo simul sumptis necessario concludūtur triginta quatuor anni integri,& aliquot menses ætatis Christi. Nihilominus autem censeo opinionem hanc improbabilem esse,quia licet ex sola historia euangelica non possit conuinci,hanc sententiam esse falsam,& improbabilem (vt discursus factus ostendit,) tamen adiuncta Græca,Romanaque historia communiter recepta,nullo modo sustineri potest.

C Quia oportuisset Christi mortem contigisse in ducentisima tertia olympiade,& vigesimo anno imperij Tiberij,quod nō potest vlla cum probabilitate affirmari,vt videbimus. Quo circa quāuis illa tria principia singula perse probabilia sint: tamen omnia illa simul coniungere non est probabile,quod in rebus probabilibus sæpe euenit.

Tertia sententia est,Christum mortuum esse expleto trigesimo ætatis anno • Nam initio illius baptizatus est,& in illo prædi *Isai.61.* cauit iuxta illud Isai.61. *Vt prædicarem annum acceptabilem domino* , & illo finito mor *Iren.* tuus esse asseritur.Hæc fuit sententia Va- *Epiph.* lētini,& Ggnosticorum,vt refert Irenęus *Cle. Ale.* supra,& Epiphan.hæres.51. vbi eam im- *Iul. Afri.* pugnat.Et eandem sententiam tenuit Cle *Hieron.* mens Alex.lib.1.stromat. qui dicit,expleto trigesimo anno,Christū mortuū esse, *Lactan.* & Iulius Africanus, apud Hieronymum Daniel.9.Referri etiam potest Lactātius lib.4.

lib.4. de vera sapiẽtia ca.10. vbi ait, Christum fuisse crucifixum anno. 15. imperij Tiberij, quem fuisse trigesimum ætatis Christi constat ex Luca. Et eodem modo errauit Tertull. lib. contra Iudæos capi. 8. (vt notauit Eusebius in Chronico olympiade. 194.) de cuius sententia suprà diximus agentes de prędicatione Christi. Et ad hanc sententiam videtur alluisse Aug. epist. 80. cùm dixit, *A natiuitate domini hodie computantur anni ferme quadringenti viginti, a resurrectione autem, vel ascensione eius anni plus minus trecenti nonaginta.* Sentit ergo à natiuitate ad resurrectionem solum triginta annos fluxisse. Sed cum Aug. dicat *ferme*, &, *plus, minus*, non exactè rationem temporis habuit. Quod verò idem Aug. lib. 18. de Ciuit. cap. vltimo dicit, Christum passum esse sub consulibus Rubellio Gemino, & Ruffo Gemino, quorum consulatus in annum 15. Tiberij incidit, vt constat ex historijs, videtur, potius in Consulibus, quàm in Christi ætate, à Tertulliano, & alijs scriptoribus deceptus.

Lactan. Tertul. Euseb. Aug. *Aug.*

Quarta sententia est, Christum obijsse anno. 31. ætatis expleto, inchoato trigesimo secundo. Ita senserunt Seuerus Sulpitius lib. 2. Sacræ historiæ, Philastrius lib. de hæresibus capite de hæresi circa annos Christi. Atque eadem sententia tribui potest Cyrillo Alex. Cassiodoro, & Apollinari Laodiceno supra citatis in disputat. de doctrina Christi, sect. 3. quatenus dicunt, Christum duobus tantum annis prædicasse. Et eandem tradit Paulus Orosius lib. 7. Hist. capit. 4. dum inquit, Christum esse mortuum anno. 17. imperij Tiberij. Sed hæ duæ sententiæ etiã sunt planè falsæ, & improbabiles. Quia repugnant euangelio, ex quo (vt supra vidimus) euidenter concluditur, Christum cæpisse prædicare post. 29. annum ætatis, & vt minimum prædicasse tribus annis integris, & aliquot mensibus. Quo argumẽto tertia sententia euidentissimè refutatur. Quarta verò aliquo modo respondere posset, Christum non habuisse triginta annos expletos, quando fecit miraculum nuptiarum: postea verò solum prædicasse duobus annis, hoc enim probabile est (vt supra vidimus:) sed hæc euasio non reddit illam opinionem probabilem, quia cõsideratis verbis Luc. capit. 3. & quæ facta narrantur à Christo à tempore baptismi vsque ad nuptias, non est verisimile, Christum nõdum

Seuer. Sul. Philast. Cyri. Ale. Cassiodor. Apollinar. *Pau. Oro.* *Luc. 3.*

A

B

C

expleuisse tunc trigesimum annum ætatis. Nam baptizatus dicitur, *Quasi annorum triginta*, & postea ieiunauit quadraginta diebus, congregauit discipulos, &c. Adde necessarium esse dicere, in illo primo paschate, (cuius Ioannes meminit cap. 2.) in quo Christus eiecit ementes, & vendentes è templo, habuisse iam tunc saltem triginta annos, & tres menses: alioqui habuisset tantum viginti nouem annos, & tres menses. Quare in baptismo non habuisset viginti nouẽ annos integros, quia non potuit baptismus non distare ab illo paschate vltra tres menses. Quia, (vt dictum est) illo tempore Christus ieiunauit, tentatus est, congregauit discipulos, fecitque miraculum nuptiarum, & alia, quæ Ioannes narrat cap. 1. & 2. At vero ab illo primo Paschate vsque ad mortem Christi, vt minimum fluxerũt duo anni integri, quia Ioannes euidenter numerauit tria paschata, ergo nullo modo sustineri potest, quin Christus expleuerit trigesimum secundum ætatis annum. Quod etiam ex prophana historia cum euangelica cõiuncta clarè conuinci potest, vt in sequentibus sententijs enarrandis videbimus.

Ioan. 2.

Quinta ergo sententia valde probabilis est, Christum mortuum esse expleto trigesimo secundo ætatis anno, & inchoato trigesimo tertio. Hoc sentit Epiphan. hæres. 78. dicens, *Christum crucifixum esse anno trigesimo tertio sui aduentus in carne.* Et colligitur ex omnibus autoribus, qui dicũt Christum obijsse anno. 18. imperij Tiberij, vt ex dicendis patebit. Illud autem affirmãt Euseb. in Chronico, Beda libr. de ratione temporum cap. 7. & lib. de sex ætatibus, Nicepho. lib. 1. hist. ca. 40. Et ex recentioribus hanc sententiam defendunt Ioãnes Lucidus lib. de vero die passionis Christi, Dried. lib. 3. de dogmatibus tract. 3. cap. 5. 4. parte, Canus lib. 11. de locis cap. 5. & 6. & Benedictus Pereirus lib. 11. in Daniel. quæst. 7. Hæc verò sententia varijs modis ab ijs autoribus explicatur iuxta diuersa principia supra posita de ætate, in qua baptizatus est Christus, & de tẽpore, in quo prædicauit, & de anno, qui inter baptismũ & miraculum nuptiarum intercesit. De quibus satis in superioribus dictum est. Nonnulla verò generalia fundamenta huius sententiæ postea expendemus.

Epiphan. *Euseb. Beda. Nicephor. Ioa. Dried. Canus.* *Pereir.*

Sexta igitur sententia, quam nos probabiliorem existimamus est, Christum dominum

minum mortuum eſſe expleto trigeſimo tertio anno ętatis, annum agentem trigeſimum quartum. Hanc docet Beda lib. de ratione temporum cap. 4. vbi incunctanter dicit, hanc eſſe Eccleſiæ fidē, quā vſu quodam, & traditione eccleſiaſtica confirmat. Et eandem tenet Marianus Scotus in Chronico. Et ex recētioribus Onuphrius in Faſtis, Genebrardus in Chroni. & Cæſar Baronius in annalibus, anno. 34. qui refert Chryſ. Cedrenum, Nicetam, & Hieronymum. Et hæc ſententia neceſſario ſequitur ex principijs poſitis à nobis in ſuperioribus. Diximus enim Chriſtum baptizatum eſſe inchoato anno trigeſimo ętatis, & poſt annum miraculum nuptiarum edidiſſe, & poſtea numerari quatuor paſchata â Ioanne, ergo neceſſario concludū tur triginta tres anni, & tres menſes. Quia verò annus ille à baptiſmo ad nuptias à multis in dubium reuocatur, loco illius ſumam aliud principium, quod certius exiſtimatur etiam ab ijs ſcriptoribus, qui aliud negant, quiq; quintam ſentētiam defendunt: nimirum Chriſtum aquam in vinum commutaſſe die ſexto Ianuarij: quā eſſe vetuſtiſsimam traditionem, vſum, & obſeruationem Eccleſiæ Catholicæ, commanemque ſcriptorum ſententiam, affirmat Benedictus Pereirus dicto lib. in Daniel. quæſt. 6. Neque ego reperio aliquem autorem Catholicum hoc negaſſe. Hinc ergo fit, Chriſtum eo tempore, ſcilicet ante tredecim dies expleuiſſe ætatis annos. Quæro igitur, an expleuerit tunc trigeſimum, & inchoauerit trigeſimum primum vel potius expleuerit vigeſimum nonum, & inchoauerit trigeſimū. Hoc poſterius dici non poteſt, quia hinc ſequitur fuiſſe baptizatum Chriſtum duobus, vel tribus mēſibus antequā expleret vigeſimū nonū annum. Quia (vt ſupra oſtendi) neceſſarium fuit baptiſmum antecedere nuptias ſaltem tribus, vel quatuor menſibus. Cōſequens autem illud omnino falſum eſt, (vt ſupra vidimus,) ergo neceſſariò dicēdum eſt primum, ſcilicet, Chriſtum triginta iam annos natū in nuptijs patraſſe miraculum, ergo addēdo quatuor paſchata, quæ numerat Ioannes, concluditur neceſſario prædicta ætas triginta trium annorū, & aliquot menſium. Et confirmari poteſt hæc ſententia, computando annos Chriſti per olympiades Grecorum. Ad quod ſuppono primo, initium olympiadum in mē-

Chriſt⁹ trigeſimū ætatis annum agens moritur. Beda. Marian. Scot. Onuph. Genebrar. Cæſ. Barō. Chry. Ced-en. Nicet. Hiero. Pereir.

A ſe Iunio eſſe ſumendum, vt late deducit Onuphrius lib. 1. faſtorū. Suppono deinde, Chriſtum dominum natum eſſe anno 3. centeſimę nonageſimæ quartæ Olympiadis, vt ſupra etiam oſtendimus ex Euſebio in Chronico, Beda in lib. de ſex ætatibus, & alijs. Tertio pono Chriſtum mortuum eſſe anno. 4. ducentiſimæ ſecundæ Olympiadis, quod omnes ferè ſcriptores ſine controuerſia admittunt, ex Euſebio in Chronico, vbi ex Phlegonte refert miraculoſam ſolis defectionem, in paſsione domini factam, illo anno. 4. ducentiſimæ ſecundæ Olympiadis accidiſſe. Ex his ergo concluditur neceſſariò prædictus annorum numerus. Nam ex centeſima nonageſima quarta Olympiade Chriſtus vixit ſex menſes tertij anni illius Olympiadis, & prętera annum integrum. Quia cùm initium anni Olympiaci ſumatur in fine Iunij, & Chriſtus natus ſit in fine Decembris, aperte concluditur natum eſſe in dimidio illius anni: natus eſt autem in tertio anno illius Olympiadis, vixit ergo anno, & dimidio illius. Sed præterea vixit octo Olympiades integras minus tribus menſibus, tot enim deſunt vſque ad ducētiſimam quartam, in cuius anno quarto, menſe Martio, ideſt, nono menſe illius vltimi anni Olympiaci, mortuus eſt Chriſtus: octo autem Olympiades continēt triginta duos annos, vt perſe conſtat: ergo ſi addas annum cum dimidio, & tres menſes ſumas ad complendas octo Olympiades, colliges ætatem Chriſti triginta triū annorum, & trium menſium.

Euſeb. Beda, Phlegon.

B

C Duo verò ſunt, quę huic ſententiæ maximè obſtare videntur. Vnum pendet ex principijs Aſtronomicis, quod poſtea agētes de die paſchatis attingemus. Alterū oritur ex computatione ſecundum Romanam Chronologiam. Poſuimus enim ſuprà Chriſtum natum eſſe anno. 42. imperij Auguſti, ac præterea diximus Auguſtū imperaſſe tantum quinquaginta ſex annis, vixit ergo Chriſtus imperante Auguſtio. 14. annis, ſed iuxta communem ferè omnium ſentētiam Chriſtus mortuus eſt 18. anno imperij Tiberij, vt docet Euſeb. in Chronico, Beda lib. de ſex ætatibus, & de ratione temporum, cap. 7. Epiphan. lib. de ponderibus, & mēſuris. Marianus Scotus in Chronico, Niceph. Calixtus libr. 1. Hiſtor. cap. vltimo, & Nicephorus Gregoras in Chronographia. Sed decem & octo

Obiectio

Euſeb. Beda. Epiph. Marian. Scot. Niceph. Calixt.

octo anni supra quatuordecim reddunt triginta duos. Ostendimus item supra inter finem imperij Augusti, & initium Tiberij nullum tempus intercessisse, ergo. Et potest hoc ipsum aliter explicari. Nam diximus supra, Christum esse baptizatum, cùm inchoaret trigesimum annum: dicit autem Lucas baptizatum esse. 15 anno imperij Tiberij, ergo, si mortuus est. 18. anno eiusdem Tiberij, non potuerunt intercedere à baptismo vsque ad mortem nisi tres anni, & aliquot menses, ergo non potuit explere Christus trigesimum tertium ætatis annum.

Responsio Hæc difficultas duobus modis expediri potest. Prior est, imperium Augusti cõputari posse â morte Iulij Cæsaris, vel à primo consulatu Augusti, & priori modo Christum natum esse quadragesimo secũdo anno imperij Augusti, posteriori autẽ modo in quadragesimo primo. Atq; ita ab illo anno vsque ad 18. imperij Tiberij fluxisse triginta tres annos integros, & aliquot menses. Hunc modum dicendi defendit Cæsar Baronius in apparatu Annalium, & anno. 34. Sed hæc sentẽtia nullo modo nobis probatur. Primo, quia ex illa sequitur, Christũ esse baptizatũ post expletum trigesimum ætatis annũ, quod non consonat euangelio. Secundo, quia iuxta hanc cõputationẽ, vel negandũ est intercessisse annum inter baptismum, & miraculum nuptiarum, vel negandum est à miraculo nuptiarum vsque ad mortẽ Christi fluxisse quatuor pascha ta: vel denique dicendum esset, Christum vltra triginta quatuor annos integros vixisse. Deinde, iuxta prædictam sententiam, natiuitas Christi nõ in tertio: sed in secũdo anno centesimę nonagesimę quartæ Olympiadis esset statuenda: quod Eusebio repugnat, & alijs ferè scriptoribus. Posterior ergo responsio sit, Christum nõ decimo octauo, sed decimo nono anno imperij Tiberij mortuum esse: Ita docuit Onuphrius lib. 2. fastorum. Et videtur planè colligi ex Chronico Eusebij. Ponit enim initiũ imperij Tiberij in principio anni secundi centesimæ nonagesimæ octauæ Olympiadis: mortem autem Christi in quarto anno ducentesimæ secundæ Olympiadis circa finem, vt superius explicatum est, ergo vixit Christus in imperio Tiberij decem, & nouem inchoatis annis. Nam totidem conficiunt quinque Olympiades dẽpto primo annò vnius, & parte postremi anni vltimę Olympiadis. Assumptum patet ex supra dicta historia Phlegõtis referentis, eclipsim mortis Christi in anno quarto ducentesimæ secundæ Olympiadis accidisse. Quo argumento pressus Baronius supra, duobus modis respõdet. Primo, mendosum esse locum, & legendum esse *Tertio anno*, vbi habetur, *Quarto*, quia Eusebius referens verba Phlegontis, ponit ea in tertio anno illius Olympiadis, ergo non est verisimile, ad confirmationem suæ sententiæ adduxisse historiam sibi apertè repugnantem. Secundo respondet Phlegontem non numerasse annum quartum illius Olympiadis more Græcorum: sed secundũ Romanã computationẽ, id-est, appellasse illum quartum annum, quia sub eisdem Consulibus, & eodem anno 18. imperij Tiberij, quartus annus illius Olympiadis inchoatus est, quamuis ante initium eius, atque adeò in tertio anno illius Olympiadis reuera eclipsis illa acciderit. Sed quod ad hanc posteriorem responsionem spectat, mirum mihi videtur, & incredibile, Phlegontem Græcum historiographum, & egregium Olympiadũ obseruatorem, (vt Eusebius testatur,) ac singulos annos singularum Olympiadum distinctè numerãtem, Romana potius cõputatione, quàm Græca vsum esse. Prior verò responsio quàm sit voluntaria, satis cõstat; pari enim facilitate dici posset vitio scriptoris errorẽ irrepsisse in verba Eusebij, & vbi legitur. *Decimo octauo anno imperij Tiberij*, legẽdũ esse. *Decimo nono*. Fateor quidem apparere contradictionem in verbis Eusebij, Vnde autem orta sit, non satis reperio.

Christ⁹ quo anno imperij Tiberij Cæsaris mortuus. Onuph, Euseb.

Phlegon. Baron.

Euse.

SECTIO SECVNDA.

Quid fuerit Pascha Iudæorum, & quo tempore celebraretur, & ab Azymorum festo quomodo differret.

EXplicato anno mortis Christi, vt de mense, ac die differamus, quoniam ex euangelio solum constat, Christum in Paschate, seu primo die Azymorum esse mortuum, necessariò sumendum est initium ab explicatione diei, in quo Iudæi Pascha celebrabant. Cuius sollennitatis

nitatis fundamentū erat illa lex lata Exod. 12. *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni. Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum per familias, & domos suas, & seruabitis eum vsque ad. 14. diē mensis eius, immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam, & edent carnes nocte illa assas igni, & Azymos panes, cum lactucis agrestibus, & comedetis festinantes. Est. n. phase, ideſt, transitus domini. Habebitis autem hanc diem in monumentum, & celebrabitis eam solennem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno. Septem diebus Azyma comedetis, In die primo non erit fermentum in domibus vestris. Dies prima erit sancta, atque solennis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis.* Hæc sunt scripturę verba, quæ ad nostrum institutum spectant, quanquam nō nulla verba in eis recensedis, prætermissa sint. B

In quibus exponendis primum omniū aduertendum est, duo præcepta, duasque solennitates, ac festa Iudęorum in eis contineri. Alterum appellatur Phase, seu Pascha, alterum festum Azymorum, quæ duo interdum confunduntur, & alterum pro altero ponitur, quia simul incipiebāt: proprie tamen sunt reuera distincta, vt expresse docet Ioseph. lib. 3. antiq. capit. 10. & notarunt Cyrill. lib. 9. in Leuit. Beda in lib. hymnorum, qui habetur tom. 1. Abul. 2. part. sui defensorii cap. 3. & Franciscus Toletus in Ioan. ca. 7. annotat. 2. unt autem multa discrimina obseruāda inter hęc præcepta, quæ plurimum lucis huic disputationi afferent.

Ioseph. Cyril. Beda, Abulens. Tole.

C

Primo ergo consideranda est materia, & forma horum præceptorum, & in quo consisteret vtraq; dictarum festiuitatum. Nam præceptū de Azymis præcipuè videtur fuisse negatiuum, eiusque materia erat, vt abstinerent à pane fermentato: cōsequenter verò, quia non poterant omnino abstinere ab esu panis, præcipiebatur vsus Azymi panis, non simpliciter, & absolutè: sed si quis pane vti vellet. Nam si posset aliquis, & vellet illis diebus omnino à pane abstinere, & alijs cibis vti, quātum est ex vi huius præcepti, non peccaret, dummodo fermentatum nō comederet. Quia Deus hoc præcepto non per se intendebat præcipere esum panis: sed designare qualitatem eius, vt perse constat. Præcipiebatur præterea hac lege, vt prima, & vltima die Azymorum ab omni opere seruili esset feriatio, & quoad hāc partē etiam erat præceptum formaliter negatiuū, quāquam finis eius esset, vt illis diebus cultui Dei vacarent. Præter hæc verò aliquid etiā positiuū præcipiebatur, ni mirū vt illis diebus varia sacrificia offerrē tur, vt patet Num. 28. vbi de ijs diebus Azymorū sic præcipitur *Dies prima venerabilis, & sancta erit, omne opus seruile non facietis in ea, offeretisque incensum holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septem, &c.* & infra. *Ita facietis per singulos dies septem diebus: Et rursum Dies quoq; septimus celeberrimus, & sanctus erit vobis, omne opus seruile non facietis in eo.* De his verò sacrificijs populus participare poterat, quantum ex 2. Parali. ca. 35. colligi potest. Quāuis de hirco, qui ijs diebus pro peccato offerebatur, refert Ioseph. lib. 3. antiq. ca. 10. in vsum sacerdotum solitum fuisse reseruari. Adde præterea, secundo die Azymorū præceptū esse Leuit. 23. offerri manipulum primiciarū.

Celebritas Paschæ, & festum azymorum longe diuersa.

Num. 28. 2. Para 35. Ioseph. Leuit. 23.

At verò aliud præceptum erat affirmatiuum, duoq; prę cipuè continebat, primū immolationē agni, alterum, esum eius cū quibusdam circunstantijs. Primum cō tinetur illis verbis, *Immolabitque eum vniuersa multitudo Israel ad vesperam.* Quod præceptum supponebat præparationē agni à decima die mensis, & conditiones agni, scilicet vt esset anniculus, & sine macula. Secundū autē continetur illis verbis. *Et edent carnes nocte illa assas igni, & Azymos panes, &c.* Vnde in hac lege sicuti directe præcipitur esus agni, & lactucarum agrestium, & aliæ circunstantiæ, ita & vsus Azymorum: consequenter verò prohibentur illo præcepto quædā alia, scilicet vt nihil crudū, vel coctum aqua comederetur, &c. Et in hac posteriori parte huius præcepti nulla est difficultas, comedebatur. n. agnus in singulis domibus, & ab omnibus tā sacerdotibus, quam laicis.

Dubium.

At verò in priori parte difficile est explicatu, vbi, & à quibus offerendum esset illud sacrificium agni, ideſt, an in tēplo, & à sacerdotibus, nec ne. Et est ratio dubij, quia Exod. 12. nulla facta mentione sacerdotū dicitur. *Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam, & sument de sanguine eius, & ponent super vtrumque postem, ac in superliminaribus domorum.* Quibus

Exodo. 12.

verbis

verbis indicatur in singulis domibus, & à quolibet è populo fore sacrificandum. Vn de Philo. lib. 3. de vita Mosis, sic scribit. *Philo.* *Eius mensis luna decima quarta sub ipsum tempus, quo luna suum orbem solet complere lumine, celebratur migrationis publicæ festiuitas, quam Chaldaice Pascha nominant. Quo tempore, non vt alias plebei homines victimas adducunt ad altare mactandas à Sacerdotibus, sed, iubente lege, tota gens sacrificat, dum pro se quisque mactat hostiam propriis manibus.* Et lib. de Decalog. numerando dies festos, inquit. *Et quod patria Hebræorum lingua Phase dicitur, quando populariter singuli sacrificant non expectatis Sacerdotibus, ipsi permissu legis fungentes sacerdotio quotannis per vnum diem destinatum huic negotio.* Idem indicat Iosephus. 2. Antiquitatum, cap. 6. alias. 10. *Quartadecima* (inquit) *die omnes ad exitū animati sacrificabant:* & infra. *Vnde nunc solenne nobis manet idem sacrificium, quam solennitatem vocamus Pascha.* Et ad *Ioseph.* di potest cōiectura, quia cùm agnus esset mactandus luna decima quarta ad vesperā & statim esset comedendus, fieri non poterat, vt tot agnorum millia, quot pro vniuerso populo Israel erant necessaria, in tēplo, & per manus sacerdotum, tam breui tempore mactarentur.

In contrarium verò est, quia de ratione sacrificij est, vt à sacerdote, sacrificetur & super altare offeratur: quod in lege veteri non erat extra templum Ierosolymitanum, & ideò non poterant extra illud sacrificia offerri: sed hæc agni mactatio erat verum sacrificium, quod satis constat ex citatis locis, ergo necesse erat, vt per Sacerdotes offerretur.

Dicetur fortasse (quod supra indicat Philo.) permissu legis datam esse omni populo potestatem sacrificandi agnum Paschalem. Sed si hoc ita esset, omnes Israelitæ possent dici verè sacerdotes, & communis plebs tantum differret à Sacerdotibus Leuiticis (vt ita dicam) secundum magis, & minus: non tamen in vera, ac propria ratione sacerdotij. Quia ad verum Sacerdotium satis est potestas sacrificandi, siue vnum, siue plura sacrificia: Sicut in lege noua verum sacerdotium est, quanuis ad vnum tantum sacrificium ordinetur. Et quanuis diuina lege statutum esset, vt hoc sacrificium semel in anno offerretur: nihilominus verus esset Sacerdos, qui potestatem illud A offerendi haberet, ergo similiter omnes, qui habebant potestatem offerendi, semel in anno sacrificium agni, erant vere *Heb. 7.* sacerdotes. Consequens autem est falsum, quia, vt Paulus ait ad Hebræos septimo. *Extra tribum Leui nihil Moyses de Sacerdotibus loquutus est.* Et confirmati potest hæc pars ex primo Esdræ sexto. *Fecerunt filij Israel transmigrationis Pascha, decima quarta die mensis primi. Purificati enim fuerant Sacerdotes, & Leuitæ, quasi vnus, omnes mundi, ad immolandum Pascha vniuersis filiis transmigrationis, & fratribus suis Sacerdotibus, & sibi, & comederunt filij Israel, qui reuersi fuerant de transmigratione.* Ex quo loco habetur Sacerdotes immolasse Phase pro omni populo, erat ergo hic communis, & vsitatus ritus sacrificandi Phase, quia non est verisimile Esdram, qui volebat antiquum ritum instaurare, nouum introduxisse. *1. Esdr. 6.*

Nec dici pōt, *Pascha*, hoc loco significare B reliqua sacrificia, quæ septem diebus azymorum immolabantur. Tum quia, hæc non cedebant in vsum populi: sed sacerdotum: at verò de illo Paschate subditur. *Et comederunt filij Israel*, illud ergo idem Pascha, quod à filiis Israel comedebatur, id est, agnus, à sacerdotibus fuerat immolatum. Tum etiam quia aperte ibi distinguitur vtrumque festum Paschæ, & azymorum, & in citatis verbis solum de Paschate facta erat mentio: postea verò subditur. *Et fecerunt solennitatem Azymorum.* Tandem hoc ipsum confirmatur, quia (vt ex locis supra citatis colligitur) agnus non poterat nisi in templo Ierosolymitano immolari: hoc enim significare videntur illa verba. *Sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi.* Huiusmodi enim lo- C cus non potest propriè dici tota ciuitas Ierosolymitana, quia non erat illa locus specialiter electus, vt nomen Dei in ea specialiter habitaret, nisi ratione templi. Quia eodem modo, quo habitabat in ea ciuitate, scilicet, quia ibi habitabant fideles cultores Dei, habitabat etiam in reliquis ciuitatibus, & populis Israeliticis, ergo, cùm specialiter designatur locus, in quo habitabat Deus, templum intelligitur, ibi ergo erat sacrificandus agnus, ergo per manus sacerdotum erat sacrificandus.

In hac re diuersæ sunt sententiæ inter re
centiores, quanuis nullus ex professo eam
Caudius. disputet. Caudius sainctes. 1. repetitione
Eucharist. capit. 7. docet morem Iudæo-
rum fuisse deferendi ad templum agnos,
vt ibi iugularentur, & viscera seperatim
adolerentur opera sacerdotum, & postea
in singulis domibus assari, & comedi fuis
Marcell. se solitos. At verò Marcellus lib. de tem-
pore horarum canonicarum capitulo. 71.
num. 11. dicit illud sacrificium populari-
ter peragi solitum esse non expectatis sa-
cerdotibus. Et idem sentit Robertus Bel-
Bellarmin. larminius libr. 1. de Missa capitul. 7. dum
ait agnum solitum fuisse immolari in sin-
gulis domibus, patre familias per se im-
molante, & reliquis per illum. Et hanc sen
Dio. Car tentiam prius docuit Dionysius Char-
2. Para. 30. thusianus. 2. Paralipom. capit. 30. & 35.
Ex quibus locis videtur plurimum hæc
sententia suaderi. Nam in illo capit. 30. sic
dicitur. *Immolauerũt autem phase decima quar
ta die mensis secundi, sacerdotes quoque, atque
leuitæ tandem sanctificati obtulerunt holocaus-
ta in domo domini.* Vbi distinctio fit inter
immolationem phase, & aliorum holo-
caustorum. Et hæc tribuitur sacerdotibus
& dicitur facta *in domo domini*, non vero il
la: sed absolute tribuitur filijs Israel. Et in-
fra dicitur, Leuitas immolasse phase pro
ijs, qui non potuerunt sanctificari domi-
Dionys. no, multa enim turba sanctificata non e-
rat. In quo indicatur (vt Dionysius no-
tat) turbam, seu quenlibet de populo po-
tuisse immolare phase: indiguisse tamen
sanctificatione legali. Et ideo hac deficien
te Leuitas hoc munus obijsse: cum tamen
ad eos etiam non pertineret alia sacrificia
offerre: sed ad sacerdotes.

Quocirca hæc sententia sicut commu-
nior, ita & probabilior videtur. Et alia
Sacrificij agni paschalis ministerquis. scripturæ testimonia, quæ in contrarium
afferebantur, facilem habent exposition-
nem. Nam in priori rectè intelligũtur sub
nomine *Paschæ*, comprehendi omnia sa-
crificia, quæ illis diebus fiebant tam sacri
ficium agni, quàm alia holocausta, & sa-
crificia, ex quibus aliquid etiam in vsum
populi cedebat. In posteriori verò per lo-
cum à Deo electum, in quo nomen eius
habitaret, præcipue quidem intelligitur
templum Ierosolymitanum, non tamen so
lum: sed etiam comprehendi potest to-
ta ciuitas Ierosolymitana, quæ hoc specia
A li priuilegio gaudebat, vt diuinum tem-
plum intra se haberet. Quanquam autem
non oporteret hoc sacrificium in tem-
plo offerri, nihilominus specialiter elec-
ta est Ierosolyma, vel propter mysteriũ,
quia verus agnus in ea sacrificãd⁹ erat, vel
certe, vt in ea solennitate omnes Israelí-
tæ Ierosolymis conuenirent, & in tem-
plo adorarent, ac alia sacrificia offerrent.
Illa verò difficultas præcipua de sacerdo-
tio ita expedienda videtur, vt concedа-
mus quoad illum actum quenlibet de po-
pulo, vel (quod verisimilius est) vniuscu-
iusque familiæ caput constitutum esse à
Deo, vt sacerdotem idoneum ad hoc sa-
crificium offerendum: illud verò sacer-
dotium non fuisse proprie leuiticum, &
legale: sed potius simile illi sacerdotio,
quod in lege naturæ erat. Quod inde
etiam confirmari potest, quia etiam ip-
sum sacrificium agni paschalis extra sa-
crificia legalia, & illis quodammodo re-
putabatur antiquius: sicut & sacramẽtum
circuncisionis sacramentis legalibus erat
vetustius. Sicut enim hoc fuit institutum
B ante legem latam, ita & illud. Nam quod
non tanto tempore antecesserit, nihil re-
fert. Vnde Iere 7. simpliciter dicit Deus, *Ierem. 7.*
*Non sum loquutus cum Patribus vestris, & non
præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ae-
gypti de verbo holocaustomatum, & victima-
rum.* Quod necessario intelligendum est
de holocaustis, & victimis legalibus. Nam
(vt notat Hieronym. ibi & Clemens. libr. *Hieron.*
6. Const. capitu. 20. & Augustin. libro *Cle. Papa.*
quæstionum vtriusque testamenti. qu. 13. *Aug.*
& Anastasius libr. quæstionum sacræ scri *Anastas.*
pturæ. quæst. 50.) illa sacrificia legalia nõ
fuerunt propter se intenta à Deo: sed vt
populum ad idololatriam propensum ab
illa reuocaret, & ideo inquit Deus se
non dedisse illa sacrificia à principio, sed
post adorationem vituli. At verò hoc sa-
C crificium magni à principio in ipso exitu
datum est, quia per se institutum est in me
moriam suscepti beneficij, & in singula-
rem, & insignem figuram passionis Chri-
sti, & sacrificij nouæ legis, & ideo non
habuit omnes conditiones sacrificij lega-
lis: sed retinuit quandam amplitudinem
sacrificij legis naturæ tam in loco, vbi of-
ferí poterat, quam in sacerdotio: atque in
vtroque perfectior ratio figuræ seruata
est. Nam Christi sacrificium non erat in
templo

templo Ierosolymitano offerendum. *Quia crux Christi, non templi futura erat ara, sed mũdi*: vt ait Leo. Pap. serm. 8. de Passio. Et sacrificium legis nouæ non in vno tantum templo offerendum erat: sed in vniuersa Ecclesia, quam ciuitas Ierosolymitana repræsentabat, neque à sacerdotibus definiti generis: sed ex quauis familia fidelium assumi possunt, & ordinati, vt sint in singulis Ecclesiis veluti Patresfamilias domus, vt pro vniuerso populo possint immaculatum agnum offerre.

Hactenus dictum est, de prima differentia inter has solennitates. Ex quibus colligi potest secunda ex circunstantia loci desumpta, quia Phase solum Ierosolymis poterat celebrari, postquam populus terram promissionis ingressus est: azyma verò in omni loco etiam extra Ierusalem edendum erat, vt colligitur ex Deuteronom. 16. prius enim dicitur. *Immolabisque Phase domino Deo tuo in loco, quem elegerit dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi.* Infra verò subditur. *Non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis septem diebus.* Et infra. *Non poteris immolare Phase in qualibet vrbium tuarum, quas dominus Deus tuus daturus est tibi: sed in loco, quem elegerit dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi.* Et idem colligitur ex Exod. duodecimo, & 4. Reg. 23. Et ex Euangelio non obscurè colligitur, ad celebrandum Pascha omnes solitos fuisse ascendere in Ierusalem. Vnde etiam nunc Iudæi, licet Phase celebrare non audeant extra Ierusalem: dies tamen azymorum obseruant. Distinguere tamen oportet in hoc festo azymorum id, quod in eo erat per modum præcepti negatiui, vel affirmatiui. Nam quoad illud primum obseruandũ erat ã Iudæis vbique terrarum: quoad secundũ verò, id est, quo ad sacrificia, quæ illis diebus offerebantur, non poterat extra templum Ierosolymitanum obseruari, quia legalia sacrificia non poterant nisi in Ierosolymitano templo offerri.

Phase Ierosolymis tantum celebre

Deut 16.

Exodo. 12. 4. Reg. 23

Tertia differentia, & (quæ ad rem nostram maximè spectat) est in circunstantia temporis. Nam festum Paschæ, vno tantum die, eoque non integro, scilicet decima quarta luna primi mensis ad vesperam celebrabatur, vt constat ex Exod. 12. Leuitic. 23. Deuteronom. 16. & aliis locis: At verò dies azymorum per septem dies integros durabat, quorum initium sumebatur ab eadem vespera decimæ quartæ lunæ, & vsque ad vigesimũ primũ protrahebãtur. Et quoniã hęc posterior pars clarior est, solum est in ea aduertendum, festum azymorum, propriè cępisse celebrari decima quinta luna primi mensis, vt patet Leuitic. 23. *Mense primo, quartadecima die mensis ad vesperam Phase Domini est, & quinta decima die mensis huius solennitas azymorum Domini est.* Et hoc modo sumpto initio azymorum septem dies eius festiuitatis numerantur, vt ibidem dicitur, & Exod. 12. & 34. & Numer. 28. & Deuter. 16. Neque refert, quod ibidem dicitur. *Sex diebus comedes azyma, & in die septima, quia collecta est domini Dei tui, non facies opus.* Nam hæc dies septima distinctè ab aliis numeratur, non quia non esset etiam dies azymorum (vt paulò antea in eodem capite dictum fuerat) sed quia sanctior, & celebrior erat aliis diebus, vt Leuitic. 23. dicitur. At verò, quia festa Iudæorum incipiebant à vespera præcedentis diei, iuxta illud Leuitic. 23. *A vespera vsque ad vesperam celebrabitis Sabbatha vestra*: hinc fieri aliquando solet, vt etiam decima quarta luna diebus azymorum annumeretur, quia ad vesperam illius incipiebant Iudæi à fermentato abstinere. Et hoc modo Matth. 26. dicitur. *Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes. Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* Quod non potuit fieri decima quinta luna: sed decima quarta ante vesperam, quia in vespere illius diei comedendus erat agnus. Vocatur ergo prima dies azymorũ ipsa decima quarta luna. Quod clarum etiam est apud Marcum cap. decimo quarto, dicentem. *Et primo die azymorum, quando Pascha immolabant.* Et eodem sensu dixit Lucas capit. vigesimo secundo. *Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha.* Et ita intellexit hæc loca. Augustinus epistol. 86. ad Casulanum. Et egregiè confirmatur ex Iosepho libr. secundo, antiq. capit. 5. alias 13. in fine, dicente. *Qua propter in memoriam eius inopiæ festa per octo dies celebramus, quos vocamus azymorum.* Quod non aduersatur scripturis supracitatis, quia in illis diebus decimam quartam lunam comprehendit, quæ propter rationem supra dictam, *Prima dies azymorum* interdum vocatur.

Exo. 12. & 34. Num. 28. Deute. 16.

Leuit, 23.

Festiuitates Iudæorum a vespera vsque ad vesperã Leuit. 23. Matth. 26 Mar. 14. Luc. 22.

Aug. Ioseph.

Tempus paschæ, & azymorum

Exod. 12 Leui. 23. Deut. 16.

Circa alteram verò partem de tempore celebritatis Phasę distinguendæ sunt duę actiones, quæ in illa solennitate fiebant. Altera erat immolatio agni, altera eiusdē esus. De hac posteriori compertum est, debuisse fieri luna.14.in fine eius, noctis tēpore quando iam luna.15. inceperat. Ita sentit Beda Luc.22. Lyranus, Abulensis. & alij. Exod.12. Et colligitur ex verbis illis. Exod.12. *Et edent carnes nocte illa assas igni*, nocte ergo erat agnus comedendus illa autem nox proximè antecesit, diē decimum quintum, vt constat Exod. 12. Quod inde etiam confirmatur, quia ab eo tēpore, quo agnus edebatur, incipiebant azyma, & fermentum erat prohibitum, non erat autem prohibitum vsque ad noctem. 14. lunæ, quando iam.15.incipiebat. Alias si tota die decimæ quartæ lunæ esset prohibitū fermentum, non fuissent tantum.7.sed.8. integri dies azymorum, quia die.21.finiebantur: hoc autem aperte repugnat scripturæ. Vnde in lib. Paschim, seu Paschatum, (vt Iāsenius refert ca.144.Concor.) ferunt Hebræi consuetudinem suam fuisse, vt in fine.14. diei fermentum inquirerent ad lumen lucernæ, quia scilicet ea nocte incipiebat esse prohibitum, & ideo antequam comederent agnum cum azymis diligenter scrutabantur domos, ne aliquid fermēti remaneret. Quota verō hora noctis tenerentur Iudæi manducare agnum, illud solum mihi videtur certum, debuisse manducari ante dimidiam noctem. Tum quia (vt legimus.12.Exod.) Angelus, *in noctis medio percussit omne primogenitum in terra Aegipti*, primogenitis Iudæorum exceptis. Et subditur inferius. *Nox ista est obseruabilis Domino, hanc obseruare debent omnes filij Israel.* Vbi Lyranus hoc indicat. Tum etiam quia si post mediam noctem comederetur iam non decima quarta, sed potius die decima quinta comederetur. Et fortasse propter hanc causam, quanuis eadem vespera seu nox esset finis.14.lunę, & initium decimę quintæ, non dicitur agnus comedendus in decima quinta luna, sed in decima quarta, quia non comedebatur in illa, quatenus, iuxta festorum computationem, ad decimam quintam pertinebat: sed quatenus erat pars illius diei naturalis, qui in 14.luna inceperat. Itaque propter has causas verisimilius videtur ante mediam noctem debuisse agnum manducari. At verò

Beda, Nico. Lyr. Abulen. *Exodo.12.* *Ianſen.* *Exod.12.* *Lyr.*

A B C

â principio noctis ad mediam vsque liberum erat, vt qua vellent hora cęnare possent, quia nulla hac de re per legem inueniri tur temporis facta definitio.

De tempore autem; in quo altera actio, scilicet agni immolatio, facienda erat, multiplex est opinio. Prima est Claudij repetitione.1.capitul.7.qui dicit, tempus immolandi agnum comprehendisse totum diem decimæ quartæ lunæ, vsque ad vesperam, quę ingruebat lunæ decimæ quintę, ita vt celebritas agni paschalis diem quartum decimum, & noctem decimi quinti occuparet, illum quidem ad immolationē, hanc verò ad esum. Cuius fundamentum postea examinabimus. Hæc tamē sententia singularis est, & à nemine (vt opinor) antiquorum asseritur, nec vllum in scriptura habet fundamentum, quin potius illi repugnat. Nam Exod. 12. & alijs locis, vbi de hac festiuitate sermo est, semper dicitur immolandum esse agnum. 14. luna ad vesperam, vbi particula. *ad vesperā* non dicit terminum, ad quem vsque licebat immolare: sed potius designat horam, & tempus, in quo id faciendum erat, vt ex ipsis verbis plane constat, & omnes expositores ibi interpretātur. Certum ergo videtur ad vesperam decimæ quartæ lunę debuisse agnum immolari. Duplex autem vespera illius diei distingui potest, altera, quæ erat initium illius diei, & finis decimæ tertiæ lunæ, altera, in qua decima quarta luna vergebat ad exitum, & imminebat decima quinta. Dubitari ergo potest de quo vespere intelligendum hoc sit. Et ratio dubij est, quia Iosephus lib.2 antiquit. capit.5. iusta versionem Gelenij, sic inquit. *Illucescente quarta decima omnes ad exitum animati sacrificabant*, dicitur autem decima quarta illucescere, quando incipit. Vnde alia versio habet. *Cum autem inst taret decima quarta dies*. Dicendum vero est sine vlla dubitatione, hoc præceptū intelligendum esse de posteriori vespera, quando iam luna decima quarta ad exitum tendebat. Ita docent Beda, Abulensis. & Lyranus supra. Et colligitur ex Cyrillo, & alijs, qui dicunt festum azymorum in ipsamet paschę celebritate inchoari. Et probatur ex.12. Exodi, & alijs locis in quibus institutionis huius festi fit mentio. Illa enim verba. *Decima quarta luna ad vesperam*, hoc proprie significant. Item dies azymorum du

Claudius. *Exo.12.* *Vesperede cimæ quartæ lunæ Agnus paschalis immolatur.* *Ioseph.* *Gelen.* *Dubium* *Responsio*

rum durabant vsque ad vigesimum primũ diem ad vesperam, vt dicitur Exod. 12. quod necesse est intelligi de vltimo vespere, in quo finitur dies vigesimus primus, nam totus ille dies erat celeberrimus, atque sanctissimus: ergo incipiebant dies azymorũ die decimo quinto à primo vespere eius, ergo in eodem vespere celebrandum erat Pascha. Nam hæ duæ festiuitates ita iungebantur inter sese, vt vnius initium esset finis alterius. Quod etiam inde confirmatur, quia populus Israeliticus eadem nocte, qua Pascha celebrauit, eductus ex Aegypto est, seu in initio diei proximi sequentis, iuxta illud Exod. 11. *In eadem ipsa die educam exercitum vestrum de terra Aegypti*: eductus autem fuit die decimo quinto, vt ex eodem loco colligitur. Ideò enim singulariter præcipitur, vt illa dies sit solennis, & expresse docet Ioseph. libro secundo, antiq. capit. 5. al as 13. ergo comedit Pascha: & immolauit Phase in vespera proximè anteceden-ti, ergo deinceps in eàdem celebrandum fuit.

Exod. 12. Ioseph.

Obiectio. Dicet aliquis his rationibus rectè probari, agnum fuisse comedendum nocte proximè præcedẽte diẽ decimum quintũ (sicut supra etiam tradidimus) nihil verò cõcludere de immolatione. Poterat enim agnus immolari in principio lunæ decimæ quartę ad vesperã, & reseruari vsq; ad diem sequentem, vt in nocte comederetur. Sed hoc plane repugnat verbis Exod. 12. *Immolabit eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam, & edent carnes nocte illa assas igni.* Ex quibus apertè colligitur, post immolationem in nocte proxime sequenti comedẽdum fuisse agnum, at vero si potuisset immolari in priori vespere, oportuisset noctem vnam, & diem integrum interiici ab agni immolatione, vsque ad eius esum. Rursus solo uno vespere licebat agnum immolari, ergo hoc erat finis lunæ decimę quartæ, non autem eius initium. Nam si in priori licuisset, certe etiã liceret in posteriori, quin potius toto illo die integro. Sit ergo certum immolandum fuisse agnum ad vesperam, quando luna decima quarta ad exitum tendebat.

Exod. 12.

Responsio

Neque Iosephus loco supra citato nobis aduersatur. Nam verba Græca non significãt initium, seu finem diei, sed tantũ præ-

A sentiã, seu existentiã eius. Sic enim habẽt, ἐνίστατο δὲ τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης, quæ ad literam verti possunt, *cum adesset decima quarta luna*. His adde Epiphan. hæres. 50. di cẽtem à decimo die mensis, quando agnus præparabatur, vsque ad diem decimã quartam, in qua comedebatur, solitos fuisse Iudæos quinque diebus ieiunare, quod non posset esse verum, nisi agnus comederetur in fine diei decimæ quartę. Vnde quod Alexan. Alensis dicit. 4. p. q. 100. memb. 3. artic. 3. Iudæos solitos esse ieiunare septem dies, vt se præpararent ad esum agni, non video, quo fundamento dictum sit.

Sed adhuc superest explicandum, quæ sit ista vespera, & quando inciperet, finireturque, & quot diei horas comprehenderet. Quam rem difficilẽ reddidit Hebraica lectio præsertim Leuitic. 23. quæ sic habet. *Inter duas vesperas*, vel (vt septuaginta verterunt) *inter medium vesperarum*. Ex quibus verbis colligi videtur plures fuisse vesperas, & in tempore intermedio Pascha fuisse immolandũ. Quæ autem fuerint hę vesperę explicatu difficile est, & ideo de ea re multa traduntur ab expositoribus eius loci, vt videre licet in catena Lypomani Genes. 1. & Exod. 12. & Abulens. Cajetan. & Oleastro in Exod. & in Leuit. & in Ians. cap. 129. Concordiæ, & Hieronymo VVielmio in opere sex dierũ lect. 11. & Marcello Francolino dicto lib. de horis canonicis, cap. 18. 19. 20. & 44. Quidam ergo duas dixerunt esse vesperas, aliam solis, quæ est in occasu solis, aliã totius diurni luminis, quæ est in principio noctis, quando iã omnino finitur crepusculũ pomeridianum. Iuxta quam expositionem tẽpus intermedium duarũ vesperarum, erit solum ipsum crepusculũ nocturnũ, quod vix durat vnius horę tempore, & hoc significant Lypomanus & Oleaster supra. Cui expositioni fauet in primis locus ille Deuter. 16. *Immolabis Phase vespere adsolis occasum, quando egressus es de Aegypto* fauet etiã proprietas ipsius vocis, dictus enim *vesper* est ab stella illa, quæ *vesper* appellatur, & sole recedente apparere incipit, vt ex Plinio colligitur lib. 12. cap. 8. & Macrobio lib. 1. saturnalium cap. 35.

Leuit. 23.

Lypoman. Abulens, Cajet. Oleastr. Iansen. Hie. Vuie. Mar. Frã.

Deut. 16.

Plin. Macob.

Aliis verò illud tẽpus nimiũ breue visum est ad immolandũ, assandũ, parãdumq; agnum, vt statim in principio noctis, si vellent, possent illum manducare: cum

tamen de Christo domino scriptum sit Matth.26. *Vespere autem facto discumbebat cum discipulis suis*, quod intelligendum videtur de secundo vespere, seu de principio noctis, & ideo dixerunt primam vesperam incipere à meridie, quando sol incipit declinare, secundam verò ab occasu solis, atque ita medium vesperarum esse totũ pomeridianum tempus, quod Græce ὀψὶ Hispane *latarde*, appellatur. Iuxta quam interpretationem agnus poterat immolari post meridiem, quacunque hora vsque ad noctem. Et hæc sentẽtia placuit Iansenio, estque probabilis, quanuis illa vesperarum acceptio nimis sit lata, nec in scriptura habeat sufficiens fundamentum.

vesperis nomine apud Hebræos quid significatur.

Et ideò satis probabile videtur, (quod alij existimant) primam vesperam solitam esse incipere secunda, vel tertia hora post meridiem, quæ *nona hora* olim dicebatur, atque ita tempus medium inter duas vesperas incepisse ab hora nona, & durasse vsque ad noctem, quæ interdum etiam nomine vesperis significatur, saltem quoad eius primam partem. Quæ interpretatio cõsentanea est vsui huius vocis, vt colligi potest ex Matth.14. vbi sic dicitur. *Vespere autem facto accesserunt ad eum discipuli eius dicentes, desertus est locus, & hora iam præterijt.* &c. Quo loco nomine vesperis significatur hora secunda, vel tertia à meridie, quia neque est verisimile fuisse ipsum meridianũ tempus: quando solet esse ordinaria hora prandij, cum dicat. *Et hora iam præterijt*, Et Marcus ca.6. *Cum iam hora multa fieret.* Neque etiam credi potest transactam fuisse horam prandij vltra duas, vel tres horas, erat ergo sine dubio multo ante occasum solis. Vnde Lucas ca.9. clarius dixit. *Dies autem cœperat declinare.* Postea verò Christus fecit miraculum quinque panum, & postquam omnes pransi sunt, dimisit turbam, dimissa autem turba ascendit in mõtem ad orandum, & postea subdit Matthæ. *Vespere autem facto solus erat ibi.* Vbi necesse est nomine vesperis occasum solis, vel primam noctis partem significari. Ergo tempus inter vesperas rectissime interpretamur tempus illud ab hora nona, vsque ad occasum solis, seu vsque ad perfectum luminis recessum. Iuxta quam interpretationem, illud Deuteron. 16. *Immolabis phase vespere ad solis occasum*, exponendum est non post solis occasum: sed quando iam sol tendit ad occasum. Et ita etiam optime quadrat figura cum re representata. Nam Christus dominus paulo post horam nonam mortuus est, qua hora agnus incipiebat immolari. Atque hanc sententiam amplectitur Caietan. Exodi. 12. vbi Lyranus parum discrepat, qui dicit incepisse ab hora septima. Et in eam magis inclinat Abulens. 2. par. defens. cap. 3. Et si dicat Iudæos extendisse hoc tempus, incipiendo hanc festiuitatem immediate post meridiem, quando sol incipit declinare à meridiano, iuxta secundam sententiam supra citatam. Vnde autem hanc consuetudinem collegerit, non inuenio, præsertim cum Ioseph, lib. 16. Antiquit. cap. 10. alias 6. indicet generalem consuetudinem Hebræorum fuisse inchoare sabbatha, seu festiuitates suas, ab hora nona præcedentis diei, & clarius lib. 7. de bello Iudaico cap. 17. *cum dies* (inquit) *festus adesset, qui pascha vocatur, quando à nona quidem hora, vsque ad vndecimam hostias cędunt.* Hæc igitur, in re incerta, videtur verisimilior sententia.

Caiet. Nice. Lyr. Abulen. Ioseph.

Quarta differentia inter has festiuitates est in causa, seu ratione earum, cum qua coniungi potest differẽtia, in nominibus & appellationibus, quanuis hęc interdum confundi soleant. Festiuitas igitur azymorum introducta est in memoriam beneficij susceptij, quando populus eductus est de Aegypto, vt constat Exodi. 12. *Observabitis azyma. In eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra Aegypti, & custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo.* Et cap. 34 *Septem diebus vescēris azymis, sicut præcepi tibi in tempore mensis nouorum, mense enim verni temporis egressus es de Aegypto*, & idem repetitur Deuterono. 16. & subditur. *Septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem, quoniam in pauore egressus es de Aegypto.* Quando enim Hebræi ea nocte ad exitum se præparabant, cogentibus Aegyptijs, non sunt permissi fermentare panem, & ideò fecerunt panes azymos, quos secum ferrent. In huius ergo rei memoriam iussi sunt ijs diebus quotannis azymis vti. Et hinc dies illi dicti sunt azymorum, vel ex materia, & re præcepta, vel ex re representata. Quia verò ex ijs diebus non omnes erant festiui, sed primus, & vltimus, ideò, licet omnes dicerentur dies azymorum: tamen festum azymorum proprie dicebantur illi

Festiuitas azymorum cur instituta.

Dies azymorum vnde dicti.

illi duo tantum dies, & in primo eorum dicebatur festum illud incipere iuxta illud Leuitic. vigesimo tertio. *Quarta decima die mensis ad vesperum phase Domini est, & quintadecima die mensis huius solennitas azymorum Domini est.*

Leuiti. 23.

Festum pascha tis cur institutum.

At verò festum Paschatis institutum est in memoriam alterius beneficij, quod eadem nocte egressionis ex Aegypto à Deo suscepit Israel, quando Angelus percutiens, & primogenitos Aegyptiorum interficiens, pertransibat domos Hebræorum, primogenitos eorum illæsos relinquens, vt constat Exod. 12. *Cum introieritis terram, quam Dominus daturus est vobis (vt pollicitus est) obseruabitis cæremonias istas, & cũ dixerint vobis filij vestri, quæ est ista religio? dicetis eis. Victima transitus Domini est, quando transiuit super domus filiorum Israel in Aegypto, percutiens Aegyptios, & domos nostras liberans.* Et hinc festiuitas illa vocata est *Pascha*, seu *phase*, quæ vox diligenter est à nobis explicanda, quoniam ad ea, quæ dicentur, non parum conducet.

Exodo. 12.

Existimarunt ergo aliqui vocem *Pascha* Græcam esse, à verbo πασχειν, quod *pati* significat, quòd eo die passus est Dominus. Vnde, quod Moyses dixit Exod. 12. *Est enim Pascha Domini*, putant propheticè esse dictum, ideſt, *Passio Domini*, quod scilicet eo die passurus esset Dominus. Ita sentit Tertullian. lib. cont. Iudæos, capit. 10. & indicat Irenæus lib. 4. contra Hæres. capit. 23. & Nazian. orat. 2. de Pascha te. Sed hi Patres non sunt ad literam vocem interpretati, sed mysticè. Non enim putarunt carere mysterio, quòd cadẽ vox iuxta diuersa idiomata varias habeat etymologias, quæ rebus ipsis accommodatæ sint. Re tamen vera vox illa *Phase* Hebræa est, & *transitum* significat, vt clarè cõstat ex Exo. 12. à verbo פָּסַח quod est *transire*. Et sumpta est hęc appellatio à supradicta causa, vel ratione, propter quam diximus hanc solennitatem fuisse introductam in memoriam Angeli percutientis, vt notauit Hieronym. Matt. 26. Quanquam Nazian. & Augustin. supra, putent sumptam esse illam vocem ex transitu populi Israel ex Aegypto in terram promissionis, vel ex transitu per mare rubrum: sed prior est vera, & propria etymologia, vt constat ex citato loco Exodi. Postea verò aliquantulum corrupta est illa vox, & vox *Pascha* introducta, quæ non Græca, sed Chaldaica est, vt supra ex Philone citauimus, libro tertio, de vita Moysis.

Tertul. Iren. Gre. Naz.

Paschaseu Phase vnde dictum. Exod 21 Hieron. Nazian. Aug.

Philo. Exod. 12. Leuit. 23.

Vnde intelligitur, hanc vocem primò esse impositam ad significandam totam illã cæremoniam, seu solennitatem cœnæ agni paschalis, vt non obscurè indicatur in illis verbis Exod. 12. *Et comedetis festinanter est enim Phase, ideſt, transitus Domini*: & Leuitic. 23. *Quarta decima die mensis ad vesperam, Phase Domini est*: & in eadem significatione dicitur Exod. 34. *Neque residebit mane de victima solennitatis Phase*. Hinc verò secundo translatum est hoc nomen ad significandum ipsum agnum, qui luna decima quarta immolabatur, Exod. 12. *Immolate Phase*, & sic dicitur Marc. 14. *Quo vis, vt paremus tibi comedere Pascha*, & Luc. 22. *Venit dies azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha*. Et in eadem significatione dixit Paul. 1. ad Corint. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus*. Item 3. Esdræ cap. 1. *Immolate Pascha*. Ex hac verò duplici significatione duplex alia orta est. Nam in primis, quia solennitas Phase coniuncta erat cum festo azymorum, sicut ipsum festum Paschatis interdum diebus azymorum annumeratur (vt diximus) ita etiam dies azymorum nomine Paschatis significantur Acto. 12. *Volens post Pascha*, ideſt post dies azymorum, *producere eum populo*, & Luc. 22. *Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha*. Et eodem modo Ioan. cap. 13. diem primum azymorum, vocat *diem festum Paschæ*, & Matth. cap. 26. indifferenter appellare videtur Pascha, & azyma, dicens. *Erat autem Pascha, & azyma post biduum*. Notauit hoc Beda Marc. 14. & Luc. 22. & in quadam homil. in feriam 3. Dominicæ Palmarũ, dicens, quanuis *Pascha* proprie significet solum diem immolationis agni: translatum tamen esse ad significandos dies azymorum. Ex quo tandem translatum etiam est ad significandas victimas, quæ (vt supra diximus) illis diebus offerri solebant, ex Numer. 28. quo sensu dictum videtur Deuteronom. 16. *Immolabis Phase domino Deo tuo, de ouibus, & de bobus*. Vbi Augustin. in quæstionibus in Deuteron q. 24. dicit hoc esse additum propter sacrificia, quæ in diebus azymorum erant immolanda, & Abulensis, secunda parte defensorij,

Vox phase seu pascha vsurpari quomodo solita Exodo. 12.

Mar. 14. Luc. 22. 1. Cori 5. 13. Esd. 1.

Act 12. Luc. 22. Ioan 13. Matth. 26

Beda.

Num. 28. Deute. 16 Aug Abulens. 2. Para. 35.

cap.8.& expositores communiter. Et eodem modo intelligi potest illud.2. Paralipom.35. *Dederunt sacerdotibus ad faciendum phase pecora commixtim duo millia sexcenta, et boues trecentos,* & infra, *Immolatum est phase, asperseruntque sacerdotes manu sua sanguinem & Leuitæ detraxerunt pelles holocaustorum.* Et in superioribus alia testimonia ex. 1. Esdræ.6.explicuimus.

2.Para 35

1.Esd.6.

SECTIO TERTIA.

Vtrum Christus dominus vltimam cœnam eo tempore celebrauerit, quo lege præscriptum erat, atque adeo, an decima quarta lunæ cœnauerit cum discipulis, & decima quinta sit passus.

STatuendum primo est, Christum dominum ante passionem suam legalē cænā cum discipulis celebrasse, agnū que paschalem ritu Iudaico immolasse, & comedisse. Quæ res tam aperta est in euangelistis, vt mirum sit non defuisse hoc tēpore hæreticos, qui eam negarent. Dicūt enim (vt Claud. refert repetit.1. de Euch. cap.7.) Christum misisse discipulos primo die azymorum, vt pascha prępararent, ideōque nō posse id intelligi de agno paschali, quia illud tempus iam nō erat oportunum ad agnum immolandum, & comedendum, cum ante illum diē immolandus esset, ac comedendus. Sed & ante hos refert Theophyl. Matth.26. quosdam hæreticos negasse Christum cœnasse agnum paschalem. Qui diuerso nitebantur fundamento, scilicet, quia Iudæi stantes comedebant agnum: Christus autem legitur recubuisse ad cœnandum.

Claud.

Theophyl.

Sed hæc sententia est planè hæretica. Nam Mat.26. apertè dicitur, misisse Christum discipulos, vt præpararent pascha, illudque postea cum eis comedisse. Neque dici potest, *pascha*, ibi mysticē, aut in alia significatione sumi. Tum quia hoc est contra historiæ fidem, veritatem, ac certitudinem, & contra omnium Patrum expositionem. Tum etiam, quia Christus misit discipulos dicens. *Ite ad ciuitatem ad quendā & dicite ei, Magister dicit, Tempus meum prope est, apud te facio pascha cum discipulis meis.* Cōstat ergo *pascha*, ibi proprie sumi quia alias ille alius non intellexisset Christi nūtium. Tum prętera quia Mar.14. expresse dicitur. *Primo die azymorum, quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli. Quo vis eamus, & paremus tibi, vt manduces pascha.* Vbi verbum illud. *Quando pascha immolabant*, necesse est intelligi de agno paschali. Ergo & sequentia in quibus dicitur iussisse discipulos, & prępara sse pascha, & postea Christum cum eis cœnasse, vt recte exposuit Epiphan. hæres.30. inde etiam argumentū sumens aduersus eos, qui negabant licere carnes comedere. Et idem est manifestum ex narratione Luce cap.22. Et de hac cœna legali absq; vlla dubitatione loquitur Ioannes cap.13. cum dicit. *& cœna facta*, & Paul.1.ad Cor.11. cum ait. *Similiter & cali cē postquam cœnauit dicens*, vt recte exposuit Concilium Trid. sess.22.cap.1. & Augu. tract.55. in Ioannem; & lib.3. de consensu euang.cap.1. & in sequenti tomo, de mysterio Eucharistiæ disputantibus, Deo auspice, dicendum latius. Præterea, hic ritus paschalis erat celeberrimus, ac præcipuus inter Iudæos, & in diuina lege in primis commendatus (vt bene D.Thom. in.1.ad Cor.5.lect.2.) & constat ex adductis sect. præcedenti, ergo verisimile nō est, à Christo ritum illum esse prętermissum, aut, si prętermisisset, quomodo nō fuisset ei crimen illud à Iudæis obiectum? Denique fundamentum cōtrarij erroris nullius momenti est: quia (vt præcedenti sectione exposuimus) *prima dies azymorum*, illis locis non significat, 15.lunam, sed.14.

Epiphan.

Luc.22. Ioann.13. 1.Cor.11.

Con.Trid. Aug.

Dices, lege præceptum erat, vt die decima agnus adduceretur, & vsque ad decimam quartam diem seruaretur. Respondetur primo ex Abulensi. Exod.12. illud nō fuisse ita lege statutum, vt ritu perpetuo seruaretur: sed tantum pro ea nocte, qua Iudæi egressi sunt ex Aegypto. Vnde licet illud tradatur.12.Exodi, nunquam tamen repetitur in omnibus alijs locis, in quibus illius præcepti mentio fit. Et literalis ratio reddi potest, quia tunc propter instantem necessitatem, oportuit Iudæos antea esse prępara tos ad hoc sacrificium, & ad exitum: postea verò nulla erat huius modi necessitas. Ratio verò mystica est ad præfigurandum Christum, qui die dominica, quinque diebus ante passionem suā solenniter ingressurus erat Ierosolymam, tanquam agnus, qui ad victimam prępara batur, vt ex Chry. notauit D.Tho. in Catena, Ioan.12. & Beda homil. in Dominicam Palmarum, tractans verba illa Matt. 21. *Cum appropinquasset Iesus Ierosolymam,* & super

Mat.26.

Christus cū discipulis Phase cele brat.

Marc.14.

Obiectio. Respo.1. Abulen.

& super idem cap.21.Matt.& ibidem Anselm.Lyra.& Gagneius Ioan.12. & Rupert.lib.10.in Ioan.super cap.10.&.11.& lib.2.super Exod.ca.6.& lib.5. de diuinis offic.cap.7. Qui tamẽ autores,& multi alij,qui hoc mysterium notant,potius indicant illud præceptum adducendi agnũ in domum decima die pertinuisse ad ritũ perpetuô seruandum in illo sacrificio. Et certe ex verbis Exodi aliud colligi nõ potest.

Chrysost. D. Thom. Beda. Anſel. Lyr. Gagnei. Rupert.

Quod si hoc ita est, respondendum est cum Claudio supra fuisse Ierosolymis cõ suetudinem,vt ciues Ierusalẽ decima die mensis adducerẽt in domos suas agnos, & pararẽt cubicula,ac cętera necessaria pro aduenis,& hospitibus,qui pene innumeri confluebant, cum nec agnus extra Ierosolymam offerri,nec illuc ante decimam diẽ venire omnes possent,vt agnos præpararent.Sic igitur peregrini homines postea accedentes(quãuis eadẽ die decimæ quartæ lunæ Ierosolymam venirent) poterant facile pretio dato domum conducere, & agnum iuxta ritum legis.10.die adductum inuenire,vt pascha posset celebrare.Quã consuetudinem refert Claud.ex Iosepho lib.5.de bello Iudaico ca.45. sed ille liber solis quatuordecim capitibus concluditur in quibus nulla illius historiæ mentio fit: nonnihil verò indicat lib.7.cap.17.&per se est illa historia verisimilis, & ijs quæ in euangelio narrantur consentanea.

Respon. 2 Claud.

Ad fundamentum autem aliorum hæreticorum,primum negatur,necessariũ fuisse agnum comedi stando, deinde dicitur Christum cœnam legalem,& vsualẽ celebrasse & licet in vna recubuerit,in alia stare potuisse,de quare latius in materia de Eucharistia dicturi sumus.

Secundo statuendum est, Christum dominum interfectum esse die proxime sequenti postquam legalemcœnam cum discipulis manducauit,vt euidenter ex progressu euangelij constat. Nam noctu cœnarunt,& statim egressus est ad orandum in horto,ibique comprehensus, & paulo post eodem die demum occisus. Vnde in canone missę dicimus. *Qui pridie, quam pateretur,accepit panem*, &c. Quæ verba â tempore.D.Petri dicta esse in missa traditHugo Victorin.lib.2.de sacra.par.8.c.vlt.In breuiario autem Romano fertur,Alexandrum primum illa addidisse. Et hinc fit quæstionem de die mortis dominicæ conIunctam esse cum quæstione de noctecœnę,quę proxime antecesit.

Hug.Vict.

His positis,est celebris sententia Græcorum dicentium Christum decima tertia luna ad vesperam pascha cænasse, & luna 14.durante fuisse occisum.Ita docet Euthym.Matt.26.& Niceph.lib.1.Hist.ca. 23.& ex antiquioribus Græcis videntur illi fauere Chrys.hom:82.in Ioannem.Interpretans enim verbum illud Ioan.18.Et *ipsi non introierunt prætorium,vt non cõtaminarentur,sed vt manducarent pascha*,Per *pascha* agnum paschalem intelligit, *quem co* (inquit) *die comesturi erant*, *Christus enim pridie fecerat pascha,vt reseruaret eædem suam in parasceue,quando pascha secundum antiquam institutionem celebrãdũ erat.* Quę verba Theophyl.suis commentarijs inseruit. Cyrillus etiam Alexan.lib.12.in Ioan.cap.2.nomine *paschæ* in illo loco intelligit agnum paschalem.Ex qua interpretatione hæc sententia plane colligitur, præsertim cum ipse dicat. *Quia iam pascha celebraturi erant.*& infra subiungit. *Sed & illud multo ridiculosius est:quod vt agnum comederent, qui nihil aliud, quam Christi mysterium figurabat cauẽt, ne inquinentur, in ipsam autem veritatem insaniunt.* Citari etiam potest Origenes tract. 35.in Matt.quatenus dicit Christum mortuum esse,14.luna , quod etiam affirmat Epiphan. hæres. 50. quanquam in hoc posteriori loco obscurisimis verbis hanc rem explicet.Huius etiam sententiæ videtur fuisse Autor quæstion.noui,& vet. testamenti inter opera Aug.q.94.in fine adiunctis ijs,quæ tradit.q.55.In commentarijs etiam Anselmi super.27.cap.Matt.in fine reperitur hæc sententia, sed videtur certe ab aliquo suppositа ea commentarij pars.Quia Ans.26.cap.in initio docet cõtrarium,& in proprio quodam opusculo de fermentato & azymo. Fundamenta potissima huius sententiæ sunt.Primo, testimonium illud Ioan,cap.13. *Ante diem festum paschę*.Ex quo habetur Christum cœnasse cum discipulis suis ante pascha Iudęorum ergo prævenit saltem vno die. Secundo, quia quando Iudæi Christum accusabant coram Pilato,nondum comederãt pascha, vt constat ex prædictis verbis Ioan.18.& ex alijs infra tractandis,ergo Christus passus est ante finem vesperę lunæ.14.quando Iudæi immolaturi erant, & comesturi pascha.Tertio adiungitur ratio,& coniectura.Nam oportuit veritatem respondere

Euthym. Niceph. Chryso. Ioan.18. Theophyl. Cyri.Ale. Origen. Epiphan. Anſelm. Ioan.13.

figuræ, sed immolatio agni paschalis, erat figura sacrificij crucis Christi, iuxta id Ioan.19. *Os non comminuetis ex eo*, ergo, vt veritas figuræ responderet, sicut agnus immolabatur luna.14. ad vesperam, ita eadē 14. luna debuit Christus immolari. Vnde Leo Pap.serm.7.de passione. *Hostia in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit, & legalis festiuitas dum mutatur, impletur.* Et Irenæus lib.4.cap.23.de Moyse loquens. *Diem* (inquit) *passionis non ignorauit, sed figurate prænuntiauit eum, Pascha nominans, & in eadem ipsa die, quæ ante tantum temporis a Moyse prædicata est, passus est Dominus, adimplens Pascha.* Et hæc est ratio, quare Christus præuenit pascha Iudæorum, scilicet, quia præsciuit fore, vt in legitimo die paschæ occideretur. Alia fundamenta, quæ hic afferri solent, tractabimus sectione sequenti.

Irenæ.

Vera tamen sententia est Christum cœnasse agnum legalem decima quarta luna ad vesperam, prout lege præscriptum erat & consequenter luna decima quinta passum esse. Probatur primò ex Euangelio Matth.26. Marc.14. Luc.22. vbi dicitur, Christum cœnasse agnum prima die azymorum, in qua (ait Matth.) *Accesserunt discipuli ad Iesum dicentes Vbi vis paremus tibi comedere pascha?* & postea subdit: *Vespere autem facto discumbebat cum discipulis.* Nō potest autem hic locus intelligi de primo die azymorum, ideſt de die decimæ quintæ lunæ ad vesperam, seu ad finem eius, vt omnes tam Latini, quàm etiam Græci fatentur, & conuincit locus Ioan. 13. *Ante diem festum paschæ*: ergo necesse est intelligi de die decima quarta ad vesperam, quæ erat initium decimæ quintæ, & ideo *prima dies azymorum* vocabatur, à parte totum nominando, vt supra explicatum est. Respondet Euthym. diem decimā tertiam vocatā esse ab iis Euangelistis *Primam diem azymorum*, quia proximè præcedebat illam. Sed hoc nulla ratione sustineri potest. Nā dies decima tertia ita distabat ab azymis, vt in tota illa, neque in aliqua parte illius obseruari inciperent, quo ergo titulo dici poterat *Prima dies azymorum*? Quis enim vltimā diem Augusti dicat esse primam Septembris, quia proximè antecedit? Aliter respondet, Euangelistas non dicere illum fuisse primum diem azymorum: sed quòd instabat prima dies azymorum. Nam verbū Græcum πρὸ, ita cōmodè exponi potest. Quam expositionem aliqui etiam tribuūt

Decima quarta luna ad vesperā Phasc Christus celebrat.
Mat.26. Marc.14. Luc.22.

Ioan.13.

Euthym.

A

B

C

Chrysostom.hom.82.in Matt. Tamen neque est Chrysost. neque accommodari potest Euangelistis. Matth. enim nullo verbo vtitur: sed simpliciter dicit. *Prima die azymorum accesserunt discipuli*. Vbi euidenter loquitur de die, in qua id factum est, quā non potuit vocare *primam azymorum*, quia post illā instabat: quis enim ita loquitur? Marcus verò magis adhuc rem explicans, inquit. *Prima die azymorum, quando pascha immolabant.* Lucas verò, qui posuit verbū πρὸ, prius dixit. *Appropinquabat autem dies festus azymorum*: postea verò, vt significaret illum diem iam aduenisse, subdit. *Erat autem dies azymorum, quando pascha immolabant.* Chrysostom. autem in citato loco potius dicit expresse illum diem vocatum esse *primum azymorum*, ab Euangelistis quia in vespere eius incipiebat obseruatio azymorum, & hoc sensu dicit, quòd tunc instabat dies azymorū, quia iā illuxerat dies, ad cuius vesperam incipiebant azymorum dies. Quæ expositio eadē est cum ea, quā tradidimus. Quo circa nonnulli Græci videntes hos Euangelistas nullam pati expositionem, in tantam insaniam inciderunt, teste D.Thom. in 4.dist.11.q.2.articul.2. quæst.3. Vt dicerent eos erasse, & à Ioāne fuisse correctos. Quod non solum hæreticum est: sed etiam humana coniectura incredibile. Si enim Euangelistæ errare possunt, cur potius tres, quàm vnum errasse dicemus, cùm præsertim ij clarè loquantur, ille verò minimè? cumque Matthæ. in cœna præsens fuerit, sicut Ioannes, nullus ergo errauit, neque est vlla cōtrarietas, vt postea videbimus.

Mat.26. Marc.14. Luc.22. Chrys.

D.Thom.

Secundo, ita docent omnes Patres. In primis Chrys. dicta homil.82. ita exponit prædicta loca Euangeliorum, quem Theophyl. sequitur. Idemque Chrys. homil.85. in Matth. expresse dicit Christum eo die manducasse pascha, quo lege præscriptū erat, & hom.82. in Ioan. dicit celebrasse pascha eo die, quo antiquitus celebratum erat. Illa enim vox *antiquitus* planè dicit relationem ad tempus institutionis. Præterea Theodor.q.24.in Exod. dicit, Christū traditū esse in manus Iudæorum in vespera decimæ quartæ lunæ, quando pascha immolabant. Idem significat Theophyl. Alexan. epistola ad Theodosium, apud Bedam lib.de ratione temporum cap.57. quatenus negat licitum esse nobis soluere ieiunium luna.13. sed obseruandum esse vs

Chrys. Theophyl.

Theodo. Thc. Ale. Bed.

que

que ad.14.in qua nimirum Christuscœna uit.Idem sentit Victor Antiochenus, quē nuper Latinum reddidit Theodorus Peltanus nostræ societatis. Nam exponens locum Marci,ita eum intelligit,sicut exposuimus. Denique Orig.tract.33,in Matth. (si attente legatur) in eadem est sententia. Interpretans enim illa Christi verba, *Scitis quia post biduum pascha fiet*, dicit ea fuisse dicta à Christo in vndecima luna,cum pascha celebraretur die.14.quæ duobus diebus distabat,ab vndecima,non computatis extremis.Et inde concludit Christum traditum esse post illud biduum, sicut ipse prædixerat,& postea subdit Christum passum esse primo die azymorū,cùm vespera antecedenti pascha celebrasset.

Vict. Ant. Theo.Pelt. Orige.

Ex latinis verò idem docent Hieronym. Ansel.Beda,Rupertus,ac ferè reliqui omnes exponentes euāgelia, & præterea Ambro.epist.83.Aug.epist.86.Cyprianus sermo.de cœna domini, Anselm.lib.2.de imagine mundi cap.17.Ruper.lib.2.in Exod. cap.11.& idem sentit Tertullian.licet sub obscure lib.contra Iudæos cap.8.& 10.

Hierony. Anselm. Beda. Rupert. Amb. Aug. Cyp. Tertull.

Tertio est manifesta ratio,quia Christus in omnibus legem seruauit,vt in superioribus tractatum est,& ad hoc propositum tradunt Chry.dicta hom.82.in Matth.& Epiphan.hæres.51.Sed lege præscriptum erat tempus celebrandi pascha,vt constat Exod.12.nec licebat tempus illud immutare priuata autoritate. Vnde Num.9.dicitur. *Faciant filij Israel phase in tempore suo, quarta decima die mensis ad vesperam*, & infra. *Si quis autem & mundus est,& in itinere nō fuit,& tamen non fecit phase exterminabitur anima illa de populis suis,quia sacrificiū Domino non obtulit tempore suo*.Et ibidem pro ijs qui impediti erant illo die , præscribitur dies decima quarta mensis secundi. Quod verò Euthym.ait fuisse prohibitum postponere:non verò anticipare illum diem, & voluntarium est,cum neque autoritate, neque ratione,neque exēplo probari possit:& improbabile.Quia quando lex affirmatiua certum tempus statuit,vel diem,in quo aliquid faciendum est , sicut pro illo tempore obligat,& neq; antea, neq; post ita illo tempore impleri potest, & non antea.Præsertim quando circunstantia temporis pertinet ad specialem ritum, & cæremoniam actus præcepti , & in specialem sanctificationem,& memoriam talis diei, posita est , sicut erat in præsenti die.14.

Chryso. Epiphan. Exo.12. Num.6. Euthym.

A B C

vt constat Exod.12.

Quodsi quis tandem dicat Christū fuisse supra legem. Respondetur,id quidem esse verum quoad obligationem,& culpam non tamen quoad executionem obseruantiæ legis,quam voluntarie voluit assumere,neque quoad externam speciem transgressionis legis,de qua sine dubio accusatus esset à Iudæis,si contra legem pascha celebrasset:præsertim cum Iudas proditor præsens adfuisset. Et hanc rationem elegāter persequitur Gennadius scholarius disputans contra Græcos pro defensione Cōcilij Florentini,cap.2.

Obiectio. *Responsio* *Gennad.*

Ad fundamenta contrariæ sententiæ.Primum,locus ille Ioannis.13. *Ante diem festū paschæ*, tantum abest,vt cæteris euangelistis contrarius sit,vt potius nostram sentētiam cōfirmet. Nam si Christus dominus ante diem festum paschæ cum discipulis cœnauit:ergo in die festo paschę mortuus est. Nam(vt ostendimus) pridie,quàm pateretur,cœnauit:dies autem festus Paschę erat.15.luna,vt constat Exod.12.& Leuit. 23.ergo cœnauit Christus decima quarta luna. Respondent Græci diem festum Paschæ appellari illum diem, in quo pascha immolabatur,qui erat decimus quartus,& ideò diem ante illum non fuisse nisi decimum tertium. Sed errant non distinguentes inter diem paschæ,& diem festum Paschę. Dies enim paschæ erat ille,in quo immolabatur agnus,de quo verè dicitur fuisse decima quarta luna:sed idem ipse dies paschę erat ante diem festum paschæ. Nā dies festus indicat illum diē , in quo à seruilibus operibus vacatur,& omnino diuino cultui dicatus est , & hoc modo dies immolationis paschæ non erat dies festus quia in eo non erant seruilia opera prohibita(vt supra diximus) sequens autem primus dies azymorum erat propriè dies festus paschæ,nam in eo seruilia opera interdicta erant,vt supra etiam dictum est, Et de hoc apertè loquutus est Ioannes , nam licet huiusmodi festum inciperet à vespera,tamen quia dies naturalis incipit a media nocte, ideo recte dici potest,Ioannem loquutum esse de die naturali , ac festiuo, ante quem diem Christus cœnauit cū discipulis.Hæc autem ita esse ostendi potest primo ex eodem cap.13. Ioannis. Refert enim Christum dixisse Iudæ. *Quod facis, fac citius*, & subdit existimasse quosdam ex discipulis dixisse Christum.*Eme ea quæ*

Responsio ad argumē taopposita sententiæ. *Ioan.13.* *Dies festus Paschæquis Exod. 21. Leuit. 23.* *Ioann. 13.*

opus

opus sunt nobis ad diem festum. Ex quo intelligimus diem ab ea nocte proximum, fuisse diem festum: alioqui nulla fuisset occasio suspicandi Christum tanta festinatione voluisse, vt prępararentur necessaria ad festū, si dies integra adhuc superesset, in qua possent necessaria præparari. Secundo hoc ipsum confirmatur ex Leuit. 23. & Num. 28.

Leuit, 23. Num. 28. *Mense primo, quartadecima die mensis ad vesperam Phase Domini est, & quintadecima die mensis huius solennitas azymorum Domini est.* Verè ergo dici poterat Phase esse ante solennitatem azymorum. Hanc ergo solennitatem vocauit Ioannes *diem festum Paschæ*, quia Pascha interdum significat omnes illos dies azymorum, vt supra dixi. Et de primo illorum subditur in eodem loco Leuitic. *Dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque, omne opus seruile non facietis in eo.* Tertio denique ipsum nomen *festi* hoc prę B se fert, & potest exemplo declarari. Quia nunc etiam in Ecclesia festa quoad officiū Ecclesiasticum incipiunt in primis vesperis: & tamen, quod in eis fit, rectè dicitur fieri ante diem festum, quia propria festiuitas, & dies naturalis non incipit à vespera, sed à media nocte: sic ergo intelligi potest suo modo seruatum esse inter Iudæos. Vnde licet quoad legales cœremonias inciperent dies azymorum, sicut alia festa à vespera antecedente: tamen quo ad communem vsum, non incipiebāt vsque

D. Thom. ad mediam noctem. Et hanc interpretationem indicauit D. Thom. supra quæst. 46. articul. 9. ad 1. dicens, Ioannem computasse dies naturales, quando dixit: *Ante diem festum Paschæ*, & idem docet Ioannis 13. &

Caie. eandem doctrinā indicauit aliis verbis Caietan. super Ioan. 13. & Exod. 12. dum distinguit dies legales, & vsuales Iudæorum, dicens illos à vespera in vesperam, hos verò à media nocte in mediam noctem computari, Ioannem autem de die vsuali fuisse loquutum. Aliter etiā dici potest Ioannem loquutum esse de die artificiali, qui incipit ab ortu solis, & in scriptura simpliciter vocatur dies, & à nocte distinguitur. De hoc ergo die verisimè dictum est, ante illum Christum lauisse pedes discipulorum, quandoquidem nocte, quæ illum diē præcesserit, munus illud obiuit.

Aliud testimonium ex Ioan. 18. tractandum latè est sectione sequenti, vbi ex eodem ostendemus Christum in die solenni Paschæ mortuum esse: ex quo etiam con- A uincitur luna 14. cœnasse, quod hic intendimus.

Ad vltimam cōiecturam, primò dicitur, sacrificium agni Paschalis nō minus fuisse figuram Eucharistici sacrificij, quā crucis, vt docent Sancti Patres, Cypria. serm. de cœna Domini, & lib. de vnitate Eccle- *Sacrificiū agni paschalis figura Eucharistiæ.*
się. Leo Papa serm. 7. de passione Domini. Gregor. hom. 22. in Euangelia & alij, quos statim, & latius infra in materia de Eucharistia commemorabimus. Cùm ergo idē sacrificiū agni fuerit figura vtriusque sacrificij Christi cruenti, & incruenti, æquè profectò repræsentauit vtrunque quoad id, in quo conueniunt, quodque in eis præcipuū est, scilicet quo ad rem oblatam, quæ est agnus immaculatus, *qui tollit peccata mundi*: quoad ea verò, in quibus differunt, non potuit vtrumque æquè exprimere: sed quoad aliqua repræsentauit vnū, quoad alia verò aliud. Vnde in ratione sacrificij cruenti similius fuit sacrificio crucis (vt per se constat) in ratione tamen institutionis, & vsu, aliisque circūstantiis magis repręsentauit Eucharistiæ sacrificium. Nam sicut agnus Paschalis institutus est in memoriam transitus Angeli, & liberationis Iudęorum, ita Eucharistia in memoriam transitus Christi ex hoc mundo, & liberationis hominum: & sicut agnus immolatus cedebat in vsum Iudæorum, ita Christus incruentè immolatus datur in cibum Christianorum, dicente Paulo. 1. ad 1. Corin. 5
Corin. 5. *Etenim Pascha nostrum, immolatus est Christus.* Præterea sicut ille agnus comedebatur in pane azymo, ita hic Christus manducatur sub speciebus panis. Sunt etiam multæ aliæ similitudines, quas Sancti Patres citati, præsertim Grægorius latè persequitur. Ita ergo quoad temporis circunstantiam magis repræsentauit sacrificium agni, sacrificium Eucharistiæ, quām Nazian.
crucis. Vnde Gregor. Nazian. oratio. 2. de Paschate, dicit imperasse Deum, vt agnus luna decima quarta immolaretur, quia tūc Christus daturus erat discipulis suum corpus, & sanguinem. Chryf. vero homil. de Chryf.
prodit. Iudæ, & hom. 83. in Matth. dicit Ambrosi.
Christum luna decima quarta dedisse discipulis Eucharistiam, vt figuram agni Paschalis impleret. Adde ex Ambr. epist. 83. Cyp.
& Cyprian. epis. 63 per agnum ad vesperam immolatum prefiguratum esse Christum fuisse immolandum in cruce ad vesperam mundi. Diximus etiam supra, & significat

nificat Irenæ.lib.4.cont.Hæres.capit.23. per horam immolationis agni, significatã esse horam, in qua Christus in cruce moriturus erat. Hocergo modo satis fuit impleta illa figura.

Ad Patres verò, qui videtur dicere Christum mortuum esse luna.14.partimex dictis patet responsio, partim dicã plura sect. sequenti.

SECTIO QVARTA.

Vtrum Iudæi tempore mortis Christi celebrarẽt pascha, & festum azymorum tempore a lege præscripto, atque adeo, an Christus mortuus fuerit primo die solenni, ac festiuo azymorum.

EX dictis in sectione præcedenti constat Christũ mortuum esse luna.15. quia luna.14. cænauit & postridie occisus est. Vnde necessario fit, si Iudæi observabant ritum paschæ, & azymorum in lege prescriptum, Christum occisum â Iudæis esse, postquam phase sacrificauerant, in ipso primo die azymorum solenni ac festiuo. Controuersia ergo nũc est. An eo tempore, quo Christus vixit, Iudæi seruarent tempora solennitatum à lege præscripta. Nam hinc pẽdet resolutio alterius quæstionis. V. Christus fuerit occisus in die festo.

Sunt autem in hac re duæ Latinorũ sententiæ, quę partim conueniunt cum sentẽtia Græcorum tractata sectione preceden ti, partim differunt. Prima est Iudæos ex parte immutasse tempus celebrationis paschæ, & azymorum, atque adeò illo anno, quo Christus mortuus est, non comedisse agnum luna.14.ad vesperam, sed.15.& festum azymorum reiecisse in decimam sextam. Quæ sententia conuenit cum sententia Græcorum in eo, quód negat Christũ eadem die cœnasse agnum, quo cænabant Iudæi, negat etiam occisum esse in die festo, sed antequam illud inciperet, & antequam Iudæi immolarent phase. Differt tamen quia Græci dicũt hoc accidisse propter anticipationem Christi, autores verò huius sentẽtiæ euenisse aiũt propter postpositionem Iudæorum. Quam, originem traxisse dicunt, ex constitutione quadam facta à Iudæis in secunda templi instauratione, qua cautum est, ne vnquam primus dies azymorũ in feria sexta obseruaretur. Sed si interdum luna.14.in feriam quintã incideret, immolatio agni in lunam.15. Et dies festus in lunam.16. seu in sabbathum transferretur. Quod si dicas, quomodo au si fuerint tempora à lege præscripta mutare. Respondetur, obseruasse illa, iuxta Ecclesiasticam (vt ita dicam) computationẽ, non iuxta astrologicam, & naturalem. Sumebant enim Iudæi initium mensis à prima luna, seu Neomenia, & initium totius anni à prima luna post æquinoctium vernale: à qua fere omnium festorumanni numerationem sumebant. Vnde quando prima Neomenia totius anni incidebat. v. g. in feriam sextam, non numerabant illam, vsque ad diem sabbathi, & ita componebant Calendaria, & designabant pascha in 14.luna iuxta suam computationem, quãuis reuera esset.15. iuxta lunæ conuersiones. Hanc sententiam docuit Paulus Burgensis in additionibus ad Lyranum Mat. 26. Ioannes Hentenius in præfatione ad Euthym. super euangelia, Gagneius in id Ioannis.18. *Et ipsi non introierunt prętorium* Ioannes Iucidus opusculo de vero die passionis Christi, cap.9. Onuphri. lib.2. fastorum in commentarijs, Iansenius cap.128. Concordię, & Catharinus lib.2. contra Caietanum. Qui referunt constitutionem illam, seu traditionem Hebræorum, ex quodam libro Rabbi Gamalielis, de solis, & lunæ motibus. Reddunt autem rationem illius consuetudinis, quia inprimis nõ erat mala, quia non tenebantur Iudęi ad celebrandas suas festiuitates exactè obseruare motus cœlorum, & regulas Astronomiæ, (id enim fere impossibile erat) satis ergo erat, vt ea celebrarent, iuxta vulgarem cõputationem suorum Calendariorũ, sicut nunc facit Ecclesia in obseruatione festorum mobilium. Poterant ergo licite hoc modo componere regulas Calẽdarij, quas sciebant non ad amussim respondere iuxta calculum astronomicum. sed plus, minus ue ab illo distare. Deinde erat hoc illis vtile, ne cogerẽtur duo simul festa seruare, in quibus neque cibos parare, neq; mortuos sepelire, neque alia similia illis licebant, à quibus duobus continenter diebus abstinere valde onerosum fuisset. Denique, etiã nunc dicuntur Hebræi vti huiusmodi Calendarijs, vt quandocunque prima Neomenia in feriam secundam, quartam, vel sextam incidat, in diem aliam transferatur vt prædictum incommodum omnibus anni festis vitetur, vt Ioannes Hentenius supra, &

Paul. Bur.
Ioa. Hent.
Gagnei.
Ioa. Luci.
Onuphr.
Ian.
Catharin.
Rab. Gam.

pra, & alij latius declarant. Fundamentũ præcipuum huius sententiæ est, quia ex Euangelio Ioannis apertè colligitur, Iudæos nondum manducasse agnum, quãdo Christum occiderunt, ergo vel hoc fuit, quia Christus anticipauit Phase, vel quia Iudæi postposuerunt, non primũ, ergo secundum. Primum antecedens patet primo ex Ioan. 18. *Et ipsi non introierunt prætorium, ne contaminarentur: sed vt manducarent Pascha.* Secundo, Ioan. 19. *Erat autem parasceue Paschę*, idest præparatio ad Pascha. Ipso ergo die, quo Christus est crucifixus, nõdum erat Pascha celebratum, sed ad illud siebat pręparatio. Et ita videntur exponere hunc locum August. tract. 117. in Ioannem, & lib. 3. de consensu Euangelistarum cap. 13. Beda, & Glossa ordinaria Ioannis 19. & Anselmus Matth. 27. in illa verba. *Altera autem die, quæ est post Parasceue.* Et cõfirmatur, quia si erat dies præparationis, ergo non erat dies festus, in quo nihil licebat præparare. Alia fundamenta afferemus in sequenti opinione.

Ioan. 18. & 19.

Aug. Bed. Gloss. ord. Anselm.

Secunda sentẽtia est Iudæos solitos fuisse celebrare semper Pascha luna decima quarta ad vesperam: tamen quando hæc incidebat in feriam quintam, transferre solitos primum diem azymorum in diẽ Sabbathi, ne duos nimirum festos dies continuè celebrarent. Quæ opinio differt à pręcedenti, & à sententia Græcorum in hoc, quia docet Christum eadem nocte cœnasse agnum. qua illum cœnabat synagoga Iudæorum vniuersa: cum illis autem conuenit, quia docet Chrystum non fuisse occisum in die festo, & solenni. Hæc fuit sentẽtia Ruperti lib. 2. in Leuiticum cap. 36. & lib. 10. in Matt. circa id capitis 26. *Scitis, quia post biduum Pascha fiet.* Hic verò autor in nulla vel historia, vel traditione fundat eam consuetudinem Iudæorum. Solũ contendit ex Euangelio probare Christum nõ fuisse occisum in die festo. Primo ex illo Matth. 26. *Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* Secundo ex illo Verbo Ioãnis 19. *Vt non remanerẽt in cruce corpora Sabbatho, erat enim magnus dies ille Sabbathi:* porrò non alia erat ratione magnus nisi quia festiuitas Paschalis in eum trãsferebatur. Tertio, quia in eo die multa opera facta sunt à Iudæis, quæ in die festo non licuissent: vt. v. g. omnia, quæ in Christi morte procuranda fecerunt: neque est verisimile eos publicè egisse contra obseruantiam

Rupert.

Mat. 27. Ioann. 19.

A legis. Quia licet aliis in rebus essent praui, tamen cœremoniarum legis erant obseruantissimi, vnde nõ ausi sunt ingredi prętorium, ne contaminarentur: imò Pilato dixerunt. *Nobis non licet interficere quenquã.* Deinde etiam pij viri, & mulieres nonnulla fecerunt eo die, quæ non licebãt die festo, nimirũ, quòd Iosephus ab Arimatthia emerit syndonem, & deposuerit Christi corpus de cruce, illudq; inuoluerit, ac posuerit in monumento, & aduoluerit lapidẽ ad ostium monumenti. Marc. 15. & de mulieribus, quòd reuertentes parauerunt aromatha, & vnguenta Luc. 23.

Ioan. 18.

Marc. 15. Luc. 23.

Dicendum veró est primo, Iudæos eadẽ, qua Christus, nocte cœnasse Paschalem Agnum, atque adeo post illius esum mortem Christi à Pilato petiisse. Hæc sententia est communis Theologorum, quos infra referam, & probatur primo ex Euangelio Matth. 26. & Marc. 14. Luc. 22. *Primo die azymorum, quando Pascha immolabant.* Vel (vt Lucas ait.) *In quo necesse erat occidi Pascha.* Ex quibus verbis, primo habemus Christum comedisse agnũ prima die azymorum, non dicebatur autem, *prima dies azymorum*, nisi quia incipiebant in ea Iudæi abstinere à fermentato, scilicet ad vesperam lunæ decimę quartę, vt supra explicatum est. Responderi potest non vocari primã diem azymorum facto, sed iure. Nã erat dies, in qua secundum legem abstinẽdum erat à fermentato, quanuis de facto Iudæi hoc non facerent, sed transferrent. Sed in primis hoc non dicitur consequenter. Nam si Iudæi legitimè introduxerant eam consuetudinẽ, & festorum translationẽ, iam non tenebantur eo die seruare azyma, ergo nec iure, nec facto erat primus dies azymorũ. Deinde licet illa interpretatio possit accõmodari verbis Lucæ, *In quo necesse erat occidi Pascha*, quæ ius significãt, tamen cũ uerbis Marci stare non potest, *Quando Pascha immolabant*, hæc enim factum, & exequutionem apertè demonstrant. Præterea idem conuinci potest ex verbis Christi Matt. 26. *Scitis, quia post biduum Pascha fiet:* quæ nõ ius, & obligationem: sed factum indicant. Præsertim, cum discipuli, qui non erant docti, sed vulgares homines, nihil aliud scirent de die, in quo Pascha erat celebrandũ nisi, quod in vsu erat totius plebis; & tamen ipsi etiam discipuli supponentes illum esse diem Paschatis, quærebant â Christo. *Vbi vis paremus*

Indæi eadẽ qua Christus nocte agnum paschalem immolant.

Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22.

Matth. 26.

mus tibi comedere pascha? Non est igitur ser A mo in toto illo contextu euangelico, nisi de die, in quo de facto Iudæi pascha immolabant; & tamen eodem die dicitur Christus illud immolasse. Denique etiam si admittamus illam verborum Lucæ interpretationem, potest retorqueri argumentum contra prædictam sententiam. Quia si iuxta legem necesse erat occidi pascha. 14. luna quando Christus agnum cœnauit, ergo non solum secundum calculum astronomicum, sed etiam iuxta vsitatum morem, & calendarium synagogæ id erat necessariū: alioqui fieret, illam consuetudinem, & traditionem Iudęorum esse legi contrariam, quod etiam autores contrariæ sententiæ concedere non audent: neque est verisimile, quandoquidem dicunt esse introductā a viris sanctis, & in lege peritis, & sine vlla contradictione, vel prophetarum repre hēsione tot annis obseruatam. Quod argu B mentum potius videtur conuincere, nullam fuisse talem consuetudinem tempore Christi Domini, de quo statim dicam. Tamen illa admissa, non prōpterea negandum est, (quod in euangelio est manifestum,) Christum eodem die celebrasse pascha, quo synagoga illud sacrificabat, atqueadeo eodem modo numerasse decimā quartam lunam, quo in tota synagoga numerabatur.

Secundo probatur nostra sententia testimonijs sanctorum Patrum. Nam in primis Græci, qui dicunt Christum cœnasse decima tertia luna, vt Iudæorum pascha anteuerteret, manifeste supponunt solitos esse Iudęos celebrare pascha decima quarta luna: & eadem die tempore passionis Christi illud celebrasse.

Deinde Patres tam Græci, quam latini, C vbicunque de hac materia loquūtur, nullam distinctionem faciunt inter tempus à lege præscriptum, & à Christo, & à cæteris Iudęis in nocte cœnæ obseruatum. Id patet ex autoribus supra citatis, præsertim Theodoret. quęst. 24. in exod. dicente, Christum esse traditum decima quarta luna, quando Iudæi pascha immolabant. Et idem supponit Clem. Roman. *Theodore. Clem. Pap. Beda, Ansel.* libr. 5. constit. capit. 13. & 16. Beda lib. de ratione temp. capit. 57, & 59. Anselmus libro. 2. de imagine mundi. capitul. 17. vbi dicit Christum iuxta ritum legis, & morem Iudaicum celebrasse Pascha, quā-

do illi celebrabant. Ruper. lib. 2. in exod. cap. 18. & lib. 3. in Osee. cap, 7. & lib, 4. de operibus Spiritus sancti cap. 8. *Faciebant* (inquit) *Pascha secundum lunæ cursum decima quarta die, comedebant agnum secundum legis mandatum, & eadem nocte Dominum nostrum comprehenderunt.* Denique Chrysost. hom. 85. in Matth. licet in aliquo a nostra sententia discrepet, vt postea dicam, tamen eo ipso hanc assertionem statuit. Dicit enim Iudæos præ ira, & odio in Christum pręuaricatos esse legem, suosque ritus, & mores transgressos, pascha differendo, ergo supponit, tam secundum legem, quàm secundum obseruatam consuetudinem debuisse pascha ea nocte celebrari. *Rupert.* *Chrysost.*

Tertio id, quod supponitur de illa traditione, & consuetudine, apocryphum est, & improbabile. Nam in primis autores, & libri, qui ad eam probandam afferūtur, nullius sunt autoritatis: solum enim sunt quidam Rabbini, qui ante quingentos tātum annos scripserunt. Deinde Iosephus lib. 2. antiqui. c. 5. & lib. 3. c. 10 cum retulisset ritum lege præscriptum Exod. 12. eodem modo suo tempore â Iudęis seruatū esse dicit, nulla facta mentione alicuius mutationis, seu transpositionis dierum. Et eodemmodo loquitur Philo Iudæus, temporibus Christi vicinus, in citatis libris de decalogo, & lib, 3. de vita Moysis. Idemque refert Euseb. lib. 7. hist. ca. 26. ex Anatolio in libris de paschate: qui id etiam cōfirmat autoritate Iosephi, Philonis, & aliorum antiquorum. Idem Nicepho. lib. 6. hist. cap. 36. & 37. Et confirmatur, nam ex antiquis Patribus, & historia ecclesiastica constat, Iudæos indifferenter solitos esse celebrare pascha decima quarta luna, in quacunque die hebdomadæ incidisset & ideo hæretici dicti, *Quarto decimani*, dicti sunt *Iudaizantes*, quòd in quocunque die hebdomadæ pascha celebrandum esse contenderent, si decima quarta luna in eum incideret. Quam consuetudinem aliquando Orientalis Ecclesia magna ex parte seruauit. Ita colligitur ex epistola Concilij Niceni ad Ecclesiam Alexandrinam, quam refert Nicephorus libro octauo historiæ, capitul. 24. & 25. & Theodoretus libr. primo historiæ capit. nono, & decimo, & Socrates libr. histor. capit. sexto & in Tripartita lib. secundo cap. duodecimo *Ioseph.* *Philo.* *Euseb.* *Anatol.* *Nicephor.* *Hæretici quatuordecimani.* *Con. Nyce.* *Niceph.* *Theodore.* *Socrat.*

Item

Item ex epistola Constantini Imperatoris, quam refert Eusebius lib. 3. de vita Constantini capit. 16. & 17. Idem colligitur ex eodem Eusebio lib. 5. Hist. cap. 22. & sequētibus, & Nicephor. lib. 4. Histor. capit. 36. & ex August. hæres. 29. & Epiphanio hæres. 50. & hæres. 70. Isidoro lib. 8. Originum, capit. 5. & Athanas. epistol. ad Orthodoxos de synodis Arimini, & Seleuciæ cōgregatis. Si igitur tempore primitiuæ Ecclesiæ, Iudæi Pascha celebrabant decima quarta luna, in quancunque diem hebdomadæ incideret (vt disertis verbis dicunt multi ex citatis Patribus) falsa omnino, atque conficta est illa mutatio, atque obseruatio dierum, quæ ab alia sententia asseritur. Præsertim quia ex hac eadem traditione constat, solitos fuisse Iudæos die dominica suum Pascha celebrare, si in illud decima quarta luna incidisset, & consequenter feria secunda primum diem festū azymorum agere. Quod prædicta sententia negat, eo quòd alias necessariū esset in sequenti hebdomada duo festa continenter obseruare, scilicet Sabbathū, & dominicā diem, quæ futura erat septima azymorum, in qua iuxta legem, ab omni opere seruili vacandum erat: quod inconueniens prædicta sententia vitare cupiebat. Illud verò quod assumimus, non obscurè colligitur ex dictis Patribus, & ex Ambros. epis. 83. & Beda lib. de ratione temporū, cap. 56. & 59. qui referunt, hac de causa præceptum esse in Ecclesia, vt quando luna decima quarta incidit in diem dominicā, Paschale festum in sequentem dominicā differatur, ne Christianorum, & Iudæorum celebritas, in eum diem coincideret, quod nunc etiam obseruat Ecclesia. De qua re videri possunt epistolæ decretales Pij primi, & Victoris Pontificum.

Euseb. Aug. Epiphan. Isidor. Athanas.

Ambros. Bed.

Pius. 1 Pa. Vict. Pap.

Quarto hinc obiter soluitur præcipuū fundamentum, quod excogitatum est ad hanc mutationem confingendam, simulque ostenditur nulla ratione fuisse necessariā, quia si aliqua esset, maximè ne duo dies festi continēter occurrerent: sed hæc ratio nullius momenti est. Primò, quia reuera nunquam Iudæi hoc incommodum vitare studuerunt, vt ex dictis satis constat, & ex Iosepho lib. 13. antiquit. cap. 16. vbi refert, tempore Hircani festum Pēteostes proximè post Sabbathum incidisse. Ac prēterea ex iis, quæ contraria sententia docet, apertè conuincitur. Dicunt enim autores illius, primum diem azymorum tempore mortis Christi celebratum esse à Iudæis in die Sabbathi: vnde necesse fuit septimam diem azymorum incidere in feriam sextam sequentem, illa autem dies etiam erat festiua, & solennis, ergo necessario incidunt in illud incommodum, quod vitare student. Deinde nullū reuera erat incommodum in ea festorum continuatione. Duo enim sunt, quæ afferuntur, primum est de necessitate ciborū, quæ in die festo parari non poterant. Sed hoc procedit ex falso fundamento. Nam licet in die Sabbathi, prohibitum esset coquere, & parare cibos Exod. 16. non tamen in aliis festiuitatibus, & præsertim in die Paschæ, de quo, & de die septimo azymorum dicitur Exod. 12. *Nihil operis facietis in eis exceptis iis, quæ ad vescendum pertinent.* Ac propterea (vt notauit D. Thom. Ioan. 19.) prima dies azymorum, licet esset festum Paschæ, poterat esse parasceue, idest, præparatio ad Sabbathum sequentem. Alterum incommodum erat de sepultura mortuorum, quā biduo differre valde fuisset molestum. Sed hoc etiam falso nititur fundamento. Nam (vt aduertit Cajetan. Leuitic. 23.) non erat prohibitum in die Paschæ sepelire mortuos, quia illud non erat opus seruile. Vnde Tobiæ. 2. legimus eum die festo surrexisse ante prandium, & corpus mortuum occultè domum attulisse, vt illud postea sepeliret.

Exod. 12. & 16.

D. Thom.

Cal.

Tob. 2.

Sed dicunt, si festum Paschæ feria sexta, & decima quinta luna celebraretur, necessario sequi, vt dies septima festi tabernaculorum incideret in Sabbathum, hoc autē erat inconueniens, quia in eo festo multa fiebant, quæ in Sabbatho fieri nō licebat. Hęc verò argumentatio nullius momenti est. Tum quia diuina lex nihil in toto festo tabernaculorū faciendum præcipiebat, quod in die Sabbathi fieri non posset, vt constat ex Leuitic. 23. & Num. 29. Alia verò, quæ Burgensis refert, incerta sunt, ex apocryphis traditionibus Iudæorum desumpta, quas verisimilius est, non esse adeo antiquas: sed multo post Christi tempora adinuentas. Tum etiam quia si ea omnia, quæ in eo festo solita fieri referuntur, actiones erant religiosæ, & sacræ, atque ad Dei cultum pertinentes, nulla lex vetabat,

Obiectio

Responsio

Leuit. 23. Num. 29.

Ioseph.

Matth.12. vetabat, quin in Sabbatho fieri possent, iuxta illud Matthæi. 12. *Sabbathis sacerdotes in templo Sabbathum violant, & sine crimine sunt*: si autem actiones illæ erant prophanæ, non erat propter eas mutatio festi facienda. Vnde confirmatur tota hæc ratio. Quia omnes istæ causæ, vel incommoda denuò excogitata, vt fieret hæc mutatio, etiamsi vera fuissent, non tamen essent denouo exorta, sed cum ipsa diuina lege necessario coniuncta veluti intrinsicè, & ex natura rei, ergo non poterant sufficere ad eam mutationem faciendam. Quia eo ipso, quòd necessario consequuntur ex lege lata per se, & non tantum ex accidenti, intelligitur legislator ea non curasse, sed potius eis non obstantibus voluisse obligare lege sua, prout ab ipso lata est. Tandem vel illa mutatio, & consuetudo honesta, atque legitima fuit, vel iniqua. Si primum, ergo Christus Dominus eam obseruasset, nam de eo legimus, quòd *ascendebat Ierusalem secundum consuetudinem diei festi*, alioqui sequuntur incommoda precedenti sectione illata contra Græcorum opinionem: scilicet, quòd præbuisset Christus occasionem scandali, si iuxta receptam, iustamque consuetudinem, legem Dei non obseruaret. Item neque Iudas, neq; Pharisæi omisissent, quin de hoc crimine illum accusarent. Ac denique saltem sequitur aliud incommodum ad materiam de Eucharistia pertinens, scilicet, quanuis demus Christum voluntarie anticipasse legalem cœnam agni, tamen post illam licuisse iuxta illam consuetudinem fermento vti: ex quo facile inciditur in sententiam Græcorum asserentium, Christum in fermentato cõsecrasse. Si verò dicatur secundum, scilicet illam mutationẽ fuisse iniquam, mirum est fuisse introductam à viris sanctis, qui tempore reedificationis templi affuerunt, & à nullo prophetarum, neque ab ipso Christo domino fuisse reprehensam. Sit igitur certum tempore Christi domini nõ fuisse factam huiusmodi mutationem. Quòd si verum est Iudæos eam nunc obseruare, longè post Christi tempora illi consuetudini initium dedere, vt etiam ex Rabbi Aben Esra in commentario Leuitici capite 23. refert Bellarminius loco supra citato.

Bellarmin.

Dico secundo Christum Dominum A interfectum esse in die festo, ac solenni Paschæ, quando Iudæi primum diem azymorum celebrabant. Hæc conclusio necessario sequitur ex præcedenti. Nam constat ex Euangelio Christum interfectum esse die proximè sequenti post necem, in qua tam ipse, quàm Iudæi omnes Pascha immolabant: sed dies ille erat primus azymorum solennis, atque festiuus, vt constat ex 12. Exod., & alijs locis scripturæ supra citatis, ergo. Respondet Rupertus, hoc ita futurum fuisse secundum legem: Iudæos verò trãstulisse festiuitatem. Sed hoc in primis, cùm sine historia, aut probatione asseratur, merito reijcitur, vt per se incredibile, ac voluntariè confictum. Deinde rationes omnes nuper adductæ aduersus Burgensis translationem, eodem modo vrgent contra hanc sententiam, & euidenter refellunt fundamentum eius. Præterea sequitur ex hac sententia aliud incommodum ad doctrinam de Eucharistia pertinens. Nam si Iudæi prius cœnabant agnum cum azymis, & statim redibant ad fermentum per integrum naturalem diem, sequitur (inquam) Christum seruasse hanc consuetudinem, quæ iusta esse supponitur. Vnde vlterius probabile fit illum in fermentato consecrasse. Nam consecrauit post legalem cœnam, vsuali cœna iam inchoata, vel proximè ante illam, quãdo ad fermentum redire licebat.

Primo azymorum die Christus occiditur.

Exod.12. Rupert.

B

Denique ex scriptura sacra, & Patribus potest hæc conclusio directe probari. Primo ex verbo illo Ioan. 13. *Ante diem festũ Paschæ*. Nam præcedenti sectione ostẽdimus illud necessariò intelligendum esse de naturali, seu artificiali die, qui proximè sequebatur post eam noctẽ, in qua Christus lauit pedes discipulorum, & hic appellatur à Ioanne *dies festus Paschæ*: cõstat autem in illo mortuũ esse Christũ: Secũdo, Ioan. 18. dicunt Iudæi, *Nobis non licet interficere quenquam*, quod supra quæst. 47. in commentario artic. 4. ostendimus intelligendum esse ratione festi Paschalis, quia nulla alia potest afferri ratio probabilis, cur eis non liceret hominem pœna mortis afficere, si alioqui illa esset dignus. Vnde Chryso. Aug. Cyrill. ac Beda, supra pro hac expositione citati, hãc planè docẽt sententiã. Tertio, eo die, quo Iudæi moliti sunt Christi mortẽ, simul curarunt liberationẽ

Ioan.13.

C

Ioann.18

Chrysost. Aug. Cyr. Beda.

Barabbæ, eamq; obtinuerunt, sed hoc posterius factū est in die festo, ergo & illud prius. Minor probatur ex verbis Luc. 23. Mar. 15. Mat. 27. *Necesse aūt habebat dimittere eis per diē festū, vnum*: & Marc. 15. *Per diem autem festum solebat dimittere eis vnum ex vinctis*. Matthæ. verò capit. 27. dicit. *Per diem solennem*. Nō potest autem eo loco dici: *Dies festus, & solennis*, nisi primus azymorum. Quòd si quis exponat, id dici fieri per *diem solēnem*, quia fiebat in vigilia, & propter solēnitatem sequentis diei, magnam vim infert literæ, cùm Euangelistæ apertè dicāt, id solitum esse fieri in die festo, & solenni, & ita, vt verba præ se ferunt, simpliciter intelligunt Patres omnes, vt videre est in Chrysostomo, Hieronymo, & aliis Græcis, & Latinis. Quarto afferre possumus illud Amos octauo. *Occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis, & conuertam festiuitates vestras in luctum*. Quem locum quanuis allegorico sensu interpretatur Tertullian. lib. contra Iudæos cap. 9. de die mortis Christi, & subdit, tunc cœpisse solennitates Iudæorum verti *in luctum, quia in die solenni Paschæ, & primo azymorum, sol occidit in meridie, dum tenebræ factæ sunt per vniuersam terram*. Et eodem modo exposuit Euseb. lib. 10. de Demonst. Demonstratione sexta: & eleganter Cyril. Ieros. cat. 13. Quibus adiungi potest Origenes hom. 23. in Num. dicens, defeciisse omnes Iudæorum festiuitates, eò quòd in loco sancto, & in die festiuitatis dominum Iesum Christū occiderūt. Et hoc etiam modo intelligendum est, quod scribit Clemens libro. 5. Const. capit. 14. alias. 16. *In ipso die suo festo Dominum comprehenderunt, vt perduceretur ad exitum, quod scriptum est*. *Posuerunt signa sua signa, & in medio solennitatis non cognouerunt*. Dicit enim Iudæos comprehendisse Christum in die festo, quia comprehenderunt illum in nocte decimæ quintę lunæ, ineunte iam die festo iuxta computationem Hebræorum. Idem docet aperte August. tractat. 50. in Ioannem, exponens illa verba. *Proximum ergo erat Pascha Iudæorum. Illum* (inquit) *diem festū Iudei cruentum habere Domini sanguine voluerunt, illo die festo occisus est agnus, qui nobis eundem diem festum suo sanguine consecrauit*. Ratione nō possumus hanc veritatem confirmare, cùm solum ad historiam pertineat, tamen (vt Leo Papa notauit sermone 7. de Passione) non caruit mysterio, nec sine diuino consilio factum est, *vt impij Iudæi, qui sæuiendi in Christum occasiones sæpe quæsierāt, non nisi in solennitate Paschali exercendi furoris sui acciperent potestatem*. Oportebat enim tam insigne sacrificium in die festo, ac solenni offerri, & in eo antiquarum victimarum umbras, ac figuras consummari.

Leo. Papa

Ad fundamenta aliarum opinionum, vt respondeamus, exponenda sunt varia loca Euangeliorum. Primus est Ioan. 18. *Ipsi non introierunt prætorium, ne contaminarētur, sed manducarent Pascha*. Prima expositio est, Iudæos quidem nondum immolasse, & comedisse agnum, quando Christum accusabant coram Pilato: id tamen non euenisse, aut quia tempus præscriptum â lege non esset transactum, aut quia ex antiqua consuetudine soleret immutari: sed quia præoccupati, circa mortem Christi, nō potuerāt eo anno huic solennitati vacare. Hæc vero respōsio, si de omnibus Iudęis intelligatur, eque improbabilis est, ac alię opiniones supra improbatæ: tum quia repugnat verbis Euangeliorum supra tractatis. Tum quia incredibile est vniuersam plebem, atque omnes homines exteros, qui ad immolandum agnum Ierosolyma conuenerant, in machinanda Christi morte fuisse occupatos, impeditosque, ne agnum suo tempore immolare possent. Si autem intelligatur responsio solum de Pharisæis, Scribis, ac principibus sacerdotum, & de nonnullis eorum ministris, est probabilis hęc expositio, & habet autorem Chrysostomum hom. 82. & 85. in Matth. quem Theophyl. sequitur: & eadem videtur esse sententia Cyrilli Alexan. loco supracitato, quam etiā ex Eusebio Emisseno refert D. Tho. in catena Luc. 22. & hic videtur esse sensus Leonis Papę serm. 7. de passione, vbi sic inquit. *Cum Scribas, & seniores populi ad impium concilium Pontifices congregarent, omniumque animos sacerdotum cura admittendi in Iesum sceleris occupasset, ipsi se doctores legis lege priuarunt, & spontaneo defectu ritus sibi patrios abstulerunt. Incipiente enim festiuitate Paschali, qui ornare templum, mundare vasa, victimas prouidere, & legitimis purificationibus sacratiorem diligentiam adhibere debuerant, parricidalis odij furore concepto, ad vnum*

Responsio ad argumēta in oppositum. Testimonij Ioann 18. 1. Expos.

Chrysost. Hiero.

Amos. 8.

Tertul.

Euse. Cyr. Iero. Origen.

Cle. Papa.

Aug.

Chrysost. Theophyl. Cyri Ale. Euf. Emis. D. Thom. Leo Papa.

vnum opus vacant, & in vnũ facinus simili crudelitate coniurant. Quæ ferè verba mutuatus videtur Leo ex Hieronymo Matthæ. 26. circa illud. *Tunc congregati sunt principes sacerdotum*, &c. Addi etiam potest cõiectura. Quia cùm principes Iudæorũ vehementi odio in Christum ducerentur, Iudæque promissionem, & aduentum auidissimè expectarent, verisimile est tota illa nocte huic operi fuisse intentos, prius præparando cohortem, & ministros, vt Christum caperẽt, postea ipsum comprehendendo, examinando, ac iniurijs afficiendo. Denique cùm legamus Actor. 23 quosdã Iudæos ita exarsisse odio in Paulum, vt sese deuouerint, neque manducaturos, neque bibituros, donec ipsum occiderent, quid mirum est: si dicamus hos Iudæos, qui multo maiori odio in Christum ardebant, tam fuisse solicitos circa mortem Christi, vt nihil de agni manducatione curarint?

Hieronym. Matth. 26. Act. 23.

Quod si obijcias, hoc fuisse contra legem, quæ Exod. 12. præcipiebat, vt omnes eadem nocte manducarent agnum: Iudæos autem, quanuis alioqui essent iniquisimi, tamen in obseruandis suis legalibus cœremoniis fuisse obseruãtissimos. Respondetur, eos ita fuisse obcœcatos odio, & inuidia in Christum, vt maius Dei obsequium existimauerint curare illius mortem, quàm legem exequi. Et fortasse multi eorum ex nimia malitia, atque ira contra propriam conscientiam legem transgressi sunt, vt animi affectum immoderatum, & insatiabilem sitim sanguinis Christi explerent.

Obiectio. Exodo. 12. Responsio

Nihilominus hæc expositio suspecta mihi est. Quia illi Iudæi nullam habuerunt probabilem occasionem omittendi celebrationem Paschæ, etiamsi omnem solicitudinem circa mortem Christi adhibere voluissent. Nam Iudas traditor, etiam si de eadem re fuerit solicitus, tempus habuit manducandi Pascha. Quin imò verisimile est ita fuisse inter ipsos constitutum, vt post agni cœnam, noctis tempore, oportunam horam ad illum tradendum, & comprehendendum quærerent. Præsertim quia post cœnam agni lauit Christus pedes discipulorum, instituit cœnam mysticam, & vsualem obiuit, & postquam egressus est Iudas longum sermonem habuit, cum discipulis suis: habuerunt ergo satis temporis, vt possent agnum manducare. Adde, quod si manducationem agni ea nocte à lege præscriptam prætermisissent, non debuissent manducare illum vsque ad 14. lunam mẽsis sequentis, iuxta legem latam Num. 10. ergo non erant soliciti de manducatione agni, quando prętorium non sunt ingressi, vt manducarent Pascha. Num. 10.

Secũda ergo expositio est, nomine *Paschæ* eo loci non agnum, sed azymos panes significari. Hanc amplexus est D. Tho. hic quæst. 46. artic. 9. ad 1. & super Ioan. & in catena pro illa refert Alcuinum; eiq; fauent Aug. tract. 114. in Ioan. & Chrysost. hom. 82. in Ioann. & Theophyl. Ioann. 18. eamque sequitur Innocent. lib. 4. de mysterio missæ, cap. 4. Duo vero huic expositioni obstare possunt. Primũ est, quia non potest ex scriptura ostendi panes azymos interdum vocari *Pascha*. Alterum est, quia similiter non potest probari ex scriptura ad manducãdum azyma, fuisse necessariam munditiam legalẽ: imò cùm panis azymus illis diebus esset quasi vsualis, & ritus ille per septem dies integros duraret, non est admodum verisimile ad illum fuisse necessariam specialem mũditiam, vel obseruantiam. Quæ obiectiones satis probant hanc expositionem esse valde incertam, ac dubiam. Si quis tamen eam sustinere velit, respondere potest ad primam, nomen *Paschę*, (vt supra dictum est,) quanuis primæua significatione solennitatem duntaxat agni significaret, translatum tamen esse ad significandum totum tempus solennitatis azymorum. Vnde sicut nomen *Paschæ* prout significat proprium Pascha interdum significat tempus, in quo manducatur agnus, interdum agnum ipsum, ita etiam prout significat totam solennitatẽ azymorum, interdum significat totum tempus illius solennitatis: interdum verò proprium cibum illius tẽporis, seu paschalẽ, qui præcipue erat panis azymus: atq; ita, cùm dicitur, *Vt manducarent Pascha*, non malè exponitur, ideſt, vt manducarent Paschalem cibum. Neque oportet, vt hæc significatio huius vocis omnino eodem modo in alijs locis scripturæ reperiatur, sed satis est, quod ex alijs probabiliter deducatur. Et eodem modo respondetur ad secundam. Nam panes azymi habebantur sancti, & legales, sicut panes propositionis, adquos edẽdos necessaria erat

2. Expositio. D. Thom. Alcuin. Aug. Chrysost. Theophyl. Innocent.

munditia, vt aperte colligitur ex 1. Regum capite 21. quanquam in lege nullibi reperiatur expressum, quòd ea munditia esset necessaria: sed solum subintellectum sit, quia panes sancti habebantur. Ad hunc ergo modum, quãuis non æquali ratione, panes azymi sancti, & legali obseruatione, ac puritate digni existimari possunt, & ita inter sacros cibos numerantur à Iosepho lib. 3. antiquitat. capite 10. & Philone lib. de vita contemplat, iuxta finem.

1. Reg. 21.

Ioseph. Philo.

Tertia verò expositio, quæ eò probabilior videtur, quo in scriptura maius habet fundamentum, est, nomine *Paschæ* illo loco non significari agnum Paschalem, sed alia animalia, quę illis diebus sacrificari solebant. Quod enim illis diebus præsertim primo, & vltimo plures victimæ, & sacrificia Paschalia offerrẽtur, constat ex Num. 28. Deuteron. 16. 2. Paralipomen. 30. & 35. & ex Iosepho lib. 3. antiquitat. capite 10. & lib. 17. cap. 11. Quod verò hostiæ illæ, seu victimæ *Paschæ* nomine interdũ in scriptura significentur, tradidit Augus. lib. quæstion. super Deuteron. capit. 24. & in superioribus ex varijs locis scripturæ probatũ à nobis est sect. 2. in fine. Denique quod huiusmodi victimæ Paschales tantum à mundis legitimè manducari possent generaliter colligitur ex Leuit. 6. & 7. & 22. & ex Num. 18. specialius vero ex Deuter. 22. Rectè igitur in supradicto loco Ioannis nomine Paschæ huiusmodi sacrificia intelliguntur. Quam expositionem attigit Abulens. in 2. parte sui defensorij, eamque recẽtiores scriptores frequentius approbant.

Veræ expositio.

In prætorium Pilati ingredi Principes Iudæorum cur recusauerint.

Num. 28. Deut. 16. 2. Para. 30 & 35. Ioseph. Aug. Leuit. 6. 7 & 22. Num. 18. Deute 22. Abulen.

Secundum testimonium explicandum, est illud Ioann. 19. *Erat autem parasceue Paschæ.* Circa quod notandum est cũ Augus. tract. 117. in Ioannem *parasceuem* vocẽ Græcam esse, & *preparationem* significare. Vnde fit, cũ Ioannes vocat diẽ mortis Christi *parasceuẽ Paschę*, dupliciter posse intelligi, primo vt vox illa, *Paschæ* significet, (vt ita dicam) terminum ad quem, idest præparationem ad Pascha: & hęc interpretatio fauet obiectioni factæ, & ex illa sequitur Christum non in primo die Paschatis esse mortuũ, sed in vigilia Paschatis. Sed hæc interpretatio falsa est, vt ostendam. Alio ergo modo exponenda est illa vox *Paschę*, vt significet quasi subiectum, seu tempus, in quod dies ille præparationis tunc incidit, ita vt habeat vim

Aug.

Testimonij Ioann. 19. Expositio.

A adiectiui, & idẽ sit *parasceue Paschæ*, quod parasceue Paschale, seu ęp in die Paschę fiebat. Hanc verò esse legitimã expositionem ostendo. Primum, quia feria sexta erat apud Iudæos dies præparationis ad Sabbathum, quia in illa præparabãtur necessaria ad Sabbathum. Quia (vt supra diximus,) licet in alijs festis liceret necessaria ad victum præparare: non tamen in Sabbatho. Vnde Exod. 35. etiam succendere ignem prohibitum erat, & ideo die ante Sabbathum omnia ita præparabant Iudæi, vt in Sabbatho omnino vacare possent, vt colligitur Exod. 16. vbi die sexta præcipiũtur colligere cibos duplices. Vbi Origenes hom. 7. notat, hinc diem illam sextam hebdomadæ vocatam esse *parasceuem*. Quod nõ obscure colligitur ex Marco capite 15. dicente, *Erat parasceue, quod est ante Sabbathum*: non ergo vocatur *parasceue*, quia esset præparatio ad Pascha: sed quia communi nomine dies illa ita vocabatur. Et eodem sensu dixit Matt. cap. 27

Exod. 35. & 16.

Origen.

Mar. 15. Parasceue Paschę quid.

Matth. 27.

B *Altera autem die, quę est post parasceuem*, qua circumloquutione explicat diem Sabbathi, & absolutè vocat *parasceuẽ*, planè indicans hoc nomine absolute dicto solitam esse significari feriam sextam. Et idem colligitur ex Luc. 23. dicente, *Erat parasceue, & Sabbathum illucescebat*. Et confirmatur, quia ad diem Paschæ nulla præparatio fiebat, quia (vt diximus) in eo poterant cibi præparari, ergo sine fundamento dicitur diem illum vocari præparationem ad Pascha. Confirmatur tandem ex Iosepho lib. 16. Antiq. cap. 10. vbi refert Augusti rescriptum, vbi hæc verba habentur. *Neq; cogi Iudæos ad præstandum vadimonia Sabbatho, aut pridie Sabbathorum, post horam nonã, in parasceue.* Vbi aperte vox illa *parasceue* feriam sextam significat, quæ interdum etiam in antiquis canonibus Ecclesiæ retinetur, vt videre licet in cano. 68. Apostolorũ, & apud Clement. lib. 7. Const. c. 24.

Luc. 23.

Ioseph.

C

Clem. Pap.

Obiectio.

Sed contra. Nam Augustinus tract. 120. in Ioann. dicit, *Accelleratam fuisse a Iudæis sepulturam Christi, ne aduesperasceret, quando iam propter parasceuem, quã cœnã purã appellant, facere tale aliquid nõ licebat.* Et similia habet Beda Ioan. 19. Sentiũt ergo, Iudæos cœnaturos fuisse illanc ęte cœnã purã, & ideo Christi sepulturã maturasse: cęna autẽ pura nõ videtur dici posse nisi cęna agni. De hoc testimonio Augus. atq; de cęna pura multa cõmẽtatur Cęsar Baronius

Aug.

Bed.

Baronius in suis annalibus ann. 34. ac reprehendit eos, qui nomine *cœnæ puræ* cē sent appellari solitam quamlibet feriā sextam, seu diem *parasceues*, quia nulla ratio reddi potest huiusmodi generalis appellationis. Vnde existimat cœnam Paschalem intelligi nomine cœne puræ propter azymos panes, qui puritatem, & synceritatem significabant, 1. ad Corin. 5. Atque ita tandem fatetur, Augustinum illo loco fauere contrariæ sententiæ asserenti Iudæos nō dum cœnasse Pascha, quando Christus mortuus est. Et confirmat ex eodem August. tract. 117. in Ioann. & lib. 3. de cōsensu Euang. capit. 13. vbi *parasceue Paschæ* interprætari videtur, fuisse præparationem ad Pascha. Sed quidquid sit de alijs locis: tamen (quod ad cœnam puram attinet) probabilius existimo, non diem Paschatis fuisse ita appellatum propter cœnam agni: sed quālibet diem parasceues, seu feriæ sextæ. August. enim non dicit cœnam agni, nec parasceuem Paschæ vocatam esse *cœnam puram*: sed absolutè *parasceuem*, & eodem modo loquitur Beda. Et expressè Iræn. lib. 1. cont. hæres. capit. 10. dicit sextam diem appellari *cœnam puram*: & lib. 5. capi. 23. *Parasceue*, inquit, *quæ dicitur cœna pura, idest, feria sexta*. Cur autem feria sexta ita sit appellata mihi non satis constat. Probabile verò est, solitos fuisse Iudæos in nocte feriæ sextæ propter Sabbathi festiuitatem, solennem aliquam cœnam instituere. Constat enim ex Tertull. lib. 5. cont. Marci. capit. 4. Iudæos inter alias festiuitates annumerare cœnas puras, quas ibi à ieiunijs distinguit. Et hactenus de fundamentis allatis pro prima sententia.

Cæs. Bar.

1. Cor. 5. Aug. Responsio Cœna pura quid.

Bed. Ireuæ,

Tertul.

In fundamentis secundæ sententiæ alia occurrunt exponenda testimonia. Primū est illud Matt. 26. *Nō in die festo*. Ad quod primo dicendum est cum Chry. hom. 80. in Matt. eos, qui hoc dicebant, non pietatis causa fuisse permotos, vt id dicerent, aut quia putarent id esse cōtra solennitatem diei festi, sed (vt ipsimet dixerunt,) *Ne tumultus fieret in populo*. Deinde quanuis nonnulli ex illis hoc consilium dederint: sed aliorum certè sentētia præualuit, præsertim cùm Iudas vltrò offerret se se, pollicitus IESVM sine tumultu se, ac rumore traditurum. Quod ferè notauit Rupertus lib. 3. in Oseam, circa illa verba. *Quieuit paulum ciuitas a commistione fermenti.*

Responsio ad rgumē ad secundæ tasse ntiæ. sente 6. Mat. 26. st. Chryso

Rupert.

A Imò verisimile est, Iudæorum principes maiori ex parte studuisse, obstinatoque animo voluisse Christum in die solenni Paschæ interficere, quando ex omnibus regionibus congregati erant Iudæi Ierosolymis, vt supplicium esset celebrius, ac notius. Quod diuina prouidentia in bonum conuertit, nam inde factū est, vt Christi innocentia, & veritas mortis, ac resurrectionis eius neminem posset latere, nisi voluntariè excęcari voluisset.

Secundus locus explicandus est, de *magno die Sabbathi*, qui (vt ibi notat Rupertus,) nō propterea ita est appellatus, quòd esset primus azymorum: sed quia erat Sabbathum Paschale, & simul cum festiuitate Paschæ coniungebatur azymorum obseruatio, quod multum augebat diei solennitatem: tum propter dictam causam, tū B etiam, quia quādo illud Sabbathū occurrebat proximè post primum diem azymorum, non poterant Iudæi, qui Ierosolymā conuenerāt, longum iter agere, vt ad propria redirent, & ita reddebatur solennior ille dies Sabbathi propter magnam populorum frequentiam. Adde præterea, quòd Deuteron. 21. præceptum erat, vt corpora eorum, qui supplicio afficiebantur eodē die de patibulo deponerentur. Aliunde verò instabat iam vespera in qua solennitas Sabbathi incipiebat, & quia cum illa coniuncta erat festiuitas azymorum, ideo solliciti erant, ne cogerētur aut in die Sabbathi corpora deponere, quod fortasse nō licebat eis, maximè quando facile præueniri poterat, vel ea per totum diem in patibulis relinquere, quod & contra legem erat, & contra tanti diei solennitatem.

Magnus dies Sabbathi quid., Rupert. Deut. 21.

C Dices, maior erat solennitas primi diei azymorum, quàm solennitas Sabbathi, etiā si in secundum azymorum incideret. Rursus grauius erat corpora hominum in patibulis ponere, & interficere, quàm ibi iam posita relinquere, ergo, si hoc posterius tanta solicitudine vitarūt Iudæi, multo magis prius. Respondetur, quidquid sit de antecedenti, quod non caret dubitatione, quia dies Sabbathi, quoad aliquas actiones, & circunstantias festiuior erat, (vt ex supra dictis colligi potest) negatur consequentia. Quia non erat æqualis affectus Iudeorū. Antequā .n. Christū interficerēt, vehemēti passione, & affectu mortis eius impellebātur, & ideo nihil de festi solennitate curabāt, dūmodo mortē

Obiectio

Responsio

eius accelerarent: postquam verò desiderium expleuerũt suum, neque amplius haberent, quod aduersus Christum machinarentur, religionem, dieiq; festiuitatem simulare voluerunt.

Dubium. Tertio loco exponendum est, quomodo in die festo potuerint fieri â Iudæis omnia, quæ de passione Christi Euangelistę

Responsio narrant. Et primum quidem de Iudæis hostibus Christi dici potest, eis non fuisse prohibitum causam dicere in die festo, & mortem procurare: sed exequi, iuxta il

Ioann. 18. lud Ioann. 18. *Nobis nõ licet interficere quẽquam*, quod dictum à Iudæis esse propter

Cyr. Chrysost. Aug. diem festum, supra cum Cyrill. Chrysost. & August. docuimus. Supponebant ergo Iudæi sibi licere petere in die festo mortem Christi, quod faciebãt, cùm eam exequi recusarẽt, quia non licebat. Secũdo dici potest eos actos esse incredibili odio, & inuidia in Christum, adeoq; fuisse obcœcatos, vt existimarent magnũ se obsequium præstare Deo, interficiendo eum, quem Deo blasphemum, & genti suæ valde pernicioſum iudicabant: aliunde verò timebant populi tumultum, quia sciebant eum habere plures discipulos, à quibus diligebatur, verebantur deniq; ne aliqua ratione elaberetur è manibus, sicut alias sæpe fecerat, & ideo nacta oportunitate, eam neque breuissimo tempore differre voluerunt. Cuius voluntatis nonnul

Ioan. 7. & 10. la signa prius dederant. Nam Ioann. 7. in die festiuitatis Scenopegiæ voluerunt eũ

Num. 25. comprehendere, idemque tentarunt postea in die magno, seu octauo festiuitatis. Et Ioann. 10. in alio die festo eum lapidare tentarunt, vbi iam non tantum procurare, sed exequi mortem eius volebant in die festo, sicut Num. 25. transgressor Sabbathi eodem die lapidatus est.

Dubium 2 Deinde de mulieribus, vel alijs perso-

Responsio nis, quæ ex pietate Christi corpus eodem die sepulturę mandarunt, respondetur facile, ea opera non fuisse seruilia, sed caritatis, & pietatis, & ideo non fuisse prohibita in illo die, (vt supra probatũ est,) secus verò erat de die Sabbathi, in quo non seruilia opera: sed simpliciter opera prohi

Exo. 16. & 20. bebantur, vt patet Exod. 16. 20. & sequentib. Quod absolutè de omnibus operibus Iudæi intelligebant, & saltem intelligi de laboriosis potest, quorum magna necessitas nõ occurrebat, seu quæ sine incõmodo differri, aut præueniri non poterãt.

A Deniq; quod de mulieribus additur, quæ parauerunt aromata, vt Christum iam sepultum vngerent, quanuis eandem possit admittere responsionem: probabile tamen est eas non id fecisse eodem die; quo mortuus est Christus, sed die sequẽti post occasum solis finita iam Sabbathi festiuitate. Marcus enim cap. 16. expressè dicit. *Et cum transisset Sabbathum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum.* Vnde quod Lucas ait capite 23. *Et reuertentes parauerunt aromata, & vnguenta, & Sabbatho quidem siluerunt secundum mandatũ*, vel intelligendũ est per anticipationem, (vt exponit Innocẽt. 3. li. 4. de myste. missæ, ca. 4.) vel certè intelligi potest, quædam parasse illo die veneris, antequam sol occideret, & Sabbathum inciperet, quæ domi habebant, vel ad manum facile habere poterant: plura vero emisse postea die sequenti finita Sabbathi festiuitate.

Aromata ad vngendũ Christi corpus mulieres quando parauerint

Mar. 16.

Luc. 23.

Innocen. 3

SECTIO QVINTA.

Qua die hebdomadæ, & mensis Christus dominus fuerit mortuus.

DVbitatio hęc facile potest ex dictis in præcedenti sectione definiri. Nam quod attinet ad priorem partem, ex dictis planè sequitur Christum mortuum esse feria sexta, hoc est, die Veneris, quod apertè constat ex Euangelio. Dicitur enim Matt. 27. Christus crucifixus, & sepultus *in die parasceues*, & Marcus capite 15. addidit. *Quod est ante Sabbathum.* C Et Lucas cap. 23. *Erat*, inquit, *Parasceues, & Sabbathum illucescebat*, loquitur autẽ de die, & hora sepulturæ Christi, dicit autem illuxisse Sabbathum, quia erat propè occasum solis, in cuius crepusculo Sabbathi festiuitas incipiebat. Denique Ioannes capite 19. dicit depositum fuisse Christum de cruce eodem die, quo sepultus est, ne in cruce Sabbatho maneret, constat ergo crucifixum esse die Veneris. Quod enim quidam exponere conati sunt, *Sabbathum* ibi non significare proprie, & in rigore septimam diem hebdomadæ, sed Paschæ festiuitatem, inauditum est, & omnino falsum, atq; cõtra propriã significationẽ, *Parasceues*, & *Sabbathi*: & procedit ex falso fundamẽto, scilicet diẽ proximũ post mortẽ Christi fuisse festũ paschę. Repugnat deniq;

Feria sexta Christus moritur.

Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23.

Ioann. 19

com-

communi sensui, & traditioni Ecclesiæ, quę sextum diem hebdomadæ speciali ter veneratur, ac celebrat, eò quòd Christus dominus in eo sit mortuus, vt tradidit etiam August. lib. 4. de Trinitat. capite 5. & epistola 119. ad Ianuarium capite 13 14 & 15. quæ etiam habetur inter epistolas Hieronymi tomo 9. Et eandem ob causam ab initio Ecclesiæ obseruatum est, vt fideles eo die à carnibus abstineāt, vt cōstat ex Clemente lib. 5. Constit. capite vltimo, & libro septimo capite 22. alias 24. & Ignatio epistola octaua ad Philippenses iuxta finem, Clemente Alexandrin. libr. 7. stromat. satis post medium, Origene homilia 10. in Leuitic. circa finem, Epiph. hęres. 25. & in Anchorato, Tertulliano contra Psychicos capite 1. & nono, August. epist. 86. ad Casulanum. Qui addunt etiam feria quarta solitum esse seruari ieiunium, quia in ea coactum est concilium, in quo de morte Christi definitū est. Propter quæ Beda libr. de ratione cōputi capite 17. & libr. de ratione temporum capite 45. *Nulli* (inquit,) *Catholico dubitare licet Christū feria sexta fuisse occisum.* Et addi potest congruentia ex Irenæo lib. 5. contra hæres. capite 23. Quia decuit Christum eadē mori die, qua homo creatus est, quia pro illo redimendo, ac veluti recreando moriebatur: constat autem sexta die hominem fuisse creatum: imo arbitrantur multi eodem die peccasse, de quo alias. Contra hanc autem veritatem occurrebat difficultas de die Pentecostes, seu aduentus Spiritus sancti, quomodo potuerit esse dominica dies, si Christus feria sexta mortuus est, sed hāc tractabimus cōmodius infra agentes de die resurrectionis.

Dies venerabilis in Ecclesia cur venerabilis, ac celebris. *Aug. Hieron. Clem. Pap Ignat. Clem. Ale. Origen. Epiphan. Tertullia. Aug. Bed. Irenæ.*

Circa posteriorem partem quæstionis, non est sermo de lunari mense. Iam enim diximus Christum in primo mense, quem luna confecit post æquinoctium vernale, die illius quintadecima, fuisse crucifixum, sed est sermo de mense solari. Et ratio dubij est. Quia primus mensis lunaris partim in Martium, partim incidit in Aprilē, & interdum plures dies vnius mensis, interdū verò plures alterius cōplectitur, & ideo res dubia est, an in Martio, vel in Aprili, & quoto die alterutrius mēsis Christus obierit. Vnde quidam dixerunt Christum mortuum esse in mense Aprili, alij in die 16. (vt refert Marcellus Fra. Francolinus lib. de horis canonicis capit. 74.) alij in die secundo, alij verò in die tertio, quæ sententia à multis recentioribus probatur. Quia rectè subducta ratione per tabulas Regis Alfonsi, & per computationem Ecclesiasticam ex aureo numero, & literis Ecclesiasticis, anno trigesimo quarto ætatis Christi, & per aliquot annos ante, & post illum, dies decimæ quintæ lunæ non incidit in feriā 6. hebdomadę, nec; in mense Martio: reperitur autem incidisse in prædictum diem Aprilis. Ita Abulens. 2. parte defensorij cap. 13. & Ioannes lucidus lib. de vero die passionis Christi, ca. 9. & 12. Alij vero dixerunt Christum esse mortuum in mense Martio. Sed inter eos est magna varietas in assignando die, vt Beda etiam attigit lib. de ratione temporum cap. 59. vbi ait, quosdā sensisse Christum esse mortuū vigesimo sexto die Martij, in quam sententiā potest citari Epipha. lib. 4. cap. 10. iuxta communem lectionem quæ habet, septimo Calēdas Aprilis Christum fuisse mortuum, quam etiā sequitur Onuphrius in Chronico, anno Christi 34. Alij dixerunt Christum mortuum fuisse trigesima die Martij: alij è contrario in die septima: alij in 18., vt refert Epiphan. hęres. 50. vbi ipse dicit fuisse in vigesima secunda. Anselm. verò super Matt. capite 27. affirmat in vigesima prima. Alij referunt Theophylū Cesarienſem asserentem mortuum fuisse in 24., vt colligitur ex Beda lib. de æquinoctio vernali in fine, vbi ex eodem Theophylo, cum concilio sub illo cōgregato, refert Christum resurrexisse septimo Calendas Aprilis, hoc est vigesima sexta die Martij, vnde fit mortuum esse die vigesimo quarto, seu nono Calendas Aprilis. Vnde quod ibi dicitur, iuxta hanc sententiam Christum passum esse ab vndecimo Calendarum Aprilis, hoc est, die vigesima secunda Martij, intelligendum videtur, non, quòd eo die fuerit comprehensus: sed quia eo die in cōcilio definitum est à Iudæis, vt Christus moreretur. Alias si Christus vndecimo Calendas fuisset comprehensus, sequēti die, ideſt, decimo Calēdas fuisset mortuus, vnde si nō resurrexisset nisi septimo Calendas, duobus diebus integris iacuisset in sepulcro, quod fidei repugnat, vt inferius ostendemus.

Abulens. Ioan. Luc. Beda. Epiphan. *Onuphr. Anselm. Theo Cæs.*

Sed hæc interpretatio durior videri aliquantulum potest, quia ibi dicitur Christus

tus passus ab vndecimo Calendarum Aprilis, quia ea nocte á Iudæis traditus est. Et ideo potius dicendum videtur mendosos esse codices in quibus legitur septimo Calendas resurrexisse, nam legẽdum est, octauo Calendas, vt emendatiores codices habent, & vt ex antecedentibus, & sequentibus facile potest quisque coniicere. Quia solum tres dies ibi numerantur ab initio passionis vsque ad resurrectionem.

Iuxta hanc ergo veram lectionem, & interpretationem, ex sententia huius autoris, & Concilij cum eo congregati, die vigesima tertia Martij mortuus est Christus: & ita refert, & sequitur hanc sententiam Theophyl. idem Beda lib. de ratione temporum capit. 65. & idem colligitur ex c. 45. & 59. Ex quibus locis etiam constat olim Ecclesias Gallię sequutas fuisse hanc opinionem. Quæ fuit etiam sententia nonnullorum Patrum, Eusebij Cæsarienſis, vt est apud Turrianum libro. 5. Constitutionum Apostolicarum cap. 16. & Lactantij lib. 4. diuinarum institutionum cap. 16. Nam licet in quibusdam codicibus legatur, Christum mortuum esse ante septimam diem Calendarum Aprilis, tamen emendatiores habent ante diem decimum, id est, decima die ante Calendas Aprilis, quæ est vigesima tertia Martij. Et eandem sequitur Anselmus libr. 2. de imagine mundi c. 7.

Vltima denique sententia frequentius recepta & vsitata est, Christum mortuum esse die vigesima quinta Martij. Hanc (vt inquit, Beda lib. de ratione temp. cap. 28. & 45.) plures Ecclesiæ magistri, & doctores Ecclesiastici tradiderunt. Inter quos est Augustl. lib. 4. de Trinit. cap. 5. & 18. de Ciuitat. cap. vltimo, & lib. 83. quæstionum, quęstio. 56. Chrysostom. sermone quodam de natiuit. Ioan. Baptistæ. Tertullian. libr. contr. Iudæos capit. 8. quam sequuntur Diuus Thomas super Ioan. capit. 2. Antoninus, Platina, Vsuardus, & alij.

Inter quas sententias nullum constans iudicium ferre possumus, quia pẽdet vel ex humana historia, vel ex tabulis astronomicis, & in vtroque est summa varietas, & ita res est incerta. Quare cõsultius est vel cudicium differre, vel cum vltima, vtpote communiore, magisque recepta sententia loqui.

Beda. Euse. Cæs. *Turrian. Lactan.* *Anselm.* *Bed. Aug. Chrysost. Tertul. D Tho. Antonin. Platina. Vsuard.*

SECTIO SEXTA.

Qua hora Christus dominus passus sit, ac mortuus.

HAec sola quæstio superesse videtur, quæ ad hanc temporis circunstantiam plenè explicandam pertineat. In qua primum inquiri potest, qua hora Christus Dominus comprehensus fuerit. Deinde qua hora cruci affixus, quave mortuus. Reliquum enim temporis spatium, quod in aliis passionis eius mysteriis positum est, satis ex Euangelistis, & ex hactenus tractatis, tractandisque constabit.

Ex tribus autem quæstionibus tactis, prima facile expediri potest. Quia cùm Euãgelistæ nihil expressè dicant, coniectura solũ vti possumus ex iis, quę ipsi referunt. Quibus rectè perpensis, ac consideratis verisimilis videtur sentẽtia, quæ ex Chrysostomo colligitur hom. 84. in Matt. & 72. in Ioan. Christum comprehensum esse hora noctis intempesta, vna fortasse, vel altera hora ante noctis dimidium. Quia post solis occasum Christus cum discipulis ad celebrandam legalem cœnam discubuit, iuxta illud Luc. 22. *Facta hora discubuit*, cùm nec anticipare debuerit tẽpus á lege prescriptum, neq; exequutionẽ eius differre. Post cœnam autẽ agni discipulorũ pedes lauit, postea sacramentum Eucharistię instituit, deinde cœnam vsualem, & cõmunẽ cum discipulis manducauit, ac postea longum sermonem, quem Euangelista Ioannes refert, cum eis habuit, ac tandem *hymno dicto exiuit in montem Olueti*. Quę omnia non potuerunt certè paucioribus, quã tribus, vel fortasse etiam quatuor horis perfici. Rursus in itinere vsque ad hortum aliquid temporis consumptum est, orãdo autem in horto videtur integram fecisse horam, antequam primo ad discipulos reuerteretur, eosque dormientes inueniret. Nã eis tunc dixit: *Sic non potuistis vna hora vigilare mecum?* & tamen postea rediit, & orauit secundo, & tertio, ergo, cùm post hæc omnia comprehensus sit, rectè coniectamus summa nocte fuisse comprehensum. Vnde cũ Aug. ait lib. 3. de consens. euan. c. 13. adhuc noctis primas partes fuisse, quãdo Christus à Iudæis apprehensus est, exponendus est, per primas partes noctis intellexisse eas, quæ mediam noctem antecedunt. Quod etiam colligi potest ex proba-

Quota noctis hora cõprehensus sit Christus. Chrysost. *Luc. 22.* *Mat. 26. Aug.*

probatione, quam subiungit, scilicet quia quando Christus ad domum Annæ peruenit, nondum gallus cantauerat. Inde *Chrysosto.* enim solum colligi potest nondum fuisse mediam noctem, vnde Chrys. supra, tractans verba Christi. *Nõ cantabit gallus*, &c. colligit ex illis verbis galli cantum nõ lõgè ab fuisse ab illa hora. *Gab.* *Quia tã*, (inquit,) *Secunda vigilia agebatur*. Quod vero Gab. lect. 13. in Can. dicit, Christi passionem quantum ad violentiam ab extrinseco illa tam hora noctis tertia in cepisse, in qua Iudæi violentas manus in Dominum iniecerunt, non est ab hac sententia alienum. Nam hora tertia comprehendebat totam secundam vigiliam noctis: nam prima durabat per tres primas horas noctis secundum nostram computationem: secunda vero protendebatur à fine primę vigiliæ usque ad mediam noctem, & tota illa dicebatur *hora tertia*, seu *secunda vigilia*, in cuius dimidio tempore, seu circa finem eius comprehensus est Dominus.

In secundo puncto grauior est difficultas propter apparentem contradictionem, *Dubium.* quæ in euangelistis esse videtur. *Ioan. 19.* Ioannes enim cap. 19. planè indicat Christum fuisse crucifixum hora sexta. Dicit enim horam, quando Pilatus sedit pro tribunali, vt sententiam mortis in Christum diceret, fuisse quasi sextam: vnde colligere licet, quando crucifixus est, fuisse iam horam *Matth. 27.* sextam. Quod etiam ex Matt. colligi potest, nam capit. 27. dicit. *A sexta hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam*, & illa expleta statim ferè *Luc. 23.* mortuum esse Christum. Lucas vero ait, *Erat hora fere sexta, & tenebræ factæ sunt*. In *Marc. 15.* contrarium verò est, quia Marcus ca. 15. expressè dicit, *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum*, & tamen postea subdit, hora sexta factas esse tenebras. Quæ diuersitas in narratione euangeliorum tam aperta cõtradictio nonnullis visa est, vt dixerint alterius euangelistæ codicem esse mendosum. Quia signa (inquiũt,) quibus numerus ternarius, vel senarius Græcè scribuntur, simillima sunt, & ita facile potuit vnũ pro alio transcribi. Quam sententiam ita *D. Thom.* indefinitè retulit D. Tho. sup. quæst. 46. art. 9. ad 2. & neque illam reprehendit, neque declarat in quo euangelistarum mendum acciderit, tamen in commentarijs *Hieron.* Hieronymi super Psal. 77. legimus, textũ Marci fuisse corruptum. Quam sententiam sequuti sunt Caietan. Marc. 15. Six- *Caiet.* tus lib. 6. Bibliot. annot. 131. & Canus lib. *Sixt. Sen.* 2. de locis cap. 18. ad 5. qui falsò eandem *Canus.* opinionem Theophy. attribuit. Hic enim autor Marci. 15. simpliciter affirmat Christum crucifixum esse hora tertia, & Ioan. 19. idem confirmans potius in aliam sententiam inclinat, quòd error acciderit in Euangelio Ioannis, vt pro *tertia*, *sexta* sit positum, quanuis Theophy. solum referẽ- *Theophyl.* do procedat. Neutra tamen harum euasionum est á nobis admittenda. Primo, quia si hoc modo licet sine alio fundamẽto scripturam corrigere, nihil erit firmũ. Secundo & maximè, quia in nullis codi- *Erasm.* cibus nec Græcis, nec Latinis est vlla diuersitas lectionis in Marco, vel in Ioanne, vt Erasmus, & alij expositores fatẽtur, *Aug.* & constat ex Augustino infrà citando, Be- *Theophyl.* da, & alijs expositoribus euangeliorum. *Beda.* Atque idem fuisse ab initio nascentis Ec- *Tolesphò.* clesiæ inde licet conijcere, quoniam ex an- *Pap.* tiquissimis Patribus quidam dicũt Chris- *Ambro.* tum crucifixum hora tertia, vt Telesphorus in epistola decretali, & habetur in cap. *Nocte sancta*, de consecr. d. 1. & apud Burchardum lib. 3. decreti cap. 63. Ambros. in hymno, qui in Ecclesia Mediolanẽsi sic canitur.

Iam surgit hora tertia,
Qua Christus ascendit crucem.

Et Cyrillus Ierosolymitan. cat. 13. *Cruci-* *Cyr. Iero.* *fixus*, (inquit,) *hora tertia*, Hieronymus in *Hieron.* Marc. (si tamen ipse est autor,) qui etiam id confirmat. Postquam enim Christus cruci affixus est, illudebatur à prætereuntibus, qui capita mouebant, quod non potuit accidere post horam sextam, quando tenebrę terram suffuderant, ergo oportuit antea, scilicet hora tertia fuisse crucifixũ. Alij verò dixerunt fuisse crucifixum ho- C ra sexta, vt Clemens lib. 5. Const. cap. 13. *Cle. Papa.* alias 16. & lib. 4. cap. 34. alias 40. Ignatius *Igna.* epist. 2. ad Trallianos. Cyprian. lib. de ora- *Cyprian.* tione dominica. Isidorus libr. 1. de Eccle- *Isidor.* siasticis officijs cap. 19. Athan. lib. de Vir- *Athanas.* ginitat. *Sexta hora*, (inquit,) *celebrato preces cum Psalmis, quoniam hac hora filius Dei sublatus est in cruce.* Quæ diuersitas inter Sanctos Patres quanuis rei difficultatem augeat, tamẽ apertè ostẽdit eos ita legisse codices euangeliorum, sicut nos legimus.

Addo præterea sine fundamento dici hunc errorem accidisse propter similitudinem, & facilem mutationem signorum

numeralium, tum quia neque inter ea signa est tanta similitudo, vt facile mutari potuerint. Tum etiam, quia non constat eas voces scriptas fuisse signis numeralibus, & non potius proprijs literis, ac vocibus, vt nunc in Græcis codicibus habentur. Sit ergo certum, contextum euangeliorũ non esse mutandum, nec corrigendum. Quo posito duo videnda sunt, primum quomodo res ipsa se habeat: deinde verò quomodo euangelistę sint in cõcordiam redigendi.

Hora sexta in meridie crucifixus est Christus.

Dicendum est igitur, Christum dominum fuisse crucifixũ in meridie, vel propè, seu (quod idem est) hora sexta diei, vel circa illam. Hanc conclusionem in primis probat textus Ioannis, cuius veritas nulla alia ratione potest defendi, aut consistere, vt videbimus. Secundo eandẽ conclusionem probant testimonia Patrum supra allata, & communis sensus, ac traditio Ecclesiæ, quę habet Christum ante mortem tribus horis in cruce pependisse: constat autem mortuum esse hora nona, vnde fit crucifixum esse in sexta. Tertio id potest explicari ex discursu passionis Christi. Referunt enim euangelistæ Iudæos sũmo manè, ideſt, prima hora illius diei concilium inijsse, atque in illud Christum adduxisse, eumque iterum examinasse, an esset Christus, ac postea detulisse cũligatũ ad Pilatũ; vbi primũ facta est accusatio Iudæorũ, & varię interrogationes, ac respõsiones inter eos, & Pilatũ, & inter Pilatũ, & Christum, quæ omnia si rectè pensentur, plus quã primã diei horã integram requirũt. Deinde missus est Christus ad Herodem, apud quem iterum accusatur ab scribis, & illuditur ab Herode cum exercitu, & veste alba induitur, & ad Pilatum remittitur, in quibus necesse fuit aliam horã, scilicet secundam diei consumi. Postea instruitur noua accusatio, & examinatio causæ apud Pilatũ, varij sermones, & colloquia vltro, citroque miscentur, daturq; Iudęis optio, vtrum vellẽt liberari, Barabbam ne, an Christum, & principes persuaserunt populo, vt peterent Barabbam, & tunc primum apertè clamauerũt de Christo, *Crucifigatur*. Atque ita in officio de cruce Christi â Pio V. probato sic dicitur.

Of Pij.V.

Crucifige clamitant hora tertiarum.

Circunferuntur etiã versiculi quidã de horis Ecclesiasticis, ab omnibus recepti, in hunc modum.

A *Prima replet sputis, causam dat tertia mortis.*

Hęc ergo omnia in tertia hora facta sunt, & vel tota, vel magna pars eius in his elapsa est.

Post illã verò acclamationẽ Iudæorum Christus dũs flagellatus est, & postea iterũ ductus à coherte in prætoriũ, & exutus proprijs vestibus, & chlamyde coccinea circũdatus, & spinis coronatus, & à militibus varijs modis illusus. Quę certe omnia nõ potuerunt breuiori tẽpore quã tota hora quarta expediri. Postea â Pilato populis ostenditur, quãdo Iudæi iterũ clamauerunt. *Tolle, tolle, crucifige eum*, et illud. *Secũdũ legẽ nostrã debet mori, quia filium Dei se fecit.* Quo audito Pilatus *magis timuit*, atq; iterũ Christũ secũ introduxit, longumq; cũ B illo sermonẽ habuit, redijtq; post ad populũ cupiens liberare eum. & post nonnullas interrogationes, ac responsiones, tandẽ sentẽtiam mortis in eum tulit hora quasi sexta, (vt Ioan. dixit.) Quia si rerũ series spectetur, necesse est, vt minimum horam quintã tunc fuisse transactã, vel instasse finẽ eius. Deinde susceperunt Iesum, & iterũ illuserunt, & exuerũt chlamyde, & proprijs vestibus induerunt, atq; in Caluariæ locũ adduxerunt, angariauerũtq; in via Simonẽ Cyrenensem. & Christus cationẽ habuit ad mulieres. Quæ omnia iter retardabant, ac tandẽ peruentũ est ad locũ Caluarię, vbi prius obtulerũt ei myrrhatũ vinũ, quod est signũ aliquantulũ quieuisse prius, quã eum crucifigerent. Nõ potuit ergo in his omnibus nõ insumi alia integra hora: ergo nõ potuit Christus ante sextã horã, vel propè illã crucifigi. Nam quæ acta legimus i Iudic, nõ potuerũt paucioribus, quã sex horis absolui omnia.

Ioan. 19.

Supereſt ergo, vt secundo loco cõcordiã euãgeliorũ exponamus. In quo primo occurrit difficilis locus Marci supra citatus. In cuius expositione plurimũ laborauit Aug. lib. 3. de consens. euãg. c. 13. & tract. 117. in Ioan., & in li. 65. quæstionũ, q. 15. & in li. quęstionũ. noui, & veteris testamẽti, q. 65 & sup. Ps. 63. circa illud, *Exacuerũt, vt gladiũ linguas suas.* Qui duas excogitauit expositiones. Prima est, vt locus Marci ad literã intelligatur, (vt sonat,) scilicet Christum verè fuisse cruci affixum hora diei tertia: locũ autẽ Ioannis non esse intelligendum de sexta hora diei: sed de sexta hora paraſceues Paschæ, quoniam Ioãnes ita inquit, *Erat autem parasceue Paschæ hora*

Testimonij Mar. 15. de hora crucifixionis Christi.

1. Exposit. Aug. Ps. 63.

hora quasi sexta: per Pascha autem putat es A se intelligendum ipsum Christum, seu immolationem eius in cruce, quæ præparari (inquit) incepit hora nona noctis, à cuius initio computando vsque ad tertiã horam diei, sex præterlabuntur horæ. Erat ergo hora sexta non diei, sed præparationis veræ Paschæ. Hæc verò expositio nec ipsi Augustin. admodum placet, nec probari vllo modo potest. Primò quia, quod de textu Marci dicitur, iuxta dicta non potest consistere. Ostensum est enim Christum non potuisse crucifigi hora tertia diei, computando durationem horarũ, vt nos computamus, & sumendo earũ initium à principio diei. Secundo, quia expositio Ioannis est nimis violenta, & metaphorica: tum quia nomẽ Paschæ in propria significatione id non significat, neque Euangelistę vnquam eo sensu vtuntur ea voce: Tum etiam, quia modus ille B computandi, & numerandi horas nunquam est vsitatus: Tum denique, quia gratis dicitur, præparationem mortis Christi incepisse ab hora nona noctis. Nam si aliquod initium eius assignari potest, nõ potest esse aliud nisi comprehensio Christi, quę non incepit hora nona noctis, neque multo post illam (vt quidam scribũt) sed potius multò ante illam, quia hora nona noctis iuxta hanc computationem est tertia post dimidiam noctem iuxta nostram computationem. Quia ab hora nona vsq; ad diem tantum supersunt tres horæ nostræ, vt Aug. etiam supponit, ostendimus autem supra Christum ante mediam noctem fuisse comprehensum.

2. Exposit. Aug.

Secunda expositio August. est Ioannem esse intelligendum ad literam, vt sonat: Marcum verò loquutum fuisse de crucifixione, non quando reipsa facta est in mõte Caluariæ: sed quando facta est á Iudęis, C quantum in illis fuit, quando scilicet clamauerunt, *Crucifige, crucifige eum.* Quod factum esse hora tertia supra declaratũ est ac probatum. Hanc expositionẽ sequitur Innocent. lib. 5. de myster. missæ. c. 9. & D. Tho. supra, vtramq; expositionẽ Aug. referens, huic magis adherere videtur, sicut & Beda in Ioan. & clarius in Marcũ: vbi Theophyl. eandem referens expositionem non improbat. Nihilominus tamen probari nullo modo potest: Primo, quia propter solam petitionem, aut acclamationem Iudęorum, non potest propriè

Ioann. 19. Innocen. D. Thom. Beda. Theophyl. Matth. 27

acverè dici, Iudæos crucifixisse Christum hora tertia, alioqui etiam dici posset, eũ interfeciſſe ſummo mane, quando in ſuo concilio ſententiam tulerunt dicentes. *Reus est mortis.* Imò idem dici posset in feria quarta, quando eandem ſententiam in alio concilio dixerunt. Eò vel maximè, quòd decretum, vel petitio Iudęorũ non erat causa efficax, nec sufficiens crucifixionis Christi, donec Pilatus ſententiam diceret, ergo non ſolum propriè, verum etiam neq; in impropria, & metaphorica ſignificatione dici potest Christus crucifixus hora tertia propter ſolam petitionẽ Iudæorum, cùm nondum Pilatus protuliſſet ſententiam, vſque ad horam ſaltem quintam, vt viſum eſt. Reſponderi poteſt, quanuis Pilatus non protulerit ſententiam hora tertia, ſedens pro tribunali, & autoritate iudiciaria: tamen tunc incepiſſe oſtendere Iudæis voluntatem conſentiendi petitioni eorum: Cuius ſignũ eſt, quia ſtatim præcepit, eum flagellari, quæ erat veluti diſpoſitio quędam ad crucifixionem, iuxta legem Romanorum (vt in ſuperioribus tractatum eſt) ergo ex tũc habuit animum illum crucifigendi, ſi nõ poſſet aliter ſatisfacere Iudæis. Propter quam fortaſſe cauſam Clemens, & Ignatius locis paulo antecitatis dicunt horam tertia ſententiam mortis latã eſſe in Chriſtum. Et Athanaſ. dicto lib. de virginitate dicit hora tertia adductum eſſe lignum crucis. Sed hæc in primis incerta ſunt. Nam potius (quantũ ex Euãgelio conijci poteſt) Pilatus erat eo tempore anceps & dubius, cupiebatque eripere Ieſum à morte, atque eo animo illum verberari iuſsit. Deinde (vt ea omnia concedamus) non ſatis ſunt ad explicandum textum Marci, qui apertè loquitur de reali crucifixione in executione ipſa; non verò, de animi deliberatione, niſi magnam vim, & æquiuocationẽ tã litera patiatur, quã ipſa ſeries hiſtoricæ narrationis, quę ſic habet. *Crucifigentes eum, diuiſerunt ſibi veſtimenta eius, quis quid tolleret: erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* Vtrobique ergo de eadem crucifixione ſermo eſt. Præterea in vtroq; loco euidenter loquitur Marcus de militibus, de quibus ſermo eſt ab illis verbis. *Milites autem duxerunt eum, &c.* & de illis dicitur *Percutiebant eum, illudebant ei, dabant ei bibere myrrhatum vinum, diuiſerunt veſtimenta eius, crucifixerunt*

Clem. Pap. Igna. Athanaſ.

Marc. 15.

eum

cum, & postea, *& cum eo crucifixerunt duos latrones*. Non est ergo sermo de Iudæis lingua crucifigentibus, nec de Pilato, animo, vel sententia: sed de militibus manibus, clauisque Christũ in cruce figentibus.

3. Expos. Tertia ergo expositio est, verba illa, *Erat autem hora tertia*, non esse coniungenda cum sequentibus, *Et crucifixerunt eum*: sed simpliciter, præcisè, ac perse sumenda, referendaque ad tempus illud, in quo cæpit saluator pati à militibus Pilati. Ita Euthym. capite 47. in Marcum. Quæ expositio placuit Catharino libr. 2. in Caietan. Sed vix potest etiam mente concipi, Quomodo enim possunt efficere sensum verba illa interposita, quæ nec cum antecedentibus, nec consequentibus connectantur? Aut quo fundamento dici potest illa hora tertia referri ad hãc vel illam actionem, vel passionem, si nihil dicitur factum in illa, sed solum, quôd erat hora tertia? Imò nec diuinari potest, quæ, vel quando fuerit hæc hora tertia. Addo falsum esse, quod dicit Euthym. Christum cæpisse pati â militibus Pilati hora tertia. Nam si loquatur de initio post sententiam latam, constat ex Ioanne fuisse hora quasi sexta. Si verô loquatur de initio passionis absolutè, & ante sententiam constat fuisse multo ante horam tertiam, scilicet nocte precedenti, vel summo mane, si sermo sit de ijs, quæ Christus passus est, postquam ductus est ad Pilati prætorium.

Euthym. Catharin.

4. expos. Marcel. Quarta expositio, quam solum inuenio apud Marcellum lib. de horis canon. cap. 23. est, illud, *Et crucifixerunt eum*, non esse solum copulatiuè interpretandum: sed in vi aduerbij temporis significantis, ita vt sit sensus, *Erat autem hora tertia* non diei, sed ex quo crucifixerunt eum, ita vt illis verbis significauerit Marc. tribus horis Christum in cruce pependisse viuum, dum milites diuidebãt vestimenta eius, illudebãtque ei, ac latrones crucifigebant. Sed hęc expositio auget potius difficultatem, quã explicet. Primo enim violenta est interpretatio illius copulatiuæ, & pręter omnem vsum tam proprium, quàm metaphoricum. Deinde illa, quæ Marcus ibi, & in sequentibus verbis narrat esse facta, ante sextam horam gesta sunt. Nam post illa omnia dicit. *Et facta hora sexta tenebræ factæ sunt*, si ergo iam tunc Christus pepẽderat in cruce tribus horis, necesse est, vt hora tertia diei fuerit crucifixus, incidimus ergo in eandẽ difficultatem.

Quinta ergo, & communis, ac vulgaris expositio est, qua vtũtur Nicola. Lyran. Dion. Chartus. Gagneius, & alij recentiores Euangelij expositores infra citandi, & Magist. historiæ Euangelij ca. 166. citatur Duran. in Ration. Diui. Offi. li. 5. ca. 1. Sed hic potius sequitur August. Aitergo hæc opinio, Euangelistas de eadem re, atque de eodẽ tempore esse loquutos, quanuis sub diuersis rationibus, seu habitudinibus, diuersis itẽ nominibus vsi fuerint. Ad quod explicandum, aduertendũ est primo, quando de tẽpore alicuius actionis loquimur, interdum solere nominari tempus, quod inchoatum est, seu actu fluit, quod dicitur *tempus currens*: interdum verò, quod immediatè ante præcesit, & iam est exactũ, seu quod immediatè subsequitur, quando proximè distat, & vterque modus est proprius, vulgaris, & vsitatus. Sic enim quidquid fit post horam tertiam expletam ante inchoatam quintam, potest dici fieri hora quarta, etiam si fiat in principio, vel fine illus: potest etiam dici fieri hora tertia, quia scilicet ante expletam quartam factum est. Quod maximè tunc habet vsus, quando initio quartæ horæ aliquid factũ est. Et eadem ratione, si res fiat prope initium quintæ horæ, dici potest facta hora quinta, & præsertim si addatur particula diminuens, *quasi* hora quinta.

5. expos. communis. Lyr. Charthus. Gagneu. Durand.

Secundo est obseruandum, horas diei, ac noctis varijs rationibus diuidi posse, ac numerari, primo, à media nocte ad meridiem, & à meridie ad mediam noctem, astronomica numeratione, de qua constat non fuisse loquutos euangelistas. Constat enim ex dictis, iuxta hanc numerationem crucifixum esse Christũ fere hora decima diei, cùm esset tempus æquinoctij, & sex horæ diei iam transijssent. Secundo numerando horas ab occasu ad occasum solis, sicut Itali numerant, & hoc etiã modo constat non fuisse loquutos euangelistas, quia iuxta eam rationem crucifixus est Christus hora decima octaua. Tertio inciendo numerationem horarum ab ortu solis, & sigillatim numerando omnes horas, primã, secundã, tertiã, &c. & hoc modo intellexerunt euangelistas scriptores omnes, qui opiniones priores sequuti sunt: tamen hoc modo non possunt in cõ

Modi computandi horas diei.

cordiam

cordiã redigi, si de eadẽ re loquuntur, vt verè loquuntur. Quia hora tertia nullo ex supradictis modis dici potest, *quasi sexta*, cũ longè ab illa distet. Superest ergo quartus modus, qui olim fuit in vsu apud Iudæos, qui tam diem, quàm noctẽ in quatuor vigilias seu partes diuidebant, singulis tres horas assignantes. Ita tradunt multi, graueſque autores statim referendi: in modo autem explicandi hãc diuisionẽ nõ concordant.

Quidam ergo dicunt, primam illarũ partium vocatam esse *Primam*, & durasse per tres primas horas diei, ab ortu solis numerando, & sic consequenter de reliquis, nã secundam illarum, quæ tres subsequentes horas complectebatur vocabant, *tertiam*, aliam *sextam*, aliam *nonam*. Quo supposito, est facilis expositio. Nam Christus dominus crucifigi potuit, ante inchoatam horam sextã, idest paulo ante meridiẽ, quando adhuc currebat hora tertia, idest secunda pars diei, & ita potuit rectè Marcus dicere crucifixum esse *hora tertia*. Quia verõ illa hora tertia iam ad exitum tendebat, & hora sexta proximè, atq; immediatè instabat, ideó rectè potuit dicere Ioannes. *Erat hora quasi sexta*. Et hanc expositionẽ sequuntur recentiores, Ianſen. in concor. cap. 143. & alij quos Marcel. refert.

Ianſen. Marcel.

Sed obiici solet contra hanc sententiã. Quia hic diuisionis modus videtur gratis & sine fundamento confictus, præsertim cũm in Euangelio legamus Ioan. 11. *Nonne duodecim horæ sunt diei?* vbi constat Iudæos solitos esse numerare nõ tantũ prædictas quatuor partes diei: sed duodecim horas tertio modo supra explicato. Vnde Ioan. 1. legimus: *Erat autem hora quasi decima*, & Ioan. 4. *Heri hora septima reliquit eũ febris*, & Matt. 20. *Circa vndecimam horam exiit*. Et confirmatur, quia licet admitteremus diuisionem illam diei in quatuor partes, gratis diceretur, secundam partem vocatam esse tertiam horam, & tertiam sextam, & quartam nonã: sed primã, secundã, tertiã, & quartã partẽ. Primo quidẽ, quia nomen *hora*, nunquam in scriptura significat, nisi duodecimã diei partem, vt patet ex locis allegatis, sicut quatuor partes, in quas nox diuidebatur, non dicebantur quatuor horæ, nec tertia, sexta, &c. Sed prima vigilia, secunda vigilia, &c. Deinde quia si prima ex his partibus dicta est *Prima*, vel ex ordine ad alias partes, vel quia in prima hora incepit, cur secunda pars non est etiam, vel secunda hora appellata, ex ordine ad alias partes, vel certe quarta hora, ex sui initio, quia scilicet hora quarta incipiebat? & eadem interrogatio fieri potest de tertia & quarta parte. Nec refert si quis fortasse dicat diuisionẽ hanc diei in quatuor partes fundamentum habere in antiquis Patribus, vt videre licet in Tertul. lib. de ieiunio cap. 10. & Cyprian. lib. de oratione dominica iuxta finem, Chrysostom. hom. 59. ad populum, & Isidoro. lib. 1. de officiis Ecclesiast. cap. 19. qui tractantes de horis canonicis, seu de temporibus diei olim solenni ritu ad orationem deputatis, dicunt diuisum fuisse diem in huiusmodi horas, & insinuant traditionem esse antiquissimã, & à tempore Iudæorum seruatam. Quod etiam colligi potest ex illo Actor. 11. *Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam*, & capit. 10. *Ascendit Petrus in superiora, vt oraret circa horam sextam*: & infra. *Orans eram hora nona in domo mea*: Hæc (inquã) responsio non satisfacit: quia in citatis Patribus nunquam reperimus tertiam, sextam, aut nonam plures diei horas amplecti: sed solum singulas istarum horarum diei in ordine ad res diuinas, & officium orationis fuisse solenniores. Neque ex scripturæ locis citatis videtur aliud posse colligi. Illud etiam difficultatem auget, quod neq; in scriptura, neque in citatis Patribus fit vlla mentio primæ horæ, sed tantum numerant tertiã, sextam, & nonam, & interdum addunt vesperam, de qua etiam sæpe fit mentio in sacris literis. Vnde nouum quoque sumitur argumentum contra prædictam diuisionem dicto modo expositam. Quia si nona hora comprehendit decimam, vndecimam, & duodecimam horam diei vsque ad occasum solis, nullum diei tempus relinquitur, quod nomine vesperæ significetur, nisi fortasse crepusculum noctis: aut certè sequitur nonam, & vesperam coincidere: neutrum autem consonat tam iis, quæ supra dicta sunt de vespera, quãm consuetudini ecclesiasticæ, quæ in horis canonicis hæc tempora sub hisce nominibus distinguit.

Obiectio. Ioann. 11.

Ioa. 1. & 4 Mat. 20.

Tertul. Cyp. Chryſoſt. Iſidor.

Act. 11. Act. 10.

Propter hæc alij, licet admittant illam diuisionem diei in quatuor partes, multô aliter dictas voces explicant. Dicũt enim tertiam significare eam partẽ, quæ durat

per

per tres primas horas diei, & ad tertiam terminatur: sextam autem vocari secundam partem, quæ fluit vsque ad finem sextæ horæ: nonam verò simili proportione partē tertiam diei nuncupari, quæ in fine horæ nonæ absoluitur: quartam autem partem diei, quæ decimam, vndecimam, & duodecimā horam diei complectitur, vesperarum nomine appellari. Ita docent Calixtus Placentinus enarratione 46. super euā gelia quadragesimæ serm. de Resurrectione domini, & Sylvester in Rosa aurea in sermone diei parasceues art. 3. & in summa, Verbo ieiunium q. 4. Marcell. dicto libro de horis canonicis cap. 11. Iuxta quā explicationem expediuntur facillimè omnes dubitationes supra positæ. Quia vnaquęque pars nomen accepit ab vltima hora in qua terminatur. Vnde quarta pars ab aliquibus vocatur etiam duodecima: sed rectè quoq; vocatur *vespera*, quia vergit ad occasum solis. Hoc etiam modo assignatur fundamentum huius diuisionis satis probabile. Sumpta enim est ex quatuor illis solennioribus horis ad orationē, vel ad res sacras destinatis: & licet illæ voces *tertia sexta*, & *nona*, propriè significēt speciales illas horas, quæ hisce numeris notātur: tamen facile extēdi potuerunt ad significandum totum illud tempus, quod in illis horis terminatur, vel quia per orationem, quæ singulis illis horis fit, satisfit toti illi tempori, vel quia orationes illis horis assignatæ toto illo tempore fieri poterant. Aut certè. (quod in idem redit) descriptio diurni temporis per illas horas tāquam per notiores, & celebriores sæpe fiebat, intermedijs omissis: & quæ in his horis intermedijs fiebant, dicebantur fieri in altera ex prædictis horis extremis, fortasse in ea, quæ minus distabat. Suppositā ergo hac explicatione huius diuisionis diei in quatuor partes, conciliantur prædicta loca hoc modo. Christum crucifixum esse tēpore intermedio inter tertiam, & sextam horā, & ideo denominari potuisse ab vtroque extremo.

Calt. Plac. Sylvest. Marcel.

Et hæc interpretatio est quidē probabilis, sed nō minores difficultates patitur quā precedens. Primo quidē, quia si prima pars diei tribus primis horis concludebatur difficile creditu est, propriè, ac verè dici potuisse factum esse hora tertia id, quod post horā integrā, vel fortasse duas gestū est. Vel è cōtrario, si secūda pars diei sub sexta cōcludebatur, nō erat, cur Ioānes adderet *hora quasi sexta*, sed simpliciter dicendū esset *hora sexta*. Secundo, (quod me magis mouet,) iuxta hanc expositionem oportet dicere Christū fuisse crucifixum intra horā quartā diei, vel ad summū in initio quintæ: hoc autē incredibile videtur, si quæ supra notata sunt de discursu passionis, attēte pensentur. Deinde tota illa interpretatio tantū videtur quadam cōiectura probabili niti. Si autē cōiectura vti licet, possemus fortasse aliā nō minus probabilē excogitare, scilicet tertiā, sextā, & horā nonā diei fuisse olim specialiter ad orādū deputatas, & ideō fuisse notiores, & celebriores, (vt supra probatum est.) Tamē quia homines facile aliquātulū anteponunt, vel postponunt actiones, quæ certis tēporibus præscriptæ sūt, hinc fieri facile potuit, vt nomē *tertiæ* non tantū horā tertiā, sed etiam antecedentem, & subsequentē cōplecteretur. Et eadē ratio est de sexta, & de nona. Sicut nunc etiam, vulgari sermone dicimus esse horam vesperarum, quanuis paulo magis, vel minus distet. Et in hac significatione hora tertia incipiebat à secunda hora diei, & finiebatur in quarta, & sic de alijs: atq; ita supereſt vndecima, & duodecima hora diei, quæ possint vesperarū nomine significari. Et iuxta hunc modū est fere eadem conciliatio Euangelistarū: euitatur tamen prima difficultas tacta. Quia hoc modo proprie potest dici Christus crucifixus hora tertia, etiam si in fine quartę crucifixus sit, quę etiā dicitur *hora quasi sexta*, quia statim ă tempore quintæ horæ incipiebat sexta, hoc modo, idest, in ordine ad orationē, vel ad res sacras. Altera tamen difficultas eadē manet in hac sententia, quia videtur tēpus illud quatuor horarū breuius, quā vt potuerit in eo Christus crucifigi.

Deniq; difficultates tactæ contra primū modū explicandi illā diei diuisionem nō ita vrgent, quin possit earū omniū sufficiēs ratio reddi, si cōmode explicetur. Vnde, cùm alias modus ille aptior sit ad explicandos Euangelistas, & soluendas difficultates in historia passionis occurrētes, videtur præferendus. Et primū quod attinet ad fundamentū, vel autoritatē, in qua nititur hæc partitio diei, eadē difficultas cōmunis est huic modo, & cæteris. Atqui non dicimus diurnū tēpus fuisse aliquando diuisum in quatuor partes æquales, quę illis

illis nominibus *prima, tertia, sexta,* & *nona* A significetur, sicut nox diuidebatur in quatuor vigilias, quia neque hoc nobis est necessariũ, neq; sufficiẽs habemus illius fundamẽtum. Hoc ergo solum ex antiquitate sumimus, illas horas, *tertiam, sextam,* & *nonam* fuisse celebriores, fortasse quia erant ad orationem specialiter deputatæ, atque ideo illarũ vsum frequẽtiorem fuisse, magisq; vsitatum ad referendas actiones sacras, seu tempora, in quibus fiebant. Vnde cõiectamus extensionem aliquam factam esse in vsu, & significatione illarũ vocum *tertiæ, sextæ*, & *nonæ*, vt plus temporis, quã singulæ, ac præcisæ diei horæ significarent, quacunq; ratione id interpretemur. Deinde non refert, quòd nomẽ primæ horæ nõ reperiatur apud antiquos in hac significatione. Quod enim hæc sen B tentia asserit, solum est, tres primas horas diei non esse cõprehensas sub nomine tertiæ, siue illud prima hora, siue simpliciter primũ matutinum tempus, aut mane diei, siue alio modo appelletur. Rursus potest aptissima ratio reddi horum nominum in prædicta significatione. Tempus enim assignatum v.g. ad eam orationem, quã *tertiam* appellamus, erat hora tertia diei elapsa, seu audita, iuxta communem autem loquendi modum, quod faciendum est statim audita hora tertia, propriissimè dicitur fieri *hora tertia*. Sic enim, qui docet, vel legit á signo horæ tertiæ, vsque ad signum horæ quartæ, propriè dicitur docere hora tertia. Ad hunc ergo modum illa oratio dicebatur fieri hora tertia, & inde C extenso vocabulo totum illud tempus dicebatur tertia hora, donec inchoaret sexta, dequa, & de nona eadem ratio est, proportione seruata. Nec refert, quod illud tempus, quod *nonæ* ascribitur, possit etiã *vesperæ* appellari iuxta vsum scripturæ, & Iudæorum. Quia nomen vesperę non est desumptum à tempore orationis, sed aliũde, vt supra tractauimus. Quanquam etiã dici potest, etiam si dicamus horam nonã incepisse audito signo horæ nonæ, & currente iam decima, non oportere, vt totum tempus reliquum vsque ad finem diei dicatur hora nona. Nam si fortasse antea erat tempus aliquod orationi, vel sacrificio vespertino deputatum, incipiente illo tempore, potest dici finiri tempus nonæ. Iam enim diximus non oportere has voces ad significãdas æquales temporis partes esse extensas: sed vnaquæque significat tempus sũę orationi consecratũ, quod eandem denominationem retinet, donec tempus alterius orationis incipiat, siue illud a quê distet, siue non. Tamdẽ nõ obstat, quòd in scriptura sacra interdum fiat mentio aliarum horarũm. Neque enim negamus, quin Iudæi diuiderent diurnũ tẽpus in duodecim partes, vel horas, quibus ad metiẽdas suas actiones vterentur: quin potius illa nomina *tertiæ, sextæ*, & *nonæ* horæ hanc diuisionem supponunt, & ideò non est mirũ, quòd interdum fiat mentio aliarum horarum, præsertim quando agitur de integra diuisione totius diei, vt in eo loco Ioan. 11. vel quando iuxta occurrentẽ materiã oportet propriũ, ac indiuisibile tempus, quoad fieri possit, indicare. Et hoc modo videtur loquutus Pet. act. 2. cum dixit, *Cum sit hora diei tertia* Ille enim propriissimè de tertia hora diei videtur loquutus. Quia id erat necessarium ad rem, de qua agebat, scilicet, vt ostenderet non esse aptum tempus, in quo discipuli ebrij esse possent. Similiter in illo loco Ioan. 4. Regulus voluit conferre tempus verborum Christi cum tempore, in quo melius filius habuit, & ideo oportuit propriam horam septimam describere. Et idẽ ferè est de alio loco Matt. 20. in quo oportuit declarare, operarios vltimo loco vocatos solũ vna hora diei laborasse. Quod ergo dicimus est, aliam descriptionem per horas ad orationem deputatas fuisse etiã valde vsitatam, vt ex alijs locis scripturæ probauimus, & perse verisimile esse, Euãgelistas vsos esse hoc genere enumerationis: tum quia hoc apparet necessarium ad eorum concordiam: tum quia nõ sine causa, & mysterio solis illis vocibus vsi sunt *tertia, sexta,* & *nona*. Quia enim mors Domini erat res maximè sacra, ac perfectissimũ sacrificiũ, ideò voluerunt illam describere per horas diuinis rebus destinatas, quæ etiam illo tempore, quo ipsi scripserunt, inter Christianos obseruabantur in memoriã passionis Christi, vt in eis speciales orationes, seu horę canonicæ recitarẽtur. Quo circa in re tam lubrica, & difficili hęc expositio videtur omnino probanda, dum alia aptior non occurrerit.

Horarum cõputatio inter Iudęos qualis

Act. 2.
Ioan. 4.

Matth. 20.

Adhuc verò supereſt difficultas ex verbis Lucæ 23. dicentis. *Erat autem hora sexta, & tenebræ factæ sunt super vniuersam terram,* cùm tamen Ioannes dicat hora ferè

sexta

sexta Pilatum sedisse ad iudicãdum, quod necesse est factum esse ante illas tenebras, per horam saltem integram, & Matthæ. ac Marc. dicant tenebras se se effudisse hora sexta. Quæ difficultas facillime posset expediri, si intelligerentur hęc loca de sexta hora diei proprie, & in rigore. Nam (vt alibi supra notauimus) illud *quasi* potest interdum minuere, & interdum addere, & ita in præsenti potest indicare, vel horam nondum inceptam, vel parum antea transactam. Ioannes ergo dixit *hora quasi sexta*, quia nondum erat incepta: Lucas verò quia paulo post transactam, seu auditam sextam horam tenebræ factæ sunt. Alij verò Euangelistę dixerunt simpliciter *hora sexta*, quia quod fit paulo post auditum signum alicuius horæ, in ea hora fieri dicitur, vt paulo antea notauimus. Quia verò dictum à nobis est Euangelistas non numerare horas diei prædicto modo, sed secundum aliam enumerationem supra explicatam, ideò addendum est Ioannem dixisse, *Hora quasi sexta*, quia maior pars totius temporis, quod sub hora tertia comprehendi poterat, transactũ erat: quanquam fortasse integra hora diei deesset vsque ad initium sextæ horæ. Quãdo enim plusquam dimidia pars præcedẽtis horæ transacta est, communiter solemus dicere, quasi adesse sequentem horam. Quod maximè in loquutione Ioannis locum habuit, quia illa hora, cuius initium proximè instabat, erat reuera hora sexta diei, & in fine eius, quando scilicet audiri solet signum vnius cuiusque horæ, incipiebat sexta hora secundum aliam appellationem, quam diximus sumptã esse in ordine ad orationem, seu res sacras.

Iubium. *Luc. 23.*

Quod vero Lucas dixit tenebras factas esse *quasi hora sexta*, dupliciter explicari potest, primo dicendo etiam tenebras inchoatas fuisse paulo ante auditum signũ sextæ horæ. Nam illa particula diminuẽs *quasi*, potest magis, vel minus minuere, & ideò licet tempus, de quo loquitur Lucas, vt minimum distet per horam diei integram à tempore, de quo loquitur Ioannes, nihilominus potuit eodem verbo explicari. Alij vero Euangelistæ dixerunt tenebras factas esse *hora sexta*, quia propè auditum signum eius factæ sunt. Sed hæc Lucæ expositio vnam patitur difficultatem. Quia videtur necessariũ, vt à crucifixione Christi, vsque ad tenebras bonum aliquod temporis spatium intercesserit, vt supra ex Hieronymo super Marcum argumentabamur. Diximus autẽ exponentes locum Marci, Christum crucifixum esse, paulo ante sextam horam, ergo non potuerunt eodem tempore tenebræ fieri. Nam quod Canus dicit, Christum crucifixum esse in initio sextæ horæ diei, & tenebras inchoatas esse in fine eiusdẽ horæ, non videtur posse consistere cum narratione Ioãnis, etiam iuxta ipsius Cani interpretationem. Nam si Pilatus sententiam dixit paulo ante initium sextæ horæ, quomodo potuit Christus crucifigi in initio eiusdem horæ? Non enim potuerunt in dimidia hora naturali fieri omnia, quæ â prolatione sententiæ vsque ad crucifixionẽ facta sunt, vt supra deduximus. Potest ergo aliter exponi Lucas, tenebras cæpisse ingruere aliquanto tempore post sextam horam inchoatam, seu auditũ signum illius, & ideò dixisse, *hora quasi sexta*. Quia non initio illius, sed illa iam decurrente tenebræ factæ sunt. Quod non obstat, quominus alij Euangelistæ dicere potuerint, factas esse *hora sexta*, & hoc modo intercesisse aliquod tẽpus inter crucifixionem, & tenebras, nempe aliqua pars horæ tertiæ in fine eius, & alia, quæ fluxit in principio sextæ. Quod tẽpus satis est, vt in eo potuerint fieri circa Christum crucifixum ea, quę Euangelistæ narrant facta esse ante initium tenebrarum.

Canus.

Hora mortis Christi.

In tertio membro præsentis quęstionis indagandũ iam nũc est, quota hora Christus sit mortuus. Quod facile ex dictis deciditur. Tres enim primi Euangelistæ significant Christum mortuum esse hora nona, & quanuis non declarent expressè, in principio ne, an decursu illius: tamen satis clarè ex eis colligi, ac probari potest in initio, vel paulo post, mortuũ esse. Dicũt enim tenebras durasse vsque ad horã nonam, nimirum inchoatam, siue vsque ad auditum signum horę nonę. Nam licet illud signum reuera sit finis naturalis horæ diei: tamen vocatur initium in ordine ad actiones, secundum communem modũ loquendi, & mensurandi, vt supra notauimus. Deinde dicit Matth. Christum circa horam nonam exclamasse, *Deus meus Deus meus*, &c. & statim subiungit mortẽ eius. Denique ab illo initio horę nonę, vsque ad occasum solis tantum tres horæ decerant: ergo non potuit Christus mori multo

Matth. 27.

Hierony.

multo post, quia ante solis occasum fuit de cruce depositus, ac sepultus: non potuerunt autem omnia, quę facta leguntur à morte vsque ad sepulturam eius multo breuiori tempore, quã trium horarũ fieri, vt facile patebit historiam Euangelicam consideranti. Ex quo tandem colligitur, (quod etiam Iansenius annotauit) Christum aliquantum plus tribus horis viuum in cruce pependisse. Quia (vt diximus) paulo ante sextam crucifixus est, & tota hora sexta, quę (vt dictum est) tres horas diei cõplectebatur viuus permãsit in cruce, ac tandem in initio horæ nonæ (quod erat initium quartæ horæ à crucifixione sua), vel paulo post mortuus est.

Iansen.

QVAESTIO LI:

De sepultura Christi, in quatuor articulos diuisa.

DEinde considerandum est de sepultura Christi. ¶ Et circa hoc quæruntur quatuor.

¶ Primò, Vtrum conueniens fuerit Christum sepeliri. ¶ Secundò, de modo sepulturæ eius. ¶ Tertiò, Vtrum corpus eius fuerit in sepulcro resolutum. ¶ Quarto, de tempore quo iacuit in sepulcro.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum fuerit conueniens Christum sepeliri.

281 Infr.q. 52. ar.4.co.& opus.3. ca. 241.& 242 & op. 60. ca 20. pri. & 1.Co.15 lec.1.c.3.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd non fuerit conueniens Christum sepeliri. De Christo enim dicitur in Psal.87. Factus est sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber. Sed in sepulcro includuntur corpora mortuorum, quod videtur esse cõtrarium libertati. Ergo non videtur fuisse conueniens, quod corpus Christi sepeliretur. ¶ 2. Præterea, Nihil circa Christum fieri debuit, quod non esset salutiferum nobis. Sed in nullo videtur ad salutem hominũ pertinere, quòd Christus fuit sepultus. Ergo non fuit conueniens Christum sepeliri. ¶ 3. Præterea, Inconueniẽs esse videtur, quod Deus qui est super cœlos excelsus, in terra sepeliretur. Sed illud quod conuenit corpori Christi mortuo, attribuitur Deo ratione vnionis. Ergo inconueniens videtur, Christũ fuisse sepultũ. ¶ Sed contra est, quod Dominus dicit Matt.26. de muliere quæ eum inũxerat, Opus bonum operata est in me, & postea subdit: Mittẽs enim hoc vnguẽtũ in corpus meũ, ad sepeliendum me fecit. ¶ Respondeo dicendum, quòd conueniẽs fuit Christum sepeliri. Primò quidem ad cõprobandam veritatẽ mortis: non enim in sepulcro aliquis ponitur, nisi quando iam de veritate mortis constat. Vnde & Marc.15. legitur, quòd Pilatus antequã concederet Christum sepeliri, diligenti inquisitione cognouit eum mortuum esse. Secundò, quia per hoc quod Christus de sepulcro resurrexit, datur spes resurgendi per ipsum, his qui sunt in sepulcro: secundum illud Ioan.5. Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent. Tertiò, ad exẽplum eorum, qui per mortem Christi spiritualiter moriuntur peccatis: qui scilicet abscõduntur à conturbatione hominum. Vnde dicitur Coloss.3. Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Vnde & baptizati, qui per mortem Christi moriuntur peccatis, quasi consepeliuntur Christo per immersionem, secũdum illud Rom.6. Consepulti sumus cum Christo, per baptismum in mortem.

¶ Ad primũ ergo dicendũ, quòd Christus sepultus, se inter mortuos liberum fuisse ostendit, in hoc quòd per inclusionem sepulcri, non potuit impediri, quin ab eo resurgendo exiuerit. ¶ Ad secundum dicendum, quòd sicut mors Christi efficienter operata est nostram salutẽ,

ita etiam,& eius sepultura.Vnde Hie-
glo.or.ibi. *rony.dicit super Matt.Sepultura Chris-*
id habet. *ti resurgimus.Et Isa.53.super illud,Da-*
bit impios pro sepultura,dicit glo. idest,
Gentes,quæ sine pietate erant,Deo,patri
que dabit:quia mortuus & sepultus eos
acquisiuit.¶ Ad tertium dicẽdũ,quòd
sicut dicitur in quodam sermone concilij
Ephesini. Nihil horum,quæ saluant homi-
nes,iniuriam Deo facit: quæ ostendunt
eum non passibilem,sed clementem:Et in
alio sermone eiusdem concilij legitur.Ni-
hil putat iniuriam Deus,quod est occasio
salutis hominibus:tu quidem non ita Vi-
lem Dei naturam arbitraberis, tanquam
quæ aliquando subiecta possit esse iniu-
rijs.

COMMENTARIVS.

LItera huius art.facillima est,& in cor
pore eius posset addi congruẽtia, vo
luisse Christum sepeliri,vt exemplo
suo indicaret curam sepeliendi mortuos
honestam esse,& ad pietatẽ,& misericor-
diam pertinere,quam etiã attigit D.Tho.
ar.2.

D. Tho. In solutione ad. 1. de Christo explicat
Psalm. 87 D.Thom.illud Psal.87.*Factus sum sicut ho-*
Christus se- *mo sine adiutorio inter mortuos liber*. Quod
pultus inter dicit rectè accõmodari corpori Christi,
mortuos li- quod in sepulcro liberum fuit,quia impe
ber. diri non potuit, quin exiret, cùm vellet.
Aug. Quam expositionem indicat Aug. in ex-
positione illius Ps. dicens.*Inter mortuos li-*
ber est,qui carnem suam,tanquam solutum ab eis
templum resuscitare poterat,cum volebat.
Hieron. Hierony. verò ibidem eadem verba de Chris
to interpretans,ad Christi animam ea re-
ferre videtur,dicens.*Inter mortuos liber,quia*
nemo me in inferno vinxit,sed ego vinctorum ca-
tenam propria virtute calcaui. Eodem modo
Ruffin. Ruffinus in expositione symboli Aposto
lorum,*Euidentissime*(inquit)*de eo dicitur,Fa-*
ctus sum,sicut homo sine adiutorio inter mor-
tuos liber.Non dixit,homo,sed sicut homo,quia
etiam descenderat in infernũ: sed inter mortuos
*liber,quia a morte teneri non poterat.*Quæ ta-
men verba tam ad corpus,quam ad animã
Cyprian. accommodari possunt.Eodem fere modo
exponit Cyprian.serm.de passione Chris
ti versus finem.Tota verò hæc expositio

A allegorica est. Ad literam enim Dauid lo-
quitur de seipso; quãdo eum Saul,vel Ab
salon ita affligebant,vt videretur â Deo
derelictus.Vnde Basilius,&Theodoretus *Basil.*
ita interpretantur illa verba. *Inter mortuos* *Theodore.*
liber.Cum nondum mortis seruituti per mortem
factus sim obnoxius,me ipse mortuis cõnumero.
Non est tamen negandum,quin prima ex
positio quãuis mystica,sit maxime ab Spi
ritusancto intenta, imo & Dauid quoque
respexisse ad Christumcredibile est.Mul
ta enim sunt in illo Psalmo,quæ vix pos-
sunt in alium conuenire.

In sol.ad.2.dicit D.Th.sepulturã Chri
sti operatam esse nostram salutem efficiẽ-
ter,quanuis non meritoriè.Sed hoc(vt in
superioribus notaui)non potest proprie
intelligi,sed per quãdam proportionem,
seu accommodationem, quatenus corpus
sepulcro traditum propter homines,est ac
commodatum instrumentum ad excitan-
dos homines à sepulcris.

In sol.ad.3.supponit D.Tho.esse com-
municationem idiomatum inter Deum,
& corpus mortuum illi vnitum,& ea ratio
B ne verum esse dicere,Deum iacuisse in se
pulcro.In quo potest esse nonnulla diffi-
cultas,quia illa communicatio idiomatũ,
supponit veritatem huius propositionis.
Deus est corpus mortuum, vel *hoc corpus est*
Deus.Nam in huiusmodi propositionibus
fundatur:at vero illę loquutiones non ad
mittuntur communiter. Quia ibi corpus
erat per modum partis humanæ naturæ:
communicatio autem idiomatum non est
inter suppositum,& partem naturæ, quia
nomen partis abstracte significat:propter
quod non dicitur Verbum in triduo esse
animam.Dicendum verò est illam loquu-
tionem simpliciter esse admittendã,Deus
est sepultus,vt dictum est supra disput.38 *Simpliciter*
sec.2.Hæc autem loquutio fundari potest *dicitur De⁹*
vel in hoc,quod corpus illud simpliciter *sepultus.*
C erat quoddam totum:vel certe (quod ve-
rius est)quod per synecdochem nomẽ to
tius parti tribuitur,quomodo Petrus dici
tur sepultus,vbi est corpus eius.Et eadem
ratione dicitur Christus sepultus, & quia
Christus est Deus,dicitur etiã Deus sepul
tus.Legatur Richard.in 3.d.21.ar.1.q. 2.
& Bona.d.22.ar.1.quæst.1.

ARTICVLVS SECVNDVS:
V.conuenienti modo Christus fuerit sepultus.

Ad

283 AD secundum sic proceditur. Videtur, non conuenienti modo Christum fuisse sepultum. Sepultura enim eius respondet morti ipsius. Sed Christus fuit passus mortem abiectissimam: secundum illud Sapien. 2. Morte turpissima condemnemus eum: ergo inconueniens videtur fuisse, quòd Christo exhibita fuit honorabilis sepultura: in quantum à magnatibus fuit tumulatus, scilicet à Ioseph ab Arimathia, qui erat nobilis Decurio (vt habetur Mar. 15.) & à Nicodemo, qui erat princeps Iudæorum: vt habetur Ioan. 3. ¶ 2. Præterea, Circa Christum non debuit aliquid fieri, quod esset superfluitatis exemplũ. Videtur autẽ superfluitatis fuisse, quòd ad sepeliendũ Christũ Nicodemus venit ferẽs mixturã myrrhæ & aloes quasi libras centũ (vt dicitur Ioa. 19.) præsertim cũ mulier præuenerit corpus eius vngere in sepulturã, vt dicitur Marc. 14. Non ergo fuit hoc conueniẽter circa Christũ factum. ¶ 3. Præterea, Non est conueniens vt aliquod factũ sibi ipsi sit dissonũ. Sed sepultura Christi fuit simplex ex vna parte: quia scilicet Ioseph inuoluit corpus eius in sindone munda (vt dicitur Mat. 27.) non autẽ auro aut gẽmis, aut serico, vt Hieron. ibidem dicit: ex alia verò parte videtur, fuisse ambitiosa, in quantum cum aromatibus sepelierunt. Ergo uidetur, nõ fuisse conueniens modus sepulturæ Christi. ¶ 4. Præterea, Quæcunque scripta sunt, præcipuè de Christo, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt dicitur Roman. 15. Sed quædam scribuntur in Euangeliis circa sepulcrũ Christi, quæ in nullo videntur ad nostrã doctrinam pertinere: sicut quòd fuit sepultus in horto, quod in monumento alieno, & nouo, & exciso in petra. Inconueniens ergo fuit modus sepulturæ Christi. ¶ Sed contra est, quod dicitur Isa. 11. Et erit sepulcrum eius gloriosum.

Super hæc verò Mat. 27. to. 9. et Beda sup. Mar. c. 44

¶ Respondeo dicendum, quòd modus sepulturæ Christi ostenditur esse cõueniens quantũ ad tria. Primò quidẽ quantũ ad confirmandã fidẽ mortis, & resurrectionis ipsius. Secundò, ad cõmendandã pietatem eorũ, qui eũ sepelierunt. Vnde Aug. dicit in 1. de Ciuita Dei: Laudabiliter commemorantur in Euangelio, qui corpus eius de cruce acceptum diligenter, atque honorificè tegẽdum, sepeliendumque curarunt. Tertiò, quantum ad mysterium, per quod informãtur illi, qui Christo consepeliuntur in mortem.

Li. 1. ca 13 circa med. to. 5.

Ad primum ergo dicendum, quòd circa mortem Christi cõmendantur patientia, & constantia ipsius, qui mortẽ est passus: & tantò magis, quanto mors fuit abiectior. Sed in sepultura honorifica consideratur virtus morientis, qui contra intentionem occidentium etiam mòrtuus honorificè sepelitur: & præfiguratur deuotio fidelium, qui erant Christo mortuo seruituri. ¶ Ad secundũ dicendum, quòd in hoc, quòd Euangelista dicit, Quòd sepelierũt eũ, sicut mos est Iudæis sepelire (sicut Aug. dicit super Ioan.) admonuit in huiusmodi officiis, quæ mortuis exhibentur, morem cuiuslibet gentis esse seruãdum. Erat autem istius gentis consuetudo, vt mortuorũ corpora variis aromatibus condirẽtur, vt diutius seruarẽtur illæsa. Vnde & in tertio de doctrina Christiana dicitur, quòd in omnibus talibus, non vsus rerum, sed libido vtentis in culpa est. Et postea subdit, quod in aliis personis plerunque flagitium est: in diuina vel prophetica persona maximæ cuiusdã rei signũ est. Myrrha enim, et Aloes propter sui amaritudinẽ significant pœnitentiã, per quã aliquis in seipso Christũ conseruat absque corruptione peccati: odor autẽ aromatum significat bonam famã. ¶ Ad tertium dicendũ, quòd myrrha, & aloes adhibebantur corpori Christi, vt immune à corruptione seruaretur, quod videbatur ad quandam necessitatem pertinere. Vnde datur nobis exemplum,

Tract. 120 in Euange. Ioã. a med. to. 9.

lib. 3. c. 12. parũ a principio. to. 3. cod. loco nũc dicto.

quòd licite possumus aliquibus pretiosis vti medicinaliter pro necessitate nostri corporis conseruandi. Sed inuolutio corporis pertinebat ad solam quandam decentiam honestatis: & in talibus, simplicibus debemus esse contenti. Per hoc tamen significabatur (vt Hierony. dicit) quòd ille in sindone munda inuoluit Iesum, qui mente pura eum susceperit. Et hinc, vt Beda dicit super Marc. Ecclesiæ mos obtinuit, vt sacrificium altaris non in serico, neque in panno tincto, sed in lino terreno celebretur: sicut corpus Domini est in sindone munda sepultum.

Superillud Matth. 27. tomo. 9.

Beda in prædictum ver. Mar. ca. 44. secun or. Bedæ, nõ procul a fin.

¶ *Ad quartum dicendum, quòd Christus sepelitur in horto, ad significandum, quòd per mortem & sepulturam ipsius, liberamur à morte, quam incurrimus per peccatum Adæ in horto paradisi commissum. Ideo autem Saluator in aliena ponitur sepultura (vt Augustin. dicit in quodam sermone) quia pro aliorum moriebatur salute: sepulcrum autem mortis est habitaculum. Per hoc etiam considerari potest paupertatis abundantia pro nobis susceptæ: nam qui domum in vita non habuit, post mortem quoque in alieno sepulcro reconditur, & nudus existens à Ioseph cooperitur. In nouo autem ponitur monumento (vt Hieronymus dicit) ne post resurrectionem, cæteris corporibus remanentibus, surrexisse alius fingeretur. Potest autem & nouum sepulcrum, Mariæ virginalem vterum demonstrare. Per hoc etiam datur intelligi, quod per Christi sepulturã omnes innouamur, morte & corruptione destructa.*

Ser. 2. inuigi Paschæ. qui est. 135 in ordine post med. tomo. 10.

Super hoc verbũ Ma 27 tom. 9. & Bed. c. 94. super Lucam,

¶ *In monumento autem excisso in petra conditus est (vt Hierony. dicit) ne si ex multis lapidibus ædificatum fuisset, tumuli fundamentis suffossis ablatus furto diceretur. Vnde & saxum magnum, quod appositum fuit, ostendit quòd non absque auxilio plurimorum sepulcrum potuisset reserari. Si etiam sepultus fuisset in terra, dicere poterant, Suffoderunt terram, & furati sunt eũ: sicut Augustin. dicit. Significatur autẽ mystice per hoc, (vt Hilar. dicit) quòd per Apostolorum doctrinam in pectus duritiæ Gentilis quodã doctrinæ opere excisum Christus infertur, rude scilicet ac nouum, & nullo antea ingressu timori Dei peruiũ. Et quia nihil præter eum oportet in pectora nostra penetrare, lapis ostio aduoluitur. Et sicut Ori. dicit, non fortuito scriptum est, quod Ioseph inuoluit corpus Christi sindone munda, & posuit in monumento nouo, & quod aduoluit lapidem magnum: quia omnia quæ sunt circa corpus Iesu, munda sunt, & noua, & valde magna.*

Super hoc diuer. Mat. 27. to. 9. et Beda super Lucam.

Invig. Paschæ in ser. 2. ame to. 10. Hilar. can. v. t. in Mat. non multũ procul, a fin.

Ho. 35, in Matth. in vlt. fo. ho. tom. 3.

COMMENTARIVS.

LItera est clara, & de reipsa nonnulla dicemus disputatione sequẽti. Solũ est hic annotandus locus ille Ioannis 19. quem D. Thom. attingit in solut. ad. 2. In quo dicitur, Nicodemum adduxisse quasi libras centum confectionis myrrhæ & alões. Quia non solum superfluum (vt D. Thom. argumentatur) verum etiam incredibile apparet, tot libras vnguenti in vnius corporis vnctione fuisse consumptas. Propter quod aliqui existimarunt libram eo loco non significare mensuram ponderis, sed numi: vt sensus sit, ad vngendum Christum adductum esse vnguentũ, quod centum libris fuerat comparatum. Sed hæc expositio non placet, tum quia non quadrat contextui, tum etiam quia non soluit difficultatem. Nam centum libræ argenti etiam videri potest nimia quãtitas pecuniæ. Adde, nomen *libræ* in ea significatione, pro quantitate, & mensura pecuniæ non esse admodum generale, sed in paucis nationibus vsurpari. Vnde neque apud Latinos antiquos fuit in vsu in ea significatione, neque in scriptura sacra reperitur. Dicunt ergo alij illas libras fuisse minoris quantitatis, quàm sint nostræ: & Medina hic asserit fortasse apud Iudæos libram vnciam fuisse. Sed non oportet hoc dicere sine fundamento. Nam licet verum sit non omnem libram easdem vncias habere, tamen certum est quanlibet plurib⁹ vncijs constare, & frequentius cõstitisse duodecim.

Dubiũ circa testimonium Ioan. 19.

Medin.

Dicen

Responsio Nicomedi magnifice Christi corpus aromatibus cõdit ac sepelit.

Dicendum est ergo Nicodemum fuisse virum diuitem, nobilem ac potentem, & (vt Chrysost. ait homil. 84. in Ioan.) voluisse sepelire Iesum, nõ vt reũ, sed magnifice, tanquam magnum aliquem, atque admirandum virum, & ideò magnam copiam myrrhæ, ac aloës attulisse, vt Christi corpus condiretur, siue tota illa quantitas consumpta fuerit in illa vnctione (hoc enim Euangelistę non exprimunt) siue nõ solum corpus, sed etiam locum, ac pauimentum sepulcri eo liquore perfuderit, id enim fieri etiam potuit, quanuis scriptum non sit.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum corpus Christi fuerit in sepulcro incineratum.

84 Infr. q. 53. ar. 1. co. & ad 1. Et. 3. di. 21. q. 1. ar. 2 & q. 2. art. 1. ad 1. & opusc. 3. c 241. & op 60. c. 20. co. 2.

AD tertium sic proceditur. *Videtur, quòd corpus Christi in sepulcro fuerit incineratum. Sicut enim mors est pœna peccati primi parentis, ita etiam & incineratio: dictum est enim primo homini post peccatum. Puluis es, & in puluerem reuerteris:* vt dicitur Genes. 3. *Sed Christus mortem sustinuit, vt nos à morte liberaret. Ergo etiam incinerari debuit corpus eius, vt nos ab incineratione liberaret.*

¶ 2. *Præterea, Corpus Christi fuit eiusdem naturæ cum corporibus nostris. Sed corpora nostra statim post mortẽ resolui incipiunt, & ad putredinem disponũtur: quia exhalante calido naturali, superuenit calor extraneus, qui putrefactionem causat. Ergo videtur, quòd similiter in corpore Christi acciderit.*

Ar 1. hui quæst.

¶ 3. *Præterea, Sicut dictum est, Christus sepeliri voluit, vt daret hominibus spem resurgendi etiam de sepulcris. Ergo etiam incinerationem pati debuit, vt spem resurgendi incineratis post incinerationem daret.*

li. 3. ortho. fid. c. 18.

¶ *Sed contra est, quod in Psalm. 15. dicitur. Non dabis sanctum tuũ videre corruptionem. Quod Damasc. exponit in 3. lib. de Corruptione, quæ est per resolutionem in elementa.*

¶ *Respondeo dicendum, quòd non fuit conueniens corpus Christi putrefieri, vel quocunque modo incinerari: quia putrefactio cuiuscunque corporis prouenit ex infirmitate naturæ illius corporis, quæ non potest amplius corpus continere in vnum. Mors autem Christi (sicut suprà dictum est) non debuit esse ex* 9. præc. ar. 1. ad 2. *naturæ infirmitate, ne crederetur non esse voluntaria: & ideò non ex morbo, sed ex passione illata voluit mori, cui se obtulit sponte. Et ideo Christus, ne mors eius naturæ infirmitati adscriberetur, noluit corpus suum qualitercunque putrefieri, aut qualitercunque resolui: sed ad ostensionem virtutis diuinæ voluit corpus illud incorruptum permanere. Vnde Chrysostomus dicit, quòd vi* Intra. quĩ dicitur, ad uersus gẽtiles demonstratio, quod Christus sit Deus parumante med. to. 5. *uentibus aliis hominibus, his scilicet qui egerunt strenuè, arridet propria gesta: his autem pereuntibus, pereunt. Sed in Christo est totum contrarium: nam ante crucem omnia sunt mœsta & infirma: vt autẽ crucifixus est, omnia clariora sunt facta, vt noscas non purum hominem crucifixum.*

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd Christus cum non esset subiectus peccato, neque mòrti erat obnoxius, neque incinerationi: voluntariè tamen mortem sustinuit propter nostram salutem, secundum rationes supradictas. Si autem corpus eius fuisset putrefactum vel resolutum, magis hoc fuisset in detrimẽtum salutis humanæ: dum non crederetur in eo esse virtus diuina. Vnde ex persona eius in Psal. 29. dicitur, Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in* In cor. ar. & qu. 50. ar. 1. *corruptionem? quasi dicat. Si corpus meum putrescat, perdetur effusi sanguinis vtilitas.*

¶ *Ad secundum dicendum, quòd corpus Christi quantum ad conditionem naturæ passibilis putrefactabile fuit: licet non*

quantum ad meritũ putrefactionis, quod est peccatum. Sed virtus diuina corpus Christi à putrefactione præseruauit, sicut & resuscitauit à morte. ¶ *Ad tertium dicendum, quòd Christus de sepulcro resurrexit virtute diuina, quæ nullis terminis coarctatur. Et ideo hoc, quòd à sepulcro surrexit, sufficiens argumentum fuit, quod homines erant resuscitandi virtute diuina, non solum de sepulcris, sed etiam de quibuscunque cineribus.*

COMMENTARIVS.

Christi corpus in sepulcro non est in cineres solutũ. Psalm. 15 Damas. Aug. Hiero. Basil. Theodore. Act. 2. Act. 3.

REspondet D. Tho. negando Christi corpus in sepulcro in cineres redactum esse. Quæ assertio certa est secundum fidem, quam D. Tho. in argumento, *Sed contra*, probat verbis Psalm. 15. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem* Quæ cum Damasceno lib. 3. de fide cap. 28. de Christo interpretatur, & de corruptione, nõ hominis per mortem, sed humani corporis iam mortui per putrefactionem, & B resolutionem in elementa. Quę est expositio omnium Patrum in illum locũ, Aug. Hieronymi, Basilij, & Theodoreti. Et omnino certum est hunc esse proprium, ac literalem sensum, cùm Petrus Act. 2. ita sit hũc locũ interpretatus. *Propheta* (inquit) *cum esset, & sciret, quia iure iurando iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, prouidẽs loquutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, nec caro eius vidit corruptionem.* Eodem modo exposuit hunc locum Paul. Act. 13. Vbi probat non posse de Dauide intelligi. *Dauid enim* (inquit) *in sua generatione cum administrasset, voluntate Dei dormiuit, & appositus est ad patres suos, & vidit corruptionem: quem vero Deus suscitauit non vidit corruptionem.* Ex C quibus etiam testimonijs euidenter colligitur, sermonem esse de prædicta corruptione corporis iam mortui: tum quia loquens Paulus de Dauid hæc condistinguit, dicens eum & mortuum esse, & vidisse corruptionem: Tum quia loquens de Christo, & supponit eum mortuum esse, cum resurrexisse affirmet, & negat vidisse corruptionem.

Ratio præterea, qua D. Tho. cõfirmat assertionẽ est optima. Sũma eius est. Quia si A cut non decuit Christum corporis morbis, & infirmitatibus subiacere, aut ex ęgritudine mori, ne videretur hæc necessitate potius naturæ, quàm voluntate pati, ita quoque non decuit post mortem pati corruptionem, ne mors eius naturæ infirmitati adscriberetur. Et in solutione ad primum addit rationem aliam. Nam Christus mortem assumpsit propter nostram vtilitatem, corporis autem mortui corruptio non erat nobis necessaria, aut vtilis, quia per illam nec mereri iam poterat, nec satisfacere, quin potius posset esse nobis impedimento, si propter huiusmodi corruptionem corporis, quispiam aut de veritate voluntariæ mortis, resurrectionis ve, aut de virtute diuinitatis illi corpori coniunctæ dubitaret. Atque in hunc modum interpretatur illud Psalm. 29. *Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionẽ?* Psal. 29. idest, si descendero, seu si corpus meum putrefiat, impedietur fructus, & vtilitas sanguinis effusi. Quo sensu interpretantur etiam hęc verba, Augustin. & Hieronym. Et est satis accommodatus sensus, *Aug. Hieron.* quanuis spiritualis magis, quàm literalis videatur. Tertia coniectura, & satis literalis addi potest. Quia cùm corpus Christi paulo post esset suscitandum, non oportuit eum in cinerem redigi. Vt enim Origenes notat libr. 2. contra Celsum, ideò *Origen.* Christus non permisit ossa sua confringi: sed integrum corpus manere voluit, vt significaret cito esse resurrecturum; multo ergo magis permittere non debuit corpus suum putrefieri, aut in cineres solui.

In solutione ad secundũ sentit D. Tho. corpus Christi mortuum, ac suę naturæ relictum naturaliter fuisse corrumpendum, atque adeo diuinæ virtutis fuisse, omnino incorruptum conseruari. Quæ sententia communis est theologorum in 3. d. 21 (vbi præsertim videri possunt Sco- *Scot.* tus, & Gabriel,) & omnino indubitata vi- *Gab.* detur. Quia necessario sequitur ex vera compositione mortalis corporis ex quatuor elementis, atque humoribus. Quocirca sicut in priori tomo. q. 14. ostendimus, Christi corpus mortale, sublata omni potentia diuina, necessitate quadam naturali fuisse subiectũ passionibus corporis: ita dicendum est de corpore iã defuncto quoad vlteriorem corruptionem, ac resolutionem, nisi diuina virtute specialiter cõseruaretur.

Corpus Christi defunctũ sua per naturã obnoxium corruptioni.

Con-

Contra hanc verò doctrinam citari so A
let Henricus quodl. 12. quæst. 12. dicens
Obiectio. Henric. Damasce. corpus illud ex vi solius vnionis non po-
tuisse naturaliter corrumpi, hoc genere
corruptionis. Cui sententiæ fauet Damas-
cen. lib. 3. de fide, capit. 28. dicens corpus
Christi fuisse incorruptibile illo genere
corruptionis. Sed in hoc non potest esse
inter Catholicos controuersia, nisi fortas
se in modo loquendi. Et in primis Damas
cen. seipsum exponit, dicens. *Secundo cor
ruptionis significatu* (scilicet per resolutio-
nem) *incorruptibile, hoc est interitus expers
corpus Domini confitemur, quemadmodum pij
Patres nobis tradiderunt*: solum ergo appel-
lat incorruptibile, quia secundum diuinã
prouidentiam non potuit talem corrup-
tionis modum pati. Quod rectè exposuit
Elias Cre. Elias Cretensis super orationem primam
Nazian. his verbis. *Cum Domini corpus, vt
communem cum omnibus essentiam habens, mor
tale esset, proinde etiam vt alia similia, mortem
obibat: at vero ob verbi in ipsum insensionem,
non iam vt ipsius naturæ consentaneum erat, cor* B
*rumpebatur, verum ob inhabitantem in ipsum
Deum Verbum, a labe, a corruptione integrũ
seruabatur. Atque admirabili modo hæc duo
concurrerunt, nempe vt omnium hominum mors
in dominico corpore impleretur, & itẽ mors, ac
corruptio propter socium Verbum extingueretur.* Quo circa cùm hoc genus prouiden-
tiæ, & præseruationis esset quodammodo
debitũ ratione vnionis, potest dici quodã
modo naturale, non quia sola vnio per se,
ac formaliter sumpta sufficeret ad præser-
uandum illud corpus à corruptione, nec
quia intrinseca dispositio, & qualitas il-
lius corporis natura sua non esset corrup-
tioni abnoxia. Neque enim existimandũ
est corpus illud statim post animæ separa-
tionẽ fuisse aliqua intrinseca qualitate af-
fectum, quæ vim haberet resistendi om-
ni corrumpenti, omnemq; peregrinam al C
terationem impediendi, hoc enim sine vl-
lo fundamento, vel autoritate fingeretur.
Huiusmodi enim dispositionẽ cõsequu-
tum est illud corpus per resurrectionem:
antea verò tale permansit, quale exterius
apparebat, & ideo lancea aperiri potuit,
& potuissent etiam crura eius confringi,
si Deus permitteret, & potuit etiam frige
fieri, ac denique de facto passum est huius
modi alterationes, vsque ad illum gradum,
in quo naturaliter posset conseruari absq;
vlla putrefactione. Neque Henr. loco ci-
tato docet oppositum, imò expressè dicit,
quod illud corpus esset putrefactum cursu
naturali, & miraculosè fuerit præseruatũ.
Addit vero, hoc miraculum sequi ex prio
ri vnione, & ideo fuisse futurum diuina
prouidẽtia ita ordinante, etiam si diu dil-
lata esset resurrectio. Sine causa ergo Sco *Scot.*
tus in 3. distinct. 21. quæst. vnica Henri-
cum reprehendit, & cum eo de modo lo-
quendi potius, quàm de re ipsa contendit.

DISPVTATIO XLI.

In tres sectiones distributa.

*De iis, quæ post mortem circa Christi cor
pus facta sunt.*

IN superioribus disputationibus vsque
ad Christi mortem explanãdam perue-
nimus: reliquum ergo est, antequam de
resurrectione dicamus, vt de partibus se-
paratis, corpore scilicet, & animo, quid vi
delicet in vtraque illo tempore actum sit,
inquiramus. Tria vero potissimum sunt,
quæ ab Euangelistis narrari videntur fac-
ta circa corpus Christi iam defunctũ. Pri-
mõ, quòd latus eius lancea apertũ sit: dein
de quòd depositũ fuerit de cruce, & prepa
ratum ad sepulturã, ac demũ sepultũ. De
his igitur dicendũ est, & obiter adiicien-
dum quoq; quid B. Virgo in hoc myste-
rio passa sit, vt quandam vulgi opinionem
corrigamus, ac refellamus.

SECTIO PRIMA.

*Vtrum Christi corpus in cruce pendens post mor
tem fuerit ita lancea vulneratum, vt ex latere
eius sanguis, & aqua manauerint.*

RAtio dubitandi esse potest. Quia nõ
videtur decuisse, vt Christus post
mortem nouum vulnus acciperet,
quia solum propter peccata nostra vulne-
ratus est, vt eis mederetur: vulnus autem
post mortem susceptum non poterat esse
medicina peccati, cùm neque rationem
meriti, neque satisfactionis habere posset.
Simili enim ratione dicemus inferius ani
mam Christi post separationẽ à corpore
nihil amplius passam esse, & D. Tho. ferè
eodẽ discursu intulit nõ debuisse Christi
corpus in cineres redigi. Et cõfirmatur, nã
sicut decuit Christũ ante mortẽ ab homini
busilludi, et iniuriosè tractari ita etiãdecuit

post mortem honorari, vt eius virtus, & di A
Chryſoſt. uinitas oſtenderetur, vt Chry. etiam notauit in Demonſtratione, quòd Chriſtus ſit Deus. Et hac ratione, ſpeciali Dei prouidentia factum eſt, vt honorifice ſepeliretur, ergo. Propter hanc fortaſſe cauſam, quidam hæretici dixerunt Chriſti corpus ante mortem fuiſſe lancea vulneratũ. Cuius hæreſis autor dicitur fuiſſe Petrus Ioã
Guid. Car. nes, vt refert Guido Carmelita, & ex illo
Caſt. Caſtrus lib. 4. contra hæreſ. verbo Chriſ-
Prateol. tus, hæreſi. 10. & Prateolus lib. 14. elẽchi hæreſum in .20.

Dicendum veró eſt primò corpus Chriſti poſt mortem, antequam de cruce depo
Corpus Chriſti poſt mortem de cruce pendens lancea perforatum neretur, lancea vulneratum eſſe, eiuſque latus apertum. Aſſertio eſt de fide, quam cõ tra prædictã hæreſim definiuit Clemens B
Clemens. 5 Pap. 5. cum concilio Viennenſi, in Clemen. de ſumma Triñi. & fide cath. & probatur ex
Ioan. 19. preſsis verbis Ioannis. 19. *Ad Ieſum autem cum veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, nõ fregerunt eius crura, ſed vnus militum lancea latus eius aperuit.* Quæ verba licet expreſſa ſint: tamen ab illo hæretico ita corrumpebantur, vt per recapitulationem poſtrema verba exponeret, & loco illius præteriti, *Aperuit*, poneret præteritum perfectum, *Aperuerat*, vt facilius poſſet referri ad illud tẽpus, in quo Chriſtus adhuc viuebat Quam falſam interpretationem damnare
Con. Vie. voluit prædictum concilium, cùm dixit. *Nos igitur ad tam præclarum euangeliſtę teſtimonium, & ſanctorum Patrum, ac doctorũ communem ſententiam, Apoſtolicæ conſiderationis (ad quam duntaxat hęc declarare pertinet) faciẽ conuertentes, ſacro approbante concilio declaramus prædictum Apoſtolum, & euangeliſtam Ioãnem rectum in præmiſſis factæ rei ordinẽ tenuiſſe, narrando, quod, Chriſto iam mortuo, vnus militum lancea latus eius aperuit.* Et verba Ioannis ſatis cõuincunt, nam exponere, *aperuit* ideſt, aperuerat, non eſt interpretari, ſed corrumpere ſcripturam. Deinde, aduerſatiua illa, *ſed vnus militum*, &c. planè oſtendit, id factum eſſe ab vno milite, poſtquã alij decreuerant Chriſti crura non frangere, eò, quòd eum iam mortuum inueniſſent. Ratio verò huius facti, ſi ex parte militis
Chryſoſt. percutientis inquiratur: dicere poſſumus
Cyril. cum Chry. homi. 84. in Ioan. & Cyrill. li. 12. c. 39. id feciſſe, vt vel exploraret, an vere Chriſtus mortuus eſſet, vel certe, ſi nõ eſſet, vt eum omnino interficeret, quod facere etiam potuit, vt Iudæis placeret, vel temeritate quadam, ac ferocia militari. Ante vero, quàm mortuus exiſtimaretur, nemo auſus eſſet tale vulnus infligere, tum quia in crucifixorum ſupplicio hoc non continebatur, tum maximè, quia crucifixi permittebantur paulatim mori, nec ſolebat accelerari eorum mors alijs vulneribꝰ inflictis. Et ideò, licet Iudæi cuperent eo die crucifixorum corpora cito de cruce deponere, non ſunt auſi eorũ maturare mortem: ſed à Pilato id petierunt. Si autem ex parte Dei, & Chriſti ratio inquiratur, per miſit ipſe lancea latus ſuum aperiri, primo vt magis teſtata eſſet, ac confirmata eius mors, quis enim dubitaret mortuum, cuius latus poſt tot, ac tanta tormenta lancea apertum conſpiceret? Secundo vt idẽ vulnus teſtimonium poſtea eſſet veræ reſurrectionis, quemadmodum Thomæ fuit. Tertio propter myſteria ſanguinis, & aquę, quæ ſtatim explicabimus. Propter quæ etiã voluit mortuus potius, quàm viuus hoc vulnus ſuſcipere, vt prius intelligeretur conſummata redemptio per mortem, à qua virtus ſacramentorum fluxit, & per quam ianua regni aperta eſt. Quæ omnia in apertione lateris, & in effuſione ſanguinis, & aquę ſignificabantur. Et præterea voluit Chriſtus ante hoc vulnus mori, vt non tam extrinſeca neceſsitate feriẽtis militis, quàm propria voluntate animã tradidiſſe crederetur.

Corpus ſuũ Chriſtus lãcea aperiri cur permiſit.
Ioan.

Quod ſi quis inquirat, quo in latere Chriſtus fuerit percuſſus dextro ne, an ſiniſtro. Nullum firmum, ac certum reſponſum præbere poſſumus, quia neque ſcriptura id explicat, neque apud antiquos Patres aliquid hac de re ſcriptum inuenitur. Solum dicunt omnes in hoc myſterio impletum eſſe, quod in Adamo, & Eua fuerat præfiguratum, quando Eua de latere Adę dormientis formata eſt in figuram Chriſti, de cuius latere dormientis in cruce formanda erat Eccleſia, vt ſignificauit Paul. dicens ad Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnũ eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia,* & notauit Clemens Papa in prædicta Clementina, & Eucherius, Rupertus, & alij in Geneſim. Hierony. ad Epheſ. 5. Aug. tractatu. 9. in Ioan. & lib. 9. Geneſ. ad liter. ca. 19. & Leo Pap. epiſt. 22. & alij quos retuli in priori tomo. q. 1. in commẽ. ar. 3. Quibus adde Tertullian. lib. de anima cap. 43. ſic do

Dubium.
Eua de coſta Adæ dormientis, eius figuraceclęſiæ de latere Chriſti defũcti formatæ.
Gen. 2.
Epheſ. 5.
Clem. Pa.
Eucher.
Rupert.
Hieron.
Aug.
Leo Papa
Tertull.

sic de Adamo loquentem. *Inde deducimur etiam imaginem mortis iam tũc eum recensere, si enim Adam de Christo figurabat, somnus Adę mors erat Christi dormituri in mortem, vt de inuria perinde lateris eius vera mater viuentium figuraretur Ecclesia.* Hinc Ambros. libr. 5. de sacram. cap. 1. sentit in eo latere fuisse Christum vulneratum, ex quo Eua formata fuit. *Quare* (inquit) *de latere? quia vnde culpa, inde gratia: culpa per fœminam, gratia per dominum Iesum Christum.* Et Ruffinus in expositione symboli, *si queris* (inquit) *cur nõ ex alio membro, sed ex latere potius produxisse dicatur aquam, & sanguinem. Videtur mihi in latere per costam mulier indicari, quia fons peccati, & mortis de muliere prima, quæ fuit primi Adam costa, processit: fons redemptionis, ac vitæ de secundi Adam costa producitur,* Coniectant autem viri docti, & eruditi Euam de sinistro latere fuisse formatã, in quod vergit cor humanum: propter summum amorem, qui inter virum, & vxorem esse debet. Eam enim ob causam formata est fœmina ex viro, vt notauit D. Th. 1. p. q. 92. ar. 2. & Aug. 12. de Ciuit. cap. 26. Theodoret. Ruper. & alij in Genesim. Hinc ergo conijcere possumus Christum in latere sinistro fuisse vulneratum, tum vt res figuræ responderet, tum etiam, vt indicaretur summa eius caritas erga sponsam Ecclesiã cuius amore vulneratum erat cor eius iuxta illud. *Vulnerasti cor meum.* Et eodẽ amore vulnerari voluit in ea potissimum parte corporis, qua eius cor hominibus quasi patere posset, intelligerentq; sibi apertũ ostiũ per quod in cor Christi ingredi, illicque possent requiescere. Vnde August. in Manual. c. 23. *Longinus* (inquit) *aperuit mihi latus Christi lancea, & ego intraui, & ibi requiesco securus.* Possumus item literalem rationem adiungere, quia si miles Christũ vulnerauit exploraturus, aut certe perfecturus mortem eius, verisimile est, cor eius voluisse transfigere. Deniq; si diuina prouidentia hoc permisit, vt mors Christi esset magis testata, & euidens: conuenientius etiã fuit, vt in sinistro latere pecutere tur. Video tamen huic probabili coniecturæ obstare frequentem vsum pingendi imagines crucifixi in dextro latere vulnerati: solet autem hæc pictura in Ecclesia habere autoritatem, quoniam indiciũ est antiquæ traditionis, & consensionis Ecclesiæ. Sed non constat hanc consuetudinem esse vel vniuersalem, vel antiquam. Quare non est, quòd nos multum moueat quanquam nihil etiam sit temere affirmandum.

Ambros. Ruffin. Responsio. Christum in sinistro latere lancea vulneratum verisimile est. D. Thom. Aug. Theodore. Rupert. Cant. 4. Aug.

A

B

C

Secundo dicendum est verum sanguinẽ veramque aquam de latere Christi aperto fluxisse. Hæc conclusio est de fide definita ab Innocentio in cap. in quadam, de celebratione missarum, contra quosdam, qui negabant exiuisse veram aquam, sed pituitam, seu phlegmaticum quendam humorem, quem dicebant aquam appellatum, quia in eo aqua prædominatur. Verba autem Ioannis in propria significatione esse intelligenda semper Ecclesia intellexit, & veritas scripturæ hoc requirit: nam in enarratione præsertim historiæ non fuisset Ioannes vsus verbis impropijs, & metaphoricis. Deinde inquiro, cur aquã improprie interpretentur. Respondẽt, quia non poterat naturalis aqua de corpore humano naturaliter exire. Sed in primis non defuerunt catholici, qui hoc negarent. Nã (vt refert Abu. parad. 2. cap. 29. & 30.) quidam dixerunt in corpore humano, cùm primum recedit anima & incipit frigescere, naturaliter generari aquam per resolutionem phlegmatis, & ita potuisse accidere in corpore Christi. Quæ sententia præferenda esset præcedenti: si aliter veritas historiæ euangelicæ consistere non posset sed non indiget euangelica veritas philosophica fictione. Quia nec vera aqua tam cito potuisset generari naturaliter, vbi nõ erat principium à quo generaretur, alioqui fluxisset etiam per foramina clauorum, & ex quocunque corpore humano iam mortuo post aliquas horas posset naturaliter aqua educi, quod repugnat experientiæ. Concedendum est ergo id non potuisse naturaliter fieri, nec tamen propterea negãdum est fuisse veram aquam. Quia etiã non poterat de corpore mortuo naturaliter sanguis effluere, & nihilominus sanguinem proprie interpretamur, quod neque ipsi hæretici negare ausi sunt. Vtrumque ergo miraculose accidisse ad mysterium aliquod significandũ Patres Ecclesiæ docent. Primo vt veritas humanæ naturæ assumptæ illo testimonio probaretur, de quo dixit Ioan. 1. Canon. cap. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis.* Spiritus enim clamore valido emissus, & in paternas manus commendatus, testis fuit, in Christo fuisse veram animam

De latere Christi in cruce erus sanguis aquaque manauit. Innoc. Pa.

1. Ioann. 5

rationalem: sanguis verò, & aqua significarunt corpus Christi fuisse verum humanum corpus compositum ex quatuor humoribus, quorum præcipuus est sanguis, & ex quatuor elementis, quorum vnum est aqua, quæ ad huiusmodi ministerium magis erat accõmodata, quam cætera. Secundo in sanguine, & aqua significatũ est, Ecclesiã pretio sanguinis Christi fundandam, atq; abluendã esse. Vtrumque enim fit per baptismum, qui in aqua confertur, & in sanguine Christi habet efficaciam, iuxta illud Pauli ad Ephes.5. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mũdans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*: & illud Ioan.5. *Hic est, qui venit per aquam, & sanguinem Iesus Christus, non in aqua solum sed in aqua, & sanguine*, id est, nõ in aqua tãtum significatiua, qualis erat in lauacris Iudæorũ, & in baptismo Ioannis: sed in aqua, quæ efficaciã haberet ex sanguine Christi iam effuso. Et propter hãc etiã causam, hæc effusio sanguinis Christi nõ est facta ante mortem, quia tota hęc virtus sanctificandi, & fundandi Ecclesiã ex morte Christi potissimum dimanauit. Vnde Ambr.lib.5.de sacram.cap.1. *Quare aqua? quare sanguis? aqua, vt emundaret, sanguis, vt redimeret*. Et hoc sensu intelligendi sunt Patres, cum dicunt in hoc vulnere lanceæ, fluxuque sanguinis, & aquæ significatam esse Ecclesię formationem ex latere Christi dormientis in cruce. Vt Cyprian.lib.de montibus Sina, & Sion in fine. Percußus (inquit) *in latere lancea, sanguis & aqua mistus profusus fluebat, vnde sibi Ecclesiam sanctam fabricauit*. Vnde vlterius in huiusmodi sanguine, & aqua significata sunt omnia sacramẽta Ecclesiæ, quæ ex Christi morte habent efficaciam. Aqua enim indicat baptismũ, qui est ianua, sanguis verò Eucharistiam, quæ est finis, & consummatio sacramẽtorum, & ideò sub his duobus reliqua comprehenduntur. Et hoc sensu dicũt etiã Patres per hoc mysteriũ indicatum esse, omnia sacramenta de latere Christi manasse, citaui plures in priori tomo disput.39 sect.3. quibus addi possunt Cyprian.serm. de passione Christi in fine dicens. *De latere tuo fons egreditur in vitam æternã profiliens*, & infra: *Ex hoc fonte non tantum ablutionis primæ, qua initiantur accedentes ad Christũ, vndas haurimus, sed & compunctionum, & lacrymarum perennes effluunt riui, misericordiarum suauitas, & totius pietatis*

Cur sanguis, & aqua de latere Christi manauit.

Ephes.5.

1.Ioan.5.

Ambro.

Cyp.

Sanguinis, & aquę de latere Christi manãtis mysticasignificatio.

Cyprian.

A *effectus emanat. Tu Domine sacerdos sancte, qui in tempore iracundiæ factus es reconciliatio, sancti huius sanguinis permanentem plenitudinem reliquisti, & beneficium huius sancti liquoris in perpetuum tradidisti, & constituisti nobis inconsumptibiliter potum viuificum, crucis signum, & mortificationis exemplum.* Et eleganter Tertullian.lib.de baptism.cùm cap.9. dixisset, etiam in passione sua Christum dedisse testimonium baptismo aquæ, *cum vulneratus est, & aqua de latere prorupit*, subdit cap.16. *Est quidem nobis secundum lauacrum, & ipsum sanguinis, de quo Dominus. Habeo* (inquit) *baptismo tingi, cum iam tinctus fuisset, venerat enim per aquam, & sanguinem, sicut Ioannes scripsit, vt aqua tingeretur, sanguine glorificaretur, proinde vt nos faceret aqua vocatos, sanguine electos, hos duos baptismos de vulnere per fossi lateris emisit. Quia qui sanguinem eius crederent, aqua lauarentur: qui aqua lauissent etiam sanguinem potarent*. In quibus verbis tertium etiam mysterium indicat, in aqua scilicet, & sanguine duplex fidelium baptisma, nimirũ sanguinis, seu martyrij, & aquæ, seu sacramenti baptismi significatum esse. Quod mysterium notauit clarius Ruffinus dicta expositione symboli dicens. *Potest etiam intelligi, quod duplicem gratiam baptismi figurauerit, vnam, quæ datur per aquæ baptismum, aliam, quæ per martyrium profussione sanguinis queritur*. Idem mysterium notauit Hieronymus, epistol.83. ad Oceanum dicens. *Latus Christi percutitur lancea, baptismi, atque martyrij pariter sacramenta fundantur.* Vltimum mysterium adiungi potest ex eodem Ruffino eodem loco his verbis. *Hoc quidem mysticum est*, (videlicet effundere sanguinem, & aquam.) *Ipse enim dixerat, quia flumina de ventre eius* C *procedent aquæ viuæ, sed produxit, & sanguinem, quem petierant Iudæi venire super se, & super filios suos. Produxit ergo aquam, quæ credentes diluat: produxit & sanguinem, qui condẽnet incredulos.*

Tertul.

B

Ruffin.

Hieronym.

Ruffin.

Vnum verò potest hoc loco desiderari, scilicet, quomodo sanguis, & aqua fluxerint, an per mista, vel separata. Nam in citato loco Cypriani lib.de Sina, & Sion dicitur effluxisse sanguis aqua mistus. Dicendum verò sine dubio est, exiuisse imper mista, & loco separata: Tum quia hoc significant verba Ioannis. *Fluxit sanguis, & aqua*. Tum etiam quia alias non potuisset aqua à sanguine discerni: & tamen in

Dubium.

Cyprian.

Responsio

prædicto

Sanguis & aqua de latere Christi imper mixta fluxerunt.

Ioann.19.

prædicto modò dicendi significatur distincte potuisse cognosci, & oculis videri. Quod significatum est etiam illis verbis, *& qui vidit, testimonium perhibuit.* Nō enim loquitur Ioannes illis verbis de alia persona à se distincta, vt videntur intellexisse, qui finxerunt eum, qui Christum percussit, fuisse cœcum, appellatumque Longinum: atq; illo liquore, qui de latere Christi exiuit visum recuperasse, atque ita de illo scriptum esse. *Vidit & testimonium perhibuit.* Hoc enim apocryphum est. Neque vllo modo est verisimile militem illum, qui Christum percussit, fuisse cœcum. Qualis enim esse potest cęcus miles? Neq; etiam constat appellatum esse Lōginum, sed potius fertur centurionem eum, qui exclamauit, *vere filius Dei erat iste*, fuisse Lōginum illum, qui postea martyr fuit, vt videre licet apud Lippomanum. tom. 6. & Surium tom. 2. ex Methaphrastre die. 25. Martij, &. 16. octobris. Igitur Ioannes in tertia persona de seipso loquitur, ipse enim vidit, & testimonium perhibuit, & verum scribendo dixit. Non potuisset autem, (nisi aliud miraculum non necessariū fingamus,) videre aquam, & sanguinē exeuntē, nisi discrete effluerent. Vnde Cypriā. serm. de pass. Christi, *De latere* (inquit) *tuo fons egreditur in vitam æternam prosiliens, & de eadem, consubstantialique origine diuisis limitibus aqua, & sanguis emanant, ad complementū, perfectionemque totius iustitiæ.* Duobus autē modis excogitari hoc potest. Primò vt simul tēpore aqua, & sanguis exierint per diuersas tamen partes eiusdem foraminis: & si hoc modo factum est, non potuit fieri sine nouo miraculo, vt non permiscerētur. Secundo intelligi potest, prius totum sanguinem exijsse: deinde verò aquam manasse. Et hic modus videtur facilior, & accommodatus tum ordini narrationis Ioannis, tum etiam mysterio. Prius enim Christus suum sanguinem effudit: multiq; piè meditantur totum sanguinem suum in passione fudisse: & in huius rei signum, ac testimonium, id quod reliquum erat, accepto lanceæ vulnere profudisse. Postea verò effuso sanguine, & quasi pretio soluto manauit aqua, quę virtutem sanctificandi ab illo sanguine habitura erat. Vnde Hieronym. dicta epist. ad Oceanum tractans, simul hunc locum, & illum Ioa 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* inquit, *Quia ab aquis cœperat, finiuit in aquis.* Quod si per aquam fidelem populum significatum esse interpretemur (solent enim in scriptura aquarum nomine populi significari) recte etiam consonat, vt post effusum omnino sanguinem de latere Christi, intelligatur Christianus populus, seu Ecclesiæ corpus de illius latere exiuisse. Denique hæc etiā successio effusionis aquæ post sanguinis effusionē, aptissima esse potuit, vt vtriusque effusio, clarè, ac distinctè discerneretur.

Lippomā. Surius. Metaphra.

Cyp.

Hieron.

A

Ad rationem ergo dubitandi in principio positam, respondetur. Quāuis vulnꝰ lanceæ non fuerit necessarium ad meritū, vel satisfactionem: ad mysterium autem, & veritatis confirmationem fuisse vtilissimum. Addo etiam, quoniam Christus ante hoc vulnus nondum totum suū sanguinem effuderat, atque effusum ostenderat, ideo quodammodo dici posse, nondū fuisse finitum tempus patiēdi in corpore. Illo autem vulnere suscepto finita fuit abiectio passionis, & honor gloriosæ sepulturę paulo post incepit, in quo satis virtus & omnipotentia morientis demonstrata est, vt Chrysost. citato loco, & D. Thom. hic ar. 2. ad. 1. adnotarunt.

B

SECTIO SECVNDA.

Quomodo fuerit corpus Christi de cruce depositum, & ad sepulturam pręparatum: quidue tunc B. Virgo passa fuerit

C

PRimo de depositione corporis Christi domini de cruce Euangelistę nihil aliud dicunt, quàm Iosephum ab Arimathęa virum nobilem, ac decurionē, seu senatorem populi, obtenta à Pilato facultate deposuisse, seu tulisse corpus Domini vt illud sepulturæ traderet. Quomodo autem id factum sit, neque Euangelistæ explicant: neque fere ab expositoribus aliquid additum reperio. Obseruari tamen potest primo dupliciter posse intelligi Christum depositum de cruce. Primo crucem simul cum corpore tollendo, seu euellendo è foramine petræ, in quo posita fuerat, eamque in terra collocando, ac deinde clauis eductis corpus deponendo. Secundò fieri potuit, vt è cruce manēte immota, & in suo loco erecta, corpus deponeretur. Quo autem horum modorum factum sit non

Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioann. 19. Christi corpus de cruce depositū quomodo.

non conſtat: & quidem prior videtur faci A
lior, atque paucioribus indigens inſtru-
mentis: poſteriorem tamen indicat cõmu
nis Eccleſiæ pictura. Et fortaſſe, quãuis Pi
latus dedit facultatem deponendi corpus,
non intelligitur etiam illam dediſſe ad tol
lendam crucem. Solet enim hoc habere
vſus Reipublicæ, vt cùm aliquis publicè
damnatur propter delicta publica, & ſcan
daloſa, vel corpus eius maneat in loco ſup
plicij, vel ſi datur facultas deponendi cor-
pus, ſaltem maneat patibulũ, quaſi in ſig-
num ſupplicij ad aliorum terrorẽ. Hac er-
go ratione fortaſſe accidit, vt corpus de-
poneretur de cruce: non verò crux ipſa è
proprio loco tolleretur. Atq; hæc forſan
occaſio fuit, vt crux eo tẽpore á Chriſtia-
nis non vſurparetur, neque invarias partes
pietatis ergò diuideretur: ſed integra vſ-
que ad tempora Helenæ permaneret, atq; B
ita reperiri poſſet ſubtus terram. Fortaſſe
enim in eodem loco manſit vſque ad euer-
ſionem Ieruſalem, & caſu factum eſt, vt
Ambroſ. ruinis contecta fuerit. Quod ſignificaſſe
videtur Ambroſ. orat. de obitu Theodoſij
dicẽs. *Aperit itaque humum, decutit puluerem,*
tria patibula confuſa reperit, qua ruina contexe
rat, inimicus abſconderat: & infra. *Poterat*
fieri, vt patibula inter ſe ruina confunderet.

Dices, quid obſtare potuit, quin B. Vir
go, vel alij fideles, ſaltẽ clauos reſeruarent,
Obiectio. quos Ioſephus è cruce eduxerat? conſtat
enim non fuiſſe à fidelibus cuſtoditos, nã
ſimul poſtea cum cruce ab Helena inuen
ti ſunt, vt Ambroſ. ſupra refert, & vulga-
ris Eccleſiæ traditio habet. Dicere poteſt
aliquis, clauos non fuiſſe extractos è cru-
ce, ſed ab ipſis fixis manentibus, manus, ac
pedes Chriſti depoſitos, quia fortaſſe ob
temporis breuitatem, ac celeritarem nõ li-
cuit eis in eruendis clauis immorari. Ta-
men hic modus mihi non probatur, ne- C
ceſſe enim fuiſſet foramina manuũ, ac pe-
dum maiora fieri, vt per clauorum capita
extrahi poſſent: non eſt autem credibile
Reſponſio pios homines auſos fuiſſe corpus Chriſti
quanuis mortuum amplius lacerare, atq;
diſrumpere, eò vel maximè, quòd nõ ni-
hil erat periculi, ne dũ Chriſti corpus hoc
modo deponerent, os aliquod manuum,
pedum ve confringerẽt. Vnde communis
ſenſus Eccleſiæ (quem pictura refert) eſt,
Ioſephum adduxiſſe omnia inſtrumenta
neceſſaria ad clauos eruendos, vt Chriſti
corpus poſſet de cruce deponi. Potius er-
go dicerem, eadem lege, qua coactus fuit
Ioſeph corpus tollere, & crucem immotã
relinquere, coactum etiam fuiſſe clauos
quoque in ea infixos tanquam potiſsima
ſupplicij inſignia, inſtrumentaque relin-
quere. Vnde licet ad deponendum corpus
Chriſti illos abſtulerit: fieri tamen potuit,
vt eos iterũ in cruce figeret propter dic-
tam cauſam. Quod ſi hæc ratio non pro-
batur, ego quidem aliam probabilem nõ
reperio, quanquam ſine ſpeciali Dei pro-
uidentia, aut conſilio factum eſſe non du-
bitem.

Illud etiam quæri poteſt, an neceſſe ſit
dicere Ioſephum, & Nicodemũ propriis *Dubium.*
manibus corpus Chriſti domini depoſuiſ-
ſe, quoniam Euangeliſtæ ita loquũtur. *Tu*
lit, depoſuit. Sed iá in ſuperioribus diximus
vim illius verbi hoc non requirere. Dici
tur enim aliquis facere, quod fieri iubet,
quanuis ipſe per ſe non faciat: quomodo
Pilatus interdũ dicitur flagellaſſe Ieſum.
Et cùm alioqui illi eſſent viri nobiles, ve-
riſimile eſt non per ſe ipſos, ſed per alios
Chriſti depoſitionem, ſepulturamque cu- *Reſponſio*
raſſe. Sed licet hoc ita ſit, nihilominus ma- *Chriſti cor*
gis videtur pietati conſentaneum, hos vi- *pus Ioſephi*
ros ſuis manibus depoſuiſſe Chriſtũ. Mo- *& Nicode*
uebãtur enim affectu caritatis, & religio- *mi manib⁹*
nis, neque exiſtimabãt illud eſſe opus ſer- *de cruce*
uile, aut ſua nobilitate indignum: ſed reli- *pie depoſi-*
gioſum potius, ac ſupra ſuum meritum, *tum.*
& dignitatẽ: non tamen oportet eos ſolos
hoc feciſſe: iuuari enim ab aliis potuerũt,
præſertim à Ioanne, & mulieribus, quæ
præſentes aderant. Neque exiſtimandum
eſt piam operam Beatæ Virginis ibi de-
fuiſſe, quæ corpus Chriſti domini ſtatim,
ac de cruce depoſitum eſt, virgineo vene-
rabunda ſuſcepit in gremio.

Tandem inquiri poteſt, qua hora Chriſ- *Dubium.*
ti corpus depoſitum ſit. In quo Euangeliſ-
tæ ſolum dicunt, poſtquàm Chriſtus lan-
cea vulneratus eſt, & iam ſerò factũ eſſet,
acceſsiſſe Ioſephum ad Pilatum, & ab eo
facultatem petijſſe, atq; obtinuiſſe: poſteà
vero illud de cruce depoſuiſſe. Ita ſumi-
tur ex Mar. 15. & Ioan. 19. Vbi ſolum eſt *Marc. 15.*
aduertẽdum depoſitionẽ hanc fuiſſe ante *Ioan. 19.*
ſolis occaſum per horam fortaſſe integrã, *Corpus*
vel fere. Nam ab occaſu ſolis incipiebat *Chriſti de*
Sabbathum Iudæorum, quando non lice- *cruce quan*
bat illis operibus vacare: ideo ſoliciti fue- *do depoſi-*
runt hi Chriſti cultores, vt totum nego- *tum.*
tium ſepulturæ eius ante occaſum abſol-
uerent

uerent, quod vix fieri potuisset, nisi saltem ante vnã horam inciperẽt Christi corpus de cruce deponere. Et hoc significauit Marc. cap. 15. illis verbis. *Cum sero esset factum, quia erat parasceue, quod est antesabbathũ.* Et ideo etiam in principio capi. 16. notat, mulieres transacto sabbatho emisse aromata, &c. Idem indicat Lucas illis verbis, quæ supra exposuimus. *Dies erat parasceues, & sabbathum illucescebat,* & infra, *sabbatho quidem siluerunt secundum mandatum.* Idẽ denique est, quod Ioannes ait capi. 19. *Ibi ergo propter parasceuem Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum.* Ex quibus tandem constat corpus Christi post mortem, duabus ferè horis in cruce pependisse.

Mar. 15. & 16.

Luc. 23: Ioann. 19.

Christicorpus ad sepulturam præparatũ quomodo.

Secundo de modo, quo Christi corpus ad sepulturam præparatum est, & conditũ Matt. Mar. & Luc. solum dicunt Iosephũ ab Arimathæa, postquam deposuit corpus Iesu, inuoluisse illud in sindone munda, solus vero Ioannes addit, Nicodemum adduxisse aromata ad corpus domini vngendum, atque ita vnctum, & ligatum sepulturæ tradidisse. Et de priori quidem parte nihil addendum occurrit ijs, quæ D. Th. art. 2. in solut. ad. 3. dixit, vbi & rationẽ literalẽ illius pij facti reddit: scilicet id fuisse conuenientissimum propter quandam honestatem, & indicat moralem, scilicet illo facto doceri, debere nos huiusmodi rebus simplicibus, ac vilioribus esse contentos. Addit præterea rationem mysticã, nimirum significatum esse, Christum mẽte pura, ac simplici suscipiendum esse. Denique adducit ex Beda in huius mysterij memoriam, statutũ esse ab Ecclesia, vt corpus Domini tantum in panno lineo consecretur, vt habetur ca. Consultò, de cõs. d. 1. & idem notat Hiero. Matt. 27. Innocen. lib. 2. de mysterijs missæ cap. 56. Vbi dicit, corporales pallas significare linteamina, quibus inuolutum fuit corpus Domini: partem autẽ, quę plicata ponitur super calicem, significare sudariũ, quod fuerat super caput eius separatim inuolutum in vnum locum. Idem docet egregie Alcuinus libr. de diuinis officijs, cap. de celebratione missæ, & eius significatione, & Rupertus, Amalarius, Hugo Victorinus, ac ferè alij, qui de sacramentis, & diuinis officijs scribunt.

D. Thom.

Beda. Hieron.

Innocent.

Alcuin. Rupert. Amala. Hug. Vic.

De posteriore autem parte, scilicet vnctione corporis Domini, iam supra diximus de quantitate illius vnguenti: de qua litate vero omnes scriptores dicunt fuisse illa aromata efficacia ad præseruandum cadauera à corruptione, vt diutius conseruari possint. Quorum vsus frequens erat apud Iudæos, vt Euangelista dixit, indicãs voluisse Christum in huiusmodi rebus, quæ ad pietatem spectabant, & quodammodo necessaria esse videbantur, gentis suæ morem seruare, seque communi consuetudini cõformare, vt ex Aug. recte D. Tho. explicuit citato loco ad. 2. & 3.

Christicorpus vnctũ, & aromatibus conditum ante sepulturam.

Vnum verò hinc nascitur dubium, quod ab autoribus prætermittitur, quãuis re vera expositione indigeat. Dicunt enim omnes Iosephum, & Nicodemum vnxisse corpus domini eo animo, vt diutius incorruptum seruaretur. Vnde Chry. hom. 84. in Ioã. eos imperfectæ fidei arguit, dicẽs, *Adhuc de eo tanquam de puro homine opinabantur, & ea ferunt aromata, quæ maxime corpora seruare soleant, quod nihil magnum de Iesu ipsos existimare arguebat: multum tamen amorem præ se ferunt.* Ex qua doctrina nascitur dubium. Nam si hi viri vnxerunt corpus Christi propter præseruationem, ergo oportuit eos sacrum illud corpus exẽterare, & intestina extrahere, vt intus, ac foris illud vngere possent. Patet sequela, tum quia illi vsitato more vnxerunt corpus: hic autem est mos vngendi corpora, quando propter præseruationem vnguntur. Tũ etiam, quia alias inutilis, & inefficax esset vnctio. Nam externa vnctio in superficie corporis non potest impedire, quominus interiora corrumpantur, præsertim cùm illa propter fæces, quæ sunt intra corpus, & propter magnam humiditatem valde subiecta sint corruptioni. Cõsequens autem est absurdissimum. Et sanè propter hanc maximè causam hoc dubiolum prętermittere nolui, ne fortasse aliquis casu in illud incidens, ita de Christi corpore sentire auderet. Est enim reuera impium, & ab omni Ecclesię sensu alienissimum. Repugnat etiam simplici narrationi Euangelistarũ, prout ab vniuersa Ecclesia semper intellecta est. Solum enim inquiunt fuisse vnctũ aromatibus, inuolutum sindone, linteisque ligatum. Item Ecclesia semper intellexit quinque tantum vulnera Christum in suo corpore suscepisse, non ergo exenteratum fuit, quod piæ aures exhorrescunt.

Dubium.

Chrysо.

Responsio.

Ad

Christi corpus aromatibus condi tum cur.

Ad difficultatem ergo dici potest primo, licet ea vnctio fieret propter præseruationem aliquam, non tamen fuisse adeò perfectam, & exactam, sicuti apud nos interdum fieri videmus. Neque enim credibile est cõmunem morem sepeliendi huiusmodi fuisse. Quanuis ergo intenderetur præseruatio, non tamen adeò diuturna: sed qualis per externam vnctionem haberi posset. Deinde, fortasse non improbabiliter dici potest, huiusmodi vnctionẽ non fuisse solitam fieri propter preseruationem: sed honoris ergò, & propter decentiam quandam, ne fœtorem aliquem corpora exhalarent. Sicut etiam solebant Iudæi lauare cadauera, vt ex Actor. 9. colligitur, quę consuetudo etiam in Ecclesia antiqua est, vt colligitur ex Gregor. lib. 3. dialog. cap. 17. & lib. 4. cap. 16. & 27. & tamen illa ablutio non fit propter preseruationem, sed propter decẽtiam, & in beneuolentiæ signum. Ita ergo facile introduci potuit, vt propter easdem causas lotioni adiungeretur vnctio, & ita fortasse factum est in hac vnctione corporis Christi domini. Quod si hoc verum est, facile Iosephus & Nicodemus ab ignorãtia, & infidelitatis nota liberari possunt. Nam licet sapientissimè de Christo sentirent, & proximã illius resurrectionem sperarent, religiosè admodum, ac piè potuerũt corpus eius prædicto animo, atque intentione vngere.

Act. 9.

Gre. Papa

Dubium de B. Virgine.

Tertio, locus hic postulat, vt explicemus, quid B. Virgo tempore huius mysterij passa sit, præsertim quando filiũ mortuum, ac de cruce depositum in vlnis suscepit. Est enim cõmunis vulgi opinio beatam Virginem eo tẽpore passam esse spasmum, ideſt, prænimio dolore sensum amisisse, atque in terrã corruisse. Cui opinioni fauet etiam cõmunis pictura. Nec desunt sancti Patres, & graues scriptores, qui hoc modo de Virgine loquãtur, quãuis non omnes explicent in hoc mysterio potius, quàm in aliis spasmũ ei accidisse. Alij enim hoc affirmant de eo tẽporis articulo, in quo B. Virgo Christo crucem ferenti occurrit. Vnde qui historiam, seu terrę sanctę situm describunt, dicunt in via Caluarię fuisse templum, cuius ruinæ nunc extant, quod *Sancta Maria de Spasmo* diceretur, quia in eo loco B. Virgo occurrit filio portanti crucem, & prædolore quasi exanimis concidit: & sanctus Bonauentura lib. meditat. vitæ Christi, cap. 77. de hac re loquens: *Cernens* (inquit) *eum oneratum ligno tan grãdi, quod primo non viderat, semimortua facta est prę angustia, nec verbum ei dicere potuit*. Alij verò hoc referunt ad illud tempus, in quo B. Virgo conspexit Christum nudum super crucẽ extendi, vt crucifigeretur. Vnde Anselm. dialog. de passione Domini ex persona Virginis sic inquit. *Cum veniſſent ad locum Caluariæ ignominioſiſsimum, nudauerunt Ieſum filium meũ totaliter veſtibus ſuis, & ego exanimis facta ſui.* Alij de toto tempore crucifixionis id affirmare videntur. Vnde in opusculo de lamẽtatione Virginis Marię, quod habetur inter opera Bernardi, sic dicitur. *Iuxta crucẽ Chriſti ſtabat emortua mater, quæ ipſum ex Spiritu ſancto concepit: vox illi non erat, quia dolore attrita iacens pallebat, quaſi mortua viuens viuebat moriens, moriebatur viuens, nec mori poterat, quæ viuens mortua erat*. Et ad eundem modum loquitur Bonauentur. supra c. 79. *Credo, quod vel propter angustiarum multitudinem abſorpta erat, & quaſi inſenſibilis facta, vel ſemimortua facta eſt, nunc quidem multo magis, quam cum obuiauit ei crucem portanti*: & cap. 80. idẽ clarius affirmat accidisse Virgini, quando Christus lancea est vulneratus. *Tunc* (inquit) *mater ſemimortua cecidit inter brachia Magdalenæ*. Et similia reperiẽtur apud alios, qui meditationes vitę Christi scripserunt, quos ex parte supra retuli, disput. 4. sect. 3.

Anſel.

Bernardus

Bon.

Bonau.

Dicendum autem est, cùm sit certum Beatam Virginem toto tẽpore passionis Christi huiusmodi animi, & corporis affectionem passam non esse: certius tamen esse, atque euidentius multò minus in depositione Christi de cruce aliquid huiusmodi ei accidisse. De priori parte huius sententię dixi nonnulla supra, disputat. 4. sect. 3. vbi præter autoritatem Ambrosij, Anselmi, & Bernardi, eam probaui ex verbis illis Ioannis cap. 19. *Stabant autem iuxta crucem Ieſu Maria mater eius, &c.* quæ veritatem hanc mihi conuincere videntur, sicut & ferè omnibus grauioribus expositoribus visum est. Si enim eo tẽpore, quo Christus Dominus maiorem ignominiã, maximosque dolores sustinebat, nimirum dum viuus in cruce penderet, Beata Virgo stabat iuxta crucẽ inter hostes Christi sine vllo timore, & absque animi deiectione, & infirmitate, quo modo credibile est, in aliquo alio passionis tempore sensum,

Responsio

Quid Bea. Virgo Christo patiente atque moriẽte præsenserit.

Ambroſ.

Anſelm.

Bernard.

Ioann. 19.

sum,aut constantiam amisisse? Nã si quid eiusmodi B.Virgo passura fuisset, maxime ex nimio dolore, atque magnitudine tristitiæ:sed tunc maxime doluit, quando filius magis dolebat(erat enim affectu, & animo cum eo crucifixa) filius autem grauissimum dolorem in cruce pendẽs viuus pertulit,ergo tunc maxime debuisset virgo spasmum pati:certum est autem ex verbis Ioannis,tunc nihil huiusmodi passam esse,ergo. Denique ratio vniuersalis est, quia B.Virgo semper habuit perfectũ dominium super omnes actus,affectusque suos,atque ita regebat omnes motus portionis inferioris,vt nihil indecorum,nihil dissonum in ea esse permitteret. Erat autẽ valde indecens,propter inferioris partis tristitiam,ac perturbationem, corporis viribus,& rationis vsu priuari: non igitur admisit in se B.Virgo talem affectum:sed quanuis acerbissimè doleret,ita tamẽ moderabatur affectum suum, diuinum beneplacitum,ac gloriam,fructumque passionis,& hominum salutem considerando, vt posset corpore,& animo constans inter dolores permanere. Quòd si necessarium fuit,etiã diuina virtus,& gratia interceſſit quæ & robur,ac vires corpori adderet, & humores corporis quasi cõtineret,ne præ doloris acerbitate nimium commouerentur. Ex qua ratione colligitur. B. Virginẽ non solum non passam esse spasmum: verum etiam neque aliquid egisse indecorũ, neque aliquid,quod non summam modestiam præ se ferret:sed(vt recte loquitur, Anton. 4.part.theolog,tt.15.cap.41.§.1) *Stabat verecunda modesta,lacrymis plena, doloribus immersa,ita tamen diuinæ voluntati conformis,quod(vt Anselmus ait) si oportuisset,ad implendam secundum rationem voluntatẽ Dei, ipsa filium in cruce posuisset, atque obtulisset. Neque enim minoris fuit obedientiæ,quam Abraham.*

Antonin.

B Virginis constãtia in depositione corporis Christi de cruce quanta.

Et ex ijs tandem euidenter conuincitur posterior pars. Quia quando Christus deponebatur de cruce,iam non sentiebat dolorem,iamque à multis agnoscebatur, atque honorifice tractabatur, quæ omnia multum poterant dolorem Virginis lenire. Deinde resurrectio eius propinquior erat,de cuius fide B.Virgo erat certissima & verisimile est ea spe sæpius animum suũ erexisse,atque vires resumpsisse. Non est ergo in hac parte credendum picturis,quæ ex vulgi opinione introduci potuerunt.

A

B

C

Quia fortasse non valuerunt aliter eximiũ virginis dolorẽ pictura exprimere. Autores verò,(qui in contrarium adducuntur) in primis non sunt admodum antiqui: at antiquiores non solum illo modo non loquuntur:sed etiam contrarium sæpe indicant. Deinde aliqui ex illis libris,qui afferuntur,incerti sunt,præsertim liber ille de lamentatione Virginis inter incerta Bernardi opera ponitur. Dialogus etiam de Passione Anselmo ascriptus mihi est valde suspectus,tum quia stylus non redolet Anselmum,tum etiam quia multa in illo continentur,quæ nec grauitate, nec doctrina Anselmi dignavidẽtur. Vt v.g.quod B. Virgo cęperit clamare,& eiulare,quando Christus lanceæ vulnus accepit. Denique etiam illi Patres non omnes expresse loquuntur, Anselmus enim in vno loco dicit,*Quasi exanimis*,in alio verò, quanuis dicat. *Exanimis facta fuit*,statim verò explicat nõ amisisse sensus officia. Dicit enim accepisse illico Virginem velamẽ capitis, vt Christum tegeret. Itaque verbum illud *exanimis* solum est positum ad explicandã acerbitatem doloris:eademq; fere est Bernardi,& Bonauen. sententia. Nã per exaggerationem quandam loquuti videntur, vt loco etiã supra citato dixi.

SECTIO TERTIA.

V. *expediens fuerit Christum sepeliri.*

RAtio dubitandi esse potest. Nã corpora defunctorum propter alterutrã ex duabus causis solent sepeliri;scilicet aut propter viuos, aut propter ipsum defunctum. Propter viuos quidem,vel ad eorum consolationem. Nam, vt Aug. dixit lib.1.de ciuitate Dei,cap.12. *Sepulturæ mortuorum solatia sunt viuorum,dum eos,quos amabant,prout possunt honorant,atque honeste collocant.* Vel ad vtilitatem corporalem,neque enim ferre possent corpora corruptioni obnoxia. Vel etiam ad spiritualẽ quẽdam fructum, nam sepeliendo corpora mortuorum,fidem resurrectionis se habere testantur,& de futura morte frequẽter admonẽtur. Propter defunctos verò, tum quia eorum honori consulitur, ac famæ, quatenus adhuc manent in memoria hominum:tum etiam, quia hoc modo plura pro eis fiunt suffragia,ac frequẽtius oratur. At verò in Christo domino neutra harum rationum locum habebat, cùm enim

Aug.

Chris

Christi corpus,& propter vnionē ad Verbum corrumpi non posset, & paulo post suscitandum esset,propter se non indigebat sepultura,quia neque indigebat hominum suffragijs,aut orationibus, neque ab eis honorem quærebat, maiorque fuisset is,si eorum discipuli præsens corpus semper haberent,ac venerarentur: & hoc etiā in maius ipsorum hominum commodum redundaret. Fuisset enim præclarior Christi confessio,ac protestatio, maiorisq; caritatis opus,atque indicium, igitur conuenientius fuisset corpus Christi sepulturæ non tradere. Et confirmatur, quia si tradendum fuit sepulturæ, debuisset saltem in loco sacro sepeliri,& sacris potius cæremonijs,ac ornatu, nimirum cum psalmorum & hymnorum cantu, &c. quam humano,ac solum exteriori cultu.

Dicendum verò est primò, valde conueniens fuisse Christi corpus tradi sepulturæ. Hæc assertio intelligi potest, vel ex parte ipsius Christi, considerando illud opus quasi passiuè in ipso corpore. Et hoc sensu conclusio absolute est de fide, quę satis probatur ex re ipsa. Quia ita factum est non sine magna Dei prouidentia, atq; consilio. Quidquid enim Christus vel viuens,vel mortuus passus est, vt sic, ex diuina ordinatione fuit: fuit ergo conueniēs absolute,& simpliciter: siue hæc conuenientia sumenda sit respectu ipsius Christi,siue respectu nostri, hoc enim posterius in præsenti verius est. Christi enim corpus propter se non admodum egebat sepultura, (vt recte probat difficultas in principio tacta,) quanuis etiam fuerit decens eum post tam insignem mortem ab hominibus honorari,reuerenterque tractari. Respectu ergo hominum sumēda est præcipua conuenientia huius mysterij: vt notarunt Cyrill. Aug. & alij super Ioannem. Ac propterea Greg. Nazian. oratione 1. sicut dixit, *Mors aduersus mortē, & resurrectio propter resurrectionem*, ita etiam adiunxit, *Sepultura aduersus illam in terram reuersionem*. Circa quę verba, sic inquit Elias. *Quoniam post transgressionem, istud Adamus audiuit, terra es, & in terrā reuerteris: idcirco sepultura Christus afficitur, atque in monumento collocatur, vt Adamū hac condemnatione liberet. Ita Domini sepultura nostram in terram reuersionē delet.* Quod,(vt supra dixi) non est intelligendum, ac si Christus per sepulturam nobis de nouo quicquam meruerit: sed quia ex vi precedentis meriti,& quia voluntarie passioni se, & sepulturæ prę uisæ obtulit,illud corpus fuit potens ad liberanda nostra corpora ab illa maledictione,quā in Adamo incurrerant. Addit prętera D. Thom. conuenientem fuisse Christi sepulturam ad nostram fidē de Christi morte,& resurrectione confirmandam. Nam in primis quia sepeliri nō solent,præsertim a veris,& fidelibus amicis nisi corpora verè mortua, neq; verè resurgunt,nisi quę veram mortē subierunt: ideo sepultura magnum fuit testimonium verę mortis,& resurrectionis. Ac deinde ipsum quoque sepulcrum, & lapis ille superpositus perpetuum est monumentū,cū vsque in hodiernum diem testis sit mortis,& resurrectionis Christi. Vnde elegāter Petr. Chrysolog. serm. 74. tractans illa verba. *Angelus Domini descendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem* (inquit) *Non dixit, volvit sed reuoluit lapidem, qui aduolutus probauit mortem, & reuolutus extulit resurrectionis assertor. Beatus lapis, qui Christum reuelare meruit, & velare. Beatus, qui non minus corda aperit, quam sepulcrum. Beatus, qui dat resurrectioni fidem, fideique resurrectionem. Mutatur hic ordo rerum, mortem, nō mortuum deuorat hoc sepulcrum, &c.* & similia multa habet serm. 75. Hieronymus etiam epist. 27. (quæ est Epithaphium Paulæ) sic de illa loquitur. *Ingressa sepulcrum, resurrectionis oscula labatur lapidem quem ab ostio monumenti amouerat Angelus, & ipsum corporis locum in quo Dominus iacuerat, quasi sitiens desideratas aquas fideli ore lambebat.* Denique etiam dicitur Christus sepultus, vt mystice significaretur, nos esse cum illo spiritualiter sepeliendos, iuxta illud ad Rom. 6. *Consepulti enim estis per baptismum in mortem.* Vnde Aug. in Enchirid. cap. 53. *Quidquid* (inquit) *gestum est in cruce Christi, in sepultura, & in resurrectione, & ascensione, ita gestum est, vt iis rebus non mystice tantum dictis, sed etiam gestis configuraretur vita Christiana, quæ hic geritur.*

Secundo intelligi potest conclusio posita de sepultura Christi ex parte discipulorū, seu vt erat actio sepelientiū ipsum. Et hoc etiam sensu est de fide certa, nimirum opus illud sepeliendi Christum fuisse honestum, ac pium. Hoc patet primò ex modo, quo Euangelistæ narrant hoc factum. Ideò enim præmittunt Iosephum, & Nicodemū fuisse discipulos Christi,& Marcus de Iosepho addit. *Quia & ipse erat expectans*

A

B

C

Christi corpus sepeliri decentissimum.

Cyr. Aug. Gre. Naz.

Elias. Cre.

Pet. Chry. Hieron.

Rom. 6. Aug.

Matt. 15. Luc. 23.

Luc.23. pectans regnum Dei: & fusius Lucas, *Erat* (inquit). *vir bonus, & iustus, hic non consenserat cōsilio, & actibus eorum, quia expectabat, & ipse regnum Dei.* Et de Nicodemo notat Ioannes, fuisse illum, *qui venerat ad Iesum nocte primum*, vt ipse narrauerat capit. 3. vt significaret, illum fuisse pium virum, quique iam in Christum crediderat. Nō autem ob aliam causam horum virtutes adnotarunt Euangelistę, nisi vt eorum factum studiosum, magnæq; fidei, & caritatis fuisse indicarent. Secundo constat cōclusio ex vniuersali cōsensu totius Ecclesiæ, & traditione omnium Patrum, tam exponentiū Euangelia, quām mysteria vitæ, & mortis Christi tractantiū. Quin etiā addunt, reliquos Christi discipulos, qui ibi aderant, ipsamq; Deiparā funeri Christi piā operā dedisse. Addit etiā Simeō Metaphr. vitā Virginis describēs, die 15. Augusti, Ioseph hū adhuc occultū discipulū, & timore detētū, Virginis hortatu fuisse excitatū, atq; animatū, ad Christi corpus pertēdūet sepeliēdū. Tertio, sepelire mortuos perse bonum est, atq; honestū, ergo multo magis honestum fuit sepelire corpus Christi. Antecedens de fide certum est, vt patet ex vsu scripturę. Abraham enim, & alij iusti semper habuerūt curam sepeliendi defunctos, & Iacob, atque Ioseph præceperunt corpora sua sepeliri in terra promissionis, in qua Christus morituros, ac sepeliendus erat: non præcepissent autē nisi rem honestam. Et 2. Reg. 2. Dauid laudat eos, qui sepelierāt corpus Saul, dicens. *Benedicti vos a Domino, qui feciſtis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, & sepeliſtis eum.* Deniq; Tobias inter alia plurimum laudatur, propter curam, quam habuit sepeliendi mortuos. Idem confirmat Catholicę Ecclesię perpetua consuetudo. Dequa videri potest Dionysius, ca. 7. de Eccles. Hierar. Greg. Nazian. orat 4. quæ est 2. in Iulianum, Chrysostom. hom. 4. super Epist. ad Hebrę. & Aug. lib. de cura pro mort. agen. & lib. 1. de Ciuit. ca. 12. & 13. Vbi licet dicat vnumquemq; fideliū non debere multum esse solicitum, quid post mortem circa corpus suum agendum sit: addit tamen, viuentes debere piam operam adhibere circa corpora mortuorū præsertim fidelium, vt ea sepelienda curent. Ratio verò est. Quia (vt dicebam) hoc opus & ad bonam hominum gubernationem est necessarium, & ad quoddā

Metabras. Curam pro defunctis gerere honestissimū. Gene. 49. & 50. 2. Reg. 2. Tob. 1. & 12. Dionys. Gre. Naz. Chrysost. Aug.

A viuorum solatium, & ad aliquam vtilitatē ipsius defuncti, cuius etiam honori, & decentię hac in re consulitur. Est igitur hoc opus laudabile, & perse honestum. Prima vero consequentia patet, quia hoc obsequium magis erat Christo debitū, quām cuiuis alteri. Vnde Aug. & alij Patres notant voluisse Christum sepeliri, vt suo exemplo hoc pietatis opus probaret. Qui etiam Matt. 26. in defensionem Magdalenæ dixit. *Opus bonū operata est in me. Mittens enim vnguentum hoc ad sepeliendū me fecit.* Quo circa licet Christus propter se quodāmodo minus hoc obsequio indigeret: tamen etiam pertinuit ad decentiam quādam, & honorem illi debitū. Neq; propter spem resurrectionis proximè futuræ prætermittendum fuit. Nam (vt omittam eos, qui Christi sepulturam curabant, excepta Virgine, valde imperfectos fuisse in hac fide, & spe resurrectionis) ad maiorem eiusdem resurrectionis fidem poterat sepultura Christi pertinere, non solum propter ea, quæ supra diximus: sed etiam, quia maioris fidei esse poterat credere, si B ne vlla difficultate posse Christum suum corpus è sepulcro quantumuis clauso, & grandi lapide obserato viuum educere. Ac denique magnæ fuit prudentię, cùm aliunde nihil aliud de diuina voluntate constaret, Christi corpus humano more religiosè, ac honestè curare.

Aug. Matth. 26.

Vnde dicendum est secundo, etiam modum funeris, ac sepulturę Christi, pro loci, & temporis oportunitate fuisse conuenientissimum. Hęc conclusio eodē ferè modo explicanda, et probanda est, ac precedens. Nam si consideretur modus huius funeris ex parte hominum, prudētissimè egerunt, primo seruando consuetudinem gentis suę, eamq; existimationi, quā de sanctitate, ad dignitate Christi habebant, accōmodando. Et ideo rectè etiā C egerunt, illum vngēdo, honesteque ad sepulcrum deferendo. Deinde, quia tempus tale erat, vt moras non pateretur, merito etiā in loco vicino, & cū eo ornatu, comitatuq;, quē breui habere potuerūt, eū sepelierunt. Sed & illud quoq; prudentiæ fuit, & maximę etiam fidei esse potuit, in monumēto scilicet nouo, in quo nullus alius positus antea fuisset, eū recōdere. Tū quia nouo homini nouū monumētū debebatur, nec decebat diuinum corpus cum aliis cadaueribus sepeliri. Tum etiā quia

Fun° Christi conuenientissimū.

ad fidem resurrectionis eius hoc expedire potuit, (vt Hieronym. & alij notarunt) ne illius resurrectio alteri posset attribui. Denique etiã fuit opus liberalitatis, quòd Ioseph monumentum, quod sibi parauerat (vt ex Matth. colligitur) Christo tribueret. Si autẽ hoc opus ex parte Dei cõsideretur, egregiè ostendit diuinã sapientiã, & prouidentiã. Ita enim res omnes disposuit, vt & more consueto, & pro loci, & tẽporis oportunitate cõuenienti, sepeliretur Christus, & tamẽ plura mysteria in eo modo funeris, & sepulcri continerentur, ac denique omnes circunstantias haberet, quæ ad perpetuitatem illius sepulcri, & vtilitatem eius significandam, veritatemque resurrectionis Christi contestandam, erant necessariæ. Vt meritò impleta tunc censeatur esse prophetia Isaiæ dicentis. *Et erit sepulcrum eius gloriosum.* Quæ omnia, quoniã B à D. Thom. supra copiosè explicantur, latius persequi necesse non est.

Matth. 27

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Christus fuerit in sepulcro solũ vna die, & duabus noctibus.

285 Infr. q. 52. ar. 4. co. & q. 53. ar. 2. co. & opu. 3. c. 243 et op. 60. ca. 20. co. 2. fi. & 1. co. 15 l. 1. co. 2.

AD quartum sic proceditur. *Videtur, quòd Christus non fuerit in sepulcro solùm vna die, & duabus noctibus. Dicit enim ipse Matt. 12. sicut fuit Ionas in ventre Ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita Filius hominis erit in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Sed in corde terræ fuit in sepulcro existens. Non igitur fuit in sepulcro solũ vna die & duabus noctibus.* ¶ 2. *Præterea, Greg.* hom. 21 in Euan. decli nãdo ad fi. *dicit in hom. Paschali, quòd sicut Samson* C *abstulit media nocte portas Gazæ, ita Christus medianocte auferẽs portas inferni, resurrexit. Sed postquã resurrexit, nõ fuit in sepulcro. Ergo non fuit in sepulcro duabus noctibus integris.* ¶ 3. *Præterea, Per mortẽ Christi lux præualuit tenebris. Sed nox ad tenebras pertinet, dies autem ad lucẽ. Ergo conuenientius fuit, quòd corpus Christi fuerit in sepulcro duobus die* lib. 4. ca 6 post mediũ to. 3. *bus & vna nocte, quã econuerso.* ¶ *Sed contra est, quòd sicut Aug. dicit in 4. de Trin. à vespere sepulturæ, vsq; ad diluculũ resurrectionis, triginta sex horæ sunt, ideſt, nox tota cum die tota, & nocte tota.* A

¶ *Respondeo dicendũ, quòd ipsum tẽpus, quo Christus in sepulcro mansit, effectũ mortis eius repræsentat. Dictum est autẽ supra, quòd per mortem Christi liberati sumus à duplici morte, scilicet a morte animæ, & a morte corporis, & hoc significatur per duas noctes, quibus Christus in sepulcro permãsit. Morsautẽ eius, quia nõ fuit ex peccato proueniẽs, sed ex caritate susceptа, non habuit rationẽ noctis, sed diei, & ideo significatur per diem integrũ, quo Christus fuit in sepulcro. Et sic conueniens fuit, quod Christus vna die & duabus noctibus esset in sepulcro.* ar. 6. q. præcedenti.

¶ *Ad primũ ergo dicendũ, quòd sicut Augus. dicit in lib. de consensu Euangelistarũ. Quidã, modũ loquutionis Scripturæ nescientes, noctẽ voluerunt annumerare tres illas horas, a sexta vsque ad nonã, quibus sol obscuratus est, & diẽ, tres horas alias, quibus iterũ terris est redditus ideſt, a nona vsque ad eius Occasum. Sequitur enim nox futuri sabbathi, qua cũ suo die cõputata, erunt iam duæ noctes & duo dies. Porrò autem post sabbathũ sequitur nox primi sabbathi, ideſt, illucescentis diei Dominici, in qua tũc Dñs resurrexit, & ita adhuc nõ constabit ratio triũ dierũ, & triũ noctiũ. Restat ergo, vt hoc inueniatur, illo Scripturarũ vsitato loquendi modo, quo a parte totũ intelligitur, ita scilicet, quòd vnam noctem, & vnam diem accipiamus, pro vno die naturali. Et sic primus dies cõputatur ab extrema parte sui, qua Christus in sexta feria est mortuus, & sepultus: secũdus autẽ dies est integer cum 24. horis nocturnis & diurnis: nox autem sequens pertinet ad tertium diem. Sicut enim primi dies, propter futurum hominis lapsum, à luce in noctem: ita isti, propter hominis reparationem, à tenebris computantur in lucem.* li. 3. c. 24. in me. to. 4 ¶ *Ad secundum dicendum, quòd sicut*

lib.4.ca.5. 10.3. *Sicut Aug. dicit in 4. de Trinit. Christus in diluculo resurrexit, in quo aliquid lucis apparet, & adhuc tamen aliquid remanet tenebrarũ noctis. Vnde de mulieribus dicitur, Ioan.20. quòd cum adhuc essent tenebræ, venerunt ad monumentum. Ratione ergo harum tenebrarum* hom.21 in Euang. non rempie a fine. *Greg. dicit Christum media nocte surrexisse: non quidem diuisa nocte in duas partes æquales sed infra ipsam noctem. Illud enim diluculum, & pars noctis, & pars diei dici potest propter conuenientiam, quam cum vtroque habet.*

¶ *Ad tertium dicendum, quòd in tantũ lux in morte Christi prævaluit (quæ significatur per vnam diem) quòd tenebras duarum noctium, ideſt, duplicis mortis nostræ, remouit, vt dictum est.*

COMMENTARIVS.

DE tempore, quo Christus iacuit in sepulcro, duo sunt certa. Primum est, Christum esse sepultũ in occasu solis, vel prope illum, vt satis constat ex dictis supra de hora, qua Christus fuit de cruce depositus. Alterũ est, corpus Christi mortuum iacuisse in sepulcro toto eo tempore, quod vsque ad resurrectionem interlapsum est. Hoc enim perse notũ videtur suppositavera morte illius corporis, & iis, quæ ab Euangelistis de eius sepultura narrantur, á quibus quoque, ideſt, satis expressum. Hanc enim vim habet illud verbum angeli Matth.28. *Non est hic: surrexit enim.* Per resurrectionem ergo desiit esse ibi, & vsque ad resurrectionem mansit ibidem. Idem cõfirmat, quod infra refert Matth. de mendacio â Iudæis conficto, Christi corpus sublatum esse è sepulcro: cùm tamen inde non exierit ab alio sublatum: sed sua virtute iam viuum, ac glorioſum. Ex his ergo duobus, quæ certa sunt, colligitur, quæstionem hanc de tẽporis duratione, quo corpus Christi in sepulcro permansit, pendere ex alia, scilicet quo die, & quota hora resurrexerit, quam postea suo proprio loco tractabo, & ideo in expositione huius articuli nihil est, quod amplius immoremur.

Matt.28.

Solum circa rationem, qua D. Tho. probat in art. fuisse conueniens Christũ iacere in sepulcro vno die integro artificiali, & duabus noctibus, ad significandum, ipsum morte sua, quę per lucem diei significatur, destruxisse duas mortes nostras, animæ scilicet, & corporis, quæ in duabus noctibus indicantur, aduertendum in primis est, illam rationem esse mysticam: literalis verò est. Quia illud tẽpus fuit cõueniens ad demonstrãdam veritatem mortis Christi, vt inferius latius tractabimus. Deinde sciendum est, illam rationẽ sumptam esse ex Aug. lib.4. de Trinit. cap.3. & lib.65.qq. quæst.26. & serm.181. de tempore, quem imitati sunt Beda, & Anselm. Matth.12. & Alcuinus lib. de diuinis off. ap. de feria sexta.

Circa argumenta. De primo infra ex professo disputandum est. Tertium est facile. Circa secundum in quo D. Tho. citat Greg. hom.21. in Euangelia, explicantem de Christi resurrectione figuram Samsonis Iud.16. & dicentẽ Christũ media nocte surrexisse, obseruandũ est, Greg. applicando figurã Samsonis, qui media nocte exiit è ciuitate, & portas eius tulit, nõ dicere Christum media nocte surrexisse, sed ante lucẽ, indicans non oportere veritatẽ in omnibus circunstantiis exacte respondere figuræ, sicut ad hoc propositum notauit Bonauent. in 3.d.22.q.3.ad 1. Et ita est facilior expositio Gregorij. Quanquã ea etiam, quam adhibet D. Tom. vtilis esse possit, propter alios Patres, qui asserunt Christum media nocte surrexisse, vt infra videbimus.

QVAESTIO LII.

De descensu Christi ad inferos, in octo articulos diuisa.

DEinde considerandum est de descensu Christi ad inferos. ¶ *Et circa hoc quærũtur octo.* ¶ *Primò, vtrùm fuerit conueniens Christum ad inferos descendere.* ¶ *Secundò, in quem infernum descenderit.* ¶ *Tertiò, vtrùm totus fuerit in inferno.* ¶ *Quartò, vtrùm aliquam moram ibi traxerit.* ¶ *Quintò, vtrùm sanctos*

Patres ab inferno liberauerit. ¶ *Sexto, Vtrum dãnatos ab inferno liberauerit.* ¶ *Septimo, Vtrum liberauerit pueros in peccato originali defunctos.* ¶ *Octauo Vtrũ liberauerit homines de purgatorio.*

DISPVTATIO. XLII.

In duas sectiones distributa.

De loco, ac statu animarum sanctarum ante Christi mortem.

HÆc disputatio necessãria mihi visa est ad intelligenda ea, quę de loco, in quo beata Christi anima in triduo fuit: & de ijs, quæ in eo operata est, adijcienda sunt postea. In qua supponendũ est, sicut post mortẽ Christi, ita & ante illã, quatuor fuisse animarũ separatarũ ordines, seu status. Quędã, quę in statu peccati mortalis è corporibus emigrarunt, quædam, quæ in solo originali: quædã verò in statu iustitiæ, cum aliqua tamen veniali culpa, aut reatu pœnę: aliæ rursum iustę, & omnino purę, ac mũdę. siue ita è corporib⁹ egressę sint, siue post egressum fuerint purgatæ, plenèque mũdatæ. De tribus prioribus generibus non habemus quæstionem, quia in omnibus illis eadẽ est ratio de statu, & loco animarũ ante, & post Christi mortem. Nã quæ è vita in primo statu decessissent, perpetuo detrudebãtur in Tartarum: quę verò in secundo, perpetuó quoque excludebantur â regno beatitudinis, & in proprio ipsis destinato loco (qui *Limbus puerorũ* dicitur) recipiebãtur, vbi vsque ad hodiernum diem manẽt, manebuntque vel perpetuo, vel vsque ad iudicij diem. Quas verò tertio loco annumeravimus, in eo cũ purgatorij deferebantur. Poterant autem inde exire ante Christi mortem, quia poterãt antea plenè purgari. Hoc enim non pendebat ex exequutione mortis, seu reali satisfactione Christi pro genere humano: sed ex commensuratione, ac proportione pœnæ purgatorij ad reatum ex peccatis dimissis derelictum, vt latiùs in materia de purgatorio dicendum est. Igitur sermo præsens de quarto ordine animarum instituendus est. Supponimus autem vlterius ex materia de beatitudine, sanctas animas plenè mundas, & purgatas statim ad beatitudinem euolare post Christi mortem. Inuestigandum igitur est, an idem fieret ante Christi mortẽ, vel quò reciperentur illæ animæ, quemue statum haberent.

SECTIO PRIMA.

V. animæ sanctæ ante Christi mortẽ fuerint gloriosæ.

RAtio dubitãdi in primis oriri potest ex verbis Sapientis Ecclesiastici 11. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique secundum vias suas*: retributio ergo diuina semper vnicuique data est in die obitus, iuxta ejus meritum: sed retributio propria harum animarum est beatitudo. Secundo adiungi potest illud Luc. 16. vbi Lazarus cõsolari dicitur, dives autẽ cruciari, sicut ergo dives receperat pœnam vltimam, ita & Lazarus vltimum prę mium. Vnde Augustin. epist. 96. ad Euodiũ propter hoc testimonium fateri videtur animas sanctas ante Christi aduentum diuinitatem vidisse. Et eodem modo intellexit illum locum Iustin. martyr, quæst. 60. ad Gentes, quanuis ipse historiam illam non admittat. Tertio ex Paulo ad Hebręos. 11. vbi de antiquis Sãctis dicit. *Per fidem viceruntregna, adepti sunt repromissiones*. Quod de repromissione vitæ æternæ intelligit Anselmus ibidem. Obiicit tamẽ quia in fine eiusdem capitis dicit Apostolus. *Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissiones*. Sed respondet priora verba esse intelligenda de beatitudine animæ: posteriora verò de corporũ resurrectione. Quarto vti possumus ratione, quia ad diuinam iustitiam spectat vnicuique reddere præmium, atque illud nõ differre, quando anima est iusta, & nihil in se habet, quod beatitudini repugnet. Dicetur fortasse fuisse impedimentũ ex parte totius naturę humanę, quia nõdũ Christus pretiũ meriti, & satisfactionis suæ pro illa soluerat. Sed quãuis hęc ratio sit sufficiens, ne tota natura humana ad beatitudinẽ admitteretur ante Christi passionem: non tamen, vt singulæ personæ ab ingressu beatitudinis retardarentur: alioqui nec remissio peccati, nec gratia danda fuisset alicui hominum ante Christi passionem, quia etiam respectu horum effectuum nondum erat pretium solutum. Et similiter neque Angelis sanctis danda esset gloria ante Christi mortem, quia etiam

Eccles. 11. Luc. 16. Aug. Iust. Mart. Hebr. 11. Anselm.

etiam ipsi per Christũ illam obtinuerunt. A

Nihilominus certa fide tenendum est ante Christi mortem, nullam animam quantumuis sanctam, & puram, essentialem beatitudinem accepisse. Ita docent Theologi in 3.d.18. & in 4. d. 2. Diuus Thom. ibi, & supra quæst.49.art.5. & in hac etiam q.art.5. Alex. Alen.3. p. q. 18. mem.4. Scotus in 4. d.2. q.2. & reliqui: qui hoc sensu tradunt Christũ morte sua aperuisse hominibus ianuam regni. Quod potius de essentiali beatitudine, quàm de corporeo loco cœli Empyrei intelligendum, esse tradit etiam Innocent. in capit. Maiores, de baptismo.

Nulla anima ante Christimortem essentialem beatitudinem accepit.
D. Thom.
Alens.
Sco.
Innocen.

Et probatur primo ex Paulo, ad Hebræos 9. vbi explicans ritum illum veteris legis, quo summus sacerdos tãtum semel in anno ingrediebatur in Sancta Sanctorum non sine sanguine, quem offerret B pro peccato, dicit in hoc significatum esse nondum fuisse *propalatam Sanctorum viã* donec Christus summus sacerdos seipsum pro peccato in sacrificium obtulit. Ita exponit Chrys. hom. 15. Theophyl. & alij, & Amb. inquit, *cœlum mortalibus fuisse inaccessibile.* Idem Anselmus, & D. Thom. qui addit, propterea Christum vocari ostium Ioan. 10., & viam Ioan. 14. quia ipse aperuit viam, & ostium regni cœlorũ. Vnde subiungit Paulus statim capite 10. *Habentes itaque fratres fiduciã in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, id est carnem suam.* Vbi Chrys. hom. 18. *Introitũ* (inquit) *hic cœlum dixit, & accessum ad spiritualia, quam initiauit, inquit, seu propalauit. Dedicatio enim dicitur initium vtendi, & ideo nouam dicit, siquidem nũc apertæ sunt portæ cœli, quod neque tempore Abrahæ contigit.* C Et eodem modo exponunt reliqui Patres citati. Ac propterea de veteribus Sanctis dixit Paul. cap. 11. eiusdem Epistolæ. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus: sed a longe eas aspicientes,* vt ibi exponit D. Tho. & Anselm. A*lõge*, inquit, idest, *oculis fidei considerantes, quod post mortem eas essent accepturi, nõprotinus, sed post longa tempora in aduentu Christi.*

Heb.9.
Chrysost.
Theophyl.
Amb.
Anselm.
D. Thom.
Ioann.10. & 14.
Hebr. 10.
Chrysosto.
Heb. 11.
D. Thom.
Anselm.

Secundo vti possumus alio testimonio Pauli ad Ephes. 4. ita illud Psalmi interpretantis. *Ascendit in altum captiuam duxit captiuitatem*, vbi nomine *captiuitatis* intelligit Sanctos antiquos, qui ante Christi mortem veluti captiui, & in carcere detinebãtur, quos ipse moriens inde liberauit. De quo mysterio dicitur Zachar. 9. *Tu autem in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua,* vt ibi Hieronym. Rupert. aliiq; exponunt. Idemquoque mysterium videtur significasse Petrus 1. Canõ. c. 3. dicens, *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis vt nos offerret Deo mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu, in quo veniens prædicauit iis, qui in carcere erant spiritibus.* Proprius. n. sensus esse videtur, Christum *in spiritu*, idest, in sola anima prædicasse, ac simul cõtulisse æternam gloriam spiritibus sanctis, qui in carcere erant detenti. Ita Cyrill. Alex. 12. in Ioan. cap. 36. & lib. 1. de fide ad Reginas satis post medium, & lib. de fide ad Theodos. propè medium, vbi introducit Christum dicentem compeditis, *Egredimini, & existentibus in tenebris reuelamini.* Idem Nicephor. Constantinop. Epist. ad Leonem Pap. quę habetur in Synodo Ephesina, tom. 5. cap. 22. iuxta finem, dicens, *animam Christi prædicasse illis spiritibus resurrectionem, libertatemq;, & redemptionem impertiuisse.* Idẽ Irenæus li. 4. cõtra hæres, c. 45. versus finem, Athanas. Epist. ad Epictetum non longè à principio, quam refert Epipha. hæres. 77. Ruffinus in expositione symboli, & Cyprian. lib. 2. ad Quirinũ, cap. 27. Damascen. lib. 3. ca. vltimo, ac denique Clemens Alex. lib. 6. strom. prope medium, cuius verba latius explicabimus sequenti disputatione, vbi plura in hanc sententiam afferemus.

Zachar.9.
Hieron.
Rupert.
1.Pet.3.
Cyr. Ale.
Nicep. Cõstantino.
Con. Eph.
Irenę.
Athanas.
Epiphan.
Ruffin.
Cyp.
Damasce.
Cle. Ale

Tertio in huius rei confirmationem notant sancti Patres, initium Euãgelicę prędicationis sumptum esse â regno cœlorũ, quod sub eo nomine expresso antea in veteri testamento non fuerat annuntiatum, quia tunc longe distabat, & pro illo statu adiri non poterat. Vnde ante passionem Christi appropinquasse dicitur regnũ cœlorum, Matth. 3. *Pœnitentiã agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.* Quia nimirum passio Christi, per quam ianua regni esset reseranda, iam parum aberat. Qua propter illa iam exhibita non solũ appropinquasse, sed aduenisse dicitur regnum cœlorũ. Hinc Chrys. hom. 4. in Marcum. *Quantum in meo corde est legens legem, legens prophetas, legens & Psalterium, nunquam regnum cœlorum audiui, nisi in Euangelio. Quia antequam Christus aperiret ianuam regni, omnes animæ iustæ detinebantur in inferno.*

Regni cœlorum prædicatio legis nouæ propriacur Mat. 3.
Chrysost.

Hieron. De qua re scribit optimè Hieronym. ad Dardanum, epistol. 129. docens, in veteri testamento sub figuris, & vmbris promissum esse regnum Cœlorũ: non vero aperte. Quia ianua illius nondum erat aperta. Vnde subiungit: *Sanguis autem Christi clauis est paradisi, terram enim viuentium, quam primus Adam perdidit, secundus inuenit: imo ab illo perditam iste restituit. Mihi ergo* (concludit inferius) *in Euangelio promittuntur regna cœlorum, quæ vetus instrumentum omnino non nominat.* Idem Hieronym. dialog. 1. contra Pelag. satis post medium, Augustin. 19. contra Faust. capit. vltimo, & 1. Retract. capit. 22. Indicat etiam Origenes libr. 5. super epist. ad Roman. circa illa verba. *Per vnius delictum in omnes homines in condemnationem.* Et alios in sequentibus referemus.

Hie. Aug. Origenes. Roman. 5.

Quarto, ratio à priori huius veritatis ex ordinatione, ac lege Diuinæ iustitiæ sumenda est, quæ in lapsu totius humanę naturæ fundamentum habuit. Adam enim peccando omnibus hominibus clausit regnum cœlorum: nam totam naturam humanam in sua radice infecit, atque odiosam Deo reddidit, ac propterea indignam ęternę beatitudinis reliquit. Fuit ergo iustitiæ diuinæ consentaneum, neminem ad eam beatitudinem admittere, donec pro tota natura esset satisfactum. In quo magna est diuersitas inter naturam angelicam, & humanam, vt latius diximus superiori tom. disput. 42. sect. 1.

Ex his infertur, Sanctorum animas à corporibus separatas retinuisse fidem, & spem vsque ad mortem Christi. Probatur, quia in primis certum est habuisse caritatem, (nam de Sanctis, & iustis loquimur) & potuisse illius actus exercere, vt per se constat, quia non erat futura ociosa caritas in illis iustis, ergo necesse est, vt aliquam supernaturalem cognitionẽ habuerint, ergo cùm non habuerint visionem, necesse est, vt fidẽ retinuerint: fides autem, quę per caritatem viuit sine spe esse non potest, quia, cum nondum teneat, quem amat, necesse est, vt spe in illum tendat. Deinde in animabus illis nihil erat, quod ab eis fidem, aut spem expelleret, cũ nec visionem haberent repugnantem fidei, nec consequutionem, quę spei obiectum destrueret: neque etiam aliquem actum his virtutibus cõtrarium, cùm essent iustæ, & sanctæ, ergo. Tandem in animabus purgatorij manet fides, & spes, ergo multo magis in iis animabus, quę erant in Sinu Abrahæ. Hinc verò nonnullæ dubitationes oriuntur, quæ de statu harum animarum inquiri possunt.

In animabus Patrũ in sinu Abrahæ commorãtibus vsque ad mortẽ Christi fides, & spes permãsit.

Prima est an essent confirmatæ in gratia, ita vt peccare non possent. Cui breuiter respondeo, minime peccare potuisse. Quia mors hominis, sicut est terminus vitæ, ita etiam & viæ à Deo præfixæ, vt in ea possit benè, vel malè operari, post mortem autem statim vel obstinatur in malum, vel confirmatur in bono, iuxta illud Ecclesiastes. 11. *Si ceciderit lignum siue ad austrum, siue ad aquilonem, vbi ceciderit, ibi erit.* Vbi mors *casus* appellatur, *aquilonis* autem nomine, status peccati, nomine autẽ *austri* status gratiæ significatur, vt Hyeronymus ibi exponit. Sensus ergo est omnẽ hominem vel in gratia, vel in peccato decedere: & quo ad hoc in eo statu, in quo moritur, perpetuo manere, vt præter Hieronymum exponit etiam Gregor. 12. moral. cap. 3, & Bernar. serm. 49. ex paruis. Et confirmatur, nam propter hanc causam animæ purgatorij sunt confirmatæ in bono, & peccare nõ possunt, vt est communis, certaque sententia, (quam Deo dante in 4. tom. huius 3. par. tractabimus) ergo multo magis idem dicendum est de animabus sanctis existentibus in Sinu Abrahæ. Erant enim multò magis in termino, quàm animæ purgatorij, alioqui possent inde ad purgatorium, vel etiam ad infernum transire. Quod est plane hæreticum contra vniuersalem Ecclesiæ sensum, & contra illud Luc. 16. *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris, & in his omnibus inter nos, & vos chaos magnũ firmatum est: vt ii, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.* Ex quibus omnibus non solum probatur, illas animas non potuisse peccare mortaliter: sed etiam neque venialiter. Vnde Augustin. lib. 12. Gen. ad liter. cap. 34. agens de Sinu Abrahæ (sic inquit.) *Vbi iam nulla tentatio, vbi tanta requies, post omnes dolores vitæ huius.*

1. Dubium. Animæ sanctorum Patrũ in sinu Abrahæ cõfirmatæ in bono, & impeccabiles. Eccles. 11. Hieron. Gre. Bernar. Luc. 16. Aug.

Quod si quæras. Vnde hæc firmitas in bono oriretur? Respõdeo breuiter, vt multa omittã, quę ad alias materias spectãt, nõ ex sola natura, neq; ex aliqua virtute intrinseca, & inhærẽte, sed ex diuina gratia eas, ptegẽte, ortã fuisse: quia neq; ex intrinseca

Dubium. Responsio. Animæ sanctorum in sinu Abrahæ impeccabiles vnde.

seca necessitate perseuerabāt perpetuò in actuali Dei amore super omnia, neque in intellectu habebant aliquid intrinsecum, quod eas necessariò contineret, ne inconsiderate, vel imprudenter possent aliquid operari. Erat ergo omnino necessaria diuina protectio gratiæ, qua fiebat, vt vel semper essent in actuali amore, & contemplatione Dei, vel nunquam actum elicerent, quin prius omnia, ad benè, ac prudenter operādum necessaria, cōsiderarent. Quomodo autem hoc non obstāte liberè operarentur, difficultas vulgaris est, quàm facile expedire quis potest ex iis, quæ tradidimus in priori tomo disput, 37. sect. 3.

2. Dubium. Responsio Animæ sanctorum Patrum in limbo incapaces meriti cur. 2 Corin. 5. Hieronym. Eccle. 9.

Secunda dubitatio similis præcedenti est, an illæ animæ possent mereri. Et breuiter negandum est potuisse: quod etiam est certum. Ratio verò reddi non potest ex sola rei natura, nihil enim repugnaret eas ibi mereri, cùm essent in gratia, & optimos actus liberos exercerent. Fundatur ergo in diuina lege, quæ solum huius vitæ tempus ad merendum tribuit (vt in priori tomo. q. 19. disp. 39. sect. 3. tractatū fuse est) & hoc quoque modo terminum viæ Deus in morte præscripsit iuxta illud Pauli. 2. ad Cor. 5. *Referet vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.* Quo sensu interpretatur Hierony. illud Eccles. 9. *Mortui nihil nouerunt amplius, neque habent vltra mercedem,* & illud. *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare. Quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas,* scilicet quæ ad meritum prodesse possint. Quam expositionem sequutus est etiam Gregor. 4. dialog, cap. 39. De qua re dicemus plura agentes de animabus purgatorij, vbi ex eodem principio ostendemus eas nō posse mereri. Quod etiam est certum, & inde potest desumi argumētū ad propositam sententiam confirmandā. Ac denique, quia alias pene infinita fuissent merita, quæ tanto tēpore fierent. Quo circa prędicta assertio potissimum intelligitur de merito proprio, ac de condigno, quod est in ordine ad propriam beatitudinem, & gratiæ incrementum. An verò de congruo possent mereri, vel incarnationem, vel aliquid aliud sibi, vel aliis, fortasse est quæstio de nomine, vt iam dicam.

Gre. Pap.

3. Dubium.

Tertia enim dubitatio esse potest, an illæ animæ possent Deum orare pro se, vel pro aliis. In qua primum certùm existimo absolute, & simpliciter potuisse orare: imò frequētissimè, ac summis conatibus orasse, petendo Messiæ aduentum, suamq; redemptionem. Ita docet hic D. Tho. art. secūdo ad secundū citans Aug. serm. 137. de tempor. vbi prope finē multa dicit in hanc sententiam, quæ perse satis est clara. Nam si in hac vita hoc faciebant, vt ex innumeris locis sacrę scripturę cōstat, quos in superiori tomo tractaui disput. 10. sect. 6. cur non in eo statu, in quo & maiorem caritatem habebant, & liberiores, ac expeditiores ad orandū erant? Neq; .n. in eis aliquid erat, quod huiusmodi orationem impedire posset. Nā orare pro seipsis non repugnat etiā animabus beatis, si aliquid illis desit, & ita legimus in Apocalypsi eas postulare sua corpora, eorumque beatitudinem: multo ergo minus repugnabat ijs animabus, vt suum redemptorem, suam redemptionem, suamque beatitudinem flagitarēt, cùm hęc omnia illis deessent. Vnde fit, vt pro seipsis orare possent, postulando tum prędicta bona, tum etiam alia, quibus carebant. Pro alijs verò in cōmuni saltem etiam orare poterant, vt pro humano genere, pro Ecclesia, vel Synagoga, pro amicis, pro filijs, & pro alijs, quos in hac vita cognouerant. Vnde Ierem. 15. *Dixit dominus ad me, si steterint Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Qui modus loquēdi supponit Moysem, & Samuelem, quanuis iam mortuos, solitos esse orare pro suo populo, multaq; à Deo impetrare, vt satis significauit ibi Hieron. & Grg. lib. 9. Moral. cap. 9. alias 12. Et Chrys. hom. 1. in Epist. 1. ad Thessalonicens. & apertior locus est 2. Mach. vltimo, vbi Iudas vidit Oniam, & Ieremiam iam defunctos orare pro populo Israel. Vbi ponderandum est verbum illud, *Hic est fratrum amator,* &c. eadē enim caritas, quę in via mouet ad orandum, mouere poterat in eo statu, cùm aliâs nihil esset, quod hanc saltem generalem orationem impediret. At vero in particulari, cū illæ animæ nescirent omnia, quæ in hoc mūdo gererentur, orare non poterant, nisi iuxta mensuram cognitionis, quam habebant, quamque vel ab hac vita secum duxerant, vel ab animabus illuc migrantibus acceperant, vel ex locutione sanctorum angelorū, vel deniq; ex diuina reuelatione, quæ earū statui tūc debita nō erat:

Responsio

D. Thom. Aug.

Apoc.

Animæ sanctorum Patrū in Limbo existentes pro se, atque alijs orare poterant.

Ierem. 15. Hieron. Gre. Pap. Chrysost. 2. Mac. vl.

& ideo (vt exiſtimo) ex lege ordinaria nõ fiebat, ſingularia autẽ priuilegia, ſicut ſine fundamento affirmanda non ſunt, ita etiam nec temerè reijciẽda. Supponit autem hic diſcurſus animas non poſſe naturali virtute omnia cognoſcere, quæ hic geruntur, quia non eſt neceſſe, vt omniũ recipiant ſpecies infuſas: quæ eſt ſententia Aug. & Greg. quos refert & ſequitur D. Tho. 1. p. q. 89. art. 8. vbi de hac re latius. Vnde etiam fit, vt eo tempore non poſſent regulariter orationes directè fundi ad animas in eo ſtatu exiſtentes. Quia cùm non viderent Deum, non poterant orationes hominum ſupplicãtium agnoſcere: poſtulare autem, vt Deus eas manifeſtaret illis, fuiſſet petere ſingulare priuilegium, & quaſi miraculum præter ordinariam legem. Et ideò in veteri teſtamento legimus fideles omnes interdum oraſſe directè ad Angelos. Geneſi. 48. *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis:* legimus item homines oraſſe Deum repræſentando merita Sanctorum iam defunctorum, vt eis iuuarẽtur. Exod. 32. *Recordare Domine Abraham, Iſaac, & Iacob,* & Daniel. 3. *Propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum, & Iſrael ſanctum tuum.* Legimus etiam vnũ hominem directè poſtulare ab alio homine viuẽte, vt pro ſe oret, 1. Reg. 7. *Ne ceſſes pro nobis clamare ad dominum.* Quod autem aliquis directè orauerit Sanctos defunctos, vt ſe adiuuarent, vel proſe orarẽt, nuſquam legimus. Hic enim modus orandi eſt proprius legis gratiæ, in quo Sancti videntes Deum poſſunt etiam in eo videre orationes, quæ ad ipſos funduntur, de qua re latius in materia de Beatitudine.

Gen. 48. Exod. 32 Daniel. 3. 1. Reg. 7.

Quarta dubitatio eſſe poteſt, an illæ animæ pœnam aliquam ſuſtinerent. In qua breuiter dicẽdum eſt, in primis certũ eſſe caruiſſe omni pœna ſenſus, ſeu ignis, imò potius magno gaudio, & conſolatione affectas fuiſſe, tam ob ſtatum gratiæ, quàm ob ſpem certã futuræ gloriæ. Cognoſcebant enim ſe eſſe in gratia confirmatas, & ita nullo timore afficiebãtur, quod non poterat non afferre eis magnum ſolatium. De quo dictum eſt Luc. 16. *Hic autem conſolatur,* vt benè Chryſ. hom. de diuite, & Lazaro. D. Tho. hic art. 5. ad primũ, vbi in hũc ſenſum interpretatur Auguſt. & verba illa Ioan. 8. *Abraham exultauit, vt videret diem meum.* Certum denique eſt, eas habuiſſe tẽporalem pœnam damni vſque ad Chriſti aduentum. Quia (vt dictum eſt) diuina viſione carebant, & omnibus bonis, quæ illam intrinſecè conſequuntur: ex quo nõ poterant non mœrorẽ aliquem, triſtitiãve perſentiſcere propter tanti boni dilationem, vt D. Tho. hic Ar. 2. ad ſecundum aperte docet, & Caiet. Ca. ar. 5. Vnde Greg. 15. Moral. c. 16. alias 21. Gre. In *ipſis,* (inquit) *inferni locis iuſtorum animæ ſine tormento tenebantur: graue tamen tædium illis fuit poſt ſolutionem carnis adhuc ſpeciem non videre creatoris.* Et de hac triſtitia intelligẽdus eſt Aug. ſerm. 2. de reſurrectio. cum introducit dæmones ſuam, flentes ruinam, his verbis. *Ligatos ſoluit, luctus eorum in gaudium conuertit. Ecce ipſi, qui ſub noſtris ſolebant ſuſpirare tormentis, inſultant nobis de perceptione ſalutis. Nunquã potuerũt ſicle ti eſſe captiui,* & cętera quę late perſequitur. Aug.

Dubium. 4 Reſponſio Animæ ſanctorum in limbo pęna ſenſus omni carebant

Luc. 16. Chryſo. D. Thom. Aug. Ioannes. 8

Supereſt, vt rationes dubitandi in principio poſitas diſſoluamus. Prima fundatur in eo, quòd Deus dicitur retribuere in die obitus, quod accommodate intelligẽdum eſt in diuerſis ſtatibus pro temporum diuerſitate. Tunc ergo in die obitus non dabatur iuſtis vltima retributio in ſeipſa, propter naturæ impedimentum: dabatur tñ in ſpe certa, & infallibili. Deinde ibi ſolum dicit Sapiens, Deum conferre retributionem ſecundum merita in die obitus: non tamen dicit, quæ nam ſit iſta retributio. Quo circa ille ſtatus, quẽ ſanctæ animæ habebant in ſinu Abrahæ, poteſt dici retributio accommodata ipſarũ meritis pro illo tempore. Sic enim dixit Abraham Luc. 16. ad diuitem, *Fili recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nũc vero hic conſolatur: tu vero cruciaris.* Vbi aperte ſignificat illum ſtatum gaudij, & cõſolationis fuiſſe retributionem meritorũ, non vltimã, & perfectam: ſed tempori, & ſtatui accõmodatam. Sicut etiam animabus, quę in purgatorium tendunt, in die obitus datur retributio iuxta merita. Quia & pro malis operibus datur temporalis pœna, & pro bonis etiam datur tũc aliqua retributio. Nam confirmantur in bono, & certæ fiunt ſuæ ſalutis ęternæ, vnde maxima conſolatione recreantur: non recipiunt autem ſtatim vltimum prẽmiũ, quia nondũ ſunt capaces. Quo circa tandẽ dici poteſt, omnes in die obitus recipere retributionem vltimam, niſi aliquod, ex parte eorũ, impedimentum interueniat.

Reſponſio ad argumẽta inoppoſitum.

Luc. 16.

Et

Et ex iis expedita manet secunda difficultas sumpta ex citatis verbis Lucæ. Nã illa consolatio Lazari erat quidem de æterna beatitudine, non tamen in re obtenta, sed in spe. Locus autem Augustini, quo illa difficultas confirmabatur, valde obscurus est, & quidem D. Thom. hic artic. 5. ad 1. ita interpretatur Augustinũ, vt nõ simpliciter neget Christum descendendo ad inferos aliquid sanctis Patribus contulisse, neque etiam affirmet eos antea vidisse Deum: sed solum doceat, eos qui erant in Sinu Abrahæ, non fuisse doloribus inferni subiectos. Retulerat enim Aug. opinionem, quæ hoc affirmabat, quam improbauerat, & quo ad hoc subdit, se non inuenire, quid illis patribus Christus suo descensu contulerit, scilicet quoad solutionẽ â doloribus. Sed obseruandũ est, Augustinum eo loco sentire Sinum Abrahæ, in quo erant Patriarchæ, Prophetæ, & alij iusti, nõ fuisse in inferno, & cõsequenter, cum in scriptura dicitur, Christum descendisse ad inferos, non intelligi de Sinu Abrahæ. Ex quo vlterius infert, illud beneficium, quod Christus contulit iis, qui erãt in inferno, illuc descendendo, & soluendo eos á doloribus inferni, non esse collatum illis Patribus, qui erant in Sinu Abrahæ, sed quibusdam aliis. Et hinc tandem concludit, se nescire, quid Christus, descẽdendo ad inferos, Patribus existẽtibus in Sinu Abrahæ coutulerit, & potius sentit nihil contulisse. Sed ex hoc nõ potest inferri, Augustinum sentire, illos Patres antea vidisse Deum, aut non recepisse hanc visionem, post passionem Christi, & propter ipsam, quia Augustinus hoc non dicit, sed solum ait, propter hunc effectum non fuisse necessarium descensum Christi, & ideò ablata alia necessitate descendendi propter soluendos dolores inferni, concludit se nõ inuenire, quid suo descẽsu Christus his Patribus contulerit. Hanc verò esse mentem eius constat ex ratione quam reddit: Cum enim dixisset, *Quia euidentia testimonia & infernum commemorant, & dolores, nulla causa occurrit, cur illo credatur venisse Saluator, nisi vt ab eius doloribus saluos faceret*: postea sic infert. *Vnde illis iustis, qui in Sinu Abrahæ erant, cum ille ad inferna descederet, nondum quid contulerit inuenio*: Nimirum quia non soluit eos à doloribus. Et quia dicere posset aliquis contulisse eis visionem beatam, ad hoc excludendũ subdit hæc verba. *A quibus eum, secundum beatificam præsentiam suæ diuinitatis nunquam video recessisse.* Vbi non dicit eos fuisse semper beatos, sed eum per diuinitatem, & beatitudinem suam, & per propriam essentiã semper fuisse illis præsentem: quasi diceret, ad cõmunicandam eis hanc beatitudinem non fuisse necessarium illuc descendere. Hæc de mente Augustini. Nam de reipsa postea dicemus, quanquam vno etiam verbo dici posset, Augustinum in tota illa epistola, inquirẽdo potius, & dubitando, quãm affirmãdo pro certo sisse, & ideo obscurè, ac dubitãter esse loquutum. Ad Iustinum respondetur falsò citari, nam potius eo loco indicat neminem ante generalem resurrectionem videre Deum, quod ab Ecclesia iam damnatum est, de qua re alibi.

Ad 3. cum Paulus dicit. *Adepti sunt repromissiones*, de temporalibus repromissionibus loquitur, vt communius expositores intelligunt. Quod si admittere velimus expositionem Anselmi ibi citatam, intelligendum est, Paulum loqui respectu temporis in quo ipse scribebat. Nam iam tum Patres antiqui adepti erant repromissiones quoad animæ beatitudinem, non verò de tempore ante Christi aduentum.

Ad quartum ex ratione sumptum, iam fere responsum est, comparatio autẽ, quæ sit inter remissionem peccati, seu gratiam, & gloriam, non est eiusdem rationis. Quia gratia, & remissio peccati erat simpliciter necessaria ad salutem: gloria vero poterat sine incommodo æternæ damnationis aliquo tempore differri, vt dixi etiam in superiori tomo disp. 41. sect. 1.

D.Thom.

Aug.

Sententia Augustini de descensu animæ Christi ad inferos.

SECTIO SECVNDA.

In quo loco fuerint Sanctorum animæ ante Christi mortem.

DE hoc loco in scriptura solum habemus appellari Sinũ Abrahæ, Lu. 16. *Factum est, vt moreretur etiam mendicus, & portaretur ab Angelis in Sinum Abrahæ* & infra expresse dicitur in eodẽ loco fuisse Abraham. Ex quo recte colligit Aug. dicta epist. 99. ibidem fuisse alios iustos Patriarchas, & Prophetas, & absurdum existimat de hoc dubitare. Vnde lib. de anima, & eius origi. c. 15. definit Sinũ Abrahæ intelligẽdũ esse, *Remotã sedem quietis, atq; secretam, quæ dicta est Abrahæ, non quod ipse*

Luc. 16.

Aug.

tantum ibi sit, sed quod ipse pater multarum gẽtium sit positus, quibus est ad imitandum fidei principatum propositus, sicut, & Deus Abraham se Deum vocari voluit, cum sit innumerabilium Deus. Quo autem loco, seu in qua parte orbis situs sit hic Abrahę Sinus, in

Aug. scriptura nõ videtur expressum. Quod autem non sit in inferno, sentit Augustin. Epist. 57. & dicta Epist. 99. Et fundamẽtum eius est. Quia *infernus* in scriptura sacra semper sumitur in malam partem pro loco dolorum, ac tormentorum: Sinus autem Abrahę dicitur esse locus quietis, & consolationis, & veluti cuiusdam beatitudinis. Et confirmatur, nam Luc. 16.

Luc.16. condistinguntur Sinus Abrahæ, & infernus, sic enim dicitur. *Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in Sinum Abrahę: mortuus autem est, & diues, & sepultus est in inferno.* Et inferius dicitur, magnum chaos firmatum esse inter vnum, & alium locum. Vnde quidam existimarunt esse locum aliquem cœlestem: alij esse paradisum terrestrem: alij (vt August.

Aug. Origen. Ioan.13. refert lib. 4. de Virginit. cap. 15.) putarunt non esse locum animarum, sed partẽ quãdam animæ ipsius Abrahæ, quod satis ridiculum est, vt ibidem ipse dixit, qui etiã lib. 8. Genes. ad liter. cap. 5. dubitat quid Sinus Abrahæ sit. Origenes autem super Ioannem circa illa verba, *Erat autem vnus ex discipulis Iesu recumbens in sinu ipsius*, metaphoricè Sinum Abrahæ interpretatur.

Dicendum verò est primo, locum in quo animę sanctæ detinebantur vsq; ad

sinus Abrahæ in qua terræ parte fuerit. Christi mortem, quem Sinum Abrahæ, vel Limbum sanctorum Patrum appellamus, fuisse in inferioribus partibus terræ. Conclusio hæc certa est, quæ primo pro-

Gene. 37. bari potest ex modo loquendi sacræ scripturę. Nam Genes. 37. ait Iacob, *Descendã ad filium meum lugens in infernum.* Quo loco, (quidquid hęretici contendant, vt postea videbimus,) non potest inferni nomine sepulcrũ intelligi. Primo, quia nec vox latina hoc proprie significat, nec vox hebręa שְׁאוֹל cuius loco septuaginta verterunt ᾅδης quod significat gehennam, non τάφος, quod significat sepulcrum. Secundo quia cum Iacob dicat se descensurum ad filiũ suum, non loquitur de corpore: sed de anima, quia secundum corpus non erat descensurus ad sepulcrũ filij sui, non enim erat in eodem loco sepeliẽdus.

A Præsertim cum putaret filium fuisse á fera pessima deuoratum: descensurum ergo se dicit secundum animam ad locum Sanctorum Patrum, in quo (sine dubio) filiũ suum esse confidebat. Dicit autem se descensurum in infernum, est ergo locus ille subterraneus, atque in inferioribus terræ partibus constitutus. Quin potius adde, si interdum in scriptura veteri nomine inferni significatur mors, vel sepulcrum, vt Iob. 7. & alibi, ideo esse quia tũc per mortem omnes animæ, in aliquem inferni locum descendebant. Vnde, reuera, non tam sepulcrum vocatur infernus, quam ipsamet mors, vocatur descensus ad inferos. Præterea de eodem loco idem Iacob loquebatur, cum Genes. 42. & 44. dicebat.

B *Deducetis canos meos cum mœrore ad inferos,* vt Chrys. exponit hom. 4. in Marcum, & bene Hieronymus Eccleiastes 3. vbi adiungit eundem locum optasse Iob ca. 14. cùm dicebat, *Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas me?* Quod in eundem sensum exposuit Greg. 12. Moral. cap. 6. alias 7. & lib. 13. cap. 16. & 17. simili modo exponit illud Iob 17. *Si sustinuero, infernus domus mea est.*

Inferni nomẽ in scriptura quid denotat.

Iob. 7. Gene. 42. & 44. Chrysost. Hierony. Iob. 14. Greg. Iob. 27. 1. Reg. 28.

Et confirmari hoc potest ex 1. Reg. 28. vbi anima Samuelis visa est de terra ascẽdere, quasi existens prius in inferiori loco. Quanquam enim Augustinus lib. 2. ad Simplicianum quæst. 3. & lib. 8. de quæstionibus ad Dulcitium quæs. 6. dubitauerit, an illa vere fuerit anima Samuelis, & multi id negauerint, vt Tertullian. lib de anima cap. 57. & Iustinus, quæstione 52. ad Gentes, & Augustin. lib. 2. de mirabilibus sacræ scripturæ capite 11. & li. quæstionum veteris testament. quæst. 27. & habetur in capite, Nec mirum 26. quæst. 5. Et lib. 2. de doctrina Christiana capite 23. vocat *imaginem Samuelis*, & ita refertur in capit. illud 26. quæst. 2. Sic etiam Hieronymus Matthæ. 6. vocat *Samuelis phantasma*, eodemque modo sentit, ac loquitur Rupertus lib. 2. de operibus Trinitatis in libros Regum capite 17. & Anastas. Nyssen. lib. quæstion. sacræ scripturæ quæst. 37. & inclinat Isido. lib. 8. originum capite. 9. Nihilominus, illam fuisse veram animam, verius est, tum quia scriptura dum potest commode, simpliciter, ac proprie debet intelligi, præsertim in in historia, ac sæpe repetita narratione, qualis est in præsenti loco, qui proprie potest sine incom-

Aug. Tertul. Iustin. Aug. Hieroy. Rupert. Ana. Nyss. Isidor.

incommodo intelligi. Quid enim obstat, quin voluerit Deus in suppliciũ Saulis Samuelem illi verè apparere, vt illum reprehenderet, ac mortem illi prædiceret? Tum etiam, quia Ecclesiasti 46. inter encomia Samuelis ponitur, quod post mortem prophetauerit. Propter quod testimonium Augustin. libr. de cura pro mortuis agenda, capite 15. & 16. sententiam mutauit, & Diuus Thom. prima parte, quæstio. 89. artic. 8. ad 2. dicit. Si Ecclesiastici autoritas admittatur, (vt omnino admittenda est) dicendum esse, Samuelis animam verè apparuisse Sauli. Ad quod alludens Ambros. lib. primo in Lucam capit. de Zachariæ turbati confirmatione, dicit. *Samuel post mortem secundum scripturæ testimonium futura non tacuit*. Et eandem sententiam docet Iustinus Martyr dialogo cum Triphone. Vnde verisimile sit (quod multi viri eruditi putãt) librum illum quæstionum ad Gentes nõ esse Iustini. Et idem videtur sensisse Basilius Epistol. 80. citatur etiam Hieronymus in capi. 7. Isai. & 13. Ezech. Sed hęc loca in vtramque partem afferri possunt, sicut, & verba illa Nazian. oration. 3. quæ est prima aduersus Iulianum, *Samuel per ventriloquam trahitur, aut trahi videtur.* Denique Ioseph. lib. 6. antiquitatum capit. 14. alias 15. ita planè scripturæ historiam intellexit. Quo sensu suppositio, optimè etiam ex verbis Samuelis confirmatur conclusio posita. Dixit enim Sauli, *Cras tu, & filii tui mecum eritis*, ideſt, in loco inferni, seu sub terram. Ita enim generatim loquutus est, quia fortasse Saul, & filij eius non omnes ad eũdem locum subterraneum descenderunt. Vltimo probari posset conclusio illis testimonijs scripturæ, quibus dicitur Christus ad inferos descendisse, de quibus postea dicendum.

Anima Samuelis vere ac propriè Sauli apparet. *Eccles. 46* *Aug.* *D. Thom.* *Ambros.* *Iust. Mar.* *Basi.* *Hieron.* *Gre. Naz.* *Ioseph.*

Secundo principaliter probatur conclusio Patrum testimonijs, communique Ecclesiæ consensu. Vniuersa enim Ecclesia ita sentit de loco antiquorum Patrum, vnde in hymno Ascensionis canit.

Inferni claustra penetrans,
Tuos captiuos redimens, &c.

Sicque exponit Irenæus lib. 4. cap. 45. & 66. quædam verba, quæ dicuntur fuisse Ieremiæ prophetæ, & ab impijs Iudeis expuncta, (quod incertum est.) Verba autẽ sunt. *Recordatus est Dominus Sanctorum mortuorum suorum, qui prædormierunt in terræ limo, & descendit ad illos.* Idem Iustinus Martyr dialogo cum Triphone, Chrysost. homil. de Lazaro, & diuite, vbi Sinum Abrahæ vocat *Paradisum in inferno existentem*. Basil. in id Psalm. 48. *sicut oues in inferno positi sunt*. Cyrill. Alexan. libr. primo de fide ad Reginas, capit. Quod Christus sit Deus ex Matthę. Vbi propter hãc causam dicit, *In Christi morte infernum Sanctorum animas emittere compulsum esse*. Idem sentit Origenes lib. 3. Periarch. versus finem, & optimè Augustinus lib. 20. de Ciuitate capit. 15. Atque idem docent multi ex Patribus citatis in priori probatione ex scripturis, & plures alij, quos commodius in sequenti disputatione referemus.

Iust. Mar. *Chrysosto.* *Basi.* *Cyr. Ale.* *Ori.* *Aug.*

Tertiò potest adiungi ratio ex ordine diuinæ sapientiæ, & iustitiæ desumpta. Non enim expediebat animas illas à corporibus separatas, & extra viam constitutas super hanc terræ superficiem manere, quę locus est viatoribus hominibus deputatus: & ideò extra paradisum terrestrem collocari debuerunt. Quia & pro hominibus viatoribus creatus fuit, & propter peccatum primi hominis, pro quo nondum fuerat satisfactum, ab illo electi erant. Præterea ille locus deliciarum non erat aptus, neque proportionatus animabus, quę adhuc in carcere detinebantur. Et propter eandem causam non fuit expediens eas in cœlum ascendere, præsertim Empyreum, vbi proprius locus Beatorum est. Iustè ergo, ac sapiẽter locus illis sub terra consignatus est.

Dices, cùm animæ separatæ nõ sint corporeę, non indigebant loco corporeo. Quod argumentum sæpe habuit dubium August. vt videre licet libr. 12. Genes. ad liter. capit. 32. & alijs. Respondetur tamen, hoc argumento probari posse, neque damnatas, neque purgandas animas esse in locis corporeis, imò neque beatas. Dicendum est ergo, (quãuis multi aliter sentiant,) non posse animam separatã existere in mundo, quin sit realiter præsens in certo aliquo, ac determinato loco corporeo, non quòd in illo sit corporeo modo, ideſt, replens illum quantitatis molẽ: sed quòd sit ibi realiter præsens, & indistans, distans autem ab alijs corporibus, quę in locis distantibus existunt. Illud ergo spacium corporeum, in quo anima est realiter præsens, vocamus locum eius, siue propriè, siue metaphorice dicatur locus,

Anima separata alicubi præsens necessario est.

cus, quod nihil ad præſentem veritatem A ſpectat.

Secundo dicendum eſt, hunc locum, ſeu Sinum Abrahæ eſſe partem quandam inferni cæteris omnibus ſuperiorem. Vt intelligatur, & probetur hæc aſſertio ſupponendum eſt, iuxta quatuor ſtatus animarum, aliquo modo pœnales, qui fuerunt ante Chriſti mortem, quatuor diſtingui à Theologis in 4. d. 45. loca ſubterranea, quæ circa terræ centrum eſſe cenſentur, & ideo *inferna* vocantur ad Philip. 2. *cęleſtium terreſtrium, & infernorum*, vel *inferiores partes terræ* ad Epheſ. 4. & Eccleſiaſti. 24. & Apocali. 5. dicuntur eſſe *ſubtus terram*. Quædã enim animę ſunt perpetuo damnatæ propter propriam mortalem culpam, & hæ ſunt in infimo loco, qui, per antonomaſiã *infernus* dicitur Luc. B 16. *Sepultus eſt in inferno*, Matt. 11. vſq; *ad infernum deſcendes*. Iſai. 54. & Numer. 16. ſũt optima loca. De quibus videri poteſt Hiero. in Iſai. & ad Epheſ. 4. & Epiphan. in Ancora. à medio. Aliæ ſunt animæ iuſtę: purgandæ tamen aliqua pœna ignis, & hę locum diſtinctum requirunt, cùm in ſanctitate, & iuſtitia extremè diſtent ab alijs animabus, quanuis propter participationem pœnæ ignis vicinum locum poſtulare videãtur. De quo loco, & de ſitu eius in quarto tom. huius tertiæ partis Deo iuuante dicemus. Alię ſunt animæ damnatæ propter ſolum originale peccatum, & hæ propter carentiam pœnæ ignis diuerſum locum ab vtriſque numeratis requirunt: & quia nec iuſtę ſunt, vt cũ iuſtis collocari debeant, nec tam prauę, vt C ſocietatem aliorum damnatorum mereantur, quia nec Deum odio habent, neque blaſphemant, neque, (vt exiſtimo) inordinatè viuunt: ſed licet fide careant, ſecundum rationem naturalem rectè viuũt. de quo loco, & ſtatu in prima ſecundę, vbi de peccato originali agitur latius diſſeritur. Nunc ſufficiat teſtimonium Concilij Florentin. in literis vnionis, vbi locum harum animarum in inferno collocat. Aliæ denique fuerunt animæ iuſtæ nulla purgatione indigentes: tamen propter naturæ impedimentum, vſque ad Chriſti mortem, quaſi in carcere detentæ, ac beatitudine priuatæ. Eæ igitur quartum locũ requirunt diſtinctum à cæteris, vel propter carentiam pœnę ignis, vel propter ſanctitatem animarum, & ſpem certam beatitudinis, vel propter vtrumque.

Sinus Abrahæ pars quædam inferni ſuperior.

Philipp 2. Epheſ. 4. Eccle. 24. Apoc. 5. Luc. 16.

Statim verò occurrebat in hac enumeratione difficultas vulgaris de homine diſcedẽte in peccato originali, & actuali tãtum veniali. Sed de hoc aliàs, multi enim negant poſſe hominem in hoc ſtatu mori, vel quia ex natura rei repugnat in hoc ſtatu eſſe vt D. Tho. prima ſecundæ q. 89. art. 6. vel quia licet poſsit homo eſſe in hac vita in hoc ſtatu, nunquam cõtingit in eo mori, Deo fortaſſe id ſpecialiter prouidente. Alij verò admittendo huiuſmodi ſtatum etiam in anima ſeparata, dicunt huiuſmodi animam ad infimum locum inferni pertinere, quia perpetuò aliqua pœna ignis punienda eſt, vt Richar. in 4. d. 45. art. 1. quęſt. 2. vbi id ſignificat D. Thom. facta dicta ſuppoſitione, q. 1 artic. 3. ad 6. Alij verò cum Scoto putant maculam illam poſſe purgari in purgatorio. De qua re quid ſentiẽdum ſit, in prędicto loco primæ ſecundæ tractandũ eſt, & infra in materia de pœnitentia aliquid attingemus.

Dubium.

Reſponſio D. Thom.

Richar. D. Thom. Scot.

Secundo obſeruandum eſt incertũ eſſe, & hactenus non ſatis explicatum quo ſitu, & ordine hęc loca collocentur: & an contigua ſint, vel quantum interſe diſtent, & quibus terminis claudantur, ac denique an inter ea ſint interiecta aliqua ſolida corpora, quibus ſecernãtur. Sed quia in quarto tomo in materia de purgatorio iterum de his redibit ſermo, ideó in eum locum hęc omnia remittimus. Quia ferè prędipua difficultas huius rei conſiſtit circa ordinem, quem interſe ſeruant Purgatorium, & Limbus puerorum. Nam ſi cõſideretur conditio locorum, quatenus vnus requirit ignem, & non alius, videtur Purgatorium debere eſſe inferno propinquius. Si vero ſpectetur dignitas locatorum, quia in purgatorio ſunt animę iuſtæ, videntur eſſe debere in loco magis ab inferno remoto. De extremis vero locis nulla eſt difficultas, nam gehenna omnino debuit eſſe in loco infimo, tum propter maius demeritum, & deteriorem ſtatum perſonarum ibi exiſtentium: tum etiã quia ſicut meritis, & de ſperatione maximè diſtant à beatitudine, ita etiam & loco diſtare debent. Quartus verò locus, (de quo agimus) propter eaſdem cauſas ſuperior alijs omnibus exiſtimatur. Primo, quia animę ibi exiſtentes erant iuſtæ, & omnino mundæ: deinde quia minus diſtabant

Inferni Sinus, & receſſus varij.

ab ſtatu

ab statu, & spe beatitudinis, vt ergo seruetur proportio inter locū, & locatū, meritique ad prę miū, vel pœnam, oportuit has animas in superiori, & honoratiori loco collocari, & hoc aliquo modo potest cōfirmari ex Luc. 16. vbi inter gehennam, & Sinū Abrahæ magnū chaos esse dicitur. Erat ergo hic Sinus multo eminentior, & superior. Vnde Chrysost. hom. de diuite in Lucā, notat, Luc. 16. dici de diuite existēte in inferno eleuasse oculos suos, vt Lazarum videret, tanquam in superiori loco existentem. Quod notauit etiā Tertul. lib. 4. contr. Marcio. c. 34. & Greg. lib. 12. moral. c. 6. sic inquit. *Nec tamen ita iustorum animas ad infernum dicimus descendisse, vt in locis pœnalibus tenerentur: sed esse superiora inferni loca, esse & alia inferiora credenda sunt, vt & in superioribus iusti requiescerēt, & vt in inferioribus iniusti cruciarentur.* Et lib. 13. cap. 17. tractans illa verba *In profundissimum infernum descendent omnia mea*, dicit, quanuis Iob descensurus non esset, nisi ad hūc locum animarum sanctarum, qui cę teris locis inferni superior est: vocari tamen illum profundissimum, respectu cœli, & terræ. Ex his ergo satis probata est cōclusio posita, plura vero de hoc loco inquirere, scilicet, quo nam corpore repleretur ille locus, diaphano, vel opaco, aere, vel terra, an esset tenebrosus, vel lucidus, vel similia superuacaneū est hęcinuestigare. Quia omnia hæc sunt nobis incognita: solum possumus affirmare ibi non fuisse aliquod corpus, quod pœnam inferret sanctis illis animabus, & verisimile est aere fuisse plenū, & propterea vocari Zachar. 9. *Lacum, in quo non erat aqua.* Est item verisimile nō fuisse lucidum, licet contrarium sine probatione doceat Turrian. li. 4. pro Epist. Pō tificiis c. 12. Probari vero potest ex Aug. 12. Gen. ad liter. c. 34. licet ille locus expō ni possit de luce spirituali. Itaq; loquēdo proprie de corporea luce, quod dixi, videtur probabilius. Tum quia modus loquēdi scripturæ hoc magis indicat, vt Iob 17. *Si sustinuero, infernus domus mea est, & in tenebris straui lectulū meū*, Isai. 49. *Vt diceres his, qui vincti sunt, Exite: & his qui in tenebris sunt, Reuelamini.* Quod de sanctis Patrib⁹ in Limbo existentibus rectè intelligitur. Tum etiam quia naturaliter ibi esse non potest lux corporea, & supernaturaliter fieri neque illis animabus necessarium erat, nec pro ratione sui status eis debebatur. Et hāc sententiam docuit Anselmus in elucidario iuxta finem, Bern. serm. 4. de omnibus Sanctis, & significat Greg. super Iob loco citato, eamque supponit D. Th. in 3. d. 22. q. 2. ar. 2. q. 1. Ric. à. 3. q. 1.

Ex his facile soluitur ratio dubitandi in initio posita. Quādo enim Luc. 16. Sinus Abrahę ab inferno distinguitur, nomine inferni significatur gehenna, ideſt, infimus locus ex quatuor enumeratis. Ad Augusſt. verò respondetur, eo loco dubium fuisse, quia nondum assecutus fuerat veritatem: aliis tamē locis agnouisse Sinū Abrahæ fuisse apud inferos, quod dicit expresse 20. de Ciuit. c. 15. & in id Psal. 85. *Eduxisti animā meam ex inferno inferiori.* Ad rationē autē, quæ aliquando Aug. mouit, recte respondet hic D. Th. ar. 1. ad 1. infernum significare locū pœnę, & hoc modo etiam comprehendere Sinū Abrahæ, quia erat veluti carcer, & in eo aliquā pœnā, & mærorem patiebantur animę sanctę, vt diximus.

Gre. Iob. 17. Zachar. 9. Turrian. Aug. Iob. 17. Isai. 49. 2. ar. 1. q. 1

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm fuerit conueniens, Christum ad infernum descendere.

286 3. di. 22. q. & op. 3. c. 142. & op. 60. cap. 21 princip. Epi 99. in ter prin. et med. to. 2.

AD primum sic proceditur. *Videtur, quod non fuerit conueniens, Christum ad infernum descendere. Dicit enim Aug. in Epist. ad Euodium. Nec ipsos quidem inferos vspiam scripturarum in bono appellatos potui reperire. Sed anima Christi nō descēdit ad aliquod malū: quia nec animæ iustorum ad aliquod malum descendunt. Ergo videtur, quòd non fuerit conueniens, Christum ad inferos descēdere.* ¶ 2. *Præterea, Descendere ad inferos, non potest Christo conuenire secūdum diuinam naturam (quæ est omnino immobilis) sed solùm conuenire potest ei secundum naturam assumptam. Ea verò quæ Christus fecit vel passus est in natura assumpta, ordinantur ad humanam salutem, ad quam non videtur necessarium fuisse, quòd Christus descenderit ad inferos, quia per passionem suam, quam in*

hoc

q.50.ar.6 hoc mundo sustinuit, nos liberauit à culpa, & pœna, vt supra dictũ est. Nõ igitur fuit cõueniens, quòd Christus ad infernũ descenderet. ¶ 3. Prætereà. Per mortẽ Christi separata est anima à corpore eius, quod quidem in sepulcro positũ fuit: vt supra habitum est. Non autem videtur quòd secundum animam solam ad infernum descenderit: quia anima, cùm sit incorporea, nõ videtur, quòd localiter possit moueri: hoc enim est corporum, vt probatur in sexto phys. descensus autẽ motum corporolem importat. Non ergo fuit conueniens, quòd Christus ad infernum descenderet. ¶ Sed contra est, quod dicitur in Symbolo. Descendit ad inferos. Et Apostulus dicit Ephes. 4. Quòd autẽ ascendit, quid est nisi quia & descẽdit primùm in inferiores partes terræ? glo. id. est, ad inferos.

quęst.prę.

lib.6.Phy. tex.32.to.2

Glo inter. ibidem.

¶ Respondeo dicendum, quòd conueniens fuit, Christum ad infernum descendere. Primò, quidem: quia ipse venerat pœnã nostram portare, vt nos à pœna eriperet, secundum illud Isa. 5. Verè lãguores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Ex peccato autem homo incurrerat non solùm mortem corporis, sed etiã descensum ad inferos. Et ideo sicut fuit cõueniens eum mori, vt nos liberaret à morte; ita conueniens fuit, eum descendere ad inferos, vt nos à descensu ad inferos liberaret. Vnde dicitur Osææ. 13. Ero mors tua ò mors, ero morsus tuus inferne. Secundo, quia conueniẽs erat, vt victo diabolo per passionem vinctos eius eriperet, qui detinebantur in inferno, secũdum illud Zacha. 9. Tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu. Et Col. 2. dicitur. Expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter. Tertio, vt sicut potestatem suam ostendit in terra, viuendo & moriendo, ita etiam potestatem suam ostenderet in inferno, ipsum visitando, & illuminando. Vnde dicitur in Psalm. 23. Attollite portas principes vestras, gloss. idest, principes inferni auferte potestatem vestram, qua vsque nunc homines in inferno detinebatis: & sic in nomine Iesu omne genu flectatur, non solum cœlestium, sed etiam infernorũ, vt dicitur Philip. 2.

Glo. or. & inter. simul ibid. ex August.

¶ Ad primum ergo dicendum, quod nomen inferorum sonat in malum pœnæ, non autem in malum culpæ. Vnde decuit Christum in infernum discendere: non tanquam ipse esset debitor pœnæ, sed vt eos qui erant pœnæ obnoxij, liberaret.

¶ Ad secundum dicendum, quòd passio Christi fuit quasi quædam causa vniuersalis humanæ salutis, tam viuorum, quàm mortuorum. Causa autẽ vniuersalis applicatur ad singulares effectus per aliquid speciale. Vnde sicut virtus passionis Christi applicatur viuẽtibus per sacramenta configurantia nos passioni Christi, ita etiam applicata est mortuis per descẽsum Christi ad inferos. Propter quod signanter dicitur Zachar. 9. quòd eduxit vinctos de lacu in sanguine Testamenti sui, idest, per virtutẽ passionis suæ. ¶ Ad tertium dicẽdum, quod anima Christi non descendit ad inferos eo genere motus, quo corpora mouẽtur, sed eo genere motus, quo Angeli mouentur, sicut in prima parte habitum est.

vt exponit glo. interl. ibid.

1.p.q.23.

COMMENTARIVS.

QVanuis D. Tho. in artic. sequenti ad doctrinam exactè tradẽdã distinguat duplicem descẽsum, alterum secundum virtutem, seu effectum, alterum secundum essentiam, seu realẽ prę-sentiam: simpliciter tamen ac proprie loquendo, descensus significat localem mutationem, quæ ad realem præsentiam, seu existentiam in inferiori loco terminatur. Et de hac intelligendus est titulus huius articuli, atque de eadem futurus est præcipuus sermo in tota hac quęst.

Respondet igitur D. Tho. affirmando conueniens fuisse Christũ ad infernũ descẽdere, & in argumẽto, sed cõtra, probat ita factũ esse: in articulo verò tres adducit rationes

rationes conuenientiæ. Prima est, quia Christus venit, vt susciperet nostram pœnam, vt ab ea nos liberaret: homo autē in peccati pœnam descendebat ad inferos, & ideo oportuit illuc descēdere, vt eo descensu nos ea pœna liberaret, sicut suscepit mortem, vt mortem interficeret. Quę ratio duplicem habet difficultatem. Prima est, quia collectio Diuui Thom. non est in vniuersum bona, alioqui, oportuisset etiam Christum susciperę purgatorij, & inferni cruciatus. Secūda est, quia assumptio solū procedit de pœnis, pro quibus Christus potuit satisfacere: descendendo autem ad inferos non satisfecit pro nobis, non fuit ergo propter eā causam necessarium ad inferos descendere. Adde illum descēsum Christi ad inferos non posse proprie vocari pœnam, sed voluntariam quandā actionem, quæ de se nec tristitiam inferre poterat, nec dolorem. Sicut si Rex visitet carcerem, aut xenodochium, illa non est pœna. Quo exemplo vtitur Rufinus in expositione symboli, inde concludens, Christum fuisse in loco carceris: non tamen sicut alij, quia alij erant, vt soluerēt pœnas: Christus verō vt absolueret. Et idem explicuit optime D. Th. in 3. d. 22. q. 2. â. 1. quæstiuncula prima ad primū. Respondetur in primis non fuisse Diuui Th. mentem, hunc descensum vocare proprie pœnam animæ Christi. Quia reuera non fuit per modū supplicij, nec ad satisfactionē, & propter alias rationes supra insinuatas: tamen quia veluti materialiter similitudinem habet cum pœna animarum, quatenus ea ratione impedita fuit anima Christi, ne statim in cœlestem locum ascenderet, & ad hoc adducta, vt veluti exularet, & vt in loco maiestati suæ minus proportionato existeret: ideò in hac similitudine cum malo pœnæ coniecturā suam fundauit Diuus Thom. Vnde in solutione ad primū rectè dicit, Christum descendisse in infernum non tanquam pœnæ debitorem, sed vt eos, qui erant pœnæ obnoxij, liberaret. Ex qua solutione etiam intelligi voluit, non fuisse conueniens, Christum, præsertim post mortem, assumere quancunque pœnam, vel dolorem nobis debitum: sed solum ea, quæ ipsum Christū decebant, & quibus se ostenderet euersorē pœnæ, potius quàm debitorē. Quo circa non est eadem ratio de pœna purgatorii, vel inferni. Et hoc est, quod vno verbo dixit acutè Caietanus, primā rationem D. Th. ex sol. ad 1. cōplendam esse. Et explicari amplius potest ex solutione ad 2. Decuit enim Christū assumere nostras pœnas, quæ nobis vtiles esse possent vel per modum satisfactionis, vel per modum applicationis satisfactionis iam factæ: descensus autē ad inferos, licet nō esset satisfactorius, tamen fuit conueniens medium ad applicandum iustis fructū passionis, iuxta illud Zachar. *In sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu.* Pœnæ autē purgatorij, vel inferni neq; perse nobis erant vtiles, quia illæ non sunt institutæ ad satisfaciendum pro alijs, sed ad purgandos, vel puniendos eos, qui eas patiuntur. Neque etiā erant medium ad applicandā satisfactionem Christi.

Obiectio. *Rufin.* *D. Thom. Responsio* *Zach. 9.*

Ex his satis expositæ relinquūtur 2. & 3. ratio, quæ perse sunt faciles, quanquā, si nudè sumantur, nō videantur probare de descensu locali, sed tantum secundum effectū, sed quia ipsa localis præsentia fuit medium accōmodatum ad eos effectus in inferno præstandos, qui in his rationibus enumerantur, nimirum vinctos eripere, expoliare principatus, & potestates, eisq; suam potentiā ostēdere, ac iustos visitare, & illuminare, ideò illis rationibus satis concluditur, etiam localē descensum fuisse conuenientē. Et hoc etiā est, quod Caietan. dixit, secundam rationē complendam esse ex solutione ad 2. Quæ amplius etiam roboranda est ex iis, quæ artic. sequenti D. Thom. tradit.

Solutiones ad 1. & 2. Iam sunt expositę, in solutione vero ad 3. multa dici possent de motu animæ separatæ, quæ omitto, quia philosophica sunt. Nō poterimus tamen nō attingere aliqua disputatione sequenti.

Vltimo obseruare oportet D. Thom. in in hoc ar. multa scripturę loca exponere, quæ nunc omittimus, quia sequenti disputatione expendenda sunt.

ARTICVLVS SECVNDVS: *Vtrùm Christus descenderit ad infernum damnatorum.* 287

AD secundū sic proceditur. Videtur, quòd Christus descenderit etiam ad infernū damnatorum: dicitur enim ex ore diuinæ 3. di. 22. q. 2. art. 1. q. 2. & opu. 60. ca. 21. circ. medium.

diuinæ Sapiẽtiæ Eccl. 24. Penetrabo omnes inferiores partes terræ. Sed inter partes inferiores terræ cõputatur etiam infernus damnatorum, secundum illud Ps. 62. Introibunt in inferiora terræ. Ergo Christus, qui est Dei sapientia, etiã vsque ad infernum damnatorum descẽdit. ¶ 2 Præterea, Act. 2. dicit Petrus, quòd Deus Christum suscitauit solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Sed dolores non sunt in inferno Patrum, neque etiam in inferno puerorum, qui non puniuntur pœna sensus propter peccatum actuale, sed solùm pœna damni propter peccatum originale. Ergo Christus descendit in infernum damnatorum, vel etiam purgatoriũ vbi homines puniuntur pœna sensus pro peccatis actualibus. ¶ 3. Præterea, 1. Pet. 3. dicitur, quòd Christus his, qui in carcere conclusi erant, Spiritu veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando. Quod, sicut Athanas. dicit in Epistola ad Epictetum, intelligitur de descensu Christi ad inferos: dicit enim quòd corpus Christi fuit in sepulcro positum, quando ipse perrexit prædicare his, qui in custodia erant, spiritibus: sicut dixit Petrus. Constat autem, quòd increduli erant in inferno damnatorum. Ergo Christus ad infernum damnatorum descendit. ¶ 4. Præterea, Aug. dicit in Epistola ad Euodium. Si in illum Abrahæ Sinum Christum mortuum venisse sacra Scriptura dixisset, non nominato inferno, eiusque doloribus, miror, si quisquam ad inferos eum descendisse asserere auderet: sed quia euidentia testimonia, & infernum commemorant, & dolores, nulla causa occurrit, cur illo credatur venisse Saluator: nisi vt ab eisdem doloribus saluos faceret. Sed locus dolorum est infernus damnatorum. Ergo Christus in infernum damnatorum descendit. ¶ 5. Præterea, Sicut Aug. dicit in quodam sermone de resurrectione, Christus ad inferum descendens, omnes iustos, qui originali peccato astricti tenebantur, absoluit. Sed inter illos erat etiam Iob, qui de seipso dicit, Iob. 17. In profundissimũ infernum descendent omnia mea. Ergo Christus etiam vsque ad profundissimũ infernum descendit. ¶ Sed contra est, quod de inferno damnatorũ dicitur, Iob. 10. Antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Nulla autem est conuentio lucis ad tenebras, vt dicitur 2. ad Corinth. 6. Ergo Christus, qui est lux, ad illum infernum damnatorum non descendit.

¶ Respondeo dicendum, quòd dupliciter dicitur esse aliquid alicubi. Vno modo per suum effectum, & hoc modo Christus in quemlibet infernorum descendit, aliter tamen & aliter. Nam in infernũ damnatorum habuit hunc effectum, quòd descendens ad inferos, eos de sua incredulitate, & malitia cõfutauit. Illis verò, qui detinebantur in purgatorio, spem gloriæ consequendæ dedit. Sanctis autem Patribus, qui pro solo peccato originali detinebantur in inferno, lumẽ æternæ gloriæ infudit. Alio modo dicitur aliquid esse alicubi per suam essentiam, & hoc modo anima Christi descendit solum ad locum inferni, in quo iusti detinebantur, vt quos ipsẽ per gratiam interius visitabat secundum diuinitatẽ, eos etiam secundum animam visitaret & loco. Sic autem in vna parte inferni existens effectum suum aliqualiter ad omnes inferni partes deriuauit, sicut & in vno loco terræ passus, totum mundum sua passione liberauit.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd Christus, qui est Dei sapientia, penetrauit omnes inferiores partes terræ, nõ localiter secundum animã omnes circumeundo, sed effectum suæ potentiæ aliqualiter ad omnes extendendo. Ita tamen

A

B

C

circa medium illius

est epi. 11. inter prin. & med. to 2.

Infer. 2. de resurr. qui est in ordi.

137 paulo á prin. 10.

men quod solos iustos illuminauit: sequitur enim. Et illuminabo omnes sperantes in Domino.

¶ Ad secundum dicendum, quòd duplex est dolor, vnus de passione pœnæ, quem patiuntur homines pro peccato actuali: secundum illud Psalm. 17. Dolores inferni circundederunt me. Alius autem dolor est de dilatione speratæ gloriæ: secundum illud Prouerbi. 13. Spes quæ differtur, affligit animam. Quem quidem dolorem patiebantur sancti Patres in inferno, ad quod significandum Augustin. in Infer. 2 de resurr. qui est. 137. in ord. a med. to. 10. sermone de resurrectione, dicit, quòd lacrymabili obsecratione Christum orabãt. Vtrosque autem dolores Christus soluit ad inferos descendens: aliter tamen & aliter. Nam dolores pœnarum soluit, præseruando ab eis; sicut medicus dicitur soluere morbum, à quo præseruat per medicinam: dolores autem causatos ex dilatione gloriæ actualiter soluit gloriam præbendo. ¶ Ad tertium dicendum, quod illud, quod ibi dicit Petrus, à quibusdam refertur ad descensum Christi ad inferos, sic exponentes verbum illud. His qui in carcere inclusi erant, ideſt, inferno; spiritu, ideſt, secundum animam, Christus veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando. Vnde & Damasc. li. 3. ortho. fid. cop. 29 dicit in tertio libr. quòd sicut his, qui in terra sunt, euangelizauit: ita & his, qui in inferno. Non quidem vt incredulos ad fidem conuerteret, sed vt eorum infidelitatem confutaret. Quia ipsa prædicatio nihil aliud intelligi potest, quàm manifestatio diuinitatis eius, quæ manifestata est infernalibus per virtuosum descensum Christi ad inferos. Augustinus Epist 99. a med. illius to. 2. tamen melius exponit in Epistola ad Euodium, vt referatur non ad descensum Christi ad inferos: sed ad operationem diuinitatis eius, quam exercuit à principio mundi. Vt sit sensus, quòd his qui in carcere concluſi erant viuentes, scilicet in corpore mortali (quod est quasi quidam A carcer animæ) spiritu suæ diuinitatis veniens prædicauit per internas inspirationes: & etiam exteriores ad monitiones per ora iustorum. His inquam prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, Noe scilicet prædicanti, quãdo expectabant Dei patientiam, per quam differebatur pœna diluuij: vnde subdit, in diebus Noe, cùm fabricaretur arca. ¶ Ad quartum dicendum, quòd Sinus Abrahæ potest secundum duo considerari: vno modo secundum quietem, quæ ibi erat à pœna sensibili: & quantum ad hoc non competit ei nec nomen inferni, nec sunt ibi aliqui dolores. Alio modo potest considerari quantum ad priuationem gloriæ speratæ: & secundum hoc habet rationem inferni, & doloris. Et ideo nunc dicitur Sinus Abrahæ, illa requies beatorum: B non tamen dicitur infernus, nec dicũtur nunc in Sinu Abrahæ esse dolores. ¶ Ad quintum dicendum, quòd sicut Gregor. ibidem dicit, ipsa loca superiora inferni profundissimum inferni uocat. Si enim quantum ad celsitudinem cœli, aer iste caliginosus infernus est, quantum ad eiusdem aeris altitudinem, terra quæ inferius iacet, & infernus intelligi, & profundum, potest. Quantum verò ad eiusdẽ terræ altitudinem, & loca illa inferni, quæ superiora sunt aliis receptaculis inferni, hoc modo inferni profundissimi appellatione significantur. lib. 13 Moral. c. 22 a med.

COMMENTARIVS.

C

SVpposita distinctione supra tradita D. Thom. duplici assertione respõdet. Prima est, secundum effectum Christum in quenlibet locum inferni descendisse. Quam explicat de gehenna, purgatorio, & Sinu Abrahã. Quia damnatos de sua incredulitate confutauit, & verisimile est Dæmones speciali tristitia, doloreq; affectos esse Christi gloriã, & triũphũ cõspiciẽtes: animas autẽ dãnatas etiã fuisse de nouo accidentaliter afflictas, & inuidia perculsas, videntes salutem vltimam cęteris hominibus aduenisse, de cuius ipsæ

participatione desperauerāt. Vnde intelligitur, hunc effectum solum fuisse per modum cuiusdā locutionis, seu reuelationis, qua datum est omnibus damnatis, vt Christi victoriam, atque triumphum conspicerent, quantum ad eorum confusionem satis esset. Hunc autem effectum D. Thom. non probat, sed quasi per se credibilem, & verisimilem affirmat, vel probatum supponit ex nonnullis testimonijs scripturę, quę in præcedēti articulo attigerat. Vt est illud Psalmi. 23. *Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales*, & illud ad Colo. 2. *Expolians principatus, & potestates traduxit confidenter palam, triumphans illos in semetipso.* Triumphus ergo Christi solennis fuit, ac publicus coram omnibus angelis, & animabus tam bonis, quàm malis, vt ex tunc *omnis lingua confiteretur dominum Iesum esse in gloria Dei Patris*, ad Philip. 2. Ex quo vlterius facilius explicatur, ac persuadetur effectus circa animas in purgatorio existentes. Nam illæ redemptionem suam perfectam esse agnouerunt, & spem obtinendi gloriam statim post perfectam purgationem conceperunt, quæ magnum eis gaudiū peperit. Denique, quòd in Sinu Abrahæ habuerit effectum, per se constat.

Christi triūphus, & gloria Dæmonibus, et damnatis infestissima.

Psal. 23.

Colos. 2.

Philip. 2.

De alio autē loco, scilicet limbo puerorum D. Thom. nihil dicit, neque explicat an, vel quomodo Christus in illum descenderit secundum effectum. Et in arti. 7. vbi de his pueris specialem habet sermonem, negat quidem Christum eduxisse eos pueros ab eo loco: nihil tamen explicat, quod in eis fuerit operatus. Caietan. verò in hoc articu. exponit, hos pueros comprehendi à D. Thom. sub damnatis, atque ita Christum habuisse in eis illum effectum, quem in aliis damnatis habuit, seruata proportione. *Quia confutati* (inquit) *sunt de malitia originalis peccati. & de incredulitate, quam nec propria, nec parentum fide euaserunt.* Quin potius addit Medina hic, locum horum puerorum non esse distinctum à loco aliorum damnatorum. Sed hoc posterius, & est contra communem sententiam Theologorum in. 4. dist. 45. vbi Paludan. Sotus & alij existimant, magis distare hunc locum à gehenna, quâm á purgatorio. Et multi etiam existimant satis probabiliter eum locum non futurum perpetuum habitaculū horum puerorum, sed solum vsque ad diem iudicij. Denique acerbissima esset pœna eos detineri in gehenna, *vbi nullus*

Caie.

Medin.

Palud.

Sot.

Iob. 10.

A *ordo, sed sempiternus horror inhabitat*, & in societate, ac consortio Dęmonum, & aliorum, qui perpetuò Deum blasphemant, & odierunt. Aliud verò, quòd Caietanus dicit, est vtcunque probabile: satis tamen dubium. Quia hi paruuli, cùm nihil propria voluntate peccauerint, non videntur digni hac noua afflictione, reprehensione, & confusione. Et quanuis fructu redemptionis Christi frui non meruerint: non tamen videtur pietati Christi consentaneū, vt eos contristaret, cùm ipsi per se impedimentum non posuerint, nec ipsius redemptioni fuerint ingrati. Et ideo forte D. Thomas de hoc effectu omnino tacuit, quia res erat dubia, & incerta. Quam latius tractandam, ac definiendam in proprium locum remitto, quia ex alio principio mihi pendere videtur, scilicet an illæ animæ puerorum nunc cognoscant originem status sui, & lapsum primi parentis, & Christi redemptionem sibi non applicatam. Nā

Caie.

Infantes in limbo existentes quid anima Christi in inferna descendente, persenserint.

B si hæc non cognoscunt, apertè sequitur, Christum non habuisse in eis illum effectum, quem Caietan. affirmat. Est autem verisimile hæc non cognoscere. Quia nec naturalia sunt, neque ad earum statum pertinere videntur, cum neque illis possint ad salutem prodesse, neq; oporteat, vt ad pœnam deseruiant, quia cum earum culpa nō fuerit personalis, sed quasi naturalis, satis esse videtur, quod patiantur generalem pœnam carendi visione beata, regnoque Cœlorum, absque alio dolore vel afflictione personali. Aliunde verò obstat, quod eæ animæ iudicantur iudicio priuato statim in morte, sicut postea in fine mundi iudicio iudicandæ sunt vniuersali: si autē

C iudicantur, necessarium videtur, ac rationi consentaneum, vt intelligant rationem, & causam sui status, quæ fuit lapsus earum in Adamo. Quod si hoc agnoscunt, verisimile etiam est habere notitiam redemptionis Christi, & consequenter Christum descendentem ad inferos habuisse in illis aliquem effectum, non directè, vt eas affligeret, & puniret: sed ad maiorem suam gloriam & honorem, vt ab omnibus aliquomodo cognosceretur & in veneratione haberetur. Et hæc pars magis nobis probatur, quam infra agētes de iudicio latius expendemus.

Secunda assertio D. Thom. est Christum vere, & secundum essentiam descendisse ad Sinum Abrahæ, sed non descen

descēdisse hoc modo ad alia loca inferni. Prior pars est certior, quā posterior: vtraque tamen longa examinatione, & disputatione indiget, quam infra trademus, in eaque varia testimonia, quæ D. Tho. in solut. argumentorum attigit, commodius explanabimus.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Christus fuerit totus in inferno.

288 opus. 3. ca. 236.

AD tertium sic proceditur. *Videtur, quòd Christus non fuerit totus in inferno. Corpus enim Christi est pars eius: sed corpus Christi non fuit in inferno: ergo totus Christus non fuit in inferno.*

¶ 2. Præterea, Nihil, cuius partes ab inuicem separatæ sunt, potest dici totum. Sed corpus, & anima, quæ sunt partes humanæ naturæ, q. 50. ar. 4 *fuerunt ab inuicem separata post mortem, vt suprà dictum est. Descendit autem ad infernum mortuus existens. Non ergo potuit esse totus in inferno.*

¶ 3. Præterea, Illud totum dicitur esse in aliquo loco, cuius nihil est extra locum illum. Sed aliquid Christi erat extra infernum: quia & corpus erat in sepulcro, li. 3. c. 7. circa prin. to. 9. *& diuinitas vbique. Ergo Christus non fuit totus in inferno. ¶ Sed contra est, quòd Augustinus dicit in libro de Symbolo. Totus Filius apud Patrem, totus in cœlo, totus in terra, totus in vtero Virginis, totus in cruce, totus in inferno, totus in paradiso, quò Latronem introduxit.*

P. p. q. 31. ar. 2. ad 4. argum. *¶ Respondeo dicendum, quòd sicut patet ex his, quæ in prima parte dicta sunt, masculinum genus refertur ad hypostasim, vel personam, neutrum autem genus pertinet ad naturam. In morte autem Christi, licet anima fuerit separata* q. 50. art. 2. 3. & 4. *à corpore, neutrum tamē fuit separatum à persona filij Dei, vt supra dictum est. Et ideo in illo triduo mortis Christi, dicendum est, quòd totus Christus fuit in sepulcro: quia tota persona fuit ibi per corpus sibi vnitū: & similiter, totus fuit in inferno: quia tota persona Christi fuit ibi ratione animæ sibi vnitæ: totus etiam Christus tunc erat vbique ratione diuinæ naturæ.*

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd corpus, quod tunc erat in sepulcro, non est pars personæ increatæ, sed naturæ assumptæ. Et ideo per hoc quòd corpus Christi non fuit in inferno, non excluditur, quin totus Christus fuerit: sed ostenditur quòd non fuit ibi totum, quod pertinet ad humanam naturam. ¶ Ad secundum dicendum, quòd ex anima & corpore vnitis, constituitur totalitas humanæ naturæ, non autem totalitas diuinæ personæ. Et ideo soluta vnione animæ, & corporis per mortem, remansit totus Christus, sed non remansit humana natura in sua totalitate. ¶ Ad tertium dicendum, quòd persona Christi est tota in quolibet loco, sed non totaliter: quia nullo loco circunscribitur. Sed nec omnia loca simul accepta eius immensitatem comprehendere possunt, quinimo ipse sua immensitate omnia comprehendit. Hoc autem locum habet in his, quæ corporaliter, & circunscriptiuè sunt in loco: quòd si totum sit alicubi, nihil eius sit extrà: sed hoc in Deo locum non habet. Vnde Augu. dicit in sermone de Symbolo. Non per diuersa tempora, vel loca dicimus vbique Christum esse totum, vt modò ibi totus sit, & alio tempore alibi totus, sed vt semper vbique sit totus.

li. 3. c. 7. in med. to. 9.

COMMENTARIVS.

IN hoc articulo non explicatur res noua, sed modus loquendi. Nā in re constat, Christū non descendisse ad infernū secundū totā humanitatem, sed tantū secūdum animā, cui tota persona Christi coniuncta erat, pro qua supponit Christus, cū

dicitur ad inferos descendisse. Hac ergo ratione dicitur Christus totus descendisse ad inferos, vt bene explicuit Durand. in. 3. d.22.q.2.

Solutio ad tertium notanda est, pro illa quæstione, an Deus sit extra mundum. Nam si attente legatur, aperte docet Diuus Thomas sententiam affirmantem. Dicit enim omnia loca simul accepta Diuinitatis immensitatem capere, vel comprehendere non posse. Vnde infert in Deo nō habere locum cum modum; ita extendi alicubi, vt extra non sit.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrū Christus aliquam moram traxerit in inferno.

289 3.d 22 q. 2. ar. 1 q. 3 Et op 00. c. 21. ci. fi

AD quartum sic proceditur Videtur, quòd Christus nullam moram traxerit in inferno. Christus enim ad hoc in infernū descēdit, vt ex eo homines liberaret. Sed hoc statim ab eo factum est in ipso suo descēsu: facile enim est in conspectu Dei, subito honestare pauperem, vt dicitur Eccles. 11. Ergo videtur, quòd nullam moram in inferno traxerit. ¶ 2. Præterea, Augustinus dicit in sermone de resurrectione, quòd sine aliqua mora, ad imperium Domini, ac Saluatoris omnes ferrei cōfracti sunt vectes. Vnde ex persona Angelorū concomitantium Christum, dicitur Tollite portas principes vestras. Ad hoc autem Christus illuc descendit, vt vectes inferni confringeret. Ergo Christus in inferno nullam moram traxit. ¶ 3. Præterea, Luc. 23. dicitur, quòd Dominus in cruce pendens dixit Latroni. Hodie mecū eris in paradiso. Ex quo patet, quòd eodem die Christus fuit in paradiso. Non autem secundum corpus, quod positū fuit in sepulcro, ergo secundum animam, quæ ad infernum descenderat. Et ita videtur, quòd non traxerit moram in inferno. ¶ Sed contra est, quòd Petrus dicit Act. 2. Quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni: iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Ergo videtur, quod vsque ad horam resurrectionis mā serit in inferno.

In ser. 1. de resurr. qui est in ordi 137. detēp. a med. illi° tom. 10.

¶ Respondeo dicendum, quòd sicut Christus, vt nostras pœnas in se susciperet, voluit corpus suum in sepulcro poni, ita etiam voluit animam suam ad infernum descendere. Corpus autem eius mansit in sepulcro per diem integrū, & duas noctes ad comprobandum veritatē mortis suæ. Vnde etiam tantundem credendū est, animam eius fuisse in inferno, vt simul anima eius educeretur de inferno, & corpus de sepulcro.

¶ Ad primum ergo dicendum quòd Christus statim ad infernum descendens Sanctos ibi existentes liberauit, non quidem statim educendo eos de loco inferni, sed in ipso inferno eos luce gloriæ illustrando. Et tamen conueniens fuit, vt tandiu anima eius remaneret in inferno, quādiu corpus manebat in sepulcro.

¶ Ad secundum dicendum, quòd vectes inferni dicuntur impedimenta, quibus sancti Patres de inferno exire prohibebantur, reatu culpæ primi parentis: quos Christus, statim descendens ad inferos, virtute suæ passionis, et mortis confregit. Et tamen voluit in inferno aliquā diu remanere propter rationem prædictam.

¶ Ad tertium dicendum, quod illud verbum Domini, est intelligendum non de paradiso terrestri corporeo, sed de paradiso spirituali: in quo esse dicuntur quicunque diuina gloria perfruuntur. Vnde Latro, loco quidem cum Christo ad infernum descendit, vt cum Christo esset: quia dictum est ei. Mecum eris in paradiso. Sed præmio in paradiso fuit, quia ibi diuinitate Christi fruebatur, sicut, & alij Sancti.

In cor. ar. Luc. 23.

COMMENTARIVS.

Sentē

SEntentia D.Tho. in hoc art. est, Christi animam fuisse in inferno vsque ad horam resurrectionis corporis è sepulcro. Qua de re postea. Nunc solum occurrunt obseruanda duo. Primum est circa modum loquendi D. Thom. Christus, vt nostras pœnas in se susciperet, voluit corpus suum in sepulcro reponi, & animam in infernum descendere. Nam in eo significat, existentiam corporis Christi in sepulcro, & animæ in inferno, fuisse pœnas à Christo susceptas. Et ita simpliciter lôquitur Caietan. hic, & Actor. 2. qui in hunc modum interpretatur verba illa Petri. *Quem Deus suscitauit a mortuis soluens doloribus inferni*, ideſt, liberando illum à pœnalitatibus, quas in inferno patiebatur. Quæ, duę fuisse censentur, nimirum esse animam separatam à corpore, & esse in loco vili, atque infimo: & aliæ duæ similes considerari possunt exparte corporis. Confirmat autem hoc Caietan. ex illo Psalmi. *Non derelinques animam meã in inferno*. Nam his verbis significatur fuisse beneficium animæ Christi concessum, liberari à loco inferni, & consequenter aliquã pœnam fuisse ibi existere: sicut in verbis, quæ statim Psalmista subiungit. *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, indicat aliam pœnã humani corporis, scilicet corruptionem eius, à qua Christus immunis fuit. Aliis verò non placet hic loquendi modus. Quia pœnæ, ac pœnalitates Christi in morte finitæ esse censentur, quia tũc fuit consummata nostra redemptio, propter quam Christus omnes pœnas, & pœnalitates assumpsit. Nec D. Thom. fauet priori sententię, vt ex iis, quæ in artic. 1. dicta sunt, colligi potest. Nam licet dicat Christum assumpsisse in anima, & corpore separatis id, quod in nobis habet rationem pœnę seu pœnalitatis: non tamẽ vnquam dixit in anima, & corpore Christi hæc habuisse rationem pœnæ, seu pœnalitatis. Quod ita explicari potest: nam in primis constat inter Catholicos Christi animam nullam tristitiam, vel dolorẽ, aut tædium sensisse ob descensum, vel detentionem in inferno. Quatenus ergo pęna indicat aliquid dolorem afferens, non potest illa vocari pœna. Et hoc sensu acutè dixit Bonauent. in 3. dist. 22. q. 4. Christũ fuisse in loco pœnæ sine pœna. Deinde certum est, neque animam Christi fuisse in inferno detentam, neque corpus in sepulcro positum in vindictam, vel supplicium, aut satisfactionem alicuius peccati. Quia nec Christus assumpsit hæc ad satisfaciendum pro nobis, nec ob aliquam aliam culpam erat debita huiusmodi pœna: ergo neque ea ratione possunt hæ vocari pœnæ, vel pœnalitates, scilicet, quatenus omne malum, seu carentia cuiuscunque boni propter culpam inflictam est pœna, licet fortè non sentiatur, neque dolorem afferat. Igitur nullo modo hæ possunt vocari pęnalitates Christi. Et hic modus loquendi videtur proprior, & securior. Quanuis dissensio sit de modo loquendi, quia de re inter catholicos constat. Possunt ergo dici carentiæ quædam aliquarum perfectionum, quę pœnã mortis consequutæ sunt, & assumptę ad veritatem mortis, & resurrectionis magis cõfirmandam: in se tamen non habentes veram rationem pœnæ: vt corpus Christi in sepulcro poni, detinerique ex morte consequutum est: tamen supposita morte illud non est pœna, sed commoditas potius corporis. Quod autem separatio animæ, & corporis facta per mortem aliquo tempore durauerit, necessitate quadam naturali consequutum est. Quòd verò illud tẽpus breuius, diuturnius ve fuerit, diuina voluntate definitũ est, nõ in pœnam animæ, vel corporis Christi, sed iuxta rationem diuinæ sapientiæ, prout ad bonum hominum, & Ecclesię magis expediebat. Loca verò scripturę quę Caietan. adducit, non rectè ab eo exponũtur. Illud enim Petri, *Solutis doloribus inferni*, non potest de iis pœnalitatibus (vt Caietan. loquitur) exponi propriè, cum certum sit, eas nullum animæ Christi dolorem attulisse. At cùm scriptura *dolores* vocat, cum proprietate intelligenda est, cùm facile possit. Quis autem sit proprius huius loci sensus, infra videbimus. Verba autem Psalm. 15. *Non derelinques animam meam in inferno*, licet concedamus indicare aliquod Dei beneficium, vel potius accidentale prœmium debitum illi animæ, non solum ratione vnionis, sed etiam ratione meritorum, non tamen indefit carentiam illius boni fuisse propriè pœnã: sed medium quoddam accommodatum ad exequẽdum ea, quę Deus circa homines disposuerat, vt art. 1. etiam tactum est.

Secundo est obseruandum, quod D. Thomas ait, simul animam Christi edu-

Caie. Act. 2.

Psa. 15.

Psalm. 15.

Descensus in infernum nulla animæ Christi pœna fuit sicuti nec sepultura corpori.

Bonauent.

Dubium. ctam fuisse de inferno,& corpus de sepulcro. Nulla enim ratione videtur hoc posse consistere,quia corpus non exiuit de sepulcro nisi viuum,atque adeò anima informatum: non potuit autem informari ab anima,&virtute eius educi de sepulcro nisi prius,vel per vnũ instãs anima in ipso sepulcro fuerit vnita corpori.Nã illa vnio necessario in aliquo loco faciẽda fuit,ergo vel in sepulcro,vel extra: si extra sepulcrũ, ergo non potuit ab ipsa anima, & virtute eius educi de sepulcro. Quia prius saltem natura debuisset educi:repugnat autẽ animam prius natura mouere corpus, quàm illi vniatur,debuit ergo vnio fieri in sepulcro,ergo necessarium fuit animãprius educi de inferno,& ad sepulcrum adduci, quam corpus inde exire, ergo non potuerat simul educi corpus de sepulcro, & anima de inferno. Respondetur,argumentũ mea sententia conuincere, aliqua morula, vel duratione eductam prius animam de inferno,quam corpus de sepulcro.Hoc vero iuxta diuersas sententias de motu spiritualium rerũ diuersimode explicari potest.Suppono enim hic non esse confingenda miracula sine necessitate:sed potiꝰ præsuppositis mysterijs,ac supernaturalibus operibus,quæ docet fides, in ceteris rebus id seruatum esse,quod est magis cõnaturale,quoad fieri possit.Atque ita sine disputatione,& controuersia sumo,animã Christi non fuisse simul in duobus locis distantibus,item in vno instanti nostri tẽporis fuisse iterum corpori vnitam. Hæc enim magis connaturalia sunt,neque fuit vlla necessitas illa immutandi. De motu autẽ animæ separatæ,sicut & angeli, quidam sentiunt,non posse transire de extremo ad extremum nisi per medium: quod si ita est,necessarium fuit aliquam vel breuissimam moram temporis consumi ab exitu animæ Christi de inferno vsq; ad instans,in quo fuit in sepulcro corpori vnita,et consequenter toto illo tempore prius exiuit ipsa de inferno,quàm corpus de sepulcro. Quod si quis velit hanc sententiam(quæ valde probabilis est)defendere potest exponere Diuum Thom. cùm dicit *simul*,non loqui adeò mathematice,sed morali modo, idest,non prius exiuit anima, quam veniret ad assumendũ corpus. Alij verô sentiunt posse animam, sicuti angelum transire ab extremo ad extremũ sine medio,quod de corporibus gloriosis

Responsio Anima Christi de inferno,& corpus de sepulcro simul educta quomodo.

Durand.

A Durandus, & alij affirmant. Quod probabilius erit de anima beata:saltem supernaturali virtute debita ratione beatitudinis,præsertim animę Christi ratione vnionis. Et iuxta hanc sententiam tantum per vnum instans oportuit animam Christi prius exire de inferno, quam corpus de sepulcro. Nam illudmet instans, quod fuit primum non esse animæ Christi in inferno,fuit primum esse eius in sepulcro, & in eodem fuit corpori vnita, atque immediate post eduxit corpus de sepulcro. Et hoc modo saluatur dictum D.Thomæ in sensu magis rigoroso. Quia in eodem instanti,in quo anima mota est ab inferno, cępit etiã corpus è sepulcro moueri vnũquodque tamen modo sibi accommodato. Nam si verum est(vt infra videbimus) corpus illud eductum fuisse per medium, penetrando saxum sepulcro impositum, negari etiam non potest,quin aliquod tẽpus consumpserit,priusquam de sepulcro B prodiret. Quo toto tempore verum est dicere,prius animam fuisse extra infernum, quâm corpus extra sepulcrum, & nihilominus possunt dici simul educta,quia toto illo tempore iã corpus educebatur,modo sibi accommodato,vt dixi. *Luc.23.*

Solutiones argumentorum D. Thom. sunt faciles. Verba autem illa Christi,quæ in sol.ad 3.tractat, *Hodie mecum eris in paradiso*, partim sunt in superioribus exposita,& in sequentibus nonnihil addemus.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrûm Christus descendens ad inferos, sanctos Patres inde liberauerit.



AD quintum sic proceditur. Videtur, quòd Christus descendens ad inferos, sanctos Patres inde non liberauerit. Dicit enim Augu. in epistola ad Euodium. Illis iustis, qui in Sinu erant Abrahæ, cùm Christus in inferna descẽderet, nõdum quid contulisset, inueni: à quibus eum secundum beatificam præsentiam suæ diuinitatis, nunquam video recessisse. Multum autem eis contulisset, si C

290 3.di.22 q. 2,ar.2 q.1 Etop.3.ca. 242. Est epi.99 declinando ad medium illius.to.2.

eos

tum autem eis contulisset, si eos ab inferis liberasset. Non ergo videtur, quod Christus sanctos Patres ab inferis liberauerit.

¶2. Præterea, Nullus in inferno detinetur, nisi propter peccatum. Sed sancti Patres dum adhuc viuerent, per fidem Christi iustificati fuerant à peccato. Ergo non indigebant liberari ab inferno, Christo ad inferos descendente.

¶3. Præterea, Remota causa, remouetur effectus. Sed causa descendendi ad inferos est peccatum, quod fuit remotum per passionem Christi, vt suprà dictum est. Non ergo per descensum Christi ad inferos sancti Patres sunt de inferno educti.

q.50.ar.6. Inser.2.de resurr. qui est.137. in ord. post med.to.10

¶Sed contra est, quod Augustin. dicit in sermone de resurrectione, quòd Christus quando ad inferos descendit, portam inferni & vectes confregit, & omnes iustos, qui originali peccato astricti tenebãtur, absoluit.

Art.præc. ad.2.arg

¶Respondeo dicendum, quòd (sicut suprà dictum est) Christus descendens ad inferos, operatus est in virtute suæ passionis. Per passionem autem Christi liberatum est genus humanum, non solùm

q.49.ar.3 & q.50. ar.6.

à peccato, sed etiam à reatu pœnæ, vt suprà dictum est. Dupliciter autem homines reatu pœnæ erant astricti. Vno modo pro peccato actuali, quod quilibet in sua persona commiserat. Alio modo pro peccato totius humanæ naturæ, quod à primo parente in omnes originaliter deuenit: vt dicitur Rom. 5. Cuius quidem peccati pœna est mors corporalis, & exclusio à vita gloriæ, (vt patet ex his quæ dicuntur Genes. 2. & 3.) nam Deus hominem de paradiso post peccatum eiecit, cui ante peccatum mortem fuerat comminatus, si peccaret. Et ideo Christus descendens ad inferos, virtute suæ passionis ab hoc reatu Sanctos absoluit, quo erant à vita gloriæ excluſi, vt possent Deũ per essentiam uidere, in quo consistit perfectahominis beatitudo, vt in secunda parte dictum est. Per hoc autem sancti Patres detinebantur in inferno, quòd eis ad vitam gloriæ, propter peccatum primi parentis, aditus non patebat. Et sic Christus descendens ad inferos, sanctos Patres ab inferis liberauit. Et hoc est quod dicitur Zachar. 9. Tu verò in sanguine Testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. Et Coloss. 2. dicitur, quòd expolians principatus & potestates, scilicet infernales, auferendo Abraham, Isaac & Iacob, & cæteros iustos, traduxit eos, ideſt, lõgè ab hoc regno tenebrarum ad cœlum duxit, vt gloss. ibidem dicit.

P.2.q.3.ar ti.8.

glo.inte.& ord. simul.

¶Ad primum ergo dicendum, quòd Augustinus ibi loquitur contra quosdam qui æstimabant antiquos iustos ante aduentum Christi, in inferno doloribus pœnarum fuisse subiectos. Vnde parum ante verba inducta præmittit dicens. Addunt quidam hoc beneficium antiquis etiam Sanctis fuisse concessum, vt Dominus cùm in infernum venisset, à doloribus soluerentur. Sed quonam modo intelligatur Abraham, in cuius sinum etiam pauper ille susceptus est, in illis fuisse doloribus, ego quidem non video. Et ideò cum posteà subdit, se nondum inuenisse quid descensus Christi ad inferos, antiquis iustis contulerit, intelligendum est, quantum ad absolutionem à doloribus pœnarum: contulit tamen eis quantũ ad adeptionem gloriæ: & per cõsequens soluit eorũ dolorem, quem patiebantur ex dilatione gloriæ. Ex cuius tamen spe magnũ gaudiũ habebant: secũdũ illud Ioan. 8. Abrahã pater vester exultauit, vt videret diem meũ. Et ideo subdit, A quibus eum secundũ beatificam præsentiam suæ diuinitatis, nunquã video recessisse: in quantum scilicet, ante aduentum Christi erant beati in spe, licet nondũ essent perfecti è beati in re. ¶Ad secundum dicendum, quòd sancti Patres

Lococitato in argu,

Est Epi. 99 ante medium to 2.

tres dum adhuc viuerent, liberati fuerunt per fidem Christi ab omni peccato tam originali, quàm actuali: & à reatu pœnæ actualium peccatorum: non tamen à reatu pœnæ originalis peccati, per quẽ excludebantur à gloria, nondum soluto pretio redẽptionis humanæ. Sicut etiam nunc fideles Christi liberantur per baptismum à reatu actualium peccatorum, & à reatu originalis, quantum ad exclusionem à gloria: remanent tamen adhuc obligati reatu originalis peccati, quantum ad necessitatem corporaliter moriẽdi: quia renouantur secũdum spiritum, sed nondum secundum carnem: secũdum illud Rom. 8. Corpus quidem mortuũ est propter peccatum: spiritus vero viuit propter iustificationem. ¶ *Ad tertium dicendum, quòd statim Christo mortem patiente, anima eius ad infernũ descendit, & suæ passionis fructum exhibuit Sanctis in inferno detentis: quanuis ex loco illo non exierint, Christo apud inferos commorante: quia ipsa Christi præsentia pertinebat ad cumulum gloriæ.*

COMMENTARIVS.

SEntentia D. Thom. in hoc art. & litera eius est clara ex ijs, quæ in proxima disputatione tractata sunt. Solum in solutione ad. 3. potest desiderari expositio illorum verborum D. Tho. *Statim Christo mortem patiente, anima eius ad infernũ descendit, & suæ passionis fructum exhibuit sanctis in inferno detentis.* Loquitur enim de fructu passionis, non quocũq;: sed de fructu æternæ beatitudinis. Hic enim maximè desiderabatur ab illis Patribus, & ferè hic solus illis deerat. Et de hoc fuerat sermo in responsione, & ratione corporis articuli. Inquiri verò potest, quomodo intelligendum sit illud, *statim*, an scilicet in eodem instãti mortis Christi sancti Patres fuerint ab ipso illuminati. Sed de hoc postea disputabimus.

D. Thom.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum Christus aliquos damnatos ab inferno liberauerit.

291 3 d. 22 q. 2. ar. 2. q. 2. et op. 3. cap. 242.

AD sextũ sic proceditur. *Videtur quòd Christus aliquos damnatos ab inferno liberauit. Dicitur enim Isa. 24. Cõgregabitur congregatione vnius fascis in lacum, & claudentur ibi in carcere, & post multos dies visitabũtur. Loquitur autem ibi de damnatis, qui militiam cæli adorauerant. Ergo videtur, quòd etiã damnati, Christo descendente ad inferos, sint visitati, quod ad eorum liberationem videtur pertinere.* ¶ *2. Præterea, super illud Zacha. 9. Tu autem in sanguine Testamẽti tui eduxisti vinctos de lacu, in quo nõ erat aqua. Dicit glo. Tu eos liberasti, qui tenebantur vincti i carceribus, vbi nulla misericordia eos refrigerabat, quam dies ille petebat. Sed soli damnati includuntur carceribus absque misericordia: ergo Christus liberauit aliquos de inferno damnatorum.* ¶ *3 Præterea, Potentia Christi non fuit minor in inferno, quàm in hoc mũdo: vtrobique enim operatus est per potentiam suæ diuinitatis, sed in hoc mundo, de quolibet statu aliquos liberauit, ergo etiã in inferno liberauit aliquos etiam de statu damnatorum.* ¶ *Sed contra est, quòd dicitur Oseæ. 13. Ero mors tua ò mors, morsus tuus ero inferne, glo. Electos educendo, reprobos ibidem relinquendo. Sed soli reprobi sunt in inferno damnatorum. Ergo per descensum Christi ad infero, non sunt aliqui de inferno dãnatorum liberati.*

glo. interlinea. ibid.

Art præc.

glo. int. ibi.

¶ *Respõdeo dicendum, quòd (sicut supra dictum est) Christus descendens ad inferos, operatus est in virtute suæ passionis. Et ideo eius descensus ad inferos, illis solis liberationis contulit fructum, qui fuerunt passioni Christi coniuncti per fidem caritate formatam, per quam peccata tolluntur. Illi autem qui erant in inferno damnatorum, aut penitus fidem passionis Christi non habuerant sicut infideles: aut si fidem habuerant, nullam conformitatẽ habebant ad caritatem Christi patientis.*

tis. Vnde nec à peccatis suis erant mundati. Et propter hoc, descensus Christi ad inferos non contulit eis liberationem à reatu pœnæ infernalis.

¶ Ad primum ergo dicẽdum, quòd Christo descendente ad inferos, omnes qui erant in quacunque parte inferni sunt taliqualiter visitati: sed quidam ad suam cõsolationem, & liberationem, quidam autem ad suam confutationem & confusionem, sicut damnati. Vnde ibidem subditur, Et erubescet luna, & confundetur sol, &c. Potest etiam hoc referri ad visitationem, qua visitabuntur in die iudicij: non vt liberentur, sed vt amplius condemnentur: secundum illud Sophoniæ. 1. Visitabo super viros defixos in fecibus suis. Posita in argu. 2. *¶ Ad secundum dicendum, quòd cùm dicitur in glo. Vnde nulla misericordia eos refrigerabat, intelligendum est quantum ad refrigerium perfectæ liberationis: quia sancti Patres ab illis inferni carceribus ante Christi aduentum non poterant liberari. ¶ Ad tertium dicendum, quòd non fuit propter Christi impotentiam, quòd non sunt aliqui liberati de quolibet statu infernalium, sicut de quolibet statu mũdanorũ: sed propter diuersam virorumque cõditionem. Nam homines quandiu viuunt possunt ad fidẽ & charitatem conuerti: quia in hac vita non sunt homines confirmati in bono, vel malo, sicut post exitum ab hac vita.*

COMMENTARIVS.

DOctrina D. Tho. in hoc artic. communis est, & clara, quanuis Medina hic quatuor contra illa argumẽta obiiciat, quæ cuiq; Theologo (vt dicit) possunt facessere negotiũ. Sed quarta difficultas, quæ ab eo tangitur, ad materiam pertinet de suffragiis: & quod hoc loco necessarium videtur, attingemus postea. Alia verò tria argumenta sunt eadem omnino, quæ D. Thom. proposuit, quæ ipse eisdem verbis repetit, & soluit nulla expositione addita, quia reuera in D. Thom. A sunt adeò perspicua vt nulla indigeant.

Solum circa testimoniũ illud Hai. 24. (Q in solutione primi argumenti exponitur) *Congregabitur congregatione vnius fasciis in lacum, & claudentur ibi in carcere, & post multos dies visitabuntur*, aduertendum est, hoc testimonio vsum fuisse Origenem ad confirmandum suum errorem, inferni pœnas aliquando finitum iri. Sed ex toto discursu illius capitis, & ex verbis consequentibus constat Prophetam non loqui de visitatione ad consolandum, seu liberandum à pœna: sed ad puniendos, seu confundendos peccatores. Nam de hac paulo ante dixerat: *Visitabit Dominus super militiam cęli.* Vbi Hieronymus. *Visitabit* (inquit) *ægrotantem militiam*, secundum illud. *Visitabo in virga peccata eorum, & in flagellis iniquitates eorum.* Et post alia verba subiungit. *Erubescet luna, & confundetur sol.* Quæ sunt verba vindictæ, & iræ, vt rectè hic notauit D. Tho. Non potest ergo ex hoc loco colligi liberatio aliqua damnatorum. Vnde (si expenatur de descẽsu Christi ad inferos) intelligitur visitasse damnatos, eos conuincendo, & corripiẽdo. Et hæc est prima expositio D. Thom. Sed non est literalis, quia neque cum antecedentibus, & consequentibus cohęret, neque in toto eo capite fit mentio de hoc mysterio. Magis ergo ad rem videtur secunda expositio, vt ibi fit sermo de visitatione, quæ fiet in die iudicij, vbi Christus quasi de nouo dãnatos condemnabit. In toto enim illo capite de vltima mundi consummatione sermo est. Testimonij Isai 24. Expositio. Origen. Hieron. Psa. 88.

Solum est difficultas in ipso contextu verborum. Premiserat enim Propheta. *Et erit in die illa, visitabit Dominus super militiam cęli*, quæ dies intelligitur esse dies iudicij, vt Hieronymus, & omnes exponunt. Vnde in illo intelligitur futurum esse, quod statim subditur. *Et congregabuntur congregatione vnius fasciis in lacum, & claudentur in carcere.* Ergo illa visitatio, quæ post multos dies futura dicitur, non videtur posse intelligi de visitatione futura in die iudicij: sed multo tempore post illam. Propterea Adamus, & alij censent illis verbis, *Et post multos dies visitabuntur*, significari potius perpetuitatem eiusdem pœnæ: ac si propheta diceret, visitabit Dominus peccatores condemnando illos, *& post multos dies*, ideſt, post quodcunque tẽpus, ac semper visitabit, quia semper puniet. Et hæc B C Hieron. Adamus.

est satis commoda expositio. Potest autē retineri expositio D.Thom. dicendo, in verbis illis, *Post multos dies visitabuntur*, nō addi visitationem à priori distinctam: sed explicari eam futurā esse post multos dies, statim enim subditur. *Erubescet luna, & confundetur sol*, quæ propriè ad diem iudicij pertinent, vt Hieronymus exposuit. Cyrillus verò hæc omnia multò aliter explicat, scilicet de idololatria per Christi aduentum tollenda, & de potestate Dæmonum per Christū ablata, ipsis virtute eius quasi in custodiam, & carcerem conclusis. Quę expositio in illo uideri potest, latè enim eam persequitur.

D.Thom.

Hieron. Cyr.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum pueri, qui cum originali peccato decesserant, fuerint a Christo liberati.

292 3 dist.22. q. 2. ar 2 q.3 Et op.3. c. 242.

AD septimū sic proceditur. Videtur, quòd pueri qui cū originali peccato decesserant, fuerint per descensum Christi liberati ab inferno. Non enim tenebantur in inferno, nisi pro peccato originali, sicut & sancti Patres: Sed sancti Patres ar 4. huius q. 2. ad 2. sunt ab inferno liberati per Christum, vt supra dictum est. Ergo & pueri similiter per Christum sunt ab inferno liberati. ¶ 2. Præterea, Apostolus dicit Roman. 5. Si vnius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit. Sed propter peccatum primi parentis, pueri cum solo originali peccato decedentes, in inferno detinentur. Ergo multo magis per gratiā Christi sunt ab inferno liberati. ¶ 3. Præterea, Sicut baptismus operatur in virtute passionis Christi, ita & descēsus eius ad inferos, vt ex dictis patet. Sed pueri per baptismū liberantur à peccato originali & ab inferno. Ergo similiter liberati sunt per descensum Christi ad inferos. ¶ Sed cōtra est quod Apostolus dicit Rom. 3. quòd Deus proposuit Christū propitiatorē per fidem in sanguine eius. Sed pueri, qui cum solo peccato originali decesserant, nullo modo fuerant participes fidei Christi. Ergo nō perceperūt fructū propitiationis Christi, vt per ipsum ab inferno liberarētur.

ar. 5. & 6. præc.

¶ Respondeo dicendum, quòd (sicut supra dictū est) descensus Christi ad inferos, in illis solis effectum liberationis habuit, qui per fidem, & caritatem passioni Christi coniungebantur, in cuius virtute descensus Christi ad inferos liberatorius erat. Pueri autem, qui cum originali peccato decesserant, nullo modo fuerant coniuncti passioni Christi per fidē, & dilectionem. Neque enim fidem propriam habere potuerant, quia non habuerant vsum liberi arbitrij: neque per fidem parētum, aut per aliquod fidei sacramentū fuerāt à peccato originali mūdati. Et ideo descēsus Christi ad inferos huiusmodi pueros non liberauit ab inferno. Et præterea sancti Patres ab inferno sunt liberati, per hoc quòd sunt ad gloriam diuinæ visionis admissi, ad quam nullus potest peruenire nisi per gratiam secundum illud Rom. 6. Gratia Dei vita æterna. Cum igitur pueri cum originali peccato decedentes, gratiam non habuerint, non fuerunt ab inferno liberati.

art præc.

¶ Ad primū ergo dicendū, quòd sancti Patres, etsi adhuc tenerentur astricti reatu originalis peccati, in quātum restituit humana natura, tamen liberati erant per fidem Christi ab omni macula peccati: & ideo capaces erāt illius liberationis, quā Christus attulit descendens ad inferos. Sed hoc de pueris dici non potest, vt ex suprà dictis patet. ¶ Ad secundum dicendum, quòd cùm Apostolus dicit, quòd Gratia Dei in plures abūdauit, ly plures, non est accipiendum comparatiuè: quasi plures numero sint saluati per gratiam Christi, quam damnati per peccatū Adæ, sed absolutè: ac si diceret, quòd gratia vnius Christi abundauit in multos, sicut & peccatum vnius Adæ peruenit ad multos. Sed sicut peccatum Adæ ad eos

Incorp ar.

tantum

tantum peruenit, qui per seminalem rationem carnaliter ab eo descenderunt, ita gratia Christi ad illos tantum peruenit, qui spirituali regeneratione, eius membra sunt facti, quod non competit pueris decedentibus cum originali peccato.

¶ Ad tertium dicendum, quòd baptismus adhibetur hominibus in hac vita, in qua homo potest transmutari de culpa in gratiam, sed descensus Christi ad inferos exhibitus fuit animabus post hanc vitam, vbi non sunt capaces transmutationis prædictæ. Et ideo per baptismum pueri liberãtur à peccato originali, & ab inferno: non autem per descensum Christi ad inferos.

COMMENTARIVS.

REsponsio D. Tho. est, Christum dominum non liberasse eos pueros ab æterna pœna damni, quam patiuntur. Ratio eius est, quia Christus descendēs ad inferos, in illis solis effectum liberationis habuit, qui per fidem, & caritatem passioni Christi coniungebantur, & similiter illis solis contulit gloriam, qui gratiam habebant, cùm gloria non cõparetur nisi per gratiam. Sed dicet aliquis hoc esse, quod inquiritur, scilicet an Christus descendēs ad inferos aliquibus contulerit caritatem & gratiam, quam ante non habebant. Videtur enim hoc fieri potuisse saltem in ijs paruulis, qui non habebant voluntatē ita repugnantem diuinæ dilectioni, sicut alij damnati, qui sunt in inferno. Ad hoc ergo respondet D. Tho. in sol. ad. 3. Tempus á Deo deputatum, vt possit homo transmutari de culpa in gratiam, esse tempus huius vitæ, post illam verò iam non esse tempus huius transmutationis. Et hæc est ratio à priori assertionis tam huius art. quàm præcedentis. Illa enim pœna ex diuina lege est æterna, & ideò descendens Christus ad inferos illam non immutauit, neque huiusmodi damnatis sua merita applicuit. Quæ ratio alio etiam modo explicari potest ex solutione ad. 1. scilicet, neminem peruenire ad Dei visionem nisi per fidem: at hi paruuli nunquam habuerunt fidem Christi, & ideo non fuerunt capaces, vt per visionem beatam ab illo statu liberarentur. Ille autem status sicut non erat status viæ, neque meriti, ita non erat status acquirendi fidem, perquam peruenireturad speciē.

Christus descendens in infernũ pueros in limbo existentes non liberauit.

Ex qua doctrina obiter obserua, neminē saluari, qui non prius in hac vita fidem, & gratiam saltem habitualē habuerit. Quod vtile est ad definiēdā illā quæstionē de infantibus, qui per martyriū saluãtur, an iustificētur, ante instās mortis, nec ne. Quod quęri etiā solet de infante baptizato, si cõtingat eum mori in eodem instāti, in quo baptismus perficitur. Ex quibus etiā quæstionibus possent desumi argumenta contra discursum D. Thom. in hoc art. si verũ esset in eis casibus posse hos infantes immediate ad gloriam pertransire, etiamsi in hac vita nec fidem, nec gratiam essent cõsequuti. Responderi verò potest esse dissimilem rationem, quia illi in hac vita receperunt ordinaria media destinata ad salutem consequendam, nimirum baptismum aquæ, vel sanguinis, & ita quodammodo dici possunt habuisse fidem, quia habuerunt baptismum, vel professionem fidei in actu exercito. Veritas tamen est, infantibus martyribus dari gratiam ante mortis instans, quando iam naturaliter amplius viuere non possunt. In illo autem casu de baptismo, existimo illum non esse baptismum essentialiter perfectum, defectu subiecti, ideoque nec conferre gratiam, nec fidem ante mortis instans, nec postea. De qua re latius in materia de baptismo.

Nemo saluatur, nisi prius in vita fidē & gratiam habuerit.

In solutione ad. 2. recte exponit, Diuus Thom. locum illum ad Romanos 5. *Non sicut delictum, ita & donum. Si enim vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum, in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.* Dicit enim, verbum illud, *in plures*, non esse sumendum comparatiue, sed positiuè, vt idem sit in plures, quod in multos. Quę expositio, licet videatur difficilis, quia Paulus comparationem videtur facere, cum dicit, *multo magis*: tamen est communis omnium, & omnino vera, ac necessaria. Tum quia quoad effectum, seu efficaciam plures homines condemnantur, quàm saluentur (vt recte D. Thom. docet) & tam ex scriptura, quã ex reipsa est satis notum: eiusque rei causam attigimus superiori tomo disp. 4 sect. 4. Tum etiam quia quoad sufficientiã, omnes ex æquo ceciderunt in Adamo, & redempti sunt per Christum. Comparatio

Rom. 5.

D. Thom.

ergo

ergo Pauli hoc loco non fit in numero personarum: sed in maiori dignitate personæ Christi, maiorique virtute gratiæ eius, quantum est ex parte illius. Quod euidentius patet ex textu Græco. Nã vbi nos legimus, *multi*, & *plures*, Græcis est eadem vox, nempe πολλοι, & πολλὰς.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrum Christus suo descensu liberauerit animas à purgatorio.

293 3.di.22.q.2.ar.2.q.4 Et opus.3.cap.242. Est epi.69 in ordi.epistolarũ non remote ante me.to.2.

AD octauum sic proceditur. Videtur, quòd Christus suo descensu ad inferos, liberauerit animas à purgatorio. Dicit enim Augustinus in Epistola ad Euodiũ. B *Quia euidentia testimonia & infernum commemorant, & dolores, nulla causa occurrit, cur illo credatur venisse Saluator, nisi vt ab eisdem doloribus saluos faceret. Sed vtrum omnes, quos in eis inuenit, an quosdam, quos illo beneficio dignos iudicauit, adhuc requiro: fuisse tamen Christum apud inferos, & in eorum doloribus constitutis hoc beneficium præstitisse nõ dubito. Non autem præstitit beneficium liberationis damnatis: sicut supra dictum est. Præter eos autem nulli sunt in doloribus pœnalibus constituti, nisi illi, qui sunt in purgatorio.* Ergo Christus animas de purgatorio liberauit. ¶ 2. *Præterea, Ipsa Christi præsentia nõ minorẽ effectũ habuit, quã sacramẽta ipsius. Sed per* C *sacramẽta Christi liberãtur animæ à purgatorio, et præcipuè per Eucharistiæ sacramentum, vt infrà dicetur.* Ergo multo magis per præsentiam Christi ad inferos descendentis sunt animæ à purgatorio liberatæ. ¶ 3. *Præterea, Christus quoscunque curauit in hac vita, totaliter curauit, vt Augus. dicit in libr. de Pœnitentia, &* Ioan.7. *Dominus dicit, Totum hominem saluũ feci in sabbatho. Sed Christus eos qui in purgatorio erant, liberauit à reatu pœnæ damni, quo excludebantur à gloria.*

ar.6.huius quæst.

q.79 ar.2

In lib. de vera & falsa pœnit.c.9. post mediũ tom.4.

Ergo etiã liberauit eos à reatu pœnæ purgatorij. ¶ *Sed contra est, quod Gregor. dicit in 13. Moral. Dum conditor ac redẽptor noster claustra inferni penetrãs, electorum exinde animas eduxit, nos illò ire non patitur, vnde iam aliis descendendo liberauit. Patitur autem nos ire ad purgatorium: ergo descẽdens ad inferos, animas à purgatorio non liberauit.*

li.13.c.29 circa finẽ.

¶ *Respondeo dicendum, quòd (sicut sæpe dictum est) descensus Christi ad inferos, liberatorius fuit in virtute passionis ipsius. Passio autem eius non habet tẽporalem virtutem & transitoriam, sed sempiternam, secundum illud Hebræ.10. Vna oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos. Et sicut patet, quòd nõ habuit tunc maiorem efficaciam passio Christi, quàm habeat nunc. Et ideo illi, qui fuerunt tales, quales nũc sunt, qui in purgatorio detinentur, nõ fuerunt à purgatorio liberati per descensum Christi ad inferos. Si qui autẽ inuenti sunt tales quales etiam nunc virtute passionis Christi à purgatorio liberantur, tales nihil prohibet per descensum Christi ad inferos, à purgatorio esse liberatos.*

art.4.5 & 7.huius quæst.

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd ex illa auctoritate Augus. non potest concludi, quòd omnes illi qui in purgatorio crãt, fuerint à purgatorio liberati, sed quòd aliquibus eorum fuerit hoc beneficium collatũ: illis scilicet, qui iam sufficienter purgati erant, vel etiam quidam adhuc viuerent, meruerunt per fidem & deuotionem ad mortem Christi, vt eo descendente, liberarentur à temporali purgatorii pœna.*

¶ *Ad secundum dicendum, quòd virtus Christi operatur in sacramentis per modum sanationis & expiationis cuiusdam, Vnde Sacramentum Eucharistiæ liberat hominem a purgatorio, in quantum est sacrificium quoddam satisfactorium pro peccato. Descensus autem Christi ad inferos nõ fuit satisfactorius, operabatur tamen in virtute passionis, quæ fuit*

satis-

q. 49 ar. 3 et alij eius dem quæſt.

ſatisfactoria: vt ſuprà habitũ eſt. Sed erat ſatisfactoria in generali, cuius virtutem oportebat applicari ad vnumquenque per aliquid ſpecialiter ad ipſum pertinẽs. Et ideo non oportet, quòd per deſcenſum Chriſti ad inferos, omnes fuerint a purgatorio liberati. ¶ *Ad tertium dicendum, quod illi defectus, a quibus Chriſtus in hoc mundo ſimul homines liberabat, erant perſonales, propriè ad vnumquenque pertinentes, ſed excluſio a gloria Dei, erat quidam defectus generalis pertinens ad totam humanam naturam. Et ideo nihil prohibet eos, qui erant in purgatorio, per Chriſtũ eſſe liberatos ab excluſione a gloria: non autem a reatu pœnæ purgatorij, qui pertinet ad proprium defectum. Sicut econtrario ſancti Patres ante Chriſti aduentum liberati ſunt a propriis defectibus: non autem a defectu communi, ſicut ſupra dictum eſt.*

q. 49 ar. 5

COMMENTARIVS.

NOn eſt facilis doctrina D. Thom. in hoc ar. duas enim aſſertiones ſtatuit. In prima, negat Chriſtum deſcendendo ad inferos liberaſſe omnes animas, quæ in purgatorio erant, redditque rationem. Quia paſsio Chriſti non habuit tunc maiorem efficaciam, quàm nunc habeat: quia eius virtus non eſt tranſitoria, ſed eadem ſemper: ſicut ergo nunc non liberat omnes animas à purgatorio, donec ſoluant, ita nec tunc. Deinde verò ſubiungit, ſecundam aſſertionem in hæc verba. *Si qui autem inuenti ſunt tales, quales etiam nũc, virtute paſsionis Chriſti a purgatorio liberantur, nihil prohibet per deſcenſum Chriſti ad inferos a purgatorio eſſe liberatos.* Affirmat ergo Chriſtum deſcendendo ad inferos aliquos a purgatorio liberaſſe. Quam aſſertionem non aliter probat, videtur tamen eam poſuiſſe propter autoritatem Auguſ. quam in argumento primo refert, vt in eius ſolutione clarius explicat. In hac verò doctrina, primum difficilis eſt ratio D. Thom. in prima aſſertione, quia ſimili ratione poſſet concludi, noſtra ſacramenta non magis iuſtificare nunc ex opere operato, quàm ſacramenta vetera, quia virtus paſsionis Chriſti ſemper eſt eadem. Quòd ſi dicas, licet in ſe ſit eadem, tamen aliter operari in vno tempore, & aliter in alio: eâdem ratione concludam: licet in ſe ſit eadem, plura tamen operari in vno tempore, quàm in alio, & interdum per vnum medium, interdum per aliud. Sicut ergo nũc applicatur virtus paſsionis per ſuffragia Eccleſiæ ad liberandas animas â purgatorio, ita potuit tunc applicari per deſcenſum ad inferos, vel per impetrationẽ Chriſti, qui propter ſuę præſentiæ dignationẽ potuit hoc meritò poſtulare. Deinde eſt difficultas, quomodo cohæreat ſecunda aſſertio cum ratione ad probandam priorem aſſertionem adducta. Interrogo enim, qui ſunt illi, qui liberati ſunt? ſi dicatur (ex ſolutione ad 1.) fuiſſe eos, qui ſufficiẽter purgati erant: hoc certe nihil eſt, quia ſi iam ipſi ſufficienter ſoluerãt, nõ ſunt per Chriſti diſcenſum liberati à purgatorio. Nam eodem tempore educerentur, etiamſi Chriſtus illuc non deſcendiſſet: quanquam tũc non fuiſſent ſtatim aſſumpti ad viſionem beatam, ſicut modo fuerunt: per hoc tamẽ non tam fuerunt liberati à purgatorio, quàm à Sinu Abrahæ, & a pœna, quã ibi reliqui Patres ſancti ſuſtinebant. Si verò dicas (ex eadem ſolu. ad 1.) liberatos fuiſſe eos, qui dum adhuc viuerent, meruerunt per fidem, & deuotionem ad mortem Chriſti, vt eo deſcendente liberarentur a temporali purgatorij pœna: quæro rurſus, an iſti per illam fidem, & deuotionem reuera meruerint in hac vita remiſsionem alicuius pœnæ, & illa tantum remiſſa fuerit in purgatorio: & ſi hoc dicatur, redit argumentum factum, quòd illis nulla facta ſit remiſſio propter deſcenſum Chriſti, ſed ſuis actibus, & pœnis ſufficienter ſoluerint. Vel præter omne meritum, & ſatisfactionem ipſorum operantium aliqua pœna gratis remiſſa eſt a Chriſto ad inferos deſcendente propter priorem fidem, & deuotionem, tâquam propter diſpoſitionem aliquam, vel meritum de congruo. Et contra hoc procedit ratio articuli, quia nunc nullus liberatur gratis a purgatorio virtute paſsionis Chriſti, etiam ſi æqualem, vel maiorem fidem, & deuotionem habuerit ad paſsionẽ, quam illæ animæ habuerunt: ergo neque illæ gratis liberatæ ſunt, quia virtus paſsionis ſemper eſt eadem. Quod ſi cæteris exiſtentibus paribus ex parte animarũ, aliquæ tunc liberatæ ſunt, quæ nunc non liberantur, iam falſa eſt propoſitio, quam D. Tho. in priori parte artic. poſuit, ſcilicet: *Illi, qui*

fuerunt

fuerunt tales, quales nunc sunt, qui in purgatorio detinentur, non fuerunt a purgatorio liberati per descensum Christi ad inferos.

Per descẽsum Christi ad inferos num liberatæ a purgatorio sint animæ

Respondetur nihilominus, D.Tho. doctrinam piam esse, & probabilem. Voluit enim extrema vitare, vt neque omnes animas purgatorij affirmaret esse liberatas, neque de omnibus negaret. Fũdamentum autem primæ assertionis ita videtur explicandum, quod passio Christi de se solum est quædã vniuersalis causa, quæ, licet virtutem habeat sufficientem ad saluandum: tamen reipsa non saluat, neque liberat à pęnis, nisi per conueniẽtia media applicetur. Descensus autem ad inferos per se nõ erat medium quasi certa lege statutum ad applicandam Christi passionem, & satisfactionem, & ideo per se, & infallibiliter non liberauit Christus nisi eos, quibus per fidem viuam, & sufficientia media, erat Christi passio applicata ad perfectam remissionẽ peccatorum, vt erant propria vniuscuiusq; personę, quia iam per mortem Christi erat impedimentum naturæ ablatum. Vnde tãdem concluditur, nulla sufficienti ratione affirmari posse, Christum generaliter omnes animas purgatorij liberasse. Et contra hanc rationem sic explicatam non procedit obiectio. Nam virtus passionis secundum ordinariam legem applicari solet per sacramẽta, & ita hæc sunt media per se statuta ad hunc effectum, ideoque potest aliter applicari per quædam sacramenta, & aliter per alia: descensus autem ad inferos non fuit medium institutum ad applicanda merita, & satisfactionẽ passionis Christi. Et ideo quãuis fateamur, potuisse Christum sua voluntate, vel impetratione applicare illis sua merita, & pro illis soluere, nullum tamen est fundamentum ad asserendũ ita esse factum. Et hinc responderi potest ad secundam difficultatem, quomodo hæc ratio non repugnet secundæ assertioni. Nã illa solum probat, non esse id asserendũ generaliter de omnibus, quia ad hoc oporteret esse aliquam certam legem: tamen si in quibusdam inuenta fuit aliqua specialis ratio, seu congruitas, piè, ac probabiliter credi potest, beneficium hoc illis esse concessum. Hæc autem specialis ratio, & cõgruitas videtur sufficiens fuisse in iis, qui singularem aliquam perfectionẽ fidei, ac deuotionis, erga Christum, vel passionẽ, aut gloriam eius habuerũt. Neq; obstat, quod aliquę animæ, quæ nunc habent tantam fidem, & deuotionem, nõ statim à purgatorio liberentur. Quia non dicimus satis esse ipsam fidem, vel deuotionẽ, nisi simul intercedat aliqua alia causa vel occasio, ob quam congruum sit, hoc beneficium liberationis alicui concedi. Vnde illa comparatio, quam D.Thom. facit inter eos, qui nunc sunt, & qui tunc erãt in purgatorio, cum hac proportione intelligẽda videtur. Quòd sicut nũc aliquæ animę liberantur à purgatorio per passionem Christi non ex lege iustititię, sed ex Dei benignitate propter aliquam congruentiam fundatam aliquo modo in fide, & merito illarum: ita ex simili benignitate, liberatæ sint aliquæ alię, in quibus similis fides, & meritum inuentum est, quando Christus ad inferos descendit. Et hęc dicta sint ad explicandã mentem D.Tho. De re vero ipsa nonnihil postea addemus.

DISPVTATIO. XLIII.

In quatuor sectiones distributa.

De statu, quem anima Christi habuit a corpore separata.

SVpponimus animam Christi Domini eo tempore, quo fuit à corpore separata, fuisse plenè, perfecteque beatam quoad visionẽ, amorem, ac fruitionẽ Dei, retinuisseq; omnes perfectiones scientię, & gratiæ, quibus, cum esset coniuncta corpori, prędita erat, vel in substantia sua, vel in intellectu, & voluntate. Quod est omnino certum, tum quia hę perfectiones non pendent à corpore, vnde si est certum fuisse beatam in corpore (vt in 1.tom. probatum est) multò magis extra. Tum etiã quia de fide est, mansisse vnitam Verbo Dei, ratione cuius vnionis omnia hæc illi debentur. Denique quia etiam propter infinita merita debitum illi esse potuit, vt nunquã eis priuaretur. Cum enim propter ea merita potuerit etiam alios eo tempore beatificare, multo magis necessariũ fuit eam tunc fuisse beatam. Quia verò fieri potuit, vt anima illa existens in corpore, simul aliquid passa fuerit, vel ab extrinseco agẽte, vel per internam cogitationẽ, ideò inquirendum superest, an idem acciderit Christi animæ iam separatæ à corpore. Primo ergo inquiremus, an statim in morte facta sit omnino impassibilis, atque adeo omni

ex

ex parte beata, deinde vbi fuerit, ac tandē quid egerit.

SECTIO PRIMA.

An anima Christi per separationem facta sit omnino impassibilis.

PRima sententia est hæreticorum huius temporis, animā Christi post mortem non solum fuisse passibilem, sed etiam pœnas inferni pertulisse: & (quod mirandum maximè est) non loquuntur de aliqua pœna sensus proueniente ab agēte extrinseco, v.g. igne (hanc enim ipsi etiam in alijs spiritibus esse negant) sed loquuntur de interna, & spirituali afflictione proueniēte ex interna cogitatione, qua (vt inquiunt) apprehendebat Deum, vt sibi iratum, & infestum, & ideo de sua salute timebat. Vnde necesse erat anxietatem magnam animi, ac diros cruciatus pati. Ita docuerunt Caluinus, & Brentius, quos alij sequuti sunt. Fūdamentum eorum fuisse videtur, vt exaggerarent Christi cruciatus, & dolores, & credibile redderent (quod vehementer optabāt) nostras satisfactiones iam nō esse necessarias. Vnde videntur illa ratione vti, quam supra circa art. 1. D. Tho. attigimus. Quia Christus debuit sustinere omnes pœnas, quas nostra peccata merebantur, iuxta illud Isa. 53 *Disciplina pacis nostræ super eum.* Sed nostra peccata merebātur gehēnæ pœnā, ergo oportuit, vt Christ⁹ illa etiā afficeretur. Præterea mouere eos potuit, quia ipsi non agnoscunt proprium infernum, qui sit locus corporeus, & subterraneus, & ideò, vt explicent scripturas dicentes, Christum descendisse ad inferos explicant, hoc nihil aliud fuisse, quàm humiliatum esse vsque ad pœnas inferni patiendas. Adhibēt rursus aliqua scripturæ testimonia, ita perperam intellecta, vt in eis referendis immorari inutile sit. Præsertim quia potissima sunt ea, in quibus explicatur timor, & tristitia, ac magna pœna, quā Christus in passione & cruce sustinuit. Propter quæ in eam dementiam Caluinus incidit, vt diceret, Christum ab initio suæ passionis, seu ab ea tristitia, quam est in horto passus, prædictos inferni dolores sensisse. Ea vero omnia testimonia partim in priori tomo (vbi in genere de tristitia, ac timore Christi egimus) partim in superioribus disputationibus (vbi hæc mysteria in particulari tractauimus) exposita sunt, nōnulla etiā attingemus in sequētisententia, quia illi communia sunt.

Isa. 53.

Secunda sententia esse potest, Christi animam post mortem fuisse passibilem, non passione aliqua inordinata, quę aliquam culpam, vel errorem, aut ignorantiam supponat: sed passione innoxia, & irreprehensibili. Vel interna, qualis esse posset tristitia aliqua de hominum peccatis, aut de pœnis damnatorum, quatenus mala eorum sunt, vel quid simile. Vel quasi extrinseca vt. v. g. pœna ignis, aut alia simili. Ita enim sensisse aliquos refert hic Med. Et quanuis neminem pro hac sententia referat, significat tamen fuisse Catholicos, neque ipse eorum sententiam damnat, vt hæreticam, sed tantum, vt temerariam. Quia licet dicerent Christum passum fuisse pœnas damnatorum: non tamē eo modo, quo damnati, scilicet inuolūtariè, aut cum interna deordinatione: sed voluntariè pro peccatis nostris, & ex maxima caritate. Bonau. etiam in. 3. d. 21. ar. 2. q. 1. incertum esse dicit, an anima Christi statim post mortem fuerit impassibilis, quanuis probabilius id existimet: & eum sequutus est Gabriel ibi, dub. vltimo. Potestque hæc sententia fundari in illo Act. 2. *Quem Deus suscitauit a mortuis solutis doloribus inferni.* Nam his verbis significatur in resurrectione solutam fuisse Christi animam à doloribus inferni. Item Psalm. 57. in persona Christi dicitur, *Dolores inferni circundederunt me,* Et in. 87. *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, & in vmbra mortis.* Ratio etiam adiungi potest, quia non fuit repugnantia, quod anima Christi separata â corpore, etiam si videret Deum, pateretur. Quia sicut passa est per corpus, ita etiam pati potuit immediate, quia tristitia & dolor vtroque modo redundat in eandem voluntatem, non est ergo repugnantia. Neq; etiā est indecentia. Quia non est contra aliquā virtutem: imò potuit esse opus magnæ caritatis, & accommodatum ad exaggerandā malitiam peccati. Denique propter has causas, in corpore separato ab anima aliquid pati voluit, ergo etiam in ipsa anima separata â corpore pati potuit.

Medin.

Bonau.

Gab.

Act. 2.

Psalm. 57.

Isal. 87.

Tertia sententia referri potest; animam Christi domini in triduo aliquam pœnam extrinsecam, & (vt ita dicam accidentariā) fuisse perpessam: non ita, vt eam aliquo dolore,

lore, vel tristitia afficeret: sed ita, vt aliquo accidentario bono eam priuaret. Ita Caietanus, vt supra vidimus in comment. articul. 5.

Caie.

Dico tamen primò, animam Christi neque in corpore, neque â corpore separatam passam esse internos cruciatus, & afflictiones, quas damnati patiũtur, ex eo quod apprehendunt Deum sibi iratum, & quia de sua salute desperant. Hæc assertio est de fide, & contraria est hæretica, & blasphema. Et in primis quod Christus in passione nec fuerit incertus de sua salute, nec formidauerit, quin Pater se, suamque humanitatẽ diligeret, satis in priori tomo, & in hoc etiam in superioribus demonstratum est: & illa Christi verba sufficiunt, quæ Caiphæ dixit. *Amodo videbitis filium hominis venientem in nubibus Cęli, &c.* Et quę dixit latroni. *Hodie mecum eris in paradiso.* Quæ ponderãs Hilar. lib. 10. de Trinit. quasi nouos hæreticos impugnans. *An ne tibi* (inquit) *metuere infernum credendus est, dicens latroni, hodie mecum eris in paradiso? Dominus communionẽ ei paradisi mox pollicetur, tu Christum sub pœnali terrore constituis?* Illa etiam verba, quæ Christus dixit mulieribus, non parum veritatem hanc declarant. *Nolite flere super me sed super vos ipsas flete. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Ac si diceret, se tantum pati temporalem pœnam: grauiorẽ verò peccatoribus seruatam esse. Præterea hi hæretici non solum supponunt Christi animam non vidisse Deũ in hac vita mortali: sed etiam faciunt illam ignorantem, & subiectam erroribus, & inordinatis, atque indeliberatis motibus: imò & peccatis, vel desperationis, vel immoderati timoris, qui in desperationem posset inducere, & verba desperationis extorquere. Quæ omnia sunt manifestæ blasphemię. Lege Robertũ Bellarminum lib. 4. de Christi anima, c. 8. vbi acutè Caluinum premit propriis eius verbis, ac sententiis secum pugnantibus. Quod verò neque post separationẽ à corpore pati potuerit anima Christi huiusmodi genus pœnæ, euidenter constat ex illo principio, quod tanquam de fide certũ posuimus, eam animam semper vidisse Deũ, & quę in sequenti assertione adducemus, hoc etiam conuincunt.

Anima Christi cruciatus damnatorũ nullo modo passa.

Matth. 27 Luc. 23. Hilar. Luc. 23.

Bellarmin.

Dico secundo. Anima Christi separata à corpore non est passa pœnã sensus, seu ignis inferni, vel purgatorij. Hanc assertionem existimo etiam esse de fide, & contrariam non solum temerariã, sed etiam hęreticã, quanuis non sit adeò impia, & blasphema, sicut præcedens. Quia nõ tribuit Christo defectus scientię, gratiæ, & gloriæ repugnantes, sicut illa. Probatur conclusio, & censura illius. Quia licet non inueniatur in terminis hęc veritas ab Ecclesia definita: tamẽ in scriptura, prout ab omnibus Sanctis, & vniuersa Ecclesia intelligitur, continetur, & ex aliis principiis fidei necessariò colligitur. Vtrumq; probatur, primo ex illis verbis Christi Luc. 24. *O stulti, & tardi corde ad credendũ, nonne oportuit pati Christũ, & ita intrare in gloriã suam?* Vbi euidẽter loquitur de passione crucis, post quam non inferni pœnam, sed gloriã, & triumphum dicit fuisse sequutũ. Deinde cũ latroni dixit. *Hodie mecum eris in paradiso*, apertè supposuit, se futurum non in gehennæ doloribus, ac cruciatibus: sed plenum gaudio, & fruitione beata. Præterea in illo verbo, *Consummatum est*, significauit Christus, & passiones suas, & redemptionem nostram in morte fuisse consummatas, iuxta illud, quod ipse dixerat Luc. 18. *Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ dicta sunt a Prophetis de filio hominis.* Si autem omnes prophetæ euoluantur, inuenientur prædictę passiones eius vsque ad corporis mortem, non tamẽ post illã duraturas fuisse Psal. 21. Isai. 53. &c. Denique hoc egregiè confirmat Paulus ad Philippen. 2. dicens. *Exinaniuit semet ipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Ibi ergo fuit terminata obedientia Christi de redimendis hominibus, & illa fuit summa exinanitio, post quam non fuit sequuta maior pœna: sed potius gloria, & triumphus. Vnde subdit. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestriũ, & infernorũ.*

Anima Christi separata a corpore ignem inferni, vel purgatorij passa nõ est

Luc. 24.

Luc. 23.

Ioan. 19.

Luc. 18.

Psal. 21. Isai. 53. Philip. 2.

Vnde possumus secundo argumentari. Nam licet sancti Patres doceãt, Christum ad inferna descẽdisse: simul tñ docent non vt reũ, aut pęnis subiectum, sed vt victorẽ, ac triumphatorẽ descendisse, eiq; (vt Paulus dictis verbis indicauit) omne genu etiã in ipsis infernis fuisse curuatũ. Quam rem elegãtissimè descripsit Aug. sermo. 137. de tẽpore, ad hoc ipsum inducens verba illa Oseę. 13. *Morsus tuus ero inferne, Tũc enim* (inquit) *dominus noster Iesus Christus illũ tenebrarum, & mortis principem colligauit, legiones illius perturbauit*, & infra, in eãdẽ sententiam inter-

Christus triumphantis instar infernum penetrat.

Aug. Osee. 13. Ioann. 12.

interpretans illud Ioã. 12. *Si exaltatus fuero a terra, omnia trahã ad me ipsum. Postquã exaltatus est,* (inquit) *id est, a Iudæis in cruce suspensus, mox vt spiritũ reddidit, vnita suæ diuinitati anima ad inferorũ profunda descendit, cumq; tenebrarum terminum, quasi deprædator splendidus, ac terribilis attigisset, aspicientes eũ impiæ, ac tartaricæ legiones, territæ, ac trementes inquirere cæperunt, dicentes. Quis nã est iste terribilis, & niueo splendore coruscans? Nunquã noster talem excepit Tartarus. Inuasor iste, non debitor, exactor est, non peccator: iudicẽ videmus, non supplicem. Hic, si reus esset, tã potens non esset.* Et post multa similia, quę eleganter persequitur inquit. *Quis ergo iste est, qui sic intrepidus nostros fines ingreditur? & non solum nostra supplicia non vereatur, insuper & alios de vinculis nostris absoluit?* Simili modo loquitur Cyril. Ieros. cat. 14. *Exterrita est mors videns nouum quemdam descendentem in infernum, vinculis, quæ illic sunt, non ligatum.* Idẽ significat Hieron. Oseæ 13. & ad Ephes. 4. Hilarius li. 10. de Trini. Ambros. lib. de mysterio Paschę, cap. 14. & alij, quos infra referemus. Ex quibus satis constat, hanc veritatẽ perpetuò in Ecclesia fuisse creditã tanquã certã, & indubitatam, ergo hoc satis est, vt existimanda sit de fide certa.

Cyr. Iero. *Hieronym.* *Hilar.* *Ambros.*

Tertio, de fide est, animas sanctas, si sint omnino puræ, nullumq; reatum pœne habeant, cũ separantur à corpore, nõ experiri pœnas purgatorij, nedum inferni: ergo multo magis eadẽ certitudine idẽ est de Christi anima sentiendũ, nõ ergo illã attigit ignis inferni, cùm nullã haberet culpã, nec purgatorij, cùm nullũ haberet pœnæ reatũ. Et reuera si autores secundi erroris supra citati constanter loquerentur, potius dicere deberent Christum passum fuisse pœnas purgatorii, quàm inferni. Quia voluntariè, & excaritate, ac breui tẽpore illas passus fuisset, in quibus circunstantiis pœna purgatorii censetur differre á pœna inferni. Quis autẽ neget esse hæreticũ dicere, Christi animam sine vllo reatu pœnæ, purgatorii pœnas sustinuisse, cũ de qualibet alia anima iusta ita sentire, hæreticũ sit? Dices, Christũ nõ esse passum ob reatũ pœnæ, quã ipse sua causa deberet: sed nostri causa, & vt fideiussor, ac redẽptor noster. Sed huic euasioni obstãt alia principia fidei. Primum, quod purgatorii pœna non est instituta ad satisfaciendũ pro aliis (hoc enim est prorpium officiũ huius vitæ,) sed ad satisfatiẽdum pro proriis reatibus, ac debitis. Deinde, (quod præcipuũ est,) quia secundũ fidẽ Christus in cruce pleniſsimè soluit pro nobis, nostrã consumãs redẽptionẽ, ad Hebrę. 9. & 10. & pretiũ, quod soluit, non fuit pœna purgatorii, sed sanguis 1. Pet. 1. 1. Ioan. 1. Apocalyp. 5: & ideo nostra redẽptio morti eius, non pœnalitatibus inferni singulariter tribuitur, ad Roman. 5. ad Colossen. 1. De qua re multa cõgesimus in priori tomo disp. 4. & disput. 13. sect. 6. & disp. 39. sect. 3. Ergo post mortẽ, nec suimet causa, nec vt fideiussor habuit aliquẽ reatũ, aut debitum pœnæ, ergo nullo modo pati potuit pœnas purgatorii, vel inferni. Et hinc facile colligi potest propria ratio huius veritatis, quam in sequenti conclusione magis explicabo.

Hebr. 9. et 10. *1. Petr. 3.* *1. Ioann. 1.* *Apocal. 5.* *Rom. 5.* *Colos. 1.*

Dico tertio, anima Christi domini ab instanti, in quo fuit à corpore separata, fuit omnino impassibilis. Ita cẽsent theologi supra citati, sed illi probabiliorem duntaxat existimant hanc assertionem: mihi tamen ita certa est, vt cõtraria omnino improbabilis, temeraria, atque errori proxima videatur. Et in primis suppono, animã rationalem à corpore separatã suapte natura esse impassibilem passione extrinsecus illata, quæ ad corruptionem tẽdat. Est enim spiritualis, quæ à corporibus naturaliter pati non potest, neq; ab vlla creatura alterari, corrũpi vel. Solum posset ex natura rei ab spiritib⁹ naturæ superioris per vim alicubi detineri, quod genus quoddã passionis existimari potest. Certũ est autẽ animã Christi à nullo potuisse hanc vim pati, quia ratione vnionis habebat vim, & efficaciã supra omnes spiritus. Vnde etiã in corpore mortali existens eos suo nutu, ac voluntate mouebat. Rursus potest anima separata ex natura rei pati passione, vel receptione aliqua intentionali, recipiẽdo aliquã speciẽ, vel speciei modũ, vel à Deo, vel per loquutionẽ, & illuminationẽ ab alio spiritu. Hęc vero receptio ex suo genere nõ pertinet ad passionẽ pœnalẽ, de qua nunc loquimur, sed potius pertinere potest ad passionẽ perfectiuam, quæ habere non potuit locum in anima Christi separata, cum esset omni scientia plena: nisi fortasse in spirituali locutione, quę ad præsentẽ materiã nõ spectat. Non. n. hic explicãdũ est, quomodo angeli loquantur cum Christo, vel nũc in gloria, vel cum anima eius in triduo. Potest tñ hæc qualiscunq;

Anima Christi post mortem omnino impassibilis.

Anima rationalis separata pati quid possit.

impressio ad passionē pœnalē pertinere, quādo inuolūtarie recipitur, vel est de re, quæ possit tædiū, tristitiā ve parere. Quod genꝰ passionis inuenitur sine dubio in gē henna, & fortasse etiā in purgatorio animę sanctæ aliquid huiusmodi patiuntur: in Christi autē anima habere locum non potuit. Quia cum rōe vnionis esset omnibus creaturis superior, nihil inuoluntariè ab eis pati, seu recipere poterat. Propter quā causam etiā in hac vita corpori vnita non potuit à Dæmonibus pati suggestionē aliquā internā, vt in superioribus dictum est. Cum verò esset Deo vnita, & plene beata, nec quicquā simile ab ipso Deo pati, nec aliquod ei obiectū repræsentari poterat, ꝙ illā contristaret. Quia diuina fruitio nullam vel minimā tristitiā secū admittit: igitur cōsiderata natura animę rationalis et super additis animę Christi vniōe hypostati ca, et visione beata, necessitate quadā naturali sequitur, vt illa anima separata ex natura rei sit impassibilis, quia prēterpassiones enumeratas nulla alia excogitari potest.

Superest, vt probemus etiā supernaturaliter fuisse impassibilē animā Christi ab instanti mortis. Quod facile fiet, si supponamus nō esse sermonē de potentia remota, sed proxima. Potentiā remotā voco solam potentiā obedientialē cum non repugnantia, neq; implicatione cōtradictionis. Quo certè sensu non solum in triduo, sed etiam nunc animą Christi est passibilis, & oēs angeli beati pati possunt: tñ ab hac potentia non denominantur res, absolutè, & simpliciter loquendo, præsertim si constet, lege, ac promissione diuina statutū esse, vt nunquā reducatur in actum. Potētia ergo proxima in prēsenti dicetur, si fingamus alicui creaturæ datā esse instrumētariā virtutē, vt passionē aliquā in anima Christi separata posset efficere: vel si diuinitus ordinatum esset, vt aliqua tristitia posset affligere illā animā, nō obstante fruitione beata. Et hoc sensu negamus potuisse illā animā supernaturaliter pati, sed potius fuisse impassibilē. Et ꝓbatur primo quia cū hoc miraculū neq; scriptū sit, neq; traditū, & sit præter dignitatē, & meritū vnionis hypostaticæ, temerè fingeretur. Et in hoc est maxima differētia inter animā separatā, & cōiunctā. Quia dū est in corpore passibili naturaliter pati pōt ab extrinsecis agētibus, quę Deus agere permittit sine nouo miraculo, secꝰ verò, quādo iā est separata. Atq; eadē est differētia inter animā, & corpus inter se separata. Nā corpus siue cōiunctū, siue separatū ab anima naturaliter pati pōt, & ideo mirum nō est, quod corpus Christi in triduo aliquid passum fuerit. Quia non fuit necessarium, vt Deus supernaturaliter oēm actionē naturalē impediret: sed solum eā, quæ corruptionē afferret, aut quę Christum nō deceret. At verò e contrario anima naturaliter nihil pati poterat, & nō oportuit, vt Deus aliquod instrumentū eleuaret, vel miraculū faceret, quò illa pateretur. Vnde est secunda ratio, quia Christus nō assumpsit passiones, seu potentiā proximā patiendi, nisi propter operandā nr̄am salutē, & hac rōe miraculosè effecit, vt anima existēs in corpore, etiāsi beata esset, capax foret tristitię: sed cōsummauit opus nostrę salutis, dū in corpore mortali vixit. Ergo nō est, cur anima iā à corpore separata, supernaturaliter fieret passibilis: fuit ergo statim impassibilis. Maior ꝓpositio de fide est, vt latè tractaui superiori to. disp. 5. Minoretiā est de fide, vt paulo ante probatū est. Et hęc est potissima differētia inter animā Christi cōiunctā, & separatam, propter quā, licet in vtroq; statu fuerit beata, et vnita Verbo: in vno tñ fuit passibilis, & nō in altero. Tertio repeto argumentū supra factū, quia animæ sanctæ, post mortem saltē Christi, statim sunt glorioſę, & impassibiles, si nihil habeant purgādum: ergo multo magis anima Christi domini, propter easdem rationes, quibus similis consequentia supra probata est.

Quod tandē ita declaro, nam vel anima Christi de facto aliquid passa est in triduo, vel nō: primū dici non pōt, vt probāt omnia, quæ in secūda cōclusione adduximus. Illa. n. generaliter procedūt de quauis passione. Conuincitur etiā exēplo aliarū animarū iustarū, quæ post Christi mortē nihil purgandū habēt. Ac præterea quia nihil fingi, aut excogitari pōt, ꝙ tūc anima Christi passa fuerit, cū neq; gehennę, neq; purgatorij pœnas sustinuerit, neq; illud tædiū, vel tristitiā, quam sancti Patres ante Christi mortē patiebantur, nā potius suo aduentu, & descensu ad inferos cā abstulit. Nec verò ipse descensus ad inferos, aut existentia in eo loco potuit Christum affligere, quia nō erāt ei inuolūtaria: neq; ibi existebat, vt reus, sed vt victor, & Dñs. Denique neq; peccata hominum, neque pœnę damnatorum, quas intuebatur, tristitiam parere potuerunt, aut ex caritate, & zelo diuini honoris, aut ex caritate, & cō-

passione

passione proximorum. Alioqui etiam nūc posset Christus, & quilibet alius beatus ex earundem rerū consideratione tristari: non tū ita est, quia ratione status non sunt capaces tristitiæ, & quia omnia illa considerant sub ordine diuinæ prouidentiæ, ac iustitię, quam præferunt omnibus creaturarum cōmodis, & iudicant omnia illa in maiorem Dei gloriā, & honorem cedere: eadē autem ratio est de anima Christi in triduo, quæ (vt diximus) nullam habuit causam, vel rationē, vt miraculosè aliquā tristitiam in se admitteret, nihil ergo passa est ab instanti mortis, ergo ex tunc fuit impassibilis, quandoquidem nec secundū propriam naturam, & dispositionem patì poterat, nec diuinitus ordinatum erat, vt aliquid pateretur.

Dico quarto, anima Christi in triduo caruit quidem aliquibus perfectionibus gloriæ accidentalis: propriè tū nullam pœnam sustinuit. Hanc conclusionem satis explicui in cōmentariis ar. 1. & 5. Et patet breuiter prior pars, quia caruit corpore, & omnib⁹ gaudiis, & operationib⁹, quæ per corpus nunc operatur, caruit etiā loco cœlesti, vt infra dicā. Posterior pars probatur, quia his bonis non caruit in supplicium, vel pœnam alicuius culpæ: sed quia propter alias rationes diuinæ prouidentiæ ita expediebat. Adde hoc ipsum nunc etiā dici posse de Christo in cœlo regnante. Adhuc enim caret aliquo præmio accidētali: imò & aliqua mala extrinseca suffert, quæ impropre dicentur mala pœnæ. Adhuc.n. à multis blasphematur, & in multorū mētibus infamiā sustinet, quia à multis adhuc existimatur seductor, & iniquus. Vnde caret perfecta, ac integra exaltatione nominis sui: caret honore, & adoratione sibi ab omnibus debita: caret denique societate multorum prædestinatorum, atque adeo integro cōplemento sui corporis mystici. Quę omnia ad gloriam, & præmium accidentale pertinent: non tū propterea dici potest adhuc sustinere aliquam pœnam, propter eandē rationem supradictam. Sicut etiā inquantū Deus caret honore debito à multis, & fama, & existimatione debita: non tamen propterea dici potest aliquā perpeti pœnam.

Anima Christi in triduo nullā propriè pœnam sustinuit.

Ad fundamenta primi erroris nihil ferè oportet respondere, quia omnia aliis erroribus nituntur. Primo enim falsum est per Christi redēptionē factū esse, vt nostræ dispositiones, & satisfactiones non sint necessariæ. Deinde etiā est falsum, debuisse Christū nos redimere per easdē pœnas, quibus peccatū in hac vita nō remissum, in futura punitur. Alioqui etiā in æternū debuisset in inferno puniri: pœnæ ergo huius vitæ satis, superque fuerunt, cū essent infiniti valoris. Præterea valde errāt, dum negant esse propriū locū inferni, vt facile cōstare potest ex disputatione præcedēti, & nōnulla addemus sect. sequenti.

Responsio ad argumēta in oppositum.

In fundamentis secundi erroris, solum superest exponendus vnus, vel alius scripturæ locus. Ratio.n., quę ibi adiūgitur, iā expedita est. Primus locus est Act. 2. *Quē Deus suscitauit solutis doloribus inferni.* Quē locū Caiet. ibi exponit de pœnis accidentalibus, & extrinsecis: sed eā expositionē supra refellimus. Dupliciter ergo potest exponi cū Aug. epist. 99. Primo, vt hæc verba referantur ad ipsum Christū, & hoc modo soluit dolores inferni, nō auferēdo quos passus est: sed præueniendo, ne illos pateretur. Secundo, vt referantur ad alios, & ita soluit dolores ab animabus sanctis, quæ (vt supra diximus) aliquos dolores patiebātur. Omitto aliter legi illū locū in Græco, scilicet, *solutis doloribus mortis*, quomodo legit Chrys. hom. 6. in Acta. Nā lectio vulgata retinēda est, quāquā illa alia faciles etiā habeat expositiones, scilicet, Christum resurrexisse solutis doloribus, quos in morte passus est, vel resurrexisse soluta morte, quā tot doloribus sustinuerat, vel certè, quòd sicut morte sua, & resurrectione, mortē interemit, ita & dolores, qui mortē comitari solent, quodammodo soluit, dando nobis spem vitę immortalis, & impassibilis.

Testimonij Act. 2. *Expositio.* *Aug.* *Chrys.*

Secundus locus ex Ps. 17. *Dolores inferni circundederunt me*, facilē habet expositionē. Dolores.n. inferni dicuntur, nō qui sunt in inferno, sed *dolores mortiferi*, vt exponūt Basilius, & Theodoret. Nā (vt supra dicebā,) quia per mortē omnes homines descendebant in infernum, ideò mors quasi quidam trāsitus ad infernum existimabatur, & hac de causa grauissimi dolores, qui mortem possint in ferrè, *dolores inferni* dicūtur. Hieronymus verò exponit dolores inferni, idest, *inuidiæ detrahentium, quæ mortē infernalē operantur.* Quod magis explicās Augus. dicit. *Dolores inuidētiæ, qui per ducunt ad infernum peccati, circundederunt me*, significans nō esse sermonē de doloribus, quos Christus patiebatur: sed quos ex inuidia patiebantur, qui eum per sequebantur.

Testimonij ex Psa. 17 *Expositio.* *Basi.* *Theodore.* *Hieronym.* *Aug.*

tur. Ita vt significetur ira, & rabies, quæ Iudæos in Christum agitabant. Sed prior expositio magis literę cõsentanea videtur.

Psal. 87. Tertius locus explicandus est ex Psal. 87. *Expositio.* *Posuerunt me in lacu inferiori, &c.* Qui eandẽ ferè cũ præcedenti habet expositionẽ. Nihil enim aliud illis verbis significatur, quã acerba tormenta, quibus Iudei Christũ affecerunt, vt eũ morti traderẽt. Est enim in his, & similibus locis cõsiderandũ, Dauidem ita loqui de Christo, vt etiã de se ipso loquatur, suamq; afflictionem describat, quãdo à Saule, vel ab Absalone quærebatur, vt interficeretur. Et quia mors maximũ malorũ iudicatur, & eo tempore censebatur, vt via ducens ad infernum, ideò illis metaphoris, & loquendi modis, & suas, & Christi calamitates descripsit, vt omnes Patres supra citati intelligunt. Non est ergo in huiusmodi locis sermo de doloribus, quos damnati in inferno patiuntur.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum anima Christi in triduo vere, ac proprie descenderit ad inferos.

QVanquã nullus, qui sacras scripturas admittat, simpliciter negare audeat Christũ ad inferos descendisse, quoniã (vt videbimus) & frequenter, & expresis verbis id testantur: hæretici tñ, nonnulliq; Catholici ita eas exponũt, vt euertãt, atq; remipsam negẽt. Primo ergo hęretici huius temporis cõtendunt, Christum secundũ animã non descendisse ad aliquem locũ subterraneũ, qui nomine *inferni* significetur. Putãt enim huiusmodi locũ nullũ esse, atq; sine fundamẽto ab scholasticis confictũ. Et ideò quidã eorum (vt Brentius, & Caluinus) dicunt animã Christi descendisse ad inferos, solũ quia dolores inferni sensit. Alij neq; hoc existimãt necessarium, quia descendere in infernum nihil aliud putãt fuisse, quã mori. Iuxta quã interpretationem Christus potius secundũ corpus, quàm secundũ animam ad inferos descendit. Fundamentũ huius erroris, prętter tractata præcedenti sectione, solum videtur esse potuisse. Quia nomine *inferni* in scriptura sepulcrũ significatur, iuxta illud Iob. 17. *Si sustinuero infernus domus mea est:* & Psal. 87. *Vita mea inferno appropinquauit.* & Psal. 114. *Pericula inferni inuenerũt me,* id est, pericula mortis: & Psal. 149. *Dissipata sunt ossa nostra secus infernum.* Ergo hoc satis est ad intelligendas scripturas, quæ de descensu Christi ad inferos loquuntur.

Iob. 17. Psal. 87. Psal. 144 & 14.

A Secunda sententia est Durandi in 3. dist. 22. q. 3. qui & admittit propriũ locũ subterraneũ, qui *infernus* dicitur, & ad illũ intelligit Christũ descendisse, & in his differt à superioribus hæreticis: tũ in verbo *descendendi* ponit metaphorã. Quia nõ existimat Christum propriè secundũ substantiã, & præsentiã animæ suæ illuc descẽdisse: sed tantũ secundum virtutem, & efficaciam. Potest hæc sententia suaderi primò, quia hoc satis est ad explicandas scripturas, maximè cũ Christus dicatur descendisse ad inferos, vt animas sanctorũ Patrũ beatificaret, easq; inde eriperet: sed ad hoc nõ est necessaria præsentia substãtialis, sed sufficit virtus, & efficacia, ergo. Et confirmatur à simili, quia etiam Christus dicitur eo tẽpore fuisse in paradiso, iuxta illud, *Hodie mecũ eris in paradiso,* & tñ nõ est necesse intelligere fuisse in loco paradisi secũdũ realẽ præsentiã, sed secundũ efficaciã, scilicet quia ibi beatificauit animam latronis. Vel certè, si ibi fuit secũdũ realẽ præsentiã, vel nõ fuit in inferno, vel in duobus locis distinctis, ac valde distantibus simul extitit. Secundo, de Christo nõ solũ dicitur descẽdisse ad infernũ, sed etiã ad oẽs partes inferni, iuxta illud Eccle. 24. *Penetrabo oẽs inferiores partes terræ, & inspiciã omnes dormientes, & illuminabo oẽs sperantes in Domino*: & tamẽ nõ propterea creditur descendisse ad oẽs partes inferni secundũ præsentiã realem. Nã D. Tho. quoad locum gehennæ, & purgatorij hoc explicat de descensu secundũ efficaciã: ergo eadẽ ratione potest Durãdus id etiam exponere simili modo, quoad Sinum Abrahæ. Tertio, proprium fundamẽtum Durandi fuit. Quia res spirituales nõ dicuntur esse in loco, nisi rõe operationis trãseuntis ad corpora, imò existimat ille Angelum (idemq; est de anima) nõ esse vbi operatur, secundum realẽ præ- C sentiam: sed secundum præsentiam ordinis, anima autem separata non potest habere operationẽ circa corpus, neque Christus Dominus vllam habuit, ergo.

Durand. *Luc. 23.* *Eccl. 24.*

Dicendũ verò est primò, Christum Dñm ad infernum secundum animã descẽdisse. Assertio est de fide. Intelligimus autẽ nomine *inferni* locum aliquẽ certũ subterraneũ. Et hoc sensu definita est hęc cõclusio ab Ecclesia, vt posteà videbimus: Probatur ergo, primo ex scriptura & sanctis Patrib⁹. Primus locus, & clarissimus est Act. 2. vbi Petrus ad probãdam Christi resurrectionẽ affert illud Ps. 15. *Quoniam non derelinques*

ques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem: & subdit. *Prouidens loquutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem*. Si ergo anima Christi post separationem à corpore non fuit derelicta in inferno: sed inde reuocata, vt Christus resurgeret necesse est, quod illuc antea descenderit. Ita interpretãtur hunc locum Basil. Theodoret. & Hieronymus, ac reliqui expositores in Psal. 15. & Beda cum alijs Actor. 2. & Aug. Epist. 57. & 99. & Ambros. serm. 74. Neq; potest hic accommodari interpretatio *inferni* pro sepulcro, cùm sermo sit de anima, non de corpore: quin potius à corpore, seu carne euidẽter distinguitur: anima autem non fuit in sepulcro. Secũdus locus sit Matt. 12. *Erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*. Quod licet à Chrysost. & Euthy. exponatur de sepulcro, quia sepulcra Iudæorum erant incisa in cauernis, & speluncis, & ita erant quodammodo intra profundũ terræ, sicut cor est intra profundum corporis, rectius tamen exponitur de inferno cũ Hieron. Theophyl. & aliis. Tum quia *cor terræ* proprius dicitur cẽtrum eius, quod est in medio, sicut cor est in medio animalis. Tum etiam, quia hoc sensu melius quadrat figura Ionæ, quã ibi Christus explicuit. Nam Ionas dicitur fuisse *in ventre piscis*, vẽter autem est quasi medium, & profundum animalis. Dicitur etiam fuisse *in ventre inferi, in profundo, in corde maris, in abysso*. Quibus omnibus non sepulcrum proprié, infernus autẽ aptissimè significatur. Deniq; dicitur de Iona existente in ventre ceti, *clamaui ad Dominum, & exaudiuit me*. Quod recte accommodatur animæ Christi existenti in inferno, non autem corpori mortuo iacenti in sepulcro. Recte igitur intelligitur hic locus de anima ad inferos descẽdente. Vnde eleganter Tertullian. lib. de anima cap. 55. ex hoc loco probat inferos esse in profundo terræ, dicens. *Nobis inferi non nuda cauositas, nec subdialis aliqua mundi sentina creduntur: sed in fossa terræ, & in alto vastitas, & in ipsis visceribus eius abstrusa profunditas. Si quidem Christum in corde terræ triduum mortis legimus expunctum, ideſt, in recessu intimo, & interno, & in ipsa terra operto, & intra ipsam cauato, & inferioribus adhuc abyssis superstructo*. Et infra, *Forma humanæ mortis apud inferos functus, hic quoque legi satisfecit, neque ante ascendit in sublimiora cœlorum, quam descendit ad inferiora terrarum, vt illic Patriarchas, & Prophetas compotes sui faceret*. Eodem modo exponit Irenæus lib. 5. contra hæres. c. 31. indicat Ambros. ad Ephes. 4. optimè omnium Hieronymus Ionę. 2. Tertio hi Patres eisdem locis huic testimonio coniungunt illud ad Ephes. 4. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ?* Aperte enim Paul. loquitur de loco inferni, vt ibi etiã Chry. Hieronym. & alii exponunt. Tũ quia nõ loquitur de descensu ad terrã, qui fuit per incarnationem: sed de descensu ad inferiores partes terræ, tum etiam quia loquitur de illo descensu, quo eduxit vinctos de lacu. Quartus locus est ad Rom. 10. *Quis ascendit in cœlum? ideſt Christum deducere. Aut quis descendit in abyssum, ideſt Christum a mortuis reuocare*. Vbi supponitur Christũ fuisse in abysso, indeque fuisse reductum, vt resurgeret, nomine autem *abyssi* infernus significatur. Vnde Luc. 8. legio Dæmonũ rogabat Christum ne imperaret illis, vt in abyssum irent, & ideo cœlo opponitur tanquam extremè distans ab illo, & vt res homini difficillima proponitur, illuc descendere, sicut in cœlum ascendere. Ita exponunt Ambros. Anselm. Theodor. & Theophylact. qui aperte dicit, *ex abysso, ideſt, ex abditissimo, ac profundissimo loco inferorum*. Quintus locus est 1. Petri. 3. *Vificatus autem spiritu, in quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicauit*. De quo loco nonnulla diximus disput. præcedenti, & statim plura attingemus.

Psal. 15. Act. 2. Basil. Theodoret. Hier. Beda. Aug. Amb. Matth 12. Chrys. Euthym. Hieron. Theophyl. Ioann. 2. Tertul. Irenæ. Ambros. Hieronym. Epheſ. 4. Chryſoſt. Hieron. Roma 10 Luc. 18. Anſelmus. Theodoret. Theophyl. 1. Pet. 3.

Præter hæc vero testimonia, quæ propria sunt afferri possunt alia ex veteri testamẽto, in quibus mysterium hoc adumbratum est. Vt est illud Psalm. 23. *Attollite portas principes vestras, et eleuamini portę eternales*. Quod de hoc mysterio exponunt Hieron. & Aug. ibi, idem Aug. serm. 2. de resurrect. & significat Athan. serm. 4. contra Arianos versus finẽ. Itẽ illud Psal. 29. *Eduxisti ab inferno animam meam*: item illud Ps. 48. *Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me* & illud Ps. 106. *Quia contriuit portas æreas, et vectes ferreos confregit*, & illud Ps. 138. *Domine probasti me, & cognouisti me, tu cognouisti sessionẽ meã, & resurrectionem meam*: & infra, *si ascẽdero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades*. Quæ loca, & similia in sensu mystico afferuntur: de quibus videri potest

Psalm. 23. Hieron. Aug. Athanaſ. Pſal. 29. Pſ. 106. et 138.

Hieronym. Aug. Hilar. Baſil. Con.Late. Con.To.4 Sym. Ath. Sym. Apo.

Hieronym. Aug. Hilar. & Baſil. in Pſalm. Secundo principaliter probanda eſt hęc veritas Eccleſię definitione, ac traditione. Definita enim eſt in Concilio Lateran. vt habetur in capit. Firmiter, de ſumma Trinita. & fide Cathol. Idē traditur in Conc. Toletan. 4. in cōfeſsione fidei, & in ſymbol. Athanaſij, quod Eccleſia recepit, & in ſymbolo Apoſtolorū, prout nūc ab Eccleſia recipitur, & recitatur. Hūc etiam fuiſſe perpetuū Eccleſiæ ſenſū, ac traditionē ex ſcriptis ſanctorū Patrū euidenter cōſtat, quorū teſtimonia tam ſunt frequētia, & vulgaria, vt in eis recenſendis immorari ſuperuacaneū videatur. Indicabo tñ nonnulla loca prēter ea, quę inter exponenda ſcripturarū teſtimonia indicata ſunt, tā in hac ſectione, quā in prēcedēti diſputatione, & alia, quę in ſequentibus neceſſariò erūt referēda. Ex Grēcis igitur Patribus docuerunt hanc veritatē Ignatius epiſ. 5. ad Tralliianos, Atha. lib. de incar. Chriſti propè finē, Clemens Alex. lib. 2. & 6. ſtromat. Greg. Nazian. ora. 35. quę eſt. 3. de Theologia in fine, & orat. 42. quæ eſt. 2. in Paſcha, verſus finē, Baſil. hom. in Pſal. 44. circa illud. *Myrrha, gutta, & caſia a veſtimentis tuis*, Cyril. Ieroſol. cate. 4. & 14. & Alexan. lib. de fide ad Theodoſium circa medium. Epiphan. in Ancorato, & hereſ. 46. 69. 77. & 79. & in fin. Panarij, in profeſsione fidei. Damaſce. lib. 3. de fide c. vltim. Origenes hom. 15. in Geneſ. Euſeb. lib. 4. de Demonſt. c. 12. & lib. 1. Hiſtoriæ. c. vltim. refert orationē Thaddęi vnius ex ſeptuaginta diſcipulis ad Abagarū, in qua inter explicanda alia Chriſti myſteria, deſcenſum ad inferos poſuit, eiuſq; rationē reddidit, idē Nicepho. lib. 1. Hiſtor. c. 31. Ex Latinis verò Cypria. lib. 2. aduerſus Iudæos. c. 24. & 25. & ſerm. de Paſsione circa finē, & ſerm. de Aſcenſione propè finem. Leo Pap. epiſ. 91. aliàs 93. c. 17. & ſerm. 1. de Reſurrectione. Ambroſ. libr. 3. de fide. c. 3. Clarius in li. de myſter. Paſchæ c. 4. Hyero. Oſeę. 13. Auguſ. epiſ. 57. & 91. & 20. de Ciuita. c. 15. & tract. 78. in Ioan. Greg. magnus lib. 13. moral. c. 15. & 16. Fulgentius lib. 3. ad Thra ſimūdū c. 23. Vigilius lib. 2. cōtra Eutych. & Beda lib. 3. in Iob cap. 37.

Igna. Athanaſ. Clem. Alc. Gre. Naz. Baſil. Pſal. 44. Cyr. Iero. Cyri. Alę. Epiphan. Damaſce. Origen. Euſe. Nicephor. Cyprian. Leo Papa. Ambroſ. Hie. Aug. Gre. Pap. Fulgent. Vigi. Beda

Vltimo poſſumus congruentes rationes reddere, ob quas voluit Chriſtus ad infernа deſcendere, quas melius in ſequenti cōcluſione explicabimus, & in ſolutione argumentorum Durandi.

Dico ergo ſecundo Chriſti animā deſcēdiſſe ad inferos ſecundū ſubſtantiā ſuā, & realem præſentiā. Ita interpretantur hoc myſterium oēs Doctores ſcholaſtici, in 3. d. 23. vno excepto Durando, cuius ſententia non ſolū non eſt probabilis (vt exiſtimauit Picus Mirandulan. in apolog. q. 1.) verum potius eſt erronea, & plane hæreti ca. Primo, quia eſt cōtra ſcripturam, vt ab omnibus Patribus exponitur, & ab Eccleſia vnanimi cōſenſu intelligitur. Secundo quia loquitur cōtra proprietatē verborum ſcripturæ, ſine vlla neceſsitate metaphorici ſenſus, & ſine vlla autoritate. Tertio, verba illa, *Non derelinques animā meam in inferno*, nullo modo admittunt illū ſenſum de exiſtentia per ſolā operationem, & efficaciā. Quia ſi nūquā ibi fuit, etiā ſi ibi operaretur, non potuit ibi derelinqui. Itē ſi anima Chriſti ſolū per operationē fuit in inferno, quid quęſo eſt ibi nō derelinqui? Certè ſolū eſſe poterit deſinere operari in inferno. Derelinqui vero in inferno eſſet ſemper operari ibi, hæ autem interpretationes per ſe ſunt abſurdiſsimę. Præſertim cū Petrus addat Act. 2. *Iuxta quod impoſsibile erat teneri illum ab eo.* ideſt, Chriſtū ab inferno, nō erat autē impoſsibile Chriſtum ſemper ibi operari: neq; hoc fuiſſet teneri ab inferno, neq; illo modo oportuiſſet eius animā ab inferno educi, vt corpori vniretur, & Chriſtus reſurgeret, quod tamē apertè Petrus intēdit, atque ita exponit verba Dauid. Et eodē modo induci ferè poſſunt reliqua ſcripturę teſtimonia, in quibus, inter prēmia diuinitus conceſſa animæ Chriſti, & inter mira opera virtutis eius, ponitur, quòd anima eius paulo poſt deſcēſum ſuū liberata ab inferno ſit, quod nō poteſt ad operationē referri. Nā ſi eſſe in inferno tā tū erat ibi operari, liberari ab inferno erit ceſſare ab illa operatione: hoc autē nullū erat beneficium animæ Chriſti, neq; ad id præſtandū magna aliqua virtus erat neceſsaria. Quarto, hęc veritas definita eſt ab Eccleſia, & in ſymbolo fidei ab Apoſtolis, & Athanaſio propoſita, ergo in ſenſu proprio & non metaphorico tradita eſt, alias cū ſimul dicatur, reſurrexiſſe, & aſcendiſſe in cœlum, poſsēt omnia ad metaphoras traduci. Adde, omnes Patres ſupra citatos, ita aperte exponere, & in dicto Con. Lateranen. expreſsè declarari, deſcendiſſe ſecundum animam. Quia ſi propter ſolam operationem dicitur anima Chriſti deſcendiſſe ad infernum, poterit, & dici aſcendiſſe in cœlum. Quia etiā ibi aliquid

Anima Chriſti ſubſtantialiter atque præſentia adinferos deſcēdit.

Pic. Mir.

Pſalm. 15.

Act. 2.

operatā

operata est, angelos illuminando. Dicetur etiam iuisse ad paradisum terrestrē, vel cū locum, in quo Elias, & Enoch viuūt. Quia verisimile est, illis etiam manifestasse gloriam suam, eisque gaudium consummatæ redemptionis annuntiasse. Similiter dicetur anima Christi profecta in domū Virginis, vel in locum, vbi Petrus amare flebat peccatū: denique vbicunque aliquid operata est. Consequens autem repugnat scripturis, quæ dum specialiter dicunt animā Christi fuisse in inferno, & inde fuisse eductam, vt Christus resurgeret, aperte significant, & tantum ibi proprie fuisse, & alio modo, quàm esset in alijs locis, vbi operabatur. Et confirmatur, quia alias eodem modo diceretur nunc Christus descēdere in terram, quia in ea multa operatur per virtutem animæ suæ: imò & in infernum nunc descendit, quia interdum aliquid ibi operatur saltem in animabus purgatorij.

Sexto argumentor contra Durandi fundamentum. Quia vel repugnat animæ humanæ separatæ verè, ac realiter esse presentem in loco corporeo, seu in inferno, vel non. Si dicat primum, necesse est, vt neget animas hominum damnatorum verè, ac propriè esse in inferno, quod est plane hæreticum contra expressa scripturæ testimonia supra adducta disp. præced. sect. 2. & contra vniuersalem Ecclesiæ sensum, & Patres omnes, vt in 1. p. q. 64. latius ostēditur. Quòd si dicat cum aliquibus discipulis D. Tho. esse ibi, per passionem à corpore, seu ab igne. Quid dicet de animabus puerorum, quę nullam pœnam sensus patiūtur? Quid rursum de animabus sanctorum Patrum, in quarum loco nullus ignis erat, neque aliud corpus, à quo afficerentur, vel in quod ipsæ operarentur? Dicet fortasse illas animas fuisse ibi, quia detinebantur ab illis corporibus. Sed in primis hoc est falsum saltem de animabus sanctorum Patrum. Nullā enim vim à corporibus patiebantur: fuisset enim illa quędam pœna sensus, & miraculosa operatio sine necessitate, fundamētoq; ficta. Præsertim cū illæ summa volūtate obedirent diuinæ volūtati, cuius iussu ibi manere cogebātur. Deinde inquiro, quid sit ibi detineri? Certè nihil est aliud, quā esse, & conseruari præsentem tali corpori. Ergo hæc detētio, vt sit possibilis, supponit esse possibilē realē præsentiā animę se paratæ in tali loco, vel corpore, & addit, quòd talis præsentia fiat, vel conferatur per efficaciā ipsius corporis, vel per aliam vim extrinsecam, ergo eadem ratione erit possibilis per virtutē diuinā, vel intrinsecā ipsius animæ vim. Quòd si hæc præsentia est possibilis, sine causa negatur cōtra scripturas, animā Christi fecisse seipsum realiter præsentem loco inferni, quod est illuc descendisse. Aliter eludit hoc argumentū Duran. dicens animas damnatas esse in inferno per deputationē. Quia scilicet destinatæ sunt, ac deputatæ, vt ibi perpetuò sint resumptis corporibus: animas verò sanctorum Patrum ante Christi aduentū fuisse in inferno per deputationē conditionatam, quia ibi futuræ essent cū corporibus, nisi redimerentur. Sed in hac respōsione multi cōtinentur errores. Primo enim sequitur, animas damnatorū nunc re vera nō esse in inferno. Quia nūc non sunt præsentes: sed erunt postea, cùm vnientur corporibus. Secūdo sequitur malos angelos non esse in inferno, quia non possunt deputari ratione corporū, quæ nū quā sunt habituri. Tertio sequitur, animas Sanctorū Patrū fuisse in gehenna damnatorū, quia secundū illā conditionatā deputationē ibi futurę fuissent cū corporibus, nisi redimerentur. Quarto sequitur, animas purgandas nullo modo esse in loco purgatorij, quia neq; absolute, nec cōditionate deputantur, vt ibi sint cū corporibus, quia tantum purgandæ sunt in hoc statu, in quo sunt à corporibus separatæ. Atq; idē argumentū fieri potest de animabus infantiū, si verū est eas post diē iudicij reassumptis corporibus nō futuras in loco subterraneo, sed in hoc mūdo. Vltimo tandē argumētor, quia vel anima separata est nusquā, vel alicuibi. Si nusquā, primūm id intelligi nequit, deinde sequitur animas Sanctorū nunc non esse in cœlo, & Christū non vere, ac realiter eduxisse animas Sanctorum ab inferno: sed tātum spiritualiter, quæ omnia repugnant scripturis, & Patribus. Si verò anima separata pōt esse alicubi, potuit ergo anima Christi esse in inferno, fuit ergo ibi, vt scriptura dicit. Cur autē ibi fuerit, iā iā dicemus respondendo argumentis Durandi.

Euasio.

Responsio

Ad fundamentū hęreticorū respōdetur, primum hæreticum esse dicere nomen *inferni* in scriptura nunquam significare locum subterraneum suppliciis animarū de-

Responsio ad fundamẽta hæreticorum.

putatum, est contra euidẽtissima loca scripturarum, Luc. 16. Matth. 11. aliaque præcedenti disputatione notata, & contra omniũ Patrum sententiam, & expositionem, vt videre licet in omnibus, quos hactenus adduximus, & August. lib. 2. Retract. cap. 24. Hierony. Isai. 14. Greg. 4. dialog. cap. 42. Tertul. in apologetico ca. 11. & 47. & lib. de anima cap. 54. & 55. Deinde probabiliter dici potest, *infernum* in scriptura nunquam significare sepulcrum. Omnia enim loca, quæ ibi citantur, & similia, aptissimè explicari possunt de loco subterraneo inferni. Secundo, estô, concedamus aliquando *infernum* significare mortem, vel sepulcrum, illud solum est significatione analoga, & translatitia, ex qua potius sequitur infernum proprie, & simpliciter dictum significare locum subterraneũ, quando aliũde ad aliam significationem non distrahitur. Nam (vt supra dicebam) quia animæ omnium hominum ante Christi aduentũ ferebantur in infernum, inde mors reputata est quasi via ad infernum. Ex quo tandẽ fieri potuit, vt aliquando nomine *inferni* significaretur. Tertio ergo dicitur, scripturam dicentem Christum descendisse ad inferos, non posse vllo modo de sepulcro, vel de morte declarari, vt supra probatum est.

Responsio ad argumẽta Durandi.

Ad fundamenta Durandi. Ad primũ falsum est, eius interpretationem de descensu per solam operationem satis esse ad explicandas scripturas, vt satis liquidò ostendimus. Ratio verò ibi adducta de beatitudine animarum Sanctorum Patrum rectè quidem probat, non fuisse Christo simpliciter necessarium secũdum animam ad infernum descẽdere, vt aliorum animas bearet: tamen nos non id affirmamus propter necessitatem huius effectus, sed quia scripturæ id affirmant. Congruentes autem rationes propter quas ita factum est à D. Thom. artic. 1. & 2. adducuntur. Quarum summa est. Primo, quia Christus summa benignitate voluit eos, quos per gratiam interius secundum diuinitatem illuminabat, etiam secundum animã loco visitare, vt sicut iis, qui in terra versabantur, iustitiæ sol ortus erat, ita etiam iis, qui infra terram in tenebris, & vmbra sedebant, illucesceret, vt Damascen. inquit lib. 3. de fide ca. 29. Vbi alias rationes adducit, quæ in eo videri possunt. Quibus etiam addi potest, noluisse Christum supra terram ascendere, donec suum corpus secum ferret. Item voluisse ad inferna descendere, vt se victorem, ac triumphatorem Dæmonum declararet. Et propter alios effectus infra tractandos, quos licet absque reali præsentia animæ suæ perficere potuisset: tamen conuenientiori modo, & ad suum finem magis accommodato eos præstitit, illuc in propria persona, atque animæ substantia descendens.

D. Thom. Cur reali præsentia in infernũ Christus descendit.

Damasce.

Alię rationes Durandi, præter vltimam, petunt difficultates proprias in sequentibus sectionibus tractandas. Vltima verò ratio primum procedit ex falso fundamẽto, scilicet animam, seu rem spiritualẽ non posse esse alicubi, nisi per operationẽ, vel applicationem virtutis ad corpus, nec posse moueri secundũ propriam substantiam, & realem præsentiam. Vtrumque enim est falsum. Anima enim, cùm sit res finita, & intra mundum contineatur, alicubi necessariò est pręsens, & indistans ab aliquo loco corporeo. Et quanuis tunc propriè non sit in corpore tanquam in loco (vt D. Tho. de Angelis docet, & recte explicuit Gregor. Nyssen. lib. 2. Philosophiæ capit. 11.) tamen suo modo, & per præsentiam sibi intrinsecam verè dicitur esse ibi, vbi est corpus. Cùm enim nos res spirituales non concipiamus, prout in se sunt, necesse est, vt de iis in ordine ad corpora loquamur. Præterea (quidquid sit de naturali virtute ipsius animæ) tamen quod per diuinam possit alicubi constitui, etiamsi nihil ibi operetur, docuit August. 21. libr. de Ciuit. cap. 10. Et non video quomodo ab vllo Catholico possit negari, credendo ea, quæ de locis animarum fides docet: nisi fortasse excogitando actiones aliquas animarum circa corpora, absque necessitate, & fundamento confictas. Vnde vltimo dici potest, Christi animam habuisse in inferno aliquam actionem circa corpora: videlicet imperio suo illuminasse non tantum mentes animarũ sanctarum: sed etiã aërẽ ipsum, seu locum corporeum, in quo illæ animæ habitabant, vt docent sanctus Tho. 3. dist. 22. q. 2. art. 2. quæst. 1. Ric. artic. 3. quæs. 2. Decebat enim, vt locus ille tanti victoris præsentia cohonestatus, quoad fieri posset illustraretur, maiestatemque gloriæ referret.

Res spirituales sine vlla velop. ratione, vel applicatione virtutis possunt esse in loco.

D. Thom. Gre. Nyss.

Aug.

D. Thom.

Ruffi.

Superest autem breue dubium ad hanc sectionem pertinens. An hæc veritas, de descensu Christi ad inferos non solum

de

de fide sit: sed etiam articulus fidei. Et ratio dubij esse potest, quia in symbolo Niceno hic articulus non cõtinetur. Et quãuis in symbolo Apostolorum habeatur: tamen quòd ab ipsis Apostolis positus non fuerit, argumẽto est, quod aliqui antiqui Patres exponentes symbolum, illũ omittant, vt Aug. in libris de fide, & symboio, & libris de symbolo ad Catechumenos, & Irenæus lib. 1. cap. 2. & Tertullian. lib. de velandis virginibus in principio, & lib. de præscript. hæret. cap. 13. & lib. contra Praxeam in principio, & Origenes in initio librorum Periarchon. Respondetur aliud esse inquirere, an hæc veritas posita sit ab Apostolis expressè in symbolo, prout nunc habetur: aliud verò, an nũc cõputãda sit inter articulos fidei. Quoad priorem partem, licet non sit omnino certum Apostolos illam particulam addidisse, propter adducta testimonia: est tamen longè probabilius. Primó quidem, quia prædicti autores non negant, Apostolos addidisse illam particulam: sed solum illã omittunt. Quia nec formaliter referunt totum symbolum Apostolicum, prout ab eis editum est, & nunc in Ecclesia recitatur, neque in iis locis solliciti fuerũt de explicando mysterio, quod in articulis mortis, & resurrectionis continebatur. Secundo, quia alii Patres antiqui eam particulã referunt, & exponunt, quorum testimonium affirmans maius est, quàm autoritas negatiua aliorum. Exponunt autẽ Chrys. hom. 2. de symbolo, Cyrill. Ierosol. cat. 4. & Ruffinus in expositione symboli. Qui tamen addit in Ecclesiæ Romanæ symbolo, & in Orientis Ecclesiis non haberi illam particulam. Existimo autem loqui de symbolo Niceno, nõ de Apostolico. Augustinus denique serm. 137. & 181. de tẽpore, (qui est de expositione symboli) illam particulam addit, & exponit in ca. 7. quin etiam serm. 115. (qui etiã est de traditione symboli) singulis Apostolis attribuens singulas particulas fidei, Thomæ Apostolo tribuit hanc particulam. *Descendit ad inferna*. Eusebius vero libr. 1. Historiæ capi. vltimo refert Thaddæum discipulum Christi in summã quandam quasi in symbolum redigens Christianam fidẽ, hunc articulum cum aliis posuisse. Denique Citoueus super Damas. lib. 3. de fide ca. vltimo dicit hunc articulum fuisse à beato Philippo symbolo Apostolorum adiectum: non adiungit vero probationem, neque mihi constat, vnde id elicuerit. Satis tamẽ probabile ex dictis est, ab aliquo Apostolo fuisse additum. Vnde apparet eximia impudentia hæreticorum huius temporis, dicentium hunc articulũ fuisse ab scholasticis excogitatum, quos imitatur Erasmus in paraphrasi in Matth. in prologo.

Dubium. Sym. Nicæ. Sym. Apo. *Aug. Irenæ. Tertul. Origen. Responsio* *Descensus Christi ad inferos in Symbolo Apostolorum expressus.* *Chrys. Cyr. Iero. Ruffin.* *August.* *Euseb.* *Citoueus.* *Erasm.*

Quo ad aliam verò partem, an hæc veritas annumeranda sit articulis fidei, ne sit de nomine quæstio, distinctione vtendũ est. Si enim per articulum fidei intelligamus veritatem fidei specialem difficultatem habentem, (vt D. Tho. illum definit 2. 2. q. 1. ar. 6.) sic proprié dicendus est articulus fidei à cæteris distinctus, vt idem D. Tho. ibi tradidit ar. 8. Si verò nomine articuli intelligamus veritatem, quã omnes fideles explicite scire, ac credere teneantur, sic nõ existimo necessariũ hunc computare inter articulos fidei. Quia non est res admodum necessaria singulis hominibus: & quia ob hanc fortasse causam in symbolo Niceno omittitur. Cuius symboli cognitio videtur esse sufficiẽs ad præceptum fidei implendum. Denique propterea forte Aug. & alii Patres in principio citati exponẽtes symbolum, non explicant populo hoc mysterium. Contra hoc sentit Medi. hic, ar. 1. dicens esse omnibus hominibus necessarium explicite scire, & credere hunc articulum, & in Niceno symbolo esse omissum, nõ quia necessarius non sit, sed quia in Apostolorũ symbolo erat sufficienter traditus, nouaque difficultas orta non esset. Quæ sententia est probabilis, ac secura: absolute tamen non existimo dari tale præceptum, nec posse sufficienter ostendi.

Veritas de descensu Christi ad inferos nũ articulus fidei sit. *Aug. Medin.*

SECTIO TERTIA.

Quid Christus in animabus existẽtibus in inferno operatus sit.

QVatuor (vt supra diximus) erant in inferno animarum ordines, de quibus sigillatim dicemus, atq; ita explicabimus omnes operationes, quas Christus in eo loco habuit. Nã de actionibus eius circa corpora, non est aliquid certum, & (si quid est verisimile) iam supra tactum est. De actionibus item circa angelos sanctos nihil specialiter occurrit

dicendum. Quia cùm illi iam viderent Deũ, certum est animã Christi nihil noui in eos influxisse, quod ad essentialem beatitudinẽ pertinuerit. Quia beatitudo est immutabilis, & augeri nõ potest secũdum naturam suã, & secundũ legem Dei ordinariam, & non sunt fingenda miracula sine fundamẽto, aut necessitate. Quoad accidentalem verò beatitudinem, credendum est Christi animam è corpore egredientem illuminasse angelos, atque noua gaudia illis attulisse. Ea tñ actio per se non pertinet ad effectus â Christo factos in loco inferni, quia angeli sancti per se ad illũ locũ nõ pertinẽt. Quãquã dubitãdũ nõ sit, eos cum Christo illuc descendisse.

Christus in infernũ descẽdens, animabus sanctorum Patrum essentialem beatitudinem influxit.

Primò ergó certum est, Christum descẽdendo ad inferos animabus sanctis, quæ in Sinu Abrahę erant, essentialẽ beatitudinẽ, ac cætera animæ dona, quæ illã consequuntur, contulisse. Hoc de fide certum existimo. Quia de fide est illas animas nõ vidisse Deũ ante Christi mortẽ, vt supra ostẽdimus. Deinde est de fide certũ Christum per mortem aperuisse hominibus ianuã regni, (vt ibi declarauimus,) ideoque de fide etiam certum est animas Sanctorũ omnium post Christi mortem descẽdentium (si nihil purgandum habeant) statim videre Deum: ergo idem est de prędictis animabus.

Obiectio.

Dices, quanuis sit de fide statim vidisse Deum: non est tamẽ de fide animã Christi operatam esse in illis hanc visionẽ. Respondetur, quanuis probabiliter existimemus Christi animam per veram, ac physicam efficientiam operatam esse in his animabus lumen gloriæ, per quod Deũ videre possẽnt, (vt etiam Caiet. hic ar. 2. opinatur) nunc tamen non loquimur in hoc sensu: sed abstrahendo à physica efficientia, de operatione per modũ meriti, vel quacunque alia ratione, ita vt sensus sit Christum descendisse ad inferos, vt propter sua merita statim sancti Patres visionem beatam acciperent, atq; de illo loco simul cum Christi anima educerentur. Et hoc sensu dicimus esse hanc veritatem de fide, quã 13. ca. Oseas prædixerat, dicens, *Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero inferne*, vt interpretantur Aug. serm. 137. de tempore, & Greg. 12. Moral. c. 8. & Zachari. 9. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua*, vt Hieronym. Cyril. & ferè omnes exponũt.

Respõsio. Caiet.

Osee. 13. Aug. Gre. Pap Zach. 9.

Hierony. Cyril.

Quãuis Aug. 18. de Ciuit. c. 35. aliter interpretetur. Paulus præterea ad Ephes. 4. in eũdẽ sensum de Christo interpretatur verba illa Ps. 67. *Ascendens in altum captiuã duxit captiuitatem*, & subdit. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia descenderat primũ in inferiores partes terræ?* Quæ verba veluti interpretans Thaddęus apud Euseb. li. 1. Hist. cap. vlt., *Descendit* (inquit) *ad inferos, & diruptmacerię, quam a sæculo nemo diruperat. Qui descendit quidem solus: ascendit autem cũ grandi multitudine.* Et similia ferè verba habet Ignatius dicta Epistol. ad Trallianos. Deniq; omnes Patres supra citati, cũ testantur Christũ descendisse ad inferos, addunt illuc descendisse, vt animas Sanctorũ ibi quiescentes liberaret. Propter quod rectè dixit Orig. hom. 15. in Genes. *Quod Christus dixit latroni, hodie mecũ eris in paradiso, nõ illi soli dictum: sed omnibus Sanctis dictũ intellige, pro quibus in infernum descendit.*

Aug. Psalm 67 Ephes 4. Euseb. Ignat.

Origen.

Obiectio.

Sed obijci potest, quia in eodẽ instanti, in quo Christus est mortuus, animę sanctorum Patrum beatitudinẽ acceperunt, cùm in illo instanti consummata sit nostra redẽptio, & ablatum humanæ naturæ impedimentũ, & consequenter aperta ianua regni. Vnde, cùm in illis animabus nullum esset personale obstaculũ, in eodẽ instanti regnum ingressę sunt, & diuinam hęreditatẽ, ac mercedẽ acceperũt. Ingressus namq; ille tẽporis moras nõ requirit, & Deus non differt præmiũ, & coronam, quando ex parte hominis nullũ est impedimentũ. Sed in eo instanti nondũ Christi anima descenderat ad infernũ, ergo nullo modo potest dici Christus suo descensu operatus esse hunc effectum, neq; ea de causa illuc descendisse, cùm prius res esset facta, quã ipse illuc descẽderet. Quę ratio adeò mouit Duran., vt propter illam negauerit Christum secũdum realem præsentiã ad inferna descendisse. Respõdetur tñ, (si verum est spiritualem substãtiã posse transire ab extremo in extremũ absq; existentia in medio) facile intelligi posse, hunc descensum Christi ad inferos fuisse per huiusmodi discretã mutationẽ: atque adeò in eodẽ instanti, in quo Christus est mortuus, animã eius fuisse præsentẽ in loco inferni. Mortuus est enim per primum non esse, ergo in instanti mortis iã non erat in corpore, ergo trãsiuit in eodẽ instanti ad locum inferni. Et hæc responsio, supposita illa sententia, mihi valde

Durand. Respõsio

Ab instanti mortis Christi animæ sanctorum Patrum beatitudinem cęperunt.

de probatur, quia & omnẽ difficultatẽ euacuat, & perfectiorẽ modum descensus Christo attribuit. Qua propter, etiã si secundũ potentiã naturalem non esset possibilis animæ, vel angelo huiusmodi motus, verisimilius videtur Christi animam per supernaturalẽ potentiã, sibi multis titulis debitã, & quasi connaturalẽ, eo motus genere in infernum descendisse. Nam, quod diuina virtute ille motus fieri possit, certũ existimo, cùm nulla repugnãtia, vel implicatio contradictionis in eo ostendi possit. Secũdo, si quis velit asserere Christi animã motu continuo ad infernũ descẽdisse, negare in primis potest illas animas in eodẽ instanti, in quo Christus est mortuus, fuisse beatas, quia noluit Christus, antequã ipse secundũ animã prẽsens adesset, eas illuminare, quia hic modus cõgruẽtior illi visus est, & illa breuis dilatio non erat magni, vel momenti, vel incõmodi. Hęc verò respõsio mihi sanè nõ placet, tũ propter rationẽ inter argumentãdũ factã, quæ videtur efficax. Tũ quia nõ existimo dilationẽ beatitudinis, etiã si sit per breuissimã morã, parui esse momenti. Neque est vlla sufficiens ratio, ob quã credamus Christũ suo descensu hoc incõmodũ illis animabus attulisse. Et ideò melius dicetur eo instanti fuisse illuminatas, & hoc attribui suo modo descensui Christi, quia ab eo instanti cepit illuc moueri, quãuis nõdum illuc peruenisset.

Anima Christi ad infernum delapsa, dãnatorũ animas ab inferis non liberauit.

Secundo certũ est animã Christi descẽdẽdo ad inferos non eduxisse de locis inferni animas ad ęterna supplicia damnatas neq; illis beatitudinẽ cõtulisse (sub damnatis cõprehendimus etiã pueros in solo originali decedentes: quia licet in pœnæ modo ab alijs differant: tũ in ęternitate pœnæ damni eadẽ est de illis, ac de cæteris ratio.) Et hoc sensu assertio posita est cõmunis Sanctorum, quos supra citauimus, & Theologorum in 3. d. 22. Sed antequã illã probemus inquiri statim potest, an sit certa de fide. Et ratio dubitandi esse potest, quia Greg. Nazian. orat. 42. l. 2. de Paschate agens de descensu Christi ad inferos, sub dubio reliquit, *Vtrum omnes sine vlla exceptione aduentu suo saluos fecerit, an illic quoque eos duntaxat, qui crediderunt.* Et Augustꝰ. Epist. 99. ad Euodium, propter locũ Act. 2. *Solutis doloribus inferni*, non dubitat affirmare, quin prẽter animas sanctas, quę in Sinu Abrahæ quiescebant, Christus liberauerit aliquas ex ijs, quę dolores inferni patiebantur: incertũ tñ relinquit, *an omnes, quos in eis doloribus inuenit, liberauerit, an quosdam, quos illo beneficio dignos iudicauit.* Deinde Clem. Alex. 6. li. Strom. ante medium scribit, Christum descendendo ad inferos, etiam damnatis prædicasse suum aduentũ, ac fructũ eius si in ipsum crederent ijs præsertim, quibus in hac vita non fuerat prędicatum, propter verba Petri 1. Canon. ca. 3. *In quo* (ideſt in spiritu,) *et his, qui in carcere erant spiritu veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe.* Illi enim qui increduli fuerunt in diebus Noe, damnati sunt, ergo potuerunt aliquæ animæ damnatæ credere Christo in inferno prædicãti, ideòq; inde educi. Vnde. c. 4. subdit Petrus. *Ideo & mortuis prędicatum est Euangelium, vt iudicentur quidem secundum hominem in carne.* Eadẽq; sententia habetur in oratione de defunctis, quę Damasceno attribuitur. Et in quibusdam Patrum historiis (vt Nicetas refert super Greg. Naziã. dicta orat. 42.) legitur, Platonẽ apparuisse cuidam Christiano, qui ei sæpe maledicebat, & conuitiis lacerabat, atq; dixisse. *Ego quidem me peccatorem esse non inficior: verum, cum Christus in infernum descendit, nemo ante me ad fidem accessit.* Quin potius referunt etiam Irenęus lib. 1. contra hæres. ca. 29. & Epiph. hęres. 24. Marcionem asseruisse Christum descendendo in infernũ omnes animas damnatas liberasse, & (quod stultissimum est) sanctorum Patrũ animas ibi reliquisse, quòd prædicationi eius, quam in inferno habuit, fidem adhibere noluissent. Tandẽ aliqui existimarũt nostra suffragia posse valere damnatis ad aliquam pœnæ remissionẽ. Multorum etiã opinio fert, Traiani Imperatoris animam orationibus sancti Gregorii fuisse ab inferni pœnis ereptam, propter Damasceni autoritatẽ in oratione de defunctis, vbi idem refert de Falconilla similiter ab inferno liberata orationibus sanctę Theclæ. Quid ergo mirum, quòd Christus descendens ad inferos animas damnatas liberauerit?

Dubium. Greg. Naz.

Aug. Aser. 2.

Clem. Ale.

1. Petr. 3. et 4.

Nice.

Iren.

Epiphan.

Nihilominus respondeo conclusionem positam, intellectam secundum ordinariã legem, atque vniuersaliter de omnibus damnatis, (vt possit esse locus alicui priuilegio) esse certã de fide. Propterq; Aug. lib. de hęres. in 79. inter hæreses ponit, quæ

Supplicia damnatorum æterna.

quæ asserit, Christo descendente ad inferos credidisse incredulos, & omnes inde liberatos, sequutus Philastr. libr. de hæresib. cap. de descensu Christi ad inferos.

Aug. Philast.

Et satis constat ex vniuersali consensu totius Ecclesiæ, & omnium sanctorum Patrum locis supra citatis, & ex testimonijs scripturæ, quæ iam afferemus. Nam in primis scripturę docent pœnas damnatorum esse æternas, Matt. 25. *Ite in ignē æternum*, & inferius, *Et ibunt hi in supplicium æternū*. Ergo etiā pœnę eorum, qui ante Christi aduētū damnati sunt, sunt æternæ. Nā de omnibus loquitur generaliter scriptura, ergo non omnes liberati fuerunt à Christo. Quia si omnes fuissent liberati à Christo, omnium pœna temporalis fuisset. Et hoc argumentum conuincit, secundum communem legem diuinæ iustitiæ nullam ex illis animabus fuisse inde eductam, quia hæc est lex lata, vt, *vbi ceciderit lignum, ibi maneat, siue ad austrum, siue ad aquilonem*. Ite quia huius vitæ tempus concessum est hominibus ad comparandam, vel amittendā æternam vitam, & ideò, qui hic non fuit vsus mediis concessis à Deo ad fidem, & gratiam obtinendam, secundum legem ordinariam consequi salutem non potest. Tandem quia alias peioris cōditionis fuissent homines, qui nunc damnantur, quam qui ante mortem Christi: non ergo eduxit Christus ab inferno animas damnatas. Et in hunc sensum interpretantur Aug. & Greg. supra, illud Oseæ. 13, *O mors ero mors tua, morsus tuus ero inferne*. Dicitur. n. Christus interemisse mortem, quia omnino illam extinxit, & perpetuam vitam hominibus obtinuit: infernum autem tantū dicitur momordisse, quia nō omnino illum euacuauit: sed quandam ei partem duntaxat eripuit. An verò ex speciali priuilegio sua voluntate, & arbitrio aliquem damnatū à gehenna Christus eduxerit, dubitari quoquomodo potest. Nā licet videatur temerarium hoc affirmare contra generales regulas scripturę sine fundamento, vel autoritate, simpliciter tñ nō videtur esse erroneū, vel hæreticū. Quia non est de fide generalē illā legem, nullam dispensationem, priuilegiū ve admittere. Et iuxta hæc possent intelligi Nazian. & Aug. supra citati, quanquā Nazian. non videatur illa scripsisse verba, quoniā de hac veritate dubitaret, sed solū vt proponeret, quid de hoc mysterio inquirere, ac scire oportet. Aug. vero rectè potest intelligi de animabus purgatorii, vt infra dicemus. Ad Clemen. Alex. respōdetur ea in re deceptū, atq; ex parte sequutū fuisse errorē Marcionis, quē meritò Ireneę. & Epiphan. impugnant. Ad Damascenū respondetur, illam orationē falsò imponi ei.

Aug. Greg. Oseę. 13.

Ad rationē dubitandi sumptam ex loco Petri, omnino falsa & absurda est illa intelligentia: historiaq; de Platone, & similes apocryphæ censendæ sunt. Quia in inferno nulla est redēptio, (vt Ecclesia sentit.) Non est ergo ille status, vt in eo de nouo applicetur per fidē, & amorē redemptio Christi. Non igitur prædicauit Christus damnatis, vt spē salutis illis præberet. Verba autē D. Petri (quæ obscurissima sunt) variis modis exponuntur. Aug. Epist. 99. existimat Petrum non loqui de descensu Christi ad inferos, nec de prędicatione Christi facta per animā assumptā: sed de prædicatione facta ab ipso Deo per spiritum suum in diebus Noe. Vnde quod Petrus dicit, Christum *in spiritu* prædicasse, nō intelligit Aug. in anima, vel per animā: sed in diuinitate sua, vel *in spiritu* idest spirituali modo per internā inspiratione. Quod vero dicit, prædicasse *spiritibus, qui in carcere erant*, Aug. exponit, idest, animabus hominum, quæ in corpore mortali tanquā in carcere erant inclusæ. Quam expositionē magis probauit D. Th. hic ar. 2. ad 3. Est tñ creditu difficilis, primò. Quia multa verba exponūtur improprie, & per translationē, cur. n. dicetur Christus in diuinitate venisse ad prędicandū in diebus Noe? Proprie enim venire non potuit secundū localē mutationem, vt perse constat, neq; vero etiam improprie ratione alicuius effectus. Quē enim singularē effectum in incredulis tūc habuit, vt ea de causa venisse dicatur? Deinde per carcerē interpretari corpus, valde metaphoricū est, & Origenis sapit errorē, eò vel maximè, quòd Petrus dicit mortuis prędicasse Christum, quod exponere de mortuis spiritualiter per peccatum, valde violentum est, pręsertim cū illos mortuos ab hominibus viuis Petrus distinguat, & ibidem in hoc sensu dicat, Christum esse iudicem viuorum, & mortuorum. Deniq; non placet hęc expositio, quia iuxta illā nō potest litera connecti, nec reddi ratio, cur Petrus repēte, & absque vlla occasione illius prędicationis fecerit mentionem.

Testimonij Aug. D. Thom 1. Pet. 3.

Propter

Propter quę reliqui Patres frequentius explicant locū hunc de descensu Christi ad inferos, (vt annotauimus præcedenti disputatione sectione 1.) & optimè quadrat cū contextu. Dixerat. n. Petrus. *Christus semel pro peccatis mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offeret Deo mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu.* Vbi *spiritus*, cùm carni opponatur, animam manifestè significat. Alia vero lectio habet, *Mortificatus quidē carne: viuificatus autem spiritu.* Et iuxta illā est sēsus, Christū, vt nos redimeret, mortificatū fuisse secundū carnem: nō autē secundū spiritū, idest, secundū animā, quę viua semper, & glorioſa permansit. Subdit deinde: *In quo*, scilicet in spiritu, (ad illū enim euidenter fit relatio) id-est, in anima *veniens prædicauit iis, qui in carcere erant, spiritu*, idest secundū animā: vel (vt alia litera habet) *his, qui in carcere erant spiritibus.* Quæ verba optimè, ac propriè intelliguntur de animabus, quæ erant in inferno. Et accōmodari etiā possunt animabus sanctorū Patrū, quæ suo modo etiā erant in carcere, vt supra vidimus. Merito autē Petrus mentionē fecit huius descēsus Christi, vel vt declararet, quomodo viuificauit spiritu etiā eos, qui mortui erant secundū carnem, vel vt magis declararet, quod dixerat, Christū manisse viuū secundum spiritum, quando quidē in illo descendit ad inferos, & Euangelistā egit. Sed difficultatē habent sequentia verba, scilicet. *Qui increduli fuerant aliquando.* Sensus. n. est, Christū prędicasse in inferno illis animabus, quę tempore Noe incredulæ fuerant. In quibus verbis est duplex difficultas. Primaque propriè ad nos pertinet, in quo statu essent illæ animæ. Secunda, cur Petrus illarum fecerit specialem mētionē, cùm Christus ad omnes animas eiusdem status ęquè descenderit. Ad primā autores supra citati dicunt, fuisse ex animabus damnatis. Sed hoc non colligitur ex verbis Petri. Nam licet illæ animæ fuissent aliquādo incredulę, scilicet cum fabricaretur arca Noe, cuius prędicationi, & diuinis comminationibus credere noluerunt, donec pœnā diluuij experte sunt: tñ postea conuerti potuerunt, pœnitentiā agere, ac saluari. Imō Petrus addens illam particulā *aliquando*, clarè indicat eas non semper perseuerasse in ea incredulitate. Deinde statim cap. 4. dicit *eos mortuos, quibus Euangelizatū est, iudicatos fuisse secundū hominē in carne*, idest, pœna diluuij fuisse casA tigatos in corpore, viuere autem secūdum spiritū, non ergo fuerunt damnati. Alij ergo dixerūt, illas animas fuisse in purgatorio, in quo vsq; ad descensum Christi ad inferos detentę sunt propter duritiam suam, & incredulitatem: Christū autē illuc descendentē eis prædicasse, easq; specialiter liberasse. Ita exponit Turrianus lib. 4. pro epistolis Pontificū c. 12. vbi ex hoc loco cōtendit probare locū purgatorij. Quia Sinus Abrahę nō potest propriè dici carcer, nec locus tenebrosus, qualis significatur fuisse locus, ad quē descendēs Christus mortuis prędicauit, vt colligitur ex Isaiæ. 49. vbi hæc Christi prędicatio videtur describi illis verbis. *Vt diceres ijs, qui vincti sunt, exite, & iis qui in tenebris sunt, reuelamini.* Sed hęc non est sufficiens probatio: tū quia verius est, (vt supra dixi) locū illū sanctarū animarū fuisse tenebrosum: tum etiam quia illi Sancti poterant dici esse in tenebris non solū sensibilibus, sed etiā spiritualibus, quia lumine glorię, & visione Dei carebant. Et eadem ratione dici poterant fuisse in vinculis, quia in eo loco detinebātur, & ab ingressu Patrię, & cœlesti loco exulare cogebātur: propter quod merito etiā dici possunt fuisse in carcere. Prętera perse videtur incredibile illas animas tot annis fuisse in pœnis purgatorii. Adde incertū esse, an Christus ex purgatorio aliquos eduxerit.

Turrian.

Isai. 49.

B

Melius ergo, & facilius dicitur, has animas fuisse ex illis iustis, qui erant in Sinu Abrahę. Sed cur Petrus illarū in particulari mentionē fecit, cùm Christus omnibus, qui ibi erāt, dixerit, *exite, reuelamini?* Bellarminus supra respondet, Petrum fecisse horū mentionē, quia de illis erat maius dubium, an essent salui necne. Sed hęc ratio nō satisfacit, quia oportet explicare, quid referret ad intentionē Petri, & epistolæ contextum hoc dubium tollere. Magis. n. dubium est, an Salomō fuerit ex illis iustis, quos Christus liberauit, & infinita dubia possunt agitari, de quibus Petrus ibi mentionē non fecit. Igitur retinendo vulgatā lectionē in illis verbis, *vt nos offerret Deo mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu*, ex eis videtur huius rei ratio sumenda. In toto enim illo capite Petrus consolatur fideles, & animos addit ad patiendū pro Christo, & tandē summam rationum in eo posuit. Quòd licet mortificemur carne, idest, in corpore affligamur, & puniamur: tñ per Christū saluamur in spiritu.

C

Discursus Petri Apostoli in ca. 3. epistolæ iuxta canonicę primæ.

ritu. Hāc ergo rationē voluit illustri exē-
plo declarare, ac persuadere. Nulli .n. vi-
dētur magis mortificati in carne, quām il
li, qui tēpore diluuii aquis diuinę iustitię
submersi sunt: & tñ multi ex illis in fide
Christi spiritu vixerunt, & ideó Christus
illis vna cū Sanctis aliis prędicauit, veniēs
in infernum. Et ita etiam optimè intelli-
guntur verba c.4. *Propter hoc enim, & mor-
tuis Euangelizatū est, vt iudicentur secundū ho-
minem in carne*, ideſt, vt more hominū, qui
corpus possunt interficere, & non animā,
puniantur in carne, viuant autē in spiritu.
Neq; prædictæ expositioni obstat, quòd
multi codices præsertim Græci non legāt,
Mortificatos carne, & viuicatos spiritu: sed,
Mortificatus, & viuificatus. Quā lectionem
supponit etiā Aug. dicta Epist. 99. & eo-
dem modo legit Ruffinus in expositione
symboli, & Idacius Clarus lib. 3. cōtra Va-
rimadū. Non (inquam) obstat, quia emen-
datiores codices habent prædicto modo,
vt videre licet in Bibliis Cōplutensibus,
& in aliis. Et idē existimo olim fuisse in
Græcis codicibus, nā ita legit iuxta Theo
dori Peltani translationē Petrus Alexā-
drinus in lib. de Deitate, & refertur in Cō-
cilio Ephesino tomo 2. c. 7. & Cyril. libr.
1. de fide ad Theodosium, & li. 2. ad Regi-
nas, prout habentur in eodē concilio c.4.
& 6. Et reuera, si contextus perse con sideretur, magis quadrat hæc lectio, & verba
ipsa, præsertim illud, *viuificatos spiritu*, me-
lius, ac proprius de nobis dicūtur, quā de
Christo. Hæc ergo videntur sufficere ad
fundandam dictam expositionem.

Aug. Rufi. Idac. Clar. Theo. Pel. Pet. Ale. Con. Eph. Cyr. Ale.

Ad alia verò exempla, quod ad effectū
suffragiorum attinet falsum est habere lo
cum in damnatis, vt recte D. Th. docuit in
4. d. 45. q. 2. ar. 2. De quare, Deo dante, di-
cemus in 4. tomo huius 3. partis. Ad illud
verò speciale de Traiano, (si vera est ea hi
storia) dicendum est cū scholasticis illum
non fuisse simpliciter damnatum ad infer
num, neq; immediatè translatum ad beati
tudinem: sed reuocatum ad hanc vitam, vt
pœnitētiam ageret. Verius tñ est, illā his-
toriam non esse probatæ fidei. Quia tota
nititur autoritate Damasceni, & tñ opus
illud, quod Damasceno tribuitur, meritò
creditur non esse illius. Non quidē, quòd
Damascenus sit antiquior Gregorio, (vt
existimauit Medina hoc loco ar. 6. sequu-
tus Tritemium: verius enim est Damas-
cenum vixisse tempore Iconomachorum,
imperante Leone Isauro, & sub Greg. 2.

D. Thom.

Traiani imperatoris anima nō est Gregorij Papę precibus ab inferni pœnis erepta.

de quo latè Billius in vita Damasceni.) sed propter alias rationes, scilicet, quia in ea oratione habetur alius error supra reprobatus, & contrarius doctrinæ eiusdem Damasceni li. 2. de fide c. 4. Itē quia incredibile est Gregorium orasse pro Traiano Imperatore, cùm ipse li. 34. Moralium c. 13. doceat nō esse orandum pro damnatis. Itē quia Ioannes Diaconus in vita Gregorii li. 2. c. 44. dicit, illam historiā in Ecclesia Romana nunquā fuisse existimatā dignā fide. Quę omnia latius persequitur Bellarminus li. 2. de purgatorio c. 8. & attigit Canus li. 11. de locis cap. 2. Sotus in. 4. d. 45. q. 2. artic. 2. Atque eàdem responsione expeditur exēplum aliud de Falconilla.

Damasce. Gre. Pap. Ioan. Dia. Bellarmin. Canus. Sot.

Sed quares an Christus habuerit in damnatis aliquem aliū effectum. Resp. nō habuisse effectum in eis propter eorum cōmodū, aut perfectionē, nec vt eorum pœnas leniret. Omnia .n., quæ hactenus adduximus, hoc totum probant, quia illæ animæ indignæ sunt omni bono, præsertim illæ, quæ sunt in gehenna. Habuit tamen Christus in illis animabus eum effectum, quē D. Th. ponit. Nā seipsum secundum animam illis manifestauit, & vt se adorarent, cōpulit, vt generaliter verum sit illud. *In nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum*. Vnde consequenter factum est, vt & Christus earum malitiam, & pertinatiā reprehenderit, & ipsæ ex superbia nouā quandā afflictionē, inuidiamque persenserint. Quę omnia de propriè damnatis ad gehennā intelligenda sunt. Nam de animabus puerorum, (vt dixi in cōmētario ar. 2.) res est valde dubia, de qua sufficiunt, quæ ibi diximus.

Dubium. Responsio

D. Thom. Philip. 2.

Tertio, & vltimo supereſt dicamus de animabus purgatorii. In quibus certum est Christum habuisse aliquē effectum illuminationis, gaudii, & consolationis, vt in cōmentario ar. 8. explicatum reliquimus. Quod ergo in dubiū vocatur est. An statim fuerint per Christum liberatæ à pœna, & ad Sinum Abrahæ, beatitudinēque traductæ. In qua re nihil est certū, & ideo tres vel quatuor sunt Catholicorum sententiæ. Prima affirmat Christum liberasse omnes animas, quas in purgatorio inuenit. Hæc tribui solet Bonau. in 3. d. 22. q. 5. Vbi tñ de purgario nihil dicit: interdū verò videtur huic sententiæ suffragari, quatenus generatim ait, liberasse ab inferno omnes electos: tñ interdum videtur potius contrariç sententiæ fauere. Nam expressè dicit.

Dubium.

Bonauent.

dicit, *quod Christus solum ad Limbum descendit, vnde sanctos Patres eripuit, & ita ad supremam partem inferni, non ad mediam, vel vltimã.* Citatur etiã Marsil. in 3.q.13.ar.2.dub.3. vbi refert in hanc sentẽtiam Thomam de Argentina, ipse verò valde dubius est, licet tandẽ in hanc partẽ inclinet. Quia est (inquit) magis pia. Eandẽ tenet Maior in 3.d.22. & inclinat etiã Gabriel ibi dub.vltimo, indicans hanc esse cõmunẽ sententiã Doctorũ. Quã obscuré tractat Supplementum Gabrielis in 4.d.45.q.1.ar.1. vbi prius dicit, Christũ euacuasse Sinũ Abrahę, oẽs, & singulos, qui ibi erant, liberando: & ita exponit Sanctos dicentes Christum liberasse de inferno suos electos, intelligendos esse de electis, qui nihil expiabile habebãt. Postea verò subdit Christũ liberasse singulos è purgatorio. Quæ verba vix intelliguntur, nisi forte velit liberasse aliquos, & nõ oẽs. Præterea in hãc sententiam inclinant Sotus d.15.q.1.ar.1. & Gerson Alphab.83.lit.f. vbi dicit, forte Christum purgatoriũ euacuasse. In eãdẽ sententiã adduci potest Turrianus dicto li.4. cõtra Magdeburg.c.12. quãuis ipse indefinitè loquatur de animabus purgatorij: loca verò scripturæ, quæ adducit, nõ probãt, vt supra dixi. Potest tñ aliquomodo fundari hęc sententia in verbis illis Ecclesiastici 24. *Penetrabo omnes infertores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Dño.* Quæ verba de Sapientia incarnata, & de descensu eius ad inferos multi intelligunt: & inter eos D.Th.hic. Sed animæ purgatorii numerantur inter dormientes sperantes in Dño, ergo. Et idẽ argumẽtum sumi potest ex Greg.li.13.Moral.c.20. dicente Christum descendendo ad inferos liberasse omnes electos. Et fusius Aug.serm.137.de tẽpore, *De electis suis nullum apud inferos reliquit: omnia abstulit, vtique electa: illos rapuit, quos suos fide, & actibus cognouit.* Et præterea idẽ Aug.epist.99. propter locum Act. *Solutis doloribus inferni*, necessarium existimat dicere Christum liberasse aliquos ex iis, qui pœnas inferni patiebantur præter eos, qui erant in Sinu Abrahæ. Quod solum de animabus purgatorii sine errore dici potest. Et idẽ habet 12. Genes. ad lit. c.33. Expressius verò docuit hanc sententiã Anselm. in elucidario, vbi inquirens, quã pœnã haberent iusti in inferno ante Christi descẽsum, respondet, quosdã fuisse tantum in tenebris: alios verò etiam in quibusdam pœnis, quod non potest intelligi nisi de animabus purgatorii, & tñ infra subdit. *Omnes absoluit, & in gloriam duxit Rex gloriæ*, & ita exponit illud Isai.49. *Dices his, qui vincti sunt exite: & his, qui in tenebris sunt, reuelamini*: vbi per *vinctos* intelligit eos, qui erant in pœnis. Potest tandẽ addi cõiectura. Quia in die triũphi, & victoriæ solet concedi venia vinctis, præsertim ijs, qui nõ sunt rei mortis, quiq; gratiã, & beneuolentiã apud Principẽ inuenerunt. Itẽ solet Deus propter orationem iusti liberare animã à purgatorio, quid ergo mirũ, quod eo die ad Christi voluntatẽ, & petitionem fuerit purgatorium euacuatũ? Et similes congruentiæ facile possunt excogitari.

Isai.49.

Secunda sententia extremè contraria est Christũ à purgatorio descensu suo liberasse neminẽ, qui non iam ex integro luisset pœnas. Nã si aliquos fortasse reperit, quorũ purgationis tẽpus illo momento, quo Christus descẽdit, vel certè eo tẽpore quo in inferno fuit, cõpletũ est, illos sine vlla dubitatione liberauit: tñ (vt supra dicebam,) qui huiusmodi fuerunt non tam à purgatorio, quàm à Sinu Abrahæ educti sunt. Et pro hac sententia potest referri Bonauent., & eã videtur tenere Viguerius in institutionib.c.16.§.4.vers. 30. Et potest suaderi, quia cõmuniter Sancti solum dicunt descendisse Christũ ad infernũ, vt eriperet antiquos Patriarchas, & Prophetas, atq; alios iustos, qui erant in Sinu Abrahæ, vt expressè tractat Cyril. Ierosolymitan.cat.4. Greg. autẽ, & Aug. in priori loco exponi possunt de ijs, qui nihil habebant purgandũ: vel quod eduxerit oẽs, non quia omnes statim glorificauerit, sed quia omnibus contulit, ne detinerentur in Limbo expectantes beatitudinem, quã tñ singulis dedit, statim ac inuẽti sunt absque personali aliquo reatu. Aug. verò in aliis duobus vltimis locis aliter loquutus est. Quia nondũ intellexerat, Sinũ Abrahę esse locũ subterraneũ, & partem inferni, quod postea aliis locis docuit, (vt supra vidimus) & ideo non cogimur illi credere in citatis locis, cùm ex falso fundamento processerit. Quo destructo verba illi Petri, *solutis doloribus inferni*, recte intelliguntur de sanctis Patribus. Quia etiã illi in inferno erant, & dolorem de carentia beatitudinis, & dilatione redẽptionis habebãt. Eò vel maximè, quòd verba illa, iuxta aliã expositionem supra traditã, de Christo

Act.2.

Mai. Gab. Suppleme. Gab. Sot. Gerson. Turrian. Eccles.24 Greg. Pap. Aug. Act.2. Anselm. Bonau. Vig. Cyr. Iero. Greg. Pa. Aug.

Christo possunt intelligi. Locus autē ille ex Eccles. 24. quanquā non constet, ad literā intelligi de Sapiētia incarnata, & de descensu eius ad inferos potius, quā de Sapientia increata, quę sua prouidentia omnia visitat: tamē hoc dato nihil inde probari potest. Quia ibi solū dicitur, Sapientiam illuminasse omnes sperantes in se: illuminatio autē latius patet, quàm glorificatio. Vnde verisimū est, illuminasse etiā animas purgatorij, earumq; spē auxisse, & nouū gaudium contulisse. Non tamen inde fit eas liberasse: ergo neque in scriptura, neq; in Patribus est aliquod sufficiens fundamētū ad asserendum Christū liberasse omnes animas purgatorij. Ergo cùm aliunde stet lex generalis diuinæ iustitiæ, vt qui in hac vita non satisfecit, in alia satispatiatur: non potest sine fundamēto scripturę, & sanctorū Patrū aliquid probabiliter affirmari, quod huic legi iustitiæ repugnet. Et confirmatur primo, nam coniecturæ illæ de die triumphi, & similes sunt valde infirmæ, præsertim vt dicamus Christum generaliter dispensasse in hac lege iustitiæ. Alias eadem ratione dici posset dispensasse cū damnatis, saltim cū infantibus, eisque immediate sua applicuisse merita, etiamsi in hac vita non fuerint applicata. Satis ergo fuit ad ostensionē suæ victoriæ, & triumphi, quòd omnibus iustis contulit noua gaudia, & aliquomo beatitudinem iuxta vniuscuiusq; dispositionem, alijs scilicet in re, alijs in proxima spe. Confirmatur secundo, quia alioqui melioris conditionis fuissent illi homines mortui ante Christū, quàm alij, qui in lege gratiæ moriuntur, quod est cōtra perfectionem status legis gratiæ, & sine vlla sufficienti ratione. Cur enim Christus descendens ad inferos omnibus illis animabus pęnā gratis remisit, & regnās in cęlo nō eandem indulgentiā concedit omnibus, qui in ipso moriuntur? Deinde inquiro, an eduxit omnes animas, quas in purgatorio iuuenit, cū primū illuc descendebāt, an vero oēs etiā illas, quæ illuc descēdebāt, quādiu ipse in inferno māsit? neutrū enim videtur posse cōuenienter, & cōsequenter dici. Quis.n. credat nullā animā, etiāsi descenderet onerata grauissimarum pęnarum reatu, purgatam esse, quandiu Christus fuit in inferno, sed statim glorificatā, solum propter præsentiā eius in illo locò? Ac si illa præsentia esset nobilior, & efficacior, quā præsentia, quā habet in cęlo. Aut quomodo potest cōsequēter dici, liberatas esse eas, quæ antea erant, nō verò eas, quæ postea descenderūt, cū nulla fere sit maior, vel diuersa ratio?

A

B

C

Vnum tū video posse ad hæc omnia responderi: & potest esse tertius dicendi modus, Christum scilicet eduxisse animas è purgatorio, non tū sine sufficiente cōpensatione, & solutione pęnæ pro culpa. Potuit.n. fieri, vt diuturnitas tēporis minueretur, ita tū, vt id grauitate, & acerbitate pęnæ cōpensaretur. Hoc.n. modo, & legi iustitiæ satisfieret, & propter Christi gloriā augendā maior captiuorū numerus inferno eriperetur. Sed contra hunc modū (præter nouitatē eius) retorqueri possunt ferè oēs rationes factæ. Inquiro.n., an tāta pęnæ diuturnitas sit certa lege statuta, nec ne? Si non est, ergo nihil est de nouo cōcessum his animab⁹ propter Christum: si est, vnde constat, in ea lege iustitiæ esse dispensatum? Item vel illis animabus fuit cōmodius acerbiora pati breui tempore, vel non, si non, ęp nā beneficium illis cōtulit Christus? si vero fuit cōmodius, cur non confertur nobis omnibus simile beneficium propter Christum iā glorificatū, & ostendentem patri vulnera suæ passionis, ęp illis collatum est propter Christum descendētem ad inferos? Tādem vel in ea cōmutatione seruata est omnimoda æqualitas, vel non. Si non, sine causa ponitur: quia necessario est asserendum, dispensatum esse in lege iustitiæ, & id, ęp deerat, solutum esse ex satisfactionibus Christi. Et contra hoc procedunt oēs rationes factæ. Nā idem dici potuisset de totius pœnæ remissione. Si verò dicatur, seruatam esse æqualitatē: id quidē difficile intelligitur. Quia dilatio beatitudinis vix potest sola pœna sensus compensari, vel certè si fuit æqualitas, nulla fuit necessitas, nec ratio, ob quam illa commutatio fieret.

Vltima sententia est media inter præcedentes, scilicet Christum nō eduxisse oēs animas ē purgatorio, aliquas tū liberasse. Hæc est D. Th. hic ar. 8. ad 1. quāuis reuera D. Th. non omnino id affirmet, nā sub disiunctione loquitur. Vnde ad veritatem sententiæ eius sufficeret prior modus, scilicet, quod Christus eduxit eos, qui iam perfectè soluerant. Tamē Caiet. hic, & alij Thomistæ intelligunt D. Th. in sensu copulatiuo, scilicet Christum eduxisse animas, quæ vno, vel alio modo aptę erant ad exitum. Et videtur re vera mens D. Tho. quem

Christus per suū ad inferos descensum non omnes epurgatorio eduxit animas D. Thom. Caiet.

Durand. Paluden. Gab. Turrian.

quem sequutus est Durand. in 3.dist.22.q. 4.& Paludanus.q.3. Autores quoq; aliqui citati in prima sententia nihil aliud dicunt cũ loquantur indefinitè de animabus purgatorij. præsertim Gabriel, & Turrianus. Et prior pars negatiua huius sententiæ satis probata est ex dictis in secunda opinione. Posterior verò sit probabilis ex dictis in comment.art.8. Nã sicut Christus dominus hic viuens quibusdam remisit peccata speciali gratia, & liberalitate, & moriens similem latroni impertiuit gratiam, & postea resurgens quosdã secum suscitauit, nõ tamen omnes: ita verisimile est aliquibus animabus purgatorij hoc beneficium contulisse propter aliquam specialẽ rationem meriti, & deuotionis. Item suffragia, & orationes Sanctorum iuuant animas purgatorij, vt citius liberentur: ergo multo magis iuuare poterit Christi oratio, si illæ speciali aliquo titulo eo modo iuuari merẽtur. Ergo simili modo credibile est sua volũtate, & petitione aliquas tũc liberasse, quę ad hoc magis erant dispositæ.

Richard.

In hac re (vt ferè citati Theologi docẽt, & specialiter Richard. in 3.dist.22.art.3.q. 2.) vix potest definitũ ferri iudicium, cum res sit valde incerta pendens tantũ ex humanis coniecturis, quę in omnem partem facile accommodati possunt. Tamen inter omnes opiniones, sententia D.Tho. videtur maiorem speciẽ probabilitatis, simulque pietatis, ac iustitiæ diuinæ congruentem rationem habere.

SECTIO QVARTA.

Ad quę loca inferni Christus descenderit, quantumque ibi moratus sit.

HAEc duo sub vno titulo comprehẽdimus, quia breuiter possunt expediri. Circa priorem ergo partẽ certum est descendisse ad Sinũ Abrahæ, qui erat proprius locus Iustorũ: difficultas verò est de cæteris locis. Quidã enim probabile existimant descendisse Christũ ad locum gehennę, & damnatorũ, & consequẽter ad cætera loca. Ita opinatur Bellarmin. lib.4.de Christi anima.c.16. propter verba Sapientis Eccles.24. *Penetrabo omnes inferiores partes terrę, inspiciam oẽs dormientes.*

Bellarmin. Eccles.24. D.Thom.

Nam licet D.Tho. art.1. ad 1. hæc verba explicet de penetratione secundum effectum, tamen non videtur satisfacere, vt supra in fauorẽ Durandi argumentabamur. Quia alias dici posset ad nullum locum aliter descendisse, quàm per effectum, cum scriptura æquè de omnibus loquatur. Adducit præterea quædam Patrum testimonia dicentium, Christum descendisse *ad locum doloris*, ex Aug.epist.99. *In quo peccatores torquebantur.* Fulgentio lib.3.ad Thrasimundum.c.30. *Quique est domicilium magnę illius mentis*, vt loquitur Emissenus orat.1. de resurrectione, & similia. Adiungi præterea potest coniectura. Quia Christus in omnibus inferni locis aliquid operatus est, sed perfectior modus operandi, magisque connaturalis est per realẽ præsentiam. Itẽ in morte sua declaratus est Christus dñs viuorum, & mortuorum, ita vt omnes etiã dæmones, & damnati ad eius regnum pertineant, eiusque potestati subditi sint, ergo oportuit, vt sua præsentia veluti possessionem regni sui caperet, ac de omnibus triumpharet.

Aug. Fulgent. Emis.

Contraria sententia est cõmunis Theologorum. D.Tho.hic, art.2.& in 3. dist.22. vbi Bonaue. Richar. Gabr. Palud.& Marsil.quæs.13.& reliqui in hoc conueniunt, quòd ad locũ damnatorũ non descendit, ad locum autẽ purgatorij quidam eorum censent probabile descendisse, si verũ est inde aliquos liberasse. Qui Theologi nullam aliã probationem adducunt nisi, quòd potissima, & adæquata ratio, ob quã Christus ad inferos descendit, fuit, vt sanctos Patres visitaret, & consolaretur, vtq; eos inde educeret. Hanc enim rationẽ illius descensus reddunt omnes Patres supra citati. Vt videre licet, præsertim in Cyrill. Ierosolymitano cat.4. Damascen. lib.3.c.vltimo. Ruffino in expositione symboli, & Tertulliano libr. de Anima. Et reuera scripturę hanc potissimã causam assignant, ergo verisimile est tantum descendisse in illum locum, in quo Sanctorum animę existebant. Vnde Augustinus dicta epist.99 *Nulla* (inquit) *causa occurrit, cur illo venisse credatur Saluator, nisi vt ab eius* (id est inferni) *doloribus saluos faceret.* Ergo ex sententia Augustini ad nullum locum inferni descẽdit Saluator, ex quo neminem erepturus erat Cõfirmat hoc D.Thom.hic artic. 8. in argumento, *Sed contra* Quia non decebat Christum ad locum damnatorum descendere, *in quo nullus ordo, sed sempiternus horror inhibitat*, Iob.10. *Quæ enim conuentio lucis ad tenebras? Christi ad Belial?* 1.ad Corinthios sexto.

D.Thom. Bon. Richard. Gab. Palud. Marsil.

Cyr.Iero Damasce Ruffin, Tertul.

Aug.

D.Thom. Iob.10. 1.Cori.6

In hac re censeo primã sententiã, quãuis noua appareat, non esse tamen temera-

riam : neq; omnino improbabilem. Quia non desunt illi apparētia fundamēta, & cō traria nō fundatur certa autoritate, sed dubijs cōiecturis: multo tamē probabilius videtur Christum non descendisse saltē ad locum damnatorum. Primum quidē propter communem cōsensum scholasticorū: deinde, quia nulla apparet sufficiēs ratio, cur illuc descenderit. Est enim prēter supra dicta considerandum, Christi animam nō descendisse ad infernum solum propter effectum, vel propter alios, sed quodammodo propter se, supposito ordine diuinę prouidentiæ. Quia cùm illa anima à corpore separata alicubi futura esset, nullus erat pro illo statu aptior locus, in quo existeret. Erat enim ille locus ex diuina prouidentia deputatus pro animabus sanctis, vsq; ad cō summatā hominum redemptionē, & Christi resurrectionē: & ideo ibi debuit anima Christi etiam collocari, donec iterum corpus assumeret. Noluit enim sine illo supra terram ascendere. Hęc autem ratio optimè declarat, Christum descendisse ad Sinū Abrahæ. Ad gehennam autē nullam habuit occasionem descendendi, quia neq; ille locus erat accommodatus ipsi, neq; effectus, quē ibi habuit, hoc requirebat. Quia totus fuit per modum loquutionis, seu cuiusdam manifestationis. Vt autem vnus spiritus cū altero loquatur, seque illi manifestet, nulla loci propinquitas necessaria est. Deinde vt Rex possessionem regni capiat, nō peram bulat omnia loca, etiā vilia, & abiecta: sed in ea ciuitate, quę est caput regni, in qua eū maxime residere decet, totius regni susscipit gubernacula. Igitur vt Christus omnibus damnatis, ac dęmonibus dominaretur, eosque terreret, & sibi genua flectere cōpelleret, nec necessarium, nec expediēs fuit, vt ad eorum teterrimum locum descēderet. Et hæc de loco damnatorum. Quæ pari ferè probabilitate procedunt de loco puerorum. Quia licet in illo non sint horror, & inordinatio, quę in loco damnatorum, tamen etiam non cōgruebat Christo. Ac præterea, quia adhuc est incertum, an Christus sese manifestauerit his pueris, vel aliquid eis contulerit: &, si quid contulit, non pertinuit ad eorum salutem, aut spiritualem profectum, sed solum ad recognitionem dominij Christi, ad quem effectū satis, superque erat loquutio, & spiritualis præsentia secūdum cognitionem. De loco vero purgatorij res est magis dubia: tamē etiam probabilius censeo, Christum ad illum non descendisse. Primum quia, existimo, non eduxisse omnes animas è purgatorio: & si aliquas eduxit, eas non in purgatorio sed in Sinu Patrum glorificasse. Atqui vt eas illuc adduceret, non oportuit, vt ad locum purgatorij descenderet, sed vt suam voluntatem ac imperium manifestaret. Ad illuminandas verò cæteras animas iam diximus, non esse necessariam propinquitatem loci, ergo cum aliàs nec loci qualitas, & cōditio esset Christi animę accōmodata nec ex parte animarū, quæ ibi purgabātur, esset ea congruitas, quæ erat in animabus Patriarcharum & Prophetarum, nō oportuit Christi animam illuc descendere.

Anima Christi non descendit in triduo ad locum damnatorum.

Christus in triduo ad purgatoriū non descendit.

Nec locus adductus ex Eccle. 24. difficilem habe expositionem. Primo quidem, quia non constat, ibi ad literam esse sermonem de Sapientia incarnata. Secundo, quia licet hunc locum interpretemur de descēsu per effectum, tantum habetur, ex hoc solo loco non probari sufficienter Christum descendisse ad inferos secundum realē prę sentiā, ex quo nō sequitur aliquid in fauorem Durandi. Nam ex alijs locis scripturę necessario conuincitur, Christi animam ad aliquem locum inferni verè, ac realiter descendisse. Tertio respondetur, de Christo dici penetrasse *omnes partes terræ*, quia non solum ad superficiem eius descendit, sed etiā vsque ad infimum terræ locum penetrauit: non autem oportet, vt eum in locum, quoad omnes eius finus quoquo versum irruperit. Sicut cap. 17. dicit Iob. *In profundissimum infernū descendent omnia mea*, vbi Gre. lib. 18. ca. 17. alias. 22. adnotat, Iob non fuisse descensurum vsque ad infimam inferni partem: totum vero illum locum cōparatione nostri dici profundissimum infernum. Iam vero locus Aug. ad summum procedit de purgatorio, vt euidenter probatum est, cum dicat non descendisse, nisi ad eum locū, ex quo animas eduxit. Et adhuc quoad hoc procedit Aug. in ea epist. ex eo fundamento, quo existimabat Sinum Abrahæ non posse dici locum inferni, & dolorum, cuius contrarium ex eodem Aug. & alijs Patribus satis ostendimus. Et ita etiam cōstat, cœtera Patrum testimonia de eodem loco sufficienter intelligi. Coniecturæ verò probando nostram sententiam satis expeditæ sunt.

Responsio ad argumēta in oppositum

Iob. 17. Gre. Pap.

Circa posteriorē partem quæstionis nulla ferè est difficultas suppositis ijs, quæ diximus. Vnum tamen inuenio Nicephorum libr. 1. Historiæ. capitul. 31. dicentem ea-

eadem die, & hora, qua Christus descendit ad inferos, rediisse secum ducentē Sāctorū animas, & cū eis ad paradisum transisse. In quā sententiā citat Chrysostomum, nullum tamen locum designat, solumque adducit coniecturam. Quia non erat rationi consonum animā eius apud inferos retineri, quæ nihil prorsus à primi parentis maledictione, & exitio secū attulisset: & ideò subitò, ac in momentò vno ad tabernacula paradisi immensa luce relucentia transiuisse. Et cōfirmari potest ex illis verbis Christi. *Hodie mecū eris in paradiso.* Quæ ad literam, & in sermonis proprietate verificari possunt de paradiso terrestri, etiamsi fateamur Christum verè, & secundum realem præsentiam ad inferos descendisse. Potuit enim eadem die prius descendere, & statim paulo post ad paradisum transire se cum ducēs latronis animam, ergo ita exponēdus est ille locus. Nam scriptura sacra, quando propriè exponi potest, nō est ad metaphoras detorquenda. Et ita intelligit illum locū Iustinus. q. 76. ad Orthodoxos, & indicant Iren. & alij antiqui, qui existimarunt, animas hominum expectare in paradiso terrestri, vsque ad corporum resurrectionem, vt suam beatitudinem recipiāt: præsertim ita exponit Euthym. in fauorem illius sententiæ, Luc. 23.

Iustin. Irenæ. Euthym.

Respōsio. Christi anima per triduum in inferno fuit, Matth. 12.

Nihilominus veritas est Christi animam in inferno fuisse toto illo triduo, donec accēdit, vt corpori vniretur hora resurrectionis. Veritatem hanc nō minus certam existimo, quàm quòd Christus in infernū descenderit. Nam loca scripturæ supra citata, vtrumque eodem ferè modo conuincunt, præsertim ille Matt. 12. *Erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Quod dictū esse ratione animæ descēdentis ad inferos, supra ex ipsis verbis, & ex sanctis Patribus ostēdimus: & tū ibi non solum dicit Christus se descensurū in cor terræ: sed etiā ibi per triduū futurum. Idē probant verba Psal. 15. prout exponūtur à Petro Act. 2. *Quoniam non derelinques animā meam in inferno. Nam prouidens* (inquit Petrus) *loquutus est de resurrectione Christi.* Igitur nō est ibi derelictus, quia exiuit inde, vt resurgeret, ibi ergo vsq; ad resurrectionem mansit. Vnde eodē loco ait Petrus. *Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat, teneri cū.* Tūc ergo solutus est à loco inferni, quādo suscitatus est. Act. 10. Actādē Paulus ad Rom. 10. *Quis* (inquit)

Psal. 15. Act. 2.

Rom. 10.

descendet in abyssum? idest, Christū à mortuis reuocare. Ac si apertè diceret, tūc Christū ex abysso reductū, quādo à mortuis reuocatus est. Constat ergo ex scriptura, Christū māsisse in inferno vsq; ad horam resurrectionis, quam ita etiā intellexerūt oēs Patres supra citati. Inter quos manifestè Augustin. epist. 57. dicit animā exinferno remeasse in die resurrectionis. Vnde ex dictis verbis Christi, *Hodie mecum eris in paradiso*, colligit in inferno fuisse paradisum. Itē Irenæus lib. 5. cōtra Hæres. c. 31. & Tertul. libr. de anima c. 55. ac Petrus Chrysologus serm. 74. explicans verba illa, *& ecce terræmotus factus est magnus*, (quæ de die resurrectionis dicta fuerūt) inquit. *Tremuit terra, non quia angelus descendit de cœlo sed quia ab inferis Dominator ascendit.* Deniq; oēs scholastici in 3. distinc. 22. in hac veritate consentiunt. Rationes verò, seu cōgruentiæ adhoc cōfirmandum, ex priori parte huius sectionis sufficienter peti possunt.

Aug. Lucæ. 23. Irenæ. Tertull. Chrysolo. Matth. 28.

Ad coniecturam Nicephori respondetur, Christi animā non fuisse detentam in inferno in pœnam: sed solū, vt expectaret corporis sui resurrectionē, quam oportebat aliquo tēpore differri, vt eius veritas euidētius probaretur. Et eadē ratione detētæ sunt etiam aliorū animæ, nō iam in pœnam: sed vt Dñm suum comitarentur: & quia nō decebat ante ipsum aliquem exire. Ad illud verò testimoniū, *Hodie mecum eris in paradiso*, Origenes tom. 2. in Ioannem in fine, dupliciter respondet. Primo, illud *hodie*, non sumi propriè pro præsenti die, sed pro præsenti tempore, vel sæculo. Sed hoc est contra proprietatem verbi, & sensum Sanctorum, & Ecclesiæ. Secundo, fortasse Christū priusiuisse ad paradisum, vt impleret promissum, & deinde descēdisse in infernum. Sed hoc est gratis confictum contra omnia in superioribus tractata.

Origen.

Aliter interpretabantur alij, quos Theophyl. refert, scilicet, Christū dixisse, *hodie*, non quia eodem die id futurum esset, sed ad indicādam certitudinem promissionis. Sed hæc expositio non solū proprietatem verborū destruit, sed etiam veritatē. Verba enim Christi non continent prophetiam de futuro, in quo solet interdum præsens pro futuro poni, sed simplicem promissionem, quæ si nō fuit impleta, prout facta est, non fuit vera. Alij exponebant, coniungendo dictionem *hodie* cum antecedentibus verbis, hoc modo

Amẽ dico tibi hodie, mecum eris, &c. sed est elu- A
sio potius scripturę, quã interpretatio. Sic enim sine fructu adiecisset Christus illam temporis determinationem, in qua posita est magna vis, & energia illorum verborum. Quia enim latro petierat, vt Christus recordaretur sui, quando veniret in regnũ suum: ideo Christus eum docuit eodẽ die fuisse implendam petitionem eius. Dicendum ergo est, iuxta superius tractata, q. 46. a. 11. in commen. paradisum in illis verbis, non sumi, pro paradiso terrestri: sed pro gloria, ac beatitudine: iuxta illud Apocaly. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Dices, si licet metaphorice interpretari paradisum, cum Christus dicit se futurum in paradiso, licebit etiã, metaphorice interpretari infernum, vel descẽsum, cùm Christus dicitur descẽdisse in infernum. Respondetur, non esse eandem rationem. Primo, quia ex frequentiori vsu illius vocis *infernus*, tam in nouo quàm veteri testamento, item ex multitudine testimoniorum, & ex eorum contextu, & circunstantijs, ac denique ex Ecclesiæ, ac Sanctorum sensu, & interpretatione cõstat, descensum ad inferos propriè esse intelligendum: at vox *paradisus*, licet in primæua significatione locum amenum, vel pomariũ significet: tamen in scriptura, præsertim in nouo testamento, translata est ad significã dum locum beatitudinis: vt patet etiã. 2. ad Cor. 12. Ac præterea ex circunstantijs eiusdem loci cõstat ita esse intelligendũ. Quia latro non petebat esse in pomario: sed in regno Christi, & hoc illi promisit Christus sub nomine *paradisi*, simul significans latroni regnum suum non esse de hoc mũdo, sed in cœlesti beatitudine. Et ita etiam ibi interpretantur Ambros. Theophyl. & alij expositores. B C

Ambros. *Theophyl.*

QVAESTIO: LIII.

De resurrectione Christi, in quatuor articulos diuisa.

Consequenter cõsiderandum est de his, quæ pertinent ad exaltationem Christi. Et primò de eius resurrectione. Secundo, de eius ascensione. Tertio, de eius sessione ad dexteram Patris. Quartò de iudiciaria potestate ipsius. ¶ *Circa primum occurrit quadruplex consideratio. Quarum prima est de ipsa Christi resurrectione, Secũda de qualitate resurgentis. Tertia de manifestatione resurrectionis. Quarta de eius causalitate. Circa primum quærũntur quatuor,* ¶ *Primo de necessitate resurrectionis eius.* ¶ *Secundò, de tempore.* ¶ *Tertio, de ordine.* ¶ *Quarto de causa.*

DISPVTATIO XLIIII.

In octo sectiones distributa.

De resurrectione secundum se.

POst tractatum de Christi passione, & morte incipit D. Th. consequenti ordine de Christi resurrectione disserere. Quia verò resurrectionis ratio vniuersalior est (Christo enim, & alijs conuenire potest) necessarium visum est, nõnulla prę mittere resurrectioni Christi, nostræque communia. Quoniam ex eorum cognitione pendent ferè omnia, quæ de Christi resurrectione tractanda sunt. Dicemus ergo quid nomine resurrectionis intelligamus, & an possibilis sit, & qua virtute.

SECTIO PRIMA.

Quid sit resurrectio, quæ ve sint ad veram resurrectionem necessaria.

INquirimus prius, quid sit, quàm an sit resurrectio. Quia oportebat vocis significationem ante omnia explicare, quod nõ potest breuius, & clarius fieri, quàm in uestigãdo simul rei quidditatem. Suppono igitur primò, resurrectionẽ esse mutationem substantialẽ, qua id, quod prius extiterat, & corruptum erat, idemmet iterum producitur. Hoc constat ex communi vsu huius vocis præsertim in scriptura, & sanctis patribus, & Ecclesiasticis doctoribus, à quibus potissimum sumenda est huius vocis significatio, quia non tam latina est, quàm Ecclesiastica. Apud Latinos enim veteres non reperitur resurrectionis vox, præsertim in hac significatione. Neque mirum est, quod, cum rem nõ agnouerint nec vocem indiderint. Vnde licet interdũ vtantur verbo *resurgendi*, non tamen in ea pro-

Resurrectionis descriptio.

prie-

prietate, quam descripsimus, sed vt significat instaurationem, seu restitutionem rei ad priorem statum, quanuis non idem numero quod perierat reparetur. Vt autē posita descriptio constet, singula penè verba expendēda sunt. Dicimus enim in primis resurrectionem esse mutationem, in quo à creatione, seu potius à recreatione distinguitur. Si enim Deus Angelum vel hominem semel productum in nihilum redigeret, rursumque illum postea produceret, esset illa recreatio, seu restitutio eiusdem rei, quæ antea fuerat, in quo cum resurrectione conueniret: nō tamen foret resurrectio prout nunc loquimur, quia non esset mutatio, sed simplex effectio ex nihilo. Est ergo de ratione resurrectionis, vt sit propria mutatio, atque adeō, vt fiat ex præsupposita materia, seu subiecto: in hoc enim differt propria mutatio à simplici effectione, quæ mutationē non includit. Quod si quis contendat, illam quoq; simplicem reproductionem ex nihilo posse resurrectionem dici, de nomine tantum quæstionem agitabit. Quia certum est, illam actionem conuenire in hoc cum resurrectione, quòd sit reproductio rei, quæ antea erat: tamen etiam constat hāc reproductionem, cum fit ex subiecto adhuc permanēte, esse diuersę rationis, & esse propriè mutationem, & posse propria aliqua voce significari. In hac ergo significatione vtimur resurrectionis voce. Sic enim illa vtuntur scriptura, & Patres, vt videbimus. Et ratio adiungi potest, quia sicut res creatæ secundum legē ordinariam nō annihilantur, ita neque reproducuntur ex nihilo. Vnde si aliquid quod prius fuerat iterum producitur, semper fit per mutationem aliquā ex præsupposito subiecto: resurrectio autem non significat quancunque reproductionem absolutè possibilem, sed secundū potentiam, aut legem ordinariam, est ergo resurrectio mutatio ex subiecto.

Resurrectio est propria expræsupposito subiecto transmutatio.

Ex quo colligitur primo, resurrectionem tantum habere locum in rebus ex materia formaq; compositis. Quia tantum hæ res possunt ex præsupposito subiecto produci, vel reproduci. Est tamen cōsiderandū interdū hanc vocē attribui rei spirituali, seu ratione partis spiritualis, quomodo dicitur homo resurgere spiritualiter, quando à statu peccati ad statū gratiæ restituitur: sed illa est metaphorica significatio, tum quia ibi reuera nō reparatur eadē numero gratia, quæ desierat esse: tū etiam quia idem homo simpliciter permansit, & solū secundū quædā accidentia mutatus est. Dicitur ergo tunc resurgere homo ea latina significatione supra posita, qua resurgere dicitur, quod ad meliorē statum, quā prius habuerat, restituitur. Secūdo est obseruandū, posse intelligi, vt in eodem subiecto idem numero accidens, quod destructū fuerat, iterum producatur per mutationē ex subiecto resurrectioni simili, quod mutationis genus etiam in spiritualibus rebus reperiri pōt, vt constat: tū sicut esse, & productio accidentis nō sunt talia simpliciter, sed secundum quid, ita restauratio eiusdem accidentis non est simpliciter reparatio, sed secundū quid, & ideo non significatur absolutè nomine resurrectionis, igitur resurrectio simpliciter dicta mutationem substantialem significat (vt dixi) ac propterea solum habet locum in substantiis ex materia, formaque compositis.

Resurrectio in rebus tantum materialibus proprie reperitur.

Resurrectio proprie non est accidentis.

Ex quo vlterius sequitur, nō in quacunq; re materiali, sed in corruptibilibus tantum resurrectionē habere locum. Primo quidē quia productio ex præsupposito subiecto propriè nō hēt locum nisi in re generabili, & corruptibili, ergo nec reproductio. Deinde quia oportet (vt dixi) vt hæc mutatio tendat ad producendā rem, quæ prius extiterat, corruptaq; fuerat. Quia nisi esset destructa, nō esset capax reproductionis, & nisi destructa fuisset per corruptionem, nō māsisset subiectū, ex quo iterum produci posset. Necesse ergo est, vt corruptio, seu mors resurrectionē antecedat, sicut ergo corruptio non habet locū nisi in re corruptibili, ita neque resurrectio. Dices, posset Deus destruere cœlum separando formam, & conseruando materiā, ex qua posset iterum illud reproducere, ergo habet locū resurrectio in re incorruptibili. Respondetur illud esse præter naturas rerum, tū in eo genere mutationis, sicut cœlū est reparabile per actionem ex materia in ordine ad diuinā potentiam, ita in ordine ad eandem dici potest corruptibile, seu dissolubile, eius materia manente. Omissis tamen iis extraordinariis miraculis resurrectio de potentia ordinaria (vt loquimur) solum in substantiis corruptibilibus locū habetur, vt satis probatum est.

Resurrectio in rebus solum corruptibilib⁹ locum habet.

Obiectio.

Responsio

Sed aduert. huiusmodi substātias multiplices esse: & in omnibus intelligi posse huiusmodi mutationis genus, quamquā non

omnes etiã catholici illud admittant, sine fundamento tamen, vt postea videbimus. Resurrectionis ergo nomen generaliter sũptum ad omnes huiusmodi res accommodari potest, frequentius tamen dicitur de rebus animatis, sed maxime de homine, qui veluti per antonomasiam propriè resurgere dicitur, & hoc modo vtimur ferè semper hac voce simpliciter dicta. Et ratio reddi potest. Quia (vt dixi) hæc vox vsurpata est ad significandã hanc mutationem vt interdũ à Deo solita est fieri. Solet autẽ fieri propriè hominũ resurrectiones, non aũt aliarũ rerũ, vt cõstat ex canonica, & ecclesiastica historia. Quod si interdũ fortasse legũtur res aliæ, vel animalia mortua repente miraculosè excitata, nõ est necesse credere tunc idẽ numero, quod exciderat, cum eadẽ forma excitari, cum neq; ex effectibus, & signis colligi id possit, neq; ad aliquẽ finẽ sit necessarium. In quo est magna differentia inter homines, & res alias corruptibiles. In homine enim forma separata à corpore manet, & est immortalis, & ideo multiplicatio animarum, & hominum nõ est omnino per accidẽs, sed perse ex intentione naturæ, vt notauit D. Th. 1. p. q. 98. ar. 1. Vnde, quia resurrectio, vt sic, nõ tendit ad multiplicationem, sed ad reparationem eius, quod ceciderat, quãdo homo suscitatur, necesse est, vt eadẽ anima, quæ mãserat separata, iterum corpori vniatur, vt idẽ homo resurgat. At verò in alijs rebus, quando corrumpuntur, formæ omnino pereunt, ac desinunt esse, & ideo earum multiplicatio est tantum per accidens ad cõseruationẽ speciei. Atq; eadem ratione, si aliquãdo post corruptionem subitò excitari videntur, nõ est necesse, quod in eodẽ individuo, sed in eadẽ specie resurgãt, quia ad finem intentum nõ magis refert vnum in diuiduum, quàm aliud. Resurrectio ergo simpliciter dicta tantum in hominibus regulariter locum habet. Et hoc sensu semper de resurrectione loquemur.

Solus homo ãtonomasti ce resurge re dicatur quomodo.

D. Thom.

Ex his satis expositis relinquitur vltima pars in descriptione posita, scilicet oportere, vt per resurrectionẽ idẽ homo fiat, qui antea desierat esse. Nam si esset alius, iã nõ esset resurrectio, sed multiplicatio hominũ, nouaq; generatio. Sed licet hoc certũ sit: tamen in explicanda hac identitate, ex qua ratio resurrectionis pẽdet, nõnullæ occurrunt difficultates, quæ in sequentibus sectionibus cõmodius tractabuntur.

SECTIO SECVNDA.

Vtrũm sit necessarium, vt id, quod resurgit eadem numero animam, & materiam habeat.

QVod ad priorem partem sectionis attinet res est facilis. Nã de anima rationali nulla est controuersia propter rationem factam in fine præcedentis sectionis: tamen supposita sententia asserẽte in homine plures esse animas, & formas substantiales, aliqui existimant nõ esse necessarium ad veram resurrectionem, vt eadem numero anima sentiens, vel vegetans redeat. Quod necessariò sequitur ex eorũ opinione, qui negant posse per diuinã potentiam reparari eandem numero formam materialem, depẽdentẽque â materia, post quam destructa est. Et licet sit, possibile, tamẽ quod ad resurrectionem eiusdẽ hominis nõ sit necessariũ, probari potest. Quia homo formaliter cõstituitur per animã rationalem vt sic, nõ verò per superiores formas. Nihilominus contrariũ verius est, vt colligitur ex D. Tho. in 4. d. 44. q. 1. art. 1. quæ. 2. ad 3. Vbi inquit, si in resurrectione nõ redeat eadem anima sensibilis, nõ fore idem animal, & consequẽter neq; eundem hominem. Quia hic homo essentialiter includit, quod sit hoc animal: & quia variata parte essentiali non põt simpliciter manere idẽ, quod antea erat. Deinde supposita vera sententia, in homine tãtum esse vnã formã substantialem, est hoc simpliciter necessariũ. Quia non põt eadem numero anima rationalis redire, quin redeat eadẽ anima vegetãs, & sentiẽs talis hominis, cũ sit vna, & eadem, quæ nõ potest informare secundum vltimũ gradum, quin informet secundũ omnes. Tum quia in re nõ distinguntur, tum etiam quia sunt essentialiter subordinati. Denique (etiã si verum esset illas animas esse distinctas, ac materiales) tamen sine dubio possent à Deo iterũ produci, vt infrequentibus attingemus. Atque de facto asserendum esset, ita fieri in vera hominis resurrectione, vt sit verè idem numero homo, qui resurgit.

Tota igitur difficultas versatur in posteriori parte quæstionis, an scilicet de necessitate resurrectionis sit eadem materia corporis, resurgentis, & mortui. In qua non est dubium de identitate specifica, seu essentiali. Quia cum hæc species materiæ, scilicet rerum generabilium, & corruptibilium sit de essentia corporis humani,

ni, & consequenter de essentia hominis, si materia corporis resurgentis nō esset eiusdem speciei, compositum ex illa nō solum non esset idem homo, qui antea fuerat, verum etiam neque esset homo. Non esset ergo illa resurrectio: sed noua productio cuiusdā noui monstri. Vnde sententia Euchetis, Orig. & aliorum, qui posuerunt corpora hominum resurgentium futura alterius rationis, quàm nunc sunt, vel hoc titulo hæresis meritò damnatur, quod veritatem resurrectionis euertat, quanuis illa hæresis possit alijs modis intelligi, vt inferius iterum attingemus. Dubium ergo inter catholicos solū est de identitate numerica materiæ primæ. Quidam enim existimant, non esse necessariam. Quæ sentētia tribuitur Origeni exponenti verba illa ps. 1. *Non resurgent impij in iudicio*, vt ex Methodio in dialogo Aglaophon, seu de resurrectione refert Epipha. hæres. 64. vbi licet non expresse loquatur de identitate numerica, necesse est tamen saltem de hac intelligi. Nam expresse dicit non requiri idem primum subiectū, & hoc modo defendit hanc sententiam Durandus. in 4. distinctione. 44. q. 1. Cuius fundamentum est, quia forma est, quæ dat composito esse, & vnitatem. Materia enim, cùm de se sit pura potentia, ab hac forma habet, quod sit hæc, & quòd distinguatur ab alia, quia sicut totū esse eius est ā forma, ita & identitas, & diuersitas actualis, ergo quādocunq; est sub eadē forma, idem cōpositum resultat: ergo, vt sit vera resurrectio eiusdem hominis, satis est, quòd anima sit eadē. Et confirmatur primo, quia in homine per nutritionē variatur materia, & fortasse per aliquot annos tota variatur: & nihilominus manet semper idē homo, ergo similiter esset idē homo, si iterū produceretur ex eadem anima cōpositus, quanuis materia esset diuersa, ergo esset vera resurrectio. Et hoc argumentū amplificat valde Origen. apud Methodiū supra, inquirēs si materia futura est eadē in resurrectione, an sit illa, quā homo habuit in pueritia, vel in senectute, quia materia semper fluit. Cōfirmatur secundo, quia aliàs si duo homines successiuè habuissent eandē materiam, non possent postea simul resurgere. Quia non posset vtriq; eadem materia tribui sine nouo saltem miraculo, scilicet quòd eadem materia simul sit sub duabus formis, quod Durand. simpliciter impossibile esse iudicat.

Origen. Method. Epiphan. Durand.

Similiter qui mortuus esset puer, non posset nisi puer resurgere.

Cōmunis verò sententia est, de necessitate resurrectionis esse, vt corpus resurgētis cōstet eadē numero materia, ex qua priꝰ cōstauit. Ita D. Thom. 4. cont. Gent. c. 81. & quodl. 11. art. 6. & in 4. dis. 44. q. 1. ar. 1. quæst. 1. vbi Scot. Palud. Capreol. & cæteri scholastici hanc sententiā amplectūtur. Ratio est, quia sicut materia est de essentia hominis, ita idētitas materię est de rōe eiusdem hominis. Quod declaratur, refellēdo simul præcipuū Durādi fundamentum, in quo repugnantiā quandā inuoluere videtur. Materia. n. suā propriā entitatem hēt, quæ sub diuersis formis manet eadē, aliàs in generatione nihil maneret in genito, quod fuit incorrupto. Quia si aliquid manet, illud est aliqua res: maximè autem est res, quæ est materia, ergo repugnat, vt materia accipiat totā identitatē, vel diuersitatem à forma. Nā illa entitas, quæ supponitur formæ, de se est eadē vel diuersa. Imò, nisi hoc ita sit, in ipsa quęstione, quā Durādus admittit vt possibilem, inuoluitur repugnātia. Nā si materia hoc ipso, quòd est sub eadē forma, est eadem, impossibile est, candē animā informare diuersas materias, quod in proposita dubitatione supponitur. Quod si Durādus dicat materiā, vt purā potentiā esse diuersam: tñ vt est actu, esse eādem, in primis falsum supponit. Quia quātunuis materia cōsideretur, vt potētia pura in ordine ad actū formalē, necesse est vt in se sit aliqua entitas, vt esse possit vera ac realis potētia passiua. Deinde nō expedit difficultatē. Quia materia etiā vt pura potētia est de essentia cōpositi substantialis, & ideo si illa est diuersa, nō erit idē homo, qui resurgit. Et cōfirmatur, nā trāsmigratio animarū (quā Pythagorei ponebāt) nō censebatur resurrectio: sed noua generatio, quāuis eadē anima relicto vno corpore aliud informaret, ergo ad resurrectionem nō satis est identitas animæ, si distincta sit materia, quā informat, sed erit potius illa quędam animæ transmigratio.

D. Thom. Scot. Palud. Capreol.

Materia prima in se et de se propriā habet entitatem.

Durand.

Hæc difficultas pēdet multū ex illa quęstione, an variata materia sub eadem forma sit idem homo, nec ne. Quæ quidem multū pōt esse de nomine. Nā res ferè constat, scilicet illū hominē omnino, & quoad omnes partes essentiales nō esse eundem, quoad præcipuā verò partem, quę propriè hominem cōstituit, esse eundem, & ideo si

illa variatio materiæ paulatim fiat, & sub eadem corporis organizatione, simpliciter censetur idem homo, loquendo humano more. Si autē fieret subita quædā mutatio totius corporis in aliud, nō censeretur simpliciter idē homo: quāuis fortasse, si fieret modo imperceptibili, & cū organizatione & figura simili: idē simpliciter vocaretur. Nam quod variatio paulatim fiat, vel subitò ad veram rei identitatem, vel diuersitatem nihil referre videtur: sed solū ad existimationem, & ad loquendi modum. Iuxta hæc ergo difficultas posita resolui posset, dicendo resurrectionem perfectam ex omni parte requirere identitatem materiæ, resurrectionem verò imperfectam, & secundum quid posse consistere cum sola identitate formæ.

De ratione perfectæ resurrectionis est omni modo formæ, materiæque identitas.

Vt tamen non tantum modus loquendi sed res ipsa magis explicetur, aduerto, quôd cùm resurrectio (vt dixi) sit mutatio quædam, in qua subiectum, & terminus reperitur, interdum potest denominare subiectum, quo modo dicimus resurgere corpus, quod mortuum erat, corpus enim illud subiectum est, non terminus resurrectionis. Interdum verò potest denominare terminū, quo modo dicimus resurrexisse hominem, vt Lazarum, v.g. Animam verò propriè non denominat, quia illa non ceciderat, sed viua permanserat, quanuis denominari possit reunita corpori per resurrectionem. Igitur, si resurrectio consideretur in ordine ad terminum, sic recte respōsum est, sicut est idem, vel alius homo mutata materia sub eadem anima: ita secundum quid posse dici reproductionem, seu resurrectionem eiusdem hominis variata materia, non tamen simpliciter, & perfecte. At verò, si resurrectio dicatur in ordine ad subiectum, sic non potest dici vera illius resurrectio, nisi eadem materia numero, quę fuit in mortuo, sit in homine suscitato. Quia si non est eadem materia corporis mortui, & resurgētis, quanuis resurgat aliquo modo idem homo, tamē illud corpus, quod fuit mortuū, verè non resurgit, quādoquidē vlterius non informatur anima. Item quia si corpus denominatur resurgēs ergo oportet, vt illa mutatio, quæ est resurrectio in illo fiat, tanquam in subiecto (alias nullo modo denominari poterit â tali mutatione) ergo necesse est, vt forma introducatur in illammet materiā, ex qua tale corpus constat, quia corpus nō est subiectum illius mutationis nisi ratione materiæ, quæ in se recepit formā. Deniq; propter hanc causam in scriptura sacra non tantum hominum resurrectio prædicatur: sed etiam promittitur ipsorum corporum, & ossium, ac membrorum suscitatio, vt significetur, non vtcunque homines esse suscitādos, sed perfecte, hoc est per viuificationem eorundem corporum, quoniam videlicet hæc est de ratione perfectę resurrectionis. Vnde Ioan. 5. ait Christus, *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audiēt vocem eius, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij*, & Luc. 21. *Capillus de capite vestro non peribit* 1. ad Cor, 15. *Seminatur corpus animale, surget spirituale: seminatur in corruptione, surget in incorruptione* & Iob. 19. *In nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum*. Vbi Gregor. lib. 14. cap. 27. & sequentibus id late confirmat, & inter alia inquit. *Non recte resurrectio dici potest, vbi nō resurgit, quod cecidit*. Et eodem modo interpretatur hæc loca Hierony. in epist. 61. ad Pāmachium contra errores Ioannis Ierosolymitani, & late Aug. 22. de Ciuit. cap. 22. & sequentibus, & in Enchirid. cap. 84 & sequentibus, vbi fusè declarat, quo modo eadem materia sit futura in corporibus resurgentium, & optimè lib. 2. de consolatione mortuorū. Vbi id confirmat ex Isa. 26. *exurgent mortui, & resurgent, qui in monumentis sunt*, & Ezech. 37. *ossa arida audite verbum Dei &c.* Et Fulgentius libr. de fide ad Petrum cap. 3. vbi dicit in Christi aduentu à primi hominis corpore, vsque ad omnium hominum corpora esse suscitanda, & singula corpora singulis suis animabus esse reddenda. Denique Damascen. lib. 4. de fide cap. 28. *Resurrectionem* (inquit) *dicentes corporum resurrectionem intelligimus. Resurrectio enim nihil aliud est, quam secunda, eius quod cecidit, surrectio. Ex quo efficitur, vt illud ipsummet corpus, quod interit, & dissoluitur, tādem interitus expers ad vitam rediturum sit.* Similia multa habet Tertullian. in lib. de resurrectione carnis, Chrysost. varijs homilijs de resurrectione in tomo. 5. & alij Patres, qui de hoc argumēto scripserunt, quorum testimonia in sequētibus attingemus. Itaque quanuis ille modus imperfectæ resurrectionis à Durando confictus concipi possit, & intelligi, vt possibilis: tamen vera

Luc. 21. 1. Cor. 15. Iob. 19. Greg. *In resurrectione, eiusdē omnino corporis futura reparatio* Hierony Aug. Isai. 26. Ezech. 37. Fulgent. Damasce. Tertull. Chrysost.

ra resurrectio, prout scriptura, & Ecclesia de ea loquuntur, idētitatem requirit nō solum animæ, sed etiam materię. Et præter dicta addi potest ratio sumpta ab ordine diuinæ iustitiæ ex Diony. cap. 7. de Eccl. Hier. par. 1. vbi sic inquit. *Alij vero animabus aliorum corporum coniugia tribuunt, iniurijs (vt reor) quantum in se est afficientes corpora, quæ cum sanctis animabus laborarunt; sacrisque retributionibus priuantes, quæ ad finem sanctissimi cursus peruenerunt.*

Dionys.

Responsio ad argumē ta in oppositum.

Fundamento Durandi iam satisfactum est, prima quoq; cōfirmatio expedita est. Ad secundam vero de primo casu, illo fere argumento vtebantur gentes ad eludendā resurrectionem, vt refert Iustinus in quæstionibus Græcorum ad Christianos in fine. Quibus ipse nihil aliud respondet, quā propter has nugas nō esse resurrectionem in dubium reuocandam, sed spectandam Dei potentiam. Plura verō de eodem argumento scribit Athenagoras lib. de resurrectione, vbi dicit, etiam si quis humanis carnibus vescatur, nunquam illis nutriri nec eas in se conuertere, sed vim nutritiuā statim resilire, & id alimentum abijcere. Sed hoc, & contra experientiam est, & contra rationem physicam, quia naturalis calor naturaliter operatur. D. Tho. ergo. 4 d. 44. q. 1. art. 2. q. 4. ad. 3. & 4. & 4. contra gen. c. 81. respondet, si eadem pars materiæ in duobus hominibus fuerit, illi esse tribuendam, qui eam habuit in sua prima productione, quod si contingit in hoc esse æquales, illi esse tribuendam, qui primus illam habuit. Et hac sola posteriori regula vtitur Aug. supra citatis locis, dicens eam materiam illi animę esse tribuendam, quæ primo illam informauit. Quia veluti primum ius in eam acquisiuit, & illius facta est propria, quæ vero postea illam habuit, quasi mutuatam illam accepit. Sed in primis non video, quàm certa ratione hoc cōstet, aut cur sola temporis antecessio aliquod maius ius conferat. Præsertim cum fieri possit, vt is, qui posterius illam habuit, diuturniori tempore eam possederit: vel certe vt habuerit per generationem, & quasi primarium sui corporis fundamentum: alius vero solum per nutritionem, vt D. Tho. dixit. In cuius regula illud solum difficultatis occurrit. quia solum attendit rationem physicam, non moralem. Videtur autem etiam esse habenda meritorum ratio. Dicendum ergo videtur, sine speciali miraculo (quod fingendum non est sine fundamento) non posse euenire, vt duo homines in toto vitæ discursu eandem omnino materiam habeant. Quia nullus est, qui solis humanis carnibus nutriatur: imo pauci sunt, qui aliquando eis vtantur in cibū: ac deinde tot sunt rerum transmutationes, vt naturaliter accidere non possit, eandem omnino materię partem tam in generatione, quam in nutritione, & augmēto à duobus hominibus participari. Quo circa nō fingendo aliud miraculum semper vnicuique restituitur saltē illa pars materiæ, quæ illius fuit propria, & non alterius hominis. Quod si fortasse in aliquibus partibus materię communicent, & non sufficiant ad vtrumque corpus integrum formandum: tunc iuxta ordinem diuinę prouidentię, & iustitię, vel diuidetur illa materia, vel alteri tota dabitur pro ratione meritorū vtriusque: ita, vt quoad fieri possit, seruetur iustitia destributiua, & homo accipiat præmium, vel pœnam etiam in ea parte corporis, quę ad benè, vel malè operandum magis illi cooperata est; alia verò pars materiæ supplebitur aliunde. In quo nihil fit contra veritatem resurrectionis. Quia vere resurgit totum, quod ceciderat: supplentur autem defectus, quos in hominibus esse contingit. Et idem proportionaliter dicendum est, etiam si fingatur casus, in quo aliquis homo nullam materiā habeat, quæ non fuerit alterius hominis. Quia cum materia humani corporis in toto vitæ discursu multa fit, etiamsi pars materię vnius corporis alteri tribuatur, nunquam deerit aliqua alia pars materiæ proprij corporis, ex qua possit hominis resurgentis corpus fabricari. Ac denique facile est Deo sua potentia, & prouidētia ita omnia disponere, ac distribuere, vt vnusquisq; vel omnino, vel maiori ex parte suum proprium corpus accipiat. Vnde vanum est, quod Origenes supra interrogabat, an hæc materia sumenda sit ex puerili, vel senili corpore? nihil enim hoc refert, dummodo identitas materię aliquo modo seruetur: reliqua verò Deus disponet vel prout magis expediet ad reddendum singulis condignū prę mium, pœnamve, vel prout necessariū fuerit ad communem omnium hominum resurrectionem perficiendam.

Ex quo etiam facilis est responsio ad aliā partem secundæ confirmationis Durandi, scilicet quomodo possit resurgere in maiori

Puer inexi guo defunc tus corpore

resurgere in maiori quomodo possit.

iori corpore v.g.virili,qui in paruo, & infantili mortuus est.In quo quidam dicũt, posse Deum ex quacunque parte materiæ quantunuis minima fabricare corpus magnę molis,&quantitatis,nulla facta additione substantiæ,seu materiæ,sed tantũ quantitatis & aliorum accidentium.Sicut formauit corpus Euæ ex costa Adæ, in qua exigua portio erat materiæ, & tamen corpus ex illa formatum perfectum, & completæ magnitudinis fuit.Ita sentit Gregor. Nyssen.orat.3.de Resur.circa medium, & insinuat Augustinus serm.2.de consolat. mortuorum cap.3.dicens. *Sed dubitas, quomodo de paruis ossibus totus possit homo restitui. Reuera tu ex modica scintilla ignis ingentem susci-tas flammam. Deus non poterit ex modico cineris fermento totum corpusculi tui redintegrare cõs-persum.* Nec defuerunt Philosophi,qui crediderint hoc esse possibile. Quod si verũ esset,facile iuxta hunc dicẽdi modum omnia dubia supra insinuata soluerentur.Mihi tamen huiusmodi responsio probari nõ potest. Quia modus ille vel impossibilis est,vel eo modo,quo est possibilis, ad veram resurrectionem non cõfert. Quod ita explico:nam ex parua materia intelligi potest fieri corpus magnæ molis suis mẽbris distinctum,æquè,vel magis densum, quã ex eadem materia prius esset paruum corpus cõpactum:hoc(inquam) intelligi potest,si talis materia sub eadem, vel sub diuersis partibus quantitatis,in pluribus locis,iuxta partium, ac membrorum multitudinem cõstituatur. Hic tamen modus nec connaturalis est, nec veritati resurrectionis accommodatus. Corpora enim resurgentium futura sunt in sua natura integra, & perfecta, & quantum ad substantialem compositionem pertinet,modo connaturali cõstituta. Si autem non fingatur huiusmodi replicatio materiæ in multis partibus,&locis,non potest mẽte concipi,quo modo ex parua materia fiat magnum corpus,non per rarefactionem(hoc enim non est ad rem) sed cum debita densitate, quæ maior est in virili, quam in puerili corpore. Quia naturalis constitutio corporis in tanta densitate necessariò requirit tantam materiam,sicut & tantam quantitatẽ. Imò tanta quantitas necessariò postulat tantam materiam. Vnde,si pars materiæ auferatur, vel pars quantitatis tollenda est, vel necesse est,vt sine subiecto maneat. Quia quantitas veluti adæquatè adhæret materiæ,ita

Gre.Nyss. Aug.

A vt pars quantitatis parti materiæ respondeat,& neque in vna parte materiæ intelligatur esse duplex pars quãtitatis,neq; vna pars quantitatis in duplici materię parte. Ergo,sicut ex parua quantitate non potest fieri magna æquè,vel magis dẽsa,nulla addita quantitate:ita neque ex parua materia potest fieri magnum corpus substantiale, & materiale nulla facta additione materię. Respondetur ergo cum D. Thom. in 4. d. 44.quæst.1.art.2.quæst.4.ad 3. vt puer resurgat in magnitudine perfecta, & in corpore naturali modo constituto, necessariũ esse aliquam additionem fieri. Quod non erit contra veritatem, & perfectionem resurrectionis, quia vere resurget idem numero,quod cecidit,habebitque tot minima materiam eandem,quam antea habuit,sed nõ illam solam, quia non habuerat integram, atque perfectam.

B Ex his facile etiã intelligi potest, an sit de necessitate veræ resurrectionis, vt tota materia,quæ fuit in mortuo,restituatur homini suscitato. Dicendum est enim ad veram resurrectionem solum requiri, vt ex priori materia restituatur corpus humanũ constans ex omnibus, quæ sunt de veritate humani corporis,vt sunt caro, sanguis, & aliæ partes,& humores, quanquam aliquę partes non sint simpliciter necessariç, sed ad quandam integritatem, ne corpus sit mutilum,aut imperfectum, vt latissimè explicat D.Thom.in 4.dist.44.q.1.artic. 2.Illa ergo materia, quæ sufficiens fuerit ad huiusmodi corpus componendum,resumetur,& satis erit ad veram resurrectionẽ. Si qua verò superfuerit, cùm illa non sit necessaria corpori humano, nec erit necessaria ad veram resurrectionem: si tamẽ aliquid defuerit,aliunde suppleri poterit, vt dictum est.

C Duo tamen supersunt dubia circa superius dicta. Primum est, vtrum non solum necessarium sit,vt materia totius corporis sit eadem:sed etiam, vt materia singulorũ membrorum respectiue sit eadem,idest,vt ex eadem parte materiæ,ex qua prius constabat caput,constet postea,& similiter manus,iecur,pes,&c. Nam D.Tho.in 4.dist. 44.q.1.arti.1. quęstiuncula 3.indicat hoc esse de necessitate resurrectionis, præsertim loquendo de materia,quæ existebat in partibus diuersarum rationum. Quia facta variatione in huiusmodi partibus,sit varietas essentialis.Et hanc sententiam sequun-

1.Dubium

D.Thom.

tur

tur ibi aliqui recentiores. At verò D. Augustinus in Enchirid. cap. 89. & lib. 22. de Ciuitate, capit. 19. expresse negat hoc esse de necessitate resurrectionis. Quam sentẽtiam sequutus est Anselmus in Elucidario, & ad Ephes. 4. & ex scholasticis supplemẽtum Gabrielis in. 4. d. 44. q. 1. ar. 2. conclusione. 6. quam dicit esse communem doctorum sententiam. Et probari potest ratione contraria illi, quam D. Th. insinuabat. Nam si totum corpus constat ex tota eadẽ materia, realiter, & substantialiter erit idẽ corpus, etiamsi inter partes sit facta materiæ commutatio, quia huiusmodi varietas non facit substantialem diuersitatem, sed sualẽ tantum, vel accidentalẽ, ergo ea non obstante erit simpliciter idem homo, qui resurgit, erit ergo vera resurrectio. Et confirmatur. Nã de partibus homogeneis D. Tho. concedit non esse contra veritatem resurrectionis, quod situ transmutentur secundum materiam, ergo idem erit de partibus heterogeneis. Nã quanuis hæ partes dicantur diuersarum rationum, hoc solum est quoad dispositiones, & accidentia, (nã in substantiali cõpositione nõ differunt) ergo non obstante prædicta transmutatione erit simpliciter idem homo quoad substantiam, atque adeo & vera resurrectio, quæ intrinsecè est mutatio substantialis.

Aug. Anselm. Sup. Gab.

Et hæc posterior sententia verior mihi videtur, si in rigore loquamur de his, quæ necessaria sunt ad veram, & absolutam resurrectionem. Si autem loquamur de maiori perfectione resurrectionis, & prout illam futuram speramus, hoc modo probabilius est, seruandam esse identitatem materiæ non solum in toto: sed etiam in partibus, quoad fieri commode possit. Hoc enim diuinæ potentiæ facile est, habet quemaiorem quandam congruitatẽ, & pertinere interdum potest ad perfectam remunerationem, & vindictam, vt nimirum in eadem parte, quæ fuit organum virtutis, aut vitij præmium, vel pœna recipiatur. Sicut enim Sancti probãt resurrectionem, quia æquum est, vt corpus, quod fuit instrumentum animæ ad opera iustitiæ, sit particeps beatitudinis eius: ita probari potest congruum esse, vt pars, nimirum oculus, per quem Sanctus lacrymas cõpunctionis effudit, resurgat etiam oculus, per quẽ Sanctus Christi visione fruatur. Iuxta illud Iob 16. *Quem oculi mei conspecturi sunt*, & sic de cæteris. Quæ ratio, & congruentia maior

Responsio Identitas in materiæ singulorum membrorum quomodo sit de necessitate resurrectionis.

A est inter partes heterogeneas, quæ sunt instrumẽta operationis, earũq; ordo, & situs intentus â natura est, quæque aliquomodo formaliter distinguntur: quâm in partibus homogeneis, quæ omnino sunt eiusdem rationis, & earum situs, & ordo quodammodo accidentarius est, & ita D. Tho. sup. interpretatur suam, & August. sententiam.

Alterum dubium est, an de necessitate resurrectionis sit eadem vnio animæ, & corporis, quæ antea erat. Vbi non est sermo de vnitate specifica. Nam hæc sine dubio est necessaria, quia in resurrectione necesse est, vt anima informet corpus modo, & causalitate formali connaturali ipsi animę, & ècontrario, vt materia suscipiat animam componatque hominem concurrendo etiam modo connaturali in genere causę materialis. Hæc ergo causalitas necessario est futura eiusdem rationis, & speciei, ergo & vnio, quæ est ipsamet causalitas, seu quasi via in suo genere ad effectum istarum causarum componendum. Quin potius fortasse non est possibilis vnio inter materiam, & animam alterius speciei: si tamen talis sit vnio, vt ex ea homo resultet. Nam sicut homo est vnius speciei: ita & vnio, & informatio, per quam compenitur, est vnius tantum rationis. De vnitate verò numerica potest esse nonnulla ratio dubitandi. Hinc enim videtur non solum non esse necessarium: verum nec possibile, vt idẽ modus vnionis restituatur. Quia nõ habet entitatem propriam, sed solum est modificatio entitatis, & non habet vnitatem numericam ab ipsa entitate, quã modificat, cùm in eadem entitate possint modi numero differentes succesiue fieri, ergo indiuiduatur hic modus ex eo, quòd hic, & nunc fit in tali re, ergo hoc ipso, quòd fit diuerso tempore, & diuersa actione, quã prior modus, necessario erit numero diuersus. Et cõfirmatur, nam propter hanc solam causam res succesiuæ, quæ semel transeunt, non possunt eædem numero restitui, quia sunt modi quidam, qui per se se indiuiduantur ex eo, quòd hic, & nunc fiant. Quocirca si ille modus vnionis idem numero restitui põt, etiam eadẽ numero sesio poterit restitui, ergo & eadem circulatio, & quælibet alia res succesiua. Hoc autem absurdum est: alias sequeretur etiam ex natura rei semper redire eundem numero modũ, quandocunque in eadem re, & in ordine ad idẽ, iterum, atque iterum redit. Vt v.g. si post-

2. *Dubium*

Vnio animæ & corporis eadẽ in specie cũ priori necessaria ad resurrectionem.

si postquam surrexi, iterum sedeo in eodē A loco, & cum eodem omnino situ, eadem omnino numero sessio fiet, quæ ante præcesserat: & idem est de figura, motu, & similibus. Quia in his nulla est ratio distinctionis, nisi temporis diuersitas, ergo vel hæc nunquam satis est ad numericā diuersitatem, & ita redibit semper idem numero, vel si aliquando sufficit, semper illam efficiet etiam in ordine ad diuinam potentiam. In contrarium autem est. Quia de essentia hominis non tantum sunt materia, & anima, sed etiam vnio earum inter se, ergo de ratione huius hominis, non tantum est hæc materia, & hęc anima, sed hæc etiā vnio: ergo, vt verum sit reparari hunc hominem absolutè, necessariumest etiā hanc vnionem materiæ, & formæ restitui. Respondent aliqui, illam vnionem esse acci- B dens, & ideo nō esse de necessitate eiusdē hominis. Ita Viguerius in institutionib. c. 21. §. 2. versiculo 4. Sed hoc est falsum, nā illa vnio non est accidens, sed modus substantialis, cum ad compositionem substantiæ intrinsecè pertineat.

Viguer.

In hac rē dicendum videtur nō esse simpliciter ad veram resurrectionem necessarium, vt idem modus vnionis materiæ, & formæ restituatur. Ita docet D. Thom. in 4. distinc. 44. q. 1. articul. 1. quest. 2. ad 2. Quia principia, quæ simpliciter constituunt hunc hominem, sunt materia, & forma: vnio autem est conditio, & quasi via, & causalitas in genere causæ materialis, & formalis ad hunc effectum constituendum; & ideò effectus, seu homo erit simpliciter idem numero, si ex eisdem principiis constet, etiam si vnio sit numero diuersa. Sicut si Christus nunc humanitatem dimitteret, & iterum illam assumeret per aliam vnionem numero distinctam, nihilominus persona composita eadem numero esset, quæ antea erat. Addo vero nō esse impossibile Deo eandem vnionem numero reparare. Potuisset enim ille hāc vnionēm numero nunc facere, si antea non fuisset: quòd autem prius fuerit, cùm iam non sit, non abstulit Deo potentiam ad illam faciendam. Item, Deus potuisset conseruare illam vnionem vsque ad hoc tempus, ergo eadem ratione poterit in priori, & posteriori tempore illam efficere, non conseruando eam in tempore medio: nulla est enim maior repugnantia, cùm conseruare sit reuera efficere, Tandem Deus nō pen-

D. Thom. Vnio materiæ, & formæ eadem numero cū priori non est de necessitate resurrectionis.

det in sua actione à circunstantiis, nec determinatur ab illis ad agendum hoc potius quàm illud: sed à sua voluntate. Et hæ rationes (vt verum fatear) procedunt de omnibus rebus, & modis præsertim permanētibus (vt nunc abstraliam à disputatione de successiuis) Neque inde tamen fit, naturaliter semper eundem numero modum redire, quandocunque redit omnino similis in specie. Hi enim modi, sicut & res aliæ permanentes, nō distinguntur numerō ex circunstantiis extrinsecis, quia hic, & nunc fiunt (sunt enim hæc valde extrinseca) sed distinguntur seipsis. Nam eo modo, quo habent esse, per illud distingūtur, sicut & constituuntur. Tamen quamuis res hæ non distinguantur numero per illas circunstantias: sed agentia naturalia determinantur ad agendum hoc individuum potius, quàm illud à subiecto, & circunstantiis, & idcirco successu temporis efficiūt formas, & modos numerō diuersos in subiecto. At Deus non pendet, nec determinatur à subiecto, & circunstantiis, ideoq; potest & efficere vnionem numerō diuersam, & eandem reparare pro sua voluntate. Ex quo tandem probabilius existimo de facto reparari in resurrectione eandem numero vnionem, quę antea fuerat inter materiam, & formam. Quia licet hoc non sit simpliciter necessarium ad vnitatem eiusdem hominis: tamen aliquid confert ad perfectiorem vnitatem. Cum ergo tam facile possit Deus eandem numero restituere, sicut nouā efficere, verisimilius est eandem restituere.

Reproductio earundē numero rerumpermanētium possibilis Deo,

Vnio inter materiā, & forma meæ dem cum priori reuparatur in resurrectiōe.

SECTIO TERTIA.

Vtrum ad resurrectionem eadem requirantur accidentia, idemque sexus.

CIrca priorem partem loqui possumus (sicut in aliis diximus) vel de identitate specifica, vel de numerica. Et videtur sanè neutram vnitatem requiri. Quia cùm resurrectio dicat mutationem substātialem (vt diximus) si restituatur eadem numero substantia, erit vera resurrectio, etiā si nulla accidentia restituantur, neque eadem, neque similia. Et ita videtur de resurrectione sensisse Eutyches, qui dixit resurrectura quidem corpora, nō tamen palpabilia: sed aere subtiliore. Qui error solet etiam tribui Origen. qui videtur

Origen.

tur negasse, futura esse corpora organica, sed rotunda, vt videre licet in Prateolo verb. Origenistæ, & ver. Euthychiani. Castr. verb. resurrectio hæres. 2. & 13. & videri etiam potest Sixtus Senen. lib. 5. Bibli. annot. 143. qui eũ vindicat ab hac nota. Dicendum itaque in primis, necessaria esse aliqua accidentia saltem similia in specie. Quod existimo certum, quia de fide certum est ad veritatẽ resurrectionis pertinere, vt resurgat corpus heterogeneũ habens ossa, carnem, & neruos, & cæteras partes apte dispositas, vt per animam rationalem viuificentur: sed hęc dispositio fieri nequit sine aliquibus accidentibus, ac tẽperamento connaturali corpori humano, hęc ergo accidentia necessaria sunt, saltem specie similia. Cõsequentia cum minori euidens est. Maior verò constat ex scripturis supra citatis, in quibus ossiũ, & carnis resurrectio promittitur. Vnde Christus aiebat. *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere* Hoc ergo *exemplo capitis nostri* (vt inquit Conciliũ Toletanum. 11. in confessione fidei) *confitemur veram fieri resurrectionem carnis omnium mortuorum, neque in aerea, vel qualibet alia carne (vt quidam delirant) resurrecturos nos credimus: sed in ista, qua viuimus, mouemur, & sumus.* Ex quo testimonio euidenter colligitur, ad veritatem resurrectionis nõ tantum requiri eandem materiam primam. Hanc enim fortasse non negassent, saltem secundum identitatem specificam, Eutyches, Origenes, & alij, qui dicebant corpora resurgentium futura aerea, vel rotunda. Nam hæc corpora eiusdem materiæ essent cum terrestri: differrent autem in temperamento, & dispositione. Ergo illi fuerunt hæretici nõ negando identitatem materiæ: sed veritatẽ temperamenti corporis humani, & partiũ eius, quod temperamentum in accidentibus consistit. Ratio vero est, quia licet resurrectio essentialiter sit mutatio substantialis: tamen substantia, quæ per illam fit, non potest naturaliter consistere absque huiusmodi accidentibus, & ideò, quanuis hęc accidentia per se primo non requirantur, tãquam de essentia ipsius resurrectionis, vel primarij termini eius: requiruntur tamen per se secundo, vt dispositiones, & proprietates necessariæ ad eam vnionem, quæ per resurrectionem fit, vel eam consequentes. Vnde intelligitur non solum esse necessaria hæc accidentia similia in specie; sed etiam in illo gradu, & tẽperamẽto quod possit esse connaturale corpori humano tum in specie, tũ in indiuiduo. Quia ratio facta æque de his omnibus procedit: de alijs autem accidentibus non est eadem ratio. Et propter hanc causam non dixi esse necessaria omnia accidentia, sed aliqua. Nam si qua erant in homine prius viuente aduentitia, nihil ad perfectionem cõducentia, neque ad naturalem rei statum, hæc nõ est necesse redire, quia neque pertinẽt ad identitatem simpliciter hominis, neque ex illa sequuntur. Et similiter fieri potest, salua veritate resurrectionis, vt homo resurgens habeat multa accidentia, quę prius non habuerat nec in indiuiduo, nec in specie. Quia hoc non repugnat cum vera eiusdem hominis vnitate, neque est contra naturalem perfectionem eius, sed spectare potest ad altiorem eius perfectionem, & statum. Et hoc modo salua veritate resurrectionis potest, *corpus animale resurgere spirituale, & quod erat mortale, resurgere immortale*, vt Apostolus dixit. 1. ad Cor. 15. & in sequentibus latius declarabimus. 1. Cor. 15.

Secundo de vnitate numerica dicendum est, quædam esse accidentia, quæ post mortem hominis, & dissolutionem compositi semper manent in altera ex partibus separatis, vt intellectus, & voluntas in anima, & quantitas in materia prima, iuxta probabiliorem sententiam, vt ad hoc etiam propositum docuit D. Tho. in. 4. d. 44. q. 1. ar. 1. q. 1. ad. 3. Et hæc accidẽtia necesse est, vt eadem numero redeant. Quia necessario consequuntur eadem principia substantialia, quorum vnio per resurrectionem fit. Alia vero sunt accidentia, quæ per se pendent â toto cõposito, & illo dissoluto, vel statim pereunt, vt sensus, vel paulatim corrumpuntur, vt calor, & alię qualitates: & de his, si in rigore loquamur, dicendum est non esse simpliciter necessaria ad veram resurrectionem. Ita D. Tho. loco cit. ad. 4. & patet. Quia quanuis illa varientur, potest eadem substantia consistere modo connaturali. Declaratur exẽplo, nam quãdo Christus v. g. illuminauit cœcum, non est necesse, vt eundem omnino numero visum illi restituerit, quem antea habuerat, aut quem habiturus esset, si á principio generationis non impediretur. Quæ est enim huius rei necessitas? Sicut enim ignis quocũque calore, etiamsi numero distinctus sit, erit contentus, & cõnaturali modo existet: ita si

Prateol. Cast. Six. Senc.

Luc. 24. Con. Tole.

Identitas accidentiũ specifica ad resurrectionem necessaria.

Restitutio eorum dẽ numero accidentium cum prioribus num sit ad resurrectionem necessaria. D. Thom.

si homo recipiat visum suæ naturæ accommodatum, satis illi erit, tametsi idem numero non sit: idem ergo dici poterit in resurrectione. Et de facto ita esse futurũ sentiunt D. Thom. Scot. & Duran. Sotus, & alij in 4. dis. 44. & idem D. Tho. 4. contr. Gent. c. 81. ad 2. obiectionẽ. Sed licet hoc probabile sit, verisimilius tamẽ est, in resurrectione hominum, quæ erit perfectissima, restitutũiri eadẽ numero accidẽtia, præsertim illa, quæ sunt aliquo modo intrinseca naturæ, vt sunt facultates sensuũ, & similes. Quod indicatur verbis illis Iob, *quem oculi mei conspecturi sunt*. Et congruentia adiũgi potest. Quia hoc est Deo æquè facile, & pertinet ad quandam rationem iustitiæ, vt iidem sensus, qui fuerunt organa merendi, sint etiam præmij participes. Et hanc opinionem elegit Palacius in 4. dis. 43. disput. 2. in fine.

D. Thom. Sco. Durandus. Sot. Iob. 19. Pala.

Ex his oritur ratio dubitandi circa posteriorem partem quæstionis de identitate sexus, eiusque resolutio. Sexus enim non pertinet ad substantialem identitatẽ eiusdem compositi. Nam si constet ex eadem materia, & anima, erit idem compositum, quamuis sexus varietur. Neque etiam pertinet ad ea, quæ intrinsecè consequuntur substantialem hominis compositionẽ: sed videtur esse quoddam accidens valdè extrinsecum consistens tantũ in figura quadam, & situ aliquarum partium corporis humani, ergo licet varietur, vel omnino tollatur, nõ tolletur veritas resurrectionis. Et confirmatur, nam ita fiet in hominum resurrectione, quę tamẽ perfectissima erit. Assumptum patet ex Basilio Psal. 114. & Hieronym. ad Ephes. 5. vbi sic inquit. *Foueamus, & viri vxores, & animæ nostræ corpora: vt & vxores in viros, & corpora redigantur in animas, & nequaquam sit sexuum vlla diuersitas. Sed quomodo apud Angelos non est vir, & mulier, ita & nos, qui similes Angelis futuri sumus, iam esse incipiamus, quod nobis in cęlestibus repromissum est.* Similia habet Athanas. serm. 3. contra Arian. nõ longè à fine.

Basil. Hieronym. Athanas.

Dicendum verò est in primis, in futura generali resurrectione hominum seruandam esse sexuum diuersitatem, ita vt in eo vnusquisq; resurgat, in quo cõceptus fuit. Hoc certum est, vt constat ex doctrina omnium scholasticorum in 4. dis. 44. neque aliquis catholicus id vertit in dubiũ, sed solum illi hæretici, qui humanum corpus organicum negarunt futurum esse in hominibus resurgentibus. Sãcti verò Patres sicut credunt illa corpora futura esse suis organis distincta, & composita, ita distinctionem sexuum in eis futuram agnoscunt. Vt disertè tradunt Tertul. lib. de resurrectione carnis ca. 60. & sequentibus, Hieronym. epis. 61. supra citata ad Pammach. de erroribus Ioannis Ierosolymitani, & in epistola 27. ad Eustoch. non longe à fine, & Aug. 22. de Ciuit. c. 17. vbi refert quosdam dixisse resurrecturos omnes in sexu virili, (quem errorem aliqui tribuunt Armenis) propterea quòd Paulus ad Ephes. 4. dixit. *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Quorũ sententiã ipse reijcit. Primò, quia distinctio sexuum non ad vitium, sed ad naturam pertinet. Et quanuis ad veterem vsum futura non sit, potest tamen deseruire ad decorem, & vt laudetur Dei sapiẽtia, atque clementia, qui & quod non erat, fecit, & liberauit â corruptione, quod fecit. Secundo, quia Christus interrogatus à Saducæis, cuius in resurrectione futura esset vxor illa, quæ septem viros habuerat, non respondit in eo statu non esse futuros viros, & fœminas: sed non futuras nuptias, supponẽs potius futuras tunc fœminas, nõ tamen ad vsum nuptiarum. Quod argumẽtum eodem modo ponderauit Beda Luc. 20. vbi eandem sententiam docet. Indicauit etiam Chrysostom. homil. 71. in Matt. & clarius Euthym. suo cap. 53. dicens. *Neque viri matrimonium contrahent, neque mulieres nuptui tradentur.* Et notat, Lucam addidisse, *Neque amplius mori poterunt. Quia nuptiæ propter mortem factæ sunt, & loco mortuorum alij generantur, vbi autem non est mors, iam neque nuptiæ sunt.* Quæ verba optimè confirmant, quod intendimus: cautè tamen legẽda sunt. Quia nuptiæ etiam in statu innocentiæ fuissent, vnde non tantum propter mortem introductę: sed propter multiplicandos homines, donec impleretur numerus electorum. Ex quo potest eadem proportione ratio confici. Quia post generalem resurrectionem iam erit numerus electorum impletus: non ergo erunt nuptiæ necessariç. Manebit tamẽ sexuum distinctio propter alias causas. Tertiam rationem addit D. Thom. in 4. dis. 44. q. 1. articul. 3. quæstiunc. 3. Quia ad perfectam resurrectionem oportet, vt redeat idẽ numero homo secundum omnes conditiones, quas postulat talis natura non solum specifica, sed

Tertullia. Hieronym. Aug. Ephes. 4. Luc. 20. Beda Chrysost. Euthym. D. Thom.

In generali resurrectione futura sexuum distinctio.

sed etiam individualis. Sed hanc sexuum A diuersitatem postulat in primis ipsa natura specifica, cuius diuersi gradus implentur per huiusmodi varietatem. Deinde talis in diuidua natura, sicut postulat certum temperamentum, & dispositionem, ita & sexū determinatum, ergo. Vltimam rationem adiungere possumus, quia vel omnes homines resurgēt vnius sexus, vel nullius. Hoc posterius dici nullo modo potest, si pro constanti supponamus illa corpora futura esse organica, & vere humana, ac integra, & non monstrosa, nec mutila. Nam si propter fictam quandam honestatis speciem, quis existimet priuanda esse corpora gloriosa sua integritate, & naturali compositione: eadem ratione dici posset, non habitura multa alia membra, quæ turpitudinē præ se ferūt, aut pudorē. Si autem primū B dicatur, inquiro, cur vnus sexus retinendus sit, & reijciendus alius? Nunquid propter vitandam concupiscentiam, & pudorem? Sed hoc nullius momenti est, quia in statu innocentiæ nullus erat pudor, neque concupiscentia inordinata, propter summam animæ rectitudinem, & naturæ integritatem, ergo multo minus est, quod in resurrectione timeatur. Dices hoc solū, procedere in Sanctis, non verò in damnatis. Respondetur, primum nullum esse incommodum, quod illi pudore afficiātur. Deinde illi etiam non patientur concupiscentię motus, nam suo modo habebunt corpora, quæ ab intrinseco alterari non possint, sed solum ab igne, & alijs agentibus externis, quæ fuerint instrumenta diuinæ iustitiæ. Adde, eos tanta tristitia, ac dolore afficiendos esse, vt nullus eis futurus sit voluptatis C & concupiscentiæ locus. Vel fortasse reijcietur sexus fœmineus, quia imperfectus, vt enim Aristoteles dixit, fœminæ sunt ex quodam defectu naturę. Sed neque hoc dici potest, tum quia ad perfectionē vniuersalis naturæ pertinet ipsa varietas rerum, etiā si in perfectione sint inæquales. Tum etiam, quia licet sexus virilis ex suo genere perfectior sit: tamen etiam sexus fœmineus est per se intentus â natura. Vnde nō dicitur, esse ex defectu naturæ, quia sit mōstruosus, aut per accidens: sed quia in eo generatio naturalis est minus perfecta, ergo seruabitur eadem diuersitas in perfectissimo statu naturę. Quod ergo Paulus dixit, omnes resurrecturos *in virum perfectum*, nō propter sexum: sed propter perfectionem ætatis, & iudicij dictum est, vt Amb. ibi exponit. Vnde nomine viri, fœminę etiā cō prehēduntur, sicut in illo Ps. *Beatus vir, qui timet Dominum*, vt Hieron. & Aug. exposuerunt. Patres vero citati solum sentiunt, non esse futuram sexuum diuersitatem, quoad vsum, non vero quoad substantiam.

Ex quo vlterius inferre possumus, quamuis non sit simpliciter necessarium ad veram resurrectionem substantialem, vt seruetur idem sexus in eo, qui resurgit: pertinere tamen maximè ad perfectionem resurrectionis. Priorem partem probat ratio dubitandi in principio facta, & quia sine dubio posset Deus eundem hominē transmutare ab vno sexu in alium, seruata identitate numerica substantiali, ergo posset etiam suscitare eundem numero hominem in alio sexu, ergo tunc esset vera resurrectio. Posteriorem vero partem probant omnia, quæ adduximus de futura resurrectione. Nam ex illis constat, hoc pertinere ad maiorem quandam identitatem eius, qui resurgit, & ad statum quasi connaturalem, qui in resurgente requiritur. Quia licet resurrectio in modo sit supernaturalis: tamē terminus eius res naturalis est (precisè loquendo de substantiali resurrectione), & ideo, vt perfecta sit, connaturalem in suo termino requirit statum.

SECTIO QVARTA.

Vtrum resurrectio sit mutatio instantanea.

HAc in re nulla est difficultas, quod attinet ad substantialem ipsam mutationem. Non enim est dubium, quin possit fieri in instanti, & quòd hic modus sit maximè proprius, & accommodatus tali mutationi. Nam si generatio substantialis fit in instanti, multo magis resurrectio. Item primi hominis productio facta est in instanti, ergo & resurrectio de se est mutatio instantanea, est enim eadem ratio. Nam in vtraque actione facta est vnio totius animæ cum corpore, per diuinā virtutem. Dico autem hunc modum esse possibilem, & magis accommodatum ex natura rei tali mutationi. Quia si Deus vellet vnire animam corpori successiuè, non dubito, quin de potētia absoluta id facere posset. Nam licet anima indiuisibilis sit, & tota simul necessario vniri debeat cui vnitur tamen, hoc ipso, quòd ex parte corporis est extensio

Mutatio substantialis in resurrectione in instanti fit.

extensio, & diuisibilitas, potest ratione illius successiuè fieri vnio, altero ex duobus modis. Primo, vt vnio in primo aliquo instãti fiat in aliqua certa, ac determinata parte corporis, & deinde successiuè extendatur ad reliquas. Secundo vt in nullo primo instante intrinseco fiat vnio animæ, cum determinata parte corporis: sed successiuè, & in tempore fiat. Neuter enim modus involuit contradictionem, tamen posterior est apertè præter naturam rerum substantialium, præsertim viuentium: prior verò modus nec est cõsentaneus diuinæ virtuti, quæ quantum in se est perfectè, & efficaciter efficit actiones suas, quãdo ex parte illarum non est repugnantia: nec etiam est consentaneus ipsi actioni, & termino eius: est enim substantialis, & vt sit perfectus, postulat certam quantitatem, in qua totus redeat. A

Itaque de substantiali mutatione nõ est difficultas: de mutatione verò accidentali, quam necesse est substantiali coniungi, vt fabricetur, & suis organis corpus disponatur, vt ad animam recipiendam aptum sit, dubitari potest. Nã Augu. epist. 49. q. 1. sig- B
August. nificat totum hoc futurum esse in instanti: imò (quod difficilius est) etiam si materia, ex qua componendum est corpus, variis in locis dispersa sit, eadem celeritate fore corpus fabricandum, ac si tota esset simul. Et ita exponit verba illa 1. ad Cor. 15.
1. Cor 15. *In momento, in ictu oculi, &c.* Quę verba tractans etiam Hieronym. epist. 152. ad Mine-
Hierony. rium. *Non (inquit) saltem in breui spacio,*
Theodor. *sed in atomo, & in puncto temporis, atque mo-*
Oecumen. *mento.* Et idem sentiunt Theodoret. Oecu-
Anselm. menius, Anselmus, & alij. 1. ad Corinth.
Gre. Nyss. 15. & 1. ad Thessalonicenses. 4. & Gregor. Nyssenus, oratione. 3. de resurrectio.
In contrarium verò est, quia hæc muta- C
tio accidentalis videtur intrinsece petere successionem.

Quo circa in hac mutatione accidentali distinguere oportet. Nam quædam fit solo motu locali, quæ valde remotè concurrit, vt est congregatio materiæ, seu cinerum in locum resurrectioni aptum: & hæc successiuè fieri postulat, & ita fiet, quamuis breuissimo tẽpore. Quia vel aliter fieri non potest, vel (si quo modo potest) non oportet multiplicare miracula sine necessitate, præsertim cum Paulus, qui dixit, *In momẽto*, dixerit etiã, *In ictu oculi*, quod breuissimam temporis moram significat. Alia mutatio fit sola alteratione, vt est intensio, vel temperamentum qualitatum: & hæc (si per se tantum consideretur) non est dubium, quin possit fieri in instanti, quamquam ratio resurrectionis ex se considerata, hoc non requirat. Quia licet ponamus hanc mutationem successiuè fieri, in termino eius fieret in instãti resurrectio. Neque hoc etiam, pugnaret cum sententia Apostoli, quia posset illud tẽpus esse breuissimum. Nihilominus tamen, si consideremus virtutem Dei infinitam, probabile est de facto non futuram successionem in hac mutatione præcisè considerata. Quia qualitates, quæ per hanc mutationẽ fiunt, non requirunt per se successionem in sua productione: sed solum ratione resistẽtiæ, quam agens nõ potest subitò superare, respectu autem infinitæ potentiæ Dei nulla est resistentia in contrariis qualitatibus, & ideo in hac mutatione præcisè considerata nulla est successio necessaria.

Alia vero est mutatio, quæ licet alteratio sit, habet tamen quandam mutationem localem coniunctam, vt est rarefactio, & condensatio: & de hac mihi nõ est dubiũ, quin natura sua, & seclusis aliis miraculis petat successiuè fieri. Quia non fit sine alia mutatione loci, tum ipsius corporis, q̃ condensatur, & rarefit: tum corporis ambientis, quod vel alteri corpori cedit, quãdo rarefit, & maiorem locum occupat, vel ad replendum vacuum accedit, quando aliud per condensationem ad minorem locum contrahitur. Ex quo fit, vt ratio resurrectionis per se non requirat, vt hæc mutatio in instanti fiat. Quia resurrectio nõ postulat plura miracula, quam sint necessaria, vt idem, quod ceciderat, resurgat. At vero hoc miraculum non est necessarium, C
quia licet organizatio ratione cõdensationis, & rarefactionis breui tempore fiat, nihilominus in termino eius resurget in instanti idem homo.

An vero, de facto mutatio hæc futura sit in instanti, nec ne, inter scholasticos cõtrouersum est. Aliqui enim affirmant, vt
Sco. Scot. in 4. dist. 43. q. 5. Duran. q. 4. Paludanus q. 4. Sotus. q. 2. art. 3. Qui tamen inter
Durandus. se dissident in explicando, quomodo pos-
Palu. sit localis mutatio in instanti fieri. Duran-
Sot. dus enim existimat id esse impossibile, & ideo conatur inquirere modum, quomodo id fiat sine loci mutatione. Sed id non assequitur, quia reuera non potest, vt Sotus satis

satis ostendit. Neq; etiã, ꝙ Palud. dicit, satisfacit, scilicet, hãc mutationẽ fieri, vt comitantẽ generationẽ, vel corruptionẽ, & ideo posse fieri in instãti, vt ipse latiꝰ declarat. Sed nõ satisfacit. Quia si quòd generatur est densius, vel rarius, quã erat illud, ex quo genitũ est, semper manet eadẽ difficultas, quomodo in instanti generari possit sine prꝫuia dispositione, quandoquidẽ necesse est, vt maiorẽ vel minorẽ locũ occupet. Scotus ergo admittit motũ localem diuina virtute fieri in instãti, & in re idem dicit Sotus: corrigit tñ modũ loquẽdi, vt scilicet, nõ sit motus, sed mutatio. Alij verõ Theologi negant hanc mutationẽ fieri in instãti, sed tẽpore breuissimo. Ita sentit Viguerius in Instit. c. 21. §. 2. vers. 3. qui tñ falso nititur fundamẽto. Existimat. n. hãc organizationẽ ministerio Angelorũ esse faciendã, ꝙ est sine fundamẽto dictũ, & cõtra cęteros Theologos, qui solã cõgregationẽ cinerũ, quæ per motũ localẽ fit, Angelis cõcedunt. Sed de hac re postea.

Viguer.

In præsenti ergo dubitatione verũ existimo, posse Deũ hãc organizationẽ facere in instanti, vt in simili quæstione dixi supra tractãdo de Christi cõceptione, vbi explicui modũ, quo intelligi põt mutatio loci in instãti, quæ ibi intercedit. Est. n. eadẽ omnino ratio in præsentia, quare non est, ꝙ plura hac de re addamus. An vero Deus sit vsurus hac potestate, & facturus hoc miraculũ in generali resurrectione hominũ, incertũ est. Nã scripturæ, quæ de hoc loquuntur, interdũ indicãt successionẽ, vt Ezech. 37. interdũ subitã mutationẽ, quæ breuissimũ tẽpus admittit. Ita etiã loquũtur Patres supra citati, & expositores oẽs. Nec videtur vlla sufficiens necessitas ad multiplicanda miracula. Et ita probabilem hanc partẽ existimo: tñ etiã contraria põt facillimè defendi. Nã cũ in eo opere Deus immediatè operetur sua infinita virtute, ad illius decorẽ, & manifestationem pertinet, vt sine vlla mora operetur. Itẽ quia alias oporteret ibi fieri aliquas trãsmutationes substãtiales medias, ꝙ nõ videtur expediens. Est ergo probabile, hãc mutationẽ in instanti fieri. Illud tñ est certũ, siue fiat in instãti, siue in tẽpore: tñ in quoddã instanti terminari, & cõpleri, in quo simul fit vnio animę cũ corpore. Vnde valde errant, qui cum admittant organizationem fieri in instãti, dicũt nihilominus durationẽ antecedere vnionem animæ ad corpus. Sunt. n. hæc pugnantia. Quia vel illa organizatio pertingit vsq; ad vltimã dispositionẽ, & ita in eodẽ instãti inducetur forma, vel nõ pertingit, & ita non tota organizatio fit in instanti, cùm aliquid sit illi addẽdũ in alio tempore, vel instanti.

Organizatio in resurrectione an posit, aut debeat in instanti fieri.

Ezech. 37.

SECTIO QVINTA.

Vtrum resurrectio sit supernaturalis mutatio, a physica generatione essentialiter distincta.

RAtio dubitãdi esse põt. Quia, si substãtialẽ mutationẽ cõsideremus, nihil in ea videtur diuersum ab ea naturali actione, qua in hominis generatione anima corpori vnitur. Nã in primis terminus integer est idem: & similiter terminus formalis, quia tã anima, quã vnio animæ ad corpus est eadẽ, seu eiusdẽ speciei, & naturalis omnino. Rursus vtraq; actio fit in instãti, & vtraq;, quatenus est vnio ad materiã, pendet ab illa, vtriusq; quoq; principiũ immediatũ est Deus. Nã licet in generatione naturali agẽs proximũ attingat dispositiones vltimas: non tamẽ attingit immediatè vnionem, quę est modus ipsius animæ, & spiritualis, sicut illa: ergo nihil est, in quo possit vna mutatio ab alia essentialiter differre. Confirmatur, & explicatur hęc ratio. Nam postquam Deus aliquem suscitauit, eadem actione continuata, ac durante conseruat illam vnionem animę, & corporis, qua illam fecit in primo instanti resurrectionis, (nulla enim alia actio est necessaria, neque oportet sine causa illas multiplicare,) sed illa actio, qua conseruat vnionem, est eiusdem rationis, cum ea, qua conseruat quenlibet alium hominem, & vnionem eius animę ad corpus in generatione factam, quia homo suscitatus (cæteris paribus) tã naturali modo existit, & conseruatur, sicut homo genitus, ergo etiam illa actio, qua homo resurgit, est eiusdem rationis cum illa, qua primo generatur. Et hæ rationes procedunt de substãtiali actione, & mutatione. Tertio tamen possumus eodem modo argumentari de mutatione accidentali, quę est ad disponẽdum, & organizandum corpus. Nam si fit in tempore, ad summum differt in velocitate, & in agente, (quę differentia est accidentalis, vel extrinseca) in reliquis autem omnino conueniunt, scilicet in termino, in subiecto, & in eductione de potentia illius. Si autem mutatio illa fiat in instanti, ad summum different tanquam mutatio instantanea, & successiua, quam

differentiam multi arbitrantur esse accidentalē, quando terminus est omnino idē habens in se aliquā latitudinem. Et licet in hoc admitamus essentialē diuersitatē, nō eritmaior, quā sit inter calefactionē factā in instāti, vel in tēpore, quæ nihil videtur referre, cùm inter actiones naturales possit hæc differentia reperiri.

In cōtrariū vero est. Quia resurrectio (vt dicemus) est actio omnino supernaturalis, ergo nō potest esse eiusdem rationis cum actione naturali, qualis est prima generatio, seu vnio animę, & corporis.

De hac re nihil inuenio ab scholasticis dictū: triplex tñ pōt excogitari dicēdi modus. Quos vt explicemus, prius distinguere possumus rationē actionis, prout dicit ordinē ad causā efficiētē, seu actiuū influxū illius, & rationē passionis, prout tātū dicit ipsam vnionē in fieri, quatenus trāsmutat subiectū in ordine ad talē terminū: hæ nāq; duę rationes formales diuersæ videri possunt, & intelligi pōt variari vna, etiāsi alia nō varietur. Vt v.g. si Deus se solo producat gratiā in anima, vel per sacramētū corporeū, immutatio passiua animæ eiusdē rationis videtur, quia ex parte animæ idem est modus receptionis, & ex parte etiā gratiæ idē modus vnionis, tā in fieri passiuo, quàm in facto esse. At vero actiones, quibus gratia illis modis producitur, distinctę rationis sunt. Tū quia vna fit modo magis miraculoso, quā alia. Tū etiā quia vna pendet essentialiter ab instrumēto corporeo, à quo nō pendet alia. Ad quā doctrinā confirmādā cōfert quod D. Th. 1.2. q. 1. ar. 3. & alijs locis docuit, actionem vt actionem specificari à principio agendi, q̄ propriè intellectū de principio agendi nō materialiter sumpto, sed formaliter, quatenus virtutem habet ad operādū, verū est. Et ex hoc principio intelligitur posse respectu eiusdē effectus variari actiones, etiamsi modus passionis seu receptionis idem sit.

Hoc ergo supposito, primus dicendi modus est, substātialē mutationē resurrectionis, quatenus dicit passiuā receptionē ex parte corporis, esse eiusdē rationis cū mutatione substantiali generationis, propter rationes primo loco factas: nihilominus tñ actionē, per quā fit à Deo hæc mutatio in resurrectione, esse diuersam ab ea, qua fit hominis generatio, propter rationē in cōtrariū factā, & alias, quas statim addemus. Sed hic modus dicēdi difficultatē patitur, tū in explicando, quomodo actio illa sit alterius rationis. Tū etiā in assignando differentiā inter actionē, & passionē quoad hoc. Priorē partē explicabimus statim in secunda sententia: posterior declaratur. Nā, cū dicitur, mutationē passiuā esse eiusdē rationis, inquiro, quid intelligatur nomine mutationis passiuę. Nā vel intelligitur acquisitio noui modi vnionis, qui fit in materia, quādo animæ coniungitur. Et hoc non, quia si hic modus consideretur in facto esse, naturalis quidē est: tñ etiam modus vnionis, qui fit in anima, est naturalis. Si aūt consideretur in fieri, etiā in illo potest considerari ratio actionis, sicut consideratur in vnione ipsius animę, ergo si actio, qua fit vnio, ex parte animæ est supernaturalis, etiā actio, qua fit vnio ex parte materię erit supernaturalis: & è cōtrario vterq; modus pōt considerari per modum passionis, & vterq; erit vel naturalis, vel supernaturalis. Nō enim est maior ratio de vno, quā de alio, igitur nō potest in hoc sensu accōmodari dicta distinctio. Secūdo igitur nomine passiuę immutationis pōt intelligi ipsa vnitio animæ, quatenus de nouo afficit, immutatq; materiā, seu tota illa vnio, quæ de nouo fit, nō vt est ab agēte, sed vt afficit subiectū. Et in hoc sensu impugnatur prędicta sentētia primo. Quia passio hoc modo explicata nō differt ex natura rei ab actione, sed tantū ratione. Ipsa.n. noua actio in passo recepta, est passio, & immutatio eius, & via, qua ad nouū terminū tēdit, seu trāsmutatur. Quæ habitudines mēte quidē distinguūtur: in re autē nō dicunt modos distinctos. Nulla est.n. necessitas, vel ratio huiusmodi distinctionis, ergo nō pōt actio esse alterius ordinis supernaturalis, quin passio ad eundē ordinē pertineat, sola.n. rationis distinctio nō sufficit eas in diuersis ordinibus cōstituere. Secūdo, quia etiāsi admitteremus distinctionē ex natura rei inter illas: nulla tñ esset ratio, ob quā vna fit cēsenda supernaturalis, & distinctæ speciei, & non altera. Quia si actio est supernaturalis, oportet, vt respiciat Deū, vt principiū efficiens supernaturale, ergo, cùm potētiæ actiuæ respondeat potētia passiua proportionata, etiā passio respiciet materiā non secundum potentiam naturalē, sed obedientialē, ergo similiter ratio passionis erit diuersa.

Secūdus dicēdi modus esse pōt, resurrectionē absolutè esse mutationē specie diuersam ab hominis generatione. Qui ita potest explicari. Primò, si teneamus vltimā dispo-

dispositionē, quæ in generatione naturali ordine naturę antecedit introductionem animę, esse principiū efficiens illā vnionē, tanquā instrumentū generantis. Hoc enim posito facile est actiones distingue re. Quia actio, quæ fit in generatione hominis, essentialiter pendet ab ijs principijs, & instrumētis, per quæ naturaliter fit, & fortasse etiā pendet ab actuali influxu vteris materni: at verò actio, quę fit in resurrectione, pendet à solo Deo, vt operāte præter causas naturales, & supra totum ordinē earū. Secundo, etiāsi dicamus dispositiones materię nō esse instrumēta efficientia vnionē: sed materialiter duntaxat cōcurrere, & solū Deū esse immediatum principiū efficienstā generationē, quā resurrectionē: nihilominus in ipso Deo possumus distinguere duplicē rationē agēdi, alterā, qua consideratur vt principiū naturæ operans per virtutē, & concursum naturę debitū: alterā, qua est operans supra totū naturæ debitū. Et iuxta has duas rationes distingui poterunt actiones, quæ manant à Deo, vno, vel altero modo operante. Actio.n. Dei, quæ in naturali productione hominis interuenit, est iuxta naturæ debitū, & ita est à Deo precisè vt à principio naturæ accōmodato: actio verò resurrectionis est â Deo vt operante supra totū ordinē naturæ. Ex diuersa autē actione sequitur diuersa passio, propter rationes factas contra primū modum.

Sed neq; hic modus mihi satisfacit. Nā in primis supponēdū est, etiā resurrectionē, vt dicit substātialē vnionē, fieri in materia disposita, atq; adeò etiā ibi dispositionē vltimam ordine naturæ antecedere introductionē animæ. Nā eadē ratio est quoad hoc de resurrectione, & quacunq; alia hominis productione. Quia semper anima vnitur eo modo, quo eius natura exigit: exigit autem, vt vniatur subiecto disposito. Hinc ergo fit nō esse necessariū has actiones distingui ex parte dispositionū. Nā eo modo, quo concurrunt in prima productione, poterūt cōcurrere in secunda, nisi aliunde sit specialis repugnātia, quę assignari nò poterit. Solū ergo poterit esse differentia in modo efficiēdi ipsas dispositiones, quæ differentia accidentaria est, & valde remota respectu ipsius actionis substantialis, & in se considerata fortasse nō est essentialis, vt argumētabamur in initio huius dubitationis. Deinde illa duplex ratio efficiēdi in Deo, in prę-

A senti solū videtur pertinere ad quādā extrinsecā denominationē, nō ad physicā rerū distinctionem, quia, quòd cōcursus sit debitus, vel nō debitus, nō sufficit ad diuersitatē physicā, si alias nō sit distinctio in termino, vel in modo agendi. Sicut in rebus naturalibus motus violentus, & naturalis, si ad eundē terminū tendant, non differūt specie intrinseca, sed denominatione, quia vnus est consentaneus naturę, alter vero non. Et similiter, in materia de gratia, propositio alicuius obiecti, & inspiratio aliqua vocatur donū gratiæ, & supernaturale, quando datur præter naturæ debitū, & ordinē, quanuis ipsa motio in se sit naturalis, ergo idē erit in præsenti. Quod præterea ita declaro. Quia cū Deus per resurrectionē infundit animā corpori quanuis operetur in materia vltra debitū naturale: non tū vltra naturalē capacitatē

B materiæ, quia reuera ibi materia concurrit per naturalē potentiā passiuā, qua est capax animæ, hæc.n. semper est eadē, & immutabilis, siue anima prius fuerit in materia, siue nō: ergo etiā Deus tunc operatur vt principiū naturæ quoad actionem, quā efficit, quanuis quoad debitum liberalius operetur, quā natura postulet. Sicut si Deus illuminaret hunc aērem sine sole, vel alio lumineso, aliquid quidē faceret vltra naturæ debitū: tn id, quod faceret, eiusdem rationis esset cū alio lumine, & illuminatione naturali. Quin potius addo vlterius etiā sub hac ratione debiti nihil deesse vnioni substantiali, quæ fit in resurrectione secundū se cōsideratę, sed tantū

C ratione dispositionū. Ille.n. modus organizationis, & dispositionis, quæ fit in resurrectione, est quidē præter totius naturæ debitū: tn positis illis dispositionibus, ratione earū potest dici debita talis animæ vnio. Quia oportet dispositiones tales esse, quæ talē animā requirāt, nā futura est inter eas naturalis connexio. Ergo ex nullo capite intelligi satis potest, quod hæc actio, quę in resurrectione interuenit, sit alterius rationis, aut ordinis. Confirmatur tādem, nam si Deus annihilet Angelū, & iterū eū producat: hæc secunda productio nō erit specie distincta à prima, sed essentialiter erit creatio. Et similiter si Deus, quādo peccatorem, qui â priori gratia exciderat, iterū sanctificat, eandem numero gratiā illi restituat, quā prius habuerat, illa actio non erit specie diuersa à priori gratiæ productione: ergo similiter in præsēti.

Tertius ergo dicendi modus est, actionē, A qua fit resurrectio, esse naturalem quoad substantiā, & supernaturalē tantū quoad modū: & ideo non esse essentialiter diuersam à prima hominis productione naturali: sed tantum differre accidentaliter in modo organizandi, & disponendi corpus. *Scot.* Hæc sententia apertè colligitur ex Scot. *Marsil.* in 4.d.43.q.3.Marsil.q.vlt.arti.1.Henrico *Henrric.* quodl.11.q.4.qui existimat facta sufficiē ti corporis dispositione non esse necessariā nouā actionem extrinseci agentis, vt anima corpori iterum vniatur: sed solum prærequiri, vt fiat intimè præsens corpori. Nam statim quasi naturali impetu, & causalitate ipsa vnietur corpori, etiāsi ab extrinseco non amplius vniatur: ipsa autē anima alibi existens, si non impediatur, potest virtute sua se facere præsentem corpori, & omnibus partibus eius. Atq; ita B concludit non esse necessariā aliā actionē extrinsecā. Quę sententia supponit etiā in hominis generatione posita vltima dispositione corporis, & creatione animę, cum intima præsentia ad corpus, non requiri aliam actionē extrinsecā: sed ipsam animam statim naturaliter seipsam vnire, & quasi cōplecti corpus. Quod si dicas, illā vnionē requirere aliquod principiū efficiēs. Responderi potest, naturaliter resultare ab ipsa anima. Quæ sententia est quidē probabilis, sed nunc non potest examinari, nec est nobis necessaria. Itaq; qualiscunque sit, & á quocunque sit hæc actio, quoad substantiam eiusdē rationis censetur. Et quidem, si cōparatio fiat inter resurrectionē, & primā hominis productionem factam á solo Deo, in Adamo, aut Eua, existimo hanc sententiā esse certissimā: imò credo solū esse differentiā in quadā denominatione. Quia vna est productio rei, C quæ nunquam fuit simul cū prima animæ creatione: altera verò est productio rei, quæ iā iterū fuit, & non est simul cum animę creatione, sed cū conseruatione. Quæ differentia est valde extrinseca, & accidētalis, vt rationes, & exēpla allata confirmant. Si tñ cōparatio fiat ad generationē propriā, sic non est res tam certa: est tamē verisimilior, vt eadē argumenta probant. Supererat tamē ad perfectā huius rei cognitionē explicandū, in quo consistat ille supernaturalis modus resurrectionis. Nā licet hoc ex parte tactum sit: non tamē est exactè declaratum: sed hoc fiet commodius Sectione sequenti.

SECTIO SEXTA.

Vtrum resurrectio sit possibilis naturaliter, vel supernaturaliter.

EXplicata ratione resurrectionis facile potest hæc quęstio definiri, in qua non inquirimus, an futura sit, vel aliquādo facta fuerit (hoc.n. posterius tractā dū vel in speciali de resurrectione Christi, vel in generali de resurrectione hominū) sed inuestigamus, quid Deus in hac parte possit efficere. In quo etiā considerandū est posse esse sermonē de resurrectione vel pręcisè, vt dicit restitutionē, & viuificationē corporis iā emortui: vel de resurrectione, quæ pręter vitā corporis, habeat adiunctā transmutationē corporis ad vitā immortalē, impassibilē, & gloriosam. De hoc posteriori sensu nihil disputarunt philosophi: tñ sine dubio multò magis illū modū existimarent impossibilē, quàm priorē. Refert autē Tertull.li. de *Tertul.* Præscrip.hæreticorū c.7.omnes philosophos existimasse resurrectionē impossibilē, *vt carnis* (inquit) *restitutio negetur, de vna omniū philosophorum schola sumitur.* Vbi, licet non dicat, eos negasse esse possibilē: tñ hunc fuisse illorū sensum ex eorū principijs facilè conijcitur. Aliqui enim illorum ideò negarunt resurrectionem, quia credebant animam vnà cum corpore prorsus interire, atq; idcirco negabāt posse iterū ad corpus redire. Ita senserunt Epicurei, & Stoici, qui propterea Paulum resurrectionē prędicātē *nouorum Dæmoniorum annuntiatorem appellarunt*, Act.17. Eodē *Act.2.* errore laborauit Plinius lib.2.Histor.c.7. *Plin.* & li.7.c.55. Nec solū philosophi, sed etiā inter Iudęos Sadducęi in hoc errore versati sunt, vt constat Matt.22.Mar.12.Act. *Matth.22,* 5.& 23.& 25. Vbi Festo insanire visus est *Mar.12,* Paulus eò, quòd resurrectionem prædicaret, dicens. *Quid incredibile iudicatur apud vos si Deus mortuos suscitat,* & infra, *si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum*: & eosdem imitatus est Marcion teste Tertulliano loco supra citato. Alij verò philosophi, qui posuerunt Deū agere ex necessitate naturæ, quanuis animā humanam immortalem esse cognouerint, existimarunt eam nec post separationem ad corpus redire, nec Deum posse naturalem ordinem immutare. Et fortasse hoc modo sensit Aristot., & alij. Ex hæreticis verò, quanuis multi resurrectionē mortuorum negauerint, non constat autē, an eā negauerint,

uerint, quia putarunt impossibilē: vel solū quia non est animæ humanæ necessaria, vel vtilis corporis societas: sed potius solet esse impedimentum ad proprias actiones exercendas. Qua ratione solent vti hæretici, & alijs sumptis ex corporū corruptione, & mortalitate, vt videre licet in Tertull. in li. de resurrectione carnis. In quibus omnibus indicant posteriorē modū resurrectionis esse impossibilē, & ideò priorem non esse conuenientem.

Tertullia.

Secunda sententia extremè cōtraria referri potest eorū, qui dixerūt resurrectionē etiā naturaliter esse possibilē. Pro qua induci possunt Pythagorici, & alij, qui posuerunt transmigrationem animarū, vel eorundem, aut similiū effectuū perpetuā reuolutionem, vt Aug. refert. 12. de Ciuit. c. 13. Quanquā isti non de eisdem numero effectibus, sed de similibus loquuti fuerint. Propter quod illa etiā animarū transmigratio, (vt supra dixi) non esset vera resurrectio. Quia non erat reditus ad idem corpus, quod notauit etiā Tertull. li. de resurrectione carnis c. 1. Democritus verò, (vt ei tribuit Plinius supra) eadē corpora & posse reuiuiscere, & iterū victura esse existimauit, ergo verisimile est credidisse hoc esse naturaliter posibile. Et ex scholasticis Scot. in. 4. d. 43. q. 3. existimat posse idem numero per naturā redire, si eadē materia iterū approximetur eidem agenti numero, vel specie. Vnde, inquit, si cōtingeret eandem materiā seminis, & sanguinis menstrui, ex qua Petrus fuit conceptus, iterū sub forma seminis, & sanguinis menstrui, & in matrice eiusdem, vel alterius fœminę constitui, formaretur idem corpus, quod antea conceptum fuerat. De vnione aūt eiusdem animæ ait â solo Deo posse fieri: consequenter tñ dicit eam fieri à Deo naturali modo, & ex debito naturæ, supposita eiusdem corporis dispositione. Et in eādē sententiā inclinat Richard. ibi ar. 3. q. 1. ad. 6., quatenus sentit, facta applicatione eiusdem materiæ eidem, vel simili agenti redire eundem numero effectum: D. Th. etiā ibi ar. 1. quæstiuncula 3. huic fauet sententię, quatenus dicit, resurrectionē futurā esse miraculosam, quia dispositio corporis non fit modo naturali per virtutem seminis. Nam hinc sequi videtur, si ponamus eandem materiā applicari, vt per virtutem seminis disponi possit, fieri etiā naturaliter posse, vt idem numero redea. Et d. 44. q. 1. ar. 1. quæst. 2. ad 1. dicit per generationem naturalē non redire idem numero, quia non fit ex eadē materia. Nō videtur aūt naturaliter impossibile, vt ex eadē numero materia, ex qua vnus homo fuit conceptus, postea fiat alia conceptio. Nam Angelus posset ita applicare actiua passiuis, vt post aliquas transmutationes rediret eadem materia: idemque ex naturali cursu, & successione rerū, naturaliumque causarū fortuitō posset accidere. Pro hac etiā sententia referuntur Marsil. & Henr. sed hi nihil dicunt præter id, quod edduximus in fine sectionis præcedentis. Fundamentū huius sententiæ non est aliud, nisi quia si materia est eadem, & agens idem, effectus erit idē 8. Metaph. c. 3. quia tunc non habēt effectus, vnde distinguātur. Quod argumentū potissimū videtur vrgere, si supponamus materiā esse principiū indiuiduationis.

Marsil. *Henric.*

Tertia sententia media est, resurrectionem hominis esse possibilem diuina, non naturali virtute: aliarū verò corruptibiliū rerum nō esse possibilem reditum eiusdē indiuidui corrupti, etiā per diuinā potentiā. Ita sentit Durā. in 4. d. 43. q. 3. & Icā. de Neapoli, quodl. 21. q. 6. Marsil. 2. de Generat. q. vlt. Quibus videtur multum fauere D. Th. in 4. d. 44. q. 1. ar. 1. quæst. 2. ad 1. Vbi dicit hominem posse resurgere, quia, cùm post mortem maneat anima, quæ dat esse homini, nō interrūpitur per mortem esse substantiale ipsius hominis, & ideò nō sequitur, vt non possit idē numero redire propter interruptionem essendi, sicut accidit, inquit, in alijs rebus corruptis, quarū esse omnino interrumpitur, forma nō remanente. Et in sol. ad. 3. ex hoc principio dicit, si in homine esset alia anima sensitiua præter rationalem, illam futurā esse corruptibilem, & ideò nō fore rediturā eandem numero in resurrectione. Supponit ergo, nō posse eādem numero formā corruptibilem redire. Præterea hac 3. p. q. 77. ar. 5. sentit fieri nō posse, vt, quod in nihilū redactum est, idē numero redeat. Fundamentū huius sentētię, quoad postremā partem, (in cæteris n. nō est difficultas) potissimum esse videtur. Quia multiplicata actione multiplicatur terminus: sed actio, qua prius res fuit producta, & conseruata, non potest redire eadē numero, ergo nec terminus. Probatur minor, quia si actio posset redire eadē numero, etiā res successiuę possent eædē numero redire. Alia argumēta cōgerit Du-

D. Thom.

Richard.

D. Thom.

Durand. *Ioann. de Neapol.* *Marsil.* *D. Thom.*

rāparui momēti, infraverò ea attingemus.

Resurrectio hominis diuina virtute posſibilis.

Dico primo, reſurrectionē hominis ſaltē diuina virtute eſſe poſsibilē. Hæc cōcluſio eſt de fide, imò in articulis fidei contenta, & ideó in ea probanda non oportet hoc loco immorari. Quia eiſdē teſtimonijs probanda eſt, quibus infra probabimus, vel reſurrectionē Chriſti eſſe factā, vel aliorum hominum eſſe futuram. Preterea, quę in ſcriptura legimus de hominibus à Chriſto ſuſcitatis, vel ab alijs Prophetis, vt Elia, aut Eliſeo, vel ab Apoſtolis, ſatis conuincunt cōtra hæreticos ſubſtantialē hominis reſurrectionē eſſe poſſibilē. Quod autē ſit etiā poſsibilis reſurrectio corporis mortalis ad vitā immortalem, & glorioſam, nō pertinet propriè ad pūctum de reſurrectione, ſed ad ſupernaturalē potius beatitudinē. Illud autē probabimus inferius agentes de dotibus corporis glorioſi. Contra philoſophos verò, qui non admittūt ſcripturā, agendū eſt ratione naturali, quę quā vim habeat ad hāc cōcluſionē probandā, dicā in ſequētibus.

Resurrectio futura, diuina ſolū virtute poſſibilis.

D. Thom. Palud. Durand. Richard. Henric. Aegid. Dionyſ. Lactant.

Dico ſecundo, reſurrectio, vt fit de facto ſolum diuina virtute, ac ſupernaturaliter poſsibilis eſt. Hæc concluſio eſt mihi certa, quā docēt omnes Theologi in 4. d. 43. & 44. vbi D. Th. Paluda. Durā. Richard. & alij. Idem D. Th. quodl. 4. ar. 5. & 4. cōtra Gent. c. 81. Henr. quodl. 7. q. 16. Aegidius theoremate 1. Et conſtat ex communi modo loquendi Sanctorū. Dionyſ. c. 6. de diuinis nominibus, *Nos* (inquit) *totos animas dico, & ſocia corpora, ad perfectā vitam, & immortalem transferre policetur. Quod veteribus quidē præter naturā fortaſſe videatur: mihi vero, tibiq;, & veritati, & diuinū & ſupra naturā, vt eſt, videtur, ſupra naturā noſtrā dixerim viſibilem: non ſupra omnipotentem.* Lactātius li. 7. diuinarū inſtitutionū c. 23. *Reſurgent*, (inquit,) *& a Deo corporibus induentur*, & infra. *Quæ de anaſtaſi philoſophi quoque aliquid dicere conati ſunt tā corrupte, quam poetæ:* & infra. *Nemo quærat a nobis, quemadmodum fieri poſſit, neque. n. diuinorum operum poteſt reddi ratio: ſed, ſi a principio Deus hominē, neſcio quo inenarrabili modo inſtituit, credamus*

Gre. Papa.

ab eodem reſtitui veterem poſſe, qui nouū fecit. Et Greg. hom. 20. in Ezechielē, poſtquam multa de reſurrectione diſputaſſet, ita cōcludit. *Diuinę virtutis myſteria, quæ comprehendi non poſſunt, nō intellectu diſcutiēda ſunt, ſed fide venerāda. Quia quidquid ratione hominis comprehendi poteſt, mirū iā eſſe non poteſt, ſed ſola eſt in miraculis ratio potentia faciētis.*

Et ad eundem modū loquitur Damaſ. lib. 4. de fide c. 28. Chryſ. homilijs de Reſur. & hom. 65. in Ioā. & hom. 2. in Act., vbi dicit lōgèmai' eſſe excitare mortuos, quā ſcire diē iudicij. Et hom. 8. in. 1. ad Theſſ. dicit, reſurrectionem eſſe diuinę virtutis opus. Ambr. li. de fide reſurrectionis. *Ideo*, (inquit,) *reſurrectio difficile creditur, quia Dei munus eſt.* Aug. etiā li. 13. de Trinit. *Fides* (inquit,) *totum hominem immortalem futurū, qui vtiq; conſtat ex anima, & corpore, non argumentatione humana, ſed diuina autoritate promittit.* Et multa ſimilia habet 22. de Ciuit. ca. 4. & ſequentibus. Deniq; hoc modo veritas reſurrectionis inter articulos fidei annumeratur, quia, prout à nobis creditur, nec fieri, nec naturaliter cognoſci poteſt. Et propter eandē cauſam Paul. 1. ad Cor. 15. eā appellat *myſterium*, dicens. *Ecce myſterium vobis dico.* Et ad eundē modū loquitur ſæpe ſcriptura de reſurrectione, tanquā de diuino, ac ſupernaturali opere. Ratio autē huius veritatis reddi poteſt ex duplici capite. Primò ex parte termini, quia nō vtcūque reſurget corpus humanū: ſed immortale, glorioſum, & (vt Paulus loquitur) *ſpirituale*. Conſtat. n. huiuſmodi proprietates neque eſſe naturales corpori humano, neque virtute alicuius naturalis agentis conferri poſſe. Itē conſtat, beatitudinē animæ eſſe ſupernaturalē: ſed hęc reſurrectio corporū erit beatitudini animę proportionata, erit ergo ſupernaturalis ex parte termini. Et hac ratione potiſsimū vtuntur Sancti ſupra citati, eāque magis explicabimus, cùm agemus de dotibus corporis glorioſi. Secūdo poteſt ratio ſumi ex modo, quo fiet corporū reſurrectio, & hac vtuntur D. Tho. & ferè alij ſcholaſtici. Hic autē modus ex parte diſpoſitionum corporis ſumendus eſt, & poteſt cōſtitui vel in celeritate reſurrectionis, vel in hoc, quòd ſine varijs tranſmutationibus, quæ neceſſariæ ſunt, vt homo generetur, ſolo Dei imperio perficietur. Quibus modis eſt ſupernaturalis gratia ſanitatis, quanuis ex parte termini id, quod fit, ſit omnino naturale. Et hanc rationem tetigit Chryſ. in ſupradicta hom. 8. in 1. ad Theſſal. dicens. *Reſurrectio diuinæ virtutis eſt, cum telluri mandabit Deus, vt depoſitū reddat, quemadmodum aliquando euocauit Lazarum, Lazare veni foras, &c.*

Damaſ. Chryſoſt.

Ambroſ. Aug.

1. Cor. 15.

Chryſoſt. Ioann. 11.

Dico tertio, reſurrectio, etiamſi preciſè conſideretur, vt eſt reparatio eiuſdem numero hominis, qui antea fuerat, non poteſt

Reparatio eiusdem numero hominis in resurrectione naturaliter impossibilis.

D. Thom. Sot.

Reproductio eiusdem effectus numero cur impossibilis in natura.

est virtute alicuius agentis naturalis fieri, sed à solo Deo. Loquor de agentibus naturalibus operãtibus naturali virtute, vt causis secundis principalibus, vel vt instrumẽtis naturalibus earum. Nam loquendo de creatura, vt instrumento Dei supernaturaliter eleuato, non est dubiũ, quin eo modo possit resurrectio fieri per creaturã: tũ quia in hoc nõ est aliqua peculiaris ratio magis, quã in alijs miraculis, id omittimus & sub diuina potentia cõprehendimus. Et hoc modo cõclusio posita communis est Theologorũ, in 4. d. 43. & 44. vbi D. Th. Sot. & alij supra citati. Et cõfirmari potest ex difficultate, quæ semper fuit in credẽda mortuorũ resurrectione, nõ solũ propter specialẽ modũ, quo futura est, quia nec philosophi illũ agnoscebant, nec semper ab Apostolis prędicabatur: sed simpliciter, & absolutè propter reparationẽ eiusdẽ numero corporis, q̃ ceciderat. Vnde & in credenda ipsa Christi resurrectione tãta fuit discipulorũ difficultas, & ignorantia, vt viderentur illis deliramenta verba, quę de illa dicebãtur. Ratio verò propria huius conclusionis sumenda est ex parte organizationis, & dispositionis corporis. Quia in primis vix fieri potest, vt eandẽ numero materia prima, ex qua fuit corpus hominis formatũ, iterũ ita applicetur, vt per causas naturales possit ex ea homo generari. Quia per cõtinuã transmutationẽ, & resolutionẽ materia facile dissipatur, diuiditur, & cõmiscetur, & ideò nunquã est omnino eadẽ, quæ ad generationẽ iterũ assumitur. Deinde quanuis demus hoc interdũ accidere: tũ agentia naturalia non poterũt eã disponere ad eiusdẽ animæ introductionẽ, cum eodem omnino tẽperamento, & organizatione. Primo quidem, quia proximũ agens principale vel erit diuersum, vel aliter dispositum, quàm prius fuit, cũ semper fit in cõtinua mutatione: variatio autẽ proximi agentis multũ conducit, vt effectus varietur saltẽ secundum numerum. Secundo, quia licet interdum agens proximũ sit idem, vel eodemmodo dispositum: tũ cœli influentia, & causarũ vniuersarum influxus necessario erit diuersus: & tũ sine dubio multũ confert, ad tẽperamentum constituendum. Tertio, etiamsi agens naturale esset omnino idem, eademq; materia, non rediret naturaliter idem numero effectus, qui antea fuit, nec eadem dispositio, & organizatio corporis: alias calor eiusdẽ aquæ ab eodẽ igne semper esset idẽ numero, etiãsi millies deperderetur, & acquireretur. Similiter quotidianũ lumẽ, quod in aere fit à sole, esset quotidie idẽ numero. Quæ sunt incredibilia. Et contra Arist. 2. de generat. dicentem non redire, quod corruptum est. Et contra rationẽ. Quia materia, seu subiectum dese est capax ad recipiendas varias formas, seu dispositiones intra eandẽ speciem. Nã sicut illius potentia passiua de se est indifferens ad plures formas intra idẽ genus specie differentes, ita & ad plures diuersas numero intra eandẽ speciem. Quia non est, vnde dese magis limitetur ad vnã, quàm ad aliam. Et similiter agens naturale habens virtutẽ ad aliquẽ effectũ non limitatur ad vnum indiuiduũ, vt per se constat: ergo, quanuis hoc agens sępius applicetur ad agendum in hoc subiecto, non erit determinatum ad agendũ semper idẽ numero. Quia neq; ex virtute sua, neque ex capacitate subiecti habet hanc determinationem. Quin potius ex hoc vlterius colligimus, præter hoc subiectum, & hanc virtutẽ agendi, necessarium esse aliquid aliud, quod determinet agens ad efficiendum hunc numero effectũ potius, quàm alium. Hoc autẽ determinans non potest esse, nisi aut Deus, aut tales circũstantię, cum quibus agens applicatur ad agendum: aut ipsa natura talis agentis, quę dese est determinata ad operandũ tali modo, & ordine, vt nunc postulet talẽ actionẽ, & concursum, postea verò aliũ, & sic de reliquis. Et inter hos modos, hi duo vltimi, (qui ferè in vnum coincidunt) verisimiliores sunt, nã hoc tribuere soli Deo non est philosophicum. Nã potius causæ secundæ determinant cõcursum Dei. Præterea, modus ille habet alias difficultates in Theologia, præsertim circa actus liberos, & causalitatem peccati. Ac denique, posito illo modo, ex solius Dei voluntate pendebit, q̃ idẽ numero redeat, q̃ præcipuè intendimus. Si tũ verum est agẽtia naturalia determinari illo alio modo ad effectus singulares, inde tandẽ concludimus, postquã naturale agens determinatũ semel fuit ad introducendã hanc formã in hoc subiecto, nunquã ad eandẽ iterũ determinari, etiãsi idem subiectũ iterũ, atque iterum illi applicetur, sed semper ad aliã, atq; aliam numero distinctam, quia semper circunstantiæ sunt diuersæ.

Aristot. lib. 2 de gener.

Cuiuscũq; indiuidui reproductio diuina virtute possibilis,
Capreol.
Palud.
Sotu.
D. Thom.
Henric.

Dico quarto, per diuinam potentiã non solũ hominis resurrectio, sed cuiuscumq; alterius indiuidui reparatio possibilis est. Hæc est cõmunis sententia fere omnium Theologorũ in 4. dist. 43 vbi latè. Capr. quæst. 1. Palud. quæst 2. &. 3. & Sotus d. 44. artic. 1. Diuus Thom. quodl. 4 artic. 5. & opuscu. 9. capit. 82. Henri. quodl. 7. quæst. 16. Et probatur, quia in hoc nõ modo non apparet implicatio contradictionis: sed neque vlla etiam difficultas. Quia diuina potentia creando aliquam rem nõ fuit imminuta, ergo ex parte sua manet æquè efficax ad illam rem iterum creandam, & producendam, si ex parte eius nõ fuerit repugnantia, seu si productione indiguerit: sed postquam illa res desiit esse, quantum est ex parte sua indiget productione, vt sit, & nulla est repugnantia in hoc, quod iterum sit, ergo neq; in hoc quod iterum producatur: poterit ergo iterum produci. Sed inquit Durand. in hisce eisdem verbis inuolui repugnantiã. Nam si iterum est, ergo bis est, ergo habet duplicem durationem, ergo duplicem existentiam, ergo sunt duę res, & non vna, & eadem. Sed hoc est manifestum sophisma, quod idem fieri posset de homine quoad totum compositum, quod resurgit. Quamuis ergo res, quę prius fuit, iterumque producitur possit dici bis esse, nõ propterea dici potest habere duplicem durationem intrinsecam, ac permanentem: sed vnam, & eandem, quæ dicitur bis esse, quia non durauit continue, & sine intermissione, sed interrupta fuit, & ita in ordine ad extrinsecã durationẽ coextitit duabus mensuris distantibus, seu discõtinuis, & ideò dicitur bis fuisse. Sed vrgeri potest ex Durando, quia hoc ipso quod interrumpitur actio, necesse est postea nouam actionem fieri. Tum quia nõ magis potest eadem numero actio redire, quàm motus, aut tempus. Tum etiã, quia cum mutata sit habitudo agentis ad passum, necesse est & actionem mutari, ergo & terminum eius multiplicari. Respondetur tamen, primum negando assumptum. Nam sicut Deus eadem numero actione, quasi continue durante & creat angelum, & per multos annos illum conseruat, ita posset suspendere aliquo tempore illam actionem, & annihilare angelum, eundemque iterum postea eadem actione producere, & conseruare: nullam enim hoc inuoluit repugnantiam ex parte ipsius actionis. Si enim illa actio potest eadem durare per horam integram, quæ est repugnantia ex parte eius, quo d duret seu fiat in extremis partibus horæ, & medio tempore non conseruetur? Quocirca (quidquid sit de motu, & tempore, quæ communiter censentur non posse esse eadem numero redire, quia successiua sunt, quãuis hactenus id non sit demonstratũ) non tamen est eadem ratio de actione, de qua loquimur, quę indiuisibilis est, & permanere, ac durare multo tempore potest: & ideò, sicut semel conseruari potest in cõtinuo tempore, ita & bis poni in esse, in tempore discontinuo. Loquer autem de tempore vero, vel imaginario, nam vtraq; habitudo sufficit ad intelligendam hanc iterationem eiusdem actionis. Vnde non refert, quòd mutata sit aliquomodo habitudo agentis ad passum, seu effectũ. Quia si loquamur de habitudine, quæ præcedit actionem quasi in actu primo, illa reuera nõ est necessario mutata, nisi in hoc, quòd agens, & passum non intelliguntur coexistere eidem tempori vero, vel imaginario. Hinc autem nõ necessariò fit, vt varietur actio diuina, quia Deus in actione sua nõ pendet à tẽpore, nec determinatur ad agẽdum ex circunstantijs extrinsecis, sed â volũtate sua. Si verò sit sermo de habitudine in actu secundo, quę sequitur actionẽ productiuã effectus, falsum est assumptum, & petitur principium. Quia hoc est, quod contendimus scilicet posse effectũ esse eundem: & cõsequenter posse habere eandẽ habitudinẽ ad suã causam. Addo deniq; etiam posse Deum actionibus diuersis eundẽ numero effectũ prius producere, & postea reproducere. Quia cũ actio sit via ad terminũ, potest diuersis vijs ad eundem terminũ tendi. Item actio est dependentia effectus ab agente, potest autẽ idem effectus pendere pluribus dependẽtijs ab agente. Sicut idẽ lumen potest vna actione fieri ab vno luminoso, & postea conseruari ab alio, quod necesse est fieri per diuersam actionẽ, seu dependentiam. Et similiter gratia nũc fit à Deo per sacramẽtũ, & postea cõseruatur sine sacramento, vbi necesse est dependentiã variari. Ratio deniq; est, quia actio ex natura rei est aliquomodo distincta ab effectu, & quidã modus eius, & ideo variari potest circa eũdẽ effectũ numero, sicut alij modi variari possunt

Durand.
1. Obiecti.

Responsio.

2. Obiecti.

Responsio.

Idem numero effectus per plures actiones, seu dependentias pendere potest ab agente.

possunt manente eadem re, quæ illis afficitur.

3. Obiectio Ex quibus etiam colligitur, quàm sit futile aliud argumentum Durandi, qui ex eo quòd naturalia agentia non possint idem numero reproducere, infert etiam Deum non posse. Quia id, in quo Deus superat naturalia agentia, scilicet quod est virtutis infinitæ, & potest agere ex nihilo, nihil

Responsio (inquit) confert ad hunc effectũ. Sed hoc est apertè falsum. Quia virtus infinita non solum confert, vt possit causa producere meliora, & sine dependentia à subiecto: sed etiam, vt possit agere sine depẽdentia à tempore, vel aliis circunstantiis. Ex quo prouenit, vt non limitetur ad agendũ hic, & nunc hoc indiuiduum, sicut naturalia agentia: sed possit suo arbitrio agere, quod voluerit. Vnde potius potest hoc argumẽtum retorqueri contra Duran. Quia ratio, B ob quam agentia naturalia nõ possunt reproducere idem numero, nõ habet locum in Deo. Quia eius virtus non est ita limitata, nec determinata, sicut creaturarum, nulla ergo ratio est, cur hoc non possit.

Hinc tandem diluitur alia ratio Durandi

4. Obiect. non minus leuis. Quia si Deus, inquit, ageret ex necessitate naturæ, quanuis esset virtutis infinitę, non posset idem numero reproducere. Ex hac enim hypothesi impossibili quodlibet inferri potest. Quia enim

Responsio supponitur Deus virtutis infinitæ, posset hoc facere, quod secundum se nõ inuoluit repugnantiam: quia verò supponitur agere ex necessitate naturę, nõ posset reproducere idẽ numero, quia esset determinatus ad vnum, & ideo vel semper ageret idem C numero, vel nunquam. Sicut etiam si ex necessitate naturæ ageret, vel simul ageret omnia, quæ potest, vel nihil amplius posset, quàm illud, ad quod aut ex natura sua, aut ab aliquo subiecto determinaretur, vtrumque autem repugnat infinitæ virtuti. Et ita ego existimo illũ modũ agendi extra se ex necessitate naturæ intrinsecè repugnare cum infinitate simpliciter virtutis actiuæ. Sed de hoc alias, hæc enim sufficiunt contra Durandum.

Ex quibus solutũ relinquitur fundamentum suprapositum inter referendũ eius sententiã. D. Tho. autẽ ibi citatus in postremo loco sumpto ex hac 3. p. nõ est intelligendus loqui de potẽtia absoluta, sed de ordinaria, vt ibi (Deo dãte) latiũ dicemus. Eodẽ modo exponenda sunt alia loca ex 4. sent. A quanuis sint difficiliora: satis tamen est, D. Tho. aliis locis, vbi ex professo rem disputauit, diserte veritatem docuisse.

SECTIO SEPTIMA.

Vtrum resurrectio hominis sit naturæ debita, ideoque sit a Deo vt autore naturę.

NOn satis est ostendisse actionem hanc, & potestatẽ ad illam esse solius Dei propriam, nisi etiam explicemus, an sit tribuenda Deo vt agenti secundum leges naturę, an vero vt agenti supra ordinẽ naturæ. Nã hinc pendet quæstio, an illa actio sit dicenda supernaturalis, nec ne? Ad hoc enim nõ sat est, quod à solo Deo fiat, vt patet de animæ creatione. Videtur autem hic effectus esse à Deo, vt autore, conseruatore, aut gubernatore naturæ, duplici titulo, seu ratione. Prima sumitur ex parte ipsius hominis, quia in materia corporis humani post mortem manet eadem capacitas naturalis ad habendã animam, quæ antea fuit. Hæc enim cum à materia ex natura rei non distinguatur, variari non potest, manente eadẽ materia. Rursus eadem ratione manet in anima separata appetitus naturalis vt corpori vniatur, *Aug.* teste Augustin. lib. 12. Genes. ad liter. cap. 35. *D. Thom.* & D. Thom. 1. p. q. 76. art. 1. ad 6. Quia hic appetitus non est separabilis, cùm sit ipsamet rei natura: & in anima nihil aliud est, quam naturalis ipsa capacitas, seu formalis aptitudo, quam habet ad informandũ corpus, quam necesse est in anima manere. Ergo ex parte vtriusque principij passiui, & formalis est naturaliter possibilis hæc actio. Rursus si totum compositum consideretur, etiam videtur deberi homini resurrectio, vt possit humana species suam naturalem beatitudinẽ perfectè obtinere. Non enim sola anima, sed totus homo appetit esse beatus, vt per se constat: ergo oportet, vt totus etiam homo beatitudinem cõsequatur. Cunctæ enim res suos vltimos fines naturaliter consequuntur, cur ergo solus homo carebit statu naturali, in quo naturalem beatitudinẽ possit obtinere? Sed non potest eam in hac vita possidere ante mortem, tum quia dum hic viuit, semper est innumeris miseriis, & malis tum animæ, tum corporis obnexius, quæ repugnant statui beatitudinis. Tum etiam quia vera beatitudo æterna esse debet. Et enim

amitti si possit, hoc ipso ita animũ relinquit anxiũ, & solicitum, vt non possit esse beatus. Et ideo Aug. 13. de Trinit. ca. 8. & 20. definit non posse esse hominẽ beatum in corpore mortali, ergo ex prouidẽtia naturali debetur homini post mortẽ resurrectio, vt possit naturaliter esse beatus. Nec satis est respondere, cõsequuturũ hominẽ naturalẽ beatitudinẽ in sola anima. Quia nõ est homo, nec ꝑ hoc satisfit appetitui totius speciei. Ac pręterea ipsamet anima separata â corpore, est quodammodo in statu violento, non ergo esset in statu apto ad beatitudinẽ perfectam, nec est cõueniens, vt perpetuo maneat in eo statu. Vnde Clemẽs li. 5. cõstituti. c. 6. alias. 8. *Qui corpus* (inquit) *Adę ex terra fabricatus est, idem & Adæ corpus, & cæterorũ post dissolutionem resurgere faciet, quod hoc naturæ hominum rationis participi debeatur, viuere, scilicet in sempiternum.*

Secunda causa seu ratio dubitandi sumitur ex diuina prouidentia. Quia nõ sola anima est, quæ in hac vita benè, aut malè de Deo meretur, ergo ad prouidẽtiã Dei ex natura rei spectat, vt nõ sola anima pręmium, vel pœnã recipiat. Constat autem vel ipsa experientia, homĩnesdum hic viuunt, nõ accipere vel bonorũ operũ præmia, vel malorũ vindictã, ergo ad Dei prouidentiam pertinet hominem iterum suscitare, vt totus vel puniatur, vel beetur. Qua ratione ad persuadendã resurrectionẽ vtuntur Sancti, Chrys. hom. 65. in Ioann. *Ego* (inquit) *aliud dicã ab humanis rationib⁹: alij malitiã, alij virtutem sectantur: sed malitiæ sectatorum multi fęliciter in vltimã peruenerũt senectutem, virtutis autem contra: quomodo ergo pro meritis vnusquisq; accipiet?* Scilicet, si futura nõ est resurrectio? Et eandem rationẽ repetit sæpe Chrys. in sermonib. de resurrectione. Optime Theodor. li. 5. diuinorũ Decreto. c. de Iudicio, & late Cyril. Ierosc. cat. 18. Et Damas. li. 4. c. 28. hac ratione nixus ita concludit. *Si non est resurrectio, non est Deus, nec prouidentia.* Tertull. verò li. de resurrectione carnis c. 14. inter alia multa, quæ de hac ratione scribit, sic inquit. *Hęc erit tota causa, imo necessitas resurrectionis, cõgruẽtißima, scilicet, Deo destinatio iudicij,* &c. similia repetit sæpe in illo li. c. 33. 34. 40. & sequentibus, & li. de patientia c. 11. Similiter Greg. Nyssenus orat. 3. de resurrectione, ex hac ratione infert. *Si nõ est resurrectio, non est iudicium.* Ex his ergo omnib⁹ uidetur concludi resurrectionis opus ad naturalẽ Dei prouidentiã pertinere: atq; ita, licet â solo Deo fieri possit: tñ perse, ac precise sumptum, posse inter naturalia opera cõputari, sicut animę creationem.

Chrysost. Theodore. Cyr. Iero. Damasce. Tertullia. Gre. Nyss.

Hæc sententia videri potest non omnino improbabilis, & accõmodata ad explicandã prouidentiam, quã Deus habiturus esset erga homines, si eos in puris naturalibus sine ordine ad supernaturalem beatitudinem creasset.

Nihilominus tñ dicendum existimo, resurrectionem quacunq; ratione consideratã non esse naturæ debitã sola prouidẽtia naturali, atq; adeò simpliciter dicendã esse supernaturalem, nõ vero naturalem, nisi secundũ quid. Ita loquitur D. Th. in 4. d. 43. ar. 1. quæstiun. 3. & Sot. late q. 1. ar. 2. & alij cõmuniter: estque magis cõsentaneum locutionibus scripturę, & Sanctorum loquentium de resurrectione, tanquã de re omnino supernaturali: non tantum propter gloriam corporum resurgentium, quam reprobi non habebunt: & tñ in eis resurrectio censetur supernaturalis, propter solã reparationem, & viuificationem corporis iam defuncti. Quod si dicatur supernaturalis propter modum, scilicet, quia fit solo Dei imperio absque alijs naturalibus transmutationibus, ex hoc ipso concluditur, quod intẽdimus, quoniã resurrectio non est nata fieri alio modo, cũ per causas secundas fieri nequeat. Præterea hoc explicatur ex differentia inter animæ creationẽ, & resurrectionem. Ad primam. n. vnionem animæ, & corporis possunt agentia naturalia disponere materiã, dispositione ex natura sua postulante talẽ formam, quo circa pertinet ad naturalem prouidentiam, & concursum debitum, vt Deus illam infundat: at verò in ordine ad iteratam vnionem, quę in resurrectione fit, nihil possunt causæ naturales efficere, nec materiam ita disponere, vt postulet illius animæ vnionem, ergo non potest illa resurrectio dici simpliciter naturalis. Tertio, si resurrectio est naturaliter debita, vel est hoc intelligendũ de debito, (vt ita dicam) physico, vel mortali: neutrum dici potest. Nã debitum physicũ appellari potest id, quod debetur causis naturalibus ratione physicę virtutis, quã habent ad causandum. Sed hoc modo non est debita resurrectio. Quia si consideremus causam materialem, licet in illa maneat capacitas eiusdem

Resurrectio res supernaturalis. D. Thom.

Resurrectio ex sola prouidẽtia naturali, naturæ prorsus indebita

eiusdem formæ: tamẽ illa est valde remota: Deus autem vt gubernator naturæ non tenetur explere oẽm capacitatem remotã materiæ, sed solũ quatenus per agentia naturalia potest ad proximã dispositionẽ reduci. Alioqui deberet Deus varias formas in infinitum in materiã inducere, quia omniũ est capax secundũ illam remotam capacitatem. Et ideò hæc capacitas materiæ ad formã prius habitam congruè vocari solet obedientialis, potius quã naturalis. Quia iam non est in statu, in quo possit per agẽtia naturalia ad proximã capacitatẽ reduci. Atq; idẽ ferè est, si consideretur aptitudo ipsius animæ, quæ est causa formalis. Quia etiam nõ teneturDeus expellere omnem appetitũ naturæ, seu formę, nec efficere vnionẽ eius ad subiectũ, nisi supposita proxima capacitate subiecti: hanc verò nõ tenetur per se solus ipse efficere, sed seruato ordine causarũ naturaliũ. Denique ex parte etiã causę efficientis, nulla est, cui propter physicam virtutẽ hęc actio, seu concursus ad illam debeatur, ergo nullo titulo est debita naturaliter resurrectio debito physico. Debitũ autem morale dici potest, q debetur ratione finis v.g. propter obtinendã beatitudinẽ: vel rõe iustitię distributiuæ, seu cõuenientis gubernationis vniuersi in ordine ad mores hominũ. Sed hoc etiam debitũ nulla sufficienti ratione ostenditur. Nã in primis satis est, vt homo possit esse beatus tãquã homo, vt Aristo. dixit. 1. & 10. Eth. & ideo nõ oportet, vt naturaliter possit habere beatitudinẽ carentem omni defectu, ac miseria, aut perpetuã absolute & simpliciter, sed humano modo. Homo enim non appetit esse beatus, nisi quandiu est: ad beatitudinẽ ergo naturalem hominis satis est, quòd durare possit, quãdiu existit homo. Quia ergo homo natura sua corruptibilis est, ideò beatitudo etiã, quę naturaliter conferri põt homini, vt est integrũ individuũ speciei humanę, non est simpliciter perpetua, sed tẽporalis. Quia verò anima hominis est perpetua, ideo in illa perpetuo durare põt beatitudo hominis quantum ad id, q in ea essentiale est, scilicet quoad cognitionẽ, & amorẽ Dei naturalẽ. Et hoc tantũ est debitũ, ac consentaneũ naturis rerũ: quidquid verò vltra hoc additur, supernaturale est. Rursus quãuis spes resurrectionis sit conuenientissimũ mediũ ad continendos homines in officio: & optimã rationẽ prouidentiæ, & seruandę iustitię distributiuę

A continet: tamẽ nõ propterea dicendũ est, hunc prouidentiæ modũ esse simpliciter debitũ naturæ. Posset enim Deus aliis modis hominẽ gubernare. Imò aliqui cẽsent, Scot. & insinuat Scotus, si sola ratio naturalis spectetur, fieri potuisse, vt Deus nullũ speciale iudicium ferret de factis hominũ, bonis præmium, malisq; pœnam tribuendo. Hoc tñ licet potuerit fieri á Deo, vt supremo dño: non tñ censeo, talem prouidentiæ modum esse rebus ipsis, & naturis rationalibus consentaneũ. Melius ergo dicitur, potuisse Deum statuere alium modũ prouidentiæ, & iustitiæ intra ordinẽ naturæ cõtentum. Nã quia anima est principiũ proprium, ac per se actionis bonæ, aut malæ, satis est hominẽ in ea recipere pręcipuum virtutis pręmium: corpus autem, q tãtum est organum animę, sicut in hac tantũ vita mortali esset instrumentũ virtutis, ita in eadẽ posset recipere aliquod pręmiũ suę actioni proportionatũ. Quod non oportet vt cõsistat in diuitiis tẽporalibus, & voluptatibus, quę nõ solent ad virtutis exercitationem valde esse vtiles: sed in aliis bonis, vel auxiliis, quibus corpus ipsum facilius, & cõmodius posset ad virtutis studiũ accendi. Nullo ergo modo debita est homini resurrectio ex sola prouidentia naturali. Quæ omnia confirmari possunt elegãti testimonio Cypriani, serm. de Resurrec. Christi. Cyprian. *Homo, qui ex cęlesti, & terrena materia compactus est, vestitus extrinsecus pelle, & carnibus, tempus accepit, quo te iubente redderet terræ, quod de terra assumpserat, & ad immaterialem originem reuerteretur spiritus, cuius natura dissolutionis non admittit iniuriam. Corpus putredine, & caro vermibus consumenda secundũ naturæ suæ rationem non poterat æternitatis priuilegio perfrui: & quod sibi iure non competebat, a conditore nequibat exigere. Neque vlla corũ interrogatio super hoc merebatur responsum. Sed tu, optime domine, vltro gratiã volens dare spiritui, decreuisti clementius, vt ex societate, & clientela, quã reddiderat animæ caro, aliquid ei cõmodi prouenire, & quæ ei vehiculũ fuerat, & particeps studiorũ, in recõpensatione ministerij terrũ dilecto accolæ consociata, pudica, & pacifica rediret, nullas secum retinens cõtumelias, quibus deinceps quietis internæ concuteret puritatẽ. Sed & hoc Domine, ad cumulũ beneficij addidisti, vt inter legem carnis, & spiritus nulla posthac modũ esset diuersitas, nec post initum fœdus, vlla iterum inter eos recreuescat rebellio, sed per marium tuã reconciliatio ordinata stabilis in perpetuum perseueret.*

seueret. Te igitur iubente terra sit caro, & expulsa de domo iterum coniugatur viro, non iam ancilla sed libera: & habitant vnus moris in domo, murmurationibus consopitis, quas olim compugnantes interse concupiscentiæ concitabant.

Ex quibus vltimis verbis potest alia ratio, & vltima ad hoc idem confirmandum colligi. Quia si ex natura rei deberetur animę separatę reditus ad corpus, vel deberet hoc fieri in corpore mortali, & corruptibili, atq; eodē modo passionibus mutationibusq; subiecto, sicut nunc est: vel in corpore ab his omnibus incommodis abstracto. Si dicatur hoc secundum, apertè sequitur, illū resurrectionis modū non posse esse naturę debitum. Qui enim fieri potest, vt corpori natura sua mortali ex naturali prouidentia debeatur immortalitas? Prouidentia enim naturalis nō extenditur ad ea dona, quæ sunt prętер, vel supra naturā. Alioqui dici posset statum illum, quem Adamus habuit ante peccatum, quoad eum modum immortalitatis, & impassibilitatis corporis, quē tunc habuit, & quoad perfectam subiectionē inferiorū virium animæ ad superiores, fuisse illi debitum ex prouidentia naturali, quod tñ est omnino falsum. Si vero dicatur primum, sequitur in primis procedēdum esse in infinitum in hac reuolutione mortis, & resurrectionis hominis. Quia si resurgeret mortalis, iterū moreretur, ergo, qua ratione post primam mortem suscitatus est, excitandus esset post secundam, & ita in infinitum. Quod tanquā magnū absurdū, & ludubrium infert Augu. li. 12. de Ciuitat. c. 13. contra eos philosophos, qui dicebant, futurū esse in Vniuerso perpetuū earū dē rerum reditum, atq; circuitionem. Deinde tale corpus non esset desiderabile, neque animæ accōmodatum, præsertim si naturalem beatitudinē esset consequuta. Impediret. n. illam, ne expedite, ac sine impedimento posset Deum contēplari, & amare, redderetque iterum subiectam doloribus, & afflictionibus huius vitæ. Quo circa, licet anima pondere naturali dicatur appetere corpus, quia est naturalis forma eius: & quandiu est in illo naturaliter refugiat mortem, quia non est alium statum experta, & quia simpliciter potius vellet perfectionem sui corporis acquirere, quām illo prouari, iuxta illud, *Nolumus expoliari, sed superuestiri*: tñ anima semel à corpore separata, & naturaliter beata, appetitu elicito, ac recto potius, credo, eligeret manere separata, quā redire ad corpus corruptibile, & passionibus, ac ærumnis obnoxium. Quia reuera maius sibi nocumentū afferret, quā cōmodum. Qua propter status animæ separatæ perse nō potest dici simpliciter violētus. Quia licet in eo careat anima cōplemento alicuius appetitus naturalis: tamē proprie nulla vis ei infertur. Sicut cœcus non dicitur esse in statu violento, sed in imperfecto, sic etiam anima esset in statu aliqua ex parte imperfecto: non tñ simpliciter violēto. Præsertim quia secundum appetitum elicitum, & rationalem illum statum præferret alteri, quem naturaliter habere posset in corpore mortali. Et ex his satis responsum est ad rationes dubitandi superius positas.

Aug. 1. Cor. 15.

SECTIO OCTAVA.

Vtrum possit naturali ratione ostendi resurrectionem esse possibilem.

QVidā existimāt nullo modò cognosci posse, quia est supernaturalis: ratio aūt naturalis nō habet sufficientia principia, quibus iudicet de supernaturalibus mysterijs, etiam vt possibilia sunt. Propter quod diximus in principio huius materiæ, non posse ratione naturali cognosci, incarnationem esse possibilem. Et ita opinatur de resurrectione Medina hic ar. 1. & indicat Sot. in 4. d. 43, q. 1. ar. 3. Sed in primis non negant hi autores, posse inueniri rationes naturales vel de probabiles, quæ persuadeant resurrectionē esse possibilem: neq; ego audeo dicere posse hoc demonstrari ratione ita cōuincente intellectum, vt à nemine, etiam proteruo possit negari. Præsertim cum videam non defuisse Theologos fide illustratos, qui negauerint, posse Deum iterū producere rē in nihilum redactam.

Medin. Sot.

Nihilominus tñ existimo, rationem factam in 4. conclusione, sect. 6. cum omnibus, quæ circa illam dicta sunt, satis esse ad conuincendum intellectum benè dispositum, & esse ferè physicam demonstrationem. Denique censeo ferè equali euidentia probari, posse Deum rē corruptam reparare, sicut posse aliquid ex nihilo creare, præsertim in homine, post cuius corruptionem manent partes, ex quibus componitur. Vt enim rectè dixit Gregor. hom. 26. in Euan. *Longe minus est Deo reparare, quod fuit, quā creasse, quod non fuit.* Aut quid

Possibilitas resurrectionis ratione naturali quomodo possit ostendi.

Gre. Pap.

quid mirum, si hominem ex puluere refecit, qui simul omnia ex nihilo creauit? & homil. 20. in Ezech. *Mirari* (inquit) *solent, qualiter caro reuiuiscere possit ex puluere. Mirentur igitur altitudinem cœli, molem terræ, abyssos aquarum, omnia, quæ in mundo sunt, ipsos quoque Angelos creatos ex nihilo. Minus est valde, aliquid ex aliquo facere, quã omnia ex nihilo fecisse.* Ac propterea dixit idem Greg. lib. 14. moral. c. 28. *Qui resurrectionis fidem ex obedientia non tenent, certe hanc tenere ex ratione debuerunt:* & Lactan. lib. 7. cap. 23. *Si a principio* (inquit) *Deus hominem nescio quo inenarrabili modo instituit, credamus ab eodem restitui veterem posse, qui nouum fecit:* & Augustinus serm. 19. de verbis Apostoli, vbi sic inquit. *Te appello, quicunque infideli animo de resurrectione dubitas, & putas nõ posse mortuos resuscitari. Quid est amplius, ex nihilo homines facere, qui viuant: an eos, qui facti sunt, & vixerunt, reparare post mortem? Vtique plus est facere, quod nunquam fuit, quam reparare quod fuerit. Quomodo ergo impossibile esse dicis, vt Deus, qui hominem formauit ex nihilo, reformet? Quomodo nos suscitare non potest conuersos in puluerem, qui etiam si in nihilum rediremus facere poterat, vt essemus, sicut & fecit nos esse, cum antea nunquam fuissemus?* Similia habet sermon. 64. de verbis Dñi in fine, & epis. 49. q. 1. & epis. 146. & sæpe alias. Et eandem rationem ex creatione desumptã expendit optimè Cyril. Ierosol. cat. 4. & 18. Athenag. libr. de mortuorum resurrectione, & mihi quidem vim demonstrationis habere videtur, propter ea, quæ dixi in probatione quartæ conclusionis.

Lactan. Aug. Cyr. Iero. Athenago.

Quam hoc etiam modo declaro. Nam opera, seu mysteria supernaturalia quædã sunt in sua substantia, & essentia supernaturalia, & de his verum est, non posse ratione naturali sufficienter agnosci, etiam vt possibilia, præsertim quando attingunt Deum ipsum, qui licet cognoscatur esse, quid tamen, & quo modo sit, imperfecte cognoscitur solo naturæ lumine, & huiusmodi est mysterium incarnationis, & similia. Alia verò sunt supernaturalia quoadmodum tantũ, quia scilicet res factæ naturales sunt, quãuis modus faciẽdi sit proprius Dei, vel propter virtutem infinitam, vel propter summam independentiam, ac dominium in operando: & hæc non repugnant cognosci, vt possibilia ratione naturali. Nam inter hæc opera computari potest creatio, quæ ex modo, quo fit, propria est Dei, & virtutẽ requirit infinitam, & tamen cognosci potest lumine naturali. Præterea, illuminare cæcum, sanitatẽ subitò restituere sine adiumẽto causarum secundarum, & similia opera sunt supernaturalia hoc modo: videtur tñ euidens lumine naturæ, posse Deum hæc opera facere. Quia minora sunt, quã creatio, & non habent aliam repugnantiã, nisi quod requirunt maiorẽ potestatem, & virtutem agendi, quãm sit in agentibus naturalibus, est autẽ euidens Deum habere huiusmodi maiorẽ virtutẽ. Denique hoc sensu tantũ dicitur supernaturale opus, quod superat virtutem agendi omnium creaturarũ, si ergo potest ratione naturali cognosci, Deum habere maiorem virtutẽ, imò & infinitam, & omnipotentẽ, cur non poterit cognosci, posse efficere aliquid supernaturale in dicto sensu. Ergo cũ resurrectio tantũ sit supernaturalis hoc modo, poterit naturaliter cognosci vt possibilis. Nã hoc non repugnat ex cõmuni ratione operis supernaturalis (vt declaratum est) neq; ex speciali ratione resurrectionis. Quia reuera nulla est, vt etiã ostendimus: quin potius videtur minus difficile, animam, & materiã iam existentes iterum vnire, quã cæcum illuminare, aut similia opera patrare. De qua re legi põt Duran. in 4. d. 43. q. 1.

Durandus.

Neque contra hoc obstat, quod resurrectio fide credenda sit: quæ autẽ fide credũtur, non possunt rõe naturali ostendi. Tum quia aliquæ sunt veritates fidei, quæ ratione naturali etiam demonstrantur, vt Deum esse, & esse creatorem: animã esse immortalem, & alia id genus. Tum etiam, quia resurrectionis veritas, vt pertinet ad fidei articulos, non tantũ continet resurrectionẽ esse possibilem: sed etiam esse futuram generaliter in omnibus hominibus, & hoc, cùm pendeat ex libera Dei prouidentia, ac promissione, non potest simpliciter demonstrari, quanuis possit vehementibus coniecturis persuaderi, quas in superioribus satis tetigimus, & de eis videri possunt Ambr. Tertul. Athenagoras in libris propriis de resurrectione. Chrysost. Gregor. Nyssen. Augus. & Gregor. magnus, locis sæpe citatis, & Basil. homil. 8. Exameron, Theophilus Antiochenus libr. 1. contra Christianæ religionis calumniatores, sanctus Tho. 4. contra Gentes c. 79. vbi prædictas rationes *euidentes* appellat. Omitto, resurrectio-

Obiectio

Responsio

Ambros. Tertul. Athenag. Chrysost. Gre. Nyss. Aug. Gre. Pap.

surrectionem, quã credimus, & speramus, multa supernaturalia cõplecti, vt supradictum est, quę nõ possunt, etiam vt possibilia, ratione naturali inuestigari.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm fuerit necessarium Christũ resurgere.

294 2.d.21.q.2 ar.1. Etop 60.c4.22. prin li.4. or.fid.c.vlti.in princ. q.51.ari.3.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd non fuerit necessariũ Christũ resurgere. Dicit enim Damas. in quarto lib. Resurrectio est secunda eius quod dissolutum est, & cecidit, animalis surrectio. Sed Christus non cecidit per peccatũ, nec corpus eius est dissolutum, vt ex supra dictis patet. Non ergo propriè conuenit sibi resurgere. ¶ 2. Præterea, Quicunque resurgit, ad aliquid altius promouetur: quia surgere est sursum moueri. Sed corpus Christi remansit post mortem diuinitati vnitum, & ita non potuit in aliquid altius promoueri. Ergo non competebat sibi resurgere. ¶ 3. Præterea, Ea quæ circa humanitatẽ Christi sunt acta, ad nostram salutem ordinantur. Sed sufficiebat ad salutem nostram passio Christi, per quam simus liberati à pœna & culpa, vt ex supra dictis patet. Non ergo fuit necessarium quòd Christus à mortuis resurgeret. ¶ Sed contra est, quod dicitur Luc. vlt. Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis.

q.44.ar.5 & per totã quæst.

Respondeo dicendum, quòd necessariũ fuit Christum resurgere propter quinq;. Primò quidem, ad commendationem diuinæ iustitiæ, ad quam pertinet exaltare illos qui se propter Deum humiliant: secũdum illud Luc. 1. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Quia igitur Christus propter caritatem, & obedientiã Dei, se humiliauit vsque ad mortem crucis, oportebat quod exaltaretur à Deo vsque ad gloriosam resurrectionẽ. Vnde ex eius persona dicitur in Ps. 138. Tu cognouisti, id est, approbasti, sessionẽ meam, id est humilitatem & passionẽ, & resurrectionem meam, id est glorificationem in resurrectione: sicut gloss. exponit. Secundò, ad fidei nostræ instructionem: quia per eius resurrectionem confirmata est fides nostra circa diuinitatẽ Christi, quia vt dicitur 2. ad Corint. vlt. Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei. Et ideo primæ ad Corinth. 15. dicitur, Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est, & fides nostra. Et in Psa. 29. dicitur, Quæ vtilitas in sanguine meo, id est in effusione sanguinis mei, dum descendo, quasi per quosdam gradus malorum, in corruptionem? quasi dicat, nulla. Si enim statim non resurgo, corruptumque fuerit corpus meum, nemini annuntiabo, nullum lucrabor, vt gloss. exponit. Tertio, ad sublenationem nostræ spei, quia dum videmus Christum resurgere, qui est caput nostrum, speramus, & nos resurrecturos. Vnde dicitur primæ ad Corinth. 15. Si Christus prædicatur quòd resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum nõ est? Et Ion. 19. dicitur. Scio, scilicet per certitudinem fidei, quòd redẽptor meus, id est Christus, viuit, à mortuis resurgens, & ideo in nouissimo die de terra surrecturus sũ, reposita est hæc spes mea in sinu meo. Quartò, ad informationem vitæ fideliũ: secundũ illud Rom. 6. Quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Et infrà, Christus resurgens ex mortuis, iam nõ moritur: ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo. Quintò, ad cõplementũ nostræ salutis: quia sicut per hoc quòd mala sustinuit (humiliatus est) moriendo, vt nos liberaret à malis: ita glorificatus est resurgendo, vt nos promoueret ad bona: secundũ illud Rom. 4. Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationẽ nr̃ã

A

B

C

glo. interlinea ibid.

Psa.26.gl. ord. adiuncta & interlineali, ex Aug.

¶ Ad

¶ *Ad primum ergo dicendum, quod licet Christus non ceciderit per peccatum, cecidit tamen per mortem: quia sicut peccatum est casus à iustitia, ita mors est casus à vita. Vnde ex persona Christi potest intelligi, quod dicitur Mich. 7. Ne lætaris inimica mea super me, quia cecidi, cõ surgam. Similiter etiam licet corpus Christi non fuerit dissolutum per incinerationem, ipsa tamen separatio animæ a corpore dissolutio quædam fuit.* ¶ *Ad secundum dicendum, quod diuinitas erat carni Christi post mortem vnita vnione personali: non autem vnione naturæ, sicut anima vnitur corpori vt forma ad constituendam humanam naturam. Et ideo per hoc quod corpus eius vnitum est animæ, promotum est in altiorem statum naturæ, nõ autem in altiorem statum personæ.* ¶ *Ad tertium dicendum, quod passio Christi operata est nostram salutem, proprie loquendo, quantum ad remotionem malorũ: resurrectio autem, quantum ad inchoationem, & exemplar bonorum.*

COMMENTARIVS.

IN titulo obseruandum est, *necessarium*, non sumi absolutè pro re, vel actione, quæ vel ex necessitate fit, vel ad aliquem finẽ est simpliciter necessaria. Constat enim, Christi resurrectionem & fuisse â Deo factam libere, & potuisse Christum suam resurrectionem vel differre vsque ad diem iudicij, vel omnino eam prætermittere: & nihilominus saluare homines, & in beatitudine in sola anima regnare. Hoc enim neque contradictionem, neque aliquod absurdum includit omnino repugnans Deo, vt dici possit simpliciter impossibile. Necessarium ergo hoc loco dici potest dupliciter, primò prout idẽ est, quod longè conueniẽtius, & oportunius, & hoc modo potest dici resurrectio Christi necessaria, & secundũ se, quia maxime decebat corpus Deo unitũ viuum esse, & glorioſum: & in ordine ad finem nostræ salutis, quia ad eam exequendã erat hoc mediũ aptissimum. Secundo potest sumi necessarium cuius oppositum sit impossibile, non quidem absolutè, sed facta aliqua suppositione. Vt v.g. suppositio, quòd Christus prædixerat se resurrecturũ, necessaria omnino erat eius resurrectio, quia nõ potuit non esse fidelis, & verax. Quo sensu rectè dixit Paul. 1. ad Cor. 15. *Si Christus non resurrexit, vana est fides nostra.* Similiter suppositio Christũ de iustitia meruisse suam resurrectionẽ, necessariũ simpliciter erat ipsum resurgere. Quia nõ potest Deus præmium de iustitia debitũ negare, cum hæc iustitia eius promissionem supponat. D. Tho. ergo in hoc titulo videtur necessariũ sumere vtroque modo, seu abstractè, vt ex rationibus eius colligitur. 1. Cor. 15.

Respondet ergo resurrectionem Christi fuisse necessariam. Quã assertionẽ quinque rationibus cõfirmat. Prima fundatur in meritis Christi, & in ordine diuinę iustitiæ. Quæ fulciri potest verbis eiusdem Christi Luc. 23. *Non ne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* & verbis Pauli ad Philip. 2. *Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum.* Quem locum de exaltatione resurrectionis latè exponit Athanas. orat. 2. cõtra Arrianos, quanquã eo loco indicèt, eam exaltationẽ non fuisse mercedem meritorũ, sed debitam ratione diuinitatis corpori vnitæ. At verò, licet hic posterior titulus verus sit, nõ tñ est prior excludendus, qui magis est cõsentaneus verbis Apostoli, vt latius tractatum est superiori tomo disput. 40. sect. 3. Potest autem hęc ratio locupletari ex eodẽ Athanas. lib. de Incarn. Verbi, eiusque corporali aduentu, dicente, quia Christus morte sua mortẽ extinxerat, ideo resurgere debuisse. *Profligata enim morte quid reliquum erat, nisi vt in trophæum deiectæ mortis resurgeret?* Et hæc ratio, secluso pacto, & promissione Dei, probat per sese fuisse valde conueniens, ac proportionatum hoc præmium illi merito: posita verò promissione, probat fuisse simpliciter necessarium. *Resurrectio Christi necessaria quomodo.* Luc. 23. Phylip. 2. Athanas.

Secunda ratio sumitur ex vtilitate, & necessitate, ad confirmandã fidem. Quæ dupliciter põt exponi. Primo, quia supposita prædictione Christi erat simpliciter necessariũ ad veritatẽ fidei, Christũ implere quod promiserat. Et hoc sensu (vt dicebã) intelligendũ censeo locũ Pauli, quem D. Tho. hic citat. *Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra.* Absolute enim, etiam si Christus non surre- *Testimonij Pauli. 1. Corin. 15. Expositio*

surrexisset, potuisset esse in nobis uera fides, & ad salutem vtilis, tamen supposi-
tis ijs, quæ fides Christi docet, si Christus nō surrexisset, inanis esset talis fides, esset enim falsa. Et ita explicuit Paul. subdens, *Inuenimur autem & falsi testes Dei.* Et eodem modo intelligēdum est, quod postea subiungit, *si Christus non resurrexit, vana est fides vestra. Adhuc .n. estis in peccatis vestris.* Quia nimirum fides falsa non posset esse veræ sanctitatis initium, ac fundamentum. Secūdo modo potest hæc ratio intelligi nulla suppositione facta, & hoc modo probat, fuisse vtilissimum ad persuadendam fidem, & vt homines possent facilius illā amplecti, Christum resurgere, simulque probat oportuisse, vt statim ante Euangelij prædicationem resurgeret. Et hunc sensum confirmant optime alia duo scripturę testimonia, quæ D.Th. hic adducit. Primum est illud 2. ad Corint. vltimo. *Etsi crucifixus est ex infirmitate; sed viuit ex virtute Dei.* Alterum est ex Psal. 29. *Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionē?* idest, si in ea maneā, & non resurgam, neminem enim lucrabor passione mea. Et hoc etiam sensu rectè intelligitur, quod ait Paul, ad Rom. 4. *Mortuus est propter delicta nostra, resurrexit propter iustificationem nostram.* Nam licet D.Tho. infra, q. 56. ar. 2. aliter hunc locum exponat de causa instrumentali, & exemplari: optimè tamen etiam exponitur de causa, (vt ita dicam) obiectiua, & motiua. Christus enim per passionem suam sufficiēter destruxit peccatum: tamen, vt nos iustificaremur, & efficaciter nobis remitteretur peccatum oportebat passionem Christi nobis applicari per fidem viuam. *Resurrexit ergo propter iustificationem nostram,* idest, vt fides nostra confirmaretur, & sic efficaciter iustificaremur, vt rectè exposuit Adamus in illum locum. Et sumitur ex commentarijs Hieronymi. *Qui morte sua nostra peccata abolcuit, necessario resurgens apparuit, vt iustitiam credentium confirmaret.* Et Anselm. *Resurrexit,* (inquit) *propter iustificationem nostram, idest, vt nos iustificando, suscitaret a morte animæ, quatenus iuste viueremus, quod aliter non poteramus* Et Ambros. quanuis aliam expositionē indicet, tamen huic fauet, cū inquit, *Vt ad cumulū nobis iustificationes proficeret, resurgens præceptis suis autoritatem tribuit, vt eorum æmulos nos hac fiducia faceret, per quam iustificemur, meritis nos augeremus, per quam gloriam adepti clari apparcamus regno Dei.* Chrysost. etiam serm. 9. in Epist. ad Rom. sub obscurè quidem, tamē elegāter confirmat tum hanc expositionem, tū rationem D.Thom. dum inquit, in resurrectione ostensum esse, Christū non propter sua peccata, sed propter nostra mortuū fuisse. *Quomodo enim surrexisset, si peccator fuisset? Si vero peccator non fuit, propter alios crucifixus est.* Et ita per resurrectionē confirmatur fides redemptionis nostrę, vt per eam iustitiam assequi possimus, vt postea Chrys. fusius declarat.

Potest præterea hęc D. Tho. ratio cōfirmari ex loco Pauli ad Rom. 1. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute ex resurrectione mortuorum,* iuxta lectionem, & expositionem Græcorū, *Qui declaratus est,* quā in priori tomo disp. 50. sect. 2. satis probabilem esse ostendimus. In resurrectione enim Christi manifestata est vera eius diuinitas, atque ita plurimum fides eius cōfirmata est. Et ob hanc causam hoc speciale signum suæ diuinitatis, & veritatis obtulit Christus Iudæis dicens. *Soluite templū hoc, & in tribus diebus excitabo illud,* Ioan. 2. loquens de templo corporis sui, vt Euangelista explicuit, & Matth. 12. Iudæis petentibus signum, ipse respondit. *Generatio prava, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ.* Fuit autem resurrectio signum diuinitatis, tum quia Christus seipsum suscitauit, iuxta illud, *Et in tribus diebus excitabo illud.* Tum etiam, quia ipse Christus sicut dicebat se esse Deum, ita prædixerat se resurrecturū, vnde sua resurrectione in vtroq; veracem se esse probauit. Item quia (vt eleganter dixit Petrus Chrisolog. serm. 75.) *Qui ante suam mortem prædixerat suam resurrectionem, vtique sicut scire potuit, potuit & cauere: sed quia vincere potuit, declinare contempsit, quia resurrectionis gloria sepeliuit morientis iniuriā.* Et hinc etiam declaratur optimè D.Tho. ratio. Nam si Christus mortuus in cruce, non resurrexisset, erubescerent homines credere in hominem crucifixum, qui *Iudæis est scandalum, gentibus autem stultitia.* Resurrectio igitur & pudorem, & metū credentibus abstulit, *quia resurrectionis gloria sepeliuit morientis iniuriam.* Denique, euertus ipse veritatem huius rationis probauit. Cùm enim vsque ad passionem multa miracula Christus fecisset in cōfirmationem veritatis, quam prædicabat, pauci crediderunt:

2.Cor.13. Psalm.27 Roma. 4. D. Thom. Resurrectio Christi efficacissimum fidei motiuum, et incitamē tum. Adam. Hie. Anselm. Ambros. Roman.1. Ioann.2. Matth.12. Pet.Chry 1.Corin.1

diderunt: postea vero prædicantibus discipulis resurrectionem eius, vno die multa millia hominũ crediderunt in eũ. Fuit ergo resurrectio Christi efficacissimũ mediũ ad fidem conseruandam, & persuadendam. Et ita Athanasius libr. de incarnatio. Verb. eiusque corpora. aduen. ex his, quę fides Christi in mundo operatur, ex gentium conuersione, Dæmonũ expulsione. Christum resurrexisse latissime confirmat.

Athanas.

Tertia ratio sumitur ex subleuatione spei nostræ. Quam optimè declarat Leo, sermo. primo, de resurrectione cap. 4. dicens. *Ex hoc initium factum nobis est resurrectionis in Christo, ex quo in eo, qui pro omnibus mortuus est, totius spei nostræ forma præcessit, &c.* & sermone secundo. *Ita dubitandum non est de consortio gloriæ, sicut dubitandum non est de communione naturæ.* Quod in sequentibus latè prosequitur, ac in fine tãdem confirmat, ex illo ad Philippens. 3. *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Rursus Gregor. 14. Moral. capite vigesimo septimo, tractans eum locum, quem D. Thomas hic citat. *Scio, quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum*, ait. *Sui capitis gloriam sequuntur membra. Redemptor ergo noster suscepit mortem, ne mori timeremus, ostendit resurrectionem, vt nos resurgere posse confidamus. Vnde & eandem mortem non plus quam triduanã esse voluit, ne si in illo amplius differretur, in nobis omni modo desperaretur.* Et hoc est, quod Paul. dixit ad Ephes. secundo. *Conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu.* Nã, cùm ipse in regnum resuscitatus est, nos cum illo in spe consurreximus. Vnde Gregor. Nazianzen. oratione. 41. *Heri* (inquit) *cum Christo in cruce agebar: hodie simul glorificor. Heri commoriebar, hodie simul viuificor. Heri consepeliebar, hodie simul resurgo*, & oratione quadragesima secunda, in principio. *Hodie salus mundo tam visibili, quam inuisibili, Christus ex mortuis, simul surgite. Christus ad se se, redite. Christus ex sepulcro, peccati vinculis soluamini. Portæ inferi aperiuntur, & mors opprimitur, & vetus Adam deponitur, & nouus perficitur, si qua noua in Christo creatura, renouamini.* In quibus omnibus alludit Gregor. ad locum Pauli ad Colossen. 3. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, &c.* Nec dissimile est, quod inquit Athanas. sermone de passione, & cruce Domini. *Necessarium est surgente seruatore, consurgere quoque cum eo & ipsum Adamum, & omnes ex Adamo oriundos: & sicut morien te Adam, manebamus nos per eum mortui, ita quoque surgente Dominico corpore, necessum erat omnes cum eo consurgere. Hic enim intellectus est Pauli ad Corint. scribentis, sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Et in huius, ac præcedentis rationis confirmationem multa peti possunt ex eodem Athanas. libr. de incarnatio. Verbi, & corporali eius aduentu, & Petro Chrys. serm. septuagesimo quarto, & septuagesimo quinto, Augustino serm. 119. de tempo. Vbi inter alia ait. *In passione quid egit? docuit, quid toleremus, in resurrectione, quid egit? Docuit quid speremus. Hic opus, ibi merces. Opus in passione, merces in resurrectione.*

Resurrectio Christi spei nostræ nutrimẽtũ. Leo Papa. Greg. Pa. D. Thom. Iob. 19. Ephes. 2. Coloss. 3. Athanas. 1 Corin. 15 Pet. Chry. Aug.

Atque ex his quę dicta sunt exposita etiã est quinta ratio D. Thom. quæ fere cum duabus præcedentibus coincidit, scilicet Christum resurrexisse propter nostræ salutis complementum, vt nõ tantum nos malis liberaret, sed etiã bonis cumularet. Nam licet vtrumq; nobis moriendo meruerit: viam tamen ad id obtinendum resurgendo aperuit, exemplarque ac terminum nostræ exaltationis ostendit. Quarta verò ratio, moralis est, & non indiget expositione nec solutione argumentorum, quæ facillimæ sunt.

DISPVTATIO XLV.

In duas sectiones distributa.

De Christi resurrectione, & causis eius.

EX præcedenti disputatione probatum, supponimus resurrectionem Christi fuisse possibilem, & ideo solum superest inquirendum, an facta sit. Quid verò sit, non indiget noua disputatione. Quia quoad hoc non est alia ratio de Christi resurrectione, & de quauis alias quod attinet ad vnionem animę cum corpore sufficienter dispositio. Quod verò pertinet ad vnionem hypostaticam, si aliqua in resurrectione reparata est: satis etiam est in superioribus dictum, addendum vero aliquid erit de propriis causis huius resurrectionis.

SECTIO SEPTIMA.

Vtrum Christus vere resurrexerit.

HAeretici, qui negarunt Christum esse verum hominem, aut assumpsisse verum corpus humanũ, ac mortale, aut verè mortuum fuisse, necesse est, vt veram etiam resurrectionem negauerint. Præter hos autem refert Epiphan. hæres. 28. Cherintum asseruisse, Christum passum esse, & crucifixum, nondum verò resurrexisse, resurrecturum tamen postea in generali resurrectione. Aliter verò refert errorem Cherinti Irenæus lib. 1. contra hæreses cap. 25. Vbi dicit Cherintum distinxisse Christum à Iesu, & asseruisse passionis tempore Christum â Iesu recessisse, & neque mortem obijsse, neque resurrexisse: Iesum verò, & mortuum fuisse, & resurrexisse. Aug. verò lib. de hæresib. hæres. 8. expresse dicit Cherintum negasse Iesum resurrexisse. Porrò Tertullian. lib. de carne Christi cap. 24. tacitis nominibus scribit, quosdam asseruisse, adhuc esse animam Christi in cœlo sine carne, quos resurrectionẽ negasse necesse est. Ac præterea addit, alios dixisse existere carnem Christi in cœlo vacuam sensu. Hos errores attribuit Philastrius Passionistis, Seleucianis, & Hermianis, qui dixerunt solam Christi animam ascendisse in cœlos: reliquisse verò carnem suam in sole, iuxta illud, *In sole posuit tabernaculum suum*. Potest præterea hic annecti error Apellis (, qui vt Philastrius refert) affirmabat Christum resurrexisse, non tamen in sua, ac vera carne. Is enim, quanuis verbis fateri videretur, re tamẽ ipsa resurrectionem, negabat. Vnde Augustinus hæresi. 23. absolute refert istũ dixisse, Christum sine carne resurgentem in cœlum ascendisse. Solent ij hæretici in confirmationem sui erroris adducere illud 2. ad Corint. 5. *Etsi cognouimus Christum secundum carnem: sed iam non nouimus.*

Epiphan.

Irenæ.

Aug.

Tertullian.

Philast.

Psalm. 18.

Philastr.

Aug.

2 Cor. 15.

Dicẽdum est, verè, ac propriè Christum à mortuis resurrexisse. Conclusio est de fide, & inter articulos fidei ponitur in omnibus symbolis, & in Niceno additur, *& resurrexit tertia die secundum scripturas*. Qui modus dicendi sumptus est ex Paul. 1. ad Corint. 15. dicente. *Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertio die se*

Christus re resurrexit a mortuis.

Sym. Nic.

1. Cor. 15.

A *cundũ scripturas*. Nãquia hoc mysteriũ difficile hominibus apparebat, & eius fides firma, & stabilis erat illis maximè necessaria, ideo Apostolus, & Ecclesia scripturas proponũt, quę verbum Dei cõtinẽt, vt sciamus non humanis testimonijs: sed Dei autoritate hãc fidem niti. Significant etiã hoc mysterium fuisse in scripturis prædictum, & ita fuisse impletum, sicut fuisset prænuntiatum. Nam hoc plurimum valet ad illius fidem conciliandam. Propter quod Christus, qui præcipuus testis fuit suę resurrectionis, quanuis eius autoritas sufficientissima esse posset ad illud confirmandum: vsus nihilominus est testimonio scripturarum, vt patet Lucæ. 24. Vbi *incipiens a Moyse, & omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant*. Et infra dixit ad eos. *Hæc sunt verba, quę loquutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & prophetis, & psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas, & dixit eis, quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die.* Luc. 24.

B Dices, quæ sunt hæc scripturarum oracula, in quibus Moyse, Dauide & alijs prophetis Christi resurrectio prædicta fuit? Respondeo, in primis non oportere intelligere Christum docuisse suam resurrectionem ex libris Moysi, psalmis, & prophetis omnibus, sed ex singulis adduxisse quæ de ipso erant. Nam in libris Moysi non inuenitur expressa prophetia, quæ ad literam de resurrectione Christi intelligatur. Quanuis valde indicata sit à Iacob Gene. 49. verbis illis, *Catulus Leonis Iuda, requiescens accubuisti vt Leo, quis suscitabit eum?* Quem locum notauit Cyrillus Ierosolymitan. cate. 14. Adduci etiam possunt, verba illa Deuteronom. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi dominus Deus*, Et infra: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, & ponam verba mea in ore eius* &c. In quo testimonio fortasse non sine mysterio bis positum est verbum, *suscitabo*, quanuis non oporteat ad literam de resurrectione intelligi. Mediate etiam (vt ita dicam) potest ex hoc testimonio resurrectio confirmari. Nam in eo præcipimur audire verba huius prophetæ, vt verba Dei: vnum autem ex verbis eius fuit promissio suę resurrectionis

Gene. 49.

Deute. 18

C

tionis. Deinde insensu mystico, potuit ex libris Moysi Messiæ resurrectio confirmari. Fuit enim sine dubio multis figuris adūbrata, ac repręsentata, vt in Ioseph, qui post duos annos tertio ineunte è carcere educitur, vt exponit Prosper de promissionib. & prædictionib. Dei, part. 1. capit. 29. Et in Isaac, quem in fide & spe resurrectionis Abraham immolare non dubitauit, vt Paulus dicit ad Hebræos vndecimo, tamen re ipsa Isaac immolatus non est. *Quia resurrectio filio Dei seruata est*, vt eodem libr. dicit Prosper capit. 17. Vnde Gregorius Nyssenus eandem figuram eleganter tractans oratio. prima de resurrect. in principio, *In one* (inquit) *mysterium mortis, in vnico vero filio vita, quæ morte non pertimebatur, demonstratur.* Cyprianus etiam lib. 2. aduersus Iudæos, capit. 25. dicit Christi resurrectionem prefiguratā esse â Moyse verbis illis Exod. 19. *Et dixit Dominus ad Moysem, descende. & testificare populo, & sanctifica illos hodie & cras, lauentque vestimenta sua, & sint parati in diem tertium, in die enim tertia descendet Dominus coram omni plebe in monte Synai,* Indicans in illa die tertia significatum esse tertium diem resurrectionis Christi, in quo speciali modo Deus ad homines rediit, vt nouum pactum, & legem vniuerso orbi promulgaret.

Gene 35. Prosper. Gene. 22. Hebr. 11. Gre. Nyss. Cyprian. Exod. 19.

Ex Psalmis sunt plura, & clariora resurrectionis testimonia. Illud est præcipuum quod ab Apostolo Petro expositum est Actor. 2. & à Paulo Actor. 13. ex Psalmo 15. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi feciſti vias vitę, adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* De quo testimonio multa diximus supra tractantes de descensu Christi ad inferos. Præterea de hoc ipso mysterio exponit Paul. Actor. 13. verba Psalmi. 2. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Nam de Christi passione præmittitur in eodem Psalmo. *Astiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius*: vt Apostoli, & fideles congregati in vnum vnanimiter exposuerunt, Actor. 4. Postea verò de resurrectione subiungitur. *Dominus dixit ad me, &c.* & quia tunc data est Christo omnis potestas in cœlo & in terra, additur. *Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Nam de eodem Christo antea prædictum erat, Ego *autem*

Psalm. 15. Act. 2. & 13. Act. 13. Psalm. 2. Act. 4. Psalm. 2.

A *constitutus sum* Rex *ab eo super Syon montem sanctum eius*, idest, super Ecclesiam, per Sion repræsentatam, cuius veluti possessionem post resurrectionem suam Christus accepit. Quæ omnia necesse est ad literam de Christo domino intelligi. Rectè igitur etiam illa verba, *Ego hodie genui te*, de Christo homine intelliguntur. Quod etiam ex verbo illo, *Dominus dixit ad me*, Basilius in scholiis rectè notauit. Quia filius vt Deus non appellaret patrem *Dominum*, sed vt homo: ergo vt sic dicitur hodie genitus: & non ratione primæ conceptionis ex matre, vt constat ex ipsius psalmi contextu, ergo ratione resurrectionis, in qua declaratum est, quàm fuerint iniquæ, & inanes Iudæorum contra Christum meditationes, & consilia. Meritô autem resurrectio generatio appellatur. Quia (vt supradictum est) reuera est generatio quędam, cum sit præexistentis corporis ad vitam reuocatio. Propter quod vocatur Christus *primogenitus ex mortuis* ad Colos. 1. & resurrectionis tēpus vocatur à Christo *tempus regenerationis* Matthæ. decimo nono. Atque ita exposuerunt etiam hunc Psalmum Hilar. & Theophilus Antiochenus ibi, Ambros. lib. 3. de sacramentis capit. primo. Chrysostom. Actor. 13. & Eusebius lib. 6. de demonstr. capit. 2. Soletautem hic locus exponi de generatione ęterna filij Dei, vt Paulus significat ad Hebræos. 1. & sæpe Patres, Cyrillus libr. de fide ad Reginas, Athanas. sermo. 3. contra Arianos, & in epistola, de Nicena synodo, & Augustinus in enarratione eiusdem Psalmi, & in Enchirid. capit. quadragesimo nono. Alij verò Patres interdum exponunt, de temporali generatione ex matre, vt Chrysostomus homil. de fide in Christum tom. 3. & Cyrillus Alexandrinus, libr. 2. de fide ad Reginas, & Gregorius Nyssenus in libr. de cognitione Dei, qui refertur primo tomo Bibliothecæ. Hę tamen expositiones ita admitti possunt, vt prior, quæ maxime literalis videtur, non reiiciatur.

Basil. Coloss. 1. Matth. 19 Hilar. Theophyl. Ambros. Chrysost. Euse. Hebræo. 1 Cyrillus. Athanas. August. Chrysost. Cyrill. Nyssen Psalm. 3.

Rursus in huius mysterij confirmationem adduci potest illud Psalm. tertij. *Ego dormiui, & somnum cepi, & exurrexi, quoniam Dominus suscepit me.* Hæc enim verba solet ecclesia vsurpare in die resurrectionis Dñi. Et ita exponunt Augustinus ibi, Iustinus dialogo cum Triphone, & Euseb. libr. 13.

Aug. Iustin. Euseb.

de præparat. euangelica capit. 7. quanuis hic sensus allegoricus videatur. Nam ad literam sermo est de Dauid, in cuius persona figuratus est Christus. Vltimo ad hoc
Ps. 56. etiam meritò adduci potest Psalmus. 56. qui totus esse videtur de Christi passione, & resurrectione saltem in sensu mystico ab Spiritusancto intento. Vnde Christo accommodantur illa verba, *Exurge gloria mea*, &c. & illa, *Misit de cœlo, & liberauit me, & dedit in opprobrium conculcãtes me.*
Aug. Hilar. Ignatius. Et ita exponũt ibi latè Augustinus, Hilarius, & alij. Addit etiam Ignatius epist. 5. verba illa Psalmi. 40. *Tu autem Domine, miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis:*
Ps. 40. & 73. & illa Psalm. 73. *Exurge Deus, iudica causam tuã.* Quibus multa similia adduci possunt.

B Tertio in Prophetis plures sunt huius mysterij prædictiones. Et in primis Paulus, Actorum 13. de hoc mysterio explicat
Acto. 13. locum Isaiæ. 55. *Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias Dauid fideles.* Quod
Isai. 55. Paulus iuxta septuaginta citat, *Sancta fidelia Dauid.* Sed difficile est intellectu, quomodo possint hæc verba ad Christi resurrectionem aptari. Leo Castrensis in Isaiam
Leo Castr. vt hoc exponat, dicit in primis, Paulum accipere plurale pro singulari numero, id-
Vaticinia prophetarum de resurrectione Christi. est, *Sanctum Dauid fidele*: & *Dauid*, ibi non significare proprie Regem Dauid: sed Christum ex Dauide ortum, & in eo resentatum: atque ita *Sanctum Dauid* significare corpus Domini, *fidele* autem idem C esse, quod stabile, incorruptibile, & æternum. Contra quam expositionem nihil oportet obijcere, quoniam ipsa per sese statim displicet, cum omnia verba ad improprias significationes detorqueat, & plura eorum sine vllo fundamento. Præterea quia, si hæc verba in Isaia considerentur, nec ipsis, nec contextui potest accommodari talis expositio. Prius ergo supponenda est literalis intelligentia illorum verborum apud Isaiam. Est enim ibi expressa promissio noui testamenti, in quo implendæ erant omnes promissiones factæ Dauid: siue per *Dauid* intelligamus Regem Dauid, cui præcipue facta est promissio Messiæ, & æterni regni eius, siue intel-
Hierony. Isaia. 55. ligamus Christum, vt intelligit Hieronymus. Tum quia verba sequentia hoc requirunt, *Ecce testem populis dedi eum, ducem, ac præceptorum gentibus*: tum etiam quia
Psalm. 88. hæc phrasis est vsitata in scriptura Psalm.

A 88. *Inueni Dauid seruum meum: oleo sancto meo vnxi eum.* De quo postea subditur, *& ego primogenitum ponam illum* &c. quod propriè in Christum conuenit. De quo etiã di Ezech 34.
citur Ezechiel. 34. *Suscitabo vobis pastorem vnum seruum meum Dauid. Sancta* ergo *fidelia Dauid* appellantur ab Isaia sanctæ, & diuinæ promissiones Christo, seu de Christo factæ, & eædem dicuntur *fideles misericordiæ*, iuxta vulgatam lectionem Isai. Paulus ergo ab hoc literali sensu non recedit: neque intendit dicere in illis verbis, *Dabo vobis sancta Dauid fidelia*, in particulari esse promissam resurrectionem, aut corporis Christi incorruptionem, (hoc enim nec Isaias intendit, nec habet fundamentum, vt dixi.) sed, cùm dixisset, Christum suscitatum fuisse à Patre, iuxta illud, *Ego hodie genui te*, subdit. *Quod autem suscitauit eum a mortuis iam non reuersurum in corruptionem, ita dixit*, &c. idest, ita ex scripturis colligitur, quia sanctæ promissiones à Deo factæ, in Christo erant implendæ. Vnum autem ex illis promissis fuit. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Itaque non affert illa verba Isaiæ, vt in particulari probet resurrectionem: sed vt in generali assumat promissiones de Christo factas fuisse fideles, & suum exitum habituras. Cui expositioni adiungi etiam potest, cum Isaias inquit, *Misericordias Dauid fideles*, alludere ad promissiones factas Psalmo, Psalm. 88
88. qui incipit, *Misericordias Domini in æternum cantabo*, vt Hieronymus, & alij inter- Hierony.
pretes adnotarunt, tum propter verborum similitudinem, vtrobique enim fit mentio diuini pacti, misericordiæ, ac fidelitatis, tum etiam quia in illo continentur præcipuæ de Messia promissiones. *Disposui testamentum electis meis. Iuraui Dauid seruo meo. Vsque in æternum præparabo semen tuum.* &c. In illis autem promissionibus, licet non expressè, implicitè tamen continetur resurrectionis promissio. Nam dicitur Christus duraturus in æternum, & *thronus eius, sicut dies cœli.* Paulus ergo, vt probet resurrectionem, adducit locum Isaiæ, ex quo generaliter habetur, has promissiones fuisse implendas, inter quas (vt dixi) resurrectio cõtinebatur: tamẽ, quia in hoc loco solũ cõtinebatur implicite, addit Paulus aliud testimoniũ, in quo specialis & propria promissio resurrectionis Christi continetur.

Est

Isai.25. Est aliud testimonium Isaiæ c.25. quod ad hanc veritatē firmandam afferri potest, vbi de Christo dicitur. *Præcipitauit mortem in sempiternum*. Ad quem locum alludisse videtur Paulus 1.ad Corint.15.cum dixit 1.Cor.15. scriptum esse. *Absorpta est mors in victoria.* D.Thom. Nam (vt D.Thom. ibi notauit) testimonium illud secundum ea verba non inuenitur in veteri testamento, sed ex hoc loco videtur desumptum. Nam sensus idem est. *Mors in morte Christi absorta quomodo.* Absorbere enim mortē idē est, quod eam destruere, & profligare: hoc autem ipsum est, illam præcipitare: & in Hebræo ad literam est verbum *absorbendi*, pro quo septuaginta posuerunt verbum *deuorandi*. Obseruandum autem est in Hebræo non legi passiuè, *Absorpta est*, sed actiue *absorpsit*, seu *deuorauit*, (vt septuaginta transtulerunt) sed vel actiuum positum est pro passiuo (quod est frequens apud Hebræos) vel nō de omnium hominum morte, sed de singulari morte Christi intelligendus est hic locus. Vnde septuaginta nō simpliciter, sed cum articulo dixerunt. *Deuorauit illa mors prævalens*, quia mors Christi mortem omnium absorpsit. Ex quo sensu rectè etiam sumi potuit alia propositio passiua, *Absorpta est mors in victoria*. Nam sensus idem est. Cum quo etiam coincidit illud Oseæ.13. Osee 13. *O mors ero mors tua*. Ex hoc ergo loco colligunt Patres Christi resurrectionē. Quia, cum ipse mortem destruxerit, atque deleuerit, non potuit ab ea absorberi, aut detineri: vbi ergo prædicta est victoria Christi aduersus mortem, satis etiā eius est prædicta resurrectio. Vnde Eusebius libr. 4. Euseb. de Demonstr. capit.12. postquam dixerat Christum sua morte mortem fugasse, subdit. *Hac sane ratione ipsius etiam corpus mortuum excitatum est, & multa corpora, quæ dormierant surrexerunt, vt merito ex hoc in sacris literis dictum sit, Absorpsit mors in victoria*: & Cyril. Cyril. super Isaiam, exponens illa verba, Mors (inquit) *prævaluit contra primum parentem, & contra omnem soboleṁ: at in Christo vires amisit. Tertia enim die reuixit calcata morte, & factus est nobis resurrectio, abstulit lamenta,* Athanas. *& lacrymas, abstulit opprobrium peccati*. Et eundem sensum indicat Athanas. de cruce, & passione Domini, vbi cum dixisset, *Dominum non imbecillitate naturæ mortuum esse: sed quod mortem ad cædem, necemque persecutus sit*, subdit. *Non enim morte superari potuit, sed potius aculeum suum amisit*: & infra, indicans locū Isaiæ, *in deglutione mors facta, postquam inualuerat.*

Dices, quanuis his testimoniis rectè probetur, Christum post mortē suam aliquando resurrecturum, non tamen probari iam resurrexisse. Respondetur primum in multis ex prædictis locis, satis doceri, Christi resurrectionem futuram fuisse paulo post mortem eius, ante prædicationem Euangelij, & conuersionem gentium, vt patet tum illis verbis Psalm.15. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Item ex alio Psalmo. *Ego hodie genui te. Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Vbi clarè significatur, Ecclesiæ propagationem futurā post Christi resurrectionem. Quod etiam significatum est Micheæ.7. vbi in sensu allegorico, Christus ad mortem, vel ad synagogam loquitur. *Non lætaris inimica mea super me, quia cecidi, consurgam*. Et infra. *Et aspiciet inimica mea, & operietur confusione*, & tamen paulo post subditur. *Dies, vt ædificentur maceriæ tuæ. In die illa lōge fiet lex, &c.* id est, ab illo die, quo ego consurgam, reædificabitur Ecclesia, & maceria eius, quæ antea fuerat diruta, & cessabit lex vetus, &c. Et idem insinuatur in priori loco Isaiæ. Nam statim, post illa verba. *Misericordias Dauid fideles*, subditur. *Ecce testem populis dedi eum, ducem, & præceptorem gentibus*. Rursus in illo loco Oseæ.13. *O mors, ero mors tua*, statim subditur. *Morsus tuus ero, inferne*, vt significetur, vtrumque simul fuisse futurum, scilicet, & mortem destruere per resurrectionem, & infernum mordere educendo Sanctorum animas. Nam licet verum sit, perfectam mortis victoriam non consummari quo ad effectum, vsque ad generalem resurrectionem (vt Paulus dixit 1.ad Cor.15.) tamen in Christi resurrectione demonstrata, & inchoata est, & in virtute quodammodo consummata, quatenus omnes in Christo resurreximus, vt idem Paul. ait ad Ephes.2.

Obiectio. Respō. Psal.15 Psalmo.2. Mich.7. Isai.55. Oseæ 13. 1.Cor.15.

Et ad eundem modum explicandus est alter locus Isaiæ supra expositus: quibus adiungi potest testimonium Sophoniæ.3. *Expecta me; dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum. Quia iudicium meum, vt congregem gentes, & colligam regna, &c.* Quo testimonio vtitur Eusebius libr. secundo de Demonst.c. decimo septimo, & Euse.

Ephes.2. Sophron.

Aug. Augustinus decimo octauo de Ciuitat. capit. trigesimo tertio, & ex eo probant Christum resurrexisse, & postea gentes ad se vocasse. Est etiam optimus locus Iob cap.19. *Scio, quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sū.* Vbi (vt recte exponit Greg.lib.14.ca.26.) ex fide resurrectionis Christi sperabat Iob suam resurrectionem: tamen (vt ex verbis eius constat) suam sperabat in nouissimo die, Christi autem resurrectionem longè antea factum iri credebat. Denique præter hæc sunt alia testimonia in Prophetis, in quibus proprius etiam dies resurrectionis Christi indicatur, vt Oseæ.6. & Ionę.2. de quibus in sequenti disputatione commodius dicemus.

Iob.19. Greg.Pap. Oseę.6. Ioan.2.

Vltimo afferri possent testimonia noui testamenti. Sed hæc & in superioribus tacta sunt, & tam sunt frequentia, ac euidentia, vt superuacaneum sit in eis enarrandis immorari. Solum desiderari hoc loco posset expositio illius testimonij Act. 1. vbi dicitur Christus, ad comprobandam suam resurrectionem præbuisse, seu ostendisse se discipulis suis *in multis argumētis, per dies quadraginta apparens eis.* Oporteret enim exponere, quę fuerint hęc argumenta, quibus Christus probauit se post mortē iterum viuere, & quām fuerint valida, & efficacia. Sed quia diuus Thomas quæstione.55. articulo quinto, & sexto, hoc explicat, ideo, si quid addendum occurrerit, in commentarijs illorum articulorum dicetur. Rationes autem, ob quas Christus ante generalem resurrectionē voluit resurgere, tractatæ sunt in commentario primi articuli, & plura dicemus sectione sequenti. Statim verò occurrebat hic quęstio, an Christus fuerit primus resurgentium, eam verò tractat diuus Thomas artic.3. in cuius commentario illam explanabimus.

Act.1. D.Thom.

Ex hac fidei veritate sequitur primo, Christum dominum resurrexisse in vero corpore humano, ideſt verè constāte ex hac materia rerum generabilium, & corruptibiliū, dispositā, & organizata eo modo, quo forma, ac natura humana requirit. Et hoc voluit Christus probare, ac persuadere discipulis, quando eis dixit, *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Nam (vt Leo Pap. serm.1. de resurr. notauit) vt resurrectionis veritas multis documentis manifesta fieret, apparere voluit Christus discipulis, *nō solum loquens cum eis, sed habitans, atque conuescens, & pertractari se diligenti curioſoque contactu ab eis, quos dubitatio perstringebat, admittens.* Quod latius exposuit Diuus Thomas infra q.55. art. 1.5.&.6.

Luc.24. Leo Pap, D.Thom.

Secundo sequitur resurrexisse Christum in eodē numero corpore, quod mortuum in cruce reliquit. Ratio huius, & superioris consectarij est. Quia hæc sunt necessaria ad veram resurrectionem, (vt supra ostensum est) at Christus verè resurrexit. Solum est obseruandum, cùm in tempore vitæ Christi domini magna multitudo materiæ successiuè fuerit per continuam nutritionem acquisita, & adiuncta corpori Christi, fieri potuisse salua veritate resurrectionis, vt ex quacunque parte illius materiæ sufficiēter cōficeretur corpus, in quo Christus esset resurrecturus, vt ex supra dictis de resurrectione in communi constare potest: tamen ad perfectiorem vnitatis modum pertinuit, vt idem corpus constās ex eadem omnino materia, ex qua tempore mortis constabat, resurgeret. Tum quia hoc modo perfectissimè, & omni ratione resurrexit idem omnino, quod ceciderat. Tum etiam quia hoc erat necessarium ad veritatem resurrectionis demonstrandam. Nam si Christus assumpsisset corpus ex alia materia compactum, etiam si esset illa, quæ ex eodem corpore Christi discursu vitæ resoluta fuerat, difficilius crederetur verè resurrexisse. Eratque hoc quodammodo debitum illi sanctissimo corpori, vt sicut fuerat particeps crucis, & ignominiæ, ita etiam esset consors glorię, & æternæ vitæ. Propter quod de illo prædictum erat, *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Ex quo loco, & ex tota historia euangelica certum omnino est idem numero corpus, quod in cruce pependit, ex eademque materia constās resurrexisse. Et hanc identitatem demonstrare voluit Christus, cùm dixit Thomæ. *Infer digitum tuum huc &c.* Quem locum tractans Leo Papa. sermo.1. de Resurr. inquit. *Ideo clausis ad discipulos ostijs introibat, & flatu suo dabat Spiritum sanctum, & dato intelligentiæ lumine sanctarum scripturarum occulta pandebat, & rursus idem vulnus lateris, fixuras clauorum, & omnia recentissimę passionis signa monstrabat, vt agnoscereturin eo proprietas diuinæ, humanæque na-*

Christus in eodem numero corpore, quod reliquit in cruce, resurrexit.

Psalm.15.

Ioann.20. Leo Papa

que naturæ individua permanere. De qua re dicemus plura infra.q.54.artic. 4. Cùm autem dicimus constare corpus illud ex eadē materia, quæ in eo inuenta est tēpore mortis, non excludimus, quin aliquid materię illi corpori addi potuerit, si fortasse necessaria fuit. Hoc enim identitati corporis nō repugnat, & ad perfectam eius integritatē potuit esse necessarium. De qua re dicturi sumus q.54.art.2.

Contra hanc veritatem fidei nihil est, quod obiici possit, præter ea, quę obiiciūtur aduersus resurrectionē in genere, eiusque possibilitatē, quæ in superioribus tacta sunt, & infra disputando de generali hominum resurrectione (si quid residuum fuerit) addetur. Locus autem ille 2.ad Corinth.5. *Et si cognouimus Christum secundum carnem, sed iam non nouimus*, tractatus est à nobis superiori tomo, disputat. 13. sect.3. vbi diximus nomine *carnis* intelligi carnē passibilem, in qua aliquādo fuit cognitus Christus: nunc autem, licet eandem carnē habere credatur, non tamen passibilem. Quam expositionē præter ea, quæ ibi adduxi, his verbis confirmat Leo Pap. serm. 1. de resurrect. *Non dissonat, dilectissimi, ab hac fide magister gentium Apostolus Paulus, cū dicit, Etsi cognouimus Christum secundum carnē, sed nunc iam non nouimus. Resurrectio enim Domini non finis carnis: sed commutatio fuit, nec virtutis augmento consumpta substantia est, qualitas transiit, non natura defecit. Et merito dicitur caro Christi in eo statu, in quo fuerat nota, nesciri. Quia nihil in ea passibile, nihil remansit in ea infirmum, vt & ipsa sit per essentiam, & non sit ipsa per gloriam.*

Testimonij Pauli 2. Cor. 15. Expositio. *Leo Papa.*

SECTIO SECVNDA.

Quæ fuerint causæ resurrectionis Christi.

IN hac quæstione breuiter discurrendum est per omnia causarum genera, in quibus aliquid explicandum occurrerit. Nam de materiali, & formali nihil est, quod dicamus, cum iam positum sit, idem corpus, & maiori ratione eandem animam ad hanc resurrectionem conuenisse. Dicendum ergo est de causa finali, & efficiente, vel morali, vt est meritoria, vel physica principali, & instrumentali, seu ministeriali.

Primo igitur ad explicandam finalem causam adduci possunt rationes omnes, propter quas D. Thomas supra probauit, factam esse Christi resurrectionem. Nam omnes illæ, atque in vniuersum vtilitates omnes, quas dicunt Sancti prouenisse nobis ex resurrectione, finalem causam continent resurrectionis Christi, & omnes continentur sub illo verbo, quo dicitur Christus propter nos homines resurrexisse, sicut & mortuus esse. Et huc spectat illud Pauli ad Rom. 4. *Resurrexit propter iustificationem nostram*: & illud Gregorij Nazianzen. oratio. 1. *Resurrectio propter resurrectionem*, ideſt, resurrectio Christi propter nostram resurrectionem. Sed vltra hoc addendum est, licet Christus propter nos resurrexerit: primò tamen, ac per se propter se, suamque gloriam resurrexisse. Itaque, sicut in priori tomo dicebamus, Verbum propter redemptionē nostram carnem assumpsisse: & nihilominus primo, ac per se voluisse incarnari propter excellentiam tanti mysterij, & vt sese perfectissimo modo creaturis communicaret: ad eundem modum nunc dicimus, Christi resurrectionem ita fuisse à Deo ad nostrum commodum ordinatam: vt tamē per sese fuerit intenta propter ipsius Christi gloriam, & exaltationem. Primo quidem, quia erat debita Christo domino, propter maiestatem Verbi in illo corpore inhabitantis. Propter quod dixit Petrus Actor.2. *Impossibile fuisse Christum teneri ab inferno*, seu à morte, ita exponens illud Psalmi. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Non enim decebat, admirabilem sanctificationem illius corporis per coniunctionem ineffabilem ad ipsam sanctitatem per essentiam, vt vita, & coniunctione ad suam animam diu orbaretur. Vnde Athanas. lib. de Incarnat. Verbi Dei, & corporali eius aduentu, dicit. *Eum, qui Dominici corporis resurrectionem non credit, non satis intelligere vires Verbi, Sapientiąque Dei. Nam si verum est eum corpus assumpsisse, eaque, quæ corporis propria sunt, vindicasse, quid de corpore, quæso, statuere debuit, aut quo fine tandem illud consumere, cum semel intra corporis viscera receptus esset? Vt enim non moreretur fieri non poterat, quia pro omnibus erat in mortem offerendum: vt autem extinctum maneret, neque id fieri debuit, eo quod vitæ sacrarium esset. Vnde reuixit per*

Finis resurrectionis Christi qui *Rom. 4.* *Gre. Naz.* *Actor. 2.* *Psal. 15.* *Resurrectio ad Christi gloriam & exaltationem ordinata.* *Athanas.*

ſuam, quæ in ipſo erat, vitã. Similia repetit in ferius, vbi inter alia inquit. *Quomodo Dominus ex toto vitam ſe eſſe demonſtraſſet, niſi id, quod mortale erat, viuificaſſet?* Et ſerm. 2. contra Arianos, in hunc modũ exponit illud ad Philip. 2. *Propter quod & Deus exaltauit illum*. Refert enim particulam illam *propter quod* ad præcedentia verba. *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt &c.* Nã cũ dixiſſet (inquit) *humiliauit ſemetipſum vſq; ad mortem ſtatim ſubintulit, Propter quod & Deus exaltauit illum, cupiens oſtendere, quod etſi ſicut homo mortuus fuerit, attamen vt vita exaltatus ſit reſurrectione*: & infra, *cur hic ſolus ex mortuis integer reſurrexerit, cauſa ea eſt, quam Paulus priori loco ſtatuit: quod cum Deus eſſet, homo factus ſit, qui e cœlo, & cœleſtis appellatur, eo quod Verbum de cœlo deſcenderit, ideoque ſub imperio mortis detineri non potuit. Nam etſi humiliauit ſe ipſum ſinens ſuum corpus vſque ad mortem procedere: nihilominus tamen illud e terris exaltauit, propterea quod in illo erat filius Dei.*

Philip. 2.

Secundo hoc explicatur, quia ratione hypoſtaticę vnionis, & ex gloria animæ, debita erat corpori Chriſti vita perpetua, ac glorioſa: quod autem aliquãdo fuerit mortale, factum eſt ex diſpenſatione propter noſtram ſalutem, ergo conſummata noſtra ſalute per Chriſti mortem, eiſdem rationibus debebatur illi corpori vita glorioſa per ſe, ac propter ſe, etiamſi nobis non eſſet vtilis, ac neceſſaria eius reſurrectio. Vnde merito dixit Athan. dicto lib. de Incar. Verbi, reſurrexiſſe Chriſtum, *vt oſtenderet non ex imbecillitate mortuum eſſe: ſed ad extinguendam mortem, qua profligata, quid reliquum erat, niſi vt in trophæum deuictæ mortis excitaretur?* Quocirca ſi hæc intrinſeca cauſa reſurrectionis Chriſti perpendatur, excitandus fuiſſet Chriſtus ſtatim, ac redemptionem noſtram per mortem cõſummauit. Et ideò (vt infra videbimus) docent Patres dilationem reſurrectionis omnino fuiſſe propter nos, vt de veritate mortis euidentius conſtaret: hac vero cauſa & neceſsitate finita, ſtatim (vt ita dicam) ab intrinſeco redijſſe ad vitam multò magis, quam reducatur aqua ad priſtinam frigiditatem impedimento ablato. Quomodo dixit Athanaſ. epiſt. ad Epictetum, *Corpus mortalis naturæ per Verbum, quod in ipſo erat, ſupra naturam reſurrexit*. Sicut ergo aqua ablatis impedimẽtis natura ſua fit frigida, primo quidẽ propter ſe ipſam, quia hæc eſt naturalis diſpoſitio, quam eius forma requirit: deinde vt res alias frige facere poſsit: ita Chriſti corpus ablata mortis neceſsitate, quaſi ab intrinſeco ad vitam reuocatum eſt, & gloriam ſibi connaturalem accepit. Primo quidẽ propter ſe, quia hic ſtatus erat illi debitus ratione vnionis, & ſecundum ordinem diuinæ prædeſtinationis, per ſe primo intentus, deinde verò propter noſtram vtilitatem, vt ſupra explicatum eſt. Vnde etiam egregie addit Petrus Chryſol. ſerm. 78. & 81. reſurrexiſſe Chriſtum propter creaturarũ omniũ, ſeu totius Vniuerſi exaltationem ad nouam pacem, & tranquillitatem. *Orbẽ* (inquit) *totum priſtinũ reformat in corpus, vt quem ſibi taliter viderat eſſe compaſſum, ſuam ſe cum ſuſcitaret ad gloriam*. Atque hęc de finali cauſa.

Pet. Chry.

Secundo de cauſa meritoria certum eſt, Chriſtũ dominũ fuiſſe cauſam meritoriã ſuæ reſurrectionis, vt docet D. Tho. ar. 4 ad. 2. & latius diximus in priori tom. diſp. 40. ſect. 3. Hic verò inquiri poterat, quando hoc meruerit. Quidam enim auſi ſunt dicere, Chriſtum hoc meruiſſe poſt mortẽ per deſcenſum animæ ad inferos. Nam *qui deſcendit ipſe eſt, & qui aſcendit*, & deſcenſu exaltationem meruit. Neque enim illud opus fuit minoris caritatis, & humilitatis, quàm cætera, quæ in vita geſsit. Sed hæc ſententia conficta eſt ſine fundamento. Oſtendimus enim in priori tomo diſ. 39. ſect. 3. tempus merendi in Chriſto domino, ſicut & in alijs omnibus hominibus, fuiſſe finitum in morte. Tum etiam, quia ſcriptura morti, & paſsioni Chriſti tribuit meritũ reſurrectionis. Quia licet per totam vitam illam meruerit: tamen in morte hoc meritũ conſummauit. Vnde Paul. ad Philip. 2. cũ dixiſſet, *Factus obediens vſque ad mortem*, ſubdidit, *Propter quod &c.* nõ ergo poſt mortẽ ſed vſque ad mortem hoc meruit. Quapropter Aug. tract. 104. in Ioannem, *Humilitas paſsionis meritum* (inquit) *eſt reſurrectionis*. Oportebat quippe, vt ipſum corpus eſſet organum, ac inſtrumentum meriti ſuæ reſurrectionis, & exaltationis. Alia de re hac adduximus prædicto loco, & ſupra in cõmen. art. 1. Quædã verò difficultas hic occurrebat de vnione hypoſtatica totius humanitatis, quę diſſoluta humanitate, in morte fuit amiſſa, & cõſequenter in reſurrectione reparata (Propter quod videtur dixiſſe Petrus Chryſolog. ſerm. 80. *Reſurgẽs a mor-*

Chriſtus reſurrectionẽ ſuam quando meruerit.

Epheſ. 4.

Phylip. 2. Aug.

Pet. Chry.

Reſurrectio Chriſto ratione vnionis hypoſtaticæ quomodo debita.

Athanaſ.

Athanaſ.

a mortuis Christus resumpsit hominem, non reliquit) de hac, inquã, vnione occurrebat difficultas, an habuerit etiam causam meritoriam. Sed eam sufficienter attigimus priori tom. disp. 10. sect. 4.

Tertio de causa efficiente principali satis constat ex supradictis, solum Deum potuisse esse causam resurrectionis Christi. Nam quoad hoc eadem est ratio de Christo, & de aliorum hominum resurrectione. Vnde Act. 2. dicitur. *Quem Deus suscitauit a mortuis*, & ad Rom. 8. *Qui suscitauit Iesum Christum a mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra.* Quia vero Christus ipse Deus est, verè etiam dicitur, eundem Christum fuisse causam principalem suæ resurrectionis, non vt hominem, sed vt Deum. *Quia, etsi crucifixus est ex infirmitate, viuit ex virtute Dei* 1. ad Cor. vlt. Et hoc modo intelligendum est, cùm dicitur propria virtute resurrexisse, iuxta illud Ioan. 10. *Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam, vt iterum sumam eam.* Et eodem modo dixit Leo Papa serm. 1. de resur. *Deitas quæ ab vtraque substantia non recessit, quod potestate diuisit, potestate coniunxit.* Sic denique dixit Athanasius loco citato, *corpus Christi surrexisse per Verbum, quod in ipso erat.* Neq; hic occurrit noua difficultas supposito, quod supra ostensum est, diuinitatem non fuisse separatam à corpore, & anima tempore mortis.

Propria virtute a mortuis Christus resurgit. Act. 2. Roma. 8. 1. Cor. 16.

Ioann. 10. Leo. Papa Athanas.

Quarto de causa instrumentali physica solum inquiri potest, de ipsismet partibus humanitatis Christi, an effectiue concurrerint ad resurrectionem. Nam de omni alia creatura certum est non concurrisse, vt à fortiori constabit ex ijs, quæ dicemus in vltimo pũcto. De humanitate vero Christi, quæ est quædam integra natura, certum est non potuisse efficere resurrectionem, quia non supponebatur resurrectioni, sed ex illa potius cõsurgebat. De anima igitur & corpore dicendum est. Et in primis distinguere oportet duplicem actionem in resurrectione interuenientem. Prior est corporis organizatio, & dispositio: posterior substantialis coniunctio animæ ad corpus. De priori probabilius videtur, animã Christi, vt instrumẽtum Verbi effectiue dispositum fuisse corpus suum, illudque aptasse, vt ei vniretur. Quia ex vnione ad Verbum habebat illa anima potestatem permanentẽ, & per modum habitus ad efficienda huiusmodi miracula, (vt in priori tom. late tractatum est) Ergo credendum est vsam fuisse hac potestate in ordine ad suam resurrectionem, vt veluti condignum præmiũ redderet suo corpori tanquam socio suarũ passionum, & instrumento meritorum. Deinde quia Christus suo imperio disponebat alia hominũ corpora, quæ excitauit â mortuis, & in fine mundi concurret hoc modo ad efficiendam nostram resurrectionẽ. Ergo multo magis credendum est effecisse suam. An verò corpus etiam Christi, vt instrumentum Verbi, habuerit concursum physicum ad huiusmodi actionem, incertum est. Non enim fuit impossibile illud corpus se ipsum effectiue disponere, & organizare, vel per vnam partem efficiendo in aliam, vel per easdem partes efficiendo in se ipsas. Quia cum non agant virtute naturali, sed obedientiali, non supponuntur habere formam, quam efficiunt, nec formaliter, nec eminenter: & ideò nõ repugnat, hoc modo fecisse in se formam, & dispositionem quam actu non habebant. At vero licet hoc sit possibile, non videtur tamen necessariũ. Quia, cùm corpus sit proprium subiectum huius actionis, & causa materialis eius, & aliunde anima potuerit esse sufficiens principium efficiens illius actionis in genere instrumenti: non videtur necessarium tribuere efficientiam corpori: imo conuenientior ratio causandi videtur, vt vnicuique propria causalitas fuerit attributa actui, & potentiæ accommodata.

Anima Christi vt instrumentum Verbi suũ corpus effectiue disposuit, & organizauit ad sui reuniones

De posteriori actione, scilicet vnione substantiali corporis, & animæ iuxta diuersas sententias diuersimode sentiendum est. Nam si cum Hẽrrico, & alijs sentiamus facta corporis organizatione, non requiri nouam actionem extrinseci agentis, vt anima corpori vniatur, consequenter dicendũ est non fuisse necessariam nouam instrumentariam actionem corporis, aut animæ Christi, vt inter se vnirentur: sed facta miraculose organizatione corporis, applicata que illi anima secundum realem præsentiã, quæ per mutationem localem fieri potuit, statim naturali quadam vi vnitã fuisse. Quæ opinio probabilis est, vt supra diximus. Si autem cum communi sententia asseramus, præter corporis organizationem requiri, vt Deus speciali efficientia, & actione vniat animam corpori, dici cõsequenter, ac probabiliter potest, tam corpus, quam animam fuisse instrumentum ad huiusmodi actionem efficiendam. Quo sensu potest intelligi

Henrric.

Vnio substantialis inter corpus, & animam Christi, ab ipsis in resurrectione instrumentaliter effecta.

intelligi, quod D.Tho.infra dicit artic. 4. ad 3. corpus scilicet, & animā se mutuo resumpsisse virtute diuina. Nā licet ipse nō satis explicet, an loquatur de actione instrumentali animæ, & corporis, vel de principali actione diuinitatis vnitæ animæ, & corpori: tamen de vtraque potest commodè intelligi. Præsertim cùm ipse sentiat, requiri ad hanc vnionem specialē actionem, & efficientiam. Nam hoc posito nulla est ratio, ob quā negemus hanc instrumentalem effectionem: cùm ratione vnionis debita sit: cumque aliæ rationes in superiori membro factæ, hic etiam locum habeant. Quod verò huiusmodi effectionē tribuamus non solum animæ, sed etiam corpori, est hic specialis ratio. Quia vnio mutua est corporis & animæ, & tā in anima, quā in corpore dicit specialem quendam modum, ergo fuit inter has partes mutua efficientia, qua altera veluti ad se traxit, sibiq; coniunxit alteram, & è contra. Neque circa hoc est vlla specialis difficultas, præter eas, quæ alibi dictæ sunt de hac potētia miraculorum effectrice.

Dubium. Quinto, de causa ministeriali inquiri hic potest, V. Angeli aliquod ministeriū exhibuerint ad præparandam materiā resurrectioni Christi. Quam dubitationē tractant Theologi in 4.dis.43.& 44. generatim de omnium resurrectione: in speciali verò de resurrectione Christi nullum verbum attingunt. In generali tamen definiunt ex doctrina *Aug.* Augus.3.de Trinit. c.4. in cōmuni resurrectione Angelos aliquid esse ministraturos, colligendo cineres dispersos, & congregando illos in locum resurrectioni accommodatum. Ex hac autē generali doctrina videtur idem esse dicendum de Christi resurrectione. Primo, quia est eadem necessitas. Nam etiam aliquæ partes materiæ reassumendæ in corpore Christi erant dispersę, oportebatque, vt in sepulcro congregarentur, scilicet sanguis effusus, capilli capitis, aut barbæ, & si fortasse aliquæ carnis, & cutis particulæ flagellis, aut aliis cruciatibus diuulsæ fuerant, & si quæ alię partes materiæ ante separatæ, vel resolutę à corpore Christi iterū erant resumendæ. Deinde est eadem ratio. Nam *Aug.* Deus administrat inferiora per media, iuxta Augustinum.3. de Trinit. cap.4. Vnde quod fieri commode potest per ministros Angelos, non oportet fieri à Deo immediatè, & per se ipsum. Hæc autem actio, cū A per solum localem motum fiat, aptissimè fieri potuit per Angelos. Præterea nostra resurrectio est ad imitationem resurrectionis Christi, ergo sicut in nostra interuenit hoc ministerium Angelorum, ita verisimile est fuisse exhibitum in resurrectione Christi. Nihil enim derogat perfectioni, & excellentiæ illius resurrectionis. Nam si hominum ministerio factum est, vt corpus Christi deponeretur de cruce, & collocaretur in sepulcro: cur non fuit etiā decentissimum, vt sanguis, capilli, ac reliqua, ministerio Angelorum in eodem sepulcro reponerentur? Etenim, si homines potuissent, omnia illa colligerent, & custodirent: quod ergo ij vel facere non potuerunt, vel non cogitarunt, conueniēter per Angelos effectum fuit. Sicut etiam in partu Virginis pie sentiunt Caietan. & alij, ministerio Angelorum puerum fuisse susceptum, & in manibus Virginis repositum. B Quin etiam addit Caietan. fuisse ab Ange- *Caie.* lis mundatum, & secundinas, & alias sordes eorundem ministerio fuisse separatas, aliòque traductas, ergo maiori ratione dicì potest, ante resurrectionem adhibuisse hoc ministerium. Et iuxta hanc sentētiam loquuntur aliqui in concionibus de Christi resurrectione, & nihil in ea est periculi, vel absurdi, vt coniecturæ adductæ ostendunt.

Dicendum tamen est in mysterio resurrectionis Christi nullam operam, nullamque efficaciam Angelos adhibuisse: sed totum negotium resurrectionis peractū esse per efficientiam ipsius Christi, præsertim mediante anima. Hoc potest in primis probari autoritate negatiua omnium veterum Patrum, ac scholasticorum. Omnes enim affirmant Christum virtute propria operatum esse resurrectionem suam, & nullus eorum mentionem fecit angelici ministerij: si autem illud agnouissent, non omnino illud tacuissent, sicut fecerunt, de resurrectione aliorū hominū disputātes. Deinde potest sumi argumentū à simili ex D. *D.Thom.* Thom. in 4.dis.8.quęs. 2.artic.3. ad 3. vbi agens de Christi conceptione dicit, nō fuisse conueniens, vt illi creatura aliqua cooperaretur propter dignitatem Christi seruandam. Quod clarius explicuit Alexan. *Alens.* Alensis.4.p.q.134.memb.1.artic.2.in solutionibus argumentorum, qui expressè loquitur de hac ministeriali cooperatione, & quærit, an potuerit virtus creata cooperari

perari hoc modo in conceptione Christi, & respondet potuisse: *Sicut virtus* (inquit) *angelica cooperabitur resurrectioni corporum in generali resurrectione: non tamen decuit propter nimiam sublimitatem carnis, quia illa caro vnienda fuit diuinitati. Vnde, quod non sit ibi cooperata virtus creata, magis congruitatis fuit, quã necessitatis.* Hæc vero congruitas eadẽ, vel maior est in resurrectione. Nam eadẽ est sublimitas illius carnis, quę non iã vnienda, sed vnita erat diuinitati. Tertio est optima congruentia, quia vbi est sufficiens, decens, ac proportionatum principiũ proximum alicuius actionis, superfluum esset adhibere extrinsecum ministerium angelorum: sed ita est in præsenti. Nam anima Christi domini erat sufficiẽs principium, sicut ad disponẽdum corpus, ita etiã & ad colligendas partes, quæ dispersæ erant, & addendum, si quid materiæ fortasse deerat. Quia virtus instrumentalis illius animæ B has omnes actiones, ac multo plures complectebatur. Rursus erat illa anima maxime decens, & proportionatum actionis huiusce principium: tum quia habebat curã illius corporis tanquam proprij: tum etiam quia erat veluti diuinus motor, sicut corpus illud erat diuinum quoddam mobile propter vnionem ad Verbum. Quarto est alia coniectura, quia sanguis, capilli, & si quid aliud colligendum fuit ad Christi resurrectionem, id totum debuit collocari intra sepulcrum, & cõiungi corpori, quoad fieri potuit, vel expediens fuit: hoc autem fieri non potuit virtute angelica, nisi vel remouendo lapidem ab ostio sepulcri, vel aliqua ex parte illud diuidendo: neutrum autem horum est asserendum. Vsque ad resurrectionem enim Christi omnino clausum permansit sepulcrum, vt infra videbimus. Non potuerunt ergo illa omnia intra C sepulcrum reponi nisi transeundo ab extremo ad extremum sine medio, vel penetrando corpora intermedia: neutrum autẽ horũ fieri potuit naturali virtute angelorum, ergo hoc ministerium nõ erat ex ijs, quæ ad angelos pertinent, iuxta ordinariũ cursum prouidentiæ diuinæ. Dicere autem eis datam esse supernaturalem vim instrumentalem ad efficiendam illam mutationem supernaturali, ac miraculoso modo, gratis, & sine fundamẽto fingeretur. Quia nec illa virtus est debita angelis, nec pertinet ad ordinarium prouidentiæ modum, & alioqui nõ est necessaria, quia animę Christi est cõnaturalis hęc virtus ratione vnionis. Denique maximè decebat, vt solus Christus suæ esset resurrectionis autor, ne alterius ope ad suum corpus excitandum diguisse videretur. Coniecturæ verò in cõtrarium faciles sunt, & exijs, quæ diximus, expeditæ.

Ministeriũ angelorum in Christi resurrectione perficienda nullum.

A

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum fuerit conueniens Christum tertia die resurgere.

AD secundum sic proceditur. 295
Videtur, quòd non fuerit conueniens, Christum tertia die resurgere. Membra enim debent capiti cõformari. Sed nos qui sumus membra Christi non resurgimus à morte tertia die, sed nostra resurrectio differtur vsque ad finem mundi. Ergo videtur, quòd Christus, qui est caput nostrum, non debuerit tertia die resurgere: sed debuerit eius resurrectio differri vsque ad finẽ mundi. ¶ 2. *Præterea, Act. 2. dicit Petrus, quod impossibile erat Christum detineri ab inferno & morte. Sed quandiu aliquis est mortuus, detinetur à morte. Ergo videtur, quòd Christi resurrectio non debuerit differri vsque ad tertiam diem, sed statim eadem die resurgere, præcipuè cùm gloss. supra inducta, dicat, nullam esse vtilitatem in effusione sanguinis Christi, si nõ statim resurgeret.* 3. *Præterea, Dies incipere videtur ab ortu solis, qui sua præsentia diem causat. Sed ante ortũ solis Christus resurrexit: dicitur enim Ioan. 20. Quod vna Sabbathi Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, & tamen Christus iam resurrexerat: quia sequitur. Et vidit lapidem sublatum à monumẽto. Nõ ergo resurrexit Christus tertia die.*

Sup q. 51 a. 4. Et 3. di. 21. q. 2 ar. 2. Et d. 22. q. 2 ar. 2. q. 2. ad. 1 Et op. 3 c. 243 Et op. 60. c. 20. circa fin. Et Ps. 15. col. 6. Et Ioan. 2. lec. 3.

ar. præced. in cor.

¶ *Sed contra est, quod dicitur Matth. 20. Tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget.*

¶ *Res*

¶ *Respondeo dicendum, quòd (sicut* A
ar præced. *dictum est) resurrectio Christi necessaria fuit ad instructionẽ fidei nostræ. Est autem fides nostra, & de diuinitate, &*
2.2.q.2.ar 7. & 8. *de humanitate Christi: non.n. sufficit alterum sine altero credere, vt ex prædictis patet. Et ideo ad hoc, quòd confirmaretur fides de veritate diuinitatis ipsius, oportuit, quòd citò resurgeret, & eius resurrectio non differretur vsque ad finem mundi. Adhoc autem quòd cõfirmaretur fides de veritate humanitatis & mortis eius, oportuit moram esse inter mortem, & resurrectionem, si enim statim post mortem resurrexisset, videri posset quòd eius mors vera non fuerit, & per consequens nec resurrectio vera. Ad veritatem autem mortis Christi manifestãdam,* B
sufficiebat, quòd vsque ad tertiam diem eius resurrectio differretur: quia non cõtingit, quin in.frà hoc tempus, in homine, qui mortuus videtur, cùm viuat, appareãt aliqua indicia vitæ. Per hoc etiam quòd tertia die resurrexit, commendatur perfectio ternarij: qui est numerus omnis rei,
li.1.tex.2, to.2. *vt pote habens principium, medium & finem: vt dicitur in primo de Cœlo. Ostenditur etiam secundum mysterium, quòd Christus vna sua morte corporali, quæ fuit lux propter iustitiam, duas nostras mortes destruxit, scilicet corporis & animæ: quæ sunt tenebrosæ propter peccatũ.* C
Et ideo die integra, & duabus noctibus permansit in morte, vt Augusti. dicit in
lib. 4.ca.5 to.3. *quarto de Trin. Per hoc etiam significatur, quòd per resurrectionem Christi, tertium tempus incipiebat, nam primũ fuit ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. Incepit etiam in Christi resurrectione tertius status Sanctorum. Nam primus fuit sub figuris legis: secundus sub veritate fidei: tertius erit in æternitate gloriæ, quam Christus inchoauit resurgendo.*

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd caput & mẽbra conformantur in natura, sed non in virtute. Excellentior est enim virtus capitis, quàm membrorum. Et ideo ad demonstrandam excellentiam virtutis Christi, conueniens fuit, ipsum tertia die resurgere, aliorum resurrectione dilata vsque ad finem mundi.* ¶ *Ad secundum dicendum, quòd detentio coactionem quandam importat: Christus autem nulla necessitate mortis tenebatur astrictus, sed erat inter mortuos liber. Et ideo aliquandiu in morte mansit: non quasi detentus, sed propria volũtate, quandiu iudicauit hoc esse necessarium ad instructionem fidei nostræ. Dicitur autem statim fieri quod fit breui interposito tempore.* ¶ *Ad tertium dicendum, quòd (sicut suprà dictum est) Christus resurrexit* q.51.ar.4 ad 3.
circa diluculum illucescente iam die, ad significandum, quòd per suam resurrectionem nos ad lucem gloriæ inducebat: sicut mortuus est aduesperascente iã die, & recedente in tenebras, ad ostendendum quod per suam mortem destrueret tenebras culpæ & pœnæ. Et tamen dicitur tertia die resurrexisse, accipiendo diem prodie naturali, qui continet spatium 24. horarum. Et sicut dicit Augus. in 4. de Trinit. nox vsque ad diluculum, quo li.4.c.6.an te me.to.3.
Domini resurrectio declarata est, ad tertium pertinet diem: quia Deus, qui dixit, de tenebris lucem clarescere, vt per gratiam noui Testamenti, & participationem resurrectionis Christi, audiremus: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: insinuat nobis quodã modo, quod à nocte dies sumat initium. Sicut enim primi dies propter futurum hominis lapsum a luce in noctem: ita isti propter hominis reparationem à tenebris ad lucem computantur. Et ita patet, quod etiam si media nocte surrexisset, posset dici eum die tertia surrexisse, intelligendo de die naturali. Nunc autem cum diluculo surrexerit, potest dici, quod tertia die resurrexit, etiam accipiẽdo diem artificialem, quæ causatur ex præsentia solis:

solis: quia iam sol incipiebat aerem illustrare. Vnde & Mar. vltim. dicitur, quòd mulieres venerunt ad monumentum orto iam sole. Quod non est cõtrarium ei, quod Ioan. dicit. Cum adhuc tenebræ essent: le 3.c.24. inter prin. & me to 4. *vt Aug. dicit in li. de consensu Euangelistarum: quia die surgente reliquiæ tenebrarum tantò magis extenuantur, quãto magis oritur lux. Quod autem dicitur Marci vltimo. Orto iam sole, non sic accipiendum est, tanquam iam sol ipse videretur super terram, sed tanquam de proximo aduenient in has partes.*

COMMENTARIVS.

DVo includũtur in titulo articuli, scilicet, an fuerit conueniens resurrectionem Christi differri vsque ad tertium diem, & an fuerit conueniens non vltra differri: & cum ex fide constet, vtrumque factum esse, constat etiam vtrumque fuisse conueniens: tamen ratio præcipua, propter quam fuit conueniens, non est eadem in vtroque puncto. Nam dilationis vsque ad tertium diem tota ratio sumitur ex parte nostri, scilicet vt nobis satis constaret de veritate mortis Christi. Et hac ratione vt potissima vsus est D. Th. eamque eleganter tractat Athanas. lib. de Incarnat. Verbi, dicens. *Vt mortuum esse suum corpus doceret, non priusquam triduanum cadauer esset excitauit.* At vero propria ratio accelerationis, seu non maioris dilationis resurrectionis ab intrinseco sumi potest ex dignitate ipsius Christi. Nam hoc ipso, quòd nobis non erat necessaria dilatio, erat illi statim debita resurrectio, vt supra dictum est. Et ideo D. Tho. in prima ratione solum probauit dilationem vsque ad tertium diem sufficientem fuisse, vt de veritate mortis constaret, vt inde concluderet fuisse conueniens, statim fieri resurrectionem. Addit vero alias congruentias allegoricas, & mysticas. Adiungere verò possumus ex Athan. sup. aliã rationem moralem. Ne quispiam (inquit) *obijceret ipsum non idem, sed aliud corpus circunferre, ea de causa vltra tridui moram non passus est, neque eos, qui ipsum audierant de resurrectione promittentem, in longũ distulit: sed, cum adhuc prope modum verba illa*

Ad tertiũ vsque diem & non vltra dilata resurrectio Christi cur Athanas.

D. Thom.

Athanas.

A *in eorum auribus obstreperent, oculique eius speciem retinerent, intra tridui spacium, quod pluſ quam mortuum erat, immortale, & incorruptibile omnibus ostendit, quo intelligeretur illud, non imbecillitate naturæ, cum Verbum in eo domicilium suum haberet, extinctum fuisse, sed ideo extinctum, vt mors viribus nostri saluatoris Iesu Christi aboleretur.* Addit Leo Papa serm. 1. de resurrectione, Christum dominum breuiasse tridui moram, & ex primo tantum partem nouissimam, ex tertio verò partem duntaxat accepisse primam, *Ne turbatos discipulorũ animos longa mæstitudo cruciaret.* Præterea Greg. Nyssenus ora. 1. de resurrectione, in hoc triduo dicit operatũ fuisse Christum multa, & eximia virtutis opera, & præsertim destruxisse, quidquid mali in humano genere Lucifer ab initio mũdi molitus fuerat, ideoque tam breui tempore hoc totum perfecisse, vt suę virtutis specimen ostentaret, quia *non tarda gratia est, non longo circuitu tantum bonum confectum fuit.* Postea adiungit rationem aliam mysticam, quę in eo videri poterit.

Leo Papa.

Gre. Nyſ.

Argumenta D. Tho. explicabuntur disputatione sequenti.

DISPVTATIO XLVI.

In tres sectiones distributa.

De tempore resurrectionis Christi.

CVM ex Euangelio constet Christũ paulò post mortem resurrexisse, nõ oportet quæstionem mouere de anno, aut mense, in quibus resurrectio contigit. Constat enim eodem anno, & mense, quo & mortem, accidisse. Vnde cum ostẽsum sit in medio primi mensis lunaris mortuum fuisse, cum annum ageret trigesimũ quartum, mensemque illius quartum, constat idẽ esse de resurrectione dicendũ. Igitur disputandum superest de die, & hora, simulque explicandum erit, quomodo intelligendum sit resurrexisse tertia die, & iacuisse in sepulcro, ac fuisse in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Non disputabo autem, an resurrectio Christi facta sit in instanti, necne? Quia nihil addendũ occurrit ijs, quæ de resurrectione in communi dixi, & videri possunt etiã dicta de conceptione Christi. Nam eo modo, quo ibi diximus conceptionem factam esse in momento

momento, sentiendum est de resurrectione, est enim eadem ratio.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Christus tertia post mortem die, eaque dominica resurrexerit.

DVos errores inuenio negantium Christum resurrexisse die Dominico. Primus est Armenorum, qui anteponentes hoc tempus aiunt, Christũ surrexisse die Sabbathi, vt referunt Castrus verbo Resurrectio, hæres. 4. ex Guidone Carmelita, & Prateol⁹. Ver. Armenum. 22. Hos autem necesse est vel negare Euangelium dicens, Christum resurrexisse tertia die, vel negare Christum mortuũ esse feria sexta, quod perinde ferè est. Nã hoc etiam satis aperte in Euangelio habetur, vt supra diximus. Secundus error est B eorum, qui postponentes hoc tempus dicunt Christum resurrexisse feria secunda in fine, aut in initio tertiæ, vt omnino iuxta corticem literæ verum sit, Christum tribus diebus, & tribus noctibus fuisse in sepulcro, & in corde terræ. Hæc sententia sequitur aperte ex opinione eorum, qui asserunt Christum iacuisse in sepulcro septuaginta duabus horis. Quã docuit Alcuinus lib. de diuinis offic. cap. de cœna Domini, nisi fortasse metaphoricè loquutus sit, & impropriè: eam tamen sententiam propriè, & in rigore explicatã defendit Paul. Forosempronien sis, in secunda parte Paulinæ lib. 1. & 2. vt refert Marcellus lib. de horis canonicis cap. 50. Qui maxime illam confirmat. Quia totum illud tempus fuit necessarium, vt veritas mortis Christi euidenter, & sine vlla tergiuersatione probaretur. Quia sæpe solent infirmi, qui mortui apparent, post septuaginta horas dare signa vitæ, ergo non satis comprobatur aliquod corpus esse mortuum, in quo nullũ signum est corruptionis, aut fœtoris, si ante transactos tres dies naturales integros, viuum reperitur.

Caſt. Guiar. Prateol.

Alcuin. Paul. Foro ſemper.

Mar.

Dicendum verò est primò, Christum non resurrexisse ante Dominicum diem. Hanc conclusionem censent esse de fide autores supra citati, & ad minimum est tã certa, quàm est certum Christum mortuũ esse feria sexta, quod supra diximus esse certissimum. Probatur, quia de fide est Christum non resurrexisse ante diem tertium, ipse enim prædixerat se resurrecturũ A tertia die, Matth. 20. Qui autem designat diem, in quo aliquid futurum est, satis affirmat id non esse futurum ante illum diẽ. Vnde alij Euangelistæ expressius dicunt, eum prædixisse se resurrecturum post tres dies, Marc. 8. & idem colligitur ex Matth. 12. & 16. & Luc. 11. ac denique in symbolo habemus, *Resurrexit tertia die*, quod nullo sensu posset esse verum, si die proxime sequenti post mortem surrexisset. Et præterea ex narratione Euangelistarum euidẽter constat, Christum non resurrexisse die proxime sequenti post mortem suam (vt ex eorum lectione patebit, & in sequentibus explicabimus) ergo non potuit resurgere ante Dominicum diem. Quia inter diem mortis Christi, & diem Dominicam sequentem tantum vna dies intercessit, cũ demonstratum in superioribus sit, Christum feria sexta diem obiisse suum. Deniq; ratio, seu congruentia supra adducta hoc confirmat. Quia oportuit differri resurrectionem vltra diem vnum. Et hoc supponũt omnes Patres, qui illa ratione vtuntur, aliique, quos statim afferemus.

Matth. 20. Marc. 8. Matth. 12. & 16. Luc. 11. Symbol.

Chriſtus ante diem dominicum non reſurrexit.

Secundo dicendum est, Christum dominum surrexisse die Dominica, neque amplius suam resurrectionem distulisse. Conclusio est certa, quæ probatur primo ex Euangelio. Nam Matt. vltimo, dies in qua Christus resurrexit, vocatur *prima Sabbathi* Vbi nomine *Sabbathi* potest intelligi vel tota hebdomada, ita vt idem sit *prima Sabbathi*, quod prima dies hebdomadæ, quæ est Dominica. Nam dies Sabbathi erat septimus hebdomadæ, in quo Deus requieuit. C Potest etiam significare proprium diem Sabbathi, & hoc modo nihil significare potest *prima Sabbathi*, nisi primam diẽ post Sabbathum. Et hæc est communior interpretatio. Nam Hebræi à die Sabbathi tãquam à solenniori cæteros dies hebdomadæ appellabant, videlicet *primam Sabbathi*, *secundam Sabbathi*, &c. Quod etiam notauit Beda lib. de ratione temporum, cap. 6. Vnde Augustinus, quia in titulo Psal. 23. dicitur, *In prima Sabbathi*, exponit de Resurrectione Domini. *Quæ prima* (inquit) *Sabbathi facta est, qui iam dies Dominicus dicitur.* In titulo verò Psal. 80. vbi dicitur, *In quinta Sabbathi*, & in titulo Psal. 93. vbi dicitur, *In quarta Sabbathi*, exponit de feria quinta, & feria quarta hebdomadæ. Et fortasse in priori notatur dies, in quo Christus

Chriſtus die dominico reſurrexit a mortuis Matth. 28.

Prima Sabbathi quid. Beda, Aug. Pſal. 23. Pſal. 80. & 93.

tus sacramentum Eucharistię instituit, de quo in illo Psal. 80. habetur sermo: in posteriori verò notatur dies, in quo Christus tradi, atque ea ratione pati incepit. Nā psalmus ille est de patientia. Et eodem modo exponit Hieronym. Psalm. 93. diem quartam Sabbathi, & in titulo psalmi. 47. *Prima* (inquit) *Sabbathi fecit lucem: prima sabbathi resurrexit lux Christus* Et confirmatur ex Marco cap. vltimo dicente, *Et cum transisset Sabbathum, Maria Magdalene*, &c. Vbi perspicuè dicit, die proximè sequenti post Sabbathum Christum non esse inuentum in sepulcro, eò quòd iam surrexisset: post sabbathum autem, dies proxima est Dominica, ergo cùm ostensum sit, non resurrexisse sabbatho, necessario efficitur die Dominica surrexisse. Et idem est sensus Euangelistæ Lucæ, qui in fine capit. 23 de mulieribus concludit, *Et sabbatho quidem filuerunt*: cap. autem 24. incipit, *Vna autem sabbathi valde diluculo* &c. ac si clarius dixisset, finito sabbatho, *vna die*, ideſt, prima die post illud &c. Et eodem modo loquitur Ioannes cap. 20. Nam more hebræorum *vna* ponitur pro prima, Genes. 1. *Factum est vespere, & mane dies vnus*, ideſt primus.

Secundo probatur hæc veritas ex perpetua Ecclesiæ traditione, quæ hunc diē semper venerata est propter Christi domini resurrectionem, vt ex ipso nomine *Dominici diei* cōstat. Ita enim appellatus est à Domino, cuius resurrectioni fuit cōsecratus, q̄ quidem nomē fuisse huic diei impositum â tempore Apostolorum, constat ex illo Apocaly. 1. *Fui in spiritu in Dominica die*. Vnde Aug. serm. 251. de tempore, *Dominicum diem* (inquit) *Apostoli, & Apostolici viri ideo religiosa solennitate habendum sanxerunt, quia in eodem redemptor noster a mortuis resurrexit. Quique ideo Dominicus appellatur, vt in eo tātū diuinis cultibus seruiamus, dantes diei huic honorem, & reuerentiam propter spem resurrectionis, quam habemus in illa*. Et inferius addit, hunc diē esse solennem in scripturis. Quia in eo creati sunt angeli, & elementa mundi, & prima lux, manna in deserto datum est, & Spiritus sanctus de cœlo descendit. Et serm. 154. alia multa mirabilia numerat eodē die facta. Ac ferè similia habet Leo Pap. epist. 81, ad Dioscorum cap. 1. *In hac* (inquit) *die mundus sumpsit exordium, in hac per resurrectionem Christi, & mors interitum, & vita accepit initium*. Et infra, inquit in eadē die ingressum fuisse Christum ad Apostolos ianuis clausis, & insuflasse, atque dedisse illis Spiritum sanctum, & in eadem postea descendisse in linguis igneis eundē Spiritum sanctum à Christo promissum. Hæc autem ex Apostolorum traditione manasse, constat ex Clemente lib. 7. Constitutionum, cap. 31. & 36. & ex Iustino Apolog. 2. in fine, vbi commemorat, solitos fuisse Christianos in die Dominica, quam *diem solis* appellat, conuentus facere, quia in ea Christus resurrexit. Idem colligitur ex Ignatio epist. 5. ad Trallianos, Athanas. optime, oratione in illud dictum. *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*. Hieron. in. 4. cap. ad Galatas, Gregor. lib. 11. epist. 3. & ex alijs Patribus passim, multa quoque congerit Vvaldensis de sacramentalibus cap. 40. Propter quæ Beda lib. de ratione computi cap. 17. & libro. de ratione temporum cap. 45. & Ambros. super psalmum. 47. in principio, negant licere viro catholico dubitare, quin Christus Dominica die resurrexerit.

Vltimo potest adhiberi congruentia, ex supradictis in commentario artic. 2. Quia Christi mors non debuit amplius differri, quám necessarium fuit ad veritatem mortis declarandam: ad hoc autem sufficiens fuit, vt vsq; ad tertium diem in monumento maneret. Quod enim dicebat Paul. Mil deburgensis, de septuaginta horarum spacio, & incertum est, & quanuis interdū posset accidere, hominem viuum iacere quasi mortuum toto illi tempore absque vllo signo vitę: tamen in homine, qui tot sustinuerat tormenta, atque lethalia vulnera acceperat, id erat impossibile. Vnde, quibus non sufficeret quadraginta horarum spacium in signum, & testimonium veræ mortis, neque millę horæ sufficerent. Nō ergo oportuit resurrectionem amplius differri.

Ex quo colligitur, quando in scriptura dicitur, Christum surrexisse *die tertia*, intelligendum esse de die tertia inchoata, nō vero finita. Quia cum mortuus fuerit feria sexta iam iam exeunte, si ante resurrectionem fuissent tres dies integri transigendi, nō potuisset die dominica resurgere. Qua propter, cùm in alijs locis dicitur resurrexisse *post tres dies*, intelligendum est de diebus inchoatis, sicut intelligitur illlud Lu. 2. *Postquam cōsummati sunt dies octo, vt circūcideretur puer*, ideſt, cū dies octauus aduenisset, & in eodem cap. *Post triduum inuenerunt eum*. i. tertio die. Sic ergo in præsenti, in illis tri-

palm. 47. Hieron.

Mar. 16.

Luc. 23. & 24.

Ioann. 20.

Genesis. 1.

Dies dominica vnde dicta.

Apocaly. 1. Aug.

Leo Papa.

Clem Pap Iust. Mar. Ignat.

Athanas. Hierony.

Gre. Pap. Vvaldens.

Bed. Ambros.

his tribus diebus computandi sunt duo ex A re quinquaginta dies inter diem Resur-
Luc. 9. extremi, vnus mortis, & alter resurrectionis. rectionis eius, & diem Pentecostes, seu
Matth. 17 Sicut etiam cum dixit Lucas, *Post dies octo*, aduentus Spiritus sancti; neque potuit
Marc. 9. agens de tempore transfigurationis: cum vtrunque mysterium die Dominica acci-
tamen alij Euangelistę dicant, *Post dies sex*, dere, vt habet Ecclesiastica traditio: do-
Matth. 17 Marc. 9. Ille computauit dies centque iidem Patres supracitati, præser-
extremos, quos alij omiserunt, quos neces- tim Leo, Augustinus, & Isidorus libro
se est sumi inchoatos, quia ante exactum primo de diuinis officiis, capit. de Pente- Leo Papa
octauum diem, necesse fuit trãsfiguratio- coste, & Albinus lib. de diuinis officiis Aug.
nem fieri. Et ita ex vno scripturę testimo- cap. de die sancto, quibus addi potest ca- Isidor.
nio aliud exponitur. Sic igitur in præsen- non ille octauus sextæ synodo ascriptus, Albin.
tis per illa loca, quæ asseuerant, Christum quem supra tractauimus. Ratio difficul-
resurrexisse prima die hebdomadę, expli- tatis est. Nã, vt constat Acto. 2. *Cum com-*
canius alia, in quibus dicitur surrexisse ter- *plerentur dies Pentecostes*, id est, in ipsomet Act. 2.
tia die, vel post tres dies. Nam hæc duo die, quo Iudæi celebrabant festum Pen-
Matth. 27. pro eadẽ re sumuntur, vt videre licet apud tecostes, seu hebdomadarum, aut primi-
Matt. dicentem, Pharisæos retulisse ad Pi- tiarum, Spiritus sanctus descendit: sed ne
latum, *Post tres dies resurgam*, & ideò ab il- cessarium fuit eo anno illum diem incide-
lo petiisse vt iuberet, *custodire sepulcrum* B re in diem Sabbathi, ergo. Probatur mi-
vsque in diem tertium. Quibus verbis satis nor ex Leuitic. 23. & Iosepho lib. tertio Leuiti. 23.
explicauit, idẽ omnino esse resurgere *post* Antiquit. cap. 10. ex quibus habetur, le- Ioseph.
tres dies, & *tertia die*: & Pharisæos ita vtrũ- ge statutum fuisse, vt Iudæi secundo die
que intellexisse, vt existimarent, Christũ azymorum, seu decima sexta luna primi
loquutum esse de tertia die, qua currente mensis, offerrent manipulum nouarum
(vt aiunt) affirmabat se resurrecturũ. Vn spicarum, & ab illo die numerarent quin-
de illi duo discipuli, quibus Christus ap- quaginta, & in quinquagesimo festum
Luc. 24. paruit in via, dicebant, *Nos autem sperabamus, quod ipse esset redempturus Israel, & nunc super hæc omnia tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt*. Ac si dicerent, hac die impleturus erat, quod promiserat. Ita ergo intellexerunt hos tres dies etiam illi, qui Christum audierunt tam amici, quàm inimici: atque ita etiam à nobis intelligendi sunt. Et eodem modo, exponendus est locus
Osea. 6. Ribera. Oseæ. 6. *Viuificauit nos post duos dies, & in die tertio suscitabit nos*. Hic enim locus de C Christi resurrectione exponitur à sanctis Patribus, quos erudite refert, & exponit Franciscus Ribera in eum locum. Nam, cùm dicit Propheta, *Post duos dies*, comprehendit diem mortis, & sequentem, cũ verò dicit, *In die tertia*, optimè explicuit hos tres dies cõplecti duo extrema, atque adeò idem esse dicere, *post tres dies*, atque *tertio*
Dorothe. *die*. Vnde Dorotheus Martyr in synopsi existimat, hunc locum indicatum esse à Paulo. 1. Cor. 15. dicente. *Quia surrexit tertia die secundum scripturas*, quia in nullo loco veteris testamenti, ita explicatur tertia dies resurrectionis, sicut in hoc.

Dubium. Superest explicanda grauis difficultas, quam in superioribus huc remisimus. Nam si Christus dominus resurrexit die Dominica, ergo non potuerunt intercedere quinquaginta dies inter diem Resurrectionis eius, & diem Pentecostes, seu aduentus Spiritus sancti; neque potuit vtrunque mysterium die Dominica accidere, vt habet Ecclesiastica traditio: docentque iidem Patres supracitati, præsertim Leo, Augustinus, & Isidorus libro primo de diuinis officiis, capit. de Pentecoste, & Albinus lib. de diuinis officiis cap. de die sancto, quibus addi potest canon ille octauus sextæ synodo ascriptus, quem supra tractauimus. Ratio difficultatis est. Nã, vt constat Acto. 2. *Cum complerentur dies Pentecostes*, id est, in ipsomet die, quo Iudæi celebrabant festum Pentecostes, seu hebdomadarum, aut primitiarum, Spiritus sanctus descendit: sed necessarium fuit eo anno illum diem incidere in diem Sabbathi, ergo. Probatur minor ex Leuitic. 23. & Iosepho lib. tertio Antiquit. cap. 10. ex quibus habetur, lege statutum fuisse, vt Iudæi secundo die azymorum, seu decima sexta luna primi mensis, offerrent manipulum nouarum spicarum, & ab illo die numerarent quinquaginta, & in quinquagesimo festum hebdomadarum celebrarent. Et ita etiam est intelligendus Epiphan. hæres. 51. cum inquit, *Post tres dies agni præceptum esse, manipulum inferri*. Nunerauit enim â decima quarta luna, vsque ad decimã sextã, & ita intelligit, *post tres dies*, idest tertia die. Vnde (inquit) fuisse illam figuram resurrectionis Christi. Offerebatur ergo manipulus luna decima sexta in. 2. die azymorum, sed secunda dies azymorum eo anno fuit dies Sabbathi iuxta ea, quæ in superioribus diximus, ergo ab illa computando quinquaginta, dies quinquagesima incidit in diem Sabbathi, ergo & festum Pentecostes.

Leuiti. 23. Ioseph. Epiphan.

Hæc difficultas expediretur facile iuxta sententiam eorum, qui dicunt, Christũ non esse occisum in die Paschæ, atque primum diem azymorum non incidisse eo anno in feriã sextam, sed in Sabbathum. Sic enim facile intelligitur, fieri potuisse, vt Christus resurgeret die Dominica, quę iuxta hanc computationem erat secunda azymorũ, & post quinquaginta dies descenderit etiam Spiritus sanctus in die Dominica, & in festo Pentecostes, seu primitiarũ. Tamẽ quia hęc sententia â nobis supra reiecta est, quòd scripturis, & Patrum traditioni repugnet, necesse est præsenti diffi-

difficultati altero è duobus modis satisfacere.

Responsio

Primus est, illos quinquaginta dies non ita computari á secundo die Azymorum, vsque ad primum octauæ hebdomadæ sequentis, vt vtrumq; extremũ in ipsis quinquaginta diebus annumerandum sit, sed vel numerandos esse dies à secundo die Azymorum exclusiuè, vel (si secũdus dies azymorũ includatur) ex parte alterius extremi, excludendum esse festum Pentecostes, ita vt non in quinquagesimo die, sed post quinquagesimum celebrari intelligatur. Hoc tñ posterius minus consonũ videtur verbis Leuitic. 23. sic enim dicitur.

Dies Pentecostes vnde, & quomodo numerandi.

Leuitic. 23

Numerabitis ergo ab altero die sabbathi, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, vsque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies, & sic offeretis sacrificium nouum Domino. Quibus satis significatur post expletas septem hebdomadas, in altera die celebrandum fuisse festum, & oblationem primitiarũ. Quod clarissime explicuit Iosephus.

Ioseph.

dict. li. 3. cap. 10. dicens, *Post paschale sacrum elapsis septem septimanis, hoc est, quadraginta nouem diebus, quinquagesima offerunt Deo panem, &c.* At verò prior ratio numerandi hos dies à secundo azymorum exclusiuè nihil habet repugnans, aut scriptu ræ, aut Iosepho. Scriptura enim solum dicit, *Numerabitis ab altero die Sabbathi, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum.* Quod sine vlla vi, vel improprietate exponi potest ab illo die exclusiuê. Iosephus vero, licet expressè dicat, manipulum primitiarũ offerri solitum die secũda Azymorũ (quod scriptura tam expressè non dixerat) nõ tamen declarat, quomodo ab illo die numerarẽtur septẽ hebdomadæ, imò solum dicit, *Post paschale sacrum elapsis septem hebdomadis.* Est ergo hæc responsio probabilis. Solum illi obstat, quod Patres frequẽter significant, illos quinquaginta dies numerandos esse ab eo die, quo mactabatur agnus, seu à prima die Azymorum. Dicũt enim, festum Pentecostes celebrari eodẽ die, quo lex vetus in monte Sinai data est: datã autem esse post quinquaginta dies, â die egressionis populi Israel de Aegypto, qui fuit dies mactationis agni. Ita loquitur Cyprianus serm. de Spiritusancto, clarius Hieron. Epist. 127. de mansionibus ad Fabiolam, mansione 12, vbi id colligit ex scriptura. Quia tertio die tertij mensis data est lex, quę est quinquagesima à decima quinta primi mẽsis. Quæ computatio supponit, illos menses esse solares, & ideô difficultatem patitur: eadẽ tamen vsus est Augustinus epist. 119. c. 16. & lib. quæstionum noui testamenti. q. 95. & eodem modo loquitur Leo Papa serm. 1. Pentecostes, & Isidorus lib. 1. de officiis Ecclesiasticis. c. 32. & Chrysost. hom. 2. de Spiritusancto. In quo notanda sunt illa verba, *A Paschanumerabitis septem septenarios dierum, & die sequenti facietis diem Pentecostes.* Per *Pascha* enim intelligit diem immolationis agni. Et eodem modo videntur exponenda illa verba Iosephi, *post Paschale sacrum.* At vero hæc dicta Sanctorum necesse est intelligi saltẽ excluſiuè â die Paschæ. Ergo necesse etiam est, vt computatio hæc incipiat inclusiuè à secundo die Azymorum, ergo hac ratione non potest consistere data expositio.

Cyprian.

Hieronym.

Aug.

Leo Papa.

Isidor.

Chrysost.

Dies Pentecostes.

Secundo modo expediri potest prædicta difficultas, negando, Spiritum sanctum descendisse super Apostolos in ipsomet die, in quo festum primitiarũ celebrabatur: sed die proximè sequenti. Itaque concedendum est, festum primitiarum incidisse eo anno in Sabbathũ, Spiritum sanctũ autem descendisse die Dominica sequenti, atque ita distasse quinquaginta diebus â die Resurrectionis. Sic enim numerandos esse hos quinquaginta dies nostri festi Pẽtecostes, scilicet, â die resurrectionis, constat ex traditione Ecclesiæ, & docet expressè Augustinus dicta epist. 119. & serm. 183. de tempore, & omnes Patres supra citati, & quos statim referemus.

Aug.

Testimonij Act. 2.

Expositio.

Contra hanc vero resolutionem obstant verba Act. 2. *Dum complerentur dies Pentecostes, &c.* Quæ dupliciter exponi possũt. Primo vt Lucas numerauerit dies Pentecostes non Iudaico, sed Christiano more, itaque numerauerit dies Pentecostes à die resurrectionis. Et hanc expositionẽ insinuat Aug. locis citatis, & clarius Beda Actor. 2. Sed huic expositioni obstat, quòd Lucas nomine *Pentecostes* intellexit sine dubio festum Iudaicũ, nam tunc ea voce nihil aliud significabatur. Nisi forte quis dicat, quando Lucas scripsit Acta Apostolorũ, iã fuisse vsu Christianorũ receptũ, vt tẽpus illud paschale, *Pentecostes* vocaretur, quod est frequens apud veteres, vt videre licet in Tertulliano lib. de Idololatria c. 14. & lib. de corona militis, c. 3. &

Aug.

Beda

Tertullian.

in alijs, quę in illis locis eruditè notat Pā melius. Sed neque hoc satisfacit. Quia Lucas apertè voluit loqui de festo Iudæo rum, vt indicaret causam, ob quam eo die essent Ierosolymis congregati Iudæi ex
Chrysost. *omni natione, quæ sub cœlo est.* Qua propter addendum est ex Chrys. hom. 4. in Acta, illa verba, *Dum complerentur dies Pētecostes*, non significare in eodem die, *sed circiter Pentecostem, (vt ita loquamur) nam oportebat festi tempore rursus hæc fieri, vt qui cruci affuerant Christi, ijdem hæc quoque spectarent.* Exponendum ergo videtur, *Dum complerētur*, idest, statim ac completi sunt dies Pentecostes, quod optimè dicitur de die proximè sequenti post illū festum: nā hic dies illo modo loquendi satis propriè significatur. Qua propter huic sententię, & expositioni adhærendum videtur, quandiu alia melior nō occurrerit. Non enim me latet posse excogitari alium respondendi modum, nimirum, quando secunda dies Azymorū incidebat in Sabbathū, differri oblationem manipuli primitiarum vsque in in diem tertiū, quia in die Sabbathi prohibitum erat metere Exod. 34. Quę respō
Exode. 34 sio specie quidem probabilis est, quoniā iuxta illam, facile omnia conciliantur. Nō verò satisfacit. Quia id, quod supponit, nulla autoritate, sufficiēti ve ratione nititur. Tum quia licet esset lege prohibitum metere segetes: tamen religionis causa aliquem manipulum metere non erat vetitū etiam in die Sabbathi. Quia non erat opus seruile, sed religionis. Tum etiā quia non videtur necessarium, vt eodem meteretur die. Hoc enim in lege non erat prescriptū, poterat ergo pridie ante Sabbathū meti, & consueto die secundo Azymorū offerri. Quanquam video dici posse, nec sine apparenti ratione, Iudęos fuisse valde superstitiosos in obseruandis huiusmodi cęremonijs, & præsertim in obseruatione diei Sabbathi, atque idcirco plures consuetudines, & traditiones similes introduxisse. Cęterum cùm probari nō possit talis cōsuetudo, à nemine affirmari potest, nisi diuinando, & ideo secunda responsio solidior est.

SECTIO SECVNDA.

Qua hora Christus dominus resurrexerit.

EX dictis in precedenti Sectione vt certū sumere possumus, Christū non A resurrexisse ante dimidiam noctē, Sabbathi. Quia alias resurrectio intra naturalē Sabbathi diē accidisset, atque adeò non esset tertia die facta. Qua propter antiqua Ecclesię traditio fuit, vt Sabbatho sancto fideles non soluerēt ieiunium, neque discederent ab Ecclesia vsque ad dimidiam noctem. Vnde Dionys. Alexād. in Epist. Dion. Ale.
ad Basilidem canon. 1. *contemptores, & intēperantes* appellat eos, qui ante mediā noctē discedebāt: vt cibum caperent. Idē docent omnes Patres statim afferendi, & ex ijs, quę dicemus, à fortiori hoc constabit.

Difficultas ergo est, qua nam hora post mediam noctē Christus dominus resurrexerit. In qua tres inuenio celebres sententias. Prima negat quicquam posse in hoc certo affirmari. Quia Euangelistæ solum referunt, mulieres veniente summo mane ad monumentum inuenisse reuolutum lapidem sepulcri, & vidisse Angelos annun
B tiantes Christum surrexisse, & paulo post vidisse ipsum Christum: de hora verò, in qua surrexerat, nec Christus aliquid reuelauit, neque Angeli annuntiarunt, neque Dio. Ale. Hierony. Theophyl.
Euangelistę scripserunt. Ita sentit Dionysius Alexand. in dicta Epistola, & Hieronym. Epist. 150. ad Hedibiam q. 6. vbi ait, *Surrexisse Dominum, quæ hora voluit, quę nulli mortalium cognita est.* Idem Theophyl. Marci vltimo.

Secunda sententia affirmat, Christum surrexisse prima hora post mediam noctē, seu hora septima noctis iuxta antiquā diuisionem, seu tertia vigilia in principio iuxta aliam partitionem. Hāc sententiam ex Græcis tenent Athanas. lib. de Virgin. *Athanas.*
seu de meditatione in fine. Greg. Nyssen. *Gre. Nyss.*
orat. 1. & 2. de resurrectione, Cyrill. Ale- *Cyr. Ale.*
C xand. lib. 12. in Ioann. cap. 44. Victor An- *Vict. Ant.*
tiochenus in cap. 16. Marci, Euthy. capit. *Euthym.*
68. in Matt. qui dicit, *Omnes vnanimiter sancti Patres, & Doctores tēpus resurrectionis eius fuisse dicunt circa primum gallicinium, quod iam Dominici diei lucem præferebat: ideo quoque post sextam noctis horam virtutis sectatores solute ieiunio lætitiam auspicantur.* Niceph. li. *Nice.*
1. Hist. capit. 31. dixit surrexisse septima, *Hieron?*
vel octaua hora noctis. Ex Latinis docent eandē sententiam Hieron. Epist. nuper ci *Ambros.*
tata, q. 3. & 4. & Ambros. lib. 10. in Lucam *Rupert.*
cap. de hora Dominicę resurrectionis, qui *Iudic. 16.*
solum dicit surrexisse Christum nocte, seu *Gre.*
in noctis profundo. Idem Ruper. li. 1. de diui. offic. c. 8. *Dominus noster media nocte*

de Vir-

de Virgine natus, itidem vt Sãson quondam obsessus ab Allophylis, media nocte, confractis portis inferi, surrexit a mortuis, media nihilominus nocte venturus asseritur. Idem lib. 5. cap. 24. & lib. 7. cap. 16. vbi Samsonis figuram iterum repetit. Quã etiam de resurrectione Christi explicans Greg. hom. 21. in Euangel. dicit, Christum resurrexisse ante lucem: non tamen explicat, qua hora noctis. Fundamentum potissimum prædictorum Patrum sumitur ex verbis illis Matt. vltimo. *Vespere autem sabbathi, quæ lucescit in prima sabbathi, venit Maria Magdalene, &c.* Nam illis verbis dicunt signatam esse â Matthæo horam resurrectionis Dominicæ, vt subiuncta verba declarant, *Et ecce terræmotus factus est magnus, Angelus enim Domini descendit de cælo.* Vt enim notauit Chrysost. homil. 90. in Matt. quando Angelus descendit, iam Christus resurrexerat. Non enim Angelus reuoluit lapidem, vt Christus exiret, sed vt mulieres ingredi possent, & ut omnibus nota esse posset Christi resurrectio. Nam (vt recte dixit Euthym. supra.) *Quemadmodum Christus natus est seruatis integris claustris Virginis, ita quoque resurrexit seruatis integris monumenti signaculis: terræmotus autem factus propter assidentes sepulcro custodes, &c.* Cum ergo Matt. dicit, *Et ecce terræmotus factus est magnus, iam Christus resurrexerat.* Dixit autẽ hoc de illa hora, quam vocauerat *vesperam sabbathi.* Quo certe nomine non potuit appellare aurorã diei Dominici (vt per se constat) neque etiam illam vesperam sabbathi, quæ incipit in occasu solis, quia constat, tunc Christum non resurrexisse: ergo appellauit *vesperam sabbathi* ipsam profundam noctem, quæ iam vergit ad lucem alterius diei, vt significauit Matt. illis verbis. *Quæ lucescit in prima sabbathi*: vnde Hieronym. supra, non existimat esse legendum *vespere*, sed *sero*, vt *sero sabbathi*, dicatur extrema eius pars, quę in media nocte terminatur. Atque idem sentit Ambros. supra. Cui expositioni consonat, quod dicit Ioan. cap. 20. venisse Mariam Magdalenam ad monumentum, *cum adhuc tenebræ essent*, & vidisse lapidem sublatum: iam ergo surrexerat Christus ante lucem diei. Vnde fit coniectura, paulo post mediam noctem Christum surrexisse, quia eo tempore fere hora quarta incipit lucere dies. Et confirmatur hęc sententia ex veteri Ecclesiæ consuetudine. Nam post mediam noctem solebant fideles soluere ieiunium, officiũ Missæ exordiri, & magna signa lætitiæ, & alacritatis exhibere. Centebant ergo ex communi traditione illam esse horam, in qua Christus surrexit. Vnde in benedictione cærei Paschalis, quæ initio illius officij Sabbatho sancto dicitur, & olim post mediam noctem dicebatur, magnis laudibus effertur nox illa, *quæ sola nouit punctum, & horã, in qua Christus ex inferis victor ascendit.*

Matth. 28. Chrysost. Euthym. Hieronym. Ambros. Ioann. 20.

Tertia tamen sententia verior est, iuxta quam dicendum censeo, Christum non resurrexisse vsque ad auroram, surrexisse autem in ipsa aurora paulo post initiũ lucis diei Dominici. Hanc sententiam docuit hic D. Thom. ad tertium, & supra quæstione 51. articul. 4. ad 3. & in 3. distinctione 21. quęstione 2. articulo 2. vbi scholastici, & in distinct. 22. præsertim Bonauentur. Richard. Durand. & Paludan. eam sequuntur, & D. Antonin. 1. par. Histor. titul. 5. capit. 7. vbi dicit, Christum resurrexisse decima hora noctis, iuxta antiquam diuisionem. Guillelmus Durand. in rationali diuin. offic. lib. 6. capit. 72. Et probari potest hæc sententia primo autoritate Ecclesiæ, ac veterum Patrum, qui eam docent. Ex Grecis Ignatius epistol. 5. ad Trallianos, *Illucescente Dominico die resurrexit ex mortuis.* Eusebius libr. 10. de Demonstr. capit. vltimo, ita exponit titulum Psalmi 21. *Pro susceptione matutina*, quem de resurrectione intelligit, quam dicit vocari *matutinam*, quia in ipsa aurora facta est, & Cyril. Ieroso lymitan. cat. 14. ita exponit verba illa Psalmi 29. *Ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lętitia*, id est, *mane in die resurrectionis*: & infra, ad eandem rem accommodat verba illa Psalm. 87. *Et ego ad te Domine, clamaui, & mane oratio mea preueniet te*: & illud Sophoniæ 3. iuxta Septuaginta, *Præparare, consurge diluculo, expecta me: dicit Dominus, in die resurrectionis meæ.* Communior verò est hæc sententia inter Patres Latinos. Hilarius can. 33. in Matth. dicit motum terræ tempore matutino diei accidisse, *resurgente virtutum cœlestium Domino.* Ambros. exponens illa verba Psalm. 45. *Adiuuabit eam Deus mane diluculo*, dicit his verbis significari, *Quia resurrectio matutina adiumentorum nobis cœlestium subsidia confert.*

Hora resurrectionis Christi quæ. D. Thom. Bona. Richard. Durand. Palu. Antonin. Gui. Dur. Igna. Euseb. Psal. 21. Cyr. Iero. Psalm. 29. Psalm. 87 Sophon. 3 Hilar. Ambros. Psal. 45.

fert. Et infra, *Vespere passus est Christus, mane surrexit.* Augustin. sæpe hanc sententiã repetit libr. 4. de Trinitat. capit. 6. & enarratione Psalmi 29. circa illa verba, *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lętitia* (inquit,) *Ideo dominus Iesus Christus in matutino resurrexit de sepulcro, vt quod dedicauit in fundamento, hoc promitteret domui*: & Epist. 49. quæst. vltima, vbi exponit, vermem matutinum, quo rodente, cucurbita exaruit, mystice significasse Christũ, qui *vermis* appellatur Psal. 21. Præterea super Psal. 56. de eodem mysterio exponit verba illa, *xurge gloria mea, exurge Psalterium, & cythara, exurgam diluculo*. Lux (inquit) *agnoscatur, diluculum surrexit.* Et circa illa verba Psal. 58 *Ego autem cantabo fortitudinem tuam, & exaltabo mane misericordiam tuam.* Merito (inquit,) *ipsius Domini resurrectio diluculo fuit, vt impleretur, quod dictum est in alio Psalmo, Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lętitia.* Et Psalm. 129. circa illa verba, *A vigilia matutina vsque ad noctem speret Israel in Domino, Vigilia* (inquit) *matutina resurrexit a mortuis, vt hoc speremus in nobis futurum, quod pręcessit in Domino.* Eandem sententiam docet Leo Papa serm. 1. de resurrect. cuius verba postea referam, & Cyprian. in expositione orationis Dominicæ propè finem, dum inquit, *Mane orandum est, vt resurrectio Domini matutina oratione celebretur.* Et Euseb. Emissenus hom. 8. de Paschate, vbi de hoc mysterio interpretatur figuram Iacob luctantis cum Angelo vsque ad auroram. Et Hieron. Marc. vltimo, Fęlix (inquit,) *irradiat dies, quę primatum in diebus tenet, &c.* quo modo etiam cecinit, Sedulius libr. 4. Carminum.

Cæperat interea post tristia Sabbatha fœlix
Irradiare dies, culmen, qui numinis alti
A Domino dominante trahit, primusque videre
Promeruit nasci mundum, atque resurgere Christum.

Et in eodem sensu dixit Prudẽtius in quodam hymno.

Inde est, quod omnes credimus
Illo quieto tempore,
Quo gallus exultans canit,
Christum rediisse ex inferis,

Vbi loquitur non de primo gallicantu, qui fit post mediam noctem, sed de secundo, de quo idem Prudentius alibi dixerat.

Ales dici nuncius
Lucem propinquam præcinit.

Item Prosper, lib. sententiarum, Augustini in ducentesima tertia, *vespere* (inquit) *Dominus in cruce, mane in resurrectione, meridie in ascensione*, Beda, Marci & Lucæ vltimo, & circa id Matthæ. duodecimo, *Sicut fuit Ionas in ventre ceti*, vbi idem docet Anselmus, & Alcuinus, libr. de diuinis officiis cap. de Paraseue. Denique sententiam hanc videtur Ecclesia probasse in officio resurrectionis. Nam in hymno canit.

Aurora lucis rutilat, & infra
Cum Rex ille fortissimus
Victor surgit de funere.

Secundo, ac precipuè probari potest hęc opinio ex scriptura, ex qua multa adduci possunt ex veteri testamẽto, in quibus hoc indicatum est, qualia sunt multa, quæ ex Psalmis adduximus cum interpretatione Augustini, quæ eodem modo intelligunt Hieronym. Chrysost. & alij Patres. Sed omissis sensibus mysticis scripturæ, videtur hęc sententia expressè tradita Marci. vltimo, illis verbis, *Surgens autem Iesus mane prima Sabbathi, aparuit primo Mariæ Magdalenæ*. Sed hoc testimonium, quanuis expressum videatur, varijs modis eluditur. Theophyl. enim, & Euthy. ita distinguendum putant, *cum surrexisset, mane prima Sabbathi apparuit*, & rationem indicat Theophyl. dicens, *Quis enim vidit, quando surrexit?* Ac si diceret, Euangelistam non potuisse testimonium dare de hora resurrectionis, quia nemo vidit Christum resurgentem: potuisse autẽ dare testimonium, qua hora apparuit, quia eum iam à mortuis excitatum aliqui conspexerunt. Sed in primis hæc ratio valde friuola est. Quia Euangelistæ nõ sunt vsi testimonio merè humano, vnde ab ipso Christo scire potuerunt horam resurrectionis eius, alias neq; potuisset Marcus affirmare, Christũ primò apparuisse Mariæ Magdalenæ, quia neque ipse, nec Maria Magdalena viderunt, eam fuisse primam apparitionẽ. Quomodo enim illis constitit, nõ prius apparuisse alteri? Et de quocunq; cui Christus apparuit, idẽ qnęri potest. Vnde soli Christo potuit esse notum, cui primò apparuit: alijs vero tãtũ ex illius relatione.

Et ita

g. Ioan. 3. — Psalm. 21 — Psalm. 58. — Psal. 129. — Leo Papa. — Cyp. — Euſ. Emi. — Geneſ. 32. — Hieron. — Sedul. — Prudent. — Proſper. — Bed. — Anſelm. — Alcuin. — Aug. — Hieron. — Chryſoſt. — Mar. 16. — Theoph.

Testimonij Mar. 16. Expositio.

Et ita ego existimo, sicut beatæ Virgini simpliciter primò apparuit, ita etiam illi hoc manifestasse, horamque resurrectionis suæ: & ab illa didicisse Petrũ, & à Petro Marcũ. Deinde quanuis ille modus distinguendi contextũ Marci receptus videatur ab antiquis Patribus, Dionys. Alexan. Greg. Nysseno, Hiernymo, & alijs, quos supra retulimus, nec possit euidenti argumento refutari: tamẽ alia distinctio, quam sequuntur Beda, & reliqui expositores, & communis editio tã Græca, quàm Latina, videtur aptior. Quia hoc modo duo mysteria affirmantur hic ab Euangelista, scilicet, quando Christus resurrexit, & cui primò apparuit, quæ maximè oportebat ab Euangelistis describi. Iuxta aliam verò distinctionẽ vtrumque prætermittitur, & incertũ redditur. Quia (vt benè Caiet. notauit) neque constabit primã apparitionẽ post resurrectionẽ factã esse Magdalenę, sed primã, quæ facta est post auroram, si autem Christus surrexit media nocte, potuit alijs sæpius apperere tota illa nocte. Neque etiã ex tota Euangelistarum narratione constare poterit Christũ resurrexisse tertia die, sicut prędixerat: sed excitatũ apparuisse tertia die. Ergo illud aduerbium, *mane*, multò rectius coniungitur cum verbis præcedentibus, *surgens Iesus*.

Dio. Alex. Greg. Nyss. Hieron. Bed.

Caie.

Iansenij. Obiectio.

Nec refert q̃ Iãsen. obijcit c. 145. Cõcordię, in Græco nõ haberi participiũ præsentis tẽporis, *surgens*, sed præteriti tẽporis, q̃ ita interpretatur, *cum surrexisset mane*. Vnde colligit, etiã si illud aduerbium, *mane*, cũ participio coniungatur, nõ satis inde probari, Christũ mane surrexisse: sed solum, quòd cùm mane factum est, iam surrexerat, quod esset verũ, etiamsi media nocte surrexisset. Hæc, inquam, nihil obstant, tum quia vulgatus interpres verum sensum assecutus optime vertit, & huic lectioni standũ est. Tum, quia reuera etiam iuxta textum Græcum, (nisi is alio detorqueatur, & non potius simpliciter explicetur) idem sensus redit. Idcirco nanque dicitur, *Cum surrexisset Dominus mane, apparuit Magdalenæ*, quia sermo est de re prętcrita, quę facta est mane, non quia, cum factum fuit mane iam fuisset prętcrita. Hic enim sensus inusitatus est, & impertinẽs. Quid enim oportuisset referre, tempore matutino iam resurrectionem fuisse factam, si non signabatur tempus, quo facta est?

Responsio

Prior vero sensus est vsitatus, & proprius, & ad historię narrationem maxime pertinens.

Alio tandem modo responderi potest ex Euthym. Marcum quidẽ dicere, Christum surrexisse *mane*, idest, matutino tempore: matutinum autem tempus incipere à media nocte. Quia ex tunc incipit sol ad nos recurrere, nobisque appropinquare. Sed hoc etiam est, contra verborum propriam significationem. Nam *diluculum*, seu *mane*, proprie significat tempus aurorę, quod per horam, & dimidiam, & ad summum per duas horas, durat ab eo tempore, quo incipit clarescere dies, paulo post ortum Luciferi vsque ad ortũ Solis. Et hæc est propria significatio illius vocis, quam corrumpere, & ad alios inusitatos sensus detorquere, est veritati historiæ derogare.

Euthym. Enasio.

Responsio Leon. Pa.

Vltimo possumus rationem adiungere. Quia Christus debuit tertio die resurgere: sed hoc intelligẽdũ est non solũ de die naturali, sed etiã artificiali: ergo nõ debuit resurgere vsq; ad inchoatã auroram Dominici diei. Nã si surrexisset noctu, surrexisset quidem tertia die naturali, quæ inchoatur à duodecima hora noctis: non tamen surrexisset tertio die artificiali, qui incipit in luce diei. Minor propositio, (in qua est difficultas) declaratur ex alijs locis scripturę, in quibus dicitur Christus futurus *in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*. In illis. n. sermo est de diebus artificialibus, cũ à noctibus distinguantur, ergo necesse est Christum fuisse *in corde terræ* tribus diebus artificialibus, vel aliqua parte eorum: vnus autem dies, fuit dies Veneris, in cuius parte vltima mortuus fuit: secundus autem fuit totus dies Sabbathi. Oportuit ergo, vt die Dominica artificiali, vel in aliqua parte illius in sepulcro, & *in corde terræ* fuerit, ergo non debuit resurgere, vsque ad inchoatam diem Dominicam artificialem. De qua ratione dicemus plura in Sectione sequenti. Eam vero colligo ex Leone Pap. serm. 1. de resurrect. illis verbis. *Vnde, ne turbatos discipulorum animos longa mœstitudo cruciaret, denũtiatam tridui moram, tã mira celeritate breuiauit, vt dum ad integrum secundum diem pars primi nouissima, & pars tertij prima concurrit, & ali quantulum temporis spatio decideret, & nihil dierum numero deperiret.*

Ad fundamenta ergo primę sentẽtię ex dictis respondetur, horam resurrectionis

Christi fuisse matutinam ex scripturis col A ligi, vt à nobis declaratum est. Patres vero ibi citati exponi possunt de hora, & puncto indiuisibili resurrectionis Christi, hoc enim modo incognitum est nobis tempus resurrectionis. Nã licet dicamus, Christum surrexisse post inchoatam lucem diei Dominici: ignoramus tamen, quantum temporis illius diei fuisset transactum, quanuis verisimilius sit fuisse ante ortum solis, id est, antequam ipse sol videretur super terram, & paulo post initium auroræ, in qua sol aërem illuminare incipit.

Circa fundamentum secundę sententię, exponenda in primis sunt obscura illa verba Matth. *Vespere autem Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi*. Quorum duplex potest esse expositio. Prima est, vt *vespera Sabbathi* significet tempus vespertinum, quod est ab occasu solis in fine diei Sab- B bathi: hæc enim significatio *vesperæ* propriissima est. Solum potest obstare, quia huiusmodi vespera non lucescit in sequẽti die, qui multum ab ea distat: sed tenebrescit potius in nocte proximè sequenti. Ad hoc vero dicetur, verbum *lucescere* non significare ibi initium diei artificialis, sed initium diei legalis, qui in ordine ad festiuitates à vespera in vesperam computabatur. Itaque sensus erit, in vespera sabbathi, quando festiuitas sabbathi finiebatur, & prima dies post sabbathum illucescebat, idest, incipiebat, *Venit Maria Magdalena*, &c. Quæ expositio illius verbi, *lucescit*, optime confirmatur ex Luc. 23. *Dies erat parasceues, & sabbathum illucescebat*. Loquitur enim ibi Lucas de fine diei parasce- C ues, & initio sabbathi. Dicitur ergo *illucescere sabbathum*, quia iam aduentabat, & incipiebat. Quanuis enim initium huiusmodi diei legalis sumeretur potius in recessu lucis, quàm in eius reditu, seu initio: tamen, quia incipiebat in crepusculo noctis in eius initio, quando lumen aëris nouo quodam modo esse incipit, quàm antea esset in præsentia solis, ideo verbum *illucescendi* translatum est ad significandũ illud crepusculum, quod erat initium diei legalis. Nec refert quod Lucas dicat, *& sabbathum illucescebat*, quod propriè significat initium sabbathi: Matthæus autem dicat, *Quę lucescit in prima sabbathi*, in quo, potius videtur dicere ipsam vesperã sabbathi tunc incepisse, quam diem sequẽtem, quia reuera in idem redit. Nam vespera proprie dicta pro crepusculo noctis simul incipiebat cum sequenti die legali, & è cõtrario, & ideo tam vespera, quam dies dici potest lucescere, cum incipit. Quia tamẽ hæc vespera finis est (vt ita dicam) extrinsecus præcedentis diei, & initium, ac pars sequentis diei legalis, ideo ex præcedenti die tanquã ex termino, à quo dicitur *vespera sabbathi*: ex sequẽti autem die dicitur, *lucescere in prima sabbathi*, id est, in initio eius, vel *in primam sabbathi* (vt habẽt Græca) tanquam in terminum, ad quem tendit illa vespera, legalisque diei initium. Ita exposuit hunc locum Ianſen. cap. 145. Con- *Ianſen.* cord. Et re ipsa eandem expositionem am- *Marce.* plectitur Marcell. cap. 88. de horis canonicis, & nõ nulla de hac re diximus agẽtes de tẽpore mactationis agni paschalis. Et quidem quãum attinet ad præcisam expositionem illorum verborũ, videtur probabilis hęc expositio.

Est tamen difficile explicatu, quomodo in hoc sensu vera sint sequẽtia verba. Ve- *Obiectio.* *nit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulcrũ*. Non enim est verisimile, eas mulieres iuisse ad sepulcrũ in ipso sabbatho, in occasu solis. Quia alij Euangelistę dicunt iuisse in aurora diei Dominicę, & illuc peruenisse orto iam sole. Nec satisfacit, si quis respõdeat cum Hieronymo in Matt. has mulieres crebro iuisse, & redijsse ad sepulcrum, & ita potuisse ire sabbatho in solis occasu, atque iterũ redire postea in aurora diei Dominici, hoc (inquã) non satisfacit. Primò, quia illa sententia Hieronymi (vt infra videbimus) est dubia *Hieron.* & in præsenti non videtur posse accõmodari. Certũ enim est saltim in illis primis verbis Euãgelistas loqui de prima profectione Magdalenæ, & aliarum mulierum ad monumentum, vt ex ipsis verbis constat, & latius infra dicemus. Deinde quia statim Matt. subdit, *Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo*, qui Angelus paulo inferius dixit mulieribus, *surrexit sicut dixit*, & paulo post, dicitur Iesus apparuisse eisdẽ mulieribus. Ex qua serie narrationis aperte cõstat, hęc omnia accidisse in illomet accessu mulierum ad sepulcrum, quem Mat- *Matth.28* thæus narrat. Sed non potuit fieri, vt Angelus, & Christus apparuerint mulieribus in vespera sabbathi prędicto modo explicata. Alioquin surrexisset Christus ante

Testimonij Matth. 28

1. Expositio

Luc. 23.

Vesperam sabbathi lucescere in primam sabbathi quid.

ante noctem, quæ diem Dominicã prę-
cedit, quod hæreticum est. Ad hanc ve-
rõ difficultatem respondet Iansenius, cũ
Responsio Matt. dicit, *Et venit Maria Magdalene, &c.* non esse intelligendum illa vespera venisse ad sepulcrum, sed in ea vespera cepisse præparare aromata, & reliqua necessaria, vt statim oportuno tẽpore iret ad sepulcrum simul cum alijs mulieribus, quæ ab eo tempore simul conuenerunt, vt, cùm tẽpus admonuisset, protinus sepulcrum adirent. Ita vt in illo dicendi modo intelligatur Matth. inuolute referre, quod Marc. cap. 16. clarius explicuit dicens. *Cum transisset Sabbthum, Maria Magdalene, Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum, & valde mane vna Sabbathorum veniunt ad monumentum.* Quod etiã retulit Lucas verbis parum dissimilibus. Iuxta quam expositionem facile constat, locũ illum Matt. nihil fauere secundæ opinioni. Quia vel nimium probaret, scilicet surrexisse Christũ in Sabbatho ad occasum solis, vel (quod verum est) nihil probat. Quia ibi nõ designatur hora, in qua Christus resurrexit: sed in qua mulieres ceperũt pręparare iter ad sepulcrum. Solum illud superest semper in hac expositione difficile, quod valde impropriè exponitur illud verbum, *venit Maria Magdalene, &c.* vt scilicet, dicatur tunc venisse, quia tunc cepit pręparare aromata. Propter ꝙ posset aliquis excogitare, ac dicere, ea quidẽ vespera cepisse mulieres ire, idest, domo exijsse, & iter inchoasse: nõ tamẽ peruenisse vsque ad auroram, vel si noctu peruenerunt ad sepulcrum, illic expectasse, donec lucere ret dies, tunc que accidisse, quod Matth. subiungit, *& ecce terræmotus factus est magnus.* Sed vtrumque horum est perse incredibile, & facile refellitur ex verbis Marci, & Luc. supra citatis, & Ioann. cap. 20. Ex quibus habetur, mulieres non tantum peruenisse, sed venisse etiam summo mane diei Dominici: prius verò solum præparasse aromata, vt postea ad sepulcrum accederent.

Marc. 16.

Luc. 24.

B

C

Ioann. 20.

Secunda expositio pro babilior.

Secunda autem expositio est, vt *vesperam Sabbathi* appellauerit Matt. noctem illã, quæ intercedit inter artificiales dies Sabbathi, & Dominici, quam ab vtroque extremo nuncupauit. Nam à præcedenti die vocat *vesperam Sabbathi*, à die autem sequenti, dicit, *quę luceſcit in prima Sabbathi*. Et iuxta hanc expositionem omnia verba propriſsimè sumuntur. Frequẽs est enim in scriptura, vt tota nox vespere appellatione cõprehẽdatur. Gen. 29, *Vespere Liã filiã suã introduxit adeũ. Lucescere* autẽ propriè dicitur nox, quãdo tenebræ expelli incipiũt, hoc autẽ in nocte Sabbathi tũc fit, quãdo Dominica dies lucere incipit, & ideò propriſsimè dicitur ea vespera lucescere in ea die seu in eam diem. Dicit ergo Matth. in hac vespera, seu in hac nocte veniſſe mulieres, quia in ea ceperunt ire ad monumentum, non tamẽ declarat, in qua parte illius noctis venerint. Voluntarie ergo exponitur, veniſſe intẽpesta nocte, potius quàm ineunte, vel certe exeunte. Nam ex vi illius verbi perse sumpti nihil horum affirmari potest. Quia, quod fit in aliqua parte noctis, dici potest absolute fieri in ea nocte, siue fiat in initio, siue in medio, siue in eius fine. Quanquam autem ex solis verbis Matth. nihil horum colligatur: tamen ex alijs Euangeliſtis aperte constat, hunc accessum mulierum fuisse in fine illius noctis instante iam die. Quod patet ex verbis Ioannis cap. 20. dicentis. *Vna autem Sabbathi venit mane, cum adhuc tenebrę eſſent, ad monumentum.* Nam ex illis verbis, *adhuc tenebræ eſſent*, constat, adhuc durasse tẽpus noctis: cùm verò dicit, *mane*, satis declarat illud tempus noctis fuisse proximum auroręquãdo iam nox incipit deficere in diei crepusculo. Et fortasse ad hoc etiam significandum addidit Matt. illa verba. *Quæ luceſcit in prima Sabbati*. Quia nimirũ id ꝙ narrare aggrediebatur, tunc accidit, quãdo dies lucescere incipiebat. Hæc expositio, vt posita est, conformis est Auguſt. & probabilis. Obijci verò cõtra illã potest, quia in Matthæo non habetur nomen *vespera*, sed aduerbium *vespere*, Græcè ὀψὲ, Nõ ergo pro nocte sumi, nec relatiuum illud, *quæ*, vesperam, seu noctem potest referre. Prẽter quàm quôd rarò, aut nunquam *vespera* in scriptura noctem significat: sed pomeridianum diei tempus. Quare non displicet (quod supra ex Hieronymo, Ambrosioq; retulimus) *vespere* hoc loco idẽ esse, quod *sero*, & significare extremam partem Sabbathi. Ita tamen, vt per *Sabbathum* integrum naturalem diem intelligamus: qui (vt aliqui volunt,) vel computabatur olim ab aurora vsque ad finem noctis sequentis, quoad communem vsum, quem Matthæus seruauit, vel certe ratione vnius partis sumptum est ves-

Ioann. 20.

Aug.

pere pro tota illa nocte, & ita idem redit sensus.

Ex quo non solum expeditur fundamentum prædictæ sententiæ, sed etiam intelligitur optimè concordia omnium Euangelistarum, quod attinet ad hanc primã partem narrationis huius historiæ dominicæ resurrectionis. Nam de Matt. & Ioanne iam diximus, idẽ verò est, quod Lucas ait, *Valde diluculo.* Marcus verò etiã dicit, *Valde mane*, subiungit vero statim, *orto iam sole.* Quod dupliciter intelligi potest. Primo, quod mulieres summo mane, cum adhuc essent tenebræ, egressæ fuerint, vt irent ad monumentum: peruenerint autem ad illud *orto iam sole*, id est, cùm ipsum corpus solare iam supra horizontẽ ascenderet, vt exponit Dionysius Alexand. supra. Vel aliter, cum Aug. Theophylac. Euthim. vt sol dicatur oriri, cùm incipit illuminare terram, etiam si supra horizontem non appareat. Quæ expositio, sicut communior est, ita videtur probabilior. Quia Ioãnes dicit mulieres venisse ad monumentum, *cum adhuc tenebræ essent*. Et quãuis non oporteat, illuc peruenisse durãtibus tenebris, maximè cum statim dicat idem Ioannes, eas vidisse lapidem sublatum, quod non poterat fieri sine luce diei: tamen etiam non est verisimile, moratas fuisse in eo itinere vsque ad ascensum solis supra horizontem, nimirum tempore duarum horarum. Dicitur ergo, peruenisse *orto iam sole*, quia claritas eius sufficienter aërem illuminabat, quod facilius intelligetur, si cum Aug. legamus, *Oriente iam sole*, quam lectionem Græcus aoristus optimè admittit. Hoc autem Marcus disertè explicuit, vt significaret, fuisse illud tempus aptissimum, vt sine errore possent clarè conspicere omnia, quæ in monumẽto Dñi mulieres viderũt. Nisi quis velit dicere cum Petro Chrysologo serm. 82. *Solem, qui præter horam, vt Domino cõpateretur, abscessérat, claritate, cum resurgeret Dominus, ante tempus occurrisse: & qui, vt suo commoreretur autori, suam meridianam mortificauerat claritatem, vt consurgeret autori suo, cuius tenebris ante lucanum erupisse.* Sed hæc secundum quandam exaggerationẽ, & amplificationem rhetorum, potius quã secundum historiæ veritatem, dicta videntur. Assignata ergo expositio solida est. Et tota consentanea D. Thom. hic ad 3. & infra quæst. 83. artic. 2. ad 4. quã sumpsit ex Aug. lib. 3. de consensu Euang. cap. 24. & eãdem sequuntur Beda, Anselm. & alij in Matth. Theophyl. etiam & Græci nobiscum in hoc conueniunt, quod per *vesperam* intelligunt noctem Sabbathi, licet in hora designanda discrepent.

Luce. 24. Mar. 16. Dion. Ale. — Aug. Theophyl. Euthym. — D. Thom. Aug. — Beda Anselm. Theo.

Iansenius verò supra, nonnulla obiicit contra expositionem Augustini, quæ parui momenti mihi videntur. Præcipuum est, quia vespera Sabbathi ad Sabbathum pertinebat, tanquam pars eius. Ideo enim *vespera Sabbathi* appellabatur. Ergo non potest propriè explicari de nocte sequenti, sed de fine ipsius diei Sabbathi. Respondetur, quod Sabbathũ, licet quoad obseruationem legalem finiretur in occasu solis: tamen naturali (vt ita dicam) duratione, atque adeo communi loquendi modo protenditur vsque ad dimidiam noctem, & ideo tota illa nox prorisime dicitur *nox Sabbathi*, seu *vespera Sabbathi*. Sicut Exod. 12. vespera, in qua Iudæi comedebant agnum, dicitur vespera decimæ quartæ lunæ, quia secundum computationem naturalium dierum, ad eam pertinebat, quanuis iuxta computationem legalem spectaret, ad decimum quintum diem. Quanuis autem ea pars noctis, quæ est à media nocte vsque ad diluculum, iam non pertineat ad naturalem diem Sabbathi: tamen quia continuè succedit priori parti noctis, & vnam noctem cum illa componit, ideo tota illa nox per modum vnius attribui potest præcedenti diei, quanuis interdum illa pars noctis applicetur diei sequenti, quatenus cum eo componit vnum diem naturalem, cuius initium à media nocte sumitur. Notat autem Augustinus, Matthæum nominasse hanc vesperam a Sabbatho præcedẽti, vt indicaret tẽpus, in quo, & ex quo licuit mulieribus præparare aromata, aliaque necessaria disponere, vt irẽt ad monumentum. Vnde facile constat in re, & in sensu, parum differre hanc expositionem à prima, solumque esse discrimen in vnius, vel alterius vocis interpretatione.

Obiectio. — Responsio

Ad aliud fundamentum sumptum ex Ecclesiæ consuetudine respondetur breuiter, fideles Sabbatho sancto vsque ad mediam noctẽ ieiunare solitos, quia totus ille dies tristitiæ, ac mortis est, quia in toto illo Christus non resurrexit: solui autem posse ieiunium à media nocte, non quia in illa hora Christus resurrexerit, sed quia paulo post intra illum naturalem diem re-

Nox ante resurrectionis diem celebris olim, ac festiua cur.

resurrexit, propter quod totus ille dies festiuus habetur, cuius festiuitas â media, nocte cõputatur. Quod autem hæc consuetudo non fuerit introducta, eò quòd existimarẽt fideles, Christum hora duodecima noctis surrexisse, patet, tum ex eo, quod Dionys. Alexandrinus supra refert, multos solitos esse perseuerare in ieiunio, & vigilia vsque ad quartam noctis vigiliam: tum etiam ex eo, quòd Missa Paschalis, & cantica lętitiæ, vt *Gloria*, *Alleluia* non solebant in Ecclesia cantari vsque ad diluculum, vel propè. Quod verò Ecclesia in officio Sabbathi sancti, noctem illam magnis efferat præconijs, non ideo est, quòd Christus media nocte surrexerit: sed quia in fine illius noctis, cùm adhuc aliqua ex parte duraret, Christus reuixit. Illud.n. primũ diei crepusculũ *nox* appellari põt (vt D.Th. supra notauit,) quia nondum sunt omnino expulsæ tenebræ, quanuis iã sol lucere incipiat.

Dio. Ale.

D. Thom.

SECTIO TERTIA.

Quot fuerint transactæ horæ a morte Christi, vsque ad resurrectionem, atque adeo quomodo Christus tribus diebus, ac noctibus mortuus iacuerit.

PRoponimus hęc duo simul tractanda, quia interse cõnexa sunt. Prior igitur pars facile ex præcedẽti quæstione definiri potest.

Horæ a morte Christi vsque ad resurrectionem elapsę quot, Aug. Bed. Anselm.

Dicendum est enim à morte Christi vsque ad resurrectionem ferè quadraginta horas intercessisse, quib⁹ anima eius fuit in inferno, (vt supra dictum est) corpus vero ferè triginta sex horis iacuit in sepulcro. Tota hæc assertio ex communi sensu, & traditione Ecclesię haberi potest, & traditur ab Aug. in dialogo ad Orosium 65. quæstionum, q.26. & alijs locis superius citatis, quem sequuntur Beda Matt.12. & Marc. & Luc.vlt. & Anselm. super Matt. c.12. & vlt. Et explicatur ex dictis. Quia Christus mortuus est hora nona diei ferię sextæ: resurrexit autem in aurora diei Dominicę, idest, vel duodecima hora noctis præcedentis, vel prope illam, quia in ortu solis finitur, ergo â morte vsque ad resurrectionem interceserũt quadraginta horæ, nimirum quatuor diei parasceues, & duodecim primæ noctis sequentis, & aliæ duodecim diei Sabbathi, & aliæ duodecim noctis Sabbathi, quæ omnes quadraginta efficiunt. Ex quibus quatuor primæ partim in cruce post mortem elapsę, partim in funere curando consumptæ sunt, reliquis vero triginta sex iacuit in sepulcro secundum corpus: secundùm animam autem, (quæ statim post separationem á corpore descendit in infernum, & inde non exijt, donec ascendit, vt suo corpori vniretur,) omnibus quadraginta horis mã sit *in corde terræ*.

Est autem circa hoc obseruandum, in his horis computandas esse duas extremas, in quibus mors, & resurrectio factę sunt, vt constabit facile computando numerum prædictarũ horarũ, ex quo necessario sequitur, has horas quadraginta non fuisse integras. Quia (vt supra vidimus,) Christus mortuus est inchota iã hora nona, illa ergo pars huius horæ, quę pertrãsijt ante mortẽ Christi, de fuit in primis huic tẽpori quadraginta horarũ. Rursus duodecima hora noctis Sabbathi, quæ est quadragesima in prædicto numero, finitur in ortu solis, idest, in ascẽsu corporis solaris supra nostrũ horizontẽ, præsertim cũ esset tunc tẽpus æquinoctij, in quo dies artificialis ab ortu ad occasum solis est ęqualis nocti ab occasu ad ortũ. Certũ est aũt ex dictis, Christũ resurrexisse aliquãto tẽpore ante ortũ solis, prędicto rigoroso modo explicatũ, ergo illud etiã tẽpus, quod fuit à resurrectione Christi vsque ad egressum solis, defuit huic tẽpori quadraginta horarũ. Vnde vlterius mihi incertũ redditur, an resurrectio Christi attigerit quadragesimã horã, vel tãtum trigesimã nonã. Quia aurora diei albescere incipit per horã, & dimidiã ante ascensum solis supra horizõtem, ergo quãuis Christus surrexerit post aduentũ auroręresurgere potuit currente hora vndecima noctis Sabbathi, atque adeò in trigesima nona hora á morte sua. Quod et â fit verisimile ex dictis, & exmodo loquẽdi euãgelistarũ. Et ppter hãc incertitudinẽ addidi in cõclusione particulã illã, *fere*, quę ita diminuit, vt veritas assertionis stare possit, etiãsi illæ horæ tantum fuerint triginta nouem. Quanquam quia proprium, & indiuisibile tempus resurrectionis nobis incertum est, & alioqui cõstat testimonia resurrectionis cępisse videri paulo ante ortum solis supra nostrũ hemisphærium, morali modo loquendo de rebus, prout in hominũ notitiam cadunt, rectè computatur illud tempus vsque ad

vltimam horam ante ortum solis inclusinè,& ita recte numerantur quadraginta horæ. Ex quibus aperte refellitur eorũ opinio, qui hunc numerum horarum auge re tentarunt,dicentes Christum septuaginta duabus horis defunctum iacuisse . De quorum opinione supra in prima sectione dictum est. Et hęc de priori parte huius quæstionis.

Circa secundam partem simpliciter dicendum est,Christum fuisse in corde terræ tribus diebus,& tribus noctibus: siue hoc exponatur ratione animę existentis illis diebus in inferno,vt Patres frequentius exponunt, quos supra retulimus disputantes de descensu Christi ad inferos: siue ratione corporis iacentis in sepulcro, vt exponunt Chrys.hom.44.in Matt. & Euthym.c. 23. Neutra enim expositio ad prędens refert , quanuis prior cõmodior sit,vt in superioribus dixi. Assertio ergo posita est de fide. Quia sub eisdem verbis habetur expressè Matt.12.vbi etiam prędigurata dicitur hæc veritas in Iona, *qui fuit in ventre piscis tribus diebus,& tribus noctibus*. Quam prophetiam eleganter tractat Irenæus lib.3.contra hæreses cap.22.& li. 5.cap.5.

Tribus diebus,& tribus noctibus in corde terræ Christus fuit.

Chrysost. Euthym.

Matth.12. Ioan.2. Irenæ.

Difficultas autem magna est in explicãdis his tribus diebus , & tribus noctibus. Quia quadraginta horæ , quibus tantum diximus,Christum iacuisse mortuum, nõ videntur tot dies,ac noctes posse confice re . Quæ ratio mouit eos, qui septuaginta duas horas huic triduo tribuerunt,quorum sententia satis reiecta est. Alios verò compulit,vt dicerent re vera Christum nõ fuisse in corde terræ tribus diebus,& tribus noctibus. Quod ita aperte docet Euthym.cap.68.in Matt.Dicit enim tres illas noctes fuisse implendas in nocte diei Dominicæ,in qua Christus resurgere cõstituerat:breuiasse tamen tẽpus illud, quia Iudæi decreuerant non custodire sepulcrum,nisi vsque ad occasum solis diei Dominicæ.Oportuit autem ipsum resurgere antequam custodes sepulcri tollerentur, vt omnis Iudæorum contradictio , & tergiuersatio excluderetur.Quod si obijcias hoc modo falsam reddi Christi sentẽtiã. Respondet non esse falsam. Nam qui implet promissum ante tempus, quod designauerat,non est infidelis,sed liberalis.Sed hoc non satisfacit, quia saltem prophetia esset falsa,qua simpliciter prædictum est,

Euthym.

A Christum futurum *in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*. Nisi fortasse dicat, non fuisse absolutam prophetiam , sed cõditionatam. Quod est contra omnium Patrum intelligentiam , & contra figuram, quæ in Iona pręcessit. Item , quia si vera est illa interpretatio : non fuisset necessarium ad veritatem verborum Christi, expectare tertium diem,quod absurdissimũ est. Deinde ,vnde nouit Euthym. decreuisse Iudęos tollere custodiam militũ ante noctem diei Dominici? Nam licet dixerint Pilato,*iube custodiri sepulcrum vsque in diem tertium*, tamen illa nox recte poterat in tertio die computari , cùm primus incepisset in nocte, quæ Sabbathum antecessit , & verisimilius est,Iudęos,vt maiorem cautionem adhiberent , voluisse custodire sepulcrum vsque ad tres naturales dies integros . Denique ,si verum fuisset Iudæos hoc decreuisse , & ea ratione expediens futurum erat, vt Christus antea resurgeret , cur non potius dicemus Deũ omnia pręsciẽtem prædefiniisse resurrectionem tali tempore futuram ? Dicere enim prius cõstitutum esse vnum tempus: postea verò breuiatum , & vix potest intelligi sine mutatione,& est gratis,& sine fundamento confictum. Suppositа ergo infallibili veritate prædictionis Christi, Patres varijs modis difficultatem hãc expedire conati sunt. Primus est , Gregorij Nysseni orat.1.& 2.de surrectione,qui dicit hoc tres dies computandos esse à nocte cœnæ,in qua Christus sacrificauit seipsum in mysterio. *Nam ex tunc*(inquit) *anima illic erat , vbi eam potestas administrantis collocarat,cum immixta sibi diuina virtute in loco illo terræ cordis obuersans.* Sed (vt alia omittam,) cùm hęc sententia metaphorice & improprie interpretetur verba Christi, non est admittenda. Quomodo enim intelligitur Christus in nocte cœnæ fuisse *in corde terræ* per Eucharistiam, nisi fortasse, quia fuit in hominũ visceribus,quod est valde metaphoricum,& contra vim verborum? Nam cùm Christus dicit se futurum *in corde terræ tribus noctibus*, loquitur vno,& eodem modo de omnibus illis diebus,ergo non est dicendum fuisse in vno per metaphoram,in altero per proprietatem.Denique dies parasceues,quæ secuta est noctem cœnæ, numeratur iuxta hanc sententiam inter hos tres dies , & dicitur fuisse primus illorum.Inquiro ergo quomodo

B

C

Greg.Nyss.

modo illo die fuit Christus *in corde terræ*? Certè tunc nec per sacramentum, nec metaphoricè fuit *in corde terræ*.

Secundus modus numerat etiam hos tres dies à nocte cœnæ, seu ab hora comprehensionis Christi. Quia ex tunc dici potest fuisse occisus, & *in corde terræ*, quia ex tunc captus est, vt occideretur, & tradi tus potestati, ac desiderio Iudæorum, ac Dæmonũ, iuxta illud, *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarũ*. Itaq; dicitur Christus
Lucæ. 22. tribus diebus fuisse *in corde terræ*, quia tribus diebus, ac noctibus fuit subiectus, & traditus potestati, ac desiderio cordis Iudæorum, qui erant veluti terra arida, & spi
Anselm. nosa. Hanc sententiã refert Ansel. Matth. 12. quam quidem non improbat, neque etiam vt literalem approbat, sed post literalem, vt mysticam tradit. Habetur tamẽ illa expositio, & reliquis omnibus præfer tur in Homilijs, quæ circunferuntur no
Euse. Emi. mine Eusebij Emisseni, homilia ferię quar
Aug. tæ post Dominicam primã Quadragesi-
Caie. mę, insinuatur etiã in lib. qui Aug. tribuitur, quæstionũ veter. & non. testam. quæs tione. 64., & eam videtur probare Caiet. Mat. 12. Nullo tamen modo probãda est. Primo quidem propter rationes factas cõ tra primam opinionem, tollit enim veritatẽ historiæ, & ad metaphoras confugit. Secundo quia etiã in illo sensu tantũ per synecdochem totum à parte numerãdo, numerum harum dierum, & noctium explicat, hoc autem modo potest idem numerus dierum absq; metaphora exponi, vt videbimus. Et eisdem rationibus reijcitur aliorum sententia, qui, licet dicãt hos dies numerandos esse ab hora sepulturæ Christi, aiunt tamẽ terminari in nocte Dominicæ resurrectionis, qua Christus appa ruit discipulis ianuis clausis. Quia licet Christus antea surrexisset, tamen nondũ resurrectio eius faerat satis manifesta, vnde iuxta hominum existimationẽ, adhuc manebat *in corde terræ*. Iuxta quam expositionem Christus non vere, sed hominũ falsa existimatione fuit *tribus diebus, ac tribus noctibus in corde terræ*, quod est cõtra ve ritatem verborum Christi. Præterea, vel est sermo de aliquibus discipulis, vel de omnibus: si de aliquibus, non latuit eos resurrectio tãto tẽpore: summo enim mane manifestata est mulieribus, Petro, & alijs. Nam licet nõ omnes eo die viderint Chri stũ ante illã apparitionem, quæ facta est A ianuis clausis: aliqui tamen conspexerunt: alij vero habuerunt sufficientia signa resurrectionis. Si aũt sermo sit de omnibus, dici posset Christus multis diebus fuisse in corde terræ, quia neq; apparuit omnibus illo die, neque multos post dies fuit credita resurrectio ob omnibus.

Quarto alij numerant hos dies ab hora crucifixionis Christi, primam tamẽ noctem appellãt illas tres horas tenebrarum, quæ factæ sunt, Christo in cruce pendente. Ita refert Hieronymus Ionæ. 2. non tamen approbat. Gregor. autem Nyssen. di
Hieron. Gre. Niss. Hilar. Theophyl. Aug. cta oratione 1. hunc etiã modum amplectitur, & coniungit suæ interpretationi, eũdẽ sequitur Hilar. can. vlt. in Matt. Theo phy. Matt. 28. Sed (vt rectè notauit Aug. lib. 3. de consensu Euang. cap. 24.) hæc in B terpretatio non est legitima. Tũ quia improprie appellatur nox illud tenebrarum tempus, cùm sol reuera esset in nostro he misphęrio, quanuis non luceret. Tum ma ximè quia eo tempore Christus viuebat. Vnde non solum non erat in corde terræ, sed neque etiam in terra, sed potius in aère, cùm esset adhuc de cruce pẽdens. Adde etiam iuxta hanc sententiam non vitari synecdochem, qua posita non est necessaria alia mystica interpretatio.

Dicendum est ergo, harum trium dierũ, noctiumque computationem ab hora mortis, vel sepulturæ esse ad horam resurrectionis vsque sumẽdã. Quod satis probatum est ex aliarum opinionũ improbatione. Vnde fit, nõ posse intelligi has tres noctes, diesque de integris, neque naturalibus, vt ratio dubitandi supra facta con
C uincit: intelligendi ergo sunt per synec- *Tribus die*
dochem à parte totum numerando, qui *bus in cor-*
modus loquendi frequentissimus est tam *de terræ*
in scripturis, quàm in alijs autoribus. Et *Christus*
hoc modo benè possunt tres dies in qua- *fuisse quo-*
draginta, vel etiam in triginta sex horis *modo per-*
comprehendi, nimirũ vt dies intermedius *hibitur.*
sit integer: extremi verò secundum par- Hieron.
tes. Atque in hunc modum expedit hanc Beda.
difficultatem Hieron. Ionæ. 2. & Matth. *Anselmus.*
12. & ibi Beda, Anselm. & frequẽtius ex- *Aug.*
positores, Aug. frequenter lib. 3. de consens. Euang. cap. 24. lib. 1. quæstionum Euangeliorũ. q. 7. & lib. 3. de Doct. Christian. cap. 35. & alijs locis supra citatis, Cas- *Cassian.*
sian. lib. 6. de Incarn. cap. vlt. Beda in homilia feriæ quartæ post primam Domini cã Quadragesimæ. Et indicat haud obscurẽ Igna-

Ignat. D. Thom. Alens.

rê Ignatius Epist. 5. ad Trallianos D. Th. supra q. 51. ar. 4. ad 1. & in 3. d. 21. q. 2. arti. 2. ad 5. & in eodem loco alij Theologi: alij verò d. 22. Alexand. Alens. 3. p. q. 20. mem. 1. ar. 3.

Dubium.

Sed in hac sententia vnum superest explicandum, quomodo scilicet hæc figura synecdoche possit tribus noctibus applicari. Nam de tribus diebus res est facilis. Quia Christus in parte diei ferię sextę mortuus est, & sepultus, & etiam in parte diei Dominicę. Quia (vt vidimus) post inchoatam diei lucem resurrexit. At verò in noctibus non ita apparet, quia duabus tantum noctibus integris fuit in inferno, & mansit in sepulcro. Ad hoc tres inuenio dicendi modos. Primus est, non oportere singulis diebus, ac noctibus artificialibus partem aliquam accommodare: sed per tres dies, ac noctes intelligi tres dies naturales, atque ita in quacunque parte diei intelligi per synecdochem totum diē naturalem, & consequenter diem, & noctem. Et hunc modū indicant Aug. D. Th. & alij. Sed certè, cùm Christus distinctè loquutus sit de diebus, ac noctibus, singula verificari oportet, (si fieri potest) alioqui non fuisset tam propria locutio. Sicut non propriè diceretur Christus fuisse in sepulcro septuaginta duabus horis, eò quód illæ componant tres dies naturales, in quibus saltem secundū partem Christus fuit in sepulcro.

Aug. D. Thom.

Secunda expositio est, noctem, quæ est inter Sabbathum, & Dominicam bis cōputari, & pro duabus accipi, nimirum semel, tanquam noctem Sabbathi pręcedētis, & iterum, vt principium Dominicæ sequentis. Hanc refert, & cōmendat Marcellus de horis canon. cap. 45. in fine, & 48. in principio: eamque explicat ex doctrina Patrum dicētium, á die resurrectionis Christi mutatum esse modum metiendi naturalem diem. Olim enim computabatur à principio diei artificialis vsque ad finem noctis, ad significandum statum hominis lapsi, qui ex luce iustitiæ in noctem peccati ceciderat: post Christi vero resurrectionem cæpit computari dies ab initio noctis vsque ad diem integrum, ad designandum statum redemptionis, in quo á nocte peccati ad lucem gratiæ reducimur. Et ideo illa ultima nox Sabbathi semel cōputatur, vt finis tēporis præcedentis, & iterū, vt initiū sequentis status gratię, qui in

Marcel.

A Christi resurrectione exordiū sumpsit, vt D. Th. in hoc ar. dixit. Hęc verò expositio mihi videtur valde mystica. Nam illa mutatio, quæ facta dicitur in cōputatione dierū, ad summū esse potest in modo metiendi, vel numerndi dies, quo vtūtur homines, qui extrinsece se habet ad tēporis durationem, & successionem, & illam nō auget, neque mutat. Christus aūt dñs loquutus est de numero dierū, ac noctium, prout sunt in tēporis duratione, sibique succedunt.

D. Thom.

Tertia ergo, & facilis, ac literalis expositio mihi esse videtur, vnā noctem vnius diei naturalis nō esse totā noctē cōtinuā, quæ est ab occasu solis vsque ad ortū, sed duas complectipartes noctis, inter quas artificialis dies cōtinetur, quarū altera incipit â media nocte vsque ad ortū solis, altera vero ab occasu solis vsque ad mediam B noctē. Dies. n. naturalis â media nocte incipit, & ad mediā vsq; noctē terminatur, vt cōstat ex cōmuni modo loquendi de naturalibus diebus. Propter ꝙ cœna, quæ fit post mediā noctē ad sequentē diē spectat, & nō ad præcedentē, & idē est de alijs actionibus. Quod notauit Caiet. Luc. 2. vbi ex illo verbo, *Quia natus est hodie Saluator*, colligit, Christū natū fuisse post mediā noctē, & similiter, quia agnus Paschalis occidendus erat luna decimaquarta, inde supra collegimus fuisse occidendū ante duodecimā horā noctis. Et eadē ratione Euangelistæ vocant diē illū primū Azymorū, vt supra vidimus, & Ecclesia institutionē Eucharistiæ cōputat factā die Iouis. Quia licet facta fuerit noctu: fuit tñ facta ante mediā noctē. E contrario verò natiuitatē celebrat vigesima quinta Decēbris. Quia licet acciderit in nocte, quę sequitur post vigesimā quartam, tñ à media nocte facta est. Propria ergo, & quasi naturalis, & maxime vsualis distinctio, & cōputatio dierū naturaliū, à media nocte in mediā noctē intelligēda est. Vt significauit etiā D. Th. supra q. 46. ar. 9. ad 1. Et ratio etiā adiungi potest. Quia, cùm dies cōstitui cēsatur ex pręsentia solis: tunc meritò censetur naturalis dies incipere, quādo incipit sol ad nos redire, & appropinquare: incipit aūt à media nocte, & vsque ad mediū sequentis noctis procedit: vna ergo nox vnius diei naturalis prędicto modo cōputanda est. Vnde fit, primū diē, ac primā noctē mortis, & sepulturę Christi durasse

Christum tribus noctibus iacuisse mortuum quomodo verum.

Caie. Luc. 2.

C

D. Thom.

duraſſe ab hora nona diei paraſceues vſq; ad horam ſextam noctis, ſeu (more loquẽ di vſitato) ab hora quinta poſt veſperam vſque ad duodecimam horam noctis: ſecundam verò diem, & noctem fuiſſe integram à duodecima hora noctis paraſceues vſque ad duodecimam horam noctis Sabbathi, tertiam vero noctem, & diem numerari à duodecima hora noctis Sabbathi vſque ad auroram diei Dominici. Et ita in vtroque extremo accipitur pars diei, & pars noctis, & recte per ſynecdochem verificantur tres dies, & tres noctes. Et hoc etiã modo optime conſiderari poteſt myſterium, quod præcedens ſententia contẽplabatur. Quia primus horum dierum cẽpit in die, & terminatus fuit in nocte: vltimus vero orſus à nocte eſt, & terminatus in die. Et ita hæc expoſitio non eſt contraria ſententiæ Auguſt. ſed quædam maior explicatio eius. Atque hunc etiam in modum intelligendus eſt Leo Papa, in quibuſdam verbis, quæ ſupra citauimus ex ſerm. 1. de Reſurrection. vbi inquit, *Nihil de dierum numero deperiiſſe, dum ad integrum ſecundum diem pars primi nouiſsima, & pars tertij prima concurrit.* Quæ fere verba vſurpans Anſelm. Matthæ. 12. iuxta prædictum ſenſum illa explicat. *Nam primus* (inquit) *dies a parte extrema annumeratus eſt: dies vero tertius a parte prima.* Explicans verò has partes addit, *Sextæ quidem feriæ diei partem, in qua ſepultus eſt, cum parte noctis, pro nocte, & die accipiens, Sabbthum cum nocte & die, noctem Dominicam cum eadem die illuce ſcẽte pro toto ſimiliter accipiens, habes triduum, & tres noctes.* Et eandem ſententiam late explicat Iſidorus Peleuſiota Epiſt. 144 & Epiſt. 212. quem refert Cęſar Baronius tomo. 1. Annal. anno 34.

Leo Papa.

Anſelm.

Iſid. Pele. Ceſ. Barõ

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm Chriſtus primo reſurrexerit.

299 4. di. 42. a. 3. q. 1. ad 3 Et op. 3. c. 243. 246 & 247. ſi. & 1. Co. 15.

AD tertium ſic proceditur. *Videtur, quòd Chriſtus non primo reſurrexerit. Nã in veteri Teſtamento per Heliam, & Heliſæum aliqui reſuſcitati leguntur: ſecundum illud Hebræor. 11. Acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos. Similiter & Chriſtus ante paſſionem ſuam tres mortuos ſuſcitauit, non ergo Chriſtus fuit primus reſurgentium.*

A

le. 3. in pri. & ad Col. 1. le. 5.

¶ 2. *Præterea, Matth. 27. inter alia miracula, quæ in paſsione Chriſti acciderunt, narratur, quod monumenta aperta ſunt: & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt. Non ergo, Chriſtus fuit primus reſugentium.*

¶ 3. *Præterea, Sicut Chriſtus per ſuam reſurrectionem eſt cauſa noſtræ reſurrectionis: ita per ſuam gratiam eſt cauſa noſtræ gratiæ: ſecundum illud Ioan. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus. Sed alij priùs tempore gratiam habuerunt, quam Chriſtus: ſicut omnes Patres veteris Teſtamenti. Ergo etiam aliqui prius ad reſurrectionem corporalem peruenerunt, quàm Chriſtus.* ¶ *Sed contra eſt, quod dicitur. 1. ad Corinth. 15. Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium. Gloſ. Quia prius tempore, & dignitate ſurrexit.*

B

glo. interli. ibid.

¶ *Reſpondeo dicendum, quòd reſurrectio eſt reparatio à morte in vitam. Dupliciter autem aliquis eripitur à morte. Vno modo ſolùm à morte in actu, vt ſcilicet aliquis viuere incipiat qualitercunque, poſt quam mortuus fuerat. Alio modo, vt aliquis liberetur non ſolum a morte, ſed etiam a neceſsitate: & quod plus eſt, a poſsibilitate moriendi. Et hæc eſt vera & perfecta reſurrectio: quia quãdiu aliquis viuit ſubiectus neceſsitati moriendi, quodam modo mors ei dominatur: ſecundum illud Roman. 8. Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum. Illud etiam quod poſsibile eſt eſſe, ſecundum quid dicitur eſſe, ideſt, potentialiter. Et ſic patet, quòd illa reſurrectio, qua quis eripitur ſolùm ab actuali morte, eſt reſurrectio imperfecta. Loquendo igitur de reſurrectione perfecta, Chriſtus eſt primus reſurgentium: quia ipſe reſurgendo, primò peruenit ad vitam*

C

penitus

penitus immortalem, secundum illud Roman. 6. Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur. Sed resurrectione imperfecta, quidam alij surrexerunt ante Christũ, ad præmonstrandũ quasi in quodam signo resurrectionẽ ipsius. ¶ Et sic patet responsio ad primũ: quia & isti qui suscitati in Veteri Testamẽto sunt, & illi qui suscitati sunt à Christo, sic redierunt ad vitam, vt iterũ morerentur. ¶ Ad secundum dicendum, quòd de illis qui resurrexerunt cũ Christo, duplex est opinio: quidam enim asserũt, quòd redierunt ad vitam tãquam non iterum morituri: quoniam magis illis esset tormentũ si iterum morerentur, quàm si non resurgerent. Et secundum hoc intelligendum erit, sicut Hieron. dicit super Matthæ. quòd non ante surrexerunt, quàm resurgeret Dominus, vnde & Euangelista dicit, quòd exeuntes de monumentis, post resurrectionem eius venerunt in sanctã ciuitatem, & apparuerunt multis. Sed Aug. in Epistola ad Euodiũ hanc opinionem cõmemorans dicit. Scio quibusdam videri morte domini Christi iam talem resurrectionem præstitam Iustis, qualis nobis in fine promittitur. Qui si non iterum repositis corporibus dormierunt, videndum est, quomodo intelligatur Christus primogenitus à mortuis, si eum in illa resurrectione tot præcesserunt. Quod si respondetur, hoc esse dictum per anticipationem, vt monumenta illo terræ motu aperta intelligantur, cùm Christus in cruce penderet, resurrexisse autem Iustorũ corpora non tunc, sed cùm ille prior resurrexisset: illud adhuc restat quod moueat, quomodo Petrus non de Dauid, sed de Christo asseruit fuisse prædictum, carnem eius non vidisse corruptionem, per hoc quòd apud eos erat monumentũ Dauid: & sic illos non conuincebat, si corpus Dauid ibi iam non erat: quia etsi antè in recenti sua morte resurrexisset, nec caro eius vidisset corruptionem, posset nihilominus illud monumentum manere. Durum autem videtur, vt Dauid nõ fuerit in illa resurrectione Iustorum, si eis iam æterna donata est, cuius Christus ex semine commendatur. Periclitabitur etiam illud quod ad Hebræos de Iustis antiquis dicitur. Ne sine nobis cõsummarentur, si iam in illa resurrectionis incorruptione constituti sunt, quæ nobis perficiendis in fine promittitur. Sic ergo Augustin. sentire videtur, quòd resurrexerint iterum morituri. Ad quod etiã videtur pertinere quod Hiero. dicit super Matth. Quòd sicut Lazarus resurrexit, sic & multa corpora Sanctorum resurrexerunt, vt Dominum ostenderent resurgentem. Quanuis hoc in sermone de Assumptione sub dubio relinquat, rationes tamen August. multo efficaciores videntur. ¶ Ad tertium dicendum, quod sicut ea, quæ præcesserunt Christi aduentum, fuerunt præparatoria ad Christum: ita gratia est dispositio ad gloriam. Et ideo ea quæ sunt gloriæ siue quantum ad animam (sicut perfecta Dei fruitio) siue quantũ ad corpus (sicut resurrectio gloriosa) prius tempore debuerunt esse in Christo sicut in autore gloriæ: gratiam verò conueniebat prius esse in his, quæ ordinabantur ad Christum.

In Illud Matth 27. Et multa corpora sanctorũ, to. 9

Epi. 99. nõ longe ante med. to. 2.

In præ. ver bis, ex epi. 99. to. 2.

Eodẽ loco videtur pertinere quod Hiero. dicit super Matth. Quòd sicut Lazarus resurrexit, sic & multa corpora Sanctorum resurrexerunt, vt Dominum ostenderent resurgentem. Quanuis hoc in sermone de Assumptione sub dubio relinquat, rationes tamen August. multo efficaciores videntur. ¶ Ad tertium dicendum, quod sicut ea, quæ præcesserunt Christi aduentum, fuerunt præparatoria ad Christum: ita gratia est dispositio ad gloriam. Et ideo ea quæ sunt gloriæ siue quantum ad animam (sicut perfecta Dei fruitio) siue quantũ ad corpus (sicut resurrectio gloriosa) prius tempore debuerunt esse in Christo sicut in autore gloriæ: gratiam verò conueniebat prius esse in his, quæ ordinabantur ad Christum.

COMMENTARIVS.

Titulus huius art. (vt Caietan notat) de prioritate durationis intelligendus est, hanc enim esse D. Th. mentem ex argumẽto, Sed contra, & ex solutione ad 3. aperte colligitur.

Resurrectio quotuplex.

Distinguit ergo D. Thomas duplicem resurrectionem, alteram imperfectam, qua corpus mortuum reuocatur ad vitam iterum moriturum, quæ meritó imperfecta dicitur. Quia licet excludat mortem in actu: non tamen in potentia, & in actu, non perpetuo: sed ad tempus, neque omnino. Quia licet homo viuat in vita mortali, quodammodo continue moritur. Et hoc modo clarum est, non fuisse Christum dominum primum omnium resurgentium.

gentium. Nam & in veteri testamento, & ab ipsomet Christo alij prius excitati sunt, vt argumento primo D.Thom. probat. Altera est resurrectio perfecta, quæ omnino, ac perpetuo tã in actu, quã in potentia mortem excludit, nam est ad vitam immortalem, & gloriosam. Et hoc modo ait D.Th. Christum dominum fuisse primum omnium resurgentium, quod in articulo amplius non probat. Nam licet afferat testimonium Pauli ad Rom.6. dicẽtis, *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur*: illo verò solum potest probari resurrexisse Christum ad vitam immortalem: quòd verò fuerit primus omnium, qui hoc modo surrexerunt, ibi non asseritur. Supponit ergo D. Thom. hoc esse satis probatũ testimonio Pauli 1.ad Cor.15. ꝙ in argumẽto, *Sed contra* adduxerat, de quo plura statim dicemus. Rationem vero, seu congruentiã huius assertionis attulit D.Th. in Sol. ad.3. quæ valde notanda est. Et recte etiam explicatur ex ijs, quę supra diximus de statu animarum sanctarum ante mortem Christi. Dicit ergo D. Th. dona gratiæ debuisse prius tempore communicari alijs, quàm Christo, quia erant præparatoria ad Christum: dona autem gloriæ siue animæ, siue corporis, quia non dãtur, vt dispositiones ad aliud, sed tanquam vltimum præmium, & consequutio finis, decuisse prius esse in Christo, sicut in autore gloriæ. Quod intellige, suppositi originali lapsu, vt prædicto loco, & in priori tomo agentes de merito Christi explicuimus. Obiter etiam ad notari potest, ex hac ratione eneruari aliam, qua D. Th. supra quæst.27.art.3. probare conatus est, fomitem non esse prius extinctum in Virgine, quàm in carne Christi: & egregie confirmari, quod ibi nos diximus, illud nullum fuisse inconueniens: sed potius maximè conueniens. Quia illud donum non pertinet ad dona glorię, sed gratiæ, & ideo meritò numeratur inter dona præparatoria ad Christum, ac propterea prius tempore esse potuisse in matre, quàm in filio.

Roman.6

1.Cor.15.

D. Thom.

D.Thom.

Inquiri hoc loco potest, quàm sit certa hæc assertio D.Th. Et quoniam totũ fundamẽtum eius sumitur ex loco Pauli, explicandum simul erit, an sit hic sensus literalis, ac certus illius loci. Et est ratio dubij, quia Christus dici põt *Primitię resurgentium*, seu *dormientium*, non propter ordinem temporis: sed dignitatis, ac intentionis. Sicut etiã potest dici Christus vt homo primitiæ creaturarum, & primitiæ omnium videntium Deum, non quia ordine tẽporis alias creaturas, & Angelos antecesserit vt homo: sed quia in diuina voluntate, & intentione fuit primus: & similiter dignitate omnes antecedit. Vnde Ambr. li.5. Epist.22. tractans prædictum locum Pauli. *Primitiæ* (inquit) *dicitur Christus, quia sanctior omnibus fructus, qui etiam cæteros consortes sui fructus sanctificauit*, sicut ad Rom. 8. ait Paul. *Nos autẽ primitias spiritus habentes*, idest perfectiores, & maiores Spiritus sancti gratias, & effectus. Quod alio simili loco confirmari potest ex Paul. ad Colossens.1. vbi Christum appellat *Primogenitum omnis creaturæ*, & *Primogenitũ ex mortuis*. Dicitur autem *Primogenitus omnis creaturæ* non ordine temporis. Quia (vt ex Cõcilijs, & Patribus latè probauimus in priori tomo, Disp.5.Sect.2.) ibi est sermo de Christo, vt homine, & vt sic, non est Primogenitus *tempore, sed honore* (vt Hieron. dixit,) ergo eodem modo, cùm tã ibi, quã Apocalyp.1. dicitur Christus *Primogenitus mortuorum* 1. ex mortuis, recte exponi potest, non tempore, sed honore.

Dubium. Christus resurgentium omnium primus quomodo.

Ambros. Roma. 8.

Colos.1.

Hieronym.

Apocaly.1.

Aduertendum est, dupliciter posse explicari hũc ordinem durationis, & temporis. Primò negatiuè, quòd scilicet nullus ante Christum resurrexerit ad vitam immortalem. Secundo positiuè, scilicet, Christũ ante omnes, & prius tempore surrexisse. Deinde considerandum est, non esse controuersiam de toto tempore ante Christi mortẽ. Nã hoc modo certissima fides est, neminem resurrexisse ad vitam immortalem ante Christi passionem, ac mortem: quia nemo resurgit hoc modo nisi in statu gloriæ constitutus: ostendimus autẽ supra, neminem cõsequutum esse gloriã ante Christi mortem. Igitur solum superesse potest quæstio de illo tempore, quod fuit à Christi morte vsque ad eius resurrectionem. De quo duo dicenda sunt.

Responsio

De fide est neminem ante Christũ resurrexisse ad vitam immortalẽ.

Primum est, certum, ac de fide videri, neminem ante Christũ resurrexisse ad vitam immortalem. Hoc probatur ex prædicto loco Pauli. Primo quia illũ ita exponunt omnes Patres ibi, Chryf. Theodoret. Theophy. Oecumen. Amb. Hier. Anselm. D. Th. ac cæteri tum Græci, cũ Latini. Athan. li. de incarnatione, seu de humana natura â Verbo susceptа, Damascen. libr.4. de fid. capit. vltim. Prosper de promissio-

1.Cor.15.

Chrysost.

Theodore.

Theophyl.

Oecumen.

promissionibus & prædict. Dei.part.3.c. 29.& Cyprian. serm.de Resurr.Domini.

Cyp. Vnde qui opinati sunt eos,qui resurrexerunt tempore mortis Christi,resurrexisse ad vitam immortalem, consequenter dicunt,eorum resurrectionem per anticipationem referri inter signa facta in morte Christi,vt postea videbimus. Hinc verò colligitur,eos sensisse,& vt certum suppo suisse, neminem ante Christum surrexisse ad vitam immortalem,propter testimonium Pauli. Secundo hic sensus colligitur ex vi ipsius vocis,*primitiæ*. Nam illa vox in sua proprietate non significat ordinem dignitatis,& intentionis:sed tantum durationis.Inter fructus enim terræ non dicuntur primitiæ,qui sunt perfectiores, vel præcipuè intenti:sed qui prius nascuntur, & colliguntur. Ergo cum metaphora Pauli in hac proprietate fundetur,nō vocat Christum *primitias dormientium* propter dignitatem,sed propter ordinem durationis:ergo affirmat Christum esse primum resurgentium. Quod saltem negatiuè necesse est verum esse,ideſt,vt nullus sit ante ipsum.Tertio hunc sensum videtur satis explicuisse idem Paul.cū post illa verba iterum subdit, *Vnusquisque autem in suo ordine,primitiæ Christus:deinde ii,qui sunt Christi.* Vbi apertè explicat ordinē exequutionis, & illa particula, *deinde*,satis declarat priorem dictionem idem valere,quod *primum Christus,deinde alij*. Quo circa,cùm in alijs locis dicitur Christus *Primogenitus mortuorum*, iuxta hunc locum explicandū est: præterquam quòd ipsa vox *Primogeniti* proprie, & in rigore hoc significat. Vnde sicut ratione resurrectionis dicitur Christus *genitus a Patre* Act.13.& Psalm. 2.ita ratione primæ resurrectionis immortalis dicitur *Primogenitus*, sicut etiā ab omnibus Patribus suprà citatis explicatur, & optime August.serm.161. de tempore, & Athanas. in quibusdam quæstionibus quæ habentur,in fin.lib. quęstionum ad Antioch.sub titulo, *Quomodo dicatur primogenitus mortuorum*.Ambr.d. lib. 5. epist. 22. *Primogenitus* (inquit) *ex mortuis dicitur, quia primus resurrexit*. Quibus verbis alia suprà citata explicauit .Imo vbi nos legimus ad Colos.1. *Qui est principium,primogenitus ex mortuis*, legunt Græci Chrisostomus,& Theophy. *Qui est primitię*, & exponunt eodem modo esse,primitias resurrectionis,quia primus resurrexit à mortuis,

Christ⁹ primitiæ dormientium quomodo.

1.*Cor.*15.

Act.3.

Psalm.

Aug.

Athanas.

Ambros.

*Colos.*1.

Chrysosto.

Theo.

A vt etiam Theod. intellexit. Neque obstāt illa alia verba, *Primogenitus omnis creaturæ*. Quia si intelligantur de Christo vt Deo, (vt multi etiam exponunt) apertè significāt antecessionem durationis,imò,& æternitatis. Si verò exponantur de Christo vt homine, necessario exponuntur aliquomodo minus proprio, & quodammodo metaphorico, ratione præcestinationis, quia de duratione temporis intelligi nequeunt. Vbi autem nō est necessaria metaphora,adhibenda non est: maxime quia licet ad vocem *Primogeniti* accommodari aliquomodo posset,non tamen ad vocem *Primitiarum*,vt explicatum est. *Theodor.*

Secundo dicendum est,non esse certum, sed in opinione,an Christus prius tempore resurrexerit ad vitā immortalē, quàm omnes alij homines. Declaratur,& probatur,quia(vt statim videbimus) probabilis est opinio affirmans, nonnullos surrexisse cum Christo ad vitam immortalē, qua sententia supposita, sine errore credi potest simul tempore illos cum Christo surrexisse. Quia nulla est ratio ad fingendam inter eos temporis successionem. Sufficit enim ordo naturæ & causalitatis. Christus enim resurgens fuit causa excitans alios:est autem causa perfecta,& alioqui effectus talis est,vt in instanti possit fieri, ergo simul incipit talis effectus cum sua causa. Neque hoc repugnat loco Pauli. Nam,vt Christus dicatur *primitiæ*, seu *primus resurgentium*, satis est, quod nullus ante ipsum resurrexerit, & quòd ipse prius natura resurrexerit,quam cæteri,ita vt licet eius resurrectio de facto non antecesserit durationē resurrectiones aliorum: tamen de se sit independens ab illis:aliæ verò ab ipso pendeant. Quid autem probabilius sit in sequēti dubitatione dicemus. *Dubium de 1.s,quicum Christo surrexerunt.*

B

C

Circa solutionem igitur ad 2. (aliæ enim duæ iam sunt explicatæ) grauis,& antiqua controuersia occurrit de illis, qui cum Christo surrexerunt: an resurrexerint iterum morituri, vel ad vitam immortalem. Supponēdum est enim illos vere,ac proprie resurrexisse. Ita enim simpliciter affirmat Matt. & verba scripturæ in proprietate intelligenda sunt, sicut & intellexerunt omnes Sancti citandi, & maxime Iustinus, qui hoc sensu recte dixit hanc fuisse perfectam resurrectionem, scilicet quoad substantiam . Dubium ergo est de statu.De quo duæ sunt sententię. Prima af- *Iustin.*

ma affirmat, illos resurrexisse in mortali corpore, & ad breue tẽpus. Hæc est sententia Aug. epist. 99. ad Euod. vbi variis testimoniis, & cõiecturis illã cõfirmat, candẽ indicat Hiero. Mat. 27. Nã exponens illa verba dicit. *Quomodo Lazarus mortuus resurrexit, sic & multa corpora Sanctorũ resurrexerunt, vt Dominũ ostenderent resurgentem.* Quã expositionẽ cõfirmat epist. 150. ad Hedibiam q. 8. Itẽ Chrys. ho. 89. in Mat. dicit, Christũ sola voce mortuos excitasse, dũ adhuc in cruce penderet, q̃ necesse est intelligi de resurrectione ad vitam mortalẽ. Nã (vt diximus) ad immortalẽ nemo ante Christũ resurrexit. Vnde inferius illam resurrectionẽ comparat cum resurrectione Lazari, & dicit fuisse futuræ resurrectionis indicium. Quod apertius explicuit Theophylact. dicens, illos resurrexisse, cùm adhuc Christus in cruce penderet, & apparuisse multis, & iterum mortuos fuisse, quia tantum resurrexerant signi gratia. Idẽ Euthy. c. 67. in Mat. insinuat Prosper de promissionib. & prædictionib. Dei. p. 3. c. 29. D. Tho. hic, & eandem opinionẽ sequitur Sotus in 4. d. 43. q. 2. art. 1. Fũdamẽta huius sententiæ sunt. Primum, quia hi Sancti surrexerunt ante Christũ, ergo nõ potuerũt resurgere ad vitã immortalẽ. Antecedẽs patet ex enarratione Euãgelistæ. Ponit enim hoc inter signa facta in morte Domini, ergo sicut alia sunt facta in ipsa morte, ita & hoc. Præsertim quia prius dicit Matth. *Multa corpora Sanctorũ, qui dormierant, surrexerunt,* & postea subdit, *Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem.* Ergo indicat resurrexisse quidem ante Christum: non tamen exiuisse de monumentis, vel saltem nõ fuisse ingressos ciuitatem vsq; ad resurrectionem Christi, vt videtur exponere Orig. super Matt. præter Chrys. & alios supra citatos. Sed hoc testimonium (vt etiam vidit Aug.) non multum vrget. Quia rectè intelligitur per anticipationẽ. Cũm. n. Euangelista narraret prodigia facta in morte Christi, obiter omnia cõgessit quanuis non omnia eodẽ tẽpore sint gesta. Eò vel maxime, q̃ (vt Hiero. aliiq; notãt) hoc prodigiũ ex parte incepit in morte Christi. Quia tunc reserata fuere monumenta, quanuis corpora nõ surrexerint vsque ad diẽ resurrectionis Christi. Quod fortasse diuina prouidẽtia factũ est, vt illorũ corporum resurrectio euidẽtior esset cũ prius apertis monumentis mortua, atq; in eis iacentia cõspici possent. Et põt hęc expositio ex eodẽ textu firmari. Nam hi sancti nõ resurrexerũt, nisi vt essent testes resurrectionis Christi, & redẽptionis per ipsum cõsummatæ, & liberationis animarũ à potestate dęmonij, peccati, & mortis; sed nõ erant reddituri hoc testimoniũ, donec Christus resurgeret (vt Euãgelista testatur) ergo nõ oportuit, eos ante resurgere. Item illa corpora nõ fuerãt è sepulcris egressa ante Christi resurrectionẽ, vt aperte Mat. testatur illis verbis, *Et exeũtes de monumentis post resurrectionẽ eius, venerũt in sanctã ciuitatẽ,* (ita. n. legendũ, diuidẽdumque est, vt habẽt vulgata Latina, & Græca, & expositores oẽs) ergo nõ resurrexerũt, donec Christus resurrexit. Quî enim credibile est corpora illa iã viuificata mansisse in sepulcris quadraginta horis? Quocirca cõsultò videtur Euangelista addidisse hæc verba, *Et exeuntes, &c.* vt indicaret, illud prius verbum, *surrexerunt,* positum esse per anticipationem. Matth. 27

Secundũ fundamentum Aug. sumitur ex testimonio Petri Act. 2. vbi probat, verba illa Psal. 15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem,* non posse intelligi de Rege Dauid, *quoniam defunctus est, & sepultus est, & sepulcrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem.* Vbi necesse est cũ loqui de monumento continente corpus Dauid mortuũ, & corruptũ, alioqui nihil probaret. Quia etsi monumentum Dauid duraret, si tñ erat vacuũ, non poterat ex eo probari, corpus Dauid fuisse corruptũ, ergo corpus Dauid nõ surrexit ad vitã immortalẽ, ergo nullũ. Enimuerò si cui concessum fuisset hoc beneficiũ, maximè Dauidi, viro sanctissimo, cui facta est singularis de Christo repromissio. Sed neq; hęc ratio, neq; testimoniũ, in quo fũdatur admodũ vrget. Primũ quidẽ, quia nõ est necessariũ Dauidẽ fuisse ex iis, qui surrexerũt. Nam hęc extraordinaria priuilegia nõ semper dantur propter maiorem sanctitatem, sed vel iuxta beneplacitũ diuinæ voluntatis, vel propter alias speciales rationes, vt v. g. si fortasse resurrexerunt, qui singulari dono virginitatis, aut castitatis floruerunt, vel, quidiutius in limbo morati fuerãt, aut è conuerso, qui nuper fuerant mortui, & poterant esse testes magis noti. Deinde

2. Fundamentum. Aug. Act. 2.

ex verbis Petri non potest colligi corpus Dauid fuisse in sepulcro, quando Petrus concionabatur: quin potius, qui contrariam tuentur sententiam eodem testimonio Petri vtuntur. Quia videlicet non sine causa monumentum nominauit, & non corpus, significans, monumentum vsque ad illud tempus mansisse, non tamen corpus. Adducit tamen monumentum in testimonium, ac firmissimum argumentum, quia vsque ad illud ferè tempus corpus Dauid continuerat, & paulo antea in eo videri potuerat corruptioni obnoxium.

Tertiũ fundamentum. Aug. Hebr. 11.

Tertium fundamentum Aug. sumitur ex verbis Pauli ad Heb. 11. *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur.* Nam si ad vitam immortalem iam resurrexerunt, plenam repromissionẽ animi, & corporis acceperunt: sunt ergo sine nobis iam cõsummati. Ad hoc verò testimoniũ tribus modis respondet hic Caieta. Primo, Paulum non loqui de resurrectione corporũ: sed de gloria animæ, quàm antiqui Patres nõ acceperunt in statu legis veteris, ad quem otpimè referri possunt verba Pauli. Quã expositionem etiam D. Tho. super Paulũ approbat. Secundo, quòd licet demus loqui de resurrectione corporum, & regulã generalem tradere, scilicet, integram repromissionem animæ, & corporis non dari vsque ad generalem resurrectionem, quam etiam insinuat 1. ad Corinth. 15. & alijs locis: nihilominus non excludi specialia priuilegia, quod etiam D. Tho. super Paul. notauit. Tertio respondet, illam particulam *sine nobis*, non referri ad singulas personas: sed ad statum legis gratiæ ita vt sit sensus, Deum disposuisse nobis meliorem quendam statum gratię, antequem neminem beatificari voluit siue in anima siue in corpore. Quæ responsio non est distincta à prima sed est veluti consummatio, & declaratio illius, vt idem Caieta. super Paulum intellexit. Duæ autem respõsiones datæ probabiles sunt, neque possunt satis refutari, dummodo afferatur sufficiens fundamentum ad huiusmodi priuilegium asserendum.

Caie. *1. Cor 15.* *D. Thom.* *Caie.*

4. Fundamentum.

Hinc potest quarta ratio formari in fauorem huius sententiæ. Quia generalis lex est, vt gloria, & immortalitas corporũ nõ detur hominibus vsque ad generalem resurrectionem, vt patet, ex prædictis locis Pauli, & ex illo Apocal. 6. *Dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorum.* Sed â generali scripturæ regula non licet exceptionem facere, vel speciale priuilegium asserere sine sufficienti eiusdem scripturæ, vel Ecclesię fundamento: in præsenti autem nullum habemus in scriptura ad asseuerandũ hoc priuilegium. Quia scriptura solum dicit, hos Sanctos surrexisse, de immortalitate autem, & gloria eorum nihil dicit. Neque ex fine, propter quem fiebat illa resurrectio, colligi potest, scripturam loqui de resurrectione ad vitam immortalem: sed potius contrarium. Resurgebant enim hi sancti, vt essent testes resurrectionis Christi non perpetuo, neque vbique, sed breui tempore, & in sancta ciuitate Ierusalẽ: sed ad hunc finem satis erat, vt resurgerẽt ad breue tempus, & in corpore mortali, quod ad eum finem erat satis accommodatum, vt possent familiarius manifestari, & loqui cum hominibus. Rursus, neque ex Ecclesię autoritate habetur hoc priuilegium, quia Ecclesia nunquã hoc docuit, quin potius veteres Patres id negant, vt vidimus.

Apoc. 6.

5. Fundamentum. Iob. 19.

Quintam coniecturam adderepossumus ex verbis illis Iob, *Scio, quod Redẽptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum.* Inquibus duo consideranda sunt, alterum, quòd dicit, se suscitàndum *in die nouissimo*, & non antea: alterum, quòd, loquens de resurrectione Christi, vt iam facta, de sua vero, vt postea futura, indicat, resurrectionem suam multo post Christi resurrectionem fuisse futuram. Vnde colligitur argumentum, idem credendum esse de quolibet antiquorum Sanctorũ. Quia nullus, vel pauci existimari possunt digniores hoc priuilegio, quàm Iob. Sed hęc coniectura, primum expediri potest illis modis quos circa secundam adduximus, vt ostẽderemus, non oportuisse hoc priuilegium concedi omnibus, neque sanctioribus, & de Iob est specialis ratio. Quia eius sepulcrum non erat in Ierusalem, nec prope illam, vnde resurgere oportebat eos qui futuri essẽt testes resurrectionis Christi. Deinde non est necesse, vt per *nouissimum diem* intelligamus diem iudicij. Nam quodlibet tempus valde distans solet in scriptura

scriptura eā phrasi significari, & totum tē pus gratię solet appellari *tempus nouissimū*, potest autem ibi nomē diei indefinite pro tempore accipi. Præterea etiam si demus Iob loqui de die iudicij (vt videtur magis consentaneum contextui) tamen direc te solum dicere intendit, in nouissimo die se esse victurum, & habiturum corpus, quia hoc erat illi certum, ac firma fide creditum: an vero tunc primò esset suscitandas, vel fortasse prius ex aliquo priuilegio, hoc non videtur voluisse affirmare, vel negare. Quia neque ad rem, quam tractabat, pertinebat, neque videtur necessarium, vt de hac re specialem reuelationem habuerit, sine qua nihil de tali priuilegio dicere potuisset.

Sexta coniectura similis præcedenti sumitur ex corpore Ioannis Baptistæ. Nam si aliquod corpus excitandum fuisset ad vitam immortalem, maximè Ioannis Baptistæ, tum propter maximam puritatem, & sanctitatem eius, tum etiam quia eius testimonium foret apud Iudæos, sanè grauissimum: sed constat corpus Ioannis Baptistę non resurrexisse ad vitam immortalem, cùm reliquię eius vsque ad Iuliani tē pora in Ecclesia summa cum veneratione seruatæ sint, & caput vsque ad hanc diem Romæ ostendatur. Et hęc quidem coniectura magna esse videtur, posset tamen eludi aliquo modo ex dictis in secunda, & quinta ratione. Reuocare enim in dubium historiam, & traditionem de reliquiis Baptistæ, neque pium esset, neque antiquitati consentaneū. De qua re legi possunt, quæ congerit Canisius lib. 1. de corruptelis Verbi Dei cap. 14.

6. Fundamentum.

Canis.

Vltima coniectura adhiberi solet. Quia si ij Sancti surrexissent ad vitam immortalem, simul cum Christo ascendissent in cœlum: hoc autem nō est verisimile, alioqui Lucas hoc memoriæ prodidisset, dum Dominicam Ascensionē describeret. Multum enim spectabat, tum ad gloriam eius declarandam, tum etiam ad nostram fidē, & spem augendam. Hęc verò ratio parum cogit. Quia Lucas solum narrauit sensibilem (vt ita dicam) Ascensionem Domini, & eas circunstantias, quæ oculis cerni potuerunt: hoc autem modo solus Christus visus est ascendere: alij verò (si fortasse cum illo ascenderunt) Apostolis, alijsque discipulis non apparuerunt: & ideo sicut non narratur Angelorum, & sanctarum animarum comitatus, ita neque horū Sanctorum, qui vna cum Christo resurrexerunt, ascensus. Et hęc de priori sententia.

7. Fundamentum.

Posterior sententia est, hos Sanctos surrexisse ad vitam immortalem. Hęc solet tribui recētioribus scriptoribus, tamē reuera multi ex antiquis illam docuerunt. Origenes lib. 1. ad Roman. circa illa verba capitis 1. *Ex resurrectione Iesu Christi domini nostri*, dicit, Christū habuisse aliquos participes in primatu resurrectionis, *sicut*, (inquit) *illi fuerunt, qui cum illo suscitati esse dicuntur, cum monumenta aperta sunt, & multa Sanctorum corpora, qui dormierant, surrexerūt, & de his talibus fortasse dicit Apostolus, esse Ecclesiam illam primitiuorum, quam ascriptā memorat in cœlis.* Epiphan. hęres. 75. in fine, cùm dixisset reliquias Sanctorum esse in terra, addit *exceptis iis, qui resurrexerūt, & ingressi sunt sanctam ciuitatem*, quam postea explicat de Ierusalem terrestri, & cœlesti. Idem sentit Clemens Alexandrinus, lib. sexto stromat. ante medium. Dicit enim corpora eorum, qui cum Christo surrexerunt, in meliorem ordinem esse translata. Idem sentit Iustinus quęstione. 85. (quanuis in contrarium citari soleat.) Ait enim, hos Sanctos non obiisse rursus, sed manere in immortalitate: tamen, quia ipse opinatus est vsque ad diem iudicij homines non constitui instatu gloriæ, ideo subdit, hos Sanctos non surrexisse ad immortalem, & incorruptibilem vitam: sed expectare donec fiat immutatio, iuxta illud 1. ad Thessalon. 4. *Omnes immutabimur*, Videtur etiam hoc sensisse Athanasius, in homil. de semente, dum ait, Christum in inferno non solum se liberum ostendisse: sed etiam mortuorum liberatorem, iuxta illud, *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Idem significat Ambros. lib. 4. de fide cap. 1. vbi dicit, *Moysem non fuisse in gloria cœlesti, nisi postquam Dominus resurrectionis suæ pignore vincula soluit inferni.* Sed ad intelligendum hunc locum Ambrosij recolere oportet, ipsum sensisse, Moysem non fuisse mortuum (vt in superioribus vidimus) & ideò hoc loco dicit, non fuisse gloriam assequutū ante Christi mortem, etiam si mortuus non fuerit. Vnde ex hoc loco non pōt colligi Ambr. sentire aliquē fuisse simul cū Christo exciatū ad vitam immortalē: sed solum Moysem, qui mortuus non fuerat tunc gloriā

Origen. Rom. 1.

Epiphan.

Clem. Ale. Iustin.

Thessal. 4. Athanas. Matth. 27

Ambros.

Qui cum Christo surrexerūt ad vitam redieruntimmortalem.

accepisse: *quando Christus vincula solvit inferni, & Patrum animas eduxit.* Quæ verba vltima ponderanda sunt. Nã respectu aliorum non de corporibus, sed de animabus tantum loquitur. Idem verò Amb. enarratione in primum psalmum in fine expresse docet hanc sententiam, dicẽs. *Sunt, qui resurrexerunt in passione Christi, & isti plane beati, quia acceperunt Christi gratiam, & audierunt vocem eius, de qua scriptum est, Venit hora, quãdo mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent. Et ingressi sunt in sanctam ciuitatem puto, quod magis significet illam supernam, quam istam* Ierusalem. Eandem sententiam refert, & approbare videtur Hiero. seu Sophronius in ser. de assumptione. Vbi in fauorẽ huius sententiæ ponderat verba illa Petri Act. 2. *Sepulcrum eius est apud nos*: quasi non fuerit ausus dicere corpus eius, sed tantum *Sepulcrum eius*. Idem docet Sophronius Patriarcha Ierosolymitanus in epistola synodali, quæ refertur, & probatur in sexta synodo act. 11. Vbi de Christo sic loquitur. *Triduanus resurgens de sepulcro progreditur, & vna secum cunctos mortuos suscitat ex sepulcro, ex corruptione ad immortalitatem eos perducẽs per suam resurrectionem ex mortuis.* Idem expresse Eusebius lib. 4. de Demonst. cap. 12 *Ipsius* (inquit) *corpus mortuum excitatum est, & multa corpora eorum, qui dormierant, Sanctorum surrexerunt, vnaque cum ipso in sanctam, ac vere cœlestem ciuitatem ingressa sunt.* Potest etiam referri Grego. Nyssenus lib. de cognitione Dei, cap. de Christi resurrectione vbi (ad hoc propositum tractans illa verba Oseæ. 6. *Sanabit nos post duos dies, & in die tertio suscitabit nos, & viuemus in cõspectu eius*, quæ ad præsẽs applicata de resurrectione ad vitam immortalem intelligũtur) subdit. *Hæc autem dicta sunt ex persona eorum qui dormierant, quorum corpora cum Christo surrexerunt tertio die, quo surrexit ipse.* Rursus adduci potest Cyprianus, seu potius Rufinus in expositione Symboli, vbi verba illa, *& ingressi sunt sanctam ciuitatem*, de illa explicat, de qua Apostolus dicit. *Quæ autem sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra.* Præterea Remigius super Matt. (quem D. Tho. refert in catena) ex professo quæstionem disputans, post examinatã vtramque opinionem ita concludit. *Ineunte ergo credere debemus, quia, qui resurgente a mortuis Domino resurrexerunt, ascendente eo ad cœlos, & ipsi pariter ascenderunt.* Deinde Beda Matth. 27. idem significat, quatenus dicit hos Sanctos non resurrexisse ante Christum, quia ipse futurus erat *Primogenitus ex mortuis*. Quæ ratio nihil concluderet, nisi supponeret, eos surrexisse ad vitam immortalem. Vnde omnes, qui hac ratione vtuntur, possunt pro hac opinione referri. Insuper addit Beda verba illa, *In sanctam ciuitatem* posse intelligi de cœlesti Ierusalem. Quod etiam ibi dicit Hieronymus, huic fauens sententię. Expressius Anselmus ibidem, referens Bedam dicentem, hos Sanctos vna cum Christo ascendisse in cœlum, subiungit. *Neque vlla ratione illorum temeritati fides accommodanda est, qui illos postea reuersos in cinerem dicunt.* Quin etiam D. Thomas Matth. 27. eandem docet sententiam, & in. 4. d. 43. q. 1. art. 3. q. 1 ad. 3. Vbi nonnulli Theologi idem tenẽt, & alij in. 3. d. 22. vbi Carthusianus quæst. 6. Caietanus hic, & super Matth. & Iansenius capitul. 143. Concordiæ, & alij recentiores.

Fundamentum huius sententiæ primum sumitur ex verbis Petri, Actor. 2. de quo testimonio dictum est satis. Secundum ex verbis illis Euangelistæ, *& apparuerunt multis*, quibus significatur, habuisse corpora glorioſa, in quorum potestate est sese manifestare, vel occultare. Vnde Hieronymus, *Apparuerunt* (inquit) *non omnibus, sed ijs, qui cernere merebantur*, sicut de Christo dictum est, manifestatum esse non omnibus, *sed testibus præordinatis a Deo.* Et diuus Thomas super Matth. inquit, *& apparuerunt multis. Sicut enim Christus potestatem habet manifestandi se, quibus vult, ita est intelligendum de corporibus glorificatis.* Quę coniectura est probabilis, tamen sicut in trãs figuratione Moyses dicitur apparuisse Christo, & discipulis, quanuis resurrexerit tunc in corpore mortali, ita dici potest de ijs, qui cum Christo surrexerunt. Qui etiam potuerunt accipere virtutem se occultandi, vel manifestandi, quibus vellẽt, etiamsi non haberent corpora glorioſa, sicut Christus dominus hanc virtutem habuit in statu mortali. Tertio probatur hæc sententia. Quia, vt ij Sancti essent testes resurrectionis glorioſæ, & immortalis omni exceptione maiores, decuit eos ad immortalem vitam resurgere. Hæc verò ratio valde est infirma, tum quia isti Sancti non ostendebant iis quibus ap

Sophron. Act. 2. Suph. Ier. 6. Synod. Euseb. Cyprian. Galat. 4. Remig. D. Thom. A B C Bed. Hieron. Anselm. D. Thom. Carthus. Cai. Iansen. Act. 2. Matth. 27 Hieron. Act. 10. D. Thom. Gre. Nyss. Oseæ. 6.

bus apparebant, suorum corporum gloriâ & immortalitatẽ, ita vt eæ proprietates sensibus perciperentur. Quia neque Christus dominus post resurrectionem ita apparebat, quin potius, vt probaret veritatẽ suæ resurrectionis, exercebat ea, quæ communia sunt corpori mortali, in cibo nempe, potu, & contactu. Si ergo gloria, & immortalitas corporũ nõ erat sensibus obiicienda, nihil interesse poterat ad veritatem testimonij. Nam, licet ipsi dicerent se surrexisse ad vitam immortalem, hoc fide credendum esset: ergo eodem modo credendum esset illis prædicantibus Christum surrexisse glorioſum, etiam si illi nõ eo modo surrexissent, nec de se idem prædicassent. Quarta coniectura, quia iis hominibus maior fuisset pœna post resurrectionem iterum mori, quàm si nunquã ad vitam rediissent. Quæ ratio etiã mihi displicet. Nam in primis ij non surrexerunt propter vitandam pœnam aliquam: sed ad testimonium Christo reddendum. Deinde deponere illa corpora ex Dei voluntate, nullum esset tormentum, aut pœna: sicut nec Moysi fuit, iterum corpus deponere, postquam in transfiguratione resurrexit, ac suo munere functus est. Nam, sicut ille tantum assumpsit corpus ad testimonium Christo reddẽdum, ita & ij. Quin potius (si verũ est illa corpora fuisse mortalia) gratius fuit iis Sanctis iterum illa deponere, quã in eo statu illa retinere. Quinta coniectura est, quia decuit, vt Christus corpore, & animo constans haberet aliquos socios gloriæ, corpore etiã, animoque constantes, præsertim cùm *delitiæ eius sint, esse cum filiis hominũ*. Sexta addi potest. Quia, cùm iam sint in inferno aliqui homines corpore, & animo, ante generalem resurrectionem damnatorum, vt Dathan, & Abiron, & similes, ad ostensionem diuinæ misericordiæ & copiosæ redemptionis Christi spectabat, vt aliqui etiam essent beati corpore, & animo. Vltima, & valde probabilis congruentia esse potest. Quia animæ glorioſæ connaturale est vniri corpori immortali, ac glorioſo. Vnde, quòd Christus habuerit glorioſam animam in corpore mortali miraculosè, & ex speciali dispensatione factum est. Sed animæ horum sanctorũ, qui cũ Christo surrexerunt, erãt iam beatæ, ergo non fuerunt vnitę nisi corporibus glorioſis, & immortalibus. Alioqui ex natura rei possent in corporibus pati, & inclementiã aẽris, frigoris, aut caloris sentire, quod nõ decebat animabus sanctis, quæ iam omnino erant in termino, & non in uia, sicut erat anima Christi quando fuit in corpore mortali. Quod si necesse est, concedere speciale miraculum, & exceptionem ab aliqua generali regula: verisimilius creditur facta, tribuendo gloriam aliquibus corporibus ante generalem resurrectionem, quã vniẽdo animabus beatis corpora minus apta, & cõmoda statui beatorũ. Quo circa omnibus pensatis hæc sententia videtur verisimilior. Nam & maiori autoritate nititur, & est magis consentanea tum rebus ipsis, tũ diuinæ misericordiæ, & pietati, & gloriam Christi magis illustrat.

Prou. 8. Nume. 26.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Christus fuerit causa suæ resurrectionis.

297 Psal. 40. co. 2, & Ioã. 2 & 3. co. 2. & ad Ro. 4. fin.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd Christus non fuerit causa suæ resurrectionis. Quicunque enim suscitatur ab alio, non est suæ resurrectionis causa. Sed Christus suscitatus est ab alio, secundum illud Actuum 2. Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni, & Roman. 8. Qui suscitauit Iesum Christũ à mortuis, viuificabit & mortalia corpora nostra, &c. Ergo Christus non est causa suæ resurrectionis. ¶ 2. *Præterea, Nullus dicitur mereri, qui ab alio petit aliquid, cuius ipse est causa. Sed Christus sua passione meruit resurrectionẽ (sicut Augus. dicit super Ioannem, quòd humilitas passionis meritum est gloriæ resurrectionis.) Ipse etiam petiit à Patre se resuscitari: secundum illud Psal. 30. Tu autẽ Dñe miserere mei, & resuscita me. Ergo non fuit causa suæ resurrectionis.* ¶ 3. *Præterea, Sicut Damasc. probat in 4. lib. resurrectio non est animæ, sed corporis, quod per mortẽ cadit. Corpus autem non potest sibi animam vnire, quæ*

tra. 104. in Io nõ remo te a fin. to. 9

li. 4. orth. fid. c. 4. vlti.

est eo nobilior. Ergo id quod resurrexit in Christo, non potuit esse causa suæ resurrectionis. ¶ Sed contra est, quod Dominus dicit Ioannis. 20. Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam, & iterum sumo eam. Sed nihil est aliud resurgere, quàm iteratò animam sumere, ergo videtur, quòd Christus propria virtute resurrexerit.

q.50, ar.2. & 3.

¶ Respondeo dicendum, quòd (sicut suprà dictum est) per mortem non fuit separata diuinitas, nec ab anima Christi, nec ab eius carne. Potest igitur tam anima Christi mortui, quam eius caro, considerari dupliciter. Vno modo ratione diuinitatis. Alio modo ratione ipsius naturæ creatæ. Secundum igitur vnitæ diuinitatis virtutem, & corpus resumpsit animam, B quam deposuerat, & anima corpus resumpsit quod dimiserat: & sic Christus propria virtute resurrexit. Et hoc est, quod de Christo dicitur. 2. ad Corinth. vltim. quòd etsi crucifixus est ex infirmitate nostra, sed viuit ex virtute Dei. Si autem consideremus corpus, & animam Christi mortui secundum virtutem naturæ creatæ, sic non potuerunt sibi inuicem reuniri, sed oportuit Christum resuscitari à Deo.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd eadem est diuina virtus, & operatio Patris, & filij. Vnde hæc duo sese consequuntur, quòd Christus sit suscitatus diuina virtute Patris, & sui ipsius.

C

¶ Ad secundum dicendum, quòd Christus orando petiit, & meruit suam resurrectionem in quantum homo: non autem in quantum Deus.

¶ Ad tertium dicendum, quòd corpus secundum naturam creatam non est potẽtius anima Christi, est tamen ea potẽtius secundum virtutem diuinam, quæ etiam rursus secundum diuinitatem vnitam est potentior corpore, secundum naturã creatam. Et ideo secundum virtutem diuinam corpus, & anima mutuò se resumpserunt: non autem secundum virtutem naturæ creatæ. A

QVAESTIO. LIIII.
De qualitate Christi resurgẽtis, in quatuor articulos diuisa.

DEinde considerandum est de qualitate Christi resurgẽtis. ¶ Et circa hoc quæruntur quatuor.

¶ Primò, vtrùm post resurrectionem Christus habuerit verum corpus. ¶ Secundò, vtrùm resurrexerit cum corporis integritate. ¶ Tertiò, vtrùm corpus eius fuerit glorioſum. ¶ Quartò de cicatricibus in corpore eius apparentibus.

ARTICVLVS PRIMVS.
Vtrum Christus post resurrectionem habuerit verum corpus.

AD primum sic proceditur, Videtur, quòd Christus post resurrectionem non habuerit verum corpus. Verum enim corpus non potest simul esse cum alio corpore in eodem loco. Sed corpus Christi post resurrectionem fuit simul cum alio corpore in eodem loco: intrauit enim ad discipulos suos ianuis clausis, vt dicitur Ioan. 20. Ergo videtur, quod Christus post resurrectionẽ non habuerit verum corpus. ¶ 2. Præterea, Verum corpus non euanescit ab aspectu intuentium, nisi forte corrumpatur. Sed corpus Christi euanuit ab oculis discipulorum eum intuentium, vt dicitur Lucæ vltim. Ergo videtur, quod Christus post resurrectionem non habuerit verum corpus. ¶ 3. Præterea, Cuiuslibet veri corporis est determinata figura. Sed corpus Christi apparuit discipulis in alia effigie, vt patet Marc. vltimo. Ergo videtur, quòd Christus post resurrectionem non habuerit verum corpus humanum.

298 Inf. art. 3. & opu. 60. ca. 22. col. 4.

Sed

¶ *Sed contra est, quod dicitur Luc. Vltimo, quòd Christo discipulis apparente, conturbati, & conterriti, existimabant se spiritum videre, ac si non haberet verum corpus, sed phantasticũ. Ad quod remouendum ipse postea subdidit, Palpate, & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Nõ ergo habuit corpus phãtasticũ, sed verũ.*

li. 4. c. 28. nõ multum a princ,

¶ *Respondeo dicendum, quòd sicut Damascen. dicit in 4. libro, illud resurgere dicitur, quod cecidit. Corpus autẽ Christi per mortem cecidit, in quantum scilicet fuit ab eo anima separata, quæ erat eius formalis perfectio. Vnde oportuit ad hoc, quòd esset vera Christi resurrectio, vt idem corpus Christi iteratò eidem animæ vniretur. Et quia veritas naturæ corporis est ex forma, consequens est, quòd* B *corpus Christi post resurrectionem & verum corpus fuerit, & eiusdem naturæ, cuius fuerat prius. Si autem eius corpus fuisset phantasticum, non fuisset vera resurrectio, sed apparens.*

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd corpus Christi post resurrectionem, non ex miraculo, sed ex conditione gloriæ (sicut quidam dicunt) clausis ianuis ad discipulos introiuit simul cũ alio corpore in eodẽ loco existens. Sed virũ hoc habere possit corpus glorioſum ex aliqua proprietate sibi indita, vt simul cum alio corpore in eodem loco existat, inferius* C *discutietur, vbi agetur de resurrectione communi. Nunc autem quantum ad propositum sufficit, dicendum esse, quòd non ex natura corporis, sed potius ex virtute diuinitatis vnitæ, illud corpus ad discipulos (licet verum esset) ianuis clausis introiuit. Vnde Augustinus dicit in quodam sermone Paschali, quòd quidam sic disputant. Si corpus erat, si hoc surrexit de sepulcro quod pependit in ligno, quomodo per ostia clausa intrare potuit? Et respondet. Si comprehendis modum, non est miraculum: vbi deficit ratio, ibi*

Non cõpleuit morte præuentus

Inser. 3. in Dñica in octaua paschæ est. ser. 149. in or. to. 10

A est fidei ædificatio. Et super Ioan. dici Moli corporis, vbi diuinitas erat, ostia clausa non obstiterunt, ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente virginitas matris inuiolata permansit. tract. 121. in Ioann. a med. to. 9.

Et idem dicit Gregorius in quadam Homilia de octaua Paschæ. Ho. 26 in Eua. circa prin. illius

¶ Ad secundum dicendum, quòd sicut dictum est, Christus resurrexit ad immortalem gloriæ vitam. Hæc est autem dispositio corporis glorioſi, vt sit spirituale, id est, subiectũ spiritui, vt Apostolus dicit. 1. ad Corinthio. 15. Ad hoc autem quòd sit omnino corpus subiectum spiritui, requiritur, quòd omnis actio corporis subdatur spiritus voluntati. Quod autem aliquid videatur, fit per actionem visibilis in visum, vt patet per Philosophum in secundo de Anima. Et ideo quicunque habet li. 2. tex 74 & 75 & præ. tom. 2. *corpus glorificatum, in potestate sua habet, videri quando vult: & quando non vult, non videri. Hoc tamẽ habuit Christus nõ solum ex conditione corporis glorioſi: sed etiam ex virtute diuinitatis, per quam fieri potest, vt etiam corpora non glorioſa miraculosè non videantur: sicut præstitum fuit beato Bartholomæo miraculosè, vt si vellet videretur: non autem videretur si non vellet. Dicitur ergo, quòd Christus ab oculis discipulorum euanuit, non quia corrumperetur, aut resolueretur in aliquas inuisibilia: sed quia sua voluntate desiit ab eis videri, vel eo præsente, vel etiam eo abscedente velociter per dotem agilitatis. ¶ Ad tertium dicendum, quòd sicut Scuerianus dicit in sermone Paschali. Nemo putet Christum sua resurrectione sui vultus effigiem commutasse. Quod est intelligendum quantum ad lineamenta membrorum, quia nihil inordinatum & deforme fuerat in corpore Christi per Spiritum sanctum concepto, quod in resurrectione corrigendum esset: accepit tamen in resurrectione gloriã claritatis. Vnde idẽ ibidem subdit. Sed mutatur effigies,*

dum efficitur ex mortali immortalis: vt hoc sit acquisiuisse vultus gloriã, non vultus substantiam perdidisse. Nec tamen illis discipulis in specie glorioſa apparuit: sed sicut in potestate eius erat, vt corpus suum videretur: vel non videretur, ita in potestate eius erat, vt ex ei⁹ aspectu formaretur in oculis intuentium, vel forma glorioſa, vel non glorioſa, aut etiam commixta, vel qualitercunque se habens. Modica tamen differẽtia sufficit ad hoc, quod aliquis videatur in aliena effigie apparere.

COMMENTARIVS.

REspondet D.Tho. Christum post resurrectionem habuisse verũ corpus, eiusdemq; naturæ cum priori. Quod non solum de specifica, sed etiam de numerica identitate intelligendum est. Quod satis probatum, ac declaratum est ex dictis supra de resurrectione in communi, cum ijs, quæ addidimus de veritate resurrectionis Christi.

In solutione ad primum tangit D. Tho. difficultatem de penetratione corporũ in eodem loco, quæ spectat ad dotem subtilitatis, de qua simul cum alijs postea disputabimus.

In solutione ad secundum explicat, quomodo corpus Christi post resurrectionem potuerit seſe occultare, & manifestare, quibus vellet. Cuius rei causam, & modum dicit fuisse, quia erat in potestate Christi immutare sensus aliorum, vel specierum influxum suspendere. Quam potestatem, ait, duplici titulo illi conuenire, Primo ratione vnionis, vnde eandem quoque potestatem habuit in corpore mortali, vt supra cũ eodem D.Tho. diximus. q.46. in commentario art.3. Secundo ratione status gloriæ. Vnde indicat D. Th. omnia corpora beatorum habitura hanc potestatem, vt omnes actiones eorum subdantur ipsorum voluntati. Quia futura sunt spiritualia, ideſt, plenè subiecta spiritui, & perfectionẽ eius participãtia. Quod & docuit Rich. in.4.d. 49.ar.4.q.6.ad 3. Vnde colligi potest obiter, ex sententia D.Tho. omnem substantiam spiritualem habere in sua voluntate, & arbitrio omnem efficientiam, & actionem suam, ita vt si fortasse potest imprime re in altero speciem suæ substantiæ, vel suorum actuum, habeat quoque in sua potesta te, & libertate huiusmodi influxum. Sed de hoc alias. Posset prẽterea per dotem agilitatis explicari, quomodo sit in potesta te corporis beati seſe manifestare alicui, vel occultare. Quia nimirum potest subitò vel fieri præsens, vel in remotissimum locum secedere. Sed hic modus, licet possibilis sit, non tamen est ita sufficiens, sicut prior. Quia non explicat, quomodo sine mutatione, & distantia loci, & sine interpositione corporis opaci possit corp⁹ beatum seſe occultare in præsentia eorũ, qui videre possunt: quod tamen videtur necessarium. Quia si corpus glorioſum necessario immutaret visum, necessario etiam appareret lucidissimum. Item quia hæc perfectio valde cõsentanea est illi statui. Quãuis Scotus in 4.d.49.q.15.eã neget. Quia impossibile existimat, actionem agentis naturalis impediri posse per solam voluntatem creatam. Sed quomodo hoc fieri possit, dicetur disp.48.sect.1.

Scot.

In solutione ad.3. optime D.Tho. explicat verba illa Mar. vltimo. *Ostensus est illis in alia effigie.* Merito enim dubitari põt, quomodo Christus post resurrectionem effigiem mutare potuerit, & seſe ita ostendere duobus discipulis euntibus Emaus, vt non agnosceretur. Quam quæstionẽ proposuit Paulinus Aug. cui ipse respondet epist.59.ad.8. quęstionem, Christum domi num aliquomodo immutasse corpus suum, seu faciem, quoad delineamenta, vel figurã ne agnosci posset: statim vero priorem resumpsisse formam, sicut in transfiguratione per mutationem coloris quoad splendorem, & lucem quodammodo immutatus est. Eiusdem sentẽtiæ videtur fuisse Theophylactus super Lucam cap.24. Hæc vero sententia veri similis non est, non quia impossibile id fuerit Christo, (quod solum probant rationes Augu.) sed quia non fuit necessarium, nec decens corpori glorioso, & immortali. Et ideo exemplum de transfiguratione, quod affert, non est accommodatum. Tum quia Christi corpus prius erat in statu passibili, & mutationibus magis subiectum. Tum etiam, quia mutatio in delineamentis, & figura propria, & intrinseca, multò maior est, magisque repugnãs corpori immortali, quãm mutatio per solam lucis impressionem. Quia hæc perfectiua est, & fieri potest sine vlla alteratione

Testimonij Mar.16. Expositio. Aug.

Dubium. Theophyl.

Corpus beatum posse seſe alijs manifestare, vel occultare vnde habeat.

Richard. D. Thom.

tione propria corporum corruptibilium: illa vero fieri, seu intelligi non potest sine aliqua condensatione, vel rarefactione, aut simili alia quantitatis immutatione aliena à corpore incorruptibili. Quamobrē idē. Aug. lib. 3. de consensu Euangelis. cap. 25. priori expositione reiecta, dicit in Christo nullam mutationem esse factam: sed ita apparuisse, sicut erat: in oculis tamen discipulorum fuisse aliquid, quod eos impediret, ne eum agnoscerent. Quod colligit ex verbis Lucæ. *Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.* Illud autem impedimentum existimat fuisse aliquem humorem, vel quid simile nō immissum a Christo, sed à Dæmone, permittente Christo. Quod videtur Aug. addidisse, ne videretur facere Christum autorem deceptionis, & erroris. Sed in primis non est necesse, vt Dæmonis actio interuenerit, quia Christus directè voluit, & intendit sese occultare. Tum quia illi discipuli nondum erant dispositi, neque digni illius visione, vt idē Aug. notat. Tum etiam, quia necessarium id fuit, vt ipsi ignorantiam suam, & fidei imbecillitatem aperirent, quò possent ab ipso doceri, & ad firmiter credendum adduci. Ergo occultatio illa nō fuit ex operatione Dæmonis, sed ipsiusmet Christi. Vnde Marcus eam aperte tribuit ipsi Christo dicens. *Apparuit eis in alia effigie.* Deinde non fuit necessarium, humorem aliquē, vel aliquod positiuum impedimentum imprimi oculis discipulorum. Nam (vt recte D. Tho. notat) ex solo diuerso modo imprimendi species, fieri potest, vt figura, & forma faciei aliter appareat, quàm in se sit. Quia ergo (vt dictum est in soluti. ad. 2.) impressio specierum erat in libera potestate Christi, ideo etiam modus immutandi visum, erat in eiusdē potestate. Hoc igitur modo apparuit in alia effigie non quam in se susceperit, sed quę in aliorum oculis formata est. Et hoc est, quod Lucas dixit. *Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.* Quia nimirum non erant eis impressæ species, quibus illum possent agnoscere.

Et eodē modo dicitur infra, apertos fuisse oculos horum discipulorum, vt Christum agnoscerent. Nam, licet de internis oculis vtrumque exponatur à Caietano in Lucam (qui existimat in externis nullā immutationem fuisse factā, qua posset Christus occultari: sed per quandam interiorem ecstasim, & quasi abstractionem phantasiæ fuisse impeditos hos discipulos, ne Christum agnoscerent, & hoc impedimē tum postea esse sublatum: cui ex parte fauet Aug. lib. 11. Gene. ad literam cap. 31.) nihilominus facilius, & rectius intelligitur de oculis externis. Illi enim prius tenebantur, ne illum agnoscerent, non propter interiorem ecstasim (vt fingit Caieta.) sed ob diuersam effigiem, quā formabāt, vt ex Euang. Mar. colligitur. Idem ergo postea aperti sunt, non materialiter, (quia non erant antea clausi) sed (vt ita dicam) efficienter, quia illis datæ sunt species repræsentā tes propriam figuram, ac faciem Christi. Et ita exposuit de externis oculis D. Tho. infra. q. 55. art. 4. ad. 3. Vbi tī sequi videtur secundam expositionem Aug. supra traditam. Sed (vt existimo) non intelligit, humorem aliquem fuisse impressum oculis discipulorum: sed absolute fuisse in illis aliquē defectum, propter quem Christum nō agnoscebant, qualis prouenire solet ex caligine, vel humore in oculo existente. Nā sicut ex dispositione materiali oculi oritur interdū talis impressio speciei, quę in causa est, vt res non agnoscatur: ita potuit hic fieri non ob materialem dispositionē, sed ob virtutem causæ agentis. Ita videtur D. Tho. exponere Aug. Vereor tamen, ne sit præter mentem eis, cum dicat impedimentum hoc fuisse à Dæmone immissum, quod tamen. D. Thom. in citato loco consultò tacuit. Quanquam cum Aug. etiam dicat, Christum solum permisisse, vt oculi horum discipulorum tenerentur, ne eum agnoscerent, quod intelligo quantum ad deceptionem, & errorem illorū. Christus enim non fuit directa causa illius erroris, sed solum speciei, quam sensibus impressit, in quibus nō est propriè deceptio, sed simplex apprehensio vnius rei, vel alterius.

Et hinc etiam facile intelligitur, quomodo non fuerit Christus ex voce cognitus ab ijs, alijs ve discipulis, quando occultari voluit. Quia multo facilius est immutare vocis sonum, & modum exprimendi, ac pronuntiandi. Quod etiam sine miraculo fieri potuit, aliter mouendo linguam, & labia, & aerem aliter percutiendo. Addo deniq; , vestium varietatem etiam posse conferre ad se occultandum, & vt effigies diuersa appareat. Est autem verisimile, Christum, cùm apparuit sub specie hortulani, vel peregrini, vestibus acommodatis indu-

Aug. Luc. 24. Mar. 16. Christus post resurrectionē in alia effigie discipulis apparet quomodo. Luc. 24. Caiet. Aug. Oculi discipulorum externi quo modo aperti vt Christum presentem agnoscerent. D. Thom.

tum fuisse, quod aperte docet Iustinus martyr.q.116.ad Orthodoxos. *Nam licet hoc (inquit) expressè scriptum non sit: tamen exitis, quæ scripta sunt, colligitur.* Dicit autem Christum eas vestes confecisse de nouo sua potentia, vel aliunde sumpsisse. Quòd si quis contendat cum Abulense paradox. 5.cap.24 & sequentibus, eas nõ fuisse veras vestes: fateor quidem, ita fieri potuisse. Quia sicut Angelus assumit corpus, quod non est verum, quale apparet: ita corpus Christi potuit assumere vestes non veras, sed apparentes. Nec facile probari potest alterutrum: nec ad rem, de qua agimus, refert. Quia quantum ad effectum se occultandi, perinde sunt vestes apparentes, ac veræ, si eandem formam, ac figuram referant.

Iustin. Vestes Christi post resurrectionẽ quales. Abulens.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm Christi corpus resurrexerit integrum.

299 *Locis sup. qu.1.indu.*

AD secundum sic proceditur. *Videtur, quòd corpus Christi nõ resurrexerit integrum. Sunt enim de integritate humani corporis caro & sanguis, quæ Christus non videtur habuisse: dicitur enim primæ ad Corinthio. decimo quinto. Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Christus autem resurrexit in gloria regni Dei. Videtur ergo, quòd non habuerit carnem, & sanguinem.*

¶ 2. *Præterea, Sanguis est vnus de quatuor humoribus. Si ergo Christus habuit sanguinem, pari ratione habuit alios humores, ex quibus causatur corruptio in corporibus animaliũ. Sic ergo sequeretur, quòd corpus Christi fuerit corruptibile, quod est inconueniens. Non igitur Christus habuit carnem, & sanguinẽ.*

¶ 3. *Præterea, Corpus Christi, quod resurrexit, in cœlum ascẽdit. Sed aliquid de sanguine eius in quibusdam Ecclesiis reseruatur pro reliquiis. Non ergo resurrexit corpus Christi cum integritate omnium suarum partium.* ¶ *Sed contra est, quod Dominus dicit Lucæ vltimo, post resurrectionem discipulis loquẽs, Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.*

¶ *Respondeo dicendum, quòd (sicut suprà dictum est) corpus Christi in resurrectione fuit eiusdem naturæ, sed alterius gloriæ. Vnde quidquid ad naturam corporis humani pertinet, totum fuit in corpore Christi resurgentis. Manifestũ est autem, quod ad naturam corporis humani pertinent carnes, & ossa, & sanguis, & alia huiusmodi. Et ideo omnia ista in corpore Christi resurgentis fuerunt, & etiam integraliter absque omni diminutione, alioquin non fuisset perfecta resurrectio, si non fuisset redintegratum quicquid per mortem ceciderat. Vnde & Dominus fidelibus suis promittit dicens Matth.10. Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt: & Luc. 21. dicitur. Capillus de capite vestro nõ peribit. Dicere autem quòd corpus Christi carnem & ossa non habuerit, & alias huiusmodi partes humano corpori naturales, pertinet ad errorem Euthichij Constantinopolitanæ vrbis Episcopi: qui dicebat, quòd corpus nostrum in illa resurrectionis gloria erit impalpabile, & ventis aereque subtilius: & quòd Dominus post confirmata corda discipulorum palpantium, omne illud quod in eo palpari potuit, in subtilitatem aliquam redegit. Quod ibidem improbat Gregor. quia corpus Christi post resurrectionem, immutatum non fuit, secundum illud Roman. 6. Christus resurgens ex mortuis iam non moritur. Vnde & ille, quæ dixerat, in morte retractauit. Si enim inconueniens est, vt Christus alterius naturæ corpus in sua conceptione acciperet, puta cœleste, sicut Valentinus asseruit, multò magis inconueniens est, quòd in resurrectione alterius naturæ corpus resumpserit, quia corpus in resurrectione resumptsit ad vitam immortalem, quod in conceptione assumpserat ad vitam mortalem.*

ar. preced.

Ho.26 in euan. non. remote a princ.

¶ *Ad*

¶ *Ad primum ergo dicendum, quod caro, & sanguis ibi non accipitur pro natura carnis & sanguinis, sed vel pro culpa carnis & sanguinis: sicut Greg. dicit in 14. Mor. Vel pro corruptione carnis & sanguinis. Quia (vt Aug. dicit ad Cōsentium, de resurrectione carnis) non ibi erit corruptio & mortalitas carnis & sāguinis. Caro igitur secundum substantiā possidet regnum Dei: secundum quod dictum est. Spiritus carnem, & ossa non habet sicut me videtis habere. Caro autem cùm secundum corruptionem intelligitur, non possidebit, vnde continuo additum est in verbis Apostoli, Neque corruptio incorruptelam.*

li.14.mor. c.31.nōpro cul a fine. Aug.epist. 146.to.2

¶ *Ad secundum dicendum, quòd sicut Augustinus dicit in eodem libro, fortassis accepta occasione sanguinis vrgebit nos molestior perscrutator, & dicet. Si sanguis in corpore Christi resurgentis fuit, cur non & pituita, idest, phlegma, cur non & fel flauum, idest cholera, & fel nigrum, idest melancholia, quibus quatuor humoribus naturam carnis temperari etiā medicinæ disciplina testatur? Sed quodlibet quisquis addat, corruptionem addere caueat, ne suæ fidei sanitatē, castitatemque corrumpat. Valet enim diuina potentia de ista visibili atque tractabili natura corporum, quibusdam manentibus, auferre quas voluerit qualitates, vt absit labes, scilicet corruptionis, adsit effigies, adsit motio, absit fatigatio, adsit vescendi potestas, absit esuriendi necessitas.* ¶ *Ad tertium dicendū, quòd totus sanguis, qui de corpore Christi fluxit, cū ad veritatem humanæ naturæ pertineat, in corpore Christi resurrexit: & eadem ratio est de omnibus particulis ad veritatem & integritatem humanæ naturæ pertinentibus. Sanguis autem ille, qui in quibusdam Ecclesijs pro reliquijs conseruatur, non fluxit de latere Christi, sed miraculosè dicitur effluxisse de quadam imagine Christi percussa.*

Lucę.vlti. ep.146.nō multū lōge a prin.to.2

A HIc articulus quoad conclusionem, & probatiònem D.Tho. non indiget noua expositione, sed videnda sunt, quę diximus de resurrectione in communi. De ijs verò, quæ in solutione argumentorum attingit, de humoribus, & alijs partibus assumptis à Christo in resurrectione, disseremus disputatione sequenti. Locus autem ille. 1. ad Cor. 15. *Caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt*, quē D. Th. tractat in sol. ad. 1 expositus est in priori tomo disp. 15. sect. 6.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrū Christi corpus resurrexerit gloriosum.

B *AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd corpus Christi non resurrexerit gloriosum. Corpora enim gloriosa sunt fulgentia, secundum illud Matthæi 13. Fulgebunt Iusti sicut sol in regno patris eorum sed corpora fulgida videntur secundum rationem lucis, non autem secundum rationem coloris. Cum ergo corpus Christi visum fuerit sub coloris specie, sicut & prius videbatur, videtur quòd non fuerit gloriosum.* ¶ 2. *Præterea, Corpus gloriosum est incorruptibile. Sed corpus Christi non videtur fuisse incorruptibile: fuit enim palpabile, sicut & ipse dicit Luc. vlt. Palpate, & videte. Dicit autem Gregorius in quadam Homilia, quod corrumpi necesse est quod palpatur, & palpari non potest, quod non corrumpitur. Non ergo corpus Christi fuit gloriosum.* ¶ 3. *Præterea, Corpus gloriosum non est animale, sed spirituale, vt patet primæ ad Corinthios. 15. Sed corpus Christi videtur fuisse animale post resurrectionem: quia cum discipulis manducauit & bibit, vt legitur Lucæ vltimo & Ioannis vltimo. Ergo videtur, quòd corpus Christi nō fuerit gloriosum.* ¶ *Sed contra est, quod Apostolus dicit ad Philip. 3. Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.*

300 Infr.q.15. art.6.ad 4 1 t quo.5. q 2.arti.1, Et op. 3.c. 245.

C

Homi.26. in Euange. paulo post prin.

Res-

Respondeo dicendũ, quòd corpus Christi in resurrectione fuit glorioſum, et hoc apparet triplici ratione. Primò quidem quia resurrectio Christi fuit exemplar, & causa nostræ resurrectionis, vt habetur primæ ad Corinthios 15. Sancti autẽ in resurrectione habebunt corpora gloriosa, sicut ibidem dicitur, Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Vnde cùm causa sit potior causato, & exemplar exẽplato, multò magis corpus Christi resurgentis fuit glorioſum. Secundò, quia per humilitatem passionis meruit gloriam resurrectionis. Vnde & ipse dicebat, Nũc anima mea turbata est: quod pertinet ad passionem: & postea subdit, Pater clarifica nomen tuum, in quo petit q.34.ar.4 *gloriam resurrectionis. Tertiò, quia sicut suprà habitum est, anima Christi à principio suæ conceptionis fuit glorioſa perfruitionem diuinitatis perfectam. Est autem dispensatiuè factum (sicut suprà* q 14 ar.1. ad 2.argu *dictum est) vt ab anima gloria non redundaret in corpus, ad hoc quòd mysterium nostræ redemptionis sua passione impleret. Et ideo peracto hoc mysterio passionis & mortis Christi, statim anima in corpus in resurrectione resumptũ, suam gloriam deriuauit: & ita factum est corpus illud glorioſum.*

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd omne quod recipitur in aliquo, recipitur in eo secundum modum recipientis. Quia igitur gloria corporis deriuatur ab anima Epi.56.ante medium to.2 *(vt Auguſt. dicit in Epiſtola ad Dioſcorum) fulgor seu claritas corporis glorioſi est secundum colorem humano corpori naturalem: sicut vitrum diuersimodè coloratum recipit splendorem ex illustratione solis secundum modum sui coloris. Sicut autem in potestate hominis glorificati est, vt corpus eius videatur,* Arti.1.huius q.ad.2.arg. *vel non videatur (sicut dictum est) ita in potestate eius est, quòd claritas eius videatur vel non videatur, vnde potest in suo colore sine aliqua claritate videri:*

A *& hoc modo Christus suis discipulis post resurrectionem suam apparuit. ¶ Ad secundum dicendum, quòd corpus aliquod dicitur esse palpabile, non solum ratione resistentiæ, sed ratione suæ ſpiſſitudinis. Ad rarum autem & spissum sequũtur graue & leue, calidum & frigidum, & alia huiusmodi contraria, quæ sunt principia corruptionis corporum elementarium. Vnde & corpus quod est palpabile humano tactu, est naturaliter corruptibile. Si autem sit aliquod corpus resistens tactui, quod non sit dispositum secundum prædictas qualitates, quæ sunt propria obiecta tactus humani (sicut est corpus cœleſte) tale corpus non potest dici palpabile. Corpus autem Christi post resurrectionem vere fuit ex elementis*

B *compoſitum, habens in se tangibiles qualitates, secundum quod requirit natura corporis humani, & ideo naturaliter erat palpabile. Et si nihil aliud habuisset supra corporis humani naturam, fuisset etiam corruptibile. Habuit autem aliquid aliud quod ipſum incorruptibile reddidit, non quidem naturam cœleſtis corporis, vt quidam dicunt (de quo infrà magis inquiretur) sed gloriam redũdantem ab anima beata, quia vt Auguſ. dicit in Epiſtola ad Dioſcorum, Tam potenti natura Deus fecit animã, vt ex eius pleniſſima beatitudine, redundet in*

C *corpus plenitudo ſanitatis, id est incorruptionis vigor. Et ideo sicut Greg. dicit ibidẽ, Oſtenditur corpus Christi poſt resurrectionem fuisse eiusdem naturæ, sed alterius gloriæ. ¶ Ad tertium dicendũ, quòd sicut Aug. dicit 13. de Ciuit. Dei. Saluator noster poſt resurrectionem, iã quidem in ſpiritali carne, sed tamen vera, cibũ & potum cum discipulis sumpſit, non alimentorum indigentia, sed ea qua hoc poterat poteſtate. Vt enim Beda dicit ſuper Lucã, aliter abſorbet aquam terra ſitiens, aliter solis radius calens: illa indigentia, iſte potentia. Manducauit*

Materiãde dctibus videtur reſpicere, quam non complet. epiſ.56.ante medium, to.2. Ho.26.in euang. non remote a prin. lib.13.cap. 22.circa fi. to.5. Bed,c.97. & eſt vl.in Luc.ſuper illud, Habetis aliquid vt manducetur

uit ergo post resurrectionem, non quasi cibo indigens, sed vt eo modo naturam corporis resurgentis astrueret. Et propter hoc non sequitur, quòd fuerit eius corpus animale, quod est indigens cibo.

COMMENTARIVS.

Christi corpus resurgit glorioſum.

DOcet D. Thom. in hoc arti. corpus Christi domini fuisse glorioſum in resurrectione ſua. Quæ concluſio ſimpliciter, & abſolutè ſumpta eſt de fide certiſsima, vt teſtimonia, & rationes, quibus D. Th. vtitur, apertè conuincunt, quæ adeo ſunt perſpicua, vt noua expoſitione, aut confirmatione non egeant. Etenim illa omnia, quibus ſupra probauimus Chriſtum verè ſurrexiſſe, hoc etiã probãt. Nam in omnibus illis locis ſermo eſt de glorioſa reſurrectione, & immortali. Dixi autem concluſionem abſolutè intellectã eſſe de fide, vt videlicet ſermo ſit de corpore glorioſo, ideſt, habente eam perfectionem, & ſtatum, quem corpora ſunt in beatitudine habitura. Nam ſi ſermo ſit de corpore habente hanc, vel illam perfectionem, nimirum quatuor dotes, vel qualitates, aut alias perfectiones gloriæ, ſic tam certum eſt Chriſtum habuiſſe corpus glorioſum, quam eſt certum, habuiſſe has qualitates, & perfectiones. De quare, vt hæc materia completa ſit, poſtea propriam diſputationem inſtituemus.

Teſtimonij Gre. Papæ. Expoſitio

Solutio ad. 1. ex dictis in articulo. 1. explicata eſt. In ſolutione verò ad. 2. explicat D. Tho. verba Gregorij Homil. 26. in Euangelia. *Corrumpi neceſſe eſt, quod palpatur, & palpari non poteſt quod non corrumpitur.* Et in ſumma dicit, ſic eſſe intelligenda, palpari non poſſe, niſi corpus natura ſua corruptibile, corpus autem glorioſum quanuis propter ſtatum gloriæ factum ſit incorruptibile, non tamẽ amiſiſſe propriã naturam, & compoſitionem ex contrarijs qualitatibus. Vnde habet, quod ex ſe corruptibile ſit, quãuis per gloriam ſit incorruptibile: & ideo hic modus incorruptionis non obſtat, quominus tale corpus palpari poſsit. Qua occaſione hic diſputari poſſet quomodo corpus glorioſum ſit incorruptibile. Sed de hoc ſtatim poſt ſequẽtem diſputationem.

Dubium.

Secundo poſſet inquiri, quid ſit corpus A eſſe palpabile, & an corpus cœleſte palpabile ſit, aut cur hoc ſit proprium corporis corruptibilis. Sed hæc quæſtio philoſophica eſt: non poſſumus tamen miſſam facere expoſitionem textus D. Tho. Docet enim, corpus eſſe palpabile non ratione ſolius reſiſtentiæ, ſed ratione ſuę denſitatis, ad quam ſequuntur qualitates habentes contrarium, quæ ſunt principia corruptionis. Vnde concludit ſolum illud corpus eſſe palpabile, quod habet iſtas qualitates: corpus autem cœleſte, quanuis reſiſtat tactui, non tamen palpari, quia nõ habet huiuſmodi qualitates. Addit vero Caieta. tacitæ obiectioni reſpondens, quod D. Th. dicit, ex denſitate oriri, vt corpus ſit palpabile, intelligendum eſſe de denſitate propria corporum corruptibilium. Nam cœleſtia quæque corpora (inquit) denſitatem habẽt: tamen alterius rationis. Nihil enim eſt commune vniuocum corpori corruptibili, & incorruptibili. Sed in primis, hoc vltimum principium, quod Caietan. aſſumit, falſum eſſe exiſtimo. Et quidem, ſi intelligatur de prædicato communi vniuoco ſecundum rationem genericam, & inſtituto præſenti non eſt neceſſarium (quia licet denſitates illæ eſſent diuerſę rationis, poſſent in communi ratione vninoce conuenire) & omnino eſt falſum, & ſine fundamẽto, vt cõſtat ex Dialectica, & Metaphyſica. Cur enim ratio corporis, & ſubſtantiæ, & quantitatis non dicetur vniuoce de corpore cœleſti, & elementari? Si autem intelligatur de ratione vniuoca ſecundum ſpeciem vltimam, ſic quidem minus eſt improbabile: mihi tamen nunquam viſum eſt verũ. Suppoſita enim reali diſtinctione quantitatis à ſubſtantia, exiſtimo probabilius quantitatem eſſe eiuſdem ſpeciei in corpore cœleſti, & elementari, etiã ſi ſubſtãtiales materiæ diuerſæ ſint. Quia modus extenſionis in ordine ad locũ, per quem nos à poſteriori concipimus effectum formalem huius quantitatis, per modum cuiuſdam capacitatis, ſeu aptitudinis ad replendum locum tali modo, hæc (inquam) extenſio eiuſdẽ rationis eſt in omnibus corporibus. Signum ergo eſt, effectum formalem quantitatis, atque adeo quãtitatem ipſam eſſe eiuſdẽ rationis in illis. Vnde vlterius colligo, denſitatem, quę nihil aliud eſt, quàm modus quidam quantitatis, eiuſdem rationis eſſe in vtriſque corporibus: ſicut etiam figura eſt eiuſdem rationis,

Caiet.

tionis, & omnes modi similes, qui intelligi possunt manere in sola quantitate abstracta, aut per diuinam omnipotentiam cõseruata separata ab omni materia, & sine vlla propria qualitate realiter diuersa. Quo circa id propriè existimo, reddere corpus aliquod palpabile, quod reddit illud sensibile sensu tactus, non per modum causæ efficientis, quæ non propriè ipsa in se sentitur, sed effectus eius: sed per modum obiecti, ac proprij sensibilis talis sensus. Quia palpare nihil aliud est, quã tangẽdo experiri, seu sẽsu tactꝰ percipere, vt ex significatione ipsius vocis constat, & quia nihil aliud fingi, aut excogitari põt. Quod etiam indicauit Christus illis verbis, *Palpate, & videte*, id est, experimento cognoscite: palpare ergo est tactu sentire, quod tangitur, ergo esse palpabile est esse sensibile sensu tactus. Ad hoc autem in primis necessarium est, vt corpus resistat, non vtcunque, sed ratione densitatis, & duritiei. Quod ideo addo, quia licet cœlum resistat tactui, vt manui v.g. si conaretur moueri vltra superficiem concauam lunæ: tamen non resistit ratione densitatis. Nam licet in cœlo sint partes raræ, & densæ: tamen æquè resistunt omnes. Nõ ergo prouenit ex dẽsitate, sed ex indiuisibilitate, ex eo, quòd cœlum est incapax diuisionis ratione suæ substantiæ, & alicuius fortasse superioris qualitatis. Corpora verò corruptibilia resistunt ratione densitatis, & duritiei. Nam si hæc desit, facile cedunt, & diuiduntur, vnde fit, vt palpari nõ possint. Hæc ergo est prima conditio necessaria in corpore palpabili: & hoc sensu dixit D. Thom. corpus esse palpabile ratione suæ *spissitudinis*: non quòd sit ad æquata ratio, sed conditio in primis necessaria, quã semper comitantur qualitates illæ, quæ sunt propria obiecta sensus tactus. Quæ verò sint hæ qualitates non est præsentis instituti explicare. Nam ad D. Tho. intelligendum dicta sufficiunt.

Responsio Corpus est palpabile quid sit.

Luc. 24.

Cœlum nõ est palpabile cur.

Dubium.

Tertio verò inquiri potest, quomodo corpus glorioſum palpabile sit. Sed hoc facile definitur ex dictis. Nam in corpore glorioso manet diuersitas membrorum, & quædã sunt dura, alia mollia, omnia verò habent sufficientem densitatem, vt ex hac parte contrectari possint: aliunde quoque habent suum naturale temperamentum, ac dispositiones, à quibus prouenit, vt sentiri possint. Sed est obseruandum (quod supra diximus) corpus glorioſum non agere ex necessitate naturæ, & aliqui habere dotem subtilitatis: vnde fit, vt si velit, possit neque resistere tactui, neq; per qualitates elementares illud immutare, & ideò, si noluerit, non poterit palpari. Deinde potest, (si velit) sua quantitate resistere alteri corpori, non vtendo dote subtilitatis, nec se penetrando cum eo, neque etiam illi cedendo, & tamen nihil efficere in aliud corpus, neque per suas qualitates tactiles illud immutando, aut speciem intentionalem imprimendo. Quia hæc actio (vt dixi) est libera corpori glorioso, & non est necessariò coniuncta cum priori resistentia: atque hoc modo potest corpus glorioſum resistere, & non palpari, ad eum modum, quo id posset contingere in còrpore cœlesti. Potest tamen corpus glorioſum suo etiam arbitrio resistere tactui, immutando illũ per qualitates sensibiles, atque hoc modo potest palpari. Est ergo (vt ita dicam) corpus glorioſum palpabile voluntarie, ac libere, non ex necessitate.

Responsio Corpus glorioſum quomodo sit palpabile, & tangibile,

In solutione ad tertium explicat diuus Thom. quomodo Christus in corpore glorioso potuerit manducare. De qua re dicemus disputatione sequenti.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum corpus Christi debuerit cum cicatricibus resurgere.

AD quartum sic proceditur, Videtur, quòd corpus Christi non debuerit cum cicatricibus resurgere. Dicitur enim primæ ad Corinthios. 15. quòd mortui resurgẽt incorrupti. Sed & cicatrices, & vulnera ad quandam corruptionem pertinent, & defectum. Non ergo fuit conueniens, vt Christus, qui est resurrectionis auctor, cum cicatricibus resurgeret. ¶ 2. *Præterea, Corpus Christi integrum resurrexit: sicut dictum est. Sed aperturæ vulnerũ contrariantur integritati corporis: quia per eas discontinuatur corpus. Non ergo videtur fuisse conueniens, quòd in corpore Christi aperturæ vulnerum remanerent*

301 3. dist. 21. q. 2. art. 4. q. 3. Et op. 3. c. 245. et op. 60. ca. 22. co. 4

ar. 2. huius quæ.

rent, etsi remanerent ibi quædam vulnerum insignia, quæ sufficiebant ad aspectum, ad quem Thomas credidit: cui dictum est. Quia vidisti me Thoma, credidisti. ¶ 3. Præterea, Damasc. dicit in quarto lib. quod post resurrectionem de Christo dicuntur quædam verè, quæ non habuit secundum naturam, sed secundum dispensationem, ad certificandum quod ipsum, quod passum est corpus, resurrexit: vt cicatrices. Cessante autem causa, cessat effectus. Ergo videtur, quod certificatis discipulis de sua resurrectione, cicatrices vlterius non habuerit. Sed nõ cõueniebat immutabilitati gloriæ, quod aliquid assumeret quod perpetuo in eo nõ remaneret. Ergo videtur, quòd nõ debuerit corpus cum cicatricibus in resurrectione resumere. ¶ Sed contra est, quod Dominus dicit Thomæ Ioan. 20. Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, et affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.

lib. 4 c. 19 paulo ante finem.

Respondeo dicendum, quòd conueniẽs fuit, animam Christi in resurrectione corpus cum cicatricibus resumere. Primo quidem propter gloriam ipsius Christi. dicit enim Beda super Lucam, quod non ex impotentia curandi, cicatrices seruauit, sed vt in perpetuũ victoriæ suæ circunferat triumphum. Vnde & Augustinus dicit in 22. de Ciuitate Dei. Quod fortasis in illo regno in corporibus martyrum videbimus vulnerum cicatrices, quæ pro Christi nomine pertulerunt. Nõ enim deformitas in eis, sed dignitas erit, & quædam, quanuis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit. Secũdò, ad confirmandum corda discipulorum circa fidem suæ resurrectionis. Tertiò, vt Patri pro nobis supplicans quale genus mortis pro homine pertulerit, semper ostendat. Quarto, vt sua morte redemptis, quàm misericorditer sint adiuti, propositis eius de mortis indicijs, insinuet. Postremo, vt in iudicio quàm iustè damnentur, ibidem denuntiet. Vnde sicut Augustinus dicit in lib. 2. de Symbolo capit. 8. Sciebat Christus quare cicatrices in suo corpore seruaret: sicut enim demonstrauit Thomæ non credenti, nisi tangeret & videret, ita etiam inimicis vulnera demonstraturus est sua, vt conuincens eos veritas dicat, Ecce hominem quem crucifixistis, videtis vulnera quæ infixistis, agnoscitis latus quod pupugistis: quoniam per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.

Bed. ca 97 in Lucã id innuit.

Ad primum ergo dicendum, quòd cicatrices illæ quæ in corpore Christi permãserunt, non pertinent ad corruptionem, vel defectum, sed ad maiorem cumulum gloriæ, in quantum sunt quædam virtutis insignia, & in illis locis vulnerũ quidam specialis decor apparebit. ¶ Ad secundum dicendum, quòd illa apertura vulnerum, quanuis sit cum quadam solutione continuitatis, totum tamen hoc recompensatur per maiorem decorem gloriæ, vt corpus non sit minus integrum, sed magis perfectum. Thomas autẽ non solum vidit, sed etiam vulnera tetigit: quia (vt dicit Leo Papa) sufficit sibi ad fidem propriam, vidisse, quod viderat, sed nobis operatus est, vt tangeret, quem videbat. ¶ Ad tertium dicendum, quòd Christus in suo corpore voluit cicatrices vulnerum remanere, non solum ad certificandam discipulorum fidem, sed etiam propter alias rationes. Ex quibus appareret, quod semper in eius corpore cicatrices illæ remanebunt: quia (vt Augustin. dicit ad Consentium, de resurrectione carnis) Domini corpus in cœlo est, credo, vt erat quando ascendit in cœlum. Et Gregor. 14. Moralium dicit. Quod siquid in corpore Christi post resurrectionem potuit immutari, contra veridicam Pauli sententiam, post resurrectionem Dominus rediit in mortem, quod quis dicere

Aug. epist. 146. paulo a principio to. 2.

li. 14. Moral ca. 31. a med.

Superillud Luc. ostendit eis manus c. 97. in Luc. & & est vltimum.

Lib. 22. c 20. in principio to. 5.

cere nisi stultus præsumat, qui veram carnis resurrectionem denegat? Vnde patet, quòd cicatrices, quas Christus post resurrectionem in suo corpore ostendit, nunquam posthodum ab illo corpore sunt remotæ.

Contextus D. Thom. satis est perspicuus, de re vero ipsa disseremus disputatione sequenti.

DISPVTATIO XLVII.

In sex sectiones distributa.

De integritate, ac perfectione naturali corporis Christi resurgentis.

DIximus in superioribus, Christum dominum verè, ac propriè surrexisse, atque adeò post resurrectionem habere verum corpus humanum, & perfectum perfectione essentiali: hoc enim saltem est necessarium ad veritatem resurrectionis. Vnde etiã fit, necessarium esse, vt habeat corpus organicum, & conueniẽti modo dispositum saltem, prout necessarium est ad veritatem, & naturalem consistentiam humanæ naturæ, iuxta ea, quæ diximus de resurrectione in cõmuni. Nũc ergo dicendũ superest de perfectione, quę est præter rei essentiam, sine qua rei natura posset consistere, licet non adeò perfectè. Hęc autẽ perfectio duplex esse potest, vna supernaturalis (de qua dicturi sumus disputatione sequenti) altera naturalis, de qua hic dicendum est: & ad tria, vel quatuor capita reuocãda est, scilicet, ad perfectionem qualitatis, actionis, seu virtutis actiuæ, & quantitatis. Et quidem de qualitatum naturalium perfectione, nihil specialiter dicendum occurrit. Quia qualitates naturales vel sunt dispositiones, quæ complent naturale temperamentum, & de his iam diximus, necessarias fuisse in corpore Christi. Vel sunt qualitates secundæ, quæ ex temperamento primarum consequũtur vt color, & de his eadem est ratio, quæ de primis, neque in eis est aliqua difficultas, quæ explicatione indigeat. Vel sunt veluti modi quidam resultantes ex quantitate, aut ex proportione partium, seu aliarum qualitatum, vt sunt figura, pulcritudo, sanitas, & de his etiã nulla est specialis quæstio. Tũ quia, si hęc fuerunt perfectissima in corpore Christi mortali, certius est, esse in corpore glorioso. Tum etiam, quia cùm hæc consequantur ex perfectione quãtitatis, & aliarum qualitatum, explicata veritate in fundamento, explicata relinquitur in reliquis, quę necessario consequuntur. Aliæ deniq; sunt qualitates, quæ sunt propriæ potentiæ actiuæ, quæ in secundo membro supra posito comprehenduntur. Dicendum vero est prius de quantitate, quoniam maximè intrinseca est corpori, & ab illa maximè pendent omnes corporis facultates. Quantitatis autem perfectio in tribus potissimum videtur consistere, scilicet, in perfecto, ac completo numero omnium partium corporis humani, perfectaque singularum partium magnitudine, ex qua resultat debita totius corporis moles, ac denique debita integritas, compositio, & continuatio huiusmodi partium.

SECTIO PRIMA.

Vtrum corpus Christi glorioſum habuerit omnes partes solidas corporis humani.

PRimum omnium certum de fide est Christi domini corpus surrexisse integrum, ac perfectum. Quod probari potest testimoniis, & rationibus, quibus priori tomo disputauimus, sect. 5. probauimus, assumpsisse Verbum diuinum in Christo naturam nostram integram, sicut eam in Adamo plantauit. Quia factus est homo perfectus, ac integer, non mancus, & mutilus. Hoc enim licet fuerit verum in statu mortali, multo tamen magis in statu gloriæ. Tum quia (vt Athanas. dixit lib. de incar. Verbi, eiusque corporali aduentu) *corpus, in quo Christus resurrexit, non alterius cuiusquam sed ipsius met vitæ corpus fuit, & ideo cum omni integritate resurrexit.* Nam sicut in prima assumptione propter Verbi maiestatem, non decuit assumi corpus nã cum, aut mutilũ: ita etiã neque in resurrectione, cũ eadem perseuerauerit vnio ad Verbũ, & præterea adiuncta fuerit perfectio gloriæ, quæ naturalem hãc perfectionem supponit. Tum præterea, quia (vt dixit Greg. Nyssenus orat. 1. de Resurrect.) *Christus id, ad quod erat iterum reuersurus per resurrectionem, quidquid iacebat vna secum excitauit,* sed in sepulcro iacuit integrum corpus,

Corpus Christi integrum, ac perfectum resurrexit. Athanas.

Cre. Nyss.

pus, sicut erat viuum, quia in passione nullũ mẽbrum est illi absciſſum, ſicut neque os aliquod cõfractũ est. Constat igitur, resurrexisse corpus Christi integrũ, ac perfectũ, atque adeò omnibus partibus solidis cõstãs. Voco aũt partes solidas eas, quę ab humoribus distinguntur, de quibus sectione sequenti dicẽdũ est. Vnde sub his partibus cõprehenduntur in primis omnes illæ partes, quæ anima rationali informantur, de quibus nulla potest esse controuersia. Cõprehenduntur quoque dẽtes, & vngues. Eiusmodi nãque probabile est informari anima, & certũ, requiri ad corporis integritatẽ, & ad aliquas actiones connaturales homini. Deinde idẽ dicendum de barba, & capillis capitis. Nã licet de his maius dubiũ sit, an informẽtur anima: certũ tamen est, plurimum conferre ad ornatũ, & cõplementũ humani corporis. Præterea idẽ est de inteſtinis, quæ etiam sunt partes solidæ, & sine vlla dubitatione ab anima informantur, & ad integritatẽ naturalẽ humani corporis requiruntur. An vero essent vacua, vel quibus substantijs plena, dicemus sectione sequenti. Et confirmantur hæc omnia. Nã in omnibus hominibus resurgentibus ad gloriam omnes hę partes instaurabuntur, quia *capillus de capite eorum non peribit*, vt latè tractat Aug. in Enchirid. c. 87. & sequentibus, & li. 20. de Ciuit. c. 19. & Theologi in 4. d. 44. vbi D. Th. q. 1. artic. 2. optimam rationem affert. Quia corpora Beatorũ reparantur ad perfectionem vltimam consequendam: ergo oportet, vt in substãtia sua integra, ac perfecta restituantur: ergo multo magis hoc fuit necessarium in Christo, cuius corpus nõ solum reparabatur per resurrectionẽ, vt vltimam perfectionem gloriæ consequeretur: sed etiam, vt esset exemplar omnium, quæ similem perfectionẽ erant cõsequuturа, tanquã corpus ipsius Dei proprium. Accedit, quòd propter infinita merita multo magis debebatur Christo hæc perfectio, quàm alijs.

Luc. 21. Aug. D. Thom.

Dubium.

Solũ potest hoc loco vulgaris ila quæstio desiderari, an in corpore Christi post resurrectionẽ fuerit præputiũ, quod in circũcisione absciſſum est. Et ratio dubitãdi esse potest. Quia præputiũ Christi dicitur adhuc esse in terris. Innocentius. n. tertius lib. 4. de mysterijs Missæ refert, in Latera. Basilica reseruari, quod etiã nũc habet Romana traditio. Est enim in Lateranensi tẽplo quidã locus sacer, qui propter multitudinẽ, & excellẽtiã reliquiarũ, quę in eo adseruantur, *Sancta Sanctorũ* vocatur: ibique præputiũ Christi esse dicitur, translatũ: porrò tẽpore Caroli Calui ex Aquisgranensi ciuitate, vbi, (eodem autore Innocẽtio,) Carolus Magnus illud collocauerat, sibi per Angelum Ierosolyma delatum. Et confirmatur, quia sicut in corpore Christi resurgẽtis manserunt vulnera clauorum, & lanceæ, salua corporis integritate, ac perfectione: ita potuit manere cicatrix illa circunciſionis, igitur non fuit necessarium præputium iterum assumi.

Ian. 3. Pa.

Innocent. Supp. Ga.

Resp. In corpore Christi resurgentis præputium est. Theo. Bon. Sup. Gab. Medin. Turrecre.

Nihilominus dicendum est, in corpore Christi domini resurgentis esse præputiũ. Ita sentiũt Theophy. Luc. 2. Bona in 4. d. 12. & Supplemẽtũ Gab. in 4. d. 44. q. 1. & Medina hic ar. 2. existimat esse rẽ certam, quanuis Turrecremata in. c. Inuitat. de cõsecrat. d. 2. & Sylvest. in rosa aurea, rẽ sub dubio relinquant. Ratio aũt nostræ sentẽtiæ est. Quia præputiũ est particula humani corporis ad eius integritatẽ aliquomodo pertinens: ergo non deſt nunc corpori Christi in cęlo. Quia esset aliqua imperfectio, cui⁹ nulla sufficiẽs causa fingipotest. Nã, quòd maneat cicatrix vulneris in circunciſione accepti, vel nõ est necessariũ, vel certè fieri potuit sine diminutione, & defectu alicuius partis. Itẽ Adam, & alij Beati habebunt integra corpora absq; defectu huius partis. Quod. n. quidam dixerunt (vt hic Medina refert) omnes Beatos habituros circunciſa corpora, fabulosum est, ac Iudaicum, & de ijs, præsertim qui in hac vita circunciſi non fuerunt, est prorsus incredibile. Cur enim humanum corpus non habebit in beatitudine omnem illam naturalem perfectionẽ, & substantialem integritatem, quam in prima creatione habuit, & in statu innocentiæ haberet? Aut cur potius virile corpus, quã fœmineum ex parte aliqua mutilum futurum erit? Quod si in aliquo futurum est integrum, & sine vllo defectu, maximè in Christo.

Ad traditionem ergo, seu hiſtoriam referẽtem particulam illam præputij Christi seruari hactenus in Ecclesia, Innocentius supra in dubiũ illã reuocat. Nã dicit, totũ hoc esse Deo cõmittendum. Supplementũ autem Gabrielis dicit, probabile esse simul manere in terra, & in corpore Christi, in quo informatur anima rationa-

li, & viuit: in terra vero est inanime. Sed mihi non videtur hoc credibile, nõ quòd existimem implicare contraditionem: sed quia nulla est causa tãti miraculi, nec probabile fundamentum, vt illud credatur.

Bonauent. Bonauentura igitur suprà, dubio secundo circa textum Magistri respondet, fortasse in præputio non fuisse aliquid pertinens ad veritatem humanæ naturæ, vel (si aliquid fuit,) illud fuisse reassumptum: aliquam verò materialem partem conseruatam esse pro deuotione fidelium. Mihi tamen dicendum occurrit, particulam illam præputij formaliter, (vt sic dicam) esse de integritate corporis: non verò materialiter, ideſt, vt constans ex illa individua parte materiæ, ex qua cõstabat præputium in circuncisione abscissum, iuxta doctrinam generaliter supra datam de veritate resurrectionis. Vbi ex sententia Augustin. & diui Thom. diximus, non esse ad veram resurrectionem simplicite necessarium, vt omnes partes materiales corporis ex eisdem numero partibus materiæ constent, ex quibus prius constabant: sed sat esse, vt totum constet ex eadem materia tota, & ad maiorem perfectionem satis etiam esse, vt principales partes, seu organicæ omnino eędem sint, & ex eadẽ materia. Quòd verô minima aliqua materialis pars interdum ex alia materia suppleatur, nihil obstat tam veritati, quã perfectioni resurrectionis, præsertim si illamet materia fuit aliquando pars eiusdem corporis. Sic igitur in præsenti dici potest corpus resurgẽs habuisse præputiũ formatum ex aliqua parte materiæ illius, quę aliquando fuit in corpore Christi, & per continuam nutritionem resoluta fuerat: particulam verò illam, quæ in circuncisione abscisa fuerat, relictam esse in terris ad fidelium deuotionem. Hoc modo & saluatur perfecta integritas corporis Christi resurgentis, & fides humana adhibetur traditioni asserenti, Christi prępuium manere in terris. Neque in hoc apparet vlla difficultas, vel inconueniens. Nam etiam illamet particula tempore infantiæ abscisa non constabat ex tota materia necessaria, vt restitueretur in ea quantitate, quam corpus perfectæ magnitudinis requirit. Oportebit ergo addere aliquid materiæ, id scilicet, quod in vitæ progressu acquisitũ esset per nutritionem. Rursus illamet particula materiæ, qua constabat præputium in infantia, fortasse si tunc nõ fuisset abscissa, per continuam vitæ nutritionẽ fuisset resoluta, sicut de materia aliarum partium est verisimile, ergo non oportuit assumere præputium ex illamet materia. Et hoc est satis ad rem incertam, dummodo certò constet, Christi corpus in cœlo hac parte non carere.

Responsio ad obiectionem.

Particula præputij Christi in circuncisione abscisa in Laterane nsi Basilica adseruari, creditur.

SECTIO SECVNDA.

Quomodo in corpore Christi glorioso, vulnerũ cicatrices, salua eius integritate, ac perfectione permanserint.

HAEC dubitatio oritur ex dictis sectione prędeti, duplici ex capite. Primò quia de integritate, ac perfectione humani corporis est partium continuitas, sine qua nec integritas, neq; soliditas perfecta potest intelligi. Sed, si in manibus, pedibus, ac latere mãserunt hiatus vulnerum, non potuerunt illæ partes esse continuæ: ergo neq; habuerunt debitam integritatem. Et hęc difficultas potissimum apparet in arterijs, neruis, ac venis. Nam horum continuitas maximè necessaria est ad continendum sanguinem, & spiritus, & vt deriuentur, fluantq; per corpus: deniq; ad motionem, & vsum partiũ organi earum. Secundò quia necesse est, vt desint aliquæ partes carnis, & neruorũ, aliæq; similes, quibus illa foramina opplẽda forẽt: ergo nõ est corpus omni ex parte completum. Antecedens patet, quia de facto illa vulnera non replentur carne, neruis, &c. & alijs partibus nihil est additum. Oportuisset enim aut densiores fieri, quã natura sua postulẽt, aut aliunde deformiter augescere: vtrumque autem est contra perfectionẽ illius corporis. In contrarium autẽ est, quia Ioan. 20. dicitur Christus, vt Thomam ad fidem reuocaret, in manibus ac latere vulnerum ostendisse vestigia.

Ioann. 20.

In hac re propter prędictũ locũ Ioan. de fide certũ est, seruatas esse in corpore Christi resurgentis quinq; vulnerũ cicatrices. Nam, licet Ioannes non faciat expressam mentionẽ pedum, tamen vniuersa Ecclesia semper intellexit, ita esse locum hunc explicandum, sicut & ab vniuersis Patribus expositus est. Quia ferè eadem est ratio pedum, ac manuum. Quod verò Christus tantum manus, & latus ostenderit, in causa fuit, quia Thomas solum fecerat mentio-

In corpore Christi glorioso quinque vulnerum cicatrices perseuerant.

mentionem manuum, ac lateris, quando in A
sua incredulitate persistens dixerat, *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, &c.*
tamen reuera sub manibus, & latere, etiam pedes comprehendere voluit. Adde,
Ioan. 20. Luc. 24. Lucam, dum narrat eam apparitionem, quam refert Ioannes cap. 20. cum Christus ingressus est ianuis clausis ad discipulos Thoma absente, dicere, ostendisse Christum discipulis manus, ac pedes: cũ tamen Ioannes dicat ostẽdisse eis manus, & latus: ergo signum est, sub his vulneribus omnia comprehẽdi. Sit ergo certum, mansisse post resurrectionem omnia.

Secundo est certum has cicatrices non
Cicatrices vulnerum in corpore Christi glorioso nõ apparentes, sed veræ, fuisse apparẽtes, aut pro illo tantum tempore, quo se discipulis Christus ostendebat effictas: sed ab instanti resurrectionis verè in Christi corpore permansisse, per- B
Ign. Hilar. Iustin. Dionys. Leo Paap petuoque duraturas. Ita explicãt hoc mysterium Ignati. Epistola 10. ad Smyrnenses. Hilari. libro tertio de Trinitate, Iustin. Dialog. cum Tripho. Dionys. capite septimo de cœlest. hierar. Leo Papa sermone primo de Resurrectione, Augustinus Epist. 49 quæst. prima, & libro. 2. de
Aug. Amb. Bed. Cyril. Cyr. Iero. Athanas. Gre. Cyr. Ale. Symbolo ad catechumenos, capi. octauo, & libr. 22. de ciuitate, capite. 20. Ambros. & Beda Luc. vltimo, Cyrillus Alexandrinus, libr. 12. in Ioann. capit. 58. & Ierosolymitan. cat. 14. Athanas. Epist. ad Epictetum, & oratione contra Arianos, in hoc dictum, *Ex Deo, Deus est Verbum*, circa finem, Gregor. homilia 26. in Euangelia, & omnes interpretes Ioann. 20. Ratio est, primo, quia cùm stigmata vulnerum ostensa sint à Christo in veritatis testimonium, debuerunt esse vera, & non ficta. C
Item cùm Christi corpus resurrexerit immortale, & impassibile, nullam postea mutationem, seu alterationẽ in propria substantia, & quantitate, pati debuit. Ergo sicut vera ostendit stigmata vulnerum, ita à principio resurrectionis ea habuit, ac perpetuo retinet. Vnde Cyrillus Alexandri-
Zach. 13. Con. Eph. Hierony. nus supra, colligit, Christum eas cicatrices secum attulisse in cœlum ex illo Zachar. 13. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuũ tuarum? & dicet, his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.* Item ex simili interrogatione Isai. 63. *Quis est iste, qui venit de Edon, tinctis vestibus de Bosra?* & infra, *quare ergo rubrum est vestimentum tuum?* Quæ loca de hoc mysterio interpretatur etiam idem Cyrillus, in Exegesi ad Acacium, quæ habetur in Concilio Ephes. tomo sexto, capite 16. & in Isai. & ibidem Hieronymus, exponit interrogationem hanc inductam esse ab Angelis, Christo in cœlum ascendente. Augustinus etiam supra affirmat, Christum venientem ad iudicium, allaturum hæc stigmata, eaque suis inimicis ad eorum confusionem ostensurum. Et in hunc modum interpretatur illud Zachar. *Aspicient ad me, quem confixerunt.* Quod eodem modo exposuit idem Augustinus libro 20. de ciuitate, capite 30 & libro primo de Trinitate capite 13. Hieronymus, Theodoretus, Rupertus in eundem locum, Leo Epistola 97. ad Leonem Augustum, vbi Chrysostomũ in eandem sententiam adducit homilia de cruce, & latrone, cap. 6.

Aug. *Zacha. 12* *Hieron. Theodore. Rupert. Leo papa.*

Difficultas verò superest, primo in explicando, qualia fuerint hæc vulnerum stigmata. Duobus enim modis possunt intelligi, primum vt verè manserint in manibus Christi foramina clauorum, & similiter in pedibus, & latere. Alio modo, vt omnes partes reuera fuerint integræ, continuæque: manserint tamen ibi signa aliqua, & vestigia vulnerum. Hoc enim posteriori modo videtur exponere Augustinus dicta Epistola quadragesima nona, & alijs in locis, quæ retulimus. Dicit enim, Christum post resurrectionẽ, non vulnera monstrasse dubitantibus, sed cicatrices, quę tunc falsæ fuissent, si nulla vulnera præcessissent, & neque ipsæ essent, si eas esse noluisset. In eandem sententiam referri possunt, qui hæc vocant *stigmata, vestigia, notas*, aut *cicatrices vulnerum*, vt Gregor. vterque Cyrillus, & alij. Atque huic explicationi fauent rationes dubitandi initio positæ.

Dubium. *Aug. Gregor. Cyr.*

Cæterum communis sententia est, in his vulneribus mansisse vera foramina. Ita docuit Abulens. parad. quinta, capite vigesimo quinto, & vigesimo sexto, quem recentiores sequuntur, Caietan. hic articulo quarto, & Ioann. vigesimo, Iansenius capite 147. concord. Toletus Ioann. vigesimo, Medina hoc loco. Et videtur fuisse sententia Cyrilli libro de fide ad Theodos. circa finem, dicentis, *Postquam Thomas manus in latus, & digitos in clauorum foramina intulisset, statim exclamauit* Dominus meus, *&* Deus meus. Gregorius Nazianzenus, oratione quadragesima secunda dicit, mansisse *clauorum impressiones.*

Responsio *Abu. Caie. Iansen.*

Euthym. in Ioannem, dicit, Thomam vi A
disse *vestigia clauorum, & latus Christi apertum*. Et videtur hęc sententia aperte conuinci ex Euangelio. Primum enim dicit Thomas. *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum in latus eius, non credam.* Quæ verba videtur Thomas, dixisse permotus sermonibus discipulorum, qui dicebant se vidisse Dominum. Vnde verisimile est, etiam narrasse, vidisse se loca, idest, foramina, rupturasque clauorum, & lanceæ. Hæc enim per se considerata non videntur esse signa hominis viuentis, & suscitati. Nam per veram, & perfectam resurrectionem potius viderentur tollenda omnia vulnera, & vulnerum cicatrices, (vt apud Augustinum, etiã ethnicus Porphyrius obijciebat,) cur ergo postulasset Thomas hæc signa in Christo suscitato, nisi ab alijs discipulis audiuisset, Christum in suo corpore hæc signa conseruasse, & ostendisse? Vnde Petrus Chrysologus sermone 18. pertractans illa verba Christi. *Videte manus meas, & pedes meos*, in hæc verba introducit Christum loquentem, *Quia grauatis oculis caput adhuc respicere non potestis, videte carnis vulnera. Oculus non videt, videat tactus, digiti vestri intrent vestigia clauorum, manus vestræ alta vulneris exquirant. Aperite manuum foramina, sulcate latus, renouate vulnera. Quia negare non possum discipulis ad fidem, quod inimicis in pœnam sæuientibus non negaui. Palpate, palpate, & vsq; ad ossa inquisitores ardui peruenite, vt vel ossa carnis astruant veritatem, & me esse ipsum vel vulnera seruata testentur.* Denique cum Christus postea dixit Thomæ, *Infer digitum tuũ huc, & mitte manum tuam in latus meum*, aperte significauit, fuisse in eis partibus hiatus aliquos, in quos, exploratores digiti, & manus immitti possent. De quibus loquens idem Petrus Chrysologus sermone 76. *Dominus* (inquit) *eadem redit in carne, vulnera reportat, ipsa clauorum foramina resumit, & ipsa facit testimonia sui corporis, suæ resurrectionis indicia, quę suę fuerant contumelia passionis.*

Cyri. Gre Naz. Ioann. 20. Aug. Pe. Chry. Ioan. 20. Pet. Chry.

Obiectio. Sed dicet aliquis, posse excogitari modum, quo intelligantur mansisse tantum cicatrices, seu signa vulnerum: non tamen propria foramina, quæ non essent carne, & sanguine plena. Cùm enim corpus Christi esset glorioſum, poterat per dotem subtilitatis penetrari cum alio corpore, vel (si vellet) illi resistere, & ab eodem loco pellere: similiter quoque poterat suo arbitrio visum immutare secũdum aliquam partem, & non secundum aliam. Sic igitur potuit Christus dare locũ Thomæ, vt digitos in loca clauorũ immergeret, ac si essent carne vacua, contingendo, & palpando latera vulnerum, & non carnem intermediam, non quia re ipsa nulla esset inter ea latera interiecta caro, sed quia quoad illam carnẽ vtebatur dote subtilitatis, faciendo, vt non resisteret, nec palpari posset: quoad alias verò partes permittendo, se contrectari, ac palpari. Et simili modo respectu visus facere potuit, vt illa caro interiecta inter latera non multiplicaret species, nec immutaret visum, neque etiam impediret, quominus totus ille locus esset transparens, ac diaphanus. B Hæc enim sunt facilia corpori glorioso, quod lucidissimum est, & visum immutat, vt vult. Quod si obijcias, quia iuxta hunc modum explicandi, sequitur, Christum non vera ostendisse vulnera, sed ficta. Respondeti potest cum Augustino, ipsum non vera monstrasse vulnera. Nunquam enim Euangelium id dixit: sed solũ ostendisse Christum manus, & latus. Et cum dixisset Thomæ, *Infer digitum tuum huc*, non addidit, *& vide vulnera mea*: sed dixit, *& vide manus meas*. Neque verè ostendit ficta vulnera, sed ostendit vera loca vulnerum cum signis, & veris cicatricibus vulnerum. Vnde addi potest, quanuis manus v. g. Christi sit integra, & tota caro eius continua: tamen in illa parte, vbi clauus fuit infixus, apparere locum ipsius vulneris cum propria figura, & speciali colore, ac fulgore, qui nõ tantum in superficie, sed in tota profunditate vtrinq; cernatur: & quanuis totus ille locus, & quasi foramen nũc non sit carne vacuum, sed plenum: tamen carnem, quæ ibi est inclusa, esse quasi gemmam quãdam singulari modo perlucidam, & perfectissimo colore imbutam. Vnde fit, vt sine vlla fictione, vel falsitate potuerit Christus ostendere discipulis cicatrices, & stigmata vulnerum, ita vt ab eis verè videri potuerint, tangi, & (vt ita dicam) penetrari vel oculis, vel digito, quanquam reuera in corpore Christi nullum sit foramẽ carne vacuũ. Deniq; videri potest hic modus

Aug.

C

dicendi

dicendi nō improbabilis, quia & rationes in principio factę optime hoc modo expediuntur, & apparet consentaneus Aug. locis supra citatis, & 22. de Ciuitate capite. 19. & 20. & D. Thom. hic articulo 4. ad 1. & in 3. dist. 22. quæst. 2. artic. 4. quæst. 3. ad 1. qui dicunt, cicatrices vulnerum mansisse in Christo absque vllo defectu, & cum magno decore, qui apparet in locis vulnerum. Sentiunt ergo, nullam partem carnis ibi deesse, & decorem illum in carne ibi existente apparere. Et idem sentit Sotus in 4. dist. 44 artic. 3. agens de martyribus.

Aug. D. Thom. Sot.

Nihilominus modus hic explicandi hæc vulnera, sicut nouus, ita & suspectus est, minusque consentaneus Euangelicæ veritati, & candori, & ideo prior communis sentētia omnino defendēda est. Et iuxta illā ad rationes dubitandi initio factas dicendum est, speciali miraculo factum esse, vt illa foramina, non impediant, quominus nerui, arteriæ, & venæ continuæ sint, optimeque dispositæ tum ad continendum sanguinem, tum ad omnes actiones, & motus vitæ. Et quanuis ibi desit aliquid carnis, ita sunt illæ partes dispositæ, vt nullam deformitatem, sed potius decorem singularem habeant. Vnde ille non reputatur defectus, aut imperfectio aliqua, cùm nec pulcritudinem minuat, neque optimam dispositionem, tam ad existendum, quàm ad operandum tollat.

Responsio.

Vltimo quęri potest, cur Christus voluerit hæc vulnerum stigmata in glorioso corpore conseruare. Porphyrius enim apud Augustin. Epistola 49. sic obijciebat. *Si post resurrectionem status beatus futurus est, quid sibi vult cibatum Christum fuisse, & vulnera monstrauisse? Sed si propter incredulum fecit, finxit: si autem verum ostendit, ergo in resurrectione accepta futura sunt vulnera.* Itaque infidelis ille existimabat, vulnera Christi, aut non fuisse vera, sed ficta: aut si vera fuerunt, ex necessitate materiæ in corpore permansisse, ac si Christus illa curare non potuisset. Vnde Beda Luc. vltimo, his verbis proponit argumentationem infidelium. *Si Deus vester, nec sibi inflicta a Iudæis vulnera curare prævaluit, qua temeritate putatis eum vestra de puluere membra ad integrum restauraturum?* Sed hæc obiectio nullius momenti est. Quis enim vel cogitare potest, eum, qui corpus mortuum viuificare potuit, non potuisse, ipsius vulnera, cunctaque illorum vestigia, ac signa delere, si voluisset? Igitur quod in Christi corpore vulnera manserint, non necessitatis fuit, sed voluntatis, ac gratuitæ dispensationis. Sicut enim quando, & quomodo voluit, ita etiam, quale voluit, corpus suum excitauit. Tradunt autem Patres varias rationes, & causas ob quas in Christi corpore vulnerū stigmata relicta fuere. Quarum illæ potissimæ sunt, quas hic diuus Thomas adduxit ex Beda, & Augustino citatis locis. Prima est, propter accidentalem gloriam corporis Christi, in quo vulnera manent in perpetuum victoriæ, triumphique insigne. Vnde colligit Augustin. 22. de Ciuitate, capite 19. & 20. in omnibus martyrum corporibus gloriosis futura esse quædam insignia, & vulnerum cicatrices, quę pro Christo sustinuerunt cum magno decore, & accidendentali gloria. Atque idem affirmat Ambros. libr. 10. in Lucam. Et quanuis Cyrillus Alexandrin. 12. in Ioannem capit. 58. hoc negare videatur, tamen reuera solum negat imperfectionem, & defectum, non victoriæ, & triumphi stemmata.

Bed.

Impressa vulnerum stigmata in suo glorioso corpore cur Christus reliquit D. Thom. Bed.

Aug. Amb.

Secunda ratio est, mansisse hæc vulnera ad fidem confirmandam. In qua illud videtur difficile, quomodo eiusmodi vulnera potuerint esse accommodatum medium ad confirmandam veritatem resurrectionis. Nam potius videntur potuisse prębere occasionem dubitandi, non solum de potestate resurgentis, & perfectione resurrectionis (vt Porphyr. dubitauit,) sed etiam de illius veritate, quomodo scilicet verè esset viuum corpus, in quo talia vulnera, & præsertim apertio lateris apparerent. Respondetur, fuisse illa stigmata veræ resurrectionis signa. Quia aperte ostendebant, illud corpus, quod viuum videbatur, fuisse idem numero, quod in cruce pependerat. Vnde Leo Papa sermone primo de Resurrectione. *Ideo* (inquit,) *vulnus lateris, fixuras clauorum, & omnia recentissimę passionis signa monstrabat, vt agnosceretur in eo proprietas diuinæ, humanæque naturæ individua permanere.* Et Cyrillus Alexandrinus dicto capit. 18. dicit, *Christum pręter illud, quod rerum conditio requirit, propter vtilitatem nostram, passionis notas retinuisse, vt resurrectionis mysterium*

Obiectio.

Responsio

Leo Papa.

Cyri. Ale.

rium recte intelligamus, non aliud corpus resurrexisse credentes, quam quod cruciatu mortuum fuit. Similia habet Damascen. libr. 4. de fide, cap. 18. Aug. Beda, & alij Patres supra citati.

Damasce, Aug. Bed.

Obiectio.

Tertia causa affertur, vt semper æterno Patri vulnera ostendat, quæ sumpta est ex Beda supra: & illustrari potest ex multis, quę de oratione Christi in cœlo adduximus in priori tomo, Disp. 45. Sect. 2. Solū posset aliquis dubitare. Quia æterno Patri semper sunt præsentia passionis vulnera, ac si nunc eodem modo durarent, quo tempore passionis fuerunt: ergo ad repręsentandam Deo Christi passionē, vel (vt ita dicam) ad eam in memoriam reuocandam, non erant necessaria sensibilia signa passionis, neque ad hunc finem poterant esse vtilia. Dicendum vero est, sine dubio hæc signa non esse in humanitate relicta: quia respectu Dei essent necessaria, vel vtilia, vt passionem Christi, & merita in eius memoriam reuocarent. Non enim indiget Deus sensibilibus signis, neque illis ad cognoscendum mouetur. Fuerunt tamen valde necessaria propter nos, vt intelligeremus Christū ingressum esse in cęlū, *vt appareat vultui Dei pro nobis*, idest, (vt ait Cypri. serm. de Baptis. Christi,) *Vt semper reseruatæ in corpore plagæ salutis humanæ exigant pretium, & obedientiæ donatiuum requirant.* Vel (vt exponit Anselmus,) *vt appareat præsentiæ, ac beneuolentiæ Dei patris, intercedens pro nobis, ostendens cicatrices vulnerum, quę pro nostra redemptione pertulit. Miro enim, & ineffabili ordine cū, qui nihil vnquā potest obliuisci, qui semper misereri paratus est, absque intermissione dominus Iesus admonet, quā congrue hominibus misereri debeat, pro quibus ipse confligens mortis imperium mortendo prostrauit.*

Respons.

Impressa vulnerū signa in cœlo cur Patri Christus ostentat.

Heb. 9. Cyp. Anselm.

Et hinc oritur quarta causa horum stigmatum, scilicet, vt ad spem, & fiduciam in Christum homines excitentur, & ad gratias illi agendas pro ineffabili redemptionis beneficio. Quę omnia eleganter complexus est Ambros. supra citato loco, dicens, *In quo non solum fidem firmat, sed etiam deuotionem acuit, quod vulnera suscepta pro nobis cœlo inferre maluit: abo'ere noluit: vt Deo Patri nostræ pretium libertatis ostenderet.* Legendus etiam est Bernardus serm. 61. in Cantica, vbi tractans illa verba capite. 2. *Surge amica mea, speciosa mea, & veni.* Colū-

Ambros.

Cant. 2. Bernard.

A *ba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ*, per *foramina petræ* (cum Greg.) vulnera Christi intelligit, & hanc rationem late persequitur, & inter alia sic inquit. *Ego vero fidenter, quod ex me mihi deest, vsurpo mihi ex visceribus Domini, quoniam misericordia affluunt, neque desunt foramina, per quę effluant. Foderunt manus eius, & pedes, latusque lancea foraverunt, & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Et infra, *Columba mea in foraminibus petræ, quod in Christi vulneribus tota deuotione versetur, & iugi meditatione moretur in illis. Inde martyrij tolerantia, inde illi magna fiducia apud Deum altissimum.*

Greg. Papa

Deute. 32

Ex quo Bernardi loco, & ex Greg. Cantic. 2. circa eadem verba, quinta ratio deduci potest, nimirum conseruasse Christum vulnerum insignia, vt sectatores eius in illum intuentes sua non sentiant vulnera, & exemplo capitis sui animum erigāt, & ad similia mala pro Christo toleranda fortiores fiant.

B

Sexta, & vltima ratio in superioribus indicata est, conseruata nimirū fuisse hæc stigmata, ad confundendos Christi hostes in iudicij die. Quam, prēter Augustinum supra citatum, attigit Hippolithus martyr oratione de consummatione mundi. Qui addit, non solum quinque vulnera: sed etiam caput spinis redimitum, & pretiosam ipsam crucem esse in die iudicij conspicienda. Et Cæsarius Arelatensis homil. 23. *Illa* (inquit) *clauorum signa bonis salutaria, malis terribilia, vsque ad iudicij diem non delentur.* Non quòd postea delēda sint, non enim potest corpus Christi amplius immutari (vt hic etiam artic. 4. ad 3. notat D. Thom. ex Greg. 14. moralium, capit. 31.) sed quod specialiter reseruentur in diem iudicij ad terrorem, & cōfusionem malorum. Durabunt autē perpetuò ad bonorum consolationem, ac perpetuam Christi laudem, & gratiarum actionem.

Aug. Hippoli.

Cæs. Are.

C

D. Thom. Gre.

SECTIO TERTIA.

Vtrum in corpore Christi post resurrectionem sint sanguis, & alij humores.

IN hac sectione nōnulla sunt certa. Primū est in corpore glorioso Christi esse sanguinē in ea quātitate, quā corpus humanum

manum optimè dispositũ ad sui conseruationẽ requirit. Hoc videtur de fide certũ, & tractatur egregiè ab Aug. Epist. 146. ad Consentium, qui hanc quęstionẽ ei proposuerat. *Fides* (inquit) *adsit, & nulla quæstio remanebit.* Potest etiam hęc veritas cõfirmari ex mysterio Eucharistiæ. Nam ex vi verborũ sanguis Christi consecratur, & per concomitantiam est sub speciebus panis propter realẽ, ac naturalem coniunctionem, quã habet cum corpore Christi viuo, vt fusius suo loco dicemus. Ratio verò est. Quia sanguis est de veritate, & integritate humani corporis (sicut latissimè declarauimus in priori tom. disp. 15. sect. 6.) vbi omnia, quæ adduximus ad probãdũ, Verbum diuinum assumpsisse sanguinẽ, cum factũ est homo, pari modo cõuincũt in sua (vt ita dicam) regeneratione habuisse etiam sanguinẽ, cùm resurrexit homo. Quocirca, quanuis Christus, quando suum corpus palpandum præbuit, tantum carnem, & ossa nominauit, dicens. *Quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere,* sanguinem non excluſit, sed id fecit, vel quia hæc sunt, quæ manibus solent contrectari in humano corpore, vel certè quia sub humana, ac viua carne sanguis solet comprehendi. Quia sanguine veluti temperatur, ac fouetur.

Aug. Luc. 24.

Secundo, hinc etiam est certum, esse in corpore Christi glorioso tres alios humores bilem atram, & flauam, atque pituitã, quatenus hi quoque ad constitutionem humanæ naturæ, humanasque operationes, & affectiones, & conuenientem dispositionem, & temperiem corporis necessarij sunt. Quod etiam confirmari potest ex ijs, quæ de his humoribus diximus in prædicta Disputat. 15. prioris tomi Sect. 7. Denique propter hanc causam docent Theologi in 4. dist. 44. hos humores futuros esse in corporibus omnium resurgẽtium, vt latè ibi D. Thomas, quæst. 1. art. 2. quęst. tertia, ergo idem dicendum est de Christi corpore. De alijs verò humoribus qui sunt in corpore humano solum ex actione nutritionis, vt ros, cambium, & similia, nõ est, quòd quęstionẽ moueamus: hæc. n. nõ pertinent ad integritatẽ humanæ naturæ, & ideo nõ fuerunt necessarij in corpore Christi glorioso. Sicut eandem ob causam non fuerunt assumpti â Verbo diuino, vt prædicto loco diximus.

Tres alijhumores in corpore Christi glorioso.

His igitur constitutis nonnulla super-

A sunt expedienda dubia, quæ de omnibus humoribus disputari possent: explicabimus tamen ea in sanguine, tanquam in nobiliori, quem alij comitari solent. Primum est, an Christus in resurrectione iterum sumpserit in suo corpore, sanguinẽ, quem in passione fuderat. Caietanus hic artic. secundo distinguens duplicem sanguinem nutrimentalem, & vitalem, dicit, sumpsisse vitalem sanguinem, non nutrimentalem. Quia ille est per se requisitus in corpore humano ad eius integritatem: hic verò solum est necessarius in corpore passibili propter nutritionem. Cuius etiam sententiæ videtur esse Sylvest. in rosa aurea, quæst. 31. Sed hęc distinctio duplicis sanguinis, vt ab his autoribus assignatur, reiecta á nobis est in dicta Dis. 15. Sect. 6. tom. 1. & in præsenti quęst. nõ potest cõmodè applicari, vt statim dicam.

1. *Dubium*

Caiet.

Sylvest.

B Quocirca aduertendum est in corpore Christi, quandiu in vita mortali durauit, successiuè magnam fuisse copiam sanguinis. Quia continuè nutriebatur, sanguinemque conuertebat in carnẽ, & alias partes corporis: cibos verò in sanguinẽ. Vnde fit, Christum non assumpsisse in resurrectione totam illam sanguinis copiam, quam successiuè habuit in vita mortali. Tum quia ex illo sanguine perfecta corporis magnitudo coagmentata est. Tum etiã quia nõ est capax humanum corpus secũdum conuenientem dispositionem, tantę copię sanguinis. Sicut etiam non assumpsit Christus in resurrectione omnes partes materiæ, quę per continuam nutritionem successiue fuerunt in eius corpore.

C Quia tanta materiæ magnitudo simul sumpta superat debitam corporis humani magnitudinem, ac proportionem. Sic igitur non assumpsit Christus totum sanguinem, quem successiue habuit: sed quẽ simul habere oportet corpus proportionatæ magnitudinis.

Hinc verò probabile fit, Christum in resurrectione resumpsisse totũ sãguinẽ, quẽ in passione, à tẽpore, quo in horto orauit, vsque ad vulnus lãceę, effudit. Et hæc sententia sic explicata, est aperte D. Th. hic ar. 2. ad. 3. & quodl. 5. ar. 5. & Innocentij li. 4. de mysterio Missæ cap. 30. Et probatur. Quia in primis totus ille sanguis simul fuit in corpore Christi in nocte cœnæ. Nam licet illo exiguo tempore, quo passio duravit, aliquis sanguis successiue generatus

Responsio

D. Thom.

Inno. Pap.

Sanguinis copia incorpore Christi glorioso quanta.

transmutatusque sit per continuam nutritionem: tamen ille sine dubio fuit in parua quantitate, & ideo pro nihilo in præsenti existimatur, ergo tota illa copia sanguinis conuenienter esse potuit in corpore glorioso. Quia corpus Christi ante passionem fuit debite temperatum, & cõpositum, ac perfectè sanum, habuit ergo sanguinẽ in debita, & proportionata quãtitate, ergo tota illa potuit esse proportionata corpori glorioso. Dices, corpus mortale maiori indiget sanguinis copia ob nutritionem. Respondetur negando assumptum. Nam idem sanguis, qui deseruit nutritioni, habet etiam alia munera per se necessaria corpori humano. Nam temperat illud, & in conuenienti dispositione conseruat, &c. & è contrario, idem sanguis, qui hæc præstat, deseruit nutritioni. Nam est materia, quam cetera membra proximè conuertunt in substantiam suã, non ergo est necessaria maior copia sanguinis propter nutritionem, sed plura officia eiusdem sanguinis, totus ergo sanguis, qui simul conuenienter esse potuit in corpore passibili, potuit etiam in corpore impassibili cõueniẽter assumi. Hinc vlterius concluditur, de facto resumptum esse, quia de facto solus ille sanguis perdurauit in esse, ac forma sanguinis, quandiu fuit in corpore Christi mortali, ergo reassumptus postea fuit in eodem esse, ac forma sanguinis. Nã (vt supra dictum est ex D. Th. doctrina) ad quandam perfectionem resurrectionis spectat, vt partes materiæ redeant in corpore glorioso ad easdẽ partes, sub quibus fuerũt in corpore mortali. Deinde corpus Christi post mortem quoad partes solidas mansit omnino integrum absque vlla corruptione, vel resolutione, iuxta illud. Nõ *dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, ergo resurrexit cum eisdem partibus solidis, & ex eadem materia constantibus, ergo eodem modo resurrexit cum eodem sanguine, quem in fine vitæ habuerat, & effuderat. Præterea ille sanguis erat vnitus diuinitati, sicut aliæ partes corporis, & speciali modo fuit pretium redemptionis nostræ. Nam licet totus sanguis Christi hoc habuerit: tamen singulari modo conuenit sanguini effuso in passione, quia per illum consummata est redemptio. Et ideo speciali ratione decuit, illum perpetuo in corpore Christi seruari. Deniq; in nocte cœnæ Christus specialiter consecrauit totũ illũ sanguinem, quẽ tunc habuit in corpore, ergo eundem omnino nos conficimus in Eucharistia, ergo idẽ etiã seruatur in corpore Christi glorioso. Neq; in hoc est aliqua difficultas.

Obiectio. *Resp.* *D. Thom.* *Psalm. 15.*

Solum potest inquiri, an illũ tantũ sanguinẽ Christus assumpserit in resurrectione, vel etiam alium. Ad quod solũ possumus sub conditione respondere. Nã si ille sanguis fuit in quantitate sufficienti ad optimum tẽperamentum, ac dispositionẽ corporis humani, nõ oportuit aliũ assumere. Si verò illa quantitas non erat sufficiẽs facile suppleri potuit ex aliqua alia materia, & maxime ex ea, quę aliquando fuit sub forma sanguinis Christi. Est autẽ hoc posterius valde verisimile. Quia in corpore passibili sunt aliqua excrementa, ac fœces, aliaq; huiusmodi, quæ non erunt in corpore glorioso, vnde oportet aliqua loca perfectissimo repleri sanguine, quæ prius alijs imperfectis humoribus imbuta erant. Vnde D. Th. in 4. d. 44. q. 1. art. 2. q. 1. ad 2. dicit intestina futura esse in corporibus resurgentiũ, *non plena turpibus superfluitatibus: sed nobilibus humiditatibus*: Nõ apparet autẽ, quæ futuræ sint hæ humiditates, nisi purissimus sanguis, sub quo (vt supra admonui) alios humores cõprehendo. Quibus addi põt aer, qui (vt infra dicemus) magna ex parte replet cõcauas partes corporis glorioſi. Est ergo verisimile plus sanguinis esse in corpore Christi glorioso, quã simul aliquandiu fuerat in corpore mortali, & consequenter plus sanguinis assumpsisse in resurrectione, quàm in passione profudit. Hinc etiã fieri potuit, vt assumeret sanguinem in circunciſione effusum, quanquam id necessariũ nõ sit. Potuit enim facile ex alia materia sanguis ille adiungi. Propter quam causam, licet quod diximus satis verisimile sit, non est tamen certũ quoad omnes particulas, & guttas sanguinis in passione effusas. Fortasse enim aliquæ assumptæ nõ fuerũt, sed aliũde ex alia materia suffectæ, sicut supra de pręputio dicebamus statimq; dicemus.

Dubium. *Responsio.* *Corpora gloriosa pro excrementis, purissimis humiditatibus buenda sub stantijs. D. Thom.*

Secundum dubium est. Vtrum sanguis effusus à Christo in passione manserit Verbo diuino vnitus. Supponimus enim quandiu fuit in corpore Christi viuẽtis, fuisse immediate vnitum Verbo, vt late dictum est Disp. 15. prioris tomi, Sect. 6. Post effusionem verò, quidam Theologi negarunt sanguinem mansisse vnitũ Verbo, quia

2. Dubium

bo, quia alioqui concedendum esset, Verbum fuisse effusum, & conculcatum, & similia, ita sentit Mayron in 4. dist. 43. q. 1. Hoc verò dubium ex præcedenti consequenter definiendum est, ac simpliciter asserendum mansisse sanguinem illũ vnitum Verbo, vt D. Thom. simpliciter docet in dicto quodlib. Quod definitum fuisse à Clemente 6. refertur in directorio Inquisitorum. 2. par. quæst. 10. & à Pio 2. vt latè Syluester refert in Rosa aurea. q. 30. & sequentibus, & Dominicus de Dominicis in tractatu de sanguine Christi. Fauet sexta Synodus act. 16. vbi dãnatur hæreticus, qui dicebat, Verbum in cruce exuisse carnem, & sanguinem. Et probatur quia ille sanguis assumptus est, vt perpetuò maneret vnitus Verbo diuino, ergo nunquam fuit ab illo dimissus. Antecedens patet. Quia & ante mortem fuit assumptus à Verbo, & post resurrectionem fuit etiam vnitus, & nunc est, ac perpetuò erit. Consequẽtia verò probatur. Tũ quia est eadem omnino ratio de sanguine, quę de corpore, & anima, vt patet ex supradictis disputa. 38. sectio. 2. scilicet, quia dona Dei sunt sine pœnitentia. Tũ quia vnio Verbi ad sanguinẽ nõ pendebat ex corpore, vel anima, sicut neque vnio ad corpus pendebat ex anima, vel sanguine, neque vnio ad animã, ex corpore, vel sanguine. Item quia ille sanguis pertinebat ad integritatem humanæ naturæ, quæ futura erat perpetuô vnita Verbo, ergo in illo etiam verum habuit illud axioma. *Quod Christus assumpsit, nunquam dimisit*. Præterea illa vnio hypostatica de se perpetua est, & indissolubilis, & futura erat in resurrectione Christi, sicut antea fuerat in vita mortali. Quorsum ergo per illud tẽpus dimitteretur? Et confirmatur, quia sanguis ille effusus à Christo, secundũ se erat infiniti valoris, potestq; dici *pretium magnum*, sicut à Petro vocatur, & de illo Ecclesia canit.

Sanguis a Christo in passione fusus, Verbo permansit vnitus.

D. Thom. cle. 6 Pa. Pius 2. Pa. Syluest. Domin. de Dom. 6. Synod.

Quem sacer cruor perunxit,
Fusus agni corpore.

Ergo etiam separatus retinuit vnionem ad Verbum, ratione cuius erat tantæ æstimationis. Vnde Damasc. lib. 4. c. 12. dicit lignum crucis optimo iure adorari. Quia corporis, & sanguinis cõtactu fuit sanctificatũ. Sentit ergo sanguinẽ iam effusum, adhęrentemq; ligno crucis adhuc fuisse vnitum Dei Verbo. Denique si in triduo fieret consecratio, sanguis ille ex vi verborũ esset sub speciebus vini, ergo esset per concomitantiã ibi diuinitas. Quia, sicut caro Christi nõ est in sacramento nisi vt caro viuifica, atque adeo, vt caro Verbi (quemadmodũ dixit Cõciliũ Ephesinum in epist. ad Nestor.) ita ille sanguis esset viuificus, atq; adeo diuinus, & vnitus Verbo. Ad illas verò locutiones, *Verbum est effusum, siue conculcatum*, primũ nihil habẽt absurdi, magis quã illæ, *Verbum est sepultũ, crucifixum*. Deinde possunt negari, quia sanguis reputatur quasi pars quædã integralis, cum qua non fit cõmunicatio idiomatum, sicut latius in superioribus dictum est.

Sed occurrit hoc loco difficultas. Quia sanguis ille effusus, corruptus est, & propriam formã sanguinis amisit: ergo dissoluta fuit vnio hypostatica Verbi ad sanguinem, ergo ille sanguis, prout mansit in triduo, nõ permansit vnitus. Antecedens in primis est certũ in opinione eorũ, qui existimant, sanguinẽ informari anima rationali: iuxta aliã verò, quæ illi tribuit propriã formã, probari potest. Quia ex natura rei huiusmodi forma pendet in cõseruari ab anima, saltẽ per modum efficientis, medio calore, & spiritibus vitalibus, & ideo post effusionẽ vel subitò, vel paulo post corrũpitur, ergo idem accidit sanguini Christi. Nõ enim oportet ponere miraculum sine fundamento. Respõdetur in primis negari posse sanguinẽ illum fuisse corruptum, iuxta illud. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, quod de toto Christi corpore dictũ est. Et ratio reddi potest. Quia corruptio illius sanguinis nõ fuit necessaria ad verã Christi mortem, sed sola separatio animæ à corpore, quæ esse potuit, etiam si sanguis à corpore separatus in sua substãtia integer permanserit, ergo talis corruptio non est facta. Patet consequentia, quia in Christo, & in omni parte eius diuinitati vnita, sola illa corruptio facta est, quę ad veritatẽ mortis fuit necessaria. Erat enim incorruptio debita tali substãtiæ ratione vnionis: sola verò mors assumpta est propter redemptionẽ. Neq; satis est, quod ex morte, vel effusione ex natura rei futura esset talis corruptio. Quia diuinitus impediri potuit, ac debuit ratione vnionis. Sicut etiam, separata anima á corpore per quadraginta horas, ex natura rei futura erat vlterior corruptio, & putrefactio corporis: & tñ nõ est sequuta propter vnionem

Obiectio.

Responsio Psalm. 15.

Sanguis a Christo in passione fusus in triduo corruptionis expers.

nem. Et hæc sententia videtur mihi absolute probabilior, quā tenet Durand. in 4. d. 44. q. 2. num. 9. & supple. Gab. q. 1. ar. 3. dub. 6. Quanuis ad propositā difficultatē nihil referat. Vnde secundò responderi potest admittendo, seu potius permittendo assumptum. Quia nō est contra incorruptionē de corpore Christi dictam illis verbis: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, quòd sanguis amiserit propriā, & quasi vitalē formam, siue illa sit anima rationalis, siue alia, dummodo non asseratur sanguinem illum aliam vlteriorem resolutionem, seu trāsmutationem passum esse, sed incorruptum māsisse, quasi sub forma cadaueris sibi accommodata. Quidquid ergo de hoc sit, negatur simpliciter illatio argumenti. Solum enim sequitur illū sanguinem, sicut in substantia sua non māsit, ita non mansisse vnitum, quemadmodum vere dicitur, humanitatem in triduo non B mansisse vnitam Verbo, quia neque tunc simpliciter perseuerauit existens. At eo modo, quo ille sanguis mansit, (vt ita dicā) mortuus, seu quasi cadauer sanguinis, ita mansit vnitus Verbo. Primo quidē ratione materiæ, quæ ex vi prioris vnionis potuit manere vnita Verbo, non obstante mutatione formæ, nam in hoc eadem est ratio de sanguine, & de alijs partibus corporis. Deinde ratione formæ, seu totius cōpositi, de quo idē dicendū est, quod de cadauere Christi supra diximus.

Psa. 15.

Alia difficultas in hac re supereſt, an prædicta assertio ita sit generaliter intelligenda, vt ne minimam quidem guttā sanguinis liceat excipere. Huius verò resolutio exsequenti dubitatione pendet.

3. Dubium. D. Thom. Athanas. 7. Synod.

Tertio igitur dubitari potest, vtrum aliquis sanguis à Christo in passione profusus in terris manserit. Nam D. Tho. supra C citatis locis simpliciter negat. Vnde ait illum sanguinem, qui in aliquibus locis seruari dicitur, vt Mantuæ, vel Romæ in Basilica Lateranensi, vel alibi, non esse exvero sanguine à Christo effuso, sed ex quedam alio, qui manauit ex imagine Saluatoris, quæ sententia ex Athanasio refertur in 7. synodo, actione 4. eam quoque certam esse putat Turrecrem. in cap. Inuitat, de consecrat. d. 2. Aliorum verò opinio est, aliquam partē sanguinis effusi in passione, manere nūc in terris. Quia Pius 2. in quadā extrauaganti data anno. 1461. docuit non repugnare veritati fidei assere

Turrecre. Num. sanguis aliquis à Christo in passione fus.

A re, Christum reliquisse in terris aliquam partem sui sanguinis ad memoriam, & veneratione suæ passionis, vt referunt Sylueſt. supra, & Supplementum Gab. in 4. d. 44. q. 1. ar. 3. dub. 6. Et Nicephorus lib. 1. cap. 30. ait. B. Virginem, & Ioan. Euāgelistam sanguinem é latere Christi manantem religiosè, & honorificè vasculo excepisse. Sed (vt verū sit hoc nō repugnare fidei,) nihil tū certa ratione affirmari potest. Si tamen quæ diximus considerentur, sententia D. Th. videtur verisimilior, quia totus sanguis effusus in passione erat necessarius in corpore Christi resurgentis, & aliàs non erat sufficiens necessitas relinquēdi partē eius, eamq; aliūde supplendi. Quæ ratio maximè probat de notabili sanguinis quantitate. Nam de vna, vel alia gutta minus esset incommodi, quòd aliquid manserit adhærens spinis, clauis, lanceæ, sudario, &c. vt in aliquibus reliquijs nunc etiā ostendi videtur. Quanquam ille color, qui in eis apparet, fortasse non sit sanguis quoad substantiam: sed solum color aliquis ex sanguine relictus. Addendum autem (si verū est aliquid sanguinis Christi in terris manere) illud iam nō esse vnitum hypostaticè Verbo Dei, sicut supra de præputio dicebamus. Quia ille sanguis iam non est pars humanitatis Christi, neque in actu, neque in potētia, quia nunquam amplius coniungendus est corpori Christi. Vnde fit, vt iam nullum habeat ordinem ad humanitatem, seu animā, ratione cuius corpus in triduo māsit vnitū Verbo, vt Theologi docent. Et è contrario partes materiæ, quæ per continuam nutritionem resoluebantur ex corpore Christi, & nunquā erāt iterum corpori coniungendæ, dimittebātur à Verbo, quia amittebant omnem ordinem ad humanitatem. Ergo idem est dicendum de sanguine, siquis fortasse adhuc in Ecclesia permanet. Et confirmatur, nam vnio hypostatica integra, & perfecta tātum est vna, quæ est ad humanitatē, & partes eius: sed hæc perfecta est in humanitate Christi, & consequenter in anima, corpore, & sanguine, quibus illa humanitas constat, ergo nihil aliud est vnitum hypostaticè Verbo diuino. Neque contra hoc obstat illud axioma, *Quod semel assumpsit, nunquam dimisit.* Intelligendum est enim de natura per se primò assumpta, & de ijs, quæ pertinent ad eius veritatem, &

Pius. 2. Pd. Sylueſt. Supp. Gab. Nicephor. Responsio

Siquidpiam sanguinis Christi in terris manet non est hypostatice vnitum verbo Dei.

integri-

integritatem: non verò de singulis materialibus partibus, vt etiam in superioribus sæpe diximus.

Obiectio. Pius. Dices, ergo ille sanguis non est à nobis adorandus. Quia solum adoratur ratione vnionis. Consequens repugnat vsui Ecclesiæ, & definitioni Pij secundi loco supra citato. *Responsio* Respõdetur negãdo sequelã. Quia adorari potest propter præcedẽtem vnionem, & veluti contactum ad Verbum, & propter contactũ etiam ad carnẽ Christi.

SECTIO QVARTA.

Vtrum Christi corpus resurrexerit perfectæ magnitudinis, ac pulcritudinis.

HActenus diximus de integritate, & complemento omniũ partium corporis, reliquum est, vt de magnitudine, quæ ex singulorum membrorũ quantitate, & omnium coniunctione consurgit, dicamus.

Christus in iuuenilis ætate resurrexit. Primo itaque certum est, resurrexisse Christũ in iuuenili ætate, in qua mortuus fuit, atque adeò habuisse corpus vt minimũ eiusdẽ magnitudinis, cuius ante mortem fuit. Hoc docuit Aug. 22. de Ciuita. c. 15. vbi ait, Christũ & in iuuenili ætate, *Aug. Pet. Chry.* & in ea mensura corporis, in qua est mortuus, resurrexisse. Vnde Petrus Chrysologus sermo. 82. dicit, mulieres introeuntes monumentũ vidisse iuuenem, in quo significata est resurrectionis ætas. Potest etiam ex Euangelio colligi, in quo significatur, idẽ corpus quod iacebat in sepulcro cũ omnibus suis membris, ac tota quantitate resurrexisse. Ratione denique probatur. Quia status gloriæ est status optimæ, & vltimæ perfectionis, ergo hæc perfectio maximè tribuenda est corpori Christi, ergo etiã in magnitudine habuit debitam perfectionẽ, quam habet corpus in iuuenili ætate, quando & ad terminum augmenti peruenit, & nondũ cepit decrescere. Et confirmatur. Nam propter hanc causam creditur Adam creatus perfectæ magnitudinis, & in ætate iuuenili, vt Theologi docent in 2. dist. 17. cum August. 6. Gene. ad literã. c. 13. Ergo multo magis idem dicendũ est de corpore Christi resurgẽtis. *Aug.*

Moles corporis Christi resurgẽtis, quanta, Secũdo hinc etiã certum est, resurrexisse Christum in ea quantitate totius corporis, & singulorũ membrorum, quã natura li virtute suæ animæ, & facultatis auctricis in toto tempore vitæ potuit acquirere.

A Probatur, quia ea est perfecta quãtitas vniuscuiusq; humani corporis. Sicut enim philosophi dicunt, vnumquodque naturã viuentem terminari ad maximã quantitatẽ, in qua cõuenienter conseruari potest, & cum maxima perfectione connaturali sibi in illo ordine, ita intelligendum est, respectu animę Christi dari posse corpus certæ quantitatis maximæ, quod illa anima commodissimè informare, & gubernare posset, & ad omnẽ actionem eius organis, ac partibus vti. Hæc igitur quantitas corporis maxima respectu huius animæ, censenda est perfecta quãtitas eius, quia corpus est propter animam: ergo illa magnitudo corporis, quæ est animę maximè accõmodata, est etiam maximè perfecta in corpore humano. Sed huiusmodi est prædicta quantitas in corpore Christi, nã est illi B maximè proportionata, & quasi adæquata. Rursus verisimile est vim actiuam animæ, & facultatẽ eius ad augendum corpus esse proportionatam, seu æqualem virtuti informatiuę, namvna est propter alteram. Ideo enim animę data est vis ad augendũ corpus suum, quia potens est illud informare, & sicut naturaliter appetit informare corpus, ita etiã appetit corpus proportionatum, & adæquatum: & ideo data est illi virtus, qua possit se reducere in actum perfectum, acquirendo perfectam sui corporis magnitudinẽ. Et è contrario sicut in virtute informandi habet terminum, quia est finitæ perfectionis naturalis, ita & in virtute augendi corpus suum, quia similiter quoad hoc virtus eius est finita: ergo C terminus, seu perfectum corpus respectu vtriusque virtutis animæ idem est. Quia vtraque virtus animæ realiter eadem est, & in eadẽ perfectione fundatur, & prout ratione distingui possunt, vna ad alteram ordinatur: Ergo respectu animę Christi illud est corpus perfectæ magnitudinis, q̃ naturaliter acquiri poterat per continuũ augmentum, & naturalem animæ virtutẽ ac facultatẽ: ergo tale corpus habuit Christus in resurrectione.

Et iuxta hanc conclusionem intelligunt multi locũ illum Pauli ad Ephes. 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Nã licet in sensu literali sermo sit de perfectione spirituali (vt ex cõtextu plane constat, & cẽs fere interpretantur) tñ metaphora sumpta est ex perfectione corporali. Dicitur enim *Ephes. 4.*

corpus

corpus perfectum, seu ætatis plenæ, quod peruenit ad summum augmentum, quod in progressu ætatis potest acquirere. Et hinc multi sumpserũt occasionem interpretandi, seu potius accommodandi hunc locum ad perfectã magnitudinẽ, & ętatẽ corporũ resurgentiũ. Nã corpus Christi habet plenitudinẽ ætatis in sensu à nobis explicato, illudque cętera corpora gloriosa imitatura sunt. Et vtramq; interpretationẽ attigit Aug. 22. de Ciuitat. c. 15. vbi consequenter asserit (quod nostrã conclusionẽ confirmat) vnunquemq; Beatũ habiturũ eam quantitatis mẽsurã, quã in iuuentate habuit, vel habiturus esset, si viueret. Ex quo similia sumpsit Anselm. in elucidario, & super Palum ad Ephes. 4. Et eodem modo exponit illum locũ D. Th. hic, quanuis priorẽ literalẽ intelligentiã non excludat. De ętate etiam, ac profectu corporali expositum fuit Gaudentius in responsione ad Paulũ diaconũ circa illa verba Christi, *Quia Pater maior me est*. Et eã sententiã tradunt Theologi in 4. d. 44.

Aug. *Anſel.* *D. Thom.* *Gaudent.* *Ioan. 14.*

Ex his expeditur facile aliud dubiũ, ꝙ hic oriri potest. An Christi corpus post resurrectionẽ fuerit eiusdẽ magnitudinis cũ corpore mortali, vel maioris. Quod n. non fuerit minoris, necessario sequitur exdictis, addendo, corpus Christi in hac vita nõ habuisse prẽternaturalẽ statũ, vel augmentũ vltra naturalẽ virtutem. Quod per se constat, præsertim cũ nunquã vlla ægritudine laborauerit. An verò moles corporis resurgentis fuerit maior, videri potest dubiũ. Quia non constat, Christũ in vita mortali consequutũ esse maximam corporis quantitatẽ, quã naturaliter acquirere posset. Nã licet tẽpus ætatis eius fuerit ad hoc sufficiens (omnes. n. tam Theologi, quã philosophi terminum augmenti ad summũ extendunt vsque ad trigesimũ annũ:) tamen non semper in eo tẽpore acquirit aliquis summã quantitatẽ naturaliter possibilẽ. Possunt enim vel impedimẽta occurrere, vel non applicari tanta materia, quanta ad plenũ augmentũ esset necessaria. Et hæc vltima causa potuit in Christo locũ habere, quia ieiunijs corpus macerabat. Nihilominus Aug. Anselm. D. Tho. & alij existimant, corpus Christi in hac vita peruenisse ad perfectũ suæ quãtitatis augmentũ, & ideo in resurrectione non maioris, sed eiusdẽ magnitudinis fuisse. Et est hoc verisimilius, quia Christi corpus fuit optimè tẽperatum, & semper perfectè sanũ, & in ratione viuendi Christus fuit moderatissimus. Vnde licet abstineret à cibis, qui delicias afferrent: tamẽ credendũ est, illis vsum, qui & valetudini, & augmento corporis deseruirent. Quod si ob cibi parcitatẽ motus augmẽti remissior fuit, tamen tẽpus vitę, ac ętatis fuit sufficiens, vt in eo posset ea tarditas cõpẽsari. Nã virtus, & facultas augmentatiua semper durauit in sua virtute, & efficacia. Et ideo diuturniori tempore potuit perficere motũ suum, si fortasse ob defectum materiæ in breuiori non potuit. Et hoc maximè videtur intelligendũ quoad corporis staturã, & ossiũ, ac similiũ partium magnitudinem, quæ sicut difficilius acquiritur, ita stabilius perseuerat, & ex ea potissimũ pendet totius corporis magnitudo. Alia. n. quantitas, quæ in corporis crassitie consistit, & facile acquiritur, & deperditur, deficere potuit aliqua ex parte in mortali corpore Christi: in corpore autem glorioso est in perfecta mensura, prout ad optimã corporis dispositionem, maximamq; pulcritudinẽ cõferre potest.

Aug. *Anſelm.* *D. Thom.*

Dubium.

Reſponſio Magnitudo corporis Chriſti glorioſi eadem quæ in corpore mortali.

Vnde ex his etiã cõstat, Christi corpus in resurrectione fuisse eiusdẽ figuræ, ac formæ, cuius antea fuit. Nã hæc cõsurgit ex magnitudine, & figura singulorũ mẽbrorũ, eorumq; cõpositione: sed magnitudo fuit eadẽ, (vt ostensum est) figura autẽ singulorum mẽbrorum, eorumq; cõpositio optima fuit in corpore Christi ab initio conceptionis suæ, vt latè diximus in priori tomo, Dis. 32. Sect. 2. Et ex dictis eo loco cõstat, corpus Christi glorioſum esse pulcherrimum. Nã si hanc perfectionẽ habuit in corpore mortali (vt ibi ostendimus,) multo magis in glorioso. In quo, sicut eandem formã habuit, ita & eundẽ natiuum colorem, qui ex eodem corporis tẽperamento nascitur. Quæ omnia in statu gloriæ sunt in summa perfectione naturali, quam habere possunt, & ex eis perfecta naturalis pulcritudo consurgit.

Pulcritudo corporis Chriſti quã ta.

Vna verò supereſt dubitatio. Nã sequitur ex dictis, corpus Christi futurum esse maximũ omniũ, vel positiuè, vel saltẽ negatiuè, vt scilicet, nullũ sit maius illo. Cõsequens est falsum, teste August. loco supra citato. *Alias* (inquit) *peribit de multorũ corporibus plurimum: cum ipse nec capillum peritu rum esse promiserit.* Ac si diceret, plures Sanctos habuisse in hac vita corpora grandioris

Dubium. *Aug.*

ris quantitatis, quã Christũ, ergo etiam in patria excedẽt in quãtitate corporũ, quia non sunt illa priuãdi. Prima vero sequela probatur. Quia anima Christi etiã in naturalibus est omnium perfectissima, ergo de se potens est ad informandũ corpus maioris, aut saltẽ tantæ magnitudinis, quàm quæuis alia anima. Atque eadẽ ratione habet tantã virtutem naturalẽ augendi corpus, quantam habet quælibet alia anima: ergo si habet maximũ corpus sibi proportionatũ, & suæ virtuti adæquatum, habebit etiã maximũ corpus in tota specie humana. Respõdetur idem argumentum fieri posse de corpore Christi mortali, quod scilicet in hac vita debuerit peruenire ad maius augmentũ, quàm omnia alia humana corpora: cum tũ certò constet, non ita fuisse. Quapropter necessario videtur dicendũ ex maiori animæ perfectione simpliciter nõ sequi, quod natura sua requirat maius corpus, sicut neq; etiã sequitur, quòd requirat corpus, robustius ac fortius. Non enim sempervires spirituales corporalibus cõmensurantur: perfectio autẽ animæ in ordine ad spirituales actus cõsideranda est, & ideo tale corpus requirit, atq; ita tẽperatum, vt melius deseruire possit ad spirituales functiones. Hinc fit, vt licet anima sit perfectior: corpus tñ habeat ita dispositum, vt non possit ad tantã magnitudinẽ crescere, quantũ alia humana corpora. Et ideo ad argumentum negatur sequela, quæ in rigore nõ est bona propter causam assignatam. Quanuis de corporibus aliorũ Beatorũ cõtrouersia sit, an sint futura æqualia, vel inæqualia corpori Christi, quã quæstionẽ infra q. 56. attingemus.

Moles corporis Christi glorioſi non omniũ maxima.

Reſponſio

SECTIO QVINTA.

Vtrum in corpore Christi resurgentis fuerint omnes facultates animæ vegetantis.

RAtio dubij esse potest, quia actus huius animę nõ erãt futuri in Christo post resurrectionẽ. Nam in illud corpus etiã conuenit, quod Paul. dicit. 1. Cor. 15. *Seminatur corpus animale, surget autem spirituale*: & quod Christus dixit Mat. 22. *Neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Et patet, qũia actus huius animæ nõ fiunt sine materiali alteratione, & aliquali corruptione, vel aggeneratione partiali: ergo, si actus non sunt futuri in eo corpore, non est cur in eo fuerint relictæ facultates. Nec defuerũt catholici, qui hoc argumẽto adducti negauerũt has facultates manere in corporibus resurgentiũ: quos de corpore Christi idẽ consequenter dicere, necesse est. Eorum tamẽ sententiam falsam censeo, & improbabilẽ.

1. Cor 15. Matth. 22

Organa ad actiones vitæ vegetantis ordinata in Christo reſurgente omnia,

Primo igitur certũ de fide est, fuisse in Christo omnes partes organicas corporis ad actiones vitæ vegetantis à natura destinatas. Hoc constat ex dictis supra de integritate corporis Christi resurgẽtis. Nã omnes eæ partes organicæ substãtiales sunt, & de integritate corporis humani. Et confirmatur. Nã ostendimus in superioribus ad perfectionẽ resurrectionis pertinere, vt singuli homines in proprio sexu resurgãt: resurrexit ergo Christus in sexu virili, fuerunt igitur in eius corpore etiã partes illæ, quæ in corpore humano ignobiliores censentur: ergo multo magis reliquæ omnes. Quia licet videãtur hæc mẽbra ad inferiores quasdã actiones instituta, tñ per se pertinent ad perfectionẽ, ac debitã humani corporis compositionem.

Secundo certũ etiam est, singulas harum partiũ ita fuisse dispositas, ac temperatas, prout ex natura sua requirũt. Hoc etiã est certum ex supradictis. Quia diuersitas organorum in humano corpore ex iis variis dispositionibus singulorũ membrorũ cõsurgit: ergo tam est certũ, singula membra habere suam debitã dispositionem, quam est certũ, corpus glorioſum esse organicũ, ac variis mẽbris naturalibus cõstans. Hoc autẽ de fide esse ostendimus in superioribus ex ipsius Christi verbis. *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Itẽ ex eò, quòd ostendit discipulis manus, pedes, ac latus. Denique quia sentẽtia Eutychetis, Origenis, & aliorũ, negantiũ in corporibus resurgentiũ figuram, & organizationẽ corporis humani, vt hæretica explosa est in quinta synodo, vt Nicephorus refert lib. 17. historię c. 28. & à Sanctis Patribus, vt videre licet apud Aug. 22. de ciuit. c. 23. & 1. Retract. c. 1. 2. & 3. & in Enchirid. c. 84. & sequẽtib. & Hiero. in epitaphio Paulæ, seu epist. 27. & in epist. 61. ad Pammachiũ, de erroribus Ioannis Ierosolym. & epist. 65. ad Pãmach. & Oceanum, de erroribus Origenis, & Grego. 14. Moral. c. 29. 30. & 31. & diuus Tho. 4. cont. Gent. c. 84.

Luc. 24.

Ioann. 20.

9. Synod.

Nicephor. Aug. Hieron. Gre. Papa.

D. Thom.

Potentiæ vegetatiuæ in corpore Christi glorioſo oẽs.

Tertio ex his concludo, certũ etiã esse, in corpore Christi glorioso esse omnes facultates naturales animæ vegetantis. Ita sentiunt

D. Thom Durand. Sup. Gab. Sot.

sentiunt omnes Theologi in 4. d. 44. D. Thom. q. 1. ar. 2. q. 1. ad. 1. Durand. Suppl. Gabr. Sotus, & alij. Ratione probatur primo, quia vel hæ facultates re ipsa non distinguntur ab organis corporis, quatenus animam, & debitum temperamentum includunt. Vel si quam aliam qualitatem addunt, (vt verius est) illa naturali necessitate consequitur animam, informantem organum debitè dispositum. Sed respondere possent aduersarij, impeditas esse huiusmodi facultates per supernaturalia dona corporis glorioſi, vt v.g. per dotē impassibilitatis seclusam esse facultatem nutriēdi, & generandi. Sed hoc fictitium est, & sine fundamento dictum. Primo, quia huiusmodi facultates non habent formalem incompossibilitatem cum dote impassibilitatis. Quia non sunt facultates passiuæ, sed actiuæ: non repugnat autem corpus impassibile habere facultates actiuas. Secundo quia potiori ratione dicendum esset dotē impassibilitatis formaliter repugnare temperamento primarum qualitatū. Quia quod corpus sit corruptibile, magis prouenit ab his qualitatibus, & necessitas alimenti vel omnino, vel magna ex parte prouenit ex actione huius temperamēti, eiusque diuersitate in diuersis mēbris: & tamen per dotem impassibilitatis non spoliatur corpus hoc temperamento, sed afficitur noua perfectione impediente actionem qualitatum (vt infra dicetur) ergo idem dicendum potius de facultatibus naturalibus vegetantis animæ. Tertio, quod cesset actio harum facultatum, nullum argumentum est facultates ipsas deesse. Nā (vt rectè dixit D. Thom. loco supra citato) potentia non solum seruit ad exequēdam operationem, sed etiam ad complementum, & perfectionem ipsius rei, & ostensionem virtutis eius, & diuinę sapientiæ, in condendo, seu reparando suo opere perfecto. Vnde egregie Tertull. lib. de Resurrect. car. cap. 60. *Liberabuntur membra ab officijs: sed non ideo non erunt necessaria.* Et cætera, quę latè, & eleganter prosequitur, quibus similia habet Hieron. d. Epist. 61. Et declaratur exemplis. Primo in ipsis partibus organicis, quæ etiam sunt instrumēta operationum. Deinde in intellectu agēte (si fortasse est res distincta à possibili) manet enim in anima separata, quanuis cesset eius actio. Ac tādē in ipsomet Christo, qui in vita mortali non caruit facultate generandi, quanuis actum non esset habiturus. Et idem est de facultate ridendi, si fortasse nunquam risit. Quarta, & vltima ratio sit, quia priuatio facultatis naturalis est perfectioni naturæ contraria, & constituit rem in statu præternaturali, & monstroso, quod asserere de corpore Christi, absurdissimum est, & ideo contraria sententia temeraria videtu. Neque nouam obiectionem reperio, quæ in eius fauorē fieri possit, aut nostra explicatione indigeat.

Tertull. Hieron.

A

B

C

Quarto addendum est, actiones harū facultatum nunquā fuisse in corpore Christi glorioso. Probatur, quia huiusmodi actiones supponunt corpus indigens alimento, atque adeo passibile, & alterabile. Quanuis enim actiones huius partis directè versentur circa alimentum, quod attrahitur, distribuitur, disponitur, atque conuertitur: tamen non fiunt sine aliqua corporis alteratione, & mutatione propria corporis corruptibilis.

Obiectio.

Vna tamen supereſt difficultas de actione comedendi. Hęc enim propria esse videtur animæ vegetantis, cùm ad eius actionem vltimam ordinetur: & tamen hæc verè, ac propriè fuit in corpore Christi glorioso, iuxta illud Actor. 1. *Et conuescens præcepit eis, ab Ieroſolymis ne discederent.* Et Luc. & Ioan. vltimo, vbi refertur, comedisse cum discipulis. Quod autem verè comederit, probatur, tum ex proprietate verborū, quę in historica præsertim narratione retinenda est, quantum fieri possit. Tum maxime, quia Christus illud exhibuit tanquam certum signum vitæ, quā per resurrectionem recuperauerat, vt tradunt Leo Papa serm. 1. de Resurrectione, cap. 3. Damas. lib. 4. de fide capite primo, Augustinus libr. 3. de mirabilib. scripturę cap. 14. Epist. 49. & 13. de Ciuit. capite 22. Chrys. hom. 86. in Ioan. Ambr. & Beda Luc. vltimo, Greg. hom. 29. in Euangelia, & D. Th. quæst. sequenti ar. 6.

Act. 1.

Lucæ. 24. Ioan. 21.

Leo Papā. Damasce. Aug. Chrysost. Ambros. Bed. Gre. D. Thom.

In hac difficultate duo sunt extrema vitanda. Primum est eorum, qui putarunt, Christum post resurrectionem ita verè comedisse, vt cibum in substantiam sui corporis conuerteret. Ita Durand. in 3. dist. 22. quæst. 6. ad 2. vbi comparans Angelū comedentem in corpore assumpto cum Christo comedente in corpore glorioso, dicit, in illo non fieri digestionem, & conuersionē cibi in corpus assumptum, vtrāque

Durand.

que vero factam esse in Christo. Clarius in 4. distinct. 11. quæst. 4. dicens, alimentum verè esse conuersum in corpus Christi, & aliàs non posse, esse veram comestionem, nec verum argumentum veritatis carnis. In eadem sententia est Vvaldensis tom. 2. de sacrament. capit. 71. qui differt á Durando, quia existimat hanc conuersionem factam esse per modum cuiusdam transubstantiationis: Durandus vero ponit veram conuersionem formalem, manente eadē materia cibi sub corpore Christi. Tamen sententia Durandi erronea mihi videtur. Nam (vt recte dixit Gregor. lib. 14. Moral. capit. 31.) si post resurrectionem aliquid in corpore Christi potuit immutari, non resurrexit corpus Christi impassibile, & immortale. Oportuit enim per additionem materię augeri, & aliquid de quantitate eius immutari, vt posset cū adueniente continuari. Vnde vel resurrexit imperfectum, vel postea monstrosum effectum est. Opinio autem Vvaldensis in primis est impertinens. Quia ille modus miraculosæ conuersionis, nihil refert ad veritatem comestionis, ergo superflue, & sine fundamento fingitur. Præterea, cū re vera in corpore Christi, nulla sit facta mutatio substantialis, nec noua dependentia, aut presentia, nō potest fingi transubstantiatio cibi in ipsam.

Vvaldens.

Christus comestum post resurrectionē cibum in substantiā sui corporis nō conuertit.

Alterum extremum est aliorum, qui dicunt, illam non fuisse veram comestionem, sed apparentem, qualis est Angelica in corporibus assumptis. Hoc enim exemplo vtitur Augus. locis citatis, præsertim in illo de Mirabilibus scripturæ. Sed hoc etiam simpliciter loquendo, verū non est propter rationē factam, scilicet, quia aliàs illa comestio non fuisset verum, ac sufficiens vitæ signum.

Gre. Pap.

In primis ergo dicendum est, non esse de ratione veræ comestionis, vt cibus digeratur, vel conuertatur in substantiā comedentis. Nam hoc esset, comestionem cum nutritione confundere, cùm tamen nutritio sit quid posterius, & separari possit à vera comestione, quæ antecedit. Verè enim dicitur homo comedisse cibum, etiamsi paulo post illum eiiciat integrum, atque immutatum. Solum ergo est de ratione veræ comestionis, vt per vitalem actionem, & organa vitæ cibus ore sumptus, in stomachum traiiciatur. Quod totum fieri potest in corpore glorioso, quia

De ratione comestionis quid sit.

A nullam alterationem requirit: sed solam motionem localem, quæ corpori glorioso non repugnat. Neque oportet adnodum inquirere, quomodo corpus Christi cibum illum eiecit, si in propriam substantiam non conuertit. Nam (vt omittam, potuisse illum subitò consumere, vel in prejacentem materiam resoluere) dici etiam potest, cùm Christi corpus esset glorioſum, per dotem subtilitatis potuisse facare, vt in stomacho non detineretur, sed absque vlla resistentia corporis glorioſi in alium locum pro Christi voluntate, arbitrioque transiret. Vnde fit, esse differentiam inter hanc Christi comestionem, & Angeli in corpore assumpto. Nā licet in exteriori motione locali conueniant (re uera enim Angelus per corpus assumptum atterit, & diuidit cibum, illumque ad interiora transmittit) tamen illa actio Angeli, vt est á corpore, non est actio vitæ, neque ex virtute propriæ formæ talis corporis: & ideo non est vera comestio veritate rei, seu speciei, licet sit vera veritate significationis, vt dixit D. Thomas hic articul. 3. ad tertium, & 1. p. quæstio. 51. articul. 3. ad quintū, & clarius quodl. 3. articul. 5. Tandem ad difficultatem propositam ex dictis etiam patet responsio. Nam comestio proprie non est actus animæ vegetantis, sed potius sentientis, & loco motiuæ. Est enim quasi applicatio quædam materiæ, in quam possit virtutem suam exercere facultas nutritiua: & ideo fieri potest in corpore glorioso non ex indigentia, sed ex potestate, vt recte Augus. & Beda docuerunt.

Differentia inter comestionem angeli, & corporis Christi glorioſi. D. Thom.

Aug. Bed.

SECTIO SEXTA.

Vtrum in corpore Christi glorioſo fuerint omnes facultates animæ sentientis, & actiones earum.

IN his facultatibus tria possunt considerari, organa scilicet, potentiæ, & actus. Primo igitur de organis nihil est, quod addamus præter dicta in præcedenti Sectione, & in locis ibi citatis. Constat enim, omnia hæc organa, & eorum varietatem fuisse necessaria ad integritatem, & perfectionem illius corporis.

Potētiæ sensitiuæ in corpore Christi glorioſo omnes.

Secundo de potentiis sensitiuis eadem ratio est, quæ de vegetatiuis, & multo maior. Quia & habent eandem connexionem

nexionem naturalem, & necessariam cum forma humana informante organa disposita, & non impedita, & perfectiores sunt, minusque repugnant perfectioni corporis glorioſi. Certū ergo est, has omnes potentias esse in corpore Christi, neque circa hoc aliquid addendū occurrit ijs, quæ precedenti sectione dicta sunt.

Sensationes aliquas in corpore glorioso exercere Christus potest.

Tertio de actibus perspicuum est, posse Christum exercere actus aliquos animę sentientis. Quod in genere de Beatis docent Theologi in 4. dist. 44. & à fortiori certius est de corpore Christi, quod est primū exemplar, & mensura omniū Beatorum. Quæ ratio in tota hac materia præ oculis habēda est. Probatur autem ratione assertio posita. Quia hi actus, cùm sint immanentes, perfectionem afferunt, & aliunde non requirunt semper materialem aliquam alterationem, neque indecētiam illi statui repugnantem. Ergo non repugnāt illi statui, sed potius ex se maxime decēt. Neq; est, cur omnes illę facultates sint otiosæ, & imperfectæ, cùm sint capaces suæ vltimæ perfectionis, quæ in actu secūdo consistit, & status ille ordinetur ad obtinendam vltimam perfectionem in omnibus, quoad fieri possit. In quo est magna differentia inter has potentias, & animæ vegetantis. Quia actiones vegetatiuæ partis non sunt propriè immanentes: sed transeuntes, & ita per se non pertinent ad intrinsecam perfectionē suarum potentiarum, sed ex accidenti, vt viuens conseruari possit. Vnde fit, vt sint imperfectæ simpliciter, cùm sine alteratione materiali nō exerceantur. Secus verò est in potentijs sensitiuis, vt diximus. Et hæc assertio inductione facta in singulis potentijs euidētius constabit.

Actus sensus interioris, & appetitus in corpore Christi glorioso locum habent.

Quarto igitur certissimum etiam est, actus interioris sensus, vel appetitus sensitiui habere locum in corpore Christi glorioso. Primo, quia in hoc gradu hi sunt perfectiores. Secūdo, quia sensus interior nō indiget actuali immutatione ab obiecto suo, sed potest species conseruare, & in absentia etiā obiecti operari absque vlla alteratione. Tertio actus appetitus, præsertim amor, & voluptas, si circa obiecta honesta versentur, perfecti sunt, & valde cōueniētes humanæ naturæ. Vnde Greg. Nazian. orat. 10. in laudem Cęsarij fratris agens de anima Beata, eiusque voluptate, subdit. *Cum cognatam carnem receperit, eam quoque ad gloriæ cœlestis hæreditatem secū admittet, & quemadmodum ob naturæ conunctionem ærumnarum ipsius particeps fuerat: sic etiā iucunditates suas cum ipsa communicabit, totum videlicet corpus in se ipsam absumens.* Quæ ferè verba retulit Anastasius Nipecus lib. quæst. sacræ scrip. q. 87. & similia habet Anselm. li. de similitudinib. c. 57. Addo vero, quanuis hi affectus in nobis fiant cum aliqua corporis alteratione, tamen in illo corpore glorioso, vbi anima perfectè dominabitur, nullam fore necessariam alterationem. Quòd si oportuerit, fieri motionem aliquam, vel spirituum vitalium, vel sanguinis, aut alterius humoris, ea fiet sine alteratione propria cū sola locali mutatione. Sunt ergo actus harū potentiarū in corpore glorioso, non quidem omnes illi, qui possunt esse in iis potētiis, aliqui enim includunt malū aliquod, vel carētiā boni cōuenientis, vt sunt tristitia, dolor, turpis voluptas, & similes: sed ij tantum, qui decentes sunt, & consentanei gloriæ, ac statui Beatorum. An verò ij actus possint versari aliquomodo circa Deum, & esse supernaturales in substantia, vel tantū in modo, quęstiones sunt communes corpori glorioso, & mortali: & ideo nō sunt tractandæ hoc loco, sed in prima secūdæ, attigimus autē illas in priori tomo.

Ana. Nice. Anselm.

Motus progressiuus in corpore Christi glorioso.

Quinto hinc etiam est certum, actum potentiæ loco motiuæ conuenire corpori Christi glorioso. Quod in Euangelio habemus expressum. Sæpe enim de Christo post resurrectionē dicitur, ambulasse, ingressum esse, & similia, quę motum localem etiā progressiuum significant. Ratio verò est, quia hic motus oritur ex appetitu, & phātasia, si organa corporis sint dispositā: sed ostensum est, in Christo esse actus appetitus, & phantasiæ, & corporis organa esse integra, & disposita. Neq; obstat, quod potuerit corpus Christi moueri alio supernaturali modo per dotem agilitatis (vt infra videbimus,) scilicet, vel transeūdo ab extremo ad extremum sine medio, vel transeundo per medium, non motu progressiuo, sed veluti simplici impetu vt quando ascendit in cœlum: nihil, inquam, hoc obstat. Nam potestas supernaturalis non excludit naturalem, & vsus illius non est necessarius, sed voluntarius, & ideo potuit Christus vtraque vti suo arbitrio. Decuit autem, vt interdum vteretur virtute motiua naturali ad veram

veram resurrectionem ostendendã. Existimari.n. posset phantasma, si semper saper naturali modo appareret, ac moueretur.

Sexto hinc etiã fit actũ loquẽdi interdũ fuisse in corpore Christi glorioso. Hic.n. licet aliquo modo sit ab anima rationali, vt á principali motore ac gubernatore proxime tñ tribuitur animæ sensitiuæ quatenus proxime procedit ab appetitu, & phãtasia per organa corporis. De hoc ergo actu etiam habemus expressa testimonia in omnibus vltimis capitibus Euãgeliorum: quę intelligenda sunt, de vera locutione propter ea, quę adduximus de vera comestione. Vnde eadẽ est ratio huius assertionis, quæ præcedẽtis. Quia vera locutio ex parte animæ procedit ex apprehensione, & appetitu: ex parte vero corporis, requirit vitalia organa ad vsum loquendi accõmodata, ac dispositа, sed hæc omnia sunt in corpore Christi glorioso, ergo.

Dices, ad locutionẽ etiã requiri aẽrẽ. vt eo percusso sonus efformetur: sed hic nõ est in corpore Christi glorioso: ergo neq; põt esse sonus, aut vox. Respõdetur in primis, hanc difficultatẽ nõ habere locum in Christo, quãdiu in terra post resurrectionẽ cõuersatus est, de quo tẽpore Euangelia loquũtur. Tunc.n. eodẽ modo poterat aẽrem emittere, & attrahere, sicut & nos. Quia ex parte corporis eius erat eadẽ facultas, & virtus actiua: & ex parte aẽris eadẽ propinquitas, & dispositio. Procedit ergo difficultas posita in corpore Christi existente supra cęlũ, vbi aẽre nõ circundatur. Neque.n. negandũ est, quin ibi etiã vocẽ formare possit, esset.n magna imperfectio corporũ beatorũ si nõ possent inuicẽ loqui, & cõuersari, & nõ solum mẽte, sed etiã voce Deũ laudare, iuxta illud Psalm. *Exultabũt Sancti in gloria, lætabũtur in cubilibus suis: exaltationes Dei in faucibus eorũ*. Ita enim legunt Hebręa, & Græca, ita quoq; legit Arnobius, & legisse videtur Augus. qui ea verba interpretatur de Sanctis, qui nõ sibi placẽt, nec sibi tribuũt, quòd boni sint: sed illũ laudãt, à quo acceperũt, q̃ sunt, quod in hoc sęculo inchoatur: consummatur autẽ in beatitudine. Eundẽ etiã sensum reddere põt cõmunis lectio, *Exultationes Dei in faucibus corũ*. Propriè.n. *exultationes Dei* dicũtur, quæ sũt à Deo, & quę ex illius amore, ac laude oriũtur, & hæ dicuntur esse in faucibus, quando ita cor in Deo exultat, vt fauces ac linguã in Dei laudẽ moueat. Vnde Basil. exponẽs hæc verba, *Exultationes* (inquit) *hic hymnodias, & psalmodias dicit*, & Theodoretus, *Sãcti inglo ria diuina beneficia prædicãt, horũ causam celebrãtes*. Et eodẽ modo exponit Greg. lib. 8. Moral. c. 31. illa verba Iob. 8. *Donec impleatur os tuũ risu, et labia tua iubilo. Bene* (inquit) *os risu impleri dicitur, & labia iubilo, quia in illa æterna patria, cũ iustorũ mẽs in exultationem rapitur, lingua in cẽsum laudis eleuatur*. Et Irenęus lib. 5. cõtra hæres. c. 8. tractãs illa verba ad Rom. 8. *In quo clamamus Abba Pater, Si pignus* (inquit) *habentes clamamus Abba Pater, quid fiet, quando resurgentes facie ad faciem videbimus eũ? Quando omnia mẽbra affluenter exultationis hymnũ protulerint?* Quæ verba vsurpauit etiam Aug. lib. 22. de Ciuit. c. 30. Erit ergo in glorioſis corporibus vox, & diuina laus, etiam sensibilis: multo ergo magis in corpore Christi.

Neque obstat difficultas posita. Quia (vt notauit D. Tho. in 2. d. 2. q. 2. art. 2. ad 5. & in 4. d. 44. q. 2. art. 1. q. 4.) ad formandã vocẽ nõ est necessarius externus aẽr, qui trahatur, vel expellatur: sed sufficit interni, qui est in humano corpore. Huiusmodi. n. aẽr (vt supra diximus) etiã est in corpore glorioso in pulmone, & in aliis interioribus partibꝰ corporis, quę neq; alio corpore replẽtur, neq; vacuę esse debent. Põt ergo Beatus formare vocẽ mittendo aẽrẽ per asperã arteriã vsq; ad os, ibiq; lingua, labiis, & aliis organis illũ refrangẽdo in palato. Dices, quomodo põt solo aẽre in corpore incluso vox formari? Oportebit.n. aliquẽ locũ interiorũ partiũ corporis vacuũ relinqui, dũ aẽr ad formãdã vocẽ impellitur. Respõderi põt ex D. Th. suprà ad formationẽ vocis nõ esse necessariã expulsionẽ, & attractionẽ aẽris. Cuius signũ est, quia dũ homo respirat, nõ põt vocem formare. Sed licet verũ sit, nõ esse necessariã aẽris expulsionẽ extra os, neq; attractionẽ aẽris extrinseci: tñ intelligi nõ põt, quòd fiat sonus, & vox, quin aẽr impellatur, et repercutiatur; nõ põt autẽ aẽr impelli, quin aliũde expellatur, quia impulsus ille fit p motũ localẽ. Dicẽdũ igitur est, expelli quidẽ aẽrẽ ab aliquibꝰ partibus interioribus corporis: illas tñ nõ manere vacuas, quia statim illic succedit alius aẽr existẽs in partibus propinquis, vel per rarefactionem, quæ non videtur repugnare illi aẽri, etiã si sit intra corpus glorioſũ, quia non est pars eius: vel certe per solum

A B C

Obiectio.

Responsio

Erit in glorioſis corporibus vox, & laus diuina, etiam corporalis. Psal. 149. Arnob. Aug.

Basi. Theodo. Greg. Pap. Iob. 8. Iren. Roman. 8. Aug.

D. Thom.

Formatio vocis, & iocularis a corporibus bea torum incę lo fieri quo modo poſ- ſit.

Obiectio.

D. Thom.

Responsio

lum motũ localem, & quasi circulũ quen dam totius aëris exeuntis, & subintrantis secundum diuersas partes suas in diuersas partes corporis. Quod facile intelligi potest in corpore glorioso, tum propter subtilitatẽ eius, vnde fit, vt aer, qui est in illo facile possit quaslibet partes eius penetrare. Tum etiam propter perfectũ dominiũ, quod habet anima supra corpus glorioſũ, & omnia, quę in illo sunt. Ex quo etiam prouenit, vt licet impellat aerem vsq; ad os, & labia: ita tamẽ illum cõtineat, vt nõ permittat extra corpus egredi, nisi quantũ necesse est ad formandã vocem. Et ideo q̃ ab vna parte expellitur, alia via reuertitur. Vnde põt semper formari vox, quanuis nec foras aer propellatur, neque partes aliquę vacuæ relinquantur. Et hic modus est sufficiens, quod attinet advocis formationem. Nam quod alij dicunt, in corpore cœlesti posse formari vocem, impeliẽdo, & trahendo illud, mihi non probatur. Tũ quia, neque consentaneum est naturæ incorruptibili cœli, neque humano corpori accommodatum. Tum etiam quia corpus Christi non est intra cœlum, neque penetratiuẽ, neque circundatum illo, sicut nos sumus in aere: sed est supra cœlum, vt statim dicam tractando, quomodo hæc vox possit audiri. Aliud enim est formari, aliud audiri, & hactenus solum explicatum est, quomodo formetur, quomodo autem audiatur statim dico.

Sonus, & vox formari a corporibus gloriosis sine aeris impulsione, & repercussione non põt.

Septimo dicendum est, actus omnium sensuum in corpore Christi glorioso locum habere. Hæc assertio colligitur ex D. Th. in. 4. d. 44. q. 2. ar. 2. q. 3. & 4. & Sco. d. 49 q. 14. ad 2. & Maior. q. 14. & fere ex alijs Theologis ijs locis, paucis exceptis, qui loquuntur in communi de Beatis. Potest autem cõclusio in primis intelligi de corpore Christi, quandiu post resurrectionẽ inter homines versatus est, vel prout nũc in cęlo existit. Rursus de vtroque tempore est certior in aliquibus sensibus, quãm in alijs. Primo igitur de visu est res certissima, & de tẽpore ante ascẽsionẽ cõstat apertè ex historia euangelica. Post ascẽsionẽ autẽ in cęlum facile etiam intelligitur, corpus illud posse videre seipsum. Est enim perlucidũ, & trãsparẽs (vt infra dicemus) est ergo de se visibile, & põt immutare sẽsum actione perfectiua absq; alteratione materiali, vel corruptibili. Hic enim sensus inter omnes perfectiori modo immutatur, & operatur: vnde eius actus valde perfectus est, & corpori incorruptibili accõmodatus. Solũ de externis obiectis põt esse nonnulla difficultas, quomodo possint videri à Christo, quãdo ab eo distãt, cùm non sit interiectum mediũ, per q̃ possint species deferri. Neq; enim dici potest deferri per corpus cœleste, loquor enim de corporibus, quæ sunt extra cœlum, v. g. de corpore B. Virginis, & siqua sunt alia supra conuexum cœli existentia, quæ poterunt esse realiter distantia inter se, quanuis inter ea aliquod corpus non sit interiectum, & tũ sine dubio videre se possunt, vt eleganter docet Grego. lib. 18. Moral. cap. 27. alias. 31. Vbi non solum dicit, posse vnum Beatum videre alium quoad externum vultum: sed etiam totam corporis harmoniam vsque ad ipsa viscera, & cor. Quod significat etiã Aug. 22. de Ciuitat. ca. 30. & Chrys. epi. 5. ad Theodorum lapsum circa mediũ; idq; explicat exemplo transfigurationis Domini, vbi Apostoli Christi corpus viderunt in gloriæ splẽdore diuina virtute confortati. Nã splẽdor ille, inquit, prout est, videri non põt nisi ab oculo immortali, & incorruptibili, qualis erit in corporibus beatis. Denique in hac visione, prout ad Christi corpus terminatur, præcipuam corporis beatitudinẽ consistere docuerunt Cyprian. sermone de natiuitate Christi. Aug. in manuali, c. 26. & lib. de spiritu, & anima cap. 4.

D. Thom. Scot. Mai.

Corpus Christi glorioſum actũ visionis exercere potest.

Sed quomodo, & quo medio recipiet tũc visus species? Nã obiectum visibile per lineã rectã mittit species ad oculum: at vero per lineã rectã inter obiectũ, & oculũ nullũ est corpus nec cęleste, nec aereum. Dici potest species illas multiplicari per vacuum. Sed nõ recte, oporteret enim creari & per se existere, quæ sunt miracula nõne cessaria. Facilius igitur dicitur, obiectũ immediatè agere in sensum distãtẽ, producẽdo in illo species, siue id faciat naturali virtute, (vt aliqui existimãt) siue diuina. Est enim hic modus immutãdi potentiã cõsentaneus corpori glorioso, quod *spirituale* à Paulo vocatur. Vnde, sicut vnus spiritus loquitur cum altero, manifestando suum conceptum, & illius speciem imprimẽdo absq; impedimento distãtiæ, ita illa corpora glorioſa participãt hãc efficaciã. Ex quo inferũt aliqui, posse corpus glorioſũ, (quãtum in se est) immutare visum, atque adeò videri ad quancunque distantiam. Quia si diuina

Obiectio.

Gregor.

Aug.

Chryſoſt.

Cyp.

Aug.

Reſponſio Quomodo inoculisbeatorum producispecies ſenſibiles ab obiectis diſtantibus poſsintſine medio.

1. Cor. 15.

si diuina virtute eleuatur ad agendū sine dependentia à medio, eadem ratione poterit eleuari ad agendum sine dependentia à propinquitate, vel distantia. Quod in spirituali etiā immutatione, quæ fit in locutione Angelorum, reperiri multi existimant. Et saltem de corpore Christi mihi non est dubium, quin habeat hanc efficaciam, quatenus est obiectum visibile.

Obiectio. Dices, ergo eademratione poterit oculus Christi, vel alterius Beati videre quodlibet obiectū visibile, quantunuis distans. Habebit enim potentiā visiuam perfectissimā, & organum optimè dispositū. Respōdetur ita aliquos sentire, & significat Scotus in 4.d.50.art.6. Sed, cū ad videndū non solum requiratur perfectio potentiæ, sed etiam species visibilis, quę imprimenda est ab obiecto, hoc non pōt sufficienti fundamento affirmari. Quia obiecta visibilia, quæ nunc sunt in terra, nō possunt imprimere species sui in oculis Christi, aut B. Virginis naturali virtute, vt perse constat. Quod autē diuinitus eleuentur ad imprimendas illas, aut quòd Deus supernaturaliter illas infundat, aut det virtutē supernaturalē Beato ad videndum sine speciebus quodcunq; obiectū, vbicunq; sit, nulla ratione fit satis verisimile, si generaliter de omnibus Beatis sit sermo. Quia, licet illa omnia sint possibilia, non tū pertinent ad Beatorū statum, nec est perfectio beatitudini eorū debita. De Christo autem dīo, propter singularē quādā omnipotētię participationē, quā habet humanitas eius, vt est instrumentū coniunctum Verbi, probabile est posse videre etiā oculis corporeis quodcūq; obiectū visibile, vbicunq; sit, non per speciē acceptā ab obiecto, seu per efficientiam obiecti: sed per efficaciā ipsius Christi. Quia hæc virtus non est in obiecto, sed in Christo, qui hoc potest facere, vel supernaturaliter efficiendo speciem in suo oculo, vel immediatè efficiendo visionem sine specie. Nulla enim est in hoc repugnantia, vt ex ijs, quæ traduntur in 1.p. suppono.

Sot. Responsio

Potentia visiua Christi ad quodlibet obiectum quantunuis distans extenditur.

Secundo probatur, & declaratur cōclusio posita in auditu. De quo, sicut & de voce immeritò dubius fuit Bona. in 4.d.49. artic.3.q.1. agens in genere de corporibus gloriosis in cœlo existētibus. Mihi tū res videtur satis certa. Nā de auditu eadē ferè ratio est, quæ de visu. Nā etiam hic sensus tantū requirit intentionalē immutationē, eiusque operatio est valde perfecta, pertinens quodammodo ad perfectū vsum rationalis vitæ, in quantū signa aliorū conceptus repræsentantia hoc sensu percipiūtur. Propter quod vocatur *sensus disciplinæ*. Et confirmatur. Nā delectatio auditus est suauissima, & perfectissima, & quodā modo spiritualis, & maximè decens statū Beatorū. Denique, quandiu Christus post resurrectionē cum hominibus conuersatus est, plane constat ex Euangelio, sicut verè loquebatur, ita verè, & propriè aliorum voces audiuisse. Nā hoc etiam fuit vnum ex testimoniis veræ resurrectionis. At verò post Ascensionē in cœlum, licet Euangeliū nihil dicat: tū certum etiā est, ibi posse non solū Christum, verū etiā alios Beatos exercere hūc actū. Superuacanea enim esset ibi vox, si non posset esse auditus. Et ita Sancti supra citati vtrumque simul, & affirmant, & ex eisdem scripturis colligunt.

Bona. Beatiin cœlo audire possunt.

Occurrit autem hic specialis difficultas similis illi, quæ de visu tractata est. Nam, licet ibi sit obiectū auditus, vox, & facultas, de est tū medium, per quod deferatur sonus, quia nullus est aer extrinsecus inter corpora Beatorū interiectus. Quam difficultatē attigit D. Tho. in 2.d.2.q.2.art.2.ad 5. & dupliciter respondet. Primo, de ferri vocem ad auditum per confractionē, & commotionē cœli empyrei. Quæ respō sio mihi nec satisfacit, nec necessaria videtur. Ratio prioris partis est, quia suppono corpus Christi, & aliorū Beatorum esse supra conuexum cœli empyrei: multū ergo distat os, & auditus Beati á superficie cœli empyrei, quomodo ergo pōt moueri, vel confrangi lingua, & voce Beati. Quod si quis cōtendat corpora Beata non esse hoc modo supra cœlū empyreum, sed intra illud: In primis hoc est cōtra ipsum D. Thomā, vt infra videbimus. Deinde, licet cōcedamus, aliquando posse corpus Beatum esse hoc modo intra cœlum, quis autem negabit posse suo arbitrio ascendere supra conuexum vltimi cœli, & ibi loqui, & audire. Præterea etiam dum corpus beatum est intra cœlum, non est necessaria illa commotio, & cōfractio cœli empyrei, nec cōsentanea naturæ eius. Non. n. est minus perfectū, quā alij cęli, qui solidiores esse videntur, quam vt possint tam facile

Obiectio.

D. Thomę

confringi, & commoueri. Quod verò nõ sit necessaria, patet. Quia nec ad formandã vocem (vt supra ostensum est) neque ad deferendas species intentionales: quia hę deferri possunt sine reali sono, atq; adeò si
D. Thom. ne reali commotione medij. Hæc igiur est secunda responsio D. Th. scilicet, species soni deferri secundũ esse spirituale tantũ, & ideo non esse necessariã cõmotionem medij. Sed adhuc supereſt difficultas, quia saltem est necessariũ mediũ, quod nullũ est, quando corpora Beatorum sunt supra Cœlum. Responderi tamen potest, nunquam corpora beata ita esse supra cœlum, quin aliqua ex parte cõtingant cœlum, & ideo illo mediante posse species soni ad auditum deferri. In hoc enim differt sonus à luce, vel colore, quod nõ necessariò multiplicat species per lineam rectam, sed qua B cunque alia ratione. Et hic modus non est impossibilis. Secundo verò, & facilius respondetur, (sicut de visu diximus) posse Beatum imprimere speciem suæ vocis in auditum distantem immediatè, nihil operando circa medium, vbi eadem proportione applicari possunt omnia, quæ de visu diximus. Hinc verò colligi potest, quanuis possit Christus in cœlo habere actum huius sensus: non tamen esse necessarium vt semper sit in aliquo actu eius, nec determinate, nec vagè, cùm non sit necesse, vt vel ipse, vel alij semper loquantur, aut canant. Nec tamen idẽ omnino est de sensu visus. Quia obiecta visus non pendent ex aliqua actuali actione libera: sed sunt res permanentes, & stabiles, quæ semper sunt sufficienter applicatæ, vnde ex parte obiectorum semper esse potest actualis visio, quanuis ex libertate Beati id non sit simpliciter necessariũ. Est autem verisimilius C semper esse in aliquo actu videndi, aut ipsum corpus Christi, aut alia, beatitudinis consortia.

Species soni sine medio adaures beatorũ in cœlo deferri quomodo possint.

Corpora beatorum in cœlo sem per sunt in actu videndi sed non audiendi.

Bona. Tertio de odoratu, Bona. supra negat, esse in corpore glorioso actum eius sensus. Sed non video quo fundamẽto. Est enim res perfacilis, applicando omnia, quæ diximus. Nam etiam operatio huius sensus exerceri potest sine alteratione materiali corporis sentientis, & alioquí obiectum nõ deerit etiã in cœlo. Cur enim odorum suauitas sibi deficiet? Vnde in libr. de spiritu, & anima ca. 58. **Aug.** seu autor eius, loquẽs de Beato ait. *Nec dici potest quã tam habeat in gustu voluptatem, quantam in sapore iucunditatem, quãtam in odore suauitatem.* Verum est, sensum ab Augustino intentum magis videri metaphoricum, quam proprium: vtroque tamen modo vera est sententia, quam statim aliorum Patrum testimonijs confirmabo. Quin potius (vt verisimile censeo) ipsa etiam Beatorum corpora suauissimum odorem emittent. Habebunt enim intestina plena humoribus, & aere, optimis qualitatibus, & odoriferis affectis. Hæc enim perfectio maximè decet illum statum, sicut è contrario corpora damnatorum erunt fætida. Neque in explicando modo, quo huiusmodi obiectũ *Obiectio* immutabit olfactum, occurrit noua aliqua difficultas. Solum posset quis obijcere. Quia operatio huius sensus non videtur admodum necessaria in corpore immortali, cùm ex natura sua non sit ita spiritualis sicut operatio visus, & auditus, neque ordinetur ad perfectionem animæ secundum se, sed ad conseruationem vitę. Propter quod in brutis hic sensus maximè viget, ergo vbi non erit vita animalis, non erit necessaria operatio eius. Respondetur, in his actibus non tantum esse considerandam vtilitatem ad alios fines extrinsecos: sed perfectionem, quam per se afferunt. Si enim ex se decens est, & alias non repugnat corpori incorruptibili, etiam si illi non sit necessaria ad eius conseruationem, vel alios fines, propter ipsam naturæ perfectionem expeti potest. Maximè quia hoc actu excitari solet animus ad Dei laudem, & internam deuotionem, quæ vtilitas esse poterit in Beatis, quanuis ea simpliciter non indigeant. Et hinc tandem colligitur, potuisse Christum illis C quadraginta diebus ante ascensionẽ exercere actum huius sensus circa hæc inferiora corpora odorifera, quia erant obiecta proportionata, & immutare olfactum possunt sine materiali alteratione. Tamẽ propter excellentiam corporis beati, & perfectum dominium, quod in suas actiones habet, non exercebat hunc actum nisi circa perfecta obiecta, & decentia, neque ab alijs speciem accipiebat.

Beati in cœlo olfactum exercere possunt.

Aug.

Responsio.

Quarto de gustu, & tactu maior est difficultas, cùm hi sensus non videantur fine alteratione materiali immutari. Nihilominus probabilius est, etiam hos sensus habere actus suos in corpore glorioso. Quę est

aperta

Gustus, & tactus in corpore glorioso suas sensationes exercent Anselm. Lact. Iust.

aperta sententia Anselmi, libro de similitudinibus, capit. 57. vbi, cum dixisset, *Tos Beatos inenarrabili suauitatis abundantia esse replendos*, subdit. *Quid dixi totos? oculi, aures, nares, os, manus, guttur, cor, iecur, &c. mirabili delectationis, & dulcedinis sensu repelebuntur.* Et Laurentius Iustinianus lib. de disciplina, & perfectione monast. conuers. capit. 23. *Caro* (inquit) *spiritualis effecta per omnes sensus suos multimodis exuberabit delitus. Delectabitur oculus in amabilis Redemptoris aspectu, cum videbit Regem in decore suo gloria ornatum, ac diademate redimitum, quo coronauit eum mater sua. Melodica cantica ciuium supernorum non mediocriter mulcebunt auditum: flagrans quoque suauitas cœlestium odoramentorum miraliquefactione resperget odoratum: indicibilis etiam dulcedo omnium delectabiliū melliflua quadam, & iucunda satietate oris saginabit palatum: ipse demum tactus sibi congruis abundabit delitus, quas experti narrant. Fas etenim non est, vt in illa cœlorum gloria quidquam vacet a Dei laude: quin potius iustum, vt cuncta corporis membra suum proprio modo efferant conditorem, quatenus, sicut ab ipso sumpsere principium, ita & in illo deducant suæ beatitudinis finem, vt sit Deus omnia in omnibus.* Idem colligi potest ex Prospero libr. primo de vita contempl. capit. 4. vbi dicit, omnia bona, quæ in humana natura peccatum corruperat, reparanda esse in melius, *id est, intellectus sine errore, memoria sine oblitione, cogitatio sine peruagatione, charitas sine simulatione, sensus sine offensione, saturitas sine fastidio, & tota sanitas sine morbo.* Ex quorum Patrum verbis, ac sententiis variæ etiam coniecturæ colligi possunt, quę generaliter probant de omnibus sensibus. Solum superest, vt ostendamus in his duobus, scilicet gustu, & tactu nihil esse speciale, propter quod eorum actus corpori glorioso repugnent. Nam in primis non est repugnantia ex parte materialis immutationis, seu alterationis. Quia hęc non est per se necessaria ad actus horum sensuum. Nam licet naturaliter semper sit coniuncta cum intentionali immutatione: tamen reipsa est diuersa, vnde facile possunt separari in subiecto, quod est capax vnius, & non alterius, quale est corpus gloriosum. Nam si calor, & species intentionales caloris sunt qualitates realiter distinctæ, cur non poterit corpus gloriosum alteram sine altera recipere? Quādoquidem est capax vnius, & non alterius, & illæ non habent ordinem inter se, sed tantum concomitantiam respectu corporis passibilis. Et quo adhoc eadem ratio est de gustu. Deinde quòd non desit obiectum, in tactu quidem est manifestum. Nam in primis Christus ante Ascensionem dicebat, *Palpate, & videte*, sicut ergo ipse tā gebatur, & tactu percipiebatur, ita etiam & tangebat: poterat ergo, illa corpora tactu percipere, vtpotè obiecta tangibilia: & ex alio capite non est repugnantia, vt ostensum est. Post Ascensionem verò similis ratio locum habet. Nam etiam corpora gloriosa poterunt se tangere: poterit ergo vnum optimam dispositionem alterius percipere. Magna enim imperfectio videretur, si illa corpora se tangendo, nihil sentirent, ac si essent inanimata. De gustu verò (si loquamur de Christo, eo tempore, quo cum Apostolis versabatur, & cibum sumpsit) nullum est incommodum, quod sicut tunc verè comedebat, ita etiam verè perciperet cibi saporem, & gustum, absque alteratione materiali, vel alia inperfectione beatitudini repugnante. Si autem sit sermo de tempore post Ascensionem, difficilius est, in cœlo obiectum gustus inuenire. Propter quod Bona uentura suprà, hunc actum negat esse in Beatis. Sed non est Deo difficile, facere, vt aliquis sapidus humor sit intra organū gustus, qui sensum illum possit intentionaliter afficere, vt Diuus Thomas dixit.

Luc. 24.

Prosper.

Bona.

Obiectio.

D. Thom.

Responsio

Dices, ergo esse poterit in corpore glorioso delectatio ex tactu & gustu proueniens: consequens autem videtur inconueniēs. Quia huiusmodi delectatio indecens esse videtur, nec est finis actionis rectæ: sed potius est propter actionem, ibi autem talis delectatio, non est necessaria propter aliquam actionem, neque propter se est expetenda, quia hoc non est rationi consentaneum. Vnde diuus Thomas quarto contra Gentes capit. 83 simili ferè discursu concludit, in corporibus gloriosis non esse futuras delectationes venereorum, & omnes rationes, quas ibi adducit, æque videntur procedere de omni delectatione tactus, & gustus. Respondetur, delectationes horū sensuū honestissimas, ac decentissimas non repugnare corpori glorioso, neque esse præter rationē, sed potius

tius admodum rationi consentaneas, quia non propter se expetẽtur: sed vt omnibus modis magis glorificetur Deus, vt rectè
Lau. Iust. Laurentius Iustinianus loco supra citato indicauit. De quibus etiam intelligi possunt, quæ ex Nazianzeno, &
Nazianz. *Anastas.* Anastasio supra retulimus, & quod nomine Augusti.
Aug. dicitur lib. de spiritu, & anima cap. 64. *Ibi erunt bona corporis, & animæ, qualia oculus non vidit, nec auris audiuit, neccor hominis cogitauit. Quid enim amas caro mea? quid desideras anima mea? Ibi est, quidquid amatis ibi est, quidquid desideratis. Si delectat pulcritudo, fulgebũt iusti sicut sol: si quælibet munda voluptas, torrente voluptatis deitatis suæ potabit eos Dominus.* Quæ ferè verba transcripsit Anselm. in prosologio
Anselm. cap. 25. Vnde in li. de similitudinibus ca. 48. 55. & 57. pulcritudinem, & voluptatẽ corporis ponit inter partes beatitudinis quando talia sunt, vt in eis, vel ex eis nulla Dei offensio contrahi possit. Denique potest hoc à contrario confirmari. Nam damnati post resurrectionem sensu tactus B percipient sensibilem ignem, ex quo, dolore sensibili afficientur, ergo corpus glorioſum multo magis percipere poterit aliquod obiectum, quod purissimam aliquã voluptatem parere possit. Si enim in damnato omnes sensus pœna torquentur: cur non magis in beato voluptate perfundentur? D. Tho. igitur dicto lib. 4. contra gentes: loquitur de materialibus delectationibus ciborum, aut venereorum, quę vel nõ decent, vel non spectant ad statum beatorum. Vltimo ex his constat, esse in corpore Christi glorioso spiritus vitales, & animales. Quia hi necessarij sunt ad operationes sensuum, & vitales motus exercendos. Erũt autem hi spiritus in corpore glo C rioso incorruptibiles, vt patebit ex disputatione sequenti. Quia in illis corporibus non est futura alteratio, ijdem ergo spiritus semper permanebunt, & per diuersas corporis partes virtute animæ, vltró, citroque discurrent.

DISPVTATIO. XXXVIII.

In quinque sectiones distributa.

De supernaturali perfectione corporis Christi post resurrectionem.

IN superiori disputatione explicuimꝰ naturalem perfectionem, quam Christi corpus habet in gloria, & obiter attigimus nonnullas perfectiones supernaturales, præsertim ex ijs, quæ pertinent ad A actus secundos sensuum externorum, vel internorum, quæ ad animam potius spectant. Quanuis, quia per corpus exercentur, simul cum facultatibus corporis computentur, & explicentur. Superest igitur, vt dicamus de perfectionibus supernaturalibus, quæ sunt in corpore Christi per modum actus primi, seu bonæ dispositionis superantis naturam, seuper modum aptitudinis ad motum aliquem corporis, vel modum aliquem existendi, vel agẽdi corporis supernaturalem. In qua re primum inquirendũ in cõmuni est, an data sit corpori Christi huiusmodi perfectio. Deinde in particulari qualis, & quotuplex sit. De qua re tractare solent Theologi in. 4. d. 44. & 49. nos autem hoc loco eam expediendam censuimus. Primò, quia non est in animo post tractatum de sacramentis instituere disputationẽ de quatuor nouissimis, quam Theologi in fine Quarti tractare solent. Quia omnia, quæ eo loci dicũtur, pertinent vel ad materiam de beatitudine, vel ad materiam de pœnis peccatorũ quę sufficienter in. 1. p. & in. 1. 2. traduntur. Præter ea, quæ de purgatorio, & suffragijs mortuorum in. 4. tomo huius. 3. p. dicenda nobis sunt, & quæ in fine huius de secundo Christi aduentu ad iudicium disseremus. Deinde quia corpus Christi domini glorioſum primum exemplar est omnium harum perfectionum, quæ, si in ipso recte explicentur, facile poterunt cęteris omnibus accommodari.

SECTIO PRIMA.

Vtrum corpus Christi post resurrectionem, aliquam supernaturalem perfectionem, seu dispositionem habuerit.

QVod resurgentium corpora futura sint altiori, ac perfectiori modo perfecta, ac disposita, quàm sint hæc nostra, tam fuit semper constans, vt inde sumpserint aliqui hæretici occasionem negandi veritatem materialiũ corporũ in hominibus resurgentibus, vt Euthychius, qui (vt refert Greg. 24. Moral. capit. 29.) *Gre. Pap.* negauit, corpus humanum post resurrectionem futurum esse carneum, & ante ipsum Orige. vt referunt Epipha. ex Metho *Epiphan.* dio

dio hæresi 64. & in epistola ad Ioannem Hieron. Ierosolimytanum, quæ est 60. inter epistolas Hieronymi, & Hieronymus epist. 61. Isidor. aduersus eundē Ioannem, & Isidorus lib. Theophyl. de doctrina, & fide c. 6. & Theophyl. 1. ad 1. Cor. 15. Cor. 15. Qui sumpserunt occasionem errā di ex quibusdam locis Pauli praue intellectis, vt est illud, *Seminatur corpus animale, surget autem spirituale*: & illud, *Caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt*: quæ in superioribus tractata sunt, & in sequētibus ad veritatē catholicam confirmandā illis vtemur. Addi etiā potest ratio in horū fauorem, quia non potest, seruata corporis natura, conditiones naturę cōtrarias idē corpus suscipere: sed corpus glorioſum ita erit supernaturaliter perfectū, vt habeat cō ditiones contrarias nostro corpori, quales sunt esse spirituale, esse incorruptibile, esse perspicuum, esse penetrabile, & similes, erit ergo alterius naturæ. Non constat autem, an isti hęretici posuerint hanc corporis diuersitatē in ipsa materia, vt scilicet pB tauerint, corpus Christi post resurrectionem nō habuisse substantiā suam ex materia hac generabilium, & corruptibiliū: sed ex alia cœlesti, aut certè ex nulla materia, quæ propriæ quantitati subiaceat. An verò solum in accidentibus, & dispositionibus materialibus hanc diuersitatē constituerint: hoc (inquam) mihi non constat, neque ipsi fortasse explicarunt, aut intellexerunt.

Alij vero hæretici, vt verā corporis naturā post resurrectionē seruandā esse tuerentur, nullam aliā perfectionē, quàm omnino materialē, & naturalē illi tribuebant, neque aliud felicitatis, aut voluptatis genus, quā quod ex rebus corruptibilibus, earumque naturali vsu, & alteratione conC surgit. Ita refert Dionysius cap. 7. Eccles. Hierar. part. 1. eundemque errorē tribuit Dionys. Cherinto Dionysius Alexand. apud Eu- Euseb. sebiū lib. 3. Histor. c. 22. alias 38. & Nice- Nicephor. phor. lib. 3. c. 14. & Aug. hæresi. 8. & Isi- Aug. dor. libr. de doctrina, & fide c. 24. Posset etiā recenseri hoc loco error Chiliastarum, distinguentium duplicē resurrectionem, primam per mille annos duraturam in terrenis, ac temporalibus voluptatibus, quibus Sancti cū Christo gaudebunt, post quā futura sit alia cœlestior, atq; diuinior perpetuò duratura. Nam ex hoc errore sequitur, corpus Christi adhuc esse in priori dispositione imperfecta, quasi expectās A tempus illud primæ resurrectionis. Sed non est huius loci hæc persequi, tractanda enim sunt disput. 50. sect. 8.

Dicendum ergo est, corpus Christi dñi in resurrectione sua ornatum fuisse variis donis, & qualitatibus supernaturalibus, præsertim illis quatuor, quæ ab omnibus catholicis agnoscūtur, claritate, impassibilitate, agilitate, & corporis subtilitate. Hęc assertio est certa secundum fidem, quæ in primis in genere probari potest illis verbis Christi. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Quibus quoque consentanea sunt illa Pauli, *Seminatur corpus animale, surget autem spirituale.* Huiusmodi enim cōditio nō est corpori hominis naturalis: est ergo habitu rū hoc corpus statū alium, ac perfectionē, naturam superantem. Supponimus autē, quidquid perfectionis in scriptura dicitur de corporibus resurgentium, maxime in Christi corpore verificatum iri. Nā summa laus aliorum corporum est, quòd sint *reformanda & configuranda corpori claritatis Christi*, vt dicitur ad Philippenses tertio. *Dona supernaturalia corporis Christi resurgentis qualia. Matth. 22*

Secundo sigillatim colliguntur hæ proprietates ex scriptura. Nā de claritate sunt expressa prædicta verba Pauli ad Phil. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Quā claritatem, nomine gloriæ, intelligitur significasse Paul. 1. ad Cor. 15. cū dixit, *seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Nā de hac gloria præmiserat idem Apostolus. *Alia quidē cœlestium corporum gloria, alia terrestrium: alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarū. Stella enim differt ab stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* Tribuit ergo Paulus claritatē corporibus resurgentiū, diuersam tamen, pro diuersitate meritorū, & operum. Vnde eleganter Aug. epist. 146. ad Consentium, tractans illa verba Pauli, *Seminatur corpus animale, surget spirituale* (inquit) *In his verbis Apostoli, nunquid fas est putare, melius corpora nostra resurrectura, quam Christi, cum de illo sit propositum exemplum, quod fideliter intendere, & per eius gratiam sperare debeamus?* Et cætera, quæ elegāter prosequitur August. seu autor libr. de cognitione veræ vitæ c. 46. Vbi de eadē claritate intelligens verba Christi Matt. 13. *Fulgebunt iusti, sicut sol*, inquirit, quomodo Paulus eos stellis comparet? Et respondet, *Dos claritatis in corporibus beatorum.* 1. Cor. 15. Philip. 3. Philip. 3. 1. Cor. 15. Aug. Matth. 13.

quemlibet, vel minimum beatum fore lucidum, vt solem, Paulum verò ad eorum varios gradus explicandos vsum fuisse cõparatione stellarum. *Quia in hac claritate tãtum quisque ab alio pro meritis differt, quantum stella ab stella: corpus autem Christi tantum in hac claritate omnia excellit, quantum creator creaturas excellit.* Eundem locum tractans Aug. serm. 143. de tẽpore, *Videtis* (inquit) *quia promissa est sãctorum corporibus claritas, & diuersa species claritatis, quia diuersa sunt merita caritatis.* Eteodem modo intellexit hunc locum Hiero. Amos. 5. & Theodor. 1. ad Cor. 15. & ibi Ambros. & optimè Anselmus. His vero testimonijs adiungi potest, illud Dani. 12. *Multi de ijs, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt, alij in vitam æternam, & alij in opprobrium. Qui autem docti fuerint, fulgebunt tanquam splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, tanquam stellæ in perpetuas æternitates.* Nam hoc loco sermo est de splendore, & claritate corporũ, in qua, dicit Daniel, fore diuersam resurrectionem bonorum à malorum resurrectione, vt ibi notant expositores, & Hierony. epist. 103. ad Paulinum, & Clemens. lib. 1. constit. c. 6. alias. 8. Ruffinus in expositione Symboli, & Fulgentius lib. respõsionũ ad obiectiones Arianorum, vbi de eadem claritate explicat illud psalmi. *In splendoribus Sanctorum*, &c.

Claritas in corpore Christi glorioso quãta

Aug. Hierony. Theodore.

Ambros. Anselm. Dan. 12.

Hierony. Clem. Pap. Ruffin. Fulgent. Psal. 109.

Deinde de impassibilitate, & immortalitate varia sunt, atque expressa scripturæ testimonia. Nam in primis de Christo dixit Paulus ad Rom. 6. *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Quibus verbis docuit, ad vitam immortalem resurrexisse. Et idẽ Christus de se dixit Luc. 24. *Nõne oportuit pati Christũ, & resurgere a mortuis, & ita intrare in gloriã suã?* quæ æterna sane & immortalis est. Vnde generaliter de omnibus dixit Christus Mat. 25. *Surget in vitam æternam.* Et ideo vniuersaliter, ait Paulus, *Seminatur in corruptione, surgẽt in incorruptione:* & infra, *Caro, et sanguis regnum Dei possidere nõ possunt.* Et explicãs quid nomine *carnis, & sanguinis* intelligat, subdit, *Neq; corruptio incorruptelã possidebit*, vt non intelligatur excludi à regno Dei substantia carnis, & sanguinis: sed mortalitas. Qua propter subdit inferius, *Oportet, corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Quod autem hæc immortalitas futura sit

Dos impassibilitatis in corpore Christi glorioso.

Roman. 6. Luc. 24. Matth. 25.

2. Cor. 15.

A cum omnimoda impassibilitate, optimè explicuit Ioan. Apoc. 7. dicens. *Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque vllus æstus. Quoniam agnus, qui in medio throni est, reget illos:* Et cap. 22. *Absterget Deus omnem lacrymã ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quæ prima abierunt.* Quæ omnia ferè eisdem verbis promiserat Deus per Isaiam. capit. 25. & 49. vt ibi notarunt Cyril. Hierony. Theodoretus.

Apo. 7. & 21.

Isai. 25. & 49.

Cyri. Hieron. Theodo.

Præterea de agilitate, sunt etiam nõ obscura scripturę testimonia. Paulus enim. 1. ad Cor. 15. ait. *Seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget spirituale.* Et ex vtroque verbo potest colligi hæc agilitas. Nam sicut spiritus facillimè ab vno in alium locum transit: ita & spirituale corpus. Quod propterea etiã dici potest, *surgere in virtute*, qua sine vlla difficultate, aut de fatigatione possit, quo voluerit, se mouere. De quo rectè intelligitur illud Is. 40. *Qui sperãt in domino mutabũt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Quanuis enim hæc verba de tempore huius vitæ suo modo intelligi possint: optimè verò de corporibus resurgẽtium explicantur ab Aug. epist. 79. ad Isychiũ, & Hilario Psa. 138. circa illa verba, *si sumpsero pennas meas diluculo*, quæ de Christo intelligit, *Qui cum sumpsit pẽnas suas in resurrectione, iam corpore non grauatur:* & infra dicit, pennas has pertinere ad *demutationẽ terrenorum corporum in spiritualem naturam*: & postea subdit. *Meminit & alibi dicens, cum de spiritualium indefessa iam æternitate tractaret, pennigerabunt tanquam aquilæ, naturam cuolandi in cœlum in resurrectionis demutatione sumpturi.* Atque de eadem dote optimè intelliguntur verba Malach. 4, *Et orietur sol iustitiæ vobis timẽtibus in nomẽ meum, & sanitas in pennis eius, & egrediemini, & salietis vt vituli.* Denique sapientiæ. 3. de Beatis dicitur. *Fulgebunt iusti: & tanquã scintillæ in arundineto discurrent.* Quibus verbis claritatis & agilitatis donum aperte significatur, vt notauit Innocen. 3. lib. 4. de mysterijs Missę cap. 12.

Aug. Hilar. Psal. 138.

Malac. 4. Sap. 3.

Innocen. 3.

De subtilitate verò non est locus ita expressus in scriptura. Res autem, quæ illa voce significatur, satis indicata est. Vt enim aliorum expositiones relinquamus, per subtilitatẽ corporis intelligimus vim se mo-

Dos subtilitatis in corpore Christi glorioso.

1. Cor. 15.

se mouendi, & quocunque ingrediendi, vel egrediēdi absque alterius corporis impedimēto, sicut Christus egressus est clauso sepulcro, & ingressus ad discipulos ianuis clausis. Hæc ergo proprietas indicatur à Paulo illis verbis. 1. ad Cor. 15, *Seminatur corpus animale, resurget autē spirituale.* Hæc enim est propria spiritus cōditio. Velocitas namque, & agilitas quodammodo potest esse corporibus communis: transire autem absque impedimento corporis, proprium est spiritus. Item aliæ proprietates iam fuerant â Paulo in alijs particulis expressæ. Ergo, cum in hac particula aliquid peculiare addere videatur, nō potest commodius, quam de hac proprietate explicari, vt etiam Chry. & Theophyl. ibi indicarunt, & expressius Damas. lib. 4. de fide. c. 28. Vbi, licet sub illa proprietate corporis *spiritualis* intelligat etiam includi alias, præsertim quòd sit impassibile, & infatigabile: tamen expressè exponit, corpus spirituale, *hoc est, subtile. Hoc enim significat spirituale, quale post resurrectionem corpus Domini erat, cum per ianuas clausas transiuit.* Et eodem modo explicat, spiritualia corpora resurgentium, Anastasius Episcopus Antiochen. lib. 5. de resurrectione.

Chrysost. Theo. Damasce.

And. Ant.

Aug.

Gre. Papa.

Lactant.

Cyr. Iero.

Anselm.

Tertio probatur assertio posita ex Patribus. Nā præter citatos, cùm expositimus loca scripturæ, Aug. 13. de Ciuitate, ca. 18. latè explicat dotem agilitatis, & li. 20. ca. 18. præter hanc explicat dotem immortalitatis, & in Enchirid. cap. 90. & lib. 22. de ciuitate cap. vltimo, & clarius dicto libr. de cognitione veræ vitæ cap. 45. & de spiritu, & anima cap. 64. cæteras ponit proprietates. Quas etiam rectè attigit Greg. li. 14. Moral. c. 29, alias. 31. & lib. 18. ca. 27. alias 31. & in expositione septimi psalmi pœnitentiæ in fine, Lactanti. lib. 7. Diuin. institi. c. 26. Cyrillus etiam Ierosolym. cat. 18. *Resurgit* (inquit) *hoc corpus: sed non tale manebit, verum erit æternum, & non amplius cibis opus habebit, neque scalis ad ascensum. Fiet enim spirituale & splēdebit, vt sol.* Vbi duas proprietates subtilitatis, & agilitatis vno verbo, spiritualis corporis, quod sine impedimento moueri potest, complexus est. Latius hæc explicuit Anselm. lib. de similitudinibus cap. 48. & sequentibus, vbi quatuordecim ponit partes beatitudinis, quarum vna est pulcritudo, ad quam corporis claritas pertinet, alia est agilitas, ad quam reuocatur fortitudo, alia est sanitas, & longæuitas, quę ad impassibilitatem pertinēt, alia est libertas, ad quam pertinet, (vt ipse exponit ca. 53.) vt nihil obsistat, vel impediat, aut nos constringat, quæ pertinēt ad dotem subtilitatis, vt eodem capit. 54. late exponit, & exemplo Christi confirmat. Reliquæ verò partes, quas ibi numerat, magis ad animum, quam ad corpus pertinent. Eadem persequitur in prosologio cap. 25. ferè eisdem verbis, & Laurentius Iustinian. libr. de perfectione monasticę conuersat. cap. 23. & lib. de triumphali Christi agone cap. 26. Bonauent. in breuiloquio par. 7. cap. 7. Hugo Victorinus lib. 1. de anima cap. 17. & lib. 4. cap. 14. 15. & 16.

Lau. Iust. Bona. Hug. Vic.

D. Thom. Aug.

Quarto, possumus rationem reddere huius assertionis ex D. Tho. 1. 2. q. 4. artic. 6. Quia ad perfectam animæ beatitudinem necessaria est hæc corporis perfectio. Nā (vt ait Aug, 12. Gen. ad literam, cap. 35.) *Si tale sit corpus cuius sit difficilis, & grauis administratio, auertetur mens ab illa visione summi Cœli, & ideo oportet, vt corpus fiat spirituale, vt anima angelis coæquata perfectum habeat naturę suæ modum obediens, & imperans tam inefabili facilitate, vt sit ei gloriæ, quod sarcinæ fuit.* Quæ ratio in primis nō probat de dote claritatis, nec de dote subtilitatis vt á nobis explicata est. Constat enim, quāuis corpus non esset lucidum, neque potēs ad penetrandum alia corpora, potuisse nullam pati difficultatem, neque animam à visione Dei distrahere, aut retardare. Deinde non est intelligenda hæc ratio, etiam ad alias dotes applicata, ac si illa corporis dispositio, vel facilitas fuerit simpliciter necessaria ad perfectam Dei visionem, vt videre licet in Christi anima, quæ mortali corpori coniuncta, perfecta Dei visione fruebatur. Ratio est, quia illa visio ita rapit mentem: & lumen gloriç, ac diuina essentia tantam necessitatem inferunt animæ, vt si ijs perfectionibus semel afficiatur, nulla possit corporis molestia, vel afflictione distrahi, aut retardari. Intelligenda ergo est hæc ratio de quadam proportione magis congruente, & quodammodo connaturali. Nam anima coniuncta corpori corruptibili, ex natura rei ab illo pēdet in suis operationibus, & ideo ex natura rei repugnat animæ sic coniunctæ ita eleuari ad actiones mētis, vt nullo modo possit difficultate corporis impediri. Quare

Dotes gloriæ in corporibus beatorum necessarię quodammodo

ille status animæ ita perfectus quasi natura sua postulat altiorem statum corporis: requirit ergo corpus spirituale, nō natura, sed potestate. Et hinc consequēter fit, vt cū immortalitate, & agilitate simul habeat subtilitatem. Tum quia hæc est proprietas spiritus, quam consequenter participat corpus, cum spirituale fit: tum etiam quia quodammodo includitur in perfecta aglitate. Quia sicut velocior est motus, quando medium minus resistit, si cętera sunt paria: ita perfectior erit corporis agilitas, si per omnia corpora sine vlla resistentia possit perrumpere. Tum denique, quia quodlibet impedimentum, vel resistentia quandam ingerit difficultatem, & priuat quodammodo perfecta libertate, & dominio. Igitur hæc etiam proprietas pertinet ad perfectam corporis dispositionem in ordine ad omnimodam animæ independentiam in omnibus suis actibus, ac motibus, ac si in corpore non existeret. At verò de claritate alia ratio reddēda est ex eodem D. Thoma cum August. epis. 56. ad Dioscorum. Hæc enim proprietas (vt D. Thomæ verbis vtamur) nō est requisita vt dispositio antecedens ad conuenientem animę statum in ordine ad suas operationes, sed est veluti dispositio consequens. Nam quia anima beata perfecto spirituali lumine plena est, ideo ex illo veluti redundat in corpus lumē, & claritas illi proportionata. An verò hæc redundantia sit per efficientiam, seu dimanationem physicam: vel solum secundum quandam congruentiam, & conuenientem dispositionem, dicemus sect. sequenti.

Aug. *D. Thom.*

Præterquatuor dotes gloriæ nulla alia in corporibus beatorum perfectio necessaria.

Et ex hac ratione colligi potest, non solum perfectiones has esse conuenientes corpori glorioso (vt explicatum est) sed etiam esse sufficientes, neque alias requiri, quæ ad has non possint facile reuocari. Corporis enim perfectio considerari potest vel per se tanquam bona dispositio in ordine ad esse, seu vt conueniens ornamētum ipsius corporis, & ad hoc ordinatur claritas, quæ pulcritudinem corporis illustrat, & consummat, estque veluti decētissimum corporis gloriosi indumentum. Huc etiā pertinet immortalitas, quatenus includit sanitatem integram, & optimam corporis dispositionem ad illius conseruationem sufficientē, additque vim quandā, qua hęc sanitas, & dispositio integra, atq; illæsa conseruetur. Quod explicari etiam hoc modo potest. Quia oportuit corpora gloriosa eleuari ad supremas perfectiones corporum, vt talia sunt: sed in corporibus magna imperfectio est corruptio, & ideo corpora cœlestia censentur habere in eo ordine supremū quendam gradum, quia sunt incorruptibilia. Inter qualitates etiā corporum lux perfectissima, & purissima censetur, oportet ergo, vt beata corpora in vtraque harum perfectionū emineant. Rursus potest desiderari corporis perfectio in ordine ad animæ functiones. Et ad hoc partim deseruit impassibilitas, quatenus operatio sequitur esse, partim cōsummatur hæc perfectio per dotem agilitatis, & subtilitatis, quatenus anima vtitur corpore vt organo suo, & instrumento, qui vsus perficitur per hæc dona, vt optimè, ac sine vllo impedimento fiat.

Dices, etiam anima requirit corpus optime perfectum, ac dispositum, vt omnino illi subiiciatur, tanquam formę suę: ex hac enim perfecta subiectione oritur alia subiectio perfecta in ordine ad operationes, vt D. Thom. notauit in 4. dis. 44. q. 2. art. 2. q. 1. ergo ad hanc perfectionem requiritur alia dos. Rursus vtitur anima corpore ad operationes sensuum, & appetitus sentientis, ergo etiam ad hunc perfectum vsum requirit specialem dotem. Ad priorem partem, D. Thom. citato loco reuocat illam perfectionem in dotem subtilitatis. Nam quia subtile dicitur, quod est penetratiuum, & facile ad ima vsque perrumpit, ideò translatum est hoc nomen, *subtile*, ad significandum illud corpus, quod optimè substat formæ, & perficitur ab ea cōpletissimo modo. Et hoc sequuntur Paludan. Sotus & alij. Sed reuera hæc perfectio magis videtur spectare ad dotem impassibilitatis, quatenus (vt diximus) includit perfectam corporis sanitatem, & optimam corporis dispositionem. Quin potius, si accurate distinguamus id, quod pertinet ad naturalem dispositionem corporis, & id, quod est supra naturam, & hoc posterius solum nomine dotis significemus, illa perfectio corporis non pertinet ad dotes, sed supponitur dotib⁹. Quia vt anima informet corpus, ex natura sua requirit certam dispositionē, vnde vt perfecte, ac plene informet, nihil aliud postulat nisi perfectam dispositionem, ac temperamentum. Quin etiam addo, quoad hunc

Obiectio. 1. *D. Thom.* *Resp.* *Palud.* *Sot.*

hunc effectum non posse iuuari ab aliqua perfectione supernaturali corporis, nisi solum quoad durationem, seu conseruationem. Nam quoad extẽsionẽ ex parte corporis non potest crescere hic effectus. Nã si corpus sit benè disposítum naturaliter in omnibus partibus suis, informari potest ab anima in eisdẽ partibus omnibus, imò necessario informabitur, si naturę suę relinquatur. Ergo ex vi talis dispositionis est corpus subtile in prędicto sensu, seu penetratiuum, aut potius penetrabile ab anima: ergo subtilitas in dicto sensu non est dos supernaturalis. Neque etiam potest crescere hic effectus intensiuè (vt sic dicam) quia posita in copore prædicta dispositione anima informat illud, & omnes, ac singulas partes eius, quam perfectissimè informare potest. Neq; enim illa informatio, in actu primo intẽdi potest, nec remitti, aut suscipere magis, aut minus. Ergo, vt corpus perfectè subijciatur animæ quoad informationem, nulla dos specialis requiritur, nisi in ordine ad durationem, & conseruationem, quam cõfert impassibilitas.

Durand. Palud. Sot.

Ad posteriorem partem aliqui docent, illam corporis habilitatem, vt perfectè seruiat operationibus sensuum pertinere ad specialem dotem. Et Durand. censet, hanc esse dotem subtilitatis, quod non displicet Paludano, neque Soto omnino. Sed (si attentius res consideretur) hæc corporis perfectio non est distincta â supra enumeratis, nisi fortasse quatenus requirit aliquos habitus vel species sensibiles, seu phantasmata, de quibus nunc nõ agimus. Quia potius annumerãtur inter animæ perfectiones, & sub gratia, & scientia comprehenduntur, de quibus alibi dictum est. Quod verò præter hęc nulla noua perfectio in corpore requiratur ad prædictas operationes, sic explico. Nam in operationib⁹ sensuum, vel appetitus, tripliciter possumus intelligere concurrere corpus: primo ãtecedenter, vt remouendo prohibens, vel applicando potentiam, vt v.g. quando aperit oculos, & quando conuertit faciem ad obiectum, & totum id, quod huiusmodi est, fit per mutationem localem, & ideo per dotem agilitatis perfectè seruit corpus hoc modo operationibus sensuum. Secũdo concurrit corpus efficiendo ipsam operationẽ sensus. In quo cõcursu possũt multa cõsiderari, præsertim tria. Primo receptio speciei, & aptitudo organi ad illam. Secũ

A do spirituum vitalium, & animalium subministratio. Tertio, effectio, & receptio ipsius operationis vitalis. Quoad primum, ex parte corporis nihil requiritur, præter optimum organi temperamentum, quod ex proprijs, & connaturalibus dispositionibus consurgit. Quia species imprimitur potentiæ sine vlla resistentia, ac per se loquẽdo actione instantanea, & perfectiua: Et ideo si organum sit bene dispositũ, fiet species omnino perfecta, iuxta naturalem virtutem obiecti. Quoad secundum vero, præter substantialem perfectionem, & naturalem vim agendi ipsorum spirituum, solum conferre potest agilitas, vel subtilitas vt velocissime, & sine impedimento ministrentur. Impassibilitas vero conferet, vt spiritus immutabiles, ac semper ijdem perseuerent, ac sine vlla naturalium facultatũ lassitudine communicentur. Quoad tertium denique nihil aliud requiritur, quàm naturalis perfectio potentiæ. Quia positis omnibus alijs requisitis sine vlla difficultate, vel resistẽtia, atque adeo sine vllo corporis impedimento, in instanti suam perficit operationem. Ergo, vt corpus perfectè obediat animę, quoad has operationes, & omnia illa, quæ per se concurrunt, non est necessaria alia dos. Tertio reperitur in his actionibus aliquid consequens, seu resultans ex actione, vt v.g. ex affectu gaudij sequitur aliqua sanguinis motio, vel ex operatione phatansię motio appetitus, & similia. Et in his omnib⁹ etiã corpus perfectè obedit ex ui prædictarum perfectionum. Nam illa operatio, quæ consequitur vel est motus localis, & perficitur agilitate: vel est operatio alterius potentiæ sensitiuæ, & ad hanc sufficiunt omnia principia, quę explicata iam sunt.

Obiectio. 2

Dices, hæc omnia rectè procedere de operationibus sensitiuis omnino commensuratis naturali virtuti potentiarum, & obiectorum, & de facultate vtendi corpore ad illas exercendas, qualis suo modo fuit in Adamo in statu innocẽtiæ absque vlla propria dote supernaturali. Fieri autẽ potest, vt hæ potentiæ eleuentur ad operandum perfectius, quã naturaliter possint. Vt v.g. visus ad videndũ obiectum vltra distantiam connaturalem, vel ad videndum perfectius intensiuè, quàm naturaliter possit, vel fortasse ad videndum aliquod obiectum, quod viribus naturæ non posset, vt lucem intensissimam, vel (si esse potest) aliquod

aliquod visibile alterius ordinis, vel si phã tasia eleuari potest ad concipiendũ aliquo modo Deum altiori modo, quàm suapte natura posset. Respondetur concedendo, has, vel similes perfectiones esse posse in sensibus Beatorũ. Tamẽ, vt corpus in his omnibus perfectè obediat, nullam nouam perfectionem, aut dispositionẽ requirit: sed solum necessariũ est, vt augeatur vis actiua, vel obiectorum ad imprimendas species ad maiorem distantiam, & cum maiori perfectione, & sine cõcomitantia materialis alterationis, vel ex parte animæ, & potentiarum eius, siue per maiorem Dei concursum, & auxilium, siue per habitũ, aut qualitatem similem. Quæ omnia (vt dixi) non pertinent ad dotes corporis: sed ad dona animæ. His autem positis, ex parte corporis nulla potest esse resistẽtia, aut repugnantia, cùm non alteretur, neque naturalis eius dispositio vllo modo immutetur: ergo vt perfectè subiiciatur spiritui in his operationibus non requiritur alia dos.

Responsio.

Sed instabis, quia licet ad vtendum perfectè corpore in prædictis operationibus non sit necessaria noua perfectio: tamẽ ad non vtendum, id est, ad suspendendũ operationes corporis pro arbitrio animi, necessaria est specialis virtus, vt v.g. ad non audiendum, etiam si hic voces proferãtur, & facultas sit expedita, & sic de cæteris sensibus, & de appetitu, vt possit v.g. exercere affectum aliquem sine vlla corporis, vel alicuius humoris commotione. Hæc enim omnia, & similia sunt in potestate Beati. Nam si potest suo arbitrio imprimere species, vel continere influxum (vt supra vidimus) multo magis habebit hoc dominiũ in propriis actionibus vitalibus.

Obiectio.

Respondeo, habere quidem Beatos hanc perfectionem: non tamen ex aliqua corporis dispositione. Quę enim intelligi potest, quæ hunc effectum habeat? cùm dispositio corporis eadẽ semper sit, siue sensus operetur, siue non. Non ergo potest illa esse ratio suspendendi actum, quando Beatus non operatur. Tota ergo hęc ratio posita est in voluntate, ad quã spectat inferiores potentias mouere, quæ illi subiiciuntur. Fiet autem post resurrectionem, vt omnes illi subiiciantur. Porrò hæc subiectio (vt opinor) non fiet per qualitatẽ aliquam inhærentem inferiori, aut superiori potẽtiæ. Quia neque in inferiori posset impedire actionem, per solam suã præsentiam, vel inhærentiam: alioqui etiã impediret, vel aliquo modo resisteret, quando voluntas imperaret. Neque etiam in superiori conferret ad suspendendam actionem inferioris potentiæ. Quia hæc suspẽsio non potest fieri per physicam actionẽ positiuam. Sicut, quòd calor ignis suspendat actionem circa passum propinquum, & non resistens, non potest intelligi, fieri per qualitatem aliquam adhærentem calori, aut per positiuam actionem superioris agentis, secluſa naturali resistentia circa idem passum: sed per solam suspensionem diuini concursus impediri potest. Sic igitur prędicta potestas erit in Beatis non ex aliqua dote corporis, sed ex virtute animę cui diuinitus datum est, vt influxus in actiones suas sit in ipsius potestate, & voluntate, siue hoc sit, quia Deus alio modo nõ concurret, siue quia sua lege, & voluntate potest hunc ordinem statuere. Nam sicut inter potentias animæ, quia in eadem anima radicantur, est quædam naturalis sympathia, ex qua interdum prouenit, vt ad actionẽ vnius moueatur alia, vel quoad specificationem, vel quoad exercitium: ita videtur, Deum posse suauolũtate constituere hunc ordinem inter potentias, vt inferiores non agant sine consensu volũtatis. Facilius tamen intelligimus, si addamus, Deum interim suspendere cõcursum suũ, quia iam ex lege eius non est debitus inferiori potentiæ, donec superior consentiat.

Resp.

Anima beati vim ad suspendendum operationes corporis vnde habeat.

Vltimo tandem ex dictis constat, contra errores, quos adduximus initio huius sectionis, totam hanc supernaturalem perfectionem corporis non destruere naturã eius, sed corrigere potius (vt sic dicam) imperfectiones eius. Nam licet humanũ corpus natura sua non sit lucidum: tamen lux ei adiuncta non destruit substantiam, neque accidentia illi connaturalia. Et simile est de aliis, vt euidentius constabit, dum singulas dotes in specie persequemur. Propter quòd rectè dixit Hieronym. Amos 5. *Hominem corruptibile, & infirmũ animal transformandum esse in spirituale, robustũ, & incorruptum, mutans gloriam, non naturam*: Quod similiter dixit Anselm. in prosolog. c. 25. *Animale corpus surrecturum spirituale potestate, non natura.* Idemque latius explicuit Augustin. in Enchirid. cap. 91. & 1. Retract. c. 17. & alijs locis citatis: & rectè Tertullia. lib.

Perfectiones supernaturales corporum beatorum naturã perficiunt, non destruunt,

Hieron.

Anselm.

Aug.

Tertullia.

lib. de resurrect. carn. cap. 51. explicans illa verba Pauli. *Oportet, corruptibile hoc induere incorruptionem. Quid* (inquit) *mortale, nisi caro? Quid corruptibile, nisi sanguis?* Et acute notat, Apostolum addidisse pronomen illud, *hoc*, quasi ad designãdum suam propriam carnem. Nam illud pronomen demonstrat rem præsentẽ. *Illa ergo eadem caro* (concludit) *quæ patitur corruptionem, incorruptionem induet*: non in alia natura, sed in alia conditione, & statu, vt idem latè explicat lib. 5. contra Marcionem. cap. 10. Et ex his satisfactum est fundamẽtis prædictorum errorum.

SECTIO SECVNDA.

Quæ, & qualis sit claritas corporis Christi.

LIcet omnes Theologi in. 4. partim. d. 44. partim. d. 49. doceant, omnia corpora glorioſa habitura claritatem aliquam (quia hoc expresse in scriptura asseritur) non tamen omnes eodem modo illã declarant. Scotus enim. d. 49. q. 15. solum existimat; esse certum illa corpora habitura colorem perfectissimum, cum quadam refulgentia, & aptitudine ad se manifestãdum. An verò propriam lucem in se habeant, ac recipiant, sub dubio relinquit, & solum sub conditione (si id est possibile) affirmat hoc esse sentiendum. Neque ab ea sententia multum discrepat Durand. d. 44. q. 8. Nam licet simpliciter existimet probabilius, in corporibus beatis esse internã lucẽ: dicit tamen, etiam posse intelligi, quod sint clara solum quia erunt tersa, ac polita: vnde fiet, vt Solis radijs, & aliorum luminarium fulgeant magna claritate. Sed immeritò hi autores hanc rẽ in dubium reuocarunt. Nam constat ex scriptura, claritatem, & fulgorem corporis glorioſi fore perfectissimum, & longe maiorem splendore solis, vt omnes Patres interpretantur. Non potest ergo illa claritas consistere in solo nitore, vel puritate coloris. Neque potest resultare extrinsecus ex Sole, & ex alijs luminaribus.

Sco. *Durand.*

Dos claritatis in corpore glorioso quid sit:

Dicendum est ergo primo, hanc claritatem esse internam lucem corporis glorioſi, ac perfectissimam qualitatem ipsi inhærentem. Probatur, primo ratione facta, & fundata in omnibus testimonijs in. 1. sec. adductis. Secundo quia nõ posset corpus aliter fieri lucidum. Hæc enim denominatio non est extrinseca, vt per se notum est. Etenim hæc qualitas per se datur corpori glorioso non quidem ad aliquid operãdum, sed vt sit formalis perfectio, & pulcritudo eius. Item quia etiã si corpus glorioſum nullo alio corpore circundetur, vt v. g. extra cœlum empyreum, est eodem modo lucidum, & corpus Christi, quãdo ante ascensionem erat in terra circundatũ aere, in se lucidius, ac fulgentius erat, quã aer, quo circundabatur. Ergo illa lux non potest esse in corpore circunstante: ergo est in ipsomet corpore glorioso. Respondere quis posset, esse subiectiue in aere existẽte intra ipsum corpus glorioſum. Sed licet verũ sit esse in illo: nõ tñ in solo illo, alias nõ posset ipsa superficies externa corporis lucida esse, & videri. Præsertim quia sancti Patres nõ solũ dicũt, illud corpus esse lucidũ: sed etiã esse perspicuũ, ac trãsparens, ita, vt omnia eius membra, ac viscera externis oculis patere possint. Quod his verbis docuit Grego. lib. 18. in Iob. c. 27. alias. 31. exponens illa capit. 28. *Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum. Quid aliud in auro, vel vitro accipimus, nisi illam supernam patriam, illam beatorum ciuium societatem, quorum corda sibi inuicem & claritate fulgent, & puritate translucent?* & infra, *Patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia, sicque vnusquisque tunc erit conspicabilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicabilis sibi.* Eandem sententiam significat Aug. lib. 22. de Ciuit. cap. vltimo, dum inquit. *Omnia membra, & viscera incorruptibilis corporis profutura in laudibus Dei,* cuius rei eam subdit causam. *Quia omnes illi, qui nunc latent harmoniæ corporalis numeri, tunc non latebunt intrinsecus, & extrinsecus.* Et in lib. de cognit. veræ vitæ, cap. 45. dicit, corpus illud perspicuitate futurum æquale spiritibus, & Soli. Expresius hoc docuit Lauren. Iustinian. lib. de disciplina & perfect. monasticæ conuersat. ca. 23. vbi de corpore glorioso hunc in modum eleganter scribit. *Nimia quoque claritate fulgebit, ita vt Solis septies transcendat splendorẽ: nõ autẽ lumine suo intuentiũ se reuerberabit aspectũ, sed ineffabili quodam modo confortabit, clarificabitque, eritque tota eius substantia corporis oculis visibilis, adeo vt viscerum, cæterorumque membrorum harmonia Conditoris declaret magisterium admirandum.* Et hoc etiam docuit D. Tho. in. 4. d. 44. q. 2. art. 4. q. 1. præsertim in sol. ad. 2. vbi alij

Corpora beatorum trãsparentia.

Gre. Pap.

Aug.

Lau. Iustin.

D. Thom. *Bona.*

Scot. Durand. vbi alij Theologi idem tradunt, quamuis Bonauent. Scotus, & Durand. oppositum sentiant, quorum rationes statim dissoluemus.

Ex hac ergo Sanctorum doctrina dico secundo, hanc claritatem futuram esse in omnibus partibus corporis glorioſi, nec solũ in extrema superficie, sed in tota profunditate, & in carne, ossibus, ac cæteris membris. Ita D. Thom. supra, quem sequitur Palud. dis. 44. q. 5. Sotus dis. 49. q. 4. artic. 8. Richard. artic. 4. q. 6. & Maior. q. 19. Supplement. Gab. dis. 44. q. 2. Probatur, quia alioqui nõ posset totum corpus esse peruium oculis. Illa enim pars interior, quæ lucida non esset, neque ipsa videri posset, neque posset, vt potè densa, & opaca, ex natura rei esse medium adviendum alias, non ergo esset totum corpus transparens. Præterea, ratione confirmatur, quia non repugnat, totum corpus perfici hoc modo hac qualitate: decet autem vt omnes eius partes hanc illius gloriam participent.

D. Thom. Palud. Sot. Richard. Mai. Sup. Gab.

1. Obiectio Sed contra primo, nam repugnat partes valde densas, & natura sua non diaphanas sed opacas intimè penetrari lumine. Est enim lumẽ natura sua actus diaphani, quatenus diaphanum est, & ideo naturaliter nõ recipitur in corpore opaco, nisi in extrema superficie eius, quia in illa cõuenit cum corpore diaphano: non potest autem forma recipi nisi in proprio suo susceptiuo, ergo.

Secunda. Secundo videtur repugnare, corpus habens colorem simul esse oculis peruium, quia color requirit perspicuum terminatum opacitate corporis, teste Arist. de sensu, & sens. sed in corporibus glorioſis erit color (vt ex supra dictis constat) quia est qualitas maximè connaturalis, & ad pulcritudinem multum necessaria, ergo.

Arist.

Tertia. Tertio, quia videtur repugnare, corpus esse peruium, ac transparens, simulq; lucere: sed corpora Beatorum erunt lucẽtia, non ergo erunt transparentia. Maior constat experimento. Nam vt corpus luceat, oportet, vt lux in illo sit aliquo modo terminata, & hac ratione corpus vndique lucidum, quod etiam lucet, non solet esse omnino peruium oculis: sed impedit potius, ne videatur aliud corpus post illud existens. Denique, si corpora glorioſa ita essent omnino transparentia, ac lucida, nõ possent videri vt distincta propriis membris, ac figuris: sed confuse viderentur omnes partes sicut videtur Sol, consequens autem est magnum incommodum.

Quarta.

Propter has, & similes rationes Bona. dis. 49. 2. p. artic. 5. q. 1. negat corpora Beatorum fore peruia oculis, sed tantum colore affecta, & splendentia ratione claritatis in vltima superficie receptæ. Idem sentiunt Scotus, & Durand. supra: & alij ex citatis autoribus dubij sunt. Sed nulla apparet hic repugnantia, quæ nos cogat, vt à Sanctorum doctrina recedamus, & hanc perfectionem glorioſis corporibus denegemus.

Bona. Sco. Durand.

Primò enim, quòd lux, & color simul esse possint, non est magna repugnantia. Nã in primis in extrema superficie illuminãtur omnia corpora. Deinde vitrũ v.g. vi ride non solum in superficie, sed intimè totum perfunditur lumine. Rursus nõ solum ab extrinseco potest corpus coloratũ illuminari: sed etiam interdum contingit, corpus coloratum esse intrinsece, & natura sua lucidum, vt in quibusdam vermibus experimur. Quo exemplo vsus est ad rem hanc confirmandam Cyril. Ieroſolymit. cat. 18. dicens. *Iusti splendebunt, vt Sol, & tanquam luna, & sicut splendor firmamenti: & prę uidens istam hominum incredulitatem Deus, vermibus paruulis lucidum dedit corpus, vt eo splenderent, vt ex apparentibus crederetur id, quod expectamus. Qui enim partem potuit præstare, poterit & totum: & qui fecit, vt vermis lumine splenderet, multo magis hominem iustum.* Itaq; non est formalis repugnantia inter lucem, & colorem. Dices, hoc esse verum in gradibus remissis, secus vero esse in intensis. Sed contra hoc est. Quia licet hoc esset verum ex natura rei, non tamen respectu diuinæ omnipotentiæ. Deinde quanuis ex natura rei nunquam reperiantur simul in perfectiſſimis gradibus, fortasse non est propter formalem repugnantiam eorum secundum se: sed vel ex defectu virtutis actiuę, vel ex dispositione subiecti. Tandem (vt statim dicam) probabile est, lucem illam corporum resurgentium esse alterius speciei à luce Solis, & ab omni inferiori: & ideo nõ oportere, vt respectu coloris habeat eandem repugnantiam, quam habet lux inferior, quam experimur.

Responsio ad obiectiones, lux, & color simul in eodẽ subiecto nõ repugnant. Cyr. Iero.

Secunda repugnantia, quæ obiiciebatur est, quod lux sit actus corporis opaci, & densi, & quod illud intimè penetret, & actuet secundum omnes partes. Quæ obiectio eãdem fere habet responsionem, Nam in

inprimis lux etiam naturaliter interdum esse potest in corpore denso, secundū omnes interiores partes suas, vt in flamma, in vitro, & crystallo. Quid ergo mirū, quòd à Deo constitui possit in corpore denso ri, vel duriori? Cui licet desit dispositio apta, & connaturalis, vt ab agente naturali totum illuminari possit, non tamen deest capacitas in qua possit recipi lux à Deo facta, seu infusa. Deinde cum Arist. dixit, lumen esse *actum diaphani*, non definiuit, hāc esse absolutam essentiam illius qualitatis secundum se: sed explicuit proprium subiectum, quod lumen requirit, vt possit ad visionem deseruire. Aliunde verò constat, probabile esse lucem & lumen non differre essentialiter: & lucem non esse actū diaphani. Præterea, licet aliquod corpus natura sua non sit diaphanum, cur repugnabit, diuina virtute recipere hāc proprietatem? Dices, quia repugnat cum densitate, vel duritie eius. Sed contra. Quia licet ex natura rei ita sit, tamen diuina virtute vinci potest. Magis enim repugnant, duo corpora in eodem loco: & tamen Deus contulit corporibus beatis, vt possint hāc difficultatem superare. Denique, si claritas corporum resurgētium est alterius ordinis, facilius dici poterit, subiectū illius non esse omnino eiusdem rationis cū subiecto nostrę lucis, aut luminis.

Corpora beatorum lucida simul, & trāsparentia quomodo.

Tertio repugnare videbatur idem corpus lucere, & esse transparens. Sed hoc etiam varijs modis explicari potest. Primū enim dici potest, simul ac respectu eiusdē repugnare idem corpus lucere, & esse oculis peruium, propter rationem, quæ supra in tertia obiectione tangebatur. Nec necessarium videtur, admittere corpora gloriosa simul exercere posse vtrumque actum respectu eiusdē, vt colligi pōt â simili ex D. Tho. supra q. 3. ad secundū. At verò non repugnat, idem corpus esse aptum, vt lucere possit, ac peruium oculis se præbere, vel respectu diuersorum, vel respectu eiusdem diuersis temporibus. Cùm enim corpus humanum natura sua dēsum sit, ac solidum, si totum sit luce perfusum, aptum erit ad lucendum, & hoc modo poterūt beata corpora lucere. Quia verō omnis actio eorum est in potestate, ac voluntate beati: non necessariò semper lucent, & quia alioqui sunt diuinitus effecta trāsparentia, ac diaphana, possunt etiam, suspendendo actum lucendi, sese oculis peruia præbere. Vlterius tamen addi potest ex dictis, etiam respectu eiusdem non repugnare illa duo esse simul. Quia sicut idem corpus densum, ac durum, potest simul diuina virtute fieri diaphanum: ita ratione vnius proprietatis potest per lucem in se receptam lucere, & ratione alterius se peruium oculis exhibere. Et eodem modo poterit idem oculus glorificatus, & ad videndam lucem illam confortatus, & videre corpus illud, vt lucidum, ac lucens, & per illud, vt transparens simul alia transpicere. Quod præterea sic declaro. Nā corpus aliquod esse transparens, ac peruium oculis nihil aliud esse videtur, quam vt sit aptum medium, per quod possint transire species visibiles alterius corporis post ipsum existentis: vnde fit, vt respectu partiū eiusdē corporis transparentis, vna possit per aliam se manifestare, seu videndā præbere, speciem emittendo. Vt ergo corpus glorioſum sit transparens, duo requiruntur, alterum ex parte eius, scilicet, vt sit capax ad recipiendas species visibiles: alterum, vt obiectū sit potens ad efficiendas illas in tali medio, seu in tali corpore. Vnde fit, vt duobus modis possit intelligi corpus glorioſum esse transparens: vnomodo respectu sui ipsius, & omnium suarum partium: aliomodo etiam respectu aliorum. Et primum quidem, scilicet respectu sui facile intelligitur. Nā sicut illud corpus supernaturaliter factum est capax lucis, ita etiam supernaturaliter fieri potest capax specierum visibilium (non enim vnum magis, quàm aliud repugnat) & similiter eleuari potest idem corpus ad efficiendas huiusmodi species non tantum per superficiem vltimam: sed etiam secundum se totum, & per omnes partes internas, vel immediate, vel mediate, videlicet, vt distātiores partes, & magis internæ, per partes propinquiores species emittāt. Nā hæc etiam virtus non repugnat, & alioqui est consentanea corpori glorioſo. Vnde sicut in his inferioribus lumen & adiuuat, disponitque colorem, vt speciem sui emittere possit, & præparat etiam medium ad susceptionem specierum coloris (siue hoc lumine, siue diaphaneitati tribuatur, de quo alias) ita dici potest, lucē corporis glorioſi, & conferre vim omnibus eius partibus, vt sui speciem possint emittere, & disponere etiam illas; vt quædā possint recipere aliarum partium species. At vero respectu

aliorum

aliorum obiectorũ visibilium, an corpus Beati possit esse mediũ peruium, & trãsparens ad videndũ illa, non satis constat. Tum quia ex dictis Sanctorũ solum habemus, illa corpora ita fore transparentia: vt in eis videri possit quidquid nũc interius latet: quòd verò per illa quoque possint videri res aliæ, Sancti non dicunt, nec necessario sequitur ex priori. Tũ etiam, quia vt videatur obiectum per aliquod mediũ, non satis est, vt illud mediũ sit capax specierum visibilium: sed etiã necesse est, vt obiectum sit potens ad imprimendas species in tali medio, ita vt potentia actiua vnius sit proportionata potentiæ passiuæ alterius. Quãuis autem corpus glorioſum sit susceptiuum specierum: tamen, quia illa capacitas non est naturalis, sed miraculosa, & superioris ordinis, fieri potest, vt obiecta visibilia nò possint in illo, & per illud species emittere, & consequenter, vt per illud videri nequeant. Quę quidem ratio non procedit de corporibus glorioſis, & ideò de illis probabilius existimo, vnum respectu alterius esse peruium oculis, ita vt vnum non occultet aliud post se existens, quia corpus glorioſum eleuatum est non solum ad recipiẽdas, sed etiam ad efficiendas species in tali medio. De aliis verò corporibus habentibus tantum naturalem dispositionem. ac virtutem, mihi res est dubia. Quia cum tantum agant virtute naturali, fortasse non possunt transmittere sui speciem intra corpus beatificũ, & per illud quasi penetrare vsque ad visum. Quia solum possunt immutare illud corpus iuxta capacitatem eius naturalem. Nisi fortasse dicatur corpus illud per hãc dotem glorię ita esse effectum transparẽs, ac perspicuum, ac si haberet hanc qualitatem naturalem: & ideo quodlibet obiectum naturaliter visibile posse per illud species transfundere, quod est probabile, quãuis incertum. Addo verò vltimo, illa corpora non posse dici peruia, aut transparentia propter poros (vt Durandus, Bonauen. & alij significarunt.) Quia vel in corporibus beatis non erunt pori (vt Paludanus sentit, quia illi non pertinent ad perfectionem naturæ, sed potius ad imperfectionem) vel certè, licet poros habeant (cùm fortasse naturaliter consequantur cõpositionẽ corpori humano debitã) non sunt tamen proportionatũ mediũ ad visionem, cùm per illos nõ possit per lineã rectã radius, speciesq; transmitti. Vnde multo minus possunt sufficere, vt totum corpus quoad omnes interiores partes clarè, perspicueque cernatur.

Per corpus vnius beati videri obiecta aliquo modo possint.

Durand. Bona. Palud.

Quarta difficultas erat, quomodo possint corpora beata, si lucida sunt, distinctè videri quoad omnia delineamenta, omnemque pulcritudinem. Sed hoc facillimum est ex dictis. Quia illa lux corporis glorioſi non lædet oculum: sed confortabit potius. Vnde etiã si luceat, vel sui speciem emittat, nõ impediet oculum, quominus distinctè colorem, figũrã, resq; aliasvidere possit. Rursus quanuis corpus beatificum fiat transparens, & diaphanuũ: tamen quia nõ amittit suo: ũ membrorum densitatem, & soliditatem, tam perfectè poterit in se visionem terminare, ac si nihil aliud per illud videretur. Significat autẽ D. Th. loco supra citato quęstiuncula 3. ad 2. non posse corpus glorioſum simul videri secũdum proprium colorem, & esse medium ad videndum colorem alterius corporis. Quia visus nequit immutari simulà duobus coloribus, ita vt vtrumque perfectè videat, & ideo ait, posse corpus glorioſum suo arbitrio aut se præbere conspiciendũ per suũ colorem immutãdo visum, aut suspendere immutationem coloris, vt se oculis peruiũ exhibeat. Et ita cõcludit, esse in potestate Beati occultare, vel non occultare corpus post se existens. Et hoc vltimũ est valde probabile, si Beatus velit immutare visum alterius solum per colorem existentem in externa superficie. Si tamen velit simul immutare per colorẽ, lucẽ, & species alterius obiectiui visibilis, quas in se suscepit, etiã existimo, posse id facere, & in visu alterius Beati nõ deesse virtutẽ, vt simul possit per eẽs illas species distinctas cognoscere, quia est diuinitus confortatus & eleuatus, vt perfectiori modo videre possit. Quidquid vero de hoc sit, ex dictis tũ est certum, quod claritas corporũ beatorũ non solum non impediet distinctam eorũ visionem, verũ potius iuuabit illam, eamq; delectabiliorem reddet. *Est enim lux* (vt Damas. dixit lib. 2. de fide c. 7.) *decus, atque ornamentum visibilis creaturæ, cuius pulcritudinem conspicuam reddit.* Hæc igitur perfectissima illa Beatorum lux exactius præstabit.

Claritas corporis glorioſi distincta sui visionẽ non impedit.

D. Thom.

Damasc.

Ex quibus omnibus diffiniri potest quæstio, quæ primo loco tractanda videbatur, in hunc verò reiecta est, vt ex effectibus

Dubium.

possit

possit commodius inuestigari, scilicet, an lux corporis glorioſi ſit eiuſdē ſpeciei cū luce ſolis, aut ignis. Multi. n. exiſtimant eſſe eiuſdē, vt D. Tho. d. 44. q. 2. ar. 4. q. 2. Idē videntur ſupponere Scot., & fere alij autores locis citatis. Ratio D. Th. eſt, quia niſi illa lux eſſet eiuſdē ſpeciei cū ea, quā experimur, æquiuocè dicerentur illa corpora lucida, & nihil ſenſibile nobis manifeſtaretur per huiuſmodi denominationē. Confirmatur, quia vix poteſt concipi diuerſus effectus formalis vtriuſq; lucis, nā vtraq; reddit corpus clarū, ac per ſe viſibile. Sed quidquid ſit de re ipſa: hæc tamen rationes non conuincunt. Quia quanuis intercedat diuerſitas ſpecifica, pōt nihilominus eſſe conuenientia vniuoca in ratione lucis, ſicut multi opinantur de luce ſolis, & ignis. Nec de effectu formali pōt magis cōſtare, quā de luce ipſa. Quia non repugnat intelligere corpus eſſe clarū, ac viſibile per qualitates ſpecie diuerſas. Neq; etiam videtur poſſe probabiliter negari, quin ſint poſsibiles luces ſpecie differētes. Cur. n. negabimus Deū id poſſe facere?

D. Thom. Sco.

Richard. D. Thom.

Qua propter Richar. in. 4. d. 49. ar. 4. q. 6. Sentit lucē corporis glorioſi eſſe alterius, & perfectioris ſpeciei: quod prius docuerat D. Th. 3. d. 16. ſicut ſupra attigi Diſput. 32. Sect. 1. eſtq; veriſimile. Nā ſi huiuſmodi perfectio lucis eſt poſsibilis, credi pōt data perfectioribus corporibus in perfectiori ſtatu exiſtentibus. Deinde, creditur illa lux eſſe fulgentior luce ſolis (id. n. modo loquendi ſcripturæ, & ſanctorū Patrū eſt conſentaneū) vel ergo id prouenit ex perfectione eſſentiali, & ſpecifica illius lucis: & hoc eſt, quod intēdimus, vel dicitur prouenire ex maiori intēſione. Et hinc etiā probabiliter colligere poſſumus diuerſitatē ſpecificā. Nā lux ſolis videtur in ipſo habere ſummā intenſionē ſibi cōnaturalē: lux aūt, quæ eſt in corpore beato non habet intenſionē præternaturalem ſibi: ergo natura ſua admittit totā illā intēſionē, eſt ergo alterius naturæ. Rurſus pōt ita explicari. Quia illa lux intelligi pōt talis eſſe, vt nulli corpori ſit cōnaturalis, neque potens fluere ab aliqua forma corporea tanquā proprietas eius, cuius cōtrariū in luce ſolis, & ignis reperitur: ergo hoc modo rectè intelligitur diuerſitas ſpecifica inter has qualitates. Nā cū illa lux corporis beati ſit ad eleuandū illud ad ſupernaturalē ſtatū, veriſimile eſt, non eſſe aliquā proprietatē alicui corpori cōnaturalē, ſi poſsibile fuit altiori modo fieri, vt per ſe etiā credibile eſt. Et in hunc modū aliqui interpretantur illud, *Non indigebit ſole neque luna, quia claritas Dei illuminabit illi*, ac ſi diceret, illā nō eſſe claritatē ſolis, & lunæ nō ſolū, quia ab illis nō efficitur: ſed etiam, quia nō eſt eius ordinis, & ideo ſpecialiter *claritas Dei* appellatur. Præterea, poſita hac differentia facilius expediūtur difficultates ſupra tractatę. Nā fortaſſe illa lux ex vi ſuæ propriæ ſpeciei, & intenſionis ſibi connaturalis pōt lucere, ſiue ſit in corpore raro, ſiue dēſo, ſiue trāſparenti, ſiue in opaco. Et ſimiliter ex parte ſubiecti æque pōt actuare corpus diaphanū, & alterius qualitatis. Item cū hęc lux inferior natura ſua calefaciat ſubiectū caloris capax, fortaſſe illa lux adeò eſt ſupra elementares naturas, vt nō ſit apta eſficere huiuſmodi materialē alterationem. Cur. n. daretur corporibus glorioſis qualitas effectrix talis alterationis? Oporteret. n. vel actionē eius ſupernaturaliter perpetuo ſuſpēdi, vel adiūgi aliā qualitatē, quæ illius actioni reſiſteret. His igitur coniecturis probabilis ſit hæc ſententia, quanuis res ſit ſatis incerta.

A

B

C

Illud verò certū eſſe videtur, hanc lucē in corpore Chriſti, & in omnibus alijs eſſe eiuſdē ſpeciei, quanuis pro diuerſitate meritorū ſit inæqualis intēſionis, ac perfectionis. Vnde fit, vt in corpore Chriſti ſit intenſior, quā in corpore Virginis, & in omnibus alijs, etiā ſi in vnū cōferātur. Quòd verò ſit ineis vnitas ſpecifica colligipōt tū ex illis verbis Paul. *Reformabit corpora noſtra configurata corpori claritatis ſuæ.* Tū etiā quia gloria animæ eſt eiuſdē ſpeciei in omnibus, gradu tñ diuerſo pro perſonarum qualitate: at gloria corporis eſt proportionata glorię animę, ergo.

Obiectio.

Sed dices: ergo illa qualitas videri nō poterit, cū nō cōprehendatur ſub obiecto adæquato viſus. Reſpondetur, primo negādo ſequelā. Certiſsimū. n. eſt claritatē corporū beatorū fore ſēſibilē, & cōſequēter viſibilem, quia ad nullum alium ſenſum pertinere poteſt. Idque apertè colligitur ex modo loquendi ſcripturæ, & Sanctorum, & ex ijs, quæ de claritate corporis Chriſti in trāsfiguratione ſupra diximus. Negatur ergo, illam lucem non contineri ſub obiecto adæquato potentiæ viſiuæ. Nam, vt cōtineatur ſub illo, ſatis eſt, quòd in genere aliquo, & in modo immutādi potentiam conueniat cū lumine, & colore.

Reſponſio.

Claritas beatorum corporū diuerſa ratio nis a luce ſolis & elementorum.

Sicut.n. hoc obiectum cõprehendit plures alias qualitates inter se specie differentes, ita potest hanc etiam amplecti.

An verò cõtineatur sub naturali obiecto, ita vt per se videri possit ab humano oculo nõ glorificato, solis naturę viribus, absque alia superiori virtute, seu auxilio? D. Tho. supra (quẽ Scot. sequitur) consequẽter docet cõtineri sub obiecto proportionato, & naturali. Quia licet ex accidentivideri cõmodè nequeat ab oculo corruptibili propter alterationẽ materialẽ, quæ cũ actione illius lucis in tali subiecto ex natura rei cõiuncta est: tñ si hæc actio suspẽdatur, & pręcisè fiat propria immutatio lucis, videri rectè põt. Quia lux quãtũuis excellẽs, & intẽsa per se nõ offendit visũ, sed potius perficit, ac delectat. Significat autẽ D. Th. corpus gloriosum ratione sui status, nunquã agere illa luce materiali actione, & corruptiua, sed tantũ perfectiua, & intẽtionali. At vero Richard. è contrario cẽset, illã lucẽ ex natura sua esse improportionatã nostro visui, & refert Aug. 22. lib. de ciuit. c. 19. dicẽtẽ, Apostolos in corpore mortali nõ potuisse videre claritatẽ corporis Christi resurgẽtis. Sed hoc facile posset intelligi, iuxta sententiã D. Th. prouenire ex alteratione materiali adiuncta: nõ verõ ex improportionata natura ipsius lucis. Quę expositio est consentanea verbis Augus. dicentis, *Non enim eam ferre posset humanus, atque infirmus aspectus.* Vnde ipsemet Richard. nõ alia ratione probat lucẽ illã non posse videri, nisi quia naturaliter non põt efficere actione intentionali, quin simul efficiat alteratione materiali. In quo etiã nõ videtur cõsequẽter loqui. Quia si lux illa est alterius ordinis, & speciei, cur nõ poterit esse talis naturę, vt nõ sit nata materialẽ alterationẽ efficere? Aliter ergo probari posset hæc opinio. Quia illa lux est alterius ordinis ab omnibus inferioribus obiectis visibilibus: ergo non põt naturali virtute videri ab oculo, cuius virtus cõmensurata videtur iis obiectis visibilibus, quę corporibus cõnaturalia sunt. Itẽ hęc lux glorioſi corporis sequitur lucẽ animæ: sicut ergo lux animæ nõ continetur intra obiecta proportionata, & connaturalia intellectui: ita probabile est, hãc lucẽ corporis nõ contineri inter obiecta proportionata visui ex natura sua.

Sed (licet res hæc incerta sit) prior tñ sententia D. Th. videtur verisimilior. Quia nulla est ratio, cur visus ex natura sua nõ sit capax speciei impressę talis lucis: quod si speciem põt recipere, nulla est ratio, cur per illã non possit etiã actũ elicere. Ille.n. actus nõ est quoad substantiã supernaturalis, cùm sit corporeus, & circa rem corporalẽ versetur. Neque etiã est supernaturalis quoad modũ. Quis enim est hic modus? Itẽ, vel illud obiectũ aliquo modo saltem imperfecto põt naturaliter videri à visu vel nõ: si non, ergo nullo modo cõtinetur sub obiecto visus. Deus.n. licet nõ possit clarè videri ab intellectu virtute naturali: cõtinetur tñ sub obiecto adæquato illius. Quia saltẽ imperfectè potest ab ipso cognosci virtute naturali: & quia continetur sub latitudine entis, cuius præcisam, & abstractã rationẽ intellectus attingit: visus autẽ nõ attingit cõmunem rationẽ lucis, aut coloris, nisi in quantũ in hoc vel illo colore, aut lumine cõtinetur. Ergo si est aliqua lux, quã nullo modo põt naturaliter attingere, illa nõ cõtinebitur sub obiecto adæquato visus. Si autẽ põt aliquomodo eã attingere, cum illa lux vi sua perfectiorẽ sui speciẽ imprimat, & potẽtiam nõ lędat, poterit etiã perfectè videri: quia illa species nõ est improportionata potentię, nec est, cur dicamus, deesse illi potẽtiæ virtutẽ in suo ordine sufficientẽ. Deniq; licet illa lux nõ sit cõnaturalis corpori humano: tñ simpliciter naturalis est, & inferioris ordinis, cum sit corporea. Et ideo argumentũ sumptum ex lumine glorię nullius est momenti, vt statim etiam dicam.

Vltimo.n. quęri solet de hac claritate, á quo immediatè fiat. D. Tho.n. supra significat oriri â gloria animæ ex Augus. dicta epis. 56. ad Dioscorũ, vbi ait, *Tam potenti natura Deum feciſſe animam, vt ex eius beatitudine redundet in corpus.* Cęterũ Richard. Durand. & alij dicũt, ab ipso Deo immediatè cõferri. Dicendũ verò existimo (si de propria efficiẽtia physica loquamur) Deũ solũ esse, qui habet propriã virtutẽ ad efficiendã hãc lucẽ in corpore humano, nec physicè resultare ex sola natura rei, ex animæ beatitudine. Primo, quia nulla est naturalis cõnexio inter lucẽ spiritualẽ, & corporeã, imo neq; in ratione lucis cõueniũt, nisi valde analogicè. Deinde lumẽ gloriæ natura sua est quædam virtus intellectualis per modum habitus, vel potentiæ, & ideo non ordinatur ad efficiendũ, nisi actum secundum, & immanentem videndi, seu

Claritas beatorum corporum sub obiecto naturali visus continetur.

Dubium. D. Thom. Aug. Richard. Duran. Responsio.

Claritatis beatorum corporum immediatũ principium & causa, quæ,

seu intelligendi: ipsa aût visio, quæ est vltimus actus, & immanens, non est effectiua alterius qualitatis, ac præsertim corporeæ. Præterea illa beatitudo animę ex se abstrahit omnino à corpore, & cõmunis est Angelis, non est ergo, cur illi tribuamus hanc efficiẽtiã. Fit ergo à solo Deo, vt à principali agente. Et in cæteris Beatis credibile est, fieri media humanitate Christi, vt instrumento. Nã de Christo loquitur Paulus, cũ scribit ad Phylip. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratũ corpori claritatis suæ*: ipse ergo Christus hoc efficiet, vel per voluntatem suã, vel per claritatẽ sui corporis cęteraque corpora clarificãdo. De claritate verò ipsius met corporis Christi probabilius est, factã esse mediante anima eius, vt instrumento per virtutẽ instrumentalẽ, quam habet ad immutandũ corpora, præsertim suũ. Neque est improbabile, hanc instrumentalẽ virtutẽ cõmunicari cęteris animabus beatis. Qua ratione posset D. Th. opinio explicari, quãuis verior expositio sit, huiusmodi claritatẽ dici redundare à beatitudine animæ nõ physicè, sed proportione quadã, quia animæ existenti in statu ita perfecto debita est similis, seu proportionalis corporis perfectio. Quam expositionẽ attigit etiã Sotus in 4. dist. 49. q. 4. arti. 8. vbi tñ immeritò dicit, hanc qualitatẽ non educi de potentia corporis, sed per propriã creationẽ fieri ex nihilo. Quod nullũ habet fundamẽtũ, neq; est probabile, quia illa qualitas fit in corpore dependẽter ab illo in esse, & fieri. Sed de hoc alias.

Philipp. 3.

Claritas corporis glorioſi, quomodo fluere dicatur ab anima.

Sot.

SECTIO TERTIA.

Quomodo Christi corpus post resurrectionem sit factum impassibile.

SEnsus quæstionis est, an factum sit intrinsece impassibile passione proprie dicta, idest, materiali alteratione, quę ex se ad interitũ, & corruptionẽ ducit, nã de passione perfectiua, & intentionali satis in superioribus dictũ est. Est aut sermo de intrinseca impassibilitate, ita vt corpus illud ex interna dispositione, & capacitate nec pati possit, nec mori, etiãsi intra ignẽ existeret, & ignis sineretur agere, quãtum posset, & Deus suum concursum illi nõ denegaret. Et ratio dubitandi est, quia prima ratio ob quam corpus est passibile, & mortale, materia est: proxima verò est dispositio qualitatum habentium contrarium: sed vtrumq; principiũ mãsit in corpore Christi post resurrectionẽ, (vt supra ostensum est) ergo non potuit intrinsece fieri incorruptibile: sed solũ diuina prouidentia illæsum seruari. Et quia hæc prouidentia certa lege, & infallibili statuta est, tanquã debita statui illius corporis, & omnino inamissibilis, ideò dici potest, illud corpus non solũ nihil actu pati: sed etiam simpliciter impassibile, in sensu cõposito, (vt sic dicam.) Quod satis esse videtur ad intelligendas scripturas, quæ de hac proprietate corporum resurgentium loquuntur, vt est illud, *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur*: & illud, *seminatur in corruptione, surget in incorruptione*: & inferius, *Neque corruptio incorruptionem possidebit*, quod magis explicat inferius dicens, *& mortui resurgent incorrupti: & oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*. Quę omnia solum actũ, & non internã impotẽtiã significãt. Nec dissimilia sunt alia, in quibus vita ęterna hominibus resurgẽtibus promittitur, Matthæ. 16. 25. ad Rom. 2. & sępe alibi.

Roman. 6.

2. Cor. 15.

Matth. 16 & 25.

Roma. 2.

Propter hanc immortalitatẽ corporum resurgentiũ hæretici aliqui negarunt (vt supra vidimus) illa corpora futura esse ex hac materia, ex qua nunc constant: sed ex cœlesti. Qui maiori ratione idẽ dicebant de corpore Christi abutentes illis verbis, Pauli 1. Cor. 15. *Primus homo de terra terrenus, secundus de cœlo cœlestis: qualis terrenus, tales & terreni: qualis cœlestis, tales & cęlestes.* Sed hæc hæresis satis est in superioribus reiecta. Locus autem ille Pauli explicatus est late in priori tomo Disput. 13. Sect. 3. Nõ enim vocatur Christus *cęlestis* propter substantiã corporis: sed vel propter qualitatum, vel propter morum puritatẽ, vt ibi latius diximus.

1. Cor. 15.

Refert autẽ D. Thom. 1. p. q. 76. ar. 7. & infra in hac 3. p. quæst. 57. art. 3. & in 4. d. 44. quosdã Catholicos asseruisse, quãuis corpus glorioſum constet ex hac materia elemẽtorũ: cùm illa tamẽ misceri quãdam naturam quintæ essentiæ, quæ ita tẽperat totum corpus, vt illud reddat omnino incorruptibile. Videntur autẽ ij autores sensisse, mistionem hanc esse homini connaturalem: tñ in hac vita esse imperfectã, quia in ea elemẽtaris materia prædominatur: in corpore aũt glorioso ita perfici, vt illa quinta essentia dominetur, & vincat. Et hanc sententiam indicat Alexan. 3. p. q. 23. memb. 2. ad argumentą. Hæc opi-

D. Thom.

Alenſ.

nio duobus modis potest intelligi: primo quòd illa quinta essentia, sit aliqua pars substantialis materiæ cœlestis: alio modo, quòd tantũ sit aliqua qualitas propria corporis cœlestis, & conferens participationẽ incorruptionis eius. Prior sensus improbabilis omnino est: imo nec põt intelligi. Primo, quia omnino contra rationẽ est, fingere talem materiã vel in toto, vel in parte, esse connaturalem homini. Quia neque anima rationalis potest informare illam: cùm tamẽ tota sit in singulis partibus suæ materiæ: neque si semel informasset, posset ab illa separari. Nã illa particula non esset capax peregrinæ alterationis: neque illa materia posset invnũ coalescere cum hac inferiori, cùm sint diuersorũ ordinũ. Item esset in homine aliqua pars incapax caloris, & frigoris. Quæ omnia rationi etiam naturali contraria sunt. Secundo, quia etiam si hanc mistionem fingamus, cùm necesse sit, has partes materiæ esse distinctas, & sub diuersis quãtitatibus, & dispositionibus, nõ poterunt partes incorruptibiles sibi similes reddere in incorruptione alias partes constantes ex materia rerum corruptibilium: nõ erit ergo totum corpus incorruptibile: & supereſt eadem difficultas, quomodo aliæ partes impassibiles fiant. Qua propter sententiam hanc in hoc sensu existimo alienam à veritate fidei. Repugnat enim aut cum vera generatione, & corruptione corporis humani (si talis portio materiæ fingatur cõnaturalis illi) aut cũ veritate resurrectionis, si fingatur corpus illud postea coalescere ex noua materia, seu mistione materiarum diuersæ rationis, & ordinis.

Posterior sensus huius sententiæ videtur esse ab Alexãdro intentus. Dicit enim, corpus hominis participare quandam lucem cœlestẽ, quæ in corpore glorioso est perfectissima, & simillima ei, quæ est in cœlo empyreo. Et hic sensus (si rectè explicaretur) non esset ita improbabilis. Quòd.n. Alensis dicit, hanc lucẽ esse connaturalẽ homini, & disponere corpus ad animæ susceptionẽ inauditũ est, & incredibile. Quod est enim experimentũ huius lucis, vel ꝙ fundamentũ ad illã fingendã? Quòd itẽ ait, necessariam esse hanc lucẽ, seu participationem quintæ essentiæ ad cõciliandas elementorum naturas, nullius momenti est. Alioqui omnia mixta deberent esse cõposita nõ tantũ ex quatuor elementis, sed etiã ex quinta essentia. Elemẽta ergo nõ conciliantur formaliter ab aliqua quinta natura, aut qualitate: sed per conueniens temperamentum suarum qualitatum. Si verò ij autores dicerent, hanc cœlestẽ qualitatẽ nõ esse homini connaturalẽ: sed diuinitus addi glorioso corpori, vt illud reddat impassibile, ferri posset hæc sententia, vt in sequẽtibus dicemus.

Tertia igitur sententia dicit, in corporibus resurgentiũ eandem omnino esse materiã, & formam, & easdem qualitates elementares connaturales corpori passibili, absq; vllà qualitate superaddita, per quam corpus illud reddatur impassibile: et nihilominus corpora illa intrinsece esse impassibilia, ita vt nec diuidi, neq; alterari extrinsecus possint, etiã si Deus prouidentia sua neq; extrinseca agentia impediat, neq; ordinariũ illis concursum neget. Quòd si inquiras, ex quo principio intrinseco proueniat hæc impassibilitas. Respõdent, prouenire ex perfecto modo, quo anima in eo statu informabit corpus, qui talis erit, vt à nullo naturali agente superari possit, vel debilitari. Ita opinatur Sotus d.49.q.4.artic.5. & existimat, esse sententiã D. Th. in d.44.q.2.art.1.q.1. vbi hanc impassibilitatem ponit in perfecta subiectione corporis ad animã, seu in perfecto dominio animæ supra corpus, quod dominiũ non põt intelligi, in quo consistat, nisi in hac perfecta animæ informatione. Sãctus etiã Bonau.d.49.art.de hac dote.q.2. hãc sentẽtiã ex parte indicat. Distinguit enim duplicẽ passionem corporis: alterã per alterationem extrinseci agentis naturalis, & hãc negat esse in corpore beato, quia materia eius nõ appetit aliã formã. Quod certè nequit aliunde oriri nisi ex perfecta informatione formæ, cũ alioqui materia secundũ se eadem sit. Aliã actionem vocat perviolentiã, seu diuisionẽ quantitatis, de qua infra dicetur. Addit vero Sotus, & indicat etiam D. Tho. & ex parte Bonau. q. 1. remanere in corporibus beatis aliquam actionem primarum qualitatum non tantum intentionalem, sed etiã materialem. Quia alias (inquiunt) illæ qualitates essent otiosæ, & tollerentur complexiones variorum membrorum.

A

B

C

3. Opinio.

Sot.

D. Thom.

Bonauent.

Sed hæc sententia neq; aliis discipulis D. Thomæ, neque reliquis Theologis placuit, neque mihi videtur satis concipi posse. Et (vt tollatur æquiuocatio, quæ

ex

ex vltimo puncto oriri potest) aduertẽdũ est, dupliciter posse humanum corpus pati, vel alterari, primo ab extrinseco agente, secundo ab intrinseco, quatenus quædam partes alterare possunt alias, habentes diuersam tẽperiem. Certum ergo esse debet, corpus glorioſum neutro modo pati posse vel minimã alterationẽ. Nam qua ratione posset vna pars pati ab alia, posset etiã pati ab extrinseco agente habente similẽ virtutẽ. Itẽ quia ex actione intrinseca potest prouenire mors, vel infirmitas, seu debilitas, sicut ab extrinseca. Et hoc expressè docuit Bonanent. qui in eandem causam reuocat hanc impassibilitatem mẽbrorum inter se, & ab extrinseco agente, scilicet, quia qualitates erunt optime tẽperatę absque appetitu subiecti ad alias qualitates, & cũ perfecta influentia, & conseruatione formæ. Sotus etiã apertè fatetur (quod certissimũ est) non futurã ibi actionem caloris naturalis in humidum radicale, quæ tamen actio est eiusdem rationis cũ quacunq; alia alteratione mẽbrorum interse. Et idem affirmat D. Tho. supra, ad 3. Cùm ergo hi autores dicunt, remanere in illis corporibus aliquã actionem harum qualitatum, nescio quid actionis nomine intelligant, nisi fortasse propriã informationẽ vniuscuiusq; qualitatis. Nã calor verè reddet calidam partem illam, cui inhærebit, & sic de alijs qualitatibus. Et hoc est certissimũ, idque probatur ea ratione. Quia aliàs essent otioſæ illæ qualitates, si carerent suis effectibus formalibus, imõ revera non essent in ipso corpore. Rursus hæc informatio, & nulla alia actio est necessaria ad distinctam cõplexionem variorum membrorũ, vt per se euidens est. Sicut.n. diuersa elementa, etiam si interse non agant, diuersam habent dispositionẽ, quia diuersas habent qualitates, vel in diuerso gradu, quibus formaliter afficiũtur, ac disponuntur: & similiter diuersa mixta homogenea habent diuersam mixtionẽ primarum qualitatum, qua formaliter perficiuntur, & quoad temperamentũ distinguntur ante omnem actionem: ita mẽbra humani corporis, eõ quòd in diuerso gradu, ac mixtione habẽt primas qualitates, quibus formaliter perficiuntur, ac disponuntur, ideò sunt diuersæ complexionis. Omnino ergo falsum est, (quod Sotus ait) has complexiones diuersorum mẽbrorum seruari ex temperata actione harum qualitatum. Melius.n. conseruabitur ea distinctio cõplexionũ, remota omni actione, & retento proprio tẽperamento in singulis mẽbris. Nisi fortasse per actionẽ intelligat Sotus ipsam informationem: quod & impropriſsimum est, & videtur certè alienum ab eius mente. Nam statim probat hanc actionem ex eo, quòd si corpus glorioſum tangatur, sentientur temperatissimæ illæ qualitates, vt quãdo Christus dixit, *Palpate, & videte.* Quæ ratio (si quid valet) de vera, ac propria actione procedit: cęterũ nihil cõcludit. Primo, quia inde ad sũmũ colligitur posse corpus glorioſum agere in aliud corpus alterando illud: quod non est incõueniens, cũ nõ repugnet impassibilitati eius, posset.n. agere sine repassione: at verò, quòd per vnã corporis partem agat in aliam, repugnat eius impassibilitati. Secundo quia prædicta ratio, nec de materiali actione probat. Quia, vt corpus, dum palpatur, sentiatur, non est necessaria materialis alteratio: sed tantum intentionalis immutatio, & potest corpus glorioſum vnam sine altera efficere, atque ita fiet inter corpora glorioſa inter se: quæ omnia in superioribus ostensa sunt. Sit ergo certũ, corpus Beati nihil pati posse nec externè, neque internè. Radix vero, seu ratio impassibilitatis, eadem est respectu vtriusq; actionis. Quia re ipsa eiusdẽ rationis est vtraq; alteratio, & procedit â virtute naturali eodẽ modo actiua, quod S. Thom. & Bonauent. locis citatis rectè senserunt.

Luc. 24.

D. Thom. Bona.

Supereſt ergo vt ostendamus, rationem huius impassibilitatis nõ posse sumi ex sola perfectione informationis animę beatę. Quod ostenditur primo, quia hæc informatio animæ, cũ sit de essentia hominis, eadẽ essentialiter est in corpore glorioſo, & nõ glorioſo. Nihil.n. essentiale variatur in homine in vtroque statu: aliàs non esset idẽ homo essentialiter. Ac deinde, quia eadẽ forma in specie semper confert eundẽ effectũ formalẽ specificũ: ergo semper habet eãdẽ causalitatẽ formalẽ essentialiter: ergo eandẽ informationem, quæ non est aliud, quàm causalitas formalis. Rursus, non solum essentialiter, sed etiam substantialiter, & entitatiue, vtraque informatio est æquè perfecta, nec potest suscipere magis, aut minus, vt in præcedenti sectione attigimus. Quia & ipsa anima indiuisibilis est, & tota singulis partib⁹ vni-

Impassibilitas in corporibus glorioſis exsola beatæ animæ informationẽ oritur.

tur, & vnio etiã ad singulas partes est indiuisibilis secundũ intensionem, cùm sit modus substãtialis. Ergo in ipsa informatione substantiali præcisè sumpta, vt distinguitur ab omnibus accidẽtibus, & qualitatibus nõ potest intelligi maior, & minor perfectio. Sicut forma ignis, quia indiuisibilis est intensiuè, nec potest intendi, aut remitti: nec magis, vel minus perfectè informare materiã, quoad ipsam substantialem vnionem. Præterea, licet admittamus hãc maiorẽ perfectionem in actu informandi, nonsatis intelligitur, quomodo ratione illius præcisè possit corpus reddi omnino impassibile. Quia illa informatio non tollit á materia capacitatẽ primarum qualitatũ, ergo neque tollit capacitatẽ extrinsecæ alterationis: sed sola anima non potest illam impedire per se ipsam, quantunuis perfectè informet. Quia neque habet formalẽ incõpossibilitatẽ, neque illis per se resistit: & quanuis posset adhibere aliquam resistentiam: posset tamen tanta esse virtus agẽtis, vt illam vinceret. Quòd si dicas, virtute diuina confortari animam ad resistendũ omni agenti. In primis iam concludimus, non sufficere solam substantialem informationem quanuis perfectã. Et deinde inquirendum restat, quid sit illa diuina confortatio, & per quid fiat. Nam vel est aliqua intrinseca dispositio, quæ à Deo fit in corpore, vel anima, & hoc non potest esse nisi aliqua qualitas, quam hæc opinio reiicit. Vel est sola Dei actio, & sic non esset corpus intrinsecè impassibile, quod est contra eandem sententiã. Ergo nullo sensu videtur, posse intelligi, aut defendi hæc sententia, si in sola animæ informatione sistat. Si autem aliquam aliam actionem addat nõ connaturalem animę, sed quandam aliam maiorem illi attributã ex vittute gloriæ, potest habere hęc opinio alium probabilem sensum, quem D. Thom. intendit fortasse, vt infra explicabo.

4. Opinio Quarta opinio, vt difficultatẽ fugiat, totum id admittit, quod ratio dubitandi in principio posita concludere videtur, scilicet, corpus Beati esse impassibile, quia Deus statuit non concurrere cum aliquo agente extrinseco ad alterandum illud. Ita opinantur Scotus in 4. dist. 49. q. 15. Duran. dis. 44. q. 4. Supplementum. q. 2. Maior. dis. 49. q. 17. fauet D. Tho. supra, quæst. 45. art. 1. ad 3. dum ait, solam clarita-

Scot. Durand. Sup. Gab. Mai. D. Thom.

A tem esse qualitatem intrinsece inhærentẽ corpori glorioso. Quod verò alij adiungunt, corpora glorioſa fore incorruptibilia solũ propter cessationem motus cœli, quo cessante nihil possunt efficere agentia naturalia: hoc (inquam) valde friuolũ est. Tum quia Christi corpus nõ esset nũc impassibile: tum etiam quia illo modo etiam corpora damnatorũ essent impassibilia naturaliter: nec impassibilitas esset supernaturalis dos, sed quid consequens necessitate naturæ in omnibus corporibus. Denique, quia illa dependentia omnium agentiũ naturalium à motu cœli ficta est sine fundamento, vt in libris de cœlo latius differitur. Scotus igitur, & reliqui Theologi solum mouentur (vt dixi) quia hic modus est sufficiens, & facilis: omnes verò alij modi vix possũt intelligi. Quod si obiicias, quia hoc modo nõ magis erũt impassibilia corpora in beatitudine, quã

B fuissent in statu innocentię, quod est contra Augustinum epist. 56. Respondẽt negando sequelam. Intercedit enim multiplex differentia. Prima quòd in statu innocentiæ aliquid poterat corpus pati ab intrinseco, poterat enim augeri, & nutriri, quod nõ fit sine aliqua alteratione, & ideo indigebant cibo ligni vitæ, quo restaurarentur. Secunda, quia in eo statu agentia extrinseca non erant omnino priuata virtute, vel concursu ad alterandum humanum corpus. Nam si proiectum fuisset in ignem, reuera combureretur, sed diuina prouidentia ita erant omnia dispoſita, vt possent homines cauere vniuersãm huius modi extrinsecam corruptionem, seu passionem. At verò respectu corporis beati agentia omnia sunt priuata virtute, & con

C cursu ad alterãdum humanum corpus, ita vt etiam si corpus beatum ingrediatur ignem, comburi nequeat. Tertia, quia in statu innocentiæ poterant homines perdere illud priuilegium peccando, & ideo, licet possent non mori, non tamen erant immortales (vt Augst. dixit) at verò in vita beata hoc donum amitti nõ potest, & idcirco dici põt humanum corpus simpliciter impassibile, & immortale. Hęc sentẽtia sic explicata non potest euidenti argumento cõuinci falsitatis: tñ imperfectissimo modo explicat hanc dotem. Imò (vt D. Thomas argumentatur) hoc modo explicata vix meretur nomẽ dotis. Quia nõ est perfectio ipsius corporis, sed potius de-

Aug. Aug.

fectus

fectus extrinseci agentis, & corrũpentis. Quod præterea non videtur satis consentaneum Paulo dicenti, *Oportet mortale hoc*
1.Cor.15. *induere immortalitatem*. Nam *induere immortalitatem* in rigore aliquid amplius significat, quam extrinsecã protectionẽ Dei impedientis extrinseca agentia. Præterea aliter est corpus Christi impassibile post resurrectionẽ, quãm dum mortuum iacuit in sepulcro: at in sepulcro erat incorruptibile per extrinsecam Dei prouidentiam, quæ statuerat, non permittere, vt corpus illud in cineres redigeretur, aut in elemẽta, vel in aliquid aliud resolueretur, ergo. Denique hi autores non videntur alia ratione hunc modũ eligere, nisi quia omnis alius impossibilis eis visus est. Nã si fieri possit per intrinsicam dispositionem corporis, non est dubium, quin talis modus sit magis consentaneus modo loquendi scripturæ, magisq; decens, atque conformis statui beatitudinis. Si ergo ostẽderimus, aliũ modum esse possibilẽ, id satis erit ad hanc quartam sententiam impugnandam.

5. Opinio. Quinta ergo sententia est Beatum esse impassibilem non propter solam protectionem Dei extrinsecam, nec propter aliquam qualitatem inhærentem: sed propter dominium animæ in corpus, quod dominium non consistit in modo informãdi, (vt tertia opinio dicebat,) sed in hoc, quòd sicut omnes actiones corporis subduntur voluntati animę, ita & omnes passiones: & ideò, sicut corpus non agit, nisi quando anima vult, ita nec patitur, nisi ipsa volente: nunquam autẽ vult, neque velle potest propter rectitudinem talis voluntatis, & ideò absolutè nihil pati potest, ex intrinseca perfectione, ac potestate. Et hæc sanè videtur mens D. Tho. supra. Po-
D. Thom. nit namque hanc impassibilitatem in dominio animæ supra corpus, quod perfectè (inquit) erit subiectũ animę rationali, sicut ipsa perfectè subiecta erit Deo. Et hoc sæpe repetit in vtraque quæstiuncula, & in solutionibus argumentorum.

Impassibilitas incorpore glorioso ex dominio animæ beate supra ipsum prouenire quomodo possit. Dices hanc sententiam sic explicatam reipsa coincidere cum præcedenti. Quia nos quoque supra diximus, hoc dominiũ Beati supra actiones suas naturales nõ posse aliter explicari, nisi per suspensionẽ diuini concursus, videlicet, quia quãdo Beatus nõ vult agere per aliquã qualitatẽ, vel naturalẽ facultatem, Deus nõ præbet illi concursum ad agendum: ergo multo minus potest intelligi hoc dominium ad nõ patiendum per solam voluntatẽ, nisi quatenus stante illa voluntate Deus nõ præbet concursum alijs agentibus, vt passionem inferant tali corpori. Quia hoc seclusso non potest sola voluntas impedire actionem, quandoquidem nec minuit vires agentis, nec tollit concursum debitũ, nec materialem subiecti capacitatem, nec debitam distantiam, neque aliquam aliam cõditionem necessariam ad agendum. Quòd si hoc ita est, sine causa tribuitur hic effectus dominio animę: quia nõ est positus in animę volũtate, & arbitrio, sed certa, & infallibili Dei lege definitus indepẽdẽter ab animæ voluntate. Eo vel maxime, quia cũ ipsa aliud velle non possit, impertinens est hoc dominium.

Respnoderi potest, nõ esse hoc dominiũ in sola extrinseca protectione, sed in potestate data animæ beatæ ad conseruandas dispositiones sui corporis tanta efficacia, vt à nullo extrinseco agente possint immutari. Est enim considerandum, actionem naturalis agentis impediri posse ex alterius resistentia. Rursus hæc resistentia duplex esse potest, altera quasi formalis, quæ est per qualitatem formaliter repugnantem, atque ita adhærentem subiecto, vt â virtute actiua superari non possit: alia est effectiua, vt quando calor v. g. subiecti actu conseruatur ab igne præsente, qui propter resistentiã cõseruãtis non potest expelli tam facile à contrario agente. *Resistẽtia agentis naturalis duplex.* Denique considerandum est, animam informantem corpus præter causalitatẽ formalem, quam habet in illud, posse habere causalitatem effectiuam circa dispositiones, & temperamentum illius, quæ actio aliquomodo est naturalis, saltem per modum cuiusdam resultãtiæ, seu dimanationis naturalis, qualis etiam est in forma ignis, vel aquæ respectu sui caloris, vel frigoris. A qua actione (vt opinor) prouenit, vt calor, vel frigus difficilius expellantur ab igne, vel aqua, quàm ab alijs peregrinis subiectis. Sic igitur intelligi potest, datã esse vim animæ beatæ ad cõseruãdã dispositionẽ naturalẽ sui corporis non sola actione illa naturali: sed alia maiori, & efficaciori, quę à nullo naturali agẽte vinci quæat. Quod hoc exẽplo explicari põt. Si superior Angelus tota sua efficacia corpus aliquod alicubi sistere faciat, non poterit ab Angelo minoris virtutis moueri.

Quia resistit alius Angelus nō formaliter, sed effectiuè, aut si actionem ad passionē formaliter comparare velimus, actio superioris agētis ita resistit formaliter passioni inferendæ ab inferiori, vt illā fieri non sinat. Sic ergo intelligi potest anima tanta efficacia, talique actione conseruare dispositionem sui corporis, vt ex vi illius nullam in eo passionem fieri permittat: & hoc vocauit D.Thom. *Dominium animæ supra corpus.* Quod si inquiras, vnde proueniat talis actio, tantaque animæ efficacia, cùm non sit illi naturalis. Respondetur, primùm actionem hanc fieri ad modum miraculosæ actionis, quæ nō requirit virtutem super additam, sed specialem Dei concursum eleuantis creaturā, vt operetur tanquam instrumentum eius. Qui modus operandi interdum datur permanenter, sicut datus est humanitati Christi, & datur Beatis quoad aliquas actiones, vt dictum est supra, & in sequentibus videbimus. Deinde adiungi pōt qualitas aliqua corpori superaddita, quæ ad hunc etiam effectum conferat, vt iam dicemus. Quo circa hæc sententia sic exposita probabilis, & D.Thom. consentanea visa est.

6 Opinio valde probabilis. Richard. Palu. Capreol. Aug.

Sexta, & vltima sententia est, corpora Beatorum fieri impassibilia per qualitatē aliquam illis à Deo infusam, ipsisque inhærentē, ratione cuius sunt incapacia omnis alterationis corruptiuæ. Ita docuit Richard. dist. 49. artic. 4. q. 2. & in eandem inclinat Paludan. dist. 44. q. 2. & latius Capreol. q. 2. art. 3. & citatur Augus. epist. 56. ad Dioscorum. Sed ex illo nihil certi colligi potest: nam etiam in contrarium refertur epist. 146. ad Consentium: in vtroq; autem loco generalibus verbis vtitur, quæ possunt facile in vtranque partem explicari. Ratio vero huius sententiæ est. Quia non est impossibilis talis qualitas. Cur enim? aut quæ potest afferri repugnantia, aut contradictionis implicatio? Non enim dicimus, hanc qualitatem esse ex iis, quæ sunt connaturales corpori humano, sed altioris cuiusdam virtutis, ac ordinis. Deinde potuit Deus conferre cœlestibus corporibus qualitates quasdam eis connaturales, quæ vim habeant efficiendi vel omnes, vel multas qualitates inferiorum corporum: cur ergo non poterit efficere in corpore humano aliquam superiorē qualitatem, quæ vim habeat resistendi qualitatibus inferioribus?

A Dices, quî potest intelligi, vt vna, & eadem qualitas resistat qualitatibus contrariis calori, scilicet, & frigori? Deinde illa qualitas simul erit in corpore cum calore, & frigore, cur ergo resistet, ne ab extrinseco imprimantur? Quod si dicas, posse esse cum illis in tali gradu, qui est connaturalis homini, non tamen in maiori. Contra. Nā hic gradus non est idem in omnibus membris corporis humani. Tandem cùm hæc qualitas dicatur esse superioris ordinis non apparet, cur formaliter repugnet cum quibusuis qualitatibus, quæ recipi in materiam possunt. Sed hęc non sunt adeò difficilia, vt propterea cogamur, negare hunc modū impassibilitatis esse possibilem. Nam in primis non arctamur ad vnam, & inuariabilem qualitatem. Nam si ad resistendum omnibus contrariis vna qualitas non sufficit, plures autem sufficiant, Deus illas infundet. Deinde in eis B intelligi potest varia perfectio, & intensio, ita vt in vno gradu secum admittat tale temperamentum primarum qualitatum & non aliud: in alio verò gradu admittat aliud temperamentum: atque ita fiet, vt hæc qualitas non sit in omnibus mēbris corporis humani in eodem gradu, ac perfectione: sed vnicuique accommodetur, prout ad conseruandum vniuscuiusque temperamentū necessarium est. Præterea, resistentia, quæ fit per hanc qualitatem, intelligi potest, vel per modum efficientiæ (vt in præcedenti sententia explicuimus) vel per formalem repugnantiam. Cū enim hæc qualitas afficiat ipsum corpus, fieri potest, vt natura sua secū non admittat alias qualitates, etiam si sit altioris speciei, vel ordinis. Hanc denique sentētiam C videtur docuisse D. Thom. 1. p. q. 97. art. 1. vbi distinguit tres modos incorruptibilitatis. Primus est ex parte materię, quia scilicet tales res vel carent materia, vel si ea præditæ sunt, non tñ eiusdem rationis cū materia rerum corruptibiliū, & hoc modo sunt incorruptibiles Angeli, & cœli, non autem homines. Secundus modus est ex parte formę, vt quando rei natura sua corruptili inhæret aliqua dispositio per quā totaliter â corruptione prōhibetur. Tertium modum appellat ex parte causæ efficientis, qui propriè esse videtur, quādo restam ex natura sua, quàm ex intrinseca dispositione corruptibilis, præseruatur â corruptione remouendo oēs causas efficiētes

Obiectio

Responsio.

Impassibilitas incorporibus gloriosis vnde oriatur. D. Thom.

corrup-

corruptionē, & applicando causas conser uantes. Et hoc tertio modo dicit, fuisse homines immortales in statu innocētiæ, per virtutem quandam animæ inditam. Quæ non est intelligenda, ac si esset aliqua virtus physica naturaliter resistens extrinsecis agentibus, vt videntur intellexisse, & Caietan. ibi, & Scot. in 2. d. 19. q. 1. sed est intelligenda virtus, & discretio animæ ad cognoscendum, quid possit prodesse, aut obesse corpori, & magna virtus, ac prudētia ad vitādas omnes corruptionis causas. Hoc enim sensu optimè, ac facile intelligitur illa vis animæ, quæ inter dona gratiæ, & iustitiæ originalis à D. Th. ibi numeratur, eo aūt modo, quo à Caietan. ponitur, vix potest concipi, vt Scotus etiā obiecit, quanuis falsa nixus interpretatione. Secūdum corruptionis modū tribuit B. Tho. corporib⁹ glorioſis scilicet perdispositionē inhærentem, quæ non potest intelligi, nisi aliqua qualitas, vel pluriū qualitatum aggregatio. Vocat autē hāc incorruptionē ex parte formæ, non quia formę inhæreat, sed vel quia hæcmet dispositio est quædam forma inhærens corpori, vel certē, quia datur corpori ratione formæ, seu animæ beatæ. Quem sensum indicant verba Aug. (quem statim D. Th. citat,) *Tuā potenti natura Deus fecit animā, vt ex eius beatitudine redundet in corpus plenitudo sanitatis, & in corruptionis vigor.*

Caiet. *Sco.* *Aug.* *D. Thom.*

Ex quo discursu D. Th. patet responsio ad rationē dubitandi initio positā. Nā licet in corpore glorioso maneat eadē materia, idēque temperamentum ex qualitatibus contrarijs, inde solum fit, corpus illud in nuda natura sua cōsideratū, esse corruptibile, & in beatitudine retinere quasi causam remotā, seu naturalē radicē corruptionis: nihilominus tñ secundū proximā dispositionē intrinsecam esse incorruptibile, & impassibile. Quia affectum est alia quadā perfectione, quæ exse potest impedire, ne illa naturalis corruptibilitas in actū reducatur. Dices, quānis hæc vtcūque satisfaciāt respectu illius corruptionis, quę est per alterationē naturalē: nō verō respectu illius, quæ est per violentā diuisionē. Respōdetur primū ex Bona. supra, corpus Beati alia ratione habere, vt diuidi nō possit, ex dote subtilitatis. Quia cū sit peruiū, & penetrari possit cū quolibet alio corpore sibi occurrēte, nō potest ab eo diuidi, quia non resistit, quominus in eundē locū intret. Diuisio. n. solū fit propter resistētiā, & expulsionē à tali loco. Sed potest obijci, quia licet Beatus possit ex dote subtilitatis nō resistere alteri corpori, sed penetrari cū illo: tñ etiam potest non vti hac dote, & expellere aliud à suo loco, ergo tunc posset diuidi gladio. Id circo addēdū est, fortasse ex vi prædictæ qualitatis, & internæ dispositionis ita cōseruari, & quasi solidari corpus Beati, vt quātitas eius diuidi non possit ab extrinseco agente. Sicut cęli quantitas, licet sit eiusdē rationis cū quātitate elementorū: tñ ratione subiecti, vel dispositionū ita conseruatur, vt diuidi nō possit. Addo denique, per dotē agilitatis tā esse potens glorioſum corpus ad retinendū locum, vbi se constituit, vt à nullo agente creato dimoueri possit. Et ex hoc etiā capite nihil potest per diuisionem pati, quia diuisio, quæ fit ratione corporis subintrantis, intelligi non potest sine mutatione locali, vel destructione corporis diuisi. Quapropter, remota omni alteratione, & diuisione locali, nulla supereſſe potest passio per diuisionem.

Obiectio. *Responsio Bona.*

Vltimo ex dictis definitur alia quæstiūcula, quā D. Th. supra attigit. An hæc impassibilitas sit ęqualis in omnibus Beatis. Dicendum est. n. quoad negationē, & priuationem esse æqualem, vt ex dictis constat: tamen quoad causam ait D. Th. esse inęqualem. Quod potest intelligi vel ratione gloriæ, & meritorū, quæ est prima radix huius dotis: vel ratione illius qualitatis, seu dispositionis positiuæ, quæ pro ratione meritorum magis, ac minus perfecta esse potest. Sicut cœli, vel Angeli æquè sunt incorruptibiles, quoad carētiā passionis contrariæ: natura vero positiua, in qua hæc priuatio fundatur, perfectior est in vno, quàm in alio.

Dubium. *Responsio. D. Thom.*

SECTIO QVARTA.

Quid sit agilitas corporis Christi, & quis effectus eius.

AGilitatis dotē (vt ipsum etiā nomē prę se fert) omnes Theologi explicāt per modū cuiusdā facultatis ad motū localē expeditè, velociter, ac facilè exercēdū. Quā nominis rationē, seu descriptionē apertè quoq; conuincunt omnia scripturę, & Sanctorū testimonia, quibus supra probauimus, esse in corpore glorioso hanc dotē agilitatis. Neque in hac generali ratione est vlla difficultas: tota ve-

Do agilitatis quid sit.

ro posita est, tũ in explicanda illa facilitate, vel perfectione localis motus, seu mutationis, quã præbet hęc agilitas: tum etiam in explicando modo, quo confert hunc effectũ: ex quo etiã cõstabit, quid sit hęc facultas. Potest aũt in humano corpore triplex esse motus localis (De hoc.n. semper erit sermo.) Primus est progressiuus, qui

Motus localis quotuplex.

procedit ab anima operante per cognitionẽ, & appetitũ: exercetur autẽ per mẽbra corporis, mouendo vnã partem mediante alia, & cõsequenter prius vnã, quám aliã: in quo propterea motu necessarium etiam est, vt aliqua pars quiescat, dum alia mouetur. Secundus motus vocari põt simplex, quo totũ corpus veluti vno impetu æquè primò cietur, sicut mouẽtur grauia, leuia, & proiecta. Tertius motus, vel mutatio intelligi potest, qua corpus ab vno loco in aliud subitò transferatur absq; vlla successione, vel mora in spatio medio. Dehis ergo omnibus sigillatim videndum est, an sint in corpore beato, & quomodo per dotem agilitatis perficiantur. B

Principiò igitur, potuisse Christũ post resurrectionẽ motu progressiuo mouere corpus suũ, in superioribus diximus, estq; de fide certum. Idem est de omnibus Beatis post resurrectionẽ: & dubium etiã non est, quin vtentur interdum hac facultate, & mouebũtur hoc modo suo arbtrio. Deniq; oẽs etiam Theologi docent, habituros Beatos summã quãdã facilitatẽ in hoc motu exercendo. Nã hoc apertè significant scripturæ, quę de Beatorum agilitate loquuntur, vt suprà ostẽsum est. Videtur autẽ hæc facilitas in duobus cõsistere, primo, quòd nullum laborẽ, vel lassitudinem sentiẽt: vnde fiet, vt quãdiu voluerint, possint in hoc motu durare. Quod significatum est illis verbis Isai. ca. 40. *Current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient.* Et hoc totum manifestè prouenit ex impassibilitate, à qua nascitur, vti per huiusmodi motum, nihil alterentur mẽbra corporis, nec relaxẽtur, nec spiritus dissipẽtur. Qua propter hac in re nulla est difficultas. Secundo cõsistit hæc facilitas in maiori velocitate motus, quæ significatur illis verbis Isaiæ, *Assumẽt pennas, sicut aquilæ:* & illis Sap. 3. *Tãquã scintillæ in arundineto discurrẽt.* De hac igitur est difficultas, vnde proueniat. Velocitas enim motus est quędã maior perfectio actionis, seu modiagẽdi, quę prouenire potest, vel ex augmẽto virtutis

Facilitas corporis glorioſi in motu locali Progreſſiuo.

Iſai. 40.

Sap. 3.

A motiuæ, vel ex ablatione repugnãtiæ, seu resistentiæ mobilis, vel ex vtroq; capite.

Prima ergo sententia est, Beatum habere virtutem velocius se mouendi per solã ablationem resistentiæ, quę prouenit ex grauitate corporis: & quia nõ videtur auferri posse resistẽtia, nisi auferatur ipsum met pondus, & grauitas, ideo consequenter asserit hac sententia, uferri à corpore glorioso grauitatem. Hunc modum dicendi indicat Bona. d. 49. arti. vlt. q. 2. ad 1. & eum, vt probabilem referunt Durand. Paludan. Maior, & alij, ipsi tamen id diffinite non affirmant. Neque mihi potest vlla ratione probari, non quia existimem implicare contradictionem conseruari corpus humanum sine grauitate (hanc.n. repugnantiam non inuenio,) sed quia hæc grauitas est naturalis proprietas necessario consequens complexionem, & cõpositionem corporis humani. Dictum est autem supra, futuras esse in humano corpore omnes naturales corporis facultates, & proprietates. Alioqui esset illud corpus monstrosum, & præternaturam: sicut si corpus illud non esset solidum, aut nõ haberet quasdam partes duriores, vel densiores alijs, non esset conuenienter dispositum: ergo idem est de grauitate, quæ non minus est intrinseca qualitas, & necessario consequitur ex tali temperamento, dẽsitate, ac duritie. Sine dubio ergo dicendũ est, qualitatem illam, quæ est grauitas, manere in corpore beato. Deinde, ad hunc effectum non sufficeret ablatio grauitatis. Quia virtus motiua animę definita est ad aliquam velocitatem motus nõ tantum ex resistentia contrarii, sed ex se, quia imperfecta est, & finitæ virtutis limitatæ ad talem modum agendi. Sicut quãuis terra descenderet deorsum absque vlla resistentia medii, vel alterius corporis extrinseci, nihilominus & in tempore, & cum determinata velocitate descenderet, quia grauitas habet determinatam efficaciam ex se. At corpus Beati in hoc genere motus non est determinatum ad certã velocitatẽ, sed quacunq; signata põt agi cũ maiori (vt aliqui volunt,) vel (ꝙ probabilius videtur,) licet ad aliquã terminetur, illa videtur esse multò maior, quã per solã vim motiuã naturalẽ fieri possit, vt ex modo loquendi scripturæ non obscurè colligitur: ergo necesse est dicere, ipsammet vim motiuã aliquo modo augeri. C

Durand. Palud. Mai. Bonauent. Corporib⁹ beatorũ naturalissimè est grauitas.

Dicendum

Dicendum est ergo, ad agilitatē in hoc motu in primis requiri, virtutē ipsam actiuā motus augeri, siue hoc sit per additionē alicuius qualitatis, siue per solū maiorē Dei concursum vtentis anima, vel corpore Beati, vt instrumento ad hunc effectum naturales vires superantē, de quo postea dicemus. Deinde addi potest, ad hanc velocitatē etiā iuuare optimā dispositionem corporis, & organorū eius. Ex hac. n. multum pendet facilitas motus. Erit autē hæc optima dispositio in corporibus beatis, quòd mēbra omnia habebunt & qualitates omnes, & quantitatē, ac figuram naturæ suę maximè accōmodatam: habebūt quoq; spiritus vitales perfectissimos, & purissimos, neque erit in eis aliquod extrinsecū impedimentū, quale nunc interdū esse solet in nobis propter redundantiam humorū, vel exhalationū seu vaporū, quæ multum interdum impediūt corporis agilitatē. De naturali autem pēdere, seu grauitate corporis probabile est, quod Durandus dicit, quanuis qualitas ipsa maneat in corpore beato: tñ diuina virtute impediri, ne resistat actualiter inclinando ad locum contrarium. Sicut, quando corpus penetratur cum alio in eodem loco, licet neutrum priuetur propria quantitate, diuina tamen virtute fit, vt sibi non resistant. Dices, hęc actualis inclinatio est effectus formalis ipsius grauitatis, ergo non potest impediri manente grauitate. Respondetur negando antecedens, si loquamur de proxima, & actuali inclinatione, à qua prouenit resistentia, & retardatio motus. Hæc enim non formaliter, sed effectiue prouenit à grauitate. Sicut enim sublata efficientia, grauitas non moueret lapidem deorsum, vt v. g. si Deus suum concursum suspenderet, ita eadem efficientia omnino sublata lapis non resisteret subleuanti illum, sursum ve mouenti. Quia non resistit, nisi in quantum effectiua est contrarij motus, vel quietis, seu permanentiæ in cōtrario loco, nam hinc fit, vt retardet talem motum. Vel secundo dici potest, etiāsi ex parte grauitatis maneat aliqua resistentia: virtutem tamen motiuam tantā esse, vt ea non obstāte possit velocissimū motum agere. Sicut, si terra moueatur sursum ab Angelo, resistit quidem quantum potest sua grauitate, nihilominus propter Angeli virtutē pōt summa velocitate cieri. Tota ergo difficultas huc reuocatur, vt videamus quomodo virtus motiua in corpore beato augeatur, quod simul cum pūcto sequenti explicabitur.

Agilitas in motu progressiuo beatorum corporum vnde proueniat.

Obiectio.

Responsio

Grauitas corporum quomodo resistat, & retardet velocitatem motus.

Secūdo dicēdū est de altero genere motus, quo veluti vno impetu totū corpus se mouet equè primò. De quo Durā. d. 44. q. 7. negat, huiusmodi motū esse in corporib⁹ beatis, & contrarium dicet esse fictitium, & inopinabile. Vtitur autē ratione valde infirma, scilicet, quia oportet distinguere partē mouentē à parte mota, ergo si nō fit motus vnius partis organicæ per aliā, oportet, vt anima sit mouēs, & corpus motū, vnde, cū in homine nō sit alia forma præter animā rationalē, sola materia erit mota. Secūdo argumētatur ad hominē cōtra Scotū loco statim citando. Quia in corpore glorioso nō erit noua virtus motiua, quæ nō sit naturalis homini, seu animę etiā informanti corpus corruptibile, sed virtus ad mouendū corpus hoc modo nō est homini naturalis, neq; cōuenit animæ informanti corpus corruptibile, vt cōstat tū experientia, tum etiam, quia natura nō dedit corpus aptum, & dispositum ad hūc motū, sed tantū ad progressiuum.

Durand.

Sco.

Nihilominus hæc Durandi sentētia parū probabilis est. Nulla est. n. ratio, cur glorioſis corporibus hunc motum denegemus. Præsertim cū scripturæ maiorē agilitatē, & velocitatē illis tribuere videantur, quā possit cōmode inueniri in motu progressiuo, vt indicant illa verba, *Quasi scintillæ in arundineto discurrent.* Præterea quādo corpus glorioſum ascendit in cœlū, nō fertur ab Angelis (esset. n. magna imperfectio, si ipsum sua vi ascendere nō posset) ille aūt motus nō est progressiuus. Neque. n. verisimile est (quod quidā fingunt) ascendere gradiendo per aĕra tāquā per scalā. Nā (esto) hoc nō repugnet, quia pōt corpus glorioſum nō impellere, neque diuidere aĕrē, atque ita illo niti, seu sistere secundū vnam partem, vt secūdū aliam ascendat, & ita successiue perficere ascensum: tñ magna imperfectio esse videtur, quòd Beatus coarctetur ad hunc modum ascēsus. Et in sphęris cœlestibus, cū illuc ascendat sine diuisione cœli per solā penetrationem, vix pōt cōmode intelligi huiusmodi motus. Deniq; ratio Duran. nullius est momēti, tum quia, licet demus virtutem motiuam esse in sola anima, non inde fit, solam materiam moueri, sed totum compositum, & ea distinctio sufficit inter mouens, & mobile. Tum etiam quia quanuis admittamus, hanc virtutem esse in cor-

Sap. 3. Corpus beati vno veluti impetu moueri per spatium æque primo potest.

in corpore informato ab anima, posset per illã moueri. Quia nõ est necessariũ simpliciter, vt virtus, quæ est principiũ motus, & ipse motus sint in distinctis subiectis, præsertim quando illa virtus ab extrinseco agente indita est. Secũda vero ratio Durandi, ad hominẽ quidẽ est efficax: non tñ simpliciter. Procedit. n. ex falso fundamẽto, vt iam ostendã. Et hanc sententiã tenẽt Scotus, Paludanus, & alij.

Scot. *Palud.*

Meritò tñ inquirunt: qua virtute possit Beatus hoc modo mouere corpus suũ. In qua re duæ sunt opiniones extremæ. Prima affirmat, Deũ solũ esse, qui efficit hũc motum, vel celeritatẽ eius, quatenus vires supernaturales superat. Quod censet probabile Maior d. 49. q. 18. & Suppl. d. 44. q. 2. ar. 2. Sed non est sententia hęc cõsentanea sanctis Patribus, qui non solũ dicunt motũ corporis glorioſi fore velociſsimũ: sed etiã ipsum corpus futurũ esse agile, ac velox, sicut spiritum: non dicitur aũt corpus velox, solũ quia possit ab alio moueri. Itẽ semper ita loquuntur, vt dicãt, illa corpora posse se mouere: quin potius Isaias. c. 40. apertè ita loquitur, *Assumẽt pennas, &c.* vt supra cum sanctis Patribus ponderauimus: hæc autẽ verba significant internam vim, & non tantũ motionẽ ab extrinseco. Quod etiã confirmant illa verba Pauli 1. ad Cor. 15. *Seminatur in infirmitate, surget in virtute*: vbi videndus est D. Thom.

Secunda sententia affirmat, hunc motum corporis glorioſi, & omnẽ velocitatẽ eius, prouenire ab interna virtute connaturali homini. Hanc autẽ virtutẽ aliqui tribuunt corpori, vt Alen. & alij: qui fingunt in humano corpore mistionẽ quintæ essentiæ, cuius vim dicunt prædominaturã in corpore glorioſo, & ab illa prouenire hanc vim mouendi. Ita refert D. Th. q. 57. arti. 3. Sed hæc opinio per se est improbabilis, vt in superioribus ostensum est. Scot. verò 4. d. 49. quæstio. 14. dicit, hoc fieri naturali virtute animæ. Existimat. n. animã habere virtutẽ ad mouendum corpus non tantum organicè: sed etiã alio genere motus. Quod hac ratione suadet, quia anima separata potest seipsam mouere: tunc autẽ non se mouet organicè: ergo etiã, quãdo informat corpus, habet eandem vim mouendi, & seipsam, & corpus cõiũctum: sicut Angelus, potest mouere corpus assumptũ, vel imitando motum progressiuũ, vel simpliciter, & æquè primò totum corpus mouẽdo. Quod siin quiras, quę nam sit hæc virtus, & quomodo nõ experiamur illam in corpore corruptibili, respondet reipsa esse eandem cum virtute, qua mouemur motu progressiuo, quia nõ oportet multiplicare potentias sine causa. Dicit tñ, hanc virtutẽ ita esse in anima informante corpus corruptibile, vt nõ æquè dominetur omnib⁹ partibus corporis. Quia non omnes sunt æquè dispositæ ad motũ, neq; æquè propinquæ, seu immediatæ virtuti motiuæ, ideo prius mouetur pars melius disposita, & propinqua, & per illã mouetur alia, & ita causatur progressiuus motus. At in corpore glorioſo omnes partes sunt æquè dispositæ ad recipiendum motum, ideoq; æquè primo poterunt moueri eadẽ virtute omnes. Quod si vrgeas, etiã si admittatur hæc virtus naturalis, illã esse imperfectam, & insufficientẽ ad tãtã velocitatem, & agilitatem, respondet, illã virtutem naturalem intẽdi vsque ad illũ gradum, in quo possit eum effectum efficere, sicut intendetur, inquit, virtus visiua, & aliæ. Sed in hac sententia Scoti multa displicent. Primum. n. sine fundamento dicit, posse animã informantẽ corpus naturali virtute totũ illud mouere æquè primò. Id. n. repugnat experientię, & naturali compositioni corporis, & mẽbrorum eius. Argumentũ vero desumptum ex anima separata nõ est efficax. Quia licet verũ sit, animã separatã posse se mouere sine organis, non inde fit, eodẽ modo posse mouere corpus coniunctum. Fieri namque potest, vt non habeat tantã virtutem supra corpus, sicut supra seipsam. Item quia non potest mouere corpora sola voluntate, sicut potest Angelus, & ideo, quando mouet corpus, quod informat, id prẽstare nõ potest, nisi modo tali corpori accõmodato, scilicet organicè mouendo vnã partem mediante alia. Præterea, quòd Scotus inquit, quasi per accidens esse, vt nũc anima moueat corpus tãtum motu progressiuo propter membrorum indispositionem, alienum videtur à vera philosophia. Quia considerata naturali hominis dispositione, & compositione non est per accidens, sed intrinsecum, ac per se humano corpori, sic moueri. Nam ex primaria institutione naturæ, ipsa mẽbra corporis sunt ad hunc motum accommodata, & non ad alium. Neque fingi potest, quod sit illud impedimentũ, aut indispositio, quæ dicitur esse in membris humani corporis in statu corruptibili, aut in statu innocentiæ, in quo erat corpus optimè

Motus localis præterprogressiuum nullus animalis naturalis

Sco.

timè temperatum secundum dispositionē naturalem. Rursus, vel illa virtus motiua est in sola anima, vel aliquomodo est in mēbris, & per quędam principaliora deriuatur ad alia. Si dicatur prius: ergo hæc virtus æquè immediatè est applicata omnibus mēbris: ergo, quod vnum moueatur prius, quàm aliud, non prouenit ex propinquitate, siue distantia, neq; ex defectu alicuius dispositionis, vt Scotus fingit. Si verò dicatur posterius: ergo ille ordo, & modus motus non est per accidēs, sed per se: cùmq; illa dispositio sit naturalis homini, manebit etiā in corpore beato. Tandē quòd Scotus ait, hanc vim motiuam siue progressiuo motu, siue alio, perfici in corpore glorioso per modum intensionis, falsum est, & idē censeo de visu, & quacunque simili potentia. Ratio est, quia hæ potentiæ sunt natura sua indiuisibiles: ergo non possunt augeri per intēsionem, alioquin etiam intellectus, & voluntas possent intendi.

Prior modus declarādi dotem agilitatis.

Duobus ergo modis intelligere possumus, conferri Beato hanc virtutē ad mouēdū corpus suum hoc genere motus, & eisdē intelligendū est posse augeri virtutem ad progrediendū velocius. Primus modus est, quòd anima Beati supernaturalem vim habeat, vt sua voluntate, & efficacia moueat suum corpus hoc genere motus, & maxima velocitate.

Obiectio.

Dices, si hæc efficacia non est animæ connaturalis, quid illi additur, quo illam habeat de nouo in corpore glorioso? Nā sola non repugnantia, seu optima dispositio corporis nō satis est sine virtute effectrice.

Responsio.

Respondetur intelligi posse cōmunicari hāc virtutē eo modo, quo intelligitur cōmunicari virtus miraculorum effectrix, videlicet, vt statuerit Deus vti hac voluntate, vt instrumento ad efficiendū hunc effectum, dando illi concursum ad hunc modum agendi accōmodatum, quoties ipsa voluerit.

Obiectio.

Dices, ergo iuxta hunc explicādi modū hęc agilitas nō erit aliqua dos intrinseca Beato: sed tātū extrinseca motio Dei veluti certa lege præparata, seu promissa.

Responsio

Respōdetur verū esse iuxta hanc explicationē agilitatē non addere qualitatē actiuā: non tn propterea dicenda est extrinseca tantū motio, seu denominatio, quia ille effectus nō tātum à Deo fit: sed ab ipsa anima per virtutē intrinsecā, non merè naturalem, sed obedientialē actiuā. Sicut virtus miraculorū nō est denominatio extrinseca: sed aliquid intrinsecū cum præparatione diuini auxilij. Et hic modus explicādi videtur cōtentaneus Aug. 13. de Ciuit. c. 18. vbi inquit, *Sanctorū perfectos, atq; beatos spiritus diuino munere sine vlla difficultate posse ferri quo voluerint, & sistere, vbi voluerint.* Et idē fere repetit li. 22. c. 11. Quibus locis in hoc sensu dicit, beata corpora non habere graue pondus, quo deprimantur, nō quia priuentur qualitate aliqua naturali, sed quia per illā nō resistunt, quominus ad nutum voluntatis obediant. Et hunc modum dicendi sequitur, Sotus 4. d. 49. q. 4. ar. 7.

Aug.

Sot.

Secundus dicendi modus est, vt hęc virtus actiua motus sit aliqua qualitas indita corpori beato, quæ natura sua habeat vim efficiendi motū ad quancunq; loci positionē, quāuis illius efficacia pendeat à voluntate beati eo modo, quo supra dictum est de omni alia efficientia. Atq; hanc sententiā videtur amplecti D. Th. d. 49. q. 2. ar. 3. q. 1. vbi dicit, hanc agilitatē esse perfectionē fluentem ab anima glorificata in corpus, quę illud reddit habile, vt obediat animę vt motori, vbi aperte ponit qualitatem. Nec potest intelligi de qualitate, quę tātum passiue disponat corpus ad suscipiēdum motum. Nā, si in sola anima esset efficiens virtus actiua, nō esset necessaria in corpore noua qualitas, aut dispositio prēter temperamentum optimum, & ablationem omnis impedimenti intrinseci: cum ergo in corpore qualitatem requirat, necesse est, eum loqui de qualitate actiua. Et idē sequitur Richar. ibi artic. 4. q. 7. significat Bona. in vlt. art. illius d. clarius, & latius, Palud. d. 44. q. 4. Et ratio adiungi potest, quia quando effectus fieri potest per virtutem intrinsecā natura sua proportionatā, Deus præbet illā: motus autem localis, & velocitas eius, licet interdum superent, naturalem virtutem animæ, tn in se sunt effectus naturales, quos à virtute creata proprijs viribus fieri nihil repugnat: ergo potest infundi virtus intrinseca effectiua huius motus. Sed obijcit Scot., quia non potest vna qualitas esse indifferens ad mouendum versus omnes differentias positionis. Quia talis qualitas vnā tātum naturalem propensionem habere potest: ergo inclinabit ad vnum definitum locum, & cōsequenter, si ad alia loca moueatur corpus, non modo non iuuabit, sed potius impediet. Respondetur, negando consequētiam.

D. Thom.

Richard.

Bona.

Palu.

Obiectio. Scot.

Responsio

tiam. Nam potest esse qualitas de se indifferens ad efficiendum hoc, vel illud vbi. Nam (si attentè res cõsideretur,) siue Beatus sit in cœlo, siue in terra, ipsa vbi intrinseca non sunt specie diuersa, & ideò, cùm alioqui hæc virtus nõ sit connaturalis, nõ est necesse, vt inclinet ad certũ locũ, neq; ad seruandũ aliquem situm, vel ordinem respectu aliorũ corporũ: ex quo prouenire solet naturalis inclinatio ad aliquẽ motum, ac proinde potest optimè intelligi qualitas indifferens ad omne vbi, & habens efficaciam cuiusuis motus tendentis ad quencunq; locum, quę per voluntatẽ determinetur ad hunc, vel illum motũ efficiendum. De modo aũt quo hæc qualitas infundatur, & dimanet à beatitudine animæ, eodem modo iudicandum est, sicut de claritate diximus. Et hinc etiã facile intelligi potest, quomodo hæc dos maior esse possit in maiori, quàm in minori Beato propter maiorem vim ad velocius mouendum corpus: quæ potest prouenire vel ex intesiori, & perfectiori qualitate iuxta posteriorẽ modũ, vel ex maiori Dei concursu iuxta priorem.

Tertio dicendum est de alio genere mutationis, seu agilitatis, quæ est per subitam mutationẽ, quę fiat in instanti. De qua vnum est certum, scilicet, non posse talẽ modum mutationis fieri transeundo per mediũ. Quia oporteret vel totum corpus, vel aliquas partes eius simul esse in duobus locis quantitatiuè, quod supponо esse impossibile secundum ordinariam potentiã. Et præsertim est indubitatum, non esse in potestate cuiuscunque Beati corpus suum in pluribus locis constituere. Quia hoc nullũ habet fundamentum, neque ad statum, vel perfectionem gloriæ vlla ratione pertinet. Verũ quidẽ est, habere Christũ hanc potestatem supra corpus suum, (vt probabilius existimo, & inferius attingã,) non tñ habet illam ratione solius gloriæ corporis, sed propter hypostaticã vnionẽ ad Verbũ. Itaq;, si esse potest huiusmodi instantanea mutatio in corpore glorioso, necesse est, vt fiat transeundo ab extremo in extremũ sine medio, vel ratione totius, vel ratione partiũ. Est enim considerandũ posse intelligi hunc transitum vel ad locũ distantem, vel ad locum proximum, & cõtiguum: & in priori modo totum corpus, quod nunc est in hoc loco, futurũ est, immediatè post hoc in loco distante: vnde necesse est, vt totum illuc transeat absque vlla existentia in medio. At in posteriori modo, licet totũ corpus non incipiat esse immediatè post hoc in loco distãti, & disiuncto à priori loco: tñ necesse est, vt singulæ partes sint in partialibus locis distãtibus, & ideo oportet, vt transeãt ab extremo ad extremum sine existentia in medio, in quo erit diuersa hæc mutatio â simili mutatione instantanea angelica. Nã quando Angelus simul deserit totum locum, & alium immediatum acquirit, non intelligitur transire ab extremo ad extremum sine medio, quia totus est in toto loco, & in singulis partibus eius propinquis, & distantibus, & ipse non habet partes, quæ se excludant â partialibus locis. At vero corpus constat huiusmodi partibus, & ratione illarum habet extensionẽ in ordine ad locum, ita vt totus sit in toto loco, & pars in parte, & ideo si totum in memẽto acquirit nouum locum integrũ, necesse est, vt partes de nouo existant in locis distantibus absque transitu per mediũ. Quærere igitur, an possit corpus Beati moueri in instanti, nihil aliud est, quàm quærere, an possit transire ab extremo ad extremum sine medio.

Corpus moueri in instanti ab extremo in extremum transeundo per mediũ impossibile

Qua in re inuenio ferè omnes Theologos negantes corporibus beatis hanc potestatem. Cuius rei præcipuus autor est D. Thom. 4. dist. 44. quæst. 2. articul. 3. quæst. 3. qui dicit, implicare cõtradictionem. Cuius fundamentum est. Quia corpus non mouetur, quãdo totum est in termino à quo, neque quando totum est in termino ad quem: quia tunc iam est motum: ergo mouetur, quandiu est in medio: ergo necesse est, vt sit in medio, alioqui peruenire de vno loco ad aliũ, & nũquã moueretur, quod implicat contradictionem, quia ipsa successio locorum est motus localis. Quam rationẽ, eiusque conclusionem amplectitur Sot. dist. 49. q. 4. ar. 7. Sed mihi nullo modo probatur. Censeo enim, hoc mutationis genus esse possibile diuina, ac supernaturali virtute, vt latius Deo dante dicemus in materia de Eucharistia. Et patet facile, quia ratio adducta nõ ostendit implicationem contradictionis, neque hactenus est aliqua excogitata, quę illam ostendat. Assumptum declaratur, quia in hoc genere transitus non intercedit motus successiuus, sed mutatio instãtanea. Vnde fit, vt mobile tunc mutetur, quando

D. Thom.

Sot.

Transitus ab extremo ad extremum sine medio diuina virtute possibilis.

quando totum primò est in termino ad quē, quia tunc se habet aliter, quàm prius. Nec refert, quòd iā totū sit mutatū. Quia in mutationibus instantaneis simul est fieri, & factū esse, mutari, & mutatū esse. In quo eadē est ratio in Angelo quoad mutationē discretam, seu instantaneam loci. Idē quippe interrogari de illo pōt, quādo, scilicet, moueatur, vel in termino à quo: vel ad quē, & idem necessario respondendum est, nec facienda est vis in vocibus, *motus*, aut, *mutationis*, dummodo de re cōstet, qua intellecta, nullū censebitur incō ueniens, quod aliquod corpus mutauerit locū absq; motu, scilicet successiuo, cū sola instātanea mutatione. Quod si quis cō tendat, Angelū in hoc genere motus non mutari, dum est in termino ad quē: sed in successione vtriusq; termini, idem respon deri poterit de corpore, quanuis in vtroq; sine causa, vel necessitate id asseratur. Nisi fortasse eadē res, quæ à nobis explicata est, obscurioribus verbis dicatur. Nā reuera tota hæc mutatio est in illo instanti, in quo acquiritur terminus ad quē, quanuis non sit sine habitudine, & respectu ad terminū à quo, in toto aūt precedenti tempore mobile quieuit, quia eodem modo se habuit ac prius.

Alij ergo Theologi in assertione consentiunt: non quia contrariū implicet cōtradictionem: sed quia huiusmodi genus motus est supra omnē virtutē creatā, cum tū corpus glorioſum tantū possit mutare locū per virtutē creatam animæ, aut ipsius corporis. Ita Paludan. dist. 44. quæst. 4. Durand. quæstio. septima, Richar. distin. 49. articulo quarto, quæst. 7. & 8. ac ferè alij. Nihilominus tamen probabiliter sustineri potest, datā esse Beato hanc vim, vt transire possit ab extremo ad extremū sine medio. Quia sancti Patres de agilitate corporis glorioſi tractantes, hanc ei vim tribuere videntur. Dicūt enim, posse corpus Beati in momento, & absque retardatione eò diuertere, quò impetus spiritus eum direxerit. Ita loquitur Laurētius Iustinianus dicto libro de perfectione monasticæ conuersationis capit. 23. Augustinus verò de cognitione beatæ vitæ capit. 45. & Anselm. lib. de similitudinibus cap. 48. & in prosolog. cap. 25. dicunt, corpora glorioſa futura Angelis æqualia in velocitate: sed est probabile, Angelos naturali virtute posse trāsire ab extremo ad extremū,

Palu. *Durand.* *Richard.* *Corpora beatorum transire ab extremo ad extremum possunt sine medio.* *Laur. Iust.* *Aug.* *Anselm.*

non contingendo medium: ergo eadē velocitas ex sententia horū Patrum communicatur per gloriam corpori beato. Vnde Augustinus supra, & in Enchirid. cap. 90. & alijs locis citatis sectione. 1. dicit, tam citò posse Beatum reali præsentia sui corporis transire ad distantem locum, quàm potest cogitatione: potest autē cogitatione subito transire, nihil de medio cogitādo. Et Bern. serm. 4. in festo omniū Sanctorum, Tanta (inquit) *futura est corporum agilitas beatorum, vt possint, si velint, absque omni mora, seu difficultate ipsam quoque cogitationum nostrarum sequi ad omnia velocitatem.* Et confirmatur, quia probabile est, animā separatam posse hoc modo moueri, & subitò transire de vno loco in aliū. Quia si Angelus id potest, cur non etiam anima? Sed in beatitudine non priuabitur anima propter vnionem ad corpus vlla spirituali perfectione, & quasi libertate: ergo idē poterit coniuncta corpori, quod secū eodem modo mouebit. Tandē quia Paulus dixit, surrecturum corpus illud *spirituale*, dicunt Theologi, habiturum proprietates spiritus, etiamsi supernaturales sint, & per virtutem creatam fieri non possint, vt. v. g. posse penetrare per alia corpora: posse agere, & non agere suo arbitrio: cur ergo non idē dicetur de hac mutatione? Quæ ratio, vt minimum ostendit, fundamentū contrariæ sententiæ non esse firmum. Est ergo hæc sententia satis verisimilis, præsertim si verum est, hoc genus mutationis esse rebus spiritualibus connaturale: quod tamen incertum est.

Bernard. *1. Cor, 15.*

Supposita verò hac sententia, addenda sunt duo. Primum est, hanc mutationē nō fieri per qualitatem superadditam. Quia nulla esse potest, quæ natura sua vim habeat ad mouendū corpus hoc modo. Neque verò dicendū est, fieri à solo Deo, ipso Beato tantum passiue cōcurrente, propter rationes allatas in secundo puncto: sed fieri ab anima, vel corpore Beati, vt instrumento diuinæ virtutis, iuxta modum paulo ante explicatū. Alterū est, in hac agilitate esse æquales omnes Beatos. Quia cū sit mutatio instantanea non suscipit magis, aut minus: nisi quis fortasse dicat, perfectiorem Beatum posse ad locum distantiorem vnica mutatione moueri: quod tamen neque est consentaneum modo loquendi Patrum (vt vidimus) neque est necessarium. Quia non est contra perfectionem

nem beatitudinis, quòd in aliqua perfectione accidentaria sint Beati omnino similes, & æquales, vt de immortalitate supra dictum est, & de subtilitate statim dicemus.

SECTIO QVINTA.

Vtrum corpus Christi post resurrectionem potuerit simul esse in eodem loco cum quolibet alio corpore, & quomodo.

DIximus in prima sectione huius disputationis, subtilitatis dotem intelligendam esse in ordine ad penetrationē corporis glorioſi cum quouis alio corpore in eodem loco. Quia licet alijs modis explicari soleat: nullus tamen esse potest ita proprius, & accommodatus ad distinguendam hanc dotem ab alijs perfectionibus animæ, & corporis tam naturalibus, quàm supernaturalibus. Tria ergo de hac dote explicanda supersunt. Primo an hic effectus sit passibilis. Secundo an de facto tribuatur corpori glorioso ratione beatitudinis. Tertio qua virtute, quo ve modo fiat.

Durand. Palud.

Circa primum Durandus d.44.q.6. opinatur implicare contradictionem hunc effectum, scilicet, vt corpora quantitatiuê existentia in loco simul se penetrēt in eodem loco: cuius opinionem probabilē iudicat Paludan.q.3. Fundamenta sunt Primum, quia duo corpora repugnant esse in eodem loco ratione suarum quātitatum, igitur manentibus eisdem quantitatibus manet eadem repugnantia, quæ nullo modo potest auferri, quia non est effectiua: sed formalis. Secundo, quia non possunt omnes partes eiusdem quātitatis ita se penetrare, vt simul in eodem situ constituātur: ergo nec diuersa corpora. Consequentia est euidens, quia tanta est repugnantia inter corpora discreta, quanta inter partes continuas. Sola enim continuitas nō addit specialem repugnantiam. Antecedēs verò patet, tum quia de ratione quantitatis est, vt habeat partem extra partem: tū etiam quia alias posset totum cœlū modico in vase concludi. Tertio fieri non potest, vt partes quantitatis successiuæ sint simul duratione: ergo neq; etiam fieri potest, vt partes quantitatis continuę sint simul loco. Patet consequentia: quia sicut A de ratione quātitatis successiuę est prius, & posterius induratione: ita de ratione quantitatis continuę permanentis est extensio partium, vt vna sit extra aliā. Quarto quia non potest vnum corpus quantitatiuè poni in locis distinctis: ergo nec distincta corpora in eodem loco.

Hęc vero sententia omnino falsa est, & improbabilis, & occasionem præbet errādi circa multa mysteria fidei. Primo circa mysteriū Eucharistię, in quo licet propriè non fiat penetratio quantitatū: tū propria quantitas corporis Christi altiori modo simul est realiter præsens cū quantitate panis, & vna pars corporis Christi ibi est, vbi est alia. Vnde Durandus coactus est negare, quantitatē corporis Christi esse sub Sacramento altaris. Quæ sententia erronea est, vt suo loco dicetur. Alia responsio colligi potest ex Paludano, scilicet posse fieri per diuinam potentiam, vt corpus sit quantum, & non occupet locum. Quia illud est prius, quam hoc, & hac ratione posse fieri, vt corpus Christi, licet sit quantum, tamen quia vt est in sacramento non occupat locum, possit simul esse cum quantitate panis. Quod verò corpus quantum sit in loco, & non occupet locum, hoc est impossibile. Quia sunt omnino idem, si autem corpus occupat locum, impossibile etiam est, vt simul admittat aliud, corpus in eodem loco. Quia occupare locum nihil aliud est, quā habere partes positione distinctas, & distantes à se inuicē, & ab omni alia quantitate. Hæc verò responsio, licet aliquem edo euitet prædictū errorē circa fidē: tū nullo modo satisfacit. Primò, quia multò difficilius est facere, vt corpus quantum non sit in loco, quam vt existens in loco simul sit cum alio corpore. Si igitur primum fieri potest cur non secundum? Antecedens declaratur. Nam vel esse in loco, latè sumitur pro quocunque modo existendi alicubi secundum præsentiam realem: & ita non solum difficilius: sed etiam impossibile est, esse corpus quantū, & non esse in loco, seu alicubi realiter præsens: vt dicemus latius agentes de Eucharistia. Vel esse in loco idē est, quod esse quantitatiuè in loco, seu modo connaturali quantitati: & hoc modo multo difficilius est, separare à corpore quāto huiusmodi esse in loco. Quia non solū impeditur effectus extrinsecus, & quasi

& quasi priuatiuus, scilicet, expulsio alterius corporis ab eodē loco, sed etiam effectus intrinsecus, scilicet, propria extensio in ordine ad locum, qua impedita cōsequitur, quidquid est admirabile, & supernaturale in alio effectu, scilicet, quod tota quātitas vnius corporis sit simul cum alio corpore, & similiter quantitas omnium partium inter se. Denique quanuis repugnet corpus esse quantitatiuè in loco, & non occupare locum, tamen hoc ipsum, *occupare locum*, præcisè, ac formaliter non est distare ab alia quantitate, vel illam expellere ab eodem loco: sed est, ita replere illum locum, vt totum sit in toto, & pars in parte. Ex quo fit, vt corpus existens in loco, natura sua aptum sit ad expellendum aliud corpus, & distandum ab illo, & hanc aptitudinem semper retinet quanuis actu non expellat. Ergo formaliter non repugnat, corpus occupare locum, & actu non expellere aliud corpus ab eodem loco. Quia hoc est quid posterius, poterit ergo separari à priori, sicut etiam de alia proprietate quantitatis dicebatur.

Secundum mysterium fidei, quod pugnat cum sententia Durandi, est natiuitas Christi ex Virgine, integra, & omnino intacta permanente, de quo in superioribus diximus, & ostendimus, Durandi euasiones non esse fidei consentaneas.

Tertium est mysterium resurrectionis Christi, cuius corpus egressum est è sepulcro clauso, & ingressum est ad discipulos ianuis clausis. Ad quod variis modis respondent Durandus & Paludanus. Et primo negant ex Euangeliis colligi, Christum egressum esse ex sepulcro lapide obserato. Nam licet Marcus referat, mulieres euntes ad monumentum dixisse, *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* tamen non refert, id dixisse, postquam ad monumentum peruenerant. Nam potius Lucas capit. 24. refert, mulieres venisse ad monumentum, & inuenisse lapidem reuolutum: ergo ex Euangeliis non potest colligi, lapidem fuisse sublatum, postquam Christus surrexerat, & non antea. Sed, vt verum sit, hoc nō esse expressum in scriptura, habetur tamen ex communi sententia antiquorū Patrum, qui ita videntur Euangelistas intellexisse, ex perpetua Ecclesiæ traditione. Iustinus quæst. 117. ad Gentes. *Quemadmodum* (inquit) *non mutatione corporis in spiritum Dominus super mare ambulauit, verum Diuina potentia sua mare, quod pedibus calcare nequiret, ad ambulandum commodum, & peruium reddidit, ita & suapte potentia e monumento, cui lapis impositus fuit, egressus est, & ad discipulos ianua clausa ingressus. Non enim excitationis eius gratia saxi ipsius de monumento facta est deuolutio, sed eorum causa, qui id erant conspecturi, vt ipsis resurrectio ostenderetur.* Significat Nazianz. in Tragædia, *Christus patiens*. Prius enim apertè dicit, mulieres peruenisse ad sepulcrum adhuc lapide obseratum, & tunc subito fuisse reuolutum lapidem, & sepulcrum vacuum apparuisse. Et infra introducit Angelum sic loquentem.

Vos dicite in quam, hæc omnibus primo loco,
Et Petro, subactum tartarum, Christum excitū
Suo ex sepulcro, tum reuulsum ab ostio
Magno impetu saxum,

Et postea clarius idem explicat, vt inferius referemus. Aperit hoc etiam Augustinus serm. 138. de tempore. *Quomodo* (inquit) *de sepulcro exire non posset, qui ex incorruptis matris visceribus salua virginitate processit?* Et Hieronymus epistol. 150. ad Hedibiam quæstio. 6. *Non putemus* (inquit) *Angelum id circo venisse, vt aperiret sepulcrum Domino resurgenti, & reuolueret lapidem: sed postquam Dominus resurrexit hora, qua ipse voluit, & quæ nulli mortalium cognita est, indicasse, quod factum est, & sepulcrum vacuum reuolutione lapidis.* Quibus verbis indicat Hieronymus expositionem verborum Matth. capit. 28. & ex illis hanc sententiam colligit. Refertenim Matth. Angeli ministerio fuisse lapidem sublatum. Ex quo fit vehemens coniectura, non fuisse sublatum, vt Christus resurgeret. Quia si ita esset, potius virtute ipsius resurgentis tolleretur. Fuit ergo sublatus ab Angelo, in testimonium resurrectionis factæ. Vnde statim dixit Angelus mulieribus. *Non est hic, surrexit enim, sicut dixit. Venite, & videte locum, vbi positus erat Dominus.* Et ita etiam interpretatur expresse Chrysostomus homilia 90. in Matthæum, quem sequuntur Theophyllactus Matth. 28. Euthymius capit. 68. in Matthæ. Idem Chrysostomus homilia de Ioanne Baptista tomo tertio, vbi late, & eleganter hanc sententiam confirmat.

A
B
C

e sepulcro clauso Christus egredi tur. Iustin.
Gre. Naz.
Aug. Hieron.
Matth. 28
Chryso. Thop. Euthym. Bed.

firmat. Quam etiam docent Beda homilia in Vigilia Paschæ, & Bernardus, sermon.1.de resurrectione. Est igitur temerarium, sine causa hoc negare. Et quanuis non esset certum ita fuisse de facto: tamen omnes prædicti Patres supponunt, id esse possibile, atque ita diuinæ omnipotentiæ id attribuunt. Denique ingressum ad discipulos, expresse dicit Ioannes cap.20. factũ esse *ianuis clausis*. Quod eodem modo interpretantur prædicti Patres locis citatis, & Cyrillus Alexandrinus, Chrysostomus, Augustinus, Theophylactus, Euthymius, & alij super Ioannem, & Ambrosius Lucæ vltimo, & Gregorius, homilia vigesima sexta in euangel. Augustinus epistola tertia, & libro vigesimo secundo de Ciuitate, capit. octauo, & de Agone Christiano, capit. decimo quarto, qui eiusdem virtutis iudicant fuisse hoc factum, cum natiuitate ex Virgine. Atque idem habet Theodoretus dialogo secundo, & Chrysostomus homilia secunda de symbol. & Gregorius Nazianzen. in prædicta Tragœdia.

Christus post resurrectionem ad discipulos ianuis clausis ingreditur. Ioan. 20.

Cyr. Ale.

Chrysost. Theophyl. Euthym. Ambros. Cre. Pap Aug. Theodor. Chrys Gre. Naz.

Stat ecce Dominus, has fores intra: nouum hoc,
Dignumque vere maximo miraculo.
Et quomodo autem foribus occlusis adest?
Quin forte & idem, sic sepulcro condito,
Clausoque surgens exiit, velut antea
Virginis ab aluo prodijt matris suæ
Infracta seruans claustra quam castissima.

Athanas.

Athanas. præterea orat.4.contra Arianos dicit. *Verbum per corpus suum dedisse discipulis aliquem sui sensum, quando ingressus est ad eos ianuis clausis. Quippe quod recta penetrabat præsensque sui certitudinem afferebat.* Quibus verbis excluduntur aliæ euasiones, Paludani, & Durandi indigræ plane catholicis viris. Dicunt enim, aut ianuas velocissimè fuisse apertas, & iterum subito clausas: aut fuisse quidem clausas semper: Christum tamen non per illas intrasse, sed per fenestram, aut ita suum corpus accommodasse, vt per rimulas aliquas intrare potuerit: quod de Christi corpore sentire indignum est. Significat ergo Athanasius, Ioannem euangelistam non sine causa bis adnotasse Christum ingressum esse ianuis clausis, vt speciali miraculo, & Verbi virtute id factum esse significaret. Quod etiam significauit Leo Papa,

Leo Papa

epistola.10.ad Flauianum capite quinto. Vnde Hieronymus epistola.61.ad Pammach. aduersus errores Ioannis Ierosolymit. *Quod clausis* (inquit) *ingressus est ostijs, eiusdem virtutis fuit, cuius, & ex oculis euanescere*: & Cyrillus Alexandrinus libr.2. de fide ad Reginas idem sentit. Vltima tamẽ euasio supereſt, fundata in ijs, quę præcedenti sectione dicta sunt, ingressum scilicet fuisse Christum ad discipulos, vel egressum ẽ sepulcro, non penetrando corpora intermedia: sed transeundo ab extremo ad extremum sine existentia in medio hoc enim etiã est diuinæ virtutis indicium, & maximum miraculum, ac nihil indecentiæ continet. Et sanẽ, cùm hic etiam modus fuerit possibilis, & sufficiat ad saluanda omnia, quæ scriptura refert de hoc mysterio, non potest euidenter refelli hæc responsio. Nihilominus ex dictis constat, non esse consentaneam multis ex citatis Patribus. Comparant enim hoc mysterium cum mysterio natiuitatis ex Virgine, de quo supra ostendimus nullo modo posse illa ratione explicari. Præterea, multi explicant id factum esse per modum penetrationis, Hieronymus loco nuper citato: sic inquit. *Dic mihi accutissime disputator, quid est maius, terræ magnitudinem appendere super nihilum, & super aquarum incerta librare, an Deum transire per clausam portam, & creaturam cedere creatori?* Apertius Hilarius libr. tertio de Trinitate. *Quæro ergo per quas clausę domus partes sese corporeus intulerit. Diligenter enim euangelista expresit dicens, venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio discipulorum suorum. An constructa parietum penetrans, & solidam lignorum naturam impenetrabilem transcurrit? stetit namque corporeus, non simulatus, ac fallax. Sequantur igitur oculi mentis tuæ penetrantis ingressum, & cum eo clausam domum intelligentiæ tuæ visu introeat. Integra sunt omnia, & obserata: sed ecce assistit medius, cui per virtutem suam vniuersa sunt peruia, nihil cedit ex solido, neque pernaturam suam aliquid tanquam lapsu insensibili ligna, & lapides amittunt.* Epiphanius, expressius, quàm cæteri hoc tribuit corporis subtilitati, hæresi. 20. *Resurrexit* (inquit) *& clausis foribus ingressus est, vt crassarum partium corpus tenuium partium ostenderet ipsum, quod erat cum carne, & ossibus: fideique, & spei nostræ in se ipso promissionem faciebat*: & hæresi. 64. *Dominus*

Cyri. Ale.

Hieron.

Hieron.

Hilar.

Epiphan.

noster

noſter Ieſus Chriſtus reſurrexit ex mortuis, non aliud corpus ſuſcitans: ſed ipſum, quod erat in ſpiritualem ſubtilitatem transmutans, & ſpirituale totum coniens ingreſſus perfores cõcluſas. id quod fieri nequit hic in noſtris corporibus propter craſsitudinem, & quod nondum in ſpiritualem ſubtilitatem ſint cõmuta. Quod igitur erat id, quod concluſis foribus ingreſſum eſt? Aliud ab eo, quod crucifixum eſt, an ipſum crucifixum? omnino equidem non poteris non confiteri ipſum, quod crucifixum eſt. Quomodo igitur ingreſſum eſt foribus concluſis? Vt oſtenderet, quod corpus quidem eſſet, quod videbatur, & non ſpiritus: verum corpus ſpirituale ſubtilium partium, quod aliquando craſſarum partium fuerat. Ex quibus omnibus aperte conſtat, hos Patres non ſolum ſentire hoc diuinum opus eſſe poſsibile: ſed reipſa factum eſſe, idque eſſe magis conſentaneum intentioni, & verbis Euangeliſtarum, & fortaſſe eſſe facilius, quàm ingredi ſine tranſitu per vllum medium.

Quartum myſterium eſt Aſcenſionis Chriſti in cœlum. Eſt enim de fide, aſcenſu ſuo penetraſſe vſque ad ſupremum cœlum, iuxta illud ad Hebræos quarto. *Habentes ergo Pontificem, qui penetrauit cœlos, Ieſum filium Dei, teneamus ſpei noſtræ confeſsionem.* Non penetrauit autem eos diuidendo, qui *ferro, & adamante ſolidiores,* á Iob dicuntur capite trigeſimo ſeptimo, & ideo Paulus fortaſſe, non ſine myſterio vſus eſt verbo *penetrandi.*

Hebre. 4.

Iob. 37.

Duo corpora ſimul in eodem loco eſſe ſupernaturaliter non repugnat.

Dicendum ergo eſt, non implicare contradictionem, vt vnum corpus ſimul cum alio ſit quantitatiuè in eodem loco. Et hæc eſt ſententia Diui Thomæ, & omnium Theologorum, quos paulo inferius referemus. Ratio verò eſt, quia licet inter quantitates, ſit naturalis repugnantia in ordine ad idem ſpatium: tamen inde non fit, vt Deus virtute ſua non poſsit illam ſuperare: neque ex hoc ſequitur aliquid contra formalem rationem, & eſſentiam quantitatis, vt ſupra explicatum eſt. Sicut etiam duæ qualitates contrariæ natura ſua repugnant, & Deus poteſt illas in eodem ſubiecto ponere. Quod tandem confirmatur, oſtendendo, rationes Durandi nullius eſſe efficaciæ, quod eſſe debet ſufficiens argumẽtum, vt non aſſeramus, hoc implicare contradictionem.

D. Thom.

A Ad primum igitur fatemur, naturalem repugnantiam, in eodem loco inter corpora, quanta eſſe ratione quantitatum, atque adeò manentibus quantitatibus manere eandem repugnantiam naturalem: nihilominus tamen fieri poſſe per Diuinam potentiam, vt illæ duæ quantitates loco penetrentur. Quia illa repugnantia naturalis, in ordine ad Diuinam potentiam nulla eſt, neque illi reſiſtit; atque ita poteſt Deus, ſimul conſeruare corpus, aliquod in vno loco, & in eodem aliud reponere. *Reſponſio ad argumẽta Durãdi*

Ad ſecundum negatur aſſumptum. Nam ſicut duæ quantitates diſcretæ poſſunt penetrari in eodem loco: ita & duę, vel plures partes eiuſdem quantitatis continuæ. Neque eſt inconueniens, quod totum cœlum Diuina virtute, poſsit in paruo vaſe concludi. Cùm autem dicitur, de ratione quantitatis eſſe, vt habeat partem extra partem: ſi iis verbis B explicatur eſſentia quantitatis, & illa particula, *extra,* dicit ordinem ad locum, non debet ſignificare actum, ſed aptitudinem. Non eſt enim de ratione quantitatis, vt vna pars actu ſit extra locum alterius: ſed ſolum quod natura ſua apta ſit ad exiſtendum in loco tali modo. Quòd ſi ſupponatur quantitas eſſe extenſa in ordine ad locum, ſic neceſſe eſt, vt habeat aliquas partes, quarum vna actu ſit extra locum alterius, quia hæc eſt ratio formalis extenſionis in ordine ad locum: poterunt tamen per Diuinam potentiam in eodem ſpacio, vel extenſione eſſe penetratiuè plures partes æquales.

Ad tertium, de duratione ſucceſsiua reſpondetur, ſucceſsionem in conceptu ſuo ſignificare extenſionem quandam in duratione ſecundum prius, & poſterius & ideo repugnare, manere extenſionem ſine hac ſucceſsione: ſicut etiam repugnat manere extenſionem in ordine ad locum, abſque eo, quòd ſit pars extra partem etiam in ordine ad locum. At verò ſicut ſucceſsio non ſemper eſt de ratione entis, quod ſucceſsiuè fit, ita neque extenſio in ordine ad locum eſt de ratione quantitatis, & ideo poſſunt eſſe optimè, quantitates diſtinctę, etiam ſi loco, vel ſitu non diſtinguantur.

Ad quartũ negatur antecedens: & pōt argumentum retorqueri. Nam Deus potest constituere vnum corpus quantum in pluribus locis, ergo & plura corpora in eodem loco, sed de hoc aliàs.

Facultas existendi in eodem loco simul cum alio corpore proprietas gloriosis debita corporib⁹

Circa secundum, quanuis ex dictis constet, Christum dominum post resurrectionem simul eundem locum occupasse cum alijs corporibus: non tamen inde fit, hanc esse proprietatem debitam ratione beatitudinis corporibus gloriosis. Quia dici potest, non conuenire hoc corpori Christi ratione beatitudinis, sed ratione vnionis. Nam etiam ante resurrectionem interdum hac proprietate sui corporis vsus est, vt cùm è matris illęso prodijt vtero: & fortasse eadem virtute est vsus, quando inter Iudæos ipsum persequentes, & comprimẽtes sine vllo impedimento, contactu ve transibat. Cæterum dicendum est, hunc modum subtilitatis communicari ratione beatitudinis corpori glorioso. Propter hanc enim causam docent Theologi omnes proprietatem hanc communem esse omnibus corporibus gloriosis, Quam etiam esse communem sententiam Patrum sect. 1. ostendimus: vbi & ex Paulo illam deduximus, & varijs congruentijs ostendimus. Exemplum insuper de Christi corpore commune est cunctis Beatis. Omnes enim corpore, & animo ascensuri sunt super cœlos. Item post diem iudicij in cœlo ambulare poterunt, & ad inferiores cœlos si voluerint, vel ad elementa descendere; & tamen verisimile non est, diuisum semper iri cœlum, vt ipsi moueri queant. Est ergo hęc proprietas debita corpori glorioso. Potuit autem Christus in vita mortali interdum ea vti, vel propter vniuersalem potentiam faciendi miracula: vel quia duplici titulo illi deberi potest, scilicet, ratione vnionis, & ratione gloriæ: vel certe quia in vita mortali voluit quædam indicia, ac vestigia gloriæ suo corpori debitæ exhibere. Et ideò (vt notauit Innocent. lib. 4. de myst. Missæ ca. 12.) subtilitatem accepit, cùm nasceretur ex virgine: claritatem, cum transfiguraretur in monte: agilitatem, cùm incederet super mare: impassibilitatem, cùm manducaretur in cœna.

Inno. Pa.

Circa tertium, difficile explicatu est, quid sit hęc proprietas in corpore glorioso, & quomodo se penetret cum alio corpore. Duo autem hic sunt inuestiganda. Primum est dispositio quasi passiua illius corporis, an scilicet sit affectum aliquo accidente, seu qualitate, ratione cuius penetrare possit aliud corpus. Si enim non est ita dispositum, igitur non est magis subtile ipsum corpus beati, quàm cœlum, terra, aut quodlibet aliud corpus, cũ quo penetratur. Quia hęc penetratio mutua est ex parte vtriusque corporis, & non est in vno maior dispositio ad illam, vel minor repugnantia naturalis, quàm in alio. Si autem dicatur, corpus glorioſum esse specialiter dispositum, ac subtile effectum per aliquam internam qualitatem: id non videtur posse intelligi. Quia illa qualitas non priuat corpus sua quantitate, vt per se cōstat: neque etiam tollere potest extensionem eius in ordine ad locum. Nam hæc tam intrinsecè coniuncta est ex natura rei cum quantitate, vt nulla qualitate creata impediri queat. Tum quia effectus adeò supernaturalis non potest esse connaturalis alicui qualitati creatæ. Vix enim mente concipitur, ac soli Deo propter eius infinitam virtutem conceditur. Tum etiam quia vel illa qualitas est spiritualis, & sic non poterit afficere corpus, vt illud subtilius reddat, ac modum existendi eius immutet. Vel est corporea, & sic ipsa natura sua postulabit partium extensionem in ordine ad locum: quomodo ergo illam impediet in quantitate? Vnde confirmatur, nam si corpus Beati esset ita intrinsecè dispositum, non posset, conseruata illa dispositione, habere extẽsionem partium in ordine ad locum, neque vna excluderet aliam ab eodem loco. Sicut corpus Christi existens in sacramento, & retinens illam dispositionem, & modum existendi, non potest habere prædictam extensionem.

Secundo inuestiganda est virtus actiua, qua corpus glorioſum possit ita moueri, vt penetret alia corpora. Quia non videtur posse esse virtus intrinseca, nec super addita per aliquam qualitatem. Quia effectus est omnino supernaturalis, & possibilis solum ex obedientia creaturæ ad creatorem: ergo non potest esse connaturalis alicui qualitati creatæ; ergo superuacanea esset qualitas superaddita, quandoquidem non potest addere virtutem agendi supernaturalem, obedientialis enim sufficienter est in ipsa anima, & in potentijs eius. Confirmatur, quia nulla potest esse qualitas creata, quæ vim habeat coniungendi in eodem subiecto calorem, & frigus

gus in gradibus intensis, ergo idem est in præsenti. Si autem hæc virtus non est intrinseca corpori glorioso, ergo à solo Deo mouetur, cum transit per aliud corpus, ergo non est ipsum subtile. Quia eadem actione, & efficientia potest Deus constituere in eodem loco corpora quantunuis densa, & crassa.

Hæ rationes apud me conuincunt, primo hanc subtilitatem non esse qualitatem veluti formaliter afficientem corpus, illudque reddentem aptum, vt penetrari possit cũ alio corpore, seu formaliter tollentem repugnantiam naturalem, quæ est inter duas quantitates respectu eiusdem spatij. Et in hoc conueniunt forè omnes Doctores in 4. distinct. 44. Durand. quæstio. 5. Paludan. quæstio. 3. Capr. quæst. 3. Supplement. quæstio. 2. & in distinc. 49. Scotus quæstio. 16. Richard. articulo. 4. quæstio. 5. Maior. quæstion. 20. & Sotus quæstio. 4. artic. 6. Et est sententia Diui Thom. vt statim videbimus. Solus Bonauentura articul. penultimo quæstio. 1. videtur contrariũ sentire, quanuis subobscurè, & Petrus de Tharantasia quæstio. 3. problematicè idem defendit. Sed non video fundamentum, neque quomodo satis intelligi possit.

Durand. Palud. Capreo. Supp. Ga. Sco. Richard. Maior. Sot. D. Thom. Bonauen. Pe. de Tharant.

Secundo censeo, satis etiam probari predictis rationibus, ad hunc subtilitatis effectum non dari corporibus beatis qualitatem aliquam actiuam. Quæ est etiam sententia communis D. Thom. distinct. 44. quæs. 2. articul. 2. quæstio. 2. & idem sequuntur Scot. Cap. Paludan. Sotus, & alij. Et quanuis interdum Paludan. & Richard. videantur ponere subtilitatem in qualitate actiua: tamen loquuntur de subtilitate non in eo sensu, in quo nunc loquimur, sed vt pertinet ad subtilius, vel efficacius perficiendas operationes sensuũ, de quo iam supra dictum est.

Virtus ad penetrãdũ aliud corpus in beato vndeoritur.

Tertio verò addo, hanc virtutem penetrandi alia corpora non esse omnino extrinsecam, ita vt solum consistat, in quodam pacto, quo Deus statuit mouere corpus beati, quandocunque ipse voluerit, (vt Scotus, & ferè alij interpretantur) sed in virtute intrinseca, & instrumentali animæ, vel corporis beati, cui ratione beatitudinis datum est, vt possit se hoc modo mouere tanquam instrumentum Dei. Sicut in priori tomo diximus, Christi humanitati datam esse virtutem miraculorum

A quasi permanentem per modum potentiæ, non quia illi sit data aliqua qualitas, neque solum, quia Deus ad præsentiam ipsius operatur: sed quia Deus statuit, pro illius voluntate dare ei accommodatum concursum ad operanda miracula, vt instrumento diuinitatis. Sic igitur in præsenti Deus statuit, ratione beatitudinis vti voluntate, seu facultate motiua corporis beati ad hunc effectum pro eius arbitrio, & voluntate. Et hoc modo rectè intelligitur, quomodo subtilitas sit dos Beati per modum virtutis actiuæ.

Dos subtilitatis in corpore glorioso quid sit.

Atque ita facile soluuntur rationes dubitandi in principio positę. Ad summum enim probant, hanc subtilitatem esse aliquam vim internam ipsius corporis, siue illa sit principalis, siue instrumentalis: & ita est intelligendus Gregorius dicta homil. cum dixit, corpus beatum esse *subtile per effectum spiritualis potentię*: & Ambr. Luc. 24. dicẽs, *Per resurgentis corporis qualitatem, Christum ianuas penetrasse*: & Laurentius Iustinianus dicto capit. 23. de perfectione monasticę conuersationis, cum dicit, *Caro spiritualis effecta, liberam ingrediendi quocunque recipit facultatem*. Ad hęc enim omnia satis est, dicta instrumentalis virtus actiua: quam ponit etiam Richardus supra, & indicauit Bonauentu. Diuus Thomas autem, qui soli diuinę virtuti dicit tribuendum hunc effectum, exponi potest de principali virtute. Non enim, credo, negaret instrumentalem actionem creaturæ, quam in aliis supernaturalibus operibus facile concedit. Sotus verò supra *manem fictionem* appellat hanc virtutem actiuam, quęcunque illa sit. Quia se penetrare (inquit) non est agere, & quia quantitas natura sua resistit non tanquam virtus actiua, sed quia locum replet. Tamen, cùm negari non possit, hunc effectum esse supernaturalem, non video, quomodo fieri possit sine supernaturali efficientia. Deus enim hoc potest ratione suæ omnipotentiæ, ergo quando ita operatur, aliquid efficit proprium omnipotentię suæ: ergo potest vti creatura vt instrumento ad hunc effectũ, ergo verisimilius est, ita fieri in corporibus beatis, quia hic est altior, & perfectior modus operandi.

Gre. Ambros. Lau. Iust. Richard. Bon. D. Thom. Sot.

Dices ergo Christ⁹ in vita mortali habuit hãc dotẽ, quia habuit prædictã virtutem actiuã respectu sui corporis. Respõdetur

Obiectio.

simpliciter negando consequentiã. Quia A dos subtilitatis non significat vtcunque illam virtutem actiuam: sed connotat etiã talis corporis statum, in quo ei debeatur vsus huius virtutis: corpori autem Christi in statu passibili hoc non debebatur, etiã si interdum ex speciali causa, & miraculo illa vsus fuerit. Et hinc etiam intelligi potest, (quod D. Tho. & ferè omnes citati Theologi dicunt) corpus glorioſum posse penetrari cum corpore non glorioso, non verò cum glorioso. Id enim non est propter maiorem repugnantiam, quia reuera nulla est: sed propter decentiam, & debitum ordinem, ratione cuius non est debitus Beato concursus ad huiusmodi penetrationem cum alio corpore beato. Neq; illa erit vnquam necessaria, quia vnus beatus non sese opponet alteri, neque alter tẽ B tabit incedere per locum, quem alius occupat. Et eadem ratione probabile est, non posse beatum quasdam partes sui corporis cum alijs penetrare, non solum mutando figuram, aut densitatem (vt quidam finxerunt: hæc enim aliena sunt à veritate, & impassibilitate corporis glorioſi:) sed etiã absque hac mutatione, vt fieri posset inter manus, brachia, aut pedes. Quia etiam hæc penetratio non est necessaria Beato, neque admodum decens, neque conueniens optimæ dispositioni corporis humani, quæ requirit determinatum situ, ac distantiam partium, vt notauit etiam D. Th. supra, quæstiun. 4.

Corpus glorioſum penetrari non potest cum corpore glorioſo.

QVAESTIO LV.

De manifestatione resurrectionis, in sex articulos diuisa.

C

DEinde considerandum est de manifestatione resurrectionis Christi. Et circa hoc quæruntur sex. ¶ Primo, Vtrùm Christi resurrectio omnibus manifestari debuerit, an solum quibusdam specialiter personis. ¶ Secundo, Vtrum fuisset conueniens, quod eis videntibus resurgeret. ¶ Tertio, Vtrùm post resurrectionem debuerit cum suis discipulis conuersari. ¶ Quarto, Vtrùm fuerit conueniens, quòd suis discipulis in aliena effigie appareret. ¶ Quinto, Vtrùm resurrectionẽ suam argumentis manifestare debuerit. ¶ Sexto, de sufficientia illorum argumẽtorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum resurrectio Christi debuerit omnibus manifestari.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd resurrectio Christi debuerit omnibus manifestari. Sicut enim publico peccato debetur pœna publica (secundum illud 1. ad Timoth. 5. Peccantes coram omnibus argue) ita merito publico debetur præmium publicum. Sed claritas resurrectionis est præmium humilitatis passionis: vt Augustin. dicit super Ioann. Cum ergo passio Christi fuerit omnibus manifestata, so publice patiente, videtur, quòd gloria resurrectionis ipsius omnibus manifestari debuerit. ¶ 2. Præterea, Sicut passio Christi ordinatur ad nostrã salutem, ita & eius resurrectio: secundum illud Roma. 4. Resurrexit propter iustificationem nostram. Sed illud, quod ad communem vtilitatem pertinet, omnibus debet manifestari. Ergo resurrectio Christi omnibus debuit manifestari, & non specialiter quibusdam. ¶ 3. Preterea, Illi quib' manifestata est resurrectio Christi fuerũt resurrectionis testes: vnde dicitur Actor. 3. Quem Deus suscitauit à mortuis, cuius nos testes sumus. Hoc autem testimonium ferebant publice prædicando Quod quidem non conuenit mulieribus, secundum illud 1. ad Corinth. 14. Mulieres in Ecclesijs taceant: & 1. ad Timoth. 2. Docere mulieri non permitto. Ergo videtur, quòd inconuenienter resurrectio Christi manifestata fuerit primo

302 Sup. q. 36 art. 2 cor. Et opus. 3. c. 245. Et 1. Cor. 15, co. 3.

tract. 140 in Ioa. circa fin. to. 9

primo mulieribus, quàm omnibus cõmuniter. ¶ *Sed contra est, quod dicitur Actorum 10. Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo.*

¶ *Respondeo dicendum, quòd eorum, quæ cognoscuntur, quædam cognoscuntur communi lege naturæ, quædam autem cognoscũtur ex speciali munere gratiæ, sicut ea quæ diuinitùs reuelantur. Quorum quidem, vt Dionys. dicit in libro Cœl. hierar. hæc est lex diuinitùs instituta, vt à Deo immediatè superioribus reuelentur, quibus mediantibus deferantur ad inferiores, sicut patet in ordinatione cœlestium spirituum. Ea verò, quæ pertinent ad futuram gloriam, cõ* B *munem hominum cognitionem excedunt: secundum illud Isa. 64. Oculus non vidit Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te. Et ideo eiusmodi ab homine non cognoscuntur nisi diuinitus reuelata, sicut Apostolus dicit primæ ad Corinthios 2. Nobis reuelauit Deus per spiritum suum. Quia igitur Christus resurrexit gloriosa resurrectione, ideo eius resurrectio non omni populo manifestata est, sed quibusdam quorum testimonio deferretur in aliorum noticiam.*

Ca 4 Cœ. hier. a medio illius.

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd passio Christi peracta est in corpore adhuc* C *habente naturam passibilem, quæ communi lege nota est omnibus, & ideo passio Christi omni populo immediate manifestari potuit. Resurrectio autem Christi facta est per gloriam Patris: vt Apost. dicit Roman. 6. & ideò immediate manifestata est, non omnibus, sed quibusdam. Quòd autem publicè peccantibus pœna publica imponitur, intelligendum est de pœna præsentis vitæ: & similiter publica merita publice præmiari oportet, vt alij prouocentur. Sed pœnæ, & præmia futuræ vitæ non publice omnibus manifestantur, sed specialiter illis, qui ad hoc* A *præordinati sunt à Deo.* ¶ *Ad secundũ dicendum, quòd resurrectio Christi sicut est ad communem omnium salutem, ita in notitiam omnium peruenit. Non quidem sic, quòd immediate omnibus manifestaretur, sed quibusdam, per quorum testimonium deferretur ad omnes.* ¶ *Ad tertium dicendum, quòd mulieri nõ permittitur publice docere in Ecclesia: permittitur autem ei, priuatim aliquos domestica admonitione instruere. Et ideo sicut Ambros. dicit super Luc. Ad eos fœmina mittitur, qui domestici sunt, non autẽ mittitur ad hoc quod resurrectionis testimonium ferat ad populum. Ideo autem primo mulieribus apparuit, vt mulier quæ primo nuntium mortis ad hominem detulit, primo etiam vitam resurgentis Christi in gloria nuntiaret. Vnde Cyrillus dicit, Fœmina quæ quondam mortis fuit ministra, venerandum resurrectionis mysterium prima percipit, & nũtiat: adeptum est igitur fœmineum genus, & ignominiæ absolutionem, & maledictionis repudium. Similiter etiam per hoc ostenditur, quod quantum ad statum gloriæ pertinet, nullum detrimentum patietur fœmineus sexus: sed si maiori caritate feruebunt, maiori etiam gloria ex* C *visione diuina potientur, eò quod mulieres quæ Dominum arctius amauerunt, in tantum, vt ab eius sepulcro, discipulis etiam recedentibus non recederent, primo viderunt Dominum in gloria resurgentem.*

cap. vlt in Lucam, nõ multum ante medium, to. 5.

Lib. 12. in Ioan. c. 51. super illud Vade ad fratres tuos & dic eis.

COMMENTARIVS.

DOcet D. Tho. nõ fuisse cõueniens, vt Christus coram hominibus publicè resurgeret, sicut publicè passus est. Quia passio erat quid humanum, & naturale: resurrectio verò gloriosa erat supernaturalis, ideoque conueniens fuit, vt licet passio corporis mortalis, coram hominibus manifestè facta sit: resurrectio tamen gloriosa occulte fieret, & per reuelationẽ hominibus manifestaretur. Quod

perspicuè satis D. Tho. explicat in corp. art. & in solutionib. argumentorum. Vnde (quod ad literam attinet) non indiget alia expositione. Quod vero tangitur in expositione ad. 3. de apparitione facta mulieribus, tractabitur latè disputatione sequenti. Aduertendum est autem supponere D. Tho. Christum non exiuisse de sepulcro clarè, & manifestè coram custodibus, vel alijs hominibus, qui ibi adesse poterant. Quod licet non sit ita expressum in Euangelio satis tamen aperte ex eo colligitur. Tum quia dicitur Christus primo visus à Maria Magdalena, & mulieribus, quod saltem videtur intelligendum de ijs, à quibus publice visus est. Tum etiam, quia narrat Matt. cap. vltimo, custodes exterritos fuisse, & factos veluti mortuos, quando angelus reuoluit lapidem. Quo tempore iam Christus è sepulcro prodierat ipsis nihil cernentibus, neque sentientibus. Et ratio est manifesta. Quia vt Christus exiret de sepulcro, non fuit necessarium; motionem aliquam fieri, quæ ab astãtibus videri, vel audiri posset. Quia (vt supra diximus, & art. sequenti docet D. Tho.) exiuit clauso sepulcro penetrando lapidem superpositum sine vlla motione. Aliás verò, cùm resurgeret gloriosus, non poterat videri, nisi ipse vellet, non oportuit autem vt tam facile se ostenderet, præsertim custodibus, & inimicis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum fuisset conueniens, quod discipuli viderent Christum resurgere.

303 AD secundum sic proceditur. Videtur conueniens fuisse, quòd discipuli viderent Christũ resurgere. *Ad discipulos enim pertinebat resurrectionem Christi testificari: secundum illud Act. 4. Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri. Sed certissimum est testimonium de visu. Ergo conueniens fuisset, vt ipsam resurrectionem Christi viderẽt.* ¶ *2. Præterea, Ad certitudinem fidei habendam, discipuli ascensionem Christi viderunt, secundum illud Act. 1. Videntibus illis, eleuatus est. Sed similiter oportet de resurrectione Christi certam fidem habere. Ergo videtur, quòd discipulis videntibus debuerit Christus resurgere.* ¶ *3. Præterea, Resurrectio Lazari quoddam indicium fuit futuræ resurrectionis Christi. Sed discipulis videntibus, Dominus Lazarum suscitauit: ergo videtur quod etiam Christus resurgere debuerit, discipulis videntibus.* ¶ *Sed contra est quod dicitur Marc. vlti. Resurgens Dominus mane prima sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ. Sed Maria Magdalena non vidit eum resurgere, sed cùm eum quæreret in sepulcro, audiuit ab angelo, Surrexit, non est hic. Ergo nullus vidit eum resurgere.*

Respondeo dicendum, quòd sicut dicit Apost. Rom. 13. quæ à Deo sunt ordinata sunt. Est autem hic ordo diuinitus institutus, vt ea quæ supra homines sunt, hominibus per angelos reuelentur, vt patet per Dion. 4. cap. cœlest. hier. Christus autem resurgens non rediit ad vitam communiter hominibus notam, sed ad vitam quandam immortalem & Deo conformẽ c. 4. a me. *secũdum illud Rom. 6. Quod enim viuit, viuit Deo. Et ideo ipsa Christi resurrectionẽ debuit immediatè ab hominibus videri, sed eis ab angelis nuntiari. Vnde Hilarius dicit super Matth. quòd ideo angelus prior resurrectionis est index, vt quodam famulatu paternæ voluntatis resurrectionem nuntiaretur.* Canti. ult. in Mat. circa finem illius.

Ad primum ergo dicendum, quòd Apostoli potuerunt testificari Christi resurrectionem etiam de visu: quia Christum post resurrectionem viuentem oculata fide viderunt, quem mortuũ sciuerant. Sed sicut ad visionem beatam peruenitur per auditum fidei: ita ad visionem Christi resurgentis peruenerunt homines per ea, quæ prius ab angelis audierunt. ¶ *Ad secun-*

secundum dicendum, quòd ascensio Christi quantum ad terminum à quo, non trãscendebat hominum communem notitiam: sed solum quantum ad terminum ad quẽ. Et ideo discipuli potuerunt videre ascensionem Christi quantum ad terminum à quo, ideſt, secundum quod eleuabatur à terra: non autem viderunt ipsam, quantũ ad terminum ad quem, quia non viderũt quomodo, reciperetur in cœlo. Sed resurrectio Christi transcendebat communem notitiam, & quantum ad terminũ à quo (secundum quod anima rediit ab inferis, & corpus de sepulcro clauſo exiuit) & quantum ad terminum ad quem, secundum quod eſt adeptus vitam gloriosam. Et ideo non debuit resurrectio fieri sic, quòd ab homine videretur.

¶ *Ad tertium dicendum, quòd Lazarus resuscitatus eſt, vt rediret ad vitam, qualem prius habuerat, quæ communem notitiam hominum non transcendit, & ideo non eſt similis ratio.*

COMMENTARIVS.

Resurrectio cur non publice facta.

HIc etiam articulus ferè non eget expositione. Idem enim D. Thom. quærit, quod in superiori, sed quod ibi generatim dixerat de hominibus, hic in specie tradit de discipulis, & Apostolis. Ratio verò eadem eſt, quia etiam oportuit, vt discipuli, & Apostoli per diuinam reuelationem acciperent supernaturalia mysteria. Quam aliter hic D. Tho. explicat, scilicet, quia debuit seruari consuetus ordo diuinæ prouidentię, scilicet, vt de diuinis mysterijs homines per angelos instruantur. Et in solut. ad. 1. subiungit aliam rationem, nimirum decuisse, vt Apostoli per fidem peruenirent ad visionem. Quã quam enim propter Ecclesiæ commodum oportuerit, vt Christum iam suscitatum aliquando viderent: tamen propter ipsos oportuit, vt paulatim instruerentur, prius per auditum, deinde per visum.

Atque hinc etiam facilis eſt differentia inter resurrectionem, & ascensionem, quã D. Tho. inquirit in solut. ad. 2. Petit enim cur Christus manifestè ascenderit coram discipulis, & non resurrexerit. Et respon-

A det, resurrectionem omni ex parte fuisse supernaturalem; ascensionem vero quantum ad terminum à quo, qui erat terra, fuisse quodammodo naturalem, licet quã tum ad terminum ad quem, trãscendat cõ munem hominum cognitionem, & ideo videri potuit, & debuit Christus ascendens, prout eleuabatur â terra, non verò, vt peruenit in cœlum. Sed instari potest, quia licet terra sit subiecta communi cognitioni hominum, tamen ille modus discedendi â terra, in se supernaturalis erat. *Obiectio* Sicut etiam mors corporis aliquid eſt cognitioni hominum patens, & tamen receſsus ab hoc termino, qui fit per resurrectionem (eſt enim mors, seu priuatio vitæ terminus a quo resurrectionis) non patet cõ muni cognitioni hominum. Respondetur, esse differentiam: tum quia inter mortem, & resurrectionem non eſt medium: sed eſt immediatus transitus, & ideò non potest videri receſsus à termino á quo, quin videatur ipse terminus ad quem: at in motu ascensionis ante vltimum terminum ad quem, sunt multi proximi, qui sensibus hominum patere poterant. Tum etiã quia resurrectio eſt multo magis supernaturalis, quam ascensio, & in se magis occulta. Non enim potest oculis corporeis videri, sicut ascensio, sed solum per signa, & effectus manifestari potuit, & ideo oportuit vt conuenienti ordine ostenderetur. Addo, ipsam resurrectionem, & manifestationem eius fuisse quandam præparationem ad ascensionem. Denique sicut oportuit, vt Apostoli viderent Christum viuentem C post resurrectionem: ita & ascendentem, quia vtriusque mysterij futuri erant testes oculati. Eſt tamen differentia, quia ascensionem non potuerunt videre in termino, quia non poterant videre Christum existentem in cœlo empyreo, & ideo oportuit, vt conspicerent ipsum ascensum at vero resurrectio videri potuit in termino, videndo scilicet Christum viuum, & ideo non fuit neçesse, vt tunc videretur, cùm fiebat. Et aliunde oportuit seruari alium modum, & ordinem propter cõgruẽtias supra adductas.

Responsio.

Discipuli Christum cur vident in cœlum ascendentẽ & non e sepulcro resurgentem

In sol. ad. 3. ponit D. Tho. differentiam inter resurrectionem Lazari, & Christi, cur illa facta eſt coram Apostolis, & non hæc, scilicet, quia Christus resurrexit ad vitam gloriosam: Lazarus ad mortalẽ. Ad de etiam, resurrectionem Lazari fuisse ve-

luti præuiam dispositionē, vt resurrectio Christi fieret credibilis, & ideo oportuisse, vt ab Apostolis videretur, maximè quia ipsi non viderant Lazarum morientem, sicut Christum. Quo circa nisi resurgentem viderent, non posset eis de resurrectione constare, etiam si postea illum viuere conspicerent.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm Christus post resurrectionē debuerit continue cum discipulis conuersari.

3 p. q. 54. 3. di. 21. q. 2. ar 3. co. & d. 22 q. 3. ar. 2 q. 3. co. Et Ioā 20 l. 6. pr. & ca. 21. prin.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd Christus post resurrectionem debuerit continuè cum discipulis conuersari. Ad hoc enim discipulis post resurrectionem apparuit, vt eos de fide resurrectionis certificaret, & consolationem perturbatis adferret: secundum illud Ioan. 20. Gauisi sunt discipuli viso Domino. Sed magis fuissent certificati & consolati, si eis continuè suam præsentiam exhibuisset: ergo videtur, quòd continuè cū eis debuerit conuersari. ¶ 2. Præterea, Christus resurgens à mortuis non statim ascendit in cœlum, sed post dies quadraginta, vt habetur Act. primo. Illo autē tempore intermedio, in nullo alio loco potuit conuenientius esse, quàm vbi discipuli eius erant pariter congregati: ergo videtur, quòd continue cum eis conuersari debuerit. ¶ 3. Præterea, Ipso die resurrectionis Dominicæ, quinquies Christus apparuisse legitur: vt Augustin. dicit in lib. de Consensu Euangelistarum. Primò quidem mulieribus ad monumentū: secundò, eisdem regredientibus à monumento in itinere: tertiò, Petro: quartò, duobus discipulis euntibus in castellū: quintò, pluribus in Ierusalem, vbi non erat Thomas. Ergo etiam videtur, quòd & aliis diebus ante suam Ascensionem ad minus pluries debuerit apparere.

li. 3. ca vl. in pag 2. ante finem. lib. tom. 4.

¶ 4. Præterea, Dominus ante passionem eis dixerat Matthæ. 26. Postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam: quod etiam Angelus & ipsemet Dominus post resurrectionem mulieribus dixit. Et tamen antea in Ierusalem ab eis visus est, & ipso die resurrectionis (vt dictū est) & etiam die octauo, vt legitur Ioan. 20. Non ergo videtur, quòd conuenienti modo post resurrectionem cùm discipulis fuerit conuersatus. ¶ Sed cōtra est, quod Ioan. 20. dicitur, quòd post dies octo, Christus discipulis apparuit. Non ergo continuè conuersabatur cum eis.

Ar. præc.

¶ Respondeo dicendum, quòd circa resurrectionem Christi duo erant discipulis declaranda, scilicet, ipsa veritas resurrectionis, & gloria resurgentis. Ad veritatem autem resurrectionis manifestandam, sufficit quòd pluries eis apparuit, & cū eis familiariter est loquutus, & comedit, & bibit, & se eis palpandū præbuit. Ad gloriam autem resurgentis manifestandam, noluit continuè conuersari cum eis, sicut prius fecerat, ne videretur ad talem vitam resurrexisse, qualē prius habuerat. Vnde Luc. vlt. dicit eis. Hæc sunt verba, quæ loquutus sū ad vos cum adhuc essem vobiscum. Tunc quidem erat cum eis præsentia corporali, sed ante cum eis fuerat non solū corporali præsentia, sed etiam per similitudinem mortalitatis. Vnde Beda prædicta verba exponens dicit. Cum adhuc essem vobiscū, id est, cum adhuc essem in carne mortali, in qua estis & vos: tunc quidem in eadē carne resuscitatus erat, sed cum illis in eadem mortalitate non erat.

Cap. 97. in Luc & est vltimum partum ante medium.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd frequens Christi apparitio sufficiebat ad certificandum discipulos de veritate resurrectionis. Conuersatio autem continua eos potuisset ducere in errorem, vt ad similem vitā eum resurrexisse crederent, quam prius habuerat. Consolationem autem de continua sui præsentia eis

in

in alia vita repromisit: secundum illud Ioan.16. Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. ¶ *Ad secundum dicendum, quòd Christus non ideo non continue conuersabatur cum discipulis, quia reputaret se alibi conuenientius esse: sed quia hoc discipulis instruendis conuenientius iudicabat, si non continue conuersaretur cum eis, ratione prædicta. Incognitum autẽ est quibus in locis intermedio tempore corporaliter esset: cum hoc scriptura non tradat, & in omni loco sit dominatio eius.*

¶ *Ad tertium dicendum, quòd ideo prima die frequentius apparuit: quia per plura indicia erant admonendi, vt à principio fidem resurrectionis reciperent. Postquam autem iam eam receperant, nõ oportebat eos iam certificatos, tam frequentibus apparitionibus instrui. Vnde in Euangelio non legitur, quòd post primum diem eis apparuerit nisi quinquies, vt enim Aug. dicit in lib. de Consensu Euangelistarum, post primas quinque apparitiones, sextò eis apparuit, vbi vidit cum Thomas. Septimo ad mare Tyberiadis in captione piscium. Octauo, in monte Galilææ, secundum Matthæum Nono, quòd dicit Mar. Nouissime recumbentibus: quia iam non erant in terra cum illo conuiuaturi. Decimo, in ipso die Ascensionis, non iam in terra: sed eleuatus in nube, cùm in cœlum ascenderet. Sed non omnia scripta sunt, sicut Ioan. fatetur. Crebra enim erat eius cum eis conuersatio, priusquam ascendisset in cœlum, & hoc ad consolationem ipsorum. Vnde & 1. Corint. 15. dicitur, quòd visus est plusquam quingentis fratribus simul deinde visus est Iacobo, de quibus apparitionibus in Euangelio non habetur mentio.* ¶ *Ad quartum dicẽdum, quòd sicut Chry. dicit exponens illud, quod dicitur Mat. 26. Postquam resurrexero, præcedã vos in Galilæã. Non, inquit, in lõgin quã quandam regionem, vt eis appareat, vadit, sed in ipsa gente, & in ipsis fere regionibus, in quibus cum coplurimum fuerant conuersati: vt & hinc crederẽt, quoniam qui crucifixus est, ipse est & qui resurrexit. Propter hoc etiam in Galilæam se ire dicit, vt à timore Iudæorum liberarentur. Sic ergo, vt Ambros. dicit super Luc. Dominus mandauerat discipulis, vt in Galilæa eum viderent: sed illis ob metum intra conclaue residentibus, ipse primum se obtulit (nec hoc est promissi transgressio, sed potius festinata ex benignitate impletio) postea verò confirmatis animis, illi Galilæam petierunt. Vel nihil obstat, si dicamus, pauciores intra conclaue, & complures in monte fuisse. Vt enim Eusebius dicit. Duo Euãgelistæ, scilicet Lucas, & Ioannes, solis vndecim hunc scribunt apparuisse in Hierusalem: cæteri vero duo in Galilæam properare, non solis vndecim, sed vniuersis discipulis, & fratribus dixerunt angelũ, & Saluatorem iussisse. De quibus, & Paulus meminit dicens. Deinde apparuit plusquam quingentis fratribus simul. Est autem verior solutio, quod prius in Hierusalem latitantibus semel, aut bis visus est, ad eorum consolationem: in Galilæa vero non clam, aut semel aut bis, sed cum multa potestate ostensionem sui fecit, præbens se eis viuentem, post passionem in signis multis: vt Lucas testatur in Actibus. Vel, sicut dicit Aug. in lib. de Consensu Euãgelistarum, quod ab angelo & Domino dictũ est, quòd præcederet eos in Galilæam, prophetice accipiendum est. In Galilæa enim secundum transmigrationis significationem intelligendum occurrit, quod Christi gratia de populo Israel transmigratura erat ad Gentes, quibus Apostoli prædicantes non crederentur, nisi eis ipse Dominus viam in cordibus hominum præpararet, & hoc intelligitur*

li.3. in pa. 2. ante finẽ lib. tom. 4.

Ho. 83. in Mat. ante med. to. 2.

A

B

C

Amb. in fine commentariorũ in Luc. to. 5.

li. 3. nõ procul ante fi. lib. tom. 4.

gitur. Præcedet vos in Galilæam. Secundum illud autem quod Galilæa interpretatur reuelatio, non iam in forma serui intelligendus est, sed in illa in qua æqualis est Patri, quam promisit dilectoribus suis: & quo nos præcedens non deseruit.

COMMENTARIVS.

HVnc articulum proponit D. Thomas, vt explicet modum, & ordinē quo Christus per quadraginta dies discipulis apparuit, & cum eis conuersatus est. Et in primis in corpore cum solut. ad 1. optimam rationem reddit, ob quam nō oportuit, per eos dies continuè cum illis semper versari, ne nimia familiaritas occasionem præberet, existimandi, eum ad idem genus vitæ mortalis rediisse. Vnde sicut ad veritatem resurrectionis ostendēB dam, oportuit, vt sæpius appareret: ita ad commendandam gloriam resurrectionis operæ pretium fuit, interponere aliquas moras, & non continue cum eis conuersari. Addit Iustinus quæst. 48. ad Orthodox. *Voluisse Dominum desuefacere discipulos suos ab aspectu, præsentiaque sui corporis, eamque ob rem, quo tempore versabatur in terra post resurrectionem, non omnino eis se incōspectum præbuisse, sed per vices vtrumque fecisse, vt ab eis & cerneretur, & non cerneretur.* Addo etiam, id fuisse expediens ad fidei exercitium, & probationem, spei quoq; & caritatis augmentum, ac denique hunc modum esse accommodatum statui huius vitæ, in quo non possunt homines continuè C frui rebus diuinis.

Dubium.

Hac verò occasione quærit D. Thom. in sol. ad 2. quo in loco fuerit Christus illis diebus, quando â discipulis recedebat. Et nihil aliud respondet, quàm hoc esse incognitum, cùm scriptura nihil tradat, & in omni loco sit dominatio eius. Quod ve

Responsio D. Thom.

rum est de cognitione certa, & indubitata. Idem verò D. Thom. in 3. distinct. 22. quæstio. 3. artic. 2. quæs. 3. ad 3. coniectura vtendo, significat, fuisse in paradiso terrestri. Quia dicit, in eo fuisse animas, quæ cum Christo ab inferis ascenderunt, &

Bonauen. Nicephor.

idem docet Bonauent. in meditationib. vitæ Christi capit. 91. Nicephorus etiam libro 1. capit. 31. idem significat, dum ait, Christum eduxisse animas Sanctorum ex A Sinu Abrahæ, & in paradiso terrestri collocasse. Quod etiam sentit Iustinus quæs. 75. 76. & 85. & Irenæus libro. 5. contra hereses, qui in hunc modum interpretantur illa verba, *Hodie mecum eris in paradiso*. Sed supra ostendimus, non posse hæc verba de paradiso terrestri intelligi, quia eo die non fuit Christus in paradiso terrestri, sed in inferno. Hæc ergo sententia incerta est, præsertim cum valde dubium sit, an paradisus terrestris nunc extet. Est ergo (vt D. Thom. hic rectè dixit) hæc res prorsus in cognita hominibus, de qua iterum redibit sermo cum de Ascensione Domini agemus.

Iustinus. *Irenæus.* *Luc. 23.*

In solutione ad tertiū, & quartū, multa disserit Diuus Thomas de apparitionibus Christi post Resurrectionem, de quibus instituenda erit sequens disputatio.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrùm Christus debuerit discipulis in alia effigie apparere.

305

AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd Christus non debuerit discipulis in alia effigie apparere. Non enim potest apparere secundum veritatem nisi quod est. Sed in Christo non fuit nisi vna effigies. Si ergo Christus in alia effigie apparuit, non fuit apparitio vera, sed ficta: quod est inconueniens, quia vt Augus. dicit in libro 83 quæs. Si fallit Christus veritas non est, est autem veritas Christus. Ergo videtur quod Christus non debuerit discipulis in alia effigie apparere. ¶ 2. Præterea, Nihil potest in alia effigie apparere, quam habeat, nisi oculi intuentium aliquibus præstigiis detineantur. Huiusmodi autem præstigia cùm fiant magicis artibus, non conueniunt Christo, secundum illud 2. ad Corinth. 6. Quæ conuentio Christi ad Belial. Ergo videtur quod nō debuerit in alia effigie apparere. ¶ 3. Præterea, Sicut per sacram scripturam nostra fides certificatur, ita discipuli certificati sunt de fide resurrectionis,

3. dist. 21. q. 2. ar. 4. q. 1 ad 3 et opu. 60. c. 22. col. 5. fi.

li. 83. quæ. q. 14. to. 4

ctionis, per Christi apparitiones. Sed sicut Aug. dicit in Epistola ad Hieronymum, Epi 18.19 in ordine to.4. si vel vnum mendacium in sacra Scriptura recipiatur, infirmabitur tota sacræ Scripturæ autoritas. Ergo si vel in vna apparitione Christus discipulis apparuit aliter, quàm esset, infirmabitur quicquid discipuli post resurrectionem viderunt in Christo, quod est inconueniens. Non ergo debuit in alia effigie apparere.

¶ Sed contra est, quod dicitur Marc. Vltim. Post hæc, duobus ex eis ambulãtibus ostensus est in alia effigie eũtibus in villam.

¶ Respondeo dicendum, quòd (sicut dictum est) resurrectio Christi manifestanda fuit hominibus per modum, quo eis diuina reuelantur. Innotescunt autem diuina hominibus diuersimodè, secundum quod diuersimodè sunt affecti. Nam illi, qui habent mentem bene dispositam, secundum veritatem diuina percipiunt. Illi autem, qui non habent mentem bene dispositam, diuina percipiunt cum quadam confusione dubietatis, vel erroris. Animalis enim homo non percipit ea, quæ sũt spiritus Dei, vt dicitur 1. ad Corin. 2. Et ideo Christus, quibusdam ad credendum dispositis, post resurrectionem apparuit in sua effigie. Illis autẽ in alia effigie apparuit, qui iam videbantur circa fidem tepescere. Vnde dicebant, Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel. Vnde Grego. dicit in homi. quod talem se exhibuit eis in corpore, qualis apud illos erat in mente: quia enim adhuc in eorum cordibus peregrinus erat à fide, ire se longius finxit, scilicet, ac si esset peregrinus.

ex ar. 1. et 2. huius q.

Ho. 23. in Euan. non procul a prin.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd (sicut Augustinus dicit in lib. de Quæstionibus Euangelij.) Non omne quod fingimus, mendacium est: sed quando illud fingimus, quod nihil significat, tunc est mẽdacium: cùm autem fictio nostra refertur in aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis. Alioquin omnia, quæ à sapientibus, & sanctis viris, vel etiam ab ipso Domino figurate dicta sunt, mendacia deputabuntur. Quia secundum vsitatum intellectũ non consistit veritas in talibus dictis. Sicut autem dicta, ita etiam finguntur facta sine mendacio ad aliquam rem significandam, & ita factum est hic, vt dictum est.

li. 2. ca. vl. in princip. to. 4

in istimet solutione.

¶ Ad secũdũ dicẽdũ, quòd (sicut Aug. dicit in lib. de Cõsen. Euang.) Dominus poterat trãsformare carnẽ suã, vt aliare ura esset effigies ab illa quam solebant illi intueri: quandoquidem & ante passionem suam transformatus est in monte, vt facies eius claresceret sicut sol: sed non ita nunc factum est. Non autem incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à Satana factũ fuisse, ne agnosceretur Iesus. Vnde Luc. vlt. dicitur, quòd oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.

li. 3. ca 26. in 2 pag. a pri. tom. 4

¶ Ad tertium dicendum, quòd ratio illa sequeretur, si ab alienæ effigiei aspectu non fuissent reducti ad verè videndũ Christi effigiem. Sicut enim Augusti. dicit ibid. Tantum a Christo facta est permissio, vt scilicet prædicto modo oculi eorum tenerentur vsque ad fractionem panis, vt vnitate corporis eius participata remoueri intelligatur impedimẽtum inimici vt Christus posset agnosci. Vndeibidem subditur, quòd aperti sunt oculi eorum & cognouerunt eum, non quòd ante clausis oculis ambularent, sed inerat aliquid, quo non sinerentur agnoscere, quod videbant, quod scilicet caligo, & aliquis humor efficere solet.

li. 3. ca. 25. in pag. 2. a prin. to. 4.

HIc articulus explicatus est quæst. præcedenti in commen. ar. 1. circa solutionem ad. 3. Neq; hic aliquid addendum occurrit præter ea, quæ in sequenti disputatione dicemus.

Dis-

DISPVTATIO XLIX.

In quinque sectiones distributa.

De apparitionibus Christi post resurrectionem.

EX historia Euangelica, vt ex doctrina Augustini inferius comprobabimus, decem Christi apparitiones post resurrectionem colligimus, quas hic breuiter exponemus, attingendo omnia, in quibus Euangelistæ discrepare videntur, eaque in concordiam redigendo, simul que explicandum erit, an forte aliqua apparitio facta sit, quæ ab Euangelistis non narretur.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Christus dominus statim post resurrectionem matri suæ, priusquam cæteris omnibus apparuerit.

RAtio dubitandi præcipuè sumitur ex Marco asserente, Christum primò apparuisse Mariæ Magdalenæ: quis ergo contra tam expressum testimonium audebit affirmare, prius alteri apparuisse, præsertim cum nullus ex antiquis Patribus id affirmare ausus sit? Videntur enim Euangelistæ verba simpliciter, & vt sonant, intellexisse. Nam si propter dignitatē matris licet Virginem excipere à generalibus verbis Euangelistæ: eadem ratione licebit excipere v.g. Petrū, vel Ioānem propter singularem eorum dignitatem. Vel certè licebit exponere, Christū primò apparuisse Magdalenæ inter fœminas, non vero inter viros, quia videri potest congruum, vt prius apparuerit Petro, quem caput Ecclesiæ, & Apostolorū principem constituturus erat, quā Mariæ Magdalenæ. Si ergo propter apparentem congruentiam huiusmodi expositio admittēda non est: neque etiam B. Virginem licebit excipere. Et cōfirmatur, quia nulla est sufficiens ratio, neque coniectura, quæ vehementer hoc suadeat. Primo, quia plus est videre Christi diuinitatem, quàm gloriam resurgentis, & tamen non fuit Beata Virgo prima, quæ inter homines vidit Deum. Nam Augus. & D. Thom. existimant, Moysem prius vidisse Deum. Et de animabus Sanctorum Patrum, est etiam probabile, quia non est certum B. Virginem vidisse diuinitatem ante Christi resurrectionem. Secundo quia hoc beneficium videndi oculis corporeis Christum resurgentem, est quasi temporale, & extrinsecum, per se non pertinens ad veram animę sanctitatem: ergo non fuit necesse, Virgini conferri, neque hoc pertinet ad eius perfectionem. Nam potius ipsemet Christus dixit, *Beatos esse, qui non viderunt, & crediderunt*, quasi diceret, videre oculis corporeis nihil referre ad animæ beatitudinem, si absque tali visione vera, ac firma fides retineatur. Vnde confirmatur tertio, nam Christus apparuit Magdalenę & aliis, vt eos in fide confirmaret (erant enim nutantes, & imperfecti) B. autē Virgo non indigebat hoc subsidio, erat enim in fide perfectissima. Dices, quanuis B. Virgo fuerit perfectissima in credendo, & hac ratione visione filij nō indiguerit: egebat tamen consolatione, quia summa tristitia, & dolore affecta erat. Rursus licet visio corporalis per se nō pertineat ad sanctitatem animæ: plurimum tamen potuit Virgini ad illam cōferre, amorem erga filiū excitādo, & accēdendo. Sed cōtra Quia (vt hæc omnia fateamur) ad summum suadent decuisse, vt breui tempore post resurrectionem suam Christus Virgini appareret, non verò, quòd ante omnes. Quia licet Virgo non fuisset prima, quæ Christum post resurrectionem viderit, potuisset eundē spiritualem fructum, eandemq; consolationem ex illius præsentia capere: ergo nihil videtur ad dignitatē, & perfectionem Virginis attinere, quòd ante omnes Christum viderit resurgētē.

Nihilominus absque vlla dubitatione credendum est, Christū post resurrectionem primum omnium matri suę apparuisse. Quæ sententia ex ipsis terminis adeò est per se credibilis, vt ferè sine controuersia omnium fidelium, & Doctorum animis insederit, atque ita docēt omnes scriptores catholici, qui hanc quæstionem attigerunt. Vnde videtur hic fuisse perpetuus Ecclesiæ sensus, quia nullum reperimus initium, quando hoc cæperit in Ecclesia doceri. Et quanuis antiqui Patres id frequenter non asserant, nō ideo est, quia contrarium sentirent (nunquam enim hoc negarunt) sed quia solum enarrabant, quę ab euangelistis scripta sunt. Neque verò omnino desunt nobis antiquitatis vestigia, & testimonia. Nam Amb. lib. 3. de virginis-

Marc. 16.

Aug. D. Thom.

Ioann. 20.

Post resurrectionem primo matri suæ Christus apparuit,

ginib. aliquantulum â principio, expresse id affirmat his verbis. *Vidit ergo Maria resurrectionem Domini, & prima vidit, & credidit. Vidit & Maria Magdalena, quanuis adhuc ista nutaret.* Citari etiam solet Greg. Nazian. oratio. 42. quæ est. 2. de Resu. vbi nihil aperte dicit, sed potius in fine illius orationis significat, Virginem simul cum alijs mulieribus iuisse ad sepulcrũ. Quod clarius dicit in Tragœdia de Christo patiente, & idem sentit Greg. Nyssen. orat. 3 de Resur. & Sedulius. lib. 5. paschaliũ carminum in fine. Quod (vt in superioribus diximus) verisimile non est, nec B. Virginem decens, neque eius fidei cõsentaneũ: quin etiam neque Euangelijs conforme, vt inferius videbimus. Docuit autem expresse hanc sententiam Sedulius paulo inferius his carminibus.

Gre. Naz.

Gre. Nyss.

Sedul.

Discedat synagoga suo fuscata colore.
Ecclesiam pulcro Christus sibi iunxit amore.
Hæc est conspicuo radians in honore Mariæ,
Quæ cum clarifico semper sit nomine mater,
Semper Virgo manet. Huius se visibus adstans
Luce palam Dominus prius obtulit, vt bona mater
Grandia diuulgans miracula, quæ fuit olim
Aduenientis iter, hæc sit redeuntis & index.

Optime Anselmus de excellentia Virginis cap. 6. dicit, immensitatem gaudij, quo in hac filij apparitione Virgo perfusa est, angelis fuisse admirandam: hominibus autem inenarrabilem. Deinde vero rogat, cur Euangelistæ non narrauerint, Christũ primo ac precipue matri apparuisse. Respõdetq; primo, quia hoc videri poterat superfluum: deinde, ne viderentur Reginam Cœli, & terræ cæteris, quibus Christus apparuit, coæquare. *Spiritus (inquit) eius in illa plene, ac perfecte quiescebat, qui sibi & esse illius, & facta eius omnia luce clarius reuelabat, & Euangelistæ scriberent tũc, vel tunc talem semet illi exhibuisse?* Idem Bonauent. in meditationibus vitæ Christi. cap. 87. Tandem Rupertus lib. 7. de diuinis officijs cap. 25. ostendens antiquã traditionem, dicit, rectè â maioribus traditũ esse, vt in processionibus die Dominicæ, prima statio, & salutatio fiat ad B. Virginem. *Gestit enim (inquit) Christiana deuotio perpendere, quantus torrens gaudij repente inũdans animam eius ferro doloris confossam inebriarit, cum rediuiuus filius illi ante omnes fortasse mortales, materno Virginem non defraudans honore, victoriam suam annuntiauit.* Et infra. *Verisimile igitur matri filius resurgẽs apparuit. sed illa, vt ab initio cœperat, ita, & nunc conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Quod si iccirco verum non videtur, quia nullus Euangelistarum scriptis hoc attestatur, consequens est, quod nunquam post resurrectionem suam visus sit matri, quia quando, vel vbi apparuerit illi, nullus eorum dixit. Sed absit hoc ab illo, qui in lege sua patrem, & matrem honorare præcepit, absit, inquam, vt matrem propter se doloris gladio transuerberatam tam dura negligentia talis filius inhonorauerit. Non sic Apostolica sanctæ Romanę Ecclesiæ sensit veritas, quæ hanc beatam Ierusalem in principio lætitiæ suæ posuit.* Et infra dicit, Christum mox vt surrexit, dixisse. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Qua enim sui corporis parte altius post Christum Ecclesiæ sublimitas enituit, quam singularibus huius Reginæ Angelorũ meritis: & quo in vertice montium tantum myrrhæ, & thuris, id est, mortificationis, & orationis inueniri potuit, quãtum in huius Virginis anima, quam singulariter Dominicę passionis gladius pertransierat?* In quibus Ruperti verbis multę coniecturæ continentur ad hãc veritatem persuadendam, & ideo omnia retuli. Et ibidem respondet Rupertus ad locum Marci dicens, Euangelistas solum retulisse eas apparitiones, quæ factę sunt in testimonium veræ resurrectionis, iuxta illud Act. 10. *Dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo.* Nõ enim assumpserunt onus scribendi omnia, quæ Christus gesit, neque omnia singularia officia, quę matri exhibuit, sed ea tantum, quæ ad mysteria fidei confirmanda, & referẽda sufficere visa sunt. Cùm ergo dicitur Christus primò apparuisse Marię Magdalenæ, intelligendum est vel inter eos, qui futuri erant testes resurrectionis, de quibus Euangelistæ scribebant, vel inter eos, quibus Christus apparuit ad eorum fidem confirmandam. Quocirca in hoc numero beata Virgo non comprehenditur. Quia nec futura erat testis resurrectionis, ne ob filij amorem aliquid fingere existimaretur, neque de fide resurrectionis aliquando fuit incerta. Et ideo non propter hanc causam ei Christus primò apparuit: sed vt debitam amoris, & honoris significationem præberet. Ex quo fit, vt non solum censeamus, Virgini concessum esse hoc beneficium propter commodũ

A

B

C

Christum post resurrectionem suam apparere matri decentissimum.

Can. 4.

Rupert. Act. 10.

Bon. Rupert.

modum eius: sed etiam, quia ipsum Christum hoc maximè decebat. Tum quia vt filius, debuit singulariter honorare matrem. Tum etiam, quia cum ab ipsa maximè diligeretur, debuit etiam singularia amoris signa rependere. Vnde necesse fuit, vt hoc singulari beneficio fides, spes, & caritas Virginis in Christum plurimum crescerent, ac confirmarentur. Atque ex his facile expediuntur rationes omnes dubitandi in principio positę.

SECTIO SECVNDA.

Quæ, & quot fuerint mulieres, quibus Christus suscitatus apparuit.

INcipimus sermonem instituere, de apparitionibus, quæ ab Euangelistis narrantur, & quoniam simul scribunt de Magdalena, & aliis fœminis, oportet prius nonnulla præmittere de illarum numero, & quæ illæ fuerint declarare. Non agemus autem, quo tempore profectæ sint ad monumentum. Quoniam de hac re in superioribus disseruimus, tractantes de tempore Dominicę resurrectionis, vbi verba Euangelistarum huc spectãtia exposuimus, & in concordiam redegimus.

In hac ergo quæstione, circa numerum harum mulierum, videtur esse quædam diuersitas in Euangelistis. Nam Ioannes, solius Mariæ Magdalenæ meminit: Matthæus addidit alteram Mariam Marcus adiunxit *Salome*, & non dixit alteram Mariam: sed *Mariam Iacobi*: Tandem Lucas, prætermissa Salome, nominat *Ioannam* cum aliis duabus Mariis, & subdit verba generalia nimirum, Profectas simul *cęteras, quę cum eis erant*. Propter hęc posset aliquis suspicari, Euangelistas fuisse loquutos de diuersis fœminis, & de variis profectionibus earum, quod significauit Hieronymus verbis quibusdam generalibus Matthæi 28. & epistola 150. ad Hedibiam, quæstione 4. & 5. Vbi significat, Magdalenam prius venisse cum aliis: postea verò solam. Alij autem ê contrario (vt ibidem refert) dixerunt prius venisse solam (prout Ioannem indicare censebant) posteaverò cum aliis. Similia habet Nicephorus libro. 1. Histor. capit. 33. vbi multa alia dicit, quę probari nullo modo possunt. Omitto

Ioann. 20.
Mat. 28.
Marc. 16
Luc. 24.
Hieron.

A Ambrosium, & alios, qui dicunt, fuisse plures Magdalenas, & alteram venisse solam: alteram verò cum reliquis fœminis. Hoc enim falso niti fundamento, statim ostendemus. Quamobrem quicquid sit de aliis profectionibus, vel iteneribus ab iis mulieribus factis, postquam primo ad monumentum peruenerunt (de quibus postea dicemus) tamen quod omnes Euangelistæ incipientes narrare historiam resurrectionis, quando eas primò nominant, loquantur de eadem re, atque adeò de eisdem mulieribus; & de prima profectione earum ad monumentum certum est, & expressè id docet Hieronymus citato loco, & ex verbis Euangelistarum satis aperte constat. Ideò enim omnes commemorant iuisse mulieres valde mane, statim ac elapsa fuit nox Sabbathi: omnes etiam referunt, tunc primo vidisse lapidem sublatum. Deinde supra ostendimus, quod ad præsentem profectionem mulierum spectat omnes Euangelistas de eodem tempore, horaque esse loquutos. Præterea si prius Magdalena venit sola, & vidit lapidem sublatum, quomodo postea rediens cum aliis fœminis dicebat, *Quis reuoluet nobis lapidem?* Si verò prius venit cum aliis fœminis, & cum eis vidit lapidem sublatum: ergo statim rediit, ad id nuntiandum Apostolis, vt Ioannes narrat, ergo quoad hoc loquuntur omnes Euangelistę de eadem mulierum profectione: ergo & de eisdem mulieribus. Tandem varietas proposita nullam infert difficultatem. Nam Euangelista, qui pauciores mulieres exprimit, non excludit alias, omnes ergo, quæ ab omnibus simul connumerantur, profectę fuerunt, quanuis non omnes á singulis enumerentur.

Hieron.
B
C

Ex dicta igitur narratione saltem constat, iuisse tres mulieres, quarum nomina Euangelistę recensent, & præterea alias, quot autem illę fuerint incertum est: solumque affirmari potest, fuisse plures, cùm Lucas in plurali loquatur, dicens, *& cęterę, quę cum eis erant*. Deinde etiam est incertum an illę, quę nominatim exprimuntur, fuerint tres, vel quatuor, vel quinque. Primum, quia non constat, an illa quam Matthæus vocauit *alteram Mariam*, sit alia ab ea, quam vocarunt Marcus, & Lucas *Mariam Iacobi*. Verisimilius autem existimo, esse

Luc. 24.

eandem

eandem (vt superius dixi.) Quia cap. 27. idem Matth. cum Maria Magdalena tantum recensuit Mariam Iacobi, quam statim ibi vocauit *alteram Mariam*. Est igitur ferè euidens, eandem referri cap. 28. Rursus dubiũ est, an Ioanna, & Salome apud Lucam, & Marcum sint distinctæ personæ, vel potius eadem, quæ fortasse erat binomia, probabilius vero est, esse diuersas personas. Vna enim erat vxor Zebedæi, altera Chusæ vt dicemus. Illud etiam poterat hic dubitari, an Maria Magdalena, de qua hic loquuntur Euangelistæ, sit vna & eadem persona, vel duplex eiusdem nominis. Sed de hoc dicemus in sequenti puncto, quare hęc sufficiant de numero harum mulierum.

Mat. 27.

Quod attinet ad secundũ quæ fuerint hæ mulieres, omissis iis, quarum nomina reticentur, de quibus nihil dici potest, de Ioanna mentionem fecit Lucas capit. 8. dicens, fuisse *vxorem Chusæ procuratoris Herodis*. De Salome verò disputat. 5. sectio. 4. ostendimus, esse verisimilius illam esse, quæ in Euangelio dicitur *mater filiorum Zebedæi*, vt colligitur ex Marco 15. simul cum Matthæ. 27. & ibidem ostendimus, hanc mulierem nunquam ab Euangelistis vocari *Mariam*. Rursus de Maria Iacobi in citato loco etiam explicui, quæ fuit, & latè refutaui sententiam opinantium, hanc, vel illam, quam Matth. 1. vocauit *alteram Mariam*, fuisse Virginem beatissimam.

Marc. 15. Matth. 27.

Tota ergo difficultas reuocatur ad Mariam Magdalenam, vtrum scilicet fuerit illa, quæ in Euangelio dicitur *soror Marthæ, & Lazari*: an alia, vel vtrum fuerint plures, quæ ad monumentum Domini venerunt. Fuit enim aliquorum Patrum sententia, vt Hieronym. refert dicta quæstio. 4. ad Hedibiam, & Eusebius Cęsarien. in epistol. ad Marinum non esse eandem Magdalenam, de qua hic loquuntur Euãgelistæ. Quia Matth. refert, & idem sentit Marcus Christum apparuisse Magdalenæ, quando summo mane profecta est ad monumentum: Ioannes autem dicit post illam apparitionem perstitisse ploran tem iuxta monumentum, *quia tulerunt Dominum*. Ergo hęc nondum viderat Christum, sunt ergo diuersę. Et Eusebius addit argumentum. Quia Magdalena apud Ioãnem non est permissa tangere Christum, cum illi apparuit: apud alios autem Euangelistas permissa est illum tangere cum aliis mulieribus: non est ergo eadẽ. Deinde Marcus dicens primò apparuisse Magdalenę, addidit, *de qua ciecerat septem dæmonia*, quod non alia ratione fecisse videtur, nisi vt eam distingueret ab alia Magdalena non peccatrice, quę erat soror Lazari. Et ita has duas distingunt Clemens Papa lib. tertio Constitut. capit. sexto. Origenes tractat. trigesimo quinto in Matthę. & homil. prima in Cantic. ex iis quę Hieronymus transtulit, Chrysostomus homil. sexagesima prima in Ioan. & octuagesima prima in Matthę. Macarius Aegyptius hom. duodecima, quem refert Turrianus super Clementem, Theophylact. Marc. 14. Hieronym. & Euthy. Matth. 26. qui omnes distingunt Magdalenam peccatricem à Maria sorore Lazari, quanuis non dicant, vtriusque fieri mentionem in apparitione Resurrectionis: sed vel de hoc taceant, vel potius censeant, solam Magdalenam peccatricem esse illam, quę quęsiuit Dominum in monumento, cuique Christus apparuit. Atque hanc distinctionem, Magdalenæ peccatricis á sorore Lazari probabilem, vel dubiam relinquit Augustinus tract. quadragesimo nono in Ioannem. Sunt etiam qui pręter Mariam sororem Lazari, duas Magdalenas peccatrices fuisse opinentur, vt refert Eusebius supra, & opinatus est Photius Constantinopolitanus apud Turrianum supra. Pro qua sententia ex recentioribus scripserunt Iacobus Faber, & Iodocus Chlictoueus. Sed non est sententia probabilis, neque habet fundamentum in Euangelio, vt videbimus. Alia verò, quę distinguit Magdalenam à Maria sorore Lazari, est fortasse vtcunque probabilis: non est tamen prędsenti instituto necessaria, nec simpliciter vera.

Clem. Pa. *Origen.* *Chryso.* *Macari.* *Turrian.* *Theophyl.* *Hierony.* *Euthym.* *Aug.* *Euse.* *Photius Constanti.* *Turrian.* *Iac. Fabe.* *Iodoc. Chlictou.*

Dub. de Maria Magdalena.

Hieron.

Euf. Cęf.

Dicendum itaque primò est, vnam solam esse Mariam Magdalenam, de qua Euangelistæ loquuntur in apparitionibus Resurrectionis. Hęc est sententia, omnium Patrum, & expositorum super Euangelia, & in aliis locis, quę statim referam Hieronymus autem, & Eusebius licet contrariã opinionem referant, non tamen probant. Et probatur de Euangelio Ioannis, nam de cęteris, neque est vlla difficultas, neque vllus in controuersiam id adduxit. Et primum,

quod Ioannes in suo contextu de vna, & eadem Maria Magdalena loquatur, patet. Quia cùm prius dixisset, Mariã Magdalenã venisse in monumentũ, & viso lapide sublato vocasse Petrũ, & Ioãnẽ eosq; venisse, posteaq; recessisse, subdit, *Maria autẽ stabat, &c.* Quibus verbis manifestè facit relationem ad eam Mariam, de qua prius meminerat. De qua quoque postea concludit, *Venit Maria Magdalena annuntians Discipulis, &c.* Loquitur ergo manifestè de eadẽ muliere, neque aliud fingi potest sine magna æquiuocatione, & corruptione contextus. Neque contra hoc obstat difficultas, quam supra tetigit Hieronymus. Assumit enim fasum, scilicet Magdalenam in prima profectione ad monumẽtum, Christum dominum suscitatum vidisse. Id enim neque ex Ioanne, neque ex aliis Euangelistis colligitur, vt in sequentibus ostendemus. Deinde, quòd Ioannes de eadem loquatur, de qua cæteri Euangelistæ, constat, primo ex identitate nominis. Hęc enim coniectura non est cõtemnenda, quando nihil est, quod cogat ad distinguendas personas, & pręsertim in narratione eiusdem historiæ, eodem tempore, & de eodem facto. Quod autem in præsenti nihil sit, quod cogat, patet. Quia solum potest fieri argumẽtum supra propositum ex Eusebio. Illud autem facilê expedit Hieronymus dicta quæstio. 4. ad Hedibiam, & epistol. 148. ad Marcellã, & Eusebius supra, quem refert Anastasius Nicenus lib. quæstionum in scripturam quæstio. 90. Dicunt igitur, illas duas apparitiones fuisse diuersas, & in priori reiectam esse Magdalenam, vt incredulam, seu in fide imperfectam: in posteriori verò, vel eandem Magdalenam iam in fide corroboratam, vel alias mulieres iam credentes permissas esse Christum tangere. Quæ responsio (quod ad fidem historiæ attinet) est verissima, quoad rationem verò, quam reddit de facto Christi, alia fortasse est magis literalis, quæ omnia in sequentibus latius constabunt. Nulla igitur est illa coniectura. Aliunde verò, ex contextu Ioannis colligitur, in principio cap. 20. aperte loqui de prima profectione mulierum ad monumentum, de qua loquuntur alij Euangelistæ, vt supra etiam notauimus. Deinde probabiliter ex eo colligitur, Christum primò apparuisse Magdalenæ, sicut Marcus affirmat, & infra videbimus: signum ergo est, vtrumque de eadem loqui.

Ionn. 20. Maria Magdalena, de qua in apparitionibus, resurrectionis euangelium loquitur vna, nõ plures.

Hieron.

Anas. Ni.

Secundo dicendum est, hanc Mariam Magdalenam, cui Christus primo apparuit, fuisse sororem Lazari. Hanc sententiam existimo longe probabiliorem: probanda verò est ex duobus principiis. Primum est, hanc Magdalenam, cui Christus primò apparuit, fuisse mulierem peccatricem, quæ illius pedes vnxerat Luc. 7. Quod Patres colligũt ex illis verbis Marc. *De qua septem dæmonia eiecerat*, per quę omnia genera peccatorum intelligunt, ita, vt sensus sit, Christum liberasse illam ab omnibus vitiis, & peccatis, quibus erat irretita, vt exponit Gregorius homil. 33. in Euangel. Hieronym. in Marcum, qui idem sentit dicta epistola 148. Theophylact. Marci 17. & Luc. 8. & Beda lib. 4. in Marcum, & lib. 3. in Lucam capit. 29. vbi notat, hanc Mariam Magdalenam, cuius etiam fecit mentionem Lucas capit. 8. esse illam peccatricem, de qua tacito nomine loquitur idem Lucas capit. 7. Dices, ex prædictis verbis hoc non suficienter probari. Quia ille sensus non est literalis, sed spiritualis. Neque enim videtur negandum, quin ille locus ad literam intelligendus sit de dæmonibus, qui corporaliter illam vexabant, siue septenarius numerus proprie, & in rigore sumatur, siue intelligatur definitus numerus positus pro indefinito. Nam Lucas capit. 8. dicit, *De qua septem dæmonia exierant*, cuius verbi vis apertius indicat, vere exiuisse dęmonia ab illa, maximè quia Lucas paulò ante narrat, quod sequebantur Christum mulieres aliquæ, *Quę erant curatæ ab spiritibus malignis*. Quod necesse est, intelligi de liberatione à vexatione corporali malorum spirituum. Denique quandocunque in Euangelio narratur, Christum eiecisse dæmonem ab aliquo, non refertur verbis magis propriis, quàm quod expulit dęmonem. *Dæmon* enim proprie non significat peccatum: sed spiritum immundum, ergo cum eadem proprietate sunt intelligenda prędicta verba Marci, cum sermo sit historicus, & nihil sit, quod ad metaphoricam interpretationem cogat. Ita exponit Tertullianus libr. de anima, capit. 25. vbi, cũ dixisset plures spiritus, seu dęmones posse esse intra idẽ corpus hominis, exẽplũ ponit in Magdalena, & in Geraseno. Et idẽ sentit Ambr. lib. de Salomo. c. 5. vbi

Gre. Hieron. Theo. Bed. Lu. 7. et 8

Maria Magdalena a Dæmonib⁹ liberata.

Tertul.

Amb.

vbi recensens Christi miracula, inquit, *Dũ surdis insinuat auditum, dum largum sanguinis fluxum siccat in Martha, dum dæmones pellit ex Maria.* Quem locum notauit Iansenius cap. 55. Concordiæ, vbi eandem sententiã docet, quam etiam insinuat Euthymi. & Theophyl. Qua expositione suppositа, ex eo, quòd Christus eiecerit septem dæmonia ab hac muliere, non potest colligi, illam fuisse peccatricẽ. Nam (vt inquit Serenus apud Cassian. collat. 7. ca. 25.) *Corporaliter traditos Satanæ, etiam viros sanctos nouimus pro leuissimis quibusque delictis.* Cuius rei exemplum mirabile refert de Mose Abbate cap. 27. vnde concludit cap. 28. *Ex quo manifestè perpenditur, non deberi eos abominari, vel despici, quos videmus istis nequitiæ spiritibus tradi.* Ergo non possumus iudicare, hãc mulierem fuisse peccatricem, præsertim publicam, & famosam, qualem eam depingit Lucas cap. 7. eó. quòd ab ea septem dæmonia exierint. Respondeo, argumentum concludere ex sola scriptura non posse conuinci hanc Magdalenam, (cuius meminit Lucas cap. 8.) fuisse illã peccatricem mulierem, de qua loquitur idem ipse cap. 7. Sed nihilominus non solum ex probabili coniectura, sed etiam ex traditione Ecclesiæ, & communi Patrum expositione dicendum est, esse eandem. Coniectura est. Quia licet interdum permittat Deus, iustum vexari corporaliter à dæmone: tamen frequentius id fit in pœnam peccati, & præsertim quando est tam acerba vexatio, vt non solum vni, sed multitudini dæmonum homo tradatur, & huiusmodi censentur ferè semper fuisse illi, quos Christus à dæmonum vexatione liberabat. Hinc ergo intellectum est, hanc fœminam referri vexatã à septem, seu multis dæmonibus propter multa flagitia, quibus implicata fuerat. Intellectum est etiã, non sine mysterio Lucam, & Marcum septenarium numerum dæmonum indicasse, vt simul alludant ad septem vitia capitalia quibus vniuersitas peccatorum comprehenditur. Atque ita licet concedamus posteriorem sensum literalem, non tamen excludendum censemus priorem, vel simul literalem, vel certè spiritualem ab Spiritu sancto intentum, & à sanctis Patribus explicatum, & ab Ecclesia susceptum, quæ in officio Magdalenæ sic canit.

Lauda mater Ecclesia,
Lauda Christi clementiam,
Qui septem purgat vitia,
Per septiformem gratiam.

Iansen. Euthym. Theophyl, Cassian.

Luc. 7.

Homines vexari a Dæmone cur permittit Deus.

Postea verò in eodẽ hymo dicitur, hanc mulierem fuisse illam peccatricẽ, quę vnxit pedes Domini: & ita simul cõflat hãc esse Ecclesię opinionem. Quã esse traditã à Sanctis Patribus ex iis, quæ adduximus in priori sensu verborum Marci constat.

Secundum principium est, mulierẽ illam peccatricem, quæ Luc. 7. vnxit pedes Domini, & capillis suis tersit, fuisse Mariam sororẽ Lazari. Hoc videtur apertè probari ex Ioan. 11. cap. vbi loquens de Maria sorore Lazari interponit hæc verba, *Maria autem erat, quæ vnxit pedes Domini, & tersit capillis suis.* Vt enim notauit Aug. lib. 2. de consens. Euang. c. 79. apertè loquitur Ioannes de vnctione Domini facta in domo Pharisęi, quam refert Lucas c. 7. Quia nõ potest loqui de alia, quæ facta est paũlo ante passionem, quã idem Ioan. refert c. 12. Illa enim facta est post Lazarũ mortuum, & suscitatum: hæc verò antea facta refertur. Et eadem ratione nõ potest loqui Ioannes de alia vnctione, quam referunt Matt. c. 26. & Marc. 14. Nam hæc vel est eadem cum illa, quæ narratur Ioannis. 12. cap. vel posterior illa, vt dicemus. Responderi vero potest, Ioannẽ loquutum esse in illo, c. 11. per anticipationẽ de illa vnctione, quam postea narrat c. 12. loqui autem de illa vt præterita respectu tẽporis, in quo scribebat, non vero respectu temporis, in quo res gesta est, quã narrare incipiebat. Ita eluśit hoc testimoniũ Iacobus Faber, & probat Iansenius c. 48. quanuis alias á Fabri sentẽtia dissideat. Sed nihilominus verba Ioannis non parum vrgent. Primo quia notarũt ij, qui accuratè Ioannẽ exposuerunt, illũ semper obseruare seriẽ historiæ, & nunquã narrare vt præterita ea, quę postea sunt gesta. Vnde, cùm alij Euangelistæ mentionẽ faciẽtes de Iuda, addere soleant, *qui tradidit eum*, etiam si ante tempus passionis loquantur: Ioannes tamẽ semper dicit, *qui erat eum traditurus*. Secundo quia (vt Caietanus argumẽtatur) nulla erat ibi occasio anticipandi historiã c. sequenti referendam. Quia iam satis cõstabat, de qua Maria loqueretur, scilicet de sorore Lazari, & Marthæ. Ergo ne frustra fecerit mentionem illius vnctionis, dicendum certè est, non esse loquutum de vnctione, quæ postea narrata est, sed de alia, quæ præcesserat. Tertio in ipsis verbis indicat non

Mulier peccatrix, quę in Pharisæi domo Christi pedes vnxit, Maria soror Lazari.

Luc. 7. Ioann. 11. Aug. Ioan. 12.

Mat. 26. Marc. 14

Euasio. Iacob. Fab. Iansen.

Responsio

Caietan.

obscurè voluisse attingere historiam, quã Lucas fusè narrauerat, quæque eo tempore, quo Ioannes scribebat, iam erat satis nota fidelibus: quia vero Lucas non expresserat nomẽ illius mulieris, hoc ipsum addere voluisse. Quartò rectè aduertit Ianſenius, ex iis verbis Ioannis colligi solam hanc Mariam vnxisse pedes Christi, *& capillis capitis sui terſisse.* Quia si plures hoc fecissent, non satis indicasset Ioannes
Hym.Ecc. mulierẽ, de qua loquebatur. Quinto, hanc sententiam Ecclesia amplexa est in prædicto hymno dicens.

Maria soror Lazari,
Quæ tot comisit crimina,
Ab ipsa fauce Tartari
Venit ad vitę limina,
Ægra currit ad medicum,
Vas ferens aromaticum.

Et in toto officio illius diei sæpe hoc repetitur. Sexto hæc est sententia multorũ
Aug. Patrum, Augustini supra, & Gregor. hom.
Gre. 25. & 33. in Euangelia, & lib. 6. epist. cap.
Bed. 186. epistola 22. Bedæ libr. 3. in Lucam c.
Ambros. 28. Innocen. lib. 2. de mysteriis c. 57. Idem
Inno. sentit Ambros. dicto libro de Salomone
Origen. c. 5. quanuis lib. 7. in Lucam, circa hoc dubius esse videatur. Et in eadem sententia est Origenes in homilia celebri de Maria Magdalena.

Maria Magdalenacui primo Christus apparuit, soror Lazari.

Ex his ergo concluditur assertio posita. Illa enim Maria Magdalena, cui Christus apparuit post resurrectionem, fuit illa peccatrix, quæ vnxit pedes eius: sed illa eadem fuit soror Lazari, ergo illa, cui Christus apparuit, fuit Maria soror Lazari. Et confirmari potest. Nam eadem Maria fuit, quæ venit summo manè ad monumentũ, & cui Christus paulò
Ioann. 2. post primò apparuit, vt constat ex Ioanne 20. sed illa, quæ iuit ad monumentum ad vngendum corpus Domini, fuit Maria soror Lazari: ergo illa eadem est, cui primò Christus apparuit. Minor colligi po-
Ioann. test ex illis verbis Ioan. 12. *Sinite illam,* (id est, Mariam sororẽ Lazari) *vt in diem sepulturæ meæ seruet illud.* Quibus verbis indicauit Christus, illam Mariam aliquàndo desideraturam vngere corpus suum sepultum, & tunc fecisse, quòd postea futurum non erat in ipsius potestate. Confirmatur secundo ex Ecclesiæ autoritate,
Hym.Eccl. quæ idem affirmat in prædicto hymno dicens.

Surgentem cum victoria
Iesum videt ab inferis,
Prima meretur gaudia
Quæ plus amabat cæteris.

Et idem affirmant Patres paulò ante citati, & in sequenti illatione amplius confirmabitur.

Maria Magdalena soror Lazari.

Ex dictis infertur, vnam, & eandem esse mulierem, quæ in Euangelio (tacito nomine) dicitur vnxisse Christum viuentẽ, & quæ alibi vocatur Maria Magdalena, à qua Dominus septem dæmonia eiecit, alibi vero dicitur Maria soror Lazari. Hoc sequitur euidenter ex dictis. Ostendimus enim in omnibus illis locis Euangelij de eadem persona esse sermonem, & hoc plane profitetur Ecclesia in prædicto officio de Maria Magdalena. Quod argumen
Roffens. tum (vt benè notauit Roffensis in opuscu
Mat. 29. lo, quod edidit in defensionem huius sen
Marc. 14. tentiæ) optimè roboratur ex verbis Christi Matth. 26. & Marc. 14. *Amen dico vobis, vbicunque prędicatum fuerit Euangelium hoc in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.* Vbi Christus prædicit eam mulierem prædicandam, & laudandam semper fore in Ecclesia propter illud factũ: sed Ecclesia tribuit illud factũ peccatrici mulieri, de qua septem dæmonia exierunt: ergo illa eadem est soror Lazari. Præterea accedit coniectura, nam de peccatrice illa, cuius nomen reticetur, dixit Christus, *quoniam dilexit multum.* Luc. 7. de Maria ve-
Luc. 7. ro sorore Lazari, quòd *optimam partem*
Luc. 10. *elegit*, id est, eiusdem Christi amorem, quo fruebatur, & in eo crescebat, quando *sedẽs secus pedes eius audiebat verbum illius.* Illa verò Maria Magdalena, *a qua septem dæmonia exierant*, hoc Christi amore flagrans ad
Hy. Eccle. monumentum ibat, redibatque, stabat, ac flebat ob illius desiderium. Propter quod (vt Ecclesia canit) *Prima meruit gaudia, quę plus amabat cæteris.* Ergo signum est, fuisse hanc vnam, & eandẽ personam. Tandem fauet antiqua historia traditione Maiorũ recepta apud Massilienses, apud quos Maria soror Lazari cum fratribus suis vixisse fertur vsque ad mortẽ, & in sepulcro eius
Titulus in sepulcro Magdalenę inscriptus. inscriptum esse dicitur, fuisse mulierem illam peccatricem, quę postea sedit plorãs ad sepulcrũ Domini. Et hoc creditur fuisse scriptum iussu Maximini vnius ex 70. discipulis, qui fuit comes Lazari, & sororũ eius, vt refert Segebertus in libro de
Segebert. vna Magdalena, quem ante quingentos annos scripsit. Et hæc est sententia omnium

nium Patrũ, quos paulò ante retuli. Quibus addi potest Hieronymus epistol. 150. ad quartam quæstionem, quatenus dicit, in Euangelio quatuor Marias tantum reperiri. Vna est mater Domini, altera Maria Iacobi, & Ioseph, tertia Maria Cleophæ, quarta Maria Magdalena. Oportuisset autem addere quintam, si Maria soror Lazari esset distincta à Magdalena. Et in prœmio super Oseam, dicit, eandem esse mulierem peccatricem, quæ vnxit pedes Domini, & pro qua Dominus respondit proditori aduersus eam murmuranti. Bernard. sermo. de Maria Magdalena, Beda & Rupert. Ioan. 11. & sanctus Thom. & ferè omnes alij catholici expositores.

Hieronym. *Bernard.* *Bed.* *Rupert.* *D. Thom.*

Ad rationem dubitandi, sumptam ex verbis Marci respondetur, Marcum non addidisse illa verba, *De qua septem Dæmonia ejecerat*, vt hanc Mariam Magdalenam ab alia fœmina eiusdem nominis distingueret: sed, vt narraret aliquid, quod à Matth. fuerat prætermissum, itemque vt efficaciam gratiæ Christi commendaret. *Quia vbi abundauerat delictum, tanta superabundauit, & gratia*, vt illa peccatrix mulier prima esse meruerit, quæ Christum resurgentem vidit.

Rom. 5.

1. *Obiecti.* Solent tamen nonnulla contra propositam sententiam obiici, quæ breuiter proponere oportet, & expedire. Primum est quia non videtur credibile, Mariam sororem Lazari fœminam nobilem, & honoratam (vt ex Ioan. 11. colligitur) fuisse publicam meretricem, aut famosam peccatricem, cuius historia narratur Luc. 7.

Secunda. Secunda est, quia difficile etiam creditu est, Christum admisisse ad tantam amicitiam, & familiaritatem famosam mulierem peccatricem. Tertia, quia Maria Magdalena, de qua fit mentio Luc. 8. erat Galilæa, vt ex Matth. 27. & Marc. 15. colligitur, illis verbis. *Erant autem ibi mulieres, quæ secutæ erãt Iesum a Galilæa ministrantes ei, inter quas erat Maria Magdalena, &c.* At verò Maria soror Lazari erat ex Bethania propè Ierusalem, vt patet Ioan. 11. Vnde hæc soror Lazari nunquam in Euangelio vocatur *Magdalena*, sed tantum *Maria*: alia verò Galilæa, vocatur *Maria Magdalena*, & creditur sic nominata á Magdalo, seu Magda ciuitate Galileæ. Sic enim refert Epiphanius Præsbyter in vita Virginis Mariæ, Christum in ciuitate Magdà exceptum fuisse à Maria muliere diuite, & nobili, vt Turrianus commemorat super citatum locum Clementis. Quarta, quia mulier quæ Matth. 26. & Mar. 14. vnxit Christum non potuit esse Maria soror Lazari, quæ vnxit illũ Ioan. 12. Quia hæc vnxit Christum in domo sua, vel fratris sui, vt colligitur ex eo, quòd *Martha in illa cœna ministrabat*: non est autem credibile ministrasse in aliena domo: alia vero mulier vnxit Christum in domo Simonis leprosi. Deinde Maria vnxit pedes, illa caput. Rursus Maria ante sex dies Paschæ, alia biduo ante Pascha.

Ioann. 11. *Mat. 27.* *Marc. 15.* *Ioann. 11.* *Epi. præf.* *Turrian.* *Quarta.* *Matth. 26* *Marc. 14.* *Ioann. 12.*

Ad primam in primis dicitur, argumentum commune esse vtrique sententiæ. Nam etiam illi, qui putant, Mariam peccatricem fuisse è Galilæa, referunt fuisse diuitem, & nobilem, vt paulo ante dicebam. Deinde nihil est, quòd nos cogat fateri, Lazari familiam fuisse valde nobilem, ac locupletem. Omnia enim (quæ narrantur Ioan. 11.) potuerunt accidere in personis mediocris status, & conditionis. Ad hæc, neque est nouum, neque inusitatum, interdum nobiles fœminas esse infames, & impudicissimas, de qua re possent multa ex historiis referri: sed non oportet in hoc immorari. Tandem, non est cur existimemus, Magdalenã fuisse publicam meretricem, seu scortum. Quod enim Luc. 7. dicitur. *Quæ erat in ciuitate peccatrix*, non est ita accipiendum, vt sit sensus, in tota ciuitate habitam fuisse, & existimatam peccatricem: sed solum mulierem quandam peccatricem, quæ in illa ciuitate aderat, accessisse ad vngendũ Christum, sic enim ad literam habent Græca. *Et ecce mulier existens in illa ciuitate, quæ erat peccatrix*. Ex iis ergo verbis non potest colligi, fuisse publicum scortum: sed ad summum fuisse iuxta suum statum, & conditionem impudicam, nimiumque deliciis deditam.

Ioann. 11. *Responsio ad primam obiectionẽ* *Marię Magdalenæ status, & conditio.*

Ad secundam fere respondit Christus Pharisæo dicenti. *Hic si esset Propheta, sciret, quę, & qualis sit mulier, quæ tangit pedes eius, quia peccatrix est.* Itaq; Christus nõ admisit illam nisi post insignẽ, ac publicã pœnitentiam, vitæque emendationem. Vnde benè notat Iansenius, capite 55. ex Roffensi, illam fœminam paulatim fuisse à Christo, & malis liberatam, & cumulatam bonis. Cùm enim esset à Dæmonibus obsessa prius corporaliter libe-

Ad 2. Luc. 7. *Iansen.* *Roffens.*

rata est ab eorum vexatione, & deinde cepit peccata sua agnoscere, & lacrymis delere, & tunc accessit ad Christum publica præbens pœnitentiæ, caritatis, & gratitudinis signa: postea verò impetrata criminum venia Christo adhæsit, eumque sequuta est, opes suas in eius obsequium impendens. Ac tandem post magnam veteris vitæ mutationem, & sanctitatis studium meritò insignia beneficia, & singularis amoris signa à Christo accepit.

Ad tertiam Ad tertium respondetur, ex Marco, & Matthæo solum posse colligi, Magdalenam fuisse in Galilæa, quando Christus ibi prædicabat, eique ministrasse. Vnde non fit, illam fuisse Galilæam. Quanquam enim fuerit in Bethania orta, potuit variis ex causis in Galilæam migrare. Primò, desiderio videndi Christum, & maximè, vt á Dæmonibus, à quibus vexabatur, eius virtute liberaretur. Deinde, quia propter liberè viuēdi licentiam, fortasse propria domo relicta, in Galilæam diuerterat. Denique Iansenius capite. 55. Concordiæ, & Ioannes Suarez, tractat. 97. in Lucam referunt, Magdalenam nupsisse in Galilęa viro, cuius erat Castellum nomine *Magdalum*, indeque cognomen accepisse: postea verò, facto diuortio, in eadem prouincia vixisse liberius, donec in aliqua ciuitate eiusdē prouinciæ (vt ex Luc. 7. colligitur) à Christo corpore, & animo sanata est, quem postea in Iudeam est sequuta, fratribusque suis reddidit familiarem: quæ omnia Ioannes Suarez refert, se legisse in Bethlehem, in quadam historia antiqua, quam Christiani, & religiosi ibi habitantes, ex maiorum traditione, veram esse asseuerabant.

Iansen. Ioan. Sua.

Luc. 7.

Ad quartā Ad quartam in primis licet omnia concedamus, quæ in illa sumuntur, solū concludunt, illas vnctiones fuisse diuersas: nō tamen mulierem, quæ Christum vnxit. Constat enim vnctiones (quæ referuntur Luc. 7. & Ioan. 12.) fuisse distinctas: atqui nos ostendimus, eandem esse mulierem, quæ vtrobique Christum vnxit, sicut ergo bis vnxit, potuit etiam ter, prout Innocen. citato loco opinatur. Secundo dicitur, nihil esse, quod nos cogat, vt fateamur, illas vnctiones fuisse diuersas: quin potius verisimiliuseſt fuisse eandem, vt alij autores supracitati pro nostra sententia docent. Patetque ex magna conuenientia feré in omnibus circunstantiis. Vtraque enim facta est in Bethania, propè Pascha: & in vtraque indignati sunt discipuli, & fere eisdem verbis à Christo sunt reprehensi, quod non est verisimile, bis tam breui tempore accidisse. Neque diuersitas, quæ est in narratione, satis indicat rei diuersitatem. Nam, quod ad domum attinet, potuit esse eadem domus Simonis, & Lazari, præsertim si verum est, quod refert Nicephorus libr. 1. capit. 27. Simonem fuisse patrem Lazari. Et licet demus, domum fuisse distinctam, potuit esse tam vicina, & Simon ipse tam familiaris, & consanguineus Marthę, & Marię, vt in ea Martha ministraret: præsertim cum non tam propter necessitatem, quàm propter amorem, & deuotionem ministraret. Deinde, quòd vnus Euangelista referat, Mariam vnxisse pedes, alius caput, non sunt contraria, potuit enim vtrumque fieri, & vnus referre, quod alter omiserat. Et ita verisimile est (quod Augustinus notauit libro. 2. de consen. Euangelistarum capit. 79.) prius copiosè vnxisse, & tersisse pedes, postea vero *fracto alabastro* (vt Marc. dicit) quod reliquum erat super caput effudisse. Nec dissimile est, quod Matth. & Marcus generaliter dicunt, discipulos fuisse indignatos. Ioannes autem solum Iudæ hoc attribuit. Nam præterquam quòd (iuxta scripturę phrasim) potuit à Matthæo & Marco plurale pro singulari poni: fieri etiam potest, vt Iudas murmurare inceperit: postea vero alij eum sint imitati, vt notant Augustinus, Hieronym. & Chrysostom. super hęc loca. Tandem in scribendo tempore, seu die huius vnctionis Ioannes (vt de more eum habere diximus) ordinem historię tenuit, & ita reuera illa vnctio ante sex dies Paschę facta est: alij autem Euangelistę, nunquam dixerunt, esse factam biduo ante Pascha: sed cum dixissent, illo biduo ante Pascha fuisse sacerdotes, & scribas congregatos, vt Christum comprehenderent: volentes explicare nouam occasionem, quam illis diebus habuerant ex indignatione, & traditione Iudę, per recapitulationem inseruerunt hanc historiam, quę paulò ante præcesserat, quoniam ex ea sumpsit Iudas occasionem vendendi Christum. Est igitur verius, vnctionem fuisse eandē, certius

Nicephor.

Aug. Hieron. Chrysost.

Luc 7. Ioan. 12. Cœna in Bethania a Christo ante passionē facta, quæ, & quotuplex,

certiusq; est, vnam tantum fuisse Mariam Magdalenam sororem Lazari, cui Christus primo suscitatus apparuit.

SECTIO TERTIA.

Quo ordine, & modo Christus suscitatus Mariæ Magdalenæ, & aliis mulieribus apparuerit.

DVO sunt, quę in hac re explicanda difficultatem habent. Primum est, an Christus primò apparuerit soli Magdalenæ, vel simul cum cęteris mulieribus. Ratio dubitandi est, quia hoc posterius multum insinuatur Matthæ. vltimo, vbi dicitur, Magdalenam cum altera Maria venisse in sepulcrũ, & statim subditur, *& ecce terræmotus factus est magnus*, vbi illa particula, *& ecce*, aperte significat statim in ipso primo accessu mulierum hoc accidisse. Et paulo inferius eodem cõtextu, & narationis serie, dicitur, *Et ecce Iesus occurrit illis.* Et cõfirmatur. Nã licet Ioannes solius Magdalenæ mentionem faciat: tamen non excludit alias mulieres: quin potius, si illa narratio cum alijs Euangelistis conferatur, non videntur potuisse abesse alię mulieres à monumẽto. Quia post illam apparitionem redibant simul omnes illæ fœminæ. Vnde Augustin. libro tertio de consen. Euangel. capite vigesimo quarto affirmans apparitionem illam, quã narrat Ioannes, fuisse omnium primam, dicit ibi affuisse omnes fœminas. E contra autem Hieronym. quæst. 5. ad Hedibiam existimat quidem, primam apparitionem omnibus esse factam, hanc tamen esse, quam narrat Matth. & idem sentit Theophyl. Matthæ. 28. & Euthym. capite 68. super Matthæ. & capite 48. super Marcum, & addit, Marcum, cum dicit, primo apparuisse Mariæ Magdalenæ, non excludere alias, sed subintelligere potius. *Frequenti enim* (inquit) *in vsu est apud Euangelistas per personam, quæ insignior est, eam etiã intelligere, quæ minus nota est.* Et hinc insinuatur secunda dubitatio proposita, scilicet, an Christus bis apparuerit Magdalenæ, sed mel illi soli iuxta sepulcrum, & iterum in via simul cum alijs mulieribus. Nam quod ita factum sit, indicant Matthæ. & Ioan. Aliunde verò obstat. Nam quæro, quænam harum apparitionum fuerit prior? Si illa, quam Matth. narrat, factam esse mulieribus in via, quomodo postea Magdalena plorabat iuxta sepulcrum eò, quòd corpus Domini esset sublatum? Si vero fuit prior ea, quam narrat Ioannes, quomodo postea ibat Magdalena cum alijs mulieribus, cum iam sola mansisset? Quomodo etiam permissa est tãgere, quod illi parum ante negatum erat?

Mariæ Magdalenę post resurrectionem primo omniũ Christus apparet.

Dicendum tamen est primò, Christum dominum primò apparuisse soli Magdalenæ non solum ante alios discipulos: sed etiam ante alias fœminas. Hæc est communis sententia Sanctorum ferè omniũ, quos retuli in præcedenti sectione, & Ecclesiæ, quæ sic canit de Maria Magdalena *Hym. Eccl. Marc. 16.*

Prima meretur gaudia,
Quę plus amabat cęteris.

Et merito verba Marci ita intellecta sunt. Vix enim clarius potuit id asserere. Postquam enim de mulieribus sermonem fecit, & narrauit ea, quæ eis simul acciderũt, sermonem conuertit ad solam Magdalenam, dicens, illi *primo* apparuisse. Et huic consonat narratio Ioannis, qui ex professo refert, hanc apparitionem factam soli Mariæ Magdalenæ, quando alijs abeuntibus ipsa *stabat ad monumentum foris plorans*. Vt autem hoc apertius comprobetur, explicemus ordinem, quo, iuxta contextum omnium Euangelistarum, intelligi potest hoc accidisse. *Ioann. 20.*

Primo enim omnes illæ fœminæ venerunt simul ad monumentum, audierunt terræmotum, viderunt lapidem sublatum. An vero tunc omnes illæ Angelos viderint, & audierint definiri non facile potest. Quia (vt Ioannes narrat) postquam Magdalena vidit lapidem sublatum cucurrit ad Petrum, & Ioannem dicens, *Tulerunt Dominum, & nescimus, vbi posuerunt eum.* Si autem iam vidisset Angelos annũtiantes eum viuere, potius hæc Apostolis narraret. Qua propter Augustinus libro tertio de consensu Euangelistarum capite 24. significat, Magdalenam tunc nec vidisse, nec audiuisse Angelos: sic enim ait. *Vt vidit lapidem sublatum a monumento, antequam aliquid diligentius inspiceret, non dubitans ablatum inde esse corpus Iesu, cucurrit, (sicut dicit idem Ioannes) & nuntiauit Petro, atq; ipsi Ioanni.)* Idem sentit Chrysost. homilia 84. in Ioan. illis verbis, *Neque intrauit, neque introspexit.* Quod si verum est, facilè expeditur secunda difficultas posita. *Ioann. 20.*

Oritur vero alia non minor, quando scilicet

Matth. 28

Aug.

Hieron. Theophyl. Euthym.

Aug. Chryſ.

scilicet intelligendum sit, apparuisse & loquutum fuisse cum mulieribus Angelum illum, cuius Marcus, & Matthæus meminerunt, vel duos, de quibus scribit Lucas. Nam, si dicamus, solam Magdalenam cucurrisse ad nuntiādum Petro, & Ioanni: alias vero fœminas interim ingressas esse sepulcrum, & vidisse, atque audiuisse Angelos, obstat, euidenter Lucas Euangelista, qui, postquā narrauit hāc apparitionem Angelorum, & cætera, quæ acciderant mulieribus, protinus subdit.

Luc. 24. *Erat autem Maria Magdalena, & Ioanna, &*
Matth. 28 *Maria Iacobi, & cæteræ, quæ cum eis erant,*
Marc. 16. *quæ dicebant ad Apostolos hæc.* Cum quo consonant Matthæus & Marcus. Nam cū dixissent, venisse Magdalenam, & alias fœminas, semper in sequentibus de eis loquuntur, dicentes. *Viderunt iuuenem, qui dicit illis: at illę exeuntes, fugerunt.* Quæ omnia ad omnes fœminas, prius nominatas apertè referuntur. Si autem dicamus, omnes illas fœminas viso lapide sublato statim rediisse ad Apostolos, & non vidisse Angelos, donec postea reuersæ cum Petro, & Ioanne iterum manserunt circa sepulchrum, quando abeuntibus Petro, & Ioanne Maria remansit plorans, (quem
Aug. modum Augus. supra significat.) Contra hoc etiam obstat, quia tunc Maria remāsit sola, & vidit Dominum: at verò apparitio Angelorum, quam narrant alij Euangelistæ, euidenter facta est ante omnem Christi apparitionem, vt ex verbis ipsorum Angelorum constat.

Circa hoc, Augustinus significat, abeuntibus Petro, & Ioanne non mansisse solam Magdalenam: sed cum aliis mulieribus, & tunc eis apparuisse Angelos quorum fit mentio tum à Ioanne, tùm â reliquis Euangelistis. Vnde etiam sentit, quando Christus primò apparuit Mariæ Magdalenæ, ibi affuisse alias fœminas. Loquens enim de Magdalena, quæ iam viderat Dominum, cumeoque sermonem habuerat, subdit, *Tunc egressa est a monumento, hoc est abillo loco vbi erat horti spatium ante lapidem effossum, & cum illa alię, quas secundum Marcum inuaserat tremor, & pauor.* Dici vero potest, Christum apparuisse Magdalenæ, præsentibus aliis mulieribus illis nihil videntibus. Sed hoc difficile creditu est. Nam licet corpus glorioſum tantum videatur, á quibus vult, tamen verba Magdalenæ, & externus motus, quo procidit ante Christum, vt pedes eius complecteretur, quando ei Christus dixit, *Noli me tangere*, hæc, inquam, sine speciali miraculo non poterant latere alias mulieres. Deinde ex mutuo sermone inter Christum, & Magdalenam non obscurè colligitur, illam tunc fuisse solam. Et idem videtur de apparitione Angelorum facta Magdalenæ, quam narrat Ioannes. Dixerunt enim illi, *Mulier quid ploras?* Illa verò respondit, *Tulerunt Dominum meum, & nescio, vbi posuerunt eum.* Vbi iam non in plurali loquitur, sicut Apostolis dixerat, *Nescimus*, sed in singulari, nescio, quia sola aderat, & similiter dixit ad Christum, *Licito mihi, & ego eum tollam.* Ioann. 20.

Quidam igitur ex recentioribus, sequentes Augustinum in eo, quod asserit Magdalenam, viso lapide sublato, reuersam esse ante visionem Angeli, dicunt Magdalenam non affuisse, quando fœminæ viderunt Angelum sedentem, super lapidem (vt narrat Matthæus) neque quando introeuntes in monumentum viderunt iuuenem sedentem in dextris, vt narrat Marcus. Itaque iuxta hanc sententiam, cùm primum mulieres peruenerunt ad monumentum, & viderunt lapidem sublatum, Magdalena sola cucurrit ad Apostolos: aliæ vero iuxta sepulcrum manserunt, & interim prædictos Angelos viderunt, & timore perculsę exierunt de monumento. Quo tempore ad illud peruenerunt Petrus, & Ioannes vnà cum Magdalena, & acciderunt, quæ Ioannes narrat, quæ postea texemus. Quæ sententia quoad hanc partem est probabilis.

Quia nihil est in Euangelio, quod ei repugnet apertè: tamen non est necessaria, neque habet fundamentum in Euangelio. Primum quia sicut Ioannes narrans reditum solius Magdalenæ ad Apostolos, illam tantum nominat: ita etiam narrando primam profectionem ad sepulcrū, illius tantum meminit: sed hinc non rectè colligitur, illam solam iuisse ad sepulcrum ergo neque potest colligi, illam solam rediisse ad Apostolos. Deinde (vt demus solam rediisse) vnde constat, reliquas fœminas interim Angelos vidisse? Fieri enim potuit, vt perseuerarent circa monumentum solum expectando reditum Magdalenæ.

Vnde facile excogitari potest alia series huius

huius historiæ, sequendo etiam Aug. dicentẽ, quando Magdalena venit ad Apostolos, nondum vidisse Angelos simulq; asserendo, vel cum illa redijsse cæteras fœminas, vel certe eius reditum expectasse propè monumentum, atq; interim nihil vidisse. Postquam vero Petrus, & Ioannes venerunt ad monumentũ, & omnia inspexerunt, ac reuersi sunt, mansisse ibi Magdalenã cum cæteris fœminis, atq; tũc omnes vidisse Angelũ sedentem super lapidem, & ingressas in monumentum vidisse iuuenẽ sedentem in dextris. Postea verò magno tremore, ac pauore perculsas egressas esse, ac cæteras quidẽ longius à sepulcro aufugisse: Magdalenã vero amore timorẽ vicisse, ac iuxta sepulcrũ perseueras se, ac tunc accidisse, quod Ioannes narrat. *Maria stabat ad monumentũ foris plorans.* Cõtra hunc.n. ordinem nihil afferri potest, & per se verisimile est, potuisse ita accidere: & alioqui melius, ac proprius texũtur verba Marci, & Matt. qui de omnibus mulieribus, quarum in principio mentionem fecerant, narrãt totum illud factum, & visionem, ac locutionẽ Angelorum. Ac similiter, quæ Lucas narrat, melius hoc modo accommodantur, vt infra dicam. Tandem iuxta hanc seriem historiæ facile intelligitur, quomodo Christus apparuerit primò soli Magdalenæ in specie hortulani, vt Ioannes refert. Cùm enim (vt diximus) aliæ mulieres egressæ de monumento præ timore diffugissent, Magdalena verò statim iuxta sepulcrum stetisset, & se iterum ad lustrãdũ sepulcrum inclinasset, vidit duos Angelos, deinde Christum, vt Ioannes narrat, & fortasse, hoc voluit indicare Marcus, quando post narratam fugã mulierum de monumento cum pauore, & timore, proximè subiunxit, *Surgens autem Iesus mane primo apparuit Mariæ Magdalenæ.*

Hinc verò vlterius addo, nihil esse, quod nos cogat, vt dicamus, Mariam Magdalenam redijsse ad Apostolos ante conspectos Angelos. Fieri enim potuit, vt omnia quæ Matt. & Marc. narrant vsque ad visionem Angelorũ, prius facta sint, & postea cucurrerit ad Apostolos nũtiatura, quę viderat, ac deinde redierit cum Apostolis ad sepulcrum, eisque recedentibus, & cum eis abeuntibus alijs mulieribus, ipsa sola permanserit, viderit q; Dominum. Quem ordinem sequi videtur Tatianus Alex. in Harmonia Euangel. Neque contra hoc

Mar. 16. *Tati. Ale.*

A obstat, quod Magdalena dixerit Apostolis, *Tulerunt Dominum*. Nam etiam ipsis Angelis, quando secundo ei apparuerunt (vt probabilius credimus) dixit, *Tulerunt Dominum meum*: imo & ipsi Christo, quẽ post Angelos vidit, antequam illum agnosceret, dixit, *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, & ego eũ tollam.* Recte ergo quoad hanc partem dixit Hieron. *Magdalenam ob-* *Hieron.*
stupefactam in tantum torpuisse, vt ne Angelorum quidẽ præsentium sentiret aspectum, cumq; videret Angelos, etiam, quos videbat, ignoraret. Non ergo cognouit esse Angelos, neque eis fidem adhibuit, vel saltem non firmã, & stabilem: sed admodum vacillãtem, vel potius ab eis decipi timuit, ideoque dicere potuit, *Tulerunt Dominum meum*, vix enim sciebat, quid diceret. Sed instabis, si viderat Angelos, cur nõ id narrauit Apostolis? Resp. cur non narrauit vidisse lapidem sublatum, vel potius, vnde constat, nõ vtrumque narrasse? Ioannes enim refert quidem dixisse, *Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus, vbi posuerunt eum.* An vero plura dixerit, tacet quidem Euangelista, non tamen negat. Quocunque ergo ex ijs modis rectè intelligitur, quomodo absque discordia Euangelistarum potuerit Christus primo apparere soli Marię Magdalenę seorsum ab alijs mulieribus. Alia vero difficultas, quæ hic suboritur ex alia narratione, quam Matt. narrat, in sequenti conclusione tractabitur.

Obiectio

Responsio

Ioann. 20.

B

Dicendum est secundo, Christũ eo die iterum apparuisse Magdalenæ simul cum alijs mulieribus. In hac conclusione conueniunt omnes antiqui expositores, Aug. Hierony. & Euthy. supra citati, et Theophyl. supra. Insinuat Chrysost. hom. 90. in Matth. Tatianus in Harmonia, & Driedo libro tertio de dogmatibus sacræ scripturæ tract. 3. capite quarto præsertim quoad eam partem, quę asserit in ea Christi apparitione, quã Matt. narrat factam esse mulieribus, inuentam esse Magdalenã, quoniam Matth. satis apertè id indicare videtur. Eodem enim contextu, & eadem referens mulieres, dicit. *Et ecce Iesus occurrit illis, dicens, Auete: Illę autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius.* Nam relatiuum *Illę*, & *Illis* eadẽ fœminas refert, de quibus à principio capitis sermonem habet. Ex hac vero parte necessario sequitur (suppositis ijs, quæ dicta sunt in prima conclusione) eodem die, atque intra breue spacium tem-

In die resurrectionis vna cũ alijs fœminis Magdalenę Christus apparet *Aug.* *Hieron.* *Euthym.* *Theophyl.* *Chrysо.* *Tatian.* *Dried.* *Matth. 28*

C

poris, bis Christū apparuisse Mariæ Magdalenæ. Quod vero prius illi soli apparuerit, quam simul cum alijs fœminis, primo probatur testimonio Marci supra tractato, & ex omnibus adductis in præcedenti conclusione. Secundo conuincitur alio argumento supra facto, scilicet, quia si Magdalena prius vidisset Christū cum alijs mulieribus, non stetisset postea iuxta monumentum plorans, ac dicēs, *Tulerunt Dominum meum*. Nam licet Hieronym. supra respondeat, potuisse Magdalenam hęc dicere præ nimia turbatione, etiā si iam Christum vidisset: tamen reuera hoc non est credibile. Quia Christi præsentia omnem mærorem, perturbationemque Magdalenæ abstulerat. Itē quia non erat ita perturbata, quin esset sui cōpos, & ratione perfecte vteretur: ergo, si semel vidit, sibique persuasit, esse Christum, quem conspiciebat viuum, ac resuscitatum, non poterat postea corpus eius mortuum quærere, ac lamentari. Tertio probatur, declarando seriem historiæ, atq; harum apparitionum ordinem. Nam postquam Magdalena vidit Dominum in specie hortulani, & ab eo iussa est ire nūtiatum discipulis, quæ viderat, summo gaudio affecta diligentissimè iter arripuit, atque ita facile fieri potuit, vt ad alias mulieres breui peruenerit. Verisimile enim est, illas tum ob animi turbationem, & męrorem, tum etiam ob desiderium sciendi quid accidisset, lentè incessisse. Postquā, ergo eas Magdalena cōsequuta est, cœpit simul cum eis progredi, & fortasse de ijs, quæ viderat, colloqui, & tunc iterum apparuit eis Christus in via, vt Math. narrat. Igitur, cū hoc modo omnia, quæ Euāgelistæ narrant, facile in concordiam redigantur, & per se constet, facile potuisse ita accidere, & omnes alij modi magnas difficultates patiantur, merito hunc cæteris præferendum censemus.

Hieron.

Matth. 28

2. Dubium.

Duæ verò graues difficultates super sunt in hac sententia explicandæ. Prior est, quia in priori apparitione facta soli Magdalenæ, fuit prohibita tangere pedes Christi, illis verbis, *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*: at in apparitione facta mulieribus Christus permisit eis, vt accederent, tenerētq; pedes eius, vt Matt. narrat: ergo nō est verisimile inter eas affuisse Magdalenam. Cur enim permissa fuisset tāgere, quæ paulo ante fuerat prohibita? Hæc difficultas ferè communis est in omni sententia. Nam licet daremus Magdalenam non afuisse in secunda apparitione, eodem modo inquiri posset, cur ipsa non fuit permissa tangere, aliæ vero admissæ sint, cùm nec maiori fide, aut reuerentia, & caritete accederent, cumque etiam illæ missæ fuerint ad annuntiandū discipulis resurrectionem, sicut Magdalena? Vt ergo radicem huius difficultatis aperiamus, & expediamus, explicanda in primis est ratio illa, quam reddidit Christus repellens Magdalenam à suo contactu. *Nondum enim ascendi ad Patrem*. Quę ratio difficillima est. Nam potius, quia nondum ascenderat, tangi poterat, sicuti ab aliis discipulis postea contrectatus est: & si iam ascendisset, contingi iam non potuisset. Variis ergo modis exponitur hæc ratio. Primo vt Christus nō loquatur de ascensione locali in cœlum: sed de ascensione spirituali in cor, & mētem Magdalenæ. Vt sensus sit, nondum me agnoscis, & quæris vt verum Dei filiū, & ita in fide tua *nondum ascendi ad Patrem*, ideſt, ad æqualitatem cum Patre, neque ad veram naturam filii Dei, & ideò *nuli me tangere*. Ita Augustinus tract. 121. in Ioan. & sermone 60. de verbis Domini, & 152. & 155. de tempore. Qui etiam metaphoricè exponit illa verba, *Noli me tangere*, de tactu fidei, ideſt, noli in me sic credere, sicut nunc credis. Et iuxta hanc expositionem respondendum est ad difficultatem propositam, Christum tunc repulisse Magdalenam, vt fidem eius augeret, atque perficeret. Erat enim tunc imperfecta. Postquam autem vidit Christum, & ab eo edocta, atque illuminata est, non solum perfectiorem existimationem de illo habere cœpit: sed etiam socias fœminas in eadem fide instruxit, ideoque in secunda apparitione omnes permissæ sunt Christum tangere, & adorare. Et hanc responsionem significauit Hieronymus dicta quæst. 5. ad Hedibiam in fine dicēs. Magdalenam prius à Domino fuisse correptam, vt incredulam: post verò in tantum cum aliis profeciſſe, vt & permissa fuerit tenere pedes eius. Sed respōsio hęc fundatur potius in sensu mystico, quàm in literali, cùm non sit iuxta verborum proprietatem, vt patet ex verbis à Christo subiunctis. *Vade ad fratres meos, & dic eis. Ascendo ad Patrem meum*, vbi aperte loquitur

Testimonij Ioann. 20. 1. Expos.

Aug.

Hieron.

Ioann. 20.

quitur de corporali ascensione. Et idem dicendum est de alia expositione Hieronymi supra, vbi verbũ illud, *Nondum ascendi*, exponere videtur, idest, nondum resurrexi, & ad statum gloriæ perueni, scilicet in tua fide, & existimatione. Vnde, inquit, *quem mortuum quæris, viuentem tangere non mereris. Si me nondum putas ascendisse ad Patrem: sed hominum fraude sublatum, meo tactu indigna es.* Et vtramque complectitur Ambros. Luc. vltimo, & significat libro de Isaac, & anima capite 5. & sermon. 58. qui potius D. Maximi esse censetur. Nec dissimilis est, quam significat Leo Papa sermon. 2. de ascensione, dicens, Magdalenam tunc gessisse personam Ecclesiæ, quæ Christum in hac vita habere præsentem desiderare poterat, cui Christus, *Noli, vt ad me corporaliter venias, neque vt me sensu carnis agnoscas. Ad sublimiora te differo, maiora tibi præparo: cum ad Patrem ascendero, tunc me perfectius, veriusque palpabis, apprehensura, quod non tangis, & creditura, quod non cernis.* Quibus verbis etiam significat, illam repulisse propter imperfectam fidem. Rationem autem Christi aliter explicare videtur, scilicet, *Nondum ascendi*, idest, nondum tu peruenisti ad eã perfectam fidem, quam post meam ascensionem cõsequutura es. Quę expositio præter quam quòd non bene accommodatur contextui, auget difficultatem propositam. Quia iuxta hanc rationem sic expositam non debuisset Christus ante ascensionem se tangendum præbere, aut Magdalenæ, aut alijs. Deinde id, quod commune est omnibus ijs expositionibus, scilicet, Mariam Magdalenam repulsam esse propter imperfectionem fidei, non video, quo fundamento nitatur, cùm verbum eius, *Magister*, potius indicet indubitatam fidem: & ita Tertullian. libr. contra Prax. capite 25. Magdalenam vocat *fidelem fœminam, quę non ex curiositate, neque ex incredulitate, sed ex fide, & dilectione Christum tangere aggressa est.*

Atque eadem difficultates habet expositio Cyrill. 12. in Ioan. capite 50. vbi ait, Christum ante pasionem facile permisisse quoslibet peccatores ad se tangendum accedere, vt eos sanctificaret. Quia eo tempore adhuc erat *in similitudine carnis peccati*, vt notauit etiam D. Thom. infra quæstio. 80. articulo. 4. ad. 1. At vero post resurrectionis gloriam, non ita facile se palpari permisit, ad significandum, corpus Christi non esse tangendum, nisi ab ijs, qui Spiritumsanctum acceperunt. *Quia ergo* (inquit Cyrillus,) *Nondum Spiritumsanctum miserat, ideo a tactu suo Mariam prohibebat dicens, Nondum enim ascendi ad Patrem meum, idest, nondum Pater per me Spiritumsanctum ad vos misit.* Contra hanc enim expositionem obstat, quòd iuxta illam non debuisset postea permitti, se tangi à mulieribus, & discipulis. Responderi tamen posset, Christum voluisse hoc semel significare in Magdalena adhuc imperfecta: non tamen oportuisse, vt semper id obseruaret. Tum quia necessarium erat ad confirmandam resurrectionem, aliquando vt se cõtrectari permitteret. Tũ etiam, vt lenitatis, ac beneuolentiæ signa discipulis exhiberet. Sed, quanuis hoc ita sit, illa tamen ratio valde mystica apparet, & in verbis Christi non habet fundamentum. Multo autem magis voluntarium est, quod quidam addunt, Magdalenam non solum voluisse adorare Christum, & deosculari pedes eius: sed etiam petiisse ab eo, vt sibi daret Spiritumsanctũ, quem post suam se resurrectionem daturum promiserat. Et ideò Christum ita respondisse. Hoc enim liberè excogitatum est, neque in præsenti textu Euangelij habet fundamentum, neque in alio loco vbi Christus Spiritumsanctum promisit. Illa enim promissio facta est in cœna, vbi soli aderant Apostoli, & fortasse ad aures Magdalenæ nondum venerat.

Alii ergo exponunt, Magdalenam existimasse, Christum rediisse ad eandem vitæ conditionem, quam ante mortem habuerat: sicut fratrem suum Lazarum paulò antea à Christo resuscitatum adspexerat: & ideò voluisse eodem modo, atque eadem familiaritate cum illo conuersari, vt antea solebat, Christum autem, vt eam doceret ad altiorẽ vitæ statũ se surrexisse, eam prohibuisse dicẽdo, *Noli me tangere.* Ita exponit Chrysostom. homilia 85. in Ioan. quem Theophylactus, & Euthim. sequũtur, & fuit antiquior expositio Iustini martyr. quæstio. 48. ad Orthodoxos. *Dictum est* (inquit) *Mariæ a Seruatore, Noli me tangere, quasi diceret, noli me sequi, vt perpetuo mecum verseris sicut erat ante meam crucem consuetudo.* Iuxta quam expositionem non erit necessarium dicere, Christum repulisse Magdalenam, vt nullo modo ipsum

Hieron. *Amb. Maxim.* *Leo Papa* *Tertullia.* *4. Exposi. Cyr.* *Ioãnes Hesselius in historia passionis et resurrectionis domini* *5. Exposi.* *Chrys. Theophyl. Euthym. Iustin.*

sum tangeret, suosque pedes deosculare-
tur: sed ne diu, atque familiariter ibi cum
Caietan. ipso maneret. Quin potius addit Caieta-
Ianson. nus, nec displicet Iansenio cap.145. non
tantum voluisse Magdalenam, tangere
pedes eius: sed etiam præ nimia lætitia,
& incredibili vi amoris voluisse illũ am-
plecti, eiusque faciem, & collum tenere,
& ab hoc contactu eam repulisse Christum. Quod si verum esset, facillimè expediretur difficultas proposita. Nam postea Magdalena iam admonita à Christo, non accessit eo modo, sed solum ad pedes procidit cum reliquis mulieribus adorandi causa, & idcirco permissa est tangere Christum.

Sed mihi hæc non probantur. Chrysostomus enim dicit, Magdalenam voluisse accedere ad Christũ eo modo, quo prius B solebat. Impium autem esset cogitare Magdalenam fuisse solitam eo modo cõtingere, vel amplexari Christum, sed so-
Ioann. 11. lum, *procidere ad pedes Domini* (vt dicitur
Luc. 10. Ioan.11.) & *secus pedes eius sedere* (vt dicitur Lucæ.10.) ergo incredibile videtur hoc tentasse, quando Christus ei apparuit, vel saltem non est hæc mens Chrysostomi, neque vllus vnquam Sanctorum id dixit. Deinde, quanuis Christus non ostenderit Magdalenæ gloriam suam, tamen solo suo aspectu, tantam grauitatem, & venustatem ostendebat, vt timorem quendam, seu reuerentiam conciliaret. Vnde verbum, quod statim protulit Magdalena, scilicet, *Magister*, potius fuit reuerentiæ, quam amoris. Ergo verisimile est magna cum reuerentia procidis- C se ad pedes eius: nec fuisse ob hanc causam à Domino repulsam. Denique, iuxta hanc expositionem difficile applicatur ratio Christi. Quid enim significat. Noli mecum tam familiariter agere, quia *nondum ascendi ad Patrem meum*? Nunquid post Ascensionem erat illo modo, ac familiaritate Christum contrectatura? Nisi quis fortasse dicat, in statu gloriæ futurum esse inter Christũ, & Beatos familiarem illum tractandi, & conuiuendi modum, & hoc voluisse Christum sig-
Ber. nificare, vt indicauit Bernardus sermo. quinto, de omnibus Sãctis. Sed hoc quoque non est admodum probabile, tum quia etiam in cœlo non erit illa familiaritas, quæ indecentiam quandam præ se fert. Tum etiam, quia Christus haud di- A cit, *Nondum enim ascendimus*, sed de se solo loquitur. Tum denique quia nullus interpretum ita intellexit.

Aliter vero solet accommodari ratio Christi ad prædictam expositionem, vt non intelligatur perfecta, & consummata solis illis verbis, *Nondum enim ascendi ad Patrem meum*, sed coniungenda sint etiam sequentia, *Vade autem ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad Patrem meum, &c.* Ita vt sensus totius rationis sit, *Noli me tangere*, id est, ne existimes tam familiariter esse mecum agendum. Quanuis enim, nondum ascendi ad Patrem meum, tamen iam sum in eo statu, in quo breui ascendam. Itaque iam sum constitutus in statu glorioso, & immortali, & ideo neque mihi debetur terrena habitatio, nec B prior conuersandi modus, quanuis propter vestram vtilitatem aliquantulum differam Ascensionem meam. Quæ expositio placuit recentioribus, & est probabilis, vim tamen aliquam infert literæ. Tum quia oportet subintelligere, vel addere aliquod verbum, scilicet, *quanuis non ascendi*. Tum etiam quia illa verba, *Vade autem ad fratres meos*, non commodè interponuntur. Neque magis placet modus, quo alij Christi rationem inducunt. Dicunt enim, subintelligendas esse plures interrogationes, quas Magdalena facere posset, quas Christus præuenire, eisque vno verbo satisfacere voluit. Cum enim Christus illi dixisset, *Noli me tangere*, potuisset ipsa conqueri, & dicere. Quid rei hoc est? Non ne, Domine tecum familiariter agere solebam, & ad deosculandos pedes tuos benigne admitti? Cui Christus tacitè respondet, se iam esse in statu gloriæ, & immortali, in quo ascensurus esset ad Patrem. Sed quia potuisset Magdalena rursus inflare dicens. Nonne ego te video sicut antea? Non ne mecum eodem modo loqueris, & conuersaris? Ad hæc omnia respondet Christus illis verbis, *Nondum ascendi ad Patrem meum*, ac si diceret, noli mecum ita familiariter conuersari. Quia licet tibi me conspiciendũ præbeo, non ideó est, quia status, in quo iam sum constitutus, id requirat: sed quia ex dispensatione quadam nondum ascendi ad Patrem propter vestram vtilitatem. Quæ omnia sunt quidem ingeniosè excogitata: tamẽ obscurum valde, & Laconicum fingunt Christi sermonem: & præ-

terea

terea supponunt aliquid incertũ, & quod vix potest commodè explicari. Nõ enim satis intelligo, quis fuerit hic modus nimis familiaris, quo Magdalena voluit tãgere Christum: neque etiam video fundamentum ad dicendum, Magdalenam existimasse, ad vitam mortalem, eum surrexisse.

Expositio vera

Vltima ergo expositio, & maximè consentanea literæ esse videtur, Christum nihil aliud voluisse Magdalenæ significare nisi, vt velociter properaret ad annuntiãdam suam resurrectionem discipulis. Vnde, cùm ipsa vellet ad pedes eius immorari, & semel, atque iterum deosculari, dixit illi, *Noli me tangere*, ideſt, noli nũc in hoc immorari, ac si non esses amplius me visura. Erit enim postea tempus, in quo possis meo conspectu frui, meque contingere, ac venerari. *Nondum enim ascendi ad Patrem meum*, ideſt, quia non solum nondũ iam ascendi: sed etiam per aliquot dies nõ sum ascensurus, & ideo propera ad fratres meos, & dic illis intra breue tẽpus me ascensurum ad Patrem, prius tamen videndũ fore ab eis: vt ex aliis Euangelistis colligitur. Quæ expositio nullam vim infert illi verbo, *Ascendi*. Nam licet sit præteriti, & non futuri temporis: tamen ad maiorem rei explicationem, & exaggerationẽ solemus ita loqui etiam in vulgari sermone, vt cum aliquem vrgemus, vt antequã discedat, aliquid faciat, Hispanè etiã respondere solet, *no soy ydo*, ideſt, antequam discedam, erit tempus id præstandi.

Magdalena Christũ in horto tãgere cur prohibita.

Responsio

Sed hac expositione suppositа, vrget amplius difficultas in principio posita. Nam si Christus non permisit â Magdalena tangi se se, ne moram faceret: ergo eandem ob causam nõ debuit in via hoc permittere tã ipsi, quàm reliquis mulieribus: sed monere potius, vt properarẽt. Ad hoc vero facile responderi potest. Primò, cũ Christus dixit Magdalenæ, *Noli me tangere*, non omnino prohibuisse, ne ipsius pedes deoscularetur, ac veneraretur: sed significasse, vt citò se expediret, & ad discipulos festinaret. Sicuti & quando discipulis dixit, *Neminẽ salutaueritis in via*, non interdixit eum salutandi modum, quem caritas, & vrbanitas exigit, sed voluit eo dicendi genere significare, vt sine mora proficiscerentur munus obituri suum. Ad hunc ergo modũ, cùm dixit Mariæ Magdalenæ, *Noli me tangere* non omnino vetuit, ne pedes deoscularetur, ac venerarentur suos: sed indicauit ei sedulitatem, ac diligentiam, quam nauare oportebat in annuntianda discipulis resurrectione sua. Et ideò nil obstat, quòd postea tam ipsi Magdalenæ, quàm alijs mulieribus, se adorandum tangendumque præbuerit. Nam id etiam sine multa mora fieri potuit, solum quantum caritas, ac debita reuerentia, deuotioque poscebãt. Vnde illis statim dixit Christus, *Ite, nuntiate fratribus meis.* Et hinc fortasse Athanas. in libro de Incarnatione Christi, occasionem sumpsit dicendi, Christum omnibus mulieribus ad se accedentibus dixisse, *Nolite me tangere*: eas tamen nihilominus accedentes tenuisse pedes eius, & adorasse. Nam, licet non legamus omnibus dixisse illa propria, ac formalia verba: tamen quoad sensum omnibus dixit, vt irent, ac properarent nuntiaturæ discipulis resurrectionem. Et eadem ratione, quanuis non legamus, Magdalenam in prima apparitione tenuisse pedes Christi, & adorasse: tamen non fuit absolutè vetita id facere: ideoque verisimile, est fecisse id quidem, quanùis quam citissime, nullaque interiecta mora.

Matth. 28

Athanas.

Secundo, quanuis daremus, Christum omnino prohibuisse Magdalenæ in prima apparitione, ne se contingeret, posset sufficiens ratio assignari, ob quam in secunda apparitione hoc pertinisse sit tam illi, quàm fœminis, videlicet, quia Maria iam ex parte impleuerat, quod Christus iusserat, & gaudium resurrectionis cum sociis suis communicauerat, quibus resurrectionem Christi annuntiauerat. Deinde iam minime morari volebat ad pedes Domini, sicut prius: sed tantum simul cum aliis eum adorare, & statim iter maturare suum. Denique non omittã dicere, quod Epiphan. hæresi 26. prope finem significauit his verbis, *Vt ostenderet manifestam castitatem, & sanctimoniam per sanctificationẽ, dicit Mariæ, Ne me attingas.* Indicat enim rationem moralem potius, quàm literalem, videlicet, Christum ob exemplum purissimæ castitatis non permisisse, Mariam prius se contingere, quando videlicet, sola erat: postea verò in præsentia, & consortio aliarum mulierum id permisisse. Addi etiam potest ratio mystica, quam late persequitur Rupertus libr. 14. in Ioannem, quod Maria quãdo sola accessit ad Christum,

Magdalena Christũ in via tãgere una cum aliis fœminis cur permissa.

Epiphan. Castitatis exemplum.

tum gerebat figuram Ecclesiæ ex gentibus congregandæ, quæ non contactu corporali, sed spirituali fide ad Christū post Ascensionem eius erat peruētura. De qua re multa legi possunt in Petro Chrysologo serm. 75. & sequentibus.

PeChry.

Secunda difficultas est, quomodo variæ Angelorum apparitiones, quas Euangelistæ narrant, cum nostra sententia cohæreant. Et præcipue est difficultas de apparitione duorum Angelorum, quam Lucas refert dicens, *Ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti*. Quam apparitionem necesse est, esse distincta ab illa, quæ facta est Mariæ Magdalenæ, quando vidit duos Angelos. Dictum namque est, quando illos vidit, fuisse eam solam, & ab aliis fœminis seiunctam, & Ioannes dicit fuisse extra sepulcrum: at illi duo Angeli (de quibus Lucas meminit) visi sunt ab omnibus illis fœminis existentibus intra sepulcrum: non apparet autem quando, iuxta ordinem historiæ suprapositum, hi duo Angeli videri, potuerint á mulieribus. Quando enim primum ingressæ sunt in monumentum, tantum viderunt vnum Angelum intus, (vt Marcus narrat) postea verò non sunt iterum ad illud reuersę. Quia eodem Euangelista teste, discessere statim magno pauore concussæ.

2. Dubium.

Luc. 24.

Ioann. 20.

Mar. 16.

In explicanda hac difficultate, & repugnantia, quæ esse videtur inter Euangelistas narrantes has apparitiones Angelorū, variæ sunt expositiones. Quidam ita conciliant, & texunt seriem historiæ, vt primò mulieres viderint vnum Angelum extra sepulcrum, sedentem super lapidem, (vt Matth. narrat) eiusque monitu mulieres, (quibus ipse dixit, *Venite, & videte locum, vbi positus erat Dominus*) introeūtes *viderint iuuenem sedentem in dextris* (vt Marc. narrat) statim verò præ timore egressæ sint. Magdalena porrò, quæ sola permansit, iterū se inclinans ad monumētum vidit duos Angelos, & Dominum, atque iterum reuersa est ad discipulos. Interim vero alij duo Angeli apparuerunt reliquis mulieribus, quæ à monumento timore plenæ, ac animo consternatæ discesserant. Hæc vero sententia mihi probari non potest. Primò, quia est parum consentanea narrationi Lucæ. Is enim potius significat mulieres vidisse hos Angelos intra sepulcrum, sic enim scribit, *Et ingressę non inuenerunt corpus Domini Iesu: & factum est, dum mente consternatę essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti*. Et postquam retulit omnia, quæ Angeli mulieribus dixerunt, subdit, *Et regressæ a monumento, nuntiauerunt, &c.* Ex hoc enim contextu satis verosimilis coniectura fit, mulieres ingressas monumentum, antequam exirent, vidisse Angelos, eorumque verba audiuisse. Quod etiam patet ex illis verbis Angelorum, *Non est hic*. Erant ergo in ipso sepulcro, quod designatur per illud aduerbiū *hic*. Præterea quia inferius significat Lucas Magdalenam affuisse cum aliis mulieribus, quando ij duo Angeli apparuerunt. Nam post citata verba ait, *Erant autem Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cęterę, quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hęc*. Responderi potest, Lucam non dicere Magdalenam, huic visioni Angelorum interfuisse: sed narrasse Apostolis, quæ viderat simul cum aliis mulieribus. Quod verum esse potuit, quia licet non omnes simul: tamen omnes eadem fere viderant, & audierant, & omnes eadem narrarunt Apostolis. Sed non est re vera hæc Euangelistæ mens, cùm enim ait, *Quæ dicebant ad Apostolos hęc*, aperte refert per illud pronomen, *hæc*, eadem, quæ ipse narrauerat. Neque est verisimile, mentionem facere de Magdalena, & de illa scribere, quomodo eadem narrauit, quæ aliæ mulieres, nisi quia significare voluit, eam affuisse omnibus, quæ scripserat. Accedit, hanc esse sententiam Augustini & communem omnium interpretum: contrariam vero neque habere fundamentum, neque esse necessariam ad explicandam seriem historiæ, vt ex dicendis patebit.

Matth. 28

Marc. 16.

Luc. 24.

Ex iis rationibus consequenter, infero hanc visionem Angelorum, quam Lucas narrat, accidisse, antequam Christus primò appareret Magdalenæ in specie hortulani. Quia quando hi duo Angeli apparuerunt, adhuc mulieres non credebant, Christum viuere, & corpus eius mortuum quærebant, vt patet ex illis verbis Angelicis, *Quid quęritis viuentem cum mortuis?* Sed postquam Magdalena vidit Dominum, & occurrit aliis mulieribus, eisque nuntiauit, quod viderat, iam non inquirebant *viuentem cum mortuis*: sed potius ibant nuntiaturę Apostolis, quod

Maria

Maria viderat, quibus per viam incedentibus iterum Christus apparuit, vt supra diximus: ergo, si Magdalena affuit huic apparitioni Angelorum, (vt verè affuit) necesse est, vt ante primam Christi apparitionem sit facta. Dicunt verò quidã, hanc visionem Angelorum (quam Lucas narrat) esse eandem cum ea, quam memorat Ioannes: illos tamẽ Angelos bis loquutos fuisse, primum soli Magdalenę coram alijs, postea omnibus. Sed non placet, primo, quia apud Lucam Angeli apparuerunt, dum omnes mulieres simul erant, & intra sepulcrum: apud Ioannem vero, cũ Magdalena esset sola, & in vestibulo, vt exponemus. Secundo, quia vt colligitur ex Ioanne Magdalena statim post verba, & nutus Angelorum conuersa est, viditque Dominum: ergo non possunt commodè interponi cætera verba.

Vt ergo totam hanc rem exponamus, supponendum est ex Cyrillo Ierosolymi. catechesi 14. & Beda libro de locis sanctis, seu de situ Ierusalem capite 2. & ex Burcardo in libro de descriptione terræ sanctæ in prima parte, capite 7. In sepulcro Domini duplicem fuisse speluncam, alteram exteriorem (quam Cyrillus *vestibulum sepulcri* appellat) alteram interiorẽ, in qua excisum erat sepulcrum à pauimento terræ tribus palmis erectum. Inter quę duo loca ostium erat, in quo lapis fuit positus, quo sepulcrum Domini clausum dicitur in Euangelio. Ex qua loci discreptione intelligitur illam exteriorem partẽ speluncæ respectu diuersorum dici posse esse extra, & intra sepulcrum. Etenim si per sepulcrum intelligamus paruam illam & interiorem specum, vbi positum fuit corpus Domini, reliqua pars dicetur exterior, & qui in illa fuerit, dicetur esse extra sepulcrum, si autem per sepulcrum, seu monumentum intelligamus totam illam speluncam, sic qui fuerit intra priorem partem eius dicetur esse intra sepulcrum. Hoc ergo supposito, facilè intelligi potest tota series historiæ.

Cyr. Ier. Bed. Burcard.

Responsio Primo enim Matthæus dicit, mulieres peruenisse ad monumentum, & Angelũ reuoluisse lapidem, & sedisse super eum. Vnde verisimile fit, lapidem sublatum ab interiori ostio sepulcri positũ esse in exteriori parte speluncæ, ibique Angelum loquutum cum mulieribus, quæ apud Marcum dicuntur ingressæ in monumentum. Quia ingressæ sunt in priorem partẽ speluncæ, in qua etiam viderunt iuuenem sedentem à dextris, vt idem Marcus narrat. Atque recte intelligitur, eandem esse apparitionem Angeli, quam Matt. & Marcus narrant, vt Augustin. etiam docuit lib. 3. de consen. Euang. cap. 4. & Theophyl. & alii, quanuis alias etiam afferant rationes conciliandi Matt. cum Marco. Quòd verò de eadem re loquantur, probabile fit primo ex similitudine circunstantiarum. Vterque enim describit Angelum sedentem, & indutum veste candida, & loquẽtem ad fœminas eisdem ferè verbis. Secundo, quia nulla est dissonantia, quæ cogat ad asserendum, illos Angelos fuisse distinctos. Illa enim videtur esse maxima, quod Matt. significat fuisse extra sepulcrum, tum quia dicit, *sedisse super lapidem*: tum quia dixit mulieribus, *Venite, & videte locum, vbi positus erat Dominus*. Marcus autem indicat Angelum visum esse intra sepulcrum, dum ait, *Introeuntes in monumentũ viderunt iuuenem, &c.* (Vt enim omittam aliam expositionẽ Augustini dicentis, hæc verba posse exponi per anticipationẽ, & aliam Theophyl. & aliorum dicentium, eundem Angelum, qui prius extra visus fuerat, postea ingressum esse cũ mulieribus, ibique iterum sedisse: quæ violentæ mihi videntur, & parum consentaneæ literæ.) Illa explicatio, quæ ex dictis colligitur, facillima est, scilicet Marcũ loquutũ fuisse de toto monumento, in cuius parte exteriori erat lapis sublatus ab ostio interioris speluncę, ad quam vidẽdam Angelus mulieres inuitauit. In aliis vero omnibus nulla est apparens repugnantia: sed vnus addit, quod alter omisit: vtv. g. Marcus tantum dicit, *Angelum sedisse*: non verò significat, vbi sedebat. Quod Matth. addidit, scilicet, *super lapidem*: non tamen expositit, in quo situ: hoc vero explicuit Marcus dicens sedisse à dextris. Quod ita videtur intelligendum, lapidem sublatum ab ostio monumenti iacuisse ad dexterã partem ipsius ianuę, seu hominum volentium ingredi interiorem speluncam, seu sepulcrum.

Concordia Euãgelistarum inrecẽsendis angelorum apparitionibus.
Aug.
Theo.
Mat. 28.
Marc. 16.
Aug.
Theo.

Secundo post hanc visionem primi Angeli conuenienti ordine sequitur, quod Lucas narrat. Cùm enim monente Angelo, mulieres ingressæ fuissent sepulcrum, ibi viderunt duos viros in veste fulgenti, audieruntq; omnia, quæ loquuti sunt: post-

ea

stea verò egressæ sunt de monumento. Quod autem subdit Lucas, *Regressæ a monumento nuntiauerunt hæc omnia illis vndecim & cæteris omnibus*, dupliciter accommodari potest ad prædictam seriem historiæ. Nam, si teneamus, has visiones Angelorũ accidisse, antequam Magdalena reuerteretur ad Apostolos (quod Ioannes narrat) optimè, ac consequenter dici potest, hæc omnia statim facta esse, prout á Luca narrantur, ita vt egressæ de monumento, antequam vlla earum Christum vidisset, omnes iuerint ad nuntiandum discipulis, quæ viderant. Cui expositioni consonant verba illa, quæ dixit Cleophas cum Christo loquens Luc. 24. *Sed & mulieres quędam ex nostris terruerunt nos, quę ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius venerunt dicentes, se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt, eum viuere*, ergo signum est, eas statim reuersas esse ad discipulos post visionem Angelorum, antequam Christum viderent. Nam, si vidissent, hoc maximè illis nuntiassent, idèque Cleophas potissimum narrasset. Et iuxta hunc ordinem consequenter dicendum est, iterum fuisse reuersas ad sepulcrum cum Magdalena, & discipulis, quibus iterum à sepulcro redeuntibus Magdalena sola permansit, viditque Dominum, & postea velociter reuertens alias fœminas est consequuta, quibus Christus iterum apparuit, vt supra explicatum est.

Luc. 24.

Obiectio Contra hanc vero expositionem solum potest obiici. Quia videtur repugnare iis quæ Ioannes refert, nimirum, Magdalenam reuersam ad discipulos dixisse, *Tulerunt Dominum meum*.

Responsio Sed responderi potest, vtrumque accidisse, scilicet, quòd Magdalena id diceret: aliæ verò affirmarent, se Angelos vidisse. Nam vt supra dixi fortasse Magdalena præ nimio affectu, ac turbatione non existimabat esse Angelos, sed homines, qui corpus Domini furati fuerant: vel certe putabat, esse sublatum ab Angelis, quorum verba, vel præturbatione non satis intellexit, vel certe non integram fidem eis adhibuit, aut si in principio credidit, postea hæsitauit: aliæ verò fortasse maiorẽ fecere loquentibus fidem. Cuius signum est, quia exierũt de monumento cum *gaudio magno* (vt Matth. dicit) & ideò postea narrabant discipulis omnia, quæ viderant. Quod vero Marcus ait nemini quicquã dixisse præ timore, in

Matth. 28

A telligendum est, vel de custodibus, vel de aliis, qui eis occurrerunt, donec peruenerunt ad discipulos. At verò tenendo cum Augustino, & aliis Patribus (quos supra retulimus) Magdalenam vel solam, vel cum reliquis fœminis, reuersam esse ad discipulos, antequam illum Angelum videret, alio modo erit hic locus explicandus, vt statim commodius expedemus.

Tertio igitur, postquam mulieres territæ visione Angelorum, egressæ sunt de monumento, & aliæ longius discesserunt, Magdalena permansit in vestibulo sepulcri. Sic enim intelligo, quod Ioannes ait *stabat foris plorans*: vbi se inclinãs ad ostiũ monumenti, vt videret sepulcrum interius, iterum vidit duos Angelos, *vnum ad caput, alium vero ad pedes* sepulcri (vt Ioannes narrat) & tũc Christus apparuit à tergo Magdalenæ, quem Angeli inspicientes signa reuerentiæ illi exhibuerunt, & hæc fuit occasio Magdalenæ conuertendi se retrorsum, vt notarũt Chrysost. hom. 85. in Ioannem, & Athanas. q. 78. ad Antiochum. Postea verò contigere omnia, quæ de vtraq; apparitione Christi ad mulieres supra diximus: ac tandem id, quod Lucas dixit, mulieres narrasse hæc omnia discipulis. Lucas enim prætermisit apparitiones Christi ad fœminas, quas satis scripserunt alij Euangelistæ, & ideò narrata visione Angelorum, quam alij prætermiserant, statim gradum fecit ad mulierũ enarrationem scribendam. Huic vero expositioni obstare possunt citata verba ex Cleopha. Quibus responderi potest, mulieres quidem vtrumq; narrasse discipulis, scilicet & Angelos, & Christum vidisse: Cleopham tamẽ vel non omnia audiisse, aut intellexisse: vel certe non esse ausum omnia dicere homini peregrino, ne rem nimium absurdam, & incredibilem referre videretur. Atque ita omnia in cõcordiam rediguntur, quæ claritatis gratia oporteret in breuem summam redigere: id tamen commodius præstabimus sectione sequenti.

Ioann. 20.

Chrys. Athanas.

SECTIO QVARTA.

Quoties apparuerit Christus in ipso Resurrectionis die.

PRincipiò certum est Christum in die Resurrectionis quinquies apparuisse. Quę sentẽtia fuit Augustini dicto lib.

Aug. D. Thom. Luc. 24.

lib. 3. de consens. Euang. c. 25. quā D. Th. hic ar. 3. ad 3. docuit, & est certa. Nā ferè colligitur ex Euangelistis. Vt. n. vidimus, illo die bis apparuit mulieribus, & Luc. 24 dicitur eadē die apparuisse duobus discipulis euntib⁹ Emaus ij rursum regressi statim Ierosolymā, vt nuntiarent Apostolis, quæ viderant, inuenere cęteros discipulos dicentes, *Surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni*: statimq; ad eos Dñs ianuis clausis ingreditur, vt idē Luc. Marc. ac Ioan. refe rūt. Fuerūt, ergo quinq; apparitiones in il la eadē die, pręter eam, quæ Virgini facta est. Nā si alię ab Euangelistis omissæ sunt, ignorantur. Quod vero hæc contigerint, ipsa Dominica die, in qua, Christus re surrexit, cōstat. Nā Matt. dicit Christū ap paruisse fœminis *in prima Sabbathi*, & idē dicit Marcus de apparitione facta Magda lenę: idemq; est sensus Lucę, qui eā diē vo cat *vnā Sabbathi*. Nā *vna* (more Hebręorū) ponitur pro, *prima* (vt in superioribus dixi mus,) & in eadē die narrat, factas esse tres alias apparitiones. Deniq; addit D. Tho. coniecturā, ob quā Christus primo die to ties apparuerit, scilicet, vt statim fidem re surrectionis constāter reciperent Apostoli, cæteriq; discipuli. Quia verò de primis duabus apparitionibus, earūque ordine satis disseruimus, supereſt, vt de alijs tri bus, ac de earum ordine dicamus.

In die re surrectio nis discipu lis quin quies Christ tus appa ruit,

Matt. 28. Mar. 16. Luc. 24. D. Thom.

Tertia ap paritio Christi in die resurre ctionis Pe tro facta. Aug. Luc. 24. 1. Cor. 15.

Secūdo ergo verisimilius est, tertiā ap paritionē factā esse Petro. Ita Aug. li. 3. de consens. Euāg. c. 25. Et solū pōt probabi li cōiectura ostēdi. Nā solus Lucas obiter hāc apparitionē attigit, nō tā illā discribē do, quā referēdo, quid de illa discipuli iac tarēt. Paul. vero 1. ad Cor. 15. huius appari tiōis meminit ijs verbis, *Christus resurrexit tertia die secūdū scripturas, et visus est Cephę, et post hoc vndecim*. Ex quib⁹ verbis aliqui col ligere voluerūt Christum primū apparuis se Petro, quia Paulus hāc apparitionē pri mo loco ponit. Sed est sententia omnino falsa, & repugnās Euangelio Marci, nec habet in Paulo fundamētū. Quia ipse nō affirmat, Christū primo apparuisse Petro, sed solum inter apparitiones, quas narrat, hanc ponit primo loco. Quia reuera fuit prior cæteris ibi descriptis: tū, sicut non oēs ibi scriptæ sunt, ita nō fuit hæc prima omniū apparitionū absolute, & simplici ter. Sicut etiā Paulus ponit secundo loco apparitionē factā vndecim discipulis, quę sine dubio videtur esse illa, quæ facta est A octauo die à resurrectione Dñi: vel illa, quæ facta est *recumbentibus vndecim discipulis*. Nā illa, quæ facta est ipso die resurrectionis ad vesperā, nō est facta vndecim (abe rat. n. Tho. vt cōstat ex Ioāne) nō igitur fuit ordine secūda, sed vt minimū sexta: ponitur tū à Paulo secundo loco respectu earū, de quib⁹ ipse scripsit. Sit ergo certū, hāc apparitionē factā Petro fuisse post primā apparitionē factā Mariæ Magdale næ. Quod verò etiā fuerit post secūdā fa ctā mulieribus, nō est ita euidēs in Euāg. est aūt valde verisimile, si cōsideremus ea, quæ hactenus diximus de apparitionibus factis mulieribus, q̄ statim amplius expli cabimus. Itē colligi pōt ex Matt. qui re fert, Christū, postquā apparuit mulierib⁹ in via, dixisse illis, *Ite nuntiate fratribus meis*, indicās vsq; ad illud tēpus nemini discipu lorū apparuisse. Deniq; Cyri. li. 12. in Ioā. B15. & 25. cōgruētiā reddit, ob quā Christus prius fęminis, quā viris apparuerit: *vt sicut prima mulier*, inquit, *diabolo ministrauit, sic Christo ministret mulebre genus*. Et Chryſos. hom. 90. in Matt. *Consīdera*, inquit, *quomodo, & ipse perhasce mulieres resurrectionem discipulis annuntiat, huiusmodi sexum plurimum ignominiæ obnoxium in honorem, spesque bonas adducens, & fatiscentem curans*. Addit Euthy. c. 68. in Matt. *Quæ ante omnes diluculo surrexerant, ante omnes vidisse Dominum in mercedem sui studij, suæq; festinationis*. Relinquitur ergo, hanc apparitionē Petri posterio rē fuisse duab⁹ factis mulieribus. Quod ve ro antecesserit duas sequētes, probatur. Et primo de apparitione facta discipulis con gregatis ianuis clausis, res est euidēs ex Lu ca, qui narrat, ante ingressum Christi in cę naculum ianuis clausis, dixisse discipulos, *Surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni*. Deinde, de alia apparitione facta duobus discipulis euntibus Emaus, fit probabilis coniectura ex Luca. Dicit. n. eadē hora re uersos esse illos Ierosolymam, & inuenis se discipulos dicentes, apparuisse Dominū Simoni: ergo præcesserat illa apparitio. Dices, dum illi discipuli redierunt ab Emaus in cœnaculū, potuit Christus appa rere Simoni, & ipse Simō narrare aliis dis cipulis. Propter hanc responsionē non di xi hoc esse certū, esse tamen verisimile, tū quia nulla est ratio ad excogitandū in il lo breui interuallo temporis apparuisse Petro: & congregatos esse discipulos, ac Petrum suam ijs apparitionē retulisse. Tū

Ioann. 21.

Matth. 28 Cyri. Ale.

Chryſ.

Euthym.

Luc. 24.

Obiectio

Responsio.

etiam, quia per se fuit conueniens, vt inter viros primò appareret Petro, vel quia futurus erat caput omnium, vel ne videretur neglectus propter peccatũ cõmissum: sed indicaretur potius, quàm esset vtilis pœnitentia, quantaque Christi caritas, & solicitudo consolandi discipulum magno mẹrore confectum ob crimen cõmissum. Nam propter has causas etiam angelus loquens ad fœminas, specialem fecit Petri mentionem, dicens, *Ite, dicite discipulis eius, & Petro*. Et fortasse hoc etiam voluit indicare Paulus primo loco numerans hanc apparitionẽ Petri. Deniq; Christus apparuit duobus discipulis aduesperascente iã die, vt colligitur ex illis verbis, *quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies*, & quando illi discipuli redierunt ad reliquos discipulos, iam erat serô, vt colligitur ex Ioan. 20. ergo verisimile est antea apparuisse Petro. Qua propter, licet Euangelistæ non explicent, quomodo hæc apparitio iuxta seriem historiæ facta sit: probabiliter tamen exponendo verba Lucæ, coniectare possumus, quomodo res hęc acciderit. Dicit enim Lucas, postquam mulieres narrarunt Apostolis, quæ viderant, Petrũ cucurrisse ad monumentum, *& procumbẽs*, ait, *vidit, linteamina sola posita, & abijt secum mirans, quod factum fuerat*. Et licet Augustinus supra existimet, hanc profectionem Petri ad monumentum esse eandem cum ea, quam Ioannes narrat, à Luca vero esse narratam per recapitulationem, aliquantulum inuerso ordine historiæ: nihilominus dici probabiliter potest, fuisse diuersam. Nam Petrus, & Ioannes iuerunt ad monumentum, priusquam mulieres narrarent, se vidisse Dominum: imo fortasse etiam antequam angelos viderent. Lucas vero significat hunc posteriorem cursum Petri fuisse post secundam reuersionem mulierum narrantium, se vidisse angelos, & fortasse etiam Dominũ, vt supra exposuimus. Atqui per se credibile est, postquam denuo Petrus audiuit mulieres dicentes, se vidisse Christum, fuisse valde anxium, ac sollicitum de inquirendo, & videndo illo, cumque ipse nihil aliud præstare posset, redijsse iterum ad monumentum, præsertim cùm audijsset mulieres ibi perseuerantes tandem eum vidisse. Et hinc vlterius fit coniectura, sicut apparuit Christus mulieribus reuertentibus à sepulcro, ita etiam tunc occurrisse Petro, quando solus redibat *admirans, quod factum fuerat*.

Lu. 24.

Ioann. 20.

Luc. 24.

Apparitio Christi facta Petro quando.

Tertio iam ex dictis constat, quartam apparitionem huius diei fuisse factam duobus discipulis, quam Lucas fusè persequitur. De qua pauca breuiter notanda sunt, quæ ad veritatem, & fidem historię explorandam sunt necessaria: reliqua enim expositoribus Euangeliorum relinquimus. Primum est, hanc eandem apparitionem attigisse Marcum cum dixit. *Post hæc autẽ duobus ex ijs ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam*. Nam licet Euthymius cap. 48. in Marcum, contrarium sentiat, qui propterea sex apparitiones ponit factas hoc die, & tertiam esse hãc de duobus discipulis, quam narrat Marcus: quartam apparitionem Petri, quintam vero hãc, quam nos quarto loco ponimus. Cęterum hæc est sentẽtia Augustini, cæterorum Patrum, ac expositorum: nec est vllum fundamentum ad has apparitiones distinguendas. Nam quod Marcus dixit, apparuisse Christum illis in alia effigie, Lucas explicuit his verbis. *Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent*. Ideo enim tenebantur, quia aliter immutabantur ab obiecto, & hoc erat apparere in alia effigie, vt in superioribus explicatum reliquimus. Deinde, quòd Marcus dicit, illos discipulos iuisse *in villam*: Lucas vero *in castellum*, perinde est. Quia, si latinas voces attendamus eandem ferè habent significationem Græce aũt dicitur in Mar. εις ἀγρὸν; in Luca vero εις κώμην, vtrumque tamen significare potest *villam* vel *pagum*. Quia vero parum distabat Ierosolymis, & intra territorium eius cõtinebatur ideo à Marco nomine *agri*, aut *prædij* significatur, quanuis esset oppidum non ignobile, vt sumi potest ex Iosepho lib. 17. antiquit. cap. 12. & lib. 4. de bello Iudaico cap. 1. & Plinio lib. 5. Historiæ cap. 14. & Sozomeno lib. 3. historiæ. cap. 20. & Hieronymo lib. de locis Hebraicis, qui dicit, illud oppidum postea vocatum esse *Nicopolim*, fuisseque insignẽ Palestinę ciuitatẽ.

4. apparitio in diere surrectionis facta discipulis euntibus Emauntem.

Marc. 16.

Luc 24.

Aug.

Ioseph. Plin, Sozomen. Hieron. Emaꝰ olim Nicopolis. Obiectio. Euthym.

Solũ illud, quod maximè mouit Euthy. potest aliquã difficultatem ingerere. Nã Marcus dicit, hos discipulos nuntiasse cæteris, quę viderãt, & neq; ipsis credidisse: Lucas verò ait, hos duos, cum reuersi fuissent inuenisse discipulos iam credẽtes, & dicentes. *Surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni*. Qui ergo fieri potest, vt illis eãdẽ

sen

sententiam confirmantibus non crederēt. Hinc ergo colligit Euthym. prius veniſſe illos duos, de quib⁹ loquitur Marcus, annuntiantes porro quæ viderant, nec ijs habitam fidem: poſtea verò venienti Petro credidiſſe, tamquam viro maioris autoritatis, & principi cæterorum. Dicendū vero eſt, in ea multitudine diſcipulorum quoſdam fuiſſe, qui Petro crediderunt, ſe vidiſſe Dominum: alios vero neque Petro, neque duobus diſcipulis ſuperuenientibus credidiſſe. Et ita fieri potuit, vt hi duo venientes inuenirēt aliquos, quidicerent, *ſurrexit Dominus vere, & apparuit Simoni*: alios vero qui fidem non adhiberent ijs, quæ ipſi narrabant. Vnde vtrumque eſt verum, etiam ſi aſſeratur reſpectu vnius multitudinis, de qua ſecundum perſonarum varietatē varia dici poſſunt, quæ ſecum non pugnent. Hoc autem ita accidiſſe ex ipſo Euangelio Lucę colligi poteſt. Dicit enim, hos diſcipulos *regreſſos in Ieruſalem inueniſſe congregatos vndecim, & cæteros, qui cum eis erant, dicentes, ſurrexit Dominus vere.* Hinc enim colligitur, fuiſſe inter eos Thomam. (erat enim vnus ex vndecim) ille autem non credebat, nec dicebat, *ſurrexit Dominus vere.* Nam etiam poſt ſequentem apparitionem dixit, *Niſi videro non credam.* Non ergo credidit duobus diſcipulis narrantibus, per ſe autē credibile eſt, habuiſſe aliquos ſuæ incredulitatis aſſeclas. Verè ergo dixit Marc. illis narrātibus diſcipulos nō credidiſſe. Quia non eſt ſenſus, neminem credidiſſe, ſed aliquos, vel plures.

Marc.16, Luc.24. *Reſponſio* *Ioann.20.*

Secundo notandum in hac apparitione eſt, Lucam vnius ex his diſcipulis nomen aperuiſſe, quem *Cleopham* vocat, de quo in ſuperioribus nonnihil diximus agentes de Maria Cleophę, niſi fortaſſe hic ſit alius nobis ignotus eiuſdem nominis. Hieronymus vero ſupra dicit, hunc Cleophā fuiſſe municipē illius oppidi Emaus. Porro de ſocio Cleophę Lucas nihil dicit. Vnde aliqui ſuſpicati ſunt, eum fuiſſe ipſummet Lucam, vt Theophyl. in Lucam refert. Quod tamen non apparet veriſimile. Quia Lucas nō videtur fuiſſe ex diſcipulis, qui cū Domino conuerſati ſunt, ſicut ipſe ſignificat initio ſui Euangelij, dicens, *Sicut nobis tradiderunt, qui a principio ipſi viderunt.* Nā ſi ipſe fuiſſet ex diſcipulis, qui cum Chriſto conuixerant, potius diceret, ſe ſcribere ea, quæ viderat: Cleophas

Diſcipuli emauntem euntes qui ui fuerint.

A autem, & ſocius eius fuerunt ex diſcipulis Chriſti (vt Lucas ipſe narrat) eſt ergo incertū, & incognitum, quis ille fuerit. Ambroſius vero cap. vlti. Lucę, eum appellat *Ammaon*, quod neſcio vnde ſumpſerit, niſi fortaſſe credidit eū fuiſſe ex vico Emaus, & inde ſic appellari, quaſi ab Emaus. Reliqua, quæ in hac apparitione Lucas narrat (quod attinet ad hiſtoriam) non habent difficultatem. Poſſet autem hic quęri, quomodo Chriſtus ab eis non fuerit cognitus, neque de facie, neque ex voce. Item quomodo Chriſtus finxerit, ſe ignorare, quæ facta erāt, velleq; lōgius ire abſque formali fictione, ſeu mendatio. Rurſus, quæ fuerint illa ſcripturæ teſtimonia, quę de ſeipſo interpretatus eſt. Sed hęc omnia in ſuperiorib⁹ expoſita ſunt. Præterea inquiri poteſt, quomodo Chriſtus panem benedixerit, & an cōſecrauerit, vel B quomodo agnitus fuerit in fractione panis. Sed hæc in materiam de Euchariſtia tractanda reſeruamus in ſequenti tomo.

Luc.1. Ambroſ.

Quarto dicendum eſt, Chriſtum apparuiſſe diſcipulis congregatis in cœnaculo ianuis clauſis eadem die Dominicæ reſurrectionis noctu, vel initio noctis, & hanc eſſe quintam, & vltimam apparitionē illius diei. Hoc totum conſtat ex dictis, & ex narratione Lucæ, & Ioānis. In quibus illud eſt obſeruandum, eandem (ſine dubio) apparitionem recēſere. Nā, licet vnus multa addat, quę alter omiſerit, & è conuerſo: tamen in nulla re vnus alteri eſt cōtrarius, & in multis conueniunt, quę ſatis indicant, de eadem re eſſe ſermonem. Lucas enim finita narratione diſcipulorum redeuntium, ſubdit, *Dum autem hęc loquerentur, ſtetit Ieſus in medio eorum.* Ex quo conſtat, hanc apparitionem factā eſſe hora ſecunda, vel tertia noctis. Oportuit enim tantum temporis vt minimum, conſumere illos diſcipulos in reditu, cùm dicat Lucas diſtare Emauntem ab Ieroſolymis ſexaginta ſtadijs, hoc eſt ſeptem milliaribus cum dimidio, ſeu duabus leucis cū dimidia, Ioannes vero dicit, *cum ſero factum eſſet die illo.* Ergo ſignū eſt eos loqui de eodē tēpore, atq; adeo de eadē apparitione: & vterq; dicit, ſtetiſſe Ieſum in medio diſcipulorū, eosq; ſalutaſſe his verbis, *Pax vobis*, & oſtēdiſſe eis manus, & pedes, ſeu latus, dicens, *Palpate, & videte, &c.* Et quanuis Abulenſis paradox. 5. capite 37. neget, diſcipulos tunc tetigiſſe Dominum

5. āparitio indie reſurrectionis facta diſcipulis in cœnaculo. *Luc.24.* *Ioan.20.* *Abu.*

nec voluisse experiri veritatem corporis eius: quoniam illud fuisset signum imperfectissimæ fidei: quam tamen Christus in eis tunc non reprehendit, sicut postea fecit in Thoma. Nihilominus tamen probabilius videtur, tunc discipulos Christi corpus contrectasse. Quia, licet demus, nō habuisse tam imperfectam fidem, vt hoc eis esset necessarium: tamen ad maiorem fidei confirmationem id Christus fieri voluit. Et ita docet expresse Athanas. orat. cont. Arian. in hęc verba. *Ex Deo, Deus est Verbum,* Vbi tractās illa verba, *Palpate, et videte omnes* (inquit) *cohortatione ad se palpādum inuitabat, suique specimen, & approbationē exhibebat comedendo, & contrectationē ferendo Res enim ea opere completa fuit.* Et idem affirmat. Igna. epist. 10. ad smyrnens. Euse. lib. 3. histor. c. 80. alias. 36. & Tertul. lib de carne Christi, cap. 5. Et in superioribus multa tetigimus, quæ hanc sententiam confirmant. Denique præter hoc testimonium resurrectionis, Lucas addit aliud, scilicet, comedisse cum eis, & multa ex scriptura docuisse, quæ Ioannes quidem omittit, sed non negat. Sicut etiam Ioannes addit, Christum dedisse tūc discipulis Spiritum sanctum, & potestatem remitendi, & retinēdi peccata, quod Lucas prætermissit.

Athanasi. *Igna.* *Euseb.* *Tertullia:*

Obiectio

Hinc verò oritur prima difficultas, seu repugnantia inter has narrationes. Quia Lucas dicit, Christum promisisse tunc Spiritūsanctum discipulis: qui autē promittit, non tunc dat, cùm promittit: sed potius differt in posterum: Ioannes autem dicit tunc dedisse, vt patet ex illis verbis, *Accipite Spiritum sanctum.* Quę cùm fuerint verba Christi non potuerunt non esse efficacia. Porro quidam dixerunt, (vt Chryso. refert, & Euthy. ac Theophy. in Ioannē, non improbant) non tunc dedisse Spiritū sanctum, sed aptitudinem ad illum recipiēdum. Quibus fauet idem Chryso. hom. 1. in act. dicens, posse exponi, *Accipite Spiritum sanctum,* idest, accipietis Spiritum sanctum. Sed nihilominus hęc interpretatio omnino est improbanda & videtur damnata in. 5. Synod. collat. 8. capi. 12. vbi de Theodo. Mopsuesteno dicitur. *Inter alias innumerabiles blasphemias ausus est dicere, quod post resurrectionem, cum insufflasset Dominus discipulis, & dixisset, Accipite Spiritum sanctū non dedit eis Spiritum sanctum, sed figurate tantum insufflauit.* Denique illa interpretatio est & contra vim, ac veritatem verborum Christi: & contra Patrum expositionem, & Ecclesiæ sensum. Etenim si tunc nō dedit Spiritum sanctum: nec potestatē remittendi peccata dedit. Eodem enim modo de vtroque loquutus est. Dicendum est ergo, tunc dedisse illis Spiritum sanctum, nō tam ad propriā eorū sanctificationē, quàm quoad potestatem supernaturalem ordinis ad remittenda peccata. Nam, quia remissio peccatorum Spiritui sancto appropriatur, meritò cùm potestas remittendi peccata confertur, *Spiritus sanctus dari* dicitur. Non est tamen negandum: quin etiam tunc simul cum potstate data sit discipulis gratia Spiritus sancti ad propriam eorū sanctificationē, quatenꝰ necessaria est, ad dignè, sanctèque vtendum illa potestate, sicut nunc datur in sacramento ordinis, si suscipiens sit dispositus. Plenitudo autē Spiritus sancti tam quoad perfectionem propriæ sanctificationis, & confirmationis in gratia, quàm quoad varia dona, & gratias gratis datas, non est tunc data, sed in die Pentecostes: tvnc vero fuit promissa, vt Lucas dixit. Et ita nulla est repugnātia. Quia idem Spiritus sanctus sub vna ratione est datus: sub alia promissus. Atque in hunc modum tandem exponit Chrys. & re ipsa eadem est sententia Cyrilli libr. 12. cap. 56. Hiero. Epi. 150. ad Hedibiam, q. 9. & Aug. lib. 4. de Trinit. ca. 20. qui licet in modo explicandi nonnihil differāt, non tamen docent contraria. Sed vnus magis explicat, quod alter omittit: summa vero omnium in ijs, quæ diximus, continetur. Prolixior verò disputatio de sensu, & intelligentia horum verborum Christi, et quomodo in eis contineatur institutio sacramenti pœnitentiæ (vt Concilium Tridentinum definiuit ses. 14.) non est hoc loco tractanda. Habet enim proprium in materia de pœnitentia, quam in tomum qnartum huius tertiæ partis reseruamus.

Chrys. *Ethym.* *Theophyl.*

5. Synod. Responsio Spiritus sāctus post resurrectionem quomodo datus.

Chrys. *Cyrill.* *Hieron.* *Aug.*

Con. Trid.

Secunda difficultas, in prędicta narratione est, quia Lucas significat, inter fuisse tunc Thomam, cùm Christus ad discipulos ingressus est. Dicit enim Cleopham, & socium eius inuenisse vndecim congregatos, quorum vnus erat Thomas (vt supra notauimus) statim verò subdit, *Dum autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum:* at Ioannes negat, ibi affuisse Thomam. Respondetur, hoc posterius sine dubio esse verum. Lucas verò tribus modis exponi solet. Primo, vt illa vox, *vndecim,* non denotet in rigore numerum personarum:

Dubium,

Iansen. ca. 149. 147

rum: sed per synecdochen, vel appropriationem significat collegium Apostolicũ, quod tunc ex vndecim constabat, & potuit dici adesse, vbi maior pars aderat. Cęterum hæc expositio non placet. Tũ quia est contra propriam verbi significationẽ. *Vndecim* enim non significat collegium, sed numerum, vnde non dicit Lucas, *Inuenerunt congregatum*, sed *congregatos vndecim, & eos, qui cum eis erant*, & paulo superius, vt explicaret, se loqui de numero personarum dicit, *Narrauerunt hęc omnia illis vndecim*. Tũ etiam, quia eo tẽpore vndecim Apostoli nondum erant proprie congregati in vnũ corpus, seu collegium, neque habebat nomen impositum, quo per modum vnius mystici corporis significaretur.

Euthym. in Lu. c. 83

2. Expositio.

Secunda expositio est Euthimij, Lucã enumerasse Mathiam inter vndecim. Quia licet tunc non esset suffectus loco Iudæ: respexit tamen Lucas ad tempus, in quo scribebat, in quo iam Mathias vnus erat ex vndecim Apostolis, secluso Thoma. In quam sententiam referri potest Chrysost. hom. 86. in Ioan. quatenus dicit, *Thomam abfuisse, quia credibile est ex fuga nondum redijsse*. Quod etiam sequuntur Theophyla. & Euthym. in Ioan. Nam hinc necessario fit, Thomam non fuisse congregatum cũ vndecim, quando duo discipuli venerunt. Sed neque hæc solutio placet. Quia vel magnam inducit æquiuocationem, vel necessario ex illa sequitur, vbicumque in tota historia resurrectionis nominantur *Vndecim*, vel nõ comprehendi Thomam, sed Mathiam, vel posse etiam excludi aliquẽ alium ex Apostolis, & loco illius substitui Mathiam, quæ omnia sunt absurda.

Euthym. Chrys. Theophyl. Euthym.

Nam reuera Euangelistæ in huiusmodi numero respexerunt ad tempus, de quo scribebant, & ita Matth. capite 28. per antonomasiam vocat, *Vndecim discipulos*, & Marc. capite 16. simpliciter vocat, *illos vndecim*. Et idem Lucas Act. 1. post electionem Mathię dicit, *annumeratum esse cum vndecim Apostolis*.

Matt. 28. Marc. 16 Act. 1.

Vera expositio.

Vera ergo respõsio est, cũ duo discipuli Emaunte redijssent, ad fuisse Thomã: intercesisse tamen aliquod tempus ante apparitionem Domini, in quo Thomas discessit: vel quia non credebat, quæ narrabantur: vel alia oblata occasione, quam inquirere superuacaneũ est, cùm innumerę possint facile occurrere. Ita ferè Augustin. 3. de cons. Euang. c. 25. Beda, Lyranus, & alij in

Aug. Bed. Lyr.

A Lucam. Neq; obstat verbum illud Lucæ, *Dum autem hæc loquuntur*, quia in primis illo modo loquendi solum significatur, paulo post totum illud accidisse. Deinde quia credibile est, illos discipulos totam historiam apparitionis sibi factę prolixè narrasse: Thomam vero finem non expectasse, quod nugas, & deliramenta ea omnia esse sibi persuaderet. Quod tamen (vt notant Aug. tract. 121. in Ioan. & Greg. hom. 20. in Euang.) non sine speciali Dei prouidẽtia factum est, tum vt Thomas vlcus suę incredulitatis ostenderet, & perfectius, ac solidius curaretur: tum propter nostram vtilitatem, & maiorẽ fidei confirmationẽ. Cętera quæ de hac apparitione dici poterant, & ad mysterium resurrectionis pertinent, in superioribus tractata sunt, scilicet, quomodo vulnera manserint in Christi corpore, & quomodo illuc intrauerit ianuis clausis, & se tangendum, palpãdumque præbuerit, & cũ aljis comederit. Reliqua verò, quæ ad alia mysteria spectant, in propria loca remittimus.

Aug. Grc. Pap.

B

Primo resurrectionis die a Christo gesta quæ.

Ex his, quę de his quinque apparitionibus diximus, facile erit ad breuem summã redigere omnia, quę primo die resurrectionis suę Christus dominus, ad ostendendam, & confirmandam suam resurrectionem, gesit. Resurrexit enim summo manè, & statim matri suæ apparuit. Interim veniunt mulieres ad monumentum, eisq; propè accedentibus operà Angeli terræmotus factus est, & lapis è monumẽto reuolutus. Quo viso redeũt mulieres ad Apostolos, & Magdalena narrat Petro ac Ioanni, ablatum corpus Iesu. Veniũt hi ad monumentum, & vident omnia, quę à mulieribus acceperant: redeunt tamen non viso Domino. Mulieres vero, quæ cum eis iterum venerant, in monumento manent: cùmq; ibi adessent, viderunt Angelum sedẽtẽ, super lapidẽ in vestibulo sepulcri: cuius monitu ingrediuntur sepulcrũ, ibiq; conspiciunt duos Angelos, vt in ore duorum, vel trium testium staret resurrectionis verbum. Porro mulieres territæ exeunt de monumento, & aliæ quidem procul recędunt: Maria autem manet plorans in vestibulo iterum, atq; iterũ inflectens sese ad scrutãdũ sepulcrũ, vbi iterũ Angelos aspexit, & paulo post cõuersa retrorsũ vidit Dñm. A quo iussa nũtiare discipulis, quæ viderat, ęgreditur ocyus, breuique cæteras mulieres consequitur, quibus nar-

C

rat,quæ viderat,& omnes gaudio,& admi A ratione perfusæ iter eadem sedulitate pro sequuntur.Dum autem ita incedunt, om nibus rursum Christus in via ostenditur: quo adorato ad discipulos iterum mittun tur.Perueniūt illæ ad cœnaculum:narrāt, quę audierāt:& viderāt nullus tñ eis,fidē adhibet:quin potius duo ĕ discipulis pe nĕ desperati in oppidū,cuius fortasse erāt incœlo,discedunt.Petrus verô ductus de siderio videndi Dominum,iterum ad mo numentum veniens,eadem,quæ prius vi derat, intuetur,cùmque admirabūdus, ac cogitabundus rediret , ecce subito fit ei Christus obuiam,consolaturque mærentem,& ad condiscipulos mittit. Quo facto ad reuocādos duos alios discipulos pro perat Christus,eisque fit vię comes,ac tan dem se illis cognoscendum præbet in frac tione panis.Redeunt illi ad cœnaculum, B vbi socios congregatos inueniunt de apparitione Petro facta colloquentes , quibus ipsi narrant,quomodo à se quoq; fue rit visus,& cognitus.Denique, dum hæc geruntur,Christus stetit in medio eorum ac varijs modis se verê resurrexisse osten dit, sicque *gauisi sunt discipuli viso Domino,*

SECTIO QVINTA.

Quoties,& quo ordine apparuerit Christus post diem resurrectionis vsque ad ascensionem suam.

EXpositis ijs, quæ primo die resurrec tionis sunt gesta,superest, vt cæteras apparitiones ad huius materiæ complementum percurramus. Quod breuius expediri poterit, quia & Euangelistæ pau ca de ijs scribunt,& minor est in eis varietas,ac difficultas. C

Primo dicendum est, post diem resurre ctionis non apparuisse Christum discipulis vsque ad octauum diem , in quo sexta apparitio in ordine facta est. Loquimur de ijs,quę scripta sunt.Nam de ijs,quę in illis intermedijs diebus acciderunt, nihil est memoriæ proditum,& hoc sensu intelligenda sunt omnia, quę dicemus. Et ita est certa assertio ex Ioan.20.vbi tantū hęc apparitio narratur,& patebit amplius ex sequenti assertione.In hac vero appari tione nihil noui accidit ad manifestandā resurrectionem pertinens,quod in superioribus explicatum non sit.Agere autem de priori Thomę infidelitate, & de fide, quam in hac apparitione concepit, ac de sensu illorum verborum,*Dominus meus,& Deus meus*,deque Christi sententia,*Quia vidisti me,Thoma,credidisti,Beati,qui non videderunt & crediderunt*,non est nostri instituti:in materia tamen de Fide,& de Trinitate multa de his dici solent. Illud solū ad uertere oportet,ex illis verbis Christi intulisse quosdam,Thomam non tetigisse Christū:sed viso illo statim credisse.Quia Christus nō dixit,*Quia tetigisti me*,sed *quia vidisti* quod sentit Euthym. Ioan. 20. Sed in primis(vt August.notauit tract.121.in Ioan.)ex verbis Christi hoc colligi non potest.Nam verbum *videndi*,vsitata significatione non tantum de aspectu, sed etiā de omni experimento sensibus facto dici solet.Vnde sensus proprius verborū Christi est, beati,qui eas res,quas experti non sunt,neque sensibus perceperunt,credidere.Qui sensus satis cōfirmatur ex superioribus verbis eiusdem Christi.*Infer digitum tuum huc,& vide manus meas.* Nam *inferre digitū*,nō ad visū spectat : sed ad exploratio nē tact⁹.*Videre* ergo ibi nihil aliud est,quā sensu experiri.Quocirca certū esse debet, Thomā tetigisse Christi vulnera. ꝙ testatur Atha.orat.citata sectione pręcedēti,& Aug.tract.121.in Ioā.qui nō solum dicit, Thomā tetigisse, sed etiā,*per hoc quod videbat,atque tangebat,remota dubitatione credidisse*.Itaque sentit per contactum ad fidem peruenisse.Et idē sentiūt Cyril.12.in Ioā. ca.58.& Chry.hom.86.in Ioan.& Greg. hom.26.in euāgelia,Tertu.lib.de Anima cap.17.& alii.Atq; hoc pertinuit ad maiorē attestationem,& confirmationem resurrectionis,propter quam Christus hæc omnia faciebat.

Vltimo est in hac apparitione obseruandum,Rupertum lib.14.in Ioannē existimasse hāc apparitionē nō fuisse factam Ierosolymis in eodem cœnaculo,in quo facta fuerat quinta apparitio in die resurrectionis:sed in Galilæa.Tum quia cùm Apostoli accepissent pręceptū à Christo eūdi in Galilæā,nō videtur verisimile tot diebus distulisse profectionem, Ierosolymisq; māsisse.Tū etiā quia Hiero. Matt. 28. interpretās apparitionē in Galilęa factam, quam ibi Mat.narrat, inquit,*Tunc manifestius ostēditur Thomę,& latus lancea vulneratū & ma-*

Christus post diem resurrectionis vsque ad octauum non apparet discipulis.

Ioann.20,

Euthym:

Thomas Christi suscitati vulnera & visu exploratet tactu.

Athanasi.

Aug.

Chryso.

Cyr.

Gre.

Tertullia.

Rupert.

Hierony.

& manus fixas demonstrat clauis. Nihilominus certum existimo, hanc apparitionem factam esse in eodem loco, atque eisdem ianuis clausis. Quæ est sententia Augustin. Chrysostom. Cyrilli, & fere omnium in hunc locum. Et patet ex contextu Ioannis, *Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus:* vbi illæ particulæ, *iterum*, & *intus*, apertè indicant semel fuisse cõgregatos in illo loco, & absente Thoma, Christũ stetisse in medio eorum, & postea eodẽ iterum conueniisse, presente Thoma. Et idẽ colligi potest ex similitudine aliorum verborũ, & totius narrationis. Item quod hęc apparitio non sit illa facta in Galilęa, quã narrat Matth. videtur euidens. Quia illa apparitio facta est in monte, vt colligitur ex illis verbis Matt. *Abierunt in Galilęam in montem, vbi constituerat illis Iesus, & videntes eum adorauerunt.* Vbi Hieron. *Post resurrectionem Iesus in monte Galilææ conspicitur.* Hęc autem apparitio facta est *ianuis clausis*, quomodo ergo possunt esse vna, & eadẽ. Nisi quis cum Ruperto dicat, apparuisse in Galilęa in domo aliqua supra montem ędificata, quam Rupertus dicit, fuisse domum B. Virginis in ciuitate Nazareth, quæ in monte ędificata erat, vt dicitur Luc. 4. Sed hoc totum valde est voluntarium, & preter synceram verborum expositionem. Neque existimo Hieronymũ sensisse contrarium. Non enim dicit, tunc Christum primo fuisse ostensum Thomę, sed manifestius fuisse ostensum. Quæ verba potius indicant, iam antea fuisse illi ostensum. Tũc autẽ dicitur manifestius fuisse id factũ, vel quia non iam inter priuatos parietes: sed media luce, & coram pluribus testibus se ostendit. Vel certè, quia ipsamet iterata ostensio est maior eiusdẽ rei, veritatisq; confirmatio, ac declaratio. Quod aũt discipuli distulerint profectionẽ in Galilęã per octo dies, non est mirandũ. Primũ quia oportebat, prius omnes Christi sectatores de hoc admoneri, & ad profectionem parari, & præsertim expediebat, ipsum Thomam reuocari, ac persuaderi, vt vna cum alijs proficisceretur. Deinde propter Iudęorum turbationem oportebat, paulatim progredi, & aliquam morã interponere, vt securius possent incedere.

Aug. Chrys. Cyrill.

Apparitio discipulis presente Thoma, Ierosolymis facta.

Matth. 28

Hieron.

Luc. 4. Rupert.

Septima Christi resurgẽtis apparitio quæ.

Secundo dicendum est, septimam apparitionem fuisse ad mare Tiberiadis presentibus quatuor Apostolis, Petro, Thoma, Ioanne, & Iacobo fratre eius, Nathanaele, & duobus alijs discipulis, prout latè narrat Ioan. c. 21. Ex cuius verbis cõstant satis aperte oẽs circunstantię huius apparitionis, & quomodo in ea Christus varijs modis suã resurrectionẽ cõfirmarit. Quod verò acciderit prædicto ordine, colligi potest ex illis verbis, *Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis.* Hæc enim verba nõ possunt simpliciter intelligi, numerando omnes apparitiones, neq; etiã numerãdo apparitiones factas viris, tametsi velimus discipulorum nomine viros interpretari. Quia cõstat ex dictis, pluries antea apparuisse tã viris, quàm fœminis: ergo necessario intelligendũ est, hanc esse apparitionẽ tertiã, vel inter eas, quæ factæ sunt multis discipulis simul, & ita fit, primã, & secundam ex his tribus fuisse duas antea factas in cœnaculo ianuis clausis. Nam in omnibus aliis non apparuerat, nisi vel fœminis, vel vni Petro, vel ad summũ duobus discipulis. Cõcluditur ergo, hanc apparitionẽ fuisse proximè cõsequutã post aliam factam octauo die resurrectionis, atque ita esse ordine septimã. Vel certe exponere possumus hanc fuisse tertiã apparitionem in ordine narrationis Ioannis, non simpliciter, quia hoc modo potius est quarta, cùm prius narrauerit apparitionem factam Magdalenæ: sed respectu virorum, vel multitudinis discipulorum. Et hoc sensu idẽ concludi potest, quia verisimile est, Ioannem more suo seruasse rerũ gestarum ordinem in historię narratione. Præsertim quia indubitatum videtur, hãc apparitionẽ non euenisse ante transactum octauũ resurrectionis diem. Nam (vt diximus) discipuli vsq; ad octauum diem Ierosolymis manserunt: hæc autem apparitio in Galilæa facta est. Nam mare Tiberiadis in Galilæa erat. Quod autem fuerit prima omnium, quæ factæ sunt in Galilæa eadem fit coniectura ex prædictis verbis Ioannis, & ex ordine narrationis. Vnde Glossa interlinealis aliter exponens prędicta verba, eandem sententiam confirmat. Dicit enim, hunc fuisse tertium diẽ, in quo Christus se manifestauit. Primus enim fuit dies resurrectionis: secundus, dies octauus: tertius, in quo præsens apparitio fuit facta, de quo, quantũ à superioribus distet, ignoratur. Dices, in principio huius narrationis ait Ioannes, *Postea manifestauit se iterum Iesus*, ergo iã prius se manifestauerat in Galilęa. Respondeo

Ioann. 21.

Glo. inter.

Obiectio

Responsio

negando consequentiam, quia particula, *iterum*, solum denotat iterationem similis rei gestæ. Dicit ergo Ioannes, iterum se Christum manifestasse, quia iam prius se manifestauerat, licet non in Galilęa. Nec refert, quòd non semel tãtum: sed sæpe se manifestauerat, quia particula *iterũ* nõ significat idẽ, quod *secundo*, sed potius idem, quod *rursus*, Hispanè, *otra vez*. Quod si quis contendat significare idem, quod *secundo*, & dicere relationem ad solam aliam priorem apparitionem dicat, hanc fuisse secundam apparitionem factam presente Thoma. Vnde, cùm Euangelista proximè narrasset apparitionem factam Thomæ, subdit, iterum Iesum se ostendisse Thomę cum alijs discipulis.

Continet autem apparitio hæc duas præcipuas partes. Prior propriè pertinuit ad manifestationem, & confirmationem resurrectionis Christi, & ideo finita narratione huius partis, subdidit Ioannes. *Hoc iam tertio manifestauit se iterum Iesus*, & tota huius partis narratio est clara, & multa continet mysteria secundum mysticam interpretationem, sed non est nostri instituti hæc persequi. Neque in ijs, quæ spectant ad confirmandum mysterium resurrectionis, de quo agimus, specialis difficultas occurrit. Legatur Greg. homil. 24. in Euang. Aug. tract. 122. in Ioan. Chrysosto. hom. 86. & sequentib. Cyril. lib. 12. cap. 63. & ibi reliqui expositores. Posterior pars huius historiæ continet institutionem visibilis Monarchiæ Ecclesiasticæ, summumque pontificatum Petro a Christo collatũ, sicut fuerat ante promissus. De qua re, quę grauissima est, & propter quam pręcipuè Ioannes scripsit hanc apparitionem, his temporibus latissimè contra hæreticos disputatum est, & in materia de fide nõnulla à nobis tradita sunt, quæ (si Deus opem tulerit) aliquando in lucem emittentur. Addit verò obiter Ioãnes in hac apparitione, prædixisse Christũ Petro mortem eius, de ipso vero Ioanne aliquid ambiguũ, & subobscurũ prædixisse, vnde orta est quęstio, an Ioannes mortuus fuerit, quam in fine huius operis tractabimus.

Gre. Aug. Chryso. Cyr. Ale.

Octaua Christi resurgẽtis apparitio, in monte Galilææ facta. Aug.

Dico tertio, octauam apparitionem esse illam, quam in monte Galilææ factã Matt. narrat. Ita docet Aug. 3. de consens. Euan. cap. 25. quem omnes sequuti sunt. Et cõiectura esse potest. Quia aliæ apparitiones, de quibus dicemus in sequenti conclusione, factæ sunt in Iudæa, sed pręcedens apparitio facta est in Galilæa, ergo & hęc ibidem est facta: ergo credendum, est, contigisse antequam discipuli in Iudæam redirent. Euenit ergò proximè post superiorem apparitionem ad mare Tiberiadis factam. Narrat porrò Matth. hanc apparitionem factam esse coram vndecim discipulis: non verò dicit, illos fuisse solos, quin potius credibile est magnum discipulorũ numerum illuc confluxisse, vt inferius annotabimus. Et potest sumi cõiectura ex illis verbis. *Quidam autem dubitauerunt*, non est autem verisimile, aliquem ex Apostolis iam dubitasse; in multitudine autẽ discipulorum non est mirum, aliquos fuisse in fide imperfectos. Matth. verò vndecim specialiter meminit, vt significaret illos esse principes Ecclesiæ, & ad illos specialiter direxisse Christum illa verba *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra: euntes ergo docete omnes gentes &c.*

Matt. 28.

Dubium.

Sed occurrit in hac apparitione non cõtemnenda difficultas, cur tam angeli, qui mulieribus apparuerunt, quàm ipse Christus eisdem apparens iusserunt nũtiari discipulis, vt irent in Galilæam, quoniam ibi Christum essent visuri: cum multò antea eum viderint Ierosolymis, & nihil peculiare, aut insigne legatur in hac apparitione, cuius gratia ea iussio, seu promissio facta esse credatur. Nã quod illa promissio in hac apparitione impleta sit: coniectura esse potest. Quia prior, quę facta est ad mare Tiberiadis, nõ fuit coram omnibus discipulis, sicut hæc, post quam non legimus aliam apparitionem factam in Galilæa. Hanc difficultatẽ tractat latè D. Th. hic ar. 3. ad 4. In qua illud in primis certũ est, Christum neque mutasse sententiam, neq; promissum non impleuisse, eo quod prius alibi, quam in Galilæa sese discipulis ostenderit. Quia neque ipse, neque angeli dixerunt, visum iri eum duntaxat in Galilæa, & non alibi, neque prius in Galilæa quàm alibi. Vnde Ambrosius super Lucam cap. 24. *Non est (inquit) promissi transgressio, sed potius festinata ex benignitate impletio.* Quod autem ibidem ait Amb *Dominum prius mandasse discipulis vt in Galilęam se viderent: sed illis metu intra conclaue residentibus, primum se obtulisse: postea vero confirmatis animis illos Galilęam petijsse*, Hoc (inquã) non est ita intelligendum, ac si Christus

Ambros.

prius

prius decreuisset ostendi primo discipulis in Galilæa, & postea explorata discipulorum dispositione manifestationem maturasse suam. Constat enim, Christum nihil ignorasse, & omnia, quæ á se facienda erãt præordinasse, ac statuisse. Sed sensus Ambrosij est, Christuma principio mandasse discipulis, vt irent in Galilæam, quia illuc precipua eius intentio, volũtasq; tẽdebat

Responsio

sese generalius manifestandi: interim tamen, dum illa solennis apparitio parabatur, voluisse discipulos suos consolari, & animare. Ex quo, secundo intelligi potest ratio, ob quam Christus à principio suæ ostensionis tam per angelos, quàm per se ipsum illud mandatum ad discipulos transmiserit. Quia scilicet ibi decreuerat, manifestare sese non priuatim, & in occulto, sicut Ierosolymis, vbi discipuli erant timore Iudęorum pleni; sed palam, & publicè, depositio omni Iudæorum metu, & cum B magna tranquillitate, & securitate. Vnde etiam intelligitur, hãc apparitionem fuisse coram multis discipulis ita, vt multi e-

1. Cor. 15. xistiment (sicut ex Eusebio hic D. Tho. refert) quod Paulus ait. 1. ad Cor. 15. appa-

Hieron. ruisse Christum plusquam quingẽtis fratribus, in hac apparitione, fuisse impletũ. Hieronymus verò. q. 7. ad Hedibiam probabiliter credit, Christum non semel tantum, aut iterum suis discipulis in Galilæa apparuisse: sed sæpius. Ita, vt familiariter, & quasi continue cum eis versaretur, & ibi impletum sit quod Lucas ait Acto. 1. *Quibus & præbuit se ipsum viuum post passionem suam, per dies quadraginta apparens eis.* Et hinc etiam coniectare possumus, quas ob causas stauerit Christus hoc modo ap C parere potius in Galilęa, quãm in Iudæa.

Chryso. Prima est, quia in Galilæa plures habebat discipulos, ac sectatores. Secunda. quia in ea regione securius poterant Apostoli, & discipuli versari, Tertio (vt ait Chry. hõ. 83. in Matth.) vt hoc ipsum esset discipulis indicium, eundem, qui in Galilæa conceptus fuerat, atque educatus, quique in ea regione frequẽtius prędicauerat, & maiora miracula fecerat, eundem, inquam esse, qui resurrexerat: & qui in eadem regione eis apparebat, in qua plurimum cum ipso conuersati fuerant. Quarto quia fortasse intellexit Christus, hoc futurum gratius Apostolis, qui maiori ex parte Galilæi erant. Præter has verò causas assignari so-

D. Thom. lent alię mysticæ: vt etiam tetigit D. Tho. ex Aug. lib. 3. de consensu Euangelistarũ. Aug.

Galilæa enim latinè *transmigratio* dicitur illa verò Galilæa dicitur *Galilęa gentium*, Matt. 4. & Isaiæ. 9. Significatum ergo est Mat. 4. in hac apparitione, Christum prius Iudæis Isai. 9. prædicatum, illis non credentibus, transiturum fuisse ad gentes, vt Paulus dixit Act. 13. Actor. 13. & significauerat Isai. c. 9. vbi facta mentione Galilæę gentium subdit, Po- Isai. 9. *pulus qui ambulabat in tenebris, vidit lucẽ magnam, & habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis.* Quæ verba, licet ad literã intelligantur de ipsa regione Galilææ (vt significat Matt. cap. 4.) tamen in mysterio etiam cõtinẽt conuersionem gentiũ, vt Sancti interpretantur. Deinde significatum est, Christum per resurrectionẽ suam transmigrasse, seu translatum fuisse ab statu passibili ad immortalem, & glorioſum. Significatum item tunc fore nobis perfectè manifestandum, quando simili modo immutati, seu translati fuerimus. Tandem ex dictis concluditur, alienam esse à traditione Sanctorum sententiam quorundam recentiorum, qui dicũt, hanc apparitionẽ non fuisse factam in regione Galilææ: sed in quodam loco, qui est in vertice montis Oliueti, qui nunc Galilæa vocatur. Quanuis enim non negem, reperiri huiusmodi locum, & ita appellari (sicut referunt viri fide digni, qui loca illa peragrarunt) tamẽ in Euangelio nunquam sumitur Galilæa in hac significatione, neque cum aliquo fundamento affirmari id potest. Marc. 16

Dico quarto, nonam apparitionem fuisse illam, quam Marcus narrat cap. vltimo, quãdo *recũbẽtibus vndecim discipulis apparuit illis Iesus, & exprobrauit incredulitatẽ eorum*, &c. Decimam verò ex ijs, quæ in Euangelio scriptæ sunt, fuisse illam, quæ facta est Luc. 24. in die ascensionis, quando, videntibus discipulis eleuatus est, Luc. vltimo, & Act. 1. Act. 1. Hęc est sententia Aug. dicto lib. 3. cap. 25 Aug. Et quod attinet ad apparitionem, quã narrat Marcus, Certum est, fuisse distinctam Tatian. ab illa quam dicit Mat. factam esse in Ga- Ammon. lilęa (quanuis Tatianus, & Ammonius in harmonijs Euangeliorum illas cõfundãt) Cęterũquod sint distinctę, colligi potest. Nã illa facta est in mõte, hæc videtur facta esse in domo aliqua, & fortasse in cœnaculo, vt colligitur ex verbis illis. *Recumbẽtibus vndecim discipulis*: & inferius idem colligemus ex illis Lucæ, *eduxit eos foras*. Item illa facta est in Galilæa: hæc verò (vt pro-

babilius creditur) in Iudæa. Nam facta est proximè ante ascensionem. Vnde etiam non videtur dubium, quin hæc fuerit post omnes, de quibus hactenus diximus, &
Marc. 16. proximè ante ascensionem. Vnde Marcus initio huius narrationis, dicit, *Nouissime recumbentibus, &c.* & statim post illā cōcludit, *Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlū.* Et ita exponunt Greg. hom. 29. in Euang. & Beda lib. 4. in Marcum, qui dicit, hanc apparitionem factam esse quadragesimo à resurrectione die. Quo circa hi duo Patres in hoc videtur ab Aug. differre. Quia non distingunt has duas apparitiones: sed hanc, quam Marcus narrat, significant fuisse vltimam, quæ facta est ipso die ascensionis. Quod magis placet nonnullis recentioribus: sed existimo, nec discedēdū esse à sententia Aug., neq; eos Patres inter se dissentire. Et D. Thom. quidem hoc loco ita eos conciliat. Apparitionem, quam narrat Marcus, fuisse vltimam, quæ facta est in terra, & ideo appellari *nouissimam*: postea vero in ascensione visum esse Christum non in terra, sed in aëre, & in nube. Ad quod amplius explicādum addere possumus, finita apparitione (quam narrat Marcus) factū esse, quod narrat Lucas, *Eduxit autem eos foras in Bethaniam.* Nam, cùm præcedens apparitio facta fuerit in cœnaculo (vt supra ex verbis Marci ostendimus) vt discipuli viderent Christum ascendentem, necesse fuit foras educi. Neq; oportet intelligere ita Christum eos eduxisse, vt visibiliter eos fuerit comitatus in itinere, neque enim credibile est, tantam multitudinem discipulorum simul fuisse profectam: sed diuisim, aut diuersis vijs, ad vitandum populi rumorem. Ergo non oportebat, Christum eos visibiliter comitari. Nisi quis fortasse piè meditetur, Christum vna cum Virgine, & aliquibus Apostolis visibiliter incessisse, quod nobis nihil obstat. Quia nihilominus sequēs apparitio, prout facta est vniuerso cætui discipulorum, numerari potest, vt distincta: præsertim cū nouo, & insitato modo fuerit facta. Dicitur ergo Christus eduxisse foras discipulos, eò quòd iusserit eos exire, & omnes conuocare in eum locum, à quo erat in cœlū ascensurus. Illic ergo iterum ab omnibus discipulis visus est, vel in terra, vel in aere (vt D. Thom. vult) propè terram. Verisimile enim est, prius fuisse aliquantulum à terra eleuatum, vt ab omnibus commodissimè videri posset, atque ita aliquo breui tempore fuisse cum eis, & (vt ait Lucas,) *eleuatis manibus benedixisse eis*, ac tandem ab eis recessisse. Luc. 24.

Vltimò addendum est præter has apparitiones, quas Euangelistæ narrant, fa-
Variæ Christi resurgentis apparitiones. pius illis quadraginta diebus Christum apparuisse. Hoc colligitur primo ex Act. 1. ibi-
Act. 1. lis verbis, *Quibus & præbuit seipsum viuū post passionem suam, in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis.* Secundo ex
1. Cor. 15. Paulo 1. ad Corin. 15. vbi loquitur in hæc verba, *Visus est Cephæ* (de hac apparitione iam diximus,) *& post hoc vndecim*: de hac etiam diximus, posse esse eādem cum ea,
D. Thom. quæ facta est præsente Thoma, Dominica in octaua Resurrectionis, vt benè exponit D. Thom. 1. Corint. 15. Aduertendum tamen est, Græca habere hoc loco *duodecim*, & ita legere Chrisost. & Theophyl. ibi, & Euseb. ad Marinum aput Anastasium Nicenum, quæst. 90. in scripturā. Vnde Græci interpretes variè exponunt. Primo Chrys. hom. 38. ait, loqui Paulum
Chrys. Theophyl. Euse. Anselm. de aliqua apparitione facta omnibus Apostolis post ascēsionē, & electionē Mathiæ. Nam infra etiam loquitur de apparitione sibi facta, quam constat, fuisse post ascensionem, & aliæ, quas ibi numerat, in certū est, quando factæ sint. Secundo alij dixerunt, sermonem esse de prædicta apparitione diei octauæ, & ibi affuisse Mathiā, & numeratum esse à Paulo, quia iam tūc, cùm Paulus scripsit, erat vnus ex duodecim. Tertio ait Iansenius illud nomē, *duodecim*, non esse positum propter numerū personarum: sed ad significandum collegium Apostolicum, & ita vtitur hoc loco ad confirmandam similem expositionem alterius loci Ioan. 20. quam supra tractauimus. Et Aug. lib. 3. de cons. Euang. capit. 25. quanuis fateatur, varias esse huius loci lectiones: magis tamen indicat legendum esse, *duodecim*, & inter alias explicationes insinuat hanc tertiam ijs verbis, *Siue sacratum illum numerum, etiam in vndecim stare voluerit, quia duodenarius in eis numerus ita mysticus erat, vt non posset in locum Iudæ, nisi alius, ideſt, Mathias, ad conseruandum sacramentum eiusdem numeri subrogari.* Ex quibus verbis colligi potest, aliquod maius esse fundamentum, vt nomen, *duodecim*, retentum sit ad significandum collegium Apostolicum
Iansen. Aug.

licum deficiente Iuda, quàm nomen *vndecim* ad significādum reliquos Apostolos deficiente Thoma, scilicet, propter mysterium, & quia prius viuente Christo fortasse eo nomine appellabantur. Quarto tandem addit ibidem Augustinus, nō oportere hūc locum intelligere de duodecim Apostolis, sed de aliquibus duodecim discipulis, quicunque illi fuerint. Et potest hoc fieri verisimile, quia statim dicit Paulus, deinde apparuisse Christū omnibus Apostolis. Quod si hoc verum est, consequenter dicendum est, hanc apparitionem esse distinctam ab ijs, quæ in Euangelio narrātur. Melius tamen est retinere vulgatam latinam æditionem, quam sequuntur Amb. Hieronym. Anselm. D. Thom. & alij, & ex Græcis ita etiam legit Theodoretus. Qua lectione suppositā rectè exponitur hic locus de apparitione facta octauo die Paschæ, vt diximus. Quanuis Anselmus, & nonnulli alij exponant per synecdochē de quinta apparitione facta in die paschatis: quod non ita placet, vt superius dictū est.

Amb. Hieron. Ansel. D. Thom. Theodore.

Addit præterea Apostolus, *deinde visus est plusquā quingentis fratribus simul.* De quo Hieronym. q. 7. ad Hedibiam, probabile existimat, hanc apparitionem factam esse in Galilæa: an verò sit distincta ab ijs, quę narrantur in Euangelio, vel eadem cum illa, quæ facta est in monte Galiliæa (quam Matth. narrat) incertum est.

Hieron.

Dicit prēterea Paulus. *Deinde visus est Iacobo.* Hæc apparitio noua est, & distincta ab omnibus suprà tractatis. Nominando enim *Iacobum*, satis significat illi singulari ter factam esse, vt omnes interpretes exponunt, qui etiam hoc intelligunt de Iacobo Alphæi, seu fratre Domini. De quo ad Galat. 1. ait Apostolus. *Alium Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini:* & cap. 2. hunc Iacobum numerat inter tres columnas Ecclesiæ cum Petro, & Ioāne. Quādo autem hæc apparitio facta sit, quidam existimant, factam esse ipso die resurrectionis summo manè, propter historiā, quam refert Hieronym. de scriptorib. Ecclesi. ex quodam Euangelio Hebræorū, scilicet, hunc Iacobum in nocte cœnæ vouisse non comesturum panem; donec videret Christum resurgentem à mortuis, & ideò Christum ei apparuisse, ac dixisse, *Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit filius hominis a dormientibus.* Nam, si hæc est vera historia, necesse est, dicere citissimè illi apparuisse, ne tanto tempore ieiunus perseueraret. Sed D. Tho. super Paulum propter hāc causam non admittit hanc historiam, & Aug. 3. de Consens. Euan. cap. 25. existimat, hanc apparitionem ēsse factam post alias, quarum Paulus prius fecerat mentionem.

Iacobo Alphæi post resurrectionem Christi apparet. 1. Cor. 15. Ga. 1. & 2.

D. Thom. Aug.

Adhæc ait Paulus, *Deinde Apostolis omnibus*, hæc esse potuit apparitio illa, quam Marcus refert, factam esse recumbentibus vndecim discipulis. Tandem dicit, *Nouissime autem omnium tanquam abortiuo visus est mihi.* Hæc iam non pertinet ad proprias apparitiones resurrectionis: sed ad eas, quæ factæ sunt post ascēsionem, de quibus postea dicendum.

Vltimo circa hāc conc. est Aduert. Ignatiū in epist. ad Polycarpū, & ad Symirnēses, de se ita loqui. *Ego vero & post resurrectionem in carne eum vidi.* Quæ verba nunc desiderātur in epistō. ad Polycarpū: ea vero ex eadē Epi. refert Hiero. de scripto. Eccles. in Ignatio, in epistola autem ad Symyrnens. habentur in hunc modum. *Ego vero non modo in carne ipsum cognosco ex natiuitate, & crucifixione eius: sed & post resurrectionem scio: eum in carne fuisse, & credo etiam nunc esse:* & eodem modo referūtur ab Euseb. lib. 3. c. 30. alias. 36. Ex quibus verbis nō colligitur aliqua sensibilis apparitio Ignatio facta: si autem priori modo legātur, illa verba, prout à Hieronymo referuntur dicere posset aliquis, Ignatiū vidisse Christū cū alijs discipulis in aliqua apparitione earū quæ ab Euāgelistis narrātur. Quia fortasse tunc Ieroſolymis, vel in Galilæa inuentus est inter discipulos. Sed hoc admitti non potest, si veræ sunt epistolæ Ignatij ad B. Virginem, & ad Ioannem. Nam ex eis colligitur, Ignatium prædicatione Ioannis Euangelistæ ad fidem fuisse conuersum. Vnde necesse est, hanc visionem Ignatij, sive fuit sensibilis, post ascensionem domini fuisse: hoc tamen, nec sufficiens habet fundamentum, nec cohæret cum verbis supra citatis, in quibus distinctè fit sermo de tempore resurrectionis, & post ascensionem. Quocirca de hac apparitione nihil est certi, neque de aliis, præter eas, quas adduximus.

Ignat.

Hieron.

Euseb.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum Christus veritatem resurrectionis debuerit argumētis declarare.

Ad quin-

306 3. dist. 21. q. 2. ar. 3. ct 4 Et op 3 c. 245 et op. 60. ca. 22. co. 4 li. 1. de fil cap. 5. non procul a fi ne tomo 2. Ho. 26. in Euange. in prin. illius.

AD quintum sic preceditur. Videtur, quòd Christus veritatẽ resurrectionis non debuerit argumentis declarare. Dicit enim Ambr. Tolle argumenta vbi fides quæritur, sed circa resurrectionẽ Christi quæritur fides. Non ergo habent ibi locum argumenta. ¶ 2. Præterea Greg. dicit. Fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum. Sed ad Christum non pertinebat meritum fidei euacuare. Ergo ad eum non pertinebat resurrectionem per argumenta confirmare. ¶ 3. Præterea, Christus in mũdum venit, vt per eum homines beatitudinem adipiscantur: secundum illud Ioan. 10. Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant. Sed per huiusmodi ostensiones argumentorum videtur humanæ beatitudini impedimentum præstari, dicitur enim Ioan. 20. Beati qui non viderunt, & crediderunt. Ergo videtur, quòd Christus non debuerit per aliqua argumentare resurrectionem suam manifestare. ¶ Sed contra est, quod dicitur Act. 1. quòd apparuerit discipulis Christus per dies quadraginta in multis argumentis, loquens de regno Dei.

Respondeo dicendum, quòd argumentum dicitur dupliciter. Quandoque dicitur argumentum quæcunque ratio, rei dubiæ faciens fidem. Quandoque autem dicitur argumentum, aliquod sensibile signum, quod inducitur ad alicuius veritatis manifestationem: sicut etiã Arist. in libris suis aliquando vtitur nomine argumenti. Primo igitur modo accipiendo argumentum, Christus nõ probauit discipulis suam resurrectionem per argumẽta, quia talis probatio argumentatiua processisset ex aliquibus principijs, quæ si non essent nota discipulis, nihil per ea eis manifestaretur: quia ex ignotis non potest aliquid fieri notum. Si autem essent eis nota, non transcenderent rationem humanam, & ita non essent efficacia ad fidem resurrectionis astruendã, quæ rationem humanam excedit. Oportet enim principia ex eodem genere assumi, vt dicitur in primo Posteriorum. Probauit autem eis resurrectionem suam per autoritatem sacræ Scripturæ (quæ est fidei fundamentum) cùm dixit. Oportet impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege, & Psalmis, & Prophetis de me, vt habetur Luc. vlt. Si autem accipiatur secundo modo argumentũ, sic dicitur Christus suam resurrectionem argumẽtis declarasse, in quantum per quædam euidentia signa, se verè resurrexisse ostendit. Vnde in Græco, vbi nos habemus. In multis argumentis, loco argumenti, ponitur tecmirion, quod est signum euidens ad probandum. Quæ quidem signa resurrectionis, Christus ostẽdit discipulis propter duo. Primò quidem, quia non erant corda eorum disposita, ad hoc quòd de facili fidem resurrectionis acciperent, vnde ipse dicit eis Luc. vlt. O stulti, & tardi corde ad credendum Et Mar. vlt. exprobrauit illis incredulitatem eorum, & duritiam cordis. Secundò, vt per huiusmodi signa eis ostensa, efficacius eorum testimonium redderetur: secundum illud 1. Ioan. 1. Quod vidimus, & audiuimus, & manus nostræ contrectauerunt, hoc testamur.

li. 1. te. 20. to. 1.

In Rheto. ad Alexandrum. c. 14. a me. to. 6.

Ad primum ergo dicendũ, quòd Ambros. ibi loquitur de argumentis secundum rationem humanam procedentibus, quæ inualida sunt ad ea, quæ sunt fidei, ostendenda: sicut ostensum est. ¶ Ad secundum dicendum, quòd meritum fidei est ex hoc, quòd homo ex mãdato Dei credit, quod non videt. Vnde illa sola ratio meritum excludit, quæ facit videri per scientiam id, quod credẽdum proponitur, & talis est ratio demõstratiua. Huiusmodi autem rationes Christus non induxit ad resurrectionem suam declarandam. ¶ Ad tertium dicendum, quòd (sicut dictum est) meritum beatitudinis, quod

Incorp. cr.

quod causat fides, non totaliter excludi tur, nisi homo nollet credere, nisi ea quæ videt, sed quod aliquis ea, quæ non videt credat per aliqua signa visa, nõ totaliter fidem euacuat, nec meritum eius. Sicut et Thomas, cui dictum est. Quia vidisti me, credidisti, aliud vidit, & aliud credidit vidit vulnera, & credididit Deũ. Est autem perfectioris fidei, qui non requirit huiusmodi auxilia ad credendum. Vnde ad arguendum defectum fidei in quibusdã, Dominus dicit Ioan. 4. Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis. Et secũdum hoc potest intelligi, quòd illi, qui sunt tã prompti animi, vt credant Deo, etiam signis non visis, sint beati per comparationem ad illos, qui non credunt nisi talia videant.

COMMEMTARIVS.

Cùm D.Tho. in superioribus articulis declarasset, oportuisse Christum non resurgere manifeste coram discipulis: sed postea manifestari aliquibus, quorum testimonio in aliorum notitiam deueniret: in hoc ar. & sequenti explicat, hoc fuisse, & conuenienti, & sufficienti modo â Christo domino perfectum. Porrò in præsenti art. vt illum conuenientem modum explicet, simul declarat verba illa Act. 1. *Præbuit se ipsum viuum post passionem suam in multis argumentis.* Quorum sensus est, Christum multis argumentis ostendisse suis discipulis se esse viuum, atq; adeò surrexisse. Vt autem D. Thom. explicet, quid nomine *argumẽtorũ* ibi intelligitur, distinguit significationem illius vocis. Interdum enim quæcunque ratio rei dubiæ faciens fidem dicitur *argumentum*: & hoc modo non sumitur (inquit) in prædictis verbis. Quia ille non fuisset conueniens modus ostendendi resurrectionem. Nam res supernaturales non possunt hoc modo ratione ostendi: sed diuina autoritate, qua Christus est vsus, tam scripturis vtendo, quàm in memoriam reuocando suam promissionem, ac prædictionem Luc. 24. *Hæc sunt verba, quę loquutus sum ad vos, cũ adhuc essẽ vobiscum*: & ibidem, *o stulti, & tardi corde ad credendum in ijs, quę loquuti sunt Prophetæ*. Eadem autoritate vsi sunt Angeli, quando anuuntiarunt resurrectionem illis verbis. *Surrexit sicut dixit*: & illis, *Præcedet vos in Galilęam, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis*: & apertius apud Lucam, *Recordamini, qualiter loquutus est vobis, cũ adhuc in Galilæa esset*. Alio modo (inquit D. Tho) dicitur *argumentum*, quodcunque signũ sensibile, quo aliqua res ostenditur, & hoc modo, dicit, sumi in prædicto loco Acto. quod rectè colligit ex nomine Græco, τεκμήριον, quod propriè significat signũ rei, non qualecunque sed certum, ac verũ. Idemque colligi potest à sufficienti enumeratione. Et præterea, quia veritas rei facte secundum realem existentiam, nõ potest argumentis ostendi ex natura rei sumptis: sed ex effectibus, ac signis ostẽdi debet. Vnde tandem concludit D. Tho. hũc modum fuisse conuenientem duplici ratione, scilicet & propter tarditatem, ac indispositionem discipulorum, & vt eorum testimoniũ efficacius redderetur, vt enim constat ex materia de Fide: quanuis sensibilia experimẽta aliquorum effectuũ, vel signorum non sint fidelibus ratio credendi, neque simpliciter necessaria ad fidem, quæ diuina autoritate nititur: multum tamen conferre possunt, vt res propositæ fiant credibiles. Atque ex hijs facile constant omnia, quæ D. Thom. tradit etiam in solutionib. argumentorum.

Testimonij Act. 1. Expositio.

Argumenti vox quid denotet,

Luc. 24.

Resurrectionis Christi argumẽta quæ fuerint.

Luc. 24.

Solum potest quis hærere circa illam distinctionem D. Thom. Quia nullum signum sensibile est efficax ad ostendendam aliquam veritatem, nisi in vi alicuius rationis, & syllogismi, vt quando Christus ad ostendendam suam resurrectionem dicebat, *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, et ossa non habet*, virtute faciebat hunc syllogismum: spiritus carnem & ossa non habet: atqui ego habeo carnem, & ossa, vt videtis: ergo non sum apparens spiritus, sed verum corpus habeo. Et similiter, quãdo comedebat, virtute ita concludebat. Qui verè comedit, viuit: sed ego comedo vt videtis: ergo viuo. Hęc igitur argumenta Christi continebant veras ratiocinationes, ergo neque distinctio D. Tho. locum habet, neque verum est, *argumentum* eo loco non sumi pro ratione, seu ratiocinatione. Respondetur, difficultatem oriri tantum ex ambiguitate vocis D. Tho. enim in priori membro rationem facientem fidem distinxit ab experimento, ita vt signifi-

nificet ostensionem factam ex principijs rei, quæ abstrahant à signis sensibilibus, & hoc modo distinxit argumentum in illa priori acceptione à signo sensibili. Nihilominus tamen verum est signum sensibile, vt intellectui aliquid aliud præter seipsum ostendat, ad aliquā ratiocinationem reuocādum esse. Quin potius propter hanc maximè causam nomen *argumenti* illi accommodatur.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrùm argumēta, quæ Christus induxit, sufficienter manifestauerint resurrectionem eius.

307: Locis supra art. 5. not.

AD sextum sic proceditur. *Videtur, quòd argumenta, quæ Christus induxit, non sufficiēter manifestauerint veritatem resurrectionis eius. Nihil enim ostendit Christus discipulis post resurrectionem, quod etiam Angeli hominibus apparentes, vel non ostenderint, vel ostēdere non potuerint: nam Angeli frequēter in humana effigie se hominibus ostenderunt: & cum eis loquebantur, & cōuersabantur, & comedebant, ac si essent homines veri: sicut patet Genes. 18. de Angelis, quos Abraham suscepit hospitio, & in libro Tobiæ, de Angelo qui cū duxit, & reduxit. Et tamen Angeli non habēt vera corpora naturaliter sibi vnita, quod requiritur ad resurrectionem. Non ergo signa, quæ Christus discipulis exhibuit, fuerunt sufficientia ad resurrectionem eius manifestandam.*

¶ 2. *Præterea, Christus resurrexit resurrectione gloriosa, idest, habens simul humanam naturam cum gloria. Sed quædam Christus ostendit discipulis, quæ videntur esse cōtraria naturæ humanæ (sicut quòd ab oculis eorum euanuit, & quòd ad eos ianuis clausis intrauit) quædam autem videntur esse contraria gloriæ: puta quòd manducauit & bibit, & quòd habuit vulnerum cicatrices. Ergo* A *videtur, quòd illa argumēta non fuerint sufficientia, neque conuenientia ad fidē resurrectionis ostendendam.*

¶ 3. *Præterea, Corpus Christi non erat tale post resurrectionem, vt tangi deberet ab homine mortali, vnde & ipse dixit Magdalenæ Ioan. 20. Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrē meū. Non ergo fuit conueniens, quod ad manifestandam veritatem resurrectionis suæ seipsum discipulis palpandū exhiberet.*

¶ 4. *Præterea, Inter dotes glorificati corporis, præcipua videtur esse claritas, quam tamen in resurrectione nullo argumento ostendit. Ergo videtur, quòd insufficientia fuerint illa argumenta ad manifestandam qualitatē resurrectionis Christi.* ¶ 5. *Præterea, Angeli in testes resurrectionis inducti, ex ista dissonantia Euangelistarum, insufficientes videntur. Nam apud Matt. Angelus super lapidem reuolutum, apud Marcū verò, intus Angelus describitur visus à mulieribus ingressis monumentum. Et rursus ab istis vnus, à Ioanne duo sedentes, à Luca verò duo stantes describuntur. Inconuenientia ergo videntur testimonia resurrectionis.* ¶ *Sed contra est, quòd Christus, qui est Dei sapiētia, suauiter, & cōuenienter disponit omnia: vt dicitur Sapient. 8.*

Argumen. supplenda

¶ *Respondeo dicendum, quòd Christus resurrectionem suam dupliciter manifestauit, scilicet testimonio, & argumento, siue signo. Et vtraq; manifestatio in suo genere fuit sufficiens. Est enim vsus duplici testimonio ad manifestandam suam resurrectionem discipulis: quorum neutrum potest refelli. Quorum primum est testimonium Angelorum, qui mulieribus resurrectionem annuntiauerunt, vt patet per omnes Euangelistas. Aliud autē est testimonium Scripturarum, quas ipse proposuit ad ostensionem suæ resurrectionis: vt dicitur Lucæ vltimo. Argumenta, etiam fuerunt sufficientia ad ostendendam*

tendendam veram resurrectionem, & glorioſam. Quod autem fuerit vera reſurrectio, oſtendit vno modo ex parte corporis. Circa quod tria oſtendit, primo quidem quòd eſſet corpus verum, & ſolidum non corpus phantaſticum vel rarum, ſicut eſt aer. Et hoc oſtendit per hoc, quòd corpus ſuum palpabile præbuit. Vnde ipſe dicit Luc. vltimo. Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Secundo oſtendit, quòd eſſet corpus humanum, oſtendendo eis veram effigiem, quam oculis intuerentur. Tertio oſtendit eis, quòd eſſet idē numero corpus, quod prius habuerat, oſtendendo eis vulnerum cicatrices. Vnde vt legitur Luc. vlt. dixit eis. Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipſe ſum. Alio modo oſtendit eis veritatem ſuæ reſurrectionis ex parte animæ, iteratò corpori vnitæ. Et hoc oſtendit per opera triplicis vitæ. Primò quidem per opus vitæ nutritiuæ, in hoc, quòd cum diſcipulis manducauit & bibit: vt legitur Luc. vlt. Secundò, per opera vitæ ſenſitiuæ, in hoc quod diſcipulis ad interrogata reſpondebat, & præſentes ſalutabat, in quo oſtendebat ſe & videre, & audire. Tertio, per opera vitæ intellectiuæ, in hoc quod eis loquebatur, & de Scripturis diſſerebat. Et ne quid deeſſet ad perfectionem manifeſtationis, oſtendit etiã ſe habere diuinam naturam, per miraculum quod fecit in piſcibus capiendis, & vlterius per hoc, quod eis videntibus aſcendit in cœlum: quia vt dicitur Ioann. 3. Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo Filius hominis, qui eſt in cœlo. Gloriam etiam ſuæ reſurrectionis oſtendit diſcipulis, per hoc, quod ad eos ianuis clauſis intrauit: ſecundum enim quod Gregor. dicit in Homi. palpandam carnem Dominus præbuit, quam ianuis clauſis introduxit, vt eſſe poſt reſurrectionem oſtenderet corpus ſuum, & eiuſdem naturæ, & alterius gloriæ. Similiter etiam ad proprietatem gloriæ pertinebat, quod ſubito ab oculis eorum euanuit, vt dicitur Luc. vlt. Quia per hoc oſtendebatur, quod in poteſtate eius erat, videri, & non videri: quod pertinet ad conditionem corporis glorioſi, vt ſupra dictum eſt.

A

B

C

Ho 26. in Euã. nõ re mote aprincipio.

¶ Ad primum ergo dicendum, quod licet ſingula argumentorum non ſufficerent ad manifeſtandam perfectè Chriſti reſurrectionem, tamen omnia ſimul accepta perfectè Chriſti reſurrectionem manifeſtant: maximè propter ſcripturæ teſtimonium, & angelorum dicta, & etiam ipſius Chriſti aſſertionem miraculis confirmatam. Angeli autem apparentes non aſſerebant, ſe homines eſſe: ſicut aſſeruit Chriſtus vere ſe hominem eſſe. Et tamen aliter Chriſtus manducauit, & aliter angeli. Nam quia corpora ab angelis aſſumpta, non erant corpora viua vel animata, non erat vera comeſtio, licet eſſet vera cibi contritio, & traiectio in interiorem partem corporis aſſumpti. Vnde & angelus dixit Tob. 10. Cum eſſem vobiſcum, videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere: ſed ego cibo inuiſibili vtor. Sed quia corpus Chriſti verè fuit animatum, vera fuit eius comeſtio. Vt enim Augu. dicit 13. de Ciuit. Dei, non poteſtas, ſed egeſtas edendi, corporibus reſurgentium aufertur. Vnde ſicut Beda dicit, Chriſtus manducauit poteſtate, non egeſtate. ¶ Ad ſecundum dicendum, quod (ſicut dictum eſt) argumenta quædam inducebantur à Chriſto ad probandam veritatem humanæ naturæ, quædam verò ad probandam gloriam reſurgentis. Conditio autem naturæ humanæ, ſecundum quod in ſe conſideratur (quantum ſcilicet ad ſtatum præſentem) contrariatur conditioni gloriæ: ſecundum illud 1. Co. 15. Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute. Et ideo ea quæ inducuntur ad oſtendendam conditionem gloriæ videntur habere contrarietatem ad naturam, non ſimpli

q 54 ar. 1 ad 2 ar. & art. 3. ad 1. arg.

li. 13. c. 22. cir. fi. to. 5

cap. 97. in Luc. parũ ante mediũ to. 2.

simpliciter, sed secundũ statum præsentẽ: & ecõuerso. Vnde Greg. dicit in hom. quòd duo mira, & iuxta humanã rationem sibi valde contraria, Dominus ostendit, dum post resurrectionem corpus suũ, & incorruptibile, & tamẽ palpabile demostrauit. ¶ Ad tertiũ dicendũ, quòd (sicut Aug. dicit super Ioan.) hoc, quod Dominus dixit. Noli me tangere: nondũ enim ascendi ad Patrem meũ: sic dictũ est, vt in illa fœmina figuraretur Ecclesia de Gentibus, quæ in Christum non credidit, nisi cum ascendisset ad Patrẽ: aut sic in se credi voluit Iesus, hoc est, sic se spiritualiter tangi, quòd ipse, & Pater vnum sunt. Eius quippe intimis sensibus quodammodo ascendit ad Patrem, B qui sic in eo profecerit, vt Patri agnoscat æqualem, hæc autem carnaliter adhuc in eum credebat, quẽ sicut hominem flebat. Quòd autem Maria alibi legitur Christum tetigisse, quãdo simul cum alijs mulieribus accessit, & tenuit pedes eius, quæstionem non facit, vt Seuerianus dicit. Siquidem illud de figura est, hoc de sexu: illud de diuina gratia, hoc de humana natura. Vel sicut Chrys. dicit, volebat hæc mulier adhuc cum Christo cõuersari, sicut & ante passionem, & præ gaudio nihil magnum cogitabat: quãuis caro Christi multo melior facta fuerit resurgendo Et ideo dixit. Nondum ascẽdi ad Patrem meum quasi dicat. Nõ æstimes me iã terrenã vitam agere: quòd. n. in terris me vides, hoc est, quia nondum ascendi ad Patrem meum, sed in prõptu est, quòd ascendã. Vnde subditur, ascẽdo ad Patrem meum, & Patrem vestrum. ¶ Ad quartũ dicendũ, quòd sicut Aug. dicit in Dial. ad Orosium, Clarificata carne Dominus resurrexit: sed noluit in ea clarificatione discipulis suis apparere, quia non possent oculis suis talem claritatem prospicere. Si enim antequam moreretur pro nobis, & resurgeret, quãdo transfiguratus est in monte, discipuli eum videre non potuerunt, quanto magis glorificata carne Domini, cũ videre non potuerunt? Est etiam considerandũ, quod post resurrectionem Dominus hoc præcipuè volebat ostendere, quòd idem ipse esset, qui mortuus fuerat quod multum poterat impedire, si eis sui corporis claritatem ostenderet. Nam immutatio quæ fit secundum aspectum, maximè ostendit diuersitatem eius quod videtur: quia sensibilia cõmuniaſ inter quæ est vnum & multa, vel idem, & diuersum) maximè dijudicat visus. Sed ante passionem, ne infirmitatem passionis eius discipuli despicerent, intendebat Christus eis gloriam maiestatis suæ ostendere: quam maxime demonstrat claritas corporis. Et ideo ante passionem, gloriam suam demõstrauit discipulis per claritatem: post resurrectionem autem per alia indicia. li. 3. c. 24. to. 4

¶ Ad quintum dicendum, quod sicut Aug. dicit in lib. de Consensu Euangel. possumus intelligere vnum Angelum visum à mulieribus, secundum Matth. & Marc. vt eas ingressas in monumentum accipiamus: in aliquod, scilicet spatium, quod erat aliqua macceria communitum, atque ibi vidisse Angelum sedentem à dextris: quod dicit Marc. Deinde dum mẽto, sicut introspicerent locum in quo iacuerat corpus Domini, visos ab eis alios duos Angelos, primo quidem sedentes (vt dicit Ioan.) & posteà eos surrexisse: vt stantes viderentur, vt dicit Lucas. C

Supta lapidem reuolutũ a monumdicit Math, vt hoc sit sedentem.

Ho. 26. in Euan. paulo a princ.

Trac. 121. a medio, illius, to. 9.

hom. 85 in Ioã. super illud. Noli me tangere to. 3.

In dia. 65 qu. st. q. 14 in pri. to. 4

COMMENTARIVS.

IN titulo huius artic. inquiri posset, quid significet illud verbum *sufficienter*, an scilicet idem sit, quod euidenter. Quidam affirmãt sensum D. Th. esse, illa signa euidenter ostẽdisse resurrectionem Christi euidentia testificantis. Quod videtur posse sumi ex solutione ad 1. vbi ait D. Th. signa resurrectionis per se singula non fuisse sufficientia ad ostendendum Christum vere viuere, aut resurrexisse. Nam Angelus. v. g. in corpore assumpto

sumpto videbatur comedere, vel aliud simile signũ corporalis vitæ præbere, quod solis sensibus discerni non potest, sit ne verum, vel apparens. Omnia verò signa simul collecta fuisse sufficiẽtia, maximè, inquit, propter testimoniũ scripturæ, Angelorum, & ipsius Christi, miraculis illud confirmãtis. Hæc expositio est probabilis, quanquam D. Th. in his articulis nihil de euidentia loquatur: sed de sufficiẽtia signorum, vt reddant veritatem credibilem, & credendam secundum rectam rationem, & prudentiam. Quia verò res nõ est hoc modo credibilis sine euidentia saltem credibilitatis, inde necessario efficitur, illa signa vt minimum contulisse hãc euidentiam. Quomodo autem coniuncta testimonijs, miraculis, ac prophetijs effecerint etiã euidentiam in testificante, satis constat ex ijs, quæ supra diximus de doctrina, & miraculis Christi. Addo insuper, si omnia illa signa rectè perpendantur, per se sumpta, & asq; alio testimonio, vel autoritate fuisse euidentia indicia hominis veré viuentis, ita vt ferè tam euidẽs fuerit Apostolis, Christum post resurrectionem viuere, sicut fuit euidens post passionem fuisse mortuum. Quia tam manifesta signa vitæ illis præbuit, sicut prius mortis præbuerat. Et si quis dicat, in illis signis vitæ potuisse latere deceptionem, vel fictionem, idem dicere potest de signis mortis. Item satis euidẽs mihi est, aliquem hominem, qui mecum diuersatur, loquitur, comedit, &c. esse verum hominem, ac viuere, quanuis huic cognitioni de potentia absoluta possit subesse falsum. Quia hæc euidentia non est mathematica, sed moralis, & humana. Ergo similem, & fere æqualem euidentiam potuerunt habere Apostoli. Nam propter hanc causam voluit Christus diu inter eos versari, & per omnes sensus disciplinę, vt sunt auditus, visus, & tactus, qui maiorẽ certitudinẽ, & euidentiã parere possunt, manifestari. Hęc aũt euidẽtia nõ excludit fidem, vt patet in articulo de morte Christi. Et ratio est, quia fides est certior, & infallibilior, & ex altiori motiuo. Ex ijs ergo satis constat mens D. Thom. in artic. contextus autem eius est perspicuus. Multa verò, quę in solutionibus argumentorũ attingit exposita sunt in superioribꝰ disputationibꝰ de operationibꝰ Christi post resurrectionẽ, ac de eius apparitionibus.

Argumenta a Christo inducta, sufficienter manifestatiua resurrectionis.

QVAESTIO LVI.

De Resurrectionis Christi causalitate, in duos articulos diuisa.

DEinde considerandum est de causalitate resurrectionis Christi. ¶ *Et circa hoc quæruntur duo.* ¶ *Primò, Vtrùm resurrectio Christi sit causa nostræ resurrectionis.* ¶ *Secũdò, Vtrùm resurrectio Christi sit causa nostræ iustificationis.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm resurrectio Christi sit causa resurrectionis corporum.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd resurrectio Christi non sit causa resurrectionis corporum. Posita enim causa sufficienti, necesse est effectum poni. Si ergo resurrectio Christi est causa sufficiens resurrectionis corporum, statim eo resurgente omnes mortui resurgere debuerunt. ¶ *2. Præterea, Causa resurrectionis mortuorum est diuina iustitia, vt scilicet corpora simul præmientur, vel puniãtur cum animabus, sicut communicauerunt in merito vel peccato: vt dicit Dionys. vltimo cap. Cæles. hier. & etiã Damasce. in 3. libr. Sed iustitiam Dei necesse esset impleri, etiam si Christus nõ resurrexisset. Ergo etiam Christo non resurgente, mortui resurgerent. Non ergo resurrectio Christi est causa resurrectionis corporum.* ¶ *3. Præterea, Si resurrectio Christi sit causa resurrectionis corporũ, aut esset causa exemplaris, aut causa effectiua, aut meritoria. Sed nõ est causa exẽplaris: quia resurrectionẽ corporũ Deus operabitur: secundũ illud Ioã, 5. Sicut Pater suscitat mortuos, Deus autem nõ indiget inspicere ad aliud exem-*

308 4.d.43,a. 2.q.1.Et 4 con.ca.78. Et ver.q. 27.ar.3.ad 7 & op.3. ca.246. c.vl par.3 a med. Damf.li4. cap.28.

plar extra se. Similiter etiã nõ est causa effectiua: quia causa efficiens non agit nisi per contactum vel spirituale vel corporale, manifestum est autẽ, quòd resurrectio Christi non habet contactum corporalẽ ad mortuos, qui resurgent, propter distantiam temporis, & loci: similiter etiam nec cõtactum spritualem, qui est per fidem, & caritatem: quia etiam infideles, & peccatores resurgent. Neq; etiam est causa meritoria: quia Christus resurgens iam nõ erat viator, & ita non erat in statu merendi. Et ita nullo modo resurrectio Christi videtur esse causa nostræ resurrectionis. ¶ 4. Præterea, Cùm mors sit priuatio vitæ, nihil videtur esse aliud destruere mortem, quàm reducere vitam: quod pertinet ad resurrectionem. Sed Christus moriendo, mortem nostram destruxit. Ergo mors Christi est causa nostræ resurrectionis, non ergo eius resurrectio. ¶ Sed contra est, quod super illud 1. ad Corinth. 15. Si Christus prædicatur, quòd resurrexit a mortuis, &c. dicit Gloss. Qui est causa efficiens resurrectionis nostræ.

Glo. interl.

Respondeo dicendum, quòd illud, quod est primum in quolibet genere, est causa omnium, quæ sunt post, vt dicitur in 2. Metaph. Primum autem in genere resurrectionis fuit resurrectio Christi, sicut ex supra dictis patet. Vnde oportet, quòd resurrectio Christi sit causa nostræ resurrectionis. Et hoc est quod Apostolus dicit 1. ad Corinth. 15. Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et hoc rationabiliter. Nam principium humanæ viuificationis est Verbum Dei, de quo dicitur in Psal. 35. Apud te est fons vitæ. Vnde & ipse dicit Ioan. 5. Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat: sic & Filius quos vult viuificat. Habet autem hoc naturalis ordo rerum diuinitùs institutus, vt quælibet causa primò operetur in id quod est sibi propinquius, & per illud operetur in alia magis remota, sicut ignis primò calefacit aerem sibi propinquum, per quem calefacit corpora distantia, & ipse Deus primo illuminat substantias sibi magis propinquas, per quas illuminat magis remotas, vt Dionys. dicit 13. cap. Cœlest. hierarch. Et ideo Verbum Dei primò tribuit vitam immortalẽ corpori sibi naturaliter vnito, & per ipsum operatur resurrectionem in omnibus alijs.

cap. 13 non multum prope fin.

Ad primum ergo dicendum, quòd (sicut dictũ est) resurrectio Christi est causa nostræ resurrectionis per virtutẽ Verbi vniti, quod quidem operatur secundũ voluntatem. Et ideo non oportet, quòd statim sequatur effectus: sed secundum dispositionem verbi Dei: vt scilicet primò conformemur Christo patienti, & morienti in hac vita passibili, & mortali, deinde perueniamus ad participandũ similitudinem resurrectionis ipsius.

In corp. ar.

Ad secundum dicendum, quòd iustitia Dei est causa prima resurrectionis nostræ: resurrectio aũt Christi est causa secundaria, & quasi instrumentalis. Licet autem virtus principalis agentis nõ determinetur ad hoc instrumentum determinatè: tamen ex quo per hoc instrumentum operatur, instrumentũ illud est causa efficiens. Sic ergo diuina iustitia, quantũ est de se, nõ est obligata ad resurrectionem nostrã causandam per resurrectionem Christi: potuit enim alio modo nos Deus liberare, quam per Christi passionem, & resurrectionem, vt supra dictum est. Ex quo tamen decreuit hoc modo nos liberare, manifestum est, quòd resurrectio Christi est causa nostræ resurrectionis. ¶ Ad tertium dicendum, quòd resurrectio Christi non est proprièloquendo, causa meritoria nostræ resurrectionis: sed est causa efficiens, & exẽplaris. Efficiens quidem, in quantum humanitas Christi secundum quam resurrexit,

lib. 2 com. 4. to. 3.

q. 53 ar. 3.

rexit, est quodãmodo instrumentum diuinitatis ipsius, & operatur in virtute eius: vt suprà dictum est. Et ideo sicut alia, quæ Christus in sua humanitate fecit, vel passus est, ex virtute diuinitatis eius sunt nobis salutaria (vt suprà dictum est, vita & resurrectio Christi est causa efficiẽs nostræ resurrectionis virtute diuina: cuius proprium est mortuos viuificare. Quæ quidem virtus præsentialiter attingit omnia loca, & tempora, & talis contactus virtualis sufficit ad rationem huius efficientiæ. Et quia (vt dictum est) primordialis causa resurrectionis humanæ est diuina iustitia, ex qua Christus habet potestatem iudicium faciendi, in quantum filius hominis est, virtus effectiua resurrectionis eius se extendit, non solum ad bonos, sed etiam ad malos, qui sunt eius iudicio subiecti. Sicut autem resurrectio corporis Christi, ex eo quòd corpus illud est personaliter Verbo vnitum, est prima tempore, ita etiãm est prima dignitate, & perfectione: vt dicit Glos. 1. ad Corinth. 15. Semper autem id quod est perfectissimũ, est exemplar eius quod est minus perfectum secundũ suum modum: & ideo resurrectio Christi est causa exemplaris nostræ resurrectionis. Quod quidem necessarium est, non ex parte resuscitantis qui non indiget exemplari, sed ex parte resuscitatorum, quos oportet illi resurrectioni conformari: secũdum illud Phil. 3. Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Licet autem efficientia resurrectionis Christi se extẽdat ad resurrectionem tam bonorũ, quãm malorum: exemplaritas tamẽ eius se extendit propriè solùm ad bonos, qui sunt facti conformes filiationis ipsius, vt dicitur Roma. 8. ¶ Ad quartum dicendum, quòd secundum rationem efficientiæ, quæ dependet ex virtute diuina, communiter tam mors Christi, quàm etiam resurrectio, est causa tam destructionis mortis quàm reparationis vitæ. Sed secundum rationem exemplaritatis, mors Christi, per quam recessit à vita mortali, est causa destructionis mortis nostræ: resurrectio verò eius, per quam inchoauit vitã immortalẽ, est causa reparationis vitæ nostræ. Passio tñ Christi est insuper causa meritoria: vt suprà dictũ est.

quæst. 13. ar. 2. & 3.

quæst. 48. ar. 6.

In sol. præced. ad 2.

Glo inter. super illud 1. Cor 15. Primitię Christus.

A

B

C

q. 48. ar. 1

COMMENTARIVS.

DVO sunt in resurrectione Christi consideranda. Primum est ipsa resurrectio, prout fuit in fieri, seu quatenus fuit quædam actio, seu mutatio, quæ pertransijt. Alterum est, terminus huius resurrectionis, qui est Christus homo viuens vita immortali, & gloriosa. Cùm ergo dicitur resurrectio Christi causa nostræ resurrectionis, non est intelligendum ratione mutationis, quæ transijt, secundũ se ipsam: sed ratione termini, qui manet, & potest habere rationem causæ. De qua re multa in superiori tomo diximus Disp. 31. Sect. 7. Et hanc esse mentẽ D. Th. hoc loco acutè Caiet. notauit. Et colligitur nõ obscurè tum ex corp. art. vbi, cùm in toto discursu loquutus esset de resurrectione Christi, in fine sic concludit, *Et ideo Verbum Dei primo tribuit vitam immortalem corpori sibi naturaliter vnito, & per ipsum operatur resurrectionem in omnibus alijs.* Tũ ex solutione ad 3. vbi explicans, quomodo resurrectio Christi sit causa, inquit, *In quantum humanitas Christi, secundum quã resurrexit, est instrumẽtum diuinitatis ipsius, & operatur in virtute eius.* Est ergo satis manifestus D. Th. sensus. Quo supposito nihil est difficultatis in toto contextu. Ad huius aũt materiæ cõplemẽtum instituemus de hac re sequentem disputationem.

D. Thom. Caie.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm resurectio Christi sit causa resurrectionis animarum.

309 locis supra ar. 1. not. Tra. 23. in Euan. Ioã. ante med. to. 9.

AD secundũ sic proceditur. Videtur, quòd resurrectio Christi nõ sit causa resurrectionis animarũ. Dicit enim Aug. super Ioannẽ, quod corpora resurgunt per dispensationem humanam, sed animæ resurgunt per substantiam Dei. Sed resur-

rectio Christi non pertinet ad substãtiã Dei, sed ad dispensationem humanam. Ergo resurrectio Christi, etsi sit causa resurrectionis corporũ, non tamen videtur esse causa resurrectionis animarum. A

¶ 2. Præterea, Corpus non agit in spiritum. Sed resurrectio Christi pertinet ad corpus eius, quod cecidit per mortem. Ergo resurrectio Christi non est causa resurrectionis animarum. ¶ 3. Præterea, Quia resurrectio Christi est causa resurrectionis corporum, omnium corpora resurgent: secundum illud 1. ad Corinth. 15. Omnes quidem resurgemus. Sed non omnium animæ resurgent: quia quidam ibunt in supplicium æternum, vt dicitur Matt. 25. Ergo resurrectio Christi non est causa resurrectionis animarum. B

¶ 4. Præterea, Resurrectio animarũ fit per remissionem peccatorum. Sed hoc factum est per Christi passionem: secundũ illud Apocal. 1. Lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Ergo resurrectionis animarum, magis est causa Christi passio, quàm eius resurrectio. ¶ Sed cõtra est, quod Apostolus dicit Rom. 4. Resurrexit propter iustificationem nostrã. Quæ nihil aliud est quàm resurrectio animarum. Et super illud Psal. 29. Ad vesperam demorabitur fletus, dicit Gloss. quòd resurrectio Christi est causa resurrectionis nostræ, & animæ in præsenti, & corporis in futuro.

ar. præced. ad 3.

¶ Respondeo dicendum, quòd (sicut dictũ est) resurrectio Christi agit in virtute diuinitatis, quæ quidem se extẽdit, non solum ad resurrectionem corporum, sed etiam ad resurrectionem animarum: à Deo enim est, & quòd anima viuat per gratiam, & quòd corpus viuat per animam. Et ideo resurrectio Christi habet instrumentaliter virtutem effectiuam, non solùm respectu resurrectionis corporum, sed etiam respectu resurrectionis animarum. Similiter etiam habet rationem exemplaritatis respectu resurrectionis animarum: quia Christo resurgenti debemus etiam secundum animã conformari, vt sicut, secundũ Apost. Roma. 6. Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus: & sicut ipse resurgens ex mortuis, iam non moritur: ita & nos existimemus nos mortuos esse peccato, vt iterum viuamus in illo.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd Augustinus dicit resurrectionem animarum fieri per Dei substantiam, quantum ad participationẽ: quia scilicet participando diuinam bonitatem, animæ fiunt bonæ, & iustæ, non autem participando quancunque creaturam. Vnde cum dixisset, Animæ resurgũt per substantiam Dei, subdit, Participatione enim Dei fit anima beata, non participatione animæ sanctæ. Sed participando gloriam corporis Christi, efficiũtur corpora nostra gloriosa. ¶ Ad secundum dicendum, quòd efficientia resurrectionis Christi pertingit ad animas, non per propriam virtutẽ ipsius corporis resurgẽtis: sed per virtutẽ diuinitatis, cui personaliter vnitur. ¶ Ad tertiũ dicendum, quòd resurrectio animarum pertinet ad meritũ, quod est effectus iustificationis: sed resurrectio corporũ ordinatur ad pœnam, vel præmium, quæ sunt effectus iudicantis. Ad Christum autem non pertinet iustificare omnes, sed iudicare: & ideo omnes resuscitat secundum corpus, sed non omnes secundum animam. C

Tra. 23. in Ioan. inter principium & me. to. 9

Eodẽ loco nũc dicto.

¶ Ad quartum dicendum, quòd in iustificatione animarum duo concurrunt, scilicet remissio culpæ: & nouitas vitæ per gratiam. Quantum ergo ad efficientiam, quæ est per virtutem diuinam, tam passio Christi, quàm resurrectio est causa iustificationis quoad vtrumque. Sed quantum ad exemplaritatem, propriè passio, & mors Christi, est causa remissionis culpæ, per quam morimur peccato: resurrectio autem Christi,

Christi, est causa nouitatis vitæ, quæ est per gratiã siue iustitiam. Et ideo Apostolus dicit Roma. 4. quòd traditus est (scilicet in mortẽ) propter delicta nostra (scilicet tollẽda) & resurrexit propter iustificationẽ nostram, sed passio Christi est etiam causa meritoria: vt dictum est.

ar. præced. ar. 3. arg.

COMMENTARIVS.

DOctrina D. Tho. hic dicẽtis Christi resurrectionem esse causam efficiẽtem, & exemplarem nostræ iustificationis, intelligenda est in sensu tradito articulo superiori. Quocirca nõ habet nouam difficultatem, præter eas, quæ de potentia humanitatis Christi tractatæ sunt dicta Disput. superioris Tomi. Testimoniũ autem Pauli, in quo hic articulus fundari videtur, aliter est à nobis explicatum supra. q. 53. in commentario ar. 1.

DISPVTATIO L.

In decem Sectiones distributa.

De resurrectione mortuorum, vt est effectus resurrectionis Christi.

DE hac materia disputant Theologi in 4. dist. 43. & 44. & 45. Mihi verò visa est hoc loco necessaria, tum quia non possumus explicare, quomodo Christus sit causa nostræ resurrectionis, nisi prius suppponamus, illam esse futurã. Tum etiam, vt hanc integram materiam simul complectamur, neque oporteat per partes, diuersis in locis eam imperfectè, & prolixius attingere. Præsertim cùm non sit in animo, absoluta tractatione de sacramentis, de consummatione mundi, seu de quatuor nouissimis proprium tractatum instituere. Dicemus igitur, an hominum futura resurrectio sit, & quomodo sit effectus resurrectionis Christi, vnde simul constabit, qualis futura sit.

SECTIO PRIMA.

Vtrum futura sit generalis hominum resurrectio.

DE opinionibus philosophorũ circa hominũ resurrectionẽ nonnulla attigimus supra, de possibilitate resurrectionis disputantes, vbi ex Tertul-

A liano tradidimus, omnes ferè in hoc conuenire, vt veram resurrectionem negent. Nam, si qui fortasse aliquem reditum animarũ ad corpora admittere visi sunt, vel non sunt loquuti de eisdem numero corporibus, sed de diuersis: vel nõ existimabant, animam esse verã formam corporis, sed extrinsecum motorem eius, vt constat ex Platone in Phædro, & Cicerone in Somnio Scipionis. Dequa re legi quoque potest Tertull. in lib. de Resur. carnis, & Aug. 12. de Ciuitat. c. 13. & lib. 22. c. 25. & sequentibus. Vbi etiam refert, Porphyriũ negasse resurrectionem, quoniam existimabat corpus humanum, quod graue est, & corruptibile, impedire contemplationẽ spiritus, & non posse supra omnes cœlos constitui. Diximus etiam in eodẽ loco Saducæos resurrectionem futuram negasse.

De resurrectione philosophorũ placita.

Plato. Cicer. Tertulia. Aug.

Ex hæreticis verò cõplures in hoc errore versati sunt. Cæpit enim ab Apostolorũ temporibus in Simone Mago, Cerdone,

B Marcione, Basilide, Apelle Valentino, & alijs Gnosticis, vt constat ex Irenæo li. 1. cap. 23. Epiph. hæres. 64. Tertul. li. de Resurrect. carnis, & li. 5. cõt. Marcion. & de Præscript. hæreticorũ, & Aug. lib. de hæresibus cap. 18. & sequentibus. Et ex his creditur fuisse Phyletus, & Hymenæus, qui teste Paulo 2. ad Timot. 2. *a veritate exciderunt dicentes, resurrectionem esse iam factam.* Illi enim non corporum: sed animarum resurrectionem credebant, quod omnibus his hæreticis cõmune fuit. Ipsam. n. animę remunerationẽ, seu glorificationẽ, resurrectionem vocabant, & ideo dicebãt iam esse factam, vt in eum locum D. Th. exponit. Et Cyrill. quem refert Turrianus

C lib. 3. pro Epistolis Pontificiis cap. 16. & Tertullianus supra, eodem modo explicat omnes antiquos hæreticos, quos propterea *partiarios* vocat, quod vnius tantũ partis, scilicet, animę resurrectionem agnoscerent. Alii tamen exponunt illum errorẽ Phileti, & Hymenæi iuxta Gentilium errorem, nimirum per quendam continuum rerum circulum esse iam resurrectionem factam. Ita indicat Theophyl. ibi, dicens, *Si resurrectio iam facta est, sublatum est iudicium & retributio. Porro, quid deinceps boni est reliquum, si huiusmodi sint vicissitudines?* Alii explicãt hos dixisse, *resurrectionem iam esse factam*, solum per filiorũ procreationẽ. Dicitur. n. pater quodãmodo resurgere in filio, quia in eo repręsẽtatur, & quodãmodo

Iren. Epiphan. Tertul. Aug. 2. Timot. 2. D. Thom. Theoph.

Theo. Ambros. Epiphan. conseruatur. Ita Theodoret. & Ambros. ibi & Epiphan. hæresi. 40. *Resurrectionem (ait) iam factam esse dicunt, per liberos genitos ab vnoquoque generante.* Vtcunque exponatur, ii hæretici ea intentione asserebant resurrectionem esse factam, vt negarent veram resurrectionem futuram, ac de illa alia possent scripturas, quæ de resurrectione loquuntur, interpretari. In quo ex parte imitatus est hos hæreticos Origenes, si verũ est (ꝙ refert Photius, opusculo de septẽ Oecumenicis cõciliis) eum affirmasse transmigrationem animarum in diuersa corpora: veram autem corporum resurrectionẽ negasse. Quorum primum etiam ei attribuunt Theophyl. Alexand. Epist. 2. Paschali, & Augustinus. 12. de Ciuit. c. 13. vt ibi notauit Ludouicus Viues ex lib. 2. periarchon: secundum vero ei tribuunt Methodius, & Epiphan. hæresi. 64. qui indicant, Origenem animarũ tantum, non corporum futuram esse resurrectionem sensisse. Tamen ille reuera non omnino resurrectionem corporis negauit. Nam hom. 9. in Numeros, circa finem, expresse illam confitetur, dicẽs corpora resurgentium habitura quatuor illas qualitates, quas Paul. posuit 1. Cor. 15. & idem sentit, licet non ita expresse, hom. 1. & 25. in Num. Sed in eo errauit, quòd existimauit, corpora non esse futura organica (vt supra diximus,) & hoc sensu damnatum esse errorem eius in quinta synodo refert Niceph. lib. 17. Histor. cap. 27. & 28. Hęc verò hæresis negans futurã resurrectionem, nullo vtitur fundamento ex scripturis sumpto, quod ego viderim: sed solum vti potest vel rationibus, quibus probari videtur resurrectionẽ esse impossibilem, de quibus supra satis dictũ est: vel quę videantur probare non esse cõuenientem animæ, neque vtilem ad operationes eius, quę ad summum procedẽt de corpore corruptibili, *quod aggrauat animã*, quale non erit corpus, quod in resurrectione animabus sanctis, & iustis copulabitur. Ex quo non sequitur, illud non esse futurum verum corpus eiusdem substantiæ, ac naturæ: sed solum, futurum esse alterius qualitatis, & gloriæ, quę omnia in superioribus tractata, atque explicata sunt. Omissis ergo hæreticis.

Origen. Photius. Theo. Ale. Aug. Lod. Viu. Method. Epiphan. 1. Cor 15. 5 Synod. Nicepho.

Dicendum est primo, futuram esse aliquando mortuorum hominum generalẽ resurrectionem. Est nõ solum de fide, sed etiam articulus fidei in omnibus Ecclesiasticis symbolis contentus. Et probari potest primô ex veteri testamento, Exod. 3. Ego sum Deus *Abraham*, Deus *Isaac*, Deus *Iacob*. Ex hoc enim loco probauit Christus dominus resurrectionem Matt. 22. dicẽs, *De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est a Deo dicente vobis*, Ego sum Deus *Abraham*, Deus *Isaac*, & Deus *Iacob*, *non est Deus mortuorum: sed viuorum*. Quæ Christi collectio nonnullam difficultatẽ habet. Nam etiam nunc ante resurrectionẽ, verè dicitur Deus *Abrahã*, Deus *Isaac*, & Deus *Iacob*, licet non sit Deus mortuorum, sed viuentium. Quia anin ę illorum Patrum nũc viuunt, quod satis est, vt per synecdochem dicantur viuere, & in cœlo regnare: ergo hoc satis esse posset, vt Deus dicatur eorum Deus, etiam si nunquã amplius essent resurrecturi. Respondetur, Christum his verbis proximè, atque immediatè probasse animas illorum Patrũ nunc viuere, quia hoc satis existimauit ad conuincendos Saduceos, qui solum negabant resurrectionem, quia putabant animã extingui in morte: quo destructo fundamento nihil habebant, cur resurrectionẽ negarent. Deinde dicendum est, hinc cõsequenter probari resurrectionem ex eisdem verbis. Quia Deus dicitur esse nunc Deus *Abraham*, *Isaac*, & *Iacob*. Nam ab iis Sanctis recognoscitur, & colitur vt Deus ipsorum, & ipse habet etiam illorũ prouidentiam, vt cõ digna, & promissa eis præmia rependat. Hinc ergo colligitur futura resurrectio, etiam corporum. Tum quia animę sanctę non possunt esse omni ex parte beatæ sine corporibus. Tum etiam, quia ad Dei prouidentiam pertinet, corpora simul cum animabus beare, quæ illarũ organa, & instrumenta fuerunt ad ipsum colendum. Ita exposuerunt hunc locũ super Matthæum, Hieronym. Anselm. D. Thom. Neque aliud dixit Caieta. quem sine causa in hoc reprehendit Catarinus. Et eandem explicationẽ insinuant Theophyla. & Euthym. in Matthęum, & August. subobscurè tract. 49. in Ioan.

Generalis mortuorum resurrectio aliquando futura. Exo. Mat. 22. Testimonij Mat. 22. Expositio Hieron. Ansel. D. Thom. Caie. Catarin. Theophyl. Euthym. Aug. Hieron. Epiphan.

Inquirit autem Hiero. cur Christus dominus hoc subobscuro testimonio vsus fuerit, cum sint alia in veteri testamento clariora. Et respondet, Saducaos solitos fuisse admittere ex diuina scriptura tantum quinque libros Moysis, ex quibus nullus apertior locus afferri poterat.

Quan-

Quanquam ex illis multæ figuræ, vmbræque & indicia resurrectionis desumi possint, quæ egregie congerit Epiphan. contra Samaritanos lib. 1. secta 9. *Primum* (inquit) *Abel, cuius sanguis ad Dominum clamat, spem resurrectionis corporũ ostendit. Deinde Enoch translatus, vt mortem non videat, resurrectionis est typus. Tertio Sarra sterili, & senili vtero iuxta promissionem concipiens, & pariens spem resurrectionis præbet. Quarto, Iacob, & Ioseph propriorum ossium curam gerentes resurrectionis fidem ostendunt. Quinto, virga Aaron germinans, & fructum producens, cum esset sicca: & virga Moysis, quæ iuxta Dei voluntatem animabatur, & serpens fiebat, resurrectionem adumbrabant. Denique Moyses benedicens Ruben hunc in modum, viuat Ruben, & non moriatur, cum iam Ruben vita functus esset, resurrectionem, ac æternam vitam ei postulare visus est.* Hæc verò, & similia magis mystica sunt, magisque obscura, quam testimonium à Christo adductum.

Afferamus igitur nõnulla ex illustrioribus testimoniis, quę maximè in prophetis reperiuntur. Vulgare est illud Ezech. 37. de visione Ezechieli ostensa in medio campi ossibus pleni, quæ tandem Spiritu Dei reuixerunt. Post quam visionem subiunxit Deus, *Vaticinare, ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulcris vestris populus meus, & inducam vos in terram Israel, & scietis, quia ego Dominus, cum aperuero sepulcra vestra, & eduxero vos, de tumulis vestris populo meus.* Hoc testimonium de resurrectione mortuorum latè interpretatur Tertullian. lib. de resurre. carnis. c. 29. vbi aliam expositionem reiecit, qua hic locus de populo Israel in varias regiones dispersio intelligi solet, ita, vt Deus promittat, daturũ suum spiritum tribubus Israel, quę ab ipso discesserant, & iterum congregaturum illas in terram promissionis. Quam expositionem dicit esse allegoricam, primam verò de resurrectione, literalẽ. Quæ fuit etiam sententia Iustini Apologe. 2. pro Christianis, & Cyprian. libr. 3. ad Quirinum c. 58. Cyril. Ierosolymitan. cat. 18. & insinuat Aug. lib. 3. de doct. Christiana c. 34. explicando quartam regulam Ticonij, quod latius, & apertius dixit idem Ticonius in eadem regula: idem tamen Autor lib. 10. Genes. ad liter. c. 5. dicit secũdam expositionem, de inopinata desperati populi reparatione per Spiritum Domini, esse intentioni Prophetæ maximè consentaneam. Quod etiã dixit Hiero. super Ezechielem, qui tamen optime notauit hanc expositionem non excludere, quin ex hoc loco colligatur futura resurrectio. *Nunquam* (inquit) *poneretur similitudo resurrectionis ad restitutionem Israelitici populi significandam, nisi staret ipsa resurrectio, & futura crederetur: quia nemo de rebus non stantibus incerta confirmat.* Propter quod dixit etiã Theodoretus in eundem Prophetam sec. 15. *Hæc quę Ezechiel vidit, fuisse, non solum reuocationis in pristinum statum Iudæorum, sed etiam resurrectionis omnium hominum figuram.*

Clarius verò testimonium est apud Danielem, cap. 12. *Multi de iis, qui dormiunt in terrę puluere, euigilabunt, alij in vitam ęternã, & alii in opprobriũ.* Vbi *multi* pro *omnibus* (vsitata phrasi scripturæ) positum est, vt ibi notauit Theodoret. & August. 20. de ciuitat. c. 25. Idem sentit Hieronym. Ezech. 37. vbi hoc appellat *robustum testimonium* ad probandam resurrectionẽ, quòd nullã habeat dubitationem. Et eodem vtitur Ruffinus in expositione Symboli, qui prius absolutè legit, *Resurgent, qui sunt in terra puluere:* deinde vero addidit pronomen, *Multi*, in quo planè indicat eundẽ esse sensum. Prætereà apud Isaiam sunt clarissima testimonia, quę longum esset prosequi c. 26. *Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent, expergiscimini, & laudate, qui habitatis in puluere*, vbi clarius septuaginta, *surgent mortui, & resurgent, qui in monumentis.* De quo loco præter expositores, ibi videri potest August. lib. 20. de ciuitat. cap. 21. & Tertull. lib. de resurrectione carnis. c. 31. vbi etiam adiungit illud Isai. 66. *Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra, quasi herba germinabũt, & cognoscetur manus Domini seruis eius, & indignabitur inimicis suis.* Quo loco vtuntur etiam Augustinus lib. 20. de ciuitat. capit. 21. & Irenæus libr. 5. contra hæres. cap. 15. & meritò sanè. Nam statim subdit Propheta prędictionem generalis iudicij futuri, quanquam Hiero. ibi aliter interpretetur. Præterea sunt aperta testimonia in lib. 2. Macab. c. 7. *Tu quidem scelestissime, in præsenti vita nos perdis, sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitę resurrectione suscitabit.* Et infra. *Potius est ab hominibus morti datos spẽ expectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos.* Et inferius. *Sed enim mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem*

Iob. 14. et 19. *& spiritum vobis, iterum cum misericordia reddet, & vitam.* Denique illustrissima, ac vulgatissima sunt testimonia Iob, cap. 14. *Putas ne, mortuus homo rursum viuet? Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea,* & cap. 19. *Scio, quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum.*

Quo circa cũ tã aperta sint veteris instrumenti de resurrectione testimonia, mirũ est, cur dixerit Chrys. hom. 1. de Lazaro, Chrys. Mendicũi illum eò in huius vitæ calamitatibus maiorẽ dolorem sentire potuisse, *quod ne de resurrectione quidẽ quicquam potuerit philosophari: sed huius vitæ res crederet huius vitæ fine terminari. Erat enim ex eorum numero, qui gratiam Euangelij præcesserunt.* Nõne Machabæi etiã gratiã Euangelij præcesserunt, & multo prius Iob antecesit: & tamen de resurrectione philosophati sunt, ad calamitates huius vitæ patienter, fortiterq; fœrendas? Cur ergo dicemus: Lazarum hac fidẽ, & spe caruisse? Præsertim cùm ex Euangelio constet, fuisse iustũ, & sanctũ, & ab Angelis in Sinũ Abrahę ductũ. Nisi fortasse dicamus Chrysostomũ non negare veritatẽ hanc fuisse illis tẽporibus notã: sed non fuisse tam apertè omnibus propositam, vt omnes vulgares homines, atq; idiotæ, tam distinctè, ac claré illam percallerent: sicut tẽpore legis gratiæ factũ est: & ideò fieri potuisse, vt mẽdicus Lazarus resurrectionẽ ignoraret.

Secundo ergo potest hæc veritas præcipuè probari ex nouo testamento. In quo habemus expressam Christi promissionẽ, seu prædictionẽ, Ioan. 5. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocẽ eius, & procedent, qui bona egerunt in resurrectionem vitę, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* Similia habentur capit. 6. & 11. Act. 24. Apocal. 20. & in Epistolis Pauli sunt frequentissima testimonia, duo tanẽ vel tria sunt præcipua. Primũ est illud 1. ad Cor. 15. vbi variis rationibus, atq; exẽplis veritatem hanc declarat, ac persuadet. Primo inquit, *si Christus prædicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* Quo argumento immediatè videtur concludere Paul. resurrectionem nostram esse posibilẽ. Hoc n. immediatè, & euidenter cõuincit exẽplũ resurrectionis Christi. Deinde probat etiã esse futuram, vt notauit D. Th. supra. q. 53. ar. 1. id confirmans

Noui testamenti de resurrectione testimonia.
Ioann. 5.
Ioan. 6. & 11.
Act. 24.
Apoc. 20.
1. Cor. 15.
D. Thom.

A verbis Iob. 19. *Scio, quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum.* Vbi particula, &, pro causali posita est, ac si diceret, & ideò *surrecturus sum.* Quod indicauit etiã Greg. 14. Moral. cap. 27. & 28. dicens, *Habemus spem resurrectionis nostræ, considerata gloria capitis nostri.* Quia ergo, vbi futurũ est caput, illic tutũ est corpus, ex resurrectione capitis rectè intulit Paulus cęterorum membrorũ resurrectionem. Quod egregiè idẽ Paulus explicuit 2. ad Cor. c. 4. *scientes quoniam qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit, & constituet vobiscum. Omnia enim propter vos.* Vbi indicat aliam probationẽ illius illationis. Quia sicut Christus propter nos mortuus est, ita & pro nobis resurrexit, vt videlicet secũ nos omnes resuscitaret: sicut idẽ Paul. dixit ad Ephes. 6. & ad Rom. 6. & Aug. exposuit Epist. 119.

B Prętera addit aliã probationẽ idẽ Paul. seu magis hanc eandẽ explicat paulo inferius in eodẽ 15. c. 1. ad Corinth. dicẽs. *Nũc autem Christus resurrexit a mortuis primitię dormientium, quoniã quidem per hominẽ mors, & per hominem resurrectio mortuorum, & sicut in Adã oẽs moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Quibus verbis hanc rationem intendit. Mors introducta est per peccatũ hominis: ergo destrui debuit per Christũ. Quia nõ est minus efficax Christus ad destruendã mortẽ per resurrectionẽ ad æternã vitã, quàm Adam fuit ad introducendã mortẽ. Sicut ergo in Adamo vt in capite omnes mortui sunt: ita & in Christo omnes viuificabuntur. Quam rationẽ tetigerat idẽ Paul. ad Roman. 5. vbi

C cùm dixisset, donum & gratiã Christi lõgè efficaciorẽ esse peccato Adę, cõcludit, *si enim in vnius delicto mors regnauit per vnum multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum.* Et infra, *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia: vt sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiã in vitam æternã.* Quæ ratio potissimũ videtur procedere de resurrectione iustorũ, quanuis extendi etiã possit ad omnium hominum resurrectionem, vt infra dicemus. In priori verò sensu illam egregiè confirmat idem Paul. capite 8. ad Romanos dicẽs. *Si spiritus eius, qui suscitauit Iesum Christum a mortuis, habitat in vobis: qui suscitauit Iesum Christum a mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, per inhabi-*

Iob. 19. Greg. Pap. 1. Cor. 4. Ephes. 6. Rom. 6. Aug. 1. Cor. 15. Rom. 5. Rom. 8.

tantem

tantem spiritum eius in vobis. Ac si diceret, A ius resurgendi cõsequi non ex sola vnione hypostatica, quæ est propria Christi: sed ex gratia sanctificante, per quam Spiritus sanctus habitat in nobis, & ideò, sicut verum est, Christum resurrexisse, ita qui ab ipso participant gratiam, & Spiritum, cum eo resurgent. Quod interius cõfirmat, quia per hunc Spiritũ accipimus *gratiam adoptionis filiorum: si autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*. Ac propterea (vt inferius ait) *primitias Spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri*. Et hactenus de ratione sumpta ex parte Christi.

Aliam rationẽ adducit Paulus satis obs- *Testimonij Pauli.* curam, his verbis. *Alioqui quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt, vt quid baptizantur pro illis?* In quibus *1.Cor.15.* verbis primum valde difficile est, quid sit *1 Expositio* *baptizari pro mortuis*: deinde æquè obscurũ, quomodo hinc futura resurrectio probetur. Variè igitur vtrumq; à Patribus exponitur, vt accuratè tractat Robertus Bellarminus lib.1.de purgat.c.4. non tamen potest hoc loco â nobis prætermitti, cùm necessariũ sit ad probationes resurrectionis, quas Paul. adducit, intelligendas. Primo ergo quidam dicunt, *baptizari pro mortuis*, nihil aliud esse, quàm suscipere baptismum loco alicuius hominis mortui, vt illi prosit, qui morte præuentus illum suscipere non potuit. Hunc enim sensum verba simpliciter sumpta præ se ferũt. Isti autem sic baptizabantur pro mortuis, quòd sperarent huiusmodi baptisma aliis profuturum ad corporum resurrectionẽ. Ita ex- *Tertul.* ponit Tertullian. lib. de Resurrectione car- *Ambros.* nis c.48. & lib.5. contra Marcion. c.10. & *Ansel.* Amb. & Anselmus, & D. Tho. in Paulũ. *D.Thom.* Hæc verò expositio in primis fundat rationem Pauli in quodam errore. Sic enim *baptizare pro mortuis*, & existimare, tale baptisma posse prodesse mortuis, error est in fide. Responderi potest, Paulũ non probare errorem: sed ex omniũ existimatione, etiam illorum, qui sic errabãt, voluisse resurrectionẽ confirmare. Sed hoc non satisfacit: tum quia oportuisset Paulum hoc aliquo modo insinuare, ne errorẽ approbare existimaretur, maximè cùm inferat, tanquã incommodum, *Vt quid baptizantur pro illis?* Tum etiam, quia licet hoc demus, adhuc esset valde infirma probatio Pauli. Quid enim mirũ esset, si quis diceret, erasse circa resurrectionem eos, qui sic errabant circa baptismum? Deinde supponit hæc expositio, hũc errorẽ circa baptismũ fuisse tempore Pauli, quod probari nõ potest. Tribuitur enim hic error Montanistis, Marcionistis, & Cherintianis, qui oẽs post tempora Apostoli Pauli exorti sunt. *Chrys.* Vnde Chrysost. & Theoph. dicũt, potius *Theophyl.* eos hæreticos vsos fuisse hoc loco Pauli ad sui erroris confirmationem. Denique de his etiã hæreticis nõ constat, baptizatos fuisse pro mortuis spe resurrectionis. Marcionistæ enim resurrectionem negabant. Vnde ad interrogationẽ Pauli, *Vt quid baptizantur pro illis?* responderi posse baptizari pro animabus eorũ, vt eis peccata remitterentur. Et quanuis hæc obiectio posset aliquo modo solui per se considerata: tamen si argumentum Pauli fundatur in eorum existimatione, qui ea cæremonia vtebantur, omnino vrget obiectio facta, cũ illi nec cogerẽtur recte de resurrectione sentire, nec reuera bene sentirent.

Secunda expositio D. Tho. est. *Baptizari pro mortuis* idẽ esse, quod baptizari pro *2. Expos. D. Thom.* peccatis abluendis, ita vt mortuorum nomine peccata significentur, quæ sunt opera mortua. Sed hoc in primis repugnat verbis Pauli, subdit enim, *Vt quid baptizantur pro illis?* refert autẽ ad illos, de quibus dixerat, *Si omnino mortui non resurgunt*: ergo *mortuos* appellat homines defunctos, ac resurrecturos. Deinde, aliâs qualis esset illatio Pauli, si hic esset sensus: Quid facient, qui baptizantur pro peccatis, si mortui non resurgunt? Responderi enim posset, multum prodesse. Nam per baptismum possent consequi remissionem peccatorum, & vitam gratiæ.

Tertia ergo expositio est, *Baptizari pro mortuis* idẽ esse, quod baptizari, quando iã instat mors, cũ iam homo, quasi pro mortuo habetur, & in lecto iacet iam iam mo- *3. Expos.* ribundus. Ita Epiphan. hæres. 28. vbi vim *Epiphan.* argumenti Pauli dicit in hoc consistere, quòd ij, qui in extremis cõstituti baptizãtur, ostendunt, *quod qui mortuus est, etiam resurget, & ob id indiget remissione peccatorum per lauacrum*. Sed neque hæc expositio potest accomodari Paulo. Primo, quia cùm Paulus ait, *Vt quid baptizantur pro illis?* aperte refert ad mortuos, de quorum resurrectione agebat. Ergo per *mortuos* non intelligit iam iam moribũdos, sed reipsa defun-

ctos. Item quia Paulus plane distinguit eũ qui baptizatur à mortuo, pro quo baptizatur, vt patet ex illa particula, *pro illis*. Ergo non ipsemet, qui baptizatur, dicitur *baptizari pro mortuo*, quia baptizatur semimortuus. Præterea phrasis locutionis in illo sensu esset durissima, & prorsus inusitata. Nam in illo sensu non dicitur aliquis tractari *pro mortuo*: sed tanquam mortuus. Et adhuc hoc modo tantum loquimur in eis actionibus, quæ fieri solent circa mortua corpora, vt sunt subleuari, deferri, vel similes: non verò de iis, quæ sunt propriæ viuentium, vt loqui, ambulare, cuiusmodi etiam est baptizari. Denique etiã in hoc sensu non apparet vis consequentiæ. Nã dici posset, huiusmodi semimortuos baptizari propter remissionem peccatorum, & gratiam obtinendam, etiã si non essent resurrecturi.

4. expos. probabilis.

Quarta expositio est *baptizari* eo loco non sumi pro susceptione alicuius baptismi aquæ, sed pro baptismo pœnitentiæ, per opera pœnalia, & satisfactoria eo modo, quo Christus dixit Marc. 10. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? & baptismo, quo ego baptizor baptizari?* & Luc. 12. *Baptismo habeo baptizari, & quo modo coarctor vsque dum perficiatur?* Igitur *baptizari pro mortuis* idem erit, quod pro illis satisfacere per opera pœnalia. Quod superuacaneũ esset, si nulla esset spes resurrectionis, vt expresse dicitur. 2. Macab. 12. *Misit* (inquit) *Ieroſolymam offerri pro peccato ſacrificium, bene & religioſe de reſurrectione cogitans. Niſi enim eos qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur, & vanum orare pro mortuis.* Hanc expositionẽ probant inter alias Hugo, & Dionys. in Paul. & pro illa referuntur Ephrẽ in suo testamento, & Petrus Cluniacen. epis. contra Petrobrusianos. Et est valde probabilis, duas vero patitur difficultates. Prior est, quia valde improprie, & abusiue interpretatur verbũ *baptizandi*. Nam, licet interdum in scriptura soleat hoc verbum ad alias significationes præter aquæ baptismũ extendi: tamen quando ita fit, semper ex contextu, vel circunstãtiis constare potest, semperque seruatur aliqua habitudo ad ablutionem, vel aliquid simile illi. Vt Christus dixit, se fore baptizandum passione, quia sanguine suo tingendus, & quasi abluendus erat, & hoc modo martyriũ solet *baptismus* appellari. Pœnitentia quoque solet vocari *baptismus*, vel *flaminis*, quando baptismum aquæ in voto includit, vel *lacrymarũ*, quas excitat, illisque quodammodo pœnitentem abluit, vt constat ex Athan. q. 134. ad Antioch. Basilio libr. de Spiritu sancto c. 15. Cyprian. sermo. de cœna Domini, & Nazian. orat. 39. Ad hanc verò obiectionem responderi potest, hoc totum in præsenti reperiri. Nam in primis res ipsa, & contextus cogit, vt ita exponatur, ne absurdũ aliquem sensum reddat, & verba sequentia Pauli non parum fauent. Nã statim subiungit. *Quotidie morior propter gloriam veſtram fratres.* Deinde cùm dicamus, *baptizari pro mortuis*, esse pro eis satisfacere quod fit per opera pœnitentiæ, & pœnalia, recte comprehenditur hic baptismus sub baptismo lacrymarum, & pœnitentię. Præsertim quia ex effectu baptismi, qui est mundare translata est hæc vox ad significandam quancunque actionẽ, vel passionem, qua anima mundatur. Quomodo sancti Patres dicunt etiam ipsam pœnam purgatorij interdum vocari *baptismum*, iuxta illud Matt. 3. *Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igne*, vt exponunt ibi Hieron. Beda, Nazian. & Basilius supra. Atque ita recte cohæret metaphora Pauli, vt *baptizari pro mortuis* dicantur, dum se affligunt vt eos à baptismo ignis eripiant.

Athanaſi. Baſi Cyp. Gre. Naz.

Reſponſio

Matth. 3. Hierony. Bed. Gre. Naz. Baſi.

Marc. 10. Luc. 12. Baptizari pro mortuis quid.

2. Ma. 12.

Dionyſ. Hug. Ephrem, Pet. Clu.

1. Obiect.

Posterior difficultas est, quia iuxta hũc sensum nullo modo potest inferri resurrectio, sed solum quod animæ post mortem manent, & si in hac vita non plene satisfecerunt, in alia purgãtur. Vnde facile responderi posset interrogationi Pauli, *ſi mortui non reſurgunt, vt quid pro illis baptizamur?* Dicetur enim, vt eorum animæ á pœnis liberentur, qui fructus consistere posset, etiam si nunquam essent iterum corporibus vniendæ. Sed hæc obiectio in omni sententia necessariò soluẽda est. Tũ quia eadem fieri potest cõtra testimonium allatum ex secundo Machab. Tum etiam, quia Paulus in eodem capite sæpius eandem illationem inculcat, vt cùm ad persuadendam resurrectionem inquit, *Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Nam ad hęc etiam verba responderi posset, etiã si non sit futura resurrectio, nos non sperare in Christo, tantum in hac vita, & hoc satis esse, vt non simus miserabiliores omnibus hominibus, quia æterna bona animæ speramus. Rursum, quod ibidem ait, *ſi ſecundum*

2. Obiect.

Reſponſio 1. Cor. 15.

cundum hominē ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur. Eadē enim responsione hæc omnia dilui posse vidētur, scilicet, manere animas post mortem, quibus opera huius vitæ nocere possunt, aut prodesse. Quo circa, quod supra diximus de Christi argumentatione Matthæ. 22. de iis omnibus locis necessariò dicēdum est. Sępe in scriptura has quęstiones de pœna, præmioque animarum, & de resurrectione corporum ita esse coniunctas, vt ab vna ad aliam facile fiat transitus, & eadem censeatur vtriusque definitio. Vel quia inter Iudæos, ad quos ferè est sermo in prædictis scripturæ locis, nullus negabat resurrectionem, nisi qui negaret animæ immortalitatem: vel quia pœna, & præmiū, & resurrectio mortuorū æquê ad diuinam prouidentiam pertinent. Sic ergo Paulus prædictis verbis immediate concludit, mortuorum animas pœnas luere, quibus possunt per nostra suffragia leuari. Vnde fit, illas manere post mortem, & Deum habere earum prouidentiam. Ex quo supponit, necessariò sequi, eas non mansuras perpetuò separatas, neque earū corpora perpetuò caritura condigno præmio, aut pœna. Sic igitur hæc expositio probabiliter defenditur, licet iuxta illam necessariò sit fatendum, sicut Paulus dixit, *Qui baptizantur pro mortuis*, ita dicere potuisse, *Qui batizamur pro mortuis* Imò sicut dixit, *Vt quid baptizantur pro mortuis?* ita potuisse, absolute dicere, *Vt quid baptizantur?* vel, *Vt quid pęnitentiam agunt?* Nam si neque anima maneret post mortem: neque futurum esset præmium, & pœna, frustra hæc fierent pròpter salutē animæ. Sed hæc non sunt magna incommoda, quia non oportuit Paulum omnia dicere, præsertim in singulis verbis.

Posset tamen aliter hæc expositio declarari, vel esse potius quinta expositio, vt scilicet, *baptizari* in prædicta significatione sumatur, scilicet, prout idem est, quod pati afflictiones, vel dolores, vel etiā martyrium pro mortuis, id est, pro mortuorum resurrectione docenda, ac defendenda. Sicut ipse Paulus de se dixit Acto. 23. *De spe, & resurrectione mortuorum ego iudicor*, & capit. 24. *Quoniam de resurrectione mortuorum ego iudicor hodie a vobis*. Argumentatur ergo Paulus iuxta hanc expositionem à fide, & exemplis Sanctorū hominum, qui propter resurrectionis fidem, & spem suo sanguine baptizari non dubitarunt. Cui expositioni videtur consentaneum quod Paul. subiungit, *Quotidie morior propter gloriam vestram fratres*. Ita fere Gagneius in Paulum.

5 Expositio

Act. 23. & 24.

Gagnei.

6 Exposit. Num. 9. Eccle. 30.

Sextam expositionē alij adhibent, Paulum iis verbis alludere ad consuetudinem Iudæorū, qui quando mortuos tangebāt, vel sepeliebant immundi, irregularesque fiebant, & ideò baptismo, seu lauacro aliquo vtebātur ad eam immunditiam legalem tollendam iuxta præscriptum legis, Num. 19. & hoc lauacrum dici potest *baptismus pro mortuis*. Nam sicut Ecclesiast. 30. dicitur, *baptizari a mortuo*, qui lauatur ad tollendam immunditiam contractam ex contactu mortui: ita dici potest *baptizari pro mortuo*, qui propter curandum funus, & sepulturam mortui, irregularitatē contrahebat, & lauacro postea indigebat. Iuxta hanc ergo interpretationem sumit Paulus argumentum resurrectionis ex cura funeris, & sepulturæ mortuorū, quæ semper apud fideles fuit, quæ in spe resurrectionis fundatur. Non enim tam sollicite corpora mortuorum curarent, nisi sperarent ea resurrectura, & hoc est quod Paulus ait, *Quid est, quod baptizantur pro mortuis, si corpora non resurgunt?* ac si diceret, cur tanta cura, & solicitudine eos sepeliūt, etiam si pro eis postea baptizari oporteat, si spem resurrectionis eorum non habent? Hæc vero expositio aliquantulū est violenta, & voluntaria.

7, Exposit.

Septimam interpretationem addit Theodoretus iis verbis, *Qui baptizatur, Domino consepelitur, vt cum mortis fuerit particeps, sit etiam particeps resurrectionis: sin autem corpus non resurgit, cur etiam baptizatur?* Itaque vult Paulū loqui de baptismo Christi, quem esse figuram sepulturæ Christi alibi Paulus docuit, dicens, *Nos per baptismum consepeliri Christo*. Et hac ratione, dum baptizamur, dicimur *baptizari pro mortuis*, Quia veluti gerimus personam mortui, & quodammodo sepelimur. Quod sine causa dicit Paulus, fieri, si non est mortuorū resurrectio. Quia sicut per baptismum, dum in aquam mergimur, Christo cōsepelimur: ita cum emergimus, cum eo resurgimus, vt eisdem locis Paulus aperte docuit. Esset ergo vana tota illa baptismi actio, & repræsentatio, si nulla esset mortuorum resurrectio. Et hanc expositionem

Rom. 6. Colos. 2.

nem Caietan. amplectitur, quę etiam videtur nimis dura, ac violenta. Tum quia *baptizari pro mortuis* in nullo genere locutionis, significat agere in baptismo personā mortui. Alias possemus etiam dici baptizari pro Christo. Tum etiam quia si repræsentatio baptismi esset vana, aut falsa non existente resurrectione mortuorum, nō esset, quia baptismus repræsentat sepulturam mortui: sed quia repræsentat resurrectionem: ergo non debuisset Paulus argumentū sumere ex baptismo *pro mortuis*: sed pro suscitatis.

6. expoſit. probabilis. Chryſoſt.

Vltima expositio est, *baptizari pro mortuis* idē esse, quod baptizari baptismo Christi profitendo resurrectionem mortuorū. Ita Chrys. hom. 40. in 1. ad Corint. qui notat primitiuæ Ecclesiæ consuetudinē fuisse, vt, qui baptizandi essent symbolū fidei, & expræsse mortuorum resurrectionem profiterentur, prius quam idem præstarent ipso opere baptismi abluendo corpus, quia resurrecturum illud sperarent. Hac ergo ratione dicti sunt à Paulo *baptizari pro mortuis*. Ex quo sensu optimè cōcluditur argumentum, sine causa hoc modo baptizari, si non est spes resurrectionis mortuorum. Et hanc expositionē sequitur Theophyl. Oecumenius in Paulū, & Gagneius non reijcit: nec videtur contemnenda, quanquam non satis aptè accōmodetur verbis Pauli. Nam *baptizari pro mortuis*, durè exponitur, quod sit baptizari verbo, & opere profitendo resurrectionē mortuorū. Itaq; inter omnes expositiones quarta videtur facilior. Si quis tamen rectè consideret, in singulis fermè continetur aliqua propria ratio conferens ad persuadēdam resurrectionem: & ideò omnes illas adduxi, quia licet non omnes explicent mētem Pauli: omnes tamē vtiles sunt ad resurrectionem persuadendā. Et hęc de loco Pauli. 1. ad Cor. 15. in reliqua enim parte capitis solum adducit exēplum seminum ad declarandam resurrectionem, quod non adducitur à Paulo ad probandam futuram esse, sed vt declaret esse possibilem, & modum eius, vt latius in superioribus diximus.

Theo. Oecumen. Gagnei.

Tertio, principalem rationem ad persuadendam resurrectionem adduxit Paul. 2. ad Cor. 5. dicens, *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gesit, siue bonum, siue malū.* Quæ ratio sumpta est ex Diuina

2. Cor. 5.

A prouidentia, quā late supra Disp. 44. Sect. 8. persequuti sumus, & multorum Patrū testimonijs explicauimus: & ideo hic nihil addemus. Aliud verò Pauli testimoniū 1. ad Thessalon. 4. quod insigne etiā est in hac materia, explicabitur inferius, tractando de efficientia Christi circa resurrectionem nostram, & de tempore resurrectionis. Neque ad confirmandā hanc veritatē, oportet vti Patrum testimonijs, tū quia res est frequentissima in illis, tum etiā, quia sufficiunt, quæ inter explicandū scripturā adduximus, possunt autē præterea videri Cyrill. Ierosolym. cat. 4. & latius in 18. Greg. Nyssenus orat. 3. de Resurrect. Ambros. lib. de fide Resurrect. & Theodore. in Epitome diuinorū decretorū, cap. de Resurrect. & de iuditio, Prosper in dimidio tēporis, cap. 18. Rationes etiā in eadē explicatione testimoniorum

1. Thess. 4

Cyr. Iero. Gre. Nyss. Ambros. Theodor. Prosper.

B Scripturæ, adductæ sunt, quibus addi possunt alię supra adductę, tractādo quomodo resurrectio possit naturaliter cognosci

Ex dictis relinquitur primò resurrecturos homines in eisdē numero corporibus, in quibus ceciderunt. Tū quia in superioribus ostendimus, hoc esse de necessitate veræ resurrectionis. Tū etiā, quia testimonia allata, ipsorum corporū, ac ossium resurrectionē promittunt: & quia hoc necessarium est, vt perfectè seruetur ratio iustitiæ, prēmij, ac pœnæ iuxta diuinæ prouidentiæ dispositionē. Propter quam rationē probabilius etiam in superioribus duximus, non solū materiā totius corporis futurā esse eandem: sed etiā in singulis membris, & organis corporis eandē identitatē fore seruandam.

C

SECTIO SECVNDA.

Vtrum omnes homines iusti resurrecturi sint.

IN præcedēti sectione solū ostēdimus, futuram esse hominū resurrectionem generalē. Ex quo illud absq; vlla controuersia efficitur, omnes homines sanctos, & iustos, qui ante resurrectionis diē mortui fuerint, esse suscitandos. Nam hoc apertè probant scripturarū testimonia, & nullum est, quod in contrariū obiici possit, neq; vlla difficultas, dubitādi ve ratio. Dummodo excludamus singularia priuilegia eorū, qui ante vniuersalē resurrectionem excitati fuerūt, vt de B. Virgine certum est, & de iis, qui cū Christo resurrexe

runt,

runt, supra diximus, & de Elia, & Enoch infra dicemus. Solum ergo superest vt dicamus de iis iustis hominibus, qui viui inuenientur in die iudicij, & propè horã resurrectionis. Nam licet certum sit horũ corpora esse transformãda in qualitatem, & perfectionem glorioſorum corporum resurgentium: dubium tamen est, an verè, ac propriè resurgant. Ratio dubitandi est, quia nõ resurgit, nisi quod cecidit, isti autem non ceciderunt, cùm nò fuerint mortui. In contrariũ est, quia locutiones scripturæ generales sunt, & nulla est sufficiens ratio, vel autoritas ad huiusmodi exceptionem faciendam.

In hac re duæ sunt celebres sententiæ. Prior negat illos homines iustos, qui tum temporis vixerint, esse aut morituros, aut resuscitandos: sed solum immutandos, seu transformandos. Cuius primum fundamentum sumitur ex Paulo. 1. Corinth. 15. præsertim iuxta editionem Græcam, quę sic habet. *Ecce mysterium vobis dico.* Nõ *omnes quidem dormiemus: omnes tamẽ immutabimur.* Quorum verborum sensus est, non omnes Iustos esse resurrecturos, quia non omnes mortem obibunt: omnes tamen fore ad statum gloriæ transferendos. Cum qua sententia consonant sequentia verba. *Mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Illa enim particula, *& nos*, homines tunc viuentes significat, quos ita appellat, quia loquutus est veluti ipsorum Iustorũ voce, qui tunc viuentes in carne inuenientur. Quam sententiã, & expositionẽ egregiè confirmat aliud testimonium Paul. 1. ad Thessalon. 4. dicentis, *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui viuimus, qui residui sumus, in aduentu Domini non præueniemus eos, qui dormierunt.* In his enim verbis etiam loquitur Paul. in persona eorum, qui tempore iudicij viui inueniẽtur. Non enim loqui potest in sua propria persona, cùm ipse vsque ad secundũ Christi aduentum non esset victurus. De iis ergo hominibus, qui tunc viuent, ait non esse præuenturos eos, qui dormierunt. Vbi supponit, eos nõ esse dormituros, & quia hinc sequi videbatur, hos prius fore glorificandos, quã alios, eò quòd resurrectione non indigerent, sicut illi, admonet Paul. nõ ita esse futurũ. *Quoniam* (inquit) *ipse Dominus in iußu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi: deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera*, scilicet per glorioſam immutationẽ, absque morte, & resurrectione. Videtur ergo hęc sententia esse expressa Pauli: & ita censent exponendo hæc loca Chrysostom. homi. 42. in 1. ad Corinth. & homil. 7. in 1. ad Thessalonicens. Theodoretus, Theophy. & Oecumen. in Paul. & Origenes libr. 5. cont. Celsum non longè ab initio, & Hieronym. epistol. 152. ad Minerium refert in hanc sententiã Theodorum Heracleotem, & Apollinarium, quam ipse non iudicat improbabilem, & super Isaiam cap. 51. illam lectionem Pauli sequitur, *Non omnes dormiemus*, in epistola verò 148. q. 3. interpretans locum Pauli. 1. ad Thessal. 4. absolutè docet hanc sententiam, Aug. etiam quæst. 3. ad Dulcitium, licet locum illum. 1. ad Corint. aliter legat, quàm nos diximus, & ideo dubius de tota sententia esse videatur: tamẽ propter aliud testimonium ad Thessalon. valde est propensus in hanc sententiam, & planè fatetur, se ignorare, in quo alio sensu possit ille locus exponi. Et Gennad. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 7. & 8. hanc sententiam vt probabilem relinquit. Præterea Tertullian. lib. de resur. carnis c. 41. & 42. licet locum 1. ad Corinth. 15. aliter legat, hanc nihilominus sententiam apertè docet, & ad illam accommodat vulgatam lectionẽ, quę sic habet, *Omnes quidem resurgemus*, dicens illam immutationem, quę fiet in Iustis tunc viuentibus, pro resurrectione cõputari. Nam, cùm ab statu mortali ad immortalem transferendi sint, quodammodo *resurgere* dicuntur. Quod etiam notauit Gennad. supra, & indicauit Chrys. Aliter vero Ambros. 1. ad Corinth. 15. exponit hunc locum iuxta hanc sententiam retẽta vulgata lectione, scilicet, *Omnes resurgemus, qui in aduentu Christi mortui inuenientur, sed non omnes immutabuntur, qui in corpore sint reperti, quia soli sancti beatitudinis gloriam consequentur.* Et primò confirmari potest hæc sentẽtia ex eo, quòd in Symbolo dicitur, Christũ venturum esse *ad iudicandos viuos, & mortuos* iuxta illud Act. 10. Ipse est, *qui constitutus est a Deo iudex viuorum, & mortuorum*: & illud ad Rom. 14. *Christus in hoc mortuus est, & resurrexit, vt viuorum, ac mortuorum dominetur*. Sed non potest hoc rectius explicari, quàm si dicamus, iudicaturum Christũ, & eos, quos (cum venerit) viuentes

1. Cor. 15.

1. Thes. 4. The. Her.

Chrys. Theodore. Theo. Oecumen. Origen. Hieron. Apollinar. Aug. Gennad. Tertul. Ambros. Symbol. Act. 10. Rom. 4.

viuentes repererit, & eos qui mortui iam fuerant. Secundo confirmari potest, quia nulla potest assignari causa naturalis subitæ mortis tot hominũ: nec verò credẽdũ est, iussu Dei omnes esse violenter interficiendos. Nã quod solet dici cõburẽdos fore igne conflagrationis, per se est creditu difficile. (Cur enim Deus tot iustos viuos comburet?) & præterea aliqui existimant, conflagrationẽ ignis futurã post hominũ resurrectionem, & iuditiũ peractũ, de quo postea dicturi sumus.

Iusti homines, sicut morientur, ita & resurgent vniuersi, D. Thom. Gennad.

Secunda sententia est, omnes homines iustos veré, ac propriè esse resurrecturos, & consequenter prius esse morituros. Nã propria resurrectio est â morte, tanquã à termino à quo, vt supra diximus. Quã sententiã docuit D. Th. prima secundæ q. 81. ar. 3. ad 1. & eam defendunt omnes scholastici in 4. d. 43. & recentiores scriptores catholici, *quam* (vt Gennad. citato loco testatur,) *maxima Patrum turba tradente susceperunt*, eosq; statim indicabimus exponẽdo scripturæ testimonia. Primum, ergo fundamentum huius sententiæ est. Quia scriptura sæpe repetit, omnes homines esse morituros, & insignis locus est ille ad Roman. 5. *Sicut per vnum hominẽ peccatũ in mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransijt.* Vbi tam generaliter dicitur mors, sicut peccatum ad omnes transire: ergo sicut á contractione peccati nullus excipitur (omisso speciali B. Virginis priuilegio) ita nec à morte. Ergo tantam hominũ multitudinem excipere apertè videtur contra hanc generalẽ legẽ. Secundo, vrgent verba Paul 1. Corin. 15. prout in vulgata Latina leguntur: *Omnes quidem resurgemus: sed nõ omnes immutabimur*, quorum planus sensus est, omnes quidem homines tam bonos, quã malos esse resurrecturos: non tñ omnes forè ad statum gloriæ transituros. Et hoc idẽ est, quod postea dicit, *Mortui resurgent incorrupti*, quod commune est bonis, & malis, *& nos*, idest, Iusti *immutabimur*. Neq; satisfacit responsio illa, quod viuentes in corpore mortali dicantur *resurgere*, eò quòd trãsferantur ad statũ gloriæ. Primo quia hoc est contra proprietatẽ verbi *resurgendi*, vt enim ait Athan. lib. de Incarn. Verbi Dei ante medium, *Mortem, resurrectionem anteuertere oportet, siquidem resurrectio oboriri nõ potest, nisi mors præcedat.* Et idem repetit sermone 3. contra Arianos. Secũdo, quia ibi

Rom. 5.

1. Cor. 15.

Athanas.

A Paul. satis distinguit resurrectionem ab immutatione: hæc ergo est immutatio, & nõ resurrectio iuxta phrasim Paul. Tertio quia (vt Aug. argumentatur) Paul. in eodem cap. dixerat. *Tu quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur.* Dixerat etiam eos, qui resurgunt in Christo, per ipsum viuificari. *Quia sicut in Adam omnes moriũtur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Ergo ex Pauli sententia non resurgunt, nisi qui prius mortui sunt. Et hinc etiã facile excluditur alia euasio, quam insinuauit Oecumen. vt per distributionem accommodam intelligatur. *Omnes resurgemus*, id est, qui mortui fuerimus. Nam licet verũ sit, eos tantũ surrecturos, qui mortui fuerint: tamen Paul. vtrumque de omnibus hominibus absolute affirmat, morituros esse, ac resurrecturos. Neq; etiam contra vim huius loci obstat Græca lectio, quæ

Aug.

Oecumen,

B contraria videbatur. Primo quidẽ, quia vulgata Latina, (quæ Ecclesiæ autoritate recepta est) præferenda est lectioni Græcæ. Secundo, quia multi etiam Græci codices nõ habẽt negationẽ in priori parte, sed in posteriori hoc modo, *Omnes quidẽ dormiemus: sed non omnes immutabimur.* Ita legisse Didymũ Alexan. & Achatium Cæsariensem, atque ita in pluribus codicibus reperisse, refert Hieron. in prædicta epistola, dicens, ex eorũ verbis, huic sententiæ magis acquiescere Ecclesiam, *Vt omnes communi morte moriamur: & non omnes immutemur in gloriam*: & infra ita concludit. *Hoc autem sciendum, quod magis conueniat veritati ita legere, Omnes quidem dormiemus.* Et hoc modo legunt ex antiquis Patribus Latinis Aug. 20. de Ciuit. c. 20. vbi, licet vtrã-

Did. Ale. Ach. Cæs. Hierony.

Aug.

C que lectionem afferat, hanc præfert, idem q. 3. ad Dulcitium, & Epist. 146. ad Consentium. Et fortasse varietas huius lectionis orta est ex vnius tantum elementi mutatione. Nam priores Græci codices habebant hoc modo, (vt in Complutensi exẽplari refertur) πάντες μὲν οὖν κοιμηθησόμεθα, quod ad literam vertitur, *Omnes quidem certe dormiemus.* Nam illa particula ἂν *igitur*, vel *certe* significat. Si autem ablata vltima litera dicas, ου significabit, *non*. Fieri ergo potuit, vt scriptorum incuria illa litera expungeretur. Quanquam autẽ hæc lectio affirmatiua, *Omnes dormiemus*, diuersa videatur à vulgata lectione, *Omnes resurgemus*: tamen (vt recte notauit D. Th.) sensus

D. Thom.

sus est idē, tum propter verbū, *dormiemus*, quo significatur mors, propter futurā resurrectionē, Ioan. 11. *Lazarus amicus noster dormit*. Tū quia ex eo, quòd oēs sint morituri, sequitur omnes esse resurrecturos, & quia hæc erat Pauli intētio (vt ex cōtextu cōstat) ideò, vt illā magis explicaret vulgatus interpres, vertit, *Omnes resurgemus*. Et ita intellexerūt Latini Patres, qui hāc sentētiā sequūtur, Aug. supra, & de fide, & symbolo c. 6. Fulgent. de fide ad Petrū c. 3. & 29. Amb. in 1. epis. ad Corint. & ad Thesa. Ruffin. in expositione symboli. Iulianus Archiep. Tolet. lib. 3. Prognosticō c. 48. & Claudianus lib. 1. de statu animæ, & oēs recentiores. Tertio, quia (etiā si Græcā lectionē negantē retineamus) pōt ita exponi, vt nō sit vulgatæ lectioni Latinæ contraria, ergo ita omnino faciendū est. Antecedens declaratur, primū ex Oecumenio ibi dicente, verbū illud, *Non dormiemus*, intelligi posse, *de diuturna dormitione, ita vt opus sit sepulcro, ac solutione ad corruptionem*. Nā quia mors, & resurrectio eorū, qui vsque ad diē iudicij vitā protraxerint veluti in momēto, & quasi subito motu fiet, ideô horū mors quasi nulla existimatur. Itaque sensus erit, *Non omnes dormiemus*, idest, nō oēs diuturno mortis sopore tenebimur: sed aliqui tā subito euigilabūt, vt vix dormiisse videātur. Vel aliter, quia Græci textus nō habent, *non omnes dormiemus*, sed, *omnes quidē non dormiemus*, quāuis iuxta phrasim Græcā fortasse equipolleant: possumus tamē Latinè vniuersaliter interpretari, hoc sensu, *Omnes non dormiemus*, idest, oēs euigilabimus, seu non perpetuo somno corripiemur, quod est, ac si diceret *Omnes resurgemus*. Vel denique (vt alij exponūt) vt illud, *non*, positū sit pro, *non tantum* & sit sensus, omnes nō tantū dormiemus, sed etiā immutabimur à morte ad vitā. Similis enim modus loquēdi non semel in scriptura reperitur, vt Marc. 9. *Quicunque me susceperit, non me suscipit: sed eum, qui misit me*: idest, *non tantum me*, & 2. ad Corin. 7. (vt rectè ibi notat D. Tho.) *Scripsi vobis non propter eum, qui fecit iniuriam, neque propter eum, qui passus est*, idest, nō propter eos tantum, *Sed ad manifestandam solicitudinem nostram*.

Ioann 11. Aug. Fulgent. Ambros. Ruffin. Iulian. Claudan. Oecumen. Mar. 9. 2. Cor. 7. D. Thom.

Igitur, cū vulgata lectio veritatē huius sentētiæ maximè requirat, & Græcę oēs possint ita exponi, vt illi non contradicant, omnino prędictę sentētię acquiescendum est. Quæ non potest alia ratione probari, nisi quę ex dictis testimoniis sumitur, scilicet, quia mors est generalis pœna omnibus hominibus imposita propter transgressionem primi parētis, vt Paulus docuit citatis locis, ex illo Genes. 3. *Terra es, & in terram ibis*. Propter quod dixit idē ad Hebr. 9. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium*. (Quæ verba videtur egregiè cōfirmare hāc sententiā. Satis enim significant omnes homines, priusquàm iudicētur, esse morituros) sed nulla est ratio, ob quā omnes illi homines hac pœna liberentur, cùm nulla sit specialis causa huius priuilegij, neque vllum illius sufficiēs fundamentū. Vnde Dauid Psal. 88. tanquam rem omnino admirandā, & inusitatā dicit, *Quis est homo, qui viuet, & nō videbit mortem? eruet animam suam de manu inferi?* Cui rationi, vt cōpleta sit, addi potest, in fine mūdi, seu tempore iudicij vniuersalis futuras esse causas, quę sufficiant mortem inferre omnibus mortalibus, qui tunc vixerint, vt in solutionibus argumētorum explicandum est.

Mors omnibus generalis. Gen. 3. Hebr 9. Psal. 88.

Ad fundamenta ergo prioris sentētiæ. De primo testimonio Pauli iam satis dictum est. Ad aliud vero ex 1. ad Thessalon. c. 4. August. dicto loco de Ciuitat. dicit Paulum solum affirmare homines, qui inueniētur viui tēpore resurrectionis generalis, esse rapiendos in aera: nō negare tamen esse morituros. *Vnde fieri poterit* (inquit) *vt in ipso raptu moriantur, & paulo post resurgant*. Et in eandem expositionem inclinant Anselmus, Beda, & alij ibi. Est tamen difficilis creditu, primumquia per se apparet incredibile illud genus mortis, & illud miraculum rapiendi in aera corpora adhuc mortalia, & (quod maius est) sustinēdi in aere corpora iā mortua, donec resurgāt. Nā, licet hæc non sint Deo impossibilia, nec admodū difficilia: videntur tamē ad opus resurrectionis valde extranea, & inutilia, & sine fundamento conficta. Deinde (quod caput est) Paulus apertè loquitur de raptu corporū in aera, per gloriosam immutationē, ratione cuius quasi cōnaturale, & intrinsecum erit illis corporibus posse per aera subleuari. Et ita intelligunt Paulū cæteri omnes interpretes. Et vlterius probatur, nā Paulus inquit, *Simul rapiemur cum illis*, ergo quando isti rapiētur, simul etiā rapientur alij, quos dixerat fore á morte excitandos, & ideō ante hūc raptum,

Responsio ad argumenta in oppositum. Aug. Anselm. Bed. Testimonij Pauli. 1. ad. The. 4. Expositio,

raptum, supponitur facta illorum resurrectio, ergo non potest dici in hoc raptu aliquos esse morituros, alias post quorundã resurrectionẽ alij morerentur, & postea resurgerent, quod omnino improbabile est. Loquitur ergo Paul. de raptu glorioso. Quod satis etiam confirmant illa verba postrema, *Et sic semper cũ Domino erimus.* Vbi non dicit, futuros nos esse in aëre cũ Domino: sed futuros, *sic*, ideſt, in eo statu, ac perfectione, in qua rapti fuerimus: non ergo intercedet mors, nec substãtialis mutatio in eo raptu. Aliter ergo respondetur cũ Oecum. (quem videtur D. Th. imitari) eos, qui tunc viui reperientur, paulò ante generalem resurrectionẽ esse morituros: sed, quia modicum erit tempus inter mortem, & resurrectionem, ideo Paul. de illis tanquam de viuentibus loqui, distinctoq; modo, quã de alijs iam dudum mortuis. Ratio autem, ob quam specialiter docuit hos non esse præuenturos alios, qui iam dormierant, non est, quia ij non sint morituri: sed (vt inquit Oecum.) quia cũ alij essent multò antea mortui, eorumq; cineres essent per orbem dispersi, ii verò paulo antea essent vita functi, & corpora fortasse manerent integra, videri poterat, facilius hos, quàm illos esse suscitandos: ac propterea ait, non ita futurum: sed tam facile esse Deo iam diu mortuos, quã eos, qui tunc obierant, *in momento, & in ictu oculi* excitare.

Oecumen. D. Thom.

Ad primã confirmationem, quomodo Christus dicatur *iudicaturus viuos, & mortuos*, quidã exponunt, ideſt, bonos, & malos. Quã expositionem amplectitur Aug. de fide, & symb. c. 8. & in Enchir. c. 51. & Chrys. hom. 1. de symb. Sed non placet, quia non est sermo de vita gratiæ, & morte illi opposita: sed de vita, & morte naturali, qua etiam damnati viuent, cũ iudicabuntur, vt infra dicemus. Alii exponũt, *iudicaturum viuos, & mortuos*, ideſt, animas, & corpora. Nã licet, quando fiet iudicium, iã corpora tunc viuẽt: tñ nunc, quando fidẽ profitemur, animæ viuunt, corpora verò mortua sunt, iuxta illud Matt. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus: animam autem nõ possunt occidere.* Vtraq; vero iudicabuntur. Ita Ruffinus in expositione symboli. Tertio, licet *viuorũ* nomine intelligamus eos, qui vsque ad diẽ iudicii vitam producẽt, (vt etiã Aug. & Chryso. supra exponũt,) nõ est necesse dicere eos nũquã esse morituros: sed appellari *viuos* (vt diximus) propter breuitatem mortis. Quarto vero & (vt opinor) simplicius, & facilius dicitur, hæc verba symboli respicere illud tẽpus, in quo fidem profitemur, *viuos* ergo eos appellamus, qui nunc viuimus: *mortuos* vero, qui nos præcesserunt.

Aug. Chryso. Christus viuorũ iudex & mortuorum quomodo dicitur.

Mat. 10. Ruffin.

Ad secundã confirmationẽ respõdetur plures futuras esse causas humanæ mortis prope diem iudicii. Nã in primis Ioannes in Apocalyp. de illo tẽpore loquens ait c. 6. *Datam esse potestatem morti super quatuor potestates terræ, interficere fame, & gladio, & morte, & bestijs terræ*: & capite. 8. & 9. dicit, *Septem Angelis datas esse septem tubas*, quarum sonitu, & clangore interfecerunt infinitã hominũ multitudinẽ. Nã de solo sexto Angelo dicitur interfeciſſe *sextam partem hominum*. Denique multi morientur fame, alii peste, alii nimio timore, alii denique ex aeris inclementia, & magna cœlorũ, ac elementorũ perturbatione, quæ non solũ homines, sed etiam cætera animalia cõficiẽt. In quo illud etiã obseruandũ videtur, non omnes homines iustos fore tunc simul obituros: sed iuxta diuinæ prouidentiæ dispositionẽ, alios tardius, alios citius, prout vnusquisque ad animæ suæ purgationem diuturniori tempore indigebit.

Subita prope diem iudicij, hominum mors.

Dubium. Sym. Ath.

Sed quæret tandem aliquis, quã sit certa hæc sententia, quã defendimus. Aliqui enim putant esse de fide propter testimoniũ Pauli, & generales locutiones scripturarum, & quia in symbolis fidei, præsertim Athanasii dicitur, ad Christi aduentũ omnes homines resurrecturos. Sed certũ est non esse de fide, vt ex Aug. notauit Pãmelius super Tertull. supra, in quo etiam conueniunt omnes scholastici cum Magistro, & D. Th. Quia nulla est in hoc Ecclesiæ definitio, & loca scripturæ variis modis exponũtur à Patribꝰ (vt vidimus) qui à generali regula aliquos excipiunt ab actuali morte, quãuis ex peccato essent mortis obnoxii, ad mortẽque perpetuo tenderent, quod est continuum quoddã mori, vt dicunt Patres in illud Gen. 2. *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris.* Alii dicũt quanuis nostra sententia nõ sit de fide, esse tñ ita certam, vt cõtraria sit temeraria. Ita Catharinus. 1. Cor. 15. & idẽ sentit Sotus d. 43. q. 2. artic. 4. Sed non video, quo fundamento id asserant, cùm tot, ac tanti Patres illam sententiã docuerint, qui non tantum

Responsio. Aug. Pammel. Magist. D. Thom. Genes. 2. Catharin. Sot. Aug.

tantū decepti fuerūt (vt alii loquūtur) falsa lectione illius loci 1. ad Cor. 15. sed adeò permoti sunt testimonio Paul. 1. ad Thessaloni. 4. vt Aug. aliquando dixerit, se nō inuenire, quomodo possit aliter intelligi. Neque post tempora illorum Patrum noua aliqua ratio, nouum ve testimoniū inuentum est, quo hæc veritas magis illustretur, neque Ecclesiæ autoritas magis in alterutram partem inclinauit. Quomodo ergo, nisi temerè, potest temerariū dici, quod tanti Patres docuerunt, quodque in scriptura habet tam apparens fundamentum? Modestius ergo mea sententia loquuntur, qui ab omni censura abstinētes se se, posteriorem sententiam probabiliorem, ac simpliciter veram arbitrantur esse. Sic enim loquuti sunt D. Th. & antiquiores Theologi, & ex recentioribus Canus 2. de locis cap. 14. & Sixtus lib. 6. bibl. annot. 265.

D. Thom. Can. Syx. Sene.

SECTIO TERTIA.

Vtrum etiam homines damnati resurrecturi sint.

RAtio dubitandi sumi potest ex nōnullis sacræ scripturæ locis. Primus ac vulgatissimus est ille Psal. 1. *Non resurgunt impij in iudicio, neque peccatores in consilio iustorum.* Secundus est Dan. 12. *Multi de iis, qui dormiunt in terrę puluere, euigilabunt.* Vbi videtur dictum esse *multi*, & nō *omnes* propter Iustos, & peccatores. Tertius est secundi Machab. 7. *Potius est ab hominibus morti datos, spē ex spectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos, tibi enim resurrectio ad vitam non erit*, scilicet peccatori, & iniquo. Quarto addi potest ratio, quia resurrectio est magnum quoddam bonum, ergo nulla ratio est, ob quam prauis hominibus, & ad æternam mortē damnatis conferatur. Et confirmatur, nam propter hanc causam specialiter promittitur resurrectio membris Christi participātibus vitā eius ad Rom. 6. *Si complantati fumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus*, & 1. Cor. 15. *Eos, qui dormierunt, per Iesum adducet cum eo.*

Psalmo. 1. Dan. 12. 2. Mac. 7. Rom. 6. 1. Cor. 15.

Duos distinguere possumus damnatorū ordines, vnū adultorum, qui propter propria peccata actualia dānati sunt: aliū infantium, qui propter solū originale à regno Christi excluduntur. Quæ distinctio quanuis seruata proportione locum habeat in Iustis. Alij enim sunt adulti, qui per propria merita salutē consequuntur: alij infantes, quibus solū Christi meritū, & gratia per sacramentum applicātur: tamen, quia constat, omnes Iustos similem gloriam, & beatitudinem esse habituros, ideò (quod ad rem prēsentem de resurrectione spectat) non fuit necessaria illa distinctio. In damnatis verò videtur esse aliqua specialis ratio. Quia pueri habebunt genus damnationis, ac statum valde diuersum à cæteris damnatis.

Dānati ad gehennam resurgent in die iudicij; omnes.

Dico ergo primo, omnes damnatos ad gehēnam propter propria peccata, esse in generali resurrectione excitandos. Est de fide. Expressè enim habetur in multis scripturæ locis, Ioan. 5. *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, & procedent, qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* Quę verba duplicē nobis indicant resurrectionem, cuius cognitio ad intelligenda varia scripturę loca est necessaria. Alia dicitur *resurrectio vitæ*, seu *ad vitā*, quod non est intelligendū de vita naturali, seu corporea: nam hoc modo cōmune est omni resurrectioni esse reparationē vitæ. Vnde ex eisdem verbis colligitur, hoc futurū esse cōmune omnibus bonis, & malis *Omnes enim in monumentis erunt*, & *omnes audient vocem filij Dei*, nimirum auribus corporis illam percipiēdo, & *procedent*, seu egrediētur de monumentis, seu locis, in quibus reperiuntur, ita vt pedibus gradiātur, sicut notauit Hiero. epist. 61. ad Pammachiū contra errores Ioannis Ierosolymitani. Omnes ergo viuēt vita corporea. Igitur cū dicūtur aliqui *resurgere ad vitam*, seu *resurrectionē vitæ*, intelligendū est de vita æterna, quæ erit in æterna beatitudine, in qua nihil est mortis, & hæc dici etiā solet in scriptura *resurrectio Iustorum*. Atque de hac optime intelliguntur verba adducta ex 2. Macha. *Tibi enim resurrectio ad vitam non erit.* Nā resurrectio damnatorum potius dici potest *resurrectio ad mortem*. Quia (vt acutè dixit Augu. lib. 6. de Ciuitat. c. 12.) *Vita gehennæ potius mors est dicenda, quam vita, nulla quippe maior, & peior est mors, quam vbi non moritur mors.* Alia verò dicitur *resurrectio iudicij*, id est, condemnationis. Dixerat enim paulo antea Christus (vt circa hęc verba notauit Chrys. hom. 38. in Ioan.) *Qui credit in me*, scilicet, fide diuina, *non venit in iudicium* non quia iudicandus non sit: sed quia nō est iudicādus, & dānādus propter peccata,

resurrectio vitæ quę.

Hierony.

2. Mach. 7

Resurrectio iudicij quæ.

quæ commisit, cum per viuã fidẽ in Christum sint remissa. Eodem ergo sensu dicũtur mali resurgere *resurrectione iudicij*, scilicet, vt in iudicio condemnentur iuxta ea, quæ in corpore gesserunt, vt ait Paul. 2. ad Cor. 5. Qui locus apertissimè confirmat veritatem propositam, & rationem illius continet, quia *oportet omnes manifestari ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque in corpore, sicut gessit, siue bonum siue malum.* Et hoc ipsum est, quod dixit Athanas. in symbolo. *Ad cuius aduentum omnes resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis proprijs rationem, & qui bona egerunt, ibũt in vitam ęternam, qui vero mala in ignem æternum.* Idem expresse definitur in Concilio Lateranensi, vt habetur in capit. Firmiter de summa Trinit. Et quoniam res est perspicua, non opportet adducere plura in eius probationem, maximẽ cum in hac re non habeamus cum hæreticis specialem controuersiam.

Sym. Atha. Con. Bate.

Dico secundo, etiam infantes, qui in peccato originali discesserunt, forè resuscitãdos. Hæc conclusio non videtur in scriptura tam expressa, sicut præcedens. Quia testimonia adducta videntur loqui de adultis, qui de proprijs actibus sunt iudicãdi, & bona, vel mala agere potuerũt. Propter quod Iustinus martyr quæstio. 13. ad Gentes hanc attingens quęstionem, solũ dicit, *decenseſſe credere infantium resurrectionem.* Et (quod maximẽ mirandum est) etiã de Iustis loquitur. Nam exemplum ponit in Innocentibus. Et Augustus. 22. de Ciuit. cap. 13. agens de infantibus, qui in maternis vteris moriuntur, neque affirmare, neq; negare audet, an sint resurrecturi: quãuis in affirmantem partem magis propendeat: de infantibus verò iam natis supponit potius, quam decidit, esse resurrecturos. Vnde in Enchir. cap. 84. *Resurrecturam* (inquit) *carnem omnium, quicunque nati sunt hominum, atque nascentur, & mortui sunt, atque moriẽtur, nullo modo dubitare debet Christianus.* Statim vero capit. 85. dubius est de abortiuis fœtibus. Nihilominus existimo conclusionem positam esse certam. Quæ primo probatur generalibus locutionibus scripturæ, & symboli fidei, quibus docemur, omnes homines resurrecturos. Quia ne que ij infantes homines non sunt, neq; vllo fundamento excipi possunt. Secundo, est optimum testimonium Pauli. 1. ad Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur,* vita nõ solum animę, sed etiam corporis, de qua ibi est sermo: sed huiusmodi infantes mortui sunt in Adamo, ergo suscitabũtur in Christo. Quæ ratio probat etiam de ijs qui moriuntur in maternis vteris, & de quibuscuis abortiuis fœtibus, qui ad rationalem animationem peruenerũt. Nec video, quę possit esse de illis specialis ratio dubitãdi, cum habeant propriam animam rationalem distinctam ab anima matris, & consequenter etiam ipsi in Adamo moriantur, igitur per Christum etiam viuificabũtur. Neque enim animę illæ perpetuo futuræ sunt à corporibus separatę, vt etiam Aug. supra notauit. Tertio quia ad diuinã Prouidentiam spectat hos etiam infantes præmio, vel pęna afficere iuxta eorum captũ. Et ideo dicemus infra, illos fore iudicandos, cùm tamen Paul. dicat, omnes iudicãdos affuturos ante tribunal Christi, cum corporibus suis. Qua propter licet ij in ętate infantili moriantur: resurgent tamen in perfectis corporibus, in quibus vti ratione possint, vt recte Aug. docuit locis supra citatis.

Infantes in originali decedentes resurgent in iudicio omnes.

Iustin.

Aug.

1. Cor. 15.

Aug.

Ad primum ergo testimonium ex psal. 1. variæ sunt expositiones. Prima, vt intelligatur de resurrectione ad vitam, ad quã impij (vt diximus) non resurgunt. Nam hæc resurrectio solet in scriptura, quasi per antonomasiam simpliciter *resurrectio* appellari. Secunda, quod non resurgent in iudicium, ideſt, vt eorum causa examinetur, & ipsi conuincantur, quia eorum impietas eos satis iudicat, & condemnat. Ita Basil. & Theodor. Quæ expositio commodè explicatur, si per impios intelligamus infideles, de quibus ait Christus Ioan. 3. *Qui non credit iam iudicatus est:* & hoc eodem sensu dicuntur non resurgere, vt iudicentur: per peccatores autem intelliguntur credentes peccatores, de quibus non dicitur, quod non resurgent in iudicium, sed quod non resurgent, vt sint in concilio, seu cõgregatione iustorum. Sic Hilar. & Euthym. Nec multum discrepãt Ambros. Hieronym. Aug. & ferè alij Latini. Et bene Iulianus Toletanus libro. 3. Prognost. cap. 33. vbi distinguit duos ordines electorum, iudicantium, & iudicandorum, & alios duos reproborum, scilicet eorum, qui iudicantur, & qui iam iudicati sunt: & hos postremos dicit esse illos impios, qui *non resurgunt in iudicium.*

Testimonij Psalm. 1. Expositio

Basil. Theodore. Ioannes. 3.

Hilarius. Euthym. Ambros. Hieron. Aug. Iulian.

Tertia

Tertia, quod non resurgent in iudicio, vt iudicent: bene autem, vt iudicentur. Omnes enim iusti aliquo modo resurgent iudicaturi, iuxta illud Matth. 12. *Regina Sabba surget in iudicio cum generatione ista, & cõdemnabit eam, &c.* Ita D. Tho. Quarta (quę maximè videtur literalis) est hæc, *Non resurgent*, id est, caput non erigent, non subsistent, neque pro se respondere poterũt, sicut Psal. 139. de peccatoribus dicitur: *Cadent super eos carbones, in ignem deicies eos, in miseriis non subsistent*, Idem enim verbũ Hebræum vtrique loco respondet. Ita Ianfenius, Gagneius, Flamin. & Genebrard.

Matth. 12. Psal. 139. Ianfen. Gagnei. Flami. Genebrar.

Ad secundum, non plenè referũtur verba Danielis. Nam expresse dicitur, *Multi ex iis, qui dormiunt in terrę puluere, euigilabũt, alij in vitam æternam, alii in opprobriũ*. Quod ergo dicit, *Multi*, iam supra diximus sæpe in scriptura sumi pro omnibus, vt ad Roman. 5. *Vnius delicto multi mortui sunt*, & Matthæ. 26. *Qui pro vobis, ac pro multis effundetur*. Ita Theodoret. & alij expositores. Tertium testimonium iam est in superioribus explicatum.

Rom. 5. Matt. 26. Theo.

Ad rationem respondetur, resurrectionẽ glorioſam pertinere ad pręmiũ bonorum: resurrectionem autem damnatorũ potius pertinere ad eorum pœnam, & in vniuersum, resurrectionem omnium hominum, vt terminatur ad vitam humanam, & substantialem compositionem corporis, & animę pertinere ad generalem prouidentiam Dei, & gubernationem. Nam illa vita est quasi fundamentum præmij, & pœnæ bonorum operum. Vbi autẽ specialiter promittitur resurrectio bonis, & iustis, per antonomasiam (vt dixi) sermo est de resurrectione ad vitam, seu glorioſa.

SECTIO QVARTA.

Vtrum Christus effecturus sit resurrectionem nostram, per se vel per Angelos.

HActenus ostendimus hominum resurrectionem esse futurã, de huius autem resurrectionis natura, & essentia nihil addendum occurrit iis, quę in superioribus de resurrectione in communi diximus: de perfectione verò eius, ac de proprietate corporum resurgentium, idem ferè dicendum est, quod de Christo dño diximus, seruata proportione, prout declarabimus commodius, explicãdo causas huius resurrectionis. Porrò causæ intrinsecæ humanę resurrectionis per se notæ sunt, nimirum rationalis anima, & humanum corpus, & inter disputandum de natura resurrectionis satis explicatæ sunt. Causę verò extrinsecę plures esse possunt. Prima est finalis, de qua nihil occurrit dicendum, cum constet, Deum esse primarium, atque vltimum finem eius: Christũ autem dominum, vt hominẽ, esse secundarium finem, proximè post Deum. Nam omnis gloria hominum ad eius gloriã ordinatur (vt in priori tomo ex professo dictũ est). Quinimo etiam resurrectio damnatorum in illius gloriam cedit, eiusque iustitiam, virtutem, atque efficaciam manifestat. Possunt etiam alij fines proximi, & particulares excogitari, quos Deus in hac resurrectione intendit, vt vniuersi perfectio, sanctarum animarum remuneratio, ac plena beatitudo, & alij similes, qui nullam disputationem postulant.

Altera causa est efficiens, & prima quidem, ac principalis est Deus, de qua nihil noui dicendum supereſt: inquirenda ergo est causa proxima, si qua fortasse concurrit præter Deum. Rursus hæc causa proxima duplex intelligi potest, vna est moralis, qualis est causa meritoria, vel impetrãs, & huiusmodi causa potest quidem assignari respectu resurrectionis bonorum. Nam Christus dominus meruit omnium illorũ resurrectionẽ (vt in priori tomo dictum est) & ipsi etiã iusti, qui gloriam nõ solum animæ, sed etiã corporis meruerunt, consequenter suam resurrectionem meruerunt. Animæ quoque sanctæ, ac beatæ resurrectionẽ suorum corporum impetrare possunt, quam postulant, vt in Apocal. legimus. At vero resurrectio damnatorum, cùm potius ad vindictam, & pœnam, quàm ad præmium pertineat, non videtur cadere sub Christi meritis. Nisi dicamus illam resurrectionẽ, vt cedit in maiorem afflictionem, & pœnam damnatorum non esse ex meritis Christi: sed potius quodammodo esse effectum demeritorum taliũ hominum: prout vero illa vita de se bona est, ac posset esse fundamentum beatitudinis, supernaturalium que bonorum, & præterea quatenus actio illa, per quam reparatur, est supernaturalis, in qua Christus explicat vim, & efficaciã suã, sub hac ratione esse effectũ meritorũ eius: sicut expulsio dęmonis facta virtute Christi

& est pœna ipsius dæmonis, & effectus meritorum Christi, diuersa tamen ratione. Et ita sentiunt Cyrill. lib. 4. in Ioann. cap. 51. & Tertullian. lib. de resurrect. carnis, & colligi potest ex illo 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* & ibidem, *per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.* Vt enim antithesis sit perfecta, oportet, quòd sicut Adam actu, & merito suo omnium mortem inuexit: ita Christus sua actione, & merito omnium vitam recuperauerit. Quare resurrectio puerorum, quæ nec glorioſa futura est, nec pœnalis, maiori ratione dici poterit effectus meritorum Christi. Quia erit magnũ beneficiũ naturæ, illi ex se non debitum, eritque remissio cuiusdam pœnæ, seu reparatio cuiusdam defectus contracti per peccatum originale. Et hæc satis sunt de causa meritoria. Dicẽdum ergo est in hac sectione B de causa efficiente physica, in sequẽti vero de exemplari.

Principio igitur, Christum dominum, & virtute sua, & Angelorum ministerio aliquid effecturum in resurrectione nostra, omnes sancti, & Theologi docent. Primum propter verba ipsius Christi Ioan. 5. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem eius,* scilicet filij Dei, *& procedent, qui bona egerunt in resurrectionem vitæ,* &c. Primæ autem ad Thessalon. 4. dicitur. *Ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.* Circa quę duo testimonia nonnulla sunt obseruanda. Primum est, eandem esse vocem, de qua Christus, Paulusque loquuntur, vt notarunt super Ioann. Cyrill. libr. 12. cap. 145. & Rupertus libr. 5. & Euthy. capit. 7. & D. Thom. lectione. 5. & super Paulum Ambros. Anselmus & D. Thomas, & indicant Chrysostom. Theodore. & Oecume. Et potest ex collatione vtriusque textus suaderi. Quia ex vtroque loco colligitur, ad præsentiam, & efficaciam illius vocis mortuos esse suscitandos, sicut etiam Paul. declarauit. 1. ad Corint. 15. dicens. *In momento in ictu oculi, in nouissima tuba, canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimnr.* Non est autem verisimile, simul duas voces esse emittendas, cùm vna sit sufficiens, & efficax: est ergo vna, & eadem vox de qua Paulus, & Christus loquuntur.

Ioan. 5.

1. Thess. 4

Cyri. Ale. Rupert. Euthym. D. Thom. Ambros. Anselm. Chrys. Theodore. Oecumen.

1. Cor. 15.

A Vt autem hoc euidentius fiat, obseruandum est secundo, hanc vocem futuram esse sensibilẽ. Quod aliqui negare ausi sunt dicentes, hanc vocem solum esse mentale imperium Christi: tubã vero ipsum Christum exhibentem huic mundo inferiori suam sensibilem præsentiã, vel certe hanc vocem nihil aliud esse, quam ipsam præsentiam Christi. Ita refert, & non improbat D. Thom. in 4. d. 43. q. 1. ar. 2. quæst. 2 referens verba Gregorii, *tubam sonare nihil aliud esse, quam mundo, vt iudicem filium demõstrare.* Et potest hoc fieri verisimile, tum quia vox sensibilis non potest in vniuerso mundo audiri, neque virtus eius, & efficacia potest vbique operari. Tum etiam quia mortui non possunt audire vocẽ sensibilem: dicitur autem Ioann. 5. *Audient vocem eius*: ergo est sermo de voce spirituali, quam animæ percipient. Tum denique quia *tuba*: eo loco metaphoricè dicta est ergo & vox, & sonus.

D. Thom. Gre. Pap.

Ioann. 5.

Nihilominus, quod dixi, certum existimo, scilicet, vocem illam futuram esse personum sensibilem, vt apertè docuit idem D. Thomas Ioannis. 5. lection. 5. dicens. *Vox ista erit sensibile signum filij Dei, ad quam omnes suscitabuntur*, & adducit testimonia ex. 1. ad Thessalon. 4. & 1. Corinth. 15. & illud Matt. 25. *Media nocte clamor factus est exite obuiam ei.* Et eadem est sententia Hieron. epist. 61. ad Pammach. dicentis, *Audient auribus, & procedent pedibus.* Vbi apertè supponit, illam vocem fore sensibilem. Idem sentit Chrysost. hom. 38. in Ioann. dicẽs, *Orbẽ terrarum Christi voce resurrecturum.* Significat etiam Greg. lib. 17. Mor. cap. 21. ad hanc vocem accommodans illub Iob. *Quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* & illud Sopho. 1. *Iuxta est dies Domini, dies tubæ, & clangoris*: & illud Psal. 49. *Deus manifeste veniet, Deus noster, & non silebit.* Sumit etiam argumentum ex virtute Christi, qui tempore passionis vna voce inimicos suos prostrauit. Deinde confirmari hoc potest, quia 1. ad Thess. 4. dicitur, *In iussu Dei, & voce Archangeli*: ergo vox non est tantum imperium: sed est aliud quidpiam, quod iussu Dei fiet. Neque erit sola præsentia Christi, non modo, quia hoc est valde improprium, & metaphoricum: sed etiam, quia hæc vox dicitur esse Archangeli, qui (vt infra dicemus) non est ipse Christus, sed minister eius. Vnde etiam confirmatur,

Tuba seu vox Christi mortuos e sepulcris ad resurrectionem, & iudiciũ euocantis qualis.

D. Thom. 1. Thes. 4. 1. Cor. 15. Matt. 25. Hieron. Chryso. Anselm. Gre. Iob. 16. Sophron. Psal. 49

tur, quia verba scripturæ hoc modo pro prius intelliguntur, & sine vllo incommodo, imô cum maxima proportione, & cõgruentia. Tum quia adueniente Christo homine in sua maiestate, sensibili, & manifesto aduentu ad congregandum, & iudicandum homines sensibiles, congruum est, vt aliquod signum sensibile pręcedat, quasi præeuntis pręconis, atque homines iudicandos conuocantis. Tum etiam quia cùm hæc actio excitandi corpora ex parte eorum materialis sit, conueniens est, vt per aliquod sensibile instrumentum fiat: est autem vox valde accommodatum instrumentum ad explicandam hominibus Christi voluntatem, & imperium. Et fortasse hac ratione, & quasi in huius rei figuram ad suscitandos mortuos sepe Christus voce vsus est, Ioan. 11. *Lazare veni foras*, Luc. 7. *Adolescens tibi dico, surge*, & Marc. 5. *Puella tibi dico, surge*.

Vox tubę mortuos ad iudiciũ euocãtis realis & vera.

Ioann. 11. Luc. 7. Mar. 5.

Vnde vlterius probabiliter colligit Sotus in 4. dis. 43. q. 1. art. 4. hanc vocem futuram esse quasi articulatam, vt sit capax propriæ significationis ex impositione, & rationali modo: & ex Hieronymo in regula monach. cap. 30. refert, vocem illam futuram esse hanc, *Surgite mortui, & venite ad iudicium*. Sed ibi verbum nullum de hac re inueni, solum in cap. de timore vltimi iudicij dicit, *Tunc ad vocem tubę pauebit terra*: & infra, *siue leges, siue dormies, siue scribes siue vigilabis, hęc tibi semper buccina in auribus sonet*. Chrysostom. verò homil. 8. in 1. ad Thessalon. dicit, illam vocem futuram esse hanc, *Resurgant mortui*. Theophyl. ibidem hanc ponit vocem, *Apparate vos omnes, iudex enim præsto est*. Neque coniecturæ in contrarium adductæ quicquam efficiunt. Quia si resurrectio mortuorum in vno loco futura est, facile poterit in eo sensibilis vox audiri: si autem futura est in diuersis locis, in quibus cadauera per vniuersum mundum dispersa sunt, facile fieri poterit Diuina virtute, vt vel illa vox in vniuerso orbe intonet, vel vt non sit vna tantum sed multiplex, vel vt imperium eius, & efficacia quoquouersum irrumpat, etiam si sonus non vbique fiat. Quanquam iuxta Christi testimonium, ita futura est illa vox, vt ab omnibus hominibus vbicunque terrarum audiri possit. Quomodo autem possint homines ad pręsentiam illius vocis suscitari, & illam audire, cùm auditus vitam, & resurrectionem supponat, variis modis explicari potest. Primo si dicamus audire vocem non tantum esse illam percipere sensibus corporis, sed etiam illi obedire. Sic enim dicitur Deus præcipere rebus inanimatis, & illæ dicuntur obedire, & audire vocem eius. Sicut Iob 38. dicitur Deus dixisse aquæ maris, *Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos*. Et Luc. 8. Matt. 8. & Marc. 4. venti, & mare dicuntur *obedire* voci Christi. Sic igitur possunt dici corpora mortua audire hanc vocem, quia statim illi obedient egrediendo ex sepulcris. Secundo (ne videamur ad metaphoras rem totam arcessere) dici potest, illam vocem habituram duas partes. Prior est illa, *surgite mortui*, & per hanc excitabuntur: posterior est illa, *& venite ad iudicium*, & hanc percipient homines iam viuentes, eique è vestigio statim obtemperabunt. Tertio, tam velociter fiet resurrectio, vt fortasse priorem etiam partem huius vocis possint homines percipere, quia sonus vocis non transit subitò: sed aliquo tempore durat. Denique cum in instanti resurrectionis adhuc duraturus sit sonus illius vocis, non est dubium, quin in eodem instanti percipi possit á resurgente, & hoc est satis, vt dicantur audire vocem illam, etiam si non percipiant aliquem sonum, vel syllabas aliquas prius prolatas.

Sot. *Hieron.* *Chrysost. Theo.*

Vox tubæ mortuos euocantis ad iudicium audiri vbique quomodo et dicatur, & possit.

Iob. 38. Lu. 8. Mat. 8. Marc. 4.

De tuba autem quæ, & qualis futura sit incertum est, D. Thomas interdum indicat ipsammet vocem appellari tubã propter similitudinem vel in sono, & strepitu, vel in vsu, ac munere. Nam in lege veteri vsus tubarum esse solebat vel ad conuocandos, & excitãdos homines ad bellum: vel ad solennitates, vel ad mouendum castra, qui omnes vsus possunt facile applicari ad hanc conuocationẽ hominum resurgentium. Et hanc sententiam indicat etiã Anselm. 1. ad Thessalon. 4. vbi Oecumen. indicat ipsum Angelũ vocari *tubam Dei*. Non est etiam improbabile, quod indicauit Anselm. in Elucidario, Angelum in assumpto corpore aereo vsurum etiã instrumento corporeo, in modum tubę ex eodẽ aere confecto, vbi non vnam tantum tubam, sed plures etiam futuras esse dicit, de quo postea dicemus.

D. Thom. Anselm. *Anselm.* *Oecumen.*

Tertio, vt hæc amplius explicentur, supponendum est, prius esse resurrectionem mortuorum in terra faciendam,

quam Christus dominus è cœlo ad terrã A iudicaturus descendat, ita saltem, vt priusquam ad locum iudicij perueniat, iam ibi sint omnes homines suscitati, & cõgregati: præter eos, si qui iam sunt corpore, & animo glorioſi, qui eum comitabuntur. Hoc non potest quidem ex scriptura aperte probari: tamen per se est verisimile. Quia non decet, vt iudex expectet homines iudicandos: sed magis congruum est, vt ipsi congregentur prius, præstollantes iudicis aduentum. Idque etiam aliquomodo potest colligi ex Paulo dicente, Iustos suscitatos, per aera Christo venienti obuiã processuros. Ergo iam omnes erũt suscitati prius, quàm Christus perueniat ad locum iudicij. Significatur etiam in illis verbis. *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obuiãci.* Et hoc senti ũt apertè Chry. hom. 8. in 1. ad Thessalon. & Oecu B menius, Theophy. ac Theodor. 1. ad Thessalon. 4. & indicat Ansel. ibi, & clarius in Elucidario. Idem Chrysost. homil. de Ascens. Christi tom. 3. Hipolyt. orat. de consum. mũdi, *Tunc*, ait, *sonabit tuba, & excitabit dormientes, & omnes in ictu oculi resurgent, & astabunt super faciem terræ, exspectantes iusti atque terribilis iudicis aduentum*. Vnde quod Augusti. lib. 20. de Ciuita. c. 30. in fine, prius venturum esse Christum iudicaturum dixit, & deinde futuram mortuorum resurrectionẽ, & ipse fatetur esse incertum, & solum quadam coniectura fundatum: nobis tamen verisimilius videtur, quod diximus, magisque & rationi, & scripturæ consentaneũ, & Aug. posset exponi, quod Christus prius descendere incipiet, quam mortui resurgant: non tamen quod prius sit ad locum iudicij peruenturus. Hoc enim facile fieri poterit, quanuis ita futurum esse probari non possit, quod nihil ad institutum refert, dummodo id, quod dictum est, verum esse supponatur. Et hinc amplius cõfirmamus (quod supra diximus) vocem tubæ non fore solam sensibilem præsentiam Christi in hac regione inferiori: sed potius tempore anteceſſuram tanquam signum iudicis aduenientis. Quia resurrectio hominum antecedet prædictam Christi præsentiam: sed vox illa antecedet resurrectionem, partim tempore secundum initium suum: partim natura secundum aliquem terminum suũ, ergo a primo ad vltimum, vox antecedet Christi præsentiam.

1. Thess. 4
Mat. 25.
Chrysosto.
Oecumen.
Theophyl.
Theo.
Ansel.
Hippo.
Aug.

Ex quo vlterius intelligi potest, hanc vocem non esse formandam proxime, & immediate ipsi⁹ Christi ore, & lingua, quod per se est satis credibile. Quia non decet Christum dominum per se ipsum talem vocem edere. Quia potius ad ministrum, & præconem, quam ad principem, & iudicem spectat. Vnde vlterius concluditur, hanc vocem proferendam esse imperio Christi: ministerio tamen alicuius angeli. Nam, licet potuisset Christus existens etiam in cœlo illum sonum, seu vocem immediate efficere in hoc aere: non lingua, aut alijs organis corporis sui, sed voluntate sua, ac imperio: tamen suauis ordo, ac dispositio diuinæ prouidentiæ postulat, vt per causas secundas, ministrosque suos præstet, quod per eos modo magis connaturali, & accommodato fieri potest. Hæc autem vox cum per solum motum localẽ aeris formanda sit, optimè fieri potest angelico ministerio. Et ita recte intelligitur quomodo vna, & eadem sit vox, quę apud Ioannem dicitur *vox filij Dei*, quia eius imperio, & autoritate fiet: & quæ apud Paulum dicitur *vox Archangeli*, cuius ministerio fiet, sicut verba sacramentalia possunt dici & Christi, & ministri. Et vtrumque complexus est Paul. dicens, *Quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo*: ac si diceret, descendet præmittens iussu suo vocem Archangeli, & tubam Dei, vt rectè exponũt Chryso. & alij Græci superius relati. Qui merito dicunt, ibi Archangelum non significare Christum, sed proprium quendam angelum ministrum eius: licet Ambros. 1. Thessalo. 4. contrarium censeat sine vlla probatione: cum tamẽ & proprietas vocis, & discursus factus satis confirment priorem sensum. Quis autem futurus sit hic Archangelus, incertũ est. Quidam enim existimant futurum esse Michaelem, quia existimatur præesse Ecclesiæ, & omnibus angelis animarum custodibus. Alij putãt, esse Gabrielem, tum quia est primus Archangelorum, qui secundũ ordinem infimæ hierarchię constituunt. Tum etiã, quia sicut ille fuit nuntius primi aduentus Christi, ita verisimile est, futurum secundi. Sed hoc parum refert.

1. Thess. 4.
Chrysost.
Ambros.

Vltimo ex dictis concluditur prima propositio posita, scilicet Christi, imperium, & angelicũ ministerium ad nostram resurrectionem esse aliquo modo cooperatura,

Generalis mortuorum resurrectio & Christi imperio et angelico faciendā ministerio.

Ioan. 5.

1. Cor. 15.

tura. Nam hominum resurrectio fiet aliquomodo per vocem prædictam, vt patet ex verbis Christi, *Audient vocem filij Dei, & procedent in resurrectionem vitę vel iudicii:* & ex verbis Pauli. 1. ad Corint. 15. *Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.* Sed ostensum est, hanc vocem emittendā iussu, & autoritate Christi, angelico tamen ministerio: ergo vtrumque concurret in nostra resurrectione. Superest tamen explicandum, quid singuli efficiant, & quo modo. Pro quo est animaduertēdum, tria posse interuenire in nostra resurrectione. Primum est, congregatio partium corporis, seu cinerum, vbi non agimus de congregatione omnium corporum hominum in vnum locum, vt ibi fiat resurrectio. Nam hoc incertum est (vt infra dicemus) sed est sermo de congregatione totius materiæ vniuscuiusque corporis ad eum locum, in quo facienda est vniuscuiusque resurrectio. Nam cùm in puncto resurrectionis oporteat, partes corporis inter se esse vnitas, locoque coniunctas, quæ antea fortasse loco erant disiunctissimæ, necesse est, vt breui aliquo tempore ante illud instans eundem in locum congerantur. Quia non oportet miracula non necessaria multiplicare, vt etiam in superioribus diximus. Secundo fiet ad hanc resurrectionem præparatio, dispositio, & organizatio corporis, quæ, quatenus necessaria est ex parte materiæ ad vnionem animæ, ordine saltem naturæ illā antecedit. Tertium est, resurrectio ipsa, quæ est substantialis vnio animæ, & corporis. Et hæc omni resurrectioni communia sunt: in resurrectione autem Iustorum, vltra hæc erunt qualitates, & perfectiones glorię, quæ vnionem animę beatę ad corpus consequuntur.

Congregatio cinerum ad resurrectionem mortuorum, angelicofactē da ministerio.

D. Thom. Aug. Gre.

Dubium.

Dico ergo secundo. Congregatio cinerum fiet quidem Christi imperio, ministerio tamen Angelorum, qui propria naturali virtute poterunt hoc ministerium exequi. Ita docet D. Thom. supra, & cæteri Theologi cum Aug. 3. de Trinitat. c. 4. & Greg. 4. dialog. c. 5. Et idem sentiunt reliqui Sancti, & Doctores supra citati exponentes verba Pauli. 1. ad Corin. 15. & 1. ad Thessal. 4. & ratio est illa generalis. Quia Deus administrat inferiora per superiora, & semper per causas secundas operatur, quoad commodè fieri potest.

Sed inquires an tota hæc actio, & congregatio cinerum fiet à solo illo Archangelo, qui vocem emittet, virtute, & efficacia illius vocis, an vero fiet plurium Angelorum ministerio. Respondetur, verisimile esse plures Angelos huic operi ministraturos. Dicit enim Christus Matthæ. 24. *Mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius a quatuor ventis.* Vnde Chrysostom. hom. 8. in 1. ad Thessalon. dicit ad sonitum tubę Angelos huc, atque illuc discursuros, vt colligant cineres: *Archangelum autem* (inquit) *putamus eum esse, qui præsit, & incumbat aliis in orbem missis, atque hoc illis inclamet, Paratos facite omnes: adest enim iudex.* Et idem fere dicunt Oecumen. & alij Græci, & Anselm. in Elucidario. An verò soli Angeli boni, vel etiam mali huic operi ministraturi sint, etiā est incertum. Non est autem incredibile Iustorum cineres congregandos esse a Sāctis Angelis eorum custodibus, damnatorum autem à dęmonibus, qui eos vicerūt. Verisimilius autem est, sicut omnium resurrectio à Christo fiet, ita hanc materiæ, præparationem per proprios ministros, ac seruos esse efficiendā. Quia licet multi resurgentium praui sint, tamē omnium resurrectio est bona, & propria Christi actio.

Responsio. Matth. 24.

Chrys.

Oecumen. Anselm.

Rursus vero inquiri potest, quomodo & qua virtute hoc opus sit ab Angelis efficiendum. Ansel. sup. significat, operaturos virtute supernaturali, & voce sensibili. Vnde non solum censet plures Angelos esse huic rei operam nauaturos: sed etiam omnes pluribus tubis, diuersisq; vocibus conclamaturos. Sed hoc vltimum incertum est, quia scriptura semper de hac tuba in singulari loquitur. Absolute tamen non existimo, hoc ministerium Angelorum esse efficiendum per sonitum tubæ, aut efficaciam vocis (vt Ansel mus ibi, & 1. ad Thessalonic. 4. indicat) sed per naturalem virtutem Angeli. Nam cùm hęc congregatio tātum fiat per motum localem, non oportet, fingere actionē supernaturalem, qua fiat, sed naturalē motum, qui ab Angelo fieri potest, nō personum aliquē, aut vocem sensibilē, sed per efficaciam suæ voluntatis, aut virtutis motiuæ. Illa ergo vox à solo Archāgelo proferetur tanquam à superiori duce inferiorum Angelorū, cuius imperio ad congregādos hominū cineres discurrēt. Quo circa, licet Chrys. supra, dicat multas tūc futuras tubas (quia Paul. 1. ad Cor. 15. vocat

hāc *nouissimam tubam*, ad cuius sonitū mortui resurgent, in quo significat alias ante illam vltimam antecessuras) tamen de hac tuba resurrectionis non dicit Chrysost. futuram nisi vnam tantum. Quod magis explicat Oecumen. 1. ad Corint. 15. ex Apocalyps. 8. vbi Ioannes vidit septem angelos stantes in conspectu Dei, quibus datæ sunt septē tubæ, quibus singuli successiuè cecinerunt, & sex quidem prioribus personantibus, non est facta resurrectio, sed potius magna strages, & interfectio hominum: de septimo autē dicitur in cap. 11. *Et septimus angelus tubā cecinit, & factæ sunt voces magnæ in cœlo dicentes. Factum est regnum huius mundi Domini nostri, & Christi eius, & regnabit in sęcula sæculorum, amen.* Hanc ergo tubam septimi angeli existimat Oecumen: esse *tubam nouissimam*, ad cuius sonitum *in momento, in ictu oculi* mortui sunt excitandi. Et fortasse hoc idē sentit Origenes citatus à Pamphylo, seu (vt alij volunt) ab Eusebio in Apologia pro Origine, dum ait, *Cum voluerit Deus, secundum ea, quæ dicta sunt, per sacramentum tubarum in nouissima tuba facere, vt mortui resurgant, per illam ipsam substantialem rationem, quę salua permanet, Dei voluntate iterum resuscitabuntur.*

Chrys. 1. Cor. 15. Oecumen. Apo. 8. et 11.

Origen. Euse.

Dubium

Tandem inquiri potest circa hanc conclusionem, quomodo angeli cognoscent cineres, seu materiam vniuscuiusque corporis. Quia non omnia semper actu considerant. Vnde non semper attendunt, in quas res materia singulorū hominū trāsmutetur. Quare cùm interdum nihil in ea maneat, quod eam magis determinet ad hunc hominem, quām ad alium secundū præsentem statum, non videtur esse in potestate angeli, singulorum materias discernere. Et augetur difficultas, quando eadē materia diuersorum hominum fuit, diuersis temporibus, nō enim erit in potestate angeli, eam tribuere, cui volet. Itē est difficultas quando materia prior non est sufficiens ad formandum corpus quale excitandum est, an futurum sit in potestate, & arbitrio Angeli eam, vnde voluerit, supplere. Ad hæc, & similia in primis respondetur, quando angelis mandatum fuerit, vt cineres congregent, vel naturali scientia, vel (si opus sit) diuina reuelatione, simul eis notum fore, quæ materia ad vniuscuiusque formationem congreganda sit,

Responsio Cineres, seu materiā suscitando rum corporumquomodo internoscēt angeli.

A & vbi sit, & sub qua forma. Vnde (quod ad secundam, & tertiam partem difficultatis attinet) ea omnia non fient angeli arbitrio: sed iuxta diuinam volūtatem, & prouidentiam eis reuelatam. Quoad primam verò partem, non est improbabile, posse angelum sciētia naturali, seu memoria retenta ex cognitione rei, quam prius existentem vidit, discernere, quæ nam fuerit materia, quam prius vidit tali anima informari, etiam si postea non viderit omnes istas mutationes, solum ex vi cognitionis entitatis eius, & modi vnionis, quē habuit ad talē animam, cuius speciē angelus retinet. Cum autem verisimile sit, custodes angelos collecturos hos cineres corporū resurgētium, etiam per se est valde credibile, singulos collecturos eorum hominū cineres, quorum curam habuerunt. Vnde fit, vt facile possit vnusquisq; cognoscere eorum cineres, seu materiam.

B Dico tertio, dispositio, seu organizatio suscitandorum corporum non fiet ministerio angelorum, quorū actio in solo motu locali terminatur, sed virtute, & efficacia Christi. Hæc posterior pars recepta est ab omnibus, & explicabitur simul cum sequenti conclusione. Circa priorem vero censeo grauiter errare, qui dicunt etiā organizationem corporum faciendam esse opera angelorū: quin potius fingūt quidam, quod virtute angelorum custodum congregabuntur pulueres, fiētque ossa, et coniungentur: per virtutem verò archangelorum prouinciarum connectentur per neruos, qui carne, & cute cooperientur, ac tandem virtute Dei, & Christi introducetur anima. Sed in primis hæc omnia volūtarie sunt, & sine vllo fundamēto cōficta. Quod satis est, vt à Theologis reijciātur. Quia angelus non potest vi, & efficacitate naturali materiam alterare, aut ad formam substantialem disponere: fingere autem, eleuari vt instrumentum ad huiusmodi actionem uoluntarium est: alioqui eadem ratione dici posset efficere resurrectionem ipsam, vt instrumētum Dei. Præterea vel angeli efficiūt totam organizationem vsque ad vltimam dispositionem ad animam rationalem, vel eorū actio cessat paulo ante vltimam dispositionem. Si primum dicatur, sequitur, eos efficere resurrectionem hominis, sicut homo generat hominē, disponendo materiam: secūdum verò per se est improbabile, & volū

Organizatio suscitādorum corporum non est angelorū ministerio faciēda

tarium.

tarium. Cur enim illa actio peruenit ad talem terminum, & non vltra progressa est? aut vnde hoc constat? cùm tota actio à principio sit in modo suo supernaturalis. Et eodem modo rejicienda est illa inter angelos actionis huiusce partitio, vt pote fabulosa, & commentitia.

Generalis mortuorum resurrectio Christi virtute facienda.

Dico quarto, solum Christum dominũ effecturum nostram resurrectionẽ, quoad corporis dispositionem, animæ substãtialem vnionem, & proprietates omnes, ac perfectiones inde cõsequẽtes. Hæc est sententia D. Tho. supra, & omnium theolo. Et colligitur ex verbis Christi Ioan. 5. *Sicut pater suscitat mortuos, & viuificat, sic & filius, quos vult viuificat.* Quæ verba Augus. tract. 21. de generali resurrectione intelligit, & in eis non solum esse sermonẽ, de Christo vt Deo: sed etiam vt homine, idque colligit ex antecedentibus verbis. *Et maiora horum demonstrabit ei opera.* Nã hoc propriè in humanitatem conuenit. Idem potest colligi ex verbis sequentibus. *Neque enim pater iudicat quenquam: sed omne iudicium dedit filio:* & ex illis. *Quos vult, viuificat.* Videtur enim esse sermo de voluntate Filij, quæ ita est propria eius, vt non sit Patris, quæ nõ est nisi volũtas humana. Ideo enim de illo specialiter dictum est, *Quos vult viuificat*. Et quanuis optimè possint hęc verba intelligi de potestate data Christo homini ad facienda miracula, & suscitandos aliquos homines, quos vellet, ad suæ doctrinæ confirmationem: tamẽ hinc etiam rectẽ colligitur, eum habere potestatem ad omnes homines suo tempore suscitandos, præsertim cùm paulo inferius vnam potestatẽ ex altera confirmet, dicẽs, *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei,* &c. Et ita hunc locum intelligunt Patres Chry. Cyrill. & Aug. & reliqui expositores. Et huic etiam testimonio Christi consentanea sunt, quæ Paul. docet. 1. ad Cor. 15. & 1. ad Thessal. 4. Ratio verò, seu congruentia non est alia, nisi quia humanitas Christi est instrumentum coniunctum diuinitatis ad operandam salutem nostram omnibus modis, quibus conuenienter potest: hic autem modus est possibilis, & maximè decẽs dignitatem, & merita eius. Et confirmatur. Nã eos mortuos, quos Christus in hac vita suscitauit, per propriam efficientiam excitauit: sed ipsem et Christus in prædicto loco Ioan. 5. significat, nõ minus efficaciter, ac miraculosè effecturum se vniuersalem hominum resurrectionẽ: ergo propria & physica causalitate illam efficiet. Vnde Athanas. sermon. 4. contra Arianos apertè dicit, sicut resuscitauit Lazarum per humanitatem, ita in nouissimo die resuscitaturũ omnes. De maiori propositione dixi multa in superiori tomo Dis. 31. ex quo loco aliæ rationes, & testimonia peti possunt ad hanc veritatem confirmandam. Et obiectiones etiam, quæ hic occurrere possunt, ibi expeditæ sunt.

Chryf. Cyrill. Aug.

1. Cor. 15. 1. Thes. 4.

Ioann. 5. Athanas.

Dubium. 1

Duo tamen hic inquiri possunt. Primũ est, qua actione præuia, seu quo instrumẽto proximo, ac immediato Christus effecturus sit resurrectionem nostram. Primo dicunt aliqui effecturum illam per resurrectionem suam, ideſt, per actionem illam qua ipse excitatus est à mortuis. Quia D. Th. hic non solum dicit, Christi humanitatem, sed etiam eius resurrectionem esse causam efficientem resurrectionis nostrę. Quod si obijcias actionem illam iam præteriisse, & nunc non esse. Respondent, satis esse extitisse, vt possit nunc esse instrumentum. Sed hoc & implicationem inuoluit, & sine vlla necessitate, & fundamento fingitur, vt in prædicto loco latius traetaui. Maiori quidem probabilitatis specie dici posset, actionem illam, qua Christus resurrexit, non præterijsse sed durare semper. Nam eadem actione, qua resurrexit conseruatur viuus. In qua responsione euitatur sine dubio repugnantia contradictionis. Quia nulla est, neq; in hoc, quod illa actio semper duret, neq; in hoc, quod illa actio existens sit instrumẽtum ad aliã actionem. Fundatur autem hæc responsio in re incerta. Quia actio, qua Christus seipsum suscitauit, fortasse fuit media anima & corpore (vt supra dixi) non est autẽ necesse illam miraculosam actionem semper durare: sed verisimilius est, humanitatem illam conseruari â solo Deo actione connaturali. Deinde nec necessarium, nec conueniens videtur, actionem sub propria ratione actionis, ideſt. vt est via seu fieri sui termini, assumi vt instrumentum ad aliam actionem: magis enim instrumentum accommodatum est ipsa res, quæ fit. Et hoc est satis ad omnipotentiam instrumentalem humanitatis Christi. Secundo dicunt alij, Christum effecturum resurrectionem per solam voluntatem suam, iuxta illud, *Quos vult viuificat.* Quod si obij-

cias, quòd voluntas eius humana distans erit á terra, cùm resurrectio fiet, vt supra diximus. Respondetur, æquè facile esse ei agere in propinquum, & distans, vt instrumētum Verbi. In qua sententia nihil est impossibile, & probabile est, ita futurū. Tertio verò addunt alij, etiam vocem illā sensibilem, quæ fiet per Archangelum futuram esse instrumentum Christi ad nostram resurrectionem. Est enim magis congruum, vt per aliquod propinquum instrumentum, ac sensibile fiat. Ita D. Tho. in 4. loco supra citato vbi probat, illā vocem esse futuram causam resurrectionis nostræ. Oportet enim causam efficientē coniūgi effectui. Solet etiam hæc sententia tribui Scoto, verum ille & generaliter negat hæc instrumenta propriè dicta ad actiones supernaturales, & in 4. dist. 48. quæstio. 1. ad argumenta, in hac speciali quæstione contrarium significat. Huic tamen sententiæ fauent verba Christi, *Qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent.* Vbi Franciscus Toletus inquit, illam vocem futuram esse *Diuinæ potentiæ instrumentum*. Et eodem modo induci possunt verba Pauli. 1. ad Corinth. 15. & 1. ad Thessalon. 4. vbi ex voce significat secuturam resurrectionem. Quod videtur indicare Chrys. hom. 8. super 1. ad Thessalonicen. dicens, *Resurgent mortui, & fiet opus non Angelorum ad hoc quicquam valētium: sed verbi ipsius tanquam si Rege quopiam imperante, ac iubente egrederentur conclusi, & captiui, & ministri eos educerent, non illi postea propria virtute, sed ex voce illa hoc facerent.* Quibus verbis respondet etiam tacitæ obiectioni. Nam si vox illa est instrumentum, quo Christus vtitur: ergo Angelus, qui illam proferet dici poterit efficere resurrectionem, sicut nunc sacerdos proferens verba cōsecrationis, dicitur efficere trāssubstantiationem. Respondetur enim, in re nullam esse difficultatem, quia re vera Angelus nihil aliud facit, quàm ipsam vocem. Quoad modum verò loquendi non esset inconueniens, concedere illum vt ministrum Christi efficere resurrectionem, imperando iussu eius, & efficiendo, ac formando vocem, qua Christus vt instrumēto vsurus est. Vnde Euthym. suo cap. 7. in Ioan. *Virtute (inquit) arcana coaptabit, animabit ac excitabit mortuos voce sua, siue iussu, quo tunc per Angelum clamabit.* Est ergo hic modus dicendi probabilis.

Responsio Instrumentum Christi ad resurrectionem mortuorum faciendā quod nam.

D. Thom.

Sco.

Ioann. 5.

1. Cor. 15.

1. Thes. 4

Chryso.

Obiectio.

Responsio

Euthym.

A Et hinc facile expeditur altera dubitatio, scilicet, an Christus sit effecturus tantum resurrectionem bonorum, vel etiam malorum. Dicendum est enim, omnium resurrectionem esse effecturum. Vtrumq; enim ex æquo affirmatur Ioan. 5. *Audient vocem filij Dei, & procedent, qui bona egerunt in resurrectionē vitæ, qui autem mala, in resurrectionem iudicij.* Sicut enim Christus est vtrorumq; iudex: ita omnes potest efficaciter ad iudicium vocare, & á mortuis excitare. Item restitutio naturalis vitæ, quæ in omnibus fiet, de se est maximum bonum naturæ, & actio consentanea virtuti Christi: ergo ab ipso in omnibus efficietur.

Dubium. 2

Responsio Ioann. 5.

SECTIO QVINTA.

B *Vtrum Christus sit causa exemplaris nostræ resurrectionis quantum ad terminum ad quem.*

TRia possunt in resurrectione considerari, scilicet mutatio ipsa, seu actio, & terminus ad quem tendit, & ex quo fit. Et in his omnibus potest intelligi nostra resurrectio futura ad similitudinem, & imitationē resurrectionis Christi, quod est, esse effectum eius in genere causæ exemplaris. Interquam causam, & efficientem hæc est differentia. Nam efficiens requirit realem existentiam, vt possit efficere, quia est, quę per se influit esse in effectum: causa vero exemplaris, quia non immediatè influit in effectum, sed solum representatur agenti, vt ad eius similitudinem operetur, ideò necesse non est, vt in re existat, quando fit effectus: sed solū in mente, & cognitione operantis. Et hoc modo non solum res præterita: sed etiam futura potest esse causa exemplaris. Sic enim Christus etiam ante incarnationem fuit causa exemplaris sanctitatis, & iustitię, & prędestinationis hominum. Ex hoc ergo capite optimè potest intelligi, quód resurrectio Christi, etiā prout fuit actio, seu mutatio, quæ iam pręteriit, sit exemplar resurrectionis nostrę. Quia verò actiones, & mutationes rationes suas ex terminis sortiuntur, ideo tota conformitas, quæ inter resurrectionem Christi, & nostram intelligi potest, ex conformitate inter terminos ad quos, & â quibus vtriusque mutationis sumenda est. Explicabimus ergo prius hanc conformitatem, seu causalitatem exemplarem in termino ad quem

Differētia inter causā efficientem & exemplarem quoad causalitatē

C

quem, & deinde in termino, à quo.

Christus resurrectionis iustorũ exemplar perfectissimum.

Dico ergo primo, Christum dominum esse perfectissimum exemplar resurrectionis iustorum. Hæc cõclusio est D. Th. hic, & omnium theologorum, propter verba Pauli ad Phyl. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Quod etiam colligi potest ex eo, q̃ Christus 1. Cor. 15. dicitur *primitiæ dormientium*, & subditur, *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur: vnusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus, & deinde ij, qui sunt Christi*, scilicet tanquam illi maximè similes, & conformes, & ideo postea subdit, *Qualis terrenus tales, & terreni: & qualis cœlestis, tales & cœlestes: sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* Loquitur enim aperte de imagine gloriæ: est autem imago quæ fit ad repræsentãdum prototypõ, seu exemplar. *Portare* ergo *imaginem Christi*, est habere gloriam ad similitudinẽ eius. Quam similitudinem explicans Paulus subdit. *Hoc autem dico fratres, quia caro, & sanguis regnum Dei possidere non possunt, neq; corruptio incorruptelam possidebit. Ecce mysterium vobis dico, omnes quidem resurgemus: sed non omnes immutabimur.* &c. Ac si diceret, similitudinem illam, seu imitationem in hoc cõsistere; quod iusti habituri sint corpora glorioſa, quale est corpus Christi, quę immutatio non est communis omnium: sed propria iustorum. Et hoc ipsum docuit Paul. ad Roman. 6. *Si complãtati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus*; & cap. 8. eodem sensu dicit, *Si spiritus eius, qui suscitauit Iesum a mortuis habitat in vobis: qui suscitauit Iesum Christum a mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis*: & infra, *si filii, & hęredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamẽ compatimur, vt & conglorificemur*. Deniq; ita etiã intelligi potest illud Apocal. 3. *Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo.* Ratio vero est illa generalis. Quia primũ in vnoquoque genere est exemplar cæterorum, quia licet interdum non sit necessarium ex parte operãtis, quia ipsum per se est sufficiens ad agendum, & nõ indiget extrinseco exemplari: tamen ex parte ipsarum rerum, perfectio vnius est veluti mẽsura, & regula cæterorum, quæ eo perfectiora erunt, quo fuerint alteri conformiora. Ex libera quoque voluntate operantis fieri potest, vt reliqua fiant sub ea habitudine, vt alteri sint conformia. Ergo hoc modo glorioſum Christi corpus est exemplar iustorum: & quia in eo genere est supremum: & quia ob eius gloriam, & honorẽ voluit Deus cætera iustorum corpora resurgere ad similitudinem eius, & veluti quasdã illius imagines, ac repræsentationes existere.

Similitudo inter Christum & corpora gloriosa sanctorum in quo consistat.

Vt autem hæc causalitas exemplaris amplius explicetur, oportet in particulari exponere, in quo futura sit hęc similitudo, & conformitas. Cõsistet igitur primo in naturali, seu substantiali vita, & vnione vniuscuiusque corporis ad suam animam, quia hoc est primum fundamentum veræ resurrectionis, iuxta illud, *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* 1. Cor. 15

Secundo consistet in perfecta corporis quantitate. Sicut enim Christus surrexit integro corpore, perfectaque magnitudine: ita etiam cæteri omnes iusti resurgẽt. Nam hoc ad perfectionem beatitudinis, & exactam sui exemplaris repræsentationem, & efficaciam diuinæ virtutis spectat. Item quia defectus corporis sunt pœna peccati, in beatitudine autem nulla erit pœna, nec aliquod malum. Denique appetitus animæ, vt est forma corporis, non esset plenè satiatus, appetit enim perfectũ corpus: sed de hac re satis multa diximus supra agentes de hac perfectione corporis Christi resurgẽtis. Hinc verò dubitari solet hoc loco, an omnia corpora iustorũ futura sint æqualia corpori Christi in magnitudine. Videtur. n. id sequi ex perfecta ratione causæ exemplaris, quę tanto erit exactior, quantò imago similior fuerit prototypo. Verumtamen (si hæc ratio quicquam valeret) consequenter probaret, futura esse corpora beatorum omnino similia, & æqualia corpori Christi in figura, in pulcritudine, atque in cæteris omnibus corporis ornamentis, quod tamen omnino falsum est. Perfecta ergo ratio exemplaris non requirit æqualitatem: sed proportionem, præsertim quando (si quid deest effectui ad perfectam similitudinem cum exemplari) non prouenit ex defectu causæ agentis, sed quia effectui non maior perfectio debetur. Quod inde etiam confirmatur, ac declaratur. Quia nõ omnes animæ beatæ sunt eiusdẽ perfectio-

Dubium.

Responsio

Corpora beatorum non omnia corpori Christi in magnitudine æqualia.

fectionis cum anima Christi, non solum A in gratia, & gloria: sed etiam in natura, ergo neque oportet corpora Beatorum esse æqualia corpori Christi in magnitudine, quia vnaquæque anima habebit corpus suæ naturali perfectioni accommodatum. Vnde fieri poterit non solum, vt aliqua sint minora: verum etiam, vt alia possint esse maioris magnitudinis. Quia hoc non repugnat perfectioni Christi, vt prædicto loco explicuimus. Hæc doctrina colligitur ex Aug. in Enchir. c. 90. & 22. de Ciuitat. cap. 15.

Aug.

Ætas resurgẽtium sanctorum qualis.

Tertio consistet hæc ratio exemplaris in similitudine ætatis. Resurgẽt enim omnes *in mensura ætatis plenitudinis Christi*. Dicitur autem *plenitudo*, seu perfectio ætatis quando corpus peruenit ad perfectũ augmentum, quod per naturales animæ vires non impeditas, sed perfectè operantes cõparare potuisset. Rursus includit hæc ætas B integras viros corporis, perfectum temperamentum, & animæ maximè accommodatum. In quibus omnibus perfectionibus imitabuntur corpora Iustorum, corpus Christi, quia hæc omnia pertinent ad perfectum beatitudinis statum. Sicut ergo corpora Beatorum imitabuntur corpus Christi in statu gloriæ, ita & in his perfectionibus, nõ quòd æqualitatem assequutura sint, sed similitudinem cum proportione, vt dixi. Hæc est etiam doctrina Aug. 22. de Ciuitat. cap. 16. & 20. Anselmi D. Thom. Sedulij ad Ephes. 4. Anselm. etiam in Elucidario, & Hugo. Victorin. tract. de Resur. capit. 15. Eandem frequentius amplectuntur Theologi in 4. dist. 43. & sequentibus. Et est sine dubio verisimilior. Quanquam Aug. eodem loco dicat, non esse multum contendendum cum eo, qui affirmaret singulos resurrecturos in ea quãtitate, & ætate in qua mortui fuerint, infantili, senili, aut iuuenili. In quo significat, non esse hoc ita certum, vt sit de fide: est tamen ita verum, vt contrariũ nec probabile videatur.

Aug. Anselm. D. Thom. Sedul. Anselm. Hug. Vic.

Quarto erit hæc perfecta similitudo in omnibus sensibus, ac facultatibus corporis, in pulcritudine, aliisque ornamentis naturæ, ac gloriæ, quæ in corpore Christi existunt, & in superioribus satis explicata sunt, & quæ ibi adduximus hanc eandem similitudinem probant: non cum æqualitate, sed debita proportione. Qua propter non repugnat huic causalitati exemplari, quòd in Beatis futura sit distinctio sexuũ, facierum varietas, pulcritudinum inæqualitas, & similia. Quia hæc causalitas nõ requirit nisi proportionalem conformitatẽ cum exẽplari, vt sicut illud iuxta suam individualem rationem habuit omnem huiusmodi perfectionem sibi debitam: ita singula corpora illam habitura sint modo sibi connaturali. Atque ideo dicendum est de perfectionibus gloriæ, quæ cum debita proportione meritis singulorum respondẽt. Qua propter præter ea, quæ de iis perfectionibus tam gloriæ, quàm naturæ dicta sunt, tractando de resurrectione in communi, & de resurrectione Christi, nihil amplius hic dicendum superest.

Christus resurrectionis infantium in originali decedentium exẽplar quo ad perfectiones naturę.

Dico secundo, Christum dominũ etiam futurum causam exemplarem resurrectionis infantium, qui in peccato originali decesserunt, quoad perfectiones naturæ, nõ gloriæ. Hæc conclusio non est tam certa, sicut præcedens, quia cõformitas ad Christum præcipuè promissa est prædestinatis: probari tamen potest illis verbis, *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*. Nam licet hoc esse possit verum in aliis generibus causarum, meritorię, vel efficientis: tamẽ eo modo, quo verificari potest in genere causæ exẽplaris, non est negandum. Probatur ergo ratione, nam ij infantes post resurrectionem habebunt nõ solum vera corpora humana, sed etiam perfecta. Primo in quãtitate, & robore, seu ætate corporis. Non enim resurgent in corpore infantili, sed virili, ac perfecto, in quo possint & ratione vti, & omnes operationes humanas, quæ materialem alterationem, & corruptionẽ non requirunt, exercere. Deinde habebunt corpora sana, vegeta, pulcra, ac benè temperata: cumq; ęterna futura sint, oportet, vt sint incorruptibilia, non quidem ex intrinseca causa, sed ab extrinseco saltem, seu per suspensionem omnis causæ corrũpentis, & alterantis. Qua propter non indigebunt cibo, neq; potu. Quia omnis alteratio tunc cessabit, Deo ita prouidente, & ideò nec fatigabũtur ambulando, quãuis velocius mouerinõ possint, quàm naturæ vires patiantur. Item habebunt corpus plene subiectum spiritui quoad omnes inferiores eius motus, ita vt nullã pugnam, nec rebellionem carnis passuri sint. Tum quia hęc nõ contingit sine materiali alteratione corporis: tum etiã, quia hęc pugna

1. Cor. 15.

Corpora infantium in limbo existentium qualia.

pugna carnis,& spiritus,magna est pœna, & moraliter loquendo coniuncta est cum culpa:hi autem homines in eo statu, neque permittendi sunt nouas culpas committere,cùm iam non sint in via,sed in termino:& non sint damnati per proprios actus.Neque etiam patientur sensibiles pœnas,vt omnes Theologi docent. Et insinuant Greg.Nysse.ora.de infantibus qui prematurè abripiuntur,& Nazian. orat. 40.in sanctum baptisma,Licet Aug. lib. 5.hypognost.& lib. 5.cont.Iulian.cap.8 & in Enchirid.cap.93.videatur insinuare contrarium,qui posset exponi non de sensibili pœna corporis,sed de nonnulla animi tristitia ob amissam beatitudinem.Cũ enim huiusmodi infantes nihil mali gesserint in suis corporibus,neq; eis praue, & inhoneste vsi fuerint, nec denique per proprium actum ad creaturam se conuerterint,non est,cur doloribus,alijs ve corporalibus pœnis crucientur:sed satis est, quod omni supernaturali dono priuẽtur. Habebunt ergo in corporibus perfectionem suæ naturæ debitam,& singulis indiuiduis accommodatam:sed hanc totam, perfectionem habebunt per Christum,& in ea cum eo cõformabũtur. Ergo quoad hæc omnia merito Christus dici potest causa exemplaris resurrectionis eorum.Et (vt hoc obiter dicam)mihi quidem probabile est,hos infantes habituros aliquã cognitionem Christi, eumque tanquam Dominum,ac Principem, & benefactorem suum veneraturos.Nam cum dæmones coacti *credant,& contremiscant*,& in nomine Iesu vel inuiti genua flectant,isti infantes,qui non habebunt interiorem animi deordinationem per odium in Deum, vel desperationem,aut alios prauos affectus,non inuiti,sed voluntariè subijcientur Christo,quem,ex aliqua facti euidentia,cognoscent esse dominatorem omniũ, vt iterum infra dicemus agentes de iudicio.Quamobrem,licet isti simpliciter sint expulsi á regno,& inter damnatos, ac reprobos computentur quoad pœnam damni:nihil tamen obstat,quominus à Christo,& per Christum acceperint hęc beneficia,& conformitatem cum ipso,in ijsquę ad naturæ perfectionem,& conueniẽtem statum naturalem spectant. Quibus omnibus bene semper vsuri sunt,& in aliquem honorem,& laudem ipsiusmet Christi.

Gre.Nyss. *Gre.Naz.* *Aug.*

Infantes in limbo existẽtes Christum vt principẽ recognoscẽt suum Iacob, 2. Philip. 2.

Dico tertio quanuis corpora damnatorum futura sint similia corpori Christi in aliqua naturali perfectione,non tamen in omnibus,multoq; minus in perfectionibus gloriæ,& quoad ea, in quibus erunt conformia,non erit proprie Christus causa exemplaris eorum.Declarantur singula.Nam in primis corpora damnatorũ habebunt,quidquid est de essentia humani corporis,aliâs illa non esset vera resurrectio. Secundo verisimilius est, futura illa corpora integra quoad omnia mẽbra corporis,sensuumque organa,& facultates,vt D.Tho.docuit in.4.d.44.q.3.ar. 1. quæstiun.1.& ibi Richard.Paludan,& alij licet Bonauent.& Duran.oppositum sentiant.Quia si aliquis reprobus in hac vita aliquo,vel aliquibus membris corporis caruit,non est(inquiunt)cur ei in resurrectione restituantur.D.Thomas autem adducit congruentem rationem. Nam cum resurrectio damnatorum futura , etiam sit opus Dei,oportet,vt sit perfectũ.Deinde quia si talis imperfectio mansura esset in illis corporibus,futura esset in pœnam eorum:sed hæc non est accommodata pœna illius status,alioqui deberet respondere culpæ,& non naturali defectui huius vitę.Ergo,qui habuisset integrum corpus in hac vita,si plura comisisset peccata,deberet in resurrectione corpus mutilum recipere multo magis quam qui corpus mutilum habuit sine tot peccatis,quod tamẽ nullus vnquam dixit.Ergo signũ est,illũ defectum nõ manere per modum pœnę, atque adeò simpliciter non manere.Et cõfirmatur præterea,Nam potius integritas horũ membrorum,deseruiet,eritq; interdum necessaria ad sustinendam debitam pœnam in eo membro,quod fuit organũ & instrumentum peccandi.Vnde Augus. epist.146.ad Consentium.*Iusti*(inquit) *immutabuntur in illam incorruptelam,cui nulla possit nocere corruptio:qui autem in eam non cõmutabuntur,incorrupti quidem resurgent integritate membrorum,sed tamen corrumpendi dolore pœnarum.*

Damnatorum corpora in perfectione naturali resurgẽt integra D. *Thom.* *Richard.* *Palud.* *Bonau.*

Durand.

Aug.

Tertio eisdem coniecturis fit verisimile,non esse futuros in corporibus damnatorum defectus prouenientes ex indebita partium,aut humorum,vel qualitatum cõpositione,proportione aut dispositione, vt sunt ægritudo,debilitas virium, essę gibosum, & similia.Licet enim Aug. in Enchirid.cap.92.dicat,tam incertam esse illorum corporum habitudinem,seu perfectionem

Corpora damnatorũ ægritudinis omnis expertia.

Aug. ctionem,quàm est certa eorum sempiterna damnatio:tamen quia ij omnes defectus non respõdent culpis huius vitæ,ideò à diuino opere,quale erit resurrectio,excludendi videntur.Præsertim cùm omnis perfectio iis defectibus cõtraria posit ad iustam etiam vindictam de damnatis sumendam deseruire.Nam sanitas, & robur corporis efficient,vt sensum doloris viuaciorem,& efficaciorem habeant,& sic de aliis.Et hęc etiam est sententia D.Thom. Richard. Palud.& aliorum contra Bonauent.& Durandum.

Quarto manebũt in illis corporibus defectus connaturales corpori humano, vt sunt grauitas,opacitas, passibilitas,& similes. Hæc enim, quæ ex principiis speciei oriuntur, non repugnant perfectioni resurrectionis,vt solum est quædam naturę humanæ reproductio, & alioqui carentia horum defectuũ non debetur meritis dãnatorum.Denique ij defectus non excluduntur nisi per dotes gloriæ. Vnde hæc omnia communia sunt infantibus, qui in solo originali peccato discesserunt:solum erit differentia, quia horum corpora licet ex interna dispositione sint passibilia: tamen actu nihil patientur,nec defatigabũtur,neq; inordinatũ aliquẽ motũ sentient (vt dixi) & ita ex lege Dei possunt dici quodammodo impassibilia, & inalterabilia:at verò aliorum damnatorum corpora ita erunt subiecta iis defectibus,vt in actu secundo illos,seu eorum effectus sentiãt, quanuis æterna futura sint, & in corrupta. Hoc enim mortuis omnibus commune erit,quod *resurgent incorrupti*, vt Paul. ait. 1.Cor. 15.

Ex iis ergo satis constat quomodo illa corpora in quibusdam perfectionibus habebunt conformitatem cum Christo, & non in aliis,sicut in conclusione dicebamus.Cuius postrema pars (quæ est Diui Thom. hic artic.2.ad 3.) ita potest explicari.Nam,vt res aliqua sit exemplar alterius non satis est similitudo, vel conformitas inter illas:sed oportet, vt altera fiat sub habitudine repręsentationis,seu imitationis alterius.Vnus enim homo nõ est exemplar alterius,quandovnus ab alio nõ procedit,etiam si sit inter eos similitudo: & idem est de duabus imaginibus eiusdẽ rei.Nam prototypon est exemplar vtriusque:vna verò nõn est exemplar alterius. In præsenti ergo, quanuis inter corpora damnatorum,& Christi sit aliqua similitudo,tamen non videtur eorum resurrectio fieri,vt Christum repręsentent,neque vt sint ei similes, & conformes,sed propter alias rationes diuinæ prouidentię, & iustitię.Ergo Christus dominus non est proprie causa exemplaris resurrectionis damnatorum.Dices,eandem rationẽ posse fieri de iustis.& multò magis de infantibus originali tantum peccato affectis. Respondetur, de iustis nullo modo id dici posse, cũ reuera sint veluti quædã imagines Christi perfectionem repræsentantes, & sub hac intentione,& habitudine, prædestinentur,iustificentur,& glorificẽtur,ad Roman. 8. Vnde hæc ratio causæ exemplaris potius attenditur in ordine ad dotes gloriæ,quam in ordine ad perfectionem naturæ.Quanuis hęc etiam naturalis perfectio,vt est fundamentum perfectionis gloriæ,& ad illam ordinatur, sub hac causalitate comprehendi queat.De corporibus autem infantium,nihil improbabile diceret,qui eodem modo de eis loqueretur,ac de aliis damnatis. Nam D. Tho. de omnibus illis indifferenter loquitur: nihilominus tamen,quia illa corpora aliquam maiorem perfectionem habebunt, & aliqua dona,seu beneficia,quę nõ sunt naturæ omnino debita, ideò respectu illorum potest attribui Christo aliqua ratio exemplaris, vt in secunda conclusione diximus.

Obiectio. Responsio Rom. 8. D. Thom.

Vnum verò supererat hoc loco declarandum, scilicet, quomòdo possint hæc corpora damnatorũ esse perpetua, & incorrupta:& simul esse passibilia,& alterabilia non solum in actu primo: sed etiam in actu secundo, & alteratione reali corruptiua,qualis est actio ignis. Propter hanc causam dixit Lactanct.lib.7.diuin.inst.c. 21.illa corpora esse perpetuo cõrumpenda secundum aliquas partes,per actionem ignis,aliunde verò esse etiam instauranda secundum alias,actione eiusdem ignis,& ita esse perpetuò conseruanda, quasi per continuam nutritionem, & resolutionẽ. Quæ sententia & repugnat Paulo dicenti quòd *mortui resurgent incorrupti*,quod de damnatisetiam intelligitur,vt supra diximus.Præterea est gratis cõficta. Nãscriptura tribuit illi igni vim torquendi, non autem regenerandi partes humani corporis. Item,quia iuxta illum modum esset in illo cruciatu magna intensio,& remis-

Christ⁹ proprie non est exemplaris causa resurrectionis dã natorum.

sio,

sio. Nam in partibus denuò genitis pro aliquo tempore, in quo nimirum sunt in statu generationis, paruus esset dolor, postea vero creseeret, ac tandem minueretur, quãdo iam partes nimirum ad corruptionem vergerent. Rursus corpus illud non maneret semper omnino idem, sed esset in perpetua corruptione, & generatione, q̃ est alienum ab illo statu. Vnde licet hæc sententia non videatur apertam implicare contradictionem, omnino antiquata est, & vt improbabilis reiecta. Et ideo dicendũ est breuiter, id fieri posse altero è duobus modis. Primò, vt illa corpora patiantur passione animali absque alteratione materiali, vt v.g. ſiignis inferni imprimat eas species, quibus vehemens corporis cõbustio sentitur, absque reali impressione caloris, & ex illa affectione sensus sequatur eadẽ passio doloris, quę ex reali præ- B sentia caloris sequeretur. Et ita facile fiet, vt & perpetuo doleant: & tamen perpetuo viuant. Ita D. Thom. d. 44. q. 3. ar. 1. q. 2. & 3. quem ibi sequuntur Capr. Paluda. & alij. Qui in eo fundãtur, quod cessante motu Cœli nulla poterit esse alteratio materialis. Quod fundamentum valde infirmum est, quia & nititur principio falso in Philosophia, nimirum, omnem alterationem in hæc inferiora dependere per se, & necessario à motu cęli. Et præterea male infert, quia ille ignis non agit tantum virtute naturali, sed etiam vt instrumentum Dei, alioqui multo minus posset species, vel dolorem ingerere sine materiali alteratione (vt hæc opinio affirmat) quia hoc multo magis est supernaturale. Et propter C hanc etiam causam hæc sententia non placet, quia ponit realem sensationem, & dolorem absque vero, & reali obiecto præsenti. Quare facilius dicitur secũdo, illũ ignem verẽ alterare illa corpora, & realem qualitatem doloriferam, seu disconuenientem in eis efficere, vsque ad certum gradũ diuina iustitia definitum, & vltra non progredi. Sed tantum conseruare eã actionẽ, & qualitatem. Et ideò rectè potest perpetuo conseruari sub illa actione, quia nunquam per eam fit tãta dissolutio temperamenti primarum qualitatum, vt non maneat dispositio sufficiens ad vnionem animæ, & corporis conseruandam. Quocirca fortasse ille dolor non fit per solam nimiã intensionem caloris. Nam hæc (vt dixi) nunquam erit tanta, quin sub illa possit corpus humanum conseruari, & ita sola illa nõ efficeret dolorem nimis acerbum. Sed erit per immediatam impressionem alicuius qualitatis valde disconuenientis, ac vehementissimum dolorem inferentis absque dissolutione temperamenti ad vitam conseruandam necessarij. Nisi quis fortasse existimet, per illam actionem ignis temperamentum dissolui: tamen exvoluntate diuina vitam illorum corporum conseruari absque connaturali, & necessaria dispositione. Quod certe mihi non placet, quia illa corpora in eadem intrinseca dispositione semper perseuerant in qua in puncto resurrectionis surrexerunt. Nã in eodem instanti eundem essentialẽ cruciatum, & dolorem pati incipient, patienturq; perpetuò, sed nõ surrexerũt sine naturali dispositione, ac temperamẽto corporis, ergo nec sine illo vnquam conseruantur. Nam cruciatus ille nõ intenditur, sed idem perseuerat. Vnde sicut in primo instanti resurrectionis potuit simul esse cum temperamento corporis, ita etiam perpetuo conseruari. Qua propter existimo actionem illam ignis inferni etiã in corpora damnatorum nõ esse omnino naturalem. Quia hæc esse nequit nisi mediata calefactione, vnde nec maiorem dolorem inferre potest, quãm possit ex intensa calefactione prouenire: hæc autem passio damnatorum multo erit acerbior. Item naturali actione, ignis ex æquo agit in corpora sibi æquè propinqua & eodem modo naturaliter disposita: ille autem ignis inæqualiter aget in corpora non iuxta proportionem naturæ, sed meritorum, non ergo aget actione mere naturali, sed vt instrumentum Dei: & ideo agere poterit actione quæ verè, ac realiter cruciet corpora, non tamen illa corrumpat. Et hanc sententiam frequentius sequuntur Theologi in 4. d. 44. & 48. vt videre licet in Scot. Durand. Richardo, & alijs recẽtioribus, quãuis non omnes eo modo explicent, quo a nobis exposita est. Sed non possumus hoc loco in hac re explicanda immorari.

D. Thom. Cap. Palud.

Responsio

Corpora dã natorũ quo modo semper incorrupta manent, alterationi tamen & passioni obnoxia.

Ignis gehennæ damnatorum corpora quomodo agit.

Sco. Durand. Richard.

SECTIO SEXTA.

Vtrum Christi resurrectio sit exemplar nostræ resurrectionis quoad terminum a quo.

DVplex intelligi potest terminus à quo resurrectionis, alter proximus & essentialis, qui est mors, seu priuatio vitę, quæ præcessit, remotus alter & acci-

accidentarius, qualis est non solum priuatio vitæ: sed etiam omnium dispositionum, totiusque organizationis humani corporis, per resolutionē eius in cineres, vel in elementa. Duo ergo sunt certa. Primum est, resurrectionem omnium hominum futuram esse similem resurrectioni Christi in essentiali termino à quo, vt ex dictis in superioribus satis constat. Præcedet enim omnium mors, & ex morte iterum ad vitam redibunt. Sicut ergo resurrectio Christi fuit ex vera carentia vitæ prius amissæ, ita etiam erit omniū hominum resurrectio. Neque vero est, quod morosè hæreamus circa nomen causæ exemplaris. Quia illius fortasse habitudo, & relatio non tam proprie hic reperitur ex parte termini à quo. Quia cæteri homines non tam moriuntur, vt Christo conformentur, quàm in pœnā peccati: quin potius ipse Christus videtur mortuus, vt se in hoc fratribus conformaret, iuxta illud. *Quia pueri communicauerunt carni, & sanguini, & filius Dei participauit eisdem.* Ibi enim *caro*, & *sanguis* mortalitatem significāt. Nihilominus dici possunt homines præsertim iusti ideo mori, vt tam in morte, quàm in resurrectione Christo assimilentur, & ita potest hic retineri, vel accōmodari ratio causæ exemplaris. Secundo est certum, resurrectionem Christi, & nostram non fore similem in termino à quo remoto, seu accidentali. Quia resurrectio Christi facta est immediatè ex cadauere humano, quod præter carentiam humanę vitæ, nullam aliam passum est corruptionem: alij vero homines non ita resurgunt, sed prius eorum corpora corrumpuntur, & in alias formas transmutantur, nisi fortasse ex speciali priuilegio, quod scimus Beatæ Virgini esse concessum: de nullo verò alio Sanctorum affirmari id potest.

Hebr.2.

Quin potius quæri hoc loco solet, an excluso speciali priuilegio, omnium hominum corpora, omnesque eorū partes prius in elementa, aut cineres resoluenda sint, quàm ad vitam restituantur. Omnes enim ferè Theologi ita sentire videntur, diuus Thomas in 4.dist.43.quæst.vnica articu.4. quæst.2. & reliqui distin.44.& 45.qui ita intelligunt, atque exponunt pœnam Adę impositam. *Puluis es, & in puluerem reuerteris*, vt nostra habet Vulgata. Et addunt cō uenientem rationem. Quia corpora resurgentium reformanda sunt, & quicquid in eis est, quod ad veritatem humanæ naturæ non pertineat, est auferendum. Vt ergo possint reformari, oportet, vt prius in elementa resoluantur. Præterea, quia ordo naturæ exigit, vt priusquam corpus redeat ad nobiliorem formam, resoluatur in præiacentem materiam, sicut acetum non potest in vini qualitatem reduci, nisi prius in elementa transformetur. Tādem cessante motu cęli, necesse est omnia mixta in elementa resolui, quia eorum cōmixtio sicut actione cœli fit, ita & conseruatur.

Dubium

Genesi. 3.

Quidquid tamen sit de huius sententiæ veritate, tamen fundamenta quę adducit non satis firma esse videntur. Nam in primis ex loco illo Genes. nihil aliud colligi potest, quàm hominem ex peccato pœnam mortis incurrisse. Nam vbi nos legimus, *Puluis es, & in puluerem reuerteris*, Septuaginta legunt, *Terra es, & in terram redibis: redire autem in terram*, nihil est aliud quam mori: sicut ibidem dicitur, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es.* Id est, donec moriaris. Non enim vescitur homo pane vsque ad resolutionem corporis in elementa: sed vsque ad mortem. Atque ita legunt & exponunt hunc locum sancti Patres, Chrysostom. homil. 17. in Genes. Theodoret. quæstio. 37. in Genes. Hieronym. Abac. 3. & Psalm. 51. Augustin. 13. de Ciuitat. capit. 15. & optimè lib. 20. capit. 20. inquit, *Non dicuntur seminari, nisi ea corpora hominum, quæ moriendo quoquo modo reuertuntur in terram. Sicut se se habet etiam illa in transgressorem generis humani diuinitus prolata sententia, Terra es, & in terram ibis:* & infra dicit, etiam si aliqui in aere moriantur, & subitò resurgant, & eorum corpora in terram non cadant: nihilominus satis sententiam hanc in illis impleri: & subdit, *In terram quippe ibis, est, in hoc ibis amissa vita, quod eras ante quam sumeres vitam, id est, hoc eris exanimis, quod eras, antequam esses animatus, terra eris exanimis, sicut eras. Quod sunt & antequam putrescant omnia corpora mortuorum*: & libro. 13. de Trinitat. capit. 12. Eo (inquit) *quod dictum est, In terram ibis, mors corporis pronuntiata est. Quia neque ipsam fuerat experturus, si permansisset, vt factus est rectus.* Et li. 1. de peccator. meritis, capit. 2. probat, verba illa, *Qua die comederitis ex eo, morte moriemini, intelli-*

Testimonij Genesis. 2 Expositio.

Chrysosto. Theo. Hieronym. Aug.

intelligenda esse de morte corporali, ex alijs verbis, *terra es, & in terram ibis*. Neque enim (ait) *secundum animam: sed secundum corpus terra erat, & morte eiusdem corporis erat iturus in terram*. Et capite tertio, addit, *Quod nisi de morte corporis, quo modo intelligi possit, ignoro*. Et eodem modo exponere videtur ac legere Tertul. libr. de Resurrect. carnis ca. 7. & 18. *Qui ignorat* (inquit) *carnem cadere per mortem, potest cã nec stantẽ nosse per vitam. Sententiã Dei naturã pronuntiat, terra es, & in terrã ibis. Et qui non audit, videt. Nulla mors non ruina membrorum est*. Cypria. de bono patientiæ, eodem modo legens inquit, *Huius sententiæ vinculo celligati omnes, & constricti iamus, donec expuncta morte de hoc sæculo recedamus*. Rufinus etiam in symbolo Apostolorum dicit, Christum in suo corpore spinas, & mortem suscepisse, vt homines liberaret à pœna, quam illis verbis Deus fuerat illis comminatus. At Christus non suscepit resolutionem in elementa: sed solam corporis mortem, quæ est propria pœna hominis. Nam vlterior corruptio corporis iam mortui, quanuis naturaliter sequatur, si corpus in eo statu perdurat: vix tamen ad hominem pertinere videtur, quanuis mediatè, & quatenus ex morte cõsequitur, pœna peccati dici possit: & ita etiam exponit Prosper de prædictionib. & promissionib. Dei. p. 1. cap. 5. & Greg. 25. Moral. c. 2. & 3. ac denique Eucherius in Genesim: qui tũ dicit, *Cum dixit Deus Adam, vbi es? Mortem significauit animæ, quæ facta est illo deserente: sed dicendo, Puluis es, & in puluerẽ reuerteris, mortẽ significauit corporis, quæ illi fit anima discedente*. Propter hanc ergo pœnam à Deo inflictam non cogimur dicere, omnia humana corpora esse in elementa resoluenda, prius quàm resurgant, sed solum esse moritura.

Tertul. Cyprian. Rufinus. Prosper. Gre. Pap. Eucher.

Neque etiam rationes, seu potius cõiecturæ adductæ quicquam persuadere videntur. Quid enim necesse est corpora in elementa resolui, vt reformentur? Hæc enim reformatio solùm consistere potest vel in integritate materiæ, & quãtitatis, vel in qualitatum perfectione, vel in separatione superfluæ materiæ, si aliqua fortasse fuit corporibus admixta: aut denique in ablatione contrariarum, seu peregrinarum qualitatum, quæ ad perfectionem humani corporis non pertinent. At hæc omnia fieri possunt absque illa resolutione, vt v.g. si ossa alicuius hominis reperta fuerint integra resurrectionis tempore, sine vlteriori resolutione perfici poterunt quoad qualitates omnes, & si aliquid materiæ, & quantitatis eis defuerit, poterit aliũde supplerí, eisdẽque qualitatibus disponi, ac præexistenti vniri; vel si é contrario aliquid fuerit superuacaneum, poterit separari, & similiter abijci poterunt omnes contrariæ dispositiones: ergo ad reformanda corpora resurgentium non est necessaria eorum integra resolutio, quanuis è conuerso necessarium sit, ad formã humani corporis reducere, quidquid ex eis, fuerit resolutum. Ad id verò, quod de naturæ ordine dicebatur, facilis responsio est, modum resurrectionis esse supra naturæ ordinẽ, & ideo non debere, nec posse eisdem legibus definiri. In agentibus enim naturalibus à priuatione ad habitum non est regressus secundum eandem numero formam: vt autem id, quod corruptum est, ad eandem naturam redeat saltem secundum speciem, vt. v.g. quod ex aceto iterum fiat vinum, sunt necessariæ multæ transmutationes, vel etiam resolutiones in elementa. Quia agens naturale non habet virtutem ad disponẽdum aliter materiam ad talem formam: at vero in resurrectione fit reditus à priuatione ad habitum in eadem numero formã, ad quod necessaria est infinita virtus agentis, quæ non indiget ijs transmutationibus ad disponendam materiã. Quin potius, quantum est ex parte materiæ, facilius poterit reformari corpus, si non sit resolutũ omnino: quia adhuc retinet dispositiones aliquas accommodatas tali formæ: vt. v.g. ossium densitatem, & duritiem. Vnde aliqui ex autoribus prædictæ sententiæ è cõuerso hinc sumunt congruentiam, vt hãc resolutionem persuadeant, scilicet, quia magis manifestabitur omnipotentia Christi excitando corpora in cineres, & elementa resoluta, quàm integra permanentia. Quæ nihil etiam probat, tũ quia re vera nõest vnũ simpliciter maioris perfectionis, quàm aliud, cũ vtrunq; sit infinitæ virtutis: tũ etiam quia magis quodã modo manifestabitur Dei virtus vtro-

que modo excitando corpora in quacunque dispositione inuenta fuerint, quædam omnino resoluta in elementa, alia fortasse in alia mixta, alia integra adhuc permanentia, alia partim resoluta quoad humidiores partes, partim manentia quoad sicciores, ac densiores, vt sunt ossa. Denique ratio, quæ adducebatur ex motu Cœli desumpta, falsum principium philosophicum supponit, nimirum, omnia pendere simpliciter, & absolutè â motu Cœli in esse, & conseruari. Sed de hoc alias.

Secunda sẽ tentia valde probabilis.

Propter hoc ergo posset esse alius dicendi modus, nimirum, non esse per se necessarium nec diuina ordinatione decretum, vt omnia corpora hominum, priusquàm resurgant, in elementa vel cineres omnino resoluantur: sed solum, vt moriantur. Mors enim est propria pœna peccati, & terminus à quo simpliciter necessarius ad resurrectionem. Quia verò ex morte necessitate quadam naturali sequitur, vt corpus putrescat, & in terram vel elementa, vel res alias resoluatur, hinc fit, vt secundum legem ordinariam, & seclusis priuilegijs, corpora, quę longo tempore ante resurrectionem mortua iacuerunt, in cineres vel elementa transmutentur ante resurrectionem: in alijs vero id non sit necessarium propter temporis breuitatem. Item ex eadem radice prouenire poterit vt quoad aliquas partes, vel omnia, vel fere omnia corpora illo modo resoluantur: quoad alias vero multa permaneant in eadem figura, densitate, & magnitudine. Quæ sententia sic exposita persuaderi potest primo nonnullis Scripturæ locis. Ezech. 37. significatur, ossa arida, & mortua debere iterum corporibus iungi, & viuificari: & Ioannis 5. ait Christus. *Venit hora: in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem eius: & procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* In monumentis enim iacere solẽt ossa mortuorum. Videtur ergo voluisse Christus significare, inde fore corpora reuocanda, vbi inuenta fuerint, & prout inuenta fuerint, absque vlla alia transmutatione. Hinc etiam Augustinus in Enchirid. capite 88. sic inquit, *Non periit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro, sed*

Ezech. 37. Ioannes. 5.

Aug.

A *in quemlibet cinerem pulverem ve soluatur: in quoslibet habitus, auras ve diffugiat, in quancumque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur, in quoruncunque animalium etiam hominum cibum cedat, carnemque mutetur, illi animę humanæ puncto tẽporis redditur, quæ illam primitus animauit.* Ex quibus verbis licet colligere, ex sententia Augustini non omnia corpora humana esse resoluenda in cineres, vel elementa, sed sub quacunque forma inueniantur, inde ad formam humani corporis esse transferenda. Præterea idem Augustinus loco supra citato, quem sequũtur Anselmus 1. ad Thessalonicen. 4. & ibi Oecumen. & alij multi expositores, decet homines, qui vixerint vsque ad diem iudicij, breuissima interiecta mora esse morituros, & surrecturos: vnde sentit eorum corpora, non esse omnino B corrumpenda, & resoluenda in elementa. Rursus hæc resolutio non poterit naturaliter fieri tam breui tempore in omnibus cadaueribus & ossibus, quæ illo die integra inuenientur, & erunt pœnè infinita. Responderi solet, igne conflagrationis omnia esse comburenda: & addunt aliqui, omnia, quæ fuerint in sepulcris, & cauernis terræ, esse congreganda, in valle Iosaphat, vt ibi comburantur, fiat que vniuersalis omnium resolutio. Sed hoc voluntariè confictum est, vt postea videbimus.

Aug. Anselm. Oecumen.

Hæc omnia, quæ pro hac sententia adducta sunt, ostendunt eam, vt minimum esse valde probabilem. Qua propter, quod Sot. dixit in 4. distinctione 43. quæstione 2. articul. 5. indecens esse priorem sententiam negare; non video, quo fundamento dictum sit: neque in quo consistat hæc indecentia, cùm illa opinio nec ex scriptura colligatur, neque ex sanctis Patribus. Quo circa de iis hominibus, qui tempore iudicij viui inuenientur, non solum probabile, sed omnino C verum existimo, eorum corpora non esse in cineres redigenda. Id enim multo magis consentaneum est verbis Paul. primæ ad Thessalo. quarto, & testimoniis, ac expositionibus Sanctorum, vt supra vidimus. De aliis vero hominibus prius mortuis res mihi videtur incerta, ac dubia, & de illis facilè posset defendi cũ communi sententia scholasticorum: quanuis omnia eius

Sot.

1. Thes. 4.

funda-

fundamenta multo minus efficacia sint facta prędicta exceptione: & ideo negari non potest, quin posterior sententia valde etiam probabilis sit.

SECTIO SEPTIMA.

Quo in loco fiet hominum resurrectio

POstquam explicuimus causas omnes, & modum nostræ resurrectionis, ad huius materiæ complementum oportet circunstantias eius, quę sunt locus, & tempus exquirere. De loco triplex potest excogitari dicendi modus, vt rectè notauit Sotus distin. 43. quæstion. 2. articulo 5. Primus est, vt omnes tam boni, quàm mali in eodem loco. v.g. in valle Iosaphat, (si in ea iudicandi sunt) resurgant. Quod si verum est, necesse est, vt prius Angeli omnium hominum cineres, vniuersamque materiam, ex qua corpora illa formanda sunt, in vnum locum congregent, vt ibi ad vocem, imperiumq; Christi resurgant vniuersi. Quem modum Sotus arbitratur esse omnium maxime probabilem. Quia est, inquit, facilior: & compendiosior. Præsertim si verum est omnia corpora esse prius in cineres, & elementa resoluenda. Nam ad hoc commodum erit, vt omnia ossa in vnum congesta locum, igne comburantur. Hic vero dicendi modus aliter ab alijs proponitur, scilicet, vt eiusmodi cineres non in vnum locum, sed in duo coaceruentur, ita vt in vno resurgant omnes Iusti, & in altero omnes damnati, quia non expedit omnes permixtos resurgere. Iuxta quod potest intelligi illud, *In consummatione sæculi exibunt Angeli, & separabunt malos de medio Iustorum*. Hęc enim separatio, vt fit per Angelos, necessariò videtur futura ante resurrectionem. Nam resurrectione facta, non oportebit separationem fieri per Angelos. Ipsi enim Sancti, virtute sua, & agilitate rapientur in aera, & à reprobis secernentur. Sed in hac sententia, (siue vno, siue altero modo explicetur) id certe displicet, quod nullum habet in scriptura, vel Patribus fundamentum. Si vero sola coniectura agendum est, non est tam expeditus, & facilis modus, vt Sotus arbitratur. Primum, quia vt commode, ac subito fiat resurrectio, oportet, vt omnes cineres, seu tota materia, ex qua vnumquodque corpus formandum est, sit impermixta alijs, & in proprio, ac separato loco tota coniuncta: si autem prius omnia ossa sunt in vnum acerbum congesta, sicque comburenda, non poterit tota materia non esse valde permixta. Vnde necesse erit, iterum separationem facere. Deinde, quia per illam combustionem non posset sine nouo miraculo non fieri magna dissipatio illius materię per resolutionem in aera. Et aliæ similes difficultates possunt facile in hoc modo inueniri.

Sot.

Mat. 13.

Secundus modus est, vt vnusquisque resurgat in eo loco, in quo mortuus fuit, vel sepultus statim post mortem. Quia solum in altero horum locorum iacuit totum corpus, quod excitandum est. Postea enim continget quasdam partes reperiri in vno loco, & quasdam in alio. Vnde non erit maior ratio, quare potius in vnum, quàm in alium transferantur. Hic tamen modus minus probabilis videtur, quàm præcedens. Et in primis, quod dicitur de loco mortis, nullum habet fundamentum, nec probabilitatem. Nam Christus non resurrexit, vbi mortuus est, sed vbi sepultus, & similiter illi, qui cum ipso resurrexerunt, & postea B. Virgo. Denique, si corpus alibi reperitur, & non vbi mortuum fuit, quid necesse est, illuc transferri, vt ibi resurgat? Atque idem argumentum fieri potest de primo loco, in quo singula corpora sepulta sunt. Nam si alio sunt translata, & ibi reperiuntur tempore resurrectionis, quorsum reuocabuntur ad priorem locum, prius quàm resurgant? Omitto, multa corpora iacuisse insepulta, vel ab igne consumpta, vel ab animalibus deuorata, vel in plures partes disiecta diuersis in locis fuisse suspensa, & similiter de alijs: non habet, ergo hic modus probabilitatis speciem.

B

C

Tertius modus est, singula corpora resurrectura in eo loco, vbi inuēta fuerint, etsi fortasse secundum diuersas partes in varia loca sint sparsa, vbi fuerit maior, vel pręcipua pars, eo, Angelorum ministerio adducentur reliquæ partes materiæ, atque ibi fiet vniuscuiusque resurrectio.

Locus resurrectionis faciēdæ

Ita Richar. dist. 43. artic. 5. quæstio. 3. & idem est sensus eorum, qui dicunt vnum quodque corpus excitandum esse à suo sepulcro. Quia nomine sepulcri necesse est intelligant locum illum, in quo vnumquodque corpus, vel materia eius tunc reperietur. Et in eodem sensu possunt adduci pro hac sententia testimonia Scripturæ, in quibus dicuntur mortui euocandi ex suis sepulcris, Ioann. 5. *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, & procedent, &c.* Ezech. 37. *Aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulcris vestris.* Præterea hanc sententiam cõfirmant exempla omnium, qui hactenus surrexerunt, Christi domini, & eorum, qui cum eo surrexerunt. Omnes enim exierunt de suis sepulcris, Matthæ. 27. & 28. Et idem credimus de beata Virgine. Præterea de beatissimis Petro, & Paulo expressé dicit Chrysost. homilia 32. in Epistola ad Romanos surrecturos Romæ è sepulchris suis. *Non ita* (inquit,) *cœlum splendescit, quando radios sol dimittit, quemadmodum* Romanorum *vrbs duas illas lãpades vbique terrarum effundens, hinc rapietur* Paulus, *illinc* Petrus. *Considerate, & horrete, quale spectaculum visura sit* Roma. *Paulum videlicet repente ex theca illa cum* Petro *resurgentem in occursum* Domini *sursum ferri* Præterea idem Chrysostomus homilia 7. in 1. ad Thessalonicens. circa illa verba, *Eos, qui dormierunt cum* IESV, *adducet cum illo.* *Illud* (inquit) *adducet cum illo, declarat eos vndique adducendos.* Quod latius explicans hom. octaua sic scribit. *Quod dicit, congregandos esse, resurrecturos quidem vbique simpliciter dicit, congregandos vero ab Angelis.* Itaque apertè sentit, omnes prius esse excitandos per vniuersum orbem, postea verò Angelorum ministerio congregandos. Et idem sentiunt ibi Oecumen. Theophylact. & alij Græci. Quod ita tamen intelligendum existimo, vt reprobi quidem à Dæmonibus subitò portandi sint in locum iudicij. Iusti vero sua virtute ferantur, quo eos custodes Angeli duxerint, atque hac ratione tam boni, quàm mali iam excitati cõgregabuntur Angelorum ministerio, tamen diuerso modo, Iusti virtute sua moti, ac sponte sequentes duces suos: reprobi vero vltra vires suas à Dæmonibus inuiti, coactique trahentur. Rursus in fauorem huius sententiæ adduci possunt Augustinus, & Anselmus, qui dicunt eos, qui tempore iudicij viui reperientur, & Christo obuiam rapientur, in ipso raptu esse morituros, & paulo post suscitandos. Hęc enim sententia apertè supponit, vnumquemque ibi esse suscitandum, vbi fuerit inuentum cadauer. Præterea Origenes libro 28. in Isaiam tractans illud Isai. 26. *Resurgent ij, qui in sepulcris sunt,* (vt est apud Pamphilum apologia pro Origene) dicit, per *sepulcrum* intelligẽdum esse omnem locum, in quo vel integrum corpus humanum, vel ex parte aliqua iacet, quanuis ad depositionem humanorum corporum construct⁹ non sit, vt hoc modo possit de omnibus verum esse, quòd *resurgent de sepulcris.* Denique hic modus est omnium facilimus, & euitat omnes mutationes superuacaneas, & libere confictas, redditque probabilem rationem huius circunstantię resurrectionis, quantum ex rebus ipsis reddi potest.

Aug. Anselm. Orig

Vera enim, & absoluta responsio totius quæstionis est, resurrectionem ibi esse faciendam, vbi Deus sua admirabili prouidentia disposuerit: tamen, si ex parte rerum aliquid coniectandum est, non posse esse verisimiliorem coniecturam, quàm supradictam. Quia sicut vnaquęque res generatur, vbi præexistit materia, ex qua fit, quia locus, & quantitas cõsequũtur materiam, ita corpora illa regenerabuntur, vbi illorum materia inuenta fuerit. Nec refert quòd illa loca interdũ erunt obscœna, & immunda: quia si corpora suscitanda, sunt damnatorum, nihil refert, quod ibi iaceant: si vero sunt gloriosa: non eis loci impuritas nocebit, & subito post instans resurrectionis sua inde agilitate auolabunt.

Solum potest relinqui difficultas de ijs corporibus, quæ omnino vel maiori ex parte in aerem conuersa sunt, ita vt eorũ materia in nullo loco terrestri sit: sed in regione aeris, aut ignis, aut in profundo maris. Aut enim dicendum est, illos homines non esse suscitandos in terra, sed in aere, vel in aqua, quod videtur inconueniens: aut certè in eis non potest habere verũ (quod diximus) suscitandos, scilicet esse, vbi maior pars materię eorũ fuerit. Ad has, et similes difficultates respõderi in primis

Dubium.

in primis posset, nullum esse incommodum, quod in huiusmodi locis corpora formentur, & resurgant. Quia tam subitò fiet resurrectio, & congregatio suscitatorum corporum, vt nullum ex hoc sequi possit inconueniens. Nam si corpus, quod resurgit, est glorioſum, siue sit in aqua, siue in terra, siue in aere, perinde sane est: si vero sit ex damnatis, subito deferetur in locum iudicij. Probabilius tamen videtur, omnes homines esse excitandos super terram. Quia ita significatur in testimonijs Scripturæ supra citatis, & est magis consentaneũ naturæ humani corporis. Quocirca, quãdo ex parte materiæ ipsius corporis nulla est ratio, ob quam potius fiat resurrectiõ in hoc loco terrę, quam in alio, diuina dispositione fiet vel in loco iudicij, vel vbi Deus voluerit, aut expedire censuerit.

SECTIO OCTAVA.

Vtrum Iustorum, damnatorumque resurrectio in eodem iudicij magno die futura sit.

RESTAT iam nunc dicendum de circunstantia temporis. Et quoniã de anno, mense, ac die nihil certi imparticulari dici potest. (Hęc enim pendent ex futuris, quæ non sunt nobis reuelata, vt dicturi sumus infra agentes de iudicio) solum inquiri hic potest, an vniuersalis resurrectio futura sit tota eodem anno, ac die, & an ille dies sit futurus dies iudicij. In qua quæstione occurrit examinandus vetus error, Chiliastarum, quem olim Cherintiani, & Marcionistæ sequuti sunt, & nunc Anabaptistæ sequuntur, vt referunt Pammeli. in Paradoxo 24. Tertulliani, & Staphilus in Epitome hæresum Lutheranorum. Et Lindanus de hæresibus nostri temporis. Et Prateolus verbo Cherinthiani, & verbo Chiliastæ. Hi dixerunt, resurrectionem Iustorum futuram mille annis ante diem iudicij, quod multi ex antiquis scriptoribus Catholicis sequuti sunt. Sed quia non omnia, quæ in hoc hæretici confinxerũt cõmunia sunt nostris scriptoribus, oportet eorum sententias breuiter explicare. Et quoniam in eis multa continentur, quę non pertinẽt ad præsens institutũ, ea tantũ persequemur, quæ huius loci fuerint: cætera verò in propria loca remittemus. Cherintus ergo, (vt est aput Eusebium libro 3. Histor. capite 22. & libro 7. capite 20. Nicephor. libro 3. Histor. capite 14.) docuit, Christum mille annis ante iudicium in hunc mundum descensurum, & omnes Iustos suscitaturum ad vitam corporalem, & animalem, vt vna cum eis mille annis in terra regnet, in summa pace, voluptate, & rerum omnium, ac deliciarum affluentia, etiam illarum, quæ ventri, & veneri deseruiunt. Dicebat etiam illo tempore instaurandum esse Iudæorum regnum, religionem, ciuitatem Ierusalem, ac templum eius, & taurorũ, ac arietum victimas, ac denique tunc esse implendas promissiones omnes factas Abrahę, & posteris eius Genesis 13. 15. & 17. Isai. 65. & 66. Ierem. 16. & 31. Ezech. 20. 27. & 28. Hunc errorem sequutus est Apollinarius, vt refert Epiphan. hæres. 77. infi. Iren. verò libro 5. capite 32. & seqq. docet post Antichristi persecutionẽ futuram esse hanc Iustorum resurrectionem, vt in terra viuant cum Christo mille annis. Et quanuis sentiat, eo tempore fruituros magnis spiritualibus delicijs: tamen etiam eis attribuit ingentes corporis voluptates, & abundantiam rerum temporalium: non tamen explicat an sint futuræ hominum generationes, neque de sacrificijs, & alijs cæremonijs Mosaicis meminit, de quibus etiã omnes alij Patres tacuerũt.

Euse. Nicephor. *Epiphan. Iren.*

Lactant. Lactantius autem libro septimo institut. capite 14. maximè tamen in 24. & 26. hunc sequens errorem, multa falsa pro libito comminiscitur. Primum enim dicit, primam illam resurrectionem Iustorum futurã sexto millesimo anno âmũdi creatione. Quod quâm sit falsum, & scripturæ repugnans, dicemus postea agentes de die iudicij. Dicit præterea resurrecturos tunc Iustos, qui mortui fuerunt, qui autem viui reperientur, non esse morituros: sed per eos mille annos infinitam hominum multitudinem generaturos, & eorum sobolem sanctam, ac Deo caram fore. *Qui autem* (inquit) *suscitabuntur, hi præerunt viuentibus, vt iudices: gentes vero non extinguentur omnino: sed quędam relinquentur in victo-*

riam Dei, vt triumphentur a Iustis, ac subiugẽtur perpetuæ seruitute. Deinde describit temporalem fœlicitatem illius sęculi, & aurea tẽpora, quæ Saturno regnante á poetis conficta sunt, illis mille annis futura esse arbitratur. Lactantium ferè, in omnibus sequutus est Quintus Iulius Hilarion libro de Mundi duratione, & hi duo existimarunt primãresurrectionẽ Iustorũ fuisse futurã ante quingentesimum annum à morte Christi, quorum errorem ipsa rerum experientia satis arguit. Posuerunt etiam, persecutionem Antichristi futuram ante primam resurrectionem, postea vero transactis mille annis futuram esse aliam persecutionem, quod plane repugnat Euãgelio, vt latius postea dicturi sumus. Tertullianus autem lib. 3. contra Marcionem capite vltimo, aliter hunc errorem scribit. Nam in primis nõ existimat resurrectionem omnium Iustorum simul esse futuram in initio illorum mille annorum: sed intra illud sęculum paulatim esse consummandam, singulis maturius, vel tardius pro diuersitate meritorum resurgentibus. Deinde non videtur tribuere Iustis eo tempore sensibiles voluptates, sed spirituales. Sic enim inquit, Hanc (id est, Ierusalem) *dicimus excipiendis resurrectione Sanctis, & refouendis omnium bonorum vtique spiritalium copia, in compensationem eorum, quæ in sæculo vel despeximus, vel amisimus, a Deo prospectam. Si quidem, & Iustum & Deo dignum, illic quoque exultare famulos eius, vbi sunt & afflicti nomine ipsius.* Et ita eius sententiam interpretatur Pammelius in initio operum Tertulliani parad. 24. & tom. 4. in fragmento operis de spe fidelium. Et hoc sensu tolerabilior est hic error, teste etiam Augũst. lib. 20. de Ciuitat. capit. 7. vbi hanc tractans quæstionem sic scribit. *Quæ opinio esset vtcunque tolerabilis, si aliquæ deliciæ spirituales in illo Sabbatho affuturæ Sanctis per Domini præsentiam crederentur. Nam etiã nos hoc opinati fuimus aliquando.* In hac etiam sententia fuit Iustinus Martyr dialog. cũ Triphone: non tamen explicat modum deliciarum in eo statu futurarum. Quos Patres ex Papia hanc sententiã didicisse testis est Euseb. lib. 3, Hist. cap. 33. & Hieronymus libr. de Eccles. scriptoribus, in Papia, & in præfatione lib. 18. in Isaiam, vbi præter citatos refert Victorinum, in Apocalypsim, & Apollinarium, *Quem non solum* (inquit) *suæ sectę homines, sed & nostrorum, in hac parte duntaxat, plurima sequitur multitudo:* & capit. 36. in Ezech. addit Seuerum in dialogo, Gallus. Hieronymus tamen iis locis indifferenter tribuit his autoribus errorem Cherintianorum eo modo, quo à nobis expositus est. Gennadius vero lib. de Ecclesiasticis dogmatibus capit. 6. in genere referens hanc sententiam, *fabulam somniatorum* appellat: in capite verò 55. hunc in modum variis scriptoribus illam attribuit. *In Diuinis promissionibus nihil terrenum, aut transitorium expectemus, sicut Melitiani sperant, nõ nuptiarum copulam, sicut Cherintus, & Marcion delyrant, non quod ad cibum, vel ad potum pertinet, sicut Papię autori Irenæus, Tertullianus, & Lactantius acquiescunt, neque per mille annos, post resurrectionem regnum Christi in terra futurum, & Sanctos cum illo in deliciis regnaturos speremus, sicut Nepos docuit, qui primam resurrectionem iustorum, & secundam impiorum confinxit.* Vbi nõ video, cur distinxerit sententiam Nepotis á sententia Irenæi. Eadem enim omnino fuisse videtur, vt latius refert Eusebius lib. 7. Histor. capit. 19. & Nicephorus libro 6. capit. 21. Denique Hieronymus Ierem. 19. hanc sententiã referens, prout à Cherinto. & Iudais asserta est, subdit, *Licet non sequamur: tamen damnare non possumus, quia multi Ecclesiasticorum virorum, & Martyres ista dixerunt, & vnusquisque in suo sensu abundet, & Domini cuncta iudicio referuentur.*

Fundamentum huius sentẽtiæ fuit obscurus locus Apocalypsis 20. vbi sic scribitur. *Et vidi Angelum descendentem de cęlo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua, & apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus, & Satanas, & ligauit eum per annos mille, vt non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni, & post hæc oportet solui modico tempore. Et vidi sedes, & sederunt super eas, & iudicium datum est illis, & animas decollatorum propter testimonium Iesu, & propter verbum Dei, & qui non adorauerunt bestiam, neque imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus, aut in manibus suis, & vixerunt, & regnauerunt, cum Christo mille annis: cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima.* Post quæ omnia

Tertul. Pammel. Aug. Iustin. Hieronym. Euse. Victo. Apolli. Gennad. Euse. Nicephor. Hieronym.

dest-

describitur generale iudicium futurum post illos mille annos. Qui locus videtur tam apertus ad prædictam sententiam cõfirmandam, vt propter hanc causam (teste Eusebio supra) multi librum Apocalypsis reiecerint, vt apocryphum, & à Cherinto scriptum.

Dicendum est tamen, resurrectionem iustorum non esse futuram vsque ad diem iudicij, & illa die omnes homines resurrecturos, quare non intercedet magna mora inter resurrectionem Iustorum, & iniquorum. Hæc assertio est certa, & quatenus repugnat citato errori, existimo esse de fide. Nam licet antiqui Patres Hieronymus, & Augustinus non videantur contrariam sententiam, vt hæreticã damnare: tamen Epiphanius hæresi 77. circa finem illam absolutè damnat vt hæreticam, scripturæque contrariam. Et Eusebius supra, & libr. 3. capit. 33. reiecit eam, vt erroneam, refert etiã, Dionysium Alexandrinum duos libros cõtra illam scripsisse. Et Hieronymus Epist. 150. ad Hedibiam, *Iudaicam fabulam appellat*. Denique omnes theologi, & posterieres scriptores, qui contra hæreses scripserunt, inter hæreses hanc sententiam numerant. Verum est potius eam damnare, propterea quod beatitudinem in voluptatibus corporeis constituat, quãm propter lapsum circa tẽpus resurrectionis, sed hic nos illam rationem non consideramus. Pertinet enim ad materiam de Beatitudine. Et nunc sufficiunt verba Christi, Matth. 22. *In resurrectione, neque nubent, neque nubentur: sed erunt, sicut Angeli*, & Pauli Roman. 14. *Regnum Dei non est esca, & potus*. Hic ergo solum est ostendendum, etiam posteriori ratione aperte repugnare Scripturæ. Quod probatur primo ex illis verbis, Iob. 19. *Scio, quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum*. Quod certum est dictum esse à Iob ratione vniuersalis resurrectionis Iustorum. Et apertissimè Christus dominus Ioã. 6. *hæc est voluntas eius, qui misit me Patris, vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo: sed resuscitem illud in nouissimo die. Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me, vt omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die*. Et iterum. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me traxerit eũ: & ego resuscitabo eũ in*

Hieron. Aug. Epiphan. Euseb. Dio. Alc.

Matt. 22. Rom. 14.

Iob. 19.

Ioan. 6.

A *nouissimo die*. Et fortasse hinc didicit Martha, quod Ioan. 11. dixit. *Scio, quia resurget in resurrectione, in nouissimo die*. Certum autem est, per *diem nouissimum* intelligi postremum diem, in quo fiet generale iudicium, vt omnes exponunt, & ex vi ipsius vocis constat. Dicitur enim in scriptura *nouissimum*, quod est postremum. Vnde respectu alicuius personæ, seu actionis *nouissimus dies* dicitur dies mortis, quo modo potest intelligi illud Prouerbio. 31. *et ridebit in die nouissimo*. Et similiter postremus dies festiuitatis dicitur, *nouissimus* Ioann. 7. at vero *nouissimus dies* simpliciter solum ille dici potest, qui absolutè postremus futurus est, de quo dixit Christus Ioann. 12. *Sermo, quem loquutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die*.

Ioann. 11. Prou. 31. Ioann. 7. Ioann. 12.

Secundo argumẽtor ex eo, quod in scriptura resurrectio bonorum, & malorum simul futura esse dicitur, & quamuis nõnulli Catholici contendant, non esse intelligendum de simultate physica, sed morali, (vt sic dicam) tamen, si inter vnam, & aliam mille anni interponendi essent, neutro modo possent dici simul futuræ. Oportet ergo, vt vel in eodem momento, vel saltem intra breuissimum tẽpus fiant, iuxta verbum Christi Ioann. 5. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt audient vocem filii Dei, & procedent qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ: qui autem mala, in resurrectionem iudicii*. Eadem ergo hora, & tempore vtrumque fiet: sicut Paulus explicuit 1. Corin. 15. *Omnes quidem resurgemus*, scilicet, tam boni, quã mali, sicut sequentia verba declarant, *sed non omnes immutabimur*: & tamen subdit, *In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba, canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur*. Itaque, & qui immutandi sunt, & qui non sunt immutandi, simul resurgent. Idem colligi potest ex parabolis zizaniorum, & sagẽnæ missæ in mare. & decem Virginum, & ex Daniel. 12. capite. *In tempore illo euigilabũt alii in vitam æternam, & alii in opprobrium*. Tertio sunt euidẽtia testimonia, quæ docent, Iustos nõ resurrecturos iterũ ad vitã animalẽ: sed spiritualem, & gloriosam 1. ad Corinthio. 15. *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget*

B

C

1. Cor. 15.

Matt. 25. Dan. 12.

1. Cor. 15.

corpus spirituale. Et infra eodem sensu dicit, *Caro, & sanguis regnum Dei non possidebit*, & rursus, *Mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur*, scilicet, ad statum gloriæ, non ergo intercedent mille anni inter Iustorum resurrectionem, & eorũ immutationem. Et ideò dixit de illis Christus Matthæ. 25. quòd ad imperium suum *procedent in resurrectionem vitę*. Non enim hoc dicitur, quia iterum viuent, nec quia resurgent ad vitam perpetuam (vtrumque enim commune est malis) ergo, quia resurgent ad vitãm gloriosam. Et ita Daniel dicto capite 12. de quibus dixerat euigilaturos in vitam æternam, statim subdit, *Fulgebunt quasi splendor Firmamenti*: ergo non erit alia resurrectio Iustorum nisi gloriosa, neque prius ad vitam, quàm ad cœlestem vitam resurgent. Ratione item potest hoc ostendi. Quia sanctæ animæ fruuntur Deo, & in resurrectione non priuabuntur illa visione: ergo statim, ac suis corporibus vnientur, gloria illa replebuntur. Quia ex beatitudine animæ redundat in corpus, quædam illius participatio, & nulla est causa, cur impediatur cum illi Iusti iam sint extra statũ merendi.

Mat. 25.

Danie. 12.

Dices, hoc argumento satis probari Sanctos post resurrectionem non vsuros cibo, & potu, eò quod eis indigeant: sed habituros statim corpora gloriosa: nihilominus tamen permãsuros in terra mille annis, vt fruantur bonis, & gaudeant ibi, vbi passi sunt. Sed hoc (præterquam quod per se est incredibile, & improbabile: quæ enim, vel qualia sunt terrena hæc, & inferiora bona, vt propter eorũ fruitionẽ oporteat Beatos in corporibus gloriosis mille annis in terra degere?) repugnat aliis scripturæ testimoniis. Nã Primæ ad Thessalonicen. quarto inquit Paulus, *Si enim credimus, quod Iesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt cum Iesu, adducet cum eo*. Non ergo Iesus veniet iterum in terram, vt eam inhabitet, & in ea regnet: sed potius suos secum adducet, vt secum in cœlo regnent, iuxta illud Secundæ ad Corinth. quinto. *Scimus, quod si terrestris domus nostra huius habitationis, dissoluatur, ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam æternam in cœlis*. Et illud ad Ephes. secundo. *Conuiuificauit nos Christo, & conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu*. Et hoc est, quod Paul. in priori loco subiungit, quod statim post resurrectionẽ, & immutationem Iustorum, *simul rapiemur cum Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus*. Cur enim gloriosa, & immortalia corpora, excelsiora cœlis facta, permanerẽt in terra, quæ propria est mortalium habitatio?

Obiectio.

Responsio

1. Thess. 4.

2. Corin. 5

Ephes. 2.

Quarto possunt congruentes rationes adduci, ob quas merito diuina Prouidentis disposuit, vt generalis hominum resurrectio in finem mundi differretur, quas attigit D. Thom. in 4. dist. 43. quæst. 1. articulo 3. quęst. 1. & Latius Sotus quæst. 2. articulo 1. Summa omnium est. Nam durante cœli motu durat generatio, & corruptio, ac temporis successio, & ideo non decuit, vt generaliter corpora hominum, quę ex materia generabilium, & corruptibilium rerum formanda sunt, ad immortalem, & æternam vitam transferrentur. Item quia, (vt infra videbimus) decuit in fine mundi fieri vniuersale, ac manifestatum iudicium omnium hominum: igitur etiam decuit, vt aliquod præmium, saltem quoad complementum, in corpore, & animo, in tempus illud reseruaretur.

D. Thom. Sot.

Ad fundamentum contrarii erroris, quod attinet ad loca Prophetarum de antiquis promissionibus Iudæis, de instauranda Ierusalem, bonorum affluentia, & aliis id genus factis: breuiter dicitur intelligenda esse secundum metaphoricam locutionem de Ecclesia, vel militante, vel triumphãte, ac de bonis spiritualibus, quę fidelibus, qui sunt veri, & spirituales Israelitæ, Deus communicat, vt tractat latè Hieronymus exponendo eadem Prophetarum loca, & attigimus breuiter superiori tomo Disputat. 1. Sect. 4. Solum ergo superest, vt exponamus vigesimum caput Apocalypsis. De quo in primis dicendum est, Angelum illum, quem Ioannes vidit descendentem de cœlo, esse Christum dominum, qui in scriptura dicitur *Angelus testamenti*, & *magni consilii Angelus*. Vel aliquem sanctum Angelum ministrum eius. Parum enim refert, vno vel altero modo interpretari. Deinde dicitur, ibi esse sermonẽ de primo Christi aduentu, nõ de secũdo. Christus enim veniens in mũdum per incarnationem superauit Dæmonem, & potestatem eius abstulit, iuxta illud Lucæ. 11. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet:*

Responsio ad argumẽta in oppositum.

Hieron.

In cap. 20. Apocal. 5.

Expositio,

sidet: si autem fortior eo superueniens vicerit
Luc.11. eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat. Addit vero Matth. capit. 12. *Quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa eius diripere, nisi prius alligauerit fortem?* Matt.12. Sic igitur Christus veniens in mundum alligauit Dæmonē, & hoc est quod vidit Ioannes dicto capit. 20. Quod vero subdit, *& misit eum in abyssum, & clausit, & signauit super illum, vt non seducat amplius gentes*, quidam putant, esse intelligendum non de omnibus Dæmonibus: sed de Satana principe Dæmoniorum, qui ita est in infernum detrusus, vt exire nō permittatur, neque per seipsum homines tentare. Quod significat Gregorius lib. 4. moral. capit. 13. Exponit enim hunc locum de illo apostata Angelo, qui ita creatus est,
Gre. Pap. vt cæteris legionibus Angelorum emineret. Et idem sentit Lactantius lib. 7. cap. 24. & 26. Quòd si velimus de vniuerso Dæmonum imperio id explicare, intelli- B gendum est, Dæmonem fuisse ligatum, vt non posit ad homines tentandos ex abysso exire, nisi iuxta voluntatem, ac permissionem illius Angeli, id est, Christi, qui eum ligauit. Vnde fit, vt neque in hoc mundo tam liberè regnet, sicut antea, neque tam acriter possit homines tentare, ac seducere: ligare ergo Dæmonem fuit, eius coercere, & cohibere potestatem, vt Augustin. exposuit 20. de Ciuitate. capit. 7. & epistol. 107. & significauit Gregor. 7.
Aug. Moral. capit. 18. Addit præterea Ioannes,
Gre. ligatum ab hoc Angelo fuisse Dæmonem mille annis, & postea solutum modico tē- C pore. Sed intelligendum est, ibi positum esse definitum numerū annorum pro indefinito. Solet enim scriptura per millenarium numerum, explicare diuturnam temporis durationem, vt Psalm. 104. *Verbi, quod mandauit in mille generationes*: Et Eccles. 16. *Melior est vnus vir timens Deum,*
Psal. 104 *quam mille impii.* Habuit autē Ioannes spe-
Eccle. 16. cialem causam, & rationem, ob quam ea phrasi locutionis vteretur. Quia vel non poterat definitè dicere: vel nō oportebat explicare, quantum esset tempus futurum vsque ad persecutionem Antichristi, quando Dæmon soluetur modico tempore. Dicitur vlterius, omnes animas Sanctorum regnasse cum Christo iis mille annis, id est, toto hoc tempore. Vbi notandum est, non dici, solis iis mille annis regnaturum Christum cum Sanctis suis, futurum enim est illud regnum perpetuum, dicitur ergo regnaturus eo tempore, donec ad iudicandum veniat, absque noua immutatione, & quasi innouatione, quæ post corporum resurrectionem in illo regno fiet. Atque ob hanc causam nulla ibi fit corporum mentio: sed solum animarū. Vnde fit, cùm subdit Ioannes, hanc esse *primam resurrectionem*, necessario intelligi de resurrectione spirituali, qua anima â peccato resurgit ad vitam gratiæ, & gloriæ. Toto enim illo tempore operabitur Christus in animabus hanc resurrectionē, incheando illam in hac vita, perficiendo autē in morte, de qua dixit Christus Ioā. 5. (iuxta expositionem, Augustī. tract. 22. in Ioan. & serm. 64. de verbis Domini, &
Ioann.5. 20. de Ciuitat. cap. 6.) *Venit hora, & nunc*
Aug. *est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent*: quanquam aliam possit ille locus Ioannis habere expositionē literalem: sed nunc nostra non refert. Dixi autem, spiritualem hāc resurrectionem inchoari per gratiam: perfici autem in gloria. Quia vt metaphora resurrectionis melius quadret, oportet, vt ex parte termini à quo, mortē aliquo modo respiciat. Nam sola glorificatio per se sumpta non habet rationem resurrectionis, sed vt confertur homini, qui per peccatum ius ad illam amiserat, & quia hoc ius per iustificationem reparatur, ideò dicimus hanc resurrectionem vtrumque aliquo modo includere, iustificationem scilicet, vsq; ad glorificationem, seu è cōtrario, glorificationem, vt in tali iustificatione fundatā. Sola enim iustificatio non habet rationē propriam resurrectionis, de qua ibi est sermo. Nam ibi dicitur *secundam mortem*, id est, damnationē non habere locū in his, qui primæ resurrectionis sunt participes, quod non conuenit omnibus iustificatis, nisi vitā gratiæ perpetuò cōseruent, quod in gloria fiet, sic ergo exponēda est illa prima, & spiritualis animarum resurrectio.

Possunt verò nobis obstare illa verba eiusdem capit. 20. Apocalyp. *Cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni*: & subditur, *hæc est resurrectio prima.* Nam in prioribus verbis necesse est, esse sermonem de vita corporali, nam *cæteri mortuorum*, id est damnati, qui in Christū non crediderūt, nō sunt resurrecturi vnquam spirituali resurrectione: sed corporali tantum: ergo, cùm hæc dicitur *resur-* Obiectio

rectio prima, intelligitur de corporali, non de spiritali. Quia non est verisimile, in tam paucis verbis tam magnam inuolui æquiuocationem. Respondeti potest illa priora verba non intelligi de vita corporali, vel spirituali determinatè: sed simpliciter de omni vita, ita vt sit sensus. Ad nullum genus vitæ suscitatos esse, & ideò non esse propriè æquiuocationem. Melius tamen (vt existimo) responderi potest, etiam in illis verbis sermonem esse de vita gratiæ, & gloriæ, ita vt sensus sit eos, qui non adhæserunt Christo, in toto illo sæculo vsque ad finem mundi non esse gratiam, & gloriam cõsecuturos. Quod autem subditur, *donec consummentur mille anni*, non significat, post mille annos esse victuros: sed quia tempus definitum à Deo ad hanc primam resurrectionem, solum est hoc, quod fluit vsque ad diem iudicij, ideo specialiter dictum est, toto hoc tempore hos non fore viuificandos: non quia postea viuificandi sint: sed solum, vt excludatur tempus, in quo maximè viuificari poterant, & ita illa particula *donec*, tantum significat quid toto illo tempore futurum non sit, non tamen quid post illud tempus sit futurum iuxta frequentem modum loquendi Scripturæ in superioribus expositum.

In reliqua parte illius capitis describit Ioannes persecutionem Antichristi, vniuersalem resurrectionem, & iudicium, de quibus postea dicturi sumus. Quia in tota illa parte nulla est difficultas, quæ ad præsentem quæstionem spectet. Solum in illis verbis, *Ascenderunt supra latitudinẽ terræ & circumierunt castra Sanctorum, & ciuitatem dilectam.*, aduertendum est, non intelligi per *ciuitatem dilectam* Ierusalem, (vt Chiliastę exposuerunt,) sed Ecclesiam. Hęc enim est ciuitas verè à Deo dilecta. Quod si de aliqua priuata vrbe terrena illa verba essent exponenda, potius de Roma, quam de Ierosolyma intelligi deberent: quia post Christi ascensum in cœlum, multò magis est dilecta hęc ciuitas â Deo, quàm Ierosolyma.

Quoniam autem tota vis huius expositionis consistit in illis verbis *resurrectio prima*, oportet ex contextu, & circunstantijs eius ostendere esse sermonem de resurrectione animę, non corporis. Potest autem hoc varijs modis ostendi. Primò, quia in fine capitis ponitur vniuersalis resurrectio corporalis omnium mortuorum. Secundoquia post illam primã resurrectionem dicitur futura persecutio Antichristi, in qua Iusti occidẽtur, quod repugnat, & statui, post corporum resurrectionem, & verbis Christi, Matth. 24. vt inferius latius dicemus agentes de iudicio. Tertio quia ibidem *mors* apertè sumitur pro morte spirituali, seu damnatione, vt, cùm dicitur, *Infernus, & mors missi sunt in stagnum ignis*, scilicet, post finale iudicium, quando non homines mortui, sed corpore, & animo viuentes detrudentur in infernum. Ergo non sumitur ibi mors pro morte corporali, sed pro spirituali. Quid ergo mirum, quod eodem sensu, prius loquutus sit de resurrectione? Quartum argumentum simile confici potest ex illis verbis, *mors secunda*. Mors enim corporalis non est nisi vna: ergo necessario intelligenda sunt de morte spirituali, ita vt *mors prima* sit, mors peccati: mors autem *secunda*, sit gehenna, vt exposuit Chrisost. homilia. 25. in Apocalyp. vel certe *mors prima* dicatur gehenna, vel condemnatio solius animæ: mors autem secunda sit damnatio totius hominis corpore, & animo, quæ fiet in die iudicij. Ergo è contrario resurrectio prima, & secunda secundum eũdem modum, ac proportionem explicanda sunt. Et hinc tandẽ sumi potest alia cõiectura. Quia mors prima, & secunda non intelliguntur respectu diuersorum, sed respectu eiusdem: ergo eodem modo intelligenda sunt resurrectio prima, & secunda: ergo non recte exponuntur de resurrectione bonorum, & malorum, vt Chiliastæ finxerunt. Nec etiam placet expositio Origenis in 26. capite Isai. quam refert Pamphyl. in Apolog. pro Origene, qui, similiter exponens resurrectionem primam, & secundam de resurrectione bonorum, & malorum, explicat illam dici primam non tẽpore, sed dignitate. Nam licet hæc expositio non contineat errorem: non tamen potest contextui accommodari. Denique ad hunc fere modum exposuerunt hunc locum Augustin. lib. 20. de Ciuitat. fere per totum, præsertim capit. 7. & homilia 17. in Apocalyp. & colligitur ex 5. Elig. homilia 8. in die cœnæ Domini, & Hippolyto libr. de consũmatione mundi, & Gregor. libr 4. Moral. capit. 13. & lib. 18. capit. 25. vbi expressè dicit millenario numero

A B C

Mat. 24.

Chrys.

Origen. Pamphyl.

Aug. Elig. Hippolyt. Gre.

numero non quantitatem, sed vniuersitatem temporis, quo regnat Ecclesia, designari, atque idem repetit libr. 32. capit. 12. Eodem modo sentiunt omnes expositores Catholici in Apocalyp. Anselm. Beda, Rupertus, Aretas, & reliqui.

SECTIO NONA.

Vtrum vniuersalis resurrectio omnium hominum simul tempore futura sit.

IN præcedenti sectione concluſimus, futuram esse vniuersalem resurrectionem eodem die, restat inquirendum, an etiam futura sit eodem tempore, ac momento. In hac enim re explicanda Catholici scriptores in varias abiere sententias. Prima sententia est, prius esse suscitandos omnes Iustos, deinde omnes reprobos. Ita docent super 1. Thessalon. 4. capit. Primasius, Theophyl. & Oecumen. qui existimantur id accepisse á Chrysostomo, qui tamen nihil aperté dicit, vt patet ex homilia 7. & 8. super 1. ad Thessalonic. & homilia quadam de ascensione Christi. Apertius hoc docuit Theodoretus 1. ad Thessalon. 4. vbi ait, omnes Iustos, qui fuerunt tam in lege naturæ & veteri, quàm in lege gratiæ simul fore suscitandos, iuxta illud ad Hebræos. 11. *Hi omnes mortui sunt nõ acceptis repromissionibus, Deo pronobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur*, omnes autem electos suscitandos esse ante reprobos. Idem tenet Caietan. 1. ad Corinth. 15. Fundari autem potest hęc sententia in verbis Paul. 1. ad Thessalon. 4. *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi*, & 1. Corinth. 15. *In Christo omnes viuificabuntur, vnusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus, deinde ij, qui sunt Christi, deinde finis*, vbi aperté loquitur de ordine temporis. Secundo addi possunt congruentiæ. Prima, quia Iusti exituri sunt obuiam Christo in aera, & ideo oportet, vt prius resurgant, quàm reprobi, qui in terra expectaturi sunt. Secunda, vt Deus se ostendat propensiorem ad reddendum præmium, quàm pœnam. Tertio vt significetur obedientia Iustorum, dum citius obediunt voci Dei, eos ad vitam reuocantis.

Primas. Theophyl. Oecumen. Chrysost. Theo. Hebre. 11. Caietan 1. Thes. 4. 1. Cor. 15

Secunda sententia constituit ordinem inter ipsos Iustos. Qui dupliciter fingi potest, primo vt prius resurgant Iusti, qui Christi incarnationem præcesserunt: deinde qui fuerunt in lege gratiæ: vel aliter vt prius resurgant qui antea erant mortui, deinde illi, qui viui tunc inuenientur. Et hic posterior modus colligi potest ex Augustin. & Anselm. dicentibus, Iustos, quos dies iudicij viuos inuenerit, in corpore mortali rapiendos esse in aera, simul cum alijs Sanctis iam excitatis, & in ipso raptu esse morituros, & resurrecturos. Nam ex hoc ordine aperte sequitur, prius esse suscitandos Iustos antea mortuos. Et ita explicant, ac sequuntur Scot. in 4. dist. 43. quæst. 5. & Durand. quæst. 4. & Richar. artic. 5. quæst. 1. qui fundantur in illis verbis Pauli. *Et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi: deinde nos, qui viuimus simul rapiemur cum eis obuiam Christo in aera.* Sed in superioribus reiecimus hanc sententiam, & locum Pauli aliter exposuimus.

Aug. Anselm. Scotus Durandus Richard. 1. Thes. 4.

Tertia sententia est, omnes homines electos, ac reprobos simul, eodemque momento esse exsuscitandos. Hæc est communior Theologorum in 4. dist. 43. vbi D. Thom. eam indicat quæst. 1. art. 3. q. 3. præsertim in solutionibus argumentorum, vbi ad 3. dicit, sicut effectus sacramenti fit in vltimo instanti prolationis formę: ita generalem resurrectionem futuram esse in vltimo instanti, in quo cõsummabitur vox, seu sonus tubę. Idem problematice Richar. art. 5. quæst. 1. absolute Paludan. Sotus, & alij. Et ex Patribus inclinat in hanc sententiam Gennad. libr. de Eccles. dogmatibus capite 6. *Erit* (inquit) *resurrectio mortuorum omnium hominum, sed vna in momento, & semel, non prima Iustorum, & secunda peccatorum.* Hyppolytus Martyr libr. de consummatione mundi non longè à fine, & Method. de Resur.

D. Thom. Richard. Palud. Sot. Gennad. Hippolyt. Method.

Et absolutè hæc opinio est probabilior. Primo quia est magis consentanea scripturis, Ioann. 5. *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumẽtis sunt audient vocem filij Dei, & procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ: qui autem mala, in resurrectionẽ iudicii.* Quorum verborum sensus est, nolite mirari, quod vobis dixerim, me habere virtutem ad excitandos mortuos. Nam veniet hora, in qua, vno verbo excitabo omnes homines tam bonos, quàm malos: ergo ad vnum Christi imperium omnes simul resurgent,

surgent. Et ita insinuant ibi Cyrillus, Chrysostom. Rupert. clarius Euthym. dicens, *Simul omnes repente, ac virtute arcana coaptabit, animabit, ac excitauit voce sua, siue iussu.* De hoc etiam Paulus loquitur 1. ad Corinth. 15. *Omnes quidem resurgemus in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba, canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.* Secundo possumus argumentari ratione. Quia neque ex parte diuinæ potentiæ requiritur hæc successio, neque ex parte ipsius actionis, vt per se constat: neque etiam ex parte hominum suscitandorum. Quia si de omnibus Iustis in communi agamus, si omnes simul resurgant ad commune omnium gaudium, maius etiam erit gaudium singulorum, & ideo, (vt in Apocalyp. dicitur) singulorum Iustorum resurrectio differtur, donec impleatur numerus electorum: ergo consummato hoc numero omnes resurgent, neque erit iam, cur alicuius resurrectio amplius differatur. Ad hæc si comparemus Sanctos legis naturę, aut veteris ad Sanctos legis gratiæ, nulla ratio est, obquam illorum resurrectio antecedat. Nam potius *nos expectant, vt non sine nobis consummentur*, vt Paulus dixit ad Hebræ. 11. Rursus prærogatiua legis gratiæ est, vt gloria, & beatitudo non nisi tempore huius legis sit hominibus communicata: cur ergo resurrectio, & gloria corporum tardius conferetur hominibus huius legis, quàm præcedentibus? Denique in hoc nullus antiquorum Patrum, aut Catholicorum Doctorum, (quòd ego viderim) dubitauit. Præterea quòd Iusti prius mortui non sint prius resurrecturi, quàm illi, qui inuenientur viui propè diem iudicij, primum ostendi potest præter Scripturæ testimonia adducta. Quia nulla est probabilis ratio alterius ordinis, vel successionis. Nam priusquam præcedentes Iusti resurgant, morientur reliqui Iusti, qui tunc viuent. Quia (vt supra ostendi) mors illorum non fiet in raptu: sed ante raptum, & causę, quæ illis possunt mortẽ inferre, generalem resurrectionem precedent, vt patet etiam ex supra dictis. Ergo eque citò obedient voci Dei eos ad vitam reuocantis. Adde, Paul. 1. ad Thessalon. 4. non solum, non significasse hos esse posterius suscitandos: verùm potius fuisse solicitum, ne aliquis putaret esse prius suscitandos, eò quòd eorum mutatio, & resurrectio videri poterat facilior, & ideo dixisse, *Qui resdui sumus in aduentu Domini, non præuenietmus eos, qui dormierunt.* Ex quo non sequitur hos, qui dormierũt, esse præuenturos alios: sed ad summum, simul esse resurrecturos: quid autẽ in sequentibus verbis Paulus voluerit, statim dicemus. Tandem neque ex parte damnatorum oportet, resurrectionem esse tardiorem, vt patebit respondendo ad argumẽta aliarum opinionum.

Cyr. Chrysost. Rupert. Euthym.

1. Cor. 15.

Hebr. 11.

1. Thess. 4

Ad primũ testimonium ex Paulo, *Qui in Christo sunt resurgent primi*, intelligi potest primo, illos futuros esse primos, non ordine temporis: sed excellentia dignitatis, vt Sedulius exponit. Quę expositio videtur difficilis D. Thom. super Paulum: quia multi de viuis erunt probati in persecutione Antichristi, qui dignitate præcedẽt multos prius defunctos: sed hoc solui potest dicendo, non comparari (vt sic dicam) singulos ad singulos: sed multitudinem ad multitudinem, & hoc modo, priores dignitate præcedere. Nã in eis cõtinentur Apostoli, Patriarchę, & Prophetę, & sãctissimi martyres. Erit ergo iuxtahãc expositionẽ sensus Pauli, illi quidẽ quimortui sunt, resurgẽt dignitate primi, eis quodam modo magis erit debita resurrectio, eò quòd diutius eam expectarũt: nihilominus tamen reliqui simul cum eis rapiẽtur obuiam Christo. Sed obstat vox Græca πρῶτον, quę est aduerbium equiualens temporis aduerbio comparatiuo, & ita legunt Græci *primum*. Obstat etiam particula, quæ sequitur, *deinde*, quę non proprie significat ordinẽ dignitatis.

Testimonij Pauli ad. The. 4.

1. Exposit. Sedul.

D. Thom. 2. Exposit.

Secunda expositio est, vt sit sermo de ordine temporis: ita tamen, vt illi dicantur resurgere primi non positiuè, sed negatiuè, idest, quòd ante hos nullus resurget. Ita Anselm. Sed videtur obstare, quod hoc non est singulare illorum, sed commune omnibus. Dici potest, de illis hoc specialiter dici propter rationem supra traditã. Et ita, hęc vox *primi*, respondet superiori negationi, *non præuenietmus eos* Sed adhuc obstat, quod particula, quæ sequitur, *Deinde* comparationem positiuam indicat.

Tertia expositio est, vt illæ duæ particulæ significent successionem temporis, non inter quorundam resurrectionem, & aliorum, sed inter resurrectionem, & raptum. Prius enim resurgent, postea vero

rapientur

rapientur in aera obuiam Christo, Ita Diuus Thomas & Anselmus. Sed est difficultas in hac expositione, cur Paulus in prio ri membro loquatur tantum de præceden tibus hominibus iam mortuis: in posteriori verò de reliquis viuentibus. Nam & vtrique resurgent, & vtrique rapientur, & vtrique prius resurgent, quam rapiantur. Respondeti potest, specialiter il lis prioribus attribuisse resurrectionem, ne (vt diximus) existimarentur tardius re surrecturi, propter diuturnam mortem præcedentem: raptum vero æque vtrisque attribuisse, quia in eo ablata erat omnis dubitandi ratio. In hoc autem loco Apostolus nullam mentionem fecit resurrectionis damnatorum, quia solum cupiebat spem fidelium erigere, eosque consolari, vt patet ex illis verbis, *Vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent*: & ex illis, *Itaque consolamini inuicem in verbis istis*. Et ideo ex hoc loco nullo modo colligi potest, quòd Iusti prius excitandi sint, quàm damnati. Nam, cum Paulus ait, *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi*, non comparat resurrectionem Iustorum, ad resurrectionem damnatorum (de quibus nullam ibi mentionem fecit) sed comparat resurrectionem Iustorum, ad eorum raptum *obuiam Christo in aera*.

D.Thom. Anselm.

Ad secundum testimonium ex 1. ad Corinthios 15. respondetur primo. Sermonem esse de ordine dignitatis, non temporis. Ita Diuus Thomas, & Anselmus, & eadem expositio sub disiunctione ponitur in commentariis, quæ Hieronymo tribuuntur. Eandem habet Tertul lianus de resurrectione carnis capite. 48. iis verbis, *Vnusquisque in suo ordine, scilicet quia & in suo corpore, ordo enim non aliud, quam meritorum dispositor. Merita autem cum corpori quoque ascribantur, ordo quoque corporum disponatur necesse est, qui possit esse meritorum.* Secundo, si velimus exponere de ordine temporis propter verbum illud, *deinde finis*. (Quod sine dubio videtur intelligendum de ordine temporis) aduertendum est, Paulum in toto illo cap. non facere mentionem resurrectionis damnatorum, vsque ad illa verba, *Ecce mysterium vobis dico, omnes quidem resurgemus: sed non omnes immutabimur*. In tota enim antecedenti parte capitis, tantum de resurrectione gloriosa sermonem habuerat propter erigendam fidem, & spem fidelium: & ideo, ne videretur aliam excludere, & vt timorem simul cum spe coniungeret, dixit, *Ecce mysterium vobis dico* Hinc ergo colligo, cùm in superioribus verbis dicit, *Vnusquisque in suo ordine*, non agere de ordine Iustorum, & damnatorum, de quibus neque ibi, neque in priori parte capitis mentionem fecerat. Comparat ergo particularem resurrectionem Christi, sub qua comprehendit eos, qui ex speciali priuilegio, vel cũ Christo, vel propter singularem cum Christo coniunctionem iam antea surrexerant, comparat (in quam) cum generali Iustorum resurrectione, & hoc est, quod dicit, *primitiæ Christus*, deinde hi, qui sunt Christi, quos specialiter nominat in hoc secundo ordine, non quia damnati non sint in eodem tempore resurrecturi: sed quia tunc tantum agebat de resurrectione gloriosa. Quod satis explicuit inferius, dicens, ibi latere mysterium, quia ad sonitum eiusdem vocis multi alij simul resurgent, qui ad statum gloriæ non immutabuntur. Quod ergo addit Paul. *Deinde finis*, non significat (vt multi exponunt) deinde erit vniuersalis resurrectio aliorum, quia neque verba id significant, neque ex adiunctis talis sensus colligi potest. Est ergo sensus. Deinde sequetur finale iudicium. quo fiet, vt & regnum Iustorũ tradatur Deo, & Patri, & omnes Christi inimici subdantur sub pedibus eius, vt in sequentibus Paulus subiungit. Iuxta quam expositionem (quæ mihi maximè literalis videtur) solum colligitur ex illis verbis, *deinde finis*, resurrectionem vniuersalem, tam bonorum, quàm malorum, esse futuram ante mundi finem, & propter illũ.

Testimonij Pauli. 1.Cor.15. Expositio. D.Thom. Anselm. Hieron. Tertul.

Ad primam coniecturam respondetur, non oportere, vt resurrectio Iustorum præcedat resurrectionem malorum, eo quod Iusti ascensuri sint *in aera obuiam Christo*. Quia nihil est incommodi, quod iniqui expectent illo tempore, in terra aduentum iudicis, præsertim cùm totum illud tempus satis breue futurum sit.

Ad secundũ dicitur, tunc non futurum tempus misericordiæ exercẽdæ, sed rigoris, iudicij, & iustitiæ, & ideo ex hoc capite potius expedit, vt opera iustitiæ distributiuæ, & commutatiuæ simul impleri, incipiant.

Ad tertiũ dico, iniquos homines non resur-

resurrecturos vt iniquos, sed vt homines, & vt effectus Diuinę omnipotētiæ, ideoque non expedire, vt tardius obediant voci Dei, quàm Iusti, vnde ex hoc etiam capite potius expedit, vt simul resurgant.

SECTIO DECIMA.

An vniuersalis resurrectio nocturno, vel diurno tempore futura sit.

SVpponimus, vniuersalē resurrectionem breuissimè esse absoluendam. Nam organizatio, & viuificatio corporum in instanti fiet: collectio autem cinerum Angelica velocitate, atque adeo eximia temporis breuitate perficietur, vt supra notauimus, de communi ratione resurrectionis disputantes. Ex quo colligitur, non esse verisimile hoc negotium resurrectionis esse nocte inchoandum, & die perficiendum, neque è conuerso, ideoque inquirimus, vtrum nocturno, an diurno tempore futurum sit. Quæ res licet valde sit incerta (quia ex scripturis nihil satis colligi potest) nihilominus Doctores excogitarunt duos probabiles dicendi modos.

Primus est, resurrectionem futuram intempesta nocte. Ita refert Hieronymus, ex Diodoro in epistol. 152. ad Minerium & Alexandrum, qui id colligebat ex verbis Christi Matth. 25. & Luc. 17. *Media autem nocte clamor factus est, ecce sponsus venit.* Nam, *hinc* (inquit) *constat medio noctis, securis omnibus, consummationem Mundi esse venturam.* Et idem sentit Hieronym. Matthæ. 25. eadem verba exponens, Chrysostom. hom. 79. in Matth. circa eadem verba, sub disiunctione dicit, *Aut in parabola, quoniam dormiebant, dixit, commoratur, aut in nocte futuram resurrectionem ostendere voluit.* Atque idem sentit Augustinus lib. 83. quæstion. in 57. & Ambrosius libro 8. in Lucam circa illa verba, capit. 17. *In illa nocte erunt duo in lecto vno, &c.* Lactantius lib. 7. cap. 19 dicens *intempesta, & tenebrosa nocte* resurrectionem futuram. Idem Cassiodorus Psalm. 108. circa illa verba, *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Et qui tenent, Christum resurrexisse media nocte, idem affirmarēt fortasse de cæteris hominibus: nam hoc argumento vtūtur aliqui ex prædictis autoribus. Asserunt etiam figuram egressionis filiorum Israel de Aegypto, quando media nocte Angelus descendit, Aegyptios percutiens, & Israelitas è seruitutis iugo liberans. Exo. 12.

Alter dicendi modus est verisimilior, resurrectionem vniuersalem futuram hora matutina, quo tempore Christus resurrexit. Hanc sententiam sequuntur communiter Theologi in 4. dist. 43. D. Thom. Bonauent. Richard. Durand. Paludan. Capreol. & Antonin. 4. par. tit. 14. capite 11. §. 4. Et eandem tradit Anselm. in Elucidario vbi dicit, resurrecturos nos, qua hora Christus resurrexit. Et hoc est potissimum fundamentum huius sententiæ. Quia cùm Christus sit exemplar nostræ resurrectionis, verisimile est, eo tempore, quo ipse surrexit, nos suscitandos esse: ipse autem surrexit summo diluculo, vt supra ostendimus: ergo & nos simili tempore resurgemus. Vnde concludit Anselm. resurrectionem nostram futuram in die Paschatis. Quod prius dixerat Lactantius, & significauit Macarius homilia 5. & 12. dicens, nostram resurrectionem futuram tempore Aprilis, quando omnia florere incipiunt. Accedit, tempus lucis esse magis commodum, tum ad iudicium, quod statim post resurrectionem sequetur: tum etiam, vt omnes homines possint naturali modo, & sine miraculis se mutuo videre, atque vt opus resurrectionis illustrior fiat. Item quodammodo pertinet ad bonorum gloriam, vt tempore lucis resurgant. Nam licet interna eorum claritas eis ad beatitudinem sufficiat, sicut fulgor etiam aduenientis Christi satis esse posset, vt resurrectionis gloria ab omnibus conspiceretur, vt dixit Ambros. libro 8. in Lucam, tamen etiam oportet, vt extrinseca temporis, & loci circunstantia sit eorum gloriæ proportionata, quæ tamen simul cedet in maiorem reproborum pœnam. Erit enim illis tantò maior ignominia, & pudor, quanto eorum sit magis misera conditio, & corporum deformitas maior.

Denique, dum Scriptura noctis mentionem facit, cùm loquitur de vltima resurrectione, non significat illam futuram in nocte: sed ita loquitur, vt ostendat eo tempore, quo erunt homines securiores, magisque obliti euentus talis diei, tunc Mundi consummationem futuram, vt notarunt

Vniuersalis mortuorum resurrectio matutino tempore futura.
D. Thom.
Bonauent.
Richard.
Durand.
Palud.
Capreolu.
Antonin.
Anselm.
Lactant.
Macar.
Ambros.

Diodor.
Matt. 25.
Luc. 17.
Hierony.
Chrysost.
Aug.
Ambros.
Lactant.
Cassiodor.

tarunt Augustin. citato loco, Theophy. Anselm. Matth. 25. satisque significauit Paulus 1. ad Thessalon. 5. dicens, *Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet, cum enim dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus.* Vbi etiam est considerandum, in eis locis, in quibus noctis mentio fit, non esse sermonem de hora resurrectionis: sed magis de hora mortis. Vnde fieri poterit, vt in vltima iudicij die signa aliqua terribilia intempesta nocte incipiant, quibus fiet, vt, si qui homines residui fuerint, vel subito, vel paulatim moriantur: & tunc fortasse ad literam verificabitur, quod Christus dixit, *Erunt duo in lecto vno, & vnus assumetur*, ideſt, saluabitur, *& alter relinquetur*, ideſt condemnabitur. Nihilominus tamen resurrectio differri poterit vsq; ad Ortum diei. Nam reliquũ temporis nocturni, vel ad torquendos peccatores, vel ad purgandas Iustorũ animas esse poterit oportunũ. Sed de hac re illa, Christi sententia præ oculis habenda est, *Vos estote parati, quia, qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Matt. 24. Luc. 12. De qua in vltima huiusoperis parte iterum redibit sermo. Hæc igitur de resurrectione sint satis.

Aug. Theophy. Paul. 1. Thess. 4

Matt. 25.

Matt. 24. Luc. 12.

QVAESTIO. LVII.

De Ascensione Christi, in sex articulos diuisa.

Deinde considerandum est de Ascensione Christi. ¶ *Et circa hoc quærũtur sex.* ¶ *Primò vtrùm fuerit conueniẽs Christum ascendere.* ¶ *Secundò, secundum quam naturam conueniat sibi ascensio.* ¶ *Tertiò, vtrùm propria virtute ascenderit.* ¶ *Quartò, vtrùm ascenderit super omnes cœlos corporeos.* ¶ *Quintò, vtrùm ascenderit super omnes spirituales creaturas.* ¶ *Sexto, de effectu Ascensionis.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm fuerit conueniens Christum ascendere.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd non fuerit conueniens Christum ascendere. Dicit enim Philosophus in 2. de Cœl. quòd illa, quæ optimo modo se habent, possident suum bonum sine motu. Sed Christus optimè se habuit: quia & secũdum diuinam naturam est summum bonum, & secundum humanam naturam, est summè glorificatus: ergo suũ bonum habet sine motu. Sed ascensio est quidam motus. Ergo non fuit conueniens quòd Christus ascenderet. ¶ 2. *Præterea, Omne quod mouetur, mouetur propter aliquid melius. Sed Christo non fuit melius esse in cœlo, quàm in terra: nihil enim accreuit sibi per hoc quòd fuit in cœlo: nequè quantum ad animã, neque quantum ad corpus. Ergo videtur, quòd Christus non debuerit in cœlum ascendere.* ¶ 3. *Præterea, Filius Dei humanam naturam assumpsit ad nostram salutem. Sed magis fuisset salutare hominibus, quòd semper conuersaretur nobiscum in terris: vnde ipse dixit discipulis suis Lucæ 17. Venient dies, quãdo desiderabitis videre vnum diem Filij hominis: & non videbitis. Videtur ergo, qnòd non fuerit conueniens, Christum ascendere in cœlum.* ¶ 4. *Præterea, Sicut Gregor. dicit 14. Moral. Corpus Christi in nullo mutatum fuit post resurrectionem. Sed non immediatè post resurrectionem ascendit in cœlum: quia ipse dicit post resurrectionem Ioannis 20. Nondum ascendi ad Patrem meum. Ergo videtur, quod nec post quadraginta dies ascendere debuerit.* ¶ *Sed contra est, quod Dominus dicit Ioann. 20. Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum.*

Respondeo dicendum, quod locus debet esse proportionatus loca to. Christus autem post resurrectionem, vitam immortalem, & incorruptibilem inchoauit. Locus autem, in quo nos habita-

310 3 dist. 22. q. 3 arti. 1. Et opus. 3. ca. 247. & opus. 60. c. 23 prin. li. 2. con. 64. 65. 66. to. 2.

lib. 14. ca. 31. a med.

mus est locus generationis, & corruptionis, sed locus cœlestis est locus incorruptionis. Et ideo non fuit conueniens, quòd Christus post resurrectionem remaneret in terris, sed conueniens fuit, quòd ascenderet in cœlum.

Ad primum ergo dicendum, quòd illud optimè se habens, quod sine motu possidet suum bonũ, est ipse Deus: quia est omnino immutabilis, secundum illud Malach. 3. Ego Dominus, & non mutor. Quælibet autem creatura est mutabilis, aliquo modo: vt patet per August. 8. super Genes. ad literã. Et quia natura assumpta à filio Dei, remansit creatura (vt patet ex his quæ supra dicta sunt) non est inconueniens, si ei aliquis motus attribuatur.

li.8.c.14, 31.

¶ Ad secundum dicendum, quòd per hoc, quòd Christus ascendit in cœlum, nil ei accreuit, quantum ad ea, quæ sunt de essentia gloriæ, siue secundum corpus, siue secundum animam, tamen accreuit ei aliquid quantum ad loci decentiam, quod est ad bene esse gloriæ: nõ quod corpus eius aliquid aut perfectionis aut conseruationis acquireret ex corpore cœlesti, sed solummodo propter quandam decentiam, hoc autem aliquo modo pertinebat ad eius gloriam. Et de hac decentia gaudium quoddam habuit, non quidem quod tunc de nouo de hoc gaudere inciperet, quando in cœlum ascendit: sed quia nouo modo de hoc gauisus est, sicut de re impleta. Vnde super illud Psalm. 15. Delectationes in dextera tua vsque in finem, dicit Gloss. Delectatio, & lætitia erit mihi in conspectu tuo, humanis obtutibus subtracto.

Qu.2.ar.1

Gloss.ord.

Ad tertium dicendum, quòd licet præsentia corporalis Christi fuerit subtracta fidelibus per ascensionem, præsentia tamẽ diuinitatis ipsius semper adest fidelibus: secundũ quod ipse dicit Matt. vltimo. Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Qui enim ascendit in cœlos, non deseruit adoptatos: vt Leo Papa dicit. Sed ipsa ascensio Christi in cœlum, qua corporalem suam præsentiam nobis subtraxit, magis fuit vtilis nobis, quam præsentia corporalis fuisset. Primò quidem propter fidei augmentum, quæ est de non visis. Vnde ipse Dominus dicit discipulis suis Ioan. 16. quod Spiritus sanctus aduenies arguet mundum de iustitia, scilicet eorum qui credunt: vt August. dicit super Ioan. Ipsa quippe fidelium cõparatio infidelium est vituperatio. Vnde subdit, Quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me: beati enim qui non vident, & credunt. Erit igitur vestra iustitia, de qua mundus arguetur, quoniã in me quem non videbitis, credetis. Secundo, ad spei subleuationem. Vnde ipse dicit Ioan. 14. Si abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam & accipiam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis. Per hoc enim, quod Christus humanam naturam assumptã, in cœlo collocauit, dedit nobis spem illuc perueniendi: quia vbi fuerit corpus, illuc cõgregabũtur & aquilæ: vt dicitur Mat. 24. Vnde & Mich. 2. dicitur, Ascendit pandens iter ante eos. Tertio, ad erigendum caritatis affectũ in cœlestia. Vnde dicit Apost. Coloss. 3. Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terrã: vt enim dicitur Matt. 6. Vbi est thesaurus tuus, ibi est, & cor tuum. Et quia Spiritus sanctus est amor, nos in cœlestia rapiens, ideo Dominus dicit discipulis Ioan. 16. Expedit vobis vt ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Quod exponens August. super Ioan. dicit, Non potestis capere spiritum, quamdiu secundum carnẽ persistitis nosse Christum. Christo autem discedente corporaliter, non solum Spiritus sanctus, sed & Pater & Filius illis adfuit

Tra.95. in Ioann. ante mediũ. to.9

affuit spiritaliter. ¶ *Ad quartum dicendum, quòd licet Christo resurgenti in vitam immortalem, congrueret locus cœlestis: tamen ascẽsionem distulit, vt veritas resurrectionis comprobaretur. Vnde dicitur Act. 1. quòd post passionem suam præbuit seipsum viuũ discipulis, in multis argumentis per dies quadraginta.* Glos. ordinaria ibid. *Vbi dicit quædam gloss. quòd quia per quadraginta horas mortuus fuerat, quadraginta diebus se viuere confirmat. Vel per quadraginta dies tempus præsentis sæculi, quo Christus in Ecclesia conuersatur, potest intelligi: quia homo constat ex quatuor elementis, & eruditur contra transgressionem decalogi.*

COMMENTARIVS.

DVpliciter potest intelligi, ascensionem Christi fuisse conuenientem, scilicet, aut sibi, aut nobis: ideò autem D. Tho. absolutè hoc quærit, vt vtrique parti satisfaciat, & in corpore articuli docet, fuisse conuenientem ex parte ipsius Christi. Nam licet per ascensionem nullam essentialem gloriam, vel gaudium cõsequutus sit, pertinuit tamen ad maiorem quandam decentiam, & proportionem, & accidentale gaudium (vt in sol. ad 2. addit) vt corpori ad immortalem vitam suscitato Cœlestis locus tribueretur. Et Ioann. 14. ideo dicebat Christus Ioan. 14. *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem.* Pertinet enim ad amicitiam, amici absentiam patienter ferre propter bonum eius, & commodũ illius proprio præferre. Significauit ergo Christus, illum discessum sibi fore vtilem, quod non solum de discessu per mortem, sed etiam per ascensionem, verum est.

In solutione ad 3. dicit D. Thom. hanc Christi ascensionẽ etiam nobis fuisse conuenientem. Nam licet propter nostrum commodum oportuerit, Christi ascensionem aliquot diebus differri, ad confirmãdos homines in fide, vt in superioribus latè dictum est, & hic tangit D. Thom. in Leo Papa. sol. ad 4. & latè, ac eleganter Leo Papa serm. 1. de Ascens. tamen (vt idem subiicit serm. 2.) post veritatẽ resurrectionis sufficienter confirmatam, oportuit, Christũ in cœlum prouehi, *Vt mirabilior fieret gratia Dei, cum remotis a conspectu hominum, quæ*

A *merito reuerentiam sui sentiebantur indicere, fides non deficeret, spes non fluctuaret, caritas nõ teperet.* Fuit ergo ascensio Christi nobis vtilis ad fidei, spei, & caritatis perfectionem. Quam veritatem declarat D. Thom. aliquibus scripturæ testimoniis, quæ breuiter explicare oportet.

Primò, quod ascẽsio Christi vtilis fuerit ad fidẽ nostram, probat D. Tho. ex verbis illis Ioan. 16. *Cũ venerit ille* (scilicet paracletus) *arguet mundũ de peccato, & de iustitia, & de iudicio: de peccato quidem, quia non crediderunt in me: de iustitia vero, quia ad Patrem vado & iã non videbitis me.* Ex quibus posterioribus verbis, & ex ratione, quę in eis redditur, colligit D. Th. q̃ intẽdit. Vbi est sciẽdum, quod Christus ait, arguendũ ab Spiritu sancto mundũ de iustitia, non eodem modo exponi à sanctis Patribus. Chrys. n. hom. 37. (quẽ Græci sequuntur) interpretatur de iustitia, & innocentia ipsiusmet B Christi, quã Spiritus sanctus aduenies mũdo ostendet. At verò Aug. trac. 95. & Cyril. lib. 10. c. 4. exponũt de iustitia hominũ, quã per fidem Christi cõsequimur. Quæ expositio optimè quadrat rationi, quam Christus subiũgit, *Quia vado ad Patrẽ, & iã non videbitis me.* Nã iustitia fideliũ fundatur in fide eius, quẽ non vident. Et hũc sensum sequutus est hic D. Tho. inde colligens ascendisse Christũ, vt hæc fidelium iustitia, & fides locũ habere posset. Nã (vt Paul. dixit ad Heb. 11.) *Fides est argumentũ non apparentium.* Sic Leo Pap. serm. 2. de ascensione, *Magnarũ hic vigor est mentium, & valde fidelium lumen animarũ, inuunctanter credere, quæ corporeo nõ videntur intuitu, & ibi figere desideriũ, quo nequeas inferre conspectum. Hæc autem pietas vnde in nostris cordibus nasceretur, aut quomodo quisquã iustificaretur per fidem, si in iis tantum salus nostra consisteret, quæ obtutibus subiacerent? Vnde & illi viro, qui de resurrectione Christi videbatur ambigere, nisi in ipsius carne vestigia passionis & visu explorasset, & tactu. Quia vidisti me (inquit Dñs) credidisti. Beati qui nõ viderunt & crediderunt.* C

Secũdo, ascensionẽ Christi cõferre ad nostrę spei augmẽtũ optimis cõfirmat D. Th. scripturę testimoniis. Primũ est Ioa. 14. *Vado parare vobis locum, & si abiero, & præparauero vobis locum iterum veniã, & accipiã vos ad me ipsum.* Verũ est, hũc locũ satis cõmodè posse exponi de Christi discessu per mortẽ. Nã per eã verè, ac propriè præparauit nobis locũ in beatitudine, et post illã iterũ

Ioann. 16. Ascensio Christi ad fidem christianorum vtilis. Chrysost. D. Thom. Hebr. 11 Leo Papa.

ad nos rediit, vt participes suæ iustitiæ, & gloriæ faceret, *Traditus enim est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram*, & hunc sensum insinuat Aug. Aug. Cyrill. D. Thom. tract. 68. & Cyrillus lib. 9. capite 31. Nihilominus, tamen sensus Diui Thomæ probabilis quoque est. Nam etiam per ascensionem præparauit nobis Christus locum regni cœlorum, non quidem merito, & iure: sed facto ipso aperiendo, & ostendendo viam ad regnum. Per mortem enim ius ad regnum cœleste nobis acquisiuit: per ascensionem vero quasi possessionem sumpsit nomine omnium nostrum, iuxta verba eiusdem Christi, *vbi fuerit corpus, illic cõgregabuntur, & aquilæ*, quod testimonium diuus Thomas adducit. Et hanc expositionem etiam probant Augustinus, & Beda in Ioannẽ, nec dissentit Cyrillus. Quibus testimonijs addere possumus verba eiusdẽ Christi Ioannis. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo.* Quæ verba specie quidem ipsa videntur potius contraria. Nam si nemo ascendit nisi ipse, quomodo nobis datur spes ascendendi? Ideò à multis exponuntur solum de ascensione secundum animam per visionem beatam. Ab alijs verò exponuntur tantum de præsentia, quam Christus habebat in cœlo solum secundum diuinitatem. Et re uera alter istorum sensuum est necessarius, quia verbum, *Ascendit*, est præteriti temporis. Et propter hoc etiam nihil nobis obstat hic locus. Quia licet vsque ad tempus, in quo Christus protulit illa verba, nemo ascenderat in cœlum præter Christum, non propterea ablata est spes postea ascendendi. Addo vero vlterius cum Augustin. sermon. 1. de ascensione, etiam si verba illa de corporali ascensione in cœlum intelligantur, non minuere: sed augere potius spem nostram. *Nam propter vnitatem, quæ caput nostrum est, & nos corpus eius, cum ascendit in cœlum, nos ab illo non separamur, qui de cœlo descendit, non nobis inuidet cœlum: sed quodammodo clamabat, Mea membra estote, si ascendere vultis in cœlum.* Sic etiam dicit Leo Papa sermon. 1. de ascension. *Christi ascensio nostra prouectio est, & quo præcessit gloria capitis, eo spes vocatur & corporis. Hodie enim non solum paradisi possessores firmati sumus: sed etiam cœlorũ in Christo superna penetrauimus.*

Matt. 24. D. Thom. Aug. Beda. Cyrill. Ioannes. 3. Aug. Leo Papa.

Alio modo potest explicari hæc ratio ex virtute spei sumpta, quia, *Ideo ascendit, vt nos desuper protegeret*, vt dixit Augusti. sermon. 174. de tempore. Et optimè confirmauit Ioannes. 1. Canon. cap. 2. dicens, *Filioli mei hæc scribo vobis, vt non peccetis: sed si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum Iustum*, & Pau. ad Heb. 9. *Non in manu facta sancta Iesus introiuit exẽplaria verorum: sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis*. Et propter hanc fortasse causam dixit Leo Papa sermone 2. quòd Christus post ascensionem *ineffabilimodo factus est diuinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior*.

A

Aug. 1. Ioann. 2. Hebre. 9. Leo Papa

Tertio ostendit D. Thomas, Christi ascensionem nobis esse vtilissimam ad perfectionem caritatis. Primo ex parte obiecti per se, quia Christus existens in cœlo ad desideria, & cogitationes cœlestes cor dahominum accendit, iuxta illud. *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*: & ideò aiebat Paulus *si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, non quę super terram*. Et Leo Papa supra, *Liberos cordis oculos ad illam altitudinem, in qua Christus est, erigamus. Sursum vocatos animos desideria terrena non deprimant*. Secundo, quasi per accidens remouendo impedimenta, quomodo interpretatur D. Thomas illa verba Christi. *Expedit vobis, vt ego vadam: si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos*, iuxta expositionem Aug. tract. 94. dicẽtes, *Non potestis capere Spiritũ, quãdiu secundum carnẽ persistitis nosse Christum*. Atq; eodem modo Grego. lib. 8. Moral. cap. 13 exponit hæc verba, quanuis ea non referat ad perfectionem caritatis: sed ad perfectam intelligentiam rerum inuisibilium, cuius non erant capaces Apostoli, quandiu visibili corpori addicti erant. Sed idẽ est sensus, atque eadem ratio: tamen quia perfectissimus effectus Spiritussancti est caritas, quę maximè illi appropriatur, ideo optimè D. Th. locum illum ad perfectionem caritatis accommodauit. Aduertendũ verò est, posse etiam illa verba intelligi de passione Christi, idest, *Si ego non abiero*, per passionem, & mortem, nõ veniet Spiritussanctus. Et hoc sensu ratio illius sententiæ non est, quia præsentia sensibilis Christi impedire posset spiritalem profectum, sed quia Christus passione sua abũdantiã spiritus erat hominibus meriturus, quomodo Hiero. epi. 150. ad Hedibiã. q. 9 & Chrysost. & alij exponũt illud Ioan. 7.

B

Ascensio Christi caritatis, fidelium incentiuum. Matth. 6. Colos. 3. Leo Papa

D. Thom. Ioann. 16. Aug. Gre. Papa.

Nondũ

Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus, hanc glorificationem, Christi passionem, crucisque triumphũ esse intelligentes. Cæterum, licet hoc verum sit: tamen effectus ipse, & rerum euentus probauit, Christum non promisisse Spiritum sanctum, nisi post ascensionem dãdũ, & hoc sensu dixisse, *Si autem abiero, mittam eum ad vos*, ergo similiter, quando è contrario dixit, *Si non abiero, Paracletus non veniet*, non solum de passione, sed de ascensione etiam intelligendum est, sicut Augustinus intelligit. Et similiter in aliis verbis capit. 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*, propriùs glorificatio intelligitur de ascensione, quàm de passione, vt ibidem exponit Augustinus tract. 32. iuxta illud Pauli, *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*. Quod potissimum de Spiritu sancto intelligitur, vt idem Augustinus exposuit lib. 15. de Trinitat. cap. 19.

Aug. Ioann. 7. Ephes. 4. Aug.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum conueniat Christo ascendere in cœlum secundum diuinam naturam.

511 3. di 22. q. 3. art. 1. ad 2. Et opus. 3. c. 1. 247.

AD secundum sic proceditur. *Videtur, quòd ascẽdere in cœlum conueniat Christo secundum Diuinam naturam. Dicitur enim in Psalm. 46. Ascendit Deus in iubilatione, & Deuteronomii. 33. Ascensor cœli, auxiliator tuus. Sed ista dicuntur de Deo etiam ante Christi incarnationem. Ergo Christo cõuenit ascendere in cælum, secundum quod Deus.*

¶ 2. *Præterea, Eiusdem est ascendere in cœlum, cuius est descendere de cœlo: secundum illud Ioan. 3. Nemo ascendit in cœlũ, nisi qui de cœlo descẽdit. & Eph. 4. Qui descendit, ipse est & qui ascendit. Sed Christus descendit de cælo, nõ secundum quod homo, sed secundũ quod Deus: non enim humana eius natura ante in cœlo fuerat, sed Diuina: ergo videtur, quòd Christus ascenderit in cœlũ, secundum* A *quod Deus.* ¶ 3. *Præterea, Christus sua ascensione ascendit ad Patrem: Sed ad Patris æqualitatem non peruenit, secundũ quod homo, sic enim dicit, Pater maior me est, vt habetur Ioann. 14. ergo videtur, quòd Christus ascendit secundum quod Deus.* ¶ *Sed contra est, quod Ephes. 4. super illud, Quod autem ascendit, quid est nisi quia & descendit? dicit gloss. Constat quòd secundum humanitatem Christus descendit & ascendit.* Ex glo. interlineari.

Respondeo dicendũ, quòd ly secundum, duo potest notare, scilicet conditionẽ ascendentis, & causam ascensionis. Et siquidem designet conditionem ascendẽtis, tunc ascendere non potest cõuenire Christo secundum conditionem Diuinæ naturæ, tum quia nihil est Diuinitate altius, quo possit ascendere: tũ etiã quia ascensio est motus localis, qui Diuinæ naturæ non cõpetit, quæ est immobilis & inlocalis. Sed per hunc modũ, ascensio competit Christo secundũ humanam naturam, quæ continetur loco, & motui subiici potest. Vnde sub hoc sensu poterimus dicere, quod Christus ascendit in cœlum secundum quod homo, non secundum quod Deus. Si verò ly secundum, designet causam ascẽsionis, cùm Christus ex virtute Diuinitatis in cœlum ascenderit, non autẽ ex virtute humanæ naturæ; dicendum est, quod Christus ascendit in cœlum, non secundum quod homo, sed secundũ quod Deus. B *Vnde Aug. dicit in serm. de Ascensione, De nostro fuit, quod filius Dei pependit in cruce, sed de suo, quod ascendit.* In ser. 3. et est 176. in ordine a med. to. 10. C

¶ *Ad primũ ergo dicendum, quod auctoritates illæ prophetice dicũtur de Deo, secũdum quod erat incarnandus. Potest tamẽ dici, quod ascendere, etsi non proprie conueniat Diuinæ naturæ, potest tamen ei metaphorice conuenire, prout scilicet dicitur in cor hominis ascendere: quando cor hominis se subiicit, & humiliat Deo. Et eodem modo metaphorice dicitur ascendere, respectu cuiuslibet creatu-*

rę, ex eo quòd eam subiicit sibi. ¶ Ad secundum dicendum, quòd ipse idem est qui ascendit & qui descendit (dicit enim August. in libro de Symbolo. Quis est, qui descendit? Deus homo. Quis est, qui ascendit? idem ipse Deus homo.) Descensus tamen duplex attribuitur Christo: Vnus quidem, quo dicitur descendisse de cœlo, qui quidem attribuitur Deo homini, secundum quod Deus. Non enim est iste descensus intelligendus secundum motum localem, sed secundum exinanitionem, qua, cùm in forma Dei esset, serui formam suscepit. Sicut enim dicitur exinanitus non ex eo, quod suam plenitudinem amiserit, sed ex eo, quod nostram paruitatem susceperit: ita dicitur descendisse de cœlo, non quod cœlum deseruerit, sed quia naturam terrenam assumpsit in vnitatem personæ. Alius autem est descensus, quo descendit in inferiores partes terræ: vt dicitur Ephes. 4. Qui quidem est descensus localis, vnde competit Christo secundum conditionem humanæ naturæ. ¶ Ad tertium dicendũ, quod Christus dicitur ad Patrem ascendere, in quantum ascendit ad consessum paternæ dexteræ: quod quidem conuenit Christo aliqualiter secundum diuinam naturam, aliqualiter autem secundum humanam, secundum quod infra dicetur.

lib. 4. ca. 7 circa principiũ. to. 9

A

B

C

COMMENTARIVS.

DIstinguit D. Thom. in corp. articuli illam dictionem positam in titulo, *secundum diuinam naturam*. Potest enim, inquit, indicare vel conditionem ascendentis, vel causam ascensionis, idest, vel naturam, in qua recipitur motus ascensionis, vel quæ est principium talis motus. Priori sensu dicit, non ascendere Christum vt Deum, sed vt hominem, quod est manifestum, ac per se notum. Quia natura diuina est incapax talis motus, cũ sit vbique, & immutabilis: natura autem humana capax est, quia licet sit vnita Verbo: non est tamen vbique, vt latius dictum est superiori tomo disput. 32. sectio. 4. & quia hic est proprius sensus illius particulę, *secundum quod*, ideo, licet per cõmunicationẽ idiomatum absolute vera sit hæc propositio, *Deus ascendit*: hæc autem simpliciter est falsa, *in quantum Deus ascendit*, iuxta quæ fusius tradita sunt superiori tom. disputat. 35. Secundo addit D. Thomas, si dictio, *secundum quod*, tantum significet principium efficiens ascensionis, sic Christum ascendisse vt Deum. Quia ex diuino suppositio habuit corpus illud virtutem ascendendi. Dices, corpus glorioſum ex virtute intrinseca, & creata potest sursum moueri: ergo etiam Christi corpus virtute intrinseca, & creata ascendere potuit: ergo neque denotando causam, & principium motus, ascendit vt Deus. Respõdetur, argumentum procedere de virtute proxima effectiua motus D. Thomam autem loqui de virtute principali. Vnde hoc differt inter Christum, & alios homines etiam beatos, quòd illis virtus illa agilitatis omnino ab extrinseco confertur, & ex parte principalis motoris, qui est Deus, semper mouentur ab extrinseco: at vero Christi corpori illa virtus est aliquo modo ab intrinseco, & debita ratione suppositi, à quo virtute propria poterat sursum ferri.

Obiectio.

Responsio.

In solut. ad primum, & secundum declarat D. Thomas, doctrinam articuli intelligendam esse de ascensione proprie dicta, vt significat motum localem, quoniam per metaphoram tam ascensus, quàm descensus tribuuntur Deo, vt Deus est. Ascendere enim dicitur in aliquem, quando ei dominatur, vel speciali modo eum sibi subijcit, & sic dicitur *ascendere in cor*. Descendere autem dicitur, vel quando in hoc mundo inferiori speciales effectus gratiæ operatur, vel nouo modo apparet, quomodo dicitur Spiritus sanctus *descendisse*. Nam quia Deus speciali modo dicitur in cœlo habitare, ideo quando nouo modo apparet in terra, dicitur per metaphoram *descendere*. Et ita longe aliter dicitur Deus descendisse, quando factus est homo Ioãnis. 3. & quando descendit ad inferos. Nã illud dicitur secundum prædictam metaphoram, & maxime quia assumpsit terrenam, & inferiorem quandam naturam: hoc vero dicitur secundum proprietatem motus localis in assumpta natura, & ita priori modo dicitur descendisse Deus, vt Deus. Quia Deus est, qui factus est homo posterio

Ascensiones, & descẽsiones attributa Deo in scriptura quomodo.

posteriori autem modo dicitur descēdisse Deus, non vt Deus, sed ratione naturæ assumptę.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm Christus ascenderit propria virtute.

AD tertium sic proceditur. *Videtur, quòd Christus non ascenderit propria virtute. Dicitur enim Marc. vltim. quòd Dominus Iesus postquam loquutus est discipulis, assumptus est in cœlum. Et Act. 1. dicitur, Videntibus illis eleuatus est & nubes suscepit eum ab oculis eorum: Sed illud quod assumitur & eleuatur, ab alio videtur moueri. Ergo Christus non propria virtute, sed aliena ferebatur in cœlū.* ¶ 2. *Præterea, Corpus Christi fuit terrenum sicut & corpora nostra. Corpori autem terreno, contra naturā est ferri sursum. Nullus autem motus est ex propria virtute eius, quod contra naturam mouetur. Ergo Christus non ascendit propria virtute in cœlum.* ¶ 3. *Præterea, Propria virtus Christi est virtus Diuina. Sed motus ille nō videtur fuisse ex virtute Diuina: quia cùm virtus Diuina sit infinita, motus ille fuisset in instanti, & sic non potuisset videntibus discipulis eleuari in cœlum: vt dicitur Actorum. 1. Ergo videtur, quòd Christus non ascenderit propria virtute.*

¶ *Sed contra est, quod dicitur Isai. 63. Iste formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Et Gregorius dicit in Homil. Ascensionis, Notandum est, quòd Helias in curru legitur ascendisse: vt uidelicet apertè demonstraretur, quia homo purus adiutorio indigebat alieno. Redemptor autem noster non curru, non Angelis subleuatus legitur: quia qui fecerat omnia, super omnia, sua virtute ferebatur.*

Respondeo dicendum, quòd in Christo est duplex natura, Diuina, scilicet & humana, vnde secundum vtranque naturā potest accipi propria virtus eius. Sed secundum humanam naturam potest accipi duplex virtus Christi. Vna quidem naturalis, quæ procedit ex principiis naturæ, & tali virtute manifestum est, quòd Christus in cœlum non ascendit. Alia autem virtus in humana natura Christi est virtus gloriæ, secundum quam Christus in cœlum ascendit. Cuius quidem virtutis rationem quidam accipiunt ex natura quintæ essentiæ, quæ est lux, vt dicunt, quam ponunt esse de compositione humani corporis, & per eam elementa cō traria conciliari in vnum: Ita quòd in statu huius mortalitatis natura elementaris in corporibus humanis dominatur: & ideo secundum naturā elementi prædominantis corpus humanum naturali virtute deorsum fertur. In statu autem gloriæ prædominabitur natura cœlestis: per cuius inclinationem & virtutem corpus Christi, & alia Sanctorum corpora feruntur in cœlum. Sed de hac opinione, & in Prima parte habitum est, & infrà magis agetur in tractatu de Resurrectione communi. ¶ *Hac autem opinione prætermissa, alij assignāt rationem prædictæ virtutis ex parte animæ glorificatæ, ex cuius redundantia glorificabitur corpus, vt Augustinus dicit ad Diosc. Erit enim tanta obedientia corporis glorioſi ad animam beatam (vt sicut August. dicit 22. de Ciuitate Dei.) Vbi volet spiritus, ibi protinus erit corpus, nec volet aliquid spiritus, quod nec spiritum possit decere, nec corpus. Decet autem corpus gloriosum & immortale esse in loco cœlesti, sicut dictum est. Et ideo ex virtute animæ volentis, corpus Christi ascendit in cœlum. Sicut autem corpus efficitur gloriosum participatione animæ, ita vt Augus. dicit super Ioan. participatione Dei fit anima beata. Vnde prima origo ascensionis in cœlum est virtus di-*

312 Opu. 3. ca. 247. Et & opu. 60. c 23. co. 2,

Homi. 29. in Euang. circa med,

p. p. quæst 76. arti. 7,

Ep. 56. ante me. to. 2. lib. 22. ca, vlt. non re mote a pri. to. 5.

uina. Sic igitur Christus ascendit in cœ- A lum propria virtute, primo quidem virtute diuina, secundo virtute animæ glorificatæ mouentis corpus, prout vult.

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut Christus dicitur propria virtute surrexisse, & tamen est suscitatus à Patre, eò quod eadem est virtus Patris, & Filij: ita etiam Christus ex propria virtute ascendit in cœlum, & tamẽ à Patre est eleuatus & assumptus. ¶ Ad secundum dicẽdum, quod ratio illa probat quod Christus non ascendit in cœlum propria virtute, quæ est naturæ humanæ naturalis: ascendit tamen in cœlum propria virtute, quæ est virtus diuina, & propria virtute, quæ est animæ beatæ. Et licet ascẽdere sursum, sit contra naturam humani B corporis secundum statum præsentem, in quo corpus non est omnino subiectum spiritui: tamen non erit contra naturam neque violentum corpori glorioso, cuius tota natura est omnino subiecta spiritui. ¶ Ad tertium dicendum, quod etsi virtus diuina sit infinita, & infinite operetur, quantum est ex parte operantis, tamẽ effectus virtutis eius recipitur in rebus secundum earum capacitatem, & secundum Dei dispositionem. Corpus autẽ non est capax, vt in instanti localiter moueatur: quia oportet, quod commetiatur se spatio, secundum cuius diuisionem diuiditur tempus: vt dicitur. 6. Physicorum. Et ideo non oportet, quòd corpus motum à Deo, moueatur in instanti: sed moueatur ea velocitate, qua Deus disponit.

li.6.te.37. 38. & 39. to.2.

HIc articulus ex dictis in præcedenti perspicuus est, & videri possunt superius dicta de dote agilitatis. In solutione ad.3. attingit D. Thomas quæstionem, an corpus glorioſum possit moueri localiter in instanti, & significat, non posse. Quod intelligẽdum est de proprio motu, qui fit pertranseundo totum spacium, & cum commensuratione ad illud, vt etiam in loco citato tactum est.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Christus ascenderit super omnes cœlos.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd Christus non ascenderit super omnes cœlos. Dicitur enim in Psalmo. 10. Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes eius. Quod autem est in cœlo, non est supra cœlum, ergo Christus non ascendit super omnes cœlos. ¶ 2. Præterea, Super omnes cœlos non est aliquis locus, vt probatur in primo de Cœlo. Sed omne corpus oportet esse in loco. Ergo corpus Christi non ascendit super omnes cœlos. ¶ 3. Præterea, duo corpora non possunt esse in eodem loco. Cum igitur non sit transitus de extremo in extremum, nisi per medium, videtur, quòd Christus nõ potuisset ascendere super omnes cœlos, nisi cœlum diuideretur, quod est impossibile. ¶ 4. Præterea, Actor. 1. dicitur, quod nubes suscepit eum ab oculis eorum. Sed nubes non possunt eleuari supra cœlum, ergo Christus non ascendit super omnes cœlos. ¶ 5. Præterea, Ibi credimus Christum in perpetuum permansurum, quò ascendit. Sed quod contra naturam est, non potest esse sempiternum: quia id quod est secundum naturam, est vt in pluribus, & vt frequentius. Cum ergo contra naturã sit corpori terreno, esse supra cœlũ, videtur, quòd corpus Christi supra cœlum nõ ascenderit. ¶ Sed contra est, quod dicitur Ephe. 3. Ascendit super omnes cœlos, vt adimpleret omnia. ¶ Respõdeo dicẽdũ, quòd quanto aliqua corpora perfectius participant bonitatem diuinam, tanto sunt superiora corporali ordine, qui est ordo localis. Vnde videbimus quod corpora, quæ sunt magis formalia, sunt naturaliter superiora (vt patet per Philosophum in quarto Physi. & in secũdo de Cælo) per formam enim vnumquodque corpus

313 3.dis.21.q.3.ar.3 q.1 & 4.cõtra cap.87.et opu.6.c.9

lib.1.text. 69.to.2.

pus participat diuinum esse, vt patet in lib.1.text. 81.tom.2. *1. Physic. Plus autem participat de Diuina bonitate corpus per gloriã, quã quodcunque corpus naturale per formam suæ naturæ. Et inter cætera corpora gloriosa manifestum est, quòd corpus Christi maiori refulget gloria: vnde conuenientissimum est sibi, quòd sit supra omnia corpora constitutum in alto. Et ideo super illud Ephes. 4. Ascendens in altum, dicit* gloss. inter linear. ibi. *gloss. Loco, & dignitate.*

Ad primum ergo dicendum, quòd sedes Dei dicitur esse in cœlo, non sicut in continente, sed magis sicut in contento. Vnde non oportet, aliquam partem cœli eo superiorem esse: sed ipsum esse super omnes cœlos, sicut & in Psal. 8. dicitur, B *Eleuata est magnificẽtia tua super cœlos Deus.* ¶ *Ad secundum dicendum, quòd locus habet rationem continentis. Vnde primum continens habet rationem primi locantis, quod est primum cœlum. In tantum igitur corpora indigent esse in loco per se, in quantum indigent contineri à corpore cœlesti. Corpora autem gloriosa, & maximè corpus Christi, non indiget tali continentia. Quia nihil recipit à corporibus cœlestibus, sed à Deo mediante ánima. Vnde nihil prohibet, corpus Christi esse extra totum continentiam cœlestium corporum, & non esse in loco continente. Nec tamen oportet, quòd extra* C *cœlum sit vacuum. Quia nõ est ibi locus: nec est ibi aliqua potentia susceptiua alicuius corporis: sed potentia illuc perueniendi est in Christo. Quod autem Aristoteles probat* li.1.co.69 to.2. *1. de Cœlo, quòd extra cælum non est corpus, intelligendum est de corporibus in solis naturalibus constitutis: vt per probationes apparet.* ¶ *Ad tertium dicendum, quòd quanuis de natura corporis non sit, quòd possit esse in eodem loco cum alio corpore: tamen potest hoc Deus facere per miraculum: quod in eodem loco possit esse simul cum alio corpore: sicut & fecit, vt corpus Christi de* A *clauso vtero beatæ Virginis exiret, & quòd intrauit ianuis clausis ad discipulos: sicut dicit beatus Gregor. Corpus ergo Christi simul potest esse cum alio corpore in eodem loco, non ex proprietate corporis: sed per virtutem Diuinam assistẽtem, & hoc operantem.* Ho.26. in Euan. non procul a prin. ¶ *Ad quartum dicendum, quod nubes illa non præbuit adminiculum Christo ascendenti per modum vehiculi: sed apparuit in signum Diuinitatis, secundum quod gloria Dei Israel apparebat super tabernaculum in nube.* ¶ *Ad quintum dicendũ, quod corpus glorioſum, non habet ex principiis suæ naturæ, quod possit in cœlo aut supra cælũ esse: sed habet hoc ex anima beata, ex qua recipit gloriam. Et sicut motus glorioſi corporis sursum non est violentus: ita nec quies est violenta: vnde nihil prohibet, eam esse sempiternam.*

COMMENTARIVS.

REsponsio D. Thom. est, Christũ ascendisse super omnia cœlestia corpora, ita vt totum Christi corpus sit extra superficiem vltimam, seu conuexam cœli empyrei, neque vllo corpore contineatur, seu circundetur. Ita enim ipse D. Tho. in solut. ad 2. exposuit quę in corpore docuerat (vt recte Caietan. notauit) de qua re postea disserendum.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum corpus Christi ascenderit super omnẽ creaturam spiritualẽ.

AD quintum sic proceditur. *Videtur, quod corpus Christi nõ ascenderit super omnem creaturam spiritualem. Eorũ enim quæ non dicuntur secundũ vnam rationem, non potest conuenienter fieri comparatio. Sed locus non eadem ratione attribuitur corporibus, & spiritualibus creaturis, vt patet ex his, quæ dicta sunt in prima parte. Ergo videtur, quod non possit dici, corpus Christi ascendisse super omnem creaturam spiritualem.*

3 1 4 Inf. q. 58. art. 3. cor. Et Psal. 8 fin. Et Eph. 1. lec. 7. fi. & c. 4. lc. 3 fi.

cap. 55. ali quantulum a pri. to. 1.

¶ 2. *Præterea, Aug. dicit in lib. de Vera reli. quòd omni corpori spiritus præfertur. Sed nobiliori rei sublimior debetur locus. Ergo videtur, quòd Christus non ascenderit super omnem spiritualẽ creaturam.* ¶ 3. *Præterea, In omni loco est aliquod corpus, cùm nihil sit vacuum in natura. Si ergo nullum corpus obtinet altiorem locum, quàm spiritus in ordine naturalium corporum, nullus locus erit super omnem spiritualem creaturam. Nõ ergo corpus Christi potuit ascendere super omnem spiritualem creaturã.* ¶ *Sed contra est, quod dicitur Ephesio. 1. Constituit illum supra omnem principatum, & potestatem, & supra omne nomẽ quod nominatur siue in hoc sæculo, siue in futuro.*

Respondeo dicendum, quod tanto alicui rei debetur altior locus, quanto est nobilior: siue debeatur ei locus per modũ contactus corporalis, sicut corporibus: siue per modum contactus spiritualis, sicut spiritualibus substantijs. Exinde enim spiritualibus substantijs debetur secundum quandam congruentiam locus cœlestis, qui est supremus locorum, quia illæ substantiæ sunt supremæ in ordine substantiarum. Corpus autem Christi, licet considerando conditiones naturæ corporeæ, sit infra spirituales substantias, cõsiderando tamen dignitatem vnionis, qua est personaliter Deo coniunctum, excellit dignitatem omnium spiritualiũ substantiarum. Et ideo secundum prædictæ congruentiæ rationem debetur sibi locus altior vltra omnem creaturam etiã spiritualem. Vnde & Grego. dicit in homil. Ascensionis, quod qui fecerat omnia, super omnia sua virtute ferebatur.

Homil. 29. in Euan. in med.

¶ *Ad primum ergo dicendum, quod licet alia ratione attribuatur locus corporali & spirituali substantiæ: tamen hoc est in vtraque ratione commune, quòd digniori rei attribuitur superior locus.*

¶ *Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit de corpore Christi secundum conditionem naturæ corporeæ, non autẽ secundum rationem vnionis.* ¶ *Ad tertium dicendum, quod comparatio ista potest attendi vel secundum rationem locorum: & sic nullus locus est tam altus, qui excedat dignitatem spiritualis substantiæ, secundum quod procedit obiectio. Vel secundum dignitatem eorum, quibus attribuitur locus: & sic corpori Christi debetur, vt sit supra spirituales creaturas.*

COMMENTARIVS.

DIfficile explicatu est, quid in hoc articulo D. Thom. docere voluerit. Nam si sit sermo de ascensione super angelos, dignitate, & maiestate, reshęc non pertinebat ad disputationẽ præsentẽ de locali & corporali ascensione Christi. Neque enim Christus per hanc ascensionem, illam dignitatem assequutus est: sed per vnionem hypostaticam, & beatitudinem. Si autem sermo sit de ascensione super angelos in situ locali, sic est difficilis comparatio, quia nullus est locus superior proprio loco sanctorum angelorum: ergo non potuit Christus ascendere super angelos. Quia hæc cõparatio solum potest fieri ratione locorum, vt recte Caietan. nota uit. Antecedens patet. Quia Angeli sunt in cœlo empyreo, qui est supremus locus, & in superficie extima illius cœli non est vna pars altior alia, cum sit perfecte sphæricum. Respondet Caietanus, licet superficies conuexa illius cœli sit sphærica, & hac ratione nulla pars sit altior altera respectu centri: posse tamen in ea superficie considerari quandam partem v. g. orientalem, diuinitus destinatã, vt sit veluti solium principis, & ille censetur locus supremus totius cœli, & alia, quo sunt illi magis, minus ve propinqua, eo inferiora, vel superiora cẽsẽtur. Vnde pro varietate meritorum vnusquisque habebit proportionatum locũ, Christo propinquiorem, vel distantiorem. Et hoc modo facile intelligitur non solum Christum, sed etiam B. Virginem superare omnes angelos in situ. Quia ipsi etiã cõsequẽtur huiusmodi locũ nõ iuxta dignitatẽ naturæ, sed iuxta proportionem meritorum. Quæ responsio est quidem ingeniosa, supponit tamen

Caietan.

multa

Ordo situ-lis locorum ac sedium pro cœlitibus num necessarius.

multa, quæ satis nobis incerta sunt. Primum, supremam illam partem cœli, quæ futura est beatorum locus, esse rotundam & nullam ibi esse planitiem, vel locorum inæ qualitatem secundum maiorem, vel minorem distantiam á centro terræ. Deinde supponit, singulos beatos habituros loca fixa, & quasi immobilia singulorũ meritis proportionata. Prætereà hinc oriri potest difficultas, quomodo omnes homines habentes æqualia merita possint semper accipere loca æquè digna. Tũ quia loca æquè distãtia sunt finita, & ita fieri potest, vt nõ omnes æquè beati in locis æque distãtibus collocari possint. Tũ etiã, quia ad dignitatem loci non solũ pertinet distantia: sed etiam situs, & ordo. Vnde vix possunt esse duo loca æquè distantia, & dignitate omnino æqualia. Ad hęc, si corpora hominum ita sunt situ ordinanda in conuexo cœli, multa non poterunt per lineam rectam respicere in corpus Christi, præsertim si longe distent ab eo. Deniq; in substantijs angelicis non facile accommodatur huiusmodi situalis ordo. Quia sicut corpus Christi, & cætera beata corpora sunt, vel erunt extra conuexum cœli, & ad summum illud contingent plantis pedum: ita substantiæ angelorum secundum suam realem præsentiam esse poterunt extra ambitum cęli (nulla enim est ratio, ob quam necessarium sit substantias spirituales contineri intra cęlum, cùm corpora humana non contineantur) ergo, si iuxta proportionem meritorum loca angelorum, & hominum coordinanda sunt, opertebit vnicuique angelorum locum adæquatum suæ substantiæ cõcedere, qui fortasse amplissimus est. Vnde, cùm sit innumera multitudo angelorum, & singuli iuxta varietatem meritorum inter homines collocandi sint, necessario fiet, vt & homines multi longissimè distent in situ locali à corpore Christi, & inter ipsos homines interponantur magna spacia vacua corporibus interdum maiora, interdum minora pro angelorum varietate, ex quo non potest debitus ordo, & optima dispositio illorũ situum, ac locorum resultare. Quare non videtur necessarium, substantias spirituales ad hunc situalem ordinem redigere.

Præterea, si vnus est supremus locus cœli à Deo designatus, infra quem omnes angelicæ substantiæ collocantur, antequam Christus homo illuc ascenderet, atque illum locum occuparet, quomodo coordinabantur loca angelorum beatorum in cęlo? Sciebant ne iam, quis nam esset ille locus, qui futurus erat thronus corporis Christi, & circa illum proprijs sedibus, ac locis cõstituebantur, in quibus perpetuo mansuri essent? Atque eodem modo percontari possumus, an prius quàm homines cœlos ascenderent, angeli haberent loca sua popinqua, & contigua: postea vero ascendentibus hominibus, qui quosdam angelos meritis superent, alijs verò inferiores sint, secernantur loca angelorum hominibus interponendis? an vero à principio habuerint proprias sedes loco disiunctas, vacuis manentibus intermedijs locis donec ab hominibus impleantur? Hęc omnia ostendunt, quod Isaias, & Paul. dixerunt, *Oculus non vidit Deus absque te, quę præparasti diligentibus te*, non solum de spiritalibus bonis: sed etiam de corporei loci pulcritudine, magnitudine, ac situ vera esse. *Isai. 64. 2. Corin. 2*

Qua propter arbitror, nihil in hac re esse temere asserendum, nec negandam communem conceptionem omnium, quod ille locus rotundus sit etiam quoad superficiem extimam cœli empyrei. Nam licet hoc ex motu colligi non possit, cum illud cęlum immobile sit: tamen videtur cõsentaneum naturæ cælestis corporis, nec est cur aliquid nouum sine magno fundamẽto fingamus. Deinde non existimo sedes, vel loca beatorum ita esse fixa, & immobilia, vt neque ipsi ab eis moueri, neque ipsa ab alijs occupari possint. De angelis enim beatis scimus descendere, atque ascendere in cœlum. homines vero, seu animæ regulariter non descendunt, quia non pertinet ad earum statum, vel ministeriũ: cur autem non possint in ipso cœlo discurrere, & moueri, non video, & in superioribus ostendimus, corpora beata post resurrectionem posse mutare loca. Quod si interdum vnus beatus suum locum deserit, quid est, cur non possit alius illum occupare, & Christo, vel alteri beato propinquus fieri? *Sedes, & loca beatorum in cœlo non sunt immobilia.*

Tandem censeo (si qua est distinctio huiusmodi locorum in cœlo) eorum dignitatem magis consistere in quodam ordine, & habitudine, quàm in situs altitudine. Interdum enim locus censetur dignissimus magis propter dignitatem eius, qui existit in loco, quam propter aliam loci eminentiam, atq; hoc modo existimo

locum Christi in cœlo esse eminentissimum nontam eminentia situs, quám dignitatis. Nam seclusa hac dignitate, quæ sumitur ex persona, vix pōt intelligi, cur vnus locus dicatur altior etiā respectiuè. Quia sicut respectu loci Christi alij sunt inferiores: ita si ratio localis situs pręcise consideretur respectu vniuscuiusque, reliqui possunt dici inferiores. Et hac ratione quanuis Christus in cœlo mutaret interdum locum, semper locus ille erit supremus, & dignissimus, vbi ipse fuerit: reliqua vero loca eò erūt digniora, quò Christo propinquiora. Ipsi verò Beati, quāuis non semper sint in eisdem locis: tamē quò fuerint sanctiores, eò habebunt ius magis appropinquandi Christo, & vt alij ipsis cedant, quando voluerint in propriis locis, ac sedibus constitui. Atque ad hunc modum possunt reliqua excogitari, & hæc nō sunt contraria iis, quæ D. Thom. & Caietan. docuerunt, sed eorum mentem magis explicant.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum Ascensio Christi sit causa nostræ salutis.

315 *AD sextum sic proceditur. Videtur quòd ascensio Christi non sit causa nostræ salutis. Christus enim fuit causa nostræ sa salutis, in quātum salutem nostram meruit. Sed per ascensionem nihil nobis meruit: quia ascensio pertinet ad præmium exaltationis eius. Nō est autem idem meritum & præmium, sicut nec via & terminus, ergo videtur, quòd ascensio Christi non sit causa nostræ salutis. ¶ 2. Præterea, Si ascensio Christi est causa nostræ salutis, maximè hoc videtur quātum ad hoc, quòd ascensio eius sit causa nostræ ascensionis: sed hoc collatum est nobis per eius passionem: quia vt dicitur Heb. 10. habemus fiduciam in introitu Sanctorū per sanguinem ipsius. Ergo videtur quòd ascensio Christi non fuerit causa nostræ salutis. ¶ 3. Præterea, Salus nobis per Christum collata, est sempiterna: secundum illud Isa. 15. Salus autē mea in sempiternum erit. Sed Christus non ascēdit in cœlum, vt ibi in sempiternum esset. Dicitur enim Act. 1. Quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum, ita veniet. Legitur etiam, multis Sanctis se demonstrasse in terris post suam ascensionem, sicut de Paulo legitur Actor. 9. Ergo videtur, quòd eius ascensio nō sit causa nostræ salutis. ¶ Sed contra est, quod ipse dicit Ioan. 16. Expedit vobis, vt ego vadam, idest, vt recedam à vobis per ascensionem.*

Respondeo dicendum, quòd ascensio Christi est causa nostræ salutis dupliciter. Vno modo ex parte nostra: alio modo ex parte ipsius. Ex parte quidem nostra, in quantum per Christi ascensionē mens nostra mouetur in ipsum. Quia per eius ascensionem (sicut supra dictum est) primò quidem datur locus fidei, secundò spei, tertiò caritati. Quartò etiam per hoc reuerentia nostra augetur ad ipsum, dum iam non existimamus eum sicut hominem terrenum, sed sicut Deum cœlestem, sicut & Apostolus dicit 2. ad Corinth. 5. Et si cognouimus secundum carnem Christum (id est mortalem, per quod putauimus eum tantum hominem: vt glos. exponit) sed nunc iam nō nouimus. Ex parte autem sua quantum ad ea quæ ipse fecit, ascendēs propter nostram salutem: primo quidem viam nobis præparauit ascendendi in cœlum, secundum quod ipse dicit Ioan. 14. Vado parare vobis locum: & Mich. 2. Ascendit, pandens iterante eos. Quia enim ipse est caput nostrum, oportet illuc sequi membra, quò caput præcessit. Vnde dicitur Ioan. 14. Vt vbi ego sum, & vos sitis. Et in huius signum, animas Sanctorum, quas de inferno eduxerat, in cœlum traduxit: secundum illud Psal. 67. Ascendens Christus in altum, captiuā duxit captiuitatē: Quia scilicet eos, qui fuerant à diabolo captiuati, secum duxit in cœlum, quasi in locum peregrinum humanæ naturæ, bona captione

ar. 1. huius, 3 quæst. ad.

gloss. ordinaria & interlinearis ibi.

captione captiuos, vt pote per victoriam acquisitos. Secundo, quia sicut Pontifex in veteri Testamento intrabat Sanctuarium, vt assisteret Deo pro populo: ita Christus intrauit cœlum ad interpellandum pro nobis, vt dicitur Heb. 7. Ipsa enim repræsentatio sui ex natura humana, quam in cœlum intulit, est quædam interpellatio pro nobis: vt ex quo Deus humanam naturam sic exaltauit in Christo, etiam eorum misereatur, pro quibus filius Dei humanam naturã assumpsit. Tertio vt in cœlorum sede quasi Deus & dominus constitutus, exinde diuina dona hominibus mitteret, secũdum illud Ephe. Glossa interlin. ibid. *4. Ascendit super omnes cœlos, vt adimpleret omnia, scilicet donis suis, secundum glossam.*

¶ *Ad primum ergo dicendum, quod ascensio Christi est causa nostræ salutis, non per modum meriti, sed per modum efficientiæ: sicut supra de Resurrectione dictum est.* quæst. 16. ar. 1. ad. 3. *Ad secundum dicẽdũ, quod passio Christi est causa nostræ ascensionis in cœlum, propriè loquendo, per remotionem peccati prohibentis, & per modũ meriti, ascensio autem Christi est directe causa ascensionis nostræ, quasi inchoando ipsam in capite nostro, cui oportet mẽbra coniungi.* ¶ *Ad tertium dicendum, quod Christus semel ascendens in cœlũ, adeptus est sibi & nobis in perpetuũ ius, & dignitatem mansionis cælestis. Cui tamen dignitati non derogat, si ex aliqua dispensatione Christus quandoque corporaliter ad terram descendat, vel vt ostendat se omnibus, sicut in iudicio, vel vt ostendat se alicui specialiter, sicut Paulo, vt habetur Act. 9. Et ne quis credat hoc factum fuisse non Christo ibi corporaliter præsente, sed aliqualiter apparente, contrarium apparet per hoc quod ipse Apostolus dicit primæ ad Corinth. 15. ad confirmandam resurrectionis fidẽ. Nouissime omnium tanquam abortiuo visus est & mihi. Quæ quidem visio veri-*

A *tatem resurrectionis non probaret, nisi verum Christi corpus visum fuisset ab eo.*

COMMENTARIVS

Doctrina D. Thom. in hoc arti. est optima, sed nullam habet difficultatem, & præterea de hac re multa diximus in primo art. huius. q. & in 1. tom. vbi disp. 31. sect. 7. declarauimus, quo modo Christus operetur nostram salutem per operationes, quæ in sua humanitate præcesserunt: & disp. 32. sect. 4. quomodo ascẽdens in cœlum adimpleuerit omnia: & disp. 45. sect. 2. quomodo in cœlo existens oret pro nobis. Quod autem in sol. ad 3. tangit D. Thom. an postquam Christus ascendit in cœlum, inde aliquando descẽderit, postea disputandum est.

B

QVAESTIO. LVIII.

De sessione Christi ad dexteram Patris, in quatuor articulos diuisa.

DEinde considerandum est de sessione Christi ad dexteram Patris. ¶ *Et circa hoc quærũtur quatuor.* ¶ *Primò, vtrùm Christus sedeat ad dexteram Dei Patris* ¶ *Secundò vtrùm hoc conueniat sibi secundum diuinam naturam.* ¶ *Tertio, vtrùm conueniat sibi secundum humanam naturam.* ¶ *Quarto, vtrùm hoc sit proprium Christi.*

C

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Christo conueniat sedere ad dexteram Dei patris.

AD primum sic proceditur Videtur, quod Christo non conueniat sedere ad dexterã Dei patris. Dextera enim, & sinistra sunt differentiæ positionum corporalium. Sed nihil corporale conuenit Deo: quin Deus spiritus est, vt habetur Ioannis 4. Ergo videtur, quòd Christus non sedeat ad

316 3. di. 32. q. 3. ar. 3. q. 2 Etopu. 3 c. 247. Etop. 6. ca. 9. Et ad Heb. 8. lec. 1. co. ¶

deat ad dexteram Patris. ¶ 2. Præterea, A
Si aliquis sedet ad dexteram alicuius, ille sedet ad sinistram eius. Si ergo Christus sedet ad dexteram Patris, sequitur quod Pater sedeat ad sinistrã Filii, quod est inconueniens. ¶ 3. Præterea, Sedere, & stare videntur oppositionem habere. Sed Stephanus dicit Act. 7. Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stãtem à dextris virtutis Dei, ergo videtur quòd Christus non sedeat ad dexteram Patris. ¶ Sed contra est, quod dicitur Marci vltimo. Dominus quidem Iesus, postquam loquutus est eis, ascendit in cœlum, & sedet à dexteris Dei.

Respondeo dicendum, quòd in nomine B
Sessionis possumus duo cõsiderare, videlicet quietem, secundum illud Lucæ vlti. Sedete hìc in ciuitate: Et etiam regiam vel iudiciariam potestatem, secundum illud Prouer. 20. Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malũ intuitu suo. Vtroque ergo modo Christo conuenit sedere ad dexteram Patris. Vno quidem modo in quantum æternaliter manet incorruptibilis in beatitudine Patris, quæ eius dextera dicitur: secundum illud Psalm. 15. Delectationes in dextera tua vsque in finem. Vnde Augustin. dicit in libro de Symbolo, Sedet ad dexteram Patris: Sedere, habitare intelligite, quomodo dicimus de quocunque homine, in illa patria sedit per tres annos. Sic ergo credite Christum habitare in dextera Dei Patris: beatus enim est, & ipsius beatitudinis nomen est dextera Patris. Alio modo dicitur Christus sedere ad dexteram Dei patris, in quantum Patri correg nat, & ab eo habet iudiciariam potestatem: sicut ille qui considet Regi ad dexteram, assidet ei in regnando, & iudicãdo. Vnde Augus. dicit in alio serm. de Symbolo. Ipsam dexteram, intelligite potestatem quam accepit ille homo susceptus à Deo, vt veniat iudicaturus, qui prius venerat iudicandus.

li. 2. de Symbo. c. 7. nõ longe à prin. to. 9.

¶ Ad primum ergo dicendum, quòd (sicut Damasc. dicit in 4. libro) non localem dexteram Patris dicimus. Qualiter enim qui incircunscriptibilis est, localem adipiscetur dexteram? Dextera enim, & sinistra eorum quæ circunscribuntur sunt. Dexteram autem patris, dicimus gloriam, & honorem Diuinitatis. ¶ Ad secundum dicendum, quòd ratio illa procedit, secundum quod sedere ad dexterã, intelligitur corporaliter. Vnde August. dicit in quodam sermone de Symbolo. Si carnaliter acceperimus quòd Christus sedet ad dexteram Patris, ille erit ad sinistram. Ibi autem, scilicet in æterna beatitudine, omnis dextera est: quia nulla est ibi miseria. ¶ Ad tertium dicendum, quòd (sicut Gregor. dicit in homil. ascensionis) sedere iudicantis est: stare verò pugnantis, vel adiuuantis. Stephanus ergo in labore certaminis positus, stantem vidit, quem adiutorem habuit. Sed hunc post ascensionem Marc. sedere scribit, quia post ascẽsionis suæ gloriam, iudex in fine videbitur.

li. 1. de Symbo. c. 4. circa me. to. 9

hom. 29. in Euan. post. med. illius.

COMMENTARIVS.

IN hoc articulo docet D. Tho. hanc esse metaphoricam locutionẽ, & metaphoram consistere in duabus vocibus, scilicet in verbo *sedere*, quod non significat corporaliter sedere: sed existere, permanere, habitare, pacificè possidere: & in voce, *dextera*, quæ nõ significat partẽ corporis humani, nec localẽ situm: sed dĩ uinam beatitudinẽ, vel potestatẽ iudicãdi & regendi. Qua expositione posita facile intelligitur, quomodo Christus dicatur *sedere ad dexteram Dei*. Et hinc etiam expediuntur facillimè omnia, quæ D. Thom. in reliquis articulis tractat. Nã si per dexteram Dei intelligamus beatitudinẽ per essentiam, sic Verbum diuinum etiam vt Deus sedet ad dexteram Patris, ideſt, existit in eadem gloria, beatitudine, & dignitate, quam habet pater: non tamen ita propriè dicetur Pater sedere ad dexterã filij quia illa particula *ad* videtur ordinem, seu autoritatem originis importare. At vero si per

si per dexterã intelligamus participationem creatam diuinę beatitudinis, & potestatis, sicut hæc non est collata Christo, vt Deo, sed vt homini: ita non conuenit illi sub hac ratione sedere ad dexteram Patris, vt Deo, sed vt homini. Præterea, si *dextera Dei* significet absolutè participationem diuinæ beatitudinis, sic non soli Christo, sed omnibus beatis cõpetit sedere ad dexteram Dei, iuxta illud ad Ephes. 2. *conresuscitauit nos, & consedere nos fecit in cœlestibus in Christo Iesu.* Nam in Christo tanquã in capite omnes resurgimus, & ascendimus, & per ipsum datur nobis spes resurgendi, & ascendendi, ac perpetuo beatitudinem possidẽdi, quod est *sedere ad dexteram Dei*, iuxta hanc explicationem. Si autem *dextera Dei* quasi per antonomasiam significet eminentem participationem diuinę beatitudinis prę cæteris alijs creaturis, cum quadam dominatiua potestate quasi propria, & connaturali, sic proprium est Christi, sedere ad dexterã Dei, iuxta illud ad Hebr. 1. *Ad quem autem angelorum dixit aliquando: sede a dextris meis.* Quãquam enim hic locus intelligi possit de filio ratione diuinæ naturæ: tamen & prius intelligitur de Christo vt homine (sicut infra dicemus) & ex vno sensu necessario sequitur alius. Nam si Christus est verus Dei filius sedẽs á dextris Dei in veraæqualitate cum Patre, necesse est, vt etiam in quantum homo, gloria, & maiestate præcedat omnes creaturas, atque adeo, vt etiam secundum humanitatem ad dexteram Dei sedeat præ omnibus creaturis. Et hæc sufficiunt ad explicationem omnium articulorum sequentium, quia nulla in eis occurrit difficultas circa D. Thomę cõtextum: de re autem ipsa in disputatione sequenti nonnihil dicemus.

Ephes. 2.

Hebr. 1.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum sedere ad dexteram patris, conueniat Christo secundũ quod Deus.

317 Heb. 1. le. 3. co. 1. & lec. 6. pri. & c. 3. le. 7 co. 1. & 1. col. 4.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd sedere ad dexteram patris, non cõueniat Christo, secundum quod Deus. Christus enim, secundum quod est Deus, est dextera patris. Sed non videtur idem esse dextera alicuius, & ille qui sedet ad dexteram eius. Ergo Christus secundum quod est Deus, non sedet ad dexteram Patris. ¶ 2. Præterea, Marc. vltimo dicitur, quod Dominus Iesus assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei: Christus autem non est assumptus in cœlum, secundum quod Deus, ergo etiam neque secundum quod Deus sedet à dextris Dei. ¶ 3. Præterea, Christus, secundum quod Deus, est æqualis patri & Spiritui sancto. Ergo si Christus, secundum quod Deus, sedet ad dexteram Patris, pari ratione & Spiritus sanctus sedebit ad dexteram Patris & Filij, & ipse Pater ad dexteram Filij & Spiritus sancti, quod nusquam inuenitur. ¶ Sed contra est, quod Damas. dicit, quod dexteram Patris dicimus gloriam, & honorem diuinitatis, in qua filius Dei extitit ante sæcula, vt Deus & patri consubstantialis. ¶ Respondeo dicendum, quod vt ex prædictis patet, nomine dexteræ tria intelligi possunt. Vno modo, secundũ Damas. gloria diuinitatis: aliomodo, secundum August. beatitudo Patris: tertio modo, secundum eundem, iudiciaria potestas. Sessio autem, vt dictum est, vel habitationem, vel regiam seu iudiciariã dignitatem designat. Vnde sedere ad dexteram Patris nihil aliud est, quam simul cum patre habere gloriam diuinitatis, et beatitudinem, et iudiciariam potestatẽ: & hoc immutabiliter & regaliter. Hoc autem conuenit filio Dei, secundũ quod Deus. Vnde manifestum est, quod Christus, secundum quod Deus, sedet ad dexteram Patris. Ita tamen quod hæc præpositio, ad, quæ transitiua est, solam distinctionem personalem importat, & originis ordinem, non autem gradum naturæ, vel dignitatis, qui nullus est in diuinis personis: vt in prima parte habitum est.

li. 4. ca. 2.

Ad pri

Ad primum ergo dicendum, quòd filius Dei dicitur dextera Patris appropriatè, per modum, quo etiam dicitur Virtus Patris. Sed dextera Patris secundum tres significationes prædictas, est aliquid cõmune tribus personis. ¶ *Ad secundum dicendum, quòd Christus secundũ quod homo, est assumptus ad diuinum honorem, qui in prædicta sessione designatur. Sed tamen ille honor Diuinus conuenit Christo in quantum est Deus, non per aliquã assumptionem sed per æternam originem.* ¶ *Ad tertium dicendum, quoa nullo modo potest dici, quòd pater sedeat ad dexteram Filij vel Spiritus sancti, quia Filius & Spiritus sanctus trahunt originem à Patre, & non e conuerso. Sed Spiritus sanctus propriè potest dici sedere ad dexteram Patris, vel Filiij, secundũ sensum prædictum: licet secundum quandã appropriationem attribuatur Filio, cui appropriatur æqualitas: sicut dicit Augu. quòd in Patre est Vnitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto Vnitatis, æqualitatisque connexio.*

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum sedere ad dexteram patris, conueniat Christo secundum quod homo.

318 Locis supra arti. 2. inductis. lib. 4. ca. 2 amed.

AD tertium sic procedit. *Videtur, quòd sedere ad dexteram patris, non conueniat Christo, secundũ quod homo. Vt enim Damasc. dicit, dexteram patris dicimus, gloriam & honorem diuinitatis. Sed honor & gloria diuinitatis, non conuenit Christo, secundum quod homo. Ergo videtur, quòd Christus, secundum quod homo non sedeat ad dexteram patris.* ¶ *2. Præterea, sedere ad dexteram regnantis, subiectionẽ excludere videtur: quia qui sedet ad dexteram regnantis, quodam modo illi conregnat: Christus autem, secundum quod homo, est subiectus patri: vt dicitur 1. ad Corint. 15. Ergo videtur quod Christus secundum quod homo, non sit ad dexteram patris.* ¶ *3. Præterea Rom. 8. super illud, Qui est ad dexteram Dei,* glo. Ambr. in hoc loco to. 5. *exponit gloss. id est æqualis patri in honore, quo Deus pater est: vel ad dexteram patris, id est in potioribus bonis Dei. Et super illud Hebræ. 1. Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis gloss. id est ad æqualitatem patris, super omnia, & loco, & dignitate. Sed esse æqualem Deo, non conuenit Christo, secundum quod homo: nam secundum hoc ipse dicit Ioann. 14. Pater maior me est. Ergo videtur, quòd sedere ad dexteram patris, non conueniat Christo, secundum quod homo.*

¶ *Sed contra est quod Augustinus dicit in* li. 2. de sym bol. c. 7. nõ longe a pr. to. 9. Et hes. 1. *sermone de Symbolo, Ipsam dexteram, intelligite potestatem, quam accepit ille homo susceptus à Deo, vt veniat iudicaturus, qui prius venerat iudicandus.*

¶ *Respondeo dicendum, quod (sicut dictum est) nomine dexteræ patris, intelligitur vel ipsa gloria deitatis ipsius, vel beatitudo æterna eius, vel potestas iudiciaria & regalis. Hæc autem propositio, Ad, quendam accessum ad dexteram designat, in quo designatur conuenientia cum quadam distinctione,* ar. præced. *vt suprà dictum est. Quod quidem potest esse* art præce. *triplicitер. Vno modo, vt sit conuenientia in natura, & distinctio in persona. & sic Christus, secundum quod filius Dei sedet ad dexteram patris, quia habet eandem naturam cum patre. Vnde prædicta conueniunt essentialiter filio, sicut & patri, & hoc est esse in æqualitate patris. Alio modo secundum gratiam vnionis, quæ importat è conuerso distinctionem naturæ, & vnitatem personæ. Et secundum hoc Christus secundum quod homo; est filius Dei, & per cõsequens sedens ad dexteram patris: ita tamen, quod ly secundum quod non designet conditionem naturæ, sed vnitatem suppositi: vt suprà expositum*

tũ est. Tertio modo potest prædictus accessus intelligi secundum gratiam habitualem, quæ abũdantior est in Christo præ omnibus alijs creaturis, in tantum quòd ipsa natura humana in Christo est beatior cæteris creaturis, & super omnes alias creaturas habens regiam, & iudiciariam potestatem. Sic igitur si ly secũdum quod, designet conditionem naturæ, Christus, secundum quod Deus, sedet ad dexteram Patris, id est, in æqualitate Patris: secundum autem quod homo, sedet ad dexteram Patris: idest, in bonis paternis potioribus, præ cæteris creaturis, idest, in maiori beatitudine & habẽs iudiciariam potestatem. Si vero ly secundum quod designet vnitatem suppositi, sic etiam secundum quod homo, sedet ad B dexteram patris secundum æqualitatẽ honoris: in quantum scilicet, eodem honore veneramur ipsum filium Dei, cum natura assumpta, vt supra dictum est. ¶ Ad primum ergo dicendum, quod humanitas Christi secundum conditiones suæ naturæ non habet gloriam vel honorem Deitatis: quam tamen habet ratione personæ, cui vnitur. Vnde ibidem Damascenus subdit. In qua scilicet gloria Deitatis, Dei filius existens ante sæcula, vt Deus & Patri consubstantialis sedet, conglorificata carne eius: adoratur enim vna hypostasis vna adoratione cum carne sua, ab omni creatura. ¶ Ad secundum dicendum, quòd Christus secundum, C quòd homo, subiectus est Patri, prout ly secundum quod, designat conditionem naturæ, & secundum hoc non competit ei sedere ad dexteram Patris, secundum rationem æqualitatis, secundum quod est homo. Sic autem competit ei sedere ad dexteram Patris, secundum quod per hoc designatur excellentia beatitudinis & iudiciaria potestas super omnẽ creaturã. ¶ Ad tertium dicẽdũ, quod esse in æqualitate Patris, non pertinet ad ipsam naturãhumanam Christi, sed solum ad personam assumentẽ: sed esse in potioribus bonis Dei, secundum quod importat excessum aliarum creaturarũ, conuenit etiam ipsi naturæ assumptæ.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum sedere ad dexteram patris, sit proprium Christi.

AD quartũ sic proceditur. Videtur quod sedere ad dexteram Patris, nõ sit propriũ Christi. Dicit enim Apost. Ephe. 2. quod Deus cõresuscitauit nos, & cõsedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu. Sed resuscitari non est proprium Christi. Ergo etiã pari ratione nec sedere ad dexterã Dei in excelsis. ¶ 2. Præterea, Sicut Augu. dicit in li. de Symbolo, Christũ sedere ad dexteram Patris, hoc est, habitare in eius beatitudine. Sed hoc multis alijs conuenit. Ergo videtur, quod sedere ad dexteram Patris, non sit proprium Christi. ¶ 3. Præterea, Ipse dicit Apo. 3. Qui vicerit, dabo ei sedere mecũ in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius. Sed per hoc sedet Christus ad dexteram Patris, quod sedet in throno eius, ergo etiam & alii qui vincũt, sedent ad dexteram patris. ¶ 4. Præterea, Matt. 20. Dominus dicit. Sedere ad dexterã meã vel sinistrã, nõ est meũ dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Hoc autẽ frustrà diceretur, nisi esset alĩ quibus paratũ. Nõ ergo sedere ad dexterã, cõuenit soli Christo. ¶ Sed cõtra est, quod dicitur ad Heb. 1. Ad quem angelorum dixit aliquando, Sede a dextris meis? idest, in meis bonis potioribus, vel mihi secundum diuinitatem æqualis? quasi dicat, ad nullum. Sed angeli sunt superiores aliis creaturis, ergo multo magis nulli alii conuenit sedere ad dexteram Patris quam Christo. ¶ Respõdeo dicendum, quod (sicut dictum est) Christus dicitur sedere ad dexterã patris inquãtum se-

319 3. distĩ. 22. quæst. 3. ar. 3. q. 3.

li. 1. de symbolo ca. 4. ante me. to. 9.

tum secundum Diuinam naturam est in æqualitate Patris, secundum autem humanam naturam in excellenti possessione Diuinorum bonorũ præ cæteris aliis creaturis. Vtrunque autem soli Christo conuenit. Vnde nulli alij nec Angelo, nec homini conuenit sedere ad dexteram patris, nisi soli Christo.

¶ Ad primum ergo dicendũ, quòd quia Christus est caput nostrum, illud quod collatum est Christo, est etiam nobis in ipso collatum. Et propter hoc quia ipse iam resuscitatus est, dicit apostolus, quòd Deus nos quodammodo ei conresuscitauit, qui tamen in nobis ipsis nondum sumus resuscitati, sed resuscitandi: secundum illud Rom. 8. Qui suscitauit Iesum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora nostra. Et secundum eundem modũ loquendi subdit Apostolus, quòd consedere nos fecit in cœlestibus, scilicet in hoc ipso, quòd caput nostrum, quod est Christus, ibi sedet. ¶ Ad secundum dicendũ, quòd quia dextera est Diuina beatitudo, sedere in dextera, non significat simpliciter esse in beatitudine, sed habere beatitudinem cũ quadam dominatiua potestate, & quasi propriam & naturalem, quod soli Christo conuenit, nulli autem alij creaturæ. Potest tamen dici, quòd omnis Sanctus, qui est in beatitudine, est ad dexteram Dei constitutus, vnde & dicitur Matt. 25. Quòd statuet oues à dextris. ¶ Ad tertium dicendum, quod per thronum significatur iudiciaria potestas, quam Christus habet a patre, & secundum hoc dicitur sedere in throno patris. Alij autem Sancti habent eam à Christo: & secundum hoc dicuntur in throno Christi sedere: secundum illud Matt. 19. Sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicãtes duodecim tribus Israel. ¶ Ad quartũ dicendum, quod (sicut Chrys. dicit super Mat.) locus ille, id est, cõsessus dexteræ, inuius est omnibus, non solum hominibus, sed etiam Angelis, sicut enim præcipuum vnigeniti ponit Paulus dicens. Ad quem autem Angelorum dixit vnquam, sede à dextris meis? Dominus ergo nõ quasi existentibus quibusdam, qui sessuri sint, sed condescendens interrogantiũ supplicationi respondit: hoc enim vnum solum quærebant præaliis, stare apud ipsum. Potest tamen dici, quod petebant filij Zebedæi, excellentiã habere præ aliis in participando iudiciariam potestatẽ eius. Vnde non petebant quod sederent ad dexteram vel sinistram patris, sed ad dexteram vel sinistram Christi.

Ho. 66. in Mat inter pri. & me. super illa verba Mat Calicẽ qui dem tom. 2

DISPVTATIO. LI.

In quatuor sectiones distributa.

De Ascensione Christi, ac termino eius.

HOc est postremum mysteriũ totius primi aduentus Christi domini in mundum, de quo breuius quâm de morte, & resurrectione disseremus, quoniam & facilius est, & paucis verbis ab Euangelistis describitur. Declarabimus ergo veritatem, & proprietatem huius mysterij, circunstantias quoque, atque terminum, ac perpetuitatem eius.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Christus vere, ac proprie in cœlum ascenderit.

NOn defuerunt antiqui hæretici, qui veram Christi ascensionem in cœlũ in corpore, & animo, negarent. Refert enim Aug. lib. de agone Christ. c. 25. aliquos negasse Christum corpus suum supra cœlos leuasse. Qui mouebantur ex illo Ioan. 3. *Nemo ascendit in cœlum: nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo.* Vnde colligebant, solũ eam naturam ascẽdisse, quæ de cœlo descenderat: corpus autem nõ descendit è cœlo: ergo neque ascendit. Alij fundabant hunc errorẽ in eo, quia negabant Christũ cum vero corpore surrexisse, vt Apelles, & eius sectatores, sicut Aug. refert lib. de hæresib. nu. 23. Alij dixerũt resurrexisse Christũ cum carne, eamq; secũ vsque ad Solis orbem tulisse, atque in astro Solis deposuisse, nunc que ad dexteram Patris sine carne sedere. Qui ita interpretabantur illud Psalm. *In Sole posuit*

Aug. Ioannes 3. Aug. Psalm. 18

fuit tabernaculum suum. Ita senserunt Seleuciani, & Hermiani, vt August. refert
Aug. de hæresibus capit. 59. & eundem errorem tribuit Manichæis Nazian. orat. 51.
Greg. Naz. vbi vtrumque errorem videtur attingere iijs verbis: *Si quis sanctam carnem nunc depositam esse, nudamque, ac corpore vacuam diuinitatem esse, non autem cum assumpta parte, & esse, & venturam esse dixerit, præsentiæ illius gloriam non cernat. Vbi enim nunc corpus fuerit, nisi cum ea natura, a qua assumptum est?* Nõ *enim, scilicet, iuxta Manichæorum delyria Soli impositum est, vt per dedecus honoretur, aut per aerem fusum, & dissolutum est*. Et propter hanc causam aliquando Augustinus tribuit Manichæis, quòd Solem hunc visibilem adorarent, eumque Christum esse dicerent, sic intelligentes illud Ioan. 8.
Ioann. 8. Aug. *Ego sum lux mundi*, vt videre licet lib. 20. contra Faustum per totum, & tract. 34. in Ioan. Theodoretus verò libr. 1. Hæreticarum fabularũ Hermogeni tribuit, quòd asseruerit, corpus Domini in sole esse repositum. Denique Tertull. libr. de carne
Theo. Tertul. Christi iuxta finem, capite 24. tacito nomine autoris, Erubescant (inquit) *qui affirmant carnem in cœlis vacuam sensu, vt vaginã exempto Christo sedere, aut qui carnem, & animã tantumdem, aut tantummodo animam, carnem vero non iam*. Hæc sunt antiquorum hæreticorum delyramenta.

Non sunt autem minora, quæ noui hæretici confinxerunt. Negant enim Christum secundum humanitatẽ verè, ac propriè ascendisse in cœlum, non quia opinentur ibi non esse: sed quia sentiunt vel ab initio incarnationis, vel saltẽ à sua glorificatione per resurrectionem tam ibi, quàm vbique fuisse. Vnde, cùm res non moueatur ad illum locum, in quo iam est, non potuit Christus secundum humanitatẽ propriè ascendere. Dicunt ergo Christum ascendere in cœlum per metaphorã, nihilque aliud esse, quàm in gloria, & maiestate Dei constitui. Quod autem secũdum hanc metaphorã dicatur ascendisse in cœlum, probant, Tũ ex illo eodem loco
Ioannes 3. Ioan. 3. *Nemo ascẽdit in cœlum, nisi qui descẽdit de cœlo*: nõ enim descendit nisi metaphoricè, veluti occultando gloriam suam sub humanitate assumpta: ergo tantũ etiã metaphoricè ascendit manifestando gloriam, & maiestatẽ humanitatis assumptæ. Tum ex eo, quòd per ascensionẽ dicitur assequutus, vt sedeat ad dexteram Dei, at-

A qui hoc per metaphoram dicitur, ergo & illud. Ita ratiocinantur Brentius, & Illyricus in libris de ascẽsione Christi, qui decepti sunt ex falso fundamento Vbiquitatis, contra quod disputauimus in præcedenti tomo disp. 32. sect. 4.

Dicendum ergo est primo, Christum dominum post resurrectionem suam verè, ac propriè in cœlos ascendisse. Cõclusio est articulus fidei, qui habetur in symbolo Apostolorum, & Niceno, & Athan. Quanquã enim in eis solum dicatur ascẽdisse, & non explicetur hoc esse verè, & propriè intelligendũ: tamen hic est sensus symboli, & ita intelligit Catholica Ecclesia, & omnes Patres, quos statim referemus. Et probatur primo testimonijs Scripturę, quę in nouo testamento sunt expressiora, Ioan. 20. ait Christus Magdalenæ. *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad*
B *Patrem meum*: & tamen iam resurrexerat, eratque in gloria, & maiestate, loquitur ergo de ascensione locali, & nõ per metaphoram. Eodem in sensu subdit, *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum*, id est, post paucos dies ascendam: Lucas autem Act. 1. disertè narrat modum, & initium huius ascensionis corã oculatis testibus, in c. aũt 24. sui Euãgelij expressius ponit progressum, ac terminũ eius dicens, *Ferebatur in cœlum* Mar. vero c. 16. idẽ confirmat dicens, *Assumptus est in cœlũ, & sedet a dextris Dei*. Præterea apud Paulũ est frequens eius mẽtio, ad Ephes. 1. 2. & 4. ad Colloss. 3. ad Heb. 4. & 9. Quę omnia in proprio sensu esse intelligenda, præter autoritatẽ Ecclesiæ, & Sanctorũ constat ex generali regula scripturæ, quòd propriè sit intelligẽda, vbi circũstantia loci metaphorã non declarat, illã ve requirit, ne aliquid absurdũ sequatur: neutrũ aũt in præsenti occurrit. Quin potius cũ sermo scripturæ sit historicus, nõ potest, integra seruata eius veritate, ad metaphoras traduci. Nã cũ Luc. ait, *Videntibus illis eleuatus est: & nubes suscepit eũ ab oculis eorũ*, vt vera sit historia, necessario fatendũ est, Apostolos oculis corporeis vidisse Christũ ascendẽtẽ, donec eũ interposita nubes illis occultauit. Itẽ cũ ait, *Ferebatur in cœlũ*, nõ est locus tropis, & metaphoris. Nã si licet exponere *ferebatur*. i. apparebat ferri, quãuis nõ verè moueretur: eodẽ modo, cũ dicitur resurrexisse, comedisse, &c. poterunt omnia persolã apparentiã explicari. Deniq; hoc amplius patebit ex sequentib⁹ cũ dicemus

In cœlum post resurrectionem vere, ac propriè Christus ascendit. Symbol.

Ioann. 20.

Act. 1. Luc. 24. Marc. 16.

Ephes. 1. & 4. Colos. 3. Hebr. 4. & 9.

Actor. 1.

quis sit locus, in quem Christus ascendit. Secundo potest ex veteri testamento probari conclusio, præsertim ex Psalmis. Nam in 67. dicitur, *Cantate Deo psalmum dicite nomini eius, iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi*: & infra, *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus*, & inferius, *Psallite Deo, qui ascendit super cœlos cœlorum ad Orientem*. Quanquam enim dubitari potest, an hic Psalmus de Christo sit ad literam intelligendus, nec ne, & an prima, & vltima verba rectè accommodentur ad hoc mysterium: tamen de illis, *Ascendisti in altum, &c.* certum est, ex intentione Spiritus sancti in aliquo sensu de Christo esse dicta. Nam Paul. ad Ephesios 4. ea de Christi ascensione interpretatur. Quòd vero, vbi Psalmista habet, *Accepisti dona in hominibus*, Paulus legit, *Dedit dona hominibus*, non refert. Quia non sunt cõtraria, sed Paulus explicuit aliquid, quod Psaltes tacuerat. Vterque enim dicit dona data esse hominibus: tamen, quia sunt data propter Christum, merito dicit Dauid, data esse Christo, non in ipso: sed in hominibus. Paulus vero explicuit, hæc dona ita data esse hominibus, propter Christum, vt etiam ipse Christus ea donet. Sic fere interpretatur Augu. Aliter Hieronymus super ad Ephes. dicit Psalmistã vsum esse verbo *accipiendi*, quia prædicebat rem futuram: Apostolum vero verbo *dandi*, quia narrabat rem factam. Antequam enim Christus distribueret hæc dona, potest dici potius accepisse, quàm dedisse, quia solũ acquisierat ius dãdi: postquã vero illa distribuit, proprie dicitur dedisse. Aliter Theodoretus in dictum psalmum, Vtraque (inquit) *acciderunt* (scilicet accipere, & dare) *quandoquidem qui accepit, ab accipientibus, fidem, largitur gratiam*. Itaque Deus, vel Christus dicitur *accipere dona in hominibus*, in quantum accipit, vt homines in eum credant, eum ament, ac venerentur: tamen hoc, quod accipit, ipse donat. Quia nemo põt credere in Christum, nisi dono Christi, ipse ergo, & dat & accipit dona, quia & dat gratiam, & quod dat, in gloriam, & honorem eius cedit. Et ita hoc loco prædicta est & ascensio Christi, & charismatum Spiritus sancti donatio: atque vtrumque colligunt ex hoc loco Patres, tum qui epistolam ad Ephes. tum qui Psalm. 67. exponunt. Et

Psal. 67. *Testimonij Psal. 67 Expositio.* *Ephes. 4.* *Aug. Hieronym.* *Theodore.*

A Tertullian. lib. 5. contra Marcion. capit. 8. *Tertullia.*
Prosper. lib. 2. de promissionibus Dei cap. 31. *Prosper.*
Rufinus in expo. Symboli, & alij passim. *Rufin.*
Præterea adduci possunt verba illa Psal. 46. *Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ*, & Psalm. 8. *Exaltata est magnificentia tua super cœlos Deus*: & alia, quæ à Prospero supra, & Cyrillo Ierosolymitan. cat. 14. & aliis citãtur, in sensu mystico, potius, quàm in literali. Rursus ex Micheæ 2. affert D. Thomas verba illa, *Ascendit pandens iter ante eos*, vbi more prophetico præteritum pro futuro positum est. Et quòd ibi ad literam sit sermo, de Christo, constat ex Hieronymo, & eodem modo exposuisse antiquos Hebræos refert Galatin. lib. 8. de arcanis cath. veritatis, capit. 23. & patet tum ex illis verbis antecedentibus, *In vnum conducam reliquias Israel*, tũ ex aliis subsequentibus, *transibit Rex eorum coram eis*. Dicitur autem Christus ascendere *pandens iter* hominibus, quia ipse primus aperuit viam, & ianuam regni, quæ antea hominibus clausa fuerat. Et ita etiam de hoc mysterio exponuntur à Patribus illa verba Psalm. 23. *Attolite portas Principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*, vt latè discurrit, Gregorius Nyssenus oratione de Ascensione. Ad idem quoque mysterium accommodant verba Isai. capit. 63. *Quis est iste, qui venit de Edon, tinctis vestibus de Bosra*. Quæ interpretãs Cyrillus in Exegesi ad Achatium, *Ad cœlum* (inquit) *Vnigenitus Dei, vna cum carne sibi vnita rediit, eratque nouum hoc in cœlis spectaculum. Obstupuit enim sanctorum Angelorum multitudo, cum Regem gloriæ, exercituumque Dominum in forma humana cerneret. Aiebat enim, Quis est iste, qui venit de Edon, id est, ex terra*. Cui interpretationi quadrat Prophetæ responsio, *Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ*. Eodẽq; modo exposuit Origenes coniungens hunc locum cum alio citato ex Psalm. 23. tom. 9. in Ioann. & Ambros. libr. de institutione Virginis capit. 5. & libr. de iis, qui initiantur mysteriis capit. 7. & Augustinus sermone 5. de Resur. *Viderunt* (inquit) *Cœlites cuncti speciosum vulneribus Christum, spolia e castris tyrannicis reportantem, & admirantes fulgentia Diuinæ virtutis vexilla, talibus concrepãt hymnis, deducũtq; lætãtes. Quis est iste Rex gloriæ?* Denique eodem modo exponunt vtrumque

Psalm. 46 *Psalm. 8.* *Prosper.* *Cyr. Iero.* *Mich. 2.* *D. Thom.* *Hierony. Galatin.* *Psalm. 23* *Gre. Nyss.* *Isai. 63.* *Cyrillus.* *Origenes* *Ambros.* *Aug.*

que

Dionys. Iustin. Cyr. Ale. Hieron.

que locum Dionys. 7. cap. Cæleſt. Hierar. Iuſtin. dialog. cum Triphone, Cyrill. Alexan. 12. in Ioan. capit. 57. & ſuper Iſaiam, vbi etiam Hieronymus.

Tertio poſſumus rationem adiungere. Quia cœlum eſt locus, quem Deus ſanctis, ac beatis hominibus præparauit, & ideo ſingulariter dicitur *ſedes Dei*, quia ibi ſingulariter ſe manifeſtat, ac regnat: iuxta illud Pſalmi 102. *Dominus in cœlo paravit ſedem ſuam.* Et quòd ſit ſermo de cœlo corporeo, quod extremè diſtat à terra, patet ex illa vſitata antitheſi Scripturæ Pſalm. 113. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum.* Iſai. 66. *Cœlum mihi ſedes eſt: terra autem ſcabellum pedum meorum.* Idem ferè Matt. 5. & 6. ergo hic locus maximè debebatur Chriſto in glorioſo corpore ſuſcitato. Tum quia perfectior eſt in beatitudine, quàm reliqui Sancti. Tum etiam quia nos ibi ſumus futuri, vbi ipſe fuerit, iuxta illud, *Vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit*, & ideo aiebat ipſe, *Vado parare vobis locum, & iterum veniam, et accipiam vos ad me ipſum, vt vbi ego ſum, et vos ſitis.* Si autem Chriſtus corpore, & animo glorioſus futurus erat in cœlo, oportuit, vt illuc aſcenderet. Quia ſecundum humanam naturam antea non erat ibi, cùm non eſſet vbique: ſed in proprio loco, in quo circunſcribebatur, vt oſtendimus in priori tomo. Vnde Ruffinus in expoſitione ſymboli, *Aſcendit* (inquit) *in cœlum non, vbi Verbum Deus antea non fuerat: ſed vbi Verbum caro factum antea non ſederat.* Et Leo Papa ſermo. 2. de aſcenſ. *Ineffabili,* (inquit) *modo per aſcenſionem cœpit eſſe diuinitate præſentior, qui factus eſt humanitate longinquior.* Et Vigilius libro. 1. cont. Euthy. *Per formam ſerui, quam abſtulit nobis in cœlũ. abſens eſt nobis, per formã Dei, qua a nobis nõ receſſit, præſens eſt nobis.* Ex quibus conſtat, licet per communicationem idiomatum Deus proprie dicatur aſcendiſſe: motum tamen aſcenſionis non in diuinitate, ſed in humanitate tantum fuiſſe, atque adeó non aſcendiſſe Chriſtũ, vt Deũ propriè loquendo: ſed vt hominem, ſicut in artic. 2. explicatum eſt.

Pſal. 102. Pſal. 113, Iſai. 66. Mat. 5. et 6. Ioann. 12. Ioann. 14. Ruffin. Leo Papa Vig.

Secundo dicendum eſt, Chriſtum dominum per ſucceſsiuum motum in cœlum aſcendiſſe. Hæc concluſio partim eſt certa, partim in opinionem cadit. Quod enim in principio, quando à terra attoli cæpit ex monte Oliueti paulatim, & ſucceſsiuo motu aſcenderit, aperte colligitur ex illis verbis, *Videntibus illis elevatus eſt.* Non enim poterat videri aſcendens, niſi paulatim, & viſibiliter moueretur. Idem ſignificat Lucas verbis illis *receſſit ab eis, & ferebatur in cœlum.* Vnde colligitur duraſſe huiuſmodi motum Chriſti aſcendentis, donec nubes ſuſcepit, ſeu occultauit eum ab oculis diſcipulorum, quia ad id vſque temporis viſus eſt à diſcipulis aſcendens. Et hactenus nulla eſt controuerſia inter Catholicos. De reliqua verò parte motus diſſentiunt. Quidam enim dicunt, ab eo ſpatio, in quo nubes Chriſtum occultauit, nõ aſcendiſſe amplius motu continuo: ſed vna mutatione ſubita, ac inſtãtanea tranſiliſſe ad vltimum vſque terminũ, in quo ſeſſurus erat, abſque tranſitu per medium.

Act. 1. Lucæ. 24.

Ita opinatur Abulenſ. Paradox. 5. capite 13. & Durand. ſub diſiunctione affirmat, vel hoc modo fuiſſe motum, vel cœlũ fuiſſe diuiſum, vt aſcẽderet. Qui eo innititur fundamento (vt ſupra vidimus) quòd duo corpora non poſſint ſimul eſſe in eodem loco ſe penetrando. Quod omnino falſum eſſe demonſtrauimus. Quare (ſi Abulenſis ſententia in eo fundetur, quaſi impoſsibile ſit, aliter Chriſtum aſcẽdiſſe ſine diuiſione cœlorum) eodem modo falſa eſt, & improbabilis. Si verò ſolum fundetur in cõgruentia quadam, quia Chriſtus ad aſcendendum nõ indigebat illa motus ſucceſsione, ideoque in principio aſcenſionis illa ſolum propter homines ſit vſus, vt ab eis cerni poſſet, poſt verò ceſſante hoc fine, non oportuerit amplius ita moueri, hoc (inquam) ſenſu ſententia hæc eſt vtcunque tolerabilis. Nihilominus tamẽ multo probabilius eſt, Chriſtum eodem genere motus aſcendiſſe, tranſeundo per omnia corpora intermedia. Quæ eſt ſententia communior Theologorum in 3. d. 22. D. Thom. quæſt. 3. artic. 2. quæſt. 2. Richard. artic. 5. quæſt. 1. Alexan. Alenſ. 3. p. quæſt. 23. mem. 3. Verum eſt, aliquos ex prædictis autoribus niti fundamento extremè contrario, ſcilicet, quod ſit impoſsibile corpus mutare locum in inſtanti, & tranſire ab extremo in extremum ſine exiſtentia in medio. Quibus videtur fauere D. Th. hic ar. 3. ad 3. Superius tamẽ agẽdo de dotibus corporis glorioſi oſtẽdimus hoc non eſſe impoſsibile. Quod ergo nõ ita factũ fuerit, nõ poteſt demõſtrari, ſed

Abulenſ. Durand. D. Thom. Richardus Alen.

solum congruentia aliqua fieri verisimile. Tum quia magis decere videtur maiestatem Christi, vt paulatim suam ascẽsionẽ prosequeretur, sicut eam inchoauerat. Tum etiam quia oportuit, eum per omnes cœlos transire, vt tanquam supremus Dominus possessionem omnium acciperet, & quodammodo sua præsentia sanctificaret.

Dices (hoc etiam interrogant huius temporis hæretici) si Christus ita visibiliter ascendit penetrando cœlos, cur Apostoli non sunt permissi id suis oculis videre, vt possent esse tanti mysterij testes oculati? Respõdetur, quia non potest illuc pertingere naturali virtute oculus humanus, neque oportebat, nouo miraculo, & inusitato id fieri, vt fides maiorem locum haberet, ad quam sufficiebat, & prædictio ipsius Christi, & testimonium Angelorum dicentium, *Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in cœlum sic veniet*, Act. 1. Vt enim mysterium supernaturale fieret credibilius, oportuit illud conspicere in principio: quia naturaliter conspici poterat: non tamen oportuit consummationem eius, secũdum quam humani aspectus vim superabat, in se se conspici, ac videri. Sicut non est visa incarnatio, nec resurrectio. Loquitur de hac re eleganter Chrysost. hom. de ascens. tom. 3.

Obiectio

Actor. 1.

Chrysosto.

Tertio dicendum est, Christum ascendisse vsque ad cœlum supremum. Hæc conclusio absolutè sumpta est certa. Primò, ex modo loquendi scripturæ ad Hebr. 4. *Habentes Pontificem qui penetrauit cœlos*, id est, qui pertransiit omnes cœlos. Nam illa indefinita pro vniuersali posita est, & ideo cap. 7. dicitur, *Christus excelsior cœlis factus*, & clarius ad Ephes. 4. *Ascendit*, inquit Paulus, *super omnes cœlos*. Et ita interpretari videtur verba Psalmi. 67. *Ascendisti in altum*, id est, in fastigium, seu in sublimẽ locum. Hanc enim vim habet vox Græca ὕψος, quæ *fastigium* seu *sublimitatem* significat, & ita etiam vertit Tertul. lib. 5. in Marcionem, c. 8. Secũdo, quia supremum illud cœlum est sedes Beatorum, & ipsius Dei thronus, quatenus in eo loco sese singulariter manifestat, vt colligitur ex antithesi scripturæ supra citata, *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.* Act. 7. ergo in eundẽ locum Christus ascẽdit. Tertio est coniectura. Quia non est verisimile, Christum quieuisse in aliqua sphæra cœlesti earum, quæ continuo motu agitantur: sed in aliquo quieto cœlo, & immobili: hoc autem est supremum, quod vocamus Empyreum.

Hebre. 4.

Hebre. 7.

Ephes. 4.

Psal. 67.

Tertullia.

Isai 66.

Act. 7.

Duobus autem modis intelligi potest, Christũ quieuisse in illo cœlo. Primo vt totum eius corpus manserit intra cœlum vel penetratiuè, vel circundatum superficie cœli, sicut nos sumus modo in aere. Secundo, vt totum Christi corpus sit supra conuexam superficiem illius. Durand. in 3. d. 22. q. 8. primò probat, vtrunque modum esse possibilem, quod tam est per se notũ, vt nulla indigeat probatione. Deinde eligit priorem, vt magis congruentem, affert tamen rationem valde infirmam, scilicet quia si totum Christi corpus esset supra conuexũ cœli, neque se ipsum, neque alia videre posset. Hęc enim illatio nullius est momenti. Supra enim declarauimus, quomodo Beati possint vti aspectu etiam extra conuexũ cœli. Potest verò hæc opinio tribui D. Thom. in 3. d. 22. q. 3. arti. 3. q. 1. ad 1. vbi apertè docet, non dici Christum ascendisse super cœlos, quia extra cœlum Empyreum sit: sed quia in altissimam partem illius cœli ascenderit. Hoc etiam sequutus est Syluest. in Rosa aurea agens de ascensione. Nihilominus verisimilior est sententia, quam hic tenet Caietan. & Ferrar. 4. contra Gent. c. 87. Paludan. in 3. d. 22. q. 5. & reliqui discipuli D. Thom. Et est hæc opinio magis consentanea D. Th. hic, vt vidimus in commentario, & idem sentit 4. cont. Gent. c. 87. & 88. & quod lib. 6. artic. 3. Vnde vel retractauit sententiam, quam in Tertio docuerat, vel exponendus est, ibi tantum negasse Christum esse extra cœlum, ita vt nullo modo cœlũ tangat. Vnde, quod ait *In altissimam partẽ cœli Empyrei ascendisse*, intelligi põt, quòd suis pedibus tangit, & calcat supremam partem cœli. Est præterea hæc sententia consentanea modo loquendi scripturæ. *Nam penetrare cœlos, & ascendere super omnes cœlos*, hoc propiè significat. Vnde Chrysostom. homil. 11. in ad Ephes. *Ascendit* (inquit) *super omnes cœlos, vltra quos nihil est aliud: hoc videlicet est potentiæ, & dominationis ipsius.* Idem Theophil. ibi, & Oecumen. Quare pie exponenda sunt verba, quę super hunc locum Hiero. scripsit, *Nũquid corporaliter oẽs cœlos, & vniuersas sublimitates & cęlorũ circulos (quos philosophi sphęras vocãt) transiens, atq; transcendens stetit in summo*

D. Tom.

Sylvest. Christus supra conuexam empyrei cœli superficiem ascendit.

Caietanus

Ferrar.

Palud.

D. Thom.

Chrysosto.

Theoph.

Oecumen.

Hieronym.

summo cœli fornice, & (vt ipso verbo vtar) abside? An certe omnia corporalia contemnens, atque despiciens, & æterna contemplans super cœlos, ideſt, ſuper inuiſibilia ſtetiſſe credendus eſt? quod ego melius puto. Hoc enim ita intelligendum eſt, vt non excludatur prior ſenſus, qui proprius eſt, & literalis: ſed vtrumque verum eſſe credatur. Quomodo dixit ibi Anſelm. *Aſcendit non ſolum ſuper omnes cœlos materiales, ſed & ſuper omnes cœleſtium virtutum ordines, ſuperans loco, & dignitate omnem creaturã.* Et hæc eſt vnica ratio, & congruentia huius ſententiæ, quã in commentario latius explicui. Hanc verò diſputationem Auguſt. verbis concludamus, qui in lib. de fide, & Symbolo capite. 6. ſic inquit, *Credimus in cœlum aſcendiſſe: ſed vbi, et quomodo ſit in cœlo corpus Dominicum, curioſiſſimum, et ſuperuacaneum eſt quærere, tantum modo in cœlo eſſe credẽdum eſt. Non enim eſt fragilitatis noſtræ, cœlorum ſecreta discutere: ſed est nostræ fidei de Dominici corporis dignitate ſublimia, et honesta ſapere.*

Anſelm.

Aug.

Testimonij Ioann. 3

Expoſitio.

Ex fundamentis hæreticorum ſolum illud teſtimonium Ioann. 3. *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui descendit de cœlo*, indiget aliqua expoſitione, (cætera enim nullam habent difficultatem.) Ad illud ergo teſtimonium in primis dicitur, ibi non eſſe ſermonem de corporali Chriſti aſcenſione: quia ibi verbum, *ascendit*, non eſt præſentis temporis, ſed præteriti, Chriſtus autem nondum tunc aſcenderat corporaliter. Vnde neceſſe eſt, intelligi aut de ſpirituali aſcenſione per gloriam animæ, aut (quod frequẽtius eſt apud Patres) de præſentia diuinitatis, per quam omnia replebat, & omnia intuebatur. Quare (ſi attentè legatur) non dicit Chriſtus, ſe tunc aſcendiſſe in cœlum: ſed exiſtere in cœlo. Vnde ex hoc loco colligunt Patres immẽſitatem, & diuinitatem Chriſti, tam exponentes hunc locum, quàm locũ ad Epheſ. 4. & præterea Hilarius 10. de Trinitate, & Naziã. Orat. 51. At verò quanquam hæc reſponſio ſatisfaciat huic teſtimonio: tamẽ quia Paul. ad Epheſ. 4. agẽs de corporali aſcenſione Chriſti eodem modo dicit, *Qui aſcendit, ipse est, qui deſcendit*, ideo dicendum eſt ſecundo cum Theodor. ad Epheſ. 4. non alium deſcendiſſe, & alium aſcendiſſe: ſed aliter deſcendiſſe, & aliter aſcendiſſe. Cùm deſcẽdiſſet enim in corporeus, aſcendit corporeus. Quod recte declarat Auguſtinus dicto libro de agone Chriſtiano capite 25. Quia aſcendere eſt perſonæ, non naturæ, niſi inquantum eſt in perſona. Eadem perſona Chriſti deſcendit, & aſcendit: deſcendit autem cum non haberet corpus: aſcendit autem corpore induta. Qua propter non eſt neceſſe aſcenſum, & deſcenſum æque proprie intelligi, ſed iuxta capacitatem, & ſtatũ perſonæ, cui attribuuntur. Addo vero, Paulum non loqui tantum de deſcenſu per incarnationem: ſed de deſcenſu ad inferos, qui etiam fuit verus, ac proprius per loca ſem motum, quanuis, quia deſcendit in ſola anima, deſcenſus ille fuit per motũ accommodatum ſpiritui. Aſcenſus vero, cũ fuerit in corpore, factus etiam eſt per motum corpori accommodatum.

Hic vero inquiri ſolet, quomodo corpus terrenum, & graue potuerit ad cœleſtia aſcendere, & vtrum motus ille fuerit violentus, an naturalis. Sed hæc explicata à nobis ſunt, cùm de dotibus corporis glorioſi ageremus. Vbi oſtẽdimus corpori in tali ſtatu gloriæ conſtituto connaturalem eſſe huiuſmodi motum: ideoque reſpectu ipſius naturæ corporis nõ poſſe huiuſmodi motum dici violentum, ſed ſupernaturalem.

Aug.

Dubium

Reſponſio.

SECTIO SECVNDA.

Quibus circunstantijs facta ſit Christi aſcenſio.

DE myſterio aſcenſionis (quod attinet ad naturam, & eſſentiã eius explicandam) nihil aliud dicendum occurrit præter id, quod ſuperiori ſectione tractatum eſt. Rurſus omnes cauſæ eius etiam ſunt in ſuperioribus expoſitæ. Nã de finali diximus in commentario artic. 1. explicando rationes, ob quas fuit conueniens, Chriſtum aſcẽdere: de efficienti in arti. 3. & cùm de dote agilitatis ageremus. Et de ea re frequenter diſſerunt Patres agentes de aſcenſione Chriſti conſtituentes differentiam inter raptum Henoch, & Eliæ, quod ij aliena virtute in cœlum aereum rapti ſint: Chriſtus vero vſque in æthereum propria virtute aſcenderit. Specialiter videri poſſunt Gregor. homilia 29. in Euangelia Chryſoſt. dicta homilia de aſcenſione, & Cyrilus Ieroſolymitan. dicta cat. 14. Alia vero cauſarum genera non habent in præſenti locum. Nam

Hilar. Gre. Na. Epheſ. 4. The.

Gre. Pap. Chryſo. Cyr. Iero.

præter ipsum Christi corpus, quod erat subiectum, & motũ, qui ipsum afficiebat, nõ potest hic aliud genus causæ materialis, aut formalis excogitari. Præterea de effectibus ascensionis nihil dicendum occurrit. Quia, quæ diximus de resurrectione, ad ascensionem accõmodari possunt. Est enim ferè eadem ratio & nulla specialis difficultas in his occurrit. Reliquum ergo est, vt de circunstantiis ascensionis pauca dicamus, & explicemus ea, quæ ab Euangelistis breuiter perstringuntur. Sũt autem quatuor, quæ ab eis insinuãtur, scilicet, vbi quando, quomodo, & quo comitatu ascenderit.

Ascensionis locus. Lucæ. 24. Act. 1.

Primo igitur de loco, ex quo Christus ascendit, Lucas in Euangelio cap. 24. habet hæc verba, *Eduxit autem eos foras in Bethaniam, & eleuatis manibus suis benedixit eis, & factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum*. In Actis verò cap. 1. magis explicat, quis fuerit ille locus quò Christus discipulos eduxit, vt inde ascenderet, dicens fuisse montem Oliueti, distantem ab Ierosolymis *itinere Sabbathi*, id est, quod iuxta traditiones Hebræorũ in die Sabbathi agere licebat: illud autem erat spatium bis mille pedum (vt Hieronym. refert epist. 151. ad Algasiam q. 10. & 30.) seu mille passuum, vt ait Beda, quæst. 1. in Acta, & in comment. Act. 1. Lib. autem. 6. super Lucam cap. vltimo dicit, Bethaniam positam fuisse in latere montis Oliueti, & distasse Ierosolyma quasi stadiis quindecim, vt dicitur Ioannis 11. quæ faciunt ferè bis mille passus. Vnde fit, quod Lucas ait, *Eduxit eos in Bethaniã*, posse intelligi, non quod duxerit eos vsque ad ipsum oppidum: sed versus illud, & per viam fortasse, quæ ad illud tendebat, vsque ad illum locum montis Oliueti, ex quo ascensurus erat in cœlum: quique videtur fuisse in medio itinere inter Ierusalem, & Bethaniam, & fortasse ille locus constitutus erat intra fines Bethaniæ. Vel certè (quod probabilius est, & magis cõsentaneum textui) duxit eos vsque ad ipsam Bethaniam, fortasse vt familiarem amorem erga Magdalenam, eiusque fratres ostenderet: inde vero recessit in montem, vnde ascensurus est. Cur autem eum locum elegerit, facile est, rationes mysticas excogitare, & in Beda supra, legi possunt. Literalis enim sufficiens est voluntas facientis, & quia fortasse pro temporis, ac personarum oportunitate ille locus erat commodissimus. De quo, & de templo ibi ædificato, & de signis, seu vestigiis Christi, quæ in eo sunt mirabiliter conseruata legi potest Beda de locis sanctis capit. 7. Est autem verisimile ex eo loco, ex quo Christus cepit ascendere, via recta in cœlum conscendisse, quãdiu ab Apostolis visus fuit: an vero postea eodem modo recta via incesserit, vsque ad cœlum empyreum, atque adeo, an quieuerit in loco cœlesti, qui é regione respondet terrestri loco, vnde discessit, incertum est, & nimis curiosum esset illud inquirere, vt supra ex Augustino referebamus.

Hieronym. Beda.

Bed.

Secundo, de circunstantia temporis vnum est certum, scilicet, quadragesimo die post resurrectionem suam Christum ascendisse, vt constat ex illis verbis Actorum primo. *Per dies quadraginta apparens eis.* Cur autem tot diebus Christus distulerit ascensionem suam, dictum est in superioribus, nimirum, vt illis diebus resurrectionis suæ veritatem ostenderet, & de regno Dei discipulos instrueret. Ecclesiamque suam perfectè fundaret, vt fecisse legimus apud Euangelistas, præsertim Ioannem, & Lucam Act. 1. Et recte explicant Leo Papa sermo. 1. de ascens. & Cyprian. sermo. item de ascensione. Quoniã vero ad eos fines non erat necessarius præcise numerus quadraginta dierũ (poterat enim Christus & pluribus & paucioribus ea omnia perficere) ideo sancti Patres, in hoc dierum numero mysticas rationes excogitant, quas breuiter attingit Beda in comment. Act. 1. Alexan. Alens. 3. par. quæstio. 23. M. 5. Addendum vero est, hos dies ita esse numerandos, vt & dies ipse resurrectionis, & dies ascensionis illis comprehendantur. Nam constat ex Euãgelio, tam in die resurrectionis, quàm ascensionis Christum Discipulis apparuisse. Ergo si tantum per quadraginta dies eis apparuit, necesse est, vt quadragesimo die à resurrectione facta fuerit ascensio, vtrumque extremum concludendo. Vnde fit vlterius, hunc diem ascensionis fuisse feriam quintam hebdomadæ. Ostensum enim supra est, Christum resurrexisse die Dominica: computando autem quadraginta dies à die Dominico, necessario sequitur, vt quadragesimus sit dies Iouis. Et hæc omnia confirmat Ecclesiastica traditio, & festiui-

Leo Papa Cyp.

Beda. Alexan. Alen.

tas

tas, quæ in memoriam huius mysterij eo die semper fuit in Ecclesia solenniter celebrata, vt constat ex Clemente Papa libro 5. constitutionum capit. 18. alias 20. vbi refert Apostolorum constitutionem. *Numeratis quadraginta diebus a primo Dominico die celebrate diem festum assumptionis Domini, quo die absoluta omni dispensatione ascendit ad Deum Patrem suum.*

De hora verò illius diei, in qua Christus ascendit, vix aliquid inuenio ab scriptoribus dictũ, neque ex Scriptura aliut colligi potest, quam quod postquam illa die Christus cum discipulis comedit, eduxit eos in Bethaniam, & inde assumptus est. Quod patet ex verbis illis Act. 1. *Conuescens præcepit eis, &c.* & infra, *cum hæc dixisset, eleuatus est*. Quanquam enim nonnulli cum Erasmo, Caietano, & alijs, existiment hoc loco non esse legendum *cenuescens*, sed *conuersans*, eo quod verbum græcum συναλίζω, non significat comedere, sed conuersari: nihilominus Latina lectio sine dubitatione retinenda est, cũ in omnibus vulgatis codicibus sine vlla varietate habeatur, & ita legãt omnes Latini interpretes, Beda, Glossa, & posteriores omnes, ac Hieronym. Epist. 150. ad Hedibiam, q. 7. Et participium Græcũ respõdens huic Latino, συναλιζόμενος, licet proprie significet, *congregatus* tam ẽ interpres vel aliter legit, vel tacitè mentem Lucæ attigit. Nam hoc etiam posteriori modo interpretati sunt Chrysost. & alij Græci. Et potest confirmari ex Euãgelio Marci cap. vltimo, vbi dicitur, *Nouissime recumbentibus vndecim discipulis apparuisse illis Iesum*, & loquutũ cum eis, finito que colloquio assumptum esse in cœlum. Facta est ergo ascensio post sumptum cibum cum discipulis. Vnde fit verisimile, pomeridiano tempore Christum ascendisse in cœlum, tum quia credendum est, non recubuisse multo tempore ante meridiem. Tũ etiam, quia (vt supra vidimus) post prandiũ, quod in cœnaculo factum fuit, eduxit eos vsque ad montem Oliueti, in quo itinere, & in congregandis alijs discipulis tempus aliquod insumendum erat. Est autem in multis locis consuetudo, hora diei duodecima vsq; ad primam post meridiẽ publicæ, solenniq; orationi vacare in memoriã Dominicę ascensionis. Quæ cõsuetudo indicare videtur, fideles sentire ea hora Christum ascendisse. Sed quàm hoc certum sit, alijs iudicandum relinquo. Nõ est tamẽ hoc loco prætermittendũ (quod Beda refert de locis sanctis capite. 7.) festiuitatem huius diei fuisse diuinis, ac cœlestibus prodigijs in eodem loco, ex quo Dominus ascendit, decoratam. *Nam in die* (inquit) *ascensionis Dominicæ per annos singulos, missa peracta valide flaminis procella de sursum venire consueuit, & omnes, qui in Ecclesia fuerint, in terrã prosternere. Tota ibi canocte lucernæ ardent, vt non illustrari tantum, sed & ardere mons, & supposita loca videantur.*

Circa tertium de modo, quo Christus ascendit. Non agimus de modo proprio ipsius motus ascensionis, (de hoc enim iã diximus, quia magis pertinet ad substantiam, quam ad circunstantias mysterij) est ergo sermo de modo, quo discipulis Vale dixit, & eorum se se oculis subduxit, eosque ad sua redire iussit. Quæ omnia breuiter Lucas narrat capit. 24. Euangelij, & Actor. 1. & in primis dicit, antequam discederet, eleuatis manibus benedixisse eis, nimirum beatissimæ Virgini, & Apostolis omnibus, quorum expressam mentionem facit, & alijs discipulis, quos significat fuisse ferè centum viginti. Totidem enim dicit, fuisse congregatos in cœnaculo, quando Petrus ad eos sermonem habuit. Vnde omnes illi videntur vna cum Apostolis ibi perseuerasse vsque ad Spiritus sancti aduentum: omnes ergo illi ad minimum adfuisse creduntur, quando Christus ab eis recessit, eisque inter alia dixit, *Vos autem sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto*. Probabile etiã est, tunc fuisse factam illam apparitionem, in qua Paulus ait 1. Corinth. 15. *Visum esse Christum a quingentis fratribus*, de qua re supra tractatũ est. Quòd autem Christus ante discessum benedictionem suam in partitus sit, satis perspicuam, ac per se notam rationem habet. Illa enim benedictio nihil aliud fuit, quàm multorum bonorũ deprecatio, verbis facta, ipsis audientibus. Primo, in animo ris, ac beneuolentiæ signum. Secundo, vt reipsa ea bona discipulis conferret. Non enim poterat eius benedictio non esse efficax, cuius dicere, facere est. Tertio vt se se summum Ecclesiæ Pontificem, pastorem, ac superiorem ostenderet. Nam (vt ait Paulus ad Hebræ. 7. *Qui minor est, a maiori benedicitur*. Illa verò manuum eleuatio antiquum fuit signum, quo Patriarchæ, & Pontifices vti solebant, quando era

Tempus seu dies ascensionis Christi. Act. 1. Eras. Caie.

Beda Glos. Hieron. Chry.

Ascẽsionis Christi hora

Ascensionis Christi modus.

Luc. 24. Act. 1.

1. Cor. 15.

Hebr.

alijs imprecabantur vt legimus, Leuit. 9. & Genes. 48. fortasse ad indicandum, non tam terrestria, quam cœlestia bona illis imprecari, vel Deum esse, à quo fructus benedictionis sperandus sit, & ad eum esse cor eleuandum, vt benedictio sit efficax. Potest autem piè, & probabiliter credi, Christum non vt cunque manus eleuasse, sed in crucis signum, vel cancellatis manibus, sicut Iacob nepotibus benedixit Genes. 48. benedictionem in Christo futurã per signum crucis præsignificans (vt Tertul. notauit lib. de baptismo cap. 8.) vel in crucis formam manus ad cœlum tollendo, sicut de Moyse legimus Exo. 17. Quã etiam fuisse figuram crucis, & efficaciæ eius, notant Greg. Nazian. oratione. 6. & alij, quos in priori tomo retulimus. Vel certè in aere crucem describẽdo sicut nũc est in vsu Ecclesiæ, quem ex Apostolica traditione manasse, testatur Basilius lib. de Spiritusancto cap. 37.

Signum benedictionis apud antiquos quale.
Leuitic. 9.
Genes. 48
Tertul.
Exodi 17.
Gre. Naz.
Basil.

Secundo ait Lucas facta benedictione, Christum fuisse eleuatum in cœlum, videntibus omnibus. Et *nubes* (inquit) *suscepit eum ab oculis eorum*, quod mysteriũ ait Cyrill. Alex. epist. ad Anastasium, Alexandrum, & alios patres monasticam vitam agentes, prædictũ esse à Daniele, quando vidit quasi filium hominis venientem in nubibus cœli vsque ad antiquum dierum, eique datum esse honorem, & regnum: habetur hæc epistola in tomo 2. Concilij. Ephe. appendice. 1. cap. 6. De hac verò nube quid fuerit, quod ve ministerium tribuerit Christo, variè sentiunt scriptores. Abulensis parado. 5. capit. 8. & sequentibus sentit, hanc fuisse veram nubem vel ibi denuo genitam, vel aliunde adductam & Christi pedibus suppositam, nõ vt corpus illius sustineret, vel sursum duceret, (nam potius ipse vel virtute sua, vel angelorum ministerio eam attolebat secum) sed propter ornatum quendam, vt ad modum throni, & sedis illi famularetur. Hãc sententiam refert latè hoc loco Medina, & postea subdit has esse nugas, & fabulas: nullamque rationem, vel probationẽ adducens affirmat illam nubẽ nihil aliud fuisse, quam splendorem quendam, quem corpus Iesu, cum esset iam cœlo propinquius genuit, cuius similitudinem perspicimus in cœlo in ea, quæ vocatur, *via lactea*, quod sumpsit ex Caietan. Actor. 1. Mihi tamen in primis videtur non esse, cur negemus, illam fuisse veram nubem. Nam scriptura non dicit fuisse *quasi nubem*, aut in nubis similitudinem, sed simpliciter *nubem* appellat. Ergo, cum sine vllo incommodo possit propriè, ac verè intelligi, ita est scriptura exponenda. Sic aperte exponit Chrysost. hom. 2. in Acta, vbi dicit, *Hanc nubem fuisse cœli Symbolum, declarans, quod in ipso signo diuinæ potentiæ ascenderet*; *iuxta illud* Psal. 103. *Qui ponis nubem ascensum tuum.* Beda etiam super Acta similiter exponit. Deinde, non constat hanc nubẽ descendisse vsque ad terram (sicut Abulensis dicit) & suppositam pedibus Christi vnà cum eo ascendisse per modum sedis gestatoriæ, hoc enim in scriptura fundamentum non habet. Nam (vt rectè Caietan. notat) scriptura non dicit simpliciter, nubem suscepisse Christum. Sed suscepisse eum ab oculis intuentium. Vnde verisimilius est, quandiu Christus ascendens videri voluit, nullam nubem interjetam fuisse inter ipsum, & terram. Quia tunc potius impediret aspectum intuentium: postquam verò longius á terra distare cæpit, nubis interiectu sese intuentiũ subtraxit oculis. Quæ profecto neque cũ illo vlterius ascendit, neque aliud ministerium exhibuit, quàm vt Christi corpus ab aspectu discipulorum amoueret, & claritate sua, ac splendore maiestatem ascendentis indicaret.

Vera in assensione Christi nubes apparuit.
Chryso
Psalm. 103
Bed.
Caietanus

Con. Eph.
Abulens.
Medin.
Caietanus.

Tertio addit Lucas, cùm adhuc discipuli perseuerarent, intendentes oculos in cœlũ, admonitos ab Angelis, ne vlterius præstollarentur oculis corporis Christum uidere descendentem de cœlo, quo ascenderat, vsque ad iudicij diem, quando rediturus esset idem ipse, qui ascendit. Quæ Angelorum apparitio facta est primo, vt quod discipuli oculis corporeis videre non poterant, scilicet Christum in cœlum peruenientem, verbis suis docerent, ac confirmarent. Secundo, vt Apostolos consolarentur, eosque instruerent, vt fide potius, quàm visu corporeo Christũ intuerentur, ac expectarent. Tertio, vt significarent Christum ad immutabilẽ quẽdam statum, & æternitatis consortium ascendisse. Hoc enim est quod aiunt, *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum*, ideſt, in eadem gloria, & maiestate, & cum eadem anima, & corpore, quæ nulla temporis duratione alterari poterunt, aut mutari. Quæ verba ita ponderauit Ignatius Epist. 10. ad

Igna.

10.ad Smyrnenses,Chrys.& Beda in Act. A & Tertull.lib. de carne Christi, cap. 24. & lib.de Resur.carnis.cap.51.

Christi in Cœlum ascendentis triumphus. Ephes. 4.

Quarta,& vltima circunstantia proposita ad explicandũ fuit,quo apparatu,seu comitatu Christus ascenderit.De qua re neque Euangelistę,neque Lucas in Actib. quicquã scribunt:tamẽ ex Paul.ad Ephes. 4. colligitur in primis ascendisse cũ Christo omnes Iustos, & Sanctos, quos è Sinu Abrahę eduxerat. Hic enim est sensus illorum verborum, *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem*, vt Sancti omnes(quos supra citauimus)exponunt.Vnde fit,si qui fortasse Iusti mortui fuerũt, & perfecte purgati illis quadraginta diebus,quibus Christus post resurrectionẽ suam in terris moratus est, etiam illos simul cum Christo ascendisse. Et ratio est, quia sicut Christus fuit primus resurgẽtium ad vitam gloriosam,&immortalem, ita decuit, vt esset primus ascendentium ad locum cœlestem, & ideò nullus ante illum ascendit:ergo oportuit, vt cum illo ascenderent.Tum quia ille est proprius locus Beatorum,&nulla iam intererat ratio, cur ingressus in illum locum amplius differretur:tum etiam propter ipsius Christi honorem,& gloriam,& vt in signũ triũphi spolia secum asportaret. An verò aliqui homines cum illo ascenderint corpore,& anima,aliqui affirmare non audent: quia Euangelistæ non referunt,& quia alias sicut discipuli oculis corporeis viderunt Christum ascendentem : ita etiã vidissent alia corpora Sanctorum vna cum Christo ascendentium. Sed hæc ratio nullius est momenti,tũ quia non est necesse, vt omnia Euangelistæ scribant, tum etiã, quia scribẽdo multa corpora Sanctorũ cũ Christo surrexisse, hoc etiam in virtute scripserũt. Vnde hoc pendet ex alia quæstione supra tractata,an ij Sancti resurrexerint ad vitam immortalem.Nam si verũ est(quod ibi affirmauimus) hos scilicet Sanctos resurrexisse in corporibus gloriosis,necessario consequitur,vt corpore, & animo cum Christo ascenderint. Neque oportuit,vt discipuli eos viderẽt ascendẽtes,quia nec corpus glorioſum necessario videtur,neq; illa manifestatio sensibilis ordinabatur ad confirmandã fidẽ de aliorũ ascensione, sed solius Christi. Et hæc de hominibus.De angelico autẽ ministerio,& comitatu,quãuis in scriptura nihil dictũ sit:tñ non est dubium quin omnes Angelorũ ordines descenderint,vt Christũ ascendentẽ comitarentur, eiq; gloriã, & honorẽ exhiberent,quod omnes Sancti Patres scribentes de hoc mysterio luculenter expromunt, accõmodantes illa verba Psal. *Attolite portas principes vestras* &c,& illa *Ascendit Deus in iubilatione,& Dominus in voce tubæ*,& alia similia.Et illi duo Angeli,qui post Christi ascensionem annuntiarunt Apostolis,esse iam eum in cœlũ assumptum,sufficiens signum exhibuerunt,Christo ascendenti affuisse Angelos ministrantes ei:& ex illis verbis, quæ dixerunt,*sic veniet,&c.* colligi etiam potest, quod sicut descendet in gloria,& maiesta te,conferta Angelorũ præeuntium stipante caterua, ita etiam ascendit. B

Aliqui sanctorũ incorporibus gloriosis cum Christo in cælum ascendunt.

Psalm. 23. Psal. 46.

SECTIO TERTIA.

Vtrum Christus per ascensionẽ suam cõsequutus sit,vt sedeat ad dexteram Patris.

DE termino proprio, & quasi intrinseco ascensionis Christi, dictũ est in superioribus explicando ipsum mysteriũ.Est enim ascensio localis motus qui ad locum aliquem terminatur, quem nunc vocamus terminum intrinsecũ talis motus, siue sit sermo de ipso vbi intrinseco, siue de corpore circundante locatũ,de quibus satis dictũ est. Supereſt ergo,vt dicamus de alio termino quasi metaphorico,& extrinseco, qui nomine *sessionis ad dexteram Patris* in Scriptura sacra significatur.De quo videndũ est,primũ quid sit, deinde quomodo Christus ascendendo hanc sessionem adeptus sit. C

Christus post ascensionẽ suam sedet ad dexterã Patris Symbol. Marc. 16. Hebr.1.8 10.& 12.

Principio supponendum est,articulum fidei esse,Christum post ascensionẽ suam sedere ad dexterã Patris.Ita enim traditur in Symbolis Apostolico, & Niceno, & Athanasij,& in nouo testamento Marc. vlt. *Assumptus est in cœlum, & sedet a dextris Dei*,& ad Heb.1.*sedet ad dexteram maiestatis in excelsis*,& capite. 8. *Talem habemus Pontificem,qui consedit in dextera sedis magnitudinis in excelsis*,& cap.10.*Hic autem vnã pro peccatis offerens hostiã, in sempiternũ sedet in dextera Dei,de cætero expectans, donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius*, & cap.12.*sustinuit crucem confusione cõtempta, atque in dextera Dei sedens*,& 1.Petri.3.*Per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextera*

Roman. 8, Ephes.1. Coloss.2.

Dei. Et similia habentur ad Roman. 8. ad Ephes. 1. & ad Coloss. 2. Quibus in locis dicitur Christus esse, vel constitutus esse ad dexteram Dei, & alia similia loca postea afferemus.

Secundo statuendū est, quod licet *sedere ad dexteram Dei* possit sub aliqua ratione cōuenire Verbo diuino in sola diuinitate subsistenti, vt postea explicabimus, cū sanctis Patribus, & consequenter idē dici possit per communicationē idiomatū de homine Christo, & hac ratione possit Christus dici post ascensionem *sedere ad dexteram Dei*, quia exiſtit, ac permanet verus, ac naturalis Dei filius, sicut dici potest post ascensionē suā omnia conseruare, regere, & gubernare, licet hæc, inquā, vera sint: tamen reuera nō sufficiunt ad omnia Scripturæ loca explicanda, sed oportet etiā, vt de Christo homine, vt sic, verū sit post ascensionē sedere ad dexterā Dei, ita vt hęc sessio conueniat illi in humanitate, & non tantum in Diuinitate: sicut resurgere, & ascendere competunt illi in humanitate: atq; adeō, vt non solum verū sit, Christū hominē, sed etiā inquantum hominem specificatiue saltem, *sedere ad dexteram Dei*. Hoc apertè colligitur ex adductis testimonijs Scripturæ. Primo, quia cum duo illa coniunguntur *ascendit*, & *sedit*, satis significatur secundum eā naturā sedere, secūdum quā ascendit. Deinde, quia Paul. ad Ephe. 1. sic inquit, *secundū operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus.* Igitur sedere Christum ad dexteram Dei, fuit opus omnipotentiæ diuinæ in tempore factum: ergo necesse est, vt factū sit in humanitate. Hoc etiā confirmatur ex loco illo Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis*. Nā ibi esse sermonem de Christo, ipse met expositit Matt. 22. & Marc. 12. & Lucæ. 20. & Paulus ad Hebræ. 1. & 10. Quod autem sit sermo de Christo, vt homine, testantur Ambr. lib. 2. de fide cap. 4. & Aug. lib. contra sermo. Ariano. cap. 12. Et Athanas. lib. de salutari Christi aduentu, Hieronym. & Theo. in illum Psal. late, atq; eleganter Chryso. serm. de Ascensione. Ruffin. in expositione symbol. qui ad hoc ponderat verba Christi, *si filius eius est, quomodo vocat eum Dominum?* Est enim Christus filius Dauid, secundum humanitatem. Constat

Christus etiam inquā tum homo sedet ad dexteram Dei Ephes. 1

Psal. 109 Mat. 22. Marc. 12. Luc. 20. Heb. 1. & 10. Ambros. Aug. Athanas. Hieron. Theo. Chrysost. Ruffin.

A item ex Paulo dicente. *In sempiternum sedet in dextera Dei, de cætero expectans, &c.* Expectat enim secundum humanitatem, secundum eandem, ergo sedet ad dexteram Dei, sicut etiam secundum illam est summus Pontifex, qui penetrauit cœlos, atque ita exposuit Tertull. contra Prax. capite 3. Theodor. in Epistol. ad Hebræ. Et ex sequenti propositione constabit, hanc esse communem Patrum sententiā. *Tbertull. Theodor.*

Tertio explicandum est, quid nomine *dexteræ Dei* intelligatur. Non enim defuerunt hæretici, qui Deum corporeum esse existimantes, dicerent *dexteram* hoc loco significare corporis Dei partem, ad quam Christus corporaliter sedit. Sed, quoniam hæc hæresis supponit aliam rationi etiam naturali repugnantem, manifestissimum fuit semper apud Catholicos *dexteram Dei* metaphorice dici. Et illi quidem, qui Christo vt Deo hanc sessionem tribuunt, per eam metaphoram significari dicunt, diuinam omnipotentiam, seu maiestatem. Ita Athanas. Orat. 2. contra Arian. circa finem, inquiens, *Quid significat sedere ad dexteram Patris, nisi germanitatem filij, ac deitatem Patris, eandem quoque esse deitatem Filij.* Idem lib. de cōmuni essentia Patris, Filij, & Spiritus sancti. Et Damascen. libro 4. de fide capite 2. & Ambros. libro 2. de fide capite 4. & ad Ephes. 1. Vterque Cyrillus, & Chrysost. & alij Patres infra citandi. Alij dicunt significare propriam, ac peculiarem dignitatem, quę ratione hypostaticę vnionis Christo, vt homini conuenit, ratione cuius etiam ipsa humanitas coadoratur eadem adoratione, qua Deus colitur, vt exponit etiam Damascenus citato loco, & indicat Leo Papa sermone 1. de Ascensione dicens, naturam humanam ascendisse in Christo supra omnem altitudinem, *Neque vllis (inquit) sublimitatibus modum suæ prouectionis habitura, nisi æterni Patris recepta confessu, illius gloriæ sociaretur in throno, cuius naturę copulabatur in filio.* Atque similia repetit sermone 2. & eundem sensum significat Cyrillus Alexandrinus Epist. 1. ad Presbiteros, & Monachos soli tariam vitam colentes, & apertissime Chrysost. homilia 3. in Epistol. ad Ephes. vbi tractans illa verba, *Et sedere cum fecit ad dexteram suam. Hoc (inquit) de eo, qui ex mortuis excitatus: de Verbo, siquidem nequaquam.* Et infra *Reliquis velut seruis Dominus* *Athan.* *Damasce.* *Ambros.* *Cyril.* *Chrys.* *Damascen.* *Leo Papa.* *Cyril.* *Chrysosto:*

prę-

prælatus est, hominis serua facta est vniuersa creata, potestas propter inhabitationem Dei Verbi. Et Theodoretus eodem modo exponens, inquit, *Clarum est, hæc omnia posuisse tanquam de homine, ea enim de causa etiam admiratione ductus est. Quod enim qui Deus est, vna cum Deo sedeat, & qui est filius, vna cum Patre regnet, non est admirabile, quod autem sumpta ex nobis natura eiusdem honoris cum eo, qui sumpsit, sit particeps, hoc omne miraculum superat.* Et eandem expositionem habent Theophil. Oecumen, & plura in sequētibus referemus. Atq; hæc procedūt de Christo vt homine, quā expositionem supra etiā probauimus. Iuxta quā etiā per *dexterā Dei* intelligere possumus statū gloriæ, seu beatitudinem æternam, quæ Sanctis datur, sicut exposuit Aug. lib. de Agone Christiano capite 26. & libr. de Essentia diuinitatis, & Isidor. libro 1. de Diuinis Offi. capite de Ascensione Domini, vel singularem excellentiam eiusdem beatitudinis, & iudiciariam potestatem Christo homini collatam, vt idem Augustinus exponit lib. de fide, & symbol. capite 7.

Theo. Theophy. Oecumen. Aug. Isidor.

Quarto explicandum est, quid sit *sedere*. Et quoniam hoc proprie, & ad literam conuenire posset Christi corpori, ideo existimare quis posset, Christum post ascensionem mansisse in cœlis sedentem propria sessione corporali. Cùm enim hoc verbum possit proprie intelligi, nihil esse videtur, cur per metaphoram explicetur. Præsertim cùm hoc modo optimè exponatur, quomodo Christus post ascensionem consequutus sit, vt sedeat ad dexteram Dei. Quia reuera consequutus est corporalem sessionem in loco cœlesti, & ibi fruitur potissimis bonis Dei. Et cō firmari potest. Nam Actor. 7. Stephanus dixit, *Ecce video cœlos apertos, & Iesum stantem a dextris virtutis Dei*. Quo loco multi Patres intelligunt verbum illud *stantem* propriè, vt significat recto corpore stare. Ita Chrysosto. homilia 18. in Acta, & alij Græci in eundem locum, & Beda, & Gregor. homilia 29. in Euangelia, & libro 1. Reg. capite 1. August. libro quæstion. noui, & veteris testam. quæst. 88. Ergo pari ratione, cùm dicitur Christus *sedere in cœlo*, intelligendum erit propriè de sessione corporali. Neque enim contraria sunt. Potuit namque qui semper

Act. 7. Chrysost. Bed. Gre. Aug.

A sedet, tunc surgere, & stare, vt Stephanus sic eum videns intelligeret, Christum sibi compati, & paratum esse ad sibi auxiliandum, sicut Gregorius interpretatus est, vel (vt ait Augustinus,) *quia apparere voluit, tanquam qui causam diceret, & ad dexteram iudicis staret*. Quando enim sancti Patres huiusmodi mysticas, seu morales rationes reddunt, propter quas Christus stans à Stephano visus est, non sentiunt, Stephanum non vidisse Christum verè, ac propriè stantem. Alioqui non fuisset omnino vera, & realis illa visio sensibilis, sed phantastica, & apparens tantum: cùm tamen Stephanus non fuerit contentus affirmando, se videre Christum, sed asserere etiam voluerit modum, seu situm corporis eius, quem videbat, vt ostenderet, quàm aperte, & distincte illum cerneret: tametsi longissime distantem, & quanuis ab alijs circunstantibus videri non posset.

Gre. Papa. Aug.

B Nihilominus tamen nullus Sanctorum, aut catholicorum doctorum, ita interpretatur hoc verbum, *sedere*, de corporali sessione. Primum quidem, quia huiusmodi sessio nihil ad perfectionem, seu gloriam Christi pertinebat. Cum autem dicitur Christus *sedere ad dexterā Dei*, magna quædam dignitas significatur, & certū signū maiestatis eius. Deinde, quia licet non sit certum, an Christus in cœlo corporaliter stet, aut sedeat, & vtrūque sit in eius potestate: tamē multo probabilius videtur ipsum stare: quia sedere per se nō est tam connaturale homini, sed solum propter necessitatem, vt requiescat, &

Christi sessio ad dexteram Patris non est corporalis & propria sed metaphorica.

C non defatigetur. At vero in cœlo nulla erit huiusmodi necessitas, cùm immortalia, & glorioſa corpora laborem sentire non possint. Vnde quod Paulus, ait Ephes. secundo, *nos consessuros cum Christo in cœlestibus*, nō est verisimile esse intelligēdum de sessione corporali. Quia (vt dixi) magis naturale est homini stare, magisque ad omnes actiones perfectas corporis humani accommodatum. Neque huic veritati repugnat: quin potius illam confirmat visio Stephani Act. 7. Nam licet verbum *standi* possit etiam metaphorice exponi, vel lata significatione, vt idē sit, quod existere, seu presentem adesse, vt Matthæus 16. *sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem*, ideſt, ex ijs, qui presentes

Ephes. 2. Act. 7.

sentes adsunt: tamen melius intelligitur in propria, & rigorosa significatione propter testimonia Sanctorum, & rationem adductam. Quia Stephanus re vera vidit Christum clarè, & distinctè, prout in cœlo existit, friuolum autem est, fingere Christum antea sedisse, tunc autem surrexisse, vt â Stephano stare videretur. Sit igitur certum, *sedere* hoc loco metaphoricè sumi.

Quid autem hac metaphora significetur, explicandum est. Et primum quidē si de Christo, vt Deo, hæc verba interpretemur, & per *dexteram* intelligamus diuinam maiestatem, seu Patris æqualitatem, *sedere* nihil aliud erit, quàm quietè, seu pacifice possidere eam dignitatem, seu simul cum Patre regnare, tanquam supremum regem, ac Dominum omnium.

Basil. Additque Basilius libro de Spiritusancto capite. 6. *Per hunc confessum, naturam Dei solidam, ac immutabilem significari*, iuxta

Baruch. 3. illud Baruch. 3. *Et tu sedes in æternum.* Vn-

Cyr. Iero. de Cyrillus Ieroſolymitan. cat. 14. dicit, hanc dignitatem non conuenire Christo post aduentum in carne, *sed ante omnia sæcula. Quia vnigenitus filius Dei Patri a dex-*

Isai. 6. *tris semper assidebat.* Cui consentanea est visio Isaiæ, *qui vidit Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum.* Quanquam enim de tota Trinitate possit intelligi: tamen de Christo specialiter exponi-

Ioann. 12. tur Ioannis 12. Hinc etiam Cyrillus Ale-

Cyr. Ale. xandrinus libro 12. Thesauri, capite 7. dicit *sedere ad dexteram Patris* esse ita proprium Christi, vt nulli creaturæ conuenire possit. *Quia solus ille cum Patre simul regnat.* Et eandem interpretationem habet

Chrysost, Theo. Chrysostomus homilia 2. ad Hebræos C Theophyl. Theodor. & Oecumen. ad

Theodore. Oecumen. Hebræ. 1. Ac denique fere omnes Sancti iuxta hunc sensum ex hac sessione ad

Hebr. 1. dexteram colligunt æqualitatem Filij cū

Matt. 22. Patre. Quibus multum videtur fauere Paul. ad Hebræos 1. vbi probat Christum esse Deum, dicens: *Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis*, & infra, *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando, sede a dextris meis?* Et Christus ipse ex eodem loco probauit suam diuinitatem. Verum est tamen, responderi posse, Christum nō probare suam diuinitatem ex sessione, sed ex appellatione *Domini*. Vnde, inquit, *si ergo in spiritu Dauid vocat eum Dominum,*

A *quomodo Filius eius est?* Et Paulus ad eandem *Domini*, seu *Filij* appellationem potissimum allusisse videtur. Sic enim ait, *sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit.* Nihilominus est hæc expositio valde probabilis, ita tamen vt alteram de Christo secundum humanitatem non excludat, (vt diximus,) non enim contrariæ sunt: sed ex vna alia facile inferri potest, vt iam dicam.

Iuxta aliam ergo expositionem de Christo secundum humanitatem varijs modis exponi potest, quid sit sedere ad dexteram Patris. Primo vt *sedere* nihil aliud sit, quàm habitare in gloria cœlesti. Ita videtur exponere Augustin. dicto

Aug. libro de fide, & Symbolo, capite 7. & libro de Symbolo ad catechumenos capite 7. Chrysostom. homilia 1. de Symbolo.

Chrysost. B Vt enim idem Augustin. notauit libro. 3. quæstionum in Leuit. quæst. 24. solet in hac significatione verbū *sedendi* in Scriptura sumi, Leuit. 8. *Ad ostium tabernaculi*

Leuit. 8. *testimonii sedebitis septem diebus die, & nocte,* & 3. Regum 2. *sedit Semei in Ierusalem annos*

2. Reg. 2. *tres.* Et huic expositioni fauet Paul. ad

Ephes. 2. Ephes. 2. dicens, *Consedere nos fecit in cœlestibus.* Quanquam enim in ipso Christo tanquam in capite omnes *sedere* dicamur: tamen hinc recte colligimus, nos non tantum per ipsum: sed etiam in proprijs personis cum ipso confessuros, sicut ibidem ait, *nos conuiuificasse, & cōresuscitasse cum Christo*, non solum quia vita, & resurrectio eius quasi nostra existimetur propter vnionem membrorum cum capite: sed etiam, quia in nobis ipsis participaturi simus vitam, & resurrectionem eius. Ad eundem igitur modum nos *consedere fecit.* Nos autem non dicimur sessuri, nisi quia sumus in cœlesti patria habitaturi, ergo eodem modo dicitur sedere Christus. Hæc expositio nihil falsi dicit: videtur tamen non satis explicare totum id, quod in illo verbo, *sedet*, continetur.

Addi ergo potest, illo verbo etiam significari Christū post multos labores, quos propter homines sustinuit, & perfectam nostræ salutis œconomiam, conquieuisse tandem in cœlesti patria paternis fruentem bonis. Quomodo ipse dixit Lucæ 24. *Non ne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Ac de omnibus viuis

sedere Christū ad dexteram Patris quid sit.

Lucæ. 24.

uis membris eius dicitur, *Vt requiescāt a laboribus suis*. Et hoc modo videtur hæc sessio Christi in Scriptura poni tanquam vltimus terminus mortis, resurrectionis, atque omnium viarum eius, sic Paul. ad Romanos 8. *Christus* IESVS *qui mortuus est, qui & resurrexit, qui est ad dexteram* Dei, & ad Ephes. primo, *suscitans illum a mortuis, & constituens ad dexteram suam*, & Marc. vltimo, *Assumptus est in Cœlum, & sedet ad dexteram* Dei. Et hęc etiam expositio aliquid veri continet, aliquid vero amplius addendum est, quia verbum, *sedendi* (vt diximus) quandam excellentiam, & dignitatem significat.

Apoc. 14. *Roman. 8* *Epes. 1.* *Marc. 16.*

Igitur *sedere* hic per metaphoram significat idem, quod regnare, seu præesse omnibus tanquam supremum regem, ac iudicem, qui tanta dignitate præcellit, vt in eodem solio cum Deo sit, & eadem adoratione colatur. Hæc expositio colligitur ex omnibus Sanctis supra citatis. Et est vsitata hæc phrasis in Scriptura, tertio Regum primo. *Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit in solio meo*, & primo Regum secundo, *Suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem, vt sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat*. Vnde Paul. primæ ad Corinth. decimo quinto sic de Christo loquitur, *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius*. In quibus verbis alludit sine dubio ad verba Psalmi. 109. *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, & loco verbi *sedendi*, quo Dauid vsus fuerat, Paulus veluti metaphoram explicans, *regnandi* verbum vsurpauit. Et simili modo secundæ ad Timothe. secundo de omnibus electis loquens, inquit, *Ideo omnia sustineo propter electos, vt et ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo* IESV *cum gloria cœlesti*, quam explicans subdit. *Fidelis sermo, nam si commortui sumus, et conuiuemus, si sustinebimus, et conregnabimus*. Quo vltimo verbo videtur explicare, quod ad Ephesios secundo, dixerat, *Consedere nos fecit in cœlestibus*. Præterea hæc metaphorica significatio optimè quadrat in verbum *sedendi*, quasi per antonomasiam dictum ad explicandam dignitatem. Nam iudicantis, præcipientis, ac dominantis est sedere, & alijs imperare. Vnde quandocunque dicitur visus Deus in Scriptura in maiestate sua, & tanquam supremus Dominus, dicitur apparere sedens, Isai. sexto. *Vidi Dominum sedentem supra solium excelsum*, &c. & iuxta eandem metaphoram, dicitur Deus *sedere super Cherubim*. Hanc denique interpretationem rectè attigit Origenes tractatu duodecimo in vigesimū caput Matth. dicens. *Vide, ne forte, quod dicitur, Christum restitui in regno suo, recipientem proprium principatum, hoc sit, sedere Christum in solio gloriæ suæ*. Et infra, *Intelligat ergo, qui potest, eminentiam quidem regni in hominibus Christum recepisse, et glorificatum esse ad gloriam, quam habuit, prius quam esset mundus*.

Sedere in scriptura quid. *3. Reg. 2.* *1. Reg. 2.* *1. Cor. 15.* *Psal. 109.* *2. Timo. 2* *Ephes. 2.* *Isaia. 6.* *Origenes.*

Quinto videndum, quomodo Christus per ascensionem suam consequutus sit, vt sedeat ad dexteram Patris. Videtur enim hoc ex dictis difficile. Quoniam Christus per ascensionem nec diuinitatem, nec gloriam humanitatis, neque regni maiestatem, & potentiam assequutus est. Vnde ante ascensionem dixit discipulis. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra*. Nihilominus simpliciter fatendum est, aliqua ratione Christum assequutū esse per ascensionem, vt sedeat ad dexteram Dei. Nam (vt supra diximus) in Scriptura ita describitur ascensio, vt eam hæc sessio consequuta sit, iuxta illud, *Assumptus est in cęlum, et sedet ad dexteram* Dei, & illud, *suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suā in cęlestibus*. Vnde Petrus Actor. secundo de ascensione Christi interpretari videtur, locum sæpe citatum ex Psal. 109. sic enim de Christo scribit, *Dextera igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritus sancti accepta a Patre effudit hunc, quem vos videtis, & auditis. Non enim Dauid ascendit in cœlum, dicit autem ipse, dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis*. Denique hac ratione in symbolo post articulum de ascensione confitemur, *sedere Christum ad dexteram Patris*. Modus autem, quo hoc explicandum est, multiplex esse potest, iuxta varias expositiones assignatas de Christo sedente ad dexteram Patris. Nam, si sermo sit de Christo secundum se, vt est tantum Verbum, ac filius Dei, sic nullo modo potest de illo verificari, quòd per ascensionem sit asse-

Matth. 28. *christus per ascēsionem aliquo modo dexterā Patris adeptus,* *Marc. 16.* *Ephes. 1.* *Act. 2* *Psal. 109.*

assequutus, vt sedeat ad dexteram Dei, sed per solam ęternam generationē hoc habuit. Si autē loquamur de Christo præcisse, ac formaliter, quatenus hic homo est, & per dexterā Dei æqualitatē diuinitatis intelligamus, tūc factū est, vt hic homo Christus *sederet ad dexteram Dei*, quādo filius Dei factus est homo, quod factum est in ipsa incarnatione, quādo hæc humanitas in vnitatem diuinæ personæ assumpta est: tamen quoad manifestationem, & claritatem huius glorię potest dici Christus assequutus per ascensionem, *vt sedeat ad dexteram*, idest, vt hic homo omnibus innotescat *sedēs ad dexteram Dei*, idest, existens, & permanens verus Deus omnia cum Patre gubernans, iuxta illud Apocalyps. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et diuinitatē &c.* & paulo post subditur, *Omnes audiui dicentes, sedenti in throno, & agno benedictio, & honor, et potestas in sæcula sæculorum.* Et hæc est claritas, quam Christus petebat Ioannis 17. *Ego te clarificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi, vt faciam, et nunc clarifica me tu Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, prius quam mundus eßet apud te.* Atque hæc eadem expositio accommodari potest, etiam si de Christo secundum humanitatem, hanc sessionem interpretemur. Quanquam enim reipsa non sit assequuta per ascensionem illa humanitas, vt admirabili modo sit in throno maiestatis Dei, atque adeo, vt ratione illius vnionis debeatur illi homini singularis cultus, & adoratio. Item licet non sit consequutus idem homo in humanitate sua essentialem gloriam, neque potestatem, aut dominium excellētiæ in omnes creaturas: tamen per ascensionem singulari modo cæpit tota hæc maiestas illius hominis clarescere in cęlo, & in terra. Ac pręterea (vt humano more loquamur) denuo possessionem accepit regni sui, ac totius orbis, per ingressum in cœlum, tanquam in proprium locum suæ regiæ curiæ, á Deo destinatum adregendum, & imperandum. Locus enim terræ potius fuit ad seruiendum, et laborandū. Vnde etiam non incongruè dici potest, sedisse post ascēsionem: quia tunc quasi quieuit, & cessauit ab operibus viæ, cæpitque vti tātum potestate regia, ac dominatiua.

Quomodo per ascensionem assecutus Christus sit, vt sedeat ad dexteram Patris.

Apocaly. 5

Ioann. 17.

A Sexto ex ijs etiam facile definitur incidens dubium in superioribus insinuatum, scilicet, an sedere ad dexteram Dei sit proprium Christi, vel conueniat etiam alijs beatis. Dicendum est enim, non esse dubium, quin sub aliqua ratione sit hoc proprium Christi domini, & sępe in Scriptura sacra hoc illi attribui tanquam singularem excellentiam eius, vt ex Cyrillo Alexandrino, & alijs Patribus supra notatum est, & apud Paulum est egregius locus ad Hebræ. 1. *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando, sede a dextris meis?* Est autem hoc proprium Christi multis modis, qui omnes oriuntur ex maiestate personæ illius, & ex diuinitate, & ęqualitate, quam cum Patre habet. Vnde, si consideretur vt diuina persona Verbi, nulli creaturę potest conuenire *sedere ad dexteram Patris*, sicut B ipse sedet, & ita hoc est proprium eius comparatione facta ad creaturas. Nam Spirituisancto hoc sensu commune est *sedere ad dexteram Patris, & Filij*, vt hic sentit diuus Thomas, & recte notauit Athanas. libro de communi essentia. Si autem consideretur Christus vt homo, sic etiam esse hominem æterno Patri maiestate, & potentia æqualem, proprium est Christi. Atque eadem ratione si non solum loquamur de Christo homine, sed etiam secundum humanitatem, est etiam proprium illius habere in humanitate excellentiam super omnem excellentiam creatam, & singularem beatitudinem nō solum in gradu intensionis, & perfectionis: sed etiam in modo obtinendi illam vt connaturalem ex vi propriæ dignitatis, & maiestatis debitam. Atque C idem est de singulari dominio, & potestate tam ad operandum, quâm ad imperandum omnibus creaturis, ac iudicandum de omnibus hominibus. Propter quæ omnia merito dixit Ignat. Epistola 7. ad Tharsenses, *Quomodo merus homo audit, sede a dextris meis?*

Sedere ad dexteram Dei propriū Christi quomodo.

Cyr. Ale. Hebræ, 1

D. Thom. Athanas.

Ignat.

At vero certum nihilominus est, & Scripturæ quoque ipsi cōsentaneum, secundum quandam participationem communicari Christi membris hanc sessionem, alijs magis, alijs vero minus pro dignitatum varietate. Nam secundum participationem glorię tam animorum, quàm corporum omnibus electis datum est,

est, vt cum Christo consideant, sicut etiam omnibus datum est, vt cum Christo conregnent. 2. ad Timothe. 2. Quatenus enim omnes Sancti in cœlesti beatitudine cum Christo habitabunt, quieti, ac securi fruentes potissimis bonis Dei, hoc modo dicuntur *sedere cum Christo*, & sic dicitur Apocalyp. 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno, sicut, & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.* Illa enim particula, *sicut*, non dicit æqualitatem: sed similitudinem participationis. Atque eodem modo dixit, Christus Ioannis. 14. *Vado parare vobis locum, & iterum veniam, & accipiam vos ad me ipsum, vt, vbi ego sum, & vos sitis. In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, et ego in vobis.* Et Lucæ. 22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit Pater meus vobis regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel.* Et similia sunt frequentia loca Scripturæ, in quibus dicuntur Iusti regnaturi cum Christo, Apocalyp. 20. *Regnauerunt cum Christo mille annis.* Ad Romanos 5. *In vita regnabunt, &c.* Quanuis cæteri non sint eodem modo regnaturi, quo Christus. Ille enim solus regnabit tanquam supremus gubernator totius regni, cæteri vero dicuntur regnaturi, vel quia fructus regni in eos redundabit, sicut Romani dicebantur olim regnare, licet vnus esset imperator, quia illi potissimum fruebantur honoribus, & diuitijs illius imperij. Vel quia omnes participabunt aliquo modo potestatem imperandi inferioribus creaturis, sicut etiã participabunt aliquo modo potestatem iudicandi, vt postea dicemus.

Vna vero supereſt explicanda difficultas, cùm dextera locus honoratior sit, cur tribuatur Christo *sedere ad dexteram Patris.* Videtur enim Pater ad sinistram, atque adeo in ignobiliori loco cõstitui. Huic difficultati variè ab scriptoribus responsum est. Primum Antonius Nebrissensis in explicatione quinquaginta locorum Scripturæ, in vltima quinquagena cap. 39. negat locum dexterum olim fuisse honoratiorem. Quod si verum est, tollitur totius difficultatis fundamentum. Illud verò confirmat nonnullis testimonijs poetarum, quæ lubens prætermitto, quia iudicio meo parum suadent. Confirmari etiam potest, quia videmus in antiquis imaginibus Petri, & Pauli Paulum ad dexteram Petri collocari, vt obseruauit etiam diuus Thom. lect. 1. in Epistolã ad Galatas, & Petrus Damianus in Epistola ad Desiderium. Et in huius confirmationem addi potest, quod refert Eusebi. lib. 10. de Vita Constant. capite 13. se vidisse Constantinum, cùm esset adolescens, ad dexteram imperatoris assistentem, seu incedentem. Additur etiam congruentia. Quia cùm pars hominis dextra sit dignior, is, qui alium nobiliorem cõmitabatur, ad eius dexteram incedebat, non vt esset in loco honoratiori, sed vel vt pars potissima, & honoratior medium teneret locum, vel vt cum commodius posset tueri atque defendere, & ideò isti, qui latus dextrum alterius claudebant, ac tegebant, dicebantur olim *stipatores*, seu *latrones*. Hæc vero responsio in primis applicari non potest Christo secundum diuinitatem, quia non potest de illo dici, quod sedeat ad dexteram Patris tanquã in loco minus digno. Deinde nititur fundamento valde dubio, nimirum, locum dextrum fuisse olim ignobiliorem. Contrarium enim absolutè affirmant Hieronymus super ad Ephes. 1. & Ambrosius sermon. 61. Et saltem in Scriptura vbique per *dexteram* honoratior locus indicatur: & ideo Iusti dicuntur futuri *ad dexteram*, & mater filiorum Zebedæi, *sedere ad dexteram, & sinistram* filijs postulauit, id est, primum, & secundum locum, & Ioseph. Genes. 48. filium suum Manassem tãquam digniorem posuit ad dexteram Patris: Iacob, vero, vt Ephraim præferret, manus commutauit, & dexteram posuit super caput Ephraim. Quo circa quãuis esse ad dexteram alterius interdum in Scriptura nõ significet honorem, sed auxilium, & protectionem, sicut in illomet Psalm. 109. dicitur, *Dominus a dextris tuis, confregit in die iræ suæ Reges*, & Psalm. 15. *A dextris est mihi, ne commouear*, & Psal. 108. *Confitebor Domino nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum. Quia astitit a dextris pauperis, vt saluam faceret a persequentibus animam meam.* Vnde inter maledictiones, quæ in eodem Psalmo aduersus

2. Timot. 2
Apocal. 3
Ioann. 14.
Lucæ. 20.
Apoc. 20.
Rom. 5.
Obiectio
Ant. Nebr.
D. Thom.
Euse.
Hieronym.
Ambros.
Matth. 20
Genes. 48
Psal. 109.
Psalm. 15.
Psal. 108.

sus Iudam prædicuntur, *dicitur, & diabolus stet a dextris eius*, scilicet, ad persequendū: nihilominus tamen quandocunque *dextera* ponitur in Scriptura ad locum honoris indicandum, significat honoris magnitudinem, vt notauit Ambrosius ad Hebr. 1. & ferè omnes alij Sancti hoc mysterium Christi explicãtes. Quapropter etiã Eusebius loco citato dicit, Constantinum adolescentem summo honore apud Imperatorem fuisse dignum, quem honorem postea explicans subdit, ad Imperatoris dextram astitisse. Solent enim Principes, quanuis ipsi dignitate præcellant, honoris tamen, hospitijque causa ad dexteram suam alium principem ducere. Ex quo non licet colligere, locum dextrum esse inferiorem: sed potius esse superiorem, licet interdum â digniori persona inferiori concedatur propter causam prædictam. Quomodo solet etiam Rex, reginam ferre ad dexteram honoris causa, quanuis Regis persona, statusque dignior sit. Quomodo rectè intelligitur illud Psalm. 44. *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato*: & illud 3. Regum. 2. vbi Salomon fecit matrem sedere in throno ad dexteram suam. Atque eodem modo intelligi potest, quod de imaginibus Petri, & Pauli adducebatur, quanuis illud non sit in vniuersum verum de omnibus antiquis imaginibus horum Sanctorum. Nam in multis, quæ nunc Romæ cernuntur, & in numismatibus, Petrus ad dexteram depingitur, interdum vero ponitur Paulus ad dexteram (licet absolutè esset dignitate inferior) vel cuiusdam vrbanitatis, & honoris causa, & quasi ratione hospitij. Quia Petrus erat Romæ in propria sede, & episcopatu: Paulus vero veluti ad Petrum iuuandum accesserat. Vel in quandam amoris, & gratitudinis significationē: quia Paulus Doctor gentium fuit, & plurimū Ecclesiæ profuit.

Ambrosi. *Eusebius.* *Locus dexter ignobilioribus attribui solitus quare.* *Psalm. 44* *3. Reg. 2.*

Secundo ergo iuxta hanc doctrinam responderi potest, Christum dici, *sedere ad dexteram Dei Patris*, non quia sit persona dignior Patre: sed quia, licet in re habeat æqualem dignitatem, & honorem secundum diuinitatem, secundum humanitatem vero sit inferior: tamen respectu nostri, & quantum ad Ecclesiæ gubernationem quidam singularis honor cõcessus est Filio inter omnes diuinas personas. Nam illi data est administratio, & gubernatio totius regni Ecclesiæ iuxta illud, *Pater non iudicat quenquam: sed omne iudicium dedit Filio*. Nam quia Christus suo sanguine, & meritis regnū amissum Patri comparauit, ideo exaltatus est, & cõsequutus *nomen, quod est super omne nomen*. Hoc ergo modo dicitur, *sedisse ad dexteram* ad significandam hanc honoris, & dignitatis excellentiam non quidē reipsa, aut natura: sed solum administratione, & officio.

Ioann. 5. *Philip. 2.*

Tertio dici potest, sedere ad dexteram dignius, & honorabilius esse comparatione sinistræ: non tamen comparatione loci medij: & hoc modo potest dici, Christus *sedere ad dexteram Patris*, nō quia ipse sit in loco digniori respectu Patris: sed respectu eorum, qui ad sinistram sedent. Quanquam enim comparatione facta inter duos solos in opinionem venire possit, an locus dexter, vel sinister sit honoratior: tamen quando tres sedent, vel incedunt, nulli vnquā dubium fuit, quin locus medius sit dignissimus, iuxta illud. *In medio fratrum rector eorum*. Nam tunc qui medius est ab alijs tegitur, & quasi custoditur. Rursus tunc etiam expeditum est, dextrum locum esse potiorem sinistro, quod maximè probāt omnia, quæ circa priorem responsionem adduximus, & in ipsa rei natura fundatum est, quia pars dextra potior est sinistra. Sic ergo Christus dicitur, *sedere ad dexteram Patris* tanquam in honoratiori loco nō respectu ipsius Patris: sed aliorum, qui Patri assident. Quod aliqui accommodant Christo etiam secundum diuinitatem, ita vt propter ordinem originis Filius dicatur *sedere ad dexteram*, Spiritus sanctus *ad sinistram*, quia est origine secundus. Sed hunc loquendi modum expresse reprehendit Athanas. supra. Et omnes Sancti supra citati, qui de diuinitate hoc interpretantur, nunquam dicunt significare excessum aliquem vnius personæ ad aliam: sed æqualitatem. Igitur si hæc responsio aliquomodo defendenda est, explicanda est de Christo secundum humanitatem, non solum respectu damnatorum, qui in quodam sensu dicuntur esse *ad sinistram*, quorum comparatione omnes Beati sunt *ad dexteram*, & quasi

Ecclesi. 10

Responsio

per

per antonomasiam Christus: sed etiam respectu aliorum beatorum, qui sedēt in inferiori loco, & minus digno, quā Christus.

Quarto facilius, & simplicius dicitur, in metaphorica locutione non debere seruari omnes respectus, & habitudines, quę reperiuntur in re propriè significata: sed solū id, quod significari intenditur. *Dextera* ergo propriè dicta & significat locū dignissimū, & dicit relationē ad sinistram: cū autē Christus dicitur *sedere ad dexterā* per metaphoram, ibi nō consideratur respectus ad sinistram, sed solū significari intēditur excellentia, & maiestas, in qua Christus existit. Sicut in Scriptura non solū dicitur Christus esse *ad dexteram Dei*, sed etiam ipse dicitur esse *dextera Dei*, seu *brachium dextrum*, nō quia Spiritus sanctus, vel aliquis alius sit sinistra Dei: sed solūvt absolutè significetur esse Verbū, per quod Pater omnia operatur. Sic igitur Christus vt Deus dicitur esse *ad dexteram Patris*, nō quia Pater sit ad sinistram: sed quia in se habet totam illam excellētiam, & perfectionem, & omnipotentiā, quæ per *dexterā Dei* metaphorice significatur. Et simili proportione Christus vt homo dicitur esse *in dextera Dei*, id est, in potissimis bonis, quæ Deus cōmunicauit creaturis, vnde non fit, Patrem esse ad sinistram eius, vt dictum est.

SECTIO QVARTA.

Vtrum postquam Christus in cœlum ascendit, inde aliquando descenderit.

HActenus mysteriū ascēsionis Christi in cęlū explicuimus. Quoniā verò in sequētibus disputationibus dicturi sumus de altero ipsius aduentu, ac solēni, publicoque descēsu è cœlis tępore iudicij futuro, operę pretium visum est, hoc loco exponere, an toto hoc tępore in cœlo permanserit, ita vt ad terrā nunquā descenderit, neque vsque ad diem iudicij descēsurus sit. Ratio dubitādi est. Quia in scripturis legimus, Christū ascendisse in cœlū, & sedere ad dexterā Dei, descēsurū quoque in die iudicij, Act. 1. *Qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Quin etiā Act. 3. additur, cœlū suscepisse illū *vsque ad tempus restitutionis omnium*, vbi Chrys. ho. 9. *Necesse est* (inquit) *vsque ad tępora restitutionis omnium Christum in cœlo permanere*, &

Actor. 1.

Actor. 3. Chrysosto

A Beda in retractatione in Acta, *Hoc est* (inquit) *quod eidē domino Iesu Christo a Deo Patre dictum psalmista testatur, sede a dextris meis, donec ponā inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Assumptus namque est in cœlum, & sedet a dextris Dei, in qua nimirum sede paternæ maiestatis semper diuinitus manet, &c.* Quibus verbis videtur etiā in hūc modū exponere testimoniū Psal. *Sede a dextris meis, donec ponā &c.* Nā in illa particula, *donec*, vt minimū includitur affirmatio, vsque ad tēpus prefixū: sedet ergo Christus, & immobilis in cœlo permanet, quādiu bellū in terris agitur aduersus inimicos eius: nō ergo huc descēdet vsq; ad finē, quādo cēs subiicietur sub pedibus eius. Vnde Aug. trac. 30. in Ioan. *Donec sæculum*, inquit, *finiatur, sursum est Dominus.* Et hoc etiā confirmari pōt ex illo Pauli ad Colos. 3. *Quę sursum sunt, quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens.* Etenim si aliquādo cōtingeret, cœlū vacuū inueniri Christi presentia, cōtingere etiā posset decipi fideles fide, ac cogitatione ad Christū in cœlo ascendētes, eumque ibi quęrentes. Quod & admonitioni Pauli, & sensui, ac existimationi fidelium omnium videtur esse contrarium.

Psal. 109.

Psal. 109.

Aug.

Coloss. 3.

B Sed cōtra est. Nā legimus sępius, Christū dōm post ascēsionē corporaliter in terris visum, secundū verā corporalē, ac sensibilē præsentiā. Quod probatur primo ex Scriptura. Nā 1. ad Cor. 15. ait Paul. *Nouissime omnium visus est & mihi*, nimirū presentia, ac visione corporali, nō minus vera, ac reali, quā cæteris Apostolis, quādoquidē nō minus ipse futurus erat testis resurrectionis, quā Apostoli, vt ibi Chrysost. notat hom. 38. addens, verisimile esse etiā post, ascensionē, & electionē Matthiæ visum esse à duodecim Apostolis, ac sępius etiā apparuisse. Et Origen. lib. 2. cōtra Celsum hunc locū tractans apertè sentit, Christū eodē modo appatuisse Paulo post ascensionē, quo cęteris Apostolis antea apparuerat post resurrectionē. Præterea Act. 9. sic Ananias Paulū alloquitur, *Dominus Iesus, qui apparuit tibi in via.* Quod autē ei apparuerit clara, corporalique visione, patet ex præcedentibus verbis. *Viri autem illi, qui comitabantur Paulum, stabant stupefacti, audiētes quidem vocem; neminem autem videntes.* Ponit ergo differentiam inter Paulum, & comites eius, quòd ij tantum audierunt vocem, non autem viderunt Dominum: ille vero, & audiuit, & vidit.

1. Cor. 15.

Chrysosto.

Origen.

Actor. 9.

Vnde paulo inferius dicitur, Barnabam Apostolis narrasse de Paulo, quomodo in via vidisset Dominum. Et capit. 22. apertius refert idē Paulus, quid sibi Ananias dixerit, *Deus patrum nostrorum præordinauit te, vt cognosceres voluntatem eius, & videres iustum, & audires vocem ex ore eius, quia eris testis illius ad omnes homines, eorum quæ vidisti, & audisti.* Vidit ergo, & audiuit Paulus Christum non apparenter, sed verè, ac propriè, prout decebat eum, qui futurus erat testis eorum, quæ videbat. Sicut idem Paulus refert, sibi Christum dixisse in eadem apparitione, *Exurge, & sta super pedes tuos, ad hoc enim apparui tibi, vt cōstituam te ministrum, & testem eorum, quæ vidisti.* Sed potest aliquis tergiuersari, Paulum non vidisse Christum ipsum in propria persona, sed in aliquo effectu mirabili, & in verbis eius. Sic enim eodem loco Act. 26. idem Paulus inquit. *Dum iterem Damascum, die media, in via, vidi de cœlo supra splendorem solis circunfulsisse me lumen.* Non ergo vidit Christum: sed solum lumen illud, præ cuius claritate nihil postea videre poterat, vt ipsemet Paulus dicit Act. 22. Sed contra hanc fugam est: quod Paulus non erat futurus testis solius luminis, sed ipsiusmet Christi: non ergo solum lumen, sed Christum ipsum vidit. Vnde. 1. Corinth. 9. disertissme ait, *Nonne Christum Iesum dominum nostrum vidi?* Quid clarius? Sed dici adhuc potest, vidisse quidem Paulum ipsum Christum non tamen in terra, vel in aere, sed in cęlo, sicut Stephanus eum *vidit stantem a dextris virtutis Dei.* Vnde Ambrosius. 1. Corin. 15. huius apparitionis mentionem faciens inquit, *Apparuit primum illi in cœlo.* Sed hæc euasio ex eisdem locis facile refelli potest. Primum quia constat lumen, quod circunfulsit Paulum, non fuisse in cęlo, sed in aere, & iuxta Paulum. Tum quia non dicit Paulus se vidisse lumen in cęlo: sed subito de cœlo circunfulsisse se lucem copiosam. Tum etiam, quia non solum Paulus, sed etiam comites eius lumen viderunt. Tum denique quia tam vicinum fuit Paulo lumen illud, vt ei visum ademerit: illud autem lumen videtur ex corporis Christi præsentia fluxisse. Secundo ex colloquio inter Paulum, & Christum apertè colligi videtur, Christum visum esse prope Paulum. Primo quia vox illa, quam Paulus audiuit, ore ipsius Christi formata est, vt patet ex illis verbis, *Vt videres iustum, & audires vocem ex ore eius:* fuit autem illa vox formata in aere terræ vicino, cuius signum est, quia comites Pauli eam vocem, & significationem eius non perceperunt, vt dicitur Actor. 22. quia scilicet Christus, qui loquebatur propinquior factus est Paulo, quàm cæteris. Nec refert quod Actor. 9. dicuntur comites Pauli, vocem audijsse. Quia ille locus intelligi potest de voce Pauli, non Christi, vel (si de voce Christi etiā exponatur) intelligēdus erit quoad confusum sonum, non vero quoad propriam vocis articulationem, ac sensum. Deinde quia Paulus interrogans. *Quis es domine:* aperte indicat vidisse illum prope terram, tum quia si vidisset in cœlo, aut nō ita facile cum illo colloqueretur, præsertim cum nondum fidem illius concepisset, aut statim sine vlla interrogatione cognouisset illum esse Christum. Denique cum Paulus dicto loco. 1. ad Corint. 15. dicat, Christum sibi, & alijs apparuisse in testimonium resurrectionis, satis indicat non in cœlo, sed in terra sibi apparuisse non minus familiariter, quàm alijs Apostolis, vt eius testimonium ex hac parte non minus certum, atque indubitatum esset. Si enim tantum in cęlo Christum vidisset, potuissent homines calumniari, quod non vera, sed tantum imaginaria eius visio fuisset. Huc accedit, quòd iterū Christus apparuit Paulo in templo Ierosolymitano, vt ipse refert Act. 22. & Ambrosius. supra dicit, tunc Christum visum fuisse in templo. Et rursus capit. 23. cum Paulus esset comprehensus, & in castra deductus, *sequenti nocte astitens ei Dominus ait, Constās esto.* Præterea est historia probatissima, Christum aliquādo apparuisse Petro Roma discedenti, eique in via Appia occurrisse, & tam clare, ac familiariter se ostendisse, vt Petrus eum interrogauerit, *Domine quo vadis?* In cuius rei testimonium extat nūc Romæ constructa orationis domus in eo loco, vbi stetit Christus, eamque historiam recitat Ambros. orat. seu epis. 32. contra Auxentium, de basilicis tradendis, & indicat Athan. Apolog. de fuga sua, & Origenes tract. 21. in Ioannem, clarius Aegesipus lib. 3. de excidio Ierosolymitano. cap. 2. & Abdias libro. 1. Historiæ, in Petro, eamque approbat Innocentius 3. in capitul. *Per venerabilem. Qui filij sint legitimi.* Adiungere item possu-

Actor. 22. — Actor. 26 — Actor. 22 — 1. Corin. 9 — Act. 7. — Ambros. — Actor. 22. — Actor. 9. — 1. Cor. 15 — Act. 22. & 23. — Ambros. Athanas. Origenes. Aegesip. Abdias.

possumus alias historias, in quibus refertur, sæpius Christum apparuisse hominibus. Vt de sancto Carpo refert Dionysius epistol. 8. ad Demophilum, vidisse Iesum de cœlesti sede consurgentem, & ad terram descendentem, vt opem ferret quibusdam hominibus, & dicentem, *Paratus sum iterum pro saluandis hominibus pati.* Dionys.

Et de Antonio idē refert Athanas. in eius vita, & de quodam Valgio, seu Victore Paulinus epistol. 34. ad Macarium, vbi significat tam vere, ac propriè tunc fuisse Christū in terra loquentem cū Victore, & corpus eius tangentem, quàm cum in terris versabatur. Et de sancta Tarsilla refert Gregorius lib. 4. dialog. capit. 16. & de sancto Martino catechumeno Seuerus Sulpitius in vita eius, cui Christus dixit, *Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit*: & multa similia referuntur in recentioribus historiis de vitis, & gestis Sanctorum, ac reuelationibus. Denique huc etiā spectāt, quæ de descensu Christi domini ad terram in die mortis, & assumptionis Virginis beatissimæ ex antiquis Patribus in superioribus adduximus. Athanas. Paulin. Gre. Seue. Sul.

In hac re tres inuenio esse posse dicendi modos. Primus est, ex quo Christus ad cœlos ascendit, nunquam cœlos deseruisse, neque in terris in propria, ac visibili specie apparuisse, sed solū modo sacramentali sub speciebus panis, & vini. Iuxta quam sententiam consequenter dicendum est, apparitiones varias, quæ de Christo domino referuntur, factas esse absque reali, & visibili existentia eius in terris, sed vno ex tribus modis, scilicet aut per solam imaginariam uisionem. Qualis credi potest apparitio facta sancto Martino, & similes, quæ in somniis factæ referuntur, vt de Constantino memorat Eusebius lib. 1. de vita eius capit. 23. & Socrates lib. 1. Histor. capit. 2. & de quodā Iosepho refert Epiphan. hæres. 30. Aut per representationem extrinsecam, & visibilem in aliquo corpore aereo ad eum modum, quo olim ante incarnationem solebat Verbum Diuinum in specie humana apparere, vt est multorum priscorum Patrum sententia. Et hoc modo exponi possunt apparitiones factæ sancto Carpo, Antonio, & multo magis aliæ, quæ leguntur factæ sanctæ Brigittæ, & Catharinæ Senensi, aliæque id genus. Aut per visionem etiā externam, & corporalem, qua tamen visus sit Christus non in terra: sed in cœlo existens, sicut visus est ab Stephano, & fortasse etiam à Paulo, vt omittam, multas ex apparitionibus (quæ referuntur) confictas esse, alias vero interdum fieri virtute dæmonis transformantis se in Angelum lucis, ac Diuinum Christi nomen sibi arrogantis, vt in vita Martini, Antonij, aliorumque Sanctorum legimus. Non inuenio hunc dicendi modum expresse traditum ab aliquo Doctore catholico, nec mihi videtur posse commodè defendi, præsertim propter ea, quę scriptura tradit de apparitione facta Paulo, & ea, quæ Sancti referunt de apparitione facta Petro, & multum etiam vrgent quæ de beata Virgine tradidimus. Qua propter licet omnes aliæ apparitiones possint probabiliter aliquo ex tribus prędictis modis explicari: iis autem tribus Christi visionibus, seu descensionibus non videntur posse accommodari.

Secundus dicendi modus est, Christum post ascensionem suam interdum & descēdisse in terras, & a cœlesti loco ad breue tempus secessisse. Hanc sententiam docet expresse D. Thom. hic quæst. 57. arti. 6. ad 3. & Caietan. ibidem, & alij recentiores. Quæ sententia probabilis est. Nā ea (quæ in principio adducta sunt) solum probant, locum cœlestem esse proprium, ac permanens domicilium Christi, vbi habitat tanquam in proprio Regno, ac throno: non tamen propterea necesse est, vt ibi immobilis semper maneat, neque scriptura vnquā id docuit. Et hoc etiam satis est, vt semper possimus vere, & sine deceptione cogitatione ascendere ad Christum in cœlo commorantē. Quia quando hoc modo de Christo cogitamus, non affirmamus expresse, ac veluti mentalem propositionem faciendo, Christum in hoc momēto esse localiter in cœlo prę sentē: sed simpliciter cogitamus de Christo, qui in cęlo regnat, cuius thronum, ac sedem scimus esse in regno cœlesti. Sicut nunc etiam possum ego cogitatione fieri Romę prę sens, vt de summo Pōtifice, qui illic prę sidet cogitē, quāuis non affirmē, nec sentiā ipsum nunc in vrbe contineri. Quod si frequentius fideles simpliciter cogitant Christum in cœlo existentem, ideò est, quia frequentissime ibi commoratur, & nunquam abest nisi rarissime, & ex singulari priuilegio, & dispensa-

Christum post ascensionē interram interdum descendisse relicta cœlesti sede probabile. D. Thom.

tione, & breuissimo temporis spatio. Et in hunc modum limitandam censeo hanc, & sequentem sententiam, vt statim dicam.

Tertius modus dicendi est, Christum, ex quo in cœlum ascendit, nunquam cœlestem locum deseruisse, & tamen interdum in terris visibiliter apparuisse per veram, ac realem præsentiam sui corporis, existendo nimirum simul in duobus locis modo (vt aiunt) quantitatiuo, & circumscriptiuo. Ita sentit ex scholasticis Ioānes Maior in. 4. dist. 10. q. 4. & idem libenter amplectuntur, qui his temporibus cōtra hæreticos, pro præsentia reali Christi domini in Eucharistia, pugnant. Et est opinio probabilis. Quia quod supponit nimirum, posse esse idem corpus in duobus locis secundum modum quantitatis, omnino verum, atque indubitatum mihi est, vt latius in sequenti tomo Deo dante explicabimus. Si autem hoc est possibile, facilius explicantur, & conciliantur omnia scripturæ testimonia, asserendo ita factum esse, cùm aliunde nullum sit incommodum, neque difficultas vlla, quæ in contrarium obijci possit: quin potius, & ad maiorem Christi maiestatem, & autoritatem spectat, vt à suo loco, & sede regia nō recedat: & tamen benignitatis, & caritatis ergò interdum amicos inuisat, præsentiaque sua reficiat. Hęc autem sentētia eo moderamine intelligenda est, vt nō facile arbitremur, Christum frequenter vti hoc miraculo, atque omnes apparitiones, quæ referuntur in historijs, eiusce generis fuisse. Non enim sunt multiplicanda tā ingentia miracula, quando alij modi faciliores sufficiunt.

Maior.

Ex ijs ergo tribus dicendi modis, illum vnum simpliciter, atque absolute verum existimo, Christum scilicet post ascensionem aliquando in terra fuisse: an verò tūc cęlo abfuerit, necne incertum mihi est, et fortasse aliquando simul fuit in vtroque loco, vt verbi gratia, cum Petro, vel Paulo apparuit: tamen, si verum est descendisse ad beatā Virginem in die assumptionis, vt eam secum in gloria, & honore ad cœlum deduceret, non videtur verisimile tunc simul in cœlo fuisse, atque iterum cum matre illuc ascendisse. Et ita sentiūt sancti Patres, qui de hoc mysterio loquūtur. Dicunt enim, Christum cęlesti circunfusum curia ad matrem descendisse.

Christus nō relicto cœlesti throno interdūcorporaliter in terram descendit.

Assentiunt ergo eo tempore cęlestem locū reliquisse. Et hoc mihi de hac apparitione videtur probabilius, quanquam de alijs res sit dubia, & incerta.

QVAESTIO. LIX.

De iudiciaria potestate Christi, in sex articulos diuisa.

Deinde considerandum est de iudiciaria potestate Christi.

¶ Et circa hoc quærūtur sex.

¶ Primò, vtrùm iudiciaria potestas sit attribuenda Christo. *¶ Secundò, vtrùm conueniat sibi, secundum quod est homo* *¶ Tertiò vtrùm eam fuerit ex meritis adeptus.* *¶ Quartò, vtrùm eius potestas iudiciaria sit vniuersalis respectu omnium hominum.* *¶ Quintò, vtrùm præter iudicium, quod agit in hoc tempore sit expectandum aliud vniuersale iudicium futurum per ipsum.* *¶ Sextò vtrùm eius iudiciaria potestas etiam ad Angelos se extendat.*

¶ De executione autem finalis iudicij conuenientius agetur, cùm considerabimus de his qui pertinent ad finem mundi: nunc autem sufficit ea sola tangere, quæ pertinent ad Christi dignitatem.

Non cōpleuit morte præuētus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm iudiciaria potestas sit specialiter Christo attribuenda.

310

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod iudiciaria potestas non sit specialiter attribuenda Christo. Iudicium enim aliquorum videtur pertinere ad Dominum. Vnde dicitur Romanorum. 14. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Sed esse Dominū creaturarū, est cōmune toti Trinitati. Nū ergo specialiter debet at-

bet attribui Christo iudiciaria potestas.

li.2.de Tri. paulo a pr. & li de sy nodispaulo post princ.

¶ 2. Præterea, Daniel. septimo dicitur Antiquus dierum sedit, & postea subditur, Iudicium sedit, & libri aperti sunt. Sed antiquus dierum intelligitur Pater: quia vt Hilarius dicit in Patre est æternitas. Ergo iudiciaria potestas magis est attribueda Patri, quàm Christo.

¶ 3. Præterea, eiusdem videtur esse iudicare, cuius est arguere. Sed arguere pertinet ad Spiritum sanctum: dicit enim Dominus Ioan. 16. Cùm autem venerit ille (scilicet Spiritus sanctus) arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. Ergo iudiciaria potestas magis debet attribui Spiritui sancto, quã Christo. ¶ Sed contra est, quod dicitur Actuum 10. de Christo. Hic est, qui constitutus est à Deo, iudex viuorum & mortuorum.

Respondeo dicendum, quòd ad iudicium faciendum tria requiruntur. Primò quidem potestas subditos coercendi. Vnde dicitur Eccles. 7. Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates. Secundò requiritur rectitudinis zelus: vt scilicet aliquis non ex odio vel liuore, sed ex amore iustitiæ iudicium proferat: secundum illud Prouerbiorum 3. Quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi. Tertiò requiritur sapientia, secundum quam formatur iudicium. Vnde dicitur Eccles. 10. Iudex sapiens iudicabit populum suum. ¶ Prima autem duo præexiguntur ad iudicium. Sed propriè tertium est, secundum quod accipitur forma iudicij. Quia ipsa ratio iudicij, est lex sapiẽtiæ vel veritatis, secundum quam iudicatur. Et quia Filius est sapientia genita, & veritas à Patre procedens, & ipsum perfectè representans, ideo propriè iudiciaria potestas attribuitur Filio Dei. Vnde Augustinus dicit in libro de Vera religione. Hæc est incommutabilis illa veritas, quæ lex omnium artium rectè dicitur, & ars omnipotentis artificis. Vt autem nos & omnes animæ rationales, secundum veritatem de inferioribus rectè iudicamus, sic de nobis quando eidem cohæremus, sola ipsa veritas iudicat. De ipsa verò nec Pater: non enim minor est, quam ipse. Et ideo, quæ pater iudicat, per ipsam iudicat. Et postea concludit, Pater ergo non iudicat quenquam: sed omne iudicium dedit Filio.

capit.31. in prin. to. 1.

¶ Ad primum ergo dicendum, quod ex illa ratione probatur, quod iudiciaria potestas sit communis toti Trinitati: quod verum est. Sed tamen per quandam appropriationem, iudiciaria potestas attribuitur Filio, vt dictum est.

In cor. ar.

¶ Ad secundum dicendum, quod sicut Augustinus dicit in sexto de Trinitate. Patri attribuitur æternitas propter commendationem principij: quod importatur in ratione æternitatis. Ibidem etiam Augustinus dicit, quod Filius est ars Patris. Sic igitur autoritas iudicandi attribuitur Patri, in quantum est principium Filij. Sed ipsa ratio iudicij attribuitur Filio, qui est ars & sapientia Patris: vt scilicet, sicut Pater facit omnia per Filium, in quantum est ars eius: ita etiam iudicet omnia per Filium in quantum est sapientia & veritas eius. Et hoc significatur in Daniele: vbi primo dicitur, quod Antiquus dierum sedit: & postea subditur, quod Filius hominis peruenit, vsque ad Antiquum dierum, & dedit ei potestatem & honorem & regnum. Per quod datur intelligi, quod autoritas iudicandi est apud Patrem, à quo Filius accepit potestatem iudicandi. ¶ Ad tertium dicendum, quod (sicut Augustinus dicit, super Ioann.) ita dixit Christus, quod Spiritus sanctus arguet mundum de peccato: tanquam diceret, ille diffundet in

lib.6.c.10. cir.pr.to.3

eodem nũc dicto ca.10 to.3.

cordibus vestris charitatem, sic enim timore depulso, arguendi habebitis libertatem. Sic ergo Spiritui sancto attribuitur iudicium, non quantum ad iudicij rationem, sed quantum ad effectum iudicandi quem homines habent.

COMMENTARIVS.

TItulus huius ar. intelligendus est de Christo non tantũ, vt homo est, sed absolute, vel vt est Deus, & similiter est intelligendus de iudiciaria potestate perfectissima, & suprema. Itaque sensus erit, an Christo filio Dei suprema iudicandi potestas specialiter conueniat. Hunc autem esse sensum D. Th. constat ex discursu ar. in quo affirmat, iudiciariam potestatem specialiter conuenire filio non per proprietatem, sed per appropriationem: vt in solutionibus argumentorum explicat. Reddit autem D. Tho. elegantem rationẽ huius appropriationis. Quia cũ tria requirantur ad iustũ iudiciũ, potestas, rectitudo, & sapientia, duo prima sunt velut prærequisita: tertium verò est quasi propria ratio, à qua iudicandi actus dimanat. Quia ergo filius est sapientia patris, ideo potestas iudicandi illi specialiter attribuitur. Et in hunc modum explicat D. Th. verba illa Ioan. 5. *pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio.* Quod testimonium diligenter est hoc loco explicandum, quoniã est vnum ex præcipuis fundamentis omniũ, quæ in tota hac materia dicenda sunt.

Testimonij Ioannis. 5.

Est ergo inter expositores controuersia, vtrum hæc verba intelligenda sint de filio secundum diuinitatem, an secundũ humanitatem. Priori modo exponunt Chrysost. ibi homil. 38. quem sequuntur Theophyl. & Euthym. Item Hilarius lib. 7. de Trinitat. Athanas. serm. 4. contra Arianos Tertul. lib. contra Praxeam cap. 16. *Omne (inquit) iudicium tradidit filio, a primordiosamen. Omnem enim dicens potestatem, & omne iudicium, nullam exceptionem temporis permittit. Quia omnia non erunt, si non omnis temporis fuerint, filius itaque est, qui ab initio iudicauit.* Item Ambros. lib. 2. de fide cap. 4. *Omne (inquit) iudicium dedit filio, dedit vtique generando, non largiendo.* Cyril. Alexan. lib. 2. in Ioan. cap. 5. 40. vbi inquit, iis verbis ostendisse Christum, se esse verum Deum:

1. Exposit. Chrysost. Theo. Euthym. Hilarius. Athanasius Tertul. Ambros. Cyr. Ale.

A differt tamen à reliquis, quia intelligit, ratione humanitatis dici filium accipere a patre hanc potestatem. *Nam vt Deus* (inquit) *naturaliter illam habet, tamen per dispensationem, seu incarnationẽ accepit, vt homo existens illam haberet, quatenus per incarnationem factum est, vt hic homo habeat potestatem iudicãdi eandem cum filio, quia est ipsemet filius Dei.* Atq; eandem expositionem habet in Exegesi de incarn. ad Valerianum, & lib. 2. ad Reginas, cap. *quod Christus sit verus Deus, etiam si filius hominis appelletur.* Denique hanc expositionem sequitur hic D. Tho. & eã tribuit Aug. lib. de vera religione cap. 31. vbi satis cõcisè, & obscurè illam attingit. Videtur autem expositio hæc satis cõsentanea contextui, si antecedentia, & subsequentia, & proprietas verborum considerentur. Cum enim Euangelista dixisset, Iudæos propterea cõcepisse odiũ in Christum, quod se faceret æqualem Deo, subiungit, Christum apertius suam diuinitatem, & omnipotentiam prædicasse, quam non a se, sed à patre habet per æternam generationem. Hic enim est sensus illorum verborum, *Amen dico vobis non potest filius a se facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem. Quæcunque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit.* Quæ verba non possunt nisi de diuinitate esse vera, vt per se constat, & tamen eodem contextu, & sub eisdem verbis subiungitur, *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio.* Sequitur ergo de filio secundum diuinitatem, vt etiam nomen ipsum *filij* absolute prolatum præsefert. Et verba etiam sequentia declarant. *Vt omnes honorificet filium sicut honorificant patrem.* Est ergo sermo de illis, vt æquales sunt, eodemque honore digni.

D. Thom. Aug.

Illud verò est in hac expositione difficile, quomodo ixta illam intelligenda sint illa verba, *Pater non iudicat quenquam.* Nam si sermo est de communicatione supremæ potestatis iudicandi per æternam generationem, quanuis hanc pater filio dederit, non sibi illam ademit: ergo hoc sensu dici non potuit, *Pater non iudicat quenquam*, cum opera Trinitatis ad extra sint indiuisa. Neque ad hoc satis est, quod per appropriationem iudicium tribuatur filio: sicut licet omnipotentia approprietur patri, nõ propterea negari potest de filio. Quod argumentum compulit Aug. vt prædictam expositionem relinqueret lib. 1. de Trinitat. cap. 13. Responderi vero potest, Patrem non

non iudicare quenquam exercendo iudicium per se ipsum immediatè: filium autē iudicare per se, & in persona propria. Sed hoc non satisfacit. Quia vel est sermo de iudicio ferendo, & exercendo per solam Diuinitatem immediatè, & hoc modo, sicut Pater non iudicat quenquam, ita neq; filius. Vel est sermo de iudicio ferendo, & exercendo per humanitatem vnitā Diuinæ personæ: & hoc modo, licet sit verum, solum Filium iudicare: tamen iam nō persistitur in prędicta expositione. Nam hoc modo non iudicat Filius vt Deus, sed vt homo: neque accepit à Patre potestatem hoc modo iudicandi per æternam generationem, sed per humanationem. Denique huiusmodi iudicium non tribuitur Filio per appropriationem, sed per proprietatē. Adde etiam hoc sensu videri falsam illam propositionem, *Pater non iudicat quenquam.* Angelos enim iudicauit per se immediatè iudicium exercendo, & similiter omnes homines, qui ante Christum mortui fuerunt: ergo quando Christus protulit illa verba, adhuc Pater iudicabat per se ipsum, & nondum filio homini iudicium commiserat, iuxta illud Ioan. 8. *Ego non iudico quenquam, est qui quærat, & iudicet.* Cum enim Christus de omni iudicio loquatur, non videtur esse solum sermo de iudicio vniuersali, sed de omni iudicio animarū. Alio ergo sensu posset explicari illa propositio negatiua, *Pater non iudicat quenquā*, vel subintelligendo, *solus*, id est, non solus Pater iudicat, sed iudicium est illi cum filio commune. Vel (quod in idem redit) vt illa aduersatiua, *sed*, sit veluti determinatio prędcedentis negationis, ita vt sensus sit, Pater non iudicat quenquā sine filio, vel nisi per filium, cui omne iudicium cōmunicat. Quæ expositio quidpiam veri dicit: ægrè tamen potest contextui accōmodari. Fauent tamen illi verba subiuncta, *Vt omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem.* Quibus indicatur, sicut honorem, ita & iudicium commune esse Patri cum Filio. Indicat etiam eandem expositionem Aug. dicto lib. de vera religione, licet subobscurè, & eodem modo eandem indicant Græci.

Ioannes. 8

Aug.

2. Expos. probabilior

Altera expositio est, vt hic locus intelligatur de Christo, vt homine, cui datū est vt in humanitate, & per humanitatem iudicium exerceat animarum. Iuxta quā necesse est, vt sit sermo de iudicio vniuersali, & sensibili, quod fiet in die iudicij, & ita facile intelligitur, quomodo Pater nō iudicet quenquam. Quia licet illud iudicium etiam sit à Patre, & à Spiritusancto, vt à prima, & principali causa habente primariam autoritatem iudicandi, cuius vices gerit Christus vt homo: tamen non erit à Patre, vt á persona immediatè ferente iudicium, hoc autem modo iudicabit Filius tanquam propria persona, in qua subsistit illa humanitas, per quam iudicium fit. Ita expositit Aug. in prędicto lib. de Trinita. & tract. 21. in Ioan. Hierony. Isai. 27. tractans illa verba, *Ecce ego mittam in Sion lapidem probatum, & ponam iudicium in pondere.* Latius, & apertius in id Psal. 74. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Et indicat Cyprian. lib. 2. contr. Iudæos, cap. 28. & lib. 3. ad Quirinum cap. 33. Et iuxta hāc expositionem potest commodissimè Euāgelicus textus connecti. Considerāda est enim ocasio totius illius sermonis Christi. Calumniabantur enim Iudæi, quòd in Sabbatho sanasset paralyticum. Responsio autem Christi eò tendit, vt ex diuinitate personæ suæ ostendat, rectissimè fecisse, quidquid per humanitatem operabatur. Et ideò in discursu sui sermonis quædam dicit de dignitate personæ suæ secundum se, vt inde tacitè, vel expressè inferat, quid de humanitate eius sit cogitandum. Et ita inquit, *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* In quo professus est, se esse æqualem cum Patre, vt ibi Chrysost. Cyril. Aug. & reliqui intellexerunt, & Athanas. serm. de sanctissima Deipara, & Nazian. orat. 4. Theologię, & ipsi etiam Iudæi intellexerunt, vt Euangelista dicit. Hinc tacitè voluit Christus colligere non debere reprehendi, quòd in Sabbatho miracula faceret, vel quia, cū esset Deus, erat supra omnē legē, & Dominus ipsius Sabbathi (vt alibi dixit) vel certè, quia cū illud opus esset immediate à persona filij, ab humanitate vero, nō nisi vt ab instrumētō coniuncto Diuinitati, nō poterat non esse rectū, & gratum Patri. Et hoc est, q̄ subdit, *Non potest filius a se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Quod potest quidē etiam secundū Diuinitatem intelligi: melius tñ humanitati accommodatur, per quam Christus nihil operatur, nisi quod videt esse Diuinæ volūtati, ac dispositioni consentaneū. Cuius veritatis rationē subiūgit illis verbis, *Quæcunq; enim ille*

Potestas iudicandi qualiter Christo data.

Aug. Hieronym. Isaias. 27. Psal. 74.

Cyp.

Chry. Cyrill. Aug. Athanas. Gre. Naz.

facit, hæc & filius similiter facit, quod soli diuinitati recte accommodatur: tamen sensus rationis est, cùm persona filij sit æqualis patri, æquè cum illo omnia operans, ac disponens, inde sequi, etiam per voluntatem humanā nō posse quidquam nisi ex beneplacito patris operari. Huius autem consecutionis probationem cōtinent sequentia verba. *Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit.* Hæc enim verba non possunt recte diuinitati accōmodari. Quia filius vt Deus nō habet ex dilectione patris, quòd pater omnia sua opera ei demonstret: sed per naturalem generationem: cùm ergo Christus causam reddat ex dilectione patris, loquitur secū dū humanitatē. Nam quia pater ita eā dilexit, vt filio suo in vnitatē personæ copularet, ideò illi homini ostēdit omnia, quæ facit: non solum speculatiue (vt sic dicam) sed etiam practicè, dando ei virtutem ad faciēda opera illis similia, quę ipse facit, & hoc est, quod subdit, *& maiora ijs demōstrabit ei opera.* *Demonstrabit*, inquit, non quantum ad cognitionē (Nam etiam vt homo omnia sciebat â principio conceptionis) sed quantum ad executionem eorum, quæ in singulis tēporibus operaturus erat iuxta patris volūtatem. De quibus subdit, *sicut pater suscitat mortuos, sic & filius.* Quod recte intelligitur secundum humanitatem vt supra dictum est. Et eodem sensu concludit, *Neque enim pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio.* Ac si diceret, potestatem suscitandi homines coniūctam esse cum potestate iudicandi. Nam oportet, iudicem habere potestatem vocandi, & trahendi reos ad iudicium: vocandi autē sunt per generalem resurrectionem. Deinde ratio illa, quam Christus adhibet, *Vt omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem*, non repugnat huic expositioni, quādoquidem filius adoratur eadē adoratione, qua pater, & eadem coadoratur humanitas filio coniuncta. Est ergo vtraq; expositio satis probabilis: hæc tamen posterior videtur facilius omnes difficultates expedire.

Ex his verò omnibus colligitur (si priorem expositionem amplectamur) recte ex illa confirmari assertionem D. Tho. hic, & e contrario nō posse aliter intelligi, potestatem iudicandi datam esse specialiter filio vt Deo, nisi secundum quandam appropriationem. At vero (si posteriorem tenemus expositionem) non potest assertio diui Thomæ ex scriptura probari. Nam locus, quem adducit in argumento: sed cōtra, ex Act. 10. euidentius de Christo, vt homine intelligendus est. Ratio tamen D. Thom. reddit assertionē satis probabilem. Quanquam recte etiā dici posit, iudicium optimè toti Trinitati attribui. Nam ex tribus, quæ ad illud requiruntur, autoritas attribuitur patri, ratio filio, rectitudo Spiritui sancto. Et ex his relinquuntur expositæ solutiones argumentorum. Act. 10.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm iudiciaria potestas conueniat Christo, secundum quod est homo.

321

AD *secūdum sic proceditur. Videtur, quod iudiciaria potestas non conueniat Christo, secundū quod est homo. Dicit enim Aug. in li. de Vera religione: quod iudicium attribuitur filio, in quantum est ipsa lex primæ veritatis. Sed hoc pertinet ad Christum, secundum quod est Deus. Ergo iudiciaria potestas non conuenit Christo, secundum quod est homo, sed secundum quod est Deus.* ¶ 2. *Præterea, ad iudiciariam potestatem pertinet præmiare bene agentes, sicut & punire malos. Sed præmium bonorum operū est beatitudo æterna, quæ non datur nisi a Deo: Dicit enim Aug. super Ioa. quòd participatione Dei fit anima beata, non autē participatione animæ sanctæ. Ergo videtur, quod iudiciaria potestas non conueniat Christo, secundum quod est homo, sed secundum quod est Deus.* ¶ 3. *Præterea, ad iudiciariam Christi potestatem pertinet iudicare occulta cordium: secūdum illud primæ ad Corinth. 14. Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscōdita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Sed hoc pertinet ad solā virtutem diuinam: secundum illud Hiere. 17. Præ-*

ea. 31. circa prin. to. 1.

Tra. 23. in Ioan. inter pri & me. to. 9.

17. *Prauum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda, & probans renes: qui do vnicuique iuxta viam suam. Ergo iudiciaria potestas non conuenit Christo, secundum quod est homo, sed secundũ quod est Deus.* ¶ *Sed contra est, quod dicitur Ioan. 5. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.*

¶ *Respondeo dicendum, quòd Chrysostomus super Ioan. sentire videtur, quod iudiciaria potestas non conueniat Christo, secundum quod est homo, sed solum secundum quod est Deus. Vnde autoritatẽ Ioa. inductam sic exponit. Potestatem dedit ei iudicium facere, (& postea subditur) quia filius hominis est nolite mirari hoc, non enim propterea suscepit iudicium, quoniam homo est: sed quia ineffabilis Dei filius est, propterea iudex est: quia vero ea quæ dicebantur, erant maiora, quàm secundum hominem, ideo hanc opinionem soluens dixit. Nè miremini, quia filius hominis est: etenim ipse est etiam filius Dei. Quod quidem probat per resurrectionis effectum. Vnde subdit. Quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei. Sciendum tamen, quod quamuis apud Deum remaneat primæua autoritas iudicandi, hominibus tamen committitur à Deo iudiciaria potestas respectu eorum, qui eorum iurisdictioni subijciuntur. Vnde dicitur Deuteron. 1. Quod iustum est, iudicate, & postea subditur. Quia Dei est iudicium, cuius scilicet autoritate vos iudicatis. Dictum est autem supra, quod Christus etiam in natura humana est caput totius Ecclesiæ, & quòd sub pedibus eius Deus omnia subiecit. Vnde ad eum pertinet, etiam secundum naturam humanam, habere iudiciariam potestatem. Propter quod Augu. autoritatem prædictam Euangelij sic dicit esse intelligendam. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est. Non quidem propter conditionem naturæ: quia omnes homines huiusmodi potestatem haberent (vt Chry. obiicit) sed hoc pertinet ad gratiam capitis, quam Christus in humana natura accepit. Competit autem Christo hoc modo secundum humanam naturam iudiciaria potestas, propter tria. Primò quidem propter conuenientiam & affinitatẽ ipsius ad homines. Sicut enim Deus per causas medias, tanquam propinquiores effectibus, operatur: ita iudicat per hominem Christum homines, vt sit suauius iudiciũ hominibus. Vnde Apostolus dicit Hebr. 4. Non habemus pontificem, qui nõ possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato: adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius. Secundo, quia in finali iudicio (vt Aug. dicit super Ioan.) erit resurrectio corporũ mortuorum, quæ suscitat Deus per Filiũ hominis, sicut per eundem Christum suscitat animas, in quantum est filius Dei. Tertio quia, vt Aug. dicit in lib. de verbis Domini, rectum erat vt iudicandi vi derent iudicem: iudicandi autem erant boni & mali: restabat vt in iudicio, forma serui & bonis; & malis ostẽderetur, forma Dei solis bonis seruaretur.*

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd iudicium pertinet ad veritatem, sicut ad regulam iudicii: sed ad hominẽ, qui est veritate imbutus pertinet secundũ quod est vnum quodammodo cum ipsa veritate, quasi quædam lex, & quædam iustitia animata. Vnde & ibidem Aug. introducit quod dicitur 1. Cor. 2. Spiritualis iudicat omnia. Anima autem Christi præ cæteris creaturis magis fuit vnita veritati, & magis ea repleta: secundum illud Ioan. 1. Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis. Et secundum hoc ad animã Christi maxime pertinet omnia iudicare.* ¶ *Ad secundum dicendum, quòd solius Dei est, sui participatione animas beatas facere. Sed adducere homines ad beati-*

Ho. 38. in Ioa. parum ante mediũ to. 3.

locoiam citato.

Tra. 23. in Ioann. ante med. to. 9.

li. de ver. relig. ca. 31. a med. to. 4.

Tra. 19. in Io post medium to. 9

beatitudinem, conuenit Christo in quantum est caput, & autor salutis eorum: secundum illud Heb.2. Qui multos filios in gloriam adduxerat, autorem salutis eorum per passionem consummari. ¶ *Ad tertium dicendum, quod cognoscere occulta cordium & diiudicare, per se quidem pertinet ad solum Deum. Sed ex refluentia Diuinitatis ad animã Christi, cõuenit etiam ei cognoscere, & iudicare occulta cordium: vt suprà dictum est, cùm de scientia Christi ageretur. Et ideo dicitur Rom.2. In die, cum iudicabit Deus occulta hominum per Iesum Christum.*

q.10.ar.2.

COMMENTARIVS.

QVoniam in præcedẽti articulo exposuit D.Thom. quomodo Christo, vt Deo conueniat potestas iudicandi, consequenter hic explicat, quomodo conueniat illi vt homini, hoc est, in-

Ioann.5. humanitate, & præsertim intendit exponere locum illum Ioan. 5. *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Refert autem sententiam Chrysostom. dicentis potestatem iudiciariam non conuenire Christo vt homini, sed vt Deo tantũ. Sed est diligenter animaduertendũ, aliud esse negare absolutè, Christo vt homini conuenire iudiciariam potestatem: aliud verò negare, doceri hoc in prædicto loco Ioannis. Rursus considerandum est, aliud esse loqui de potestate primaria, seu autoritate suprema iudicandi: aliud de potestate excellentiæ, quæ est quasi instru-

Chrysost. mentaria respectu superioris. Chrysost. ergo hom.38. in Ioannem nec negat, nec negare potest, datam esse Christo in humanitate aliquam iudiciariam potestatẽ. Hoc enim de fide certum est, & ex aliis locis scripturæ euidenter colligitur, vt in sequenti disputat. dicemus. Et hoc probant optimè omnes congruentiæ, quas D.Thom. adducit, quæ per se satis claræ sunt, & argumenta, quæ in contrarium obiicit, & eorum solutiones, sunt facillimæ.

Testimonij Ioannis.5. 1.Exposit. Chrysosto. Solum ergo superest hoc loco explicandum, an hæc veritas tradatur etiam in prędicto loco Ioannis. Chrysostomus enim putat, ibi solum esse sermonem de primę-

A ua autoritate iudicandi, quæ non conuenit filio, nisi vt Deus est. Et ita aliter distinguit Euangelicum contextum, scilicet, *Sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitã in semetipso, & potestatem dedit ei iudicium facere, Quia filius hominis est, nolite mirari hoc, &c.* Et fundamentũ Chrysostomi fuit, quoniam illa verba, *Quoniam filius hominis est*, non possunt continere rationem præcedentium, alias omnibus filiis hominum danda fuisset potestas iudiciaria: ergo debent coniungi cum sequẽtibus. Cùm enim Christus diceret, se esse æqualem Deo, subdit, *Nolite mirari* eo. quod sim homo, &c. & hanc expositionem sequuntur Theophylac. & Euthym. Tbe.

B Sed neque ratio Chrysost. vrget, nec illa Euthym. diuisio, & connexio literæ est ita apta ad contextum explanandũ, sicut ea, quæ habetur in vulgata editione, quã cæteri omnes antiqui sequuntur.

Aliter ergo exponit Cyrillus libr.2. in 2.Exposit. Ioan.cap. 144. qui in hoc conuenit cum Cyr. Chrysostom. quod hunc locum intelligit de potestate iudicandi suprema, ac diuina, quam dicit esse datam Christo, quia filius hominis est. Nam, vt est Deus, non est illi ex tempore data: sed illam habet connaturalem per ęternam generationẽ. Non intelligit autem, datam esse hanc potestatem ipsi humanitati, vt per illam Christo conueniat (hoc enim impossibile est) sed intelligit, datum esse huic homini, vt sit supremus iudex cum Patre, quod per cõmunicationem idiomatum factum est per

C ipsam incarnationem. Hęc expositio probabilis est, sicut de aliis similibus in superioribus diximus: tamen (si scholastico rigore loquamur) impropriæ sunt huiusmodi locutiones. Nam (vt in priori tomo latè disputauimus) licet in ordine ad actũ mentis, vt est prædestinatio, quę præscindere potest in obiecto suo à determinato supposito, verè, & proprie dici possit, *Hic homo est prędestinatus, vt sit filius Dei naturalis*, & vt sit supremus iudex cũ Patre, &c. tamen in ordine ad executionem, seu actum potentię operantis, quæ necessario versatur circa singulare suppositum, non propriè dicitur, *Hic homo factus est Deus*, & consequenter neque potuit proprie dici, huic homini datas esse, seu communicatas per incarnationem essentiales proprietates Dei, quarum vna est primaria potestas iudicandi: sed humanitati coniuncta est

Diuina

diuina persona, vt hic homo sit Deus, & habeat dictam potestatem iudicandi, non quia denuo illi communicata est, sed quia suppositum huius hominis naturaliter illam habet. Neque Cyrillus tam clare docuit hanc expositionem, quin eius doctrina possit ad sequentem accommodari.

3. expositio vera.

Tertia ergo, & legitima expositio est, quam hic tradit D. Tho. scilicet, sermonem Christi esse de potestate excellentiæ ad exercendum iudicium per humanitatem ipsi communicata propter vnionem ad Verbum. Quæ est expositio Aug. trac. 19. & 22. in Ioannem, quem sequuntur Beda ibi, & Rupertus lib. 5. in Ioannem, ac cæteri Latini expositores. Eandem habet rursum Aug. lib. 20. de Ciui. cap. 6. & lib. 1. de Trinit. cap. 13. Indicat Hieron. Isai. 50. quatenus de Christo homine explicat illa verba, *sicut audio, iudico*, & Tertull. lib. contra Praxeam cap. 21. In quo illud est obseruatione dignum, nō legere, *quia*, sed *qua*: sic enim scribit, *Iudicium dedit illi facere in potestate, qua filius hominis per carnem scilicet, sicut & filius Dei per spiritum eius.* Idem Vigilius lib. 5. contra Euthych. Et iuxta hanc expositionem, illis verbis, *quia filius hominis est*, non redditur causa adæquata, ex qua oriatur potestas iudicādi (sic enim vt argumentatur Chryso. omnes homines haberent illam potestatem) sed designatur in primis natura, quæ necessaria fuit in Christo vt esset capax huius donationis, & potestatis. Si enim tantum fuisset Deus, non potuisset hanc potestatem de nouo recipere: tamen, quia filius hominis est, fuit capax eius. Deinde significatur congrua ratio, ob quam voluit Deus iudicium Christo commitere, scilicet, vt homines sensibiles ab homine, cuius facies videri, & vox audiri posset, iudicarentur. Hæc enim prouidentiæ ratio suauior est, & hominibus magis accōmodata, & ita nullo modo sequitur inconueniēs illud, quod Chrys. inferebat. Quia licet iudiciū oporteat fieri per hominem, nō inde fit debere fieri per quemlibet, & licet in omnibus sit capacitas quasi remota: non tamē proxima, neque æqualis ratio. Quod autem hæc expositio valde consentanea sit contextui Euangelico patet ex antecedentibus, & sequentibus. Prius enim ait Christus, *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei & qui audierint, viuent.* Quæ verba intelliguntur de Christo homine, quatenus illi datū est, vt per humanitatis imperium, ac vocem posit mortuos excitare. Et ratione subdes, ait, *Sicut enim pater habet vitam in semetipso*, id est, viuificandi virtute (vt exponit Cyrillus iuxta illud Ioan. 1. *In ipso vita erat, sic dedit & filio habere vitam in semetipso.* Quod recte intelligi potest de filio, vt Deo eo sensu, quem præcedenti art. tradidimus, vt nimirum quia persona filij secundum se habet potestatem viuificandi æqualem cum patre, ideo data sit humanitati eius virtus instrumentaria viuificandi mortuos. Vel etiam potest hæc ratio intelligi de Christo vt homine, sicut Cyrill. etiam exponit. Quo sensu illa particula, *sicut* non dicit æqualitatem, sed proportionem, & similitudinem. Verba igitur, quæ nunc tractamus, & immediate post prædicta sequuntur, recte intelliguntur de Christo, vt homine. Illa vero, *Nolite mirari hoc*, optime cōnectuntur sequentibus. Sicut enim paulo superius ostendit Christus, sibi esse datam potestatem viuificandi mortuos, ex potestate iudicandi, quodammodo ex fine colligens medium: ita e contrario hic, suadet iudicandi potestatē ex potestate suscitandi mortuos, veluti colligens ex medio finem, aut ex vno opere supernaturali magis sensibili, valdeque admirabili admirationem alterius excludens, & hoc est quod ait. *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent*, &c. Ac tādem cōcludit, *Sicut audio, iudico, et iudicium meum iustum est, quia nō quæro voluntatem meam: sed eius, qui misit me.* Quæ verba necesse est, intelligi de volūtate humana: ergo sermo est de iudicio, quod ab illa procedit, & per humanitatem exercetur: de eodem ergo est sermo in prioribus verbis.

Aug. Bed. Rupertus.

Hieron. Tertullia.

Iuliciaria potestas quomodo Christo conueniat.

Vigil.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Christus ex meritis adeptus fuerit iudiciariam potestatem.

322 4. d. 48. q. 1. art. 1. Et 4. cō. c. 95 prin. Etop. 3. cap. 249.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod Christus non ex meritis fuerit adeptus iudiciariā potestatem. Iudiciaria enim potestas assequitur regiam dignitatem, secun-

secundum illud Prouerbior.20.Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malũ intuitu suo. Sed regiam dignitatem Christus obtinuit absque meritis: competit enim ei ex hoc ipso, quòd est Vnigenitus Dei, dicitur enim Lucæ.1.Dabit ei Dominus Deus sedẽ Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum. Ergo Christus iudiciariam potestatẽ non obtinuit ex meritis. ¶ *2.Præterea, Sicut dictum est, iudiciaria potestas competit Christo, in quantum est caput nostrum. Sed gratia capitis non competit Christo ex meritis, sed consequitur personalem vnionem Diuinæ, & humanæ naturæ: secundum illud. Vidimus gloriã eius quasi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis, & de plenitudine eius nos omnes accepimus: quod pertinet ad rationem capitis. Ergo videtur quòd Christus non habuerit ex meritis iudiciariam potestatem.* ¶ *3.Præterea, Apostolus dicit primæ ad Corinth.2.Spiritualis iudicat omnia. Sed homo efficitur spiritualis per gratiam, quæ non est ex meritis: alioquin iã non esset gratia, vt dicitur Romano.11. Ergo videtur, quòd iudiciaria potestas non conueniat, nec Christo, nec aliis ex meritis, sed ex sola gratia.*

er.præced.

¶ *Sed contra est, quòd dicitur Iob 36. Causa tua quasi impij iudicata est, causam iudiciumque recipies, & Augustin. dicit in libro de verbis Domini. Sedebit iudex, qui stetit sub iudice: damnabit verò reos, qui falsò factus est reus.*

In ser. vlt. aliquantulum à med to.10

Respondeo dicendum, quòd nihil prohibet vnum & idem deberi alicui ex causis diuersis, sicut gloria corporis resurgentis debita fuit Christo, non solũ propter congruentiam Diuinitatis, & propter gloriam animæ, sed etiam ex merito humilitatis passionis. Et similiter dicendum est. quòd iudiciaria potestas homini Christo competit, & propter Diuinam personam, & propter capitis dignitatem, & propter plenitudinem gratiæ habitualis: & tamen etiam ex merito eam obtinuit, vt scilicet secundum Dei iustitiam iudex esset, qui pro Dei iustitia pugnauit & vicit & iniustè iudicatus est. Vnde ipse dicit Apoc.3. Ego vici, & sedi in throno Patris mei. In throno autem intelligitur iudiciaria potestas, secundũ illud Psal.9. Sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam. Glos. ord. ibi. ex Cas. exponit.

¶ *Ad primum ergo dicendum, quòd ratio illa procedit de iudiciaria potestate, secundum quod debetur Christo ex ipsa vnione ad Verbum Dei.* ¶ *Ad secundum dicendum, quòd ratio illa procedit ex parte gratiæ capitis.* ¶ *Ad tertium dicendum, quòd ratio illa procedit ex parte gratiæ habitualis, quæ est perfectiua animæ Christi. Per hoc tamen quòd his modis debetur Christo iudiciaria potestas, non excluditur quin debeatur ei ex merito.*

COMMENTARIVS.

QVanquam D. Thom. tantum proponat quæstionẽ de merito: tamen ea occasione explicat omnes rationes, quæ fuerunt in Christo, ob quas data est illi iudiciaria potestas. Quarum prima, & præcipua est dignitas Diuinæ Personæ, cum qua coniuncta est dignitas capitis, ad quam quodammodo spectat hæc iudiciaria potestas: iis vero adiũcta est ratio meriti, quia ad perfectionem pertinet, & nõ repugnat simul cum aliis titulis coniungi, vt exposuimus superiori tomo disputat. 40. sectio. 3. Quod vero adiungit D. Thom. hanc potestatem etiam esse datam Christo propter plenitudinem gratiæ habitualis, non videtur ita intelligendum, vt hæc sit sufficiens ratio huius potestatis. Quia gratia habitualis per se non habet, vt illi debeatur potestas, vel iurisdictio in alios, etiam si in suo ordine perfectissima sit. Sed potest altero è duobus modis intelligi. Primo, quia supposito aliis rationibus huius potestatis, hæc etiam adiuuat, & est bona congruentia. Vel secundo, quia supposito, quod ad suauem ordinem Diuinæ prouidentiæ pertinuit iudicium hominũ alicui homini committere, dari debuit sanctiori

sanctiori, & innocentiori homini: & hoc modo plenitudo gratiæ multum confert ad hanc potestatem.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Christo conueniat iudiciaria potestas quantum ad omnes res humanas.

323 Quodli. 10. arti. 2. cor.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod ad Christum non pertineat iudiciaria potestas quantum ad omnes res humanas. Vt enim legitur Luc. 12. Cùm quidã de turba Christo diceret, Dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem: ille respondit, Homo, quis me constituit iudicẽ, aut diuisorem super vos? Non ergo habet iudicium super omnes res humanas.

¶ 2. Præterea, Nullus habet iudicium nisi super ea, quæ sunt sibi subiecta. Sed Christo nondum videmus omnia esse subiecta: vt dicitur Hebr. 2. Ergo videtur, quòd Christus nõ habeat super omnes res

li. 20. ca. 2 to. 5 humanas iudicium. ¶ 3. Præterea, Aug. dicit. 20. de Ciuit. Dei, quod ad iudiciũ diuinum pertinet hoc, quòd interdum boni affliguntur in hoc mundo, & interdũ prosperantur, & similiter mali. Sed hoc fuit etiam ante Christi incarnationem. Ergo non omnia iudicia Dei circa res humanas pertinent ad iudiciariam potestatem Christi. ¶ Sed contra est quod dicitur Ioan. 5. Pater omne iudicium dedit filio.

Respondeo dicẽdum, quòd si de Christo loquamur secundum diuinam naturã manifestum est, quòd omne iudicium Patris pertinet ad Filiũ, sicut enim Pater facit omnia Verbo suo, ita & omnia iudicat Verbo suo. Si verò loquamur de Christo secundum naturam humanam, sic etiam manifestum est, quod omnes res humanæ subduntur eius iudicio. Et hoc manifestum est, primò quidem si consideremus habitudinem animæ Christi ad Verbum Dei. Si enim spiritualis iudicat omnia (vt dicitur primæ ad Corinth. 2.) in quantum mens eius verbo Dei inhæret, multo magis anima Christi, quæ est plena veritate Verbi Dei super omnia iudiciũ habet. Secundo apparet idem ex merito mortis eius: quia vt dicitur Roma. 14. in hoc Christus mortuus est, & resurrexit, vt viuorum, & mortuorum dominetur. Et ideo super omnes habet iudicium: propter quod, & Apostolus ibi subdit, quod omnes stabimus ante tribunal Christi. Et Dani. 7. dicitur, quod dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ seruient ei.

Tertio apparet idem ex comparatione rerum humanarum ad finem humanæ salutis. Cuicunque enim committitur principale, committitur & accessorium. Omnes autem res humanæ, ordinantur in finem beatitudinis, quæ est salus æterna, ad quam homines admittuntur, vel etiã repellũtur iudicio Christi: vt patet Matth. 25. Et ideo manifestum est, quod ad iudiciariam potestatem Christi pertinent omnes res humanæ.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut dictum est, iudiciaria potestas consequitur regiam dignitatem. Christus autem quamuis esset rex constitutus à Deo, non tamen in terris viuens, terrenum regnum temporaliter administrare voluit: vnde ipse dicit Ioan. 18. Regnum meum non est de hoc mundo. Similiter etiam iudiciariã potestatem exercere noluit super res temporales, qui venerat homines ad diuina transferre: vnde Amb. ibidem dicit, Bene terrena declinat qui propter diuina descenderat: nec iudex dignatur esse litium, & arbiter facultatum, viuorum habens mortuorumque iudicium, arbitriũque meritorum. ¶ Ad secundum dicendum quod Christo sunt omnia subiecta quantum ad potestatem, quam à Patre super omnia accepit: secundum illud Mat. vlt. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in

Art. præc. in argu. 1.

li. 7. in Lu. super illud Quis mecõ stituit iudicem inter vos tom. 5.

& in terra. Nondum tamen sunt omnia ei subiecta quantum ad executionē suæ potestatis, quod quidem erit in futuro: quando de omnibus voluntatem suam adimplebit, quosdam quidem saluando, quosdam autem puniendo. ¶ Ad tertium dicendum, quòd ante Incarnationem huiusmodi iudicia exercebantur per Christum, in quantum Dei Verbum est, cuius potestatis facta est particeps per Incarnationem anima ei personaliter vnita.

COMMENTARIVS.

AFfirmat D.Thom. iudiciariæ potestati Christi subdi res omnes humanas. In qua assertione solum occurrit aduertendum, proprium actum iudiciariæ potestatis versari propriè, & immediatè circa actiones humanas, quatenus per eam potestatem homines iudicantur. Nunc enim de Angelis non agimus, & inferiores res non sunt capaces huius iudicij. Quia cùm non habeant libertatem, non sunt capaces bonitatis, & malitiæ, & eadem ratione homo nō subditur huic iudicio, nisi quatenus potest, & debet libertate sua vti ad benè operandum, & cauendum malum. Quod fit per actionem humanam, sub qua omissionem etiam comprehendimus, & peccatum etiam originale, quatenus ex actione humana primi Parentis deriuatum est. Et ita in vltimo iudicio sententia iudicis tota nititur humanis actibus, quibus pœna, vel præmium respondet, Matth. 25. Cæteræ igitur res humanę eatenus sub iudiciaria potestate cōtinentur, quatenus benè, vel malè homo illis vsus est, vti ve potuit, & non fecit. Et hoc modo non tantum res humanæ: sed etiam (vt ita dicam) ipsæ res diuinæ, & omnes creaturæ cadunt sub hanc potestatē, quatenus omnes homini aliquo modo subiiciuntur, vel in eius ministerium, vel salutem ordinantur, vt D.Thom. attigit in tertia ratione, quæ est propria, & adæquata. Nam in duabus prioribus magis explicatur, quomodo ex parte Christi non desit scientia, & gratia, seu rectitudo, & meritum ad tam eximiam, & vniuersalem potestatem.

In solutionibus argumentorum occurrebat quæstio, an Christus in hac vita assumpserit dominium, & potestatem iudicandi, sed eam satis explicuimus in priori tomo. Est autem attente considerandum, D.Thom. in solut. ad 1. nullam Christo negare potestatem, sed vsum tantum.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum post iudicium, quod agitur in præsenti tempore, rester aliud iudicium.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quòd post iudiciū, quod in præsenti tempore agitur, non restet aliud iudicium generale. Post vltimam enim retributionem præmiorum, & pœnarum, frustra adhibetur iudicium. Sed in hoc præsenti tempore fit retributio præmiorum & pœnarū: dixit enim Dominus Latroni in cruce Luc. 23. Hodie mecum eris in paradiso, & Luc. 16. dicitur, quòd mortuus est diues, & sepultus est in inferno. Ergo frustrà expectatur finale iudicium. 324 4 d.47.q. 1 ar.1.q.1 Et 4.cōtra c.95.prin. Et opusc.3 c.249. Et op.10.art. 27. Et Isa. 30.lect.3. princip.

¶ 2. Præterea, Nahum primo dicitur secundum aliam literam, Non iudicabit Deus bis in idipsum. Sed in hoc tempore Dei iudicium exercetur & quātum ad temporalia, & quantum ad spiritualia. Ergo videtur, quòd non sit expectandū aliud finale iudicium. ¶ 3. Præterea, Præmium & pœna respondent merito & demerito. Sed meritum & demeritum non pertinent ad corpus, nisi in quantum est animæ instrumentum: ergo nec præmium seu pœna debetur corpori, nisi propter animam. Non ergo requiritur aliud iudiciū in fine, ad hoc quod homo præmietur, aut puniatur in corpore, præter illud, quo nunc puniuntur aut præmiātur animæ. ¶ Sed contra est, quod dicitur Ioan. 12. Sermo, quem loquutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. Erit ergo quoddam iudicium in nouissimo die præter iudicium, quod nunc agitur.

Respondeo dicendum, quod iudicium de

de aliqua re mutabili, perfectè dari non potest ante eius consummationem: sicut iudiciũ de aliqua actione qualis sit, perfectè dari non potest, antequam sit consummata, & in se & in suis effectibus: quia multæ actiones videntur esse vtiles, quæ ex effectibus demonstrantur nociuæ. Et similiter de homine aliquo iudicium pefectè dari non potest, quoad eius vita terminetur, eò quòd multipliciter potest mutari de bono in malum, aut è cõuerso: vel de bono in melius, aut de malo in peius. Vnde Apostolus dicit Hebr. 9. quod hominibus statutum est semel mori, post hoc autem, iudicium. Sciendum tamen, quod licet per mortem vita hominis temporalis terminetur secundum se, remanet tamen ex futuris, secundum quid dependens. Vno quidem modo, secundum quod adhuc viuit in memorijs hominum, in quibus quandoque contra veritatem remanet bonæ famæ, vel malæ. Alio modo in filijs, qui sunt quasi aliquid patris (secundum illud Eccle. 30. Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se) & tamẽ multorum bonorum sunt mali filij, & è cõtrario. Tertio modo, quantum ad effectum suorum operum, sicut ex deceptione Arrij, & aliorum seductorum, pullulat infidelitas vsque ad finem mundi: & vsque tunc proficit fides ex prædicatione Apostolorum. Quarto modo, quantum ad corpus, quòd quandoque honorifice traditur sepulturæ, quandoque vero relinquitur insepultum, & tandem incineratum omnino resoluitur. Quinto modo quantũ ad ea in quibus homo suum affectum defixit: puta in quibuscunque temporalibus rebus, quarum quædam citius finiuntur, quædam diutius durant. Omnia autem hæc subduntur existimationi iudicii diuini. Et ideo de his omnibus perfectũ, & manifestum iudicium haberi non potest, quandiu huius temporis cursus durat. Et propter hoc oportet esse finale iudicium in nouissimo die, in quo perfectè, id quod ad vnumquemque hominem pertinet quocunque modo, perfectè & manifestè iudicetur.

A

Ad primum ergo dicendum, quod opinio quorundam fuit, quòd animæ Sanctorum non præmiantur in cœlo, nec animæ damnatorum puniuntur in inferno vsque ad diem Iudicij. Quod quidem apparet falsum ex hoc, quod Apostolus 2. ad Cor. 5. dicit, Audemus, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præsentes esse ad Dominũ: quod est iam non ambulare per fidem, sed per

B

speciem, vt patet ex his quæ subsequuntur. Hoc autem est videre Deum per essentiam, in quo consistit vita æterna: vt patet Ioan. 17. Vnde manifestum est, animas à corporibus separatas esse in vita æterna. Et ideo dicendum est, quòd post mortem quantum ad ea, quæ sunt animæ homo sortitur quendam immutabilem statum. Et ideo quantum ad præmium animæ, non oportet vlterius differri iudicium. Sed quia quædam alia sunt ad hominem pertinentia, quæ toto temporis cursu aguntur, quæ non sunt aliena a diuino iudicio, oportet iterum in fine temporis, omnia hæc in iudicium adduci. Li

C

cet enim homo secundum hæc non mereatur, neque demereatur: tamen pertinent ad aliquod eius præmium vel pœnam. Vnde oportet hæc omnia æstimari in finali iudicio. ¶ Ad secundum dicendum, quod Deus non iudicabit bis in idipsum, idest secundum idem: sed secundum diuersa nõ est inconueniens Deum bis iudicare.

¶ Ad tertium dicendum, quod licet præmium, vel pœna corporis dependeat ex præmio, vel pœna animæ: tamen quia anima non est mutabilis nisi per accidens propter corpus, statim separata à corpore habet statum immutabilem, & accipit suũ iudicium. Sed corpus remanet mutabilitati subiectum vsque ad finem temporis. Et ideo oportet, quod tunc recipiat suum

præ

præmium, vel pœnam, in finali iudicio.

COMMENTARIVS.

Duus Thomas in titulo vnum supponit, scilicet fieri in præsenti tempore priuatum iudiciũ: aliud vero inquirit, ac probat, scilicet futurum aliquando vniuersale iudicium, & quoniam de vtraque re fusius disputaturi sumus, & sententia D. Thom. satis perspicua est in textu, ideò hic nihil addendum superest. Quæstio vero grauis (quam D. Thom. attingit in solut. ad 1.) an animę Iustorum statim, ac separantur à corpore, & sunt plenè purgatæ, videant Deum ante diem iudicij, non est hoc loco disputanda, pertinet enim ad materiam de beatitudine.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum iudiciaria potestas Christi se extendat ad Angelos.

325 AD *sextum sic proceditur. Videtur, quòd potestas Christi iudiciaria, non se extendat ad Angelos. Angeli enim tam boni quam mali iudicati sunt à principio mundi, quando quibusdam cadentibus per peccatum, alij sunt in beatitudine confirmati. Sed illi qui iudicati sunt, non indigent iterum iudicari. Ergo potestas iudiciaria Christi non se extendit ad Angelos.* ¶ *2. Præterea, Non est eiusdem iudicare & iudicari. Sed Angeli venient cum Christo iudicaturi, secundum illud Matth. 25. Cùm venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cũ eo. Ergo videtur quod Angeli non sint iudicandi à Christo.* ¶ *3. Præterea, Angeli sunt superiores aliis creaturis. Si ergo Christus est iudex non solum hominum, sed etiam Angelorum, pari ratione erit iudex omnium creaturarum. Quod videtur esse falsum, cùm hoc sit proprium prouidentiæ Dei. Vnde dicitur*

A *Iob. 34. Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbẽ, quẽ fabricatus est? Nõ ergo Christus est iudex Angelorum.* ¶ *Sed contra est, quod Apostolus dicit 1. Cor. 6. An nescitis quoniam Angelos iudicabimus? Sed Sancti non iudicabunt nisi auctoritate Christi. Ergo multò magis Christus habet iudiciariam potestatem super Angelos.*

Respondeo dicendũ, quòd Angeli subsunt iudiciariæ potestati Christi, non solùm quantum ad Diuinam naturã, prout est Verbum Dei, sed etiam ratione humanæ naturæ. Quod patet ex tribus. Primò quidem, ex propinquitate naturæ assumptæ ad Deum, quia, vt dicitur Hebræ. 2. nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit: Et ideo anima Christi magis est repleta virtute Ver

B *bi Dei, quam aliquis Angelorum, vnde & Angelos illuminat: sicut Dion. dicit 7. ca. Cœle. hierar. Vnde de eis habet iudicare. Secundò, quia per humilitatem passionis humana natura in Christo meruit exaltari super Angelos: ita, sicut dicitur Philip. 2. vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Et ideo Christus habet iudiciariam potestatem, etiam super omnes Angelos, & bonos & malos. In cuius signum dicitur Apocal. 7. quod omnes Angeli stabant in circuitu throni. Tertio ratione eorum, quæ circa homines operãtur: quorum Christus speciali quodam modo est caput. Vnde dicitur Hebræ. 1. Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium Missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Subsunt autem iudicio Christi, vno quidem modo quantũ ad dispensationem eorum, quæ per ipsos aguntur, quæ quidem dispensatio fit etiã per hominem Christum: cui Angeli ministrabãt, vt dicitur Matt. 4. & à quo dæmones petebant, vt in porcos mitterẽtur: vt dicitur Matth. 8. Secundò, quantum ad alia accidentalia, præmia bonorum*

Ca. 7. amc dio.

C

Ange-

Angelorum, quæ sunt gaudia, quæ habẽt de salute hominũ: secundũ illud Luc. 15. Gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente: & etiam quantum ad pœnas accidentales dæmonum, quibus torquentur vel hic, vel recluduntur in inferno. Et hoc etiam pertinet ad hominem Christum. Vnde Marc. 1. dicitur, quòd dæmõ clamauit: Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? Venisti ante tempus perdere nos. Tertiò, quantum ad præmium essentiale bonorũ Angelorum, quod est beatitudo æterna: & quantum ad pœnam essentialem Angelorum malorũ, quæ est damnatio æterna. Sed hoc factum est per Christum, in quantum est verbum Dei, à principio mundi. A

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de iudicio quantum ad præmium essentiale, & pœnam principalem. ¶ *Ad secundum dicendum, quòd sicut dicit August in libr. de Vera religione, licet spiritualis iudicet omnia: tamen iudicatur ab ipsa veritate. Et ideo licet Angeli, ex eo quòd sunt spirituales, iudicent: iudicantur tamen à Christo, in quantum est veritas.* ¶ *Ad tertiũ dicendum, quòd Christus habet iudiciũ non solum super Angelos, sed etiam super administrationem totius creaturæ. Si enim (vt Aug. dicit in 3. de Trinit.) inferiora quodã ordine reguntur à Deo per superiora, oportet dicere, quod omnia reguntur per animam Christi, quæ est supra omnem creaturam. Vnde & Apostolus dicit Hebr. 2. Non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ futurum (scilicet subiectum ei, de quo loquimur, id est Christo.) Nec tamẽ propter hoc alium constituit Deus super terram: quia vnus & idem est & Deus & homo, dominus Iesus Christus. De cuius Incarnationis mysterio ad præsens dicta sufficiant.* B C

Ca. 31. to. 1.

Li. 3. ca. 4 to. 3.

Litera est clara, de re verò ipsa dicemus postea.

DISPVTATIO LII.

In duas sectiones distributa.

De iudiciaria Christi potestate, atque eius vsu.

EXpediuimus superioribus disputationibus omnia, quæ de priori aduentu Christi, totoque illius progressu ab incarnatione ex Virgine matre, vsque ad reditum in cœlum ad Patrem, dicenda occurrebant: postulat ergo doctrinæ ordo, & complementum, vt de posteriori Christi aduentu differamus. Quia verò huiusmodi aduentus in iudiciaria potestate Christi domini nititur, id circo disputatio de hac potestate nobis præmittẽda est, quæ in hunc etiam locum à nobis est in superioribus reiecta: tum vt D. Thomæ teneamus ordinem: tum etiam, quia vsus huius potestatis maxime videtur Christo conuenire in statu gloriæ. Nam de priori aduentu ipse dixit Ioan. 3. *Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum: sed vt saluetur mundus per ipsum.* Dicemus igitur, qua ratione data sit Christo hæc potestas, & quid illa sit, & quinam vsus eius, ac denique quando haberi, seu exerceri cœperit.

SECTIO PRIMA.

Quæ sit potestas iudicandi Christo data, & quã ob causam, & ex quo tempore.

SEnsus huius quæstionis, & omnium, quæ in sequentibus disputationibus explicandæ sunt, est de Christo secundum humanitatem specificatiuè, an illi, vel secundum illam data sit Christo iudicandi potestas. Vbi primo referri posset error eorum, qui generatim negant futurum esse iudicium de humanis actibus. Nam si Deus ipse iudicaturus non est, nec per humanitatem iudicabit. Fuerunt autem in eo errore omnes Gentiles, qui vel animi immortalitatẽ, vel Diuinã prouidẽtiam ignorarunt, contra quos aliis in locis agendum est, & valere possunt multa ex iis, quæ de resurrectione diximus. Multi etiam ex antiquis hæreticis in eodem versati sunt errore, vt Gnostici, Borboriani, Manichæi, & alij vt videre licet in Philastrio, Prateolo, & Castro. Antiquiores enim Patres recensentes ho-

rum hæreticorum errores, nullam huius mentionem fecerunt: est autem valde verisimile, in eum incidisse. Negabant enim libertatem arbitrij, Deumque faciebant malorum autorem, & alia simillia docebãt, ex quibus omnis ratio, & necessitas Diuini iudicij manifestè tollitur. Contra hanc verò hæresim afferemus apertissima testimonia sectione sequenti, & in sequẽti disput. sect. 1.

Scotus. Secundo referri hic solet opinio Scoti in 4. distin. 48. quæst. 1. negantis, Christo datam esse potestatem iudicandi. Quæ potest fundari in verbis eiusdem Christi, *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram nõ est meum dare vobis*. Ex quibus colligi etiam potest ratio. Quia iudicium includit voluntatem efficacem retribuendi talem, ac tantam pœnam, vel præmium pro iis, aut illis operibus bonis, aut malis: sed potestas definiendi singulis operibus talem retributionem, & potestas etiam conferendi tale præmiũ, non conuenit Christo secundum humanitatem, sed est proprium Diuinæ voluntatis, ac potestatis: ergo Christus secundum humanitatem, non habet hanc potestatem. Sed quanuis Scotus in modo procedendi illius quæstionis videatur D. Thom. sententiam reprehendere: tamen reipsa nihil diuersum sensit, neque sentire potuit. Quia vix est hic locus opinionibus, cũ catholica doctrina ferè sit manifesta.

Primò ergo certum est, Christo domino, quatenus homo est, seu in humanitate sua datam esse specialem potestatem ad ferendum iudicium in iis, quæ pertinent ad præmium vel pœnam, æternam salutem, vel damnationem. Ita D. Thom. hic, & in 4. distin. 48. vbi omnes Theologi idem docent. Et satis probatur testimoniis scripturæ explicatis in comment. art. 1. & 2. D. Thom. & testimoniis sanctorum Patrum, quæ in eorum explicatione retulimus: conuincitur etiam testimonio Petri Acto. 10. *Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui cõstitutus est a Deo iudex viuorum, & mortuorum.* Vbi sermonem esse de Christo, vt homine euidens est ex ipso contextu. Nam immediate ante illa verba docuerat Petrus mysteria passionis, & resurrectionis Christi: & proxime post illa docet, solum ipsum esse mediatorem, per quem peccatorum remissionem consequimur. Item verba illa, *Constitutus est a Deo*, aperte declarant, illud esse opus ad extra libere à Deo factum, atque adeò non conuenire Christo, vt Deo: sed vt homini, prout apertissimè etiam declarauit Paulus Act. 17. dicens de Christo, *In quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis.* Denique hoc ipsum euidenter conuincent, quæ infra dicemus de vniuersali iudicio. Ostendemus enim, ad illud faciẽdum iterum esse Christum in terram descensurũ: ergo habet iudiciariam potestatem in humanitate, & per humanitatem exercendã. Nam si per solam Diuinitatem iudicaturus esset, non oporteret secundum humanitatem descendere ad iudicandum. Rationes huius veritatis in commentariis D. Thom. insinuatæ sunt, & statim amplius explicabuntur.

Act. 17.

Christus vt homini potestas ad iudicandum data D. Thom.

Actor. 10.

Secundo dicendum est, hanc potestatẽ Christo in humanitate datã non esse primariam, sed secundariam, & quasi ex cõmissione Dei datam, nihilominus esse veram, & propriam iudicandi potestatem. Priorem partem docet Scotus supra, & illam tantum probat ratio ex eo adducta: sed immeritò illam obiicit contra D. Tho. cùm expresse hic idem omnino doceat. Et probatur aperte. Quia primaria potestas iudicandi in causis animarum, prout nunc loquimur, hæc omnia includit: Primum independentiam ab omni superiori potestate: Secundo, supremam autoritatem indecernendis præmiis, vel pœnis singulorum hominũ: Tertio, quod hæc potestas habeatur ex intrinsecis, & essẽtialibus principiis naturæ: hęc autem tria ita conueniunt Deo, vt Deus est, vt nequeant humanitati cõmunicari. Omnis namque potestas, & actio humanitatis dependens est à Diuinitate, præmiumque, ac pœna singulis operibus debita, Diuina voluntate, ac sapientia taxata sunt, non humana, etiã ipsius Christi. Quia sicut Deus est supremus legislator, & gubernator hominum, ita ad illius prouidentiam spectat, debita meritorum præmia taxare. Vnde etiam ante Christi incarnationem singulis operibus tam hominum, quàm Angelorum certũ, ac definitum præmium, vel pœna respõdebat. Denique, quidquid potestatis habet Christus homo in hoc iudicio, nõ cõuenit illi ratione humanitatis, seu ex principiis illius: sed datum ei est vel propter vnio-

Potestas iudicãdi Christo in humanitate data secundaria tantum, & quasi excõmissione Dei.

vnionem ad Diuinam personam, vel propter infinitum meritum. Non potest ergo hæc potestas Christi, vt hominis esse æqualis diuinæ, & consequenter neque primaria, & suprema: erit ergo secundaria, & subordinata Diuinæ potestati, & ab illa manans. Et hoc sensu dicitur esse quasi delegata, & ex commissione Dei, quanuis sub alia ratione dici possit potestas ordinaria in suo ordine. Quia conuenit Christo ratione proprij muneris, & officij, quatenus est summus Sacerdos, ac spiritualis Rex, ratione cuius conuenit illi potestas excellentiæ, vt in priori tomo diximus disputa. 47. & 48. vbi fere omnia, quæ diximus de Christi dominio, & potestate iurisdictionis, ad præsentem iudiciariam potestatem possunt accommodari.

Obiectio. Sed hinc oritur difficultas, propter quã postremam conclusionis partem proposui. Videtur enim sequi, hanc Christi potestatem non esse propriè iudiciariam, cùm non tam sit ad proferendum iudicium, & sententiam, quàm ad promulgãdam sententiam à Deo latam: promulgare autem sententiam superioris iudicis, non est iudicare (vt per se constat) sed solum alterius iudicium ad aliorum notitiam deferre. Primum antecedens declaratur, quia Deus lege sua, ac voluntate, statuit retributionem vnicuique operi respondentem. Vnde fit, vt omni homini in tali statu, & cum talibus operibus discedenti ex definito Dei decreto, ac iudicio talis, ac tanta pœna debeatur: ergo sententia iam est lata Diuino iudicio. Nihil ergo superest per humanitatem agendum, nisi hoc solum, quod illa sententia promulgetur. Dices, etiam superesse, vt executioni mandetur. Sed contra primò, nam hoc etiam non fit iudicando: executores enim sententiæ siue per se, siue per alios id faciant, non sunt iudices, sed iudicum ministri. Secundo, si loquamur de executione sententiæ quo ad prẽmiũ bonorũ, hæc immediatè fit ab ipso Deo, solus enim ipse potest homini beatitudinem conferre, quæ est præmium bonorum operum. Si vero sit sermo de supplicio malorum, hæc non propriè mandatur executioni per humanitatem Christi, nisi solum quatenus per ipsam, sententia supremi iudicis hominibus damnatis, vel malis Angelis intimatur. Nam statim ignis torquet damnatum non vt instrumentum humanitatis Christi, sed Dei, & homo priuatur æterna beatitudine, absque actione humanitatis: sed solum, quia Deus non confert illam. Desperatio verò, & tristitia, quæ inde dimanant in damnato, minime proficiscũtur ab humanitate Christi, sed ab intrinsecis facultatibus cum concursu Dei. Ac denique, quidquid ministerij dæmones exhibent in hoc negotio, non tam est ex Christi imperio, quam ex æterna Dei lege, si de Diuino iudicio, ac sententia illis constet.

Responsio Facultas Christo in humanitate ad iudicandũ data vere ac propriè iudiciaria potestas

Nihilominus postrema pars conclusionis verissima, ac certissima est, nimirum, hanc Christi potestatem verè, propriè, & simpliciter esse iudiciariam potestatem. Quod in primis satis probant adducta in prima conclusione. Quia nisi hæc verè esset iudiciaria potestas, Christus homo non esset vere, ac propriè iudex, neque actus eius esset verum iudicium: falsum ergo esset Patrem dedisse Filio potestatem *iudicium faciendi, quia Filius hominis est*, aut Christum esse *constitutum iudicem viuorum, & mortuorum*. Secũdo declaratur â simili: quia Christus vt homo, est verus Rex, & habet verum, excellensque dominium creaturarum, quanuis in eo ordine non sit supremus, sed subordinatus regno, & dominio Diuinitatis: similiter habet Christus vt homo, veram potestatem iurisdictionis ad ferendas leges, & constituenda aliqua media ad salutem necessaria, quanuis secundum hanc potestatem subordinetur Diuinæ voluntati, ac beneplacito: ergo eodẽ modo non repugnat, habere veram potestatem iudiciariam inferiorem Diuina, illique subordinatam. Tertio declaratur ex re ipsa: nam in actu iudicandi multa considerari possunt. Primum est lex, quæ est veluti regula, ac mẽsura iudicij ferendi, iudiciũq; antecedit, & in præsenti est Diuina voluntas, qua statuit vt tali operi tanta pœna vel præmium respondeat, & hoc sine dubio factum non est per humanitatem Christi, sed lege mere Diuina, ac æterna stabilitum est: tamen hoc non pertinet ad iudiciariam potestatem intrinsece, ac necessario, nisi fortasse illa in suo ordine suprema sit. Aliud enim est legem ferre, aliud verò secundum legem iudicare, quod est, quasi applicare legem ad opus, secundum merita causæ.

Actus iudicãdi quidnã requirat.

Definire ergo præmium, vel pœnam operis ad legislatorem spectat. Quanquam ergo Christus secundum humanitatem, non habeat hanc potestatē, potest nihilominus habere veram potestatem iudicādi iuxta legem à Deo latam, atque sançitam.

Secundo considerari potest in iudicio ipsa pronunciatio sententiæ, quæ in iudice aliquid includit pertinēs ad intellectum, quod est, talis cognitio causæ, quæ suo genere publica sit, & sufficiens ad iudicium ferendum ex vi illius. Vnde ex hac cognitione, sequitur hoc dictamen practicum, nimirum hunc esse tali præmio, vel pœna dignum, consideratis eius operibus, & cum æterna Dei lege, mensuraque collatis. Præter hoc autem dictamen requiritur voluntas, quia nisi hæc accedat, non obstante illo dictamine poterit non ferri sententia pro meritorum dignitate, vel dispensando, vel condonando, si iudex sit supremus, aut simul sit Dominus, vel iudiciaria potestate abutendo: est ergo necessaria voluntas absoluta, & efficax, qua iudex vult hominem recipere præmium, vel pœnam iuxta illud dictamen, quod ex cognitione causæ resultauit. Quia verò hæc voluntas non erit satis, nisi sit efficax, requiritur, vt non solum à voluntate, sed etiam à potestate superiori, & iurisdictionis proficiscatur. Præter hæc autem nihil aliud ad verum actum iudicij secundum se requiri potest, aut intelligi necessarium: sed ad summum respectu aliorum, interuenire potest manifestatio sententiæ, seu dictaminis, aut voluntatis iudicis, quæ fieri non potest, nisi per aliquam locutionem, vel sensibilem, si fiat ad homines, vel internam, & spiritualem, si ad Angelos, vel ad animas, fiat: Hæc autem omnia verè, ac propriè in Christo homine inueniuntur. Nam in primis in eo est perfecta cognitio totius causę, id est, omnium humanarum actionum, & Diuinæ regulæ, ac mensurę, qua metiendæ sunt. Nam licet solus Deus ex se, & essentialiter cognoscat à priori æquitatem, & iustitiam sui iudicij, quia solus ex se habet dictare, & definire, quid vnicuique operi tribuendum sit: ratione tamen vnionis, datum est animæ Christi, vt in Verbo sufficienter videat hanc Diuinam voluntatem, & definitionem, æquitatemque, ac iustitiam eius. Sicut autem cognitio Dei, hoc ipso quòd Dei est, summæ autoritatis, & publicæ ac manifestæ veritatis est, & ideo per se sufficit ad iudicium ferendum: ita cognitio animæ Christi hoc ipso, quòd est Diuinę personę in natura assumpta, habet sufficientem autoritatem, & veritatem manifestam ad iudicium ferendum, ex dignitate personæ participatam. Quia ab illa habet, vt nec falli possit, nec fallere, maximè cùm eam cognitionem habeat ex clara, & perfecta Dei visione. Deinde potest etiā esse in Christo voluntas efficax, vt retribuatur vnicuique iuxta opera sua, quia hæc voluntas iusta est, & non superat Christi potestatem. Nam, licet voluntas humana Christi pendeat à Diuina: semper tamen sunt conformes, & ideò, quidquid Christus vt homo absolute vult, infallibiliter fit: hoc ergo satis est, vt possit efficaciter velle & malorum pœnam, & bonorum præmium: prçter quam quòd etiam efficacia sua potest hęc aliquomodo efficere, vel imperare, vt postea dicam. Prętetea est in Christo, vt homine potestas quędam dominij, & iurisdictionis in vniuersos homines, & Angelos, ratione cuius, sicut potest eis imperare, & compellere eos, vt iussa capessant: ita etiam potest iuridicè, & tanquam potestatem habens dictare, ac velle, quid vnicuique homini retribuendum sit iuxta opera sua. Potest denique hanc suam voluntatem, & iudicium ita proferre, ac manifestare aliis, vt ex vi illius cęteri compellantur, ei subesse, ac parere. Quia, licet in eo non sit suprema potestas, est quędam eminens participatio eius, atque illi in omnibus conformis, eique subordinata, sicut causa secunda primæ, vel sicut organum, & instrumentum coniunctum principali agenti. Hęc ergo sufficiunt, vt in Christo sit propria, & vera iudiciaria potestas.

Tertio considerari potest in iudicio aliquid veluti consequens sententiam iudicis, nimirum executio ipsius sententię, & hanc non oportet fieri per se, ac proprie per iudiciariam potestatem, neque immediatè ab ipso iudice: sed satis est, quod in iudice sit vis, & potestas imperādi talē executionē: quę vis et efficacia in vnoquoq; iudice erit proportionata potestati eius.

Nam

Nam in supremo, ac principali iudice, scilicet Deo, qui habet hanc potestatem in eminentissimo perfectionis gradu, tanta est hæc efficacia, vt ex vi solius voluntatis eius infalibiliter sequatur effectus, eo modo, quo ipse vult: at vero in Christo vt homine, sicut est potestas iudiciaria secundaria, ita sufficit efficacia voluntatis, & imperij etiam secundaria, & per modum instrumenti Diuinæ voluntatis, & hoc modo, potest Christus etiam voluntate humana, vel præmium beatitudinis Iustis conferre, vel damnatos compellere, vt debitas luant pœnas. Nihil ergo Christo deest ad veram, & propriam iudiciariam potestatem. Et difficultas, quæ in contrarium obiiciebatur ex dictis soluta est. Quia licet Christus, vt homo proferendo, ac promulgando sententiam suam, simul Diuinam sententiam promulget, quia sunt omnino conformes, vel potius quia sunt vna, sicut actio instrumenti, & principalis agentis vna est: tamen non illam promulgat solum vt recitans: sed etiam vt potestate sua imperans, & faciens. Quia nihil repugnat, Deum hanc potestatem communicare eo modo, quo expositum est.

Iudiciaria potestas in Christo qualis.

Ex dictis colligitur primo, qualis sit hæc Christi potestas. Est enim inferior Diuina, & hoc sensu dici potest ministerialis: tamen est suprema, inter omnes, quæ creaturis communicatæ sunt, & hoc modo vocari potest potestas iudiciaria singularis excellentiæ. Nam, si considerentur omnia, quæ ad hanc potestatem in Christo concurrunt, in omnibus habet singularem excellentiam, ac perfectionem: hæc autem sunt, scientia, rectitudo voluntatis, infallibilis veritas, dominium, seu iurisdictio, potestas, ac efficacia voluntatis, de quibus omnibus in superiori tomo latissimè dictum est. Vnde etiam constat, hanc potestatem sub hac ratione, & perfectione esse Christo propriam. An vero inferiori modo aliis communicetur, dicemus postea agẽtes de iudicio vniuersali.

Iudiciaria potestas Christo cur data.

Secundo colligitur, quo titulo conueniat Christo hæc iudiciaria potestas. Duo enim videntur esse necessaria, vt alicui detur iudicandi potestas. Primum, vt talis potestas communi bono necessaria sit, vel conueniens. Potestas enim iudicandi, præsertim in publicis causis, ad commune bonum per se primo ordinatur, & hoc est ante omnia supponendum. Quia nisi necessarium esset iudicium, nemini daretur potestas iudicandi propter solam dignitatem eius: tamen supposita necessitate iudicij ad commune bonum, ratione illius datur hæc potestas. Et tunc vlterius necessarium est, vt in eo, cui tribuitur, concurrant conditiones omnes ad ferendum iustum iudicium necessariæ: imo ratio æquitatis, & iustæ distributionis postulat, vt potestas hæc detur digniori, & qui pluribus virtutibus, & perfectionibus præditus est ad iudicium exercendum. In præsenti ergo manifestum est, ad commune bonum vniuersi necessarium esse iudicium bonorum, & malorum, & præmium, ac pœnam. Hæc enim est vna ex præcipuis partibus Diuinæ prouidentiæ, vt per se notum est. Quod autem hoc iudicium per hominem exerceatur, id non est simpliciter necessarium: est autem valde conueniens, primo, ex parte hominum (vt supra dixi) quibus magis naturale est, vt habeant homogeneum caput, à quo sensibiliter iudicentur. Secundo ex parte Dei, ad cuius liberalitatem spectat, communicare perfectiones suas cum creaturis, & efficere per causas secundas, quod per eas commode fieri potest. Tertio, ex parte Verbi incarnati, cui, ratione vnionis, debetur communicatio Diuinarum perfectionum in natura assumpta iuxta capacitatem illius. Propter has ergo causas conueniens fuit, hanc potestatem communicari hominibus, qua suppositione facta, consequenter necessarium fuit, vt Christo communicaretur. Primo quidem, & quasi radicaliter propter dignitem suppositi: proximè verò, & quasi formaliter, quia in eo concurrunt omnia necessaria, ad hanc potestatem, perfectius, ac excellentius, quàm in pura creatura inueniri possint. Quibus suppositis, etiam titulus, & ratio meriti ad hanc dignitatem obtinendam fuit in Christo sufficiens. Quia meruit omnibus modis exaltari, quibus conuenienti modo, & iuxta suam dignitatem, & capacitatem exaltari potuit. Has omnes rationes sapienter attigit Irenæus libro 4. contra hæres. capit. 37. & Rupertus libr. commentar. in Daniel. capit. 13. *Iren.* *Rupertus.*

Augustfermon. 64. de verbis Domini.

Tertio potest colligi ex dictis, hanc potestatem iudiciariam secundum se, & quoad actum primum datam esse Christo ab initio incarnationis, sicut de dignitate capitis, & de omni potestate excellentiæ in priori tomo diximus. Nam cùm hæc omnia debeantur Christo ratione vnionis, sintq; ipsi quasi connaturalia, simul omnia habuit cum ipsa vnione: quia ad nostrā redemptionem non fuit illi necessarium carere huiusmodi potestate, aut dignitate. Christus autem non priuauit humanitatem suam vllo bono vel perfectione debita ratione vnionis, nisi quatenus necessarium vel conueniēs fuit ad redemptionem nostrā, vt sæpius in prædicto superiori tomo ostensum est. Dices, Christus non erat vsurus hac potestate à principio conceptionis: superflua autem esset potentia, quæ non esset exitura in actum. Respondetur, (quidquid sit de primo antecedenti, de quo sectione sequenti dicendum est,) non fuisse superuacaneam hanc potentiam. Primo, quia pertinebat ad Christi dignitatem. Secundo, quia hoc est quasi connaturale omnibus rebus, vt á principio habeant facultates suas, quanuis non statim, sed suis temporibus illis sint vsuræ. Tertio, quia nō est hęc potentia per se distincta à cæteris, vt sunt in Christo: sed est veluti vna quædā adæquata potestas excellentiæ, seu regia dignitas, & maiestas, cuius vnus actus inadæquatus est iudicium. Vt autem potestas superflua non sit, non oportet, vt statim in omnem suum actum erūpat, sicut etiam per potestatem excellentiæ potuit Christus plures actus efficere, quos nunquam effecit, vt, dominia rerum vsurpare, vel mutare, vel iudiciū etiā in causis humanis dicere: quod tamē facere recusauit, & neglexit, iuxta illud Lucæ. 12. *Quis me constituit iudicem inter vos?*

Iudiciaria potestas ab instanti cōceptionis Christo data.

Obiectio.

Responsio

Lucæ. 12.

Obiectio

Responsio

Sed dices, quomodo ergo Christus potuit mereri hanc potestatem, si ab initio incarnationis illam habuit. Resp. primo, quia non fuit principium meriti: & ita potuit in eodem instanti dari ex merito. Secundo, & melius (prout in simili difficultate dixi superiori tomo disp. 40. Sect. 3.) potestas hæc secundum se, & quoad substantiam eius (vt sic dicam,) non est data ex merito, ob rationem dictam, quia non tantum est simul tempore: sed etiam prius natura, quàm meritum. Nam ea, quæ sunt connaturalia, ordine naturæ sunt priora liberis. Dicitur ergo Christus ex merito habuisse hanc potestatem, vel quoad eius perpetuitatem, vel quoad vsum, & quasi actualem possessionem, & statum supremi iudicis, vel etiam quoad manifestationem. Quibus modis exponuntur á Patribus verba illa Christi. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* *Matth. 28*

SECTIO SECVNDA.

Quos actus huius potestatis Christus exerceat, & præsertim an particulare animarum iudicium exequatur.

IN precedenti sectione solum ostendimus, esse hanc potestatē in Christo, & declarauimus, quid illa sit, quasue causas habeat, superest ad perfectam eius notitiam, vt de illius actibus nonnulla dicamus.

Primò verò circa obiectum eius obseruandum est, cùm iudicium sit actus iustitiæ, quæ alteri ius suū reddit: sicut in obiecto iustitię, ita in obiecto iudiciariæ potestatis, duo posse cōsiderari, scilicet, personam, cuius dicitur ius, seu causa iudicatur, & causam ipsam, seu rem, vel actionē, quæ potest esse talis iudicij materia. In præsenti ergo, personæ iudicādæ sunt homines, an vero sint omnes, & an Angeli etiam comprehendantur, dicemus commodius agentes de vniuersali iudicio. Rursus causæ tractandę in hoc iudicio solum sunt, quæ pertinent ad reddendum præmium, vel pœnam actionibus moralibus debitam, iuxta illud, *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque, prout gessit, siue bonum, siue malum.* In hoc enim iudicio non agitur de remissione, seu absolutione peccatorū quoad culpam. Quanuis enim Christus etiam habeat hanc potestatem, quam sacerdotibus cōmisit, vt in hac vita illam exerceant in pœnitentiæ iudicio: tamen non spectat ad potestatem iudiciariam (de qua nunc agimus,) sed ad potestatē excellentiæ, quā Christus habet ad sanctificandas animas, instituendaque sacramēta. Ac simili modo in hoc iudicio nō agitur de rebus tēporalibus, aut spiritualibus, prout ad humanā gubernationē huius vitę pertinēt, atq; adeò neq; de vindicta peccatorum,

Iudiciaria Christi potestatis obiectū quod.

2. Corin. 5

rum, prout ad iudicium humanũ spectat. Quia licet in Christo etiam sit hęc potestas (si absoluta excellẽtię potestate vti voluisset) tamẽ per se ipsum nunquã hac potestate vsus est: sed temporalia iudicia humanæ, & quasi naturali potestati reliquit: ad spiritualia vero iudicia, & omnia quæ ad illa necessaria sunt, potestatem ligandi, & soluendi Ecclesię suæ commisit. Superest ergo, vt propria materia, & obiectum huius potestatis iudiciariæ sint actiones humanæ morales, quatenus iuxta iustitiæ æquitatem præmium, aut pœna illis sunt retribuenda. Et hæc de obiecto huius potestatis.

Secundo ad explicãdos actus eius obseruandum est, ad potestatem iudiciariã (si loquamur de humano iudicio) duo pertinere. Primum est causę discussio vsque ad perfectam facti cognitionem, ad quam ordinatur in humano iudicio testium, & ipsius rei examinatio, & similia, quæ hac ratione sub hanc potestatem cadunt, alterum est, cognito facto, ius dicere, quod includit (vt supra tetigimus) & rationis actum dictantis, & voluntatis efficaciter volẽtis, vt huic homini pro suis meritis tale præmium, vel pœna reddatur. Prior actus non habet propriè locũ respectu iudiciariæ potestatis Christi domini, sed posterior, proutà nobis sectione præcedenti explicatus est. Quia licet hæc potestas in humanitate sit, & per humanitatem exerceatur, magis tamen diuinũ est eius iudicium, quàm humanum: & in hoc maxime imitatur diuinũ iudicium, quòd sicut Deus per sese habet sufficiẽtẽ causæ cognitionem, & non indiget coniecturis, neque extrinsecis testimonijs: ita Christus etiam secundum humanitatem per se habet sufficientem cognitionem ad iudicium. Propter quod in persona eius dicitur Malach. 3. *Et accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & periuris.* Ac si diceret: ego ipse ero iudex, & testis. Quia nihil eorum, quæ homines faciunt, me latet, & ideo sicut per testes iudicare solent homines: ita ego ex ijs, quæ permeipsum noui, iudicabo. Ita ferè Hieronymus, & apertius Theodoretus, & Augustinus 20. libr. de Ciuitat. capite 26. vbi etiam notat appellari Christum *testem velocẽ*, quia sine prolixitate sermonis conscientias conuincet, reuocans sine mora in memoriam, vnde illas conuincat.

Malach. 3.
Hieronym.
Theo.
Aug.

& puniat. Quia (vt dicitur Sap. 1. *In cogitationibus impij interrogatio erit, & accusatione conscientiæ suæ conuincetur*, vt dicitur ad Romanos 2. & eleganter explicat Ambros. Enarratio. Psalm. prim. propè finẽ. Quanuis autem Christus secundum se non indigeat causæ discussione: tamen in ordine ad homines dicitur interdum in Scriptura se habere tanquam discutiens, & disceptans cum reo, donec illum conuincat. Quomodo dicitur Ioel. 3. *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis.* Et eodem sensu ait Deus per Isaiam. *Reduc me in memoriam, et iudicemur simul, narra si quid habes, ut iustificeris.* Sic etiam Matth. 25. vbi forma iudicij describitur, homines conantur pro se respondere: Christus verò sententiæ suæ æquitatem omnibus ostendit. Et hoc sensu solent distinguere Patres duplex Christi iudicium, alterum *Discussionis* vocãt, alterum *Solius sententiæ prolationis*, vt latè declarat Gregor. 26. Moral. capit. 20. & ante eum attigerunt Basilius homil. in Psalm. 1. exponens illa verba, *Non resurgunt impij in iudicio*: & Hilarius enarratione in eũdem Psalmum, & Ambros. sermon. 20. in Psalm. 118. Versiculo 2. Hæc vero distinctio non potest intelligi ex parte Christi secundum se, quia ipse (vt diximus) nulla indiget causæ discussione: intelligitur ergo quoad nos ex parte iudicandorum, vt in sequentibus latius exponemsus.

Sap. 1.
Rom. 2.
Ambros.
Ioel. 3.
Isai. 43.
Matt. 25.
Gre.
Basil.
Psalmo. 1.
Hilarius.
Ambro.

Tertio omisso iudicio discussionis, quod metaphorice potius, quàm proprie diuino iudicio accommodatur, circa iudicium ipsum retributionis obseruandum est, quoddam esse iudicium, quod dicipotest vltimum, seu finale, quod nõ profertur, donec sint finita omnia hominis merita, vel demerita, quia est de perpetuo hominis statu, de quo scriptum est ad Hebræos. 9. *Statutum est hominibus semel mori: post hoc autem, iudicium.* Aliud vero est iudicium diuinum, quod vocare possumus non vltimum, quod exercet Deus cũ hominibus quandiu in hac vita viuunt in ordine ad singula merita, vel demerita. Vbicunque enim pœnæ, vel præmij retributio intercedit, modum aliquem iudicij interuenire necesse est: at vero in hac vita fit Iustis, & iniquis aliqua operum retributio. Iusti enim pro suis meritis statim gratię augmentum recipiunt, & si, bene vtantur gratia, & auxilijs,

Hebre. 9.

quibus præueniuntur, maiora recipiunt, & è contrario, si nonnulla peccata leuia committant, pro iis puniuntur, interdum temporalibus afflictionibus, interdum etiam spiritualibus. Priuantur enim sæpe hac de causa specialibus auxiliis. Et simili ratione iniusti in primis priuantur habituali gratia, si eam habebant: sæpe etiam priuantur maioribus auxiliis, & propter quædam peccata in alia maiora labi permittuntur, & interdum propter peccata temporaliter affliguntur: interdum verò permittuntur temporalibus bonis abũ dare, quæ illis in occasionẽ maioris damnationis futura sunt. Hæc enim omnia, ad Diuinum iudicium, atque adeò ad potestatem iudiciariam pertinere, non obscure Diuina Scriptura significat, cùm docet, vel Deum deserere hominem propter peccata sua, vel obdurare, vel excęcare, aut è contrario iustis bene operantibus opem ferre, & maiora gratiæ dona
Aug. præstare. Et Augustinus libr. 20. de Ciuitat. capit. 1. omnia hæc Dei iudicia accurate distinguit. & cap. 2. late disserit, quomodo tam varia, tamque inæqualis temporalium bonorum distributio, quantam inter bonos, & malos esse conspicimus, ad occultum Dei iudicium pertineat. Est tamen differentia inter hęc duo genera iudicij. Quia prius est manifestũ vel omnibus, vel ipsi reo, cui statim, ac sententia profertur, nota fit: at verò posterius iudicium regulariter nunc latet. Quia nec sententia promulgatur, aut manifestatur etiã ipsi reo, nec de effectu eius semper constat, an fiat, neque an ex hac, vel illa causa fiat, & ideò solent in scriptura, vocari hæc iudicia Dei *occulta*. Vnde etiam factum est, vt hoc nomen interdum extẽdatur ad significandos quoscunque effectus Diuinæ prouidentiæ, quorum rationes, & causæ nobis occultæ sint. Lege August. sermo. 220. de tempor. non longe à principio. Igitur de priori genere iudicij certum est, ad potestatem hanc iudiciariã Christi pertinere, vt postea explicabimus. De posteriori verò non videtur res adeo constans. Vbicunq; enim in scriptura fit mentio de iudicio per Christum exercendo, videtur esse sermo de finali iudicio
D. Thom. perpetuum effectum habituro. Nihilominus D. Thom. hic art. 4. ad 3 significat, huiusmodi iudicia, licet ante incarnationem per Christum, vt Dei Verbum exercerẽtur: tamen post incarnationem communicata esse animæ Christi Verbo personaliter vnitæ. Et potest hoc suaderi ex illo Ioan. *Omne iudicium dedit filio.* Nam licet *Ioannis. 5.* illa vniuersalis distributio possit explicari ex parte iudicandorum, quia de omnibus Christus iudicabit: tamen optimè etiã exponitur ex parte ipsius iudicij. Non enim solum iudicium externum, sed etiã internum, nec solum, quod in futura vita, sed etiam quod in præsenti peragitur, datum Christo est. Quod etiam confirmari potest ex ratione, quam Christus subiungit, *Vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*. Pertinet enim ad magnum honorem Christi, vt homines etiam hic viuentes intelligant, ex Christi voluntate, ac misericordia, vel seuera iustitia suam salutem, damnationem ve pendere. Præterea videtur hoc valde consentaneum vniuersali redemptioni Christi, & potestati excellentiæ, quam habuit ad dispensanda spiritualia bona, atq; etiã tẽporalia, præsertim quatenus ad spiritualia possunt conferre, vel impedire. Vnde Actor. 16. cùm Paulus, & socij tentarent ire in Bithyniã, dicitur, *Non permisit eos spiritus Iesu.* Quibus verbis insinuatur ad Iesum, quatenus est hominum Saluator, pertinere etiam hæc occulta Dei iudicia. Et ideo aliis locis absolute de Christo dicitur, *Iudicabit inter populos multos, & corripiet gentes.* Mi- *Mich. 4.*
chę. 4. & Psal. 71. *Deus iudicium tuum Regi* *Psalm. 71*
da, & in 95. & 97. *Iudicabit orbem terrarum* *Psalm. 95*
in iustitia, & populos in æquitate. Neque con- *et 97.*
tra hoc obiici potest aliquid, quod difficultatem ingerat. Nam, licet hęc omnia *Actor. 16.*
iudicia principaliter oriantur ex Diuina voluntate, ac prouidentia: nihilominus tamen exerceri possunt per humanam Christi volũtatem, & imperium. Neque scriptura repugnat: quin potius fauet, vt visum est.

Quarto loco omissis iudiciis, quæ in hac vita exercentur, iudicium finale, seu alterius vitę duplex distinguitur à Di- *D. Thom.*
uo Thoma hic articulo. 5. & à cæteris Theologis in 4. distinct. 47. vnum vniuersale, de quo in sequentibus disputationibus fusè dicendum est: aliud particulare, quod hic breuiter explicandum est. Non enim defuerunt hęretici, qui huiusmodi iudicium negauerint. Dicebant enim, omnium hominũ animas incertas, & ambiguas de statu suo vsque

in

in diem iudicij permanere, & consequenter neq; recipere pœnam, neque præmiũ, neque iudicari vsque ad diem vniuersalis iudicij. Vnde fit, vt præter iudicium vniuersale nullum aliud sit particulare. Quã sententiam expresse docuit Lactant. libro 7. diui. inst. capi. 21. & in eam citari potest Ambros. lib. 2. de Cain, & Abel capi. 2. dicẽs, *Soluitur a corpore anima, & post finẽ vitę huius, adhuc tamen futuri iudicij ambiguo suspenditur*, & lib. de bono mortis cap. 10. dicit, *Coronæ diem expectari ab omnibus, vt intra eum diẽ & victi erubescant, & victores palmam adipiscantur victoriæ*. Idque confirmat ex lib. 4. Esdræ cap. 5. & 6. Et huc possent afferri multi ex Patribus, qui interdũ negare videntur animas hominum recipere præmium vsque ad diem iudicij, quæ omnia prætermitto, quia non non sunt præsentis instituti. Ratio etiam adiungi potest, quia anima, & caro simul benè vel malè operantur: ergo simul etiam iudicari debent: ergo nullum est iudicium vsque ad generalem resurrectionem.

Lactant. *Ambros.* *4. Esd. c. 5 & 6.*

Nihilominus veritas catholica docet in primis, singulos homines iudicari statim in morte sua. Quia de fide est, Iustos, qui nihil habent purgandum, statim recipere præmium eternæ beatitudinis, iuxta illud secundæ ad Cor. 5. *Scimus, quia si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam æternam in cœlis*: animas vero in peccato mortali decedentes statim in gehennã detrudi, vt debitas pœnas luãt. Quemadmodum de Diuite illo refertur Luc. 16. Præmium enim, & pœna non dantur sine iusta, ac iuridica retributione. Et ideò dicitur Ecclesiastici. 11. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuiq; iuxta vias suas, & in fine hominis denudatio operũ illius*. Addi etiam potest illud ad Heb. 9. *Statutum est hominibus semel mori: post hoc autem iudicium*. Quanuis enim hæc verba exponi de vniuersali iudicio possint, quod post omniũ mortem subsequetur (quem admodũ Oecumenius exponere videtur) tamen optimè etiam de singulorum hominum morte, proprioque, ac particulari iudicio intelliguntur, vt aperte exponit Ambr. ibi dicens, *Statutum est omnibus semel mori, & post mortem iudicabitur vnusquisque iuxta merita sua*. Eandem expositionem sequitur Anselmus. Vnde Cyprian. libr. de mortalitate, Oportet (inquit) *temporis munus amplecti, quod, dum nostram fidem firmiter prominus, & labore tolerato ad Christum per angustam viam pergimus, præmium vitæ, & fidei ipso iudicante capiamus*. Et toto illo libro eò maxime ostendit gaudendũ esse Iusto de morte corporis, quòd per eam iusta bonorum operum præmia cum Christo, & per Christũ obtineat. Idem docet apertè Chrysostomus hom. 37. in Matth. dicens, *Postquam diem tuum obieris, iudicium, & pœna consequetur*. Scribit enim aduersus eos, qui locum pœnitentiæ post mortem sperant. Damasc. orat. de defunctis, *Aiunt* (inquit) *viri diuinitus illustrati, quod cum exhalamus spiritum, quasi in libra humana opera probantur*, &c. Idẽ late docent Tertul. lib. de Anim. cap. vlti. & August. 20. de Ciuit. cap. 1. & lib. 2. de Ani. & eius Origene cap. 4. *Illud* (inquit) *rectissime, & valde salubriter creditur, iudicari animas, cum de corporibus exierint, antequã veniant ad illud iudicium, quo eas oportet iam redditis corporibus iudicari*: Et infra, *Quis aduersus Euangelium tanta obstinatione mentis obsurduit, vt in illo paupere, qui post mortem oblatus est in Sinum Abrahæ, & in illo diuite, cuius infernus cruciatus exponitur, ista non audiat, vel audita non credat?* Quo testimonio vsus est etiam ad rem hanc comprobandam Irenæus libr. 2. contra hæres. capite. 62. & 63. Præterea idem colligitur ex eodem Aug. lib. de cura pro mortuis agenda cap. 12. & ex Gregor. lib. 4. dialog. cap. 36. & 38. Vbi referũtur visiones, seu reuelationes de particularibus iudicijs aliquarũ animarũ, & approbãtur. Denique afferri hic possent testimonia Sanctorum asserentiũ, tẽpore legis gratiæ Iustos æternam retributionem accipere statim in morte, quia iam est *propalata Sanctorum via*, vt dicitur ad Hebræ. 9. si enim recipiunt præmium, necesse est, vt prius iudicentur. Imo & ante Christi aduentum, quanuis reipsa non acciperent visionem beatam, accipiebant tamen in spe certa, locoque, & statu segregabantur ab iniustis, & ideo tunc etiã statim iudicabantur. Atque idem dicendum esset nunc, etiã si verum esset animas sanctas non statim post mortem recipere beatitudinem, & ita in Sanctis Patribus nulla est in hoc diuersitas, etiam si olim, circa beatitudinem essentialem, non nulla fuisse videatur. Omnes enim distinxerũt status diuersos animarum tam loco, quã gaudio, vel pœna, vt videre est in Diony. cap. 7. de Eccles. Hierar. Aug. in Ench. capit. 108. &

Iudiciũ particulare in morte cuique suum. *2. Corin. 5* *Luc. 16.* *Eccles. 11.* *Hebreo. 9.* *Oecumen.* *Ambros.* *Anselm.* *Cyp.* *Chrysost.* *Damasc.* *Tertullia.* *Aug.* *Iren.* *Aug.* *Gre.* *Hebr. 9.* *Dion.* *Aug.*

108.& 109.& 13.de Ciuitat.capit. 10. & tract.49.in Ioan. Ignat. Epistol.ad Rom.

Ambros. Ambr. lib.7. Epist.59.& lib.10.Ep. vlti.

Irenæ. & optime Irenæ.lib.2.capi.62.& 63. Ratio denique adiungi potest. Quia tempus merendi,ac demerendi in morte finitur, ergo tunc est accommodatissimum tempus, vt vnusquisque de proprijs actibus iudicetur. Quia nihil est,cur amplius differatur. Cur enim tanto tempore affligentur Iusti non solum diu sperantes:sed etiã incerti de salute sua existentes ? maxime cùm ea afflictio nihil eis ad salutem prodesse possit.Cur etiam fere toto illo tempore erunt æquales Iusti,& peccatores in statu illo formidinis,& dubitationis pleno? Possemus veritatem hãc philosophorum etiam testimonijs cõfirmare : sed ne prolixiores simus, quem hæc delectauerint,legat Eusebium,lib. 11. de Præparat.

Eusebius cap.18.& 20.lib.12.cap.3.lib.13.cap.7.

Ex ijs sequitur,primo hoc particulare iudicium ita fieri in morte vniuscuiusq;, vt vnicuique pronuntietur, & nota fiat sententia,quæ ad ipsum spectat. Ita colligitur ex testimonijs adductis,& ex ratione facta.Quia non erunt amplius pendentes animo : ergo cognoscet vnusquisque statum suum , audiet ergo sententiam iudicis. Præterea de damnatis,& Iustis, qui beatitudinem consequuntur, id est per se manifestum. Quia statim re ipsa incipiũt experiri sententiæ effectum perpetuo duraturum, de qua perpetuitate certi etiam redduntur:quia hoc ad suam condignam remunerationem,vel punitionẽ maxime spectat : de vtriusq; .n. ratione est perpetuitas,& consequenter desperatio, aut securitas , quæ ex illius agnitione sequitur. Nam vt ait Hieronym. Matt.25. *Vita perpetua metum deinceps non habet ruinarum.*

Et ideo Iusti quando dies iudicis aduenerit,*stabunt in magna constantia*,capit.5. Quia iam sunt securi,& tũc illis aduenier,quod desiderant,vt recte tractat Augusti. in illum Versi.Psalm.55. Ego *vero in te speraui*. Qui de eadem re videri potest,libr. de prædest. sanct.c.12.& 14.& lib. de Peccat. Origen.capi. 30. & libro quæstionũ in genes. quæst. 168. & conci.2. in Psal. 2.& Enarrat. Psalm. 51.

Aug.

De animabus autem purgatorij posset quispiam dubitare, quia non desunt Doctores etiam Catholici, qui putent eas esse incertas de salute,vel damnatione sua. Sed nihil est de illis dubitandũ,quia illæ etiam sunt omnino certæ de statu suo vt contra Art.38. Lutheri,dicitur definiuisse Leo.10. & ostendemus Deo dante in 4.tom.disputãtes de purgatorio.Deinde nulla ratio reddi potest, cur non etiam ijs manifestetur iudicis sentẽtia, quę magis propter ipsas profertur,quam propter ipsum iudicem. Præsertim quia(quod ad statum attinet)ex effectibus ipsis,& supposita fide,quam illæ animę in via habuerunt,quamque in purgatorio retinẽt,certo cognoscunt se non esse in statu damnatorum,quia nec desperant, nec blasphemant,nec Deum odio prosequuntur. Vnde necessario intelligunt, se esse in statu amicitię diuinę: purgari tamen,vt deinde ab beatitudinem perducantur. Nam hęc omnia sese necessario consequuntur, suppositа fide.

Dubium *Responsio.*

Rursus dubitare quis posset de animabus puerorum. Sed de iis vnum videtur certum,scilicet,statim cognoscere statum suum,& quod in eo sint perpetuo mansuræ. Quia hoc pertinet ad immutabilitatem illius status. An vero cognoscãt causam, propter quam illum statum accipiant, & rationem culpę,quam in se habent,& cõsequenter etiam rationem pœnæ,quæ est in carentia visionis beatę, vel solum apprehendant illum statum vt connaturalẽ sibi:hęc omnia in certa sunt . Illud tamen prius videtur probabilius,vt attigimus supra agentes de descensu Christi ad inferos,& dicemus iterum agentes de iudicio vniuersali. Superest igitur,vt post mortẽ nulla anima separata sit incerta,aut suspẽsa de statu suo perpetuo, quanuis de temporali incertæ esse possint. De quoest exponendus Ambros. in principio citatus, vt.v.g.ignorant animæ beatæ,quanto tẽpore futuræ sint sine suis corporibus,atq; adeo quando in publico iudicio accepturęsint integrã coronã ,& sic de alijs.

Dubium *Responsio*

Secundo facile ex dictis intelligitur, quo tempore proferatur sententia vltima in hoc iudicio particulari. Tria enim sunt tempora,de quibus dubitari posset . Primum est breue aliquod tempus,seu instãs quod antecedat instans mortis,in quo adhuc anima corpus viuificat. Leguntur .n. apud graues autores reuelationes quędã, quę indicant,tali tempore fieri hoc iudicium,vt de Chrysorio,& de quodãm monacho refert Gregor.libr.4.Dialog. cap.

38.qui

38. qui paulo ante mortem sententiam suæ damnationis audierunt, & similia de aliis refert Beda libr. 5. histor. Angl. capit. 14. & 15. & Ioannes Clymacus, in Scala paradisi, gradu septimo, refert de monacho quodam, qui propè instans mortis audiebatur, quasi positus in iudicio, & accusationibus sibi factis respondens. Nihilominus certum est, in iudicio hoc non proferri sententiam, ante instans mortis. Quia nondum est completa hominis malitia, vel meritum, neque denegatum tempus ad agendam pœnitentiam vsque ad mortem. Qua propter illæ visiones (quas Gregorius & Beda referunt) ita sunt explicandæ, vt permiserit Deus aliquando propter peccata aliquorum hominum, ita eo tempore affligi, & terreri à dæmonibus, vt in desperationem deueniant, quanuis re vera ex parte Dei sententia nondum sit pro eo tempore data. In visione autem (quam refert Clymacus) solum demonstratum est, quanta solicitudine dæmones in eo tempore peccata præterita in memoriã reuocent, vt hominem in desperationem inducant.

Bed. Ioa. Clym.

In iudicio particulari ante instãs mortis non fertur sententia.

Secundum tempus esse potest, paulo post instans mortis. Quod etiam colligi potest ex aliis visionibus, quas refert Augustinus libr. de cura pro mortuis agenda, capit. 12. & Gregorius dicto libr. 4. dialogor. capit. 36. & illa est peruulgata, quæ in vita sancti Brunonis refertur, de quodam Parisiensi Doctore, qui publicè in Templo, dum exequiæ pro illo fierent, primo die post mortem clamauit, *In iusto Dei iudicio accusatus sum*: in secundo, *Iudicatus sum*: in tertio, *Condemnatus sum*. Similia refert Leontius in vita Ioannis Eleemosynarij, vbi refert, fuisse reuelatum sancto Symeoni, exeuntem animam de corpore deferri ad iudicium, & ibi accusari à malis Angelis, & defendi à bonis, & tunc esse timore plenam, & de exitu iudicij incertam. Similia docet Cyrillus Alexandrin. in oratione de exitu animæ. *Quis terror, quis tremor, quod certamen, quæ vis animam manet a corpore secedentem?* & infra. *Quanta formidine, & timore arbitraris animam die illa percelli, horribiles intuentem, & aduersos dæmones, quos aspiciens ad cœlestes Angelos confugiens sublime petit*: & infra, *In medio stat anima meticulosa, & trepidans, quousque obactiones, dicta, factaque sua, vel damnata in vincula coniiciatur, vel iustificata liberetur.* Sed nihilominus hoc etiam non est verisimile, quia statim ac anima separatur à corpore, accipit iustam retributionem (vt ex scriptura probatum est) nullius ergo temporis dilatio intercedit. Neque enim Deus indiget testibus, aut prolixa causæ discussione. In illis ergo visionibus, sine vlla falsitate ostenduntur res modo nobis accommodato, quanuis non eo modo, & ordine fiant, quo ostenduntur. Supereſt ergo tertium tempus, seu potius instans ipsius mortis, nam in eodem puncto, in quo anima separatur à corpore, audit suam sententiam, & cognoscit statum suum.

Aug. Gre. Leont. Cyr. Ale.

Dices, in eo puncto, si anima sit iusta, & pura, fit beata, & sic de cæteris statibus: ergo necesse est, vt ante illud instans iudicetur. Respondent aliqui negando antecedens, sed in eo instanti manere animam iuxta corpus suum, & ibi audire sententiam iudicis, & postea deferri in cœlum, vel in purgatorium, aut in infernum, vt pœnam, vel præmium recipiat. Quod indicat Bonauentur. in 4. distinct. 20. in 1. par. & tenet Sotus distinct. 45. quæstio. 1. articul. 3. con. 2. Sed aliud est agere de loco, vbi tunc est anima: aliud de statu. Nam de statu dubitari non potest, quin statim videat Deum, si pura est. Quia, cùm nullum habeat impedimentum, non est, quòd differatur præmium, & ideo Paulus dicebat, *Cupio dissolui, & esse cum Christo*, quod alibi latius tractandum est. Et hoc est, quod ad rem præsentem maximè spectat. Quia iudicium, & sententia oportet, vt antecedat statum retributionis, vel pœnæ. At verò si agamus de loco, in quo anima est in illo instanti, id pendet ex illa quæstione, an anima separata possit transire ab extremo ad extremum sine existentia in medio. Nam si non potest, cùm non possit nisi in tempore moueri, necesse est, vt ipsum instans mortis, quod est primum non esse hominis, in quo dissoluitur vnio animæ cum corpore, sit vltimum non esse motus localis animæ, & consequenter fieri necesse est, vt pro eo instanti maneat in loco corporis, in quo antea erat, quandoquidem nondum mota est mutatione locali. Si autem potest moueri in momento ad locum distantem, dicen-

Obiectio.

Responsio

Bonauen. Sot.

Philipp. 1.

dicendum potius est, in eodem instanti mortis, in quo desinit informare corpus desinere etiam existere in loco corporis, Ad quem autem locum, transferatur statim explicabo. Ad difficultatem ergo positam patebit responsio ex dicendis.

Tertio ex dictis explicatur, quomodo iudicium hoc particulare per Christum dominum exerceatur. Quanuis enim nõ sit tam certum, particulare hoc iudicium exerceri per Christi humanitatem, sicut vniuersale (de quo postea dicturi sumus) quia non sunt de hoc tam expressa Scripturæ testimonia: tamen probabilior, & magis pia sententia est, etiam hoc iudicium pertinere ad potestatem iudiciariam Christi, & per humanitatem exerceri. Quod à fortiori patet ex iudiciis huius vitæ. Nam si illa per Christum fiunt, multo magis hoc, quod videtur magis proprium iudiciariæ potestatis, & de illo magis procedunt coniecturæ omnes, & testimonia ibi adducta. Et hoc ipsum supponunt, quæ iam afferemus. Inquiri enim circa hoc potest, quomodo Christus hoc iudicium exerceat. In quo multa dubitari possunt, primum an animę deferantur ad tribunal Christi, vt ibi iudicentur: vel è contrario Christus veniat ad singulos iudicandos. Item an anima, quę iudicatur, clarè videat suum iudicem saltem quoad humanitatem eius. Sancti enim Patres variis modis, circa hoc loquuntur, Augustinus libr. de vanitate sæculi capit. 1. *Cum anima* (inquit) *separatur a corpore, veniunt Angeli, vt perducant illam ante tribunal iudicis*. Et eodem modo loquitur Bernardus in meditationib. capit. 2. & Hugo de Sancto Victor. libr. 1. de Anim. capit. 2. Et Chrysostomus homil. 14. in Matthæ. *Omnes* (inquit) *animæ, cum hinc emigrauerint, ad terribile illud deducentur tribunal*. Idem fere homil. 46. ad populum. Ex quibus, & similibus sententiis aliqui sumpserũt occasionem, vt dicerent, omnes animas, statim ac separantur à corpore, deferri in cœlum, & præsentari Christo. Sed de animabus damnatis, & purgandis id est incredibile. Quia nihil coinquinatum ingreditur illam cœlestem ciuitatem, & esset impertinens ille ascensus in cœlum, si statim descensuræ sunt in infernum. Nam ad audiendam sententiam non est necessarius (vt statim dicam) & aliàs locus ille non est consentaneus, nec meritis earum debitus.

Particulare hominum iudicium Christus exercet quo modo.

Dubium.

Augustin.

Bernard.

Hug. Vict.

Chrysosto.

Alij ergo indicant, Christum venire ad singulos homines morientes, vt de illis iudicium ferat, quia ipse dixit. *Vigilate, quia nescitis, qua hora filius hominis veniet.* Matt. 13. & 24. Vnde Innocent. 3. libr. 2. capit. 43. de Contemptu mundi, dicit omnem animam, prius quam egrediatur è corpore, videre Christum in Cruce positum, & adducit illud, *Videbunt, in quem transfixerunt*, quod non solum de iudicio generali: sed etiam de aduentu Christi ad diem mortis cuiuslibet hominis ait esse intelligendum. De quo intelligit etiam illud 1. ad Timoth. 6. *Vt serues mandatum sine macula irreprehensibile, vsque in aduentum domini nostri Iesu Christi*, id est, vsque ad diem mortis. Similia habet Ludolphus Carthusian. tom. 3. capit. 46. Et de iustis saltem potest hoc confirmari verbis illis Christi Ioan. 14. *Si abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniã, & recipiam vos ad me ipsum*. Sed neque hęc sententia verisimilis est, si intelligatur de reali descensu Christi secundum humanitatem. Nam (vt supra vidimus) rarò, aut nunquam Christus de cœlo descendit, postquam illuc ascendit. Alioqui oporteret semper esse quasi in continuo motu, imò sępe necessarium illi esset pluribus locis simul assistere. Nam contingit sępe multos iustos, & iniquos simul mori. Deinde ad proferendam sententiam hic aduentus, non est necessarius. Quia per intellectualem locutionem, vel illuminationem fiet, quæ à loco non pendet. Neque propter aliam causam est necessarius, nam si animę sunt sanctę, & purgatę, eodem puncto rapiuntur in cœlum: si vero sunt damnatę, vel purgandę statim deducuntur in aliquem inferni locum, vt in Conc. Florentino definitur in literis vnionis, iuxta illud Iob. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Matt. 13. & 24. Innocent. 3 Ioann. 19. 1. Timo. 6. Ludolph. Carthusi. Ioan. 14. Conc. Florentin. Iob. 21.

Responsio Particulare iudiciũ animæ exeũtis corpore vbi fiat, & quo modo

Quo circa dicendum est, neque animam iudicandam deferri in cœlum: neque Christum descendere ad iudicandam illam: sed in instanti mortis intellectualiter eleuari ad audiendam sententiam iudicis. Et hoc est duci ad tribunal eius, absque alia locali mutatione. Et verisimile

le est in eo instanti cognoscere sese iudicari, & saluari, vel damnari, imperio, & efficacia non solum Dei, sed etiam hominis Christi.

An verò ipsam humanitatem clarè intueantur omnes animæ etiam damnatæ, vel purgandę, incertum est, quia nullum est sufficiens fundamentum ad id affirmandum. Nam vbi Scriptura dicit, videndum esse Christum ab hominibus iudicandis, loquitur de iudicio vniuersali, (vt infra videbimus) atque eodem modo loquitur de aduentu eius ad iudicium.

Aug. Notat autem Augustin. Epistola. 90. ad Isychium, qualis vnusquisque moritur, talem inueniri, & iudicari in vniuersali iudicio: & ideo, cùm Christus monet, vt vigilemus, ideo sępe addere, vsque ad aduentum suum, quia idem est vigilare vsque ad diem mortis, & vsque ad diem vniuersalis iudicij. Dici etiam præterea

Abulens. posset cum Abulen. Matth. 24. quæstione. 239. aduenire Christum in morte vniuscuiusque non secundum præsentiam localem, sed secundum efficaciam, per quam fit, vt vnusquisque suum statum agnoscat, & imperium, ac sententiam iudicis audiat, & ex vi illius statim tendat in locum suis meritis debitum. Qua propter (si res spirituales transeunt ab extremo ad extremum sine medio) in eodem instanti, in quo istæ animæ separantur à corpore, & à Christo iudicantur, constituuntur in loco, in quo ex vi iudicij, & imperij Christi futuræ sunt. Quia cùm ille effectus, & mutatio ex se non requirat successionem, nec ex parte virtutis Christi sit necessaria, nulla intercedit mo

Iob. 21. ra, sed in pũcto fit (vt inquit Iob.) Satisaũt est, quod sententia naturæ ordine antecedat, vt effectus statim subsequatur. Nam causa efficax simul ac est, in eodem instanti operatur.

Vltimo intelligitur ex dictis, quando

Iudiciaria potestate Christus vti quando incepit. Ioan. 12. cęperit Christus vti hac iudiciaria potesta te. Primum enim non est existimandum, statim ab incarnatione cępisse vti hac po testate. Quandiu enim in vita mortali vixit, illa vsus non est, si propriè loquamur. Quia pro eo tempore potius voluit iudicari, quam iudicare. Vnde Ioann. 12. ipse dicebat, *Non veni, vt iudicem mundum: sed vt saluificem mundum*, significans primum aduentum suum non fuisse ad iudicandum. Et ideo dixerat in verbis proxi-

A ximè prędcedentibus, *Si quis audierit verba mea, & non custodierit, ego non iudico eum.* In quibus tamen verbis non negat sepostea iudicaturum. Quo circa nõ dixit de futuro, *non iudicabo eum*, sed de præsenti *non iudico eum*, id est, in hoc aduentu, sicut ca- Ioannet. 3. pite 3. dixerat, *Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum*. Deinde putandum non est, differre vsum huius potestatis vsque ad diem iudicij vniuersalis, ac si per hanc potestatem nullum alium actum exercere possit. Ostensum est enim habere etiam alios actus, quos nunc exercet. Superest igitur, vt hac potestate vti cęperit, ex quo in statu glorioso constitutus est, quando ipse dixit, *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Sicut e- Matth. 28 nim tunc desijt esse in statu passibili, & Matth. 20, humili, in quo ad ministrandum venerat Marc. 10. (vt ipse etiam testatus est) & cępit esse in

B statu regnantis, ac dominantis: ita etiam tunc potestatem hanc iudicandi exercere orsus est. Quin imo dicere possumus ab instanti mortis, in quo nostram redemptionem consummauit, cępisse in anima separata, & glorioſa potestatem iudicandi exercere. Ad hanc enim pertinere videtur liberatio sanctarum animarum, & spoliatio inferni, & similes actus, quos in inferno exercuit, vel ligando potestatem dęmonis, vel animas aliquas è purgatorio liberando, vel certe iudicium etiam ferendo de ijs, quæ eo tempore è corporibus exierunt.

DISPVTATIO LIII.

In quatuor sectiones distributa.

C *De secundo Christi aduentu ad vniuersale iudicium.*

QVANVIS Theologi materiam hanc disputent in fine quarti sententiarum dist. 47. & 48. quin etiã D. Th. in finem huius 3. partis illã reiecerit: tamen, quia, & ipse morte præuẽtus eam absoluere non potuit, & nobis nõ est in animo post disputationes de Sacramentis omnibus specialem tractationem de quatuor nouissimis instituere: ac denique quia ad completam, & exactam sciẽtiam de Christo, & de rebus omnibus, quæ ad ipsum spectant, materia hęc pertinere

tinere videtur, id circo eam hoc loco disputare decreui, vt hoc etiam modo, huius doctrinæ de Christo domino finis principio respondeat. Diximus enim in initio prioris tomi, Iudæos in cognitione Messiæ valde errare, eò quòd duplicem ipsius aduentum, non distinguant. Cùm ergo hactenus ea omnia, quæ de primo aduentu consideranda videbantur, disputauerimus, conuenienti ordine sequitur, vt de Secundo Christi aduentu, & consequenter de secundo eius in cœlum reditu, perpetuoque ac immutabili statu, qui illum consequetur, disseramus. In hac itaque disputatione solum tractabimus quæstionem, an sit futurus alter aduentus Christi. Et quoniam hoc pendet ex causa, & ratione eius illam simul explicabimus, attingendo etiam circunstantias loci, & temporis, quę cum huiusmodi mutationibus coniunctæ sunt.

SECTIO PRIMA.

An futurum sit vniuersale iudicium, in quo Christus sit supremus iudex.

QVoniam potissima causa secundi aduentus Christi in futuro vniuersali iudicio posita est, ideo ab hac controuersia initium huius disputationis sumendum est. Fuerunt igitur hæretici quidam, qui vniuersale iudicium futurum esse negarunt. Quem errorem tribuit Guido Carmelita Albanensibus, qui dicebant vniuersale iudicium, iam esse factum, & nullum aliud esse futurum. Quomodo autem intelligerent, esse factum, non explicat. Fortasse eo sensu loquuti sunt, quo illi, qui dicebãt resurrectionem iam esse factam, scilicet, in solis animabus. Sic enim, quia iudicium fit in singulis animabus, per singularia iudicia multiplicata, intelligebant fortasse factum esse vniuersale iudicium omnium: vel certe quia in mente Dei, aut in Christi morte, & passione lata est sententia contra dæmonem, ac de eius sunt potestate erepti, quotquot per Christum redempti sunt, iuxta Christi verba Ioan. 12. *Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mũdi eiicietur foras*: sicut ibi exponunt Augustinus tractat. 52. & Chrysostom. homil. 66. Et fortasse hoc idem senserunt quidam alij (vt significant Hilarius, in Psalm. 1. & August. de agone Christiano capit. 27.) qui ad negandum vniuersale iudicium inducebantur verbis Christi, Ioan. 3. *Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est.* Vnde colligebant, nullos superesse iudicandos, & consequenter non esse futurum iudiciũ. Quia omnes sunt vel credentes, vel non credentes in Christum: sed illi non iudicantur, isti iam sunt iudicati: ergo nullus superest iudicandus. Vnde potest confirmari hic error, quia iudicium animarum iam est factum, ergo non iterum fiet. *Quia Deus non iudicat bis in id ipsum*, nec potest mutare iudicium semel factum. De corporibus autem non est necesse fieri speciale iudicium, quia illa non sunt capacia per se meriti, vel demeriti, nisi ratione animarum: ergo nec per se iudicari debent, sed in ipsis animabus censentur iudicata quasi in radice, sicut præmium, vel pœna corporum ex præmio, vel pœna animarum resultat.

Dico primò, futurum esse aliquando iudicium vniuersale hominum viuorum, ac mortuorum. Hæc assertio est vnus ex articulis fidei, quem in Symbolis Apostolico, Niceno, & Athanasij profitemur: quem ex Scripturæ testimoniis, & exsanctis Patribus probare fere est superuacaneum. Quia nihil est in Scriptura præsertim in nouo testamento, & in Patribus frequentius. Congerit varia testimonia Augustinus 20. lib. de Ciuitat. â capit. 5. & Damascen. lib. 1. parallelorum, cap. 15. & in historia de Barlaam capit. 8. & 9. & Chrysostom. homil. 46. 47. 49. & 50. ad populum. Breuiter, vbicunque in Scriptura fit mentio in singulari, & quasi per antonomasiam de die iudicij, qui etiam dicitur *dies Domini, dies iræ*, aut aliis similibus modis, sermo manifestus est de vniuersali iudicio, vt Matthę. 11. *Dico vobis Tyro, & Sidoni remissius erit in die iudicij*, & capit. 12. *Terræ Sodomorum remissius erit in die iudicii*, &, *viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista*, & 1. ad Thessalonicens. 5. *Dies Domini, sicut fur in nocte ita veniet*, & 2. ad Thessalonicens. 2. *Non cito moueamini, quasi instet dies Domini*. 1. Petri 3. *Igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum*. Et similes locutiones sunt multę in Prophetis, Sophon. 1. *Iuxta est dies Domini magnus*, & infra vocatur *dies Domini amara, dies irę, dies tribulationis*

Iudicium hominũ vniuersale aliquando futurum.

Symbol. Aug. Damasce. Chrysost.

Matt. 11. Matt. 12. 1. Thes. 5. 2. Thes. 2. 1. Petr. 3. Sophon. 1.

lationis, & angustię, dies calamitatis, & miseriæ, dies tenebrarum, & caliginis, dies tubæ, & Malac. 4. *clangoris:* & Malach. 4. vocatur *dies succensa, quasi caminus, dies Domini magnus, & horribilis, dies*, denique, *quam ego facio, dicit Dominus exercituum*. Circa quę loca animadAug. uertit Aug. 20. de Ciuitat. cap. 1. *diem*, indefinite positum esse pro tempore, more Scripturæ, *Nam per quot dies* (inquit) *iudicium hoc tendatur, incertum est*. Et ita dies ille vocatur *tempus nouissimum*. 1. Pet. 1. & 1. Pet. 1. Iacob. 5. & alijs Scripturæ locis. Præterea Iacob. 5. vbicunque in Scriptura fit sermo de iudicio futuro post vniuersalem resurrectionem, necesse est, sermonem esse de vniuersali iudicio, quia particulare multo ante Ioannes. 5 resurrectionem fit, sic dicitur Ioan. 5. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei*, & c. Atq; idem latè Matth. 24. & 25. Lucæ. 21. 1. ad Corint. 15. & 1. ad Thessalon. 4. & Apocalyps. 20. & alia testimonia afferemus in sequentibus assertionibus. Rationes seu congruentię huius vniuersalis iudicij post particulare varię afferuntur à sacris Doctoribus, quæ omnes nituntur in ratione diuinę iustitiæ. Quia iudicium actus est iustitiæ, & in eo interuenire possunt tam commutatiua, quatenus cũ vnoquoque seruatur æqualitas, quàm distributiua, quatenus inter omnes seruatur debita proportio meritorum, & retributionis. Et quanuis iustitia Dei secundum se non indigeat nostro testimonio, vel cognitione: tamẽ, quia ad Dei honorem pertinet, vt se ipsum in omnibus perfecte manifestet, ideo multa operatur ad manifestationem iustitię suæ, & hoc potissimum præstare voluit in die iudicij. Cur autem in postremum diem hoc reseruauerit, optimè declarat D. Th. ratione, quã hic attigit ar. 5. Quia opera hominum quodammodo manent post mortem eorum, vel in aliorum existimatione, & fama, vel in effectibus suis, qui varij, & multiplices esse solent: ergo licet Deus iudicet actiones vniuscuiusque hominis in morte eius, cõsiderando illas secundum se, id est. secundũ id, quod re vera sunt: oportet nihilominus, vt de eis faciat publicum, & vniuersale iudiciũ, in quo constet tam de ipsis actionibus, quàm de omnibus effectibus earũ, & nocumẽtis, ac fructibus, qui ad alios ex eis redundarunt: tũ re ipsa, tum Obiectio etiã secundũ aliorũ existimationẽ. Dices,

A iudicium Dei tantũ fertur secundum merita, vel demerita vniuscuiusque, sed hæc omnia consummantur in vita hominis, quæ consequuntur autẽ postea, siue in re ipsa, siue in hominum existimatione, accidentaria sunt: nihil ergo referunt ad diuinum iudiciũ. Respondetur, quanquam effectus mere accidentarij, qui nec præuisi sunt, nec connexionem vllam habẽt cum actione hominis, non augeant meritum, nec demeritum, & consequenter nec præmium, vel pœnam apud Deum: tamen illi effectus, qui aliqua ratione sunt pręuisi, vel quouis modo cõiuncti cũ actionibus hominis, ita vt in eis tanquam in semine contenti fuerint, augẽt vel essentiale meritũ, ac pręmiũ, pœnam, ac demeritũ, vel saltem accidentale. Vnde 2. Reg. 12. punitus est Dauid non solum propter peccatũ cõmissum secundũ se consideratũ, sed etiam, vt alijs fuit occasio blasphe- B mandi nomen Domini, sicut illi dixit Nathan Propheta. Secundo, quanuis totum meritũ, vel demeritũ sit in actu libero, si- ue postea sequatur effectus, siue non, & ideo essentiale præmium, vel pęna conferatur in fine vitæ, quando via, & tempus merendi, vel demerendi terminatur: nihilominus tamẽ effectus postea subsequuti duabus ex causis conferre possunt ad iudiciũ. Primò ad accidẽtarium præmium, vel pęnam, vt iniqui omniũ actionũ suarũ fructus intuentes magis confundãtur: boni verò è contrario de bonis fructibus gaudeant. Secundo & maxime, quia effectus ostendunt malitiã, vel bonitatẽ operũ, vnde ortæ sunt, vt ergo illis omnibus C propositis, & ponderatis euidentius omnibus pateat æquitas diuini iudicij, valde cõgruum fuit, post consummatas, ac finitas omnes actiones humanas huius vitæ, omnesque effectus earũ, fieri vniuersale iudiciũ, in quo omnia exactissime perpẽdãtur. Tertio accedit, quod ad manifestationẽ huius diuinæ iustitię non solũ necessariũ fuit, considerare singulorũ hominũ peccata secundum se: sed etiã in ordine ad alios, & in ordine ad gubernationẽ totius vniuersi, & ad vniuersalem, & specialem prouidentiam, quam Deus habuit, & respectu totius vniuersi, & respectu singulorũ hominum, atque ideò voluit, non tantum quasi priuatim iudicare singulos homines: sed etiam publicè totum vniuersum per modum vnius integri corporis politici,

Resp. Responsio

2. Reg. 12

Vniuersale hominũ iudicium fieri valde cõueniens.

politici, cuius bona omnia, & mala secundum omnes respectus, & habitudines suas in seuerum examen adducantur. Quarto hinc sit, vt licet ex parte Dei ad ferendũ iudicium singulorum, non sit necessaria hęc generalis congregatio omnium: tamẽ ex parte ipsorum hominum sit quodammodo necessaria, tum ad publicam manifestationem Diuinæ iustitiæ, tum etiam, vt quædam specialis retributio, proueniẽs ex publica laude, & honore, vel cõfusione, locũ habeat. Hæc enim necessario resultat ex tali modo iudicij publici, & vniuersalis, non autem ex priuatis. Vnde aiebat Paul. 1. ad Corin. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & tunc laus erit vnicuique a Deo.* Quinto hinc intelligitur, hunc modum iudicij esse valde conformem distributiuæ iustitiæ. Nam (vt Paulus ait 1. ad Corinth. 9.) quandiu in hac vita viuimus, veluti in publico stadio versamur laborantes, vt brauium, & coronam proposita consequamur: quando autem publicum præmiũ certantibus proponitur, ratio communis boni, & iustitiæ distributiuæ postulat, vt in publico confessu omnium congredientium merita conferantur, vt debitus honor, ac præmium singulis tribuatur. Deus autem, qui sapienter, ac suauiter omnia disponit, homines gubernare statuit, ac iudicare modo illis maxime accommodato, atque adeo ratione distributiuæ iustitiæ perfectissimè seruata. Et ideo (vt Paul. ait 2. ad Corin. 5. & ad Rom. 14.) *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt vnusquisque referat propria corporis, prout gessit,* & ob eandem rationem præmium Beatorum vocatur in sacra scriptura *Corona iustitiæ, vitę, ac gloriæ.* 2. ad Timoth. 4. Apoc. 2. Iacob. 1. Illa enim propriè dicitur corona, quæ victoribus publicè, & cum celebritate donatur. Sexto ad hoc etiam cõfert illa ratio sumpta ex aliorum existimatione. Facile enim decipitur humanũ iudicium, vel malitia, vel humano errore. Quia ex iis, quæ exterius apparent, iudicat, vnde sit, vt & bonorum fama sæpe lædatur, & iniquorum malitia adeo occultetur, vt boni, & iusti existimentur. Oportuit ergo, vt in Diuino iudicio, quod non est *secundum carnem* Ioan. 8. nec *secundum visionem oculorum, aut auditum aurium.* Isai. 11. sed *corda omnium intuendo.* 1. Reg. 16. oportuit, in quam, in

1. Cori. 4.
2. Cori. 9.
2. Corin. 5
Roma. 14
2. Timo. 4
Apoca. 2.
Iacob. 1.
Ioannis. 8.
Isai. 11.
1. Reg. 16

A

B

C

hoc iudicio singulorum iniurias tãquam in seuera quadam trutina, diuinaque lance pẽsari: & iustis famam restitui, iniquorum verò technas, & versutiam detegi. Quare de illis dicitur Sapien. 5. *Stabunt iusti in magna constãtia, &c.* De iis verò, *Videntes turbabuntur timore horribilia,* & infra, *Dicentes, hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, &c.* Huc etiam spectant similitudines illæ, quibus Christus vtitur in Euangelio, quibus explicat bonos, & malos in hac vita esse per mixtos, ita vt vix discerni possint, sicut virgines fatuę, & prudentes: oportet ergo aliquando discerni, & separari, sicut triticum à zizaniis, & granum à palea, &c. Septimo huc accedit ratio illa ad hanc eandẽ rem sæpe à Chrysostom. repetita, præsertim lib. 1. de prouidentia circa finem, & homil. 46. ad populum, quòd sæpe in hac vita iniqui fœlicitate quadam temporali fruuntur, & non solum ab hominibus honorari videntur: sed etiam à Deo ipso prosperari, iustos verò è contrario affligi. Oportet ergo, vt occulta hæc ratio Diuinæ prouidentiæ, & iudiciorum eius, in publico, atque in vniuersali iudicio pandatur, vt constet malos *recepisse bona in vita sua*, & si quid fortasse boni operati sunt, vltra debitum, vel potius sine debito fuisse illis remuneratum: è contrario verò bonos recepisse temporalia mala, vel vt eis magis in bono proficerent, vel certe, vt pro leuioribus culpis, aut temporalibus pœnis satisfacerent. Ac simili ratione Diuinæ iustitiæ consentaneum fuit, vtrorumque sortes commutari, & impios a iustis conculcari ac confundi. Vnde Malach. 4. illis promittitur: *Egrediemini, & salietis sicut vituli de armento, & conculcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum, in die, quã ego facio,* dicit Dominus *exercituum.* Vltima ratio peti potest ex iis, quę supra diximus de corporum generali resurrectione, quam oportuit in finẽ reseruari, postquã completę essent omnium rerum generationes. Quia materia, ex qua humana corpora constant, est harum generationum subiectum, quibus prius deseruire oportebat. Facta autem generali resurrectione, optimo ordine consequitur generale iudicium. Quia cum non sola anima, sed homo integer peccet, aut benè operetur, homo etiam integer iudicari debet, & conuenientem pœnam, aut præmium in animo,

Sap. 5.
Chrysosto.
Malach. 4.

nimo, & corpore debita proportione recipere. Nec prætermittenda est illa ratio moralis, vtile fuisse vniuersale iudicium futurum, vt illius expectatio, ac timor hominum mores corrigeret, & in officio contineret. Vt enim dixit Clemens Papa Epistola. 1. ad Iacobum, *Quis peccare poterit, si semper ante oculos suos Dei iudicium ponat, quod in fine mundi certum est agitandum?* Vnde recte Gregor. libro. 6. Moral. capite. 2. de hoc iudicio explicat verba illa Iob, capit 5. A *flagello linguæ absconderis, &c.* dicens, *flagellum linguæ* esse sententiam vltimam iudicis, à qua abscõdũtur, qui illã in hac vita formidãt. Quocirca concludit, *viuentes ergo timeant iudicem, ne morientes timeant accusatorem. Iustis namque initium retributionis est ipsa plerunq; in obitu securitas mẽtis.* Et de eadẽ relegi põt Chrys. hom. 35. ad pop. & 5. in ad Rom.

Cle. Papa

Gre. Pap.

Iob. 5.

Chrysosto.

Dico secundo, in hoc vniuersali iudicio futurum esse iudicem Christum dominum, non solum per diuinitatem, sed etiam proximè per humanitatem suam. Conclusio est de fide, quam maxime probant omnia testimonia, quæ de potestate iudiciaria Christi adducta sunt, & præterea sunt expressa multa in Euãgelio, Matt. 13. *Tũc mittet filius hominis Angelos suos, &c.* vbi multis parabolis, & similitudinibus hoc Christus exponit, & capit. 16. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundũ opera sua*: & capite. 24. & 25. idem late describitur. Et 1. ad Thessaloni. 4. 2. ad Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* In veteri etiam testamẽto hoc fuerat prædictum, vt in sequenti sectione latius ducturi sumus. Optimum verò testimonium est illud Daniel. 7 *Aspiciebam, donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit*: & infra, *Iudicium sedit, & libri aperti sunt*, & inferius, *Et ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & dedit ei potestatẽ, honorem, & regnum.* Quod testimonium in sequenti disputatione fusè interpretabimur. Rectè verò ait Ruper. hunc locũ expone, suo c. 13. in Dan. vsq; ad illa verba, *Ecce in nubibus cœli quasi filius hominis veniebat. Manifestè quidem descriptum esse iudicium diuinum, non tamen esse dictũ qualem per manũ vel personã sit agitandum. Non enim iudicabit per se metipsum ille antiquus dierum: sed vt ipse Dominus dixit, Omne iudicium dedit filio: hoc ergo prophetica visio (inquit) lucidè satis ostendit testimonio.* Et eadem est sentẽtia Hieronym. & Theodoreti in eundem locũ. Rationes, propter quas supra diximus, datam esse Christo potestatem iudiciariam, maximè probant de hoc vniuersali iudicio, tam ex parte hominum iudicandorum, nimirum vt videre possint, & audire suũ iudicem: quàm ex parte ipsius Christi, cui innumeris titulis supra expositis hoc munus debetur: cuius etiam victoriam, & iustitiam in illo celebri consessu, & cõspectu manifestari decuit.

Rupert.

Hieronym. Theodoret.

Occurrebat autem hoc loco explicandũ quã vniuersale sit futurũ hoc iudiciũ. Id enim, & ad cõplemẽtũ huius quæstionis, & ad soluendũ hæreticorũ fundamentum conferret: tamen, quia hoc spectat ad disputationẽ penultimã huius materiæ, vbi de forma huius iudicij, & de personis iudicandis agendum est, ideò nũc breuiter dicitur ad hæreticorum fundamentum, tã fideles, quam infideles esse iudicãdos saltem iudicio retributionis, vel damnationis, licet de iudicio discussionis, forte dictũ sit, qui nõ credunt, eos iã esse iudicatos. Quia apud Deũ iam est prolata eorũ sententia, quamuis nondũ sit exterius pronuntiata, vt Aug. exponit tract. 12. Ad aliud ex Nahum. 1. rectè D. Tho. exponit, Deum nõ iudicare bis de eodem secundũ eandem rationem: secus verò secundũ rationes diuersas. Quod est dicere, Deum non iudicare bis, vt priorẽ sententiam mutet, vel vt bis puniat: posse tamen bis iudicare, vt & supleat quidquid ex debita pœna deerat, & conuenienti modo sententiã proferat in eũ, qui peccauit, qui prius non omnino: sed quasi ex parte tantũ iudicatus fuerat. Ex quo patet responsio ad aliã cõgruẽtiam de iudicio corporum. Nõ enim iudicatur corpus per se: sed vt pars totius compositi, sicut in probationibus primæ conclusionis insinuatum est.

Aug. D. Thom.

SECTIO SECVNDA.

An Christus secundo venturus sit in hunc mundum ad vniuersale iudicium peragendum.

QVanuis dictum sit, Christũ futurũ iudicẽ in hoc iudicio: non tñ hinc necessariò sit vẽturũ esse ad hoc munus obeundum. Potuisset enim in cœlo manens sententiam proferre, & idcirco specialem hoc inuestigationem requirit.

in qua simul refellendus erit Iudæorum error, qui, sicut de primo Messiæ aduentu increduli sunt, ita non possunt circa secundum non errare. Nam sicut dixit Augustinus Epistola octuagesima ad Hesychiũ, & Lactantius, libro quarto capit. 12. *Qui aduentum Domini primum nõ cognouerit, præparare se non poterit ad secundum, credendo in eum*, Iudæi igitur neutrum credunt, sed quendam alium fingunt, qui nunquam futurus est, mere humanũ ad temporale regnum obtinendum. Referri etiam hic potest error, quem indicat Orig. tract. 34. in Matt. vbi sentit, secundum Christi aduentum nõ futurum esse corporalem, sed per solam manifestationem spiritualem, quæ fiet in mentibus omnium iudicandorum. Quæ sententia est, & contra proprietatem scripturæ, & contra Ecclesiæ sensum.

Aug. Lactant.

Igitur Catholica fides vnum Christi aduentum agnoscit iam factum, & alium confitetur futurum. In quo Christus Deus homo, verè, ac realiter veniet de cælo ad terram ad vniuersale iudicium peragendum. Hic est articulus fidei, quem illis verbis symboli profitemur. *Inde venturus est iudicare viuos, & mortuos.* Qui ex nouo testamento facile probari potest. Vt autem simul Iudæos conuincamus, oportet afferre veteris testamenti, & prophetarũ oracula, quibus hi duo Messiæ aduentus necessario conuincuntur: quorum conuenientias, & discrimina varia ex scripturis colligendo, veritatem propositam apertius confirmabimus, & occasionem errãdi Iudæorum melius detegemus.

Symbol.

Primo ergo statuendum est omnia testimonia scripturæ, quæ de aduentu Messiæ loquuntur, ad eandem personam esse referenda, in quo etiam Iudæi nobiscum conueniunt. Quia, sicut in nouo testamento vnum tantum agnoscimus redemptorem ac mediatorem: ita in veteri vnus est tantum Messias promissus, vt in principio prioris tomi latè ostendimus.

Secundus Christi aduentus ad iudicãdum ex prophetarum oraculis manifestus.

Secundo hinc oritur alia conueuientia, scilicet, quod is, qui aduenit in vtroque aduentu est Deus, & homo. Quod quidẽ de priori aduẽtu latè probatũ est in prædicto loco, & hinc sequitur, idẽ esse dicẽdũ de secundo, cum eadem sit persona, quæ venit. Sed vlterius probari potest proprijs scripturæ testimonijs. Quod enim Dominus ipse venturus sit ad iudicandum, docuit Isai. cap. 3. dicens, *Dominus ad iudicandum veniet cum senibus populi sui, & cum principibus eius.* Habetautẽ varias expositiones hic locus. A quibusdam enim exponitur non actiue sed passiue, scilicet, quod dominus veniet, non vt iudicet, sed vt iudicetur: & refertur ad primum aduentum, & ad iudicium, quod Christus subiuit sub Pontio Pilato, Ita Tertullianus lib. de Resurrectione carnis cap. vigesimo, & libr. 4. contra Marcion. ca. quadragesimo secundo, & Ruffinus in expos. Symbol. Alij vero actiue interpretando, Deum iudicaturũ, explicant de iudicio diuino, quod in Iudæos prolatum est, & executioni mãdatum, quando â Romanis pene extincti sunt, vt exponit late Iustinus dialog. cum Thryphone. A qua expositione nõ multũ quoque discrepant Hieronym, & Cyrillus, qui in genere de iudicio diuino aduersus principes Iudæorum, & Pharisæos interpretãtur. Nihilominus tamen satis accommodatè intelligitur de iudicio finali, vt ibi Basilius interpretatur, & Greg. lib. 1. in Ezech. homil. 9. apertius Aug. Enarrat. in Psalm. 49. quem de hoc aduentu intelligit, circa illa verba, *Deus manifestè veniet, Deus noster & non silebit.* Quo testimonio etiam in præsenti vti possumus. Cui simile est illud Isai. 66. *Ecce dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius, reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis, quia in igne dominus diudicabit.* Quæ verba sunt tam aperta, tanque consentanea ijs, quæ de aduentu ad iudicium in Euangelio dicuntur, vt omnium patrum consensu de illo explicentur, vt patet ex Hieronym. Cyrill. ibi, & August. 20. de ciuitat. cap. 21. & Cypriar. libr. de bono patientiæ prope finem. Denique Psalmus etiam. 96. de hoc aduentu rectè exponitur, & tamen in illo dicitur, *Dominus altissimus super omnem terram, & super omnes Deos:* de quo prius dictum fuerat: *Nubes, & caligo in circuitu eius, iustitia, & iudicium præparatio sedis eius. Ignis ante ipsum præcedet.* &c. Et ita videtur exponere Paul. ad Hebræ. 1. illis verbis, *Et iterum cum introducit primogenitum in orbem terrarum, dicit, & adorent eum omnes Angeli eius.* Alludit enim ad illa verba huius Psalmi. *Adorate eum omnes angeli eius.* Constat igitur Deum esse, qui venturus est. Quod autem etiam sit homo, dixit Daniel capi. 7. illis verbis. *Ecce cum nubibus cœli quasi*

Isai. 3. Tertullia. Ruffin. Iustin. Hieronym. Cyrill. Basilius. Greg. Pap. Aug. Isa. 66. Hieronym. Cyrill. Aug. Psalm. 96 Hebr. 1. Daniel. 7.

quasi filius hominis veniebat. Quibus consentanea sunt verba sæpe repetita à Christo in Euangelio Matthę. 13.16.19.& 26. *Amodo videbitis filium hominis veniētem in nubibus cœli.*

Matt. 10. 13.16.19: & 26

Tertia similitudo, & conuenientia huic affinis est, quod vterque aduentus futurus est per veram, & corporalem pręsentiam Christi. De hoc nulla nobis est cōtrouersia cum Iudæis. Quia illi loca omnia veteris testamenti, quę sunt de aduētu Messiæ, intelligunt de visibili, & corporali aduentu, quem vnum tantum futurum esse existimant. Nos autem idem de duobus consitemur. Et de primo quidem id satis constat ex ijs, quæ hactenus diximus de vita, & cōuersatione Christi domini, & de veritate corporis, & humanitatis eius in priori tomo. De secundo vero id constat ex omnibus locis Euangelij, in quibus describitur aduentus Christi ad iudicium, ita vt ab omnibus tam bonis, tum etiam malis sensibiliter conspici possit, iuxta illud Matthæ. 26. *Videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.* Et illud Apocalyps. 1. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Et hoc modo colligi idem potest ex illo Zacha. 12. *Aspicient ad me, quem confixerunt.* Nam illum locum de die iudicij interpretantur Theodoretus, Rupertus, & alij ibi, vbi etiam Hieronymus idem indicat, & clarius Aug. 20. de Ciuit. c. 30. & lib. 1. de Trinit. c. 13. Quam expositionem docte ibi comprobat Franciscus Ribera, nec minus erudite Franciscus Toletus Ioan. 19. aduertit, in illis duobus verbis duos Christi aduentus significari, primum in carne mortali in verbo, *transfixerunt*: secundū gloriosum in verbo, *videbunt*. Nam Iudæi, qui Christū crucifixerunt, nunquam eum amplius viderunt, neque vsque ad secundum aduētum videbunt.

Matth. 26

Apoca. 1.

Zach. 12.

Theodore. Rupert. Hierony. Aug. Ribera. Tolet.

Quarto conueniunt, quia vterq; aduētus est admirabilis, supernaturalis, ac Deo dignus. De primo satis cōstat ex ijs, quæ de mysterio incarnationis hacten' tractata sunt. Et satis comprobatur ex illo Agg. 2. *Ego commouebo cęlum, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus.* Quem locum intelligendum esse de priori aduentu, in primo tomo demōstrauimus. Et iuxta probabiliorem sententiam de eodē loquitur Malach. capit. 3. quanuis in magna gloria, & maiestate illum describat. Propter quod multis visum est de secundo aduentu esse loquutum, non considerantibus hanc similitudinē, de qua agimus, ratione cuius vterque potest describi in maiestate, & virtute, quanuis diuerso modo, vt postea dicā. Nam, quòd posterior aduētus futurus etiā sit admirabilis, & gloriosus, inferius late disserendum est, & ex testimonijs paulo ante citatis constare satis potest, quanquam nulla probatio necessaria sit, cùm hoc neque à Iudæis negetur.

Agg. 2.

Malach. 3.

Quinta conuenientia excogitari potest, quod vterq; aduentus est ad bonum, salutemque hominum. De primo satis id constat ex superiori tomo. De secūdo vero id testatus est Christus Lucæ. 21. vbi agens de secundo aduentu suo, ait, *Surgite, & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Quam enim ipse in suo primo aduentu sufficienter operatus est, tunc habebit in electis vltimum, ac desideratum effectum, de quo dixit Paul. ad Rom. 8. *Nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionē corporis nostri.* Quanuis enim hic aduentus Christi multis futurus sit in pęnam, & damnationem: tamen primario ac præcipue fit propter salutem, & gloriam bonorum. Nam hęc est per se, & ex propria Dei voluntate intenta: alia vero sunt tantum permissa, & ex malitia hominum consequuta. Et ideo Ioan. 14. Christus consolabatur Apostolos, & in eis omnes Iustos dicens, *Vado parare vobis locum, & si abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam, et accipiam vos ad me ipsum, vt vbi sum ego, et vos sitis.* Vbi apperte loquitur de hoc secundo aduētu, & de illius fructu. Et de eodem loquebatur Paul. cùm dicebat ad Philip. 3. *Saluatorē expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, &c.* Et apertius ad Titum. 2. *Expectantes beatam spem, & aduētum gloriæ magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi,* &. 1. ad Corinth. 1. *Ita vt nihil vobis desit in vlla gratia expectantibus reuelationem Domini nostri Iesu Christi, qui et confirmabit vos vsque in finē sine crimine in die aduentus Domini nostri Iesu Christi.* Et apertissime ad Heb. 9. vterque aduentus describitur, *Christus semel oblatus est ad multorū exhauriēda peccata: secūdo sine peccato apparebit expectantibus se in salutem.*

Lucæ. 21.

Roma. 8.

Ioann. 14

Philip. 3.

Tit. 2.

1. Cori. 1.

tem. Ac denique propter hanc causam rec
Iren. Gre. te dicunt Sancti Irenæus lib.2. contra hæ
Cant. 2. res.capit.62.& Gregorius in id Cant *Flo*
res apparuerunt in terra nostra: expleto nu-
mero prædestinatorum futurum secundũ
Apoca. 6. Christi aduentum, iuxta illud Apocalyp.
Dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus
modicum, donec compleantur conserui eorum.
Nam cum hic Christi aduentus propter
bonorũ gloriam præcipue futurus sit, ex-
pleto illo nnmero quẽ Deus prędefiniuit,
non est, quod amplius expectetur.

Sexta conuenientia præcedenti non dis
similis adiungi potest, quòd Christus in
vtroque aduentu venturus est, vt sibi reg-
Dan.2. num comparet. Nam de primo scriptum
est apud Danielem, lapidem paruum, qui
de monte abscisus est sine manibus percu
sisse statuam, & contriuisse, ac cõminuis
se regna huius mundi, & creuisse in mon-
tem magnum, ac vniuersam terram imple- B
uisse, regnumque comparasse, *quod in æter-*
num non dissipabitur, & alteri populo non tra-
detur, comminuet autem, & consumet vniuer-
sa regna hæc, & ipsum stabit in æternum. Quæ
scripta esse de Christo, & primo eius ad-
uẽtu certius est, quàm vt noua probatio-
ne indigeat. Nomine enim *lapidis* Chris-
tus in scriptura significari solet, Psalmo.
Psal.117. 117. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes*
Isai.28. *Mittam in fundamentis Sion lapidem*
Isai.18. *probatum.* Zach.3. *super lapidem vnum septem*
Zach.3. *oculi sunt.* Dicitur autem *lapis abscisus e mõ*
te sine manibus, propter natiuitatem eius ex
Virgine, vt in superioribus exposuimus.
Vnde constat, sermonem esse de eius pri-
mo aduentu: quo circa appellatur *lapis par*
uus, tum propter ætatem infantilem, tum
etiam propter humilem, & pauperem vi-
tam, vt postea dicam. Hic ergo lapis par-
uus dicitur *creuisse in mõtem magnum*, & om
nia occupasse, quia aduentu suo æternum
Luc.1. regnum sibi comparauit, iuxta illud Luc.
1. *Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur,*
Matth.28 *& dabit illi dominus* Deus *sedem* Dauid *Pa-*
Matth.27 *tris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.*
De quo regno dixit ipse Christus. *Data*
est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Et
Luc.23. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Et illud
confessus est latro Luc.23. dicens, *Memen-*
to mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.
Hoc enim regnum (vt alibi latius expli-
cuimus) non temporaliter, sed spirituali-
ter intelligendum est. Nihil enim est a- A liud, quam regnum Ecclesiæ, vel trium-
phantis in cœlo, vel in terra militãtis. Vn
de quia in primo aduentu non perfecte,
& omni ex parte Christus hoc regnũ ob-
tinuit, neque de hostibus suis visibiliter,
ac manifeste triumphauit, ideo etiam in
secundo veniet obtenturus plenam, ac cõ
pletam proprietatem, & possessionem hu
ius regni non solum spiritualem, sed etiã
quodammodo corporalem, & visibilem,
ac externam, sicut scribitur Daniel. 7. de Daniel.7.
illo filio hominis, qui iudicium facturus
est, *Dedit ei potestatem, & honorem, & regnũ,*
& omnes populi, Tribus, & linguę ipsi seruient.
Hæ igitur sunt, & aliæ facile excogitari
possunt similitudines, & cõuenientiæ in-
ter vtrunque aduẽum, vt quod vterque
dicitur futurus in nouissimo tempore, &
ante vtrumque fuerunt mittendi præcur-
sores, ac prophetæ, & aliæ similes, ob quas
errarunt Iudæi hos duos aduentus confun
dentes, & ideo oportet etiam diligenter
discrimina adnotare, vt rei veritas constet.

Prima igitur differentia sit, quæ in ip-
sis nominibus primi, & secundi aduentus
cõtinetur scilicet, quod vnus futurus fuit
tempore, ac duratione prior altero. Prop-
ter hanc enim rationem vnus vocatur *pri*
mus, & alter *secundus*, quod in testamento
nouo satis expressum est, vt patet ex cita-
to loco ad Hebræ .9. & ex omnibus alijs Hebre.9.
locis, in quibus dicimur expectare aduen
tum Domini, quem necesse est fore secun
dum cum Messiam iam venisse credamus
& hoc sit veluti primum noui testamenti
fundamentum. Ex veteri autem testamen
to probari potest. Quia quidã Christi ad-
uentus promittitur futurus in fine mun-
di, vt patet ex Malach.4. *Ecce enim dies ve-* Malac.4.
C *niet succensa*, &c. Vbi dies iudicij, & aduen
tus domini ad illud describitur, & in eo di
cuntur omnia consummanda, & faciendã
æternam separationem malorũ, & bono-
rum. Et ex ijs, quæ postea dicemus de tem
pore vniuersalis iudicij, & de signis, quæ
illud præcedent hoc apertius constabit.
At vero etiam in testamento veteri præ-
dicitur aduentus Messiæ multo ante con
summationem sæculi, vt patet ex prædic-
tione Danie. de septuaginta hebdomadi- Daniel.
bus, & ex eo, quod post illum aduentum
prædicitur futurum, vt gentes ad Chris-
tum conuertantur, & terra repleatur scien
tia Dei, vt dicitur Isaiæ.11. & vt Ecclesia Isai.11.
per vniuersũ orbẽ diffundatur, iuxta illud

Ps.71.

Psalm. 71 Ps. 71. *Replebitur maiestate eius omnis terra,*
Malach. 1. & illud Malach. 1. *Ab ortu solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus,* & alia multa, quæ non nisi longissimo tempore impleri possunt, sicut re ipsa videmus impleta, partimque speramus implenda: ergo necesse est, ijs locis prædici duos aduentus tempore distantes, erit ergo vnus primus, alter vero secūdus. Quapropter (quod in priori tomo etiam admonui) cauendum est, ne quis decipiatur modo loquendi Scripturę, quæ tempus vtriusque aduentus interdum vocat *nouissimū*, vel, quia totum tempus legis gratię, quod à primo vsque ad secundum Christi aduētum protenditur, licet in se longum sit, & multis annis duraturum, tamen respectu æternitatis est breuissimum, & veluti dies
2. Petr. 3. vnus, 2. Pet. 3. vel quia est vltimus status viatorum, in quo data est vltima lex Dei, cui non succedet alia, sed status æternitatis, & ideo totum hoc tempus vocatur à Ioanne *hora nouissima*, 1. Ioan. 2. In qua est
1. Ioann. 2 vterq; Christi aduētus: sed alter in principio, alter in fine eius, & ita erunt in tēpore nouissimo, & in diuersis temporibus.

Secunda differentia cum præcedenti coniuncta est in substantia (vt sic dicam)
2. differen. vtriusque aduentus, seu in mutationibus, quibus fient. Prior enim aduentus factus est per substantialem actionem, vel mutationem, scilicet per incarnationem filij Dei, & per humanam conceptionē, & generationem Christi, iuxta illud Pau
Galat. 4. li ad Galat. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere*. Nihil ergo aliud fuit, filium Dei mitti, quam fieri hominem ex fœmina: ergo venire fuit cōcipi, & incarnari. Et hoc ipsum est quod prædixerat
Isai. 7. Isaias cap. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filiū, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod interpretatum significat Nobiscum Deus*. Quia per illam conceptionem, & partum ad nos venit Deus, quod propter certitudinem prophetiæ, vt iam factum prędicit
Isa. 9. idem Isaias ca. 9. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis*. At posterior aduentus fiet per solum localem motum, quod licet non sit tam expresse dictum in veteri testamento. (Quāquam enim interdum significetur hic aduentus per verba veniendi, aut *descendēdi*: tamen eadem reperiētur dicta de primo aduentu, & ita possent aliter intelligi) sequitur tamen necessario ex ijs, quæ dicta sunt. Quia postquam

A res aliqua substantialiter producta est, & existit, non fit corporaliter, & visibiliter pręsens, vbi non erat nisi per localē aduentum: Christus autem supponitur iam existens Deus, & homo, & solum per localem motum ab hoc inferiori mūdo discessit quantum ad prętentiam humanitatis: ergo vt secundo aduenial, & fiat prę-
Actor. 1. sens, solum indiget motu locali. Atqueita pōt optimè hæc pars cōfirmari illis Angelorum vocibus Act. 1. *Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum*. Sicut ergo in cœlum iuit per solum localē motum (vt supra vidimus) ita per similē motum veniet. Hęc ergo est secunda differentia inter vtrumque aduentum.

Tertia, ac præcipua est in fine. Nam
3. Differē- prior aduentus respectu nostri præcipuè
tia. factus est ad operandam nostram redemp-
B tionem, & salutem per meritum, & satisfactionem, & ad docendos illuminandosque homines per doctrinam, & exemplum: alter autem aduentus erit ad iudicandos homines, & retribuendum præmium pro meritis, & pœnā pro peccatis. Et hanc differentiam insinuauit Christus
Ioannis. 3. Ioan. 3. dicens, *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat: sed habeat vitam æternam*, & rationem subdit, *Non enim misit Deus filiū suum in mundum, vt iudicet mundū: sed vt saluetur mundus per ipsum*. Quibus verbis expresse docet priorem aduentum, & causam eius: posteriorem verò tātum insinuat, ac si diceret, venturus quidem sum ad iudicandum mundum: tamen nunc nō
Chrysost. ad id veni, sed ad saluandum mundum, vt
C ibi indicat Chrys. hom. 27. & latius ibidē Euthym. Euthym. exponit. Et de causa quidē prioris aduentus satis dictū est à nobis in priori tomo. Quod autē secundus futurus sit ad iudicādū, passim habetur in Euāgelio, & in toto nouo testamento: ex quo multa testimonia adduximus. Et illa etiā, quibus ex veteri probauimus, Deū hominē esse, qui vēturus est in vtroq; aduentu, cōuincūt quoq; in vltimo aduentu vēturū esse ad iudicādū. Et ratio etiā id probat. Quia postquā Christus in priori aduētu sufficiēter homines saluauit, eisq; prouidit de rebus omnibus ad promerēdā salutem necessarijs, nulla alia ratio visibiliter veniēdi illi supereſt respectu nostri, nisi vt bonos à malis separet, eisq; cōdignā retributio-

nem impertiatur. Et quoniam finis, qui prior est in intentione, prima causa est, & ratio executionis, ideo ex hac differentia in fine, orta est alia supra posita de ordine executionis, seu temporis. Decuit enim *Chrysost.* diuinam misericordiam (vt Chry. ait dicta homil. 27. in Ioan.) prius nos redimere, ac saluare, & gratiam præbere, qua bene viuere possemus, vt postea nos posset exiustitia iudicare. Nam (vt recte dixit *Gre. Papa.* Greg. homil. 30. in Euan.) *Certe vnigenitus Dei filius iudex est generis humani. Sed quis eius iustitiam ferret, si prius quam nos per mansuetudinẽ corrigeret, culpas nostras per zelum rectitudinis examinare voluisset? Homo ergo pro hominibus factus, prius voluit mãsuete corripere, vt haberet, quos postmodum in iudicio saluaret.*

4. differentia in apparatu. Quarta differentia, quæ ex præcedenti consequitur est in modo vtriusque aduentus. Nam prior fuit in carne passibili, & in exteriori apparatu humilis, & abiectus. B Quia hæ duæ conditiones maximè erant consentaneæ fini tam redẽptionis, quàm doctrinæ, & exempli. Quæ veritas manifesta est non solum in Euangelio, sed etiam in veteri testamento, præsertim in Isaia, & Psalmis, vt latissimè in superioribus dictum est. At secundus aduentus futurus est gloriosus, tam quoad statum corporis impassibilis, quàm in maiestate, & externo comitatu, vt satis constat ex angelorũ *Act. 1. Matth. 26* verbis iam citatis, *sic veniet quemadmodũ vidistis eum euntem in cœlum*, & ex alijs verbis Christi Matt. 26. *A modo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cœli.* Quæ verba suæ respõsioni Christus addidit, vt pharisæorum tenebras depelleret, si se ipsum vellent cog- C noscere. Cum enim princeps sacerdotum eum grauissima adiuratione interrogasset an esset Christus, ipseque respõdisset, *Tu dicis*, statim tacitæ eorum obiectioni respondens superiora verba subiungit, ac si diceret. Nec miremini, quod affirmem, me esse Christum, quia me abiectum, ac infirmum hominem conspicitis. Nam iterum venturus sum in gloria, & maiestate, & tunc me videbitis venientem in nu- *Matth. 16. 24. & 25. Luc. 21. 1. Thess. 4 1. Cor. 15. Is. 3. & 66 Daniel. 7.* bibus cœli. De gloria huius secundi aduentus frequentissima sunt scripturæ testimonia tam noui testamenti, Mat. 16. 24. & 25. Lucæ. 21. 1. ad Thessalo. 4. 1. ad Corinth. 15. quàm veteris, Isai. 3. 66. & Daniel. 7. & alijs supra citatis: atque eam latius descripturi sumus inferius. Disputat. penultima. De hac item differentia legi potest August. sermone. 220. de tempor. vbi hoc fere sensu ait, priorem aduentum fuisse occultum, alium fore manifestũ, iuxta id Psalm. 49. *Deus manifeste veniet.* Hie- *Hieron.* ronymus. quæstio. 11. ad Algasi. Irenæus li- *Ire.* bro. 4. capite. 56. Tertullianus libr. cont. *Tertull.* Iudæ. Theodor. in Epitom. cap. de secun- *Theodor.* do aduentu.

Quinta differentia est in modo comparandi sibi regnum, & triumphum de ini- *Quinta differentia.* micis suis. Nam in priori aduentu meruit omnibus angelis, & hominibus cœlorum regnum, & specialiter pro hominibus satisfecit, eisque regni ianuam aperuit, & ideo sibi promeruit supremum quoddam ac cœleste imperium, & claritatem, & sui nominis exaltationem. Quanuis autem tunc cõsequutus sit perfectum ius regni: tamen (vt supra dicebam) non statim obtinuit integram possessionem eius, nec omnino debellauit omnes inimicos suos. Dico autem integrè, quia ipse quidẽ statim in fine illius aduentus ingressus est in gloriam suam, Lucæ. 24. ibique trium- *Luc. 24.* phat, & regnat: nondum tamen omnibus dominatur. Quia neque in cœlo adhuc completum est prędestinatorum regnum: neque in terra omnes illum venerantur, aut obediunt illi. Nõdum enim videmus, omnia subiecta ei, vt dicitur ad Heb. 2. Et *Hebr. 2.* ideo in fine illius prioris aduentus dictum est illi, *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* At verò de *Psal. 109.* posteriori aduentu paulo inferius subiungitur, *Dominus a dextris tuis confregit in die iræ suæ reges, iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum.* Quo metaphorico dicendi modo significatur, eum in posteriori aduentu acquisiturum perfectam regni possessionem: nõ iam illud merendo, sed re ipsa obtinendo, occupandoque, quod ante meruerat, acpotenti virtute ciues suos exaltando, hostes vero debellando. Et hoc est quod Paulus, ait 1. Corinth. cap. 15. *Oportet illum regnare, donec ponantur inimici sub pedibus eius.* *1. Cor. 15* Quod magis explicuit ad Heb. 10. dicens *Hebr. 10.* *Hic autem vnam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei, decætero expectans, donec ponantur inimici sub pedibus eius.* Est ergo valde diuersa ratio obtinendi regnum prioris, & posterioris aduentus. Et hanc differẽtiã cũ aliquibus ex dictis attigit Athanas. libr. de incarnatione *Athanas.*

Verbi

Verbi, eiusque corporali aduentu iuxta finem, dicens, *Simul te latere nolim alterũ eius aduentum illustrem, & diuinum, non humilitate contemptibilem, sed gloria magnificum, in expectatione esse, atque imminere, cum non, vt patra tur, rediturus sit, sed vt fructus suę crucis omnibus retribuat, immortalitatem videlicet, & resurrectionem, & incorruptibilitatem, neq; vt iudicetur, sed vt iudicet.*

6. Differẽtia. Atque hinc consequitur sexta differẽtia in ijs, quę vtrumq; aduentum consequuntur. Nam primus in hoc terminatus est, vt Christus absoluta peregrinatione sua, quam per primum aduentũ inchoauit, in cœlum redierit, & illic sedeat: non tamen nunquam rediturus: sed, *donec ponantur inimici eius sub pedibus eius.* Et quia hæc victoria non erat futura corporum, sed animarum, & armis spiritualibus cõparanda, ideo post insignem illum triumphum eiusdem aduentus, factum est, vt hęc Christi victoria per vniuersum orbem prędicaretur, vt spirituale bellum aduersus Christi hostes potentiori virtute gereretur, donec perfecta victoria ad exitum perduceretur. Et hoc est, quod in Psal. 109 citato Ps. post prædicta verba subiungitur, *Virgam virtutis tuę emitet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.*

At verò post secundum aduentũ nec bellum aliquod in terra superet, neq; Christus sedebit in cœlo iterum in terram rediturus: sed perpetua, ac stabili quiete illic regnabit, omniaque erunt subiecta ei, vt Paul. describit 1. ad Corin. 15. & Daniel. capite 7. & Ioannes Apocalyp. 12. 20. 21. & 22. & in fine huius materiæ latius dicemus.

1. Cor. 15. Daniel. 7. Apo. 12. 20 21. & 22.

His addi possunt duæ aliæ differentiæ, quas solum insinuabo, quia pendent ex infra dicendis. Septima ergo est in præcursoribus, quia pręcursor primi aduentus fuit Ioannes Baptista (vt supra tractatum est) secundi autem erũt Elias, & Henoch, vt infra dicemus.

7. Differ.

Octaua est in signis vtriusque aduẽtus. Nam signa prioris fuere, vel septuaginta hebdomadæ Danielis, vel cessatio sceptri Iudæorum, vel pax, quę futura fuit in vniuerso orbe cum alijs, quę de mysterijs vitæ, ac mortis Christi á Prophetis prædicta, & in superioribus tractata sunt. At verò signa posterioris aduentus tam in veteri, quàm in nouo testamento prædicta sunt longè diuersa, vt postea tradeA mus. Constat igitur, duos esse Christi aduentus, & adhuc superesse secundum, illumque ad iudicium ferendum de hominibus futurum.

8. Differ.

Dices, cùm potuerit Christus absque corporali præsentia sua iudiciũ hoc perficere, & sententiam proferre, quid necesse fuit ad hoc munus obeundum in terram descendere? Respondetur, in primis hoc positum fuisse in voluntate eius vel humana, vel diuina, quæ reuelata est, & nobis est ratio sufficiens. Possumus tamen congruentiam adiungere. Quia ex parte iudicandorum decuit iudicium in terra fieri, tum quia ille fuit locus pugnæ, & viæ, & quasi indifferens ad præmium, & ad pœnam obtinendam. Tum etiam, quia cùm inter iudicandos sint multi damnati, nec decuit illos in cœlum deferri, vt ibi iudicarentur, nec in infernum, antequam iudicarentur. Fuit autem conueniens, vt omnes iudicandi simul adessent, vbi & videri, & audiri mutuo possent propter rationes in superiori sectione adductas. Et hinc tandem concluditur, congruum fuisse, vt illuc iudex præsens aduenire. Primum, vt ab omnibus iudicandis videri, audirique posset absque inusitatis miraculis. Deinde vt hoc iudicium maiori quodam splendore, & maiestate fieret, qui Iustis magnum solatium, & gaudium: iniustis verò maiorem terrorem afferret. Denique vt vbi Christus *de torrente in via biberat, ibi caput exaltaret*, & triumphum suæ victorię ostenderet in terra, vbi iniquè iudicatus fuerat.

B

Obiectio

Responsio

Psal. 109

C

SECTIO TERTIA.

In quo terræ loco vniuersale iudicium futurum sit.

EX fine præcedentis sectionis, atque ex articulo fidei colligimus, hoc iudicium futurum esse in terra atq; in determinato loco terræ, in quo corporaliter congregabuntur omnes homines iudicandi, & sententia Origen. tract. 34. in Matt. hoc negantis fidei contraria est, vt iam vidimus. Quæstio ergo solum superest, in qua parte terræ futurum sit. Estenim multorum opinio, hoc iudicium esse futurum in valle Iosaphat, qui medius interiacet inter Ierosolymitanam vrbem,

Origenes

D. Thom. Albert. Palud. Antoninus Sot. Carthusia.

&montem Oliueti. Ita sensit D. Thom. in 4.d.48.q.1.art.4.q.4.quodli.10.ar.2. & opusc.60. cap. vltim. Alber. eadem d.48. art.8 Palud.dist.47.q.1.art.1.D.Anton. 4.p.tit.14.cap.11.§.5. & hoc sequuntur Sotus, Carthus.& recentiores propter locum Ioel.3. *Congregabo omnes gentes, & educam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis.* Alijs verò hæc sententia non solum non probatur: verum etiam expositio illius loci puerilis, & friuola videtur: vt ait Glossa ordinaria, quam sequitur, & refert Magister sentent.d.48.& clarius Alens.3.p.q.25.memb.2. Significat Ansel. in Elucida. vbi per *Vallem* interpretatur terram, quę respectu cœli *Vallis* dicitur. Quare multi negant esse vallem aliquam, *Iosaphat* appellatā. Vnde fit, apud prophetam, illud non esse cognomen alicuius vallis specialis: sed denominationem sumptam à iudicio ibi futuro, vt idem sit *vallis Iosaphat*, quod vallis iudicij domini. Nam *Iosaphat iudicium Domini* significat. Vnde Chaldæus nō vertit *In vallem Iosaphat*: sed *in vallem diuisionis iudicij*. Iuxta quam interpretationem omnino incertū manet, quis sit ille locus, qui futurus est locus iudicij. Additur præterea coniectura, quia vallis illa, quæ interiacet inter Ierusalem, & montem Oliueti, minor est, quam vt tantam hominum multitudinē capere possit.

Ioel.3. Glo. Ordi. Magist. Alens. Anselm.

Mihi tamen non videtur à communi, & recepta sententia recedendum, quanquam nō certa sit sed probabilis, & pia. Esttamē in hunc modum explicanda. Primò, non solum terræ locum, seu superficiem illius vallis Iosaphat ita credi futurum esse locū iudicij, vt tam omnes iudicandi, quàm Christus dominus vsque ad ipsam terram descēsuri sint ad iudicium. Hoc enim est, quod Glossa dixit, puerile esse credere, Dominum descensurum in vallem Iosaphat. *Quia non* (inquit) *in terra: sed in spatio huius aeris sedebit contra locum montis Oliueti, exquo ascendit.* Vnde non negat, iudicium futurū in illo loco: sed solum negat iudicem descensurum: vsque ad ipsam terram. Etidem est manifestus sensus Alex. Alensis, qui verus est quoad hanc partem. Nam Paulus 1.ad Thessalon.4. etiam sanctos homines resurgentes negat esse māsuros in terra: sed statim esse rapiendos vna cum Christo *in aera*. Igitur Christus dominus descendet vsque ad locum aeris, qui est super ipsam vallem Iosaphat, & ibi in throno

1.Thess.4 *Iudicium vniuersale in quo nā terræ loco futurum sit.*

A

B

C

suæ maiestatis sedebit, vt omnes ferè expositores docent. 1.ad Thess.4. Decet enim ipsum iudicem esse in eminentiori loco, & à terra eleuatum, tum propter dignitatem, & maiestatem, ac corporis gloriosi agilitatem, tum etiam, vt ab omnibus videri facile audirique possit. Rursus, omnes Sancti tam angeli, quàm homines erunt etiam à terra eleuati, vt Paul. significat. Quia ab ipso instanti resurrectionis eorum corpora erunt glorioſa, neque egebunt loco terræ, cui innitantur: & alioqui non decet, vt vel per illud breue tempus damnatis hominibus permixti sint, sed honoratior locus & iudici vicinior illis debetur. Erunt ergo in regione aeris vicina, & superiori valle Iosaphat. Deniq; soli reprobi iacebunt, vel stabunt super terram in ipsa valle Iosaphat. Non est autem intelligendum, solam ipsam vallem repletā esse corporibus: sed etiam montes, seu alia loca finitima, quæ ad capienda omnia damnatorum corpora necessaria fuerint. Nō enim oportet fingere illa corpora penetratiuè futura esse in minori loco, quā natura rei postulet, quia nullum est fundamentum, neque necessitas huius miraculi. Dices, occupabunt ergo corpora damnatorum multa alia loca præter vallem Iosaphat, vt v.g. montem Oliuarum, & locum Ierosolymitanæ ciuitatis, seu montē Sion & alia: cur ego dicuntur potius congregāda in valle Iosaphat, quàm in alio loco? Itē multi magno interuallo á Christo distabunt, quomodo ergo eū videre poterunt, & audire? Respondetur ad priorem partē, à parte totum denominari, & fortasse iudex collocabit sedem suam super ipsam vallē Iosaphat: eoq; cōgregari incipiēt iudicandi. Diffundentur autem per loca circunuicina, quantum necesse fuerit, & hac ratione dicuntur congregandi *in valle Iosaphat*. Ad posteriorem vero partem dicitur, facile esse Christo domino tanta efficacitate sui splendorem, vel speciem, aut vocē emittere, vt in tota illa distātia videri possit, & audiri, etiam si oporteat, miraculose id facere, & omnia impedimenta auferre.

Obiectio.

Responsio

Sic ergo explicata hæc sententia, satis probabiliter suaderi potest. Primo, quia nulla est difficultas, ob quam non possit facile credi ita esse futurum, & alias verba Prophetæ simpliciter, & ad literam intel lecta, hoc indicant. Quia iuxta veriorem expositionem, de iudicio vniuersali ibi loquitur,

Vallis Iosaphat vniuersalis iudicij locus quomodo

quitur, (vt satis commode exponit Hieronymus, recentioresque sequuntur) & locum illius iudicij nominat communi, & vsitato nomine, vnde vox illa *Iosaphat* ibi ponitur tanquam nomen, seu cognomen proprium, & consuetum illius vallis, non tanquam significans *iudicium domini*, quanuis fortasse tale nomen non sine mysterio illi valli impositum sit. Ergo iuxta literalem sensum significatur ibi vallis illa, cui hoc nomen impositum erat, & huius etiã rei signum est, quod Septuaginta illã vocem retinuerunt intelligentes esse nomen proprium: & non duas voces significantes *iudicium domini*. Et ideo eandem retinuit vulgata editio, & omnes interpretes.

Lyra. Carthusi. Are. Denique ita etiam intellexerunt hunc locum Lyranus; Carthusianus, & alij recentiores, & Aretas in 11. cap. Apocalyp. Accedit præterea cõgrua ratio, ob quã Deus locum illum elegit ad vniuersale iudiciũ. Quia ex monte Oliueti in cælum ascendit, & Ierosolymis pro hominibus passus est, & (vt supra diximus) illud cẽsetur esse medium terræ, in quo Deus salutem operatus est: ergo conuenienter electus est ille locus, & vallis intermedia, quasi vtrumque montem Caluariæ, & Oliueti complectens ad iudicium perficiendum, in quo sancti & gloriam ascensionis Christi participabunt, & fructum sanguinis, & passionis eius, & Christus iustam vindictã summet de persecutoribus suis, ac de omnibus qui suo sanguine ablui noluerunt. Denique vt ibi Christus suę gloriæ maiestatẽ ostendat, vbi summam ignominiam sustinuit. Neque enim refert, quôd non in ipsa ciuitate, aut monte Caluariæ: sed in valle Iosaphat dicatur sessurus ad iudicandũ.

Ioann. 18. Tum quia (vt ex. 18. cap. Ioan. constat) in valle Iosaphat per quam fluit torrens Cedron, (vt patet ex *Beda* lib. de locis sanctis cap. 6.) passionem suam inchoauit, ibi enim comprehensus est. Tum etiam quia totus ille locus tanquam vnus censetur, et (vt dicebam) quia est medius inter vtrumque mõtem omnia loca, & mysteria quodammodo complectitur. Et ideo aliquando etiam dicitur Christus iudicaturus, *in Syon, & Ierusalem*, vt eodem capit. Ioel. 3. significatur, *Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam*. Aliquando vero dicitur descensurus in motem Oliueti ad iudicandum. Quod videtur insinuasse angeli dicentes, *Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in cælum sic veniet*. Est ergo hæc sententia pia, & valde verisimilis.

Dubium. Vnum verò superest explicandum circa ea, quę diximus, nimirum, si omnes iusti futuri sunt in aere, dãnati vero in terra, quomodo ad literam intelligendum sit, illos futuros esse *ad dexteram*, hos verò *ad sinistram* Christi. Quia si non sunt omnes in terra, vel in aere, non oportebit hanc distinctionem fieri per localem separationem: sed omnes, qui in terra fuerint, erunt simul, & quasi in circulum congregati circa thronum Christi, vt quoad fieri possit, omni ex parte ad illum propinquius accedant, atque idem dicendum est de ijs, qui futuri sunt in aere eadem ratione, ac proportione. Dupliciter respõderi potest, primo (intelligendo ad literam, & in propria significatione *dexteram* & *sinistram* corporis Christi,) omnes reprobos, etiam si in terra sint, collocandos esse ad partem sinistram Christi: bonos vero in aere ad dexteram: quod si ita fiet, non erit respectus maioris propinquitatis, vel distantiæ ad iudicẽ, sed significationis potius. *Responsio.* Secũdo verò, & melius dicitur, more scripturæ, *dexteram* & *sinistram* significare fęlicitatis, & infælicitatis, honoris, vel abiectionis locũ. *Origen.* Et ita fere exponit Origenes. tract. 34. in Matt. quanquam ex falso fundamento, vt visum est. *Hilarius.* Eundem vero sensum indicat, Hilarius can. 28. dicens *in dextra, ac sinistra collocans vnunquemque, digna aut bonitatis, aut malitiæ sede constituet*. *Anselm.* Apertius Anselmus, Matt. 25. sic exponit, *a dextris*, id est, *in æterna beatitudine: a sinistris* id est, *in æterna miseria* commodius in elucidario inquit, *ad dextram scilicet sursum in gloria, ad sinistram deorsum in terra*. Et hanc expositionem frequẽtius scholastici sequuntur.

SECTIO QVARTA.

Quo tempore futurus sit secundus Christi aduẽtus ad iudicium.

COnstat in primis, aduẽtum Christi iudicis non esse futurũ ante ipsum met tempus, vel diem, in quo peragendum est iudicium. Tum quia, cũ hęc sit sola causa huius aduentus, & præsentię corporalis Christi in hoc inferiori mundo, non est, cur ante prædictum tempus fiat, tum etiam quia (vt supra agentes de resurrectione dicebamus,) rationi magis consentaneum est, vt iudicandi expectent iudicem, aut illi venienti obuiam exeant,

quàmvt ipse eos præueniat, vel expectet. Nulla ergo, aut breuissima intercedet mora inter iudicis aduentum, & inchoationem iudicij: & ita ferè semper hæc duo in Scriptura cõiunguntur, & hoc ferè ordine describuntur Matt. 25. *Cum venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gẽtes, & separabit eos ab inuicem:* Et infra, *Tunc dicet Rex ijs, qui a sinistris eius erunt, &c.*

Secundo etiam certum est ex Scriptura, & interpretatione, & consensu totius Ecclesiæ, tam Christi aduentum, quàm iudicium futurum esse in extremo tempore, seu die durationis mundi, vt patet ex testimonijs supra citatis, quod latius declarabimus disp. vlt. huius materiæ. Qua propter sententia Lactantij, & aliorum dicentium, aduentum Christi futurum mille annis ante finem sæculi, hæretica est, satisque in superioribus improbata, refellẽdo Chiliastarum errorem. Hinc ergo fit, vt quæstio hęc de tempore iudicij, & aduentus Christi coniuncta sit cum quæstione de duratione, & cõsummatione mũdi. Est autem sermo de mundo, nõ quoad substantiam elementorum, & corporum cęlestium (de quo in vltima disput. huius materiæ nonnihil dicemus) sed quoad generationes, præsertim hominum, & cõsequenter aliarum rerum, quæ propter hominem conditæ sunt. De quo Aristot. & quorundam philosophorum opinio fuit, mundum hoc modo non esse consummãdum, sed perpetuo duraturum. Qui ideò errarunt, quia de re, quæ ratione naturali inuestigari non potest, iudicium tulerunt. Nam sicut creatio, ita & conseruatio mũdi pendet ex libera Dei voluntate. Qua propter dixit Christus. Actor. 1. *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Supponimus, ergo ex fide mundum sub hac consideratione aliquando esse periturum: inquirimus autẽ quãdo periturus sit, aut quot annis sit duraturus.

Actor. 1.

Quidam igitur tradiderunt, mundũ duraturum sex mille annis, & consequenter in fine eorum futurum esse iudicium, & aduentum Christi. Hic error tribui solet Millenarijs, illumque expresse docet Lactan. lib. 7. diuinar. Inst. cap. 14. & 24. qui tamen post sex mille annos expletos, dicit futuros esse mille alios fęlicitatis Sanctorum in terra. Et eiusdem sententiæ est Iustinus martyr, q. 71. ad Gentes, & Iren. lib. 5. cont. hæres. capit. 28. & Hilar. can. 17. in Matt. & Hieron. Epist. 139. ad Cyprian. præsbyterum, exponens verba illa Psalmi. *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies externa, quę præteriit,* & insinuat Miche. 4. in principio, vbi tempus fidei gẽtium, id est, Euangelicæ prædicationis, & conuersionis mundi sentit tantum duratu rum quingentis annis, & hanc esse *nouissi mam horam*, de qua loquitur Ioan. 1. canon. capite. 2. & Gaudent. Brixensis tract. 10. qui est octauus in Exod. Aug. etiam 20. de Ciuitat. cap. 7. hanc referens sententiam, illam non iudicat improbabilem. Refert item Lactan. apud Ethnicos fuisse hanc peruulgatam opinionem, & Sybillas multa de ea prædixisse. Hebræosidẽ fuisse sequutos, præter R. Salomonem, & Isaac, referunt Galatinus lib. 4. capit. 20. & Picus Mirandulan. lib. 7. Heptapli, c. 4. ex quodam oraculo Eliç, quod habetur in Thalmud, in libro Sanhedrin, cuius verba referunt prędicti autores. Non est tamen illud oraculum Eliæ Prophetę, sed alicuius Rabbini. Coniectura qua omnes citati Patres vtuntur, est, quia sex diebus creatus est mundus, & in septimo fuit Sabbathũ, & requies: sed apud Deum *mille anni sunt tanquam dies vna*, ergo durabit mundus sex annorum millibus: postea verò sequetur requies diei Sabbathi, quam Millenarij existimabant duraturã per alios mille annos terrenæ fœlicitatis, nos autem dicere possumus esse diem ęternitatis, ac ęternæ beatitudinis, & quietis. Alias similes cõiecturas addunt Hębræi tam futiles, vt illas referre superuacaneum sit. Huic vero annorum numero quingentos annos addidit Germanus Constantin. in Theoria rerum Ecclesiasticarum parum à medio, qui refert Chrysost. Cyrill. & Hippolytũ in eam sententiam. Sed in oratione Hippolyti de consum. mundi, quæ extat, nullum verbum de hac relegitur: opuscula vero Chrysost. & Cyrill. de Antichristo nõ extant, neque in eorum operibus huius sententiæ vestigium inuenitur. Neq; intelligo, quo fundamento German. hos quingentos annos addiderit. Quod enim ait, quando Pontifex populum obsignat seu benedicit, manum, & digitos attollens in ipsa digitorum compositione, & figura significare prædictum numerum sex mille

Lactant. *Iustinus.* *Irenæ.* *Hilarius.* *Hieron.* *Psal. 89.* *1. Ioann. 2.* *Gaudent.* *Aug.* *Lactantius* *Galatinus* *Pic. Mira.* *Ger. Con.* *Chrysost.* *Cyrillus.* *Hippolyt.*

mille quingentorum annorum: hoc (in quam.) quo modo, aut quo sensu intelligendum sit, concipi satis non potest, nedum explicari. Alios similes ac varios dicendi modos refert Aug. 18. de Ciui. c. 53.

Augustin. quos omitto, quia nec maius habent fundamentum, nec propria indigent impugnatione, simul enim cum prædicta sententia refellentur.

De hac igitur veteri sententia tria mihi dicenda videtur. Primum prout à predictis autoribus asserta est, ipso rerum euentu conuinctam esse falsitatis, & erroris. Nam omnes illi autores sequentes septuaginta interpretes arbitrati sunt, Christum natum esse currente iam sexto millenario à creatione mundi. Vnde si vera fuisset eorum sententia, iam nunc durasset mundus plusquam sex mille, & sexcentis annis.

Lactant. Vnde Lactantius dixit, sua ætate tantum superfuisse ducentos annos vsque ad secũdum Christi aduentum, & mille ducẽtos vsque ad finem septimi millenarij, quem ipse ponit, qui omnes, & adhuc plures iam sunt transacti. Et eodem modo sentiũt reliqui scriptores citati. Et iuxta eãdem supputationem dixit Cyprian. in præf. lib. de exhortatione martyrũ ad Fortunatũ, *Sex mille anni iam plene complentur, ex quo hominẽ*

Cyp. *diabolus impugnat*, & Ambros. lib. 7. in Lucam, in principio, hoc argumento impugnat prędictam sententiam. *Quia plures, quã sex mille computantur anni*, quanquam reuera eius ætate nondum essent completi sex mille anni ætatis mundi, iuxta prædictam supputationẽ. Atq; simili argumẽto, præter alia, quæ statim subijciemus, conuincuntur falsa esse, & vana, quę de mundi duratione traduntur lib. 4. Esdræ capit. 5.

Ambros. *4. Esdr. 5. 11. & 14.* 11. & 14. quæ sufficiens causa est, vt ille liber è canone reijciatur,

Secundo dicendum est, iuxta veram supputationem annorum à creatione mundi, non posse euidenti, aut certo argumento conuinci falsum esse, quod prędicti patres affirmant. Probatur aperte. Quia (vt latè ostendi præcedenti tomo) secundum veritatem Hebraicam Christus natus est circa quater millesimum annum à creatione mundi, nunc ergo ad summum agitur annus quinquies millesimus sexcentesimus ætatis mundi: supersunt igitur quadringenti anni, vt compleatur numerus sex mille annorum: sed in ijs optimè impleri possunt omnia, quę in scriptura prædicta sunt, fore ante diem iudicij, ergo fieri recte potest, vt finito illo annorum numero, mundus etiam finiatur: nullo ergo argumento conuinci potest prædicta sententia falsitatis. Et hoc modo asseruerunt hanc sententiam Hebræi antiquiores, qui (vt referunt Galat. libro 1. & Genebra. in principio Chronagraphiæ) dicebant sex millia annorum futura durationis mundi, duo millia inanitatis, idest, ante legẽ: duo millia legis: & duo millia tẽporis Messię. *Galatin. Genebra.*

Tertio dicendum est, prædictos autores asseruisse rem prorsus incertam, quæ nulla autoritate, vel ratione probari potest. *Dies iudicij mundique futura duratio prorsus incerta, & incognita.*

Hoc probatur primo quia nihil ab eis affertur ad hoc probandũ. Oraculum enim Eliæ apocryphum est a quodam Rabbino confictum. Coniectura autem illa sumpta ex sex diebus creationis mundi nullius momenti est, tum quia illæ metaphoricæ significationes non possunt ab vno loco ad alium libere transferri. Dicuntur enim mille anni esse apud Deum tãquam dies vnus, vt immobilitas diuinæ æternitatis significetur: non verò, vt dies creationis significent sæculum durationis mundi. Tum etiam quia dici potest, illos sex dies significare sex mundi ætates, quæ nõ habent æqualem annorum durationem. Secundo ostensiue hoc probatur. Quia scriptuta dicit, tempus aduentus Christi esse incertum, & incognitum non solum hominibus, sed etiam angelis Matt. 24. et Marc. 13. *De die illa nemo scit.* Neque satis est, si quis respondeat diem, & horam posse esse incertam, quanuis annus sit præfixus, & certus. Nam (vt recte Aug. annotat, *dies*, & *hora* in huiusmodi scripturæ locis absolute pro temporis duratione sumitur. Non igitur solum nos latet qua die, vel hora in rigore sumptis futurum sit iudicium; sed absolute quo anno, vel (quod idem est) post quem annorum numerum futurum sit. Vnde Actor. 1. interrogatus Christus de illo tempore respondit. *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate.* Quo testimonio putat Aug. 18. de Ciuit capi. 53. sufficienter redargui omnes, qui annos durationis mundi computare, ac definire conantur. Ex quibus *alij* (inquit) *quadringentos: alij etiã mille ab ascensione domini vsque ad eius vltimum aduentum compleri posse dixerunt, qui cõiecturis vtuntur humanis, non ab eis aliquid de scripturæ canonicæ autoritate profertur. Omnium vero de hac re calculantium digitos resolvit, & quiescere iubet ille, qui dixit. Non est vestrum*

Matth. 24 Marc. 13. Aug. *Actor. 1.* *Aug.*

strum scire tempora, quæ Pater posuit in sua po testate. Atque eodem argumento contra hanc sententiam vtitur idem Augustinus Aug. Enarrat. in Psalm. 6. in principio, & Enarrat. in Psal. 89. circa illa verba, *Quoniã mille anni ante oculos tuos tanquam dies externa, quę præterijt*, & Epist. 78. & 80. Sic etiam Cyrill. Ierosolymitan. cat. 15. de hac re Cyr. Iero. agēs inquit, *Tempus nemo curiosè inquirat. Non est enim nostrum scire tempora, quæ Deus posuit in potestate sua, neque audeas determinare, quando hæc fient, neq; rursus supinus iaceas.* Eandem sententiam grauiter, atque erudi Beda tè docuit Beda lib. de ration. tempor. cap. 64. & 66. vbi contrariam, *friuolam*, & *hæreticam* appellat. Sed applicanda sunt singula singulis. Vocat enim *hęreticã* quoad eam partem, quæ est de errore Chiliastarum, *friuolam* vero quoad aliam, quæ tempora, & annos definit. Chrysostomus etiã Chrysost. hom. 9. in 1. ad Thessalon. in hanc senten 1. Thess. 4 tiam eleganter interpretatur illa verba capit. 5. *De temporibus autem non opus habetis, vt vobis scribam: ipsi namque scitis diem Domini, vt furem in nocte, ita venturum*. Vbi inter alia inquit tam incertum esse tempus cõsummationis mundi, quantum vnicuiq; incertus est dies mortis. Idem latè tractat Autor imperfecti in Matt. hom. 50.

Quarto tandem ex dictis concluditur *De nouissimo iudicij die perquirere curiosũ, et vanũ* à nemine posse affirmari quo tẽpore, anno, aut die futurus sit secũdus Christi aduentus, atque adeo curiosum, & superuacaneum esse id inquirere: cum diuina prouidentia ita ordinatũ sit, vt nobis sit occultus, vt constat ex citatis verbis Christi, & ex Luc. 17. & 21. Est etiam optimum testimonium illud Malac. 3. *Ecce venit, dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem aduentus eius?* Si verum est ea verba de Theodore. secundo aduentu esse intelligenda, vt vult Euſ. ibi Theod. sequutus Eusebium li. 5. de Demonst. cap. 28. In qua sententia est etiam Aug. 18. de Ciuit. cap. 35. & lib. 20. capit. 25. & 26. Aptior locus est Zachar. 14. *& erit in die illa, non erit lux: sed frigus, & gelu, & erit dies vna, quæ nota est Domino, non dies, neque nox, & in tempore vesperi erit lux*, vbi ad literam loquitur de die iudicij, quæ *nota* Deo dicitur, quia soli ipsi est cognita. Ratio verò non est alia, nisi quia hoc pẽdet ex voluntate diuina quæ nobis non est reuelata: & ratione inuestigari nequit, non solum ab hominibus, sed neque ab Angelis. Nam si aliqua in re, certè in hac maximè, ratio facti erit voluntas facientis. Præsertim, quia (vt supra dicebamus) tota pẽdet ex eo, quòd numerus prædestinatorum compleatur, qui numerus quoad primam prædefinitionem, & electionem ex sola Dei voluntate pendet, & ratione inuestigari non potest, nisi ipse Deus reuelet, vt per se notum est. Et licet numerus cognosceretur, adhuc esset incertum quanto tempore esset implendus.

Hic verò occurrebat tractandum, an a- *Dubium* animæ Christi sit nota illa dies, & an ab aliquo Beatorũ cognoscatur. Sed hoc satis attigimus superiori tomo. q. 10. ar. 2. in cõmentario, vbi locum Marci latè tractauimus, & ostendimus animam Christi cog- *Responsio* noscere illum diem non naturali scientia, sed beata, & infusa: de Angelis verò & alijs Beatis diximus esse incertũ, an in Verbo cognoscant hunc diem: verisimilius autem duximus cum Richard. Soto, & a- *Richard. Sot.* lijs in 4. d. 43. non cognosci. Quod tamen regulariter intelligendum est: nam fortasse á B. Virgine cognoscitur. Referũt aũt Richar. Sotus, & alij Aug. in Enchirid. c. 36. dicentem, sanctos Angelos cognoscere numerum hominum prædestinatorũ. Sed in primis etiã si hoc cognoscant, non inde fit, vt cognoscant tempus durationis mundi, vt dixi. Deinde August. in eo *Aug.* cap. nihil dicit, in capit. vero 62. vbi hac de re agit, exponi posset non absolutè docere Angelos cognoscere totum numerũ hominum electorum: sed solum quot homines assumantur ad reparandas ruinas Angelorum. Verba enim eius in fine ca. 61. hæc sunt, *Ex ipsa hominum redemptione ruinę illius Angelicæ detrimenta reparantur.* statimque cap. 62. subdit, *Et vtique nouerũt sancti Angeli docti a Deo, cuius veritatis æterna contemplatione beati sunt, quanti sunt, quanti numeri suplemẽtũ de genere humano, integritas illius ciuitatis expectet.* At verò, cũ homines nõ solũ assumãtur ad beatitudinẽ ad supplendas ruinas Angelorum: sed etiam per se, & exprimaria intentione, sicut ipsi Angeli, plures fortasse erunt homines prædestinati, quàm ad reparandas ruinas Angelorum assumpti: & ideo licet hic numerus cognoscatur, non sequitur totum numerum prædestinatorũ hominum agnosci.

Ex dictis consequenter colligitur etiã esse incertũ, qua die hebdomadis, & qua hora diei, id est, nocturna, vel diurna aduẽtus Domini ad iudicium futurus sit. Quã-

quam

quam de hora probabile sit, futurum hora matutina, sicut supra diximus agentes de generali resurrectione. Addit etiam Lactan. lib. 7. cap. 19. futuram illam horã eandem, in qua Christus resurrexit, & in Dominica die. Sed, qua coniectura hoc ipse dixit, posset alius excogitare, venturum Christum, qua die ascendit: vel iudicaturum, qua die iudicatus fuit, aut quidpiam simile. Est ergo tota hęc res incerta, & lubrica.

Lactant.

Sed dicet tandem aliquis, quanuis definite dici non possit, quot supersint anni vsque ad diem iudicij: tamen ex signis, quæ de illo prędicta sunt, posse nos coniectare, vtrum iam appropinquet, an adhuc longissime distet. De qua re prolixe satis scripsit Hieronym. Vuielmius libr. de sex diebus conditi orbis lect. 6. & refert contrarias, & valde dissentiẽtes hac de re Theologorum sententias. Alij quippe dicunt, longissimè adhuc distare mundi cõsummationem, donec octaua sphæra proprio motu perfectam conuersionem conficiat. Ac si duratio mundi esset propter motus cælestes, & non potius motus cælestes, propter generationes hominum, donec perfectus eorum numerus compleatur. Sunt ergo hæ coniecturæ, & similes valde infirmæ. Alij vero coniecturam sumunt ex eo, quod verisimile est, tanto tempore, vel maiori duraturum mundum post aduentum Christi, quanto antea durauit. Sed hoc etiam est incertum. Quia cùm in lege gratię plures saluentur quam antea, fieri potest, vt breuius absoluatur prædestinatorum numerus. Alij ergo è contrario opinati sunt, iudicij tempus non longê distare, quoniam multa ex signis illius, quæ in Euangelio prędicta sunt, partim impleta esse, partim continuè impleri videntur, nimirum prædicationem euãgelij in vniuerso orbe, seditiones, bella, perditos mores, & similia. Mihi tamen videtur, nihil etiam in hoc esse temere affirmandum, vt recte monuit Beda prædicto cap. 60. dicens. *Cunctis in cõmuni suademus, vt siue quis ex Hebraica veritate, siue ex septuaginta interpretum translatione, siue ex vtrisq; commixto opere codicibus, vt sibi visum fuerit, temporum cursum notauerit: & siue prolixiora, siue breuiora transacti sæculi tẽpora signauerit, aut signata repererit, nullatenus tamen ex hoc longiora, vel breuiora, quę restant sæculi tempora putet, memor semper Dominicæ sentẽtię. De die illa nemo scit.* Ratio vero cõuincens esse videtur. Quia in primis prædestinatorum numerus, quantus sit, non solum ratione certa, sed neque probabili coniectura nobis constare potest. Quis ergo definire audeat, an plures vel pauciores homines saluandi supersint, quàm hactenus salui facti sint? aut quo testimonio, ratione ue alteram partẽ definiet? Et siue numerus futurorum sanctorũ sit maior, quã præcedentium, siue minor, vnde scire potest, quis eorum breuiori, vel longiori tẽpore absoluendus sit? Cum contingat vno tempore esse plures iustos, quàm alio. Itaque considerata primaria causa, propter quam durat mundus, non potest a nobis cognosci, an eius finis lõge, vel prope absit. Aliunde vero ex signis datis de secũdo aduentu domini nulla ferè coniectura sufficiens ad ferendum iudicium sumi potest. Nam ea signa, quæ apparent impleta, sunt valde generalia, & communia, & quę fere in omni tempore in Ecclesia fuerunt, non vero illa propria, & specialia, de quibus dixit Christus. *Cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in ianuis.* Quod apertius constabit inferius, cum de his signis agemus. Nunc autem sufficiens huius rei argumentum est, quod propter huiusmodi signa ferè ab initio nascentis Ecclesiæ orta est existimatio, quod dies domini instaret, quam licet Paul. omnino euellere conatus fuit. 2. ad Thessalon. 2. semper tamẽ fuere, qui propinquum affirmarent esse aduentum domini, licet fortasse non tam proximum, sicut Thessalonicenses putabant. Quanquam de quodam Iuda Catholico, & illustri scriptore refert Hierony. de scrip. Ecclesiast. quod circa sua tempora futurum iudicium dixerit. *Quia magnitudo persecutionum præsentem mundi minabatur occasum.* Quem licet ipse reprehendat: idem tamen Hierony. Epist. 11. ad Ageruchiam de Monogami. easdem mundi clades elegantissime describens, penê in eandem descendit sententiam. Ac reliqui Patres propter huiusmodi causam fere semper monuerunt appropinquare diem iudicij, Tertullian. lib. de fuga in persecutione capit. 12. *Antichristo* (inquit) *iam instante.* Quod perinde est. Et eodem modo loquitur Cypria. epist. 58. & in Epis. 56. *Scire debetis, ac pro certo credere, & tenere, pręssuræ diem super caput esse cæpisse, & occasum sæculi, atque Antichristi tempora appropinquasse.*

Obiectio.

Vuielm.

Responsio Bed.

Ex signis iudicij prognosticis, nihil de mundi duratione colligi certo, aut probabiliter potest.

Matth. 24.

2. Thess. 2

Hierony. Tertullia. Cypria.

Rursum

Rursum Epist. 63. in fine, *Iam* (inquit) *secundus eius aduētus nobis appropinquat*; Basil. Epist. 71. agens de persecutionibus, quas Ecclesia suo tempore patiebatur. *Accessit* (inquit) *ad hasce animi mei disceptationes, & ista cogitatio, an Ecclesias suas prorsus reliquit Dominus, an nouissima hora est, & hoc pacto initium sumit defectio.* Chrysost. hom. 33. in Ioan. versus finem, tractans verba illa Pauli ad Philipp. 4. *Dominus prope est*, ea de propinquitate secundi aduentus exponit, quanuis fortasse melius ibi intelligatur Dominus esse propè, per præsentiam, & auxilium. Addit verò, *Non longe a fine absumus, sed iam mundus properat, hoc bella, hoc afflictiones, hoc terræmotus, hoc extincta caritas significat.* Ambros. oratione in Satyrum fratrem ante medium. *Raptus est, ne totius orbis excidia, mundi finem videret.* Gregorius item magnus, lib. 4. Epistolarum ca. 72. Epist. 38. & hom. 1. in Euang. latè hoc prosequitur. Atque eodem modo ferè loquuti sunt posteriores Patres, Bernardus, serm. 6. in Psalm. 90. Vincentius, & alij insignes diuini verbi concionatores. Ipso igitur longo rerum experimento constat, hæc signa insufficientia esse ad iudicandum de diei iudicij propinquitate. Nam eadē, quæ nunc sunt, fuere ante mille annos: & tamen nondum iudicium aduenit, nec certiora signa data sunt aduentus Domini appropinquantis. Sancti vero ita loquuti sunt, vel quia mala præsentia semper videntur maiora, vel quia vehementius aut ipsi timebant, aut timorem immitere peccatoribus cupiebant, & semper vere dicere poterant, iudicium Domini magis, ac magis appropinquare, vel certe more Scripturæ loquebātur, considerando totum huius vitæ tempus, vt breuissimam moram, æternitati cōparatum. Vel si aliqui fortasse ita simpliciter existimarunt, non satis experti fuerant, vel non animaduerterunt eadem signa, quæ ipsos mouebant, multis antea sæculis eodem modo contigisse.

Basil. Chrysost. Philip. 4. Ambro. Gre. Bernardus Vincent.

DISPVTATIO LIIII.

In sex sectiones distributa.

De Antichristo.

POstquam ostensum est, futurum esse aliquando secundum Christi aduentum ad iudicium, antequam modū illius, ac formam explanemus, dicendum est de ijs rebus, quæ proximè ipsum aduentum antecedent, & in Scriptura nobis reuelatę sunt, tanquam certa illius aduētus indicia. Inter quæ Antichristi persecutio sæpius, atque diffusius prædicta est. De qua in hac disputatione dicemus, explicando primo quis, & qualis futurus Antichristus sit, quæ deinde persecutio eius, & quis tandem ipsius futurus sit exitus. Quia tamen (vt Iren. dixit li. 4. cap. 43.) prophetiæ, donec impleātur, obscurissimę sunt, hinc factū est vt tota hæc materia de Antichristo perobscura sit, & in rebus multis incerta, & idcirco ea solū proferemus, quæ in Scripturis sanctis, prout ab antiquis Patribus intellectæ sunt, fundamentum habēt. Sunt autem in veteri testamēto tria tantum loca, in quibus ad literam de Antichristo sermo est, Daniel. 7. 11. & 12. in nouo autem testamento sex loca videntur esse potissima, Matt. 24. Marc. 13. Ioan. 5. 2. Thessal. 2. 1. Ioan. 2. Apocalyp. 13. In quibus locis videdi sunt omnes Patres, & vbicunq; de die iudicij, seu de secundo Christi aduentu scribunt. Ex quibus varia loca indicauimus disp. præcedēti, sectione vltima, & ex recentiorib. multa congerunt contra hæreticos huius tēporis Sanderus lib. 8. de visib. Monar. & Bellarmin. lib. 3. de Roman. Pontifice, Benedictus etiam Pereirus libro. 14. & 15. in Danielem. Ire.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Antichristus sit certus aliquis, ac determinatus homo.

PRimum omnium supponenda est significatio, seu etymologia nominis *Antichristi*, quod in Scriptura solum reperitur apud Ioannem, & per illud euidenter denotat hominem iniquum, hostē Christi, atque in omnibus illi contrariū. Sic enim ait. 1. canon. cap. 2. *Filioli, nouissima hora est, & sicut audistis, quia Antichristus venit, nunc Antichristi multi facti sunt*: & infra, *Quis est mendax nisi is, qui negat, quoniam Iesus est Christus, hic est Antichristus, qui negat Patrem, & Filium*, & cap. 4. *Omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus.* Et Epist. 2. *Qui non confitetur, Iesum Christū venisse in carne, hic est seductor, & Antichristus.* Significat ergo hęc vox hominem

Vox Antichristi quid denotet. 1. Ioan. 2. 1. Ioan. 4. 2. Ioannis.

minem Christo contrarium,& qui eius fidem,ac religionem euellere conatur. Et hoc sensu vtuntur hac voce omnes Patres, qui de Antichristo loquuntur, vniuersaque Ecclesia,& ipsa Græca compositio vocis hoc præ se fert,quia vox ἀντὶ oppositionē significat,vt notauit Damas. 4. de fide cap.27.dicens, *Veniet,non pro Christo, sed aduersus Christum, qua etiam de causa Antichristus dicitur*: & Hieron. Epistol.151. ad Algasian.q.11.dicēs. *Ipse est enim vniuersorum perditio qui aduersatur Christo,& ideo vocatur Antichristus*. Idem Aug.tract.3.in.1. can. Ioanni. *Damasce. Hierony. Aug.*

Ex hac ergo nominis etymologia, adiunctis prædictis testimonijs Ioannis, existimarunt aliqui Antichristum non fore certam aliquam,& determinatam personam: sed significare quencunq; hominē Christo contrarium,vt Iulianum apostatā, Mahometem, Arium, Lutherum,& similes. Quo sensu hæretici huius temporis dicūt, Romanum Pontificem esse *Antichristum*, quanuis non sit vnus determinatus homo,sed multi,qui in eadem sede sibi succedunt. Quorum mendacium euidētibus demonstrationibus conuincunt autores nuper citati: nobis autem non est in hoc immorandum. Constabit enim manifeste ex ijs,quæ dicemus, nullam Antichristi notam,seu proprietatem in Romanū pontificem conuenire. B

Secunda sententia hic referri potest,nimirum Antichristum fore determinatam personam,non tamen hominē, sed ipsum Dæmonem,vel fortasse Dæmoniorū principem apparentem in forma humana,non vera,sed phātastica. Ita sensit Hippolytus lib. de consum. mundi. Alij vero dixerunt futurum esse Dæmonem, simul tamē verum hominem,scilicet incarnatum Dæmonem in vera humanitate. Quorum fundamentū non videtur fuisse aliud, nisi quia ea,quæ de Antichristo dicūtur. 2.ad Thessalon.2.& præsertim eximia illa superbia extollēdi se *supra omne quod dicitur Deus,& se ostentandi tanquam sit Deus*, non potest de alio,quām de ipso Dæmone existimari. Hoc indicat Theod. lib.5. diuinorum decretorum cap. de Antichristo, dicens, *Ante aduentum domini veniet, humanam naturam subiēs, hominibus perniciosus, Dei nec aduersarius Dæmon,& sicut olim hoc nomē, Deus, sufuratus id sibi imposuit, ita Christi domini appellatione vsurpata omnes decipiet*. Citari etiam C *Hippolyt. 2.Thes. 2. Theodore.*

solet Ambr. 2.ad Thessalon. 2. vbi dicit Dæmonē sub Christi nomine tēpore Antichristi conaturum homines adducere ad se adorandum. Et sunt, qui existimant Hieron-Dan.7.& Bedam Apoc.13. indicare hanc sententiam. Nam reprobantes præcedentem,dicunt futurum esse hominem in quo satanas habitaturus est corporaliter. Nā hoc dicendi genere solet vera incarnatio significari, iuxta illud ad Colos. 2. *In quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter*. A *Ambros. Hierony. Beda Colos. 2.*

Dicendum vero est primo Antichristū futurum esse verum hominem. Existimo esse assertionem certam de fide. Primo ex 2.ad Thessalon.2. *Nisi venerit discessio primum,& reuelatus fuerit homo peccati*. Vbi ex sententia omnium sermo est de Antichristo, qui *homo* à Paulo appellatur: non posset autem ita simpliciter vocari, nisi esset verus homo. Et simili modo ponderat pro hac veritate Hierony. illa verba Daniel 7. *Et ecce oculi quasi oculi hominis erāt in cornu isto,& os loquens ingentia*, vbi est sermo de Antichristo, qui dicitur futurus homo, oculos,& os habens. Et confirmatur ex verbis Christi Ioan. 5. *Ego veni in nomine patris mei,& nō accepistis me: si alius venerit in nomine suo illum accipietis*. Vbi illæ voces *alius,& illum* euidenter alium hominē denotāt: est autem ibi sermo de Antichristo, vt exponunt ibi Chrys.& Cyrill. Damascen.& Hieron. supra citat. Iren. lib.5 cap.25.& Hilarius lib.9. de Trinit.& lib. de vnitat. Patris,& Filij,& Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto. ca.14. & Theodoret. lib. diuinorum decretorum cap. de Antichristo. Secundo, quia ita docent omnes patres citati, & alij qui de Antichristo scribunt,& hic est vniuersalis consensus Ecclesiæ. Tertio confirmari potest, quia mors supponit veram vitam: sed Antichristus vere morietur: ergo viuet etiam vera vita corporali hominis, erit ergo verus homo. Minor propositio constat ex Paulo, secundo ad Thessalonic. 2. dicente, *Tunc reuelabitur ille iniquus, quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui*. Interfectio enim veram mortē significat. Quod si quis fortasse contra hanc rationem obiiciat, Antichristum nō esse moriturū, ex Apocal. 19. vbi de Bestia,& Pseudopropheta eius dicitur *Viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis*. Respondetur primū, etiam si hoc admittamus, eandem esse argumē- *Antichristus verus homo futurus. 2. Thes. 2. Hierony. Daniel. 7. Ioannis. 5. Chrysost. Cyril. Damasce. Hieron. Irenæ. Hilar. Amb. Theodore. 2. Thes. 2.*

gumenti vim, quia viuere vita humana, de qua ibi est sermo, nō cōuenit nisi vero homini. Deinde dicitur cū Bed. Ansel. & D. Th. illos dici, in Apoc. viuos detrudēdos in infernū, non quia morituri nō sint: sed vt acerbitas pœnæ eorū significetur. Vel melius fortasse eos viuos terra absorbebit iussu Christi, & ideo dicuntur descendere viui: tamē interficiētur intra ipsam terrā antequam perueniant ad gehennā, sicut de Dathā, & Abiron interpretatur Abulen. Num. 16. q. 20, Atq; huic simile argumentum est, quia humana origo, & generatio nō est nisi veri hominis: ostendemus aūt in sequenti sectione ex sanctis Patribus, Antichristū ducturum originē ex
Hippolyt. Iudęis, & (quod mirū est) ipsemet Hippo. docet futurū ex Tribu Dan, quod nō potest consistere cū eius sententia, nisi hoc B intelligat solum secundum apparentiā, id est (hoc enim indicat) dæmonē formaturum in vtero alicuius fęminæ (quę originē ducat ex Tribu Dan) humanū corpus, nō verū, sed apparēs, atq; ita nasciturū ex illa etiā phantastice, & secundum apparētiā, atque hoc modo dici de Tribu Dan. Sed hoc alienum est à sensu omnium Patrum, & à veritate absolutæ locutionis.

Secundo dicēdum est, Antichristū non solum futurū verum hominē: sed etiā veram humanam, personam propriā, & connaturalē humanitati: itaque nō erit persona dæmonis incarnata. Hanc conclusionē
Damasce. docuit expressē Damas. lib. 4. cap. 27. reprobans cōtrariū errorem. *Neque vero* (inquit) *quemadmodum Dominus humanitatem assumpsit: ita etiam diabolus homo efficietur (absit enim hoc) verum homo ex fornicatione paritur, atq; omnem Sathanæ afflatū suscipiet. Deus etenim incredibilem quandam futuræ ipsius voluntatis peruersitatem præno scens, Diabolum in* C *eo domicilium sibi constituere sinet.* Et eodem
Hieron. Bed. sensu loquuti sunt Hieronymus, & Beda, Neque enim oportet, vt illud *corporaliter*, eodem sensu acceperint, quo Paulus: sed vsi sunt eo modo loquēdi ad explicandū, eum esse futurum veluti proprium dæmonis domicilium. Atque ita etiam loquitur
Aug. Ambros. Theodore. & luculenter exponit Autor libri de Antichristo inter opera Augustini tom. 9. neque Ambros. dissentit, & Theodoret. in eundem modum pie explicandus est. Ratio vero est, quia in primis probabilius est, fieri non posse, vt creatum suppositū alteri naturæ hypostatice vniatur, vt in superiori tomo ostensum est. Deinde est certum, etiam si hoc inse nō implicet cō tradictionem, non tamen posse fieri virtute dæmonis. Deus autem cur efficeret tātum miraculum, & supernaturalem vnionē in persona dæmonis, cùm illud ad nullum finē bonum, ac Deo dignum conferre possit? Addo etiā neq; ad prauos fines ipsius Dæmonis, neque ad omnem malitiam, quam in illum hominē effundet, aliquid cōferre huiusmodi vnionē. Quia, etiā si fingamus humanitatē vnitam hypostatice Angelo, nō haberet natura angelica maiorē virtutē in voluntatē humanam: neque alio modo posset illā ad malum vel bonū inducere, quā nunc possit, etiā si in suppositis diuersis existāt: ergo quātacūque superbia, vel malitia futura sit in illo homine, & quātunuis à dæmone sit decipiendus, ac regendus, non est ea de causa necessaria hypostatica vnio.

Antichristi generatio & conceptio qualis. Aug.

Hinc etiā obiter intelligitur, Antichristū nō esse hominē formandū virtute dęmonis absque humano semine ex sola Virgine, seu fęmina (vt quidam cōmēti sunt, teste autore lib. de Antich. non ine Aug.) hoc enim erroneum est. Quia dæmon nō habet virtutē ad formandum, & organizā dū verū humanū corpus, & hoc facere sine causis secundis est opus solius virtutis Dei, qui tantum in prima hominum creatione, & in Christi domini conceptione ea vsus est. Tribuere autem hoc miraculum Deo in generatione Antichristi impium, ac stultum est: tribuere autem illud dæmoni erroneum est. Quia est attribuere dæmoni diuinam potestatē. Siquis autem diceret, Antichristum generandū esse à dæmone succubo, & incubo medio semine humano, diceret quidē rem incertā, non tn impossibilem, neque erroneā.

Antichristus singularis quidam homo. Christi hosti acerrimus. Damasc.

Dico tertio Antichristum proprie, & iuxta primæuam impositionem huius vocis significare quendam certum, ac singularem hominem insignem hostem, & aduersarium Christi. Est res certissima, & de fide. Cuius sensum his verbis recte explicuit Damascen. sup. *Omnis, qui filium Dei, ac Deum in carne venisse, ac Deum perfectum esse, atque hominem perfectum minime cōfitetur, Antichristus est. Cæterum peculiari, ac præcipuo modo Antichristus ille dicitur, qui sub mundi catastrophem venturus est.* Itaq; sicut Christus prius in lege promissus, certus, ac singularis homo exitit, quāquā secundum

dum quandam participationem gratiæ, aut sacerdotalis, vel regiæ vnctionis, alij sint *Christi* appellati, ita quidam est singularis homo Christi hostis omnium acerrimus, quem *Antichristum* appellamus, & de quo totus hic sermo instituitur, qui secundum Domini aduentum proximè antecedet, quanuis propter participationem, vel similitudinem cum illo alij etiam *Antichristi* dicantur. Et hoc modo explicata conclusio est expressa in
Ioannis. 5. Scriptura sacra Ioan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, et nō accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis*. Qui locus est probabilis propter autoritatem Sanctorū, (quos supra citaui) tamen per se sumptus non videtur cogere. Quia post Christū plures fuere, qui sua autoritate se Christos finxerunt, & à Iudæis recepti sunt, vt
Ioseph. patet ex Ioseph. libr. 2. de bello Iudaico capit. 6. alias 12. & libro. 20. Antiquitat. capit. 2. alias 4. & de Simone Mago legimus Act. 8. quod se Christum finxerit, & á multis Iudæis receptus sit. Christi autem verba non advnum tātum, sed ad hos omnes applicari possunt, vt non singulariter, sed indefinitè intelligantur. Sed prior expositio (vt dixi) est verior. Quia vnus est, quem Iudæi expectant, & vnus erit, quem omnes tandem recipient. Nam illi alij, qui se Christos finxerunt, nō sunt ab omnibus Iudæis recepti: sed paucos
2. Thess. 2. quosdam deceperunt. Expresiora verò testimonia sunt 2. ad Thessal. 2. *Nisi venerit discessio primum, et reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis*, & infra, *Tunc reuelabitur ille iniquus, quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, cuius est aduentus secundum operationem Satanæ in omni virtute*, &c. Vbi euidenter est sermo de singulari persona, & ideo in Græcis codicibus additur semper articulus, quo denotatur singularis
Dan. 7. 11 & 12. persona. Et idem colligere licet ex Danielis 7. 11. & 12. & Apocalyps. 13. vbi prædi-
Apoc. 13. citur quidam singularis Rex futurus, qui destruet alia regna, & Sanctos Dei crudelissime persequetur, *et ex tollet se supra omne, quod dicitur Deus*, quas prophetias de Antichristo intelligunt omnes Patres supra citati, & non possunt de throno aliquo, vel hominum successione intelligi, sed de vno singulari homine. Dices, alia regna, quæ apud Danielem in quatuor bestiis, vel decem cornibus ostenduntur, non sunt singulares tantum personæ, sed Monarchiæ, cum multorum Regum successione. Ergo idē dici poterit de Antichristo. Respondetur negando consequē tiam, tum quia ibidem dicitur, regnum Antichristi cum ipso esse extinguendum (vt infra videbimus) tum etiam quia opera, quæ ibidem prædicūtur de Antichristo non possunt nisi in vnum singularem hominem conuenire. Quæ omnia ex dicē dis clarius constabūt. Et specialiter con-
Apoc. 3. firmari hoc potest ex loco Apocalyp. 13. vbi describuntur propriæ actiones, & mo res illius bestiæ, per quam Antichristus significatur, qui habiturus dicitur propriū ac peculiare nomen. Ijs enim signis, & no-
Antichristi nomen. tis solent indicari singulares & indiuiduę personæ. Nōaperuit autem Ioannes clarè, quod sit futurum proprium nomen illius hominis, sed in ænigmate illud proposuit dicens, in nomine eius futurum numerū *sexcentorum sexaginta sex*, id est, nomen illius componendum esse ex literis Græcis (Ioannes enim Græce scripsit) quæ illum numerum contineant. Vnde orta sunt variaiudicia, & diuinationes illius nominis, quæ in prædictis autoribus videri possunt. Mihi enim non placet in eis referendis immorari, quoniam verisimam cēseo sententiam Iren. dicto lib. 5. nihil in hoc
Irenæ. constanter affirmari posse. Quia multa excogitari possunt nomina, sicut á multis excogitata sunt, quorum literæ numerum illum contineant. Eamque ob causam Spiritus sanctus sub illo tātum ænigmate nomen proposuit: quia sciri noluit, donec prophetia esset impleta, quādo id prodesse poterit ad ipsum Antichristum cognoscendū. Vltimò, Antichristus, & eius persecutio proposita sunt in Scriptura, vt signum certum, quod præcedere debet se-
2. Thess. 2: cundum Christi aduentum, vt patet. 2. ad Thessalon. 2. *Rogamus vos, vt non cito moueamini, neq; terreamini, quasi instet dies Domini. Quia nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, &c.* Sed si non esset Antichristus certus, & determinatus homo, nullum esset hoc signum, ergo.

Neque contra hoc obstat locus Ioan. 1.
antichristi multi quomodo 1. Ioan. 2, & 4 can. cap. 4. *Omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est, et hic est Antichristus*, & ideo cap. 2. dixerat, multos esse Antichristos. Nam ibi Ioannes vtramque significationē huius vocis ponit à Damasceno indicatam. Sic enim ait capit. 2. *Audistis, quia Antichristus venit*, vbi Græcè ponitur articulus

vt significet, se loqui de singulari illo, ac proprio Antichristo, qui ab initio Ecclesiæ prædici cœpit, & in hoc confirmat veritatem propositam. Deinde subiungit, *Nunc Antichristi multi facti sunt*, scilicet, secundum quandam participationē, & similitudinem in spiritu contradicendi Christo, & discedendi ab illo.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum Antichristus iam venerit, aut quando, vnde, & ex quo genere expectandus sit.

QVi non existimant, Antichristum fore aliquam singularem personā: sed aliquod imperiū & successionem hominum in illo regnantium, vel quencunque insignem hostem Christi, facile existimant venisse Antichristum. Et ita sentiunt omnes hæretici huius temporis fingentes spirituale Romani Pontificis imperium esse regnum Antichristi. Ex iis verò, qui certam aliquam personam designant, non defuerunt, qui dicerent, Antichristum iam venisse, & quidam dixerunt illum fuisse Neronem, vt notauit Hieronym. Hieronymus, Seuer. Sul. Seuerus Sulpitius, lib. 2. sacræ histor. Quæ opinio (vt Augu. notauit. 20. de ciuit. cap. 19.) occasionem 2. Thess. 2. sumpsisse videtur ex verbis Pauli. 2. ad Thessalon. 2. vbi loquens de Antichristo ait, *Nam mysterium iam operatur iniquitatis*, quod videtur propter Neronem dixisse, qui tunc Ecclesiam persequebatur, & tamen illum vocat *Antichristum*, qui iam operabatur: non posset autem operari, nisi iam existeret. Vnde expressius Ioannes 1. Ioann. 4 1. Cano. c. 4. dixit. *Antichristus iam in mundo est*. Quod si inquiras, quomodo Nero, qui iam fuit, persecuturus sit Ecclesiam in fine mundi: Respōdent, vel suscitandū esse, vel nondum esse mortuum. Ita refert Augustinus supra. *Sed multum*, inquit, *mihi mira est hæc opinantium tanta præsumptio*. Quæ enim maior temeritas excogitari potest, quam fingere, iniquum, ac crudelem Ecclesiæ persecutorem Diuinitus ac miraculose viuum conseruari, & reuera mortem non subiisse, quam omnes historiæ referunt? Aut vero damnatum iam hominem miraculose suscitandum esse, vt iterum Ecclesiam diuexet? Alij excogitarūt Mahometē fuisse Antichristū. Ita refert Clictou. Clictoueus in commentariis Damas. lib. 4. cap. 27. qui non audet definire, an falsa sit hæc opinio, & affert plures coniecturas, quibus eā suadeat. Potissimę sūt, quia Mahometes in doctrina, & moribus, fuit valde dissimilis, atque contrarius Christo. Quæ ratio valde infirma est, tum quia communis ferè est multis hæreticis, & apostatis, & non facile potest iudicari, ex omnibus, qui hactenus Christo aduersati sunt, quis fuerit illi maxime contrarius. Tum etiam, quia ad ostendendum aliquē esse Antichristum, non satis est, quod aliqua, vel multa indicia, eorum, quæ de Antichristo dicta sunt, in illum conueniant, si multa alia deesse reperiantur. Sed inquiunt, prædictum esse Apocal. 13. Antichristum futurū anno sexcentesimo sexagesimo sexto ab aduentu Christi: Mahometes autem eo anno exortus est, & secta suam disseminare cœpit. Respōdetur, assumptionem esse falsam, quia in Apoc. Apoc. 13 nihil prædicitur de anno, in quo vēturus est Antichristus: sed solum prædicitur numerus continendus in elementis nominis eius. Deinde, quod subsumitur, etiam est incertū. Nam licet constet Mahometanā sectam cępisse post sexcentesimum annū Domini: tamen non constat, peruenisse ad sexcentesimū sexagesimum sextum annū. Nam potius chronographi referunt, sexcentesimo vigesimo tertio anno prædicare, ac regnare cępisse Mahometem, & ad summum quatuordecim annis postea vixisse. Denique tempore Pascalis secūdi, (vt in actis eius legitur) quidam Episcopus Florentinus ausus est affirmare, Antichristum ortum esse anno Christi millesimo, & coacto concilio damnata fuit à Pō tifice eius sententia.

Mahometes nō fuit Antichristus.

Dicendum igitur est primo, Antichristū proprie dictum, & quē singulariter scripturæ prædicunt fore, nondum venisse, seu regnasse. Hanc conclusionem existimo omnino certam, eamque docent omnes Patres hactenus citati, qui de Antichristo scribunt, & quos statim indicabimus. Eius vero probatio pendet ex multis, quæ inferius dicēda sunt de aliis signis, quę diē iudicij præcedent, qualia sunt euersio Romani imperij, prędicatio Euangelij in vniuerso mundo, aduentus Eliæ, & Enoch, & alia signa, quę in cœlo, & in elementis fient, & de ordine horū signorū inter se. Et ideò ne cōfundamus ea, quæ de singulis dicēda sunt, nunc solū probatur ex ordine regni Antichristi ad alia regna, & ex

Antichristus nondum venit

breui

breui duratione, & extinctione personæ, ac regni eius, ac deniq; ex tēporis breuitate, quæ intercedet inter eius obitum, & diē iudicij. Primū declaratur ex c.2.&.7. Dan. Daniel. vbi iuxta eiusdē prophetæ interpretationē, per quandā statuā habentē capud aureū, pectus argenteū, ventrē æneū, & tibias ferreas significata sunt quatuor imperia Assyriorum, Persarū, Græcorū, & Romanorū, quæ eodē ordine sibi successerunt, quę etiā significantur c. 7. per quatuor bestias. Postea verò prædicitur Romanum imperiū diuidendū in decem regna, quę c.2. significantur per decē digitos, quos statua habebat in tibijs: c. verò septimo per decē cornua, quæ ex quarta bestia adnascebantur, quę sub eodē ænigmate prædicuntur Apocal. 13. Post modū verò additur, post illa decē regna oriri aliud, quod per *cornu paruulū* Daniel. 7. Apoc. 13. Daniel. 7. significatur, & de eo dicitur, habiturū *os loquens ingentia*, & futurū maius cæteris, & facturū bellū aduersos Sanctos, &c. & ita Patres omnes per cornu illud Antichristū intelligunt, vt patet ex Hiero. & Theodor. ibi, & Irenæ. dicto li. 5. cōtra hæres. & Aug. 20. lib. de Ciuit. c. 23. Hinc ergo omnes colligunt, Antichristi regnū esse postremū inter omnia tēporalia regna, seu monarchias mūdi, & ita post illud nō describitur in Daniele, neque in Apocalypsi aliud tēporale regnū, quod illi succedat, sed iudicium Dei, & æternum regnū Sanctorum. Colligunt præterea, regnum Antichristi non esse futurum, donec imperiū Romanum in plura regna sit diuisum, & extinguatur. Ex ijs ergo concluditur ratio. Hactenus imperium Romanum non est prorsus extinctum: nam licet in plura regna sit diuisum, adhuc tū durat & nomē & dignitas Romani imperij. Rursus nōdū extitit Rex aliquis, qui omnia illa regna, in quæ Romanum imperium diuisum est, inuaserit, sibique subiecerit: signū ergo est, Antichristi tyrannidem nōdū incepisse. Hæc ratio pendet ex multis quæ postea dicturi sumus dis. 56. sect. 2. & ideò vt sit efficax, cōiungēda est cū sequēti.

Secundum argumētum sumptum est ex eò, quòd Antichristi regnum breuissimo tēpore duraturum est. Vt. n. colligitur ex Daniel. 7. & 12. & ex Apocal. 11. 12. & 13. Daniel. 7. & 12. Apoc. 11. 12. & 13. Antichristi suprema potestas, ac monarchia tātum per tres annos, & dimidiū durabit. Loquor autē de monarchia, & supremapotestate, quia, vt ibidē dicitur, *Data est illi potestas in omnē tribum, & populum, & linguā, & gētem*, quā (vt infra dicemus) paulatim acquiret partim diuitijs, ac munerib⁹, partim vi, & fraude. Quātum vero temporis in augenda stabiliendaque monarchia ponere debeat, nō mihi cōstat: quia neq; ex prædictis locis satis colligitur, neque videtur admodum verisimile, breui tēpore trium annorum cum dimidio hæc omnia esse perfecturum. Illud ergo solū est certū, ad summum permansurum in throno suo tribus annis cū dimidio, statimque & ipsum interficiendū, & regnum eius euertendū. Assumptū probatur ex prædictis locis. Nā Daniel. c. 7. loquens de regno Antichristi ait, *Et tradetur in manu eius, vsque ad tempus, & tēpora, & dimidium temporis*, id est per annum, & duos alios annos, & dimidiū anni, ita. n. per ænigma loquutus est Propheta ad celādā prophetiā, & eodē vsus est Ioā. Apoc. 12. quo drepetens Daniel. c. 12. ita explicat, *A tempore, cū ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille, ducenti nonaginta*. Ex quibus verbis probabiliter colligere licet, hoc tēpus cōputari ab eo tēpore, seu statu, in quo Antichristus principatum orbis iā obtinebit. antea. n. nō cessabit sacrificiū iuge. Addit vero in hoc posteriori loco Daniel dies duodecim, trib⁹ annis, & dimidio supra dictis, vt denotet tēpus illud fore præcisum, ac omnino definitū, quāuis iuxta cōmunē loquēdi modum verè præscribatur certus annorū numerus, etiā si pauci dies supersint, desint ve. Et eodē modo dixit Ioan. Apoc. 11. *Ciuitatē sanctā cōculcabunt mensibus quadraginta duobus*, qui cōficiunt prædictos tres annos cū dimidio. Omittit autē duodecim dies, quia nō cōplent mensem, & ita nō cēputātur in numero illo perfecto. Subdit vero de Elia, & Henoch. *Et prophetabūt diebus mille ducētis sexaginta*. Quia videlicet tempus prædicationis eorum triginta diebus breuius erit. Et similiter c. 13. *Data est ei potestas facere menses quadraginta duos*. In quo etiā videtur indicari hoc tēpus futurum integri regni, & potestatis Antichristi. Nec possunt hæc loca impropriè exponi, vt numerus certus ponatur pro incerto. Tum quia (vt dixi) ille præcisus modus numerādi nō solum annos, & mēses, sed etiā dies, & semper cū eadē proportione, apertè indicat, definiri tēpus. Tum etiā, quia

monarchiæ Antichristi duratio.

Daniel. 7.

Apoca. 12.

Daniel. 12.

Apoca. 11.

Apoca. 13.

nunquā per huiusmodi numeros tā varios
solet in Scriptura significari indefinitè a-
liquis incertus numerus, præsertim cū nō
solū numeri perfecti: sed etiā imperfecti
addātur. Tā etiā quia in alijs Scripturæ lo
Matth.24 cis semper indicatur, illud tēpus fore bre-
Apoca.12. uissimū *propter electos*, vt dicitur Mat.24.
& 20 & ideò Apoc.12. & 20. *modicū tēpus* illud
appellatur. Vnde Patres omnes & verbis
Scripturę, & ijs rationibus adducti huius-
modi futurū esse existimāt tēpus persecu
tionis Antichristi, & addunt cōgruentiā:
vt sicut Christus tribus annis cū dimidio
prædicauit, ita eodē ferè tēpore Antichri
stus Ecclesiā Christi persequi permitta-
Hierony. tur. Ita ferè Hiero. & Theod. in Dan. An-
Theodore. sel. Bed. Ruper. & alij in Apoc. Iren. Aug.
Anselmus. Cyrill. & alij suprà citati. Iā vero, nullum B
Bed. hactenus extitit imperiū vniuersale, quod
Rupert. alia regna sibi subiugarit, & tātū per tres
Irenæ. annos cum dimidio durauerit. Imo neque
Aug. de Rege aliquo hoste Christi, & perse-
Cyrill. quutore Ecclesiæ, qui hactenus fuerit, id
poterit vel probabiliter affirmari, vt ex
omnibus historijs cōstat: quin potius nul
la hucusq; extitit persequutio in Ecclesia
tam acerba, quàm futura est persequutio
Antichristi, vt postea videbimus, ergo.

Tertium argumētū est, quia statim post interitum Antichristi, futurus est secundus Christi aduētus, diesq; iudicij, vt oēs
2.Thess.2. citati Patres docēt ex Paul. 2. ad Thessal. 2. dicēte, *Nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati.* In quo nō solum significat, secundum Christi aduētum nō esse futurū, antequā Antichristus veniat: sed etiā statim post illum esse futurum, atque adeo tunc vere timeri posse, *quasi iam instet dies Domini*, quādo *reuelatus fuerit ho-* C *mo peccati.* Vnde infra subdit, quod quādo Christus veniet, destruet Antichristum il lustratione aduētus sui. Vnde multi colligunt, ipso met aduētu Christi esse Antichristum interficiēdum, de quo postea di
Matth.24 cemus. Præterea Christus dñs Matt. 24. post prædictā Antichristi persequutionē subdit proxima signa iudicij, & aduētus sui, *statim* (inquit) *post tribulationem illorum dierum, Sol obscurabitur*, &c. & infra, *& tūc apparebit signū filij hominis in cęlo, & videbunt filium hominis venientem in nubi-*
Daniel.7. *bus cœli.* Ideo etiā Dan. 7. post illa verba, *& tradentur in manu eius vsq; ad tempus, & tēpora, & dimidiū temporis*, subditur, *& iudicium sedebit, vt auferatur potentia, & contera-*

A *tur, & dispereat vsque in finē.* Quibus verbis nō solū significatur, iudicium futurū statim post Antichristum: sed etiam ad hoc statim futurum, vt auferatur eius potētia, eiusque persequutio cesset. Nā (vt Chri- Matt.24.
stus dixit,) *Propter electos breuiabūtur dies* Daniel.7.
illi: & inferius expressius dicit Dan. Ecce *cornu illud faciebat bellum aduersus Sanctos, & prævalebat eis donec venit antiquus dierum, & iudicium dedit Sanctis excelsis:* & in Apoc. c. Apoca.11
11. idē aperte dicitur, vt in sequentibus la tius exponemus. Et hoc idem docent San cti, vel hæc loca exponentes, vel de mundi consummatione scribentes, Iren. Hip- Irenæ.
polyt. Aug. &c. Hinc ergo euidenter con Hippolyt.
cluditur, Antichristum nōdum prætierijs- Aug.
se, cùm iudicium nondum factum sit. Cō uincitur etiā, nondū regnare cæpisse: imo nec natum esse. Quia ex signis, & rebus reuelatis, quæ debent præcedere iudicij diem, fere euidenter cōstare potest, lōgio ri tēpore distare iudiciū, quā Antichris- tus victurus sit, vel naturaliter viuere pos sit. Dices, quantū igitur tēporis interce- Obiectio.
det inter mortē Antichristi, & iudicium, seu aduentum Christi. Resp. Primum, illud tēpus futurum breuissimū: & hoc no bis satis esse ad vim rationis factæ. Nā li- Responsio
cet intercedant aliqui dies. v.g. decē, aut viginti, vel etiā annus integer, eadem est prædictæ rationis efficatia. Cōsiderato au tem modo loquendi Scripturæ, vix existi mari potest, illud tempus fore diuturnius. Deinde multi colligunt ex Dan. 12. tem- Daniel.12
pus illud futurum quadraginta quinque dierum, quos Deus concedet hominibus ad agendā pœnitentiam post mortē Anti- christi. Nam postquā Daniel dixerat, per- sequutionem Antichristi duraturā mille ducentis nonaginta diebus, subdit, *Beatus, qui expectat, & peruenit vsque ad dies mille tre centos triginta quinque*, vbi adduntur prędi- cti dies propter dictā causam, vt notant Hier. Theodor. & alij. Ansel. vero in Elu- Hierony.
cidar. ponēs tātū. 40. dies, perfectū nume Theodore.
rum posuit omisso imperfecto: nam 2. ad Anselmus,
Thess. 2. 45. dies posuit, sicut etiam Beda, Beda
Apoc. 8. At vero hæc cōmunis sententia dubia est, eo quod Ezech. 39. post destru- ctionem, & cladē Gog, & Magog, septē mensēs, vel etiam septē anni futuri esse significantur. Propter quod Lyran. ibi, & Lyran.
Dani. 12. existimat, illos dies apud Dani. non proprie sumi, sed metaphorice, diem pro anno vsurpari. Sed hoc est incredibile

contra

contra communem expositionem, & cõtra proprietatẽ verborum sacrę Scripturæ, & contra cõtextũ Danielis. Nã ibi numerus mensium per numerum dierũ declaratur. Alij negãt Danielem loqui de die iudicij futuro post illum numerũ dierum. Sed eadem facilitate negari potest, Ezechielem loqui de morte Antichristi, sed de alijs principibus, eius ministris, & exercitibus eius, qui fortasse interficientur aliquibus mensibus ante Antichristum. Aut certe per metaphoram dicamus significatã esse acerbitatem illius stragis. Est ergo res hęc valde lubrica, & incerta. Vnde satis constat, quid respondendum sit interroganti, quando venturus sit Antichristus. Dicendum est enim tam incertum hoc esse, quam est incertum, quando futurus est dies iudicii, solumq; affirmari posse, futurum prope diem iudicii.

Dubium

Queri verò hic vlterius potest, vnde venturus, seu vbi sit nasciturus, & ex quo genere, & quibus parentibus: hæc enim omnia antiqui Patres inquirunt. Et quidam dicunt, nasciturum Babylone, vt Aut. operis de Antichristo, nomine Aug. & Hieron. Dan. 11. & Anselm. in Elucidario. Lactantius verò lib. 7. cap. 17. dicit oriundum ex Syria. Rursus affirmant generãdum esse ex fornicatione, Damas. supra, & Anselmus. Tandem docent generandum esse ex Iudæis parentibus, & multi affirmant futurum ex Tribu Dan, ita interpretantes prophetiam illã Gen. 49. *Fiat Dan coluber in via ceraſtes in semita*, & illud Ierem. 8. *ex Dan audiuimus fremitum equorum*. Et propter hanc causam existimant Ioannem in Apocalyp. cap. 7. omisisse Tribum Dan, in odium nimirum Antichristi. Atque ita sentiũt Iren. & Damas. locis citatis, Beda, Rupert. & Ansel. Apo. 7. Theod. q. 109. in Genesim, Ambr. libr. de benedictionib. Patriarch. c. 7. Augustlib. quæstionum in Exod. q. 22. & in tract. de benedict. Patriarchæ Iacob (qui nomine eius circunfertur tomo. 3.) Prosper in dimidio temporis, c. 9. Greg. 31. Moral. c. 18: Eucherius, & alij, quos refert Lipomanus in catena super Genesim. Hęc verò omnia incerta sunt, cũ neq; ex scriptura, neque ex alia diuina reuelatione nobis tradita, sufficienter colligantur. Illud tamen inter omnia verisimillimum est, futurũ, scilicet, Antichristum Iudæũ & origene, & professione, vt præter citatos affirmant Hier. Dan. 11. Ambr. 2. ad Thess. 2. qui apertè dicit, Antichristum futurũ circuncisum, & Seuerus Sulpitius libr. 2. Dialog. ait, illum imperaturũ, vt omnes circuncidantur. Cõiectura aũt est, quia (vt infra ostẽdemus) ipse in principio suadebit Iudęis se esse Messiã, ipsiq; eũ recipient iuxta illud Ioan. 5. *Si alius venerit in nomine suo, illum recipietis*. Nã (vt ait Paul. 2. ad Thess. 2. *Quia veritatem recipere noluerunt, mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio*: non est aũt verisimile recepturos Iudæos in Messiã, nisi Iudæum hominem, & circuncisum. Ex qua aũt Tribu futurus sit, incertũ est, tũ quia locus ille Gen. ad literã de Samsone explicatur à Hier. in traditionibus Hebraicis, quia re vera ibi Iacob non videtur mala: sed bona potius prædicere. Tũ præterea quia tẽpore Antichristi tã confusæ erunt tribus Iudaicæ, sicut nunc sunt. Vnde vix poterit hominibus cõstare, ex qua tribu ortus sit. Atque ideò credibile est, quod ait Cyrill. Ierosol. cat. 15. studiosissimũ futurũ Antichristum templi Ierosolymitani, *vt ipse de progenie Dauid esse videatur, qui templum olim a Salamone extructum, ipse sit ædificaturus*, vt nimirum pro Messia haberi, ac recipi possit. An verò nasciturus sit ex impuro, atq; illegitimo thoro, magis incertũ est: facile tñ credi potest tã iniquum hominẽ, tanque Christo contrarium turpissimam habiturum originẽ, & sicut Christus de purissima Virgine conceptus est, ita illũ ex impurissima fœmina fore generãdum. Atque ex iis omnibus confici potest noua ratio, ad ostendendum nondum Antichristum venisse. Quia nullus Iudæus homo, quique à Iudæis pro Messia susceptus sit, tẽporale regnum obtinuit, aut Ierosolymitanum templum instaurare potuit. Ac similes rationes sumi poterunt ex iis omnibus, quæ de vita, regno, ac persequutione Antichristi dicturi sumus.

Aug. Hieron. Anselmus. Lactant. Damasce, Gene. 49. Ierem. Iren. Apocal. 7. Damasce. Bed. Rupertus. Anselmus. Theodore. Ambros. Aug. Gre. Eucher, Lipoman.

antichristũ & genere, & professione Iudæus Hierony. Ambros. Seu. Sulp. Ioannis. 5. 2. Tessa. 2. Cyri. Iero.

Vna verò obiectio supereſt soluenda, quæ superius indicata est, ex Paulo. 2. ad Thess. 2. dicente de Antichristo, *Mysterium iam operatur iniquitatis*. Nã si iam tunc operabatur: ergo iam erat. Vnde & Icã. 1. canon. c. 4. ait, *In mundo est*. Resp. ex ipso contextu euidẽter constare mentẽ Pauli. Nã, vt Thessalonicẽses liberet metu instãtis iudicii, docet eos, prius vẽturũ Antichristũ, qui nõdum venerat. Cũ ergo ait, *Mysterium iã operatur iniquitatis*, nõ loquitur

Obiectio 2. Thess. 2 1. Ioan. 4. Responsio

tur de persona Antichristi: sed de membris eius, vt sunt hæretici, & tyranni, qui, eodem spiritu agũtur, & iam tunc operabantur, quo ipsa persona Antichristi regetur. Et eodem modo ait Ioannes, Antichristũ iam venisse secundũ eam participationem, ratione cuius *Antichristi* vocãtur omnes illi similes, seu (quod idem est) dicitur venisse non in persona: sed in spiritu. Sicut Matth. 17. dicit Christus, venisse Eliã, quia Ioannes Baptista venerat *in spiritu* eius. Ita exponunt super hæc loca Chrys. Ambr. Augustin. & alij Græci, Latiniq;, & Hieron. dicta q. 11. ad Algas. & Aug. 20. de Ciuit. c. 19. D. Th. supra. q. 8. arti. 8. ac ferè alij Patres supra citati.

Matth. 17

Chrysosto. Ambros. Aug. Hieron. D. Thom.

SECTIO TERTIA.

Quales sint futuri Antichristi mores.

OStendimus, proximè ante iudiciũ venturũ quędã hominẽ singularẽ hostẽ Christi, & Sanctorum eius supereſt, vt mores, doctrinã, ac persequutionẽ eius exponamus. Vt aũt de moribꝰ dicamus, ab exordio vitæ eius initium sumendum est.

Principio igitur dicunt aliqui, ab initio suæ conceptionis ita fore à dæmone possi dẽdũ, vt omni eius malitia repleatur. Quo certè modo intelligunt, quòd Paul. 2. ad Thess. 2. *aduentum eius* dicit, *esse secundum operationẽ Satanæ*, quo circa eũ vocat *hominem peccati*, id est, *diaboli* (vt Sedulius exponit) nõ quòd â diabolo generãdus sit: sed quia omnẽ operationẽ diaboli in se susciet, vt ibi ait Theod. Et Oecumen. ibi asserit, Antichristũ obsidẽdũ, regendũque à Satana, & hæc sentẽtia est Ansel. in Elucidar. & Aug. seu Raban. citato li. de Antichristo. Est tñ sano modo intelligenda. Nã in primis (vt ex superioribus cõstat) dæmon nõ efficiet cõceptionẽ Antichristi: operabitur aũt (quantum in se erit) cõmouendo humores, & applicando agẽtia, & materiã, vt fiat tẽperamentum illius hominis maximè proportionatũ, atque propẽsum ad vitia. Quod non alia ratione asseritur, nisi quia talis futura est vita Antichristi, vt videatur Deus, omnẽ licentiã dedisse dæmoni, vt totã suã malitiã, ac potẽtiã in illũ exequatur. Et quia ille homo futurus est in omnibus maximè cõtrarius Christo, & ideo sicut Christus opera Spiritus sancti conceptus est, ita in

2. Thess. 2.

Sedulius.

Theodore. Oecumen. Anselmus Raban.

A Antichristi conceptione spiritus dæmonis eã præstabit operã, quã suo modo potest, & hoc fortasse sensu Hiero. Isai. 16. dæmonẽ appellat *patrem Antichristi*. Deinde obseruandum est nõ esse anticipandũ Antichristo vsum rationis, vt eo sensu intelligatur replendus ab infantia omni malitia dęmonis. Illa enim anticipatio nõ potest fieri sine miraculo, quod nulla ratione fingendũ est sine fundamẽto, & ad finẽ prauum. Dici ergo potest replẽdus ab infantia dæmonis malitia, quia statim tradetur potestati dæmonis, ita vt dæmõ intelligat sibi permitti à Deo, vt omnibus modis eum tentet, & ad malum inducat, & ideo ita illum etiã in infantia circunueniet, & oẽs eius motus, actusq; diriget, vt semper fiat procliuior, & facilior ad malum. Et hoc etiã modo intelligendum est, esse obsidendum à dæmone, nõ quòd iudicio priuandus sit, & libertate (sicut solẽt arreptitij cogi, aut dementari à dæmone) aliás non peccaret in actibus suis (quod est aperte contra Paulum, & alia Scripturæ testimonia.) Sed dicitur obsidendus ä dæmone, quia semper, & in omnibus eum diriget, & gubernabit ab infãtia sua. Quo sensu dixit Damas. li. 4. c. 27. *Ex fornicatione parietur, atque omnem Satanę afflatum suscipiet. Deus etenim incredibilem quandam futurę ipsius voluntatis peruersitatem prænoscens, diabolum in eo domicilium sibi cõstituere sinet.*

Antichristus abinitio conceptionis suæ a dæmone ob sidẽdusquo modo Hierony.

Damascen.

Secundo postquã ad vsum rationis peruenerit, dicunt aliqui scriptores (vt Ans. in Elucidar. & Autor libri de Antichristo inter opera Aug) educandum eum fore in Corozaim, & Bethsaida. Quod vbi legerint, aut quo fundamento dixerint, me latet. Fortasse moti sunt, quia illæ ciuitates maximè incredulitatis, & obstinationis incusatæ á Christo sunt, sed hoc fundamẽtum nullius roboris est. Damas. quidẽ dicto c. 27. solum dicit, clàm esse educandũ. Quidquid verò sit de loco, & modo educationis eius, omnes tamen docent, à principio esse imbuendum omnibus iniquis moribus, ac prauis artibus, & à maleficis, & ariolis instruendum, & præsertim astutia dęmonis. De quo Cyrill. Ieros. cat. 15. *Inducet* (ait) *quendã magnũ hominẽ* (sic vocat Antichristũ) *veneficijs, & incãtationibus, & malis artibus instructissimũ.* Et inferius de moribus illius loquens dicit, talem futurum, *vt omnes, qui ante illum improbi, & impij fuerint, excellat malitia, mentemque habeat homici-*

Anselm. Aug.

Matth. 11.

Damasc.

Cyrill.

homicidiariam, præfractã, immisericordem, & variam. Quę omnia in diuinis literis magnum fundamentũ habent. Primum, quiã illa epitheta. 2. ad Thess. 2. *Homo peccati, filius perditionis, ille iniquus, cuius est aduẽtus secundum operationem Satanæ, in omni seductione iniquitatis*: & illud Dan. 8. *cum creuerint iniquitates, consurget Rex impudens facie*, hęc inquam, & similia indicant ingentẽ malitiã, & corruptissimos totius vitę mores, adeò, vt aliqui sentiant, nunquam esse bene moraliter operaturum. Quod, licet sit incertũ, nõ est incredibile. Deinde, quia expressè prædicuntur de illo cum magna exaggeratione immania vitia, quæ sunt fontes aliorum. Primũ, ac præcipuum est superbia, de qua dicitur. 2. ad Thess. 2. *Extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur ita, vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus*: & Dan. 7. *sermones contra excelsum loquetur, & putabit, quod possit mutare tempora, & leges*, & c. 8. *Cor suum magnificabit*: & c. 11. *& faciet iuxta voluntatem suam Rex, & eleuabitur, & magnificabitur aduersus omnem Deum, & aduersus Deum Deorum loquetur magnifica.* Propter quæ Greg. libr. 4. Epist. 38. *Regem superbiæ* Antichristũ vocat, indicans, eum in hoc vitio posse ferè cum Lucifero conferri. Colligitur enim ex dictis locis peruentum ad eum ad superbiæ fastigium, præsertim tunc, cum rebus omnibus potitus fuerit, antea verò totum vitæ suæ cursum ad eam gloriã obtinẽdã esse instituturum. Vnde Aug. tract. 29. in Ioan. conferens, atque coniũgens illa verba Christi, *Qui a semetipso loquitur propriã gloriam quærit*, cum illis, *Alius veniet in nomine suo, & hunc suscipietis*, dicit, eũ, qui veluti per antonomasiã gloriã propriã quęrit, esse Antichristum, *Qui gloriam nominis sui quæsiturus est, inflatus, non solidus, nõ stabilis: sed utique ruinosus, in quo iniustitia est, non veritas.* Tribuitur præterea illi Dan. 11. *quod erit in concupiscentijs fœminarum, quod Deum patrum suorum non reputabit*: denique, *quod omnia faciet iuxta voluntatem suam*: vt omittamus homicidia, & crudelissimam tyrannidem, de qua postea dicendum. Erit ergo omnium hominum iniquissimus. Propter quod, *Caput iniquorũ* dicitur, vt supra dixit D. Th. q. 8. ar. 8. Ali verò idolorũ etiã cultorfuturus sit, dicemus sectione sequẽti. Ex ijs autẽ colligunt aliqui, paulo post quàm ceperit Antichristus ratione vti, ab Angelo custode desertum iri, propter ni-

2. Thess. 2.

Danie. 8.

Mores antichristiqua les,

2. Thess. 2.

Daniel. 7. Daniel. 8. & 11

Gre.

Ioan. Aug.

Daniel. 11

D. Thom.

A miã eius malitiam, & pronitatẽ ad malum. Quam sentẽtiã tribuit D. Th. Viguerius in institutionibus c. 21. §. 3. Vers. 3. Ego vero in D. Th. id nõ reperi. At Anton. 4. p. tit. 13. c. 4. §. 3. sic inquit, *Quanuis Angelus bonus ei non subtrahetur ad custodiam: tamẽ postquam incipiet malitia vti, nullum effectum custodię in eum exercebit, eo obstinato.* Itaque non est verisimile, esse deserendum ab angelo custode, quantum est (vt sic dicam) ex parte angeli, quia semper paratus erit ad custodiendum illum, & ad suggerẽdum bona, & auertẽdum à malis. Quia, quãdiu ille est viator, cõmissus erit curæ, & custodiæ sui angeli. Itẽ quia neque existimandum est, Deum illi denegaturum gratiam suã sufficientẽ, & necessariã, quantum est ex parte Dei, seu (quod idẽ est) si ipse impedimentum nõ posuerit. Est autẽ verisimile tantã fore Antichristi malitiã, ac tã frequentẽ vsum operandi, & cogitandi mala, tantãq; cum dæmone familiaritatẽ, & coniunctionem, vt vix vnquam det locum alicui bonæ inspirationi, aut effectui spirituali angelicæ custodiæ, aut diuinæ gratiæ.

Viguer. Antonin.

Tertio obseruant Patres, præsertim Cyrill. Ieros. cat. 15. & Damas. dicto c. 27. & Hippol. in li. de cons. mun. licet ab ineunte ætate Antichristus flagitiosissimus futurus sit, ac crudelissimus: tñ in principio simulaturum, & boni specimen præbiturum, vt Iudæos possit decipere, & paulatim regnum tyrannice occupare. Constat .n. ex sentẽtia horum Patrum, & reliquorum, quod licet Antichristus nõ mittetur à Deo: venire tñ permittetur, vt Aug. loquitur tract. 29. in Ioan. in fine, sic tacite exponens illud 2. Thess. 2. *Mittet illis Deus operationem erroris*, idest, venire permittet. Interdum .n. ita scriptura loquitur de permissione, ac si res à Deo fieret, vt declaret (quasi per exaggerationẽ) iustitiã, & virtutem Dei, & infallibilitatẽ effectus, qui cõsequetur. Hoc ergo sensu mittetur Antichristus, seu veniet, vt Iudęos decipiat in pœnam incredulitatis suæ, vt insinuauit Christus illis verbis, *si alius venerit in nomine suo illum accipietis.* Quod clarius explicuit Paulus citat. loco, vt ibi notarunt omnes interpretes, & Hieron. dicta. q. 11. ad Algas. & Ire. dicto lib. 5. cont. hæreses, Gre. 13. moral. c. 10. & Hilar. can. 25. in Matth. Cum ergo hoc sit futurum primum, ac præcipuum Antichristi institutum, vt Iudęos fallat, eisque persuadeat se esse Chri-

antichristo simulatos & vafer. Cyri. Iero. Damasce. Hippol.

Aug. 2. Thess. 2.

Hieron. Iren. Hilar. Gre.

stum, & Messiam, non est dubiū, quin aliquo saltē tēpore ita sit mores suos simulaturus, vt facilius possit Iudæos decipere, & ab eis suscipi, credique Messias. Ostēdet ergo se benignum, & humanū (vt Cyrillus Ieroſoly. dicit) & bonitatis speciem
Cyr, Damasc. præse feret (vt ait Damascenus,) & quoniā ipsi regem temporalem, bonaq; temporalia præcipue sperant, in ijs elargiendis maximè se liberalem ostēdet, ijs enim rebus abundabit, vt infra videbimus. Adiunget etiā aliqua signa, de quibus postea etiam dicturi sumus: atque ijs modis tandem efficiet, vt à Iudeis pro Messia recipiatur. *Cum autem rerum potitus fuerit* (inquit Damas.) *omnem suam peruersitatem depromet*. Quæ omnia, suppositō prædicto fundamento per se sunt credibilia, & ex ijs, quę dicemus, verisimiliora fient.

Atque ex ijs colligi potest vna ex potissimis causis, ob quas Deus permissurus est, vt dæmon in illum hominem tantam habeat potestatem, vt ad omnem iniquitatem, & deceptionē eo quasi organo proprio vti possit. Causa enim erit ad conuincendam Iudęorū perfidiam, vt qui verum Christū, honestissimosq; illius mores, & verissima, stupēdaq; miracula reuereri, & sectari noluerunt, falsum Christū, falsaq; miracula suscipiāt, & improbissimos mores imitentur. Permittet etiā hoc Deus ad ostendend. gratiā suā, & benignissimam prouidentiā erga homines, vt hoc exēplo constet, quāta sit hominis fragilitas, quantaq; dęmonis efficacia ad superandū illū, si Deus permisisset. Itē ex illius hominis peruersitate, & malitia sumet Deus occasionē exercendi Sanctos suos, & illustrissimas victorias per illos obtinendi, vt recte dixit Hippolyt. lib. de consumat.
Hippolyt. mūdi, & inferius latius dicturi sumus. Tādē Iren. lib. 5. c. 29. sic inquit, *Propter hoc in bestia veniente recapitulatio fit vniuersæ iniquitatis, & omnis doli, vt in ea confluens, & cōclusa omnis virtus apostatica, in caminum mittatur ignis.*
Irenæ.

SECTIO QVARTA.

Quę sit futura Antichristi doctrina, & modus suadendi illam.

QVæstio hæc solū intelligitur de doctrina, quæ in diuinarū rerū cognitione, seu fide cōsistit, & fundamētū est religionis, diuinique cultus. Nā de aliarū rerū scientia, & cognitione nihil no-

A bis est de illo reuelatū, neque ad institutū nostrū quicquā spectat. Duo aūt inquiri possunt. Primum quid reuera ipse sentiet de Deo, ac rebus alijs, quę ad salutē animę pertinent. Secundo, quid exterius docebit, ac persuadere conabitur. Dicemus aūt prius de hac posteriori parte, quia illa poterit esse hominibus notior: ex decisione vero eius aliquid postea de priori coniectabimus.

Primū igitur, ac veluti fundamentum doctrinæ Antichristi erit, Iesum Christū dominum nostrum nō fuisse verū Messiā, neq; filium Dei, neque hominum saluatorē, & cōsequenter totā eius religionē, & sacramenta esse vanam superstitionem, & é cōtrario Moysi legem esse seruandā, circunciſionē retinendā, &c. Hæc
B omnia colliguntur primo ex ipso nomine Antichristi. Ideo. n. sic per antonomasiā appellatus est, quia potissimum eius instituti tutum erit, Christum negare, & ē medio tollere. Quod plane docuisse videtur Ioā. 1. can. c. 2. dicens, *Quis est mendax, nisi qui negat Iesum esse Christum, & hic est Antichristus*? Et in Græco ponitur articulus, ὁ, quo significatur hoc fore potissimū dogma, & institutum illius, qui proprie *Antichristus* appellatur. Secundo hoc probatur ex ijs, quæ supra dicta sunt, quōd Antichristus primum omnium incipiet doctrinam suam Iudæis suadere, vt ab eis pro Messia recipiatur: ergo necesse est, vt prius suadeat, nullum alium esse verum Chri
C stum, seu Messiā. Hoc quoque significauit Christus Matt. 24. vbi de temporibus Antichristi loquēs, nos monet, *Si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetę*. Significat ergo Antichristum negaturum verum Christum, & alium falsum introducturum. Tertio ex effectibus idē cōstat. Nā hac de causa faciet bellum aduersus Sanctos, & Ecclesiā Christi oppugnabit, & vniuersa sacramenta, ac iuge sacrificiū auferet (vt cōstat ex Dan. 7. 11. & 12. & infra sect. 6. latius explicabimus) ergo signum euidens est odio habiturum Christum, eumque præcipue, & totā eius religionē esse euersurum. Et hinc è cōtrario facile credi pōt instauraturum Mosaicas cœremonias, saltē in principio, cùm suos instillare genti suæ errores cœperit. Quia nulla alia ratione poterit eis melius persuadere, se esse Messiā, cùm illi existiment legem Moysis esse perpetuò duraturam;

Primū Antichristi dogma & institutū Christi diuinitatem & religionem negare.

1. Ioann. 2.

Matt. 24.

Dan.

Gre. ram. Vnde Gregor. libro. 11. Epistol. 3. eos, qui docent, legis cæremonias esse obseruandas, Antichristi prædicatores vocat. *Nam ille* (inquit) *Iudaizare populum compellet, vt exteriorem ritum legis renocet, & sibi Iudæorũ perfidiã subdat.* Similia docet Hippo. dicta orat. de consum. mun. Hieron. Dan. 11. Aug. 20. de Ciuitat. c. 8. Chrys. & alij Græci. 2. ad Thess. 2. circa illa verba, *Nisi venerit discessio primũ*, vbi per *discessionẽ* apostasiã à Christo interpretantur, & intelligunt, ea voce significari ipsum Antichristũ. Quia erit multis causa recedendi à Christo, & quia hoc erit potissimum eius institutum.

Hippolyt, Hieron. Aug. Chrysosto.

Antichristus in principio doctrinæ suæ messiam se esse mentietur. Ioannes. 5

Secundo dicẽdũ est, Antichristũ in initio doctrinæ suæ persuasurũ Iudæis se esse Messiã in lege promissum. Excluso. n. vero Messia, nihil ei restabat aliud, neque de eius superbia, & ambitione aliud sperari poterat, quã vt se Messiã simulet. Hoc B intelligunt Patres significasse Christum illis verbis, *si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Quanquam enim videatur sermo conditionalis: tamen ab omnibus Patribus supra citatis intelligitur esse absoluta prophetia de Antichristo, ita vt illa particula, *si*, posita sit pro, *cum*, vel, *quando*. Deinde idẽ significatur in verbis illis Matt. 24 *si dixerint vobis, ecce hic est Christus, aut ecce illic*, vt notat Cyrill. Ierosolym. dicta cat. 15. dicens, venturũ Antichristum *seipsum Christum vocantem, ac per hanc Christi appellationem Iudæos, qui venturum expectant, decipientem*: & infra, *Ac primum quidem tanquam prudens aliquis, & intelligens temperantiam, atque humanitatem simulabit, signisq; & portentis magica impostura decipiet Iudæos, tãquam is esset Christus ab illis expectatus.* Addit etiam C Ambr. lib. 10. in Lucã, cap. de signo appropinquãtis desolationis, quod *erit etiam ex scripturis disputans se esse Christum.* Deniq; reliqui omnes, qui de Antichristo scribũt præsertim Iren. Hippol. & Hier. dicũt esse suscipiendũ à Iudæis vt verum Messiam, & hoc esse futurũ initium tyrannidis eius, ergo.

Matt. 24. Cyri, Ier.

Ambros.

Irenæ. Hippolyt. Hierony.

Tertio dicendum est, Antichristum doctorum, ac persuasurũ hominibus, vt credant, nullum esse verum Deum præter seipsum, verisimile autẽ est, non esse hoc doctorum, donec rerum omnium potiatur. Prior pars probatur ex Paul. 2. ad Thess. 2. *Extolletur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus*, seu (vt habent A Græci codices, & aliqui Latini) *ostendens se quia sit Deus*, igitur inducet homines vt se tantum venerentur, & recognoscant vt Deum, & vt excellentiorem, ac potentiorẽ omni illo, qui hactenus nominatus est Deus. Hoc enim est *extollere se supra omne, quod dicitur Deus*, vt ibi exponunt Chrysost. Ambr. & alij, & idem Chrysost. hom. 40. in Ioan. Iren autẽ lib. 3. c. 6. putat Paulum loqui tantum de idolis, non de vero Deo. Quia loquitur de ijs, qui dicuntur Dii, nõ tamen de eo, qui est verus Deus. Tamen cùm Paul. hunc nõ excludat, qui maximè dicitur Deus, sed generaliter loquatur, de omnibus simpliciter intelligẽdus est, præsertim cùm dicat, Antichristũ se ipsum ostensurum Deum, quia necesse est, vt introducendo se falsum Deum, verum excludat. Præterea hoc aperte confirmat Daniel c. 11. dicens, *eleuabitur, & magnificabitur aduersus omnem Deum, & aduersus Deum Deorum loquetur magnifica, & Deum patrum suorum non reputabit, nec quenquã eorum curabit, quia aduersum vniuersa eõsurget.* Quæ verba adeò perspicua sunt, vt nulla egeant expositione.

Chrysost. Ambros. Iren.

Danie. 11.

Obiectio

Oritur tamen ex verbis sequẽtibus difficultas. Quia ex dictis seq. videtur, Antichristum ablaturum idola, & illorũ cultum. Id enim expresse videntur asserere Paul. & Daniel, vnde Irenæus lib. 3 cap. 6. & lib. 5. capit. 25. tractans hæc loca dicit, Antichristum ablaturum omnia idola. Idẽ sentit Hugo Aetherianus lib. de regressu animæ cap. 23. & Cyrill. Ierosolymitan. cat. 15. dicens, *Odio habebit idola.* Idem Hippolyt. supra, Chrysostom. cum alijs Græcis. 2. ad Thessalon. 2. Hieronym. super Danielem, & dicta q. 11. ad Algasiam: consequens autem videtur esse cõtra eũdem Danielem cap. 11. dicentem, *Deum autem Maozim in loco suo venerabitur, & Deũ quem ignorauerunt Patres eius, colet auro, & argento, & lapide precioso, rebusque preciosis, & faciet, vt muniat Deum Maozim cum Deo alieno, quem cognouit.* Ex quibus verbis constat, Antichristum idolum aliquod veneraturum. Respondeti potest primo, verba illa non esse intelligenda de Antichristo: sed de Antiocho. Nã de illo præcipuè instituerat sermonem Propheta in illo capite, & quanuis more prophetico (quo niã Antiochus fuit quædã figura Antichristi) ab vno ad alterũ sermonẽ transtulerit, vel (vt alij volunt) de Antichristo in personã Antiochi loquutus sit: postea redit ad Antio-

Irenæus. Hug. Cyri. Hippolyt. Chrisost.

Hieron.

Responsio

chū, & nōnulla dicit, quæ ei soli cōueniūt.

Hieron. Hæc vero interpretatio non placet Hiero. qui potius ait, hęc cōuenire Antichristo, quā Antiocho. Nam Antiochus semper adorauit idola, quæ Patres eius cognouerunt, & adorauerūt, Theod. etiā eundē locum de Antichristo interpretatur: intelligit aūt, Antichristū nō adoraturum Deū alium, nūcupatū *Maozim*, sed se ipsum glorificaturū, & nominaturum *Deum Maozim*, id est, fortē, & potentē, sic enim ipse interpretatur, & vbi Vulgata habet, *venerabitur, & colet*, ipse legit, *glorificabit*. Verbum enim Hebræū optime hunc sensum admittit, & verbum etiam Græcum ἀξιώσει, quo Septuaginta vsi sunt. Altera interpretatio est Lyrani, & Glossæ ordin. & aliorum, Antichristū publicè, & coram aliis ablaturū idola, & omnē Deorū cultum, nec permissurum, vt alij alium præter se adorent: ipsum vero occultè adoraturum dęmonē, cum quo pactū perpetuum inibit, eiusque ope potentiā, & regnū terrenum cōsequetur, & ideo priuatim eum pro Deo colet, & vel illum appellabit *Maozim* (quod præsidium, vel auxilium significare dicitur) quia in eo ponet totā spē suam, vel (vt alij volunt) eius proprium idolū in aliquo loco munitissimo, & occultissimo ponet, qui vocabitur *Maozim*. Nam de eo statim subdit Daniel, *& faciet, vt muniat Maozim cum Deo alieno, quem cognouit.*

Theodore. *Lyran.* *Glos.* *Antichristus diaboli cultor.*

Hinc colligitur primo, verisimile esse Antichristum nō omnino, creditūrū, quæ alios docebit, & credere compellet. Nā licet in principio Iudęis persuadeat, se esse Messiā, & missum à Deo, fingatque se credere legē Moysis esse verā: & obseruādā: tñ omnia hęc faciet simulate, vt eos decipiat, & regnum obtineat. Postea enim & Moysis legē abiiceat, & Deum verū, à quo data est, negabit. Vnde multi existimant, etiā calide ablaturum esse idola, vt Iudęis imponat. Quod fortasse in principio itaerit. Nā postquā imperium obtinuerit, nō tantū ob hāc causam: sed maximè propter eximiā superbiā id faciet, vt nullus alius præter sese ab aliis colatur. Quę autē futura sit eius perfidia, & quid reuera existimaturus sit de Deo, diuinare nō possumus. Est autē credibile, illū futurū Atheū, nullumque præmiū, aut pœnā in alia vita speraturum, ac propterea solum illum dęmonem veneraturum, à quo fallendi artē addiscet, diuitias obtinebit, & cuius ope imperium comparabit.

Antichristus atheos.

A Secūdo colligitur, qualis futura sit doctrina morum, si quā fortasse Antichristus docebit, & obseruare faciet. Nā cū potissima huius doctrinæ pars sit, quæ ad Dei cultū pertinet, hæc tota erit plena errore, ac superstitione, prius cōtra Christū, Christianamq; religionē: postea verò etiā cōtra Mosaycā, & cōtra rationē naturalē. Nam sibi soli dicari tēpla, offerriq; cultū imperabit. Et hinc facile coniectare licet, quid facturus sit in rebus aliis, quæ ad iustitiā, tēperātiā, virtutesq; alias spectāt. Nam in omnibus ea tantū curabit, quæ sibi ad gloriā, vel voluptatē, vel imperiū augendū, & cōseruandū cōducere existimabit: in reliquis verò amplissimā licētiā & facultatē cōcedet: nihil.n. aliudex principiis positis, probabiliter colligere, aut existimare possum?

B Tertio colligitur verū esse, quod in vltima parte tertiæ assertionis dicebamus, Antichristū nō manifestaturū totam impietatem suam, donec plenam regni potestatem obtineat, vt expresse etiam notant Patres citati, præsertim Damasc. Cyril. Hyppol. & patet facile ex discursu rerum omnium, quas hactenus tractauimus.

Damasce. Cyrill. Hippolyt.

Quarto, & vltimo dicendū est, Antichristū variis modis persuasurū hominibus doctrinā, & obseruātiā superstitionis suę: potissimè verò id facturū signis, & prodigiis falsis quidē, specietn admirabilibus. Prior pars cōstat, nā quatuor præcipue modis (vt recte notat Ansel. in Elucidario) vtetur ad decipiēdos homines. Primus erit persuasione, & eloquētia. Erit.n. à dæmone instructus, & eductus in rebus omnibus, quę ad hūc finē necessarię fuerint: imo ait Ansel.

C *quod erit sapientia, & eloquentia incredibili, & omnes artes, & scripturā memoriter sciet.* Secūdus erit per liberalē elargitionē diuitiarū, vt latius dicem? sectione sequēti. Tertius per terrores, & minas, de quo in sectione vltima. Quartus denique per signa, & prodigia hominibus admirāda: vnde Paul. 2. ad Thess. 2. ait, *Cuius est aduētus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mēdacibus, & in omni seductione iniquitatis.* Nā sicut Christus miracula edidit in cōfirmationem veritatis: ita ipse faciet signa mendacia in confirmationem falsitatis, vt ibi notant Chrysostom. & Ambr. tamen sicut Christus illa faciebat virtute Dei, qui est prima veritas: ita ipse faciet virtute Satanæ, qui est pater mēdacij: & ideo nō faciet vera miracula, sicut Christus, sed falsa. Quia vel res, quæ apparebunt, non

Antichristus superstitionem suā hominibus suadebit quomodo: Anselmus.

2. Thess. 2.

Chrysosto. Amb.

erunt

erunt veræ, sed phantasticè, vt si videatur
suscitare mortuũ, aut verè non erat prius
mortuus, aut postea non verè viuet, vt no
Athanas, tauit Athan.q.30.ad Antiochũ: aut si in-
terdum fuerint res veræ, quæ apparebũt,
nõ erũt tales, quę modo miraculoso fiant:
sed per applicationẽ occultã naturalium
causarum.

Quod si inquiras, quæ sint futura hu-
Dubium iusmodi signa, & miracula. Resp. verisimi
Responsio le esse futura similia iis, quæ Christus do-
Hippolyt. minus operatus est, vel quæ Iudæi ab ipso
Lactantius petierunt, vt notant Hippolytus dicto li.
de consumm. mũdi, & Lactan. lib.7.c.17.
qui multa signa in particulari enumerant,
quæ solũ hac coniectura ducti, recensere
potuerunt. Nã sicut Magi Aegyptii pug
nabant contra Moysem similia signa fa-
ciẽtes, ita verisimile est, pugnaturum An-
Exodo, 7. tichristũ contra Christũ. Cuius rei vesti-
Apocal.13 gium habemus Apoc.13.vbi de Antichri-
sto dicitur, Et *vidi vnũ de capitibus suis quasi occisum in mortem, & plaga mortis eius curata est.* Cuius cõmunis expositio est, quod fin
get se mori, & resurgere, vt ibi fere anti-
Gregorius qui omnes exponunt, & sentit Greg. libr.
11.Epis.c.3. Alius vero sensus, & fortasse
magis consentaneus literæ est, quod ali-
quis ex præcipuis sectatoribus Antichri-
sti, seu Regibus illi subditis, læthali vul-
nere percutietur, & virtute dæmonis ab
Antichristo sanabitur. In vtroque aũt sen
su opus apparebit miraculosum, & stupẽ-
dum. Vnde subditur, *& admirata est vniuer sa terra, post bestiam, & adorauerunt bestiam di centes, quis similis bestiæ?* Postea verò subiũ
gitur aliud signũ. *Fecit signa magna, vt etiã ignem faceret descendere e cœlo in terram in conspectu hominum.* Sed est aduertẽdũ, hoc
posterius signum non attribui in eo cap.
Rupert. eidem bestiæ, sed alteri, & quanquam Ru-
Anselmus. pertus velit, per vtramque bestiam signi-
Richardus ficari eundem Antichristum, verisimilius
tñ est (quod Ansel. Richar. ibi, & Iren. li.
5.c.28.dicunt) duas illas bestias significa
re diuersas personas, & posteriorẽ esse mi
nistrũ aliquẽ Antichristi, & prædicatorẽ
eius, ac pseudoprophetã illum de quo fit
mentio in eodẽ libr. Apoc.c. 19. De quo
etiã ibidẽ dicitur, *Fecit terrã, & habitantes in ea adorare bestiãprimã*. i. Antichristũ, & po-
stea subditur, hanc posteriorẽ bestiã exi-
sse imaginẽ. seu effigiẽ Antichristi, &
coegisse homines, vt eam adorarent, & ad
hoc aliud etiã signũ effecisse, scilicet vt
imago bestię loqueretur. Vnde conijci-
mus Antichristũ nõ solũ per se ipsum, sed
etiã per alios effecturũ signa ad suã doctri
nã suadendã. Et propterea fortasse in plu-
rali dixit Christus Matt.24. *Dabunt signa, & prodigia magna, ita vt in errorem inducãtur, si fieri potest, etiã electi.* Et ideo erit illa ten-
tatio omniũ grauissima propter multitu-
dinẽ, & magnitudinem signorũ, vt nota-
uit Greg.32.Moral.c.12.& li.33.ca.20. &
21. & Isidor. li.1. de summo bono, c.28. Nã
olim (inquit) *faciebant miracula martyres, tunc aũt uidebuntur facere ipsi persequutores.*
Et eleganter Aug. Ps.9. tractans illa ver-
ba. *Insidiatur in occulto, quasi Leo in spelunca sua*, vbi per *Leonẽ in spelunca* Antichristũ
intelligit, *in quo vis & dolus operabitur, cuius persequutio superest, qua nihil est periculosius, quoniam violenta, & fraudulenta erit. Vim habebit in imperio, dolũ in miraculis.* Dices, vide
tur esse contra suauẽ diuinę prouidentiæ
gubernationẽ, vt permittat fieri tãstupen
da signa in confirmationẽ falsitatis. Tum
quia hoc videtur esse permittere tẽtari ho
mines vltra id, quod possunt: tũ etiã quia
hinc potest labefactari fides diuinorũ mi
raculorũ, quia semper formidari poterit,
an falsa sint. Resp. nõ esse contra ordinem
diuinæ prouidentiæ, tũ quia hæc permis-
sio effectus erit diuinæ iustitiæ in vindi-
ctã incredulitatis Iudæorũ, & aliorũ pec-
catorum, quæ illo maximè tẽpore multi-
plicabuntur, vt ex Matthę. 24. & ex aliis
Scripturę testimoniis supra citatis apertè
colligitur. Vnde Cyrill. Ierosol. supra, *Fra ternum* (inquit) *odium locum dabit Antichri-sto, præparat diabolus schismata populorum, ut tanto facilius hostis recipiatur.* Deinde erit e-
tiã effectus diuinæ misericordiæ, vt San-
ctorũ fides, & constantia magis crescat, &
eluceat. Neque erit tentatio supra huma-
nas vires diuina gratia adiutas, præsertim
cùm ob hanc causam hæc omnia prædicta
sint, vt falsus Christus à vero, & similiter
falsa signa à veris miraculis discerni pos-
sint, vt notauit Athan. q.29. ad Antiochũ,
& Cyrill. supra.

Matth.24
Greg.
Isido.
Aug.
Psalm.9.
Obiectio.
Responsio
Cyri, Ier.
Matt.24.
Athanas.
Cyrill.

SECTIO QVINTA.

Quale futurum sit Antichristi regnum, quibusque modis obtinebit illud.

PRimũ omniũ Antichristũ futurũ es-
se Regẽ, magnũque monarchã aper-
te colligitur ex Daniel. 7. & 11. ca-
pite, suppositа communi interpretatione
Sanctorum, qui de Antichristo ea loca in
telligunt. Cap. enim 7. explicatur, cornu il
lud
Dan.

lud paruulū, ꝙ Antichriſtum ſignificare diximus, iis verbis, *Cornua decem, decem Reges erunt, & alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit,* &
Daniel. 7. & 11 c. 11. de eodē Antichriſto dicitur, *Et faciet iuxta voluntatē ſuam Rex*: erit ergo abſq; vlla dubitatione Antichriſtus rex tēporalis.

Secundo eſt certū, Antichriſtū nō habiturū aliquod regnū iure hæreditario, ſed habiturū potius humilē originem, & paulatim, ac fraudulenter regnū occupaturū. Hoc ſignificauit Damaſc. dicto c. 27. illis verbis, *Ex fornicatione itaque naſcetur, & clam educabitur, ac repente inſurget, caputque attollet, atque imperio potietur*, & Cyril. dicta cat. 15. dicens, *Antichriſtum per magicum maleficium decepturum gentes, & Romanum imperiū vſurpaturum*. Clarius Hiero. Dan. 11. de Antichriſto ſic ſcribit, *Qui conſurgere habet de modica gente, id eſt de populo Iudæorum, & tā humilis erit, atque deſpectus, vt ei non detur honor regius, & perinſidias, & fraudulentiam obtineat principatum*. Quod colligit ex illis verbis Danielis, quę de Antichriſto interpretatur, *Et ſtabit in loco eius deſpectus, & non tribuetur ei honor regius, & veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia*. Atque idē colligi pōtex c. 7. & 8. vbi, propter humile principium, per *cornu paruulum* Antichriſtus ſignificatur. Nā licet hęc poſſint de Antiocho intelligi: tñ multò verius creduntur implēda in Antichriſto, cuius Antiochus typus erat. Denique addi pōt coniectura. Nā (vt diximus) Antichriſtus ex Iudæis orietur, qui nullū regnum, aut imperium poſſident: ſed per vniuerſum orbē diſperſi, & abiectiſſimi ſunt, neq; vllā ſpē habēt ſceptri, & imperij vſq; ad Antichriſti tēpora. Nam (vt Hieron. ait Dani. 11. circa illa verba, *Faciet, quæ non fecerunt patres eius*) nullus Iudæorū abſq; Antichriſto regnauit.

Tertio dicendū eſt, Antichriſtū per dolū ac fraudē incepturū regnare Babylone, & inde pugnaturū cū aliis regibus, & tres potiſſimū debellaturū, ac tandē ſeptē alios, & vniuerſum orbē ſibi ſubiugaturū. Hæc aſſertio magna ex parte colligitur ex ſcriptura & probabilib⁹ cōiecturis ex iis, quę in ſcriptura dicūtur. Et in primis, quòd regnū Antichriſti inchoādū ſit Babylone multi colligūt ex illis verbis Zac. 5. *Et leuat erunt amphoram inter terram, & cęlum, & dixi ad Angelum, qui loquebatur in me. Quo iſti deferunt amphorā? & dixit ad me, vt ædificetur ei domus in terra Senaar, & ſtabiliatur, & ponatur ibi ſu-*

Antichriſtus per vim & fraudem principatū obtinebit.
Damaſce. Cyri.
Hierony. Daniel. 11
Dan. 7. & 8.
Hierony.
Regnū Antichriſti Babylone inchoandum: Zac. 5.

A *per baſem ſuam*, vbi Septuaginta legūt, *in terra Babylonis*. Quia (vt Hiero. notat) Senaar cāpus eſt Chaldæorū, in quo extructa eſt Babylō, Gen. 10. 11. & 12. Significata autē eſt in illa viſione (vt Rupert. ibi notat) impietas, & incredulitas Iudęorū, & ſuppliciū diuinum, ꝙ ſuſtinēt. *Quia videlicet nec terra ſua capit eos: nec cęlū admittit eos*. Quod ſuppliciū vſque ad finē mūdi, & Antichriſti aduentū durabit: tunc autē ędificabitur eis domus Babylone, quia ibi Antichriſtū pro Meſsia recipiēt: ibiq; regnare incipiet. Quod etiā veriſimile fit ex ſententia eorū Patrū, qui dicunt Antichriſtū naſciturum Babylone. Deinde, quòd initiū huius regni futurū ſit per dolū, ac fraudē, affirmant Hiero. Cyrill. Damaſc. & alij ſupra citati. Et per ſe eſt veriſimile, quia nō eſt obtinē dū iure hæreditario, neque etiā in principio pōt cōparari per potentiā, & vim, niſi fingamus ſolū dæmonē illaturū bellū hominibus pro Antichriſto, vt illi per vim regnū obtineat, ꝙ poſſet facile fingi, ſi dęmones in corporibus aſſumptis pro illo pugnarēt. Sed nō oportet hęc ſine fundamēto fingere, præſertim cū dæmō nō tam intēdat homines per vim debellare, quā decipere, & in errorē inducere. Prius ergo, quā Antichriſtus per vim homines aggrediatur, aliquos per fraudē ſibi adiūget præſertim Iudęos, vt ſupra dictū eſt. Hęc autē fraus nō ſolū cōſiſtet in falſa doctrina ſupra explicata: ſed etiā in promiſsionibus tēporalibus, quas Iudæi potiſsimū expectāt, & (quod caput, & maximū robur illius erit) ingētibus diuitiis abūdabit, & ampliſsimis largitionibus facile infinitā hominū alliciet multitudinē. Quia (vt dicitur Dan. 11.) *Dominabitur theſaurorum auri, & argenti, & in omnibus pretioſis Aegypti*. Vnde Anſel. in Elucidario ait, *quod induſtria dęmonum, omnis pecunia occulta, erit ei manifeſta*: ſiue ſit in mari, ſiue in recōditis terræ ſinibus. Imò fortaſſe etiā mineralia auri, & argenti virtute dæmonū elaborata, omnia illi offerētur, & vſui erunt ad imperiū obtinēdū. Atq; hoc modo tantū creſcet in initio regni ſui, vt potētior fiat quolibet alio rege: ſic. n. de illo dicitur Dan. 7. *Cornua decem, decem reges erunt, & alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus*. Additur verò ſtatim, *Et ipſe tres reges humiliabit*, ex quo colligimus non iam fraudibus, aut donis: ſed potentia, & vi, illa tria regna obtenturū. Vnde ibidē dicitur, *Tria de cornibus primis*

B

C

Hierony. Gene. 10. 11. & 12. Rupert. Hieronym. Cyrill. Damaſce. Daniel. 11 Anſelmus. antichriſti opulentia. Dānie. 7.

mis

mis eiulsa sunt a facie eius. Significat autem
Daniel, 11 Dan. ca. 11. illa tria regna futura, regnum Aegypti, Lybiæ, & Aethiopiæ. Sic enim dicit, *& mittet manum suam in terras, & terra Aegypti nõ effugiet, per Lybias quoque, & Aethiopiam transibit.* Quibus locis id notant Hieron. & Theod. & Iren. lib. 5. c. 25. & Cyrill. dicta cat. 15. & Lactant. lib. 7. c. 16. Qui omnes addunt cæteros septẽ Reges (siue illi in hoc certo numero futuri sint, vt est maxime probabile, siue per illos vniuersitas Regũ, & Principum significetur) subdendos Antichristo tãquã supremo Monarchę, & Imperatori. Quod non obscurè colligitur ex c. 17. Apoc. illis verbis, *Decem cornua, quæ vidisti, decem Reges sunt. Hi vnum consilium habent, & virtutem, & potestatem suam bestiæ tradent,* capi.
Apocal. 17
Apocal. 13 etiam 13. describitur potestas Antichristi tanquam suprema, *Data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem,* & similiter Dan. 8. *De vno autem ex eis egressum est cornu vnum modicum, & factum est grande contra meridiem, & cõtra Orientem, & contra fortitudinem.* Loquitur autẽ de Antichristo. Nã de illo statim subdit, ablatum *iuge sacrificium.* Obtinebit ergo Antichristus vniuersalẽ Monarchiam, quã Romani obtinuerant: & hanc (vt supra dixi) interpretantur Patres Græci, esse defectionem Romani Imperij, de qua Paul. loquitur, 2. ad Thessal. 2.
Daniel. 8.
Antichristus vniuersi orbis monarcha.
2. Thes. 2.

Obiectio. Dices, quomodo poterit Antichristus tam breui tẽpore vniuersum orbem subiugare, præsertim, quoad regiones remotissimas Indiarũ, vel similes. *Resp.* quanuis tẽpus Antichristi post Monarchiam cõparatam, quod erit propriè tempus persecutionis Ecclesiæ, futurum sit breue (vt supra diximus,) tamen tempus bellorum eius nõ cõstat futurum adeo breue. Quia ignoramus, qua ætate incipiet regnare, & qua morietur. Deinde, cùm dicitur regnaturus in vniuerso orbe, non est necesse intelligi de omnibus prouincijs mundi: sed de Romano imperio veteri, atque de ijs prouincijs Asiæ, Africæ, & Europæ in quibus fides, & Ecclesia diutius viguit. Præterea etiamsi priori modo intelligatur, nõ erit factu difficile, presertim cùm neque copia auri, & argenti, neque dæmonum industria defutura sit. His enim duabus alis facile erit vniuersum mundum peragrare. Nõ quòd necesse sit, Antichristum per se ipsum omnia loca lustra
Responsio
A re: sed per duces; & ministros. Quin potius arbitror, (& colligi potest ex dictis testimonijs Daniel. & Apocal.) non fore illi necessaria bella, & exercitus ad omnia regna subiuganda: sed summa facilitate, & velocitate debellatis illis tribus prioribus regnis sibi vicinioribus, ita eius fama, potentia, atque diuitijs terrẽdos esse reliquos reges, vt facile illi subijciantur.

Quarto dicendum est, Antichristũ præcipuam sedem Monarchiæ suæ Ierosolymis collocaturum, vt in Ierosolymitano templo à se instaurato sedeat, & tanquam Deus adoretur. Hęc est sententia Patrum omniũ, qui de Antichristo scribunt, quos sępe citaui. & statim necesse erit eos indicare. Colligitur aũt ex duplici loco Scripturæ. Prior est, 2. ad Thessal. 2. *Ita vt in tẽplo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus.* Quanquam enim Patres interdũ alijs modis metaphoricè interpretentur templum illud: tamen sensus maxime proprius, & literalis esse videtur, vt de tẽplo Ierosolymitano intelligatur, vt exponunt Iren. Cyrill. Ierosolym. & Damasc. citatis locis, & Seuerus Sulpitius ex sententia sancti Martini in libro. 2. dialog. & Sedulius. 2. ad Thessal. 2. & Hippoly. dicta orat. de consummatione mundi, & Origen. tract. 29. in Matt. qui addit, in sensu spirituali per *templum* diuinas Scripturas intelligi, Anselm. vero, 2. ad Thessal. 2. animas hominũ exponit, in quibus Antichristus sedere studebit, vt Deus, à qua expositione parum discrepat aliorum interpretatio, qui per *templum Dei*, Ecclesiam intelligunt, vt Hierony. dicta q. 11. ad Algas Ecclesia. n. nihil aliud est, quam ipsi fideles. Alij vt Chrys. Oecumen. & Græci per *templũ* intelligunt Christianorũ Ecclesias, seu templa. Deniq; Aug. 20. de Ciuit. c. 19. probabile putat, per *tẽplũ* nõ significari locũ, in quo Antichristus sedeat, vt Deus: sed signũficari ipsum Antichristum cum suo populo. Atque ita nõ esse legendum, *Vt in templo*, sed, *Vt in tẽplum Dei sedeat*, (prout habẽt Græca) & sensus sit, Antichristum sessurũ, *vt templum*, id est, *vt Ecclesiam*, ac si ipse cũ suis esset verus populus Dei. Quæ expositio inter oẽs magis displicet. Quia neq; cũ verbis antecedẽtib⁹, nec cũ sequẽtib⁹, cõnecti potest. Etenim, quæ præcedũt sunt, *Superextolletur supra omne, quod dicitur Deus, aut colitur, ita vt in templo Dei sedeat.* Ex hoc autem, quod prædicto modo,
B
C
Metropolis imperij Antichristi Ierosolyma.
2. Thess. 2
Irenæ. Cyri, Ier. Damasce. Seue. Sul. Hippolyt. Origenes.
Anselmus
Hierony.
Chrysost. Oecumen. Aug.

sedeat

sedeat in templum Dei, non sequitur, quòd se extollat supra Deum. Omnes enim hæretici contendunt in ipsis esse Ecclesiam Dei, atque adeo sedent in illo sensu *in templum Dei*: & tamen non se *extollunt supra omne id, quod dicitur Deus*, vt Paul. loquitur. Sequentia autē verba sunt, *Ostendens se tanquam sit Deus*: si autem solum *sederet, vt templum Dei*, non se ostenderet Deum. Rectè ergo noster interpres vertit, *In templo Dei*. Nam, licet Græcè sit, εἰς τὸν ναὸν, tamen iuxta Græcum idioma eadem est significatio, quæ cum aliis etiam locis scripturę magis consentit, vt iam dicam. Posita autem hac lectione, probabilius est, templum ibi sumi pro templo materiali, & sensibili: nā hæc est natiua significatio, quæ cùm propriè saluari possit, nō est necesse metaphoricè exponi. Templum autem Dei eo tempore quasi per antonomasiam dicebatur templū Ierosolymitanū, vt patet ex Luc. vltimo, Actor. 3. & 5. & sæpe alias. Cum enim tunc nondum essent erecta. & dicata Christianorum templa solum Ierosolymitanum singulariter dicebatur *templum Dei*. Verisimilius ergo est, de hoc esse loquutū Apostolum. Præterea, quia hæc videtur esse *abominatio desolationis*, de qua prædixit Daniel cap. 9 *Et erit in templo abominatio desolationis*: *abominationem* enim vocat Antichristum propter abominanda eius scelera: *desolationis* autem, ob atrocem persecutionem. Ita interpretatur Iren. lib. 5. cont. hæres. cap. 25. & Origen. dicto tractat. 29. in Matth. Quanuis enim ille locus alias habeat interpretationes, & præsertim illā Aug. epist. 80. qui eum locum intelligit de exercitu Romano circundante Ierusalem, vsque ad desolationem eius tempore Titi, & Vespasiani, quia & contextui Danielis hæc videtur facilè accommodari, & de illa videtur loquutus Chtistus Mat. 24. dicens, *Cum videritis abominationem desolationis, sedentem in loco sancto, quę dicta est a Daniele Propheta, qui legit intelligat*, licet hoc (inquam) ita sit: nihilominus non videtur reiicienda interpretatio Patrū, qui de Antichristo hæc intelligunt. Sic enim verba Christi interpretatur Hilar. can. 25. in Mat. & Ambr. lib. 10. in Luc. c. de signo appropinquantis desolationis, qui ad literā hoc intelligunt de Antichristo sedente in Ierosolymitano tēplo. Neq; alij Patres hāc sententiā reiiciunt, vno, vel alio excepto, quanuis addant Antichristum non solum

Luc 24. Act. 3. & 5

Daniel. 9.

Iren. Origenes Aug.

Matt. 24.

Hilarius. Ambros.

A sessurum in tēplo Ierosolymitano: sed etiā in Ecclesia Christi, seu in Ecclesiis Christianorum. Quod quaratione intelligendum sit, in sequēti sectione explicabimus.

Dices, ex cap. 9. Dan. constat templū Ierosolymitanū nunquam esse instaurandū, nam, *vsque ad consumationem, & finem perseuerabit desolatio*. Respondetur, satis videri desolationē perseuerare vsq; ad finē, quandoquidem vsque ad Antichristi tempora templū instaurandum non est. Deinde etiam tunc non propriè instaurabitur, non solū materialiter, quia fortasse tā breui tempore nō integrè, & perfectè: sed vtcunq; reædificabitur, sed etiā formaliter (quod ad rē maximè spectat) quia nō instaurabitur in templū veri Dei, sed in sedē Antichristi. Nam licet fortasse in principio, ad decipiendos Iudæos, Antichristus simulaturus sit se velle instaurare templū in cultum Dei (vt Cyril. Ierosolym. supra notauit) tamē re vera, & ex animo nō id faciet nisi ob gloriam suam, & vt ipse in eo colatur: & ita semper manebit desolatio, & abominatio desolationis vsque ad finem.

Obiectio Daniel. 9.

Responsio

B

Cyrill.

Dices, Quomodo ergo Paulus vocat *templum Dei*, & Christus *locum Sanctum* illū, qui ad solam superstitionem Antichristi instaurandus erit. Respondetur, appellasse illum locum à primæua eius institutione, & dedicatione. Fuit enim ille *sanctus* & in *templum Dei* electus, licet fuerit prophanatus. Ex his ergo constat Antichristū sessurū Ierosolymis tāquā in primario, ac regio loco, quē potissimū eliget, vt ibi colatur.

Obiectio

Responsio

Rursus quòd diutius ibi sessurus sit, colligi potest ex Apocal. 11. vbi apertè dicitur Eliā, & Henoch fore occidēdos ab Antichristo Ierosolymis, *vbi Dominus eorum crucifixus est*. Cū ergo Elias, & Henoch mittendi sint, vt Antichristo resistant, & Ierosolymis prædicaturi sint, ibidēque morte sua testimonium reddituri veritatis, quā prædicauerūt, signum manifestum est, ibi potissimum sessurum Antichristū, eamq. futuram esse quasi radicē, & cathedrā falsæ doctrinæ, ac persecutionis eius. Scio Hierony. epist. 17. ad Marcel. locū hunc de mundo, & nō de Ierusalem interpretatum esse, ductū studio laudandi, & honorandi Ierusalē, ad quā Marcellā inuitabat: tamen literalis sensus est, quem diximus, quē omnes interpretes sequuntur. Neque obstat, quod obiicit Hiero. supra, quòd Ierusalem eo loci Sodoma vocetur: quandoquidem

Apocalyp.

C

Hierony.

prin-

principes eius principes Sodomorum dicuntur Isai.1. Deniq; ex iis, quæ diximus, Antichristū futurum esse genere Iudæū, & in Iudæis maxime esse regnaturum, statim credibile fit, eum potissimè instauraturum ciuitatē Patrum suorum, de qua, ac de templo suo ipsi maximè gloriātur. Vnde etiam fit, vt vel ob hanc causam in eo potissimū coli loco, & honorari studeat. Potest hoc etiam confirmari, quia (vt postea videbimus) Sancti docent, Antichristum fore occidendum in monte Olueti: ergo signū est ibi potissimum esse regnaturum, vt etiam Theod. & Hierony. colligunt ex Dan. 11.

Hierony. Theodore. Danie. 11.

Contra hanc verò sententiam, hæretici huius temporis (solum, vt contra Apostolicam sedem blasphement) fingunt Antichristi sedem in Romana ciuitate esse futuram, cū nullo id fundamento niti queat, & potius ex Apocal. 17. colligi possit, vrbem, vel iam antea euersum iri aduenientе Antichristo, vel certè ab ipso, & ministris eius esse euertendam.

Apoc. 17.

SECTIO SEXTA.

Qualis sit futura Ecclesiæ persecutio sub Antichristo, & quis finis, ac consummatio eius.

Persecutio Ecclesiæ sub antichristo omnium acerbissima.

PRimò certum est, Antichristū persecuturum esse Ecclesiam, & fideles, ac Sanctos acerbius, & crudelius, quam ab vllo vnquā tyranno tentati, aut afflicti fuerint. Hoc de fide est: ait enim Christus Matt. 24. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, vsque modo, neque fiet.* Et de hac tribulatione dicitur Dan. 7. *Et ecce cornu illud faciebat bellum aduersus sanctos, & prævalebat eis:* & infra, *Sanctos altissimi conteret, & putabit, quod possit mutare tempora, & leges, & tradentur in manu eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Idem colligitur ex c. 8. & 11. & 12. quorū verba omitto ad prolixitatē vitandā, licet grauissima sint, & statim illa attingemus. Præcipuè verò Ioan. Apocal. 20. hāc atrocem persecutionem describit, dicens, *Cum consummati fuerint mille anni, soluetur Satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, cuius numerus est, sicut arena maris, & ascenderunt supra latitudinem terræ & circuierunt castra Sanctorum, & ciuitatem dilectam,* id est, vniuersam Ecclesiā, vt exposuit Aug. 20. de Ciuit. c. 11. Lactant. lib. 7. c. 24. & sequētibus. Cauēdus tū est error illius, & aliorū Chiliastarum intelligentium hunc locum non de persecutione Antichristi, sed de alia, quam existimarunt passuros Sanctos post mille annos fœlicitatis huius vitæ, quā non dicunt esse persecutionē Antichristi: hanc enim ante mille annos antecessuram sentiunt. Quæ sentētia & in errore fundatur, & apertè repugnat Euāgelio Matt. 24. & 25. & aliis testimoniis Scripturę, quibus supra probatum est, statim post Antichristi mortē, futurā esse mundi cōsummationē. Hinc enim necessario fit, Antichristi persecutionē futuram postremā: non ergo potest ille locus de alia posteriori persecutione intelligi. Neque etiā potest exponi de persecutione aliqua, quæ persecutionem Antichristi antecesserit, vel antecessura sit, quāquā id insinuet Amb. lib. 2. de fide, c. vltimo, in fine, per Gog, Gothos intelligens. Quia Ioannes dicit, illā persecutionē futuram post mille annos, id est, in fine durationis Ecclesię, vt supra exposuimus. Vnde etiā dicit, post illam persecutionē, vniuersalem resurrectionē statim futurā: necesse est ergo intelligi de persecutione Antichristi. Est autem in illis verbis Ioannis obscurū, quid per Gog, & Magog, intelligatur. In quo laborāt Aug. dicto c. 11. lib. 20. de Ciuit. & Hiero. Ezech. 38. & 39. sed nō est nostri instituti in hoc immorari, lege Frācis. Riber. in eum c. Apocal. Deinque ait Ioannes, ad cōmouendā, & concitandam hanc persecutionē soluendum esse Satanā, qui usque ad illud tempus ligatus fuerat, vt significet, tantò fore persecutionem illam diriorem, quantò magis pōt aliquis nocere solutus, quàm ligatus, lege Aug. 20. de Ciuitat. cap. 8. & 9.

Dan. 8. 11 & 12 Apoca. 20

Aug. Lactant. Matth. 24. & 25 Ambro. Gog. & mā gog quid. Aug. Hierony. Aug.

Secundo dicendum est, persecutionem hanc non tantum futuram esse temporalem, sed etiam spiritualem, atque ita tam in prauo fine persecutorum, quam in mediis fore acerbissimam. Explicatur, & probatur. Quia in primis certū est, hāc persecutionē, quæ per modū prelij in dicto loco Apocal. describitur, nō esse præcipuè futurā ad vsurpāda tēporalia bona, nec propter hunc solū finē inferenda bella, & temporalia damna, quæ illā cōsequentur (talis enim persecutio nō esset magni momēti cū alia comparata) erit ergo ad auertendum homines à fide, & vero Dei cultu, *Vt*

Antichristi persecutio & temporalis, & spiritualis. Matth. 24

in errorem inducantur, si fieri potest etiam electi. Hanc igitur vocamus spiritualē persecutionem ex parte finis, & prauę intentionis persecutorū, nocumentique illatiis, quos in persecutione vicerint. Deinde ex hoc capite erit grauissima persecutio. Primo quia cogentur fideles negare, Iesum esse Christum, aut Dei filium. Secundo cogētur, omnem Dei cultum, omnesque ritus, ac cœremonias christianas deserere, propter quod Daniel. 12. dicitur, eo tēpore auferendum esse *iuge sacrificium*, quod de tēpore Antichristi intelligunt ibi Hieron. & Theod. Iren. & Hippoly. locis supra citatis, quo tempore omnem cultū diuinū, qui à Christianis exhiberi solet, cuiusque suprema pars est sacrificium Eucharistiæ, ad quod cętera omnia referuntur, cessaturum dicūt persecutionis acerbitate, & violentia. Tertio (quod grauissimū est) cogētur verum Deum abnegare, nullique supremo numini cultum exhibere: sed tantum cuidam homini mortali omnium iniquissimo, nimirum Antichristo, vt colligitur ex 2. ad Thessal. 2. & ex aliis locis supra tractatis. Quapropter, vbi Antichristus in persona sua prędens non adfuerit, cogentur fideles imaginem eius, seu eum in imagine adorare, & hoc modo Antichristus per se, vel sui imaginem sedebit in omnibus templis, & Ecclesiis Christianorum, vt ab eis tanquam Deus adoretur. Hæc omnia colliguntur ex Apocalyp. 13. vbi, præter Antichristum, dicit Ioannes, se vidisse aliam bestiam (quā supra diximus fore tyrannum aliquem Antichristo subditum, & ministrum eius) de quo ibidem scribitur, *Dicet habitantibus in terra, vt faciant imaginem bestiæ, quę habet plagam gladij, & vixit:* & infra, *Et faciet, vt quicunque non adorauerint imaginem bestię, occidantur.* Quorum verborum literalis sensus videtur supra positus. Vnde inter falsa miracula ministrorum Antichristi ibidem ponitur, quod facient loqui imaginem bestię, quod multi referunt ad homines sectatores Antichristi, sed re vera propriè, & ad literam intelligendum videtur de effigie, & simulacro Antichristi. Atque hinc colligo, quanuis Antichristus omnem aliam publicam idololatriam detestaturus sit: nihilominus effecturū, vt fideles omnes ad horrendam idololatriam inducat. Quæ enim maior, aut detestabilior idololatria esse potest, quàm Diuinum cultum tribuere iniquissimo homini, & imagini eius? Vltimo efficiet, vt omnes, in professionē, seu protestationem huius cultus, characterem bestiæ, seu Antichristi publicè deferant in frontibus, seu in manibus, vt habetur eodem cap. 13. Apocalyp. *Et faciet omnes pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis.* & subditur, tam necessariam futuram omnibus huiusmodi characteris gestationem, *vt non possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestię, aut numerum nominis eius.* Quòd autem hoc signum non solum futurum sit in recognitionem temporalis subiectionis: sed maxime in professionē superstitiosi cultus, ex eo colligi potest, quòd in maximam laudem Sanctorū prędicatur, quòd characterem bestiæ non acceperint, & è contrario æterna pœna puniuntur, qui illud acceperint, Apocalyps. 14. 16. 19. & 20. quibus locis illa duo cōiunguntur, nempe, *adorare imaginem bestię, & accipere characterem eius*, tanquam æquè superstitiosa, & Diuino honori contraria. Vnde D. Thom. infra q. 63. artic 3. ad 3. dixit, characterem bestiæ esse professionem illiciti cultus. Qui autem futurus sit hic character Antichristi, incertum est, solum cogitare possumus, futurum esse aliquod signum, quod Antichristus instituet, quasi ad sigillandum cultores suos, sicut nos possumus dicere, signum crucis esse characterem Christi. Ita sentit Lactant. libr. 7. cap. 17.

Vltimo facile etiam intelligi potest, futuram esse grauissimam illam persecutionem etiam ex parte mediorū, qualia sunt illa quatuor, quibus supra diximus Antichristum vsurum ad suam doctrinam persuadēdam, scilicet, eloquentia verborum, amplissimis largitionibus, ac diuitiis, signis mirabilibus, vi, exquisitisque tormentis. De quibus nihil in particulari dici potest, quia nihil in scriptura reuelatum est. Non est dubium tamen, quin illa tormenta sint futura plura, & grauiora, quam à Christi persecutoribus inflicta vnquam fuerint. Quod, præter loca scripturæ supra citata, facile colligi potest tum ex maiori potentia Antichristi, & ministrorū eius, tum etiam, quia dæmon illo tempore solutus maiorem licentiam habebit hominis variis tormētorū generibus afficiēdi. Quapropter acute dixerūt Cyril. & Hippolyt.

Daniel 12 — Hierony. — Theodore. — Iren. — Hippolyt,
2. Thess. 2
Apoca. 13.
Apoca 13
Apoc. 14. 16, 19. & 20.
D. Thom.
Lactant
Cyr. — Hippolyt.

polyt. citatis locis, eo tempore futuros esse martyres illustriores, quia priores pugnarunt contra homines ministros diaboli: ij verò contra ipsum Dæmonem solutum, & omnes vires suas cõtra illos exercẽtẽ. Accedit tandem, illam persecutionem fore vniuersalissimam per totũ orbem, vt apertè colligitur ex Apocalyp. 13. & 20. *Ascenderunt supra latitudinem terræ, & circumierunt castra Sanctorum.* Ex quo loco notat Augu. 20. de Ciuit. cap. 9. omnes prauos homines hæreticos, & similes coniungendos esse Antichristo, vt vbiq; fideles persequãtur.

Apo. 13. & 20.

Aug.

Tertio dicendũ est, per hanc persecutionem maiorem fortasse fidelium partem à Christo defecturã: nihilominus tamẽ militantem Ecclesiam nõ esse vi persecutionis extinguendã. Prior pars colligitur primò ex ipsa persecutionis acerbitate, & ex modo, quo in scriptura describitur. Vnde Dani. 7. dicitur, *Ecce cornu illud faciebat bellum aduersus Sanctos, & præualebat eis:* & Apocal. 13. *Et est datum illi bellum facere cũ Sanctis, & vincere eos:* & Christus ad exaggerandam multitudinem eorum, qui à fide deficient, dixit, *Vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi,* & Luc. 18. *Cum venerit Filius hominis, putas ne, inueniet fidem in terra?* Potest denique colligi ex illis verbis, 2. ad Thessa. 2. *Nisi venerit discessio primum.* Nam, licet (vt supra dixi) plerique Latini interpretentur de defectione Romani imperij: tamen proprius intelligitur de defectione à Christo. Nam verbum Græcum est ἀποστασία, & ita interpretãtur omnes Græci, & August. 20. de Ciuitat. capit. 19. Quanuis enim sæpe contigerint in Ecclesia defectiones à Christo propter persecutiones hæreticorum, vel tyrannorum: illa tamen, quæ futura est sub Antichristo, quasi per antonomasiã, *Apostasia* dicitur, quia erit maior, & vniuersalior cæteris. Vnde Lactan. libr. 7. c. 16. dicit de cultoribus Dei duas partes interituras: sed de hoc nihil certi affirmari potest.

Daniel. 7. Apoca. 13 Matt. 24. Luc. 18. 2. Thess. 2

Aug. Lactantius

Posterior pars de fide certa est, vt notauit Aug. 20. de Ciuit. c. 11. Quia non põt Christus Ecclesiam suã ita deserere, vt omnino vincatur. Nam *portæ inferi non præualebunt aduersus eam:* & ideo idẽ Christus dixit Matthæ. 24. *Propter electos breuiabuntur dies illi.* Erũt ergo multi electi, qui nõ vincentur, & in quibus Ecclesia manebit. Et ideo in Apocal. semper ponitur illa limitatio, *Adorauerunt bestiã omnes, qui inhabitãt terram, quorum non sunt nomina scripta in libro vitæ.* Patres etiã suprà citati supponunt, tunc futuros esse multos, & eximios martyres, qui vsq; ad mortem erunt in fide constãtes; ergo pari modo in montibus, & spelũcis perseuerabunt multi cõfessores, qui superstites manebunt post mortẽ Antichristi. At in eis nõ deficiet vsus sacramenti, ũ & sacrificij Eucharistici in locis abditis. Persecutores. n. non poterunt hæc auferre nisi in eorũ cognitionem venerint: nõ permittet autẽ Deus, dæmonẽ aut omnia Sãctorũ abdita loca perlustrare, aut persecutoribus reuelare. Atque in hunc modum sunt piè intelligendi catholici scriptores, si quando dicunt eo tempore defecturam fidem in vniuerso orbe, aut quid simile. Lege Sot. in 4. d. 46. q. 1. art. 1.

Apocal. 13

Sot.

Quarto & vltimo dicendum est, tã Antichristũ, quã ministros eius Ecclesiæ persecutores speciali Christi virtute, atq; imperio interficiẽdos esse. Hęc assertio sic absolutè proposita videtur de fide. Nã de Antichristo ait Paul. 2. ad Thes. 2. *Quẽ dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui.* Quod nonnulli ita intelligere videtur, vt Christus dñs in persona descẽsurus sit, vt aduẽtu suo Antichristum interficiat, quod significat Lactan. dicto lib. 7. c. 19. Nõ est autẽ hoc verisimile. Quia secũdus Christi aduẽtus erit quadragintaquinq; diebus post mortẽ Antichristi: neq; Paulus dixit à Christo occidendũ Antichristũ per aduentum, sed *illustratione aduẽtus sui,* idest, aliquo signo & præsagio, qđ erit quasi splendor quidã appropinquãtis aduentus ipsius. Neq; dixit, suis manibus, sed *spiritu oris sui,* id est, præcepto, & mãdato suo, vt ibi D. Th. exponit, & significat Chrys. hom. 4. in 2. ad Thessal. dũ ait *sufficiet solum iubere:* & idẽ sentiunt alij interpretes, & Hieronym. ac Theodor. Daniel. 11. Addit vero D. Tho. ibi, Michaelem Archangelum iussu Christi interfecturum Antichristum, in monte Oliueti. Sed hoc & est incertum, & intelligendũ est iuxta suprædicta. Quôd autem simul cũ Antichristo igne de cœlo misso perimendi sint alij persecutores Ecclesiæ, patet ex illis verbis Apocalyps. 20. *Descendit ignis a Deo de cœlo, & deuorauit eos.* Christus etiã dicens, propter electos futurũ breue tempus illius persecutionis, satis significat intra illud breue tẽpus esse vbiq; finiẽdã. Sancti etiã supracitati docẽt, illos qua-

antichristo speciali Christi virtute interficiendus. 2. Thess. 2

Lactant.

D. Thom. Chrysost. Hieronym. Theodore.

Apoca. 20

draginta quinque dies post mortem Anti christi vsque ad iudicium concedendos esse iustis, ad requiem: peccatoribus autē ad pœnitētiam. Existimo ergo, vel diuina virtute futurum esse, vt eadem die, qua interfectus fuerit Antichristus, vbique interficiantur ministri eius, quia vt dicitur
Ezec. 38. Ezech. 38. *Gladius vniuscuiusque in fratrem suum dirigetur, & iudicabo super eum peste, & sanguine, & igne vehementi, & lapidibus immensis.* Vel certe (vt supra ex eodem Ezechiele dicebamus) ante diem interfectionis Antichristi, incipient interfici fautores eius omnibus supradictis modis, donec intra paucos menses omnino imperiū eius destruatur. Et ipse cū precipuo Pseudopropheta suo in stagnum ignis viui descendent.

DISPVTATIO LV.

In tres sectiones distributa.

De bonis præcursoribus secundi aduentus Christi.

POstquam dictum est de Antichristo, qui non vt præcursor, sed vt acerrimus hostis, & persecutor Christi, & Christianorum secundum aduentum Seruatoris nostri præueniet, sequitur, vt de bonis præcursoribus eiusdem aduentus disseramus. Sicut enim in superioribus agentes de primo Christi aduentu, disputationem de Ioanne Baptista illius præcursore premisimus: ita oportet hoc loco de præcursoribus secundi aduentus disserere. Est autem discrimen inter præcursores vtriusque aduentus, quòd Ioannes Baptista ijs temporibus natus est, educatus, ac pœnitentiam egit, in quibus testimoniū Christo reddidit, & suum præcursoris ministerium explcuit, ac tandem mortuus est. At vero ante secundum aduentum nō sunt promissi in scriptura præcursores, qui eo tempore nascituri sint, vt nouo exemplo vitæ, & doctrinę Christo testimonium reddant: sed ex veteribus illis hominibus, qui ante multa sæcula præcesserunt, Henoch, & Elias venturi creduntur, vt homines præsertim Iudæos ad secundum Christi aduentum disponāt. Quam ob rē de horum præcursorum genere, vitæ conditione, & sanctitate eximia, quam dum inter homines degerent, cōsequuti sunt, non est, quòd hoc loco disputemus. Pertinent enim hæc (vt ita dicam) ad veterē eorum statum, aliudque vitæ, & officij genus, quod olim tenuerunt: quæ omnia in veteri testamento satis perspicua, expressa q; sunt. Explicandum ergo nobis erit primum vnde venturi sint: & consequenter an nunc viuant: vbi & quomodo viuant: deinde quando, & quomodo venturi sint, quid agent, & quem tandem finem habituri sint: postremò inquiremus, an præter hos duos alius eis sit futurus comes, Christique præcursor.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Elias, & Henoch nunc viuant, vbi, & quomodo.

DE Elia nullum circa hoc fuisse errorem reperio. De Henoch vero Iudæi quidam (vt Sixtus Senensis refert li. 2. Bibl. sanctæ) asseruerunt, mortuū esse ante tempus, ne malitia immutaret cor eius, ita exponentes illud Gene. *Non apparuit, quia tulit eum Dominus.* Solet enim scriptura hoc dicendi modo mortem significare, Iob. 32. *Nescio enim, quandiu subsistam, & si post modicum tollat me factor meus.* Dicendum vero est primo, Henoch, & Elia hactenus nō obijsse mortē, sed corpore, & animo viuere. Est de fide. Et de Henoch patet ex prædicto loco Geneſis. Illa enim Iudæorum interpretatio stare non potest. Primo quia ex diuerso modo loquendi de Henoc, & de alijs constat, aliquid speciale de illo dici. Secundo id satis ostendunt antecedentia verba, *Ambulauitque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum dominus.* Vbi septuaginta, ad sensum magis explicandum, verterunt, *quia transtulit illum Deus.* & eodem modo legit Philo Iudæus in li. de vita sapientis. Tertio id aperte testatur sapiens Eccles. 44. *Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det gentibus pœnitentiam*, & adhuc apertius Paulus ad Heb. 11. *Henoch translatus est, ne videret mortem.* Dices, ex his solum probari non fuisse mortuum, quando transtulit illum Deus: tamen quod postquam translatus est, nunquam ibi mortuus sit, vnde cō stat? Nam Philo supra, significat illā trās-lationem solum fuisse per quandam separationem à consortio, & frequentia improborū hominum, ad locū vulgo ignotū, *& vix paucis, iisque præstantissimis viris cognitum.* In quo significat tantum fuisse translationem quandā ad solitariā, & quasi heremiticam

Six. Senē.
Genesis. 5
Iob. 32.
Henoch ad huc viuit.
Genesis.
Philo.
Eccles. 44
Hebræ 11.
Obiectio.
Philo.

remiticam vitam agendam: non ergo est necesse, vt ibi adhuc viuat. Respondetur, quanuis fortasse ex loco Gen. per se sumpto id non conuincatur: tamen ex aliis locis adiunctis id satis concluditur. Quia Paulus ait *translatum esse, ne videret mortē*, sentiens non esse moriturum, in eo loco, ad quem translatus est. Sapiens etiam dicēs, *translatum esse vt det gentibus pœnitentiam*, sentit, non esse moriturum: donec illud munus expleat. Huc accedit communis traditio, & consensus Patrum, quos statim referemus.

Elias, et Henoch adhuc viuant. 4. Reg. 2. Eccle. 48.

De Elia est manifestus locus. 4. Reg. 2. vbi refertur, Deum transtulisse Eliam *per turbinem in cœlum*, & latius Eccles. 48. dicitur. *Receptus & tectus in turbine, & inscriptus in iudicijs temporum, lenire tracundiam Domini, conciliare cor Patris ad filium, & restituere tribus Iacob*, & alia loca postea afferemus.

Aug.

Secundo probatur ex traditione Sanctorum. Augustinus lib. 1. de peccator. meritis cap. 3. *Neque Henoch*, inquit, *& Elias per tā longam ætatem senectute marcuerunt*: & lib. 2. de gratia Christi, seu de peccato orig. cap. 23. inter quæstiones, quæ ad fidē non spectant, ponit, vbi modo sint Elias & Henoch, *quos tamen* (inquit) *non dubitamus, in quibus nati sunt, corporibus viuere*, idem li. 9. Genes. ad literam cap. 6. Hieron. epist. 61. ad Pammachium, *Henoch* (inquit) *translatus est in carne, & Elias carneus translatus est in cœlum, nec dum mortui, & paradisi iam coloni, habent quoque mèbra cum quibus rapti sunt, atque translati. Quod nos imitamur ieiunio, illi possident Dei consortio: vescuntur cœlesti pane, & saturantur omni verbo Dei, habentes eundem dominum, quem, & cibum.* Idem Ambr. lib. 4. de fide cap. 1. & lib. 2. in Lucam sub finem, Gregor. lib. 9. Moral. cap. 4. & lib. 21. cap. 36. Cyprian. lib. de montibus Sina, & Sion, Tertul. lib. de anima, c. 35. & 50. *Translatus est Henoch, & Elias, nec mors eorum reperta est, dilata scilicet*: & libr. contra Iudæos cap. 2. hac ratione vocat Henoch *æternitatis candidatum*, & li. de resur. carnis cap. 58. de vtroque loquens inquit, *Aeternitatis candidati, ab omni vitio, ab omni dāno, ab omni iniuria, & contumelia immunitatem carnis edidicunt*. In eadem sententia est Irenæus lib. 4. contra hæreses c. 30. vbi de Henoch sic loquitur, *Translatus est, & conseruatus vsque nunc testis iusti iudicij Dei*. Idem tradit

Aug. *Hieron.* *Ambros.* *Gre.* *Cypria.* *Tertullia,* *Irenæ.*

A Iustinus in quæst. 85 ad Orthodoxos. Optimè Chrysost. hom. 22. in epist. ad Heb. & hom. 21. in Genes. & Theod. quæs. 45. qui varias rationes & congruentias adducunt. Epiph. secta 9. latius hæres. 64. post fragmentum ex Methodio, & optime in Anchorato satis post medium. Athanasius in epistola quadam continente decreta cōcilij Niceni contra hæresim Arianam, Basilius hom. 11. Exameron, de Henoch ait, *A generatione hominis septimus mortem non vidit*. De vtroque idem affirmat Eucher. lib. 1. in Genes. cap. 18. Ac demum omnes reliqui Patres, quos postea referemus, ne iusto prolixiores simus. Tertio (cùm hoc inusitatum priuilegium ex Diuina ordinatione pendeat) ratio à priori eius est diuina voluntas: congruentia vero sumenda est ex proprio munere, & fine, propter quem à Deo conseruantur, de quo dicturi sumus sectione sequenti. Addunt verò ferè omnes citati Patres congruentiam

Iustin. *Chrysost.* *Theodore.* *Athanas.* *Basilius.* *Eucher.*

B ex resurrectione sumptam. Dicunt enim, voluisse Deum conseruare hos viros post tot sæcula in typum, & exemplar resurrectionis, & ad illius spem, confirmandam, ideoque elegisse duos, alterum ex præputio, alterum ex circuncisione: vnū virginem, alterum coniugatum, vt significaret omnibus hominibus cuiuscunque status, & conditionis spem vitæ immortalis concedi. Addit Clemens lib. 5. constitut. capit. 8. alias 6. ostendisse Deum in Henoch, & Elia, quos mortem experiri non permitit, potuisse homines immortales conseruare si voluisset.

Clem. Pa.

C Dicendum secundo est, hos duos viros nondum esse animis, & corporibus glorioſos, sed solum per fidem, & abstractiuam cognitionem Diuina contemplatione, & amore frui. Hæc assertio est contra Procopium Gazam in Genes. qui affirmat Eliam, & Henoch videre Diuinam essentiam, & in corporibus glorioſis cum Christo regnare. Idem tenent Augustinus Eugubinus in recognitionib. veteris testamenti in capit. 2. Genes. & Catharin. opusc. de consummata gloria Christi. Quibus videntur interdum fauere Epiph. & Hieronym. quos postea explicabimus. Prior ergo conclusionis pars, quantum ad corpora pertinet traditur ab Augu. 1. de peccatorum meritis c. 3. dicente, *Nec tamen credo eos tam in illam spiritualem qualitatem corporis commutatos, qualis in resurrectione*

Henoch, et Elias nōdum glorificati. *Procop.* *Aug. Eug.* *Catharin.* *Epiph.* *Hieron.* *Aug.*

promittitur, quę in Domino prima præcesſit. Et videtur ſatis conuinci. Quia Elias, & Henoch reſeruantur aliquando morituri (vt ſectione ſequenti oſtendemus) ergo non eſt veriſimile, nunc eſſe translatos ad poſsidendam gloriam, & immortalitatem corporis. Quia huiuſmodi corporis ſtatus eſt perpetuus, & cui ſemel datur, nunquā aufertur, & nouū in hoc miraculū fingere ſine autoritate, vel exēplo, temeritate non vacaret. Ex hoc verò vlterius concluditur, neque etiam in anima eſſe glorioſos, nec frui clara Dei viſione. Quod quidem de toto tempore ante Chriſti paſsionem ex alio principio fidei certiſsimum eſt. Quia tunc non erat ianua regni hominibus aperta. De reliquo verò tempore probatur ex dictis. Quia etiā nunc nō habēt glorioſa corpora: ergo neq; animæ gloriā: patet conſequentia. Tum quia gloriam animæ conſequitur ſtatim gloria corporis, propriumque priuilegium, ac miraculum in Chriſto fuit, gloriam animæ in corpore mortali poſsidere. Tum etiam, quia cū poſtea venient morituri, non erunt beati ſecundum animam: ergo nec nunc etiam ſunt: quia beatitudo illa multo magis eſt perpetua: Et quanuis nonnulli Patres ſenſerint, Paulo, & Moyſi eſſe conceſſam ad breue tempus: tamen & multo plures id negant, & longe maius priuilegium eſſet, magiſque ſupernaturale, ſi tam diuturno tempore Eliæ, & Henoch id eſſet conceſſum. *Iuſtinus.* Et hoc docuit Iuſtinus martyr illa quæſt. 85. Qui tamen idem ſentit de omnibus Sanctis, qui cum Chriſto regnant, quos non in cœlo, ſed in paradiſo cœleſti degere putat, & ideo Henoch, & Eliam illis facit æquales. *Gre. Naz.* Idem ſignificat Gregorius Nazianzenus ora. 34. vbi oſtendens, neminem in corpore mortali vidiſſe Deū, de Henoch dicit, *licet translatus ſit: non tamen conſtat, quod Deum comprehenderit.* In Elia verò, quem igneus currus in cœlum euexit, ſignificatam eſſe teſtatur, ſingularem quandam hominis virtutem, & humanum faſtigium excedentem. In quibus verbis ſignificat poſtremam partem aſſertionis, nimirum, quanuis Elias poſt translationem nō fruatur clara Dei viſione: obtinuiſſe tamen ſingularem quandam perfectionem diuinæ contemplationis. *Hieronym.* Atque idem ſignificauit Hieronymus in dicta epiſtola ad Pammachium, dicens, *eos frui diuino conſortio, & cibo cœleſti,* & Epiphanius dicta hæreſi. 64. ſcribens, *eos nutriri quodam ſpirituali alimento, cuius ſuppeditator eſt, qui occulta cognoſcit, & inuiſibilia creauit, Deus,* Apertius Auguſtinus libr. 9. Geneſis ad liter, capite. 6. dicit, *Neque enim arbitrandum eſt, Etiam vel ſic eſſe iam, ſicut erunt Sancti, quando peracto operis die denarium accepturi ſunt: vel ſic, quemadmodum ſunt homines, qui ex iſta vita nondum emigrarunt. Iam itaque aliquid melius habet, quanuis nondum habeat, quod ex hac vita recte geſta in finem habiturus ſit:* Elegantiſsime Bernardus ſermone. 6. de aſcenſione Domini, *Fœlices* (inquit) *viri illi, per quos diuina aſcenſio legitur præſignata: Henoch raptus, translatus Elias, fœlices plane, qui ſolitiam Deo viuunt, ſoli vacant intelligendo, diligendo, fruendo.* Et ratio eſt clara, quia non eſt exiſtimandum illos ſanctiſsimos viros, & Prophetas perpetuò eſſe quaſi in continuo ſomno, abſque operationibus vitæ, præſertim intellectualis: ergo maximè occupabuntur in perpetua Dei contemplatione, & amore. Quia (vt inferius videbimus) magna ſpiritus, carniſque concordia, & quiete fruuntur, & nullum impedimentum habent, quominus vel ſemper, vel frequentiſsimè ſeſe in huiuſmodi actibus exerceant. Neque enim decet, vt otioſi ſint, neque externis actionibus corporis indigent quibus occupentur.

Epiphani. *Aug.* *Bernardus*

Sed quæres, an ſint in ſtatu merendi. Ex dictis enim ſequi videtur, ita eſſe aſſerendum. Quia, ſi *peregrinantur a Domino,* per fidem ambulant: ergo ſemper poſſunt magis, ac magis mereri: quia hoc eſt ad beatitudinem ambulare. Item peioris conditionis eſſe viderentur, quàm cæteri beati, & viatores: quia & illorum fœlici præſentia, & horum vtili priuantur abſentia. Vnde fit, vt magna quadam pœna, qualis eſt carentia diuinæ viſionis, valdeque diuturna, ſine vlla vtilitate propria afficiantur. Nihilominus probabilius videtur, hos viros tantum fuiſſe in ſtatu merendi, & potuiſſe in gratia creſcere vſque ad illud tempus, in quo translati ſunt, & ad eundem ſtatum merendi eſſe redituros, quando iterum venient ad præparandum ſecundum Chriſti aduentum. Quia tunc eodem modo erunt viatores, ſicut antea, vereque martyres, & fructum, ac aureolam martyrij conſequentur: hoc autem intermedio tempore veriſimilius eſt, non mereri. Quod ab inconuenienti proba-

Dubium *Reſponſio*

probari potest, quia in tam longo tempore infinita haberent merita, & omnes Sanctos, ac ipsam etiam beatam Virginem cumulo meritorum facile possent antecellere. Quia ad augendam gratiam, & gloriam non tantum intensio actuum, sed etiam multitudo plurimum confert, iuxta sanam doctrinam. Tum etiam quia ipsi semper operabuntur intensius, ac tota virtute sua, quia (vt diximus) liberi sunt omni impedimento ad actiones mentis exercendas. Ratio verò propria petenda est ex Diuina ordinatione, ex qua pendet, vt tempus meriti, vel demeriti sit hominibus definitum, pro statu vitæ mortalis. Quanquam verò ij duo mortui non sint: tamen translatio diuinitus facta, quoad hunc effectum tanquam mors illis reputata est. Quia ad aliud vitæ genus, valde diuersum à ratione viuendi in hac vita, traducti sunt.

Responsio Henoch & Elias non sunt in statu merendi

A

Hinc sequitur primo, eos in translatione ipsa confirmatos esse in gratia, & in bono, ita vt nullum peccatum committere possint, quæ est magna pars illius qualiscunque fœlicitatis, quam nunc possident. Ratio est, quia cùm sint iusti, & mereri non possint, nulla ratione expedit, vt possint demereri: non enim fuisset hæc æqua, iusta ve conditio.

Henoch & Elias cõfirmati in gratia.

B

Secundo infero, eos minimè pati inordinatos fomitis motus, nec illam corporis corruptionem, quæ *aggrauat animam, & sensum deprimit multa cogitantem.* Tum quia ad perfectam animi puritatem, & quietem hoc ferè necessarium est: tum etiam quia cùm priuentur perfecta fœlicitate, eamque Dei absentiam, propter ipsummet Deum patientissimè ferant, decet, vt saltem fruantur maximis bonis, & gaudiis, tam animo, quàm corpore. Docuit hæc eleganter Bernardus loco proxime citato dicens, *Neque enim corpora, quæ corrumpuntur, illas aggrauant animas: aut terrena inhabitatio sensus eorum tanquam multa cogitantes deprimit, quũ cum Deo ambulasse noscuntur. Factum est impedimentum omne de medio: occasio vniuersa sublata, materies nulla relicta est, quæ eorum affectum aggrauet, vel deprimat intellectum. Nam & priorem* (id est Henoch) *ob hoc raptum Scriptura commemorat, ne forte vincat malitia sapientiam, & intellectus eius, vel anima vltra decipi valeat, aut mutari.*

Sapien. 4.

Bernardus

C

Tertio colligo, maximis Dei consolationibus, diuinisque illustrationibus, ac frequentibus reuelationibus gaudere, de iis saltem rebus, quæ eorum statui consentaneę sunt. Vnde non dubito, quin aduentum Christi, mundique redemptionem per ipsum iam consummatam agnouerint. Illius enim venturi expressam fidem prius habuerunt, eiusque aduentum maximè desiderarunt: non ergo decebat, eos in tenebris nunc, & in errore versari. Quin potius de Elia constat, ex Euangelio in die transfigurationis vidisse, & alloquutũ fuisse Christum: atque idem existimari potest de Henoch, scilicet quod aliquando ipsum viderit. An vero nunc videant illũ saltem secundum humanitatem, incertũ est.

Ex iis denique patet responsio ad difficultatem propositam. Non enim expediebat, tãto tempore permanere in statu merendi: sunt ergo quodammodo extra viã, quanuis non sint omnino in termino. Neque etiam hoc veluti exilium sustinent cum aliquo labore, aut pœna, quia caritas, & conformitas cum diuina voluntate magnam consolationem, & suauitatem præstat. Neque etiam id erit sine magna eorum vtilitate, tum quia quando ex hac vita translati sunt, intelligentes Diuinam voluntatem, & magnam dilationem suæ beatitudinis, magna caritate, & obedientia eam amplexi, illo actu plurimum meruerunt. Tum etiam quia, cùm ante diem iudicij venturi sint ad resistendum Antichristo, magna merita, magnumque gloriæ augmentum consequentur, & hoc maioris æstimationis est, quàm temporalis dilatio beatitudinis, quantacunque illa sit. Vide hac spe patiendi pro Christo plurimum reficiuntur, & illius absentiam æquo animo ferunt.

Responsio

Dico tertio, Verisimilius est, Eliam, & Henoch non indigere corporalibus cibis, sed absque vlla corporis immutatione, vel alteratione à Deo conseruari. Hæc assertio non est certa, cum non sit reuelata, & quia Deus variis modis potest homines in corpore mortali viuos diuturno tempore conseruare. Vnde Aug. dicto lib. de peccatorum meritis cap. 3. post citata verba, sic inquit, *Nisi quia isti fortasse neque iis cibis egent, qui sui consumptione reficiant: sed, ex quo translati sunt, ita viuunt, vt similem habeant satietatem illis quadraginta diebus, quibus Elias ex calice aquæ, & ex collyride panis sine cibo vixit. Aut si etiam iis sustentaculis opus*

Aug.

est, ita fortasse in paradiso pascuntur, sicut Adam prius quam propter peccatum inde exire meruisset Habebat enim (quantum existimo) & de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, & de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem: & libr. 1. contra aduersarium legis, capi. 15 dicit, *non temere esse asserendum, vtrum illo cibo vescatur nunc aliquis, nisi forte Henoch, & Elias.* Quod etiã de illis interdum affirmat D. Thomas. infra citandus.

Aug. D. Thom.

Hieronym. At verò Hieronymus in epistol. ad Pammach. verbis supra citatis, sentit eos non indigere cibo corporali: sed pasci solo cibo spirituali. Epiphanius etiam sic intelligendus est hæres. 64 cum inquit, *eos viuere spiritualiter, & non animaliter, propter translationem, esseque in corpore, seu carne spirituali, & non opus habere, vt per coruos nutriatur, sed nutritur alio spirituali alimento, cuius suppeditator est Deus, qui occulta cognoscit, ambrosium quendam, & incorruptibilem cibũ habens.* Coniectura huius rei est, quia hic modus conseruandi vitam est facilior, & spiritualior, & ab omnibus huius vitæ curis abstractior diuinaque potentia dignior. Quia *non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*. Sicut ergo conseruauit Deus Moysem in monte per quadraginta dies sine vllo cibo, & potu, & Israelitarum vestes per tot annos absque vllo detrimento: eadẽ virtute conseruat mortalia istorum Heroum corpora in eodem statu, ac sine vllo defectu, suspendendo suum influxum, ne ab vlla externa, interna ve causa alterari ad corruptionem possint.

Epiph.

Matt. 4. Exod. 24, & 34. Deute. 29.

Dico quarto. Quem in locum Elias, & Henoch translati sint, incertum est. Ita docent Chrysost. homilia. 21. in Genes. & homilia. 22. in ad Hebræos, & ibi Theophy. & Oecumen. Theodo. q. 45. in Genes: & Aug. lib. 1. de peccato orig. cap. 2. & 3. Cyprianus dicto libro de montibus Sina, & Sion. *Trãslatus est* (inquit de Henoch) *vbi Deus scit* Quia scriptura nobis hoc non aperuit. Nam licet Eccles. 44. dicatur Henoch *translatus in paradisum*: tamen & vox illa *in paradisum*, in Græcis exemplaribus desideratur, & plures habet significationes. Potest enim significare paradisum terrestrem. Et ita intellexisse videntur illum locum patres, qui affirmarũt, Eliã, & Henoch trãslatos esse in paradisum, quod expresse docet Ireneus lib. 5. contra hæres. cap. 5. idque confirmat ex traditione presbyterorum Asiæ, qui id ab Apostolis acceperunt, & Iustinus maryr quæstione 85. ad Orthodoxos, Athanas. in epistola supra citata, dicit, Adam statim ac fuit cõditus, in paradiso fuisse collocatum: Henoch verò post tempora natiuitatis suæ, cum Deo placuisset, in paradisum fuisse translatum. Idem significat Augustinus dicto lib. de peccatorum meritis cap. 3. & Hieronym. dicta epist. ad Pammachium vocans Eliam, & Henoch *paradisi colonos*, Isidorus lib. de vita, & obitu Sanctorum, sic ait, cap. 3. *Henoch septimus ab Adam mortis ignarus meruit in eum locum transferri, vnde fuerat protoplastes expulsus, scilicet in æqualem habitationem beatæ vitæ manet autem hactenus in corpore, in cõsummatione mundi restituetur cum Elia ad mortalis vitæ conditionem.* In eadem sententia est D. Thom. supra q. 49 art. 5. ad 2. & 1. p. q. 102. ar. 2. ad. 3. & in 2 dist 29. q. vnica, ar. 5. ad. 4. vbi probabile credit, ligni vitæ subsidio conseruari. Potest tamen aliter vox illa, *in paradisum*, exponi, vt non sit proprium nomen illius loci, in quo conditus est Adam, sed generale, significans locum quenlibet amenũ, & speciosum, ac iucundum. Hæc enim est primæua, valdeque vsitata significatio illius vocis, vt omnes interpretes docent in principio secundi cap. Genes. & patet ex illo Cant. *Emissiones tuæ paradisus*. Atq; hoc sensu ex illo loco colligi non poterit, Henoch fuisse translatum in illum paradisum, in quo conditus fuit Adam, sed solum (vt scribit Gregor. homil. 29. in Euang. agens de Elia) sublatum esse in secretam aliquam terræ regionem, vbi iã magna carnis, & spiritus quiete viuat. Quapropter Rupertus lib. 3. de Trinita. & operib. eius cap. 33. diserte dicit, nunquã scripturam significare Eliam, & Henoch trãslatos esse in illum paradisum, vbi comedere possint de ligno vitæ: sed in secretam aliquam regionem, vt Grego. scribit. Tertio, quanuis in eo testimonio Ecclesiastici, nomine *paradisi* intelligamus locum illum in quo creatus fuit primus homo, & consequenter fateamur, in eum locũ translatum Henoch, nõ inde fit, in eo nunc esse, neque Eliam in eum translatum esse. Quia multi probabiliter existimãt, terrenũ paradisum aquis diluuij perijsse Quæ opinio licet antiqua non sit: tot vero coniecturis in scriptura fundatis nititur, vt nõ possit

Iustinus. Athanas. Aug. Hieronym. Isidor. D. Thom. Can. 4. Gre. Pap. Rupertus.

Henoch & Elias quem in locũ translati. Chrysosto. Theop. Oecumen. Theodore. Aug. Cyp Eccles. 44

Iren.

posſit improbabilis exiſtimari, vt copiosè diſputat Benedictus Pererius tom. 1. in Geneſim, lib. 3. diſput. 1. q. 5. & lib. 7. q. vltima totius libri, & breuius attigit, & aſſeuerantius affirmauit Genebrar. lib. 1. chronograph. in prima ætate. Atque idem ſenſit Ianſen. in concord. Euang. c. 143. Oleaſter in 2. cap. Geneſ. & Auguſt. Eug. loco ſupra citato. Quod ſi verum eſt, dicendum erit Henoch tempore diluuij aliò tranſlatum fuiſſe, atque ita incertum eſſe vbi ipſe, & Elias nunc ſint. Quarto, nō defuerūt Patres, qui dicerent, translatos eſſe Henoch, & Eliam in locum aliquem cœleſtem omni loco terræ ſuperiorem. Ita inſinuat Hierony. Amos 9. dicit enim eos aſcendiſſe in cœlum, & ex contextu videtur colligi non loqui de cœlo aereo, Ambroſ. lib. de paradiſo, cap. 3. de Henoch ait, *raptum eſſe ad cœlum*. Dorotheus in ſynopſi ſic de Elia ſcribit, *Primus ex hominibus eſt, qui hominibus curſum ad cœlos ſubmonſtrauit, primus ex hominibus vnam Angelorum, & hominum viam oſtendit, qui terræ fuerat ſortitus domicilium, cœlum quoque ſubito penetrauit.* Qua antitheſi ſatis indicat de cœlo æthereo loqui. Et eam magis explicans ſubdit, *Qui humi incedebat, inſtar ſpiritus cum Angelis in cœlis agit.* Similiter Alchimus Auitus lib. 4. de diluuio cap. 6. de Noe agens in hunc modum ſcribit.

A proauo, quem priſca fides, & conſcia virtus
In cœlum ſine morte tulit, ſic celſa petenti
Succeſſit magnis non impar filius actis,
Nec minimum eſt illum ſalui cum corporis vſu
Terrenas liquiſſe domos, intraſſe ſupernas.

Vbi, cùm ſimiliter ſupernam Henoch habitationem, terrenæ opponat, planè ſentit, de cœleſti habitatione loqui, in quam etiam aſcendiſſe Eliam ſic apertius ſcribit.

Quanquam, quo Noe proauus conſcenderat Henoch
Elias curſu poſt tempora longa ſequutus,
Scribitur ignitis ſcādens penetraſſe quadrigis.

Inferius vero concludit.

Nos igitur ſatis eſt, cœlum potuiſſe mereri
Membrorum ſub lege ſitos.

Ex iis igitur ſatis conſtat vere à nobis aſſertū eſſe locū, in quo Henoch, & Elias habitant, incognitum eſſe, nimiſque licenter aſſeruiſſe Sixtū lib. 5 bibl. annotat. 36. cōtra regulā rectę fidei eſſe negare Henoch & Eliam translatos eſſe in paradiſum terreſtrem. Sapientius quidē Aug. dicto lib. 2. de peccato orig. c. 23. negat quæſtionem hanc ex iis eſſe, quæ ad dogmata fidei ſpectant. Si tñ iudicium aliquod ferendū eſt, longe probabilius videtur, eos aliquē terræ locum incolere, quā cœleſtem, ſicut affirmant Greg. & Rupertus, & ſupponunt Aug. & reliqui Patres citati. Vnde reliqui fere oēs qui de aſcenſione Domini ſcribunt, inter alias differentias, hanc conſtituunt inter aſcenſionem Chriſti, & raptū Eliæ, quod ille vere aſcendit in cœlū æthereum, vt in eo habitet: Elias verò ſolū in cœlum aereum eleuatus eſt, non quidē, vt in eo permaneret, ſed vt per eum in aliam terræ regionem transferretur. Quo modo intelligendum putant illud 4. Reg. 2. *Aſcendit Elias per turbinem in cœlum*: & illud 1. Machab. 2. *Elias, dum zelat zelum legis, receptus eſt in cœlum.* Atque eodē modo exponendum erit, quod de Henoch dicitur Eccleſ. 49. *Nemo natus eſt in terra, qualis Henoch, nam & ipſe receptus eſt a terra.* De qua re poteſt legi Chryſ. hom. de aſcenſ. domini, optime Ambr. lib. 4. de fid. c. 1. Gregor. Maximus, & alij homiliis de aſcenſ. Theoph. Luc. 24. & ex ſupradictis poteſt coniectura ſumi. Nam Elias, & Henoch adhuc viuunt in corporibus mortalibus: locus autē iis corporibus accomodatus non eſt cœleſtis, ſed terreſtris. Rurſus (ſi terreſtris paradiſus adhuc extat) nullus prudēs, & cordatus negabit, hos ſanctos viros ibi degere, tum propter autoritatē Patrum, tum etiam quia ille locus valde eſt accōmodatus fœlici eorū vitę, quā ſupra deſcripſimus. Quin potius, licet gratis demus paradiſi amœnitatem aquis diluuij periiſſe, adhuc fieri poteſt coniectura probabile, hos ſanctos viros in illo terrę ſitu, vbi paradiſus à principio conſitus fuit, ſpatiari, quia locus ille non ſolum ſuperabat alia terrę loca in arborum ornatu, atque elegantia, terręque fœcunditate: ſed maxime aeris temperie, cœlique benignitate: dictum autem eſt ex ſententia Gregorij & Ruperti eos colere ſecretam aliquam regionem terrę, optimam tamen, ac fœliciſſimam, prout eorum ſtatui conuenit, nulla autem videtur eſſe aptior, quàm illa. Sed ſiue illa ſit, ſiue alia eque fortaſſe commoda, & nota Deo, veriſimile tamen eſt locum illum, quem ipſi incolunt, pulcherrimū eſſe, atq; ornatiſsimū non minus fortaſſe, quā eſſet paradiſus terreſtris: Quod

Bene. Per. Genebrar. Ianſenius. Oleaſter. Aug. Eug. Hierony. Ambroſ. Dorot. Alch. Aui. Six. Senē. Aug. 4. Reg. 2. 1. Mach. 2. Eccle. 49. Chryſoſto. Ambroſ. Gre. Maxim. Theophy.

si per diluuiũ obrutus, disipatusque fuit locus is, in quo degebat Henoch, ipso interim inde sublato, vel alio modo diuinitus conseruato, credi etiã potest, post transactum diluuium diuino imperio ad pristinum decorem, & statum fuisse restitutum. Si enim Deus tam admirabili modo Henoch conseruauit, vt eum in pristinum locum restituerit, quid mirum, quòd loci etiam pulcritudinem, & amœnitatem similiter instauauerit. Cur enim illum bonis ijs quæ ei donauerat, eaque qualicũque fœlicitatis parte sine culpa priuaret? Demum cũ Deus a principio paradisum voluptatis plantauerit propter homines, quos sciebat breuissimo tẽpore illo vsuros, quid mirũ est, quod vel eundem, vel similem locum, magnitudine fortasse imparem, ornatu verò, elegantiaque non dispar post diluuium reparauerit, vt duo viri tam sancti, ac sibi cari, qui tam diuturno tempore propter eius amorem, & obedientiam cœlesti beatitudine carent, eodem tempore vitam & animo, & corpore fœlicem in terris ducant? Videtur ergo existimatio hæc satis verisimilis, possetq; varijs coniecturis verisimilior fieri, nisi prolixitatem vitare cuperemus. Ex his vero, tãdem coniectare licet, hos duos viros eandem regionem, eundemq; locum incolere, simulque conuersari, & de diuinis rebus interdum loqui. Hæc enim & similia bona, quæ ad fœlicitatem huius vitæ aliqua ratione conducunt, & aliunde nullũ incommodum, vel repugnantiam indicãt, non est cur illis denegata esse credantur.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum Elias, & Henoch venturi sint tempore Antichristi, & quid nam acturi, vel passuri sint.

HÆretici huius temporis negant, Henoch, & Eliam in proprijs personis venturos, vt Antichristo resistant, & homines ad secundum Christi domini aduentum disponant. Nam de Henoch nihil circa hoc expresse scriptura loquitur. Quod enim dicitur Eccles. 44. *Translatus est, vt det gẽtibus pœnitẽtiam*, Græce legitur, *Translatus est exemplum pœnitentiæ generationibus*, Quod recte exponi potest (vt a catholicis etiam exponitur) trãslatum esse vel quia fuerat exemplũ quoddam pœnitentiæ hominibus, vitæ sanctitate, & morum innocẽtia, vel vt illo exẽplo incitarẽtur homines ad pœnitẽtiã, videntes hominem iustum, & sanctum ita à Deo honorari. Vnde non defuerunt aliqui ex Patribus, qui Henoch negauerint fore secundi aduentus præcursorem. Videlicet Hilarius. Victorin. & alij citãdi sec. seq. Quod autem Malac. 4. de Elia dicitur, quod *venturus sit, antequam veniat dies Domini*, ab ipso Christo Mat. 11. de Elia non in persona, sed *in spiritu* explicatum est. Sic enim de Ioanne ait, *ipse est Elias, qui venturus est*. Et cap. 17. interrogantibus discipulis. *Quid ergo dicunt, quod Eliam oportet primum venire?* Respondit Christus. *Elias iam venit & non cognouerunt eum.* Quod necesse est de Elia *in spiritu* intelligi, simili ergo modo dicitur Elias venturus in secundo aduentu non in persona, sed *in spiritu*. Vnde Hierony. exponens prædictum locũ Malachiæ, non de persona Eliæ intelligit, sed illius nomine *omnem prophetarum chorum, qui Christo testimonium perhibent*, dicit significari, & Rupert. ibidem propter Hieron. autoritatem definire non audet, an ille locus sit intelligendus de persona Eliæ: alij vero propter Christi testimonium de Ioãne illum interpretantur, vt Burgensis, & Vatablus.

Hilarius. Victorin. Malac. 4. Matth. 11. Matt. 17. Hierony. Rupert. Burgens. Vatabl.

Elias & Henoch secundi aduentus Christi præcursores.

Dicendum est primo, Eliam, & Henoch futuros esse præcursores secundi aduẽtus Christi. Hæc assertio est aut de fide, aut fidei valde proxima. Quæ probatur primo. Nam Apocalyp. 11. dicitur, venturos esse duos diuinos testes saccis amictos, qui prophetabũt diebus mille ducentis sexaginta tempore Antichristi: est autem euidens ex contextu per duos illos viros non significari generatim quosuis Sanctos, aut prædicatores Christi, sed in singulari duos determinatos homines eximiæ cuiusdam sanctitatis, & virtutis. Nam de eis dicitur, *ij sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stãtes*: & additur: habituros facultatem ad facienda eximia signa, & miracula, ac tandem esse occidendos, & corpora eorum in plateis Ierusalem per tres dies cum dimidio insepulta permansura, & de eorum morte impijs hominibus gaudendum esse. *Quoniam hi duo Prophetæ cruciauerunt eos*, & similia, quæ infrà dicemus, quæque nullo modo possunt, nisi de duobus determinatis hominibus intelligi. Quod vero hi duo viri futuri sint Elias, & Henoch, a Ioanne non declaratur aperte: tamẽ

Apoca. 11.

tē tamen cōsideratis circunstantijs earū personarum, quas ibi describit, & quæ in alijs locis de Elia, & Henoch scripta sunt, fere communi consensu omnium expositorum, imo & totius Ecclesiæ (vt Aretas in eum locum dixit) creditū est, illos duos non esse alios nisi Henoch, & Eliam, neque in alium finem translatos esse, & in mortali vita conseruari, nisi vt in fine mūdi Antichristo resistant, Christoque testimonium præbeant. Ita docēt ibi Beda, Anselmus, D. Thom. Aug. & Amb. (si eorum sunt commentarii) & Victorin. Martyr, Greg. hom. 12. in Ezechielem & lib. 9. moral. cap. 3. alias. 4. & præterea omnes Patres superiori sectione citati, qui eos viuere affirmant, & alij, quos statim referā.

Are. Bed. Anselm. D. Thom. Aug. Ambros. Victorin. Gre.

Secundo probatur de Elia, ex prædicto loco Malach. 4. qui nullo modo intelligi potest de Ioanne Baptista. Quia sermo ibi est de die iudicij, vt aperte constat ex principio capitis, vsque ad finem, & ex illis epithetis, *Dies domini magnus, & horribilis.* Neque etiam intelligi potest de aliquo alio qui sit habiturus spiritum Eliæ. Primo ex proprietate nominis, quam non licet ad metaphoram sine autoritate transferre, præsertim quia etiā cognomē *Thesbitis* videtur ibi esse additum à Septuaginta interpretibus, quantum ex Hierony. & Theod. colligi potest, & ex Cyrill. libr. 1. in Ioan. cap. 24. & Tertulli. lib. de anima cap. 35. Aug. 20. de Ciuitat. ca. 29. Euthy. Matt. 17. Chry. hom. 58. in Mat. Secundo hoc facile intelliget conferendo hunc locum cum cap. 48. Ecclesiastici, vbi sine vlla controuersia est sermo de persona Eliæ, de quo dicitur, *Quia receptus est in turbine ignis leuire iracundiam Domini, conciliare cor Patris ad filium, & restituere tribus Iacob.* Quorum verborum sensus est, eum destinatum esse a Deo ad ea munera aliquando peragenda, scilicet, ad leniendam iracūdiam Dei, & conuertenda corda hominū: Malachias autem ad hæc eadem ministeria eum venturum esse dicit ferè eisdem verbis, cum ait, *Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam, & percutiam terram anathemate.* Loquitur ergo de eadem persona: quin potius Autor libri Ecclesiastici ad hunc locum alluisse, eumque interpretatus esse videtur. Deinde Christus dominus hanc intelligentiam non excludit, sed supponit potius, cum interrogantibus discipulis,

Hierony. Theodore. Cyr. Tertullia. Aug. Euthym. Chrysost. Eccles. 48 Matt. 17:

A *Quidergo scribæ dicunt, quia Eliam oportet primum venire?* In primis respondit. *Elias quidem venturus est, & restituet omnia.* Quibus verbis non potest loqui de Ioanne Baptista. Quia ille iā venerat, nec erat amplius venturus: nec de illo verificari potest, quod *restituerit omnia*, neq; de aliquo alio quam de vero Elia, de quo discipuli loquebātur, quique multos Iudæos, & apostatas ad Christum conuertet, & ideo dicitur de illo, quòd *restituet omnia*: postea vero cum Christus subdit, *Dico autem vobis, quod Elias iam venit*, iam loquitur metaphorice de Ioanne Baptista propter spiritus, & ministerij similitudinē. Et ita interpretantur hæc loca Patres omnes, Orige. tract. 3. in Matth. Hilar. can. 17. & Chrys. hom. 58. in Matth. & ibidem Hieronym. Beda Anselm. Theoph. Euthym. qui ferè omnes coniungunt locum Malachiæ cū verbis Christi. Eodem modo exponunt hæc loca Theodoret. & Glossa ibi, Orig. tom. 7. in Ioann. & Greg. Nyssenus libr. contra Iudæos de aduentu domini in carne parumà principio, Greg. mag. 11. mora. cap. 9 alias. 10. Iustin. Martyr in dialog. cum Triphone circa mediū, egregie Tertull. lib. de ani. cap. 35. Aug. tract. 4. in Ioānem, & lib. 5, de Trinitat. ca. 14. qui tandē 20. de Ciuit. cap. 29. testatur hunc sensum esse celeberrimum in sermonibus, cordibusque fidelium.

Origenes, Hilar. Chrysost. Hierony. Bed. Anselmus. Theophyl. Euthym. Theodore. Glossa, Gre. Nyss. Gre. Papa Iustinus. Tertullian Aug.

Tertio de Henoch non habemus tā expressa scripturę testimonia: insinuatur tamen verbis illis Eccl. 44. *Henoch translatus est, vt det gentibus pœnitentiam.* Non enim sine causa viuens mortali vita in hunc diem seruatur. Vnde in illis vltimis verbis significatur prædicatio illius futura in fine mundi. Neque obstare debet, quod Græce legatur, *In exemplū pœnitentiæ generationibus*, quia hæc lectio non est cōtraria, admittitque sensum, quem verba vulgati interpretis prę se ferūt, quę nullo modo rejicienda sunt, maxime cùm omnes patres citati, & quos referemus, hoc testimonio comprobent, futurum aduētum Henoch. Item ex illo sensu colligitur optima congruentia, ob quam ante secundum aduentum duo mittuntur præcursores cum ante primum vnus tantum aduenerit. Quia scilicet, in primo aduentu Christus immediate tātum missus est ad Iudæos, iuxta illud, *Non sum missus, nisi ad oues, quę perierunt domus Israel*, & ideo tantum est missus vnus

Henochvnè uersalis iudicij præcursor.

præcursor etiam ex Iudæis: at vero in secũ do aduentu veniet ad vniuersam Ecclesiã ex Iudæis, gentibusque congregatam, & ideó vnus præcursor mittitur ex circunci sione, cui specialiter attribuitur Iudæorũ conuersio, Ecclesiastici 48. *& restituere tribus Iacob* alius vero ex præputio, cui in prædicto loco videtur specialiter commit ti gentium conuersio, *vt det gentibus pœnitentiam.*

Ecclesi. 48
Eccles. 44

Quarto tandem addi potest omniũ Patrum traditio, quę satis constare potest ex omnibus adductis, tam in hac, quã in prę cedenti sectione. Præsertim vero notari possunt verba Ambros. 1. ad Cor. 4. circa illa, *Puto enim, quod Deus nos Apostolos nouissimos ostendit*, Hoc (inquit) *ideo personę suæ deputat, quia semper in necessitate fuit, persecutiones, & prę ssuras vltra cæteros passus, sicut passuri sunt Henoch, & Elias, qui vltimo tempore futuri sunt Apostoli. Mitti enim habent ante Christum ad præparandum populum Dei, & vniendas omnes Ecclesias, ad resistendum Antichristo, quos & persecutiones pati, & occidi lectio Apocalypsis testatur.* Similia repetit. 1. ad Thessalo. 5. in principio. Optimè Tertul. lib. de anima cap. 35. vbi disputans contra Pythagoricam transmigrationem animarum (secundum quam quidam hæretici interpretabantur illud, *Elias iam venit*, id est, anima Eliæ in Ioanne Baptista.) *Nunquid* (ait) *& Iudæi ex opinione Pythagorica consulebant Ioannem, tu es Elias, & non ex prædictione diuina, & ecce mittam vobis Eliã Thesbitem? sed enim metempsychosis illorum reuocatio est animæ iam pridem morte functæ, & in aliud corpus iteratę. Elias autem non ex discessione vitę, sed ex translatione venturus est, nec corpori restituendus, de quo non est exemptus: sed mundo reddendus, de quo est translatus, non ex post liminio vitæ, sed ex supplemento prophetiæ, idem & ipse, & sui nominis, & sui hominis.* De vtroque vero loquens cap. 50. inquit, *Morituri reseruantur, vt Antichristum sanguine suo extinguant.* Præterea Hieronymus de Elia idem affirmat Matth. 11. & 17. licet in Malachia sensum spiritualẽ potiusquã literalem declaret. Idẽ Dorotheus in synopsi, *Contra Antichristum* (dicit de Elia) *dux belli seruatur, &c.* Idem ferè Theophy. Matth. 11. & Marc. 9. Theodoret. Daniel. 12. & Malach. 4. Lactant. lib. 7. cap. 17. Iulianus Pomerius lib. 1. contra Iudæos, ante medium, Chrys. hom. 4. in 2. ad Thessa.

Amb.
Tertullia.
Doroth.
Theop.
Theodore
Lactant.
Iuliã. Po.
Chrysosto

A qui licet vnum tantum numerẽt, non excludunt alium. De Henoch vero ait Aug. lib. 1. de mirabilibus scripturæ cap. 3. *Adhuc sine morte in testimonium nouissimi temporis reseruatur.* Eundemque simul cum Elia nominat lib. 9. Genes. ad liter. cap. 6. Prosper. in dimid. tempo. cap. 13. Damas. libr. 4. cap. 27.

Vltimo loco possent afferri congruentiæ, ob quas voluerit Deus potius per hos viros, quàm per alios, mundum ad aduentum suum præparare. Item cur potius per homines ad hoc munus ex antiquis ętatibus reseruatos, quàm per alios ea ætate natos. Sed hæc, & similia vel nullas habent causas præter Diuinam electionem, & voluntatem, vel hæ latent in thesauris sapiẽtiæ Dei, qui hæc, & similia operatur secundum consilium voluntatis suæ. Dicunt autem veteres scriptores, Deum elegisse Henoch quia inter primos homines in Dei B cultu, & religione maximè excelluit. Eliã vero, quia zelator maximus fuit Diuini cultus, & quia spiritu, & efficacia prophetiæ maximè enituit. Quæ vera quidẽ sunt, ordinem executionis considerando. Nam (si spectemus Diuinam prędestinationẽ) potius hæc dona spiritus receperunt, quia ad tam eximium munus electi fuerũt. Voluit autem Deus hos viros ex prioribus ætatibus ad hoc munus, ad finem vsque mundi reseruare, tum vt admirabilior esset eorum prędicatio, ac testificatio: tum etiam, vt ostenderetur idem Deus, autor omnis legis, naturę, scriptæ, & gratiæ, atq; idem Christus, eadem fides, quæ ab initio mundi, vsque ad finem prædicatur, & in eadem militante Ecclesia perseuerat.

Secundo dicendũ est, Eliam, & Henoch C breui tempore hoc munere pręcursorum functuros, ac tandem martyrium subituros. Hęc constant ex Apocaly. 11. cum expositione, quam ex traditione Patrum cõfirmabimus. Primo enim dicitur, vel potius supponitur, hos duos viros repente apparituros. Quomodo autẽ venturi sint, an scilicet visibiliter sint per aera transferendi in curru igneo, vel in nube, vel alio simili modo: an vero inuisibiliter, id est, nulli hominum eorum translatione demonstrata, subito Ierosolymis, aut alio in loco conspiciendi sint, neque in scriptura dicitur, neque à Patribus explicatur. Nõ est ergo, quod à nobis inquiratur: faciet enim Deus, prout sibi placuerit. Secundo dicitur,

Prædicatio Henoch, et Eliæ breui tempore durabit.
Apoc. 11.

dicitur, *Prophetabunt dies mille ducentis sexaginta*, Vbi constat, verbum *Prophetandi* nõ significare futurorum prędictionẽ, (quæ tunc non erit necessaria) sed veram fidei, & scripturę sacræ interpretationem magno Dei spiritu propositam, ac prædicatã, & vitæ sanctitate, ac prodigijs confirmatam. Vnde de eis dicitur, quod erũt *induti saccis*, quo significatur vitæ asperitas, paupertas, & humilitas, & deinde pluribus verbis explicatur eorum virtus, & potentia: hoc ergo vitę genus agent illis mille ducentis sexaginta diebus. Ex quo intelligimus, eorum prædicationem breuiorem esse futuram, quam imperium Antichristi, triginta diebus. Vnde fit verisimile, eos venturos, postquam Antichristus iam rerum omnium potitus fuerit, vt significat Aug. lib. 1. quæstionum Euang. q. 21. dicens vẽturum Eliam, vt restituat eos, quos persecutio Antichristi conturbauerat, clariusque id docet Anselmus in Elucidario. Et ratio adhiberi potest, quia hi sanctissimi viri venient, vt Antichristo resistant, ergo tunc veniẽt, quãdo persecutio Antichristi apertior erit, & potentior. Item, quia (vt ex eodem loco Apocaly. colligitur) paulo post mortem horum præcursorum peribit Antichristus, & cessabit persecutio eius: ergo, cùm hæc sit duratura mille ducentis sexaginta diebus, simul ferè cum illa, vel paulo post illam incipiet præcursorum prædicatio. Dices, quomodo poterunt tam breui tempore per vniuersum mundum prędicare. Respõdetur. Primo non oportet, vt vbique doceant: sed pręcipuê ea circuibunt loca, inquibus vel Antichristus ipse, vel potẽtiores eius ministri versabuntur. Deinde, non est credendum Henoch, & Eliam semper simul incessuros: sed verisimilius est, diuersas regiones peragraturos, donec diuino nutu in eum locum conueniant, vbi simul trucidandi sunt. Denique, credibile est non solum verbo, sed & scriptis consolaturos, & confirmaturos fideliũ animos quos etiã plurimum eriget fama virtutis eorum, & potentiæ aduersus Antichristum. Addũt quoq; aliqui, habituros discipulos, quos per vniuersum orbem mittant. Tertio dicitur, post hoc tempus interficientur ab Antichristo, & eorum corpora iacebunt in plateis Ierosolymitanæ vrbis per tres dies, & dimidium, in conspectu omnium inhabitantium terram illam, & gaudentium de eorum nece, qui non patientur eorũ tumulari corpora. Ita docetur satis aperte Apocalypsis. 11. Colligitur autem ex eodem loco, quanuis Antichristus à principio capitali eos odio prosequatur, non tamen machinaturum illis antea necem, quia propter incredibilem eorũ virtutem, & potentiam nullus præualebit contra illos, *etsi quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorũ.* Quibus verbis videtur alludere Ioannes ad historiam lib. 4. Regum cap. 1. vbi iubente Elia descendit ignis de cœlo, & interfecit ministros Regis: & ad verba Eccl. 48. *Surrexit Elias propheta, quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat, verbo* Domini *continuit cœlum, & deiecit a se ignẽ terræ.* Sic ergo potest ad literam in præsenti intelligi, quòd etiã tũc faciet descẽdere ignẽ de cœlo, quo se â suis hostibus tueatur: vel sub hoc signo possunt intelligi alij modi mirabiles quibus vtẽtur ad deterrẽdos inimicos. Postea verò, cùm tẽpus præfinitũ à Deo aduenerit, cessabunt ea signa stupenda facere, atq; ita interficiẽtur. Quod autem eorum corpora in publico loco inhumata relinquenda sint, licet ex ira, & odio inimicorum Christi futurum sit: fiet tamen ex speciali Dei prouidentia ad illustriorem fidei confirmationem. Quarto ergo additur, post tres dies, & dimidium esse surrecturos stupentibus hominibus, qui videbunt eos, & vocandos hac voce de cœlo, *Ascendite huc*, & statim ascensuros in cœlum in nube in conspectu omnium. Et subditur, *In illa hora factus est terræmotus magnus, & decima pars ciuitatis cecidit: & occisa sunt in terræmotu nomina hominũ septem millia, & reliqui in timorem sunt missi, & dederunt gloriam Deo cœli.* Quæ omnia adeò perspicua sunt vt non egeant expositione, atque ita (vt contextus præ se fert) ad literam intelligũtur ab omnibus patribus supra citatis.

Aug. Anselmus. Obiectio Responsio Apoc. 11. 4. Reg. 1. Eccle. 48. Apoc. 11.

SECTIO TERTIA.

Vtrum Ioannes Euangelista, vel aliquis alius præter Eliam, & Henoch futurus sit pręcursor secundi aduentus Christi domini.

DE tribus tantum alijs hominibus inuenio fuisse inter viros catholicos opinatũ, quod futuri sint Christi præcursores, vel simul cum Elia, & Henoch, vel loco alterius eorum. Prima ergo senten

sententia fuit Victorini in expos. cap. 11. Apocalyp. qui dixit, Ieremiam futurum esse vnum ex præcursoribus secundi aduentus, & videtur sentire, solum illum futurũ socium Eliæ. Quam opinionem plurimorum extitisse affirmat Hilarius can. 20. in Matth. Quæ niti potest verbis illis Ieremię, *Antequam exires de vulua, sanctificaui te, & Prophetam in gentibus dedi te*. Nam Ieremias hactenus non fuit Propheta gentiũ, sed Iudæorum: ergo iterum venturus est, ante diem iudicij, vt gentibus prophetet. Confirmat hoc Victorinus traditione veterum asserentium Ieremiam adhuc viuere, quia mors eius in scriptura non inuenitur. Hæc verò opinio meritô ab Hilario in prædicto loco reiicitur, & tacitè reprobatur ab omnibus Patribus supra citatis, qui dum affirmant, Henoch futurum sociũ Eliæ, & vbique duos tantum præcursores numerant, satis excludunt hanc opinionẽ. Præterea nullum habet in scriptura fundamentum. Quia Ieremias non prædicitur futurus Propheta in gẽtibus, quia aliquãdo esset concionaturus gentibus: sed quia vel non tantum in Iudæa, sed etiam in Babylonia, & Aegypto prophetauit, scribẽs ad Iudæos, qui ibi morabantur: vel etiam quia in sua prophetia non solum de rebus ad Iudęos spectantibus, sed etiam ad gentes prophetauit, nimirum de Assyriis, Aegyptiis, & aliis, vt ibi Hieronym. exponit. Multo verò magis friuolum est, asserere Ieremiam non esse mortuum, quia in scriptura mors eius nõ scribitur: quasi vero omnes illi, quorum decessum scriptura non narrat, propterea semper viuere existimãdi sint. Quod igitur in Aegypto lapidibus â populo obrutus, ac mortuus fuerit, scribũt Epiphan. lib. de prophetar. vita, & interitu, Isidorus lib. de vita, & morte Sanctorum, & Dorotheus in Synopsi, qui addunt, sepultum esse in eo loco, vbi Pharao habitauerat, & in magno honore eius sepulcrum ab Aegyptiis habitum: Igitur hęc opinio, vt improbabilis reiicienda est.

Hilarius. Ierem. 1.

Ieremias. Christi ad iudiciũ vniuersale venturi præcursor non futurus.

Hierony.

Epiphan. Isidorus, Dorothæus

Secunda sententia est, Moysem venturũ cum Elia. Hanc tenuit Hilarius dicto can. 20. in Matt. vbi affirmat eum viuere. Hãc sententiam quo ad hanc posteriorem partem supra tractauimus agentes de transfiguratione: quoad vtramque verò eam sequutus est Catharinus Genes. 3. & Ioãnes Arbor. in Theosophia lib. 11. cap. 11. Hi vero non affirmant, solum Moysem venturũ cum Elia, sed simul cum Henoch. Fertur etiam tenuisse hanc sentẽtiam Ioachimus Abbas, in expos. super Apocal. c. 11. & eãdẽ, licet diuerso modo, sequutus est Gagneius Apocaly. 11. Existimat enim, Moysem mortuum esse: suscitandum tamen eo tempore, vt secundum Christi aduentum præueniat. Fundamẽtum Hilarij fuit, quia in primo aduentu Elias, & Moyses fuerũt testes gloriæ, & maiestatis Christi in die transfigurationis: ergo iidem erunt testes eius ante secundum aduentum. Confirmat hoc Gagneius ex verbis illis Apocalyp. 11. *Potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga.* Hac enim potestate Moysem duntaxat vsum legimus, & ideo optimè in illum hęc verba conueniunt. Nihilominus hæc sententia parum probabilitatis habet, primũ propter antiquam ferè omnium veterum traditionem affirmãtium (vt vidimus) Henoch venturum cum Elia. Secundo quia supra ostendimus ex scriptura, Moysem defunctum esse, ex quo fit, animam eius & cum sanctis Patribus in Sinu Abrahæ fuisse ante Christi mortẽ, & post illam, cum eo regnare, esseque beatam (Quis enim temerè audebit ab hac generali regula fidei sanctam Moysis animam excipere sine autoritate, vel rationis fundamento?) Ergo non est verisimile rediturã ad corpus mortale, quia nec priuãda est gloria, quam iam possidet, nec in corpore mortali futura est beata. Vtrunque enim est inusitatum miraculum, quod sine magno fundamento fingendum non est, sicut supra de Henoch & Elia argumentabamur. Præterea, quod Moyses in transfiguratione Christi apparuerit, nullum argumentum est, quod sit etiam venturus ante iudicium. Quæ enim est huius consecutionis ratio? Tunc ergo apparuit propter speciales congruentias, tunc occurrẽtes, quas suo loco tetigimus. Illa autem verba Apocaly. licet videantur alludere ad signa facta per Moysem, in Aegypto: non tamen propterea indicant eundem Moysem venturum, qui tunc illa signa patrauit: sed solum significant, facile posse Christum similem potestatẽ suis præcursoribus tribuere.

Hilar.

Catharin. Ioã. Arbo.

Ioachim.

Gagne.

Gagn. Apocal. 11

Moyses secundi aduẽtus Christi pręcursor nõ futurus.

Tertia sententia est, Ioannem Euangelistam futurum esse præcursorem secundi aduentus Christi simul cum Henoch, & Elia. Quæ primo supponit, illum nõdum

esse

esse mortuum propter verba Christi Ioã. vltimo, *sic eum volo manere, donec veniã, quid ad te?* Nã ibi Christus de secundo suo aduentu loquitur, cum ait, *donec veniam*, quia non est alius aduentus Christi post resurrectionem eius: ergo ex voluntate Christi, sic, ideſt, sine morte mansurus fuit Ioãnes vsque ad secundum Christi aduentum, & ita verba Christi intellexere discipuli. Et confirmatur hæc sententia ex historijs. Quia nec mors Ioannis Euangelistæ narratur, nec reliquiæ corporis eius inueniũtur: sed solum refertur, quod viuus sepulcrum ingressus discipulos suos abire iusserit, qui altera die reuersi nihil ibi inuenerunt. Secundo hinc colligitur, eum adhuc manere in corpore mortali, & aliquãdo moriturum. Probatur primò ex illa generali sententia, *statutum est hominibus semel mori.* ad Hebr. 9. & Psalm. 88. *Quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem?* Ergo ab hac sententia non est excipiendus Ioannes sine fundamento: rediturus ergo est, vt debitum mortis soluat, sicut de Elia, & Henoch argumentantur Augus. lib. 9. Genes. ad liter. cap. 6. & D. Thom. ad Hebræ. 11. & hoc est, quod corrigere voluit ipsemet Ioannes dicto capit. vltimo, cum scripsit, *& non dixit Iesus non moritur, sed sic eum volo manere, donec veniam.* Quanquam enim rectè intellexissent, Ioannẽ ita mansurum vsque ad aduentum Domini, errabant inde colligentes, non moriturum, quia hoc non dixerat Christus, neque sequitur ex verbis eius. Nam verba illa, *donec veniam*, non sunt intelligenda inclusiue (vt sic dicã) sed exclusiue, ideſt, donec instet aduentus meus. Secundo confirmari hoc potest ex alijs verbis Christi Mat. 20. *Calicem quidem meum bibetis.* Vbi Chrysost. hom. 66. ita exponit, *Martirij corona potiemini, & violenta morte, sicuti & ego a vita discedetis.* Cum ergo hactenus Ioannes Euangelista non sit passus martyrium, vt hæc Christi verba impleantur: necesse est, vt aliquando martyrium vsque ad mortẽ sustineat. Et hinc tandem fit veri simile, vẽturum Ioannem cum Henoch, & Elia, vt in fine mundi Christo testimonium perhibeat. Quia neque in aliud tempus, neq; ad alium finem videtur posse reseruari. Et confirmatur ex. 10. cap. Apocal. vbi angelus dixit Ioanni, *Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis*: sed hoc hactenus impletum nõ est: erit ergo implẽdum saltem in cõsummatione mundi. Denique addi potest cõgruentia, quia testimonium Ioannis aptissimum erit, & efficacissimum, tum quia si venturi sunt testes legis naturę, & veteris, cur non etiam legis gratiæ? Tum etiam quia Ioannes erit testis oculatus, quique diutius cum Christo conuersatus est, & omnia quæ ad Antichristum, & diem iudicij spectant, fusius, quàm alius, prædixit. Atque hanc sententiam ex antiquis tenuit Hyppol. dict. orat. de consum. mundi eamque indicat Damascenus oratione de transfiguratione, vbi tractans verba illa Luc. 9. *Sunt de hic stantibus, qui non gustabũt mortem, donec videant filium hominis, in regno suo*, sic inquit, *sane si tanquam de vno dixisset, est quidam de hic stantibus, idem fortasse significari coniecissemus, quod per ea verba, sic eum volo manere, donec veniam quid ad te? Quod de Ioanne Theologo dictum est, vt qui vsq; ad Christi aduentum mortis omnino expers perstiturus sit, sic enim iam nonnulli præstanti eruditione viri hunc locum exposuerunt.* Eandem fere sententiam tenet Ambros. tractans eadẽ verba Luc. lib. 7. in lucam in principio. Et eã dem referunt Theophyl. Ioan. vltimo. & Euthym. in Matth. cap. 43. & vt probabilem relinquunt. Eam vero tenuit etiam Simeon Metaphra. in vita Ioan. ex recentioribus vero eam defendit Sabellicus lib. 1. de memorabilib. factis, & dictis cap. 8. & Georgius Trapezuntius libello circa dicta verba, *sic eum volo manere*, & Catharin. Genes. 2. Item Anton. 4. p. tt. 13. ca. 4. §. 3. pro hac sententia refert Theophylum, & Ioannem Dominicum, à qua ipse non discedit. Idem videtur sentire Freculphus in chronico, tom. 2. lib. 2. cap. 9.

Nihilominus probabilius apparet, Ioãnẽ euãgelistã mortuum esse. Primo quia antiquissimi Patres, & historiæ hoc testantur Euseb. li. 3. Histo. ca. 31. alias. 25. qui id refert ex Polycrate in epis. ad Victorem Põtificẽ, cuius verba valde notanda sunt. *In Asia præclara nostrę religionis tanquam semi naria morte consopita sunt, quæ resuscitabuntur in extremo die aduentus Domini*, Et infra, *His accedit Ioãnes, qui supra pectus domini recubuit, qui sacerdos, martyr, & doctor fuit, & Epheſi etiã obdormiuit.* Idẽ Euse. li. 5. c. 24. Hieron. li. de scrip. Eccles. *confectus* (inquit) *senio sexagesimo octauo post passionẽ domini anno mortuus, iuxta eandem vrbem sepultus est.* Quod repetit li. 1. contra Iouinianũ circa medium, & Matth.

Ioann. 21.
Hebræ. 9.
Psalm. 88
Aug.
D. Thom.
Ioann. 21.
Matth. 20
Apoc. 10.
Hippolyt.
Damasce.
Luc. 9.
Ambros.
Theophyl.
Euthym.
Sim. Meta.
Sabellic.
Trapezun.
Catharin.
Anton.
Freculph.
Euſebius.

Nicephor. & Matth.10.& Niceph.libr.1.Histor.c. 35.& lib.2.cap.42.Tertullian.lib. de anima cap.50. *Obiit & Ioannes, quem in aduentum Domini remansurum frustra fuerat spes.*

Tertullian.

Ambros: Ambros.lib.de fide resurrect.parum ante medium hanc sententiam insinuat, cũ dicit, *Neque quisquam sibi, vt sic maneret optauit. Ioanni promissum æstimatum est, sed non est creditum: verba tenemus, sententiam deriuamus. Ipse in libro negat sibi, quod nõ mereretur, esse promissum, nequem vana spes exemplo incesseret.*

Aug. Augustin.serm.549.de tempore dicit, *Ioannem obdormiisse sine vulnere, sine cruciatu,* & ita exponit verba Ioan.21.vt dicemus. Idẽ latius tractat, ac docet tract. 124. in Ioan.

Bed. Theophy. Euthym. Chrysost. Et ita etiam sentit Beda ibi, Theophyl. & Euthy. locis supracitatis, & Chrysost.hom.1. in Ioan. Dicit enim, Ioannẽ corpore quidem habitasse in Asia, animo verò in eũ secessisse locum, qui idoneus, & accommodatus ei esset, qui eiusmodi operaretur, vt Gentilium opiniones penitus aboleretur, sua autem in dies fierent clariora. Isidor.lib.de vita & obitu sanctorum, capit. 74. & Doroth.in synopsi in Ioanne, solũ dicit *Ioannem vixisse annos centum viginti, quibus finitis se ipsum Ephesi, viuus adhuc, volente Domino sepeliuit.* Quod apertius explicauit Epiphan.hæres.79.vbi cum Eliã, & Ioannem in virginitatis dono æquales fecisset, subdit. *Sed neque Elias adorandus est* (agit de latria) *etiam si in viuis sit, neque Ioannes quanquam per preces suas proprias dormitionem suã admirandam effecerit: imo potius ex Deo gratiam acceperit.* Præterea in Concilio Ephe. tom.3. cap.6. sic dicitur, *Sacras Sanctorum triumphatorumque martyrum: maximeuero beatissimi Ioannis Theologi, ac Euangelistæ reliquias videndi, easdemque complectendi desiderio flagrant,* & tomo 2.c.14. Cœlestinus Papa in Epistol.ad Synodum Ephesinam, *Ante omnia,* inquit, *vos præcipue considerare, iterũ atque iterum recolere decet, quibus Ioannes Apostolus prædicauit, cuius reliquias præsentes honoratis.* Idem fere habetur in 7.synod.act. 5.prope finem, vbi narratur miraculum de Ioanne Anachoreta. Ex iis ergo satis cõstat, & mortuum esse Ioãnem, & eius corpus Ephesi fuisse sepultum. Nã quod quidam finxerunt (vt Aug. & Isidor. supra referunt, Ioannem quidem verè fuisse sepultum: tamen viuum, & dormientem sub terra seruari, & incredibile est, & sine vllo fundamento confictum. Huic etiam sen-

Aug. Isidor.

A tentiæ Ecclesiæ autoritas magnam fidem facit, vt iam dicã. Neque ex verbis Christi domini aliquid sumi potest contra hanc receptam historiam, & traditionem. Vt enim omittam multa, quæ de multiplici lectione illius loci possent scribi, quę in recẽtioribus expositoribus illius loci, & apud Franciscum Lucam in suis notationibus videri possunt, quia si legatur *si*, vel, *sic*, vel *si sic eum volo manere*, non multũ refert, nec variat sensum verborum Christi. His igitur omissis tres sunt probabiles sensus: primus vt Christus non loquatur de secũdo suo aduentu ad iudicium, sed de aduentu ad vindictam sumendam de Iudęis non personali præsentia, sed per effectum. Iuxta quam expositionem significare voluit Christus, Ioannem viuum permansurum vsque ad destructionem Ierusalem. Hanc expositionem refert Theophy. eamque sequitur Franciscus Toletus. Secundus sensus est, Christum loquutũ esse de proprio aduentu, & vltimo: tamẽ nihil affirmasse, sed solum interrogando Petrum, conditionali locutione, illius curiositatem elusisse. Et hunc sensum videtur sequi Chrys. & apertius eum tradit Cyrillus. Tertius est, Christum solum affirmasse Ioannem non futurum sui sectatorem per crucẽ, & violentam mortem martyrij, & hoc sensu dixisse, *sic eum volo manere, donec veniam*, scilicet, vt ipsum ad me recipiam. Ita Aug. loci citatis, quem Beda, & D.Thom. super Ioan. imitantur.

Fran.Luc. Testimonij Ioann.21. Expositio. Theop. Tole. Chrysosto. Cyrill. Aug. Bed. D.Thom.

Ex hoc autem fundamento colligitur, Ioannem iam cum Christo regnare in beatitudine cœlesti, vt patet ex iis, quæ de Moyse dicebamus. Quia generalis fidei regula est, hominem iustum, ac perfectè purgatum, post mortem statim consequi beatitudinem. Et hoc plurimum confirmat Ecclesiæ traditio. Celebrat enim festum Ioannis euangelistæ, cùm neminem colat nisi beatũ Deòq; fruentẽ, & ita hoc aperte supponit in toto officio illius festiuitatis. Et hinc etiam confirmatur quod diximus de morte eius. Quia ante mortẽ corporis nullus hominũ beatitudinem ingreditur. Dixerunt verò aliqui, Ioannem non solum animo, sed etiam corpore iam esse beatum, non quòd absque morte media ad illum statum fuerit assumptus: sed quod statim post mortem resurrexerit gloriosus. Quod confirmant coniecturis supra adductis, quia reliquiæ eius non apparẽ-

Ioannes euangelistæ beatitudine iam fruitur.

&

& præterea, quia verba Christi videntur hoc modo proprius exponi. Nam propter breuitatem mortis, & accelerationem resurrectionis, potest dici sic semper manere, quia illa mors, quasi nihil reputatur: sicut supra in simili diximus, exponentes locum Pauli. 1. ad Thessalon. 4. Et huius sententiæ meminit Ambros. sermo. 20. in Psal. 118. & Hiero. in serm. de assumpt. ne que eam reijciunt: neque D. Thom. lect. 5 in cap. 21. Ioan. eamq; sequitur Nicepho. supra. Sed nullum habet sufficiens fundamentum. Quia ex antiquis patribus (quos retulimus) cõstat, reliquias eius diu Ephesi permansisse, quinimo Chrys. hom. 26. in epist. ad Hebr. cum dixisset, *Apostolorũ plurimorum ossa nescimus, vbi iacent*, subdit, *Petri & Pauli quidem, Ioannis, & Thomæ manifesta sunt sepulcra*: loquitur autem manifeste de sepulcro, in quo erant Ioannis ossa, quæ supponit Ephesi fuisse. Postea verò alio transferri potuerunt, & ignorari vel casu aliquo perire. Historia autem illa, quòd viuus ingressus fuerit sepulcrum, apocrypha est, & incerta maxime, si fidem adhibeamus Abdiæ, qui lib. 5. hist. Apostolicę in fine, aliter refert mortem eius, & illi se interfuisse affirmat. Et quanuis priorẽ historiam admittamus, ex ea solum habetur (quod supra ex Epiphanio retulimus) Ioannẽ singulari, & admirãdo quodammodo obijsse.

Ambros. *Hieronym.* *D. Thom.* *Nicephor.* *Chrysosto.* *Abdias.* *Epiphan.*

Atque ex his concluditur, Ioannem nõ esse venturum cũ Elia, & Henoch, vt sit præcursor vltimi iudicij, probatur ex dictis, applicando rationes supra adductas de Moyse, & Ieremia. Quia anima iã beata non est iterum vnienda corpori mortali, vt patiatur, præsertim cùm nullũ sit fundamentum ad hoc inusitatum miraculum confingendum. Vltimo concluditur, solũ Henoch, & Eliã futuros esse secundi Christi aduentus præcursores. Probatur àsufficienti enumeratione. Et omnia confirmãtur testimonio Apoca. 11. vbi duo tantum præcursores venturi, & sub Antichristo passuri dicuntur. Quod vero cap. 10. de se dicit Ioannes, se adhuc prophetaturũ gentibus, hunc habet sensum, q̃ in illa reuelatione, quam eo capite narrat, intellexisset se plures alias visiones propheticas ad varias gentes pertinentes deinceps habiturum, & scripturum. Alij exponunt, illud dictum esse propter euãgeliũ, quod postea scripsit, & per illud multis gentibus, A regnisque prophetauit. Alij simplicius dicunt, illud impletum fuisse cum iterum in Asia prædicauit, quando ex Insula Patmos, in quam fuerat relegatus, redijt.

Ioannes Euãgelistã se cundi aduẽtus Christi præcursor nonfuturus *Apoc. 11.*

Et ex his ferè satisfactum est fundamẽtis prioris sententiæ. Solum supereſt respondeamus ad illa verba Christi, *Calicem quidem meum bibetis.* Quibus respondet ibi Hierony. hoc impletum esse, quando Ioãnes in feruentis olei dolium missus est: vel Ephesi (vt scribit Abdias dicto lib. 5.) vel Romę (vt scribit Tertul. libr. de præscrip. hæreticor. cap. 36. & antiquissima Ecclesiæ Romanæ traditio confirmat) Nam licet tunc mortuus non fuerit: tamen quia & voluntarie se morti obtulit in testimonium fidei, & causa illa de se sufficiens erat ad mortem inferẽdam, nisi miraculosè esset impedita, id satis est, vt dicatur *bibisse calicem* Christi, propter quod sæpe ab Ecclesia *martyr* appellatur. Addit Euth. in Matt. cap. 43. calicem Christi bibere, non solum qui violenter mortuus est propter Christum: sed etiam, qui exilia, flagella, aliaque similia propter eum patitur, & sic certans vsque ad mortem perseuerat. Quę omnia cum magna perfectione, & dignitate in Ioanne reperiri manifestum est.

Responsio ad argumẽta in oppositum *Matth. 20* *Hierony.* *Abdias.* *Tertullia.* *Euthym.*

Ad vltimam verò congruentiam facile est respondere, in lege gratiæ tot esse testes Christi, & doctrinæ eius, vt non sit necessarium tũc nouum Ioannis testimonium. Erunt enim tunc multi Sancti, & prædicatores euangelij, qui Eliæ, & Henoch adhærebunt. Nec fidei testimonium pendet ex visione oculorum, vt propterea necessarius sit testis oculatus. Quod si hoc etiam concedere velimus aderit Elias, qui Christum vidit in carne mortali, & in gloriæ claritate in die transfigurationis.

DISPVTATIO LVI.

In quatuor sectiones distributa.

De signis, quæ præcedent aduentũ Christi ad iudicium.

SVpponimus, multa signa, & indicia antecessura esse diem iudicij. & aduẽtum Christi Domini, vt ex scriptura statim ostendemus. Quod (vt D. Thom. in 4. notauit) partim pertinuit ad Christi dignitatem, & gloriam aduentus eius, iuxta illud Aggæi. 2. *Adhuc modicum, & ego cõmouebo*

mouebo cœlum, & terram, & mare, & aridã, A
Agg.2. *& veniet desideratus cunctis gentibus.* Nam, licet intelligi hoc possit de primo aduentu, tamen potest etiam referri ad secundum,
Hebr. 12. ex Paul. ad Hebræ. 12. partim ad vtilitatem hominum, vt se præpararẽt ad iudicium. Dicemus igitur de illis signis, quæ in Scriptura sacra habent fundamentum. Cætera enim, quæ afferri solent, nullius sunt autoritatis, qualia sunt illa quindecim quæ ex Hieronym. referunt scholastici in
D. Thom. 4. D. Thom. dist. 48. quæs. 1. artic. 4. quæs.
Hierony. 1. & Sotus distin. 46. quæs. 2. articul. 1. Illa
Sot. enim neque apud Hieronymum reperi, & prædicti autores affirmant Hieronymum non ea referre ex propria sententia: sed ex
Euse. Emi. apocryphis quibusdam Iudæorum annalibus. Attigit autem illa Euseb. Emissen. ho
mil. in Dominicam secundam Aduentus, B
& (tacito nomine Hieronymi) inquit, ea in Annalibus Iudæorum scripta referri. Postquam vero ea retulit, subiungit, *Nos tamen iis quidem autoritatem non damus: ideo vero scripsimus, quia Euangelij verbis conuenire videntur.* Illis ergo, & aliis id genus prætermissis, signorum, quę in scriptura indicantur, quædam sunt valde generalia, & communia, quæ ferè quandiu Ecclesia Christi durat, diuersis temporibus accidunt, quanquam veluti per antonomasiam illi tempori, quod proximè iudiciũ antecedet, attribuantur. Huiusmodi sunt
Matth. 24 multa ex iis, quæ Matthæ. 24. narrantur, vt illud, *Multi venient in nomine meo dicentes: ego sum Christus, & multos seducent. Audituri estis prælia, & opiniones pręliorum, con* C
surget gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentiæ, & fames, & terræmotus, & alia huiusmodi: eiusdem generis sunt
1. Timo. 4 illa quæ narrat Paul. 1. ad Timoth. 4. *Spiritus autem manifeste dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam a fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis* Dæmoniorum, & 2. ad Timoth. 3. *In nouissimis die-*
2. Timot. 3 *bus instabunt tempora periculosa, & erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, blasphemi,* &c. Hæc igitur signa quia communia sunt, & per se satis clara, nulla demonstratione, aut explicatione indigent: declarãdo autem propria signa iudicij constabit, quomodo singulari modo, & per antonomasiam illi tempori attribuantur. Alia ergo sunt propria illius diei signa, quæ ad duo reuocari capita possunt. Quędam, quæ antecedent iudicium, & initium eius, id est, aduentum iudicis, & conuocationem iudicãdorum, quæ fiet angelica tuba personante: alia, quæ comitabuntur, vel inchoabunt ipsum iudicium, quorum signorum initium intelligi potest, futurum in prædicto sono tubæ, homines ad iudicium conuocantis. De iis posterioribus signis sermo erit disputatione sequẽti, hic solum de prioribus, de quibus Christus dixit, *Cum videritis hęc fieri, scitote, quia prope* Matt. 24.
est in ianuis. Possent autem meritò inter hæc signa numerari Antichristi Regnum, & persequutio, & aduentus, ac prædicatio Eliæ, & Henoch, de quibus propter materiæ amplitudinem proprias disputationes pręmisimus. Hic ergo expiicanda supersunt tria alia illustriora signa, quæ partim Antichristum antecedent, partim sequentur. Huiusmodi sunt prædicatio Euangelij per vniuersum mundum: euersio Romani imperij, atque Vrbis: cœlestes immutationes Solis, Lunæ, & Stellarum, ac Elementorum, & rerum omnium, de quibus, & de ordine, quo euentura sunt, disseremus.

SECTIO PRIMA.

Vtrum ante iudicium prędicandum sit Euangẽlium in vniuerso orbe: sitque hoc signum iudicij appropinquantis.

IN hac re vnum est certum, multa verò dubia. Certum quidem, ac de fide est, ante diem iudicij prædicandum esse Euangelium in vniuerso orbe. Hoc enim Matt. 24.
eisdem ferè verbis docuit, Christus, Matthæ. 24. idque aliis testimoniis postea cõ firmabitur. Tria verò ad hoc explicandum inquiri possunt. Primum, quomodo hæc vniuersalis prædicatio, intelligenda sit. Secundum quem effectum sit habitura, priusquam iudicium inchoetur. Tertium quando, quò ve ordine perficienda sit.

Circa primum, ratio dubitandi sumi Roman. 10
potest ex Paulo ad Roman. 10. dicente, *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrę verba eorum:* & ad Coloss. 1. Coloss. 1.
de verbo Euangelij, inquit, *quod peruenit ad uos, sicut & in vniuerso mundo est, & fructificat.* Iam ergo tempore Pauli prædicatum erat Euangelium in vniuerso orbe. Quòd si quis respondeat, per synedochen esse intelligendum in iis locis vniuersum

uersum orbem, qui tunc erat cognitus, vel qui Romano subiacebat imperio, sicut
Luc. 2. Luc. 2. dicitur, *Exiit edictum a Cesare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis*. Simili modo poterunt intelligi, verba Christi,
Matth. 24 Matth. 24. *Prædicabitur hoc Euangelium in vniuerso orbe*, & ita hoc non erit peculiare, sed valde commune signum futuri iudicij. Et auget difficultatem Chrysosto.
Chrysost homil. 76. in Matthæ. qui hæc verba Christi per illa loca Pauli interpretatur. Vnde, quod Christus subiungit, *Et tunc veniet consummatio*, non intelligit de consummatione mundi: sed de euersione Ierusalem. Nam de illa Christus sermonem fecerat, & de eadem fuerat à discipulis interrogatus, *Quando hæc erunt?* Quam expositionem sequuntur Theophyl. & Euthym. & eadem fuit expositio Hilarij canon. 25. in Matth. nec multum discrepat Hieronym. ibi, & Ambros. lib. 10. in Lucam, capit. de signis futuræ destructionis templi. Nam, licet de sæculi consummatione hoc signum intelligant: tamen existimant iam fuisse suo tempore impletum. *Non enim, puto* (ait Hieronymus) *aliquam remansisse gentem, quę Christi nomen ignoret, & quanquam non habuerit prędicatorem: tamen ex vicinis nationibus opinionem fidei non potest ignorare*. Vnde Anselmus, eandem sequens interpretationem huius vniuersalis prædicationis, consequenter exponit illa verba, *Tunc veniet consummatio*, his verbis, *Non dicit statim: sed non prius veniet consummatio ciuitatis, vel mundi.*

Theophyl. Euthym. Hilar. Hierony. Ambros. Anselmus,

Nihilominus dicendum est, verba Christi propriè esse intelligenda, de vniuerso orbe, atque de omnibus prouinciis, & locis, in quibus homines habitant, ita vt in omnibus illis prædicandum sit Euangelium, antequam Christus ad iudicium veniat. Hæc est sententia Augustin. multis in locis, præcipuè vero Epistol. 78. & 80, ad Hesychiũ, & libr. 2. de sermon. Domini in monte, cap. 10. & libr. de vnitate Eccles. cap. 15. & lib. 2. de consen. Euange. capit. 77. & lib. de agone Christiano cap. 29. Prosperi de Prædictio. & Promissio. Dei, par. 3. capit. 40. Et prius eam docuit Origenes tractat. 28. in Matthæ. vbi loquens de statu rerum in fine mũdi, sic inquit. *Et in hoc statu constitutis rebus, Euangelium, quod prius non fuerat prædicatum in toto mundo (multi enim non solũ barbararum, sed etiam nostrarum gentium vsque nunc non audierunt christianitatis verbum) tunc prædicabitur, vt omnis gens Euangelicam audiat prædicationem, & nemo derelinquatur, qui non audiuit.* Et inferius id latius prosequitur concludens, *Si quis temere dicere vult, prædicatum iam esse Euangelium in toto orbe in testimonium omnibus gentibus, consequenter dicere poterit iam finem venisse*. Idem sentit Damascen. lib. 4. cap. 27. vbi de Antichristo loquens inquit, *Primum itaque, quemadmodum Dominus dixit, Euangelium apud omnes gentes prædicari necesse est, ac tunc ille ad prodendam Iudæorum impietatem veniet*. Idem ferè affirmat Cyril. cate. 15. quanuis existimauit ipse, suo tempore prædicatum fuisse Euangelium ferè in vniuerso mundo. Optimè Theodoretus. 2. ad Thessalonic. 2. tractans illa verba, *Et nunc, quid detineat, scitis, vt reueletur in suo tempore*, sic enim exponit, *Cum didicisset Apostolus, dixisse Dominum oportere Euangelium prædicari in omnibus gentibus, & tunc finem futurum, videret autem adhuc vigere cultum idolorum, dixit sequens doctrinam Domini, fore, vt prius euertatur superstitio, & impius dęmonum cultus, & vbique fulgeat Diuina prędicatio, & tunc appareat veritatis aduersarius.* Idem sentit Grego. lib. 35. Moral. capit. 15. & apertius Beda Marc. 24. Ac denique Bernar. lib. 3. de consideration. ad Eugenium, & D. Thom. lect. 3. in ad Roman. 10. Secundo probari hoc potest ex prædictis verbis Christi. Dedit enim hoc tanquam signum consummationis mundi. Hoc nanque significat, cùm inquit, *Et tunc veniet consummatio*, sed nisi hoc intelligatur propriè de generali prædicatione per vniuersum mundum, nullius momenti esset hoc signum. Quia alio improprio modo, & per synecdochen ante mille quingentos annos prædicatum fuit Euangelium per vniuersum orbem, & nõdum venit consummatio. Nec potest conuenienter dici, Christum solum significasse non futuram sæculi consummationẽ, donec præcedat vniuersalis prędicatio. Nam verbum illud, *Et tunc veniet*, in sua proprietate, & rigore proximam consecutionem vnius post aliud significat, & quãquam necesse non sit, quòd sæculi consummatio, post vniuersalem prædicationem immediatè futura sit: tamen vt minimum significatur illo modo loquendi inter vnam rem, & aliam non interpositum iri magnam temporis moram: at duratio mille quingentis annis comprehen-

Damasce. Cyri. 2. Thess. 2. Theodore. Gre. Pap. Beda Bernardus D. Thom.

sa,longissima est:non igitur intelligi potest ille locus de prædicatione vniuersali, tam remotis seiuncta temporibus. Neque etiã videtur cõmodé exponi de sola euersione Ierusalem. Tum quia discipuli,teste Matthæo,nõ tãtũ de euersione Ieroso lymitana sciscitati sunt,sed dixerãt, *Quod signum aduentus tui,& consummationis sæculi?* & tamen Christus eorum interrogationi respondet.Deinde vtitur voce *consummationis* absolutè,& simpliciter,qua vniuersi potius,quam vnius ciuitatis tantum consummatio significatur. Præterea multa signa præbet,quæ non videntur antecessisse ante destructionẽ Ierusalẽ, vt illud, *Consurget gens contra gentem,regnum aduersus regnum,& terræmotus magni erunt per loca,& pestilentię,& fames,terroresque de cœlo,& signa magna erunt:*et illud, *Multi pseudoprophetæ surgent, & seducẽt multos,& quoniam abundabit iniquitas,refrigescet caritas multorum.* Hęc enim & similia,licet ex parte inchoata fuerint à principio nascẽtis Ecclesia:integre tamen,& prout à Christo videntur prędicta,nõ nisi in toto progressu Ecclesię videntur impleri.Deniq; addit Christus, Euangeliũ esse prædicandũ in vniuerso orbe *in testimonium omnibus gentibus,*vt nimirũ in die iudicij nulla sit gẽs, quæ excusari ex eo possit, quod sibi non fuerit Euangelium prædicatum: ergo loquitur propriê de vniuersali prædicatione.Tertio probat hoc Aug. ex illis locis veteris testamenti,in quibus promissa est Christo omnium gentium, nationumque possessio,dominium,ac veneratio,Ps.71. *Dominabitur a mari vsque ad mare,& a flumine vsque ad terminos orbis terrarum:* Psal. 85. *Omnes gentes,quascunque fecisti,venient,& adorabunt coram te* Domine: Sophon.2.*Et adorabunt eum omnes de loco suo, omnes insulę gẽtium:* Malach.1.*Ab ortu Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus,& in omni loco sacrificatur,& offertur nomini meo oratio munda.* Ergo oportet,vt ante mundi consummationẽ Christus per Euangelij prædicationem,totius mũdi possessionẽ, & dominatum accipiat. Et confirmatur, quia pro omnibus mortuus est Christus, & ex omnibus gentibus,populis, & linguis aliquos saluabit,vt dicitur Apoc. 7. omnes iudicabit:ergo ad omnes etiã Euãgelij prædicatio diffundetur. Vltimo ex ijs,quæ in discursu Ecclesiæ vsq; ad nostra tẽpora gesta conspicimus nõ obscure

Vniuersalis Euangelij prædicatio instatis iudicij signum,& cõsummationis sæculi.

Matt.24.

Aug.

Psalm. 71

Psalm.85

Sophon.2.

Malach.1.

Apocal.7.

A declaratur,hanc Christi prædicationẽ nõ modo Apostolorũ tempore, verũ neque vsque ad hanc ætatem esse impletam , sed paulatim impleri:atque adeò non esse mũdum finiendum,donec integre cõpleatur. Nam & Origenes,& Aug.citatis locis referũt,suis tẽporibus nõfuisse prædicatum Euangelium in vniuerso orbe,& (ne vetera repetamus)constat,nostra ætate inuentas esse plures prouincias,ad quas prędicatio Euangelij nunquam peruenerat, cũ illæ neque Apostolis,neque ante nostram fuerint ętatẽ cognitæ.Nunc aũt videmus in eis Ecclesiam esse diffusam,&quotidie nouas nationes inueniri,ianuamque paulatim aperiri ad prædicandum eis Euangelium,cuius neque notitia, neque vestigiũ in ipsis reperitur. Ergo vniuersalis hæc
B prędicatio Euangelii intelligẽda est propriè,ac simpliciter de toto orbe.

Ad difficultatem aũt propositam respõdet primo Aug. Paulum in illo loco ad Rom.10.more prophetico, quod futurũ erat,tanquam iam factũ prędixisse, sicut & Dauid eodem genere loquutionis de prętcrito dixit,*In omnem terram exiuit sonus eorum.*Ad alium verò locũ ad Colossen.1. respondet,Paulum nõ asserere Euangeliũ totum mundum occupasse actu, sed virtute.Quia ita seminatum erat,vt in toto mũdo fructificaret iã iã,crescereturque.Quare posterior hic locus difficultatẽ nõ habet: in priori vero nonnulla est difficultas.

Responsio ad argumẽta in oppositum Aug.

Quia Paulus ibi rationẽ reddit,cur essent
C etiã suo tẽpore inexcusabiles,qui in Christum non credebant.Vnde,cùm sibi obiciesset,*Nunquid non audierunt?* Respondet,*& quidẽ in omnem terram exiuit sonus eorum.* Ergo necesse est,vt loquatur de re iamfacta, alioqui nõ ostẽderet,quomodo essent inexcusabiles homines,qui tunc viuebant, sed,qui futuri postessent,quãdo illa impleretur prophetia.Ideo aliter responderi potest ex verbis Hieron.supra citatis,so nũ Euangelii dupliciter posse peruenire ad aliquos,primo per proprios prędicatores,& sufficientẽ Euangelii propositionem,& hoc modo nondum peruenisse Euangelium ad vniuersum mundum, peruenturum tñ aliquando:alio modo per so lam famam ab iis locis emanãtem, in quibus Euangelium prædicatum est, & hoc modo intelligi Paulum,cùm ait, *In omnem terram exiuit sonus eorum.*Ita fere D. Tho. supra,& Ambr.Sed hæc etiam responsio

Testimonij Pauli ad Roma.10 Expositio.

Hieronym.

D.Thom. Ambros:

diffi-

difficultatem habet. Tum quia sonus euãgelij per solum rumorem, ac famam non videtur esse satis, vt homines fiant inexcusabiles, nisi fortasse talis, tamque probabilis sit, vt eos obliget ad inquirendam veritatẽ: tum maxime quia neque hoc modo percrebuerat tunc sonus euãgelij per omnes mundi prouincias: sed ad summũ per prouincias in hoc nostro orbe notissimas. Ergo necessario fatendũ videtur, Paulum de hoc solum fuisse loquutum. Quod etiã videtur maximè consentaneũ intentioni eius. Nam potissimum intendebat cõuincere Iudæos, & de eis loquitur, cùm dicit, *Nunquid non audierunt*? vt exponunt Theodoret. & Ambros. & licet exponatur de gentibus, loquitur tamẽ de eis, interquos versabatur, & hos dicit, esse inexcusabiles, quia vel audierunt, vel facile audire potuerunt euangelij vocem, quæ per totum orbem insonuerat. Hac igitur expositione admissa, negatur, eandem posse applicari ad verba Christi, quia in loco Pauli circũstantiæ contextus, & materia, de qua agitur, nos cogũt, vt per tropum, & synecdochen verba illa exponamus: at vero in verbis Christi, in primis nulla est necessitas, & ideo, ex regula generali exponẽdi scripturam, proprietas verborum tenenda est. Deinde circunstantiæ sermonis Christi potius nos ad hanc intelligentiam inducunt. Ac denique consonantia scripturarum eã valde confirmat. Cùm enim Christus dixit Apostolis Matt. vlt. *Euntes docete omnes gentes*, vel clarius Marc. vlt. *Euntes in mundum vniuersum prędicate Euangeliũ omni creaturę*, non est loquutus per synecdochen, sed propriè. Nam re vera in vniuersum orbem dedit potestatem Apostolis, eorumque successoribus. Huic etiã veritati concordant veteres prophetiæ supra adductæ, & aliæ, quæ videri possunt Isai. 66. & Ezech. 11. & 37.

Sed adhuc superest aliquid addendum prædicto loco Pauli, quo hæc veritas magis confirmetur. Videtur enim huic vltimæ expositioni obstare, quòd cùm Paulus verba Psalmistæ vsurpet, eodem sensu, quo ille, loqui, credendus est: at in Psalmo 18. verba illa, *In omnem terram exiuit sonus eorum*, propriè, & in rigore intelliguntur de vniuersa terra. Nam ad literã ibi est sermo de cœlis, qui per vniuersum orbem enarrant gloriam Dei, in sensu vero mystico de Apostolis: ergo eodem modo loquutus est Paulus. Ex qua obiectione in primis sũmimus, quòd sicut prædicatio cœlorum in omnem terram exiuit: ita euangelij prædicatio aliquando exitura est. Nam Psalmista (exponente Paulo) hoc prædixit sub illa figura. Vnde vlterius elicimus (exponendo simul Augustini sententiam) Paulum eodem sensu esse loquutum: ita tamen, vt non docuerit, illã prophetiam iam omnino esse impletam, sed ceptam impleri, ita vt ea ratione fierẽt inexcusabiles vel Iudæi, vel Gentiles, ad quos verbum euangelij peruenerat.

Ad Chrysostomum, & alios Patres citatos, nõ negamus, quin Christus dominus in eo cap. Matt. 24. euersionem Ierosolymitanam, multaque signa, quę eam præcesserunt; prædixerit, & ita hunc sensum interdum Sancti declarãt: tamẽ negari quoque nequit, quin de aduentu suo ad iudicium, & de signis, quæ illum antecedent, multa ibi tractauerit: vel quia discipuli existimantes, euersionem Ierosolymitanã nõ esse futuram vsque ad secundum Christi aduentum, simul de vtraque consummatione interrogauerant (vt ibi D. Tho. notat) vel quia Ierosolymatana euersio, & signa eius futura erant quasi imago quędã diuinæ vindictæ in die iudicii futuræ: solet autem diuina Scriptura futurorũ veritatẽ in figuris præmittere, ac præsignificare, simulque multa dicere, quæ & in rem illã, quę figura est aptè cõueniant, & in re repręsentata perfectius euentura sint. Sic Psal. 71. principalis est sermo de Christo, in persona Salomonis, qui fuit eius figura, & multa in eo dicuntur, quæ & Salomoni, & Christo quadrare possunt: aliqua soli Christo. Sic etiam Daniel. 11. de Antichristo, & de Antiocho simul est sermo & Isai. 14. de Nabuchodonosor, & Lucifero, & de Babylone, & Mundo, vt ibi notat Hieronym. & similia sunt multa scripturę exẽpla. Adhũc ergo Modũ loquutus est Christus dominus in eo capite prædicens signa, & terrores iudicii simul cum Ierosolymitano excidio. Qua propter licet aliqua verba interdum exponantur à Patribus de euersione Ierusalẽ, nõ excluditur, quin exponi possint de vltimo iudicio, præsertim si secundum proprium verborum sensum, illi melius accõmodẽtur. De qua re legi potest Chrysost. hom. 11. in Matt. circa illa verba, *Paleas autem comburet igni inextinguibili*, vbi tradit regulam

Theodore. Ambros.

Matth. 28 Marc. 16.

Isaias. 66. Ezech. 11. & 37

Obiectio.

Responsio.

Psalm. 71.

Dani. 11.

Isai. 14.

Hieronym.

Chrysost.

generalem seruandã in Scriptura, scilicet, A *Christum sæpe in eisdem rebus duas prophetias pariter collocare, quarum vnã hic impleat, alterã spõdeat in futuro, vt ab ijs, qui de promissionibus eius pertinacius dubitant, ex hac, quæ iam facta est, etiã illa, quæ nondum facta est, credatur implenda.*

Superest vero exponedũ (quod secundo loco proposuimus) quis nã sit expectãdus effectus huius vniuersalis prædicationis, id est, an non solũ prædicandũ sit Euãgeliũ in vniuerso orbe: sed etiã ab omnibus sit recipiendũ, ita vt totus orbis ad Christũ cõuertẽdus sit, & religionẽ Christianã professurus, antequã adueniat dies Domini. Ratio dubitandi est, quia Christus non dixit, *Credetur hoc Euangelium in vniuerso orbe*, sed, *prędicabitur*: nec dixit, prædicabitur vt oẽs credant, sed *in testimonium omnibus gentibus*, id est, vt qui noluerint credere, nullã excusationẽ habeant (vt omnes exponunt,) ergo nõ constat, Euangeliũ vbiq; esse suscipiendũ, sed prædicãdũ tantũ. In contrarium aũt facere videntur omnia, quæ pro Augustini senttẽia paulo ante adduximus, de promissionibus Christo factis, *Dominabitur a mari vsque ad mare*: & de vniuersali tã gentiũ, quàm Iudæorum conuersione. Et de priori quidẽ multa supra retulimus ex Dauide, Isa. Ezech. de posteriori verò est clara prędictio Isai. cap. 11. *Et erit, in die illa adijciet Dominus secundo manum suam, ad possidendum residuum populi sui*, vt Hieron. Cyril. Basi. & alij exponunt. De vtraque verò est expressum testimoniũ Pauli ad Rom. 11. *Nolo .n. vos ignorare fratres mysterium hoc, vt non sitis vobis ipsis sapientes, quia cęcitas ex parte contigit in Israel, donec intraret plenitudo gẽtium, & sic omnis Israel saluus fieret.* Quod etiam videtur significasse Ioan. c. 11. exponens sensum ab Spiritusancto intentũ in verbis illis Caiphę, *Expedit, vt vnus moriatur homo pro populo, vt non tota gens pereat, Prophetauit* (inquit) *quod Iesus erat moriturus pro gente*, id est, pro Iudæis, *& non tantum pro gente, sed, vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum*, id est, vt omnes tam Iudæos, quã gentes in vnam Ecclesiam cogeret. Quod etiam confirmant verba illa Christi, *Alias oues habeo, quę non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.* Sic etiam de vtroque populo prædictum erat Psal. 58. *Dominabitur Iacob, & finium terrę*, & Sophon. 3. *Tunc* (loquitur de die iudicij) *reddam populis labium electũ, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno*, & postea hanc conuersionem tam gentium, quàm Iudæorum late describit. Et confirmatur tandẽ ex Paulo. 2. ad Thess. 2. dicente, *Nisi venerit discessio primum*, seu apostasia. Supponere enim videtur, prius vniuersum orbẽ futurũ esse vnius Christianæ religionis: postea vero aduentu Antichristi maiori ex parte à Christo recessurum.

Isai. 11. *Hieronym. Cyr, Basilius.* *Roman. 11* *Ioann. 11.* *Ioannes. 10* *Psalm. 58* *Sophon. 3.* *2. Thess. 2.*

In hac re nihil video esse in Scriptura perspicue prædictum, neque ab antiquis Doctoribus traditum: ex ijs verò, quæ dicta sunt, hæc vidẽtur colligi verisimiliora. Primo ita esse Euangelium per vniuersum orbẽ prædicandũ, vt vbique, id est, in omnibus regionibus, & præcipuis prouincijs templa fundentur, & Christiana religio recipiatur, & exerceatur, & hoc modo Christus vbique agnoscatur, & colatur. Hæc est sententia Aug. citatis locis, & eandẽ significant reliqui Patres citati, & hoc probant testimonia prophetarum, qualia etiam sunt elegantissima apud Isa. capit. 2. & apud Mich. c. 4. Præterea facit, quod supra ex Apoc. 7. adduximus, ex omni populo, & omni lingua aliquos esse saluandos. Denique per se, ac sine alia probatione verisimile est, si Euangelium vbiq; est prædicandum nõ solũ per famã, & rumorẽ, sed per proprios prædicatores, vbiq; etiã fructificaturũ, atque adeo vbique esse Ecclesiã propagãdam, & fundandã. Quod etiam euentus ipsarum rerũ, quas experimur, satis confirmat. Hoc .n. modo, & fructu videmus, Euangelium esse disseminatũ in remotissimis regionibus, de quibus ante centum annos vix esse potuisset humana spes. Qua propter eundẽ modo in cęteris regionibus sperare licet exitum. Neque huic veritati dissonãt verba Christi, quia Euangelium vbique prædicatum erit in testimonium omnibus: in testimonium quidem præmii, ac mercedis iis qui credunt: in testimonium aũt iudicii, & cõdemnationis iis, qui non credunt.

Aug. *Isaias. 2.* *Mich. 4* *Apoca. 7.*

Vnde secundò dicendum est, licet vbique sit fundanda, & propaganda Ecclesia: non tamẽ omnes in vniuersum homines esse credituros. Hoc enim nec necessarium est, neque vllo testimonio probabili affirmari potest, neque est consentaneum humano ingenio, ac libertati, nec expe-

experientiæ, nec modo Diuinæ prædestinationis, quæ ita videtur res hominũ disposuisse, ordinasse, ac permisisse, vt semper sint inter eos boni, & mali, fideles, & infideles. Quod variis parabolis in Euangelio Christus significauit, & in omnibus indicat, hanc permixtionẽ vsq; ad finẽ mundi duraturã. Quo circa licet per hanc vniuersalem prædicationẽ ex omnibus nationibus aliqui sint cõuertẽdi, non tamẽ necesse est, vt omnes homines cuiusuis nationis cõuertantur, vt recte notauit Francisc. Ribera Mich. 4. citãs Lyranum, & Adrianũ Finum lib 7. c. 5. Neque etiã mihi cõstat, an vbiq; sit idololatria tollẽda. Fieri enim potest, vt in eisdem prouinciis, vel ciuitatibus fundẽtur Ecclesiæ Christianorũ, & tamẽ idolorum templa nõ euertãtur, vt in principio Ecclesiæ accidit, & nũc in Iaponia conspicimus. Et hoc satis esset ad complementum huius prædictionis, & signi, de quo agimus, quanuis non constet, an sit maiorem effectum habiturum.

Ribera. *Lyra* *Adrianus.*

Iudæorum conuersio quando futura.

Hinc addo tertio, per hãc vniuersalẽ prædicationẽ, quæ antecessura est aduẽtum Antichristi, nõ esse cõsummandam Iudæorũ cõuersionem à Paulo, aliisq; prædictã. Neque enim id necessariũ est ad vniuersalem prædicationẽ, vt dixi. Colligitur autẽ hoc aperte ex iis, quę supradiximus de aduẽtu Antichristi, scilicet, cũ à Iudæis præcipue esse suscipiẽdum, sicut Christus prædixit Ioan. 5. quia in pœnam cæcitatis, & incredulitatis eorũ maximè venturus est, teste Paulo. 2. ad Thessal. 2. nõ ergo erũt tunc Iudæi ad fidẽ cõuersi. Et ita supponũt Cyril. cat. 15. Damascen. lib. 4. c. 17. Hippo. de consum. mũdi, Aug. 20. de Ciui. c. 29. Verũ est, statim c. 30. circa finẽ, sentire, aduẽtũ Eliæ, & cõuersionẽ Iudæorũ fore ante Antichristũ. Potest aũt exponi, idest, ante finitã persecutionẽ Antichristi, nõ vero ante inchoatã, quia ante inchoatã nõ põt esse verũ, vt patet ex supradictis de aduẽtu Eliæ. Idẽ docet Hilar. c. 26. in Matt. vbi, ait *Sicut pars Iudæorum per Apostolos credidit, ita est creditura per Eliam.* Idem Theodoret. & Anselm. ad Rom. 11. Cõuersio ergo illa Iudæorũ cõsummãda est postea per prædicationẽ Eliæ, & Henoch, vt iidẽ Patres notãt, & Hiero. in id psalm. 20. *In reliquiis tuis præparabis vultum eorum.* Et colligitur ex istis verbis Christi Matt. 17. *Elias venturus est, & restituet omnia,* & ex aliis supra adductis, Malach. 4. & Apocal. 11. Et cõfirmari potest Ioel. 3 *Ecce in diebus illis, & in tempore illo, cum convertero captiuitatem Iuda, & Ierusalem, congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat.* Vbi aperte dicitur, post Iudæorũ cõuersionem statim futurũ esse iudicium. Erit ergo Iudæorũ cõuersio proxime ante iudiciũ, eodẽ tempore, quo acrius Antichristus Ecclesiã Dei persequetur. Erit autẽ facile, tam breui tẽpore Iudæos per Eliam cõuerti, quia verisimile est, audita fama Antichristi, & quòd à suis receptus sit vt Messias, & quòd Ierusalem ac templũ reædificat, ex vniuerso orbe Iudæos oẽs confluxuros Ierusalẽ, seu in eam regionem, vbi potissimum Antichristus imperabit: illuc ergo aduenies Elias facili negotio docebit vniuersos. Præterea sanctitatẽ autem Eliæ, & vim, efficaciamq; dicẽdi, atque operãdi, erit ex parte Iudæorum apta dispositio ad veritatem suscipiẽdam, quòd experimẽto cognoscant, se esse ab Antichristo deceptos, quoniã nõ ad veri Dei cultũ, sed ad se adorãdum, vt Deum omnes allicere conabitur. Et (quod præcipuum est) Deus speciali gratia concurret ad illuminãdos illos. Nõ cogimur autẽ dicere, cunctos omnino Iudæos esse cõuertendos, & credituros in Christũ: sed solũ eos, qui ad æterna vitam fuerint prædestinati, iuxta illud Dan. 12. *In tempore illo saluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro.* Soli ergo illi credẽt, fidẽ scilicet viuã, & stabilẽ, ac permanẽtẽ vsque ad finem. Nõ est autem, cur dicamus, omnes Iudæos, qui tũc viuent, fore prædestinatos vel ad æternã vitã, vel ad fidem. Quia verò aliquid specialius illo tẽpore promittitur, credendũ est, maiori ex parte tunc fore Iudæos conuertẽdos, quod notauit Oecum. ad Roman. 11. dicens, *Vere omnis Israel saluus erit, id est, plures quidem auertentur à peccatis, & conuertentur ad ipsum,* & idem, significat Theophyl. ibidem.

Ioannes. 5. *2. Thess. 2.* *Cyri.* *Damasce.* *Hippolyt.* *Aug.* *Hilar.* *Theodor.* *Anselmus.* *Hierony.* *Matt. 17.* *Malach. 4* *Apoca. 11* *Ioel. 3.* *Dani. 12.* *Oecumen.* *Theophyl.*

Quarto, nõ videtur necessariũ, vt per hãc vniuersalẽ Euangelij prædicationem efficiatur, vt aliquo tempore ante iudiciũ vniuersus mũdus, totus simul in Christũ credat, & catholicã amplectatur religionem. Nam Christi prædictio, in qua signũ hoc potissimũ fundatur, satis verificatur, si paulatim, & successiue Euãgeliũ in vniuerso mũdo prædicetur, quãuis fortasse, cum ad vnã partẽ orbis peruenerit, alia, quæ illud audierat, & susceperat, vel per hæresim, vel per paganismũ, aut aliud apostasiæ genus

ab illo discedat. Quamobrem non videtur necessariũ, vt propter hoc signum futuri iudicij dicamus, antequã Christus ad iudicandũ veniat, in tota Asia, vel Africa iterum esse prædicandũ Euangeliũ, atque omnes illas gentes prius esse ad fidẽ conuertẽdas. Cùm enim iam in ijs prouincijs prædicatũ sit Euangeliũ, fundataq; Ecclesia, & ex illis gentibus multi fuerint salutem consequuti, ex nulla prophetia, aut Scripturæ testimonio colligi potest, iterũ esse ibi prædicandum, aut illas gentes iterũ ad fidem cõuertendas. Quare, licet definitè negari nõ possit, ita esse futurum, quia hoc etiã ignoratur: tñ neq; affirmari potest, cùm non sit reuelatum. Illa enim verba Ioannis. 10. *Erit vnum ouile, & vnus pastor*, non significant, fore aliquando, vt vniuersus orbis, & omnes homines sint intra Ecclesiã, ita vt nullus sit infidelis, sicque constituant vnum ouile sub vno pastore Christo, & vicario eius. Nã Christus ibi de hoc nõ differebat, sed solũ prædixit futuram gentiũ conuersionem, & ex gentibus, & Iudæis constituendum esse vnũ ouile, atque vnam Ecclesiam vniuersalem, & catholicam, quæ (quod in se est) omnes complectatur. Quod autem plures, vel pauciores diuersis temporibus, vel ex gentibus, vel ex Iudæis intra hanc Ecclesiam per fidẽ congregandi sint, de hoc nihil Christus affirmauit. Quanquã (si verba eius interpretemur nõ absolute de hominibus, sed de ouibus specialiter electis, ac prędestinatis) de illisverũ est, omnes semper adduci ad ouile Ecclesiæ, extra quam non est salus, quanuis non ex solis illis Christi ouile constituatur. Neque etiam ex illo testimonio Pauli, N*isi venerit discessio primum*, colligi potest, ante aduẽtũ Antichristi aliquãdo omnes homnes futuros esse fideles. Primum quia (vt supra dixi) aliqui probabiliter exponunt hanc discessionem nõ ab Ecclesia, sed ab imperio Romano. Deinde quia multi per, *discessionẽ*, intelligũt ipsum Antichristũ, vel apostasiam, tempore persequutionis eius in Ecclesia futurã, vt patet ex Theodor. & Oecum. ibi. Et Aug. 20. de Ciuit. c. 19. ibi pro *discessione transfugã*, vertit. Deniq; quia licet demus, *discessionem*, significare ibi magnam quandã apostasiã futuram, antequam veniat Antichristus, non inde fit, ante illam vniuersum mundum, & omnes prorsus homines futuros fideles. Potest. n. talis discessio esse à Põtifice Romano, & à catholica Ecclesia in quibuscunq; regionibus, vel hominibus extiterit: sic aũt quasi per antonomasiam appellari potuit, quia fortasse maxima ex parte Ecclesia deficiet. De qua re iterum sectionibus sequentibus redibit sermo.

Ioann. 10.

2. Thess. 2.

Theodore. Oecumen. Aug.

Vltimo supererat explicandum, quod tertio loco est propositum, scilicet, quo tẽpore, & ordine hæc vniuersalis prædicatio futura sit, sed in hac re pauca á nobis dici possunt. Nã quę in futurum pendẽt, & prẽsertim, quæ pertinent ad tempora iudicii, & consummationis mundi, nobis sunt incognita, vt diximus. Tria verò ex iis, quæ hactenus dicta sunt, colligi possunt. Vnũ est, hanc prædicationem ab initio Ecclesiæ esse inchoatam, & quotidie magis, ac magis perfici, vt experientia docet. Alterum est, hanc vniuersalem prædicationem extensiuè (vt sic dicam) consummandam esse in toto orbe ante persequutionem Antichristi, eiusque aduentũ vt rectè docent Aug. & alii Patres supra citati. Et facile conuinci potest, si, quæ supra dicta sunt de regno Antichristi, considerentur. Nam eo tempore, quo Antichristus regnauerit, non solum non poterit Ecclesia propagari, aut Euangelii prædicatio ad nouas regiones deferri: verum potius vbi Ecclesia fuerit, maxima ex parte deficiet, & fideles, qui perseuerauerint, vix poterunt religionis cultum publice profiteri, nedum ad conuertendas nouas prouincias mitti. Post mortẽ verò Antichristi tempus erit breuissimũ (vt supra etiam dictum est) ergo post aduentum illius nõ poterit vniuersalis hæc prædicatio absolui: necesse est ergo, vt ante eius aduentum perficiatur. Quin potius hac ratione conuincimur, vt existimemus, hanc prædicationem absoluendam esse, antequam in Romana Ecclesia, vel imperio fiat magna aliqua mutatio tẽporalis, aut euersio, de qua Sect. sequenti dicendum est. Quia vt Euangelium in toto orbe tãdem aliquando cõmode diuulgari possit, necesse est, vt dignitas Romanæ Ecclesię suum splendorem, potestatemq; non solũ spiritualem, & diuinam, sed etiam temporalem retineat, vel saltem vt in eius obedientia catholici Reges, ac potentes Principes perseuerent, quorum auxilio, & opo ad fidem propagãdam vti possit. Quocirca inter signa propria futuri iudicii hoc,

Vniuersalis per orbẽ Euangelij promulgatio quando, quomodove futura.

de quo

de quo hactenus diximus, videtur esse primum, & ante omnia implendum, vt ex sequentibus amplius cõstabit. Tertium est, post impletã hanc vniuersalẽ prædicationẽ Euangelij, non multo post futurũ Antichristi aduentum, & vltimã Ecclesiæ persecutionem, ac denique mundi consummationem. Hoc colligitur ex illis Christi verbis, *& tunc veniet consummatio*. Quanto autẽ post ventura sit, incertum nobis est, vt recte dixit Aug. dicta epist. 78. & 80.

Matt. 24.
Aug.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum ante iudicium, & proxime ante aduentum Antichristi Romana ciuitas euertẽda, Romanumque Imperiũ omnino extinguẽdũ sit.

QVæstionem hanc superius breuiter attigimus, quoniã necessarium fuit ad ostendendum, Antichristũ nondum venisse: nunc autẽ fusius, & ex propriis principiis est á nobis explicãda, quoniam & est huius loci maxime propria, & non parum difficilis, & ad intelligenda nonnulla scripturæ loca, aliasque theologicas quæstiones valde vtilis esse potest.

Quòd igitur Romanũ imperium extinguendum sit in aduentu Antichristi, supra ex cõmuni Patrũ traditione suppositimus: nunc aũt plura circa hoc inquirẽda, declarandaque supersunt. Primũ, quo scripturę fundamẽto hoc nitatur, nullũ enim firmũ inuenitur. Duo etenim adduci solent. Primũ est illud 2. ad Thess. 2. *Nisi venerit discessio primum*, quod de euersione Romani imperij interpretatur Hieron. q. 11. ad Algas. & Ambros. & Primasius, ibi, & Tertul. li. de resurrect. carn. c. 24. Hoc verò nullius momẽti esse videtur, primo quia (vt sæpe dictũ est) hic locus melius intelligitur de spirituali discessione, & apostasia à fide, & ab spirituali imperio Romani Põtificis, in quod tẽporale imperiũ mutatũ est, vt eleganter dixit Leo Papa serm. 1. de Apostolis Petro, & Paulo, & ita exponũt Chrys. & Græci, qui ipsum Antichristũ per, *discessionem*, significari intelligunt. Idem fere Aug. 20. de Ciuit. c. 19. Secũdo quia discessio nõ significat integrã extinctionẽ, sed separationẽ, & diuisionẽ: si ergo Paul. loquitur de discessione a temporali imperio Romano, hæc ante multa tẽpora facta est. Deficere enim cepit hoc imperiũ, & dissipari, vel quãdo Oriẽtale imperium ad Turcas translatũ est: vel quando imperium in Occidente à Gothis, & Vãdalis vastari, & occupari cepit, & ipsa Romana ciuitas à Gothis capta est. De qua re Blõdus decad. 1. & Sabellicus Aenead. 7. libro. 9. & Aenead. 8. lib. 1. & sequent. & Orosius lib. 2. & 7. suæ historię, & alij, qui de rebus Romanis scribunt. Secundũ est, quod de diuisione Romani imperij in decẽ Regna à Daniel. c. 7. scribitur: sed ex hoc loco non colligitur, imperiũ Romanũ esse omnino extinguendũ prius, quã Antichristus veniat. Primo, quia rectè intelligi potest imperiũ illud esse diuisum in decẽ regna, & tñ Romanũ imperiũ non esse omnino extinctũ. Sicut nũc diuisum illud cernimus in plura regna, quæ fortasse iã ad denariũ numerũ peruenerũt, & tamẽ adhuc imperiũ Romanũ suã retinet dignitatẽ, propter quã omnes Christianos Reges antecellit. Adde, Augus. 20. de Ciuitat. c. 23. docere, nõ esse certũ, denariũ illum numerũ proprie, ac definite sumi. *Quid enim* (inquit) *si numero isto denario vniuersitas Regum significata est?* Ex illo ergo loco tantũ colligitur diuisio, ac disipatio Romani imperij in plura regna, nõ tamẽ extinctio nominis, ac dignitatis eius. Secũdo auget difficultatẽ. Quia licet apud Danielẽ dicatur, hos decẽ Reges antecessuros Antichristũ: tamẽ Apocal. 17. sic de illis scribitur, *Decẽ cornua, quę vidisti, decem Reges sunt, qui regnum nondum acceperunt. Sed potestatem tanquam Reges vna hora accipient post bestiam*: & de eisdem postea dicitur, *quod habebunt odio, & persequentur Romanam vrbem*. Ergo illis regnantibus adhuc non erit destructum Romanum imperium.

2. Thes. 2.
Hieronym.
Ambros.
Primas.
Tertullia.
Leo Papa, Chrysost.
Augustin.
Blondus.
Sabellic.
Orosius.
Daniel. 7.
Aug.
Apoca. 17

In hac re dicendũ est primo, solũ posse certò affirmari Romanũ imperium fere vsque ad diẽ iudicij esse duraturũ, & prope illius tẽpora esse prorsus extinguendũ, & in aliud imperiũ cõmutandum, atque hoc modo destructionẽ Romani imperij posse annumerari inter signa diei iudicij. Hoc probatur, primo ex veteri traditione antiquorũ Patrum. Lactan. lib. 7. c. 25. dicit ex veteri traditione, Romanum imperium simul cum ipso orbe esse interiturum, & c. 15. scribit, in fine mundi futura esse ingẽtia prælia, & *tumultus*, subditq; *cuius vastitatis & confusionis hæc erit causa, quod Romanũ nomen, quo nunc regitur orbis, tolletur de terra, & imperium in Asiam reuertetur, ac rursus Oriens dominabitur, & Occidens seruiet*. Idem prosequituroptime c. 16. Idẽ affirmat Tertul.

Romanũm perijdestructio inter signa diei iudicij numeranda.
Lactant.

Tertull. tull.in Apolog.c.32.vbi ait, *Fidelibus incumbere necessitatem orandi pro statu imperij, rebusq; Romanis, quod vim maximam vniuerso orbi imminentē, ipsamq; clausulam sæculi, acerbitates horrendas comminantem, Romani imperij commeatu scimus retardari. Itaque nolumus experiri, & dum precamur differri, Romanę diuturnitati fauemus.* Similia repetit li. ad Scapulā, c.2. dicēs, *Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens a Deo suo constitui necesse est, vt & ipsum diligat, & reuereatur, & honoret, & saluum velit cum toto Romano imperio, quousque sęculum stabit, tandiu .n. stabit.* Deniq; Hiero. fatetur, hanc esse Hieron. sententiā omniū scriptorū Ecclesiasticorum. Cōstat igitur hanc esse antiquissimā traditionē, vnde verisimile est, ab Apostolis manasse. An vero habeat in sacris literis fundamentū, statim dicemus.

Secundo dicendum est, non satis constare, vtrū Romanū imperiū omnino extinguendū sit ante aduentum Antichristi per diuisionē in multa, seu decē regna: an verò eius destructio inchoāda sit per hāc diuisionē, per ipsum verò Antichristū demū perficiēda. Sed vterq; modus est probabilis. Differt aūt multū inter vtrumque modū, quia iuxta priorē, constat certissimè nondū esse satis destructū imperium Romanū, vt Antichristus veniat: iuxta posteriorē aūt non oportebit expectare maiorē inclinationem Romani imperij, qua Antichristo via paretur: sed solum ipsam euersionē integrā, quæ per illū facienda est. Vnde iuxta priorē modū hoc signum iudicij diuersum erit a signo Antichristi, & præuiū illi, nondūque nunc impletum: iuxta posteriorē aūt modum vel nō est diuersum à signo dato de futuro regno Antichristi: sed per illū cōplendum erit, quia vnius generatio erit alterius corruptio. Vel si velimus hoc signū destructionis Romani imperij ab Antichristi imperio distinguere, necesse est, vt destructionem illius appellemus diuisionē in plura regna, quanuis nomē, & dignitas imperii Romani nōdum sit omnino extincta. Vnde fiet, vel hoc signū iam esse impletum, vel certe cōstare satis nō posse, an supersit maior regnorū diuisio, & cōmutatio facienda, antequā Antichristus veniat. Nam, si quis rectè consideret, Romanū imperium in plura, quā decē regna iam est diuisum. Ostendamus igitur vtriusque modi probabilitatē. Quod enim omnino sit extinA guendum Romanum imperium, priusquā Antichristus veniat, colligunt multi Patres ex illo.2.ad Thessal.2. *Non retinetis, quod, cum adhuc essem apud vos, hęc dicebam vobis, & nunc quid detineat, scitis, vt reueletur in suo tempore. Nam mysterium iam operatur iniquitatis tantum, vt qui tenet, nunc teneat, donec de medio fiat, & tunc reuelabitur ille iniquus* In quibus verbis obscurum est, quid sit illud, quod Paulus Thessalonicensibus dixerat, & illi sciebāt esse in causa, vt Antichristi aduentus detineretur. Vnde cōiectant Patres, hoc nihil aliud esse, quā perfectam Romani imperii euersionem, quā Paulus coram apertè docuerat: scripto autem non est ausus tam clarè exprimere, B ne calumniam incurreret, quòd Romano imperio male optaret. Et ita interpretantur illud, *Tantum, vt qui nunc tenet, teneat*, id est, vt qui nunc imperat, imperet, donec tollatur de medio, non persona, sed imperium, *Et tunc reuelabitur ille iniquus*: ergo antequam ille veniat, omnino extinguendū est Romanū imperium. Ita exponit Chry Chrysost. sostom. homilia.4. in illam Epistol. quem Oecumen. sequuntur Oecumen. & Theophyl. idem Theophyl. Ambros. & Anselm. ibi, & Hieronymus, Ambros. quæst.11.ad Algasiam. Idem videtur sig- Anselmus. nificasse Tertullian. locis citatis in prima Hieron. concl. & Cyrill.cat.15.dicens, *Veniet Antichristus, cum impleta fuerint tempora Romani imperii.* Et confirmatur ex citatis locis Cyri. Danielis, in quibus significatur, sicut primum imperium destructum fuit per secūdum, & secundum per tertium, & tertium per quartum, ita quartum prorsus dissipādum à decem Regibus, qui Antichristum præcedent, à quo postea subiicientur, & sub eius imperio redigentur. Atque ita videntur ibi exponere Hieron. Theodor. Hieron. & Irenæus lib.5.capit.25.& 26. His ergo Theodor. testimoniis fit probabilis hæc sententia. Irenæ. Quod verò illa non sit certa, atque adeò alterum modum esse probabilem, constat primo ex August.20.de Ciuitat.c.19.vbi pertractans prædictum locum Pauli.2.ad Aug. Thessalon.2. *Tantum, qui nunc tenet, teneat,* 2. Thessa. *donec de medio fiat, Ego prorsus* (inquit) *quid dixerit, me fateor ignorare: suspiciones tū hominum, quas audire vel legere de hac re potui, non tacebo.* Et statim subdit expositionem de Romani imperii euersione. Est igitur hæc tantum suspicio, non res certa. Theodoretus vero eam expositionem a- Theodore. pertè reiicit, dicens Romanum imperium

apud

2. Thess. 2

apud Danielem per quartã belluã esse significatum, *In eo autem* (inquit) *paruum cornu prolactum est, quod gerebat bellum cum Sanctis*, vbi apertè sentit, atq; ex Daniele colligere conatur, Antichristũ ex ipso Romano imperio, seu aliquo modo eo durante, esse nasciturũ, & contra ipsummet imperiũ prælaturũ. Daniel. n. c. 7. tã decẽ cornua, quàm cornu paruulũ ex quarta bestia oriri se vidisse refert, & in c. 2. idem regnũ in quarto loco cõputatur, etiam si in multa regna partitũ sit. Signum ergo est per hanc diuisionẽ non fore omnino extinguendum, donec Antichristus veniat. Potest aũt pro hac etiã sententia referri Hie. Dan. 11. quatenus de Antichristo sic loquitur, *Et brachia pugnãtis populi Romani expugnabuntur ab eo, & conterentur*: & Lactan. dicto li. 7. c. 15. tunc dicit, Romanũ nomẽ tollendũ de terra, *Cum imperium in Asiam reuertetur*, quod apertè dicit propter imperium Antichristi. Et cap. 25. *Precandus* (inquit) *est Deus, ne citius tyrannus ille abominandus veniat, qui tantum facinus moliatur, ac lumen illud effodiat, cuius interitu mundus ipse lapsurus est*, id est, Romanum imperiũ. Præterea Chrys. dicta homil. 4. in. 2. ad Thess. sic scribit. *Quemadmodum regna illa destructa sunt, quę ante Romanum imperium fuerunt, vt pote regnum Medorũ a Babyloniis, Babyloniorum a Persis, Persarum a Macedonibus, Macedonum a Romanis, ita & regnum Romanorum ab Antichristo.* Ex quibus verbis licet, colligere (etiã si admittamus illã expositionem verborũ Pauli) indenõ fieri, imperium Romanum esse tollendũ de medio, antequam Antichristus veniat, sed ipsum Antichristum id esse effecturum. Vtrumq; enim dicit Chryso. qui non est sibi contrarius, & vtrumq; potest facile verbis Pauli acommodari. Detinet enim Deus iuxta hanc expositionem aduẽtum Antichristi, donec adueniat definitum tẽpus, in quo mundus orbandus Romano imperio est. Tunc enim & Antichristus veniet, ac tollet illud de medio, & è contrario ipsum tolletur de medio, & tũc Antichristus veniet. Vt enim philosophorũ more loquamur, iuxta hanc sententiam se habebunt hæc duo imperia, sicut duæ formæ, quarum vna ingreditur, alia expellitur, de quibus vere dici potest, cũ vna de medio tollitur, tunc alterã fieri. Et ad hũc modum exponi possunt omnes Patres in priori parte citati. Constat igitur, satis esse incertum, & dubiũ quo ex prædictis modis res hęc euentura sit: consequenter vero constat, satis certum esse alterutro ex ijs modis euertendum esse Romanũ imperium ante diẽ iudicij, & ita simul probata est prima assertio posita.

Vrbis Romæ destructio signum ne appropinquantis iudicij Lactant.

Tertio dicendum consequenter est, multo magis incertum esse, an euersio Romanæ vrbis inter signa appropinquantis iudicii numeranda sit. Nam, licet Lactan. dicto lib. 7. c. 25. de ipsa vrbe loqui videatur, cùm inquit. *Res ipsa declarat lapsum, ruinamq; rerum breui fore, nisi quod incolumi vrbe Roma nihil istius videtur esse metuendum. At vero, cũ caput illud orbis ceciderit, etiã vt esse cęperit (quod Sibyllę esse aiunt) quis dubitet venisse iam finem rebus humanis, orbique terrarũ?* Licet (inquit) hæc fuerit Lactantii sententia: non tamen defuit, qui eam inter deridendos errores, cõputandam existimauerit, vt Pammel. refert in scholiis libri Tertull. ad Scapulam num. 10. qui tamen interpretatur, Lactantium non tam de Vrbe, quàm de imperio esse loquutũ, sentiens etiam ipse, solius Vrbis excidiũ, aut durationem, non esse signum sufficiẽs euersionis, vel diuturnæ durationis mundi. Nam in primis, cùm ostẽsum sit, probabile esse Romanum imperium non esse omnino abolendum, donec Antichristus veniat, consequens est, etiam esse probabile Romanam ciuitatem non esse euertendam vsque ad ipsum Antichristum, quia par est vtriusque ratio. Deinde siue ab ipso, siue ante ipsum extinguatur dignitas, & nomen imperii Romani, non sequitur, Vrbem vel ab Antichristo, vel ante ipsum esse euertendam. Quia bene potest imperium occupari, nomenque, ac dignitas prioris imperii omnino obrui, nulla ipsius ciuitate dissipata, vel destructa, vt tã superioribus, quam nostris tẽporibus in omni regnorũ mutatione conspicimus: vel sicut è cõtrario posset Vrbs destrui, durãte Romano imperio. Quia licet mutetur sedes imperii, nõ propterea totũ mutari imperium necesse est. Ergo ex mutatione Romani imperii nõ põt colligi vrbis euersio, nisi alicubi specialiter reuelata sit, qnõ cõstare, statim ostẽdemus. Aliũde vero nõ est etiã reuelatũ, ciuitatẽ illã permãsurã vsq; ad finẽ mũdi, vel vsq; ad Antichristũ, vel vsq; ad tẽpora illi vicina: quia similiter nullibi extat talis reuelatio, neque ex reuelatis colligi potest. Nisi

quis fortasse existimet, quoniam Ecclesia Romana caput est vniuersalis Ecclesiæ, tãdiu illã esse duraturã, quandiu Ecclesia vniuersalis durabit. Quia nõ põt Ecclesia esse sine capite, durabit aũt vniuersalis Ecclesia vsq; ad finẽ mundi: ergo, & Romana Ecclesia: ergo & Romana ciuitas. Sed hæc collectio nullius momenti est, primũ quia licet nũc caput Ecclesiæ sit in Ecclesia Romana, quia est eius Episcopus: tamẽ hoc, neq; constat esse à Christo præceptũ, neq; per se est simpliciter necessarium, vt in proprio loco latius tractãdũ est. Deinde, quia licet Romana ciuitas euerteretur, & Romanus Episcopus à sua sede, Ecclesia, vel prouincia pelleretur, ita vt oporteret illũ vel in remotissimis regionib⁹ habitare, vel in speluncis, aut in locis abditissimis delitescere, semper esset & caput Ecclesiæ, & Romanus Episcopus. Nã semper retineret eandẽ potentiã, & iurisdictionẽ tam vniuersalẽ, quàm propriã, & specialẽ illius episcopatus. Itaq; siue integra perseueret Vrbs, siue ab hostibus solo æquetur, nullum est signum aut appropinquãtis iudicij, aut distantis adhuc.

Vrbis Romanę euersio prorsus certa

Sed obijci põt locus Apocal. 17. vbi *sub ænigmate mulieris fornicariæ, & purpuratæ sedentis super bestiã coccineã* exprimitur Roma & de ea subiungitur, quòd decem Reges per decẽ cornua significati, *odient fornicariã, & desolatã facient illã, & nudã, & carnes eius manducabunt, & ipsam igni cõcremabunt.* Ex qua prophetia duo videntur colligi. Primũ illã ciuitatẽ permansuram vsq. ad aduentũ Antichristi: alterũ eam esse labefactandam, & cõcremandam ab Antichristo, seu ab ijs decẽ regib⁹, qui eius tẽpore regnabunt, eique subijcientur, vt ibidẽ dicitur. Vnde, quòd ibi sit sermo de Antichristo, oẽs expositores cõsentiũt, & Iren. li. 5. c. 26. Hippol. orat. de consummundi, & alij statim citandi. Quod autẽ mulier illa fornicaria, & purpurata sit Roma, patet primo ex vltimis verbis capitis, *Et mulier, quã vidisti, est ciuitas magna, quę habet regnũ super Reges terræ.* Nulla. n. alia ciuitas habuit generale imperium, nisi Roma. Secundo, quia dicitur eamulier habere capita septẽ, quę sic explicantur, *Septẽ capita, septẽ montes sunt, super quos mulier sedet.* Vrbs. n. super septẽ colles, seu mõtes ædificata fuit. Tertio ita exponũt multi ex Patrib⁹, Hieron. Epis. 17. ad Marcellã nomine Paulæ, & Eustochii, & 151. q. 11. ad Algas. & li. 2.

Obiectio Apoc. 17.

Irenæ. Hippolyt. Hierony.

A cõt. Iouinian. in fine, vbi sic inquit. *Adte loquor, quæ scriptã in frõte blasphemiã, Christi confessione delesti, vrbs potens, vrbs orbis domina, vrbs Apostoli voce laudata, interpretare vocabulũ tuũ, Roma aut fortitudinis nomẽ est apud Græcos, aut sublimitatis iuxta Hebræos. serua quod diceris, virtus te excelsam faciat, nõ voluptas humilẽ: maledictionẽ, quã tibi Saluator in Apocalypsi comminatus est, potes effugere per pœnitentiã, habens exẽplum Niniuitarũ.* Eandẽ expositionem habet Tertull. li. contra Iudæos, c. 9. & li. 3. cont. Marc. c. 13. *Babylon* (inquit) *apud Ioannem nostrum Romanæ vrbis figura est, proinde magnę, & regno superbę, & Sanctorum Dei debellatricis.* Atque hanc expositionem sequitur Paul. Oros. li. 7. c. 2. Et Aretas in cõment. in Apoc.

Tertullia.

Oro.

Are.

Resp. licet hanc expositionem admittamus, quã Gagneius in Apoc. dicit esse probabilem, & ex recentioribus nonnulli ex eruditis, qui contra hæreticos scribunt, illam amplectuntur, qui aduertũt, Ioannem B non esse loquutum de Romana Ecclesia, sed de Vrbe, non Christiana, sed ethnica. Loquutus enim de illa est, considerando eum statũ, quẽ habebat, quãdo ipse scripsit, & si fortasse in fine mundi similem habitura est, à fide, et obedientia Pontificis Romani deficiens, ab ethnicis tyrannis subiugata. Hac, inquã, data expositione, solum ex eo loco cõcluditur, Romam in persequutione Antichristi, vel in præliis, quæ geret ad vsurpandum totius orbis imperium, esse euertendam, & comburendam. Vnde ad summum potest concludi, Romanam euersionem esse posse vnũ ex C signis ad cognoscendum Antichristũ venisse, atque ita signũ hoc non esse distinctum à persequutione Antichristi: sed veluti partem eius. Secundo dicitur, expositionem illam non esse necessariam. Multi enim Patres non intelligunt per *mulierem illam fornicariam* Vrbem: sed orbem, quatenus in eo ædificata est ciuitas impiorum, quæ in Scriptura *Babylon* dici solet, & fundata est super septem montes, id est, super multitudinem Regum superborum. Ita exponit August. Psalm. 26. enarrat. 2. vbi ciuitatem quidem Babylonicam, ita interpretatur: non tamen aperte accommodat ad locum Apocalyps. Idem habet in Enarratio. in Psalm. 61. & libr. 14. de Ciuitate, capit. vltimo, & libro. 18. capite. 18. & sæpe alijs in locis. Expressius Prosper in dimidio temporis, capite. 7.

Respõsio Gagneius.

Aug.

Psal. 61.

Prosper.

Nec

Nec eam vno in loco existimes ciuitatem, quę tota est sparsa in orbe, de qua dicit, & Propheta Dauid. Filia Babylonis misera. Ac deinde eodem modo interpretatur totum c. 18. Apoc. Idem tenent Beda, Ambr. Ticony. Primasius, Tho. Aymo. Rupert. & alij Apoc. 57. vbi Gagneius breuiter, & aptè totũ illum contextũ ad hanc interpretationem accõmodat, quã hoc loco latius persequi instituti nostri non est.

Beda. Haymo Rupertus. Gagnei.

Ex quibus tandẽ vltimo constat, hoc signum euersionis Romani imperij (qualecunq; illud sit, & quomodocunque iuxta prędicta explicetur) simul cũ pręcedenti paulatim impleri: verisimile tñ esse (vt in sectione præcedenti diximus) prius esse vniuersalẽ Euangelij prædicationem cõsummandam, quã Romanum imperiũ ad summam inclinationem, extinctionem ve perueniat. Quia hæc duratio imperii Romani in sua dignitate, & potestate valde necessaria est, vt illud signũ Euangelicæ prædicationis per totũ orbẽ cõmodè impleri queat. Hoc vero impleto, credibile est, Ecclesiã passurã maiores temporales afflictiones bellorũ, ac seditionũ, regnorumq; mutationes, atque ita paulatim extinctũ iri imperium Romanũ, vel ab Antichristo, vel paulo ante eius aduentum. Ad rationes dubitandi in principio positas, facilis est responsio ex dictis. Ad summũ enim probãt (quod nos concesimus) incertũ esse, an sit extinguendũ omnino Romanum imperium per Antichristum, vel antea. In loco autẽ illo Apoc. 17. cum dicuntur decem Reges accepturi potestatem post Antichristum, vel non est intelligendum de ordine tẽporis, sed dignitatis (erunt enim sub Antichristo) vel intelligendum est, quòd post Antichristi aduẽtum accipient nouam potestatem ad persequendam Ecclesiam.

SECTIO TERTIA.

Quę sint futura signa in cœlis ante iudicij diẽ.

HActenus explicuimus, quę ante aduentum Domini vsque ad Antichristi necẽ euẽtura credimus, eritque facile lectori ex iis, quæ duab⁹ sectionib⁹ præcedẽtibus, & supra de Antichristo dicta sunt, rerũ ordinẽ seriẽque colligere. Prædicabitur. n. Euangeliũ in vniuerso orbe, & interim non deerunt calamitates *Matth. 24* illę, quæ Matt. 24. prædicuntur, pestes, fames, terræmotus, prælia, regnorum diuisiones, ac mutationes, & similia, ac fortasse, postquã vniuersalis Euangelij prędicatio cõsummata sit, ingraueſcent hæc quotidie magis, magisque quasi inclinante iã mundo, & proxime ad occasum vergẽte, & tunc tandẽ vel omnino, vel pene destructo Romano imperio, veniet Antichristus, qui vniuersale orbis imperiũ occupabit, & grauissime persequetur Ecclesiã. Quæ omnia elegãter describit Lactã. li. 7. c. 16. Pro Ecclesia verò Elias, & Henoch dimicabunt, donec ab Antichristo trucidentur: qui tñ & ipse imperio Christi interficietur, neque de hoc tempore alia sunt nobis signa reuelata. *Lactantius*

Sequitur ergo, vt dicamus de signis futuris post mortẽ Antichristi, in quibus primũ locum tenere videntur ea, quæ in cœlis futura sunt. Sic enim de illis loquitur Christus. *Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum cõmouebuntur.* In quibus verbis, nulla est inter expositores controuersia quin sermo sit de signis iudicii, quanuis de superiori parte illius capitis magna sit, atque ita exponunt ibi Chryso. Theo. Euthym. Hier. Hilar. can. 25. & 26. & Aug. Epist. 80. ad Hesychiũ, sub finem. Dantur autem à Christo domino in eis verbis tria cœlestia signa, quę à nobis explicanda sunt. Primum, *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum.* Secundum, *stellæ cadent de cęlo.* Tertiũ, *virtutes cęlorum commouebũtur.* *Matth. 24 Chrysost. Theophy. Euthym. Hieron. Hilar. Aug.*

Prius tñ, quàm ad hęc explicanda veniamus, oportet inquirere, quo tẽpore intelligãtur futura hæc signa, an scilicet ante vniuersalẽ mortẽ hominũ, & generalẽ resurrectionẽ, an vero post illã. Hieron. n. Chrys. & Euseb. Emissen. statim citandi indicant futura post resurrectionẽ generalẽ in ipso aduentu Domini. Quæ sententia videtur textui Euangelico cõsentanea. Nã immediate post illa verba, subdit Christus. *Et tunc parebit signũ filij hominis in cęlo*, sed hoc signũ nõ apparebit nisi post resurrectionẽ ipso Dño iã veniẽte, vt infra videbimus: ergo neque alia: simul. n. & in eodẽ cõtextu omnia prędicuntur: & immediate post illa subiungitur, *& tunc plãgent oẽs tribus terræ*, id est, reprobi omnes, qui in terra manebũt. Nã iusti tũc iã *rapiẽtur cum Christo in aera. Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli*: ergo rectè intelligitur *Dubium Hieron. Chrysost. Euse. Emi. Matth. 24. 1. Thess. 4*

gitur,totũ hoc futurũ post resurrectionẽ, in ipsomet aduentu Christi. At verò D. Aug. in dicta Epist.80.ad Hesychiũ sentit, hæc signa futura esse in Ecclesia,durãte ipsa Antichristi persequutione. Vnde consequẽter interpretatur, verba illa Christi, *Post tribulationem dierum illorum*, non intelligi post finitam persequutionem, sed post inchoatã,seu durante, & iam ex parte facta persequutione. Fuit aũt hęc sentẽtia Lactan.lib.7.c.16. vbi licet intelligat hæc omnia propriè,& de sensibilibus signis,ea sentit esse futura ante mortem Antichristi,quod tñ nulla ratione confirmat. Aug. verò coactus est sic exponere, quia nõ intellexit illa signa ad literã, vt sonãt, sed metaphoricè, vt postea videbimus. Cuius sentẽtia,sicut in hoc nobis nõ probatur, ita neque in priori parte sustineri posse videtur: Nã Christus dominus satis aperte loquutus est de tẽpore post finitam tribulationẽ Antichristi, vt reliqui omnes expositores,& Patres ea intellexerunt: & supponendo ea signa propriè,& ad literã esse intelligenda, nullũ est fundamentum ad opinãdũ aliter. Quia durãte persequutione Antichristi,& vsq; ad mortẽ,& resurrectionẽ Eliæ,& Henoch,nondũ erũt inchoata signa iudicij,quę peccatores vehementer terreant,vt ex 11.c.Apoc.colligitur:sed potius, *Cum dixerint pax,& securitas,tunc eis repentinus vemet interitus.* Ergo ante mortẽ Antichristi nõ incipiẽt videri *signa in Sole,Luna,& stellis,neque arescent homines præ timore*, vt dicitur Luc.21. Ex quo loco etiã colligitur,hæc signa futura esse,viuentibus adhuc hominibus in carne mortali ante generalẽ resurrectionem. Nã ex ijs verbis Lucæ constat, hęc signa futura esse hominibus causam angustiæ, & anxietatis, *præ timore, & expectatione eorum, quę superuenient vniuerso orbi*: ergo oportet,vt fiant viuentibus adhuc hominibus ante generalẽ resurrectionẽ. Nã post resurrectionẽ nulla erunt necessaria signa ad terrendũ,neq; habebit locũ dubia expectatio futurorũ. Nec refert,quòd apud Matt. hæc signa simul cum alijs coniungantur,quia non oportet,vt quę simul narrãtur,simul etiam fiãt. Præsertim,cũ prius Matth.dicat,venturum Christum cũ virtute,& maiestate,& postea subiungat, *& mittet Angelos suos cum tuba*, &c. cum tamen hoc non sit futurũ post aduentum Christi, sed antea:ex ordine ergo narrationis non

Aug. Lactant. Apoc.11 1.Thess.5 Luc. 21. Matt. 24.

A potest colligi ordo executionis, sed ex alijs locis,& ex coniectura sumpta ex ipsis rebus colligendus est. Vnde confirmari hęc sententia potest ex Ioelis cap.2. *Et dabo prodigia in cœlo,& in terra,sanguinem, & ignem,& vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus,& horribilis.* Vbi (iuxta cõmuniorem expositionem Theodor. & Rupert.ibi,Orig.& D.Th.Matt.34. Bedæ Marc.13.& Luc.21.) sermo est de die iudicij,& de eisdẽ cœlestibus signis, de quibus loquutus est Christus: & tamẽ illa dicuntur futura, antequam veniat dies ipse iudicij,qui *dies Domini magnus,& horribilis* dicitur. Vnde ipsemet Christus post prædicta verba subiunxit, *Cum videritis hęc fieri,scitote,quoniam prope est in ianuis*: ergo B futura illa sunt ante aduentũ Christi: eo tamen appropinquante. Neque enim veri simile est (quod Aug. ait) in verbis illis Christi, *Cum videritis hęc fieri*, non tantum signa,sed ipsum etiã aduentũ Christi in nubibus cœli cõprehendendũ esse. Quorsum enim Christus diceret, cùm me videritis venientem, scitote, quoniam prope sum? Non ergo loquitur de aduẽtu:sed de signis,quæ aduentum anteceßura sunt.

Sed obijcit Augus.quia dies iudicij (vt Paul.ait.1.ad Thess.5.) *Sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superuenit interitus*: si aũt præcessura essent hæc signa, quę homines redderent certos,diem Domini iã esse in ianuis,nõ ingiueret vt fur, illis in pace,& tranquillitate existentibus. Atque C ita Ambr.1.ad Thess.5. exponens prædicta verba, *Subito* (inquit) *& ex inspe rato apparebit*,& Theo.Matt.25. ita exponit illud, *Media nocte clamor factus*: Vt ostendat (inquit) *quòd inexpectatus veniat Dns.* Quod etiã notauit Aug.tractans eadẽ verba,dicens, *Media nocte,id est,nullo scitẽte, aut sperante*,& infra exponens verba Pauli,inquit, *Ex quo significatur, cum penitus latere, cum venerit.* Ad hanc obiectionem respondeti potest ex Oecumen.1.ad Thessal. 5.ex signis iudicij posse colligi appropinquare finẽ mũdi:nõ tñ fore centum diẽ,& horã aduẽtus Domini,& hac ratione verũ esse, diẽ illũ venturũ vt furẽ. Quod declarat exemplo mulieris prægnantis, quo Paulus vtitur. *Nam licet hæc* (inquit) *signa partus habeat multa, ipsius autem horæ, aut diei non item.*

Quod si obijcias, quia supra diximus

Ioel.2. Theodore. Rupertus. Origenes, D.Thom. Beda

Obiectio Aug. 1.Thess.5

Ambros: Theophyl.

Aug.

Responsio

Oecumen.

qua-

quadraginta quinque diebus post mortē Antichristi futurū aduētū Domini. Responderi potest vel cū Ans.2. ad Thess.2. dicēte, *Vtrum completis illis quadraginta quinque diebus mox adueniat Dominus: an vero aliquantulum supersit temporis, omnino nescimus.* Vel certè dici posset, hoc secretū scripturarū, & esse satis dubium, & si verum est, paucis fore notum, & ideo nihil obstare, quominus, vel omnib⁹, vel ferè omnibus incertus sit ille dies. Vel aliter, quòd cū oēs homines sint morituri ante diē aduētus, quanuis omnibus cōstaret, esse morituros intra illos quadraginta quinq; dies: tñ, & singulis esset incertū, quo die morituri sint, & quanto etiā tēpore post mortem vel singulorū, vel omniū sit futurus iudicij dies, & ita semper erit aliqua incertitudo illius diei, ac tēporis certi, & definiti, licet cōstare eis possit nō longè abesse. Quod nullū est incōueniens, quia Christus hoc voluit, & in hūc finē signa prębuit

Anselmus.

Sed vrgebis, quia licet hoc sit satis, vt ille dies sit incertus: nō tñ, vt veniat vt fur, & inexpectatus, & in pace, ac securitate existentibus. Resp. id verum esse respectu bonorū, fideliūq; iustorū: incredulis aūt, & iniquis posse nihilominus esse inexpectatū, ac repentinum. Secūdo melius dicitur cum Ambr. hæc non esse intelligenda de aduētu Domini pręcisse, quoad diē iudicij, & descēsū eius de cęlo: sed prout includit hæc signa stupenda, quæ erūt veluti proximi nuntij adueniētis iā Christi, & proprie incipient ab interitu Antichristi. Tunc .n. subitò incipiet repētinus interitus peccatorū, de quo Paul. loquitur, & narratur à Ioanne Apoc.11. Et ad hunc etiā interitum pertinent illa signa, de quibus nunc agimus. Atque ita etiā respondet D.Th.in.4.d.48.q.1.ar.4.q.1.ad.1.& 2.& idē notauit Ians.c.128.Concord. Et potest etiā explicari. Quia (vt sæpe dixi) ante ipsum diē iudicii moriētur oēs: ergo ille dies præcise sumptus nō potest aliter venire inopinatus, quàm expositum est.

Obiectio.

Responsio.

Ambros.

Apoca.11.

D.Thom.

Iansenius.

His ergo positis, secundo explicandum est in genere, qualia sint hęc signa, quomodo ve futura. In qua re prima sentētia est Aug. dicta Epis.80. qui hæc metaphorice interpretatur, per Solē, & Lunā Ecclesiam intelligēs, de qua dicitur, quod *obscurabitur, & non dabit lumen suum,* quia non apparebit, impiis persequutoribus vltra modum sæuientibus, *Et stellæ cadent, ac virtutes cœlorum commouebuntur.* Quoniam multi, qui gratia fulgere videbantur, persequentibus cedent, & cadent, & quidam fideles firmissimi turbabuntur. Et hāc expositionem elegit Aug. partim propter rationē paulo ante adductā de repētino aduētu Domini: partim, quia illa signa proprie, & sensibiliter intellecta nō essent tā horrenda, & terribilia, sicut in Scriptura exaggerantur. Vnde concludit. *Hæc in Ecclesia melius existimo intelligi, ne Dominus Iesus appropinquante secundo aduentu suo, ea pro magno prędixisse videatur, quæ huic mundo, & ante primum eius aduentum consueuerāt euenire, & irrideamur ab ijs, qui hęc velut nouissima, & omnium maxima horrescimus, plura in historia gentium, & multo maiora legerūt.*

Aug.

Augustini opinio de cœlestibus signis secūdi aduentus domini,

Potest autē hæc Aug. opinio confirmari. Quia ille modus loquendi sæpe est metaphoricus in Scriptura ad significādā acerbitatem alicuius tribulationis, vt Isai. 13. *Stellæ cœli, & splendor earum non expandent lumen suum, obtenebratus est Sol in ortu suo, & Luna non splendebit in lumine suo.* Vbi ad literam est sermo de vltione sumēdade Babyloniis, & similia leguntur Ezech.32. vbi ad literam sermo est contra Pharaonem regem Aegypti, & inter alia dicitur, *Operiam, cum extinctus fueris, cœlos, & nigrescere faciam stellas eius, solem nube tegam, & Luna non dabit lumen suum: omnia luminaria cœli męrere faciam super te, & dabo tenebras super terram tuam: dicit dominus Deus.* In quibus locis, & similibus (qualia sunt Amos.8. Sophon.1. Ioel.2.&.3.) constat hęc non esse intelligenda proprie, sed metaphorice ad exaggerandam acerbitatem tribulationis, prę cuius magnitudine ita perturbantur homnies, vt videatur illis Sol obscurari, & omnia tam cœlestia, quàm terrestria còmmoueri.

Isai.13.

Ezech.32.

Amos.8.

Sophon.1.

Ioel.2.et3.

Sed (quanuis hæc expositio Aug. vt moralis, & spiritualis laudanda sit) nullo modo negandus est proprius, ac literalis sensus, quē cæteri expositores pręmittunt, vt adiiciant mysticos sensus, vt patet ex Hie. Hilario, apertius ex Origen. tract. 30. in Matth. Beda, & Anselm. ibidem. Atque idem licet obscurissime significat Ambrosius. libr. 10. in Lucam, capite de signis aduentus Domini. Nam licet in toto capite videatur fere eandem expositionem cum Augustino persequi: tamen literalem sensum, vt notum supponit. Id enim

Signa in astris antediē iudicij sensibiliter futura.

significant

significãt illa verba, quę in principio prę-
mittit. *& prophetię verę series, & integra cau-*
sa mysterij. Et probatur, primo ex generali
regula interpretãdi scripturã. Nam cũ põt
propriè sine incõmodo exponi, non est ad
metaphoras confugiendũ. Secũdo quia Lu-
Luc. 21. cas c.21. docet, hæc signa fore sensibilia,
quibus visis homines arescẽt prę timore, &
expectatione finis: ergo nõ rectè exponũ-
tur de effectibus spiritualibus, qui nec vi-
dẽtur, nec magnũ timorẽ incutere solent
hominibus, præsertim vulgaribus, & qui
spiritu nõ ducũtur. Vnde multo minus ex
illis solis cõmouerentur ad expectandũ or
bis interitũ. Tertio quia ibi ponuntur sig-
na futura in cœlo, & in terra: & tñ de terra,
& de signis in ea futuris sermo est pro-
prius (vt section. sequenti dicemus) ergo
antithesis ipsa docet, signa etiam cœlestia
proprie esse intelligend. .

Responsio ad argumẽta Augusti ni. Ad primũ aũt motiuum Aug. iam respõ
sũ est. Ad secũdũ dicitur, licet hæc signa
sint sensibilia, futura tñ maiora, & horribi
liora, quã vnquã fuerint. Ad alia verò testi
monia respondemus, primo à multis Sanc
tis exponi proprie, & de die iudicij, vt de
priori loco Isaię videri põt in Chrys. Parę
Chrysost. Origenes, Cyp. Hier. Pap. Tertullia: nesi priori ad Theodor. lapsum, & hom.
48. in Mat. Orig. trac. 30. in Matt. & tom.
2. in ad Roman. Cyprian. epist. ad Deme-
trianũ sub finẽ, Greg. 20. Moral. c. 23. Et
in vniuersum de omnibus similibus locis
prophetarũ id affirmat Tertul. lib. de resur
rec. carnis c. 22. Vbi tractans, & ad literam
intelligens prædicta verba Christi, inquit,
Postea quam edixit, & tunc erit Ierusalem con-
culcatui nationibus, inde iam in orbem, & in se-
culum prędicat secundũ Ioelem, & Danielem, &
vniuersum concilium prophetarum, futura signa
in Sole, Luna, & Stellis. Secundo dicitur,
etiã si in illis locis sermo sit metaphoricꝰ
nõ inde inferri, etiã verba Christi esse me
taphorice exponẽda. Quia circũstantię li-
teræ neq; id requirũt, neq; cõmode patiũ
tur. Quin potius addi põt, quia in die iudi-
cij hęc horribilia signa vere ac proprie fu
tura sunt, prophetas hoc præuidẽtes ad e-
xaggerãdas alias vindictas, & vltiones Di-
uinæ iustitiæ, vsos esse allusione, & quasi
cõparatione quadam ad signa diei iudicij:
vel è cõtrario, quia similes præcedẽtes vin
dictæ fuerũt quasi figurę quędã, & vmbrę
generalis vindictę de peccatoribus sumẽ-
dę in die iudicii, ideò prophetas vel facile
ab vna ad aliam transiisse, vel acerbitatem

A vnius per signa, quæ futura sunt in alia
explanasse.

Cõstat igitur, hæc signa futura esse sensi
bilia in ipsis corporibus, seu astris cœlest-
tibus. Reliquum est, vt tertio loco explice
mus, quomodo futura sint. Quod distinc-
tius fiet, si per singula paulatim discurra-
mus. Primo igitur obscuritatẽ Solis, & Lu
næ multi sic interpretãtur, quòd Christus
adueniẽs tãto lumine fulgebit, ac totũ or-
bẽ splẽdere faciet, vt nec Solẽ, nec lunã ap
parere, aut lucere sinat. Ita Hilar. can. 26. *Hilar.*
Hiero. Chrys. & Beda in Matt. & Euseb. *Hierony.*
Emiss. hom. in Dominicã 27. post Pente- *Chrysosto.*
costen, & Aug. serm. 130. de temp. vbi hoc *Beda*
specialiter tribuit splẽdori crucis, qui tan *Euse, Emi.*
tus erit, vt Solẽ occultet: de quo postea di- *Aug.*
cemus. Eãdẽ expositionẽ approbat D. Th. *D. Thom.*
opusc. 10. art. 36. Sed nobis non probatur,
propter ea, quę in priori pũcto dicta sunt.
Ostẽdimus. n. hæc signa futura esse aliqui
B bus diebus ante descẽsum Christi è cœlo:
ergo non põt fieri hęc obscuratio Solis, &
Lunæ, solũ propter nimiã claritatẽ corpo-
ris Christi. Deinde, illa obscuratio Solis
nullũ terrorẽ incuteret, præter illũ, quem
ipsa Christi maiestas põt efficere. Aliter
exponit Orig. dicto tract. 30. in Matt. *Sicut* *Origenes*
in magnis ignibus succendi incipientibus tenebræ
ex fumo plurimo solent extolli: sic in consumma-
tione mũdi ab igne, qui accendendus est, obscura-
da esse luminaria magna. Sed neq; ipse Orig.
in hac expositione persistit: neque proba-
ri potest. Tũ quia conflagratio mũdi futu
ra est post diem iudicij: hęc verò signa ante-
cessura sunt. Tũ etiam, quia illa causa vi
detur insufficiens, vt hæc signa tali modo
fiant, vt specialem terrorem incutiant.

Tertia expositio est, quod Sol priuabitur
C sua luce in trinseca, & connaturali, & con-
sequẽter Luna, & omnia astra. Cui expo si-
tioni videtur fauere proprietas illorũ ver-
borum, *Sol obscurabitur*: & Ioel. 3. *Sol, &* *Ioel. 2. & 3*
Luna obtenebrati sunt: & c. 2. *Sol conuertetur*
in tenebras: & Apocalyp. 6. *Sol factus est ni-* *Apoca. 6.*
ger, tanquam saccus cilicinus. Et hanc expos-
tionẽ indicat etiã Origenes: non tñ rectè *Origenes*
declarat. Dicit. n. quòd paulatim minue-
tur lumẽ celestiũ astrorũ, quia deficiet eius
nutrimẽtũ, sentiẽs, Solẽ esse corruptibilẽ,
& cõseruari ad modũ ignis cõtinua actio-
ne, ꝙ improbabile est, vt ex philosophia
cõstat. Itaq; hic modus naturaliter nõ est
posibilis: tamẽ diuina virtute fieri posset. *Rabanꝰ*
Et ita futurũ esse sentit Rabbanus Matt.

24. &

D. Thom. 24. & non displicet D. Th. in 4. d. 48. q. 1. ar. 4. q. 2. Satis tamē incerta res est. Videtur enim verisimilius, nō oportere ita fieri. Quia hæc signa tantū fient ad terrorē hominū: ad hoc autem non est necessariū vt in ipsis cœlis fiat intrinseca immutatio, & naturaliū proprietatū diminutio, vt videbimus. Quarto igitur dicunt alij, hāc obscuritatē Solis, & Lunæ futurā esse per propriā Eclypsim, id est, per interpositionē ipsorū astrorū inter se, ita tamen, vt nō simul fiat. Hoc enim est impossibile, nisi simul constituantur in multis locis, quod non oportet fingere. Dicunt igitur, non simul obscuranda esse Solem, & Lunam: sed nunc Solem, postea Lunam, & è conuerso. Quia nō tantum semel hoc fiet, sed sepius per varias apparitiones, & Eclypses, quę prouenient ex inusitatis motibus cœlorū, qui nunc tardius, nunc velocius solitò mouebūtur. Hic modus colligi potest ex Lactan. lib. 7. cap. 16. vbi inter alia inquit, de Sole, & Luna, *Motus extraordinarios peragent, vt non sit homini prōptum aut syderum cursus, aut rationem temporum agnoscere. Fiet enim vel æstas in hyeme, vel hyems in æstate, tunc annus breuiabitur, & mensis minuetur, & dies in angustum coarctabitur.* Quòd si hæc vera sunt, facile intelligitur ex hac motuum varietate posse facile cōsequi varias, ac inusitatas Eclypses. Et sunt hæc quidē verisimilia, & satis apta ad terrēdos homines: non tamen videtur negādū obscuratum iri aliquando simul Solē, ac Lunā, ita vt densissimæ toti orbi terrarū offundātur tenebræ. Hæc enim videtur esse intentio Christi in illis verbis, & maxime videtur pertinere ad augendā angustiā & terrorē hominum, qui est finis per hęc signa intentus. Vnde sine dubio videtur futura maior obscuritas Solis, quā per solā natuarlē Eclypsim effici posit. Quod etiā suadet illa ratio supra adducta ex August. quod hæc signa nō sunt existimāda vulgaria, & cōmunia, qualia interdū facta legūtur: sed maiora, & horribiliora. Addē dū ergo est solē, & lunā esse obscurāda, nō quia omnino priuabūtur suo lumine, sed illuminatione. Quod fieri poterit, vel Deo suspēdēte cōcursum, qui modus erit facillimus, vel per interpositionē alicuius dēsissimę nubis, quē modū vt faciliorē eligit Sot. in. 4. d. 46. q. 2. ar. 2. Sed (quod ad Solē attinet) prior modus videtur facilior. Tū vt tenebræ possint esse vniuersales, & densissimę: tū vt possint fieri minori actione, & rerū immutatione. De Luna vero, quoniā de illa dicitur Ioel. 2. *quod conuertetur in sanguinem*: & Apo. 6. explicatur quod, *Luna tota facta est, sicut sanguis*, verisimile est, hoc signū esse efficiēdū per interpositionē nubis ita dispositę, vt per impressionē Lunæ videatur tota sanguinea, ad significādā diuini iudicij seueritatē, & propter alias significationes, quas rectē explicat Anto. 4. p. tit. 14. c. 11. §. 2.

Lactant. Solis, & lunæ obscuratio ad diem iudicij qualis futura, Aug. Sot. Ioel. 2. Apoca. 6. Antoninus

Quarto loco explicādū est secundū signū, nimirū, quod stellę cadēt de cęlo. Quæ verba ad literam, & vt sonāt, intelligit Orige. dicto. Tract. 30. *Nā stellę* (inquit) *priuatæ lumine nō poterunt sursum detineri, nā a lumine ipso extollebātur, unde crassiores fiēt, ac tandē de cœlo cadēt.* Eandēq; sententiam quāuis nō eo dē modo explicatam videtur docere Tertull. li. contra Hermogenē, ca. 34. quāquā ille videtur supponere, cœlos esse in nihilū redigēdos, de quo postea dicemus Origenes vero supponit falsam de natura cęlestiū stellarū existimationem. Quocirca supposito, stellas esse incorruptibiles, & aut esse continuas reliquis partibus cœli, aut ibi esse tanquā in propria sede, & loco, nō est probabile, ipsa corpora astrorū per verū motū localē casura in terram. Quia licet hoc possit fieri diuina virtute: tū nec est fundamētū ad id asserēdū, cū illa verba possint habere aliū cōmodū sensum: neq; est sufficiēs ratio ad multiplicāda tot miracula, nempe vt cœlestia corpora diuīdātur, vt astra violēto illo motu deorsum ferātur, vt eorū loca vacua maneāt, aut cęlū rarefiat ad ea replēda, aut noua corpora ibi creētur, vt deniq; astra, quę vel omnia, vel plurima sunt maiora, quàm terra, in terrā cadāt, & cœlos penetrēt, aut diuidāt, vel aliquā eorū partē secū trahāt. Itaq; nullus cæterorū Patrū, & expositorū rectę sentiētiū sic intellexit. Dicūt igitur fere oēs, stellas cadere nihil aliud esse, quā obscurari, ac lumē suū retrahere. Solet. n. interdū Scriptura, ita de rebꝰ loqui, sicut hominibꝰ apparēt. Ita Hiero. & Beda in Matt. quos scholastici sequūtur. Et pōt cōfirmari ex illo Ioel. 3. *Sol, & Luna obtenebrati sūt, & stellę retraxerūt splēdorē suū*. Addere verò possumus, casura tūc fulmina splēdidissima, & ingētia, & cometas similis magnitudinis, splēdorisq; & ideo apparebūt quasi stellæ cadētes de cęlo. Et hoc cōfirmat illud Ioel. 2. *Et dabo prodigia in cęlo, &*

Hieronym. Bed. Ioel. 3.

lo, & in terra, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Nam per *sanguinem* intelligere possumus Lunam sanguineam, vel etiam interfectiones hominum, quæ illis diebus erunt frequētissimæ (vt postea dicemus) per ignem verò stellas cadentes de cœlo, id est, ignitas exhalationes: per *vaporem* autem, fumum, qui ascendet ex rebus, quę accendentur in terra ab ipsis fulminibus è cœlo cadentibus.

Virtutes cę lorum commouebuntur, explicandū est, quid per virtutes cœlorum significetur, & quæ futura sit earum commotio.

Quinto, circa tertium signū, *Virtutes cę lorum commouebuntur*, explicandū est, quid per *virtutes cœlorum* significetur, & quæ futura sit earum commotio. Primò per *virtutes cœlorum* intelligere possumus ipsa astra, quæ ab Hebræis *virtutes cœlorum* dicuntur. Quia in eis residet virtus influendi in terram: eæ autem virtutes cō. mouebuntur, quia vel aliter mouebuntur, & ad influendum applicabuntur, vel certè quia vel ob defectum luminis, vel ob diuersum motum, vel ob varios, atque inusitatos aspectus, & coniunctiones, influentiam suam mutabunt. Ex quo fiet, vt varij etiam, & inusitati motus in terra, marique resultēt. Quæ expositio est sine dubio valde probabilis, & confirmari potest ex illis verbis Christi. Luc. c. 21. Vbi, cùm dixisset, *Erit in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuū*, subdit inferius, *Nam virtutes cœlorum mouebuntur*. In qua causali loquutione significat, hanc commotionem cęlestium virtutum futuram esse causam illius pressuræ hominum, & sensibilium effectuum, qui in terra, marique fient, ex quibus illæ hominū angustiæ prouenient: & hanc expositionem sequuntur Iansen. & Sotus locis supra citatis.

1 expositio

Luc. 21.

Iansenius, Sot.

2 expositio

Secunda expositio esse potest, vt per *virtutes cœlorum* intelligantur Angeli motores cœlorum, qui ideò commouēdi sunt, quia mutabunt ordinem, & modum mouendi cœlos, sicut supra ex Lactan. latè retulimus. Et de hac etiam commotione posset intelligi, quod Petrus scribit. 2. Epistol. cap. 3. *Aduenit autem dies Domini sicut fur, in quo cœli magno impetu transient*. De quo loco plura inferius dicemus, quia forte melius accommodatur ijs rebus, quæ post iudicium futuræ sunt.

Lactantius 2. Petri. 3.

3 Expositio Hierony. Euse. Emi.

Tertia expositio est, vt per *virtutes cęlorū*, exercitus Angelorū intelligantur, vt Hieronymus in Matt. exponit, & Euseb. Emissen. hom. in Dominicam. 2. aduentus, qui nō explicāt, quomodo Angeli commouendi sint. Potest autem dupliciter exponi, primo per admirationem magnam, & quasi timorem quendam reuerentialem, videntes tantam rerum mutationem, & diuini iudicij seueritatem, vt Chrys. exponit homil. 75. in Matt. & ibidem Theophyl. Oecumen. & Beda. Et Aug. serm. 130. de tempore, *Sicut principe iudicante* (inquit) *non solū rei: sed & officia, quæ nihil sibi conscia sunt, timore, & tremore comprehenduntur propter iudicis terrorem: ita & tunc, cum genus humanum iudicabitur, etiā cœlestes ministri pauebunt, & terribili apparatu de iudicis intuentis horrenda formidine contremiscent*. Quibus verbis videtur indicare Aug. hunc Angelorū pauorē futurum esse in ipsomet actuali iudicio, & idē sentiunt reliqui sic exponentes. Quod non pōt accommodari huic signo de quo agimus. Nāhoc signū antecedet iudicium, imò (vt ex Luca colligitur) futurū est aliquomodo sensibile saltem per effectus: quia erit causa, quę efficiet in hominibus tristitiā, & pauorē. Et ideò addi vltimò potest, Angelos esse cōmouendos, vt sint ministri diuinæ iustitiæ, quorū virtute fient omnes illæ admirādæ mutationes, nō solū in cœlis, sed etiā in elementis terra, & mari. Fortasse enim erūt maiores, quā vt per solā stellarū influētiā, vel virtutē fieri possint. Fiēt ergo per Angelos, quibus recte accōmodari potest illud psalmi, *Gladij ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictā in nationibus, increpationes in populis, vt faciant in eis iudicium conscriptū*. Et huc etiā referri possunt multa, quæ in Apo. dicūtur, vidisse, scilicet, Ioānē Angelos nūc canentes tubis, nunc effundentes phialas aureas plenas iracundia Dei, & similia, quæ legi possunt á capite. 8. ad. 16.

Chrysost. Theophyl. Oecumen. Beda. Aug.

Psal. 149

Apocal. 9 & 16

Hactenus exposuimus signa, quæ in Euāgelio scripta sunt: vltimo vero desiderari potest, vt aliud cœleste signū explicemus, quod post prædictaobscuris verbis addidit Ioan. in Apoc. ijs verbis, *Et cœlum recessit, sicut liber inuolutus*. Quibus similia legūtur apud Isaiam. *Tabescet omnis militia cœlorum, & cōplicabuntur, sicut liber, cœli*. Quæ verba ad signa diei iudicij referūt Hiero. & Cyril. ibi, & Tertul. lib. cōtra Hermogen. c. 34. & Iustinus. q. 94. ad Orthodoxos, & Epiphan. in Anchorat. & Euseb. lib. 11. de præparat. Euang. ca. 17. & Aug. 13. confess. ca. 15. vbi tamen metaphorice per *cœlos* scripturā intelligit. Sed sine dubio ad

Apoca. 6.

Isai. 34. Hieron. Cyrill. Tertullia, Iustinus. Epiphani, Eusebius. Aug.

bio ad literam est sermo de corporibus cœlestibus, vt reliqui omnes exponunt, & patet ex cõtextu. Nam *militia cœli*, iuxta scripturæ phrasim, dicuntur astra, vel Angeli. Vnde *militiam cœli* tabescere, nihil aliud est, quàm stellas lumen suum amittere eo modo, quo hactenus explicuimus, sicut declarant etiam Hiero. Cyril. & alij. Quid autem sit, *cęlos complicari, & recedere*, obscura metaphora est. Erit autem facilis, si hęc verba non referantur ad signa futura ante, sed post iudicium. Nam hoc modo *cœlum recedere, & complicari* erit, vel dissolui (vt exponunt Tertul. Iustinus martyr, & Eusebius) vel certè erit cessare â suo vsu, & ministerio. Quia iam amplius non mouebuntur, neque influent. Sicut enim, post quam vsi sumus libro aliquo, eum complicamus, & in loco suo reponimus: ita dicitur complicandum cęlum, quando vsus, ac ministerium eius prorsus cessabit. Ita exponit Adamus in Isaiam, vbi alias expositiones refert, inter quas hæc videtur simplicior, & magis literalis. Sed de hoc signo sic intellecto, dicturi sumus latius disput. vltima. Quòd si quis velit, ea verba referre ad signa præcedentia iudicium, nullum nouum signum in illis præbetur: sed noua metaphora explicatur, quod superioribus verbis dictum fuerat. Dicitur enim *cœlum recedere, & inuolui*, quia tenebris obscuratum non apparebit, nec veterem vsum, ministeriumque præstabit. Et comparatur libro inuoluto, quia sicut in libro clauso nihil legi potest: ita ex astris, & signis cœlorum nihil iam de rerum mutationibus, aut effectibus colligi poterit, sicut prius fiebat.

Hierony. Cyri. Tertullia. Iustinus. Epiphan. Euse. Aug.

SECTIO QVARTA.

Quæ signa ante iudicij diem in cæteris rebus sensibilibus futura sint.

DIximus de cœlestibus signis, sequitur, vt dicamus, an in terra, & cæteris elementis, habitantibusque in eis aliqua quoque signa præcessura sint. Quæ res breuissimè est à nobis expedienda, quoniam perpauca sunt circa hoc reuelata, & verbis admodum generalibus, & interdum adeo obscuris, vt vix possint humano ingenio comprehendi.

Primò ergo circa elementum ignis posset inter hęc signa numerari ignis ille, qui (vt in Psalm. 96. significatur) *Ante ipsum* (id est, Christum iudicem) *pręcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*. Sed quia huiusmodi ignem, atque eius vsum, & effectum vel omnino, vel præcipue existimamus futurum post resurrectionem hominum, finitumque iudicium, ideo fusiorẽ de illo tractationem in sequentes duas disputationes reseruamus. Quo circa nullum aliud speciale signum reperio ad hoc elementum pertinens præter exhalationes ignitas, fulgura & fulmina, quæ (vt diximus præcedenti sectione) frequenter illis diebus coruscabunt, & in tanta multitudine, & magnitudine, vt homines vehementer terreant. Et de hoc signo intelligi possunt multa quæ scribit Ioan. Apocalyp. 16. præsertim cùm scribit de septimo Angelo, qui effudit phialam suam, & accommodari etiam potest, quod ibidem scribit de quarto Angelo, qui effudit phialam suam in Solem, & datum est illi æstu affligere homines, & igni. Nam (si quis rectè consideret) quæ in illo, antecedentique capit. scribuntur, omnia videntur pertinere ad hoc tempus, de quo agimus post persecutionem Antichristi. Quæ autem prius scribit cap. 8. 9. & 10. de septem tubis, & calamitatibus per eas significatis, videntur maiori ex parte pertinere ad tẽpora, quę præcedent Antichristi aduentum. Sed illa omnia explicatu difficillima sunt, alienumq; esset à nostro instituto referre hoc loco, vel quæde iis scripsere alij, vel quæ excogitari à nobis possunt.

Apoc. 16.

Apo. 8. 9. & 10.

Secundo, inter signa ad elementum aeris pertinẽtia poni potest signũ crucis, quod in aere tũc apparebit, vt ait Christ. *Et tunc parebit signũ filij hominis in cœlo*, scilicet aereo: sed de hoc signo dicemus disput. sequẽti: existimamus enim anteceſſurũ iudicem ad iudicandũ descendentẽ. Possunt vero ad hoc elementum reduci tonitrua, & aliæ metheorologicæ impressiones inusitatiq; motus, qui in ventis fient, & magna aeris inclementia, tenebræ, aliaque similia, quæ in aere efficientur, & legi in prædictis locis Apocalypseos possunt.

Signa in aere futura. Matt. 24.

Tertio de aquis legimus Luc. 21. *Et in terris pressura gentiũ præ confusione sonitus maris, & fluctuũ.* Quibus verbis significãtur futuræ horribiles tẽpestates, & aquarum commotiones, quę strepitũ ingẽtẽ, & horrẽdũ efficiãt. Cũq; hoc annumeretur cũ signis futuris in cęlo, & in stellis, nõ est dubium quin ad hęc vltima tẽpora, & proxima iudicij signa pertineat. Vnde huc etiã spectãt,

Futura in mari iudicij signa quę. Luc. 21.

quæ Ioannes dicto cap.16.refert de duobus Angelis, *qui effuderunt phialas suas in mare, & in fluminа, & fontes aquarum, & factus est sanguis, & omnis anima viuens mortua est in mari.*

Signa in terris futura quę.

Quarto, de elemento terræ certum est, futuros esse magnos terræmotus, inter quos ille videtur mirabilis, quē his verbis refert Ioannes supra, *Et terræmotus factus est magnus, qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram, talis terræmotus sic magnus.* *Apocal.16* *Et facta est ciuitas magna in tres partes, & ciuitates gentium ceciderunt, & Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ eius.* Vbi per magnam Babylonem mundum intelligendum existimo, cum omnibus ferè expositoribus, tam eo loco, quàm cap.14.& 18. Nā si hæc loca interse conferantur, constabit non posse aliter commode exponi. Quæ autem sit ciuitas illa magna, an sit eadem Babylon, vel aliqua particularis ciuitas, incertum est: & fortasse est Ierosolyma, cum à ciuitatibus gentium distinguatur. Illud verò obscurius, & admirabilius est, quod de eodem terræmotu statim subiungit, *Et omnis insula fugit, & montes non sunt inuenti.* Et idem fere scripserat capite. 6. vbi referens similem terræmotum, ait, *Et omnis mons, & insulæ de locis suis motæ sunt.* *Apoca.6.* Quæ verba varijs modis possent exponi: sed nullum est incommodum, quod ad literam (vt sonant) intelligantur. Nam cum elementum terræ post iudicium alio perfectiori modo, ac figura constituendum sit, nihil mirum est, quod antea incipiat commoueri inusitato illo, ac stupendo modo. Quo etiam fiet, vt magna pars hominum intereat, & qui superstites mā serint ingenti concutiantur metu.

Signa in hominibus futura quæ.

Quinto, de hominibus duo potissimum signa leguntur in scriptura. Primum, quod eo tempore erunt perditissimi mores hominum. Nam de eorum fide legimus Lucæ. 18. dixisse Christum, *Luc. 18.* *Verumtamen filius hominis veniens, putasne inueniet fidem super terrā?* de caritate vero, & moribus dicitur Matthæi. 24. *Matt. 24.* *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum.* *Obiectio* Dices, visis tot signis, ac certis indicijs instantis iudicij, fieri non posse, quin multi homines ad fidem, & pœnitentiam conuertantur. Item licet verum sit, in aduentu Antichristi fore mores hominū perditissimos, vt late describit Hippolytus libr. de consummatione mundi, & Lactantius libr.7.capit.15.& 16.& Cyrillus Cat.15. tamen per Eliam, & Henoch multi conuertentur ad fidem: non igitur erunt tunc tam pauci credentes, nec tam perditi mores hominum. Respondetur, quanuis Elias, & Henoch multos homines sint in fide confirmaturi: tamen eos omnes fore paucissimos, si cum residua hominum vniuersitate conferantur. Cuius signum manifestum est, quia Apocalyp. 11. post necem Eliæ, & Henoch, dicitur, *Inhabitantes terram gaudebunt super illos, & iucundabuntur* &c. Si ergo huiusmodi futuri sunt homines illius ciuitatis, in qua ipsi prædicabūt, quales in reliqua orbis parte futuros credemus? Quapropter si per aduentum Domini intelligamus (sicut supra exposuimus) totum hoc tempus, in quo fient hęc proxima signa iudicij, satis manifestum est, quomodo vix inueniet fidem super terram. In illis autem diebus aliqui conuertentur, ex metu fortasse magis, quam ex vero amore: imo ita erunt perturbati, & terrefacti vt vix possint de sua salute cogitare. Vnde de illis dicitur Apoca.9. *In diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam, & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis:* & capit.6. de omnibus hominibus dicitur, *Absconderunt se in speluncis, & in petris montium, & dicunt montibus, & petris, cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni.* Et hoc ipsum est, quod Christus prædixit Lucæ. 21. *Erit in terris pressura gentium* (id est angustia) *arescentibus hominibus præ timore* &c. Atque hoc est secundum signum futurum in hominibus quod pertinet ad mala pœnæ, quæ illis diebus homines patientur. Nam omnia signa, quæ in cœlis, & elementis fient, eo tendent, vt de hominibus vindicta sumatur, & vt terrore concutiātur. Huc etiam spectant mortes assiduæ illis diebus futuræ, quæ legi possunt in prædictis locis Apocalyp. & in superioribus aliqua tetigimus, cum de generali resurrectione ageremus.

Hippolyt., Lactant., Cyri. *Responsio* *Apocal.11* *Apocal.9.* *Apocal.6* *Luc. 21.*

Vltimo, de signis futuris in alijs animalibus, plantis, & reliquis mixtis nihil fere est in speciali reuelatum præter ea, quæ diximus: tamen ex ijs facile est coniectare, qualia futura sint. Atque hic possunt acco-

accommodari, quæ scribit eleganter Lactant. lib. 7. cap. 16.

DISPVTATIO LVII.

In decem sectiones distributa.

De aduentu iudicis, & forma iudicij, eiusque fine.

DIsseruimus hactenus de iis, quę secũdum Christi domini aduentum antecedunt, & de signis omnibus, quæ in ipso mundi fine, & occasu fiẽt, sequitur, vt dicamus de iudicio ipso, formaque, ac modo, quo transigendum est. In qua re multa considerãda occurrunt. Videlicet conuocatio iudicandorum, aduentus iudicis, & sessio eius ad iudicandum: qui sint aut ab eo iudicandi, aut cum eo iudicaturi, discussio causæ, & prolatio sententiæ, qua iudicium finietur. Est autem supponendum ex superioribus, præsertim ex iis, quæ diximus agentes de generali resurrectione, prius quàm Christus ad iudicandum veniat, omnes homines esse morituros, quanuis multi ex illis eadem die, aut nocte, qua iudicium inchoabitur de hac vita migraturi sint. Porrò absoluta vita mortali omnium hominum, & similiter perfecta purgatione omnium animarum iustarum, incipiet audiri sonitus tubæ conuocantis homines ad iudicium, cuius virtute, & efficacia omnes mortui excitabuntur, & Iusti *rapientur in aera obuiam Christo*: reprobi verò congregabuntur in valle Iosaphat, vt supra diximus agentes de loco iudicij. His ergo ita dispositis incipiet iudex magna cum gloria, apparatuque descendere, præcũtibus nonnullis ignibus eius seueritatem, ac iustitiam ostentantibus, â quibus inchoandum nobis est.

SECTIO PRIMA.

Qualis sit futurus ignis, qui præcedet Christum ad iudicium venientem.

DIuina scriptura in omnibus fere locis, in quibus iudicij diem prædicit, ignis mentionẽ facit, qui Christum ad iudicium aduentantem antecedet, Psalm. 96. Isa. 66. Psalm. 96. *Ignis ante ipsum præcedet.* Isa. 66. *Quia ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius, reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis, quia in igne Dominus diiudicabit:* Et Ioel. 2. *Ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma.* Vnde Daniel. 7. de throno Dei iudicantis dicitur. *Thronus eius flammæ ignis, rotæ eius ignis accensus, fluuius igneus, rapiduſque egrediebatur a facie eius.* Denique Paul. 1. ad Corinth. 3. *Dies* (inquit) *Domini declarabit, quia in igne reuelabitur.* Ex iis ergo scripturæ locutionibus orta est proposita difficultas, in qua multa à nobis inquirenda sunt. Primum qualis futurus sit hic ignis, & consequenter, quomodo sint hæc scripturæ loca intelligenda. Secundo, propter quem finem, & consequenter ad quem effectum futurus est ille ignis, si verè futurus est sensibilis, & materialis. Ex quibus constabit tertium, scilicet, an ille ignis antecessurus sit iudicium, vel subsequuturus. Quarto causa, & origo illius ignis inquirenda erit.

Ioel. 2. Daniel. 7. 1. Corin. 3

Circa primum ratio dubitandi oritur ex eisdem testimoniis. In omnibus enim videtur esse sermo metaphoricus de igne. Sunt enim in igne plures proprietates, quæ ad metaphoricè significandum iudicium Christi, & aduentum eius sunt accommodatissimæ. Prima est claritas, ratione cuius dicitur Christus venturus ad iudicium *in igne*, quia non occultè, sicut prius, sed manifestè venturus est, iuxta illud Psalm. *Deus manifestè veniet*, & ita exponunt Sancti verba illa Matth. *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem, ita erit aduentus Filij hominis.* Vbi Euthymius, *Sicut fulgur egreditur, & omnibus in conspicuo est, & excessiuo suo splendore vniuerso apparet orbi: ita quoque erit aduentus ille, propter magnitudinem sui splendoris omnibus simul apparens.* Quam sententiam sumpsit ex Chrysostomo & eandem habet Augustinus lib. primo quæstionum Euangelic. capit. 38. Significatur præterea in claritate ignis, in Diuino iudicio fore omnia clara, & perspicua. Et ita explicat citatum locum Isai. Cyprianus, de bono patientiæ in fine, & Theodoret. in eum locum. Secunda proprietas est ardor, & efficacia, in quibus significatur zelus Diuinæ iustitiæ, & potestas ad vindictã sumendam de impiis, & hoc modo dicitur Sophon. 3. *In igne zeli mei deuorabitur omnis terra:* & Psal. 78. *Vsquequo Domine irascēris in finem? Accendetur velut ignis zelus tuus?* Et iuxta hanc metaphoram explicant

Psalm. 49. Matt. 24. Euthymius. Chrysost. Aug. Cyprianus Theodor. Sophon. Psalm. 78

Hieronym. Aug. prædicta loca Hieronym. Isai.66. & Augustin.20.de ciuit.cap.21.Tertia est subtilitas, & vis quædam ad discernendum, ac separandum ea, quæ diuersę sunt qualitatis, & hoc modo ipsum Dei iudicium appellatur interdum *ignis*, vt apud Daniel, cum dicitur. *Fluuius igneus, rapidusque orieba tur de ore eius*: nihil aliud significari intelligitur, quàm sententia à Christo proferenda, quæ tanquam fluuius igneus, & efficacissimus bonos à malis separabit. *Dan. 7.*

Et eodem modo satis aptè intelligitur illud.1.ad Corinth.3. *Vniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit.* Vbi Sedulius inquit *Examinationem iudicij igni voluit comparare secundum consuetudinem scripturarum.* Et eodem modo exponit Ambros. concione 20 in Psalmū.118. circa illud. *Vide humilitatem meam.* Et late Origenes lib. contra Celsum non longè à principio, vbi de fluuio ignis procedente à Deo recte etiam loquitur. Cōstat ergo ex his nullū esse in scripturis fundamentum, vt dicamus sensibilem, & verum ignem antecessurum Christum venientem ad iudicium, cùm omnia citata loca, & aptissimè prædictis modis exponantur, & à sanctis Patribus ita declarentur. Omitto, in multis eorum non esse sermonem ad literam de aduentu Christi ad iudicium: sed de alijs diuinis vltionibus, vt de locis Psalmorum, & Ioelis est communior expositio. Addo, *ignem* sæpe significare fulmina, aliasq; ignitas exhalationes, (vt in psalmis est frequentissimum) ergo etiamsi velimus asserere, sensibilem ignem antecessurum diem iudicij, sufficient ad hoc verificandum illa ignea signa, quę diximus futura in ipso mundi occasu, antequam veniat iudicium ipsum: ergo non oportet fingere alium ignem materialem, qui in ipsomet iudicij die iudicem præcedat. Et confirmatur, quia nulla potest excogitari ratio sufficiens, vel effectus, propter quem hic ignis requiratur. Quia neque ad claritatem, vel maiestatem Christi spectat, (quid enim claritati, ac glorię Christi cōferre potest sensibile elementum?) neque etiam tunc est necessarius ad vindictam malorum. Vel quia nōdum est sententia prolata, vel certe, quia ipso igne inferni pro eorum meritis satis cruciabuntur. *1.Cor.3 Sedul. Ambros. Psalm.118 Origenes*

Ignis verus & sensibilis in die iudicij futurus

Nihilominus dicendum est, ignem verum, atque sensibilem futurum in die iudicij, & probabile esse præiturum aliquo modo aduentum, & præsentiam iudicis. Hanc conclusionem docent omnes Theologi in.4.dist.47.& 48.quanuis non omnes eodem modo illam intelligant. Et obiectiones factę conuincunt, non omnia scripturæ testimonia in principio adducta satis esse ad hanc assertionem confirmandam. Prior igitur eius pars potissimum nititur testimonio Petri. 2. epistol. capit.3. vbi sic inquit, *Ille tunc mundus aqua inundatus perijt: cœli autem, qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum.* Vbi ex antithesi diluuij aquæ ad diluuium ignis, constat, non metaphoricè, sed proprie loqui de igne sensibili. Quod manifestius infra explicat, dicens, *Elementa calore soluentur: terra autem, & quę in ipsa sunt, opera exurentur*: & inferius, *elementa ignis ardore tabescent.* In quo loco fundatur recepta veritas de igne conflagrationis in die iudicij futuro, ex sententia omniū antiquorum Patrum, & theologorū, quos infra referemus. *2.Petri.3*

Vt verò rationem huius veritatis reddamus, simulque posteriorem conclusionis partem probemus, oportet accedamus ad secundum punctum in principio sectionis positum, scilicet, propter quem finem futurus sit hic ignis in die iudicij. De qua re variæ sunt sententię. Prima est, illum ignem futurum esse, partim, vt breui interficiat homines, quiviui reperientur in die iudicij, partim vt purget iustorum maculas, si aliquæ in eis inueniantur. Ita docet Anton. 4.p.tit. 14.cap. 11. §. 3. Bona. sup. q. vltima. & alij scholastici infra citandi. Idemque videtur indicare August. lib. 50 humiliar. in 16. Iuxta quam sentētiam, ignis hic non tantum antecedet venientem iudicem: sed etiā mortem, & resurrectionem hominum. Sed licet demonstrare nō possimus, hanc sententiā esse falsam, quia neque est impossibilis, neque reuelatum est, nonita esse futurum: ostendere tamen possumus, eam nullo fundamento niti. Quia ad hominum necem non erit ignis necessarius: nam constat, multis aliis modis posse Deum mortem eorum hominū disponere. Præterea aliqui iusti morientur, qui nulla indigebunt purgatione, quos non est credibile viuos esse igne comburendos, vt Richardus, & nonnulli ex scholasticis distinctione. 47. notarunt. Nam quod alij dixerūt diuinitus *Bonauent. Antoninus Aug. Richardus*

efficien-

efficiendũ esse, vt vini comburantur sine sensus dolore, qua facilitate dicitur, reiici potest, quia est miraculum sine fundamento confictum. Denique supra ostendimus ex sententia multorum Patrum iustos, qui viui inuenientur in die iudicij, non esse comburendos, neque in cineres resoluendos. Rursus neque ad purgationem Iustorũ erit ille ignis necessarius. Partim enim purgabuntur in hac vita per alias tribulationes, quæ illo tempore maximæ erunt: partim post hanc vitam in ipso loco, & igne purgatorij. Cùm enim prius morituri sint, etiam si breuissima mora inter mortem, & resurrectionem sit futura, non manebunt animæ separatæ in hoc mundo, vt in illo igne purgentur: sed sicut animę iustæ, & perfecte purgatę statim recipientur in cælum etiam pro illo modico tempore, animæ verò damnatæ descendent in infernum: ita animæ purgandæ descendent in locum purgatorij. Hęc est enim ordinaria lex, à qua non est facienda exceptio sine fundamento. Propter hunc ergo finem nõ erit hic ignis necessarius, sed sufficit ignis purgatorij, de quo loquitur Augustinus citato loco, & clarius lib. de ver. & falsa Pœnit. cap. 8. Neque obstat, quod Anton. ait, post iudicium non esse futurum ignem purgatorij, quo ad finem purgandi. Quia hæc purgatio, de qua agimus, non subsequetur iudicium, sed præcedet.

Aug.

Secunda sententia est, hunc ignẽ requiri, vt purgetur, ac purificetur mũdus. Quę sententia duo supponit. Primum est, mundum esse purgandum per ignis conflagrationem, quod est certissimum, sed non est à nobis tractandum vsque ad sequentem disputationem propter ea, quæ dicemus. Alterum est, hanc purificationem, & conflagrationem mundi faciendam esse ante iudicis aduentum, vel etiam ante hominum resurrectionem. Ex quo recte concluditur huiusmodi ignem antecessurum aduentum iudicis: imò & sonitum tubæ excitantis homines ad iudicium. Hanc sententiam indicat Beda libro de ratione tempor. capit. 69. clarius eam docet D. Thom. in 4. distinct. 47. quæstio. 2. articul. 3. Vbi Mag. eandem sententiam tenet, Durand. quæstio. 3. Paludan. quæst. 1. Maior. quæstio. 2. Supplem. quæstio. 2. articul. 3. Richardus articul. 2. quæstio. 4. & 5. & Sotus distinctio. 48. quæstio. 1. articul. 1. & 2. Fundamentum eorum est.

Bed. D. Thom. Magist. Durand. Palud. Maior, Sup. Gab. Richard. Sot.

A Quia mundi innouatio, hominumque resurrectio simul futura est. Sed mundi purgatio per ignem antecedet innouationem mundi, quia est quædam dispositio ad illam (vt infra dicemus) ergo antecedet etiam hominum resurrectionem, & à fortiori iudicium. Maior propositio probatur, quia mundi innouatio erit propter glorioſa corpora hominum, iuxta illud ad Roman. 8. *Ipſa creatura liberabitur a ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*: ergo innouatio mundi, & glorificatio hominum simul fient: ergo & resurrectio. Quia Iusti simul ac resurgent, habebunt corpora glorioſa. 1. ad Corinthio. 15. Hæc sententia est probabilis, præcipuè propter autoritatem tantorum doctorum.

Rom. 8.

1. Cori. 15

B Nihilominus probabilius censeo, hũc effectum purgationis mundi non esse antecessurum iudicium, sed subsecuturum potius, atque adeo ob hanc rationem, non esse necessarium, vt ignis aliquis iudicis aduentum præcedat. Quam sententiam tenet Bonauentura in 4. distinctio. 47. articul. 2. quæstio. 4. Sed (quod me maxime mouet) est expressa Augusti. 20. de Ciuitat. capit. 30. in fine, vbi cùm numerasset omnia quæ futura sunt in die iudicij, & vltimo loco mundi conflagrationem, & renouationem posuisset, concludit iis uerbis, *Quæ omnia quidem uentura esse credendum est: sed quibus modis, & quo ordine ueniant, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc valet consequi ad perfectum hominum intelligentia. Existimo tamen eo, quo à me commemorata sunt, ordine esse uentura.* Respondent Scholastici, Augustinum opinãdo fuisse loquutum. Sed nec nos asserimus, hoc esse certum, sed tanquam Augustini opinionem, & probabiliorem illam eligimus. Neque Augustinus videtur in ea fuisse valde dubius. Nam sæpius in eo libro ea vtitur, vt capit. 16. *Iudicatis (inquit) hominibus, tunc figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione prætcribit, sicut factum est mundanarum aquarum innundatione diluuij.* & capit. 18. *Quærat (inquit) aliquis, si post factum iudicium mundus iste ardebit, antequã pro illo cælum nouũ, & terra noua reponãtur, eo ipso tẽpore conflagrationis eius ubi erunt Sancti?* Et respõdet vel futuros esse in superioribus locis, ad quæ ignis nõ pertinget, vel etiam si illuc perueniat,

Mundi purificatio per ignem subsecuturo potiusnõ antecessura uniuersaliciũ Bon. Aug.

talia esse futura sanctorum corpora, vt ab eo lædi nequeant. Augustinum in omnibus secutus est Iulianus Pomerius libr. 3. Prognost. cap. 46. & sequentibus. Idem docet Anselmus in Elucidario, vbi sic ait, *Peracto iudicio diabolus cum omnibus impijs in stagnum ignis ardentis præcipitabitur: Christus vero cum sponsa sua, id est, omnibus electis, cum triumphali gloria in ciuitatem patris sui cœlestem Ierusalem reuertetur.* Et infra inquirit, *Quid postea de mundo erit?* respondet, *Conflagrabit.* Eandem sententiam indicat Prosper in dimidio temporis capit. 19. & 20. Nam prius iudicium, postea ponit ignem conflagrationis. Conflagrationis vero sunt, prima, quia ignis conflagrationis etiam iuxta autores prioris sententiæ duraturus est, & habiturus aliquem effectum post iudicium: ergo non est credibile, totum illum ignem venturum ante iudicem, & duraturum, quandiu iudicium durabit. Nam iuxta communem sententiam ille ignis replebit totum mundum, & ascendet super omnes montes: ergo oportebit: vel omnes iudicandos esse intra ipsum ignem, vel explicari non potest sine multis miraculis vbi nam toto illo tempore futurus sit. Secundo, quia omnes Theologi dicunt, mundum esse purgandum, quia est veluti fœdatum peccatis hominum: sed, cum ante iudicium finitum damnati homines futuri sint in hoc mundo, sua præsentia, suisque blasphemijs illum iterum fœdabunt: ergo donec prorsus sint ab hoc mundo pulsi, nondum est oportunum tempus purgandi illum. Neque etiam ex parte Beatorum est necessitas, vel oportunitas. Quia non est necesse, vt in ipso momento resurrectionis, ante auditam sententiam, consequuti sint gloriæ statum, quo ad omnia accidentalia intrinseca, & extrinseca. Quia nec Christus Dominus hoc est in sua resurrectione omni ex parte consequutus: neque enim statim est propter illum totus mundus renouatus, quanuis magis hoc ei sit debitum, quàm omnibus hominibus. Satis ergo est vt omnes iusti in sua resurrectione consequantur intrinsecam gloriam corporis, & animæ, & quòd reliqua extrinseca paulo post debito ordine, oportunoque tempore illis conferantur, & hoc amplius patebit ex disputatio. sequenti. Ex hoc igitur capite non est etiam necessarium, vt ignis antecedat.

Tertia sententia est, finem huius ignis esse ad probandos, vel purgandos homines iam resuscitatos, & bonos à malis discernendos. Hæc sententia fuit aliquorum antiquorum Lactantij lib. 7. cap. 21. vbi, cum dixisset, omnes iniquos in resurrectione esse igni tradendos, subdit, *Sed et iustos cum iudicauerit Deus, etiam igni eos examinabit. Tum quorum peccata vel numero, vel pondere præualuerint, perstringentur igni, atque amburentur: quos autem plena iustitia, & maturitas virtutum incoxerit, ignem illum non sentient. Habent enim aliquid in se Dei, quod vim flammæ repellat, ac reijciat. Tanta vis est innocentiæ, vt ab ea ignis ille refugiat innoxius, qui accipiet a Deo hanc potestatem, vt impios vrat, iustis obtemperet,* & Origenes. homil. 14. in Lucam explicans illa verba, *Postquam impleti sunt dies purgationis* Mariæ, ita inquit: *Ego puto, quod & post resurrectionem ex mortuis indigeamus sacramento eluente nos, atque purgante. Nemo enim absque sordibus resurgere poterit.* Vnde homili. 3. in Psalm. 36. *Ego* (inquit) *arbitror, omnes nos venire necesse est ad illum ignem, etiamsi Paulus sit aliquis, vel Petrus veniet tamen ad illum ignem sed illi tales audiunt, etiamsi per ignem transeas, flamma non aduret te, si vero aliquis similis mei peccator sit, venict quidem ad ignem illum, sicut Petrus, & Paulus: sed non sic transiet, sicut Petrus, & Paulus.* Eandem doctrinam habet libr. 8. in epistol. ad Romanos sub finem. Verum est Origenem in his duobus posterioribus locis non loqui apertè de igne conflagrationis, sed absolute de igne, quo puniuntur & purgantur peccata. Idem tamen Origenes homilia. 13. in Ierem. *Si quis* (inquit) *in secunda resurrectione seruatur, iste peccator est qui ignis indiget baptismo, qui combustione, purgatur, vt quidquid habuerit lignorum, fœni, & stipulæ, ignis consummat.* Sed in hoc etiam loco videtur alludere Origenes ad errorem suum, quòd omnia peccata tandem per ignem purgentur. Cæsarius verò Arelatensis homilia. in id. 1. ad Corinth. 3. *Saluus erit, sic tamen quasi per ignem*, dicit, si vsque ad diem iudicij aliquorum iustorum peccata non fuerint plenè purgata, post resurrectionem esse igne purganda. Ambros. etiam enarrat. in Psalmū. 36. circa illa verba, *Gladius eorum intret in corda ipsorum*, dicit, omnes nos igne examinandos, & videtur loqui de die iudicij. Nam adducit illud Malach. 3. *Quis sustinebit diem aduen-*

Iuli. Pom.
Anselmus.
Prosper.
Ignis conflagrationis quando futurus.
Lactant.
Origenes Luc. 2.
1. Cor. 3
Ambros. psalm. 36.

aduentus eius? Ipse enim quasi ignis conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & subdit, *Igne ergo purgabuntur filij Leui, igne* Ezechiel *igne* Daniel. *Sed ij, etsi per ignem examinabuntur: dicent tamen, Transiuimus per ignem, & aquam. Alij in igne remanebunt, &c.* Similia reperit sermo. 5. & 20. in Psal. 118. Hilar. etiã. Psal. 118. octonario tertio in principio, inter alia remedia ad purgandas animas ponit ignem iudicij, quo Deus nos decoquet. Et inferius circa illa verba, *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore*, ait, *An, cum ex omni otioso verbo rationem simus præstituri, diem iudicij concupiscimus, in quo subeunda sunt grauia illa expiandæ a peccatis animę supplicia.* Rursus glosa interlinealis in id Daniel. 7. *Thronus eius flammę ignis* (inquit) *vt malos puniat, bonos purget*: & Glossa ordinaria, *Vt peccatores peccatorum magnitudinem pertimescant, & iusti saluentur, sic tamen quasi per ignem.* Quæ verba sumpta sunt ex commentariis Hieronymi, qui etiam obscurè loquitur libr. 3. in Amos circa illud capit. 7. *Ecce vocabit ignem ad iudicium*: & super Psalm. 96. & 103. si tamen eius sunt illi commentarij. Denique Ecclesia in officio defunctorum sæpe repetit, *Iudicaturum sęculum per ignem*, quia nimirum omnes sunt per ignem examinandi, & purgandi. Atque ita iuxta hanc sentẽtiam necesse est, vt ignis antecedat iudicem, tanquam instrumentũ Diuinæ iustitiæ.

Hilar. Psal. 118. Daniel. 7. Glo. ordi. Hieron. Amos. 7.

Veruntamen hæc sententia proprie intellecta manifestum errorem continet, nisi piè explicetur. Nã in primis asserere omnes iustos purgandos esse per ignem, prius quàm ad Beatitudinem perueniant, est hęreticum contra aperta dogmata fidei. Primum, de iis, qui in hac vita nunquam peccauerunt venialiter, & gratiam sunt assequuti, vt sunt beata Virgo, & Infantes, qui suscepto lauacro regenerationis moriuntur. Secundum, de Martyribus, quibus peccata remittuntur, quoad culpam, & pœnam, & idem est de omnibus baptizatis si statim moriantur. Et de aliis etiam certò constat, posse in hac vita perfecte satisfacere: asserere autem neminem id facere temerarium est, & sine fundamẽto. Tertium, quia Paul. 1. ad Corinth. 13. aliquos dicit saluari *per ignem*, qui ædificant lignum, fœnum, & stipulas: non vero eos, qui ædificant aurum, argentum, & lapides pretiosos, vt recte exponit Augustinus Psalm. 37. & tradit Hieronymus libro 2. contra Iouinian. & definit Concil. Florentin. sessio. vltima. Neque contra hoc inuenio aliquod fundamentum contrarij erroris. Quòd si non sit sermo de omnibus Sanctis absolutè: sed de omnibus illis, qui purgatione indigent, sic etiam non potuit prædicta sententia, nisi ex alio damnato errore oriri. Qui enim opinantur, animas hominum non iudicari in morte, nec præmium, aut pœnam recipere, sed reseruari in abditis receptaculis, vsq; ad iudicium vniuersale, consequẽter dicunt, sicut non accipiunt homines vltimum præmium, vel pœnam: ita neq; etiã purgari, donec sint facta generalis resurrectio, & iudicium: ex quo satis consequẽter dicere potuerunt, purgandos esse homines igne conflagrationis. Atq; hoc modo procedit Lactan. citato loco. Reliqui enim non tam aperte rem explicarunt. At verò suppositа fidei sententia, animas singulorũ hominum statim in morte iudicari, & cõdignam pœnam, aut præmium recipere (præmissa purgatione, si illa indigent) necessariò sequitur, post resurrectionem, nullam esse futuram hominum purgationem. Quia damnati nunquam purgabuntur, sed perpetuò punientur, vt contra Origẽ. late tractat Aug. 21. de Ciui. c. 27. Iusti verò nihil iam purgandum habebunt. Tum quia iã pœnas debitas in purgatorio persoluerunt, & Deus *non iudicat bis in id ipsum*. Tum etiam, quia cum iam sint beati, necesse est vt sint omnino mundi, quia nihil coinquinatum introibit in cœlestẽ ciuitatẽ. Et iã non sunt capaces doloris, & tristitiæ. Et ita hæc veritas euidenter sequitur ex principiis fidei, loquendo generatim de Sanctis hominibus. Illud verò, quod specialiter indicabat Cæsarius, fieri posse, vt tempore generalis resurrectionis, aliquæ inueniantur animæ iustæ, non plene purgatæ, quę prius suis corporibus vniantur in resurrectione, quàm beatæ fiãt, & ideo purgari possint corpore, & animo per hũc ignem: hoc (inquam) non videtur tam clare repugnans prędictis principiis fidei. Nihilominus omnino falsum, atque erroneum censendum est. Quia teste Paulo. 1. ad Corinthio. 15. duo tantum sunt ordines resurgentium, vnus iniquorum, qui resurgent quidem, sed non immutabuntur: alius Iustorum, de quibus Paulus ait, *Primitię*

Lactantius. Aug.

Christus, deinde ij, qui sunt Christi, atq; de eis dem postea subiungit, *seminatur corpus animale, surget spirituale*, & 1. ad Thessalon. 4. *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus.* Ergo nulli erunt iusti post resurrectionem purgandi, sed omnes in corporibus gloriosis resurgent. Et hic est communis consensus Catholicorum omnium. Neque est quod timeamus ne in puncto resurrectionis sint aliquæ animæ iustæ nondum perfectè purgatæ. Diuinæ namque prouidentiæ facillimum erit, omnia ita disponere, & talem purgationis modum, aut pœnæ mensuram singulis accommodare, vt omnium purgatio conuenienti tempore, ad generalem resurrectionem definito, perfecta sit. Alioqui eodē modo dici posset, aliquos esse post generale iudiciū purgandos, quod est omnino falsum, vt docet Aug. 21. de ciuit. cap. 16. Probatur sequela, nam fieri poterit, vt eo tempore non sit perfecta purgatio. Vel certè fingere quis poterit, inter generalem resurrectionem, & iudicium longum tempus esse futurū, vt prius hominum purgatio possit absolui. Quod si quis dicat, Deum esse prouisurum, vt breue tempus ad hoc sufficiat, multo melius dicet Deum prouisurum, vt nullum tempus sit ad hoc necessarium, sed vt omnis purgatio ante resurrectionē, perfecta sit.

1. Cor. 15. 1. Thess. 4. Aug.

Obiectio Dices, cùm homo animo, & corpore cō stans peccata committat, cur non etiam in corpore, & animo purgandus erit? Aut saltem, quod est incommodum, vt hic purgationis modus in aliquibus locum habeat?

Responsio Respondetur, totam rationem culpæ, & offensæ diuinæ in anima existere: corpus vero solum esse organum, quo anima vtitur, & ideo perfectam purgationem in sola anima fieri, vel potius consummari. Semper enim necesse est, vt satisfactio pro culpa commissa in corpore incipiat, & ab ipso homine adhuc in carne viuente fiat, saltem per contritionem, & dolorem, atque ita semper corpus aliqua pœna afficitur: & ipsa etiam mors, imō & corruptio, quæ post illam sequitur, quædam est peccati pœna. Igitur (si quid reliquum est) in anima ipsa expiari potest, quæ nobilissima pars est hominis, & præcipua causa peccādi. Noluit autem Deus aliquid purgandū post resurrectionem reseruari. Quia, aut id futurū erat in omnibus iustis, & hoc non expediebat, tum quia non omnes indigēr tanto tempore, vt purgentur: tum etiam, quia alias priuandi essent beatitudine vsque ad resurrectionem, quia non essent antea plene purgati. Vel futurum tantum erat in aliquibus, & hoc etiam non expediebat, tum quia non erat maior ratio de quibusdam, quàm de alijs: neque erat maior necessitas, vt explicatum iam est. Tum etiam quia fuit expediēs, vt generalis resurrectio in omnibus esset eiusdem rationis, & veluti terminus vltimus, & immutabilis viatorum hominum. Relinquitur ergo, vt neque propter hunc finem, vel effectum sit necessarius ignis, qui aduētum iudicis antecedat. Quomodo autē pie possint explicari sancti, præsertim Amb. Hieron. & Hilarius, statim dicemus.

A B C

Quarta igitur sententia est, vēturum esse ignem ante faciem iudicis venientis ad generale iudicium, vt statim terreat damnatos, eosque punire incipiat. Sicut enim corpora beatorum statim, ac resurgent incipient frui dotibus glorioſis, attolliq; ad cœlestia cum Christo: ita è contrario dānati statim incipient pœnam sensus etiā in corporibus experiri, & ab igne detineri, & cruciari: & ideo necesse est, vt ante iudicem ignis adueniat, qui saltem eum locum occupet, in quo erunt corpora damnatorum. Et hoc sensu existimo, hanc sententiam esse valde probabilem, & scripturæ consentaneam propter duo præsertim testimonia. Prius est illud psal. 49. *Deus manifeste venict, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tēpestas valida.* Nā hic psalmus, iuxta cōmuniorem expositionem ad literā, de aduentu Christi ad iudicium intelligitur, & potest propriè de igne intelligi, imō nisi ita exponatur, non potest commode declarari quomodo ignis ille antecessurus sit. Præterea verbum illud, *exardescet*, & quod postea sequitur, *tempestas valida*, satis indicant sermonem esse de vero igne sensibili. Alterū testimoniū est Pauli 2. ad Thessalo. 1. *In reuelatione Domini Iesu de cœlo, cū angelis virtutis eius, in flamma ignis dantis vindictam ijs, qui non nouerunt eum.* Ex quo loco simul etiam videtur probari, & hunc ignē esse futurum, & ad quem finem: nimirum ad terrorem, & vindictam malorum: non vero ad iustos interficiendos, vel purgandos.

Ignis Christum iudicē præcessurus quem sit effectum habiturus.

Psal. 49.

2. Thess. 1.

dos. Et videtur alluſiſſe Paul. ad locum citatum ex Pſal.99. *Ignis ante ipſum præcedet,*
Pſal. 96. *& inflammabit in circuitu inimicos eius.* Quod etiam teſtimonium contemnendum non eſt. Nam licet alium poſsit fortaſſe habere ſenſum: tamen de ſecundo Chriſti aduentu videtur illud citaſſe Paul. ad Hebr.
Hebræo. 1 1. Præterea cùm cætera ſcripturæ teſtimonia poſsint hoc modo facile intelligi, & in eo nullum ſit inconueniens: ſed per ſe potius ſit valde credibilis, rationi q; conſentaneus, nulla ratione negandus videtur. Adde, ſic quoque optime intelligi illa verba Eccleſiæ. *Qui venturus eſt iudicare ſęculum per ignem*: & omnes aliæ Sanctorum locutiones huic ſententiæ fauent, & ſi in aliquibus eſt vlla difficultas, iuxta eandē conuenienter poteſt expediri, vt ſtatim dicam. Signum ergo eſt, eſſe veram.

Sancti quomodo igne probari pur gari ve dicantur.

Ex hac igitur reſolutione intelligitur. Primò, quomodo explicari poſsint ſancti Patres præſertim Ambr. Hieron. & Hilarius cum interdum dicunt, omnes iuſtos per ignem eſſe purgandos, aut probandos, vel examinandos. Si enim in omni rigore, & proprietate hæc verba exponantur, aliud eſt probari igni, aliud purgari. Nam *probari*, ſolum ſignificat, per actionem, & quaſi teſtimonium ignis oſtendi alicuius innocentiam, & ſanctitatem. Quomodo dici poſſunt *probati per ignem* tres pueri, Babylone. Quia in camino ignis eorū fides, & religio probata eſt, quanuis ipſi purgati non fuerint, iuxta illud pſalmi, *Igne me*
Pſalm, 16. *examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.* *Purgari* autem propriè ſignificat purificari, & mundari, & ideo in rigore ſupponit maculam in eo, qui purgatur. Sancti ergo (quidquid ſit de Lactan. & Origene) non ſentiunt, omnes ſanctos eſſe purgandos, ſed interdum ſignificant, eſſe probandos per ignem iudicij, quod poteſt intelligi, quaſi negatiue, quia ignis ille crucians dānatos, & Sanctos non attingens, eorū ſanctitatem, & iuſtitiam quaſi probabit, & conteſtabitur. Quod ſi interdum de purgatione loquantur, neque abſolute de omnibus Sanctis loquūtur, ſed de ijs, qui purgatione indigebunt, neque de igne conflagrationis: ſed de igne, quo purgantur peccata: imo neque de iudicio vniuerſali, ſed
Hilar. Basil. abſolute de iudicio diuino. Quomodo loquitur apertè Hilar. loco citato, & Baſilius in. 4. ca. Iſaię, circa illa verba, *Expurga-*
Iſa. 4. et 9 *bit Ieruſalem in ſpiritu iudicij*: & cap. 9. circa illa verba, *In indignatione Domini ſubuerſa eſt terra*: & Hieron. Sophon 1. circa illa verba *Vox diei Domini amara*, quę, dicit, poſſe referri & ad conſummationem mundi, & ad vniuſcuiuſque exitum vitę, & ſubdit, eam diem dici *amaram*, quia etiam ſancti (quanuis ſaluentur) ſed tamen, *ſic quaſi per ignem*, vbi nec generaliter de omnibus ſanctis loquitur, nec de igne conflagrationis: ſed, an guſtiæ, & tribulationis, vt ſtatim explicat. Atq; eodē modo Aug. li. 6. cōtra Iuliā. ca. 5. dicit, nulla peccata remitti in regno, ſeu reſurrectione (vt priꝰ explicauerat) aliqua vero remitti in iudicio nouiſsimo: quod neceſſe eſt, intelligi de iudicio particulari.

Hieronym. Sophon. 1.

1. *Cori.* 3. *Aug.*

Secundo ex ſuperiori ſententia intelligitur, quo tempore, ſeu ordine anteceſſurus ſit ignis vniuerſale iudiciū. Quatuor enim dicendi modi ex dictis colligi poſſunt. Primus, futurum illum ignem poſt peractum iudicium, & nullo modo præuē
B turum iudicem. Sed quanuis omnes autores doceant, duraturum illum ignem vſq; ad peractum iudicium: tamen nullus negat, quin aliquo modo ſit etiam iudicium anteceſſurus. Et ideo contraria ſententia nullomodo probanda eſt, præſertim cùm non ſit conſentanea ſcripturis. Secundus modus eſt, venturum illum ignem ante generalem mortem hominum. Et hunc tenet aperte Lactan. lib. 7. cap. 19. vbi etiam ante mortem Antichriſti dicit, venturum hunc ignem, quod ſingulare eſt, & ſine fundamento confictum, ſicut pleraque alia, quæ in eodem cap. ſcribit. Aliter vero ſequuntur hunc modum multi ex ſcholaſticis, vt ſupra vidimus. Tertius modus eſt, venturum hunc ignem poſt mortem omnium hominum ante generalem reſurrec
C tionem: in tanta vero magnitudine, vt mūdum vniuerſum repleat, vt illum purgare poſsit. Sed hi duo modi nobis nō ſunt probati. Quartus eſt, vt ſtatim poſt reſurrectionē hominum mittatur hic ignis, non tamen in tanta quantitate, ſed in ea, quæ ſufficiat ad inuoluendos homines dānatos, & occupandum totum locum, in quo ipſi fuerint: & hic modus nobis probatur propter ea, quæ diximus. Vnde conſequēter dicendum eſt, hunc ignem in ea quantitate, loco, & actione permanſurum quādiu durauerit iudicium: eoverò finito multiplicandum eſſe, & augendum, vt vniuerſum mundum poſsit amburere. De quo infra dicturi ſumus.

Lactantius

Ignis Christum iudicē præcessurꝰ cuius naturę sit, & o rigins.

Tertio colligitur etiā ex dictis resolutio vltimę dubitationis in principio huius sectionis positæ, scilicet, cuius naturæ, & originis futurus sit huiusmodi ignis. Erit enim eiusdem naturæ cū igne inferni. Nā ad eundem effectum mittetur, & assumetur vt instrumentum Diuinæ iustitię. Vnde, sicut ignis inferni corporeus est, eiusdemque rationis cum elementari, iuxta receptam fidei sententiā, quæ alio loco demonstranda est: ita non est dubium, quin hic ignis elementaris futurus sit. Quin potius aliqui existimant, ignem illum ab ipso inferno esse diuina virtute reuocandū.

Lactant.

Sed multo verisimilius est (quod Lactan. supra dicit) ê superiori regione demittēdum. Id enim magis significant Scripturæ, & ad repræsentandam Diuinam iustitiam, & terrorem, ac iram aduenientis iudicis multo magis est consentaneū. Et quanuis verum sit (quod Aug. ait 20. de Ciuit. cap. 16.) neminem posse scire, vnde generandus sit hic ignis: facile tamen intelligi potest, esse Diuina virtute procreandum, vbi conuenientius fuerit, vel applicando actiua passiuis, vel solo Christi imperio, vt iterum latius dicemus disputat. sequenti, agentes de igne conflagrationis.

Aug.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum signum Crucis præcessurum sit iudicem tanquam proprium eius vexillum.

Matt. 24. Signum crucis in die iudicij apparituru.

QVæstio hæc orta est ex verbis illis Christi domini Matth. 24. *Tunc parebit signū Filij hominis in cœlo, & tūc plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli.* Hoc enim signum nullum aliud esse futurum, quàm crucem Christi, omnes Patres summa cōsensione docent exponēteshęc loca, Chrysost. & Græci, Hieron. Hilar. Beda, omnesque Latini. Idem Chrys. optimè homil. de cruce, & latrone, cuius sententiam refert, & probat Leo magnus epist. 97. ad Leonē Augustum. Idē, Autor imperfecti in Matthæ. hom. 49. Hilarius etiam lib. 3. de Trinitat. & Augustinus latè, atque eleganter ser. 130. de tempore. Ac denique Ecclesia canit, *Hoc signum erit in cœlo, cum Dominus ad iudicandū venerit,* & ex ipsis verbis Christi id satis colligitur. Quia nullum aliud potest per antonomasiam dici *signū Christi.* Vt enim ait Cyril. Ierosolym. cat. 15. *Signum verum, & proprium Christi est crux.* Apparebit autem tunc hoc signum (vt Aug. ait,) *Vt agnoscant consilium iniquitatis suæ, qui Dominum maiestatis crucifixerunt.* Quia verò (vt Paul. ait) omnes qui mortaliter peccant, iterum (quod in se est) Christum crucifigūt, ideo apparebit etiam hoc signum ad arguendos, & cōfundendos omnes peccatores, & ideo post illud signum subiunxit Christus, *Tunc plangent omnes tribus terræ, Videntes* (ait Aug.) *accusatorem suum, id est, ipsam crucem, & in ipso arguente cognoscēt peccatum suum. Sero, & frustra fatebuntur impiam cæcitatem.* Apparebit denique hoc signum ad consolationem, & gaudium Iustorum. Videntes enim signum, quo sunt redempti, summa consolatione, & gaudio afficientur. Quia (vt Cyprian. dixit serm. de natiuit.) *Non timetur mortis periculum, vbi tā tę reuerentiæ conspicitur signum.* Hac ergo veritate suppositā, tria nobis explicāda sunt. Primū, quæ, & qualis futura sit illa crux. Secundum, quando sit apparitura. Tertio, quomodo deferenda sit ante iudicē, & an cum illa, alia etiam passionis insignia ferenda sint.

A

B

C

Hebręo. 6

Cypriann.

Circa primum aliqui existimant, crucē illam, é qua Christus pependit, fore in die iudicij reformandā (collectis, atque inter se se cōpactis particulis omnibus, quæ per vniuersum mundum dispersæ sunt) in cœliscque leuandam, & coram Christo ad iudicium veniente deferendam. Ita sentit Vualdens. tom. 3. de sacramentalib. tit. 20. cap. 158. & existimat esse sententiā Chrysost. dicta homil. de cruce, & latrone, vbi sic ait, *Crucem solam non reliquit in terra, sed secum eam leuauit ad cœlum, & ideo cum ipsa veniet, cum ipsa secundam gloriosam suam præsentiam faciet.* Afferri etiam potest pro hac sententia S. Ephrem lib. de vera pœniten. capit. 4. vbi agens de iudicio sic inquit, *Videbimus pretiosam, ac viuificam crucem in cœlo lucentem, omnesque fines orbis terrę vltra Solis claritatem illustrari. Vbi vero viderint omnes regium istud, ac tremendum sceptrum in cœlo reuelari, iam tunc agnoscent singuli continuo ipsum quoque Regem reuelandum, qui in illo cla uis affixus est.* Indicauit etiam hoc Sybilla lib. 6. in fine, his carminibus.

Vualdens.

Chrysosto.

Ephrem.

Sybilla.

O lignum fœlix, in quo Deus ipse pependit,
Nec te terra capit, sed cœli tecta videbis,
Cum renouata Dei facies ignita micabit.

Hæc sētētia impugnatur à quibusdā Scholasticis hoc argumēto: quoniam post diē iudicij omnia mixta, præter hominem, re-

Hieronym. Hila. Bed. Leo Papa, Aug.

Cyri, Ier.

soluenda sunt in elementa. Sed hęc ratio parui momenti est, tum quia eo tempore, quo crux apparebit, nondum erit facta omnium mixtorum resolutio: tũ etiam, quia etiãsi alia mixta essent resoluta, facile posset Deus illud pretiosum lignum conseruare. Imo non desunt, qui existiment perpetuo esse in cœlis conseruandum, veluti immutatum ad statum incorruptibilitatis corporũ gloriosorũ, eò quod speciali modo fuerit nostræ redemptionis instrumentum, & altare, in quo Christus seipsum in sacrificiũ obtulit. Hæc igitur opinio nullo argumento efficaci conuinci potest falsitatis, sed solum incertitudinis. Quia nequit sufficienti autoritate fundari. Nam scriptura, & Ecclesia solum dicit, signum crucis futurum in cœlo, quãuis autem ipsa crux, in qua Christus pependit, possit dici signum crucis, quia habet crucis figuram: tamen ex vi illorum verborum, solũ potest colligi figuram crucis in aere appariturum, ex aere lucido, vel igne formatã.

Aug. Præterea sancti docent, illam crucem futuram esse conspicuam vniuerso orbi, & Aug. ait, tãtam esse futuram illius crucis claritatem, vt in conspectu eius neque luna, neque sol possint apparere. At verò sola crux lignea Christi nimis est exigua, vt possit & ab omnibus videri, & tam ingentem splendorem emittere, omnesq; fines terrę vltra solis claritatem illustrare, vt S. Ephrẽ supra dixit. Et ideo Hippo. martyr dicta orat. de consum. mundi, *Orietur* (inquit) *ab oriente ad Occidentem vsque signum crucis superantis splendorem solis, denuntians aduentum, & apparitionem iudicis.* Quapropter alij existimant probabilius, nõ ipsum lignum crucis, sed solum signum ex aere formatum esse appariturum. Quam sentẽtiã tenet expresse Ansel. in Elucid. & Anton. 4. p. tit. 24. ca. 11. §. 5. eãq; tribuit D. Tho. qui hoc insinuat in. 4. d. 48. q. 1. art. 2. ad 2. & opusc. 2. cap. 243. Et eandẽ amplectuntur Abulen. Ianscn. & alij expositores Matt. 24. Quo circa hæc sententia videtur antiquis Patribus conformior, & facilior ne sine sufficienti fundamẽto miracula multiplicemus.

Que, qualis ve in die iudicij apparitura sit crux. *Hippoly.* *Ephrem.* *Anselmus* *Antoninus* *D. Thom.* *Abulens* *Ianscnius.*

Circa secundum, quidam existimãt, crucem appariturum multis diebus ante aduẽtum iudicis, scilicet paulo post mortẽ Antichristi, quando *Sol obscurabitur, & luna nõ dabit lumen suum.* Et probari potest. Quia Matt. 24. hęc omnia simul ponuntur, *Statim post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur, & tunc parebit signum Filij hominis in cœlo:* & postea subiungitur, *& mittet angelos cum tuba, & voce magna,* &c. ergo illa omnia simul accident ante conuocationem ad iudicium. Vnde Clemens Papa lib. 7. Constitu. cap. 32. hunc ordinem ponit. *Iesus interficiet impium spiritu oris sui, tunc apparebit signum filij hominis, deinde sonus tubæ excitabitur per Archangelum, interea mortui ad vitam redibunt, ac tunc veniet Dominus.* Et congruentia adhiberi potest. Quia (vt ait Hippol. d. li. de consum. mundi) Antichristus prohibebit fideles vti signo crucis, & iubebit vti charactere suo, ideoq; post mortem eius statim apparebit crux. Tũ in signum victoriæ Christi aduersus Antichristum: tum etiam, vt homines respiscant, & abiecto Antichristi charactere vexillum Christi sequantur. Nihilominus alij probabilius credunt, crucem non apparitură, vsque ad ipsum iudicij diem, quando iudex incipiet apparere. Ita sentit Anselm. in Elucidar. vbi Christi aduentum ad iudicium ita describit. *Sicut imperator ingressurus ciuitatem, corona eius, & alia insignia præferuntur, per quæ aduentus eius cognoscitur: ita Christus in ea forma, qua ascendit, cum ordinibus omnibus angelorum ad iudicium veniens, angeli crucem eius ferentes præibunt.* Atque idẽ sentiũt omnes, qui hanc crucis apparitionem ita describunt, vt dicant, esse ab angelis deferendam ante conspectum Christi descendentis. Sic autem de illa scribũt Ephrem. Cyril. Ierosol. Chryso. & Aug. locis citatis, & Iulianus Pomerius lib. 3. Prognost. capite 5. vbi eodem fere exemplo vtitur, quo Anselmus, dicens Angelos præcessuros Christum, *Signum illud triumphale crucis vexillum sublimibus humeris præferentes.* Præterea. quod crux permansura sit in aere visibilis, quandiu iudicium durauerit, docent omnes supradicti Patres, qui de hoc mysterio scribunt, & est per se verisimile. Quia eo maxime tempore necessarius erit aspectus ipsius ad ostensionem diuinæ iustitiæ, & gratiæ, & ad confusionem hostium Christi, & omnium hominum peccatorum: ergo verisimilius est, signũ crucis appariturum in ipso die iudicij. Atque hæc posterior pars mihi magis probatur: & saltem existimo, non esse negandum, cum crucis signum in ipso Christi ad-

Clem. Pa. *Hippolyt.* *Vexillum crucis apparituruquando.* *Anselmus.* *Ephrem.* *Cyril. Ier.* *Chrysosto.* *Aug.* *Iuli. Pom.*

sti aduentu visibiliter appariturum sit, eius quoque visibilem præsentiam duraturam, donec iudicium finiatur. Hoc enim apertè docẽt omnes Sancti, & est magis consentaneum rationi, & fini huius apparitionis. An verò etiam sit appariturum signũ crucis ante resurrectionem, post Antichristi mortem, incertum est. Nam ex ordine narrationis Euangelicæ (vt supra dixi) nihil certi haberi potest. Quod si ex illa aliquid colligi potest, solum est, statim post signum crucis, videndum esse Christum venientem in nubibus cœli, & in maiestate.

Aparitio crucis quomodo futura sit

Ex iis facile definiri potest, quod tertio loco est propositum, scilicet, quomodo futura sit hæc apparitio crucis. Tribus enim modis intelligi potest. Primo, vt appareat in aere, ibique immobilis perseueret in loco aliquo, vbi ab omnibus ad iudicium congregatis conspici possit. Secundo, vt feratur ab Angelo tanquam vexillũ, quod præcedit iudicem. Tertio, vt prius appareat in aere: postea vero ab aliquo Angelo assumatur, & deferatur ante iudicem. Omnes enim ij modi possibiles sunt, & non est reuelatum, quomodo re ipsa futurum sit: secundus tamen videtur frequẽtius explicatus à sanctis Patribus, qui solum coniectura, & probabili consideratione ducuntur.

Dubium D. Thom. Viguer. Responsio

Inquiri verò potest, an simul cum cruce ostendenda sint, & deferenda alia passionis insignia. Nam D. Thom. dicto opusc. 2. cap. 244. dicit, *quod veniente Domino ad iudicium, signum crucis, & alia passionis indicia demonstrabuntur.* Vnde refert Viguerius cap 21. §. 2. vers. 6. quorundam sententiam dicentium, omnia signa passionis esse deferenda ab Angelis præeuntibus Christũ. Sed hæc, quæ neque in scriptura, neque in Patribus fundata sunt, non sunt à nobis affirmanda: si quis autem prædicto modo considerare ea voluerit, sine errore, vel temeritate id facere poterit. Nam licet reuelatum non sit, non est tamen contrariũ reuelatis, neq; aliquid minus decens autrationi contrarium continet.

SECTIO TERTIA.

Qua gloria, & maiestate descensurus sit Christus ad iudicium.

DIximus in superioribus, futurum esse secundum Christi aduentum in gloria, & maiestate: hoc ergo loco A explicandum est, qualis futurus sit huius aduentus splẽdor, & ornatus. Et in primis supponendum est, non esse sermonem de gloria intrinseca ipsius Christi descendentis, certum est enim, hanc gloriam non futuram maiorem, vel minorem eo die in animo, vel corpore Christi, quàm nunc sit. Qualis enim ascendit, & qualis ad dexterã Patris sedet, talis eo die descendet, iuxta illud Act. 1 *Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Et ratio est manifesta. Quia sicut beatitudo animi essentialis immutabilis est: ita etiam claritas, & aliæ dotes gloriæ, quæ corpori communicantur, immutabiles sunt. Veniet igitur Christus cum eadem gloria animi, & corporis, quã in cœlo habet, de qua nihil hoc loco addendum superest, sed solum de exterioti gloriæ apparatu, & externis signis maiestatis, quæ in aduentu suo exhibebit, quæ B variis modis in scriptura sacra proponuntur, Matth. 24. *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, & maiestate:* & cap. 25. *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ:* & cap. 26. *Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.* Ex quibus plures circũstantiæ colligi possunt quibus maiestas, & gloria huius aduentus declaratur. Matt. 24. Matt. 25. Matt. 26.

Prima est, quòd *veniet in nubibus cœli cum virtute multa.* Quæ verba propriè intelligi possunt. Nam ad ostendendam claritatem Christi Diuina virtute congrega- C buntur ex aere crassiori, vel ex vaporibus, aut aliis exhalationibus terræ nubes ita dispositæ, vt ex fulgore, & claritate corporis Christi admirabilis quidam aspectus in eis fiat, qui Sanctos mirum in modum delectabit, reprobos verò perterrebit. Quo circa non est, quòd immoremur in explicanda causa efficiente, vel finali harum nubium. Quam rem latè tractat Sotus dist. 47. quæst. 2. art. 1. vbi probat, has nubes nõ esse congregandas per causas naturales, cũ iam tunc motus cœlorum non sit futurus. Sed hęc ratio rem incertam assumit. Nam fortasse motus cœlorum non cessabunt, donec sit finitum iudicium. Nihilominus tamen verisimum est, has nubes non esse per solas causas naturales formandas. Quia nec finis earum pertinet ad ordinem naturæ nec facile fingi poterunt naturales cau- *Christus in nubibus cœli cum virtute multa ad iudicandum venturus* *Sot.*

(æ,

sæ, quæ illas possint efficere in tali quantitate, dispositione, & figura, qualis ad repræsentandam Christi gloriam necessaria sit. Fient ergo imperio Christi, & fortasse angelorum ministerio: sicut in baptismo, transfiguratione, & ascensione nubes diuinitus formatæ sunt. Ratio autem ob quam Christus veniet in nubibus, nō est vt eis fulciatur, tanquam vehiculo aliquo (non enim illo indiget, vt supra diximus de Ascensione agentes) sed solum, vt in eis melius fulgeat & splēdeat claritas eius, & in eis appareat veluti thronus quidam, in quo Christus tanquam triumphali curru inuectus descendat. Addit vero Sotus, quod per has interpositas nubes temperabitur claritas corporis Christi, vt eius humanitas à damnatis videri queat. Sed hoc etiam non est necessarium. Quia cum claritas corporis glorioſi non necessitate, sed pro mensura voluntatis imprimat speciē sui, nullo indiget temperamento. Tantum enim immutabit visum, quantum Christus voluerit videri. Solum ergo deseruiēt hę nubes ad maiorem quendam externū splendorem, & maiestatis significationē. Habent enim illę quandam naturam, & aspectum ad hoc valde accommodatū. Propter quod apparitiones Dei illustriores in nubibus factę narrantur in scriptura, & specialiter de Christo dicitur Dani. 7. *Ecce in nubibus cœli quasi filius hominis veniebat.* Quod autem dicitur venturus Christus *in virtute multa*, significare videtur, vē turum ipsum exhibentem multa signa omnipotentię, supremique dominij, qualia erunt angelicæ tubę, & præsertim illa, qua excitabuntur, & conuocabuntur homines ad iudicium: rursus terremotus, tonitrua, & similia, quæ Deus exhibere solet maiestatis, & virtutis signa, iuxta illud, *Dominū formidabūt aduersarij eius, & super ipsos in cęlis tonabit. Dominus iudicabit fines terræ.* Lege Clement. lib. 7. constit. capi. 33.

Sot.

Daniel. 7.

1. Regu. 2.

Cle. Papa.

Secunda circunstantia est, quod *veniēt omnes angeli eius cum eo.* Quæ etiam est in omni proprietate intelligenda. Nullus enim Angelorum deerit, qui non comitetur Christum, eique assistat, vel ministret in iudicio. Quod notant Hippol. Anselm. & alij, locis citatis. Quia sermo scripturę vniuersalis est, & nulla est ratio excipiendi aliquem. Vnde Daniel. 7. postquam throni positi sunt ad iudicium ferendū, subiūgitur, *Millia millium ministrabāt ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Quibus verA bis significata est tota angelorum multitudo: quæ innumerabilis est, vt Diony. ex ponit, cap. 14. Cœlest. Hierar. Et eodē modo exponit Hierony illud Zachar. *Et veniet dominus meus, omnesq; sancti cum eo:* & de eadem re sic scribit Iudas in sua canc. *Prophetauit autem de ijs septimus ab Adā Henoch, ecce veniet dominus cum sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios.* Hic vero inquiri posset. V. angeli venturi sint cum Christo in assumptis corporibus, an verò solum in substantia sua spirituali. Sed (quia de hac re nihil scriptum reperimus) solum fieri potest coniectura, venturos tunc Angelos in assumptis corporibus lucidissimis, & pulcherrimis. Quia, cum hic aduentus Christi sit sensibilis, & cum gloria, & apparatu externo, ac sensibili, congruum videtur, vt omnes Christi comites, & ministri assumant sen

Dionys. Hierony. Zach. 14. Iudas

B sibilia corpora, vt splēdor, & maiestas huius aduentus etiam sensibilibus oculis cō spici possit. Præterea diximus in superioribus, tubas, quibus angeli vtentur in die iudicij, futuras sensibiles ex aere conflatas: retulimus etiā ex sanctis Patribus, probabile esse sanctos angelos delaturos cruces vexillum ante Christum. Rursus in ascensione Christi angeli, qui apparuerunt Apostolis in vestibus albis, corpora assumpserunt in figura humana: ergo etiam est credibile, multos ex angelis, præsertim illos, qui ministrabunt Christo, eo die corpora assumpturos. An vero omnes etiam supremi, qui Christo assistent, idem sint effecturi, incertum est: non est tamen improbabile, propter priorem coniecturam

C adductam.

Tertia circunstantia est, sessurum Christum *in throno maiestatis suæ*, de quo Ioann. Apocal. 20. sic inquit, *Et vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum:* & postea subdit, mortuorum resurrectionem, & iudicium de eis factum. De quo throno dicitur etiam Dani. 7. *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda, thronus eius flammę ignis rotæ eius ignis accensus.* Quanuis enim ibi sit sermo de Deo secundum naturam diuinam, & de throno diuinæ maiestatis: tamen bene etiam potest accommodari ad Christum iudicem, qui in eodem throno sedit, vt dicitur Apocal. 4. & 5. & ad antiquum dierum peruenit, vt in eodem capi. Dan. dicit. Hæc igitur, quæ de throno, & sede

Christus in throno maiestatis suę sessurus ad iudicādum. Apoca. 20 Daniel. 7.

Apoca. 4. & 5.

sede Christi iudicantis scripta sunt, intelligi possūt, vel solū esse dicta per metaphoram ad explicandam gloriam, & maiestatem Christi: vel certe aliquo modo exponi etiam possunt secundum proprietatem, nimirum, quòd Christus etiam in exteriori, & visibili forma, situq; corporis re vera sessurus sit in throno sensibili, & corporeo ad modum solij efformato. Priorē sensum amplectitur Origen. tract. 34. in Matthæ. vbi sic inquit, *De sede gloriæ eius, quid est dicendum? Putas, quia corporale subsellium erit? An etiam hocopus, habet interpretationi subtiliori? Propterea, qui vult omnia rationabiliter intelligere, multam sapientiam inueniet in istis:* & infra, *Sedes autem eius aut quidam perfectiores Sanctorum dicuntur, de quibus Scriptum est, Quoniam illic sederunt sedes in iudicio: aut quædam virtutes Angelicæ: de quibus dicitur, siue Sedes, siue Dominationes, &c.*] Nihilominus tamen posterior sensus præferendus videtur. Origenes enim in eo loco omnia hæc, quæ de secundo aduentu suo Dominus dixit, metaphorice interpretatur de intelligibili, & spirituali aduentu. Nos autem supra ostendimus, proprie esse intelligenda de aduentu sensibili. Quare sicut cætera, quæ ad gloriam Christi spectant, intelliguntur signis sensibilibus repræsentāda: ita verisimile est, etiam in figura externa, & sensibili sessurum ad iudicium, ad indicandam iudicis autoritatem, & maiestatem, iuxta illud Psalm. 9. *Sedisti super thronum, qui iudicas æquitatem.* Et ita intellexit Ansel. in Elucidario, quanuis Apocal. 20. per *thronum*, Ecclesiā intelligat. Vtrumque tamen est verum, & metaphoricus sensus proprium non excludit, cùm sine inconuenienti admitti possit. Atque hoc sequuntur frequentius scholastici. Quin potius nō est improbabile, nō solū in loco iudicicij sessurum Christum hoc modo, verum etiam in eodem throno descensurum, atque in eo humeris Angelicis esse deuehendum, & fortasse à Thronis in assumptis corporibus, non quòd ipse vehiculo indigeat (vt iam diximus) sed ad significationem supremi honoris, & maiestatis.

Origenes,

Thronus Christi iudicis corporeus, & sensi

Psalm. 6. Anselmus.

SECTIO QVARTA.

Vtrum aliqui sessuri cum Christo sint, vt vna cum eo iudicent.

QVod aliqui Sanctorū sint Christo iudici assessuri, & iudicaturi, frequens est in scripturis, Matt. 19. ait Christus, *Amē dico vobis, quod vos, qui sequuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ. sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel:* & Luc. 22. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel:* & 1. Corinth. 6. *An nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt: & si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis. Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus? Quanto magis sęcularia?* Sapi. 3. *Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent: iudicabunt nationes, & dominabuntur populis* Itaque certum de fide est, Sanctos esse cum Christo sessuros, ac iudicaturos, cū hoc expresse scriptura doceat. Quomodo autem id intelligendum sit, in præsentia est explicandum. In quo tria desiderari possūt. Primum quomodo sancti sint cum Christo iudicaturi. Secundo, an hoc conueniat omnibus sanctis, vel aliquibus tantum, & qui nam illi sint. Tertio an aliqui sint specialiter sessuri cum Christo ad iudicium, & quomodo.

Matt. 19,

Luc. 22,

1. Corin. 6

Sapient. 3.

Circa primum supponendum est, munus iudicandi non attribui Sanctis cum ea proprietate, qua Christo attribuitur. Iudicare enim proprie dicit actum iurisdictionis, & superioris potestatis. Hæc autem iurisdictio quo ad vltimum iudicium animarum, soli Christo communicata est, vt patet ex supradictis de iudiciaria potestate. Proprium ergo iudicium, vt actum iurisdictionis significat, soli Christo conuenit, neque vlli Sanctorum, etiam B. Virgini cōmunicatur. Attribuitur ergo Sanctis hoc iudicium solum, secundum quandam participationem alicuius honoris, vel actionis ad iudicium pertinentis. Quod tribus modis explicari potest. Primò valde improprie, ac metaphorice, solum comparatione quadam, & hoc modo iusti dicūtur iudicare peccatores. Quia suis factis, & vita ostendunt, illos esse pęna dignos, qui similia operari potuerunt, & neglexerunt. Et in hunc ferè modum exponunt prædicta loca scripturę multi ex sanctis patribus. Hier. Matth. 19. *Sedebitis* (inquit) *iudicantes duodecim tribus Israel, quia vobis credentibus, illi credere noluerunt.* Vnde in hac sola comparatione videtur constituere illam iudicandi rationem. Clarius Chrys. hom. 65. in Matt. *Quid est* (inquit) *iudicantes duodecim*

Hiero.

cim Tribus Israel nihil aliud, quam condemnã A *tes. Non enim in solio iudiciali sedebũt: sed quẽ admodum Reginã Austri, & Niniuitas condẽ naturos generationem illam asseruit: simili quodam modo discipuli non gentes, non vniuersum orbem: sed tribus Israel condemnabunt. Nam, quoniam eisdem, & legibus, & institutis viuendi tam Iudæi, quam Apostoli educati fuerunt, cum Iudei dicturi sint, idcirco se credere Christo non potuisse, quia mandata legis seruare inbebãtur: discipulis in medium productis, a quibus, & lex susciptebatur, & fides Christo adhibita est, omnes Iudęos condemnabit. Propterea enim dicebat, ideo ipsi iudices vestri erunt.* Eandem expositionem latè, atque eleganter persequitur Autor imperfecti homil. 33. in Matth. &

Matt. 12. Theophy. Matth. 19. & latius Euthy. cap.

Theophyl. 41. in Matt. & Theodor. 1. ad Cor. 6. nec

Euthym. dissentit Aug. lib. 20. de Ciuit. cap. 5. Ta- B

Theodore. men quia hic modus, vt dixi, est valde im

Aug. proprius, & non solum sanctis, sed etiam iniquis conuenire aliquo modo potest respectu iniquorum: iuxta illud, *ideo ipsi iudices vestri erunt*, ideo secundo modo minus improprio iudicare dicuntur, qui licet nõ habeant proprie potestatem, & autoritatem iudicandi, tamẽ iudici assistunt, eiusdemque sunt cum illo sententiæ, eiusque iudicio consentiunt, & illud publice approbant, ac laudant. Et non est dubium, quin hoc modo sumatur verbum *iudicandi* in aliquibus testimonijs scripturæ paulo ante citatis, præsertim vbi munus iudicandi omnibus sãctis tribuitur, vt Sap. 3. & 1.

Ambros. ad Cor. 6. Et hunc modum insinuat Ambros. lib. 10. in. 22. caput. Lucæ. Cæterum, C quia aliquid specialius videtur in quibusdam locis nonnullis sanctorum attribui, idcirco additur tertius modus, scilicet per quandam specialem participationem honoris, vel actionis iudiciariæ. Quam participationem aliqui solum ponunt in quadam honoraria confessione cum Christo in iudicio. Quia nimirũ aliqui Sãcti Christo iudicãti assidebũt in subsellijs, & thro-

Daniel. 7. nis, iuxta illud Daniel. 7. *Aspiciebam, donec throni positi sunt.* Illis enim verbis significatur, futuros esse in iudicio cum Christo alios quosdam veluti iudices assessores in

Basi. suis thronis sedentes. Quo etiam vide-

Isai. 3. tur spectare, iuxta Basilij intepretationẽ, illud Isa. *Venit ad iudicium dominus cum senibus populi sui.* Quibus optime quadrat il-

Apoca. 4. lud Apocalyp. 4. vbi Ioannes vidit. *In circuitu sedis sedilia viginti quatuor, & super, thronos viginti quatuor seniores sedentes.*

Addit vero D. Th. in. 4. d. 47. q. 1. ar. 2. *D. Thom.* præter hanc participationem honoris necessariam esse participationem aliquam actionis iudiciariæ, quoniam Christus vtrunquè distincte promisit, dicens, *Sedebitis super sedes, iudicãtes duodecim tribus.* Quę autẽ est illa participatio actionis iudiciariæ? Richardus de sancto Victore tract. de *Rich. Vict.* potestate iudiciaria, in duobus ait consistere. Primo quod ijs sanctis, qui cũ Christo iudicaturi sunt, specialiter conceditur, vt conscientiarum occulta, & iudicia diuina, & retributionum qualitates manifestè penetrent, & cognoscant. Secũdo, vt hãc suam cognitionem possint alijs, qui iudicantur, intimare, ac pandere. Vnde concludit, *hos apostolicos viros iudicandorum quenlibet iudicare, erit, dandę sententiæ rationem oculis eorum ingerere.* Quod magis explicans D. Tho. dicit, hos sanctos delaturos sentẽ *D. Thom.* tiam Christi in eorum notitiam, qui iudicantur. Christus enim solus propria autoritate, & potestate proferet sententiam: denuntiabit autem illam per suos iudices assessores. Possumus etiã aliter hoc explicare. Quia cum in iudicio duo sint actus, scilicet, disceptatio, & sententiæ prolatio: ij sancti fortasse participabunt priorem actum, qui est minus principalis. Quẽ sensum magis indicant illa verba Richardi, *alios iudicare est, dandę sententiæ rationem oculis eorum ingerere.* Significat enim hunc actum antecedere prolationem sententięnõ ergo est, sententiam intimare, hoc enim potius sententiam subsequitur, sed est arguere, & conuincere reũ, quod fit per disceptationem, quæ sententiam antecedit. Quæ omnia probabiliter quidẽ excogitata sunt. Certa enim ratione, vel autoritate non constat, in quo hæc participatio iudicij consistat.

Circa secundam partem, ex dictis constat, in aliquo sensu omnes sanctos iudicaturos esse cum Christo, primo scilicet, & secundo modo supra adductis. Omnes enim, poterunt comparatione sui malos cõuincere, & redarguere, quatenus in omnibus fuit potestas, & libertas ad obediendum diuinæ legi, qua sancti bene, iniqui vero male vsi sunt. Omnes etiam sancti obuiam occurrent Christo in aera, atque ita illi iudicanti aliquo modo assistent, il-

liusque

liusque iudicium approbabunt dicentes, *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Est autem inter hos duos modos differentia. Quia priori modo sancti solum iudicabūt malos, quia illud iudicium continet reprehensionem, & comminationem: at posteriori modo omnes etiam iustos iudicabunt, quia sententiam de omnibus laudabunt, & approbabunt. Vnde fit, vt priori modo non possint iidem esse iudices, qui iudicabuntur: posteriori autem modo & iudicabunt, & iudicabuntur. Rursus circa priorem modum est considerandum, quòd licet videatur aliqua ratione conuenire etiam iniquis respectu iniquiorum (vt supra dixi) tamen sub aliqua consideratione erit proprium Iustorum, qui speciali quadam autoritate, & maiestate poterunt comparatione sui reprobos condemnare, & arguere. At verò tertio modo supra posito non omnes sancti iudicabunt, sicut non omnes easdem prærogatiuas gloriæ participabunt. Et ita etiam fatetur Chrys. dicta homil. 65. in Matt. dicens, *Aliquid occultius in hoc significatur, maiora istos illis habituros.* *Chrysost.*

Dubium verò est, qui nam sint consequuturi hanc specialem participationem iudiciariæ potestatis. Quidam dicunt, solis duodecim Apostolis promissam esse hanc dignitatē. Ita sentit Richard. Victorin. loco citato. Hanc vero sententiam refert Aug. 20. de Ciuitat. c. 5. & latius enarrat in Psal. 49. & 86. & Beda hom. in natali sancti Benedicti. Aliàs namque Paulus non esset iudex cū duodecim Apostolis, & eadē ratio fieri posset de Ioanne Baptista, & multo magis de beata Virgine. Vnde prædicti Patres docent, illo loco duodenariū numerum positum esse pro indefinito, vel (vt ait Abulens.) quanuis ibi Christus specialiter loquutus sit cū duodecim Apostolis, & ideo duodecim tantū sedes expressérit: tamē virtute idem promisit omnibus qui Apostolicam vitam imitantur. Alij igitur dicunt, hanc dignitatē specialiter communicandam esse omnibus sanctis in Ecclesia canonizatis. Quia cùm illi iam sint publico Ecclesiæ testimonio iudicati: æquum est, vt ipsi alios iudicent. Hanc opinionē tribuit Sotus Abulen. Matth. 25. q. 324. Sed ibi hocnō dicit, vt infra explicabimus. Neq; hæc opinio autoritate aliqua fulcitur, neq; sufficienti ratione. Quia hęc prærogatiua danda est propter merita, & perfectionem iis, quibus cōferetur. Quod autem aliquis fuerit ab Ecclesia canonizatus, vel nō, supponit quidem verā sanctitatem, non tamen cōstituit hominem dignum potestate iudiciaria. Vnde multi nō sunt ab Ecclesia canonizati, qui tam in statu, quàm in vita perfectiores fuerunt multis Sanctis canonizatis: & è contrario multi sunt canonizati, qui in beatitudinis gradu, ac perfectione nō admodum excellūt, vt innocentes, & alij, qui per vnum solum actum martyrij beatitudinem adepti sunt. Alij dicunt, hoc priuilegium promissum esse omnibus, qui voluntariam paupertatē profitentur. Ita sentit D. Tho. in 4. d. 47. loco supra citato, & opus. 19. c. 6. & 7. quē Paludan. Sotus, aliique sequuntur, & Antonin. 2. p. tit. 1. c. 11. §. 6. & Abulens. c. 19. Matt. q. 105. Quæ fuit sententia Aug. & Bedę locis citatis, & eiusdē Aug. epist. 89. q. 4. Hiero. epist. 28. Anselm. epist. 10. Greg. lib. 10. Moral. c. 17. alias 30. & lib. 26. c. 20. alias 25. vbi hoc priuilegium dicit cōcedi illis tantū, qui non solum præceptorū, sed etiam consiliorum obseruationē profitentur. Idem sentit Bernar. sermon. 8. in Psal. Qui habitat: & alio serm. in Euang. *Ecce nos reliquimus omnia.* Fundantur autem ij Patres in verbis Christi. Cùm enim Petrus interrogasset, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Christus respondit, *Cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suę, sedebitis & vos, &c.* Vt enim hæc responsio Petri interrogationi satisfaciat, videtur hæc promissio facta Apostolis propter voluntariā paupertatem, de qua Petrus interrogarat. Vnde ad hanc etiam sententiā accōmodatur illud Iob. *Non saluat impios, & iudicium pauperibus tribuit.* Quæ sententia valde probabilis est: sed non est ita intelligenda, vt sola professio voluntariæ paupertatis sufficiat ad hanc prerogatiuam obtinendam, itavt omnes, qui paupertatem profitentur in hac vita, & in alia beatitudinem consequuntur, etiā si revera imperfecti fuerint, & in beatitudine infimū gradum obtineant, cum Apostolis iudicaturi sint. Quanquam Sotus oppositū sentire videatur: tamen præter mentem Augustini, & aliorum Patrum, qui hanc sententiam docuerunt, qui nō intelligūt hoc priuilegiū esse promissum soli statui, & professioni perfectionis, sed obseruationi quicunque, sed exactę, & singulari talis status, & professionis, vt expressius significāt Aug.

Dubium

Richard. Aug. Bed. Abulens, Sot.

Hiero. Gre. Anselmus. Bernardus Matt. 19.

D. Thom. Palu. Sot. Antoninus Abulens. Aug. Beda

Iob. 36.

Aug. Hieronym. Gre. Pap. Abulens.

Aug. Hiero. & Gregor. Qui etiam nō intelliguṅt, paupertatē esse propriam causam huius priuilegij, sed quasi principiū, & dispositionem ad perfectionē vitæ, seu perfectam Christi imitationē, quæ est propria causa huius priuilegij, vt recte dixit Abulens. dicta q.205. in Matt. 19. ca. Quod ex verbis etiā Christi cōfirmatur, qui illa duo coniunxit, *Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me*, scilicet, perfecta imitatione, &

Antoninus

ideo Anton. 3. p. tit. 16. c. 5. §. 8. non dicit, hanc promissionē factam esse religiosis, sed perfectis religiosis. Ratio etiā hoc suadet, quia volūtaria paupertas per se sumpta licet laudabilis sit, tñ per se minimū gradum attingit in via perfectionis, est autem optima dispositio ad magnā perfectionem B acquirendā: ergo non est, quod ei soli talis prærogatiua promittatur, sed solum vt dispositioni ad perfectionē: ipsi vero perfectioni tanquam proprię formę, sine qua dispositio ipsa parui est valoris, & æstimationis. Et iuxta hunc sensum admittendæ sunt congruentiæ (quas Abulen. Sotus, & alij afferunt) cur decuit, priuilegiū hoc cōcedi paupertatis professoribus, scilicet, quia decet humiles exaltari, contēptus autem tēporaliū rerū, qui in paupertate ostē ditur, insigne quoddam est humilitatis opus. Itē quia, qui tēporalia contēnūt, sunt recte dispositi ad iudicandū, & res Diuinas cōtemplandas. Hæc enim, & similia locum habēt, si cum professione paupertatis vita cōformet. Vnde congruentia adæquata est, quia decet viros perfectos & professione, & actu, esse iudices imperfectorum, iuxta illud, *Spiritualis omnia iudicat*. Aliqui etiam nō existimant improbabile, omnes C eos, qui in hac vita magnā virtutis perfectionē cōparant, & in alia singularē beatitudinis excellentiā obtinent, præsertim si simul hanc gratiā assequuti sunt, vt vel nūquam, vel raro mortaliter peccauerint, cōfessuros cū Christo ad iudicium, etiamsi statum perfectionis non fuerint professi.

Hieron. Aug.

Quod sentit, Hiero. dicta Epis. 28, & Aug. Psal. 49. vbi omnibus viris perfectis dicit hanc esse factam promissionē, & dicta Epis. 89. etiam martyribus hoc promittit.

Gre. Anselmus.

Quia vno (inquit) actu perfectionē sunt assequuti. Idē sentit Gregor. 20. lib. Mor. c. 16. Vnde & Ansel. in Elucidar. inquit, *Vnus est ordo perfectorum cum Deo iudicantiū*, in quo ordine postea enumerat Apostolos Martyres, Confessores, Monachos, Virgines, sentiēs ex omni statu posse esse iudices, si in eo perfectionē assequantur. Ad q̄ cōfirmandū possumus vti argumento simili illi, quod superius ex Augustino adduximus. Nā, si incredibile est Paulū nō iudicaturum cum reliquis Apostolis, cur non etiā erit incredibile nō iudicaturos Abraham, Isaac, & Iacob, & similes viros, qui singularē vitæ perfectionē tenuerunt, vt Paul. ait ad Hebr. 11. Quod enim vixerint ante legē gratiæ, vel in illa, nihil refert ad præmia Diuina obtinēda, si par sit meritorū dignitas. Neq; in hoc vlla fit iniuria iis, qui statū paupertatis, & perfectionis profitētur. Quia illis satis est, quod, sicut ratione status habēt faciliorē quandā viā obtinēdi perfectionem: ita etiā facilius poterunt hāc dignitatem cōparare. Sed licet hoc probabile sit, nō videtur tamen negādum, quin viris perfectis, & paupertatis professoribus, aliquid singulare in hoc genere promittatur, propter priora testimonia. Ita vt illud sit ad modum Aureolæ & accidentalis præmij. Sed quæres quāta, & qualis esse debeat hæc vitæ perfectio, vt ei respondeat hoc accidētale præmiū. Respondetur, hoc soli Deo esse cognitū, & à nobis in cōmuni solum dici posse, requiri in huiusmodi hominibus magnā, ac diuturnā vitæ puritatē, & perfectam sui abnegationem, & Christi imitationē, & vt *habeant corda* (inquit Richard.) *in omnem veritatem edocta, ac Diuina contemplatione singulariter illustrata*, & Abulens. addit ex multorum sententia, præter hæc omnia requiri, vt iustitiam alios docuerint, ita vt doctrina sit veluti complementum meriti huius dignitatis. Nam Christus dixit, *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum*: illi autem videntur esse in illo regno magni, qui cum Christo sedent. Quæ quidem sunt probabilia, sed incerta. Propter quod Magister in 4. distinctione 47. dixit, qualis futura sit hæc potestas, vel autoritas Sanctorum, in iudicando, non posse sciri nisi Diuina reuelatione.

Dubium

Responsio

Richardus

Matt. 5.

Magister.

Illud tandem hic inquiri solet, vtrum Angeli iudicabunt. Cui interrogationi diuus Thomas supta respondet, Angelos iudicaturos secundo modo supra posito, scilicet consentiendo, & approbando sententiam iudicis: non tamen tertio modo, scilicet consedendo, & participando aliquo modo iudiciariam actionem. Quia assessores iudicis, debent esse eiusdem naturæ cum iudice, & cum iis, qui

Dubium D. Thom.

iudicandi sunt. Et confirmatur, nam supra diximus, Deũ statuisse, vt hoc iudicium fieret per humanã Christi naturam, vt homines sensibiles haberent iudicem visibilem, ac sensibilem. Et hanc sententiam cõmuniter omnes amplectuntur. Quam Soto confirmat, quia sancti, qui iudicaturi sunt cum Christo, sessuri sunt cum illo: Angeli verò erunt potius ministri in illo iudicio. Confirmat secundo, quia Angeli non sunt à terrenorum affectu liberi sua sponte, & per meritum, sed suapte natura, & ideo nõ est necesse, vt eis hoc accidentale præmium respondeat. Hęc vero D. Thomæ sententia intelligẽda videtur de generali iudicio, quatenus ad homines spectat. Nam hoc sensu procedit eius ratio, quę satis probabilis est. Quãuis enim nõ repugnaret Angelos Christo assistere, & cum eo aliquo modo iudicare homines, à quibus licet corporeis oculis nõ videantur, intellectu tamen clarè, & perspicuè cognosci poterunt, etiam à damnatis: nihilominus magis cõgruum videtur, magisque proportionatum, vt homines ab hominibus iudicentur. Quòd si obiicias, quoniã homines iudicabunt Angelos, quãuis non sint eiusdem naturæ. Respõdetur, si de Christo loquamur, in eo esse specialem rationẽ propter dignitatẽ personæ, ratione cuius Christus etiam vt homo est caput, & Dominus Angelorum. Si verò sit sermo de aliis hominibus, nõ est necesse, vt illi iudicent Angelos nisi primo, aut secũdo modo, de quo iterum sect. sequenti redibit sermo. At verò, si spectetur hoc iudicium, quatenus in eo Angeli iudicandi sunt, sic non videtur improbabile, aliquos Principes Angelorũ esse cum Christo iudicaturos. Quia iam cessat ratio D. Tho. ex proportione sumpta, cùm Angeli sint eiusdem ordinis, & naturæ cum Angelis iudicandis. Et quanuis non sint eiusdẽ omnino naturæ cũ Christo, vt homine, sufficit, vt cũ eo cõueniant in intellectuali gradu, sicut hoc etiã satis est, vt sint mẽbra eius, & illi assistãt, ac ministrẽt. Vnde cõfirmatur, Nã Dan. 7. (vbi hoc iudiciũ describitur) non oẽs Angeli visi sunt ministrãtes: sed maiori ex parte assistentes Deo iudicãti: ergo & participant aliquo modo honoris consessum, & participare etiã possunt iudiciariã actionẽ maxime respectu aliorũ Angelorũ. Atq; ita nõ procedit prima Soti cõfirmatio. Neq; etiã secunda vim habet, quia licet affectus rerũ corporearũ ab Angelis semoti sint; tñ affectus rerum creatarũ, & honoris, & gloriæ spõtaneus eis est, & liber. Vnde nõ est dubium, quin per honestatẽ, & rectitudinẽ huius affectus, & per actũ perfectissimę humilitatis plurimum apud Deum meruerint, & superiores Angelis malis effecti fuerint. Quid ergo obstat, quomin⁹ asse quuti sint, vt in eorũ iudicio lupremo iudici assistãt, & cũ eo aliquo modo iudicẽt?

Angeli cũ Christo nũ in iudicio vniuersali sessores futuri iudices Sot.

Obiectio.

Responsio

Daniel. 7.

Ex iis, quæ in hoc secundo puncto dicta sunt, colligi põt, quid in tertio supra proposito dicendũ sit. Nã, sicut de iudicio distinximus, eodẽ fere modo est de sessione distinguẽdum. Nam sedere cũ Christo interdum idẽ est, quod secure, & pacifice cũ eo regnare, & bonis æternæ beatitudinis frui: & hoc modo omnibus sanctis cõmune est sedere cum Christo, seu illi in iudicio assidere. Et hoc fere modo vidẽtur, hanc sessionẽ interpretari Hiero. & Chry. in Matt. & Ambr. lib. 10. in Lucã, & Paul. 1. ad Thessa. 4. de omnibus iustis ait, *Rapiẽdos esse cum Christo in nubibus.* Quo significatur, oẽs habituros in illo die nõ solum propriam, & internã beatitudinem: sed etiam externũ splendorem, & quasi trhonum honoris ex nubibus lucidissimis cõfectum. His ergo modis oẽs Sancti dici possunt sessuri cum Christo. Nihilominus tñ sicut iudiciaria potestas speciali quodã modo cõmunicanda est viris perfectis: ita etiã per sessionẽ illis promissam intelligenda est quædã propria eminẽtia, & dignitas inter alios. Quæ excogitari potest: primũ in loco propinquiori Christo, & honoratiori: deinde in modo existendi Christo similiori. Vnde fit verisimile (quod aiunt Anselmus in Elucidario, Abulens. & alij) etiam in exteriori habitu corporis futuros per modum sedentium in sedilibus aereis splẽdidissimis, vnumquemq; iuxta suũ meritum, & dignitatẽ. Et hoc indicat Tertul. lib. de resurrect. carn. c. 35. vbi inter signa corporalis dispositionis ponit, sedere in thronis duodecim.

Hierony. Chry. Ambros. 2. Thessal.

Anselmus Abulens.

Tertullia.

SECTIO QVINTA.

Vtrum omnes homines iniqui sint in generali iudicio iudicandi.

ALiud est inquirere, qui nã sint ad iudiciũ vocãdi: aliud vero, quinã sint iudicãdi. Cõuocatio. n. supponitur iudicio: quia nemo iudicãdus est, nisi præsens adsit: tñ è cõtrario conuocari ad iudiciũ de se latius patet, quã iudicari. Multi enim conuocari possunt, vel vt ministri, vel vt testes, vel vt assessores, vel propter alias

alias causas, quanuis iudicandi non sint. A Supponēdum igitur est, ad iudicium generale omnes homines, qui ab initio mundi vsque ad finem procreati fuerint, cōuocandos esse, vt præsentes adsint. Hoc est certissimum, Matt. 25. *Congregabuntur ante eum omnes gentes*, 2. ad Cor. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum*: & ad Roman. 14. *Omnes stabimus ante tribunal Christi.* Quod confirmat ex illo. Isai. 45. *Mihi curuabitur omne genu.* & Apocalyp. 20. *Vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni, & iudicati sunt mortui, &c.* Et hoc etiam probari potest testimoniis, quibus supra ostendimus futurum esse vniuersale iudicium, & in sequentibus plura afferemus. Neque potest de aliquibus esse vlla ratio dubitandi, nisi fortasse de paruulis, qui in hac vita nec ratione vsi sunt, nec gratiam sunt assequuti, de quibus postea dicemus. B

His positis superest explicandum aliud membrū, scilicet, qui ex iis iudicandi sint. In quo multa sigillatim inquirere oportet, quæ claritatis gratia variis sectionibus persequemur. In hac ergo solum inquirimus an omnes homines, qui propter propria peccata damnātur, iudicandi sint. Ratio dubitandi est, quia infideles iuxta multorum Patrum sententiā iudicandi non sunt, quia de eis dictum est Ioan. 3. *Qui non credit, iā iudicatus est*, & Psal. 1. *Non resurgunt impij in iudicio.* Quem locum ita exponūt multi ex sanctis Patribus Basil. & Hilar. ibi Ambr. in Psal. 118. Lactan. lib. 7. c. 20. ita scribit, *Nec tamen tunc vniuersa a Deo iudicabuntur: sed ij tantum, qui sunt in Dei religione versati.* C Hinc Aug. serm. 38. de sanctis, *Ad iudicium* inquit, *non veniunt, nec pagani, nec hæretici, nec Iudæi, quia de illis scriptum est, qui non credit, iam iudicatus est.* Hinc etiam Gregor. lib. 26. Moral. cap. 20. duos ordines distinguit reproborum, aliorum, qui iudicantur, & pereunt: aliorū, qui non iudicantur, & pereunt, & hos posteriores ait esse illos, de quibus Dominus dixit, *Qui non credit, iam iudicatus est*, & de quibus scribit Paulus ad Rom. 2. *Qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt.* Quam distinctionem amplectuntur etiam Anselm. in Elucidario, & Iulianus lib. 3. Prognost. cap. 33. & Isidor. lib. 1. de sum. bon. cap. 30.

Matt. 25. 2. Corin. 5. Rom. 14. Isaias. 45. Apocal. 20. Ioannis. 3. Psalmo 1 Basi. Hila. Ambrosius Lactant. Aug. Gre. Papa Roman. 2. Anselmus. Iulianus. Isidor.

Hanc verò sententiā exponunt, ac moderantur scholastici in 4. dist. 47. supposita distinctione supra tradita de iudicio discussionis, & condēnationis, vel remunerationis. Et in primis docēt oēs homines reprobos, etiā infideles quocunq; genere infidelitatis, & ignorātiæ diuini cultus, ac religionis, esse simpliciter iudicādos saltem iudicio cōdemnationis. Itaq; in oēs fertur illa sentētia, *Ite maledicti in ignem aternū*, iuxta illud Mar. vlt. *Qui non crediderit condemnabitur.* Et hoc modo de infidelibus dicitur. 1. ad Cor. 5. *Eos, qui foris sunt, Deus iudicabit.* Deniq; quia cōfitemur Christum iudicaturū viuos, & mortuos, ergo necesse est, vt saltē iudicio condemnationis, vel salutis omnes ab eo iudicētur, ergo & infideles altero ex iis modis iudicabuntur. Deinde docēt, infideles non esse iudicandos iudicio discussionis, & ita interpretātur prædictorum Patrū sententiam. Quæ expositio ab ipsis satis indicatur. Et ratio eius iis verbis traditur à Greg. *Nō enim eorū tunc causa discutitur, quia ad conspectum stricti iudicis iā cum damnatione suæ infidelitatis accedūt. In reprobationē iudicis in extrema examinatione nō audiunt, quia præiudicati infidelitatis suæ tenebris, eius, quē despexerant, inuectione redargui non merentur.* Quibus verbis significat, in iis tam esse manifestā, & euidentē damnationis causam, vt nō censeantur indigere iudicis discussione, etiam quoad nos, seu ex parte hominum, vt eis videlicet manifesta sit iusta istorum dānatio. Secus verò est de fidelibus, qui saltem fundamentum iustitiæ, & aliqua bona opera habuerunt, quorū causam necesse est discuti, quia eorum non est tam manifesta damnatio.

Matt. 25. Marc. 16 1. Cori. 5. Gre. Papa

Hæc vero sententia etiam hoc modo explicata nōnullas patitur difficultates. Primū quia hęc omnia vidētur magis spectare ad metaphoricū modū loquendi, quàm ad rei veritatē, & proprietatē. Nam inquiro, quid sit hæc disceptatio, quæ cū fidelibus fiet, & nō cum infidelibus? sicut enim manifestabuntur in iudicio omnia peccata fideliū reproborū: propter quæ cōdemnantur, ita & infideliū. Nā de omnibus dicit, Paulus esse *manifestandos ante tribunal Christi, vt referant, prout gesserunt, siue bonum siue malum*: ergo necesse est, vt omnium siue bona, siue mala, quæcunq; illa sint, manifestētur, vt facta collatione inter illa, fiat iusta vindicta. Deinde, sicut est diuina lex, vt sine fide impossibile sit placere Deo: ita etiā Diuina lex est, fidē mortuam non sufficere ad salutē: ergo, sicut est per se euidēs iusta damnatio in fideliū, si de eorū infidelitate constet: ita etiam est per se eui-

dens iusta fidelium condemnatio, si constet eos non habuisse fidem viuam; ergo nulla est inter eos differentia, quæ ad rem pertineat, sed ad summum differunt, sicut magis, vel minus notum in eodem ordine, quemadmodum etiã differre possunt duo fideles, quorum alter perditissimam vitam egit, alter rarò peccauit. Et confirmatur, quia ad sententiam ferendam in hoc iudicio, nõ satis est confusè, & quasi in genere statum causę cognoscere, scilicet quod ij homines in statu damnationis discesserint, sed etiam qualitatem causæ, & quantitatẽ demeritorum. Quia pro ratione illorum sententia & quantitas pœnæ ferenda est, hæc autem demeritorum quãtitas non est per se manifesta ex solo statu infidelitatis: necesse est ergo, saltem propterhãc rationem discutere singula demerita infideliũ: ergo iudicabuntur etiam iudicio discussionis. Quæ ratio sumptã est ex Hieron. exponente verba illa Ierem. 25. *Iudicium Domini cum gentibus: Quia sunt* (inquit) *gẽtium merita diuersa, & ideo, qui non credit, iudicatus quidem est in eo, quod non credit, sed ipsi, qui nõ credunt, inter se diuersis afficientur suppliciis. Iudicantur ipsi cum omni carne, vt nullus iniudicatus abeat.* Possumus autem nos simili modo dicere, qui non amat, iudicatum etiam esse in eo, quod non amat, iudicandus tamen est, quia diuersa sunt eorum, qui non amant, supplicia. Quòd si in iis, qui crediderunt, & non amarunt, caritatis læsio discutienda est, qualis fuerit: etiã in infidelibus discutere oportebit, qualis fuerit eorum infidelitas. Imo ex hac parte maior quædã erit ratio, & necessitas discussionis in fidelibus, quã in infidelibus. Tũ quia culpa infidelitatis sæpe est occulta, vbi nõ constat, an infidelitas ipsa voluntaria sit. Tum etiam, quia in iis sæpe est valde occultum, quo modo habuerint auxilia, & media ad salutem obtinendam necessaria. Vt ergo Diuinæ iustitiæ ratio omnibus euidẽs sit, oportet, vt omnibus cõstet, hos potuisse saluari, vel peccata euitare: ergo ad hęc omnia necessarium est, eos iudicari etiam iudicio discussionis. Quod tandẽ confirmatur, quia etiam quoad modum loquendi, hic posterior habet fundamentum in scriptura, non autem prior. Primum patet tum ex citato loco Ieremiæ, adiuncta Hieronymi expositione, & ponderando verbum illud, *Iudicium Domini cum gentibus.* Nõ enim dicit, *de gentibus*, vel, *ad gentes*, sed *cum gentibus*, quod apertè indicat iudicium rediudicationis. Tum apertius ex Ioele cap. 3. *Congregabo omnes gentes, & adducã eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis.* Vbi simpliciter sermo est de omnibus reprobis, & maximè de infidelibus, vt patet ex verbis sequentibus, *Disceptabo cum eis super populo meo, & hæreditate mea Israel.* Secundũ autem patet, quia duo loca Scripturæ, ex quibus prima sententia orta videtur, longe diuersum habẽt sensum, vt in superioribus tactum est. Vnus est ex Psalm. 1. *Non resurgunt impij in iudicio*, cuius sensus est, nõ erigent caput, non prævalebunt in iudicio. Ex quo nõ sequitur, illos non esse iudicandos iudicio etiã discussionis, sed potius sequitur esse iudicandos, & in iudicio ita superandos, & conuincendos, vt iuste damnentur. Alter locus est, ille Ioan. 3. *Qui non credit, iam iudicatus est.* Quæ verba iuxta expositionẽ Chryſ. & aliorum nõ solum de infidelibus, qui nullo modo credunt: sed etiam de fidelibus, qui nõ credunt fide viua, intelliguntur, vt patet ex præcedẽtibus verbis, & ex antitheſi. *Qui credit in eum, nõ iudicatur*, id est, nõ condemnatur. Loquitur ergo de credẽtibus fide viua, quia hæc est ad salutem necessaria, & in rigore scholastico, hoc proprie significat credere in Christum, vel in Deum. Cùm ergo subiungit, *qui autem non credit*, intelligẽdum est eadem fide viua, & de hoc dicitur, *iam iudicatus est.* Quia iam in se habet iustam damnationis causam, quamuis nõdum in eum sit prolata sententia, vt expositum Chryſ. hom. 27. in Ioan. & significat Cyrillus. lib. 3. in Ioan. c. 53. dicens, *Iudicatum ait esse incredulum, quod ipse in seipsum condemnationis intulit sententiam.* Non ergo est sensus, hos nõ esse iudicandos in iudicio Diuino: sed solum habere in se certam damnationis causam. Quam expositionẽ significauit etiã Aug. lib. de agone Christi c. 27. dicẽs, etiam infideles iudicandos esse, tamen ad explicandam rei certitudinem, de præterito dictum esse, iam esse iudicatos, seu damnatos.

Hęc omnia videtur quidem cõuincere, & distinctionẽ illam de iudicio discussionis, & condemnationis ad rem hanc non fuisse admodum necessariam, & in re fere nullam esse differentiam inter modum iudicãdi fideles, & infideles, neque etiam inter prædictas sententias posse esse diuersitatem, quæ ad rem pertineat. Necesse est enim, vt omnes cum Hiero. fateantur, omnium reproborum opera tam bona, quàm mala esse in iudicio manifestanda, & expen-

A

B

C

Hieron. *Ierem. 25.*

Ierem. 25.

Ioel. 3.

Testimonij Ioan. 3.

Expositio. Chrysosto.

Chry.

Cyr.

Augustin

expendenda, & quoad hoc necessariâ esse discussionem in causis omnium. Nihilominus etiam verum est, damnationem infidelium saltem quoad exclusionem à Regno euidentiorem habere causam damnationis. Quia non solum iustitia, & meritis, sed etiam fundamento iustitiæ, & meritorum penitus caruerunt: & ad hoc explicandum vsi sunt Patres illo modo loquẽdi, quòd in iis nõ est necessaria discussio, vt à Regno excludantur. Ita enim limitanda est eorum sententia.

SECTIO SEXTA.

Vtrum paruuli, qui sine gratia discesserunt iudicandi sint.

RAtio dubitandi est. Quia in eis non habet locum iudicium discussionis, cùm non habeant merita, nec demerita, quæ expendantur, neque eorum causa recipiat (vt sic dicã) magis vel minus: sed in indiuisibili consistat. Neque etiam videntur iudicandi iudicio dãnationis. Quia licet re vera damnẽtur, quoad exclusionẽ à Regno: non tamen propter personalem culpam, sed propter originalem, & quasi naturalem: ergo sicut non peccarunt in se, sed in suo capite: ita non oportet, vt in se iudicentur, sed in suo capite. Dices, quãuis ipsi non peccauerint: tamen contraxerunt culpam, quam in se verè habent, & ideò necesse est, vt de illa iudicentur. Sed contra, quia non contrahunt culpã actualem, sed quasi habitualem: iudicium autẽ propriè est de actibus, non verò de habitibus: satis ergo est, vt sicut in se habent culpam, ita in se sustineant pœnam: tamen sicut ipsi non audierunt legem, propter cuius transgressionem damnantur, ita non videtur necessarium, nec conueniens eorũ statui, vt ipsi audiant sententiam dãnationis suæ. Et confirmatur primo, quia vbicũque in scriptura describitur iudicium, significatur solũ esse futurum de propriis actionibus, vel omissionibus eorum, qui iudicandi sunt. Sic Matth. 25. *Esuriui enim, & non dedistis mãducare, &c.* Vbi licet Christus, veluti gratia exempli, solum numeret peccata contra misericordiam: non tamen intelligit de illis solis esse ferendum iudicium: sed ea posuit, vel vt mortales excitaret ad opera misericordiæ, vel quia homines existimare solent, illa peccata esse leuiora, vt ex eis intelligãt, multò magis esse iudicium ferendũ de grauioribus Paul. verò 2. ad Cor. 5. generalius dixit, *Vt referat vnusquisque prout gessit siue bonum, siue malum*, & Ioel. 3. *Congregabo omnes gentes, & disceptabo cum eis*. Ergo, qui non sunt capaces discussionis, non congregabuntur, vt iudicentur. Tandem omnes qui iudicãtur, vel admittuntur ad beatitudinem, vel mittuntur in ignem æternum, Matt. 25. Apocal. 20. ij autem paruuli neque ad beatitudinem admittendi sunt, neque in ignem mittendi, non ergo iudicabuntur. Vltimo confirmatur, quia non videtur expediens, vt ij paruuli intelligant causam suæ damnationis, quia non posset hæc cognitio nõ afferre eis magnam tristitiam, & dolorem, quę pęna non est proportionata eorũ culpæ. Quia sicut non contraxerunt culpam propria voluntate, aut voluptate: ita susceptur sunt pœnam sine tristitia, & dolore. Propter quod grauiores theologi sentiunt eos non esse damnandos pœna sensus.

2. Corin. 5. Ioel. 3. Matt. 25. Apocal. 20

Propter has, similesque rationes quidã negant, hos paruulos esse iudicandos. Duran. in 2. dist. 33. q. 3. & Carthusian. in 4. dist. 47. q. 1. vbi in eandem sententiam refert Albertum, qui non solum negat hos pueros esse iudicandos: sed etiam in iudicio comparituros. D. Tho. autem in 4. dist. 47. q. 1. articul. 3. q. 1. ad 3 dicit, *quod pueri ante perfectam ætatem discedentes in iudicio cõparebunt: non autem vt iudicentur, sed vt videant gloriam iudicis*. Idem significat. q. 5. de malo, art. 3. vbi negat, paruulos habituros cognitionem gloriæ, quam Sancti possident, & ipsi amiserunt, & causæ, propter quam visione Diuina carebũt. Qua propter hæc sententia probabilis est.

Durandus. Carthusia. Albertus. D. Thom.

Nihilominus contraria sententia magis probanda videtur, quam tenet Bonau. in 4. d. 47. art. 1. q. 3. & ibi Sot. q. 1. art. 3. ad 2. vbi dicit, hos paruulos nõ esse iudicandos iudicio discussionis, sed damnationis, vel approbationis si iustificati fuerint. Quam tamen sententiam nec ratione, nec autoritate probat, & dist. 47. q. 1. art. 3. sentit, hos paruulos iudicari in morte iudicio particulari, & à dæmonibus deferri in limbum: hoc vero posterius non videtur admodũ verisimile. Pro hac etiam sententia referri potest Caietanus, qui supra, quæstio. 52. articul. 2. docuit, Christum descendendo ad inferos habuisse effectum in animabus horum puerorum, eosque redarguisse de malitia originalis peccati, & carentia fi-

Bonauent. Sot. *Infantes in originali decedentes in iudicio vniuersali iudicandi*

Matt. 25:

dei, ergo multo maiori ratione diceret esse iudicandos à Christo in die iudicij. Possunt pro hac sententia citari Gregor. Arimi. Driedo. & alij, qui affirmãt hos pueros esse puniendos pœna sensus, & igne gehennę. Nam hinc optimè consequitur fore iudicandos. Et ita procedit Somnius tractat. de extremo iudicio ca. 6. & 7. Potest præterea hæc opinio fieri verisimilis ex illis verbis Apocal. 20 *Vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni*, & postea dicitur, de omnibus esse latum iudiciũ. Item ex illo 2 ad Corin. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque, prout gessit.* Nam his verbis, *prout gessit*, comprehenduntur non tantum opera, sed simpliciter omnia media, per quæ homines saluari possunt, vel damnari, & ita comprehenduntur actiones, & receptiones sacramentorum, & omissiones, seu carentiæ, & ita comprehenduntur tã paruuli quàm adulti omnes. Præterea ex Augustin. lib. 5. Hypognost. post medium, vbi docet hos paruulos esse ad sinistram constituendos. Idem latè sermo. 14. de verbis Apostoli. Verũ est, Augustinum interdũ videri excedere in assignanda pœna, & dãnatione horum puerorum: significat enim eos esse puniendos igne inferni. Sed illa sententia & ab scholasticis meritò reiecta est, & ad præsentem quæstionem non est necessaria etiam secundum Aug. mentem. Nam lib. 3. de lib. arb. cap. 23. planè docet, hos paruulos esse iudicandos *& sententiam iudicis respectu eorum futuram mediam inter præmium, atque supplicium*, scilicet, ignis, & gehennæ quoad pœnam sensus. Præterea ex Gregor. lib. 9. Moral. cap. 12. alias 16. vbi agens de Christo in generali iudicio strictè iudicante, *Quosdam* (inquit) *tunc rea tu culpę originalis astrictos etiam sine operibus damnat*, quod latè prosequitur. Tertio, adiũgi põt ratio, quia in primis ad gloriã Christi spectat, vt ab omnibus etiã ab iis paruulis eo die adoretur, & vt Princeps, ac supremus iudex agnoscatur, ergo apparebũt ij paruuli personaliter in iudicio. Rursus, agnoscent quid ibi agatur (non enim carituri sunt sensu, & cognitione) videbunt ergo (sicut cæteri homines) Christum in sua gloria, & maiestate, aliàs quomodo eũ colerent? Videbunt etiam damnatorũ ignem, abiectionem, & cruciatus: parique ratione cernent alios ad altiorem gloriam, ac fęlicitatem euehi: ergo intelligent, hęc omnia iusto Dei iudicio fieri. Quia hoc etiã spectat ad perfectionem iudicij, & ad iustitiæ Diuinæ integram, & absolutam manifestationem: ergo, cùm videãt se esse veluti in quodam statu medio constitutos, quia neque igne punientur, neque ad superiorem illum, & fęliciſsimum statum assumentur, intelligent hoc secum fieri seruata iustitiæ æquitate, ergo ad hoc saltem necesse est, vt iudicentur.

Gre. Ari. Dried. — Somni. — Apocal. 20 — 2. Corin. 5. — Aug. — Gre Pap.

Dices, ad hoc satis esse, vt intelligant, se nihil boni egisse vel mali, & ideo nec pœnam sensus, nec gloriã recipere: non tamẽ necesse esse, vt intelligant propter culpam priuari gloria, quod est propriè iudicari. *Obiectio*

Respõdeo, hanc partem esse magis dubiã: nihilominus probabilius videri, etiã hoc esse cognituros, quia etiã pertinet ad Dei, Christique gloriam, vt hoc cognoscant. Primo, vt intelligãt Dei beneficiũ, quod prius in Adamo, & postea in Christo susceperunt, & eum hac ratione colant, ac venerentur. Deinde, vt iustitia, & misericordia Dei, & admirabilis ratio prouidentiæ eius omnibus manifesta sit. Item quia videbunt alios paruulos, qui nihil etiã propriis actibus meruerunt, fęlicitatem consequi, ergo oportet, vt hoc iuste fieri intelligant. Denique, quia (vt postea dicemus) verisimilius est, cuncta hominũ opera ibi esse omnibus manifestanda: ergo etiã lapsus Adæ, & grauitas, ac circunstantiæ eius adducẽtur in iudicium, & notitiã omniũ, qui aderunt. Necesse est etiã, vt in eo iudicio sæpe fiat mentio redẽptionis Christi, per quam & iusti saluãtur, & reprobi, qui eam contempserunt, grauius damnantur: ergo necesse est, vt ij paruuli, qui præsentes aderunt, hęc, & similia cognoscãt. Nisi quis velit fingere aliquo inusitato modo fore à Deo impediẽdos, solum propter vitandũ eorũ mærorem, & tristitiam de beatitudine, propter culpam ex primo Parente contractam, amissa. Quæ ratio nõ videtur esse tanti momenti, vt nos cogat ad cõfingendum aliquid inusitatum, ac singulare sine alio fundamento. Neque deerit cõmoda responsio, vt statim dicam. *Responsio*

Sed obiicies. Nãoriginale peccatũ, Christi redẽptio, & alia huiusmodi nõ possũt cognosci nisi per fidẽ vel aliam cognitionẽ supernaturalem: sed ij paruuli nunquam habuerunt fidem, vel aliam supernaturalem cognitionẽ: ergo non cognoscent hæc omnia. Respondetur idẽ argumẽtũ fieri posse de *Obiectio.*

Responsio de alijs reprobis infidelibus. Dicendum est ergo, hæc posse cognosci per euidentiã signorum absq; supernaturali fide, sicut *dæmones credunt, & contremiscunt*, & hi paruuli cognoscent, Christum esse verum Deum non supernaturali cognitione: sed quadã euidẽtia signorũ, & effectuũ, quos partim audient, partim videbunt.

Iacob. 2.

Responsio ad argumẽta in oppositum,

Ad rationẽ ergo dubitandi in principio positam, iã ostensum est, qua ratione expediat, hos paruulos iudicari, & audire sententiam damnationis suæ. Neque refert, quòd non comiserint actuale peccatum, sed solum contraxerint originale, (quod est per modum habitus) ex Adamo. Quia sicut hoc sufficit ad damnationem paruulorum iuxta illud, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, & illud, *Qui non crediderit, condemnabitur*: ita etiam sufficit, vt iudicentur. Præsertim, quia habituale peccatum, seu status peccati, quatenus est vera culpa, & sufficiens ratio excludendi à regno, ad iudicium deferri debet, vt in eo cõstet, & talẽ culpam vere fuisse in homine, & durasse vsque ad mortẽ, vtrũque enim necessarium est ad iustam damnationem.

Ioannes. 3. Marc. 16.

Ad primã confirmationẽ, in primis iam declaratum est, quomodo loca Scripturæ ita possint intelligi, vt in conuocatione hominum ad iudicium paruuli cõprehendantur. Deinde dicitur, Scripturã sacrãnõ narrasse ibi omnia, quę in illo vltimo iudicio fient, sed ea, quæ futura sunt præcipua, quæque ad hominum terrorẽ, & correctionem maxime conferre possunt. Et ideo præcipuę commemoratur sententia, & pœna, prout ad adultos pertinet: nõ vero excluduntur reliqui. Sicut etiam dicitur Matt. 25. ferenda sentẽtia propter peccata contra misericordiam, non tñ inde fit non esse etiã ferendã propter alia peccata.

Ad secudam confirmationẽ varie respõdent doctores. Quidam enim existimant non esse inconueniens, sentire eos aliquã tristitiam de iustitia, & beatitudine amissa, vt Abulens. Matt. 25. q. 662. & Sot. indicat. 1. denat. & gratia capit. 14. Alij vero hoc negant, quãuis in modo liberandi eos ab huiusmodi pœna sit magna varietas. Quia vero res hęc non est huius loci, breuiter dicendũ existimo, partim ex diuina prouidentia, partim ex prudentia, & rectitudine voluntatis horum paruulorũ fore, vt nõ sentiant tristitiam, nec dolorẽ de

Matt. 25. Abulens. Sot.

A beatitudine amissa: sed omnino sint conformes diuinæ voluntati, & contenti ijs bonis naturalibus, quibus erant prædit i, vt latius in materia de peccato originali dicendum est.

SECTIO SEPTIMA.

Vtrum omnes sancti homines iudicandi sint.

RAtio dubitandi sumi potest, primo ex illo Ioan. *Qui credit in eum, non iudicatur*: omnes autem qui saluantur, crediderunt: ergo nõ iudicantur. Secundo potest specialiter dubitari de aliquibus Sanctis, qui corpore, & animo cum Christo iam regnant. Nam in iis, sicut est consummatum prẽmium: ita videtur consummatum iudicium: ergo non oportet, vt amplius iudicentur. Tertio esse potest specia le dubium de aliquibus insignioribus Sanctis, vt. v. g. de B. Virgine, Ioanne Baptista, & similibus, prẽsertim de iis, qui cum Christo futuri sunt iudices: quia nõ videtur expediens, vt qui iudicat, iudicetur. Hac enim ratione Christus dominus, qui alios iudicat, non iudicatur.

Ioannes. 3.

In hac quæstione conueniunt omnes Theologi, cunctos homines iustos esse iudicandos, quoad prolationẽ sententię, seu iudiciũ approbationis (vt vocant.) Hoc. n. conuincũt omnia testimonia adducta prẽcedentibus sectionibus, vt Matthæ. 25. 2. ad Cor. 5. neque in hoc occurrit aliqua ratio dubitandi. De iudicio autẽ discussionis fere oẽs etiam dicunt, non omnes Sanctos esse iudicandos huiusmodi iudicio: sed illos tantum, qui imperfectũ sanctitatis gradum attigerunt, & grauia peccata habuerunt bonis operib⁹ admixta: non vero alios insigniores Sanctos, qui viã perfectionis tenuerunt, & super fundamentum fidei aurum, argẽtum, & lapides pretiosos superædificarunt. Et ratio discriminis est, quia discussio solum videtur habere locũ, vbi est magna permixtio bonitatis, & malitię, vt facta collatione, & examinatione constet, quomodo malitia deleta sit, & bona merita apud Deum præualuerint. Vbi autem nulla, aut fere nulla est malitiæ admixtio, non est necessaria discussio, sed solum meritorum approbatio. Hæc est communis, & recepta doctrina in 4. dist. 47. quæ sumpta est ex Greg. locis citatis sect. 5. præsertim. 26. moralium. c. 20. vbi sicut distinguit duos ordines reproborũ,

Matt. 25. 2. Corin. 5

Gre.

eorum scilicet, qui iudicantur & pereunt, & eorum, qui non iudicantur & pereunt: ita distinguit duos ordines electorum, eorum, qui iudicantur & regnant, & eorum, qui nō iudicantur & regnāt. Quam distinctionem Anselm. & Iulian. locis citatis sequuti sunt, eam etiam videtur indicasse, Orig. hom. 21. in Numeros, vbi ait, quosdā Sanctos forte accipere hæreditatem: alios verò excellentiores, & digniores, nō cum cæteris numerari: sed ante omnem sortem sublimari, & ad quandam singularem beatitudinis Christi participationem extolli. Sed (vt in superioribus dixi) difficile explicatu est, quid rei subsit huic distinctioni. Videtur enim esse tantum quidam metaphoricus loquendi modus ad explicandam maiorē quandam facilitatem, quæ ex parte ipsorū operū, aut respectu nostri, videtur esse maior in ferēda sententia approbationis, & salutis de quibusdam sanctis, quàm de aliis. Alioquin enim si consideremus hoc iudicium, vt subest scientiæ Dei, & quatenus fit iuxta leges ab eo latas, non videtur futura maior discussio in quibusdam, quā in aliis. Quia (si absolutè loquimur de statu gloriæ) ex iustitia finali sumenda est certa, & infallibilis regula salutis, & sentētiæ approbationis ferendæ: siue multa peccata præcesserint, siue nulla. Si autem loquamur de gradu gloriæ, omnia opera pensanda, & discutienda erunt, vt condigna retributio vnicuiq; reddatur. Eò vel maxime, quod disceptatio Iustorū, (quæ Matt. 25. insinuatur) nō est per modum excusationis, & contentionis, sicut reproborū, sed per modum humiliationis, & demissionis: at verò hæc humiliatio perfectior erit in insignioribus sanctis.

Anselmus Iulianus. Origenes.

Vt ergo aliquid proferamus, in quo de re ipsa, & non tantum de modo loquendi possit esse controuersia, suppono in primis, omnium Iustorum merita, propter quæ gloriam consequentur, esse in generali iudicio promulganda, vt omnes docent sine controuersia, & colligitur ex Matth. 25. Apocalyp. 20. & Dan. 7. & ex iis, quæ dicemus tam in hac, quam in sectione 9. euidentius constabit. Sub eorum autem meritis comprehendo tam propria eorum merita, quam fructum meritorum Christi eis per sacramenta applicatum. Quia ratio sententiæ ferendæ, & æquitas Diuinæ iustitiæ his omnibus nititur, & quia merita Christi, postquam sunt applicata, quoad

Matt. 25. Daniel. 7. Apoca. 20

A effectum efficiuntur quasi propria. Secundo suppono, quosdam esse Iustos, qui nullum peccatum actuale in hac vita comiserunt, in quo ordine solum enumerare possumus beatam Virginem, & infantes iustificatos, & de iis satis congruenti ratione dici potest, nullam in illis futuram esse discussionem: in infantibus quidē, quia nulla habuerunt opera: in Virgine autē, quia omnia, quæ habuit, fuerunt bona merita, quorum glorioſa, & copioſa, ac distinctissima publicatio faciēda est in iudicio, sed illa non potest dici discussio, sed absoluta laudatio: nam discussio, vel disceptatio dicit quandam collationem bonarum, & prauarum actionum cum approbatione, excusatione, vel accusatione earum. Alij verò sunt sancti, qui cum bonis meritis habuerunt aliqua peccata coniuncta, & in iis tunc videbitur fieri propria discussio, vel disceptatio, si omnia eorum opera tam bona, quàm mala deferenda sint in iudi-

B cium, vt mala vel excusentur, vel iam omnino deleta, ac purgata esse, bona autem prevaluisse, & præmio digna permansisse ostendantur. In hoc ergo sensu potest esse quæstio de re, an omnes Iusti, vel aliqui tantum, vel nulli iudicādi sint iudicio discussionis.

Prima sententia est, nullum Iustorū hominum esse iudicādum iudicio discussionis in prædicto sensu. Quia peccata Iustorum non reuelabuntur in iudicio, sed tantum merita. Ita sentit Mag. in 4. dist. 43. Viguerius capit. 21. §. 3. versic: 8. & Somnius tractat. de extremo iudicio capit. 6.

Magister. Viguerius

C Fundamentum sumitur ex aliquibus locis Scripturæ in quibus peccata semel remissa, tegi, occultari, deleri, & obliuioni tradi dicuntur, cui promissioni repugnare videtur, quod postea in vniuerso hominum conspectu proferantur. Assumptum patet ex illo Psal. 31. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* 1. Petr. 4. *Caritas operit multitudinem peccatorū.* Isai. 43. *Ego sum, qui operio iniquitates tuas* & cap. 63. *Obliuioni traditæ sunt angustiæ priores, & absconditæ sunt ab oculis nostris. Ecce enim ego creo cœlos nouos, & terram nouam & non erunt in memoria priora.* Vbi Hieronymus ita dicit, exponi posse, quòd *in cœlo nouo, & in terra noua, omnis conuersationis pristinæ memoria deleatur, ne hoc ipsum pars malorum sit, prioris angustiæ recordari.* Et Psalmo. 50. *Dele iniquitatem meam.* Vbi Chry-

Psal. 31. 1. Petri. 4. Isai. 43. et 63. Hieronym. Psalm. 50

Chrysosto. Chrysost. hom.2. *Si tu memor sis, Deus non erit memor, si tu eius oblitus fueris, Deus eius memorabitur. Feciſti malũ, memor esto, vt Dominus tuus illud obliuiſcatur,* (Iuxta id Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiã, omnium inquitatũ eius nõ recordador amplius.*) Similia habet Bernar. serm. 55. in Cantica. Et cõfirmatur quia Sancti in iudicio honorandi sunt, & præmiãdi: sed hęc peccatorum manifestatio non pertinet ad eorũ honorẽ, imo nec videtur posse fieri sine aliquo rubore, & dedecore.

Ezech. 18.

Bernardus

Nihilominus dicẽdũ est, omnia iustorũ peccata tã mortalia, quã venialia esse in iudicio manifestanda. Ita sentit D. Th. in. 4. d. 43. ar. vlt. & Bona. ar. 2. q. 2. &. 3. & ibi cõmuniter reliqui Theologi, Sot. d. 47. q. 2. ar. 3. & est aperta sententia Anselmi in Elucidario, & lib. de similitudinibus, & significatur ab August. in lib. Meditationum cap. 4. dicente, *Ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ, tot agminibus angelorum patebunt vniuersa scelera mea, non solum actuum, sed etiam cogitationum, simul que loquutionum.* Similia multa habet Hugo Victorin. lib. 3. de Anim. capit. 23. Et probatur primò ex Scriptura, quæ absolutè, & sine exceptione affirmat, omniũ actiones esse in iudicium deferendas: nõ ergo potest fieri hęc exceptio sine maiori fundamento. Antecedens constat ex verbis Christi Matt. 12. *Dico autem vobis, quoniam omne verbũ otiosum, quod loquuti fuerint homines, rẽdẽt rationem de eo in die iudicij.* Vbi omnes Patres intelligunt, positum esse exemplum in peccato quodam, quod leuissimum apparet, ac frequentissimum, vt intelligamus multo magis esse reddendam rationem de omnibus alijs. Præterea id satis aperte docuit Sapiens Ecclesiast. vltimo. *Cuncta, quę fiunt, adducet Deus in iudiciũ pro omni errato, siue bonum, siue malum sit.* Et quanuis hoc explicari possit de iudicio particulari: tamen & Scriptura frequentius loquitur de vniuersali, & Sancti docent, quidquid iudicatum fuerit in particulari iudicio, diiudicandum esse in vniuersali, & ita ibi exponit Hieron. cõferendo inter se testimonia citata. Et idẽ confirmat Paul. 2. ad Corinth. 5. dicens, *Referet vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Et. 1. ad Corinth. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Secundo, quia hoc pertinet ad perfectionem, & integritatem illius iudicii, & diuinæ iustitiæ manifestationem. Nã vt constet Christi iudicantis, & reddẽtis Sanctis præmiũ, iustã esse sententiam, non sufficit, quòd illi habuerint merita: sed oportet, vt constet illa permansisse viua, & omnia impedimenta fuisse sublata, atq; adeò omnia mala, etiam in iustis fuisse vel misericorditer propter Christũ remissa, vel condigne vindicata, & purgata. Vnde ad ostensionem etiã diuinę gratiæ, & ad gloriam Christi, hic iudicandi modus spectat. Sicut etiã peccata reproborũ, quę in hac vita per pœnitentiã deleta fuerunt, quanuis iterum punienda non sunt, in iudicium illud deferentur, vt diuina iustitia, ac misericordia amplius manifestetur. Tertio quia opposita sententia nullũ habet verisimile fundamẽtũ. Nam in primis, omnibus illis Scripturæ locis non promittitur vera, ac propria obliuio peccatorũ. Alioqui oporteret, vt neque in diuina memoria manerent, quia promittit Deus, quòd obliuiscetur eorũ. Et similiter oporteret, vt neque ipsi Sancti, qui illa cõmisserũt, eorũ recordarentur, quod est aperte falsum, vt constat ex Apoc. 20. quẽ locum sect. 9. exponemus. Et ad hoc propositum tractat illud Aug. 20. de Ciuit. c. 14. docens. in die iudicii omnia tã bona, quã mala esse in singulorum memoriã reuocanda. Et Greg. in ps. 88. dicit, quod recordabuntur miserìarum præteritarum, vt in ęternum misericordias Domini canãt. Idem docet Lactan. lib. 7. c. 22. In illis ergo Scripturę locis per oẽs illos dicendi modos significatur perfecta remissio peccatorũ, quę *deleri* dicũtur, quia macula eorũ in anima nõ manet: *obliuioniaũt tradũtur a* Deo, quia iã eorũ nõ recordatur, vt puniat & eodem modo, *tegi*, & *occultari*, quia iam non prouocant ad iram, neque sunt rubori, aut dedecori.

Ex quo facile respõdetur ad cõfirmationẽ supra factã. Quia sicut memoria peccatorũ nõ efficit dolorẽ, aut tristitiã in Beatis: ita neq; eorũ manifestatio pudorẽ, aut tristitiã infert. Nõ. n. iam sunt capaces harũ passionum. Quod apertis exẽplis conuinci põt. Quis. n. dubitet cognoscere Petrum, vel Magdalenam quotidie in Ecclesia sua peccata publice prędicari, de quo, non solum pudore, & dolore non afficiuntur, sed etiam vehementer gaudent, quia

Publicadelictorũ manifestatio in iudicio vniuersali sãctis pudorì aut tristitiæ non futura.

in maiorem Dei gloriam cedit. Item nulla infamia, aut verũ aliquod malum creatur Sanctis ex hac manifestatione, sed ipsi, cùm rectissimi sint in omnibus nõ possunt moueri, nisi ex apprehẽsione veri boni, aut mali: ergo hac de causa nullo ex prædictis affectibus mouebuntur, qui nõ sunt nisi fuga quædam imminẽtis, & præsentis mali. Et confirmatur, quia tanta erit Sanctorum gloria, & lætitia de pœnitentia pro peccatis acta, de remissione obtenta, deque admirabili ratione diuinæ prouidentiæ, qua factũ est, vt mala illis cooperentur in bonũ, vt propter has etiã causas gaudeant, quòd eadẽ peccata omnib⁹ manifestentur. Quomodo enim possent diuina in eos gratia, ac benignitas agnosci, nisi eorum lapsus cognoscerẽtur? Aut quomodo poterũt omnia eorum merita, quæ per pœnitẽtiam, & satisfactionẽ pro peccatis cõsequuti sunt, omnibus nota fieri, nisi peccata, quæ fuerunt occasio, & materia illorum meritorum, cunctis quoque innotescãt? Plura in fauorem huius sententiæ sumi poterunt, ex his, quę in sect. 9. dicemus.

Iusti igitur iudicãdi qnomode.

Ex iis igitur cõstat, si discussio nihil aliud significet, quàm examinationem, & collationem bonarum, & malarum actionum, omnes Sanctos, qui aliqua peccata commiserint, aliquomodo iudicãdos iudicio discussionis, quanquam dici possit, hanc discussionẽ minorẽ esse futuram in ijs, qui tantum venialiter peccauerunt, quã in ijs, qui mortalia etiã crimina cõmiserũt, & similiter maiorẽ futurã in iis, qui plura, & grauiora admiserũt peccata, quã in iis qui pauciora. Et in hũc modũ intelligi põt illud Sopho. 1. *Et erit in die illa scrutator Ierusalẽ in lucernis.* Quæ verba elegan-

Sophon. 1.

Bernardus

ter tractat Bern. serm. 55. in Canti. Vbi *Ierusalẽ* nomine, dicit, Prophetã designasse illos, qui in hoc sæculo vitã ducunt religiosam, mores supernæ illius Ierusalẽ conuersatione honesta, & ordinata pro viribus imitãtes. Quorũ peccata occulta sunt nomine, & habitu iustitiæ adũbrata. *Et id circo* (inquit) *necesse erit, subtili ea inuestigari discussione, & quasi admotis lucernis de tenebris in lucẽ prodi. Possumus afferre aliquid & de psalmo ad confirmandum id, quod dicitur de scrutanda Ierusalẽ. Ait nãque sub persona Domini, cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo, vias iustorum (ni fallor) & actus eorũ discussurum se, & examinaturum dicit.* Cum ergo postea Bernard. dicit, si nos in hac vita diiudicauerimus, postea non fore iudicandos, de iudicio damnationis loquitur.

Psalm. 74

Ad rationes autem dubitandi in principio positas respondetur. Ad primã, verbum *iudicandi* in Scriptura variis modis sumi, vt notauit Basil. hom. in Psalm. 7. in illud, *Dominus iudicat populos*. Interdum enim in communi significat sententiam proferre post causę examinationem, siue iudicium sit condemnationis, siue absolutionis. Et hæc videtur esse propria significatio, secundum quam dicitur Christus *iudicaturus viuos, & mortuos*, & hoc modo dicimus, Sanctos esse iudicandos. Interdum verò *iudicare* significat idem, quod condemnare, vt Psalm. 5. *Iudica eos Deus*. Et Ioann. 5. *Qui vero mala, in resurrectionem iudicij*, id est, damnationis. Nam quia iudicium est actus iustitiæ, & præcipuè futurum est ad manifestandam diuinam iustitiam, quæ in reprobis potissimum exercenda est, ideo iniqui quasi per antonomasiam iudicandi dicuntur. Cum ergo Ioann. 3. dicitur. *Qui credit in eum, non iudicatur*, sensus est, non condemnatur, scilicet, secundum præsentem iustitiam, aut, si in ea perseueret. Sicut inferius inquit, *Qui credit in filium, habet vitam æternam qui incredulus est filio, non videbit vitam*, & cap. 5. *Qui credit in eum, qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit*, id est, in damnationem. Vnde subiungit, *Sed transit a morte in vitam*. Sic Irenæus. libr. 5. capit. 27. *Qui credit in me* (inquit) *non iudicatur, id est, non separatur a Deo: qui autẽ non credit, iam iudicatus est, id est, separauit semetipsum a Deo voluntaria sentẽtia.*

Respõsio ad argumẽta in oppositum

Basi.

Psalmo. 7.

Psalmo. 5.

Ioan. 5.

Ioannis. 3.

Ioannes. 5.

Ireneꝰ.

Ad secundã respondetur, etiam illos Sanctos, qui corpore, & animo iam sunt Beati, fore iudicandos, quia licet priuatim iudicati sint, oportet, eorũ causam ad publicum tribunal deferri. Nam etiam tempore iudicii omnes Sancti erunt iam corpore, & animo glorioſi, & nihilominus iudicabuntur.

Ad tertiã, iam explicatum est, quomodo insignes Sancti iudicandi sint: nec est inconueniens, quòd assessores Christi ab ipso iudicentur, & cum ipso inferiores dijudicent, quanuis â Gregorio ii dicantur non iudicandi, quia eorum causa breuiter transigenda est, potius per modum approbationis, & laudis, quàm discussionis, & examinationis. De Christo autem domino

christꝰ quo modo iudicandus dicatur.

domino: nō desunt, qui dicāt etiam ipsum fore iudicandum. Anselmus enim in elucidario sentit vniuersas Christi actiones, & vitā esse in iudicio omnibus manifestandam. Et ita exponit illud Apocalyp. 20. *Et libri aperti sunt, id est, conscientiæ singulorum, & alius liber apertus est, qui est vitę, id est, vita Iesu, in quo omnes quasi in libro legent, quid de præceptis eius vel fecerunt, vel neglexerunt.* Rursus per hanc vitæ Christi manifestationem constabit euidentius infinita Dei misericordia, & iustitia erga humanum genus, ad ipsius gloriam, & bonorum consolationem, & confusionem malorum. Hac ergo ratione quodāmodo dici potest Christus seipsum diiudicaturus. Quod tamen potius metaphoricè, quàm proprie dictum est, eo modo, quo etiam ipse Deus in iudicium venire dicitur, iuxta illud Psalm. 50. *Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum iudicaris*, & Ioel. 3. vbi nos legimus, *Et disceptabo cum eis*, Hebręa habent, *Iudicabor cum eis*. Et Isai. 43. *Reduc me in memoriam, & iudicemur simul, narra, si quid habes, vt iustificeris*. De quo tractans Ambros. Psalm. 36. *Graue (inquit) est hoc iudicium, cum Dominus de se postulat contra hominem iudicari.* Quia re vera Deū, aut Christum hoc modo iudicari, potius est, iustius, atque exactius homines iudicare, causam suā magis, magisque aduersus prauos homines, & in fauorem bonorum iustificando.

Anselmus
Apoca. 20.
Psal. 50.
Ioel. 3.
Isai. 43
Ambros.

SECTIO OCTAVA.

Vtrum Angeli tam boni, quam mali, iudicandi sint.

NON est huius quæstionis sensus, an sint Angeli sancti iudicandi, quo ad præmiū essentiale ex operibus, & meritis, quæ in beatitudine gesserunt, vt Origen. sæpius indicat, homil. 13. in Lucam. homil. 20. & 24. in Numer. quem pie interpretatur D. Thom. 1. par. quæst. 113. artic. 7. ad 4. ex eodem Origen. homil. 11. in Numer. vbi ait futuros etiam Angelos custodes in iudicio, non tam vt de sua custodia iudicētur, quàm vt sint testes ignauiæ, ac negligentiæ hominum. Est ergo quęstio de iudicio Angelorum ex operibus, & meritis, quæ in statu suæ viæ habuerunt. In qua re est sententia satis vulgata, Angelos non esse iudicandos, saltem quoad præmium, & pœnam essentialem. Ita sentit D. Thom. hic quæst. 59. articul. 6. Negat enim iudiciariam potestatem Christi vt hominis se se extendere ad Angelos quoad præmiū, & pœnam essentialem: sed solum quantum ad ministeria eorum, & accidentalia præmia, vel supplicia, quę inde resultant. Et in 4. dist. 47. quæstion. 1. arti. 3. quæstiuncula 4. apertius dicit, hoc iudicium directè non pertinere ad Angelos: sed tantum indirectè, quatenus actibus hominum fuerunt commixti. Atque hanc sententiam amplectuntur discipuli D. Thom. Probari autem potest. Primò, quia generale iudicium de Angelis, initio mundi perfectum est, vnde omnes integrum præmium, aut supplicium essentiale acceperunt. Secundo, quia Christus non est Redemptor Angelorum: ergo nec futurus erit iudex. Tertio, quia in Symbolo tantum profitemur, Christum futurum iudicem viuorum, & mortuorum, & in Euangelio solum de hominibus profertur sententia, *Venite benedicti, &c.* Matthę. 25.

A
B
C
Symbol.
Matt. 25.

Dicendum tamen est primò, omnes Angelos tam bonos, quàm malos comparituros in iudicio, & aliquomodo illud subituros. In hac assertione omnes conueniunt, & de bonis quidem Angelis cōstat. Quia Christus dixit omnes Angelos sanctos venturos secum ad iudicium. De malis autem omnes Theologi idem docent. Quia est fere eadem ratio: & quia ad gloriam Christi spectat, vt eo die illi *curuetur omne genu*, sicut Paul. exposuit. Et quia tam boni, quàm mali Angeli ad salutem, vel damnationem hominum aliquid cooperati sunt, & aliquod ministerium exibent circa præmium vel pœnam eorum, idcirco oportet, vt huic generali iudicio, omnes assistant, & Christo, vt vniuersorū Domino subijciātur. Et hinc fit, effectum huius iudicii saltem indirecte redundaturum ad Angelos. Gaudebunt enim boni de consortio Sanctorum hominum, & de fructu sui ministerii, & similiter accrescet malis aliqua confusio, & accidentaria tristitia ex condemnatione prauorum hominum. Nam ipsi etiam detrudentur in infernum. Et de malis, quorum causa extiterunt, nouo aliquo modo punientur, saltem per nouam quādam ignominiam, & publicam infamiā.

Angelitam boni, quam malii iudicio vniuersali comparituri omnes,

Roma. 14.

Secundo

Angeli a Christo iudicandi omnes. Secundo dicendum est, probabilius videri omnes etiam Angelos esse iudicandos quo ad præmium, & supplicium essentiale, iudicio saltem approbationis, & condemnationis. Ita sentit Bonauent. in 4. dist. 47. artic. 1. q. 4. & Ricard. artic. 1. q. 6. & probatur primò ex illo 2. Petr. 2. *Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari.* Quorum verborũ sensus est, Deum non peperciſſe Angelis peccantibus, eosque carceribus addictos in iudicij diem reseruasse, vtique iudicandos, & puniendos. Ita exponit Aug. lib. 11. de Ciuitat. cap. 33. & lib. 21. cap. 23. & lib. de natura boni contra Manich. cap. 33. & & similem sententiam ex Andrea Apostolo refert Abdias Babylon. lib. 3. Ex quo loco sumpserunt aliqui veteres Patres occasionem, vt dicerent, dæmones nõdum puniri igne inferni, donec in iudicio vniuersali iudicentur, & ad æternum ignem dãnentur. Hoc enim sensu intelligunt dixisse Petrum oẽs *in iudicium reseruari.* Ita sensit Iustinus in dial. cum Triphone, quem refert, & sequitur Iren. lib. 5. cont. hæreses cap. 33. & vtriusque sententiam refert, & approbat Euseb. li. 4. Hist. cap. 17. alias 18. & Nizephor. lib. 4. cap. 6. Qui etiam putant, ante aduentum Christi non certo cognouisse dæmonem suam damnationẽ: post Domini autem aduentum intellexisse, ignem æternum sibi esse paratum. Quod etiam refert, & probat Oecumen. 1. Petr. 5. Veruntamen hæc sententia quoad aliquid singularis est, & non est probanda. Nam tam certum est angelos malos à principio suæ damnationis esse igni traditos, & cognouisse suam damnationem æternam, quã idem est certum, de hominibus in peccato mortali decedentibus, seu quàm est certũ, Angelos bonos esse beatos. Potest autem illa sententia pie exponi vt postea dicam. Ex illa ergo tantum sumimus id (quod ij Patres supponunt) Angelos, scilicet, fore à Christo iudicãdos, & malos ipsius sentẽtia esse in infernum detrudendos, vt inde nunquam amplius possint emergere, sicut nunc eis permittitur, vt ex Apocalyp. 12. & 20. colligitur, in illis verbis, *Diabolus, qui seducebat eos missus est in stagnum ignis, & sulphuris, vbi & bestia, & pseudo Propheta cruciabuntur die, ac nocte in sæcula sæculorum.* Et quo ad hoc dici possunt, fuisse prius dæmones incerti de sua pœna, nimirum quãtum ad hanc perpetuam incarcerationem in loco inferni, & priuationem illius potestatis, & libertatis, quam in hoc mundo possidebant. Et hoc sensu conquerebantur de Christo Marc. 1. *Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene venisti ante tẽpus perdere nos?* Ex quo loco potest etiam conclusio posita confirmari. Nam (vt Glossa ibi exponit) suspicabãtur dæmones, se fore statim à Christo iudicandos, & in infernum præcipitandos, & hanc vocabant perditionẽ suam. Præterea idem confirmari potest ex illo 1. ad Corin. 6. *Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus?* Quod de iudicio vniuersali exponunt Chrysost. Theodor. Ambros. Anselm. & alij Græci, Latinique, quanuis aliqui eorum de malis angelis, alij absolutè de omnibus intelligant. Sed nihil refert, nam idem redit sensus. Vnde Ambr. ibi ait, eodem modo iudicãdos esse Angelos, quo & mundus iudicabitur. Nec potest hic locus conuenienter exponi de iudicio tantum indirecto, seu quoad præmium accidentale. Tum quia Paulus eodem modo dicit, à nobis iudicatum iri Angelos, sicut mundum, & ita de eodem iudicij genere ab omnibus exponitur. Tum etiam, quia per illud indirectum iudiciũ nõ propriè iudicantur Angeli, sed homines, & ex accidenti redũdat in Angelos. Pauli autem verba possunt proprie, & in rigore intelligi. Qua propter Clemens Roman. lib. 7. Const. cap. 33. dicit, venturum Christum in throno Regni sui ad condẽnandum deceptorem mundi diabolum, & ad tribuendum vnicuique pro actionibus suis. Similia habet Lactan. lib. 7. cap. 26. Certum est autem, si mali Angeli iudicãdi sunt iudicio cõdemnationis, multo magis esse iudicandos Sanctos Angelos iudicio approbationis, ac retributionis. Secundo possumus argumẽtari ratione. Quia ex Angelis, & hominibus sanctis constituitur vnum Christi corpus, vna Ecclesia, & vna Dei ciuitas, & omnibus retribuitur pro meritis præmium eiusdem rationis, ergo cõueniens est, vt publicũ iudicium cũ retributione fiat, non solum de hominibus, sed etiã de Angelis. Patet cõsequentia, primo, quia hic habẽt locum omnes rationes & cõgruentiæ ad Diuinam prouidentiam pertinẽtes, propter quas voluit Deus, fieri generale hominũ iudicium, vt supra vidimus. Quia hoc pertinet ad manifestationẽ Diuinæ institiæ, & misericordiæ. Pertinet

Bonauent. Richardus — *Aug.* — *Abdias Babyl.* — *Iustinus. Iren. Euse.* — *Oecumen.* — *Apocal. 12 & 20* — *Marci. 1.* — *Glossa.* — *1. Corin. 6 Chrysosto. Theodore. Ambrosius Anselmus.* — *Clem. Pã* — *Lactant.*

net etiam ad honorem, & gloriã Christi, vt sicut est caput, & Rex Angelorũ, sit etiã supremus iudex. Pertinet quoq; ad honorẽ Sanctorum Angelorum, vt eorũ merita, & coronę in cõspectu, tum hominũ, tum Angelorum laudem, & honorem accipiant. Deinde, quia nihil est, quod impediat, quo minus ita fiat. Quia, licet Angeli iam receperint præmium, vel pœnam, & cõsequenter iudicati fuerint: illud tñ iudicium fuit priuatum respectu huius vniuersalis iudicij, sicut etiã de hominibus est necessario dicendum. Item licet Christus non sit Redemptor Angelorum: est tamen Saluator, & Iustificator, ideoque debuit esse iudex etiã quoad essentiale præmium. Quòd autem in symbolo tantum profiteamur, esse iudicẽ viuorum, ac mortuorum, nõ propterea negatur, futurum etiã esse iudicem Angelorum: sed docetur id, quod certum est, nobisque necessariũ: tacentur autem reliqua, neutraque inquisitioni relinquuntur: quanquã sub nomine *viuorum* Angeli possint cõprehendi.

SECTIO NONA.

Quomodo sint omnium causæ, & opera in iudicio manifestanda.

IN præcedẽtibus sectionibus multa attigimus, quæ sub hoc titulo cõprehendi videntur, præterm itti tñ nõ potuerunt, quia res sunt adeo inter se connexæ, vt non possint disputatione seiungi: hic ergo solũ addemus ea, quæ ad cõplementũ huius disputationis dicenda supersunt. Hactenus.n. descripsimus aduentũ iudicis, & omnium iudicãdorum cõuentum, vnde fit reliquum, vt ipsum actum iudicãdi describamus. Cum vero in hoc duo cõtineãtur, seu requirãtur, scilicet causæ cognitio, ac manifestatio, & sententiæ prolatio ijs duobus explicatis, erit iudiciũ absolutũ, & omni ex parte declaratum.

Iudex & iudicandi visibiliter apparebunt.

Vt ergo, de priori dicamus, supponendũ est, quod sæpe est in superioribus inculcatum, hoc iudicium futurũ esse sensibile quoad mutuã præsentiã iudicis, & hominum iudicãdorum. Itaque nõ solũ Christus cõspiciet, & cõspicietur à sanctis hominibus, sed etiã à malis, & iniquis: quod videtur de fide certum ex illo Matth. 24. *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsq; in Occidentem, ita erit aduentus filij hominis.* Ex quo colligunt omnes Patres, Christũ venturum manifestè, vt ab omnibus videatur.

Matt. 24.

A Vnde inferius dicitur, *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli*, & c. 25. *Congregabuntur ante eum omnes gentes*, vbi significatur aperte mutua, ac sensibilis præsentia. Quę nõ obscure etiam colligitur ex colloquio, quod ibi describitur inter iudicem, & iudicandos. Et c. 26. *Videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cœli.* Ex quibus locis non solũ cõstat, visuros omnes homines Christi humanitatem, sed etiã externam gloriam, & maiestatem, & claritatem corporis eius, vt cum Magistro docent Theologi omnes in 4. d. 48. & est sententia Aug. Enarrat. in Ps. 85. circa illa verba, *Respice in me, & miserere mei*, & Enarr. in ps. 109. circa illud *Tecum principiũ in die virtutis tuæ.* Et facile suaderi potest ex omnibus, quæ in superioribus dicta sunt, de secundo Christi aduentu visibili, ac sensibili, & de differentijs inter primum, & secundum aduentum, & de gloria, & maiestate secundi. Illa enim

Matt. 25.

Matt. 26.

Mag. sen.

B omnia probant, illam gloriam, & maiestatem cõspiciendam esse ab omnibus hominibus iudicandis. Loquor autem de claritate corporis, & maiestate externa ac sensibili: nam gloria diuinitatis non ostenditur reprobis, sed tantum Sanctis, vt recte docuit Aug. 1. de Trinit. c. 13. Et Isidor. li. 1. de sum. bon. c. 30. Non.n. decet, tantum bonum iniquissimis hominibus cõmunicari: maxime cum ad iudicium illud transigendum necessarium non sit: ideo.n. fiet iudicium per humanitatem, vt in ea conspicere possint reprobi suum iudicem, quẽ in diuinitate propter eius eminentiam intueri non decebat. Dices, ergo nec necesse erat, vt viderent gloriam corporis Chri-

Obiectio.

C sti, satis.n. esset, formam humanam conspicere, quam suo arbitrio manifestare potest corpus gloriosum, non manifestata claritate sua. Adde, videndum esse Christũ à damnatis in forma crucifixi: ergo non videbitur ab eis gloria corporis eius. Maxime, quia visio huius gloriæ, & claritatis posset reprobis parere aliquod gaudium. Resp. negando consequentiã, quia ad terrorem damnatorum, eorumq; cõfusionem, oportet vt videant saltem sensibilem gloriam Christi hominis, ex qua non solum voluptatem non capient, sed potius turbabuntur timore horribili, quia non conspiciẽt illam claritatem, vt eius pulcritudine fruãtur, sed vt in illa tanquã in signo videant & Christi gloriam, & maiestatem, & quid ipsi amiserint. Quod autem dicitur Chris-

Solutio.

tus

tus videndus in forma crucifixi, si intelligatur quoad corporis figuram, & situm fictitiũ est, & sine fundamento: si autem intelligatur, quod videbunt in eo insignia crucifixionis verissimum quidem est, iuxta illud Zach.12. *Aspicient ad me quem confixerunt*, quod de hoc mysterio, exponit Ioan.cap.19.& significatur Apocal.1. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt*, vt notat Ignat.epist. 10.ad Smyrnẽses, & Cyprian. serm. de ascensio.& Chrysost.homil.de cruce & latrone, & hom.49.imperfecti in Matth.& Hieron.epis.1.ad Heliodor.& alij in superioribus allati. Non repugnat autem, videre hoc modo Christum crucifixum, & videre illum in maiestate sua, quia illa insignia passionis in eius corpore glorioso manent cum summa gloria, & decore.

Zacha.12. Apoca.1. Ignatius Cypria. Chrysosto. Hierony

Secundo supponendum est, in illo iuditio manifestanda esse iudicandorum opera tam bona, quam mala, quod spectat ad cognitionem, & probationem causæ, de qua ferendum est iudicium. Quæ veritas sic absolute proposita, de fide est, vt constat ex locis supra tractatis, Matth.25.2.ad Corint.5. & aliis. Duo autem sunt potissima testimonia, in quibus hic actus Diuini iudicij specialius describitur. Primum est Dan.7. *Iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Secundum est Apocal.20. *Et vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ & iudicati sunt mortui ex iis, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* In quibus locis quanuis Sancti variis modis explicent librorum metaphoram, tamen omnes intelligunt (quod Ioannes satis explicuit) ea librorum apertione significatam esse operum omnium manifestationẽ. Augustinus ergo 20.de Ciuitat.cap.14 & 15. per libros, qui aperti sunt, intelligit Sanctos, in quorum mentibus, & cordibus Diuina voluntas, & lex veluti clara, & expressa cognosci potest: per librum autem vitæ intelligit vim Diuinã, qua vnicuique præsens fiet quidquid in vita male, aut bene gessit. Cum enim ad iudiciũ operum necessaria sit cognitio legis, seu iuris, & facti seu operis, plures etiam libri videntur esse necessarij. Alij in quibus precepta scripta sint: alij in quibus ipsorum operum historia sit conscripta: priores ergo libros intelligit Aug. esse corda Sanctorũ, Diuinũ ius ac Diuinam voluntatem exprimentia: alterum autem librũ vitæ intelligit esse memoriam factorum omnium, quæ virtute Diuina in omnibus hominibus iudicãdis fiet. Et eandem fere expositionem sequens Richar. Victorin. in dicto lib. de potestate iudiciaria, intelligit, priores libros non esse quoslibet Sanctos, sed solos insignes ac perfectos viros, in quibus Diuina lex, ac voluntas tanquã in speculo relucet. A qua interpretatione nõ abhorret Theodor. Daniel.7. nec Anselm. in Elucidario. Qui addit, librum vitæ esse vitam Iesu, quæ omnibus debet esse norma viuendi, & intelligi potest quasi lex, per quam omnes sunt iudicãdi. Beda vero per libros apertos intelligit scripturas, in quibus præcepta Diuina cõtinentur, quæ omnia probabiliter excogitata sunt. Vera tamẽ interpretatio, & maxime literalis esse videtur, plures libros, qui aperiendi sunt, esse omnium hominum & Angelorũ conscientias, in quibus tam iura, quam facta conscripta reperientur, iuxta illud Isai.51. *Lex mea in corde eorum*, & Psal.36. *Lex Dei eius in corde ipsius*, & illud Ierem.17. *Peccatum Iuda scriptum est stilo ferreo in vngue adamantino exaratum super latitudinem cordis eorum.* Igitur ex iis quæ in conscientiis scripta fuerint, singuli iudicandi sunt. Vnde Paul.ad Rom.2. *Thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei*, & infra, *Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam desendentium in die cum iudicabit Deus occulta hominum.* Recte ergo per libros, qui aperiendi sunt, ex quibus iudicandi sunt mortui, cõsciẽtias, seu memorias singulorũ interpretamur cum Hieron.& Theod. Dan.7. Per librum autẽ vitæ, recte etiam intelligunt Hiero.& Aug. dicto libr.20.c.15. librum illum viuentium, seu Diuinam mentem, in qua prædestinati omnes conscripti sunt. Hic enim est frequentior vsus huius vocis in scriptura, vt latius tradit D.Th.1. p.q.24.& præsertim apud Ioannẽ in Apocalyp.c.13. *Adorauerunt eam omnes, qui habitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ*: & eodem c.20. *Qui non est inuentus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Idem fere habetur cap.21. & 22. Vnde in aliis libris dicuntur esse conscripta omnia opera, in hoc vero libro vitæ præcipue dicuntur scripta nomina, seu personę. Nã sicut in militia, alius est liber, in quo scribuntur delecti milites, alij vero in quibus describuntur vel leges, vel facta militum, ita

Opera omnia in iudicio examinabũtur. Matt. 25. 2.ad Cor.5 Daniel 7. Apocal.20 Aug.

quid sit aperiri libros in die iudicij. Ric. Vict. Theodor. Anselmus. Bed. Isaias.55. Psalm.39 Ieremi.17 Roman.2. Hieronym. Theodore. Hieronym. Aug. D.Thom. Apoca.13. 20.21.22.

ita in præsenti, præter eos libros in quibus scribuntur facta hominũ, est liber vitæ in Deo, in quo describũtur, qui ad vitam æternam sunt electi, qui in die iudicij aperiendus est: quoniam perspectis omniũ conscientijs, & operibus statim cõstabit, qui sint de numero prædestinatorum, qui vero non, & omnibus notũ fiet, quomodo Deus, & summa misericordia eos elegerit, & admirabili prouidentia per cõ

Obiectio sentanea media ad finem perduxerit, & nõ minori iustitia eis præmium reddat. Dices cur nõ fit mẽtio alterius libri, in quo scripti sint reprobi, qui dici poterit liber mortis. Resp. Aug. & D. Th. eos qui repudiantur, & reijciuntur, non solere singulariter in libro describi. Hierony. autẽ sentit dari librũ mortis, non quidẽ in mente Dei, sed dæmonis: quia licet Deus scientiã habeat omniũ reproborum, tñ non per se & quasi ex voluntate, & intentione sua illos descripsit in mente sua, sed solum quia ipsi futuri erant tales, ideo eos præsciuit,

Solutio Aug. D. Thom. Hierony. quod Aug. & Thomas intẽdunt. At vero dæmon suũ librũ habet in quo reprobos, & eorũ opera scribit, quem ipse quidẽ in die iudicij proferet, vt sui imitatores

Liber mortis an detur. accuset. Tamen quia Deus per illũ librum non iudicabit, sed per singulorũ conscientias, & suã scientiam, ideo de illo libro nõ fit mẽtio in Scriptura. Ex ijs ergo satis cõstat, omnium opera manifestanda esse in die iudicij, sub quibus facta & dicta, & occultissimę cogitationes comprehenduntur, omnia enim hæc in conscientiis scribuntur, & omnibus propriũ aliquod præmium, vel supplicium respondebit.

Duo autẽ circa hoc inquiri possunt. Primum, an omnia, & singula opera omnium hominum, & Angelorum fient nota omnibus aliis, an vero tantum singulis manifestãda sint, quæ sunt vnicuique propria. Nam de hoc secundo nullum est dubium inter Theologos. Tũ propter adducta testimonia Scripturæ: tum etiam, quia hoc spectat ad æquitatem diuini iudicij, vt vniuscuiusque causa legitimo testimonio comprobetur, quale erit in singulis testimonium propriæ conscientiæ, vt ex Paulo adductum est. De primo aũt aliqui Theologi dubitant, quia non existimant, illud esse necessarium ad æquitatem diuinæ iu-

Palu, Durandus stitiæ. In quam sententiam videntur inclinare Paludan. in 4. dist. 47. quæst. 1. artic. 2. & Durand. quæst. 2. Multo autem verior est contraria sententia, quam tenet D. Thom. dist. 43. quæst. 1. artic. 5. quæst. 3. & Bonauentura ibidem articu. 3. & Ricard. artic. 7. & dist. 47. artic. 1. quæst. 3. & Soto quæst. 2. artic. 3. Atque ad id persuadendum afferri possunt, præter ea, quæ hic diximus, permulta alia, quæ Sect. 5. & 7. adducta sunt. Ratio est, quia non haberet illud iudicium perfectam rationẽ generalis iudicij, ac fere superuacaneum esset, si omnium causæ non essent in publicum proferendę, & sententia, ac ratio eius omnibus manifestanda. *D. Thom. Bonauent.*

Hinc oritur secundum dubium, quomodo hæc cognitio seu manifestatio facienda sit. In quo multa includuntur, scilicet an facienda sit per mentalem tantum manifestationem, an per vocalem. Item an sit in momento, vel in tempore faciẽda. De quibus omnibus Theologi locis citatis multa scribunt, sed vt recte dixit Magister, cum de hac re nihil per Scripturam, neque per Ecclesiam sit nobis reuelatum, nihil potest certo fundamento B affirmari, cum Deus illis, & aliis modis, prout sibi placuerit, hoc facere possit. Tamen coniecturis vtendo verisimile est, quod omnes Theologi docẽt, huiusmodi causæ manifestationem non esse totam vocibus sensibilibus exprimendam, esset enim res valde morosa, & non necessaria, vt optime Augustin. libr. 20. de Ciuitat. *Aug.* capit. 14. & clarius in 16. Secundo credibile est, non esse futuram in vnico instanti, quia non possent homines, præcipue reprobi tam multa simul distincte, & perfecte cognoscere, sine ingenti miraculo non necessario. Item non oportet, vt tam celebris actio vno temporis instanti trãsigatur: fiet ergo in mora aliqua, per successiuam loquutionem mentalem, omnibus proportionatam. Tertio non est improbabile, aliqua peccata hominum esse C voce sensibili redarguenda, & similiter aliqua bona opera laudanda. Quia cum illud iudicium futurum sit sensibile, & inter homines, qui se se mutuo sensibiliter conspicient, vt supra diximus, videtur etiam cõueniens vt aliqua ratione fiat loquutione sensibili, qui modus est hominibus maxime accomodatus, & ad maiorem honorem bonorum, iniquorum vero confusionem pertinens. Hinc Richard. dist. 47. *Richardus* artic. 1. quæst. 3. credit, hanc vocalem manifestationem maxime esse futuram de operibus misericordiæ, & de peccatis ei oppositis, propter ea, quæ de forma iudi-

Quomodo omnes omnium conscientias cognoscent in iudicio qui aderunt.

Operũ vocalis manifestatio in die iudicij futura.

cij

cij Matt.25.narrantur. Quod est incertū, quia non constat, ea omnia, quæ Christus ibi dixit, sensibili voce esse transigēda, & quia supra cum August. diximus, ea, quę de operibus misericordię ibi dicuntur, tantum esse velut indicium quoddam iudicij de omnibus operibus faciēdi. Hinc etiam Sotus dis. 47. quæst. 1. artic. 3. putat, hanc vocalem redargutionem, seu reprehensionem specialiter futurā respectu fideliū, & significat, hoc modo esse interpretandam sententiam Gregor. quod in iudicio erit disceptatio sensibilis cum fidelibus peccatoribus, non vero cum infidelibus. Quod nō solum est incertum, sed valde etiam voluntarium. Tum quia non habet fundamentum in Scriptura: tum etiam quia maxime videntur reprehendēdi infideles præsertim Iudæi, quia, vt Beda significat Luc. 23. & colligitur ex Scriptura, illis maxime ostendet Christus sua vulnera, vt videant, quem pupugerunt, & cōfundantur. Item quia si disceptatio sensibilis, tantum est futura cum fidelibus peccatoribus per modum accusationis, excusationis, & redargutionis, ergo pari ratione disceptatio sensibilis, quæ per modum laudis fiet cum Iustis, non fiet cum insignioribus, sed tantumcum mediocribus Sanctis, quia illi tantum dicuntur iudicandi iudicio discussionis: hoc autem videtur incredibile. Nam quò fuerint homines sanctiores, eò magis laudabuntur mentali, ac sensibili voce, & lingua. Igitur nihil censeo posse hac in re dici, quod firmo nitatur fundamento: atque verisimilius esse, si quid agendum est voce sensibili, id non esse futurum respectu singularum personarum, sed in communi, vel respectu omnium, qui futuri sunt ad dexteram, vel ad sinistram, vel secundum aliquos generales ordines, aut vitiorum, vel virtutum genera, vt verbi gratia commendando prius misericordes, deinde Virgines, postea Martyres, & sic de vitiis contrariis, simili proportione. Vnde fit tandē incertū etiā esse, an illa excusatio iniquorū, & demissio bonorum, quæ Matth. 25. insinuatur, futura sit sensibilis, vel tantū mentalis: & sane probabilius est fore mentalem, vt Sotus supra sentit quæstio. 2. articul. 4. & colligit ex testimonio Pauli ad Roman. 2. supra citato, & ex illo Sapientię 4. *Dirumpet illos inflatos sine voce*. Et videtur colligi ex dictis, nam si sensibilis reprehensio non est futura cum singulis personis, sed generatim, non videtur habere locum excusatio vocalis, nisi fingamus, vel maximam confusionem multorum simul vociferantium, ac se excusantium, vel aliquem loco omnium esse locuturum: sed credibilius certe est, fore vt omnes iniqui tanto sint eo die stupore, ac terrore affecti, vt nec respondere, nec mutire audeant. De Sanctis vero manifestum esse videtur, non posse, vt sonant, intelligi ea verba, quæ eis tribuuntur Matt. 25. *Quando te vidimus esurientē, &c.* quia neq; ipsi hoc ignorabūt, neq; interrogabūt, aut interpellabūt Christū loquentem. Ergo illo dicendi modo solum voluit indicare Christus submissionem, & gratitudinem Iustorum, qui omnē suam gloriam, & honorem, non tam suis operibus, quam Diuinæ largitati, & gratiæ attribuent.

Matt. 25. Soto. Beda. Sot.

SECTIO DECIMA.

Quomodo sit proferenda sententia, & iudicium absoluendum.

PRimùm, examinata, comprobata, atque concluſa vniuscuiusque causa, sententiam esse proferendam, tam est certum, quam quod sit futurum singularum personarum iudicium. Quia iudicium per sententiam consummatur, & ita in citato loco Apocalyp. 20. postquam dictum est, *Aperti sunt libri*, subiungitur, *& iudicati sunt mortui, ex iis quæ scripta sunt in libris secundum opera ipsorum*. Post manifestationem ergo causæ, adhuc superest iudicium, quod non nisi in sententia consistere potest.

De singulis est sentē tia distincte proferenda

Dubitari vero in primis potest, an omnes mali vnica generali sententia iudicandi sint, & similiter omnes boni, an vero de singulis propriæ sententiæ proferendæ sint. Matth. enim 25. significatur prior modo proferendam esse sententiam. Nam generatim reprobis dicitur, *Ite maledicti, &c.* electis autem, *Venite benedicti Patris mei, &c.* In contrarium vero est, quia non omnes sunt eadem pœna afficiendi, aut remunerandi eodem præmio, sed vnusquisque pro suorum meritorum qualitate. Qua propter dicendum videtur, de singulis esse propriam, & particularem sententiam ferendam, vniuscuiusque meritis accommodatam, quod iis verbis eleganter docuit Gregorius Nysse-

nus

nus oratio. in illud, *Quod uni ex iis minimis feciſtis, mihi feciſtis*. *Adhuc verſor circa ſpectaculum terribilis aduentus Regis quem deſcribit nobis Euangelium: etiam nunc animus, terrore eorum, quæ dicta ſunt defixus pauore, atq; formidine torpet, veluti cernens quodammodo tum ipſum cęlorum Regem in ſolio glorioſo terribiliter præſidentem: tum infinitas illas Angelorum legiones, Regem undique circumſtātes, atque ipſum magnum ac terribilem Regem ex inenarrabili gloria ad humanam naturam deſpicientem, & omne genus hominum, qui ex quo homines nati ſunt vſque ad illam terribilem apparitionem inuenientur, ad ſe ſe cogētem, & promerito, ac dignitate anteactæ vitæ, vnicuique ſentētiam accommodantem*. Etenim cum ſententia nihil aliud ſit, quam practicum iudiciū habens adiunctum imperium, ſeu voluntatem retribuendi vnicuique iuxta opera ſua, neceſſe eſt, vt pro diuerſitate meritorū & retributionis, ſententia varietur. Veriſimile aūt eſt, poſtquā de ſingulis in ſpecie iudicatum fuerit, ad conſummandum, & diſſoluendū iudicium proferendas eſſe illas duas generales ſententias, quarū vna reprobis, altera electis cōmunis eſt. Nam, quia omnes, qui in vno, vel altero ordine cōtinentur in ſtatu, & perpetua viuendi ratione conueniunt, inter ſe vero ipſi duo ordines nihil cōmune habēt, quod ad retributionem pertineat, ideo Chriſtus non proferet vnā ſententiā vtriq; ordini communē, ſed ſingulis ordinibus ſingulas. Vnde quia omnes electi perpetua caritate illi cōiungentur, id circo proferendo ſententiā eos ad ſe vocat, dicens, *Venite benedicti Patris mei*, quos merito hoc nomine appellat, quia diuina benedictio, quæ æternam electionem, & omnem gratiā complectitur, potiſsima fons eſt, & origo, quæ ad illum felicem ſtatum eos perducet. Dicet aūt illis, *Poſsidete regnum*, quia re vera omnes cū ipſo regnabunt in ſæcula ſæculorū, vt dicitur Apoc. 22. Dicuntur aūt tunc Sancti percipere regnum, quamuis iā corpore, & animo beati ſint, vel iuxta phraſim Scripturæ, quia tunc manifeſtabitur eorum gloria & regnū, omnibus Angelis, & hominibus, iuxta illud Sap. 5. *Nos inſenſati vitam illorum ęſtimabamus inſaniam, & finē illorum ſine honore, ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt*. Vel, quia tunc nouo modo & nouo honore, corpore, & animo accipient poſſeſsionem regni. At vero, quia reprobi omnes perpetuo erunt deſpecti, ac ſeparati à Deo, ideo illis dicet, *Ite maledicti*, quo verbo pœna damni, quæ maxima eſt, ſignificatur. Non vocat aūt eos maledictos à Patre, quia perditio eorū nō ex Deo, ſed ex ipſis erit. Deinde ſubiungit pœnā ſenſus, *in Ignem æternum*. Ex quo intelligimus, ſub hac ſententia nō cōprehēdi paruulos, qui cū ſolo originali ex hac vita diſcesſerunt, ij.n. non ibunt in ignem æternum. Quod etiam conſtare poteſt ex ratione, quam Chriſtus reddidit proferens hanc ſententiā, tota .n. in actualibus peccatis nititur. Et ratio hoc etiam cōfirmat, quia cum ij paruuli habituri ſint ſtatū valde diuerſum à cæteris reprobis, non oportuit eadē ſententia damnationis cū eis inuolui, iudicabuntur ergo propria ſentētia generali reſpectu omniū illorū, quia oēs in eo ſtatu ęquales ſūt, aliis aūt diuerſa.

Secundo intelligitur ex dictis, eo die eſſe á Chriſto proferendam ſententiam ſeruata in omnibus exacta iuſtitiæ ratione, ita vt nullus ſit futurus locus interceſſioni, nullumq; miſericordiæ perfugium, *Zelus, enim, & furor viri* (.i. Chriſti iudicis) *non parcet in die vindictę, nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima*. Tūc enim adimplebitur illud Ierem. *Ego Dominus ſcrutans corda, & probans renes, qui do vnicuique iuxta viam ſuā, & iuxta fructum adinuentionum ſuarum*, tempus enim huius vitæ cōceſſum eſt ad veniam, & miſericordiam obtinendā, poſtquam vero ad iudicium peruentum fuerit ſolius iuſtitiæ diſtributiuæ, & vindicatiuæ legibus agēdum erit: de quare legi poteſt Aug. ſerm. 67. de tempore, & li. de decem chordis ca. 1. & 2. & alijs locis ſupra citatis. Greg. hom. 1. & 12 in Euang. Proſper lib. 3. de vita contemplatiua capit. 12. Bern. ſerm. 55. in Cantica.

In vniuerſali iudicio iuſtitia ſeruabitur ſine miſericordia. Pro. 6. Ierem. 17. Aug. Gre. Proſper. Bernar.

Tertio intelligitur ex dictis, an ſentētia proferenda ſit voce ſenſibili, vel tantum mentali. Veriſimile eſt enim priuatas, ac ſingulares ſententias mentaliter eſſe ferendas, quia cum omnibus ſigillatim loqui voce ſenſibili valde moroſum eſſet, & diuturnum tempus requireret: ita tamen hoc eſt intelligendum, vt huiuſmodi ſententiæ non tantum ab eis, ad quos pertinebūt, ſed ab omnibus, qui iudicio aderīt cognoſcātur, ſicut de operib⁹ diximus vtrobiq; .n. eadē ratio eſt. Imo tota ratio

An ſententia proferē da ſit voce ſenſibili.

ob quam opera omnibus manifestabũtur erit, vt sententiæ æquitas ac iustitia omnibus patere possit. Et ita sentiũt Patres supra citati. At vero sententiæ illæ generales, vt credi potest, voce sensibili proferẽtur, quod sentit Anselm. in Elucid. Et Abulens. Matt. 25. q. 333. & frequẽtius Schola st. d. 47. propter rationes tractatas præcedenti sect. quia cũ iudiciũ sit sensibile, & à iudice humano, & visibili, decet, vt etiã sententia proferatur aliquo modo sensibili: ergo saltẽ proferetur hoc modo quoad generales sententias.

Anselm. Abulens.

Vltimo colligi potest ex dictis, finita sentẽtia absoluendũ, ac dissoluẽdũ esse iudiciũ. Tũ quia nihil iã ibi supereſt agendũ, cũ sentẽtia sit veluti vltima forma iudicij: tũ etiã quia cũ sententia Christi sit efficax statim sine mora executioni mandabitur, & ideo per modũ efficacis imperii ab ipso profertur. *Ite maledicti*, & *Venite benedicti*. Statim ergo aperietur terra, vt damnatos deuoret, & ipsi ire incipiẽt in ignẽ æternũ: Beati vero cũ Christo recipientur in cœlũ. Quanto aũt tẽpore duraturũ sit iudiciũ hoc incertũ esse docet Aug. lib. 20. de Ciuita. c. 1. Nã licet cõmuniter appelletur dies iudicii: non tamen ibi diesſumitur proprie pro naturali die, sed pro toto tẽpore, quo fiet iudiciũ: est autem veri simile, nec duraturũ tãtum per instans, vt supra dictũ est, nec magna tẽporis mora, quia nõ erit Christo necessaria ad conuincendas singulorũ conscientias, & sententiam proferendam. Quod etiã insinuatur verbis illis Christi, *Sicut exit fulgur ab Oriente, & paret vsque in Occidentẽ, sic erit aduentus filii hominis*. Hac enim similitudine declaratur, breue futurum tẽpus, quo durabit Christi præsentia in hoc inferiori mundo, in secundo aduentu suo. Quod etiã significatur in illo Malach. 3. *Ero testis velox maledicis, adulteris, &c.* vt perpendit Aug. 20. de Ciuit. c. 26. & ita etiam sentiũt scholastici frequentius dicta d. 47,

Aug.

Mala 3.

DISPVTATIO LVIII.

In quatuor sectiones distributa.

De statu Christi, & totius Vniuersi post peractum iudicium.

EXplicatis omnibus quæ de secundo Christi aduentu, ac generali iudicio necessaria iudicauimus, vt huic tandem operi finem imponamus, reliquũ est, vt de statu Christi domini post iudicium differamus: nihil enim aliud tam de mortali, quam de æterna ac beata Christi domini vita considerandum supereſt. Quia vero vbi fuerit corpus, illuc congregabũtur, & aquilæ, & quia caput, ac totum corpus statum eiusdem rationis, atq; idem regnũ possidebunt, ideo simul statum Beatorum omnium, qui cum Christo regnabũt, explicabimus. Ac deniq; quia totus hic mũdus renouandus est, vt sit amplissimum, atque ornatissimũ Christi Beatorũq; domiciliũ, id circo ab hac mũdi renouatione disputationẽ exordiemur, vt tandẽ in æternæ fœlicitatis cõsideratione finiatur.

A

SECTIO PRIMA.

Vtrum post reditum Christi in cœlum, statim mundus renouandus sit.

B PRincipio statuendum est (quod in quæstionis titulo supponitur) finito iudicio, Christum cum omnibus electis eadẽ, vel si fieri potest, maiori gloria, & triumpho rediturum in cœlũ, vnde ad iudicandum descenderat. Hoc de fide certum esse videtur, quia secũdum fidẽ propria sedes, & locus beatorum corporũ est supremum cœlum, vt supra diximus de ascensione Christi agentes, & late disputat Aug. lib. 13. & 22. de Ciuitat. per plura capita: cum ergo Christus inde descenderit ad iudicium peragendum, illo finito illuc rediturus est, vt ibi perpetuo cum suis electis regnet, iuxta illud Pauli. 1. ad Thessal. 4. *Simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus*: & hoc significauit ipse Christus illis verbis, *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum*. Nã in illo verbo, *Venite*, suum reditum in cœlum indicat, clarius vero in verbis illis Matt. 24. *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem: ita erit & aduentus filii hominis, vbicunque fuerit corpus illuc congregabuntur & aquilę*. Ex quo aliqui colligunt, Christum venturum ad iudicium ex Oriente, rediturum autem versus Occidentem. Ita significat Damascen. li. 4. de fid. capit. 13. vbi hanc causam inter alias reddit illius antiquę consuetudinis & traditionis, fundendi preces versus Orientem, cuius meminit etiam Aug. lib. 2. de sermon. Domini in monte cap. 9. & Iustinus quæst. 118. ad Gentes, Basil. libr. de Spi-

Christus post iudiciũ iterum cum beatis ascẽdet: Aug. 1. ad Thes. 4.

Mat. 24.

Damasce. Cõsuetudo orandi versus Orientem.

Epiphan. de Spiritu sanct. c. 27. Epiphan. hæres. 19. *Quo circa*, inquit, Damascen. *eius aduentum apperientes ad Orientem adoramus*. Sed siue rediturus sit versus Occidentem, siue eadem via, qua venerat, certum est tamē, nō permansurum in terra, sed ascensurum in ciuitatem sanctā Ierusalem, cuius fœlicitatem describit Ioannes Apocal. 21. & 22. concludens, *Ecce venio cito, & merces mea mecū est, reddere vnicuiq; secundum opera sua. Beati, qui lauant stolas suas, vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem.* Ap. 21. 22.

Reproborum ad inferos descensus qualis. Apoc. 20. Secundo hinc fit, eadē certitudine sentiendum esse, finito iudicio, reprobos descensuros in infernū, iuxta illud, *Ite in ignē æternum*, quod expresse traditur Apoc. 20. *Infernus, & mors missi sunt in stagnum ignis.* Vnde probabiliter colligitur, ad vocē, & imperium Christi aperiendū esse magnū terræ hiatum, vt corpora damnatorum descendant. Cū enim illa corpora subtilitatis dote nō sint affecta, nō possunt terræ corpus penetrare, neque oportet hoc miraculum tunc fieri, facilius enim est, terrā aperiri ad deuoranda illa, maxime cum hiatus ille terræ deseruire possit ad perfectā mundi purgationem, & renouationem, vt postea dicemus. Quin potius, vt hoc obiter dicamus, multi existimant illum hiatū terræ perpetuo permansurum oculis peruium, vt possint Beati oculis etiā corporeis pœnas damnatorū intueri, nam vt Lactan. ait lib. 7. ca. 26. *Omnis turba impiorum pro suis facinoribus in conspectu Angelorum, atque Iustorum perpetuo igni cremabitur in æternum.* Atque idem docet Greg. hom. 40. in Euang. & Anselm. in Elucidario, & Mag. cum Theologis in 4. dis. 50. Qui tamen nō declarant, illāvisionē futuram esse corporalem, neque ad statū, & perfectionē Beatorum necessaria videtur. Multoq; minus necessarium, ac decens videtur, vt hiatus ille perpetuo in terra duret, qui & præternaturalis est ipsi elemento, & ad Vniuersi pulcritudinē, vel ad gloriam Beatorum nihil cōferre potest: & alioqui ad damnatorum hominum pœnas spectat, vt lumen cœli videre non possint. Aduertendum autem est, hoc, quod dicimus, solumesse certum de dæmonibus, ac de hominibus, qui propter peccata propria damnantur: nam de paruulis incertum est, quem locū sint habituri, supposito, vt magis pie, ac probabiliter creditur, non esse igne inferni Lactan. Gre. Anselm. Mag.

A cruciandos, de qua re alibi dicemus, quoniam ad præsentem disputationem non spectat.

Tertio dicendum est, post reditū Christi in cœlum, mundum esse renouandum. In qua assertione duo continentur, primū est, in fine mundi, & tempore vltimi iudicij futuram esse singularem mundi renouationem, & quasi alteram recreationem. Hoc sæpe est in Scriptura promissū, Isai. 65. *Ecce ego creo cœlos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor. Sed gaudebitis, & exultabitis in sempiternum in iis, quæ ego creo*: & cap. 66. *Sicut cœli noui, & terra noua, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum*: & Apoc. 21. *Vidi cœlum nouum, & terram nouam, primum enim cœlum, & prima terra abiit.* Quæ loca intelligēda esse de corporibus cœli & terræ, & de sensibili, ac materiali eorum alte B ratione, & innouatione in fine mundi futura, docent Sancti omnes ea exponentes, & satis explicuit Petrus 2. epist. cap. 3. vbi cum dixisset, hæc omnia esse dissoluenda concludit, *Nouos vero cœlos, & nouam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat*. Ratio vero huius innouationis in promptu est. Quia mūdus est propter homines, & præsertim propter electos, iuxta illud Pauli 1. ad Corint. 3. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi*: cum ergo status electorum hominum adeo sit innouandus, ac perficiendus, decet, vt totus hic mundus innouetur, ac perficiatur modo consentaneo huiusmodi statui Sāctorum hominum. Item quia nunc C mundus habet statum generationibus, & corruptionibus accommodatum: sed post iudicium cessabit generationum, ac corruptionum perpetua successio: ergo oportet, vt status etiam mundi innouetur, & statum recipiat immortali vitę proportionatum. Et hoc est, quod Paulus aiebat ad Roman. 8. *Expectatio creaturę reuelationem Filiorum Dei expectat: vanitati enim* (id est perpetuæ mutationi, ac successioni) *subiecta est non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe, quia & ipsa creatura liberabitur a seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ Filiorum Dei*: & ideo subdit, *Quod omnis creatura ingemiscit, & parturit*. Per hanc metaphoram explicans imperfectionem præsentis status totius mundi, sub quo dicitur ingemisce- Isa. 65. Apoc. 21. Petr. 2. & cap. 3. Cur mundus sit post iudicium renouandus. 1. Cor. 3. Rom. 8.

re creatura, & parturire expectãdo, & qua si appetendo perfectionẽ, atque innouationem suam.

Posterior pars propositæ assertionis erat, hanc innouationem futuram peracto iudicio, & post reditum Christi in cœlum, quæ non est certa. Aliqui enim Theologi vel omnino, vel magna ex parte ponunt hanc renouationem futuram ante iudiciũ vt constare potest ex ijs, quæ tradidimus Dis. præcedenti sect.1. & ampliuspatebit ex ijs, quæ sequentibus sectionibus dicemus, vbi & autores insinuabimus, & varias sentẽtias, ac rationes per tractabimus, quod hic commode præstari non potest.

Nunc breuiter probatur primo nostra sentẽtia ex Paul.1.ad Cor.15.dicente, *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo, & patri, cum euacuauerit omnem principatum, & potestatem & virtutem: oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos eius sub pedibus eius.* Ex quibus verbis, ac vero eorum sensu hæc rerum series, & ordo colligitur. Primum, Christum regnaturum esse, regendo, & gubernando Ecclesiam, & electos, & amicos suos congregando, hostes autem debellãdo, donec illos sibi perfecte subijciat, iuxta illud psa.109. *Sede a dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum:* & ad Hebr.10. *De cætero expectans, donec ponãtur inimici eius, scabellumpedum eius.* Quod fit in toto Ecclesiæ militantis progressu, consummabitur autẽ in die iudicij, quando Christo flectetur omne genu, & tunc abolebit *omnem principatum potestatẽ, ac virtutem.* Quę verba de dæmonibus multi interpretantur, in quibus horum ordinum distinctio permanet. Vnde ad Ephe.6. dicit Paulus, *nobis esse colluctationem aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum,* qui nunc non sunt aboliti prorsus: permittitur autem eis nonnulla potestas vsque ad diem iudicij, & tunc cessabit, & potestati Christi omnino subijcientur, vt recte exponit Chrysosto. hom.39. in.1. ad Corint. quem Oecumen. & Theophy. sequuntur, & in eadem sententia est Theodoretus. Postquam autem in die iudicij omnia Christo fuerint subiecta, tunc in cœlum cum suis rediens tradet regnum Deo, & patri, nõ se regno spolians, sed totum illud offerẽs, ac repræsentans Patri in illius honorem, & gloriã, ostendens, ipsum esse (vt ait Ambros.) ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur, & perducens totum suum regnum ad eum statum, in quo clara patris visione fruatur, et sũma rectitudine voluntatis, & caritatis in illum tendat, eique deseruiat. *Deinde* autem *finis*, ideſt, consummatio, & omnimoda perfectio rerum omniũ ad perfectionem mundi pertinentium, vt significauit Anselmus, seu cessatio temporis, & generationum omnium ac corruptionum, tunc enim dici simpliciter potest futurus vniuersi finis, seu consummatio sæculi, vt appellatur Matth.24. & 28. Secundo probatur dicta sententia testimonio Aug.20. de Ciuit. capit.4. *Peracto*, inquit, *iudicio tunc esse desinet hoc cœlum & hæc terra, quando incipiet esse cœlum nouum, & terra noua:* & in hunc modum exponit illud Apocal.20. *Vidi thronum magnum, candidum, & sedentem super eum a cuius conspectu fugit cœlum & terra*, & notat, non dixisse Ioannem, & ab eius facie fugit cœlum, & terra quoniam nondum factum est, antequam esset de viuis, & mortuis iudicatum, sed dixità cuius facie fugit, vt indicaret, quod postea futurum est. Quam Augustini sententiam sequitur Iulian.lib.3. Prognost. cap.47. & 48. & Anselmus in Elucidario. Tertio tandem probari potest ratione supra tacta præcedenti disp. sect.1. Quia donec omnes reprobi de hoc mundo expellantur, non erit commodum tempus purgandi, ac renouandi illum, quoniam per eorum præsentiam quodammodo contaminatur, nec etiam expediebat, damnatos frui, vel ad modicum tempus luce, et pulcritudine huius mũdi innouati, & ad quẽ dam gloriæ statum perducti. Quæ rationes ex ijs, quæ dicemus in sequentibus sectionibus, amplius confirmabuntur, & expedientur difficultates, quæ hoc loco possent occurrere.

1.Cor.15. Probatio ex scriptura. — Psal.109. Hebre.10 — ad Ephe.6 — Chry. Oecumen. Theophyl. Theodore. — Anselmus — Matt 24. 28. Aug. Probatur ex Patrib9 Apocal.20 — Iulianus, Probatur ratione.

SECTIO SECVNDA.

Qualis futura sit hæc mundi renouatio.

NOn defuere autores catholici, qui existimarent, hanc mundi innouationem futuram esse substãtialem, vt ita dicam, ita vt omnia simplicia corpora tã cælestia, quã terrestria substãtialiter sint anihilãda, vel saltẽ corrũpẽda, & noua alia creãda, vel generãda alterius substãtiæ, ac naturæ. Ita sentiunt ex recentioribus scriptoribus Ambros. Catharin. in commentarijs super ad Hebr.1. & 2.Pet. 3. et Hie-

v. *rediget dus sit in nihilum mũdus.*

Hieronym. Magius. 3. & Hieronymus Magius libr 2. de exustione mundi, cap. 6. & 7. multa disputat in huius sententiæ confirmationem. Et Franciscus Vallesius li. de Sacra Philosophia, cap. 89. Ex antiquis vero Patribus fauere videtur huic sententiæ Hilar. in id Psal. 118. *In æternum Domine Verbum tuum permanet in cœlo*, vbi dicit, non esse legendum in æternum, sed in sęculum, quia post hoc sæculum cœlum, & terra transitura sunt, vt sit cœlum nouum, & terra noua. Præterea Chrysost. homil. 14. in ad Roman. circa illa verba, *Vanitati creatura subiecta est*, per vanitatem, corruptionem explicat, dicens propter peccatum hominis, & Vniuersum totum, & cœlum ipsum factum esse corruptibile, ac tandem esse corrumpēdum: non ita vt in nihilum transeat, sed vt in aliud incorruptibile transmutetur. Eadem repetit homil. 10. ad Populum. Et eum imitantur Theodor. & Oecumen. ad Roman. 8. vbi Theodor. ita explicat hanc sententiam, non quod cœlum prius fuerit creatum incorruptibile, sed quod Deus præuidendo futurum peccatum hominis, illud corruptibile creauerit, quia non decebat hominē viuere in statu corruptionis, & tamen cęlū, quod propter hominē creabatur, esse incorruptibile, donec per resurrectionem homo in statum immortalitatis transferatur. Eandem sententiā cōstanter docet Iustinus Martyr. q. 93. 94. & 95. & Ambr. lib. 1. Exameron. capit. 6. Idem sentiunt Basil. homil. 3. Exam. & Gregor. Nyssenus libr. de creatione hominis cap. 24. Denique legimus in libro 2. & 3. recognitionum Clementis, supremum cęlum (quod Empyreum vocamus) immutatum permansurum, inferiores vero cęlos prorsus esse abolendos, & in meliores commutandos. Quam sententiam referens Hieronym. Isai. 51. & 65. dicit, hanc fuisse antiquorum philosophorum opinionē, omnia, scilicet, quæ cernimus, igni aliquando esse peritura. Et hanc opinionem philosophorum attigit Euseb li. 15. de præparatio. Euangelica cap. 17. vbi dicit, hoc fuisse dogma Stoicorum, quod Zeno, Cleantes, & Chrysippus astruxerunt. Fundamentum huius sententiæ sumitur ex varijs Scripturæ locis, Isai. 34. *Tabescet omnis militia cœlorum, & complicabuntur sicut liber cœli, & omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea.* Vbi per militiam cœli significantur stellę. Vnde

Theodor. Oecumen. *Iusti. Ambrosius Basil. Nyssenus. Clement.* *Hironym.* *Eusebius.* *Isaias. 34.*

A Hieronym. & Cyrillus ibi tradunt, hæc verba Isaiæ eadem esse cum illis Christi Matth. 24. *Stellę cadent de cœlo*, quæ proprie vt sonant, esse intelligenda, videtur Propheta satis declarasse, similitudine foliorum de arbore cadentium. Præterea capite 51. *Cęli* (inquit) *sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur.* Vbi Aquila, & Symachus (vt notat Hieronymus) sic verterunt, *Cęli comminuentur in nihili, & in salis modum conterentur, & euanescent.* Ad hæc capite. 65. Ego *creo cęlos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora*, & Apocalyp. 21. *Vidi cœlum nouum, & terram nouam, primum enim cœlum, & prima terra abijt, & mare iam non est.* Præterea Iob. 14. *Homo cum dormierit non resurget, donec atteratur cęlum.* Ecclesiastic. 17. *Quid lucidius Sole, & hic deficiet.* Denique Psal. 101. *Opera manuum tuarum sunt, cœli, ipsi peribunt, tu autem permanebis, &c.* Et eadem verba habentur ad Hebr. 1. & Matt. 24. *Cęlum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Denique 2. Pet. 3. est celebris locus infra tractandus. Quæ omnia loca possunt proprie intelligi, & in eo nihil est incommodi, imo neque ali quid contra philosophiam, & rationē naturalem. Nam Plato in Timæo, & pleriq; alij philosophi senserunt cęlos esse corruptibiles, & aliquando esse corrūpēdos. De quo multa cōgerit Sixtus li. 3. Bibliot. ca. de ethnicorū rapsodia. Item cum post diem iudicii cessatura sint omnia munera propter quę creatura sunt sydera, & cęlestia corpora, vt dicitur Deuteron. 4. quid mirum quod substātia etiam illorum mutetur? Præterea ex motu venamur naturam corporum, cum ergo post diem iudicii cessaturus sit motus cęlestium corporum, inde colligere possumus mutandam esse illorū naturā. Cur enim perpetuo manebit præter naturā, ac violente illa substantia. Simile argumētū est, quod post iudiciū erūt cęli lucidiores, Isa. 30. habebūt ergo alias proprietates à cęlis, qui nunc sunt: ergo & aliā substantiā. Vltimo adiicere hoc loco possumus carmina Sybillina, quæ Aug. refert li. 8. de Ciuit. c. 23.

Tempora torpebunt vidua omnia semina mūdi,
Aer, terra, salum, lux ignis feruida, cęli
Cardo, dies, noctes, concident omnia in ignes,
Et fiet species quam desertissima rerum.
Omnia namque cadent lucentia sydera cœlo.

Secunda opinio referri potest quorundā,

Matt. 24. *Isaias. 51.* *Isai. 65.* *Apoca. 21.* *Iob. 1.* *Eccle. 17.* *Psal. 101.* *Heb. 1.* *Matt. 24.* *2. Pet. 3.* *Sixtus.* *Alia legi possunt in li. 2. Carmina Sybillarum*

Altera opinio, Bed.

qui dixerũt, hanc immutationẽ futurã qui dem esse substantialem, non tamen in omnibus corporibus, sed tantum in elemẽtis. Ita videtur sensisse ex parte Beda. 2. Pet. 3. vbi dicit, ignem conflagrationis duo elementa penitus esse cõsumpturum, scilicet aquam, & ignem, alia vero duo purganda esse, & in meliorem statum restituẽda, scilicet terram, & aerem, quæ intelligit significari per nouos cęlos & terram nouã, Idẽ tenet Glossa ordinaria. 2. Pet. 3. & quo ad elementum aquæ nõ reputant improbabile Aug. 20. de Ciuit. c. 16. & Ambros. si eius sunt commentarij in Apocal. cap. 21. quia ibi de mari dixit Ioan. non amplius futurum. De corporibus autem cælestibus sentit Beda non esse substantialiter immutanda, in quo cum opinione Aug. quã statim afferemus, conuenit.

Glos. Aug. Ambros.

Dico primo, per hanc mundi innouationem non esse aliquod ex elementis, vel ex corporibus cælestibus omnino anihilandum, ita vt neque ipsius substãtia maneat, neq; aliud simile, seu proportionale loco illius producatur. Hæc cõclusio solum videtur esse certa de fide quoad cœlũ, & terrã, quidquid illud sit, quod ijs vocibus in scriptura significatur, quãdo dicũtur perpetuo permansura cœlum nouum, & terra noua. Nã de alijs corporibus nihil huius modi aperte scriptũ legimus. Est tñ cõmunior, ac probabilior Theologorũ sentẽtia, permãsura quatuor elemẽta siue eiusdem formæ, & substãtiæ, cuius nunc sunt, siue alterius, & præterea cœlũ, quod sit corp⁹ â quatuor elemẽtis distinctũ, & sublimius illis. Et probatur primo, quia nomine cœli, & terræ comprehẽdi solent in scriptura omnia simplicia corpora, vt patet statim in principio Gene. iuxta probabiliorẽ magisq; receptã sentẽtiã. Quæ docet, in verbis illis, *In principio creauit Deus cœlum, & terrã*, nomine *terræ*, cõprehẽdi aquã, quia ex vtraq; veluti corpus vnũ cõficitur, per *cęlum*, aũt signficari expansionẽ cæterorũ corporum lucidorũ, & transparẽtium: sic ergo intelligendũ erit, cũ dicũtur futura cœlũ nouũ, & terra noua. Secundo prob. quia in scriptura nõ legimus mundum anihilandum, sed innouandum, & â seruitute corruptionis liberandum, vt dicitur ad Rom. 8. propter quod. 1. ad Cor. 7. ait idem Paulus, *Præterit figura huius mundi*, nõ substantia, vt notarunt Hiero. & Aug. infra citãdi. Nomine autem mundi, vt dixit

Roman. 8. 1. ad Cor. 7 Hieron. Aug.

A Tertul. de velandis virgin. cap. 4 *cœlum, et quæ in eo sunt sydera, & astra, & terra, & freta, & omnis census elementorum significantur.* Vnde Paul. dicto loco ad Rom. 8. omnem creaturam dixit liberandam à seruitute corruptionis, vbi non de hominibus, sed de inanimatis corporibus, quæ hominiseruiunt, aperte loquitur. Ergo necesse est, vt per omnem creaturam intelligat saltẽ simplicia corpora, ex quibus hic mundus essentialiter constat, & in eis, quasi in semine, cætera continentur, de quibus etiã recte intelligi potest illud Ecclesiastes. 3. *cognoui, quod omnia, quæ fecit Deus, ipsa erunt in æternum.* Ergo iuxta modũ loquendi scripturæ, mundus hic perpetuo duraturus est, vt constans ex omnibus simplicibus corporibus. Tertio de cœlesti corpore, & de terra omnes consentiunt, quia de ijs satis aperte scriptura loquitur, vt dixi. De aere vero probatur necessarium esse, eum manere, quia non est futura inanis, & vacua tota hæc expansio, quæ inter terram & cęlum interiacet: nec est aliud corpus accommodatius, quo repleri possit. Rursus de igne scriptura non dicit, ipsum esse corrumpendum: neque facile fingi potest, cur igne cõflagrationis corrumpendus sit, præsertim cum nõ sint diuersæ naturæ, vt inferius dicem⁹. Et accedit phylosophica cõiectura, quia ignis est perfectior reliquis elementis, & quodammodo magis incorruptibilis, quia est magis actiuus, & nobiliorem, ac perfectiorem locum occupat: ergo si cætera perseueratura sunt, cur non ignis? Atque similia argumẽta fieri possunt de aqua, tum quia licet scriptura de illa nihil in specie affirmet, tamen neque etiam negat. Verba enim illa Apocal. 21. *Et mare iam non est*, vel exponi possunt cum Augu. 20. de Ciuit. cap. 16. de illo mari, de quo capi. 20. dictum erat, *Et dedit mare mortuos suos*, ideſt hoc sæculum turbulentum, & procellosum: vel intelligitur de mari, quoad proprias qualitates, & motum maris, vt Ansel. D. Thom. & alij exponunt, satis seruata verbi proprietate. Denique potest addi cõiectura philosophica, quia si manet vnum contrariorum ergo, & reliquum: nam hoc spectat ad Vniuersi perfectionem.

Tertullia. *Eccles. 3.* *Exponitur illud Apo. 21. mare iã non est Aug.* *Anselmus.*

Secundo dicendum est, cœlum Empyreum idem omnino post diem iudicij permansurum. Hoc a fortiori docent omnes patres, & doctores postea referẽdi. Neq; est nobis modo probãdũ, hoc cęlũ exis-

tere

tere, sed supponendū ex ijs, quæ tradūtur in 1.p.q 66.ar.3.& ex communi consensu Theologorum.& aliquorū Patrū. Quo supposito probatur assertio, qa licet velimus omnia citata Scripturæ loca interpretari de cœlo proprie dicto, vt ab elementis distinguitur, & de substātiali eius immutatione, nihil est, in omnib⁹ illis testimonijs, quod vel probabiliter suadeat huius cęli corruptionē, vel immutationē. Quia omnia illa satis intelliguntur de cęteris cęlis: præsertim cū Scriptura loquatur de cęlo visibili, quod homini notius est, & de Sole, Luna, & stellis, quæ in his cœlis sunt. Præterea, quia licet de alijs cęlis vtcunque probabile sit, esse corrumpēdos propter aliqua scripturarū testimonia, tñ de hoc cęlo nōest id verisimile, quia neque Scriptura de illo hoc vnquā significauit, neq; est cōsentaneū fini eius. Creatū est.n. non propter vsum harū rerū inferiorum, neq; propter earum generationes, & corruptiones cōseruādas, sed vt sit perpetua Beatorū sedes, quā oportet esse ex se perpetuam, & æternā, sicut est ipsa beatitudo. Vnde hic locū non habet cōiectura supra adducta ex Theodoreto, scilicet, quod dū homo est in statu corruptionis, nō expediat cęlū propter ipsum factū esse incorruptibile: tū quia hoc cęlū nō solū factum est propter homines, sed etiam propter Angelos, qui Deo ab initio fere mūdi perfruuntur. Tū etiā, quia nō est factum propter homines vt viatores, sed vt beatos. qui licet nō essent futuri eius incolæ vsq; ad Christi ascensione m: tñ ad liberalitatē, & munificentiam Dei spectabat, illud præparare, ac disponere modo beatitudini hominum accommodato. Si enim ab initio parauit carcerem, & ignem diabolo, & sectatoribus eius, quomodo nō magis præparauit cœlestē domum Sanctis suis condignā? Vnde merito hāc veritatē cōfirmare possumus illis verbis Christi, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Nam licet intelligi possint de visione beata, vel æterna vita: tñ optime etiam intelligūtur de ipso sensibili loco, in quo Sancti regnant. De quo etiā recte intelligi potest illud. 2. ad Cor. 5. *Scimus quoniam si terrena domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cęlis.*

Ex quibus non solum censeo probari, cœlū illud nō esse substantialiter immutā

A dum, sed neq; omnino etiam accidentaliter, neq; purgandū, neque innouandum. Hæc omnia probat ratio ex fine huius corporis deducta: sicut.n. Beatorum corpora statim habent omnē perfectionem internam gloriæ, ita decet corpus illud, quod statui beatitudinis dicatum est, semper habere perfectionē illi statui debitā: non est ergo quod immutetur, vel innouetur, neque oportet scripturæ testimonia, quæ de cęlo nouo loquuntur, ad illud extendere. Rursus inductione quadam declarari potest, quia illud cęlum non relinquet, aut immutabit suū motum, nullū.n. habet, sed quietū semper manet, & manebit: neque indiget purgatione, cū ex sua creatione purissimum sit, & nihil coinquinatū in illud intrauerit: denique cū sit lucidissimum, & pulcherrimum, nulla innouatione, vel alteratione eget: ergo nulla mutatio in eo fiet.

Dices, indigere purgatione, quia in eo an-
B geli peccarūt. Resp. incertū hoc esse, quia fortasse Angeli quādiu fuerūt viatores nō fuerūt in cœlo Empyreo, sed in aliquo inferiori corpore, de quo alias. Deinde dicitur, quoniā peccatum angeli fuit mere spirituale, & indepēdēs à loco, & corpore externo, ideo nō cōtaminauit illud, quare ca ratione non indigebit purgatione.

Tertio dicēdū est, reliqua cęlestia corpora innouāda quidē esse, atq; immutāda secūdum aliqua accidētia, permansura vero esse eadē numero secūdū substātiā. Hāc assertionē cōstituo solū, vt probabiliorē, nō vtcertā. Prior.n. sētētia, licet ab scholis reiecta videatur: nō tñ pōt illi aliqua probabilitas denegari, cū & in sacra scriptura apparens habeat fundamētū, & propter illud à multis ex Sanctis Patribus approbata videatur. Et D. Aug. qui nostrā sententiā ma-
C xime tuetur, exponēs illa verba Ps. 101. *Ipsi peribunt, tu autem permanebis*: hanc quæstionē attingēs sic inquit, *Sunt aūt, & cęli cęlorū superiores in firmamento, sed vtrum & ipsi perituri sint igne, an ij soli cœli, qui etiam diluuio perierunt, disceptatio est aliquanto scrupulosior inter doctos, nec facile, maxime in angustia temporis explicari potest*: non est itaque res certa. Conclusionem vero posi- D. Thom.
tam, vt probabiliorem tenent scholastici Hieron.
cum Magistro, & D. Th. in. 4. d. 47. & 48 Cœlestia
qui in hac re potissimum secuti sunt Aug. corpora nō
20. lib. de Ciuitat. cap. 14. 16. 18. & 24. In immutabun
eadem vero sententia fuit Hier Isa. 51. Vbi tur secun-
tractans prædicta scripturarum loca, sic cō dum substā
cludit. *Ex quo ostenditur perditionem cœlorū* tiam

non interitum ſonare, ſed mutationem in melius & iterum. Ex *quo perſpicuum eſt, cœlum, & terrã nõ perire, & in nihilum redigi, ſed in melius commutari.* Atque id latius perſequitur cap. 65. Iſaiæ, vbi adducens illud Pſa. 101. *Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcẽt, & quaſi amictum mutabis eos, & mutabuntur*, cõcludit, *In quo perſpicue demonſtratur, perditionem, & interitum non abolitionem in nihil, ſed commutationem ſonare in melius*, quod poſtea confirmat aliquibus ſcripturæ locis, quæ poſtea tractabimus. Eiuſdem ſententiæ eſt D. Gregor. li. 17. Moral. ca. 5. vbi exponens illa verba Iob. 24. *Humiliabuntur ſicut omnia, & auferentur*, dicit, *Cœlum, & terram auferri, ſeu tranſire per eam quæ nunc habent imaginem: tamen per eſſentiam ſine fine ſubſiſtere.* Idẽ ſentit Beda loco ſuperius citato, & libro de temporum ratione, cap. 69. vbi locum Petri de cœlo aereo explicat. Itẽ Gennadius de Eccleſiaſt. dogmat. cap. 70. & Primaſius in cap. 1. epiſtol. ad Hebr. vbi idem ſenſit Amb. ſic exponens illa verba, *ipſi peribunt, tu autem permanes. Pereunt ab eo quod ſunt, dũ immutantur in melius creaturæ.* Idẽ ſignificat in caput. 21. Apocaly. Clarius Anſelm. ad Heb. 1. & 12. & Apocal. 20. & 21. & Iuli. Pomerius lib. 3 Prognoſt c. 46. Ex græcis idem aperte ſenſit Epipha. hæreſ. 64. citans Proclum, & Methodium, vbi diffuſæ qnæſtionem tractat, & ſcripturæ teſtimonia explicat, dicens, *Hic mos eſt ſcripturis vt hanc mundi tranſmutationem in meliorẽ ac magis glorioſam reſtitutionem, interitum, ac perditionem dicat, tanquam videlicet prior figura pereat per vniuerſorum ad illuſtriorem ſtatum immutationem, nam nulla contrarietas, aut abſurditas eſt in diuinis ſcripturis. Præterit enim figura huius mundi, & non mundus dictum eſt. Sic ſane morem habent ſcripturæ, vt perditionem vocent mutationem in meliorem, aut pulchriorem prioris formæ.* Idem ſentit Ireneus li. 4. contra Hæreſ. cap. 6. eodem modo exponens dictum locũ Pauli, & alia teſtimonia, & Oecume. in collectaneis. 2. Petri. 3. vbi licet dicat, cœlos eſſe igne purgandos, de quo ſtatim dicemus, negat tamen ſecũdum ſubſtantiam eſſe immutãdos. Poteſt autem hæc ſententia varijs modis ex ſcriptura confirmari. Primo ex illis locis in quibus cœlorum perpetuitas, & incorruptio ſignificatur Pſa. 148. *Ipſe dixit, & facta ſunt ipſe mandauit, & creata ſunt, Statuit ea in æternum, & in ſeculum ſæculi, præceptum poſuit, & non præteribit.* Quæ verba adeo perſpicua ſunt, vt non videatur cœlorum perpetuitas clarius poſſe deſcribi, de qua dicitur Iob. 37. *Tu forſitan cum eo fabricatus es cœlos qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt.* Ac deniq; maxime in cœlis locum habet illa generalis ſententia, *omnia opera, quæ fecit Deus perſeuerant in perpetuum.* Secundo recte argumentatur Hieron. loco ſupra citato ex illo Iſai. 30. *Erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum in die, in quo alligauerit dominus vulnus populi ſui.* Quæ verba optime ibi exponit Hier. de tempore poſt ſecundum Chriſti aduẽtum. Nam ſi ſol, & luna eo tempore lucidiora futura ſunt, ſupponitur, illa tunc eſſe duratura, & conſequenter reliqua corpora cœleſtia, nã eadem eſt omniũ ratio: neq; cõmode hoc exponi põt de alio ſole vel alia luna, alioqui eſſet manifeſta æquiuocatio: nã propheta vtitur his nominib' prout ſunt in cõmuni vſu, cõmuniter aũt vſurpãtur hæc tãquã nomina ſingularia ſignificãtia tãtum hunc ſolẽ, & lunam, quæ nunc ſunt. Tertio vtuntur prædicti patres præſertim Epiph. & Hier. illo teſtimonio ad Ro. 8. *Scimus quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſq; adhuc, nõ ſolum autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habẽtes, & ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectãtes, redẽptionẽ corporis noſtri.* Quorũuerborũ ſenſus eſt, ſicut nos appetimus noſtri corporis immutationẽ, & glorificationẽ: ita reliquas creaturas potiſsime cœlos expectare, & ingemiſcere ſuã innouationẽ & inſtaurationẽ, ergo ſignũ eſt, hãc innouationẽ nõ eſſe futurã per ſubſtantialẽ immutationẽ: quia ſi cœli nõ eſſent permãſuri ſecũdum ſuã ſubſtãtiã poſt illã innouationem, non eſſet eorum perfectio, ſed potius deſtructio, vnde nec expectarent illam, ſed timerent potius. Sicut nos, ſi nõ eſſemus in ijſdem corporibus ſurrecturi, nõ appeteremus illã immutationẽ, neque illa poſſet dici redemptio corporis noſtri.

Quarto argumẽtari poſſumus ex loco 2. Pe. 3. q̃ eſt potiſsimũ prioris ſentẽtiæ fundamẽtũ: hoc modo, nã ſi cœli eſſent corrũpẽdi ſubſtãtialiter, maxime per ignẽcõflagrationis, de quo Petr. dic. epiſt. loquitur: ſed ignis ille non attinget corpora cœleſtia, neq; illa põt corrũpere, q̃ primo Hie. & Aug. ſupra colligere cõnantur ex verbis Petri, *Latet. n. eos, hoc volentes, quod cœli erant*

Gre. Bed. Genuadius Primaſius Ambroſ. Anſelmus Epiphani. Irenæ. Oecumen. Pſal. 148. 2. Petri. 3. Iob. 37.

erant prius, & terra de aqua, & per aquã consistens Dei Verbo, per quę ille tunc mundus aqua inundatus perijt. In quibus verbis iuxta cõmunẽ expositionẽ, & planum contextũ, necesse est, per cęlos aera significari iuxta frequentem vsum Scripturæ: sic enim dicuntur volucres cęli, cataractæ cęli, &c. Quod aũt hic sit sensus patet primo, quia solum loquitur de hoc mundo inferiori, qui aqua inundatus fuit. Secundo, quia dicit, cęlos, & terram de aqua, & per aquam consistere, quod de superioribus cœlis commode exponi non potest, quia illi cęli nullo modo facti sunt ex aqua cũ in principio simul fecerit Deus cęlũ, & terrã. Hoc.n. de solo cœlo Empyreo exponere, & æthereos cœlos, ac stellas ex aqua, tanquã ex materia putare procreata, nec philosophicis principijs consentaneũ est, nec in Theologia habet aliquod fundamẽtum. Recte ergo hæc Petri verba de aere exponuntur, vel per aerẽ, & terram explicãdo ea, quæ in his habitant, vt volatilia, quæ sunt veluti ornamentũ cęli, & ex aquis facta sunt, & similiter plantæ, & alia quæ ex terra nascuntur, vel in terra habitant, quæ sine aquis cõsistere nõ possunt. Vel per aerẽ, & terrã explicando ipsa elementa non secũdũ substantiã eorũ, sed secundũ dispositionẽ aptam ad cõseruationẽ viuentiũ: sic.n. quodammodo cõsistũt per aquam, quia & terra discooperta fuit aquis, vt inhabitari posset, & locus ille aere fuit repletus, vt in eo homines & animalia possent viuere. Loquitur ergo Petrus in prædictis verbis de cęlo aereo: ergo de eodem intelligendum est, quod subdit, *Cęli aũt, qui nunc sunt, & terra, eodẽ verbo repositi sunt igni reseruati in diẽ iudicii, & perditionis impiorũ hominũ*: ergo nõ cęli ætherei, sed aerei illo igne conflagrabunt. Quin potius hinc colligunt scholastici cũ Aug. ignẽ diei iudicij ascensurũ vsq; ad eũ locũ, quẽ aquæ diluuij occupauerunt, non tũ vlterius progressurũ. Quæ consequutio quanuis nõ sit euidẽs, quia ignis est magis actiuus quam aqua, & natura sua sursum ascẽdit, cũ aqua potius descendat: tũ, cũ vtraque innundatio tam aquæ, quã ignis non tam fundetur in horũ elementorũ naturis, quam in diuina ordinatione, est valde verisimilis, quia vtraq; innũdatio illũ habebit terminũ, quẽ iustitia diuina præfixit. Significat aũt Petrus esse diuina volũtate statutũ, ac

Ignis postremi iudicij attinget vsq; ad locum quem occuparunt aquæ diluuij

A definitũ, vt idẽ mũdus, qui aquis diluuij perierat, igne iudicij ardeat, vtriusq;. n. diluuij causæ sunt peccata hominũ, quibus totus hic mũdus, quodãmodo cõtaminatur: ergo totus sermo D. Petri est de inferiori mundo, quẽ homines incolũt, atque de cęlo aereo, nõ ethereo. Sed difficultas est in sequentibus verbis, *Adueniet aũt dies Dñi vt fur, in quo cęli magno impetu transient, elemẽta vero calore soluentur, terra aũt, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur*: vbi cũ cœli ab elementis distinguantur, necesse est, superiores cęlos significari. Sed in primis licet hoc gratis cõcederem, nihil referret. Quia in his verbis nõ dicitur hos cęlos esse exurẽdos, vel corrũpẽdos, sed solũ magno impetu esse transituros, q̃ non significat substantialẽ trãsitũ, sed localẽ, vt satis indicat verbũ illud *magno impetu*. Itaq; significat Petrus agitãdos esse cęlos velocissimo quodam, & inusitato motu: q̃ itaad

B literã intelligi de superioribus cœlis, nullũ est incõueniẽs. Nec sequitur in prioribus verbis, cœlorũ nomine eadẽ corpora significari, ne, videlicet, æquiuocatio admitti videatur. Quia cęli nomine significatur tota hæc expansio, de qua aliquid interdũ dicitur ratione inferioris partis, aliquid ratione superioris, absque æquiuocatione. Melius tũ dicitur, etiãin his verbis cœlũ significare inferiorẽ aeris regionẽ, quæ velocissimo motu rapietur, & accẽdetur, vt paulo inferius dicitur, quãquã fortasse ille motus futurus sit exraptu, & motione superiorũ cęlorũ. Neque obstãt sequẽtia verba, *Elementa vero calore soluentur*. Primũ, quia licet concedamus, sub elemẽtis cõprehẽdi aerem, nihilominus potuit prius cęlorũ nomine significari, quia

C illi erit propriũ velocissimo illo motu circũcõmune aũt illi erit cũ alijs elemẽtis calore solui, & ideo vnum ei prius tribuitur sub proprio nomine, alterũ vero postea sub nomine cõmuni. Sicut paulo post dicitur terra exurẽda: & tũ prius cõprehẽsa erat terra sub elemẽtis. Deinde, quia probabilius apparet, elemẽtorũ nomine ibi solũ significari aquã, & terrã. Tũ quia vox elementũ, & vox Græca στοιχεῖον, quæ illi respõdet, proprie significat quasi primordiale fundamẽtũ, huiusmodi aũt sũt aqua & terra respectu totius vniuersi. Tũ etiã quia paulo superius distinxerat Petr. cęlos à terra, & aqua. Deniq; iuxta hãc expositionẽ facile intelligũtur alia verba, quæ postea

Petrus subiungit, *per quem cœli ardentes, solventur, & elementa ignis ardore tabescent*: semper enim de eisdem cœlis loquitur. Igitur ex loco Petri colligi non potest, superiores cœlos igne esse corrumpendos, ergo cum in nullo alio loco scriptura id significet, qui non habeat eãdem, vel facilio rem expositionem, vt infra dicemus, nulla ratione id asserendum est. Tũ quia cũ in alijs locis scriptura significet, cœlos esse perpetuos, hoc modo melius omnia cõciliantur: tum etiam quia cum ratione naturali magis cõsentaneum sit, cœlum esse incorruptubile, & inalterabile virtute ignis, si scriptura non cogit, non est aliquid miraculosum, & supra rationẽ asserẽdum. Vnde possumus vltimo ratione cõfirmare assertionem positam, quia vel cœlum est natura sua incorruptibile, vt est magis recepta Philosophorum, & Theologorum sententia, quam multi etiam ex sanctis Patribus approbarunt, &, vt alios omittã, est expressa. d. Dionisij li. de diu. nom. c. 4. & ita nõ potest igne corrũpi: vel est corruptibile natura sua, vt aliis visum est, & sic licet posset ab igne corrũpi, non tamẽ in meliorẽ naturã trãsformari, sed ad summũ posset in ignẽ cõuerti: ostẽsum est aũt cœlos nõ ita esse immutãdos, vt in nihilũ vel in deterius cõmutentur: ergonõ corrũ

Obiectio pẽtur actione ignis. Dicũt aliqui, ignẽ virtute naturali nõ posse hãc immutationem in cœlis facere, tũ assumendũ esse a Deo, vt instrumentum: quia tota hęc conflagratio, est effectus diuinæ vindictæ aduersus hominum peccata, ignis autem est instrumentum, quo Deus decreuit peccata hominũ vindicare. Sed, vt verũ sit potuisse Deũ id facere, cũ nullã inuoluat contra

Solutio dictionem, tũ sine fundamẽto asseritur id facturus: nũc enim nõ agimus quid Deus possit efficere, neq; enim dubitamus quin ad nutum suũ possit vniuersum mũdũ delere, sed agimus quid Deus facturus sit: nõ est aũt cur asseramus facturũ Deum maximũ atq; inusitatum miraculum sine scripturæ fundamento.

Qua propter ex ijs omnibus colligo, nõ solum non esse cœlos igne corrũpendos, sed nec purgandos, neq; alterandos quidẽ,

Oecumen. Hieron. Aug. Gre. Bed. quanquam Oecum. & nonnulli alij ex veteribus scriptoribus contrariũ sentire videantur, hæc autem est sententia Hieron. Aug. Greg. Bedæ, & aliorum, locis supra citatis. Probatur autem primo, quia ostensum est, ex scriptura non colligi ignem cõflagrationis ascensurum vltra totam secũdam regionẽ aeris. Secundo quia ignis nõ potest naturalẽ actionẽ habere in cœlum, affirmare aũt acturum, vt instrumentum Dei, non habet fundamentũ. Tertio quia in cœlo non sunt sordes, quæ purgandæ sint, est enim purissimum corpus incapax peregrinarum alterationum, quæ ad corruptionem disponant, & cum eo misceri nõ possunt vapores alij, vel substantiæ, quæ igne consummendæ sint. Quod autẽ apud Iob legimus cap. 15. *cœli non sunt mundi in cõspectu Dei*, nihil obstat. Quia vel cęli ibi pro angelis sumuntur, vel quod probabilius est, solum significatur, (vt in eum locum D. Th. notauit) corpora cœlestia ad Deum cõparata, non esse munda, quia materialia sunt, ab hac autem imperfectione purgari non possunt, cum hæc sit propria cęlorum natura. Quodvero multi ex supra citatis dixerunt, cœlos propter peccatum hominis fuisse corruptibiles factos, vel in deterius commutatos, aut contaminatos, falsum est, & sine fundamento dictũ, quia nec substantia cœlorum, nec qualitates immutatæ sunt propter peccatum hominis. Quinimo neque aliorum elemẽtorum, aliarumve rerum, neq; ipsius hominis natura, intrinsecas proprietates naturales per peccatum amisit, sed solum gratuitas, & naturæ superadditas, cœlum autem nõ habuit aliquas qualitates superantes eius naturam ante peccatum: nulla ergo immutatio intrinseca ei accidit propter peccatum hominis, vt statim iterum cõfirmabo. Denique, quod aiebat Theodoretus, cœlum quidem propter hominis peccatum non fuisse immutatum ab ea dispositione in qua creatum fuit, tamen propter peccatũ præuisum, fuisse creatum in natura, vel dispositione minus perfecta, quam si nõ fuisset futurum peccatum: hoc inquam in primis gratis est confictum, neque habet vllum fundamentum in scriptura, & nõ est cõsentaneum rationi diuinæ prouidẽtiæ. Tum quia si primam illius intentionẽ, seu definitionem consideramus, prius statuit, tales creare cœlos, & in tali dispositione, quam hominis peccatum præuidisset. Tũ quia si respiciamus modum operandi diuinæ prouidentiæ, nõ solet propter hominum peccata, aliarum rerum naturas mutare, & præsertim in causis vniuersalibus, quæ ad vniuersi perfectionem spectãt. Neque ali-

cœliquomodo non sint mundi in Dei conspectu. Iob. 15. D. Thom.

Cœli non sunt facti corruptibiles propter hominis peccatum

Theodor.

que aliquid probabilitatis habet illa coniectura, scilicet, quod existente homine in statu corruptibili, non decebat, cœlos, qui propter homines facti sunt esse corruptibiles. Quia cœli non sunt dati homini pro hoc statu, in domicilium, quod inhabitet, sed terra, quæ est locus corruptionis tali statui proportionatus, cœli autem potius facti sunt, vt iuuent hominẽ ad naturam suam perpetuo conseruandã, saltem per generationum successionem, & ad hunc finem potius oportuit, cęlos esse incorruptibiles, & liberos ab omni contagio, & humanis sordibus: nulla igitur ratione purgatione indigent.

Sed quæres, an saltem ij cœli innouandi sint. Videtur enim ex dictis sequi, non esse innouandos. Nam vbi scriptura promittit cęlum nouum, cum terra noua, exponi etiãpotest de hoc cœlo aereo, quod immediate terram tegit. Petrus enim in dicta epistola, post verba superius tractata subiungit, *Nouos vero cœlos, & nouã terram secundum promissa ipsius expectamus*. Vbi de eisdẽ cœlis loquitur, de quibus antea mentionem fecerat, & de eisdem exponit loca Isaiæ, quæ sine dubio indicat, cum dicit, *secundum promissa eius*: atque eadem ratione idem sensus accommodandus erit loco Apocalypsis. 21. non est ergo cur in cœlis superioribus innouationem aliquam expectemus. Nam quod Isai. 30. dicitur *Erit lux lunæ sicut lux solis* &c. non est necesse vt ad statum rerum post iudicium referatur, multi enim patres illa verba exponunt de tempore legis gratiæ, vt Cyrillus, & alij ibi, & Aug. (si ipse est autor quæstionum noui, & veteris testamenti) q. 105. qui per lunam Ecclesiam, per solem autem Christum intelligunt. Iudei vero hoc referunt ad tempora, in quibus de Syrijs, & Babilonijs victoriam reportaturi erant, & explicant per hyperbolem, & metaphoram: nam sicut supra dicebamus, solere scripturam, cum vult exaggerare magnam aliquã calamitatem, seu tristitiam, dicere, solem, & lunam obscurari: ita ad significandam magnam aliquam lætitiam dicit, solem, & lunam magis lucere, atque splendescere. Ergo ex scriptura nõ potest colligi aliqua cęli innouatio. Et ita Rabbi Moyses, vt scholastici referunt, negauit hanc cœlorũ innouationem: quam sententiam amplexus est Philo in libro de mundi incorruptibilitate, vbi non hãc solum, sed omnẽ mundi immutationem negare videtur, quanquã ille liber (vt viri docti notarunt) non videatur esse Phylonis, sed alicuius Ethnici philosophi. Quocirca licet argumẽtum factum probet nõ esse de fide, cœlum esse innouandũ per intrinsecã aliquã dispositionẽ: nihilominus certum est, esse immutandum aliquo modo ab ea dispositione, in qua nũc est. Cessabit enim moueri, & perpetuo quiescet, quia tunc cessabit omnis necessitas illorum motuũ, qui solum sunt in ministerium hominũ, quandiu generationibus, & corruptionibus subiecti sunt: & hoc saltẽ probat locus supra adductus ex Deute. 4. & hãc immutationem significarunt Isai. & Ioan. per metaphoram libri complicati, vt supra exposui mus, & eandem docuit Ioan. Apocal. 10. dicẽs, *quia tempus non erit amplius*, de quare plura dicemus sectione sequẽti.

Addo præterea cœlũ esse innouandũ per maius quoddam lucis, & claritatis incrementũ, vt docuit Hiero. Isa. 30. ad literam & proprie exponens dicta verba: nã cum ita possint intelligi sine incõmodo, nõ est quod ad metaphoras cõfugiamus. Quã expositionem, & sententiã Theologi secuti sunt, & Lyranus, & glossa ordinaria, ac interlinealis Isa. 30. Falso autem addit hæc Glossa, augendam esse lucem solis, & lunæ, quia per peccatũ hominis fuerat minorata, hoc enim improbabile est, vt cõstat ex dictis, & recte notauit D. Tho. in. 4. d. 48. q. 2. ar. 3. ad 3. & 4. & latius probat Sotus. d. 47. q. 2. ar. 3. Hoc ergo lucis augmẽtũ nõ erit connaturale soli, aut cælis, sed supernaturaliter illis addetur ad maiorem gloriam, & lætitiam corporum beatorũ. Addit vero Richard. d. 48. ar. 2. q. 5. hanc lucem emanaturam ad cęlos ex splendore corporum beatorum: sed probabilius videtur, illud lumen diuina virtute esse effiendum in corporibus cęlestibus sine dependentia à corporibus beatis, alias quoties beatorum corpora magis, vel minus distarent a diuersis cęli partibus, magis etiam, vel minus eas illustrarent, quod non videtur consentaneum. Dabitur ergo illa claritas cęlo & astris per modum proprietatis intrinsecæ, ac permanentis, ad eũ modum, quo humanis corporibus glorioſis claritas gloriæ tribuetur. Sic enim, & maior erit proportio inter locum, & locatũ, & in ipsismet cęlis magis relucebit diuina virtus, & quasi vestigium quoddã glo

Apoca. 21
Isaias. 30.
Cyr, Augustin. Chrysosto.
Rabbi Moses.
Philo
Deuter. 4
Apoca. 10.
Hieronym.
Lyranus. Glossa Isaias. 30.
D. Thom.
Richardus

ríæ, & claritatis illius. Vnde tota hæc claritas Solis & Lunæ, & aliorum cęlorũ nõ erit tunc solũ propter necessitatem, & vsum hominũ, quia ad hoc sine dubio sufficeret claritas corporum beatorum, quomodo dicitur Apoc. 27. ciuitas illa nõ egebit Sole, neq; Luna, & simile quid habetur Isai. 9. Sed erit ad maiorem perfectionem, & gloriam beatorum.

Apoca. 27
Isaias. 9.

Dico quarto, elementa non esse omnino corrũpenda quoad substantiã, sed esse innouanda, ac perficienda. Hæc conclusio minus certa est quã præcedens, est tñ probabilior, & cõmunior Theologorũ in. 4. d. 42. vbi D. Tho. q. 2. arti. 2. q. 2. duas refert opiniones, vnam affirmãtem, duo elementa esse corrũpenda scilicet aquam, & ignem, de qua supra dictũ est: alteram affirmantẽ mansura quidem elemẽta secũdũ substantiam: non tñ secundũ proprias & naturales qualitates, quam etiã reiicit, vt improbabilem, quia non est verisimile, in illo perfectissimo statu mansura elemẽta intrinsecis perfectionibus naturalibus priuata. Præterea, assertio posita fundamẽtũ habet in omnibus Patribus citatis in tertia conclusione, nam æque loquuntur de toto vniuerso, & de elementis, ac cœlis, vt videre licet in Hieron. & Aug. Anselm. in Elucidar. Isidoro lib. de doctrina fidei cap. 36. Rursus probari potest ex illo Eccles iast. 1. *Terra in ętternum stat*, & cap. 3. *Omnia opera, quę fecit Deus perseuerant in in æternum* Item ex illo ad Roman. 8. *Omnis creatura ingemiscit, & parturit, vsque adhuc.* Nam si elementa secundum substantiam essent interitura, non essent ipsa participatura pulcritudinem, gloriam, & incorruptionem illius status, sed alia essent futura corpora illam gloriam participantia: ergo hæc elementa, quę nunc sunt, non ingemiscerent, nec parturirẽt spectantia illum statum. Deinde argumentor discurrendo per singula. Nam si essent substantialiter corrumpenda maxime ab igne conflagrationis: ita. n. affirmant, qui oppositum sentiunt. Sed in primis nõ est cur ignis corrumpat ignẽ, cum sint eiusdẽ naturę, vt postea dicemus. Maxime, quia si verum est, nunc esse purissimũ ignem in sua sphæra, illic non pertinget ignis conflagrationis, quia non ascendet vltra secundam regionẽ aeris, vt ex loco Petri supra colligebamus cum Aug. & Theologis. Quod argumentum, si alicuius momenti est, non

De elementorum renouatione.
D. Thom.
Hieronym. Aug. Anselmus. Isidorus, Roman. 8.
De igne.

A solũ concludit, illum ignem non esse corrumpendũ, verum neq; purgandum. Et quidẽ merito, quia non magis indigebit purgatione, quã corpora cœlestia. Et hæc ratio æque procedit de aere, quoad supremã partẽ eius, quia & illam ignis non attinget: vnde nec corrumpet, nec purgabit illã. Cũ enim ad illam non ascendant terræ vapores, & cõmunes exhalationes, nõ habet ea regio impuritatẽ aliquam, neque contaminatur, vt sic dicã, peccatis hominũ incolentiũ terram. Atq; hoc satis est, vt idẽ elementum aeris, simpliciter manere dicatur, licet fortasse secundũ inferiores partes corrumpatur, & postea instauretur, vt explicabimus. Adhęc, de aqua ex nullo Scripturæ loco colligi potest esse corrumpendam: nam vt Aug. notauit 20. de Ciuitat. cap. 16. nullibi scriptum est, totum elemẽtũ aquę esse exsiccandum calore ignis: imo neque alicubi legitur futura aqua noua: sicut terra noua, & cœlum nouum. Denique de terra non videtur posse negari quin secundum aliquas par-
B tes eadem numero mansura sit: nam infernus, qui est in centro terrę perpetuo manebit: ergo & terra illa, quę est prope centrum. Item quia non est verisimile, ignem illum posse tam breui penetrare, & cõsumere totã substantiam terræ, quę propter densitatẽ suam difficile immutari potest in interioribus partibus. Quod autem. 2. Petri. 3. dicitur, *Elementa autem calore soluentur*, quod superius de terra, & aqua exposuimus, non significat substantialem corruptionẽ, sed vehementem commotionẽ, & alterationem. Nam verbum Græcum λύω, aut Latinũ soluo, nihil aliud in omni proprietate significant. Vnde inferius subditur, *Elementa autem ignis calore tabescent*, quod significat accidentalẽ mutationem, non substantialẽ. Denique additur, terra, & quæ in ea sunt *opera, exurẽtur*. Qui-
C bus verbis significatur exustio terrę quoad superficiem eius, & fortasse etiã quoad aliquam partem, quæ ad corruptionẽ omnium, quę sunt in terra, et ipsius terrę purgationẽ sufficiat: nã hoc in rigore significat terræ exustio. Ita enim sæpe in Scriptura dicitur regio aliqua accendi, siue exuri, quando cunq; omnia, quæ in ea sunt cũ cremantur vsque ad superficiem terræ. Cum ergo dicat Petrus fore, vt elementa tabescant, vel soluantur, aliæ vero res exurantur, signum est, non esse parem futurã

De aere
De aqua
Aug.
2. Per. 3.
De terra.

eorum

eorum mutationem. Tandem ostensum est, elementa mansura perpetuo post diem iudicij, vel igitur manebunt eiusdem speciei, vel alterius: hoc posterius non est verisi nile, quia neque est necessariū, neque consentaneum modo loquendi scripturæ: si autem futura sunt eadem in specie, quid opus est, ea substantialiter corrūpi, & iterū produci? Possunt enim purgari, & perfici sine corruptione.

In quo consistat elemētorum instauratio.

Superest vero explicandum, in quo consistat hæc innouatio. Ad quod dicendum est, duo interuenire in hac instauratione: primum est ablatio omnium sordiū, quæ sunt præter naturam elementorū, secūdū est additio aliquarum rerum vel qualitatū perficientiū elementa. Quoad primū omnes Theologi, d. 47. & 48. docent ad hūc finem esse antecessuram inferioris mundi purgationem, quæ fiet per ignis conflagrationem, quæ satis colligitur ex citato loco Petri, & ex omnibus patribus supra citatis, & ex Aug. super psalm. 101. Orig. lib. 4. & 5. contra Celsum, vbi dicit, etiam veteres philosophos græcos de futura mundi conflagratione scripsisse. Dices, quæ sunt hæ sordes, aut quæ immunditia tollēda est ab elementis per hanc conflagrationem, & purgationem. Theologi in primis hoc explicant mystica quadā ratione, quæ potius in significatione, quā in efficacia videtur consistere. Nā sicut templū quod peccatis aliquibus contaminatur, & violatur, non est aptum, nec dispositum ad res sacras peragendas, donec cæremonijs externis purificetur, per quam purificationē nulla res physica ab illo templo tollitur, sed exhibetur illud opus in signum reuerētiæ, & cuiusdam moralis mutationis: ita inquiunt, hunc mundum esse quodāmodo hominū peccatis violatū: & ideo, vt trāsferatur in nobiliorem statum glorię & habitationi Beatorum accommodatū oportere, vt per ignem prius transeat, vt ab omni culpæ contagio mūdari intelligatur. Ex qua ratione fit, solum illam mundi partem esse purgandā, quæ in vsum mortaliū hominum cedit. Secundo hoc explicant physice, nam quia in ea renouatione liberāda est creatura à seruitute corruptionis, ideo necesse est, è medio tolli mixta omnia generabilia & corruptibilia: propter quorū cōseruationem, generationū succesio durat: hoc ergo in primis fiet per hanc ignis purgationem, & actionem. Deinde consequenter fiet, vt omnes substantiæ, vel affectiones extraneæ, quæ elementis, præsertim aquę, & terræ admixtæ sunt, consumantur, & exhalētur. Vt v.g. aquæ maris adeo feruescent, vt salis affectionē, & nimiā dēsitatē amittāt, & si quos habēt fortasse admixtos vapores illos exhalent, fiet etiam tanta aquarū cōmotio, vt omnia piscium, vel aliarum rerum corpora in eis latentia expellantur, & igni tradantur. Atq; ad hunc modum de terræ purgatione, & de alijs rebus iudicandū est. Omnia vero excrementa terræ, & quidquid materię superfluū fuerit, partim ignis actione cōsumētur: partim impetu motus in infernum detrudentur, vt iterum in seque. sect. dicemus. Huiusmodi ergo erit prior pars quasi priuatiua innouationis mundi.

Elementa erūt lucida post iudicium.

Quod attinet ad alterā partem innouationis mundi, quæ est positiua peradditio nem alicuius perfectionis, dicendum est, addendam esse elementis omnibus eximiā quandā claritatem, & lucem, non æqualē, sed proportionatā. Ita docēt sancti Patres supra citati, & optime Chry. epi. ad Theodo lapsum, parum ante medium, & Theologi. Nam terra (inquit diuus Thomas distinct. 48 q. 2. arti. 4.) erit lucida, & peruia sicut vitrum in superficie, aqua, sicut crystallus, aer, sicut nunc est cęlum, ignis sicut nunc sunt luminaria cœli. Quæ quidem sententia fundari potest, tū in locis illis scripturæ in quibus promittitur, *cęlum nouum & terra noua*: nam sub his corporibus cætera comprehenduntur, tum in Paul. ad Rom. 8. dicente, omnem creaturam participaturam illam gloriæ pulchritudinem: tum in coniectura, quæ ex hoc loco sumitur. Quia sicut in gloria corpus humanum, quod ex elemētis cōstat, perficietur ex coniunctione ad spiritum beatum: ita decet vt totus hic sublunaris, seu elementaris mūdus illustretur, & perficiatur ex cōiūctione ad cœlestia corpora. Vnde facile reddi pōt quædā causa huius claritatis elementorū, scilicet, cęlestia corpora, ac luminaria in quibus tanta fiet lucis accesio, vt ab eis manare possit tota illa claritas vsque ad terrā. Et quia cæli erunt in perpetua quiete, illuminatio illa semper eadem erit. Et diuina prouidentia fiet, vt quando cæli quiescant, astra omnia ita maneant dispositā respectu totius Vniuersi, vt vtrūque hemispheriū, & omnes vniuersi partes perfectissime illustrentur. Ad quod accōmodari possūt verba Isa. 60 *Non occidet vltra sol tuus, & luna tua vltra non minuę* Isai.

Aug. Origenes

Dubium

Solutio.

Chrysost.

D. Thom.

minuetur. Eadem .n. fere de illo statu gloriæ scribit Ioannes in Apoc. c. 21. &. 22. Neque in hac sentẽtia est vlla difficultas, quod attinet ad tria superiora elementa, quæ natura sua diaphana sunt, de terra vero etiam est facile, esse illuminãdã quoad vltimam superficiem, qua aerem, vel aquã contingit. An vero illa lux sit amplius terram penetratura, quoad profundum eius, incertum est. Nam D. Th. supra, solum dicit, quod in superficie erit sicut vitrum, quod posset intelligi quantum ad puritatẽ, & claritatem ipsius superficiei. Itẽ quia si profunditas terræ futura est perspicua, & peruia oculis, vel id est intelligendũ de toto elemento terræ, & hoc non, alicqui damnati ea luce fruerẽtur, vel assignãdus erit terminus profunditatis, ad quẽ illa claritas perueniat, qui non poterit certa ratione assignari, cum non sit maior ratio vnius partis, quam alterius. Accedit, quod terra cum natura sua sit densa, nõ est capax luminis, & claritatis in profunditate sua: quanuis autem possit Deus illã illuminare, non videtur necessarium ponere hoc miraculum. Et hęc sententia est probabilis. Nihilominus contraria sententia facile etiam defendi potest, quam D. Th. significat, dicens futuram esse terram peruiã sicut vitrum, ad quod aliqui accõmodant illud Apocal. 21. *Platea ciuitatis aurum mundum tanquam vitrum perlucidum*. Itẽ quia fortasse claritas elementorum nõ proueniet ex sola virtute actiua astrorũ, sed exspecialis virtute diuina, iuxta illud Isai. 60. *Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec splendor Lunę illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternã*. Rursum, quia excepto præciso illo loco, qui necessarius est ad pœnas, & tenebras damnatorum, omnia alia decet esse pernia oculis Beatorum, vt eorum claritate, & pulcritudine delectentur, & ad Dei laudem excitentur. Quin potius ait Palud. d. 48. q. 1. in fine, illuminãdam esse terrã in profundo, vsque ad Lymbum puerorum inclusiue: quia magna esset eorum pœna, si in tenebris versarẽtur, quia non habebunt tantũ animas vt nũc, sed etiã corpora: quod quidem satis verisimile est, si post resurrectionem pueri habitaturi sunt in illo loco.

Sed adhuc supererãt hic duæ dubitationes, altera, de situ elementorum post diem judicij, altera de mixtis, sed de ijs dicemus cõmodius in fine Sect. sequentis. Fundamenta vero aliarum opinionũ inter probã dam nostram sententiam expedita sunt. Omnia .n. scripturarum testimonia vno vel altero verbo sine vlla difficultate exponuntur. Primo .n. multa ex illis intelliguntur de cœlo aereo vt ostensum est. Secundo, si aliqua intelligantur de superioribus cœlis, exponi possunt nõ de vero interitu, qui est per corruptionem, sed de variatione status & ministerij. Mutabũt .n. cęli statum, quia non exercebunt functiones, & ministeria, quæ nunc efficiunt, & secundum hanc rationem quodammodo perire dicũtur, vel immutari, aut renouari, quatenus illustriores fient. Tertio interdũ sunt loquutiones hyperbolicæ, & cõparatiuæ, vt est illud, *Cœlum & terra trãsibunt, verba autem mea non transibunt*, id est, prius illa deficient, quam verba mea. Aliqui etiam ex Patribus in priori sententia citatis possunt exponi aliquo ex his modis, præsertim duobus prioribus: nonnulli vero contrariam sententiam senserunt, D. Th. etiam in 4. d. 47. conatur exponere Bedam citatum in secunda sententia, sed ipse satis se exposuit in posteriori loco à nobis adducto ex lib. de ratione temp.

Apoca. 21, 22.

D. Thom. Vtrum lux sit terręinteriora penetratura. 1. Opusc.

2. Opinio,

D. Thom. Apoca. 21

Isaias. 60.

SECTIO TERTIA.

Quo ordine, & a quibus causis mundi purgatio, & innouatio perficienda sit.

PRimum omnium verisimile est, post reditum Christi cũ Sanctis in cęlum, statim efficiendũ esse, quod Petrus dixit, *Cęli magno impetu trasient*, quia ille vehemens motus ad inchoandam mundi purgationem excitabitur: hæc autem purgatio incipiet finito iudicio, vt sæpe dictum est. Et quanuis neque ex loco Petri, neque alio sufficienti testimonio constet, an ille motus futurus sit in solo aere, vel etiam in corporibus cœlestibus: mihi tamen verisimile apparet, ipsos etiam cęlestes orbes, qui nunc mouentur, esse in illo temporis puncto velocius agitãdos, vt secum cęlos etiam aereos rapiant, & ad vniuersi conflagrationem tum motu, tum etiam influentia, & actione concurrant.

Secundo, hanc commotionem consequitur ignis conflagrationis, vt colligitur ex sequentibus verbis Petri. *Elementa vero calore soluentur, terra autem, & quæ in ea sunt opera exurentur*. Est .n. ignis aptissimum instrumentum ad mundi purgationem faciẽdam, tam propter suam puritatem, & nobilitatem inter omnia elementa, quã propter

pter actiuitatem, vt latius D.Tho. in 4.d. 47.q.2.vbi tam ipse, quam reliqui theologi multa de hoc igne inquirunt. Primum cuius naturæ sit: deinde ex qua materia, & à quibus causis generandus sit, tertio quã tæ magnitudinis futurus sit: quarto an ordine a nobis posito venturus sit: hæc enim omnia adeo sunt incerta, vt Augus. 20. de Ciuit. ca. 16. a nullo hominum in hac vita sciri existimet: Lactant. vero lib. 7. Institutionum ca. 21. censet, ignem inferni esse alterius naturæ ab elementari, & illi similẽ indicat futurum esse hunc ignem conflagrationis. Probabilior tamen est communis sententia Theologorum, hunc ignem futurum esse eiusdem rationis cum elemẽtari, quia cum scriptura de igne loquitur, de re nobis nota, quam solemus hac voce significare, sermonem habet, alioqui esset magna æquiuocatio, & vix posset á nobis intelligi, & exponi: quia pari ratione cum agit de calore, dicet aliquis, non esse futurum eiusdẽ rationis, & sic de alijs rebus. Deinde, quia nulla est necessitas confingendi alium ignem, cũ natura, & proprietates huius ignis sint satis accommodatę ad prædictum effectum. Et hęc de prima interrogatione.

Qualis sit futurus ignis conflagrationis, Augustin. Lactantius

Ad secundam quidam dicunt, ignem, qui est in sua sphęra, descensurum in terram ad eam purgandam. Sed hoc non placet, tum quia oporteret, illum ignem valde præter naturam moueri, & sic locus eius maneret vacuus, aut necesse esset aerem ascendere, & omnia permutari. Tũ etiam quia ille ignis propter nimiam raritatem fortasse non est tam aptus ad agendum. Alij dicunt illum ignem inflammaturum aerem sibi propinquum, atque inflamationem illam seu combustionem per totum aerem esse vsque ad terram diffundendam. Sed hoc etiam est nimis violentum, & non necessarium: neque ijs, quæ hactenus diximus cõsentaneum. Alij aiũt, fore denuo creandũ: Sed non oportet nouæ materiæ creationẽ fingere. Generabitur ergo ex aliqua materia, quæ facile exuri possit, vt ex terræ vaporibus, & exhalationibus, aut similibus. Quod vero attinet ad causam efficientem illius, D.Th. censet, efficiendum esse à causis naturalibus, diuino tamen imperio supernaturaliter coniunctis ad illum ignem generandum in terra, vel in secunda aeris regione. Quod est probabile. Mihi tamẽ verisimile est, illum ignem, qui anteceſſurus est iudicium, generandum esse in secũda aeris regione (vt supra dixi) diuino imperio ex vaporibus, & exhalationibus, quę vel ibi erunt, vel ad hunc finem eo ascendent, vt coram iudice ille ignis tanquã è cœlo missus descendat vsque ad locum, in quo omnes reprobi iudicandi sunt, in quo loco quietus manebit, quandiu iudicium durabit. Finito autẽ iudicio, & aperta terra, ac detrusis in infernum damnatis ille ignis magno impetu commouebitur: vnde fiet vt velocissime omnia inflãmet, & vehemẽter exardescat. Ad quod etiam iuuabit vehemens motus cœlorum, & Solis, ac aliorum astrorum influentiæ, & fortasse etiam concurrent angeli applicantes illi igni materiam ad combustionem facile dispositam. Hæ igitur videntur sufficiẽtes causę generationis huius ignis.

D.Thom.

Tertię dubitationi quidam respondent, tantam futuram esse illius ignis quantitatem, vt vniuersum terræ, & aquæ corpus vndique simul circundet, & ex omni parte ascendat super altissimos montes saltẽ quantum aquæ diluuij ascenderũt. Quod est probabile, propter ea, quæ supra diximus exponentes locum Petri, ex Aug. & alijs. Iuxta hanc vero sententiam oportebit dicere, & magnam partem aeris in ignem esse cõuertendam, & finita purgatione mundi illum ignem magna etiã ex parte esse corrumpendum, & in aerem commutandum, quæ certe nõ sunt magna incommoda. Videtur tamen facilius dicipossę, non oportere, vt simul eodemque tempore totus ille ignis mundum circunstet, atque inflãmet, sed satis esse, vt magna ex parte occupet terram, & ascendat quantum necesse fuerit, vsque ad secundam aeris regionem, ac deinde veloci motu feratur, & successiue totam terram accẽdat, atque ita totum mũdũ circumeat, ac purificet, qui modus, & facilis est, & consentaneus loco Petri supra tractato. Et hoc fortasse sensu dixit Ephrem li. de pœnitentia ca. 4. hunc ignẽ emanaturum ab ortu Solis, vsque ad occasũ. Nã quia (vt supra diximus) Christus à parte Orietali descẽdet, ignis, qui ante illũ veniet, merito dici põt ab oriente manare, qui postea, vt totũ mũdũ inflammet, vsq; ad occidentem deferetur, nõ tñ ibi sistet, sed per aliud hæmispheriũ redibit vniuersam terram circundans. Atq; ex ijs satis patet, quid dicendum sit ad quartã interrogationem: nihil enim addendũ supereſt ijs, quæ præcedenti Disp. Sect. 1. dicta sunt.

Quãtus futurus est ignis conflagrationis

Ephrem.

Tertiq

Omnia mixta igne peritura

Tertio per hunc ignem fiet totius terræ exustio, & elementorum purgatio, de qua quomodo, & in quibus corporibus futura sit, satis est à nobis explicatum. Solum de mixtis occurrit hic difficultas supra omissa. Nã hinc sequitur omnia mixta esse comburenda, quod videtur inconueniens: quia vel illa futura sunt postea in mũdo innouato, vel non: si primũ, ergo frustra prius corrũpentur, vt postea iterum producantur: si secundum, hoc videtur contra perfectionem mundi, diximus. n. supra cum sanctis Patribus, totum hunc mundũ esse cõmutandum in perfectiorem statum, sed mixta multũ pertinent ad perfectionem Vniuersi, sunt. n. perfectiora corpora, quam elemẽta: erit ergo Vniuersum valde imperfectum, si elementa sola maneant, & mixta omnia pereant. Et confirmatur primo, quia Paul. ait omnem creaturam expectare participationem illius gloriæ, quę erit in mundo innouato: ergo non solum elementa, sed etiã mixta manebunt secundum aliqua indiuidua in singulis speciebus, vt illũ statum participẽt: cum. n. omnia electis ministrauerint, oportet vt suo modo remunerentur, sicut cœlum, & elementa. Confirmatur secundo, quia multa ex mixtis pertinent ad ornatum elementorum, vt flores & arbores ad pulcritudinẽ terræ, pisces, & aues ad ornatũ aquæ & aeris, & sic de alijs, vnde nõ est dubium, quin possint conferre ad obiectandum Beatorum aspectum. Adde, Anselmum in Elucidario post explicatam superiorum corporum innouationem, sic de terra scribere, *Terra quę in gremio suo Domini corpus confodit, tota erit vt paradisus, & quia Sanctorum sanguine est irrigata odoriferis floribus, rosis, violis immarcescibiliter erit perpetuo decorata.* Et Guillelmus Parisiensis, cuius verba refert Carthusian. in 4. d. 48. quanuis dicat animalia, & vegetabilia, ac metalla esse cõburenda, & non amplius futura: subdit vero, *De terra quidam ex sapientissimis Christianorum dixerunt, quod graminibus semper virentibus, & immarcescibilibus floribus, ac perpetua amęnitate, instar Paradisi terrestris, sit decoranda.* Ad quam sententiã accõmodari possunt illa verba Psalm. 103. *Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Quæ de renouatione in iudicio futura multi interpretãtur. In hac re certum imprimis est, omnia mixta esse igne comburenda. Nam Petrus satis diserte id affirmat, dicens, *Terra, & omnia, quæ in ea sunt opera exurentur*: & ita simpliciter intelliguntur ab omnibus expositoribus, & Scholasticis doctoribꝰ, qua propter temerarium esset id negare. An vero postea in terræ, vel aliorum elementorum innouatione aliqua mixta iterum sint producẽda ad eorum ornatum, & mundi complementum: non est ita certum, neque videtur omnino improbabilis sententia id affirmans, præsertim propter Anselmi autoritatem: & quia, sicut multi affirmant futuros in inferno vermes, sulphurem, & alia similia corpora mixta ad corpora damnata cruciandа: sic etiam non est incredibile, futura esse aliqua mixta in hoc mundo, ad eius perfectionem, & ad gloriam accidentalẽ Beatorũ augendam. Nihilominus tñ recedendum non est à communi Theologorum doctrina in 4 d. 48. vbi D. Th. q. 2. ar. 5. Bonauen. Rich. Palud. Sot. & reliqui, Henricus quodl. 4 q. 12. & Anton. 4. p. tit. 14. c. 11. ſ 3. negãt futura animalia plantas, mineralia, & alia corpora mixta in mundo post eius instaurationem, quia sunt omnino corruptibilia, in illo autem statu liberabitur creatura à seruitute corruptionis, & ideo solum manebũt ea corpora, quę aliquem ordinem habent ad incorruptionem, vt sunt corpora cœlestia, & elementa, quę licet nunc secundum partes corrumpantur: tamen secundum se tota sunt incorruptibilia. Dicere autem, plãtas, aut animalia esse perficienda dote incorruptionis modo aliquo supernaturali, voluntarium est, & sine fundamento. Vnde Greg. Nien. li. 1. Philosoph. c. 3. proprium, dicit esse hominis, inter omnia animantia immortalitate donari. *Hoc autem, ait, propter immortalitatem animæ assequitur:* Itẽ quia fere omnia mixta referũtur ad vsum hominis ratione corporis corruptibilis, qui vsus tunc cessabit, propter solũ autem aspectũ, eiusque oblectationem non erunt necessaria, quia multo pulcrior, & delectabilior aspectus esse poterit in terra eximia claritate, & splendore affecta. Erit enim facile Deo id efficere, cum ea varietate, & pulcritudine, quæ mirum in modũ visum delectet. Alioqui etiã propter delectationẽ odoratus possent in eo statu flores, seu rosę euelli, & diuidi, & contrectari, & alterari, vt melius odorẽ eflarent, aut multa alia miracula multiplicanda sunt, vt hæ res futuræ sint omnino incorruptibiles. Probabilius ergo videtur, eas non esse futuras, neque aliquid conferre ad perfectionem

Anselmus. *Guil: Pari.* *Psal. 103.* *D. Thom.* *Bonauent.* *Richardus* *Palud.* *Soto.* *Gre. Nyss.*

ctionem illius statu. Ex quo facile solui-
tur rationes dubitandi in contrariũ addu
ctæ, de quibus etiam legi potest D. Tho.
citato loco.

Quarto finita, mũdi exustione, omnia ex-
cremẽta deferẽtur in infernũ simul cũ ig
ne, si aliquid illius superuacaneũ fuerit in
hoc mũdo. Ita D. Th. d. 47. q. 2. ar. 3. q. 3.
vbi dicit, quod in purgatione mũdi, quid
quid erit turpe, & fædũ in infernũ cũ re-
probis detrudetur, & citat Basiliũ in id ps.
28. *Vox domini intercedentis flammam ignis*, di
cẽtis, crassiores partes illius ignis proijciẽ
das esse in infernũ, subtiliores vero, & lu
cidiores superius remãsuras. Atq; idẽ do-
cent reliqui Theologi. Et ratio est clara,
quia purgatio mũdi ad hunc finẽ ordina-
tur, & quia excremẽta reijci solent in infi
mũ, & abiectiorẽ locũ. Item, quia vniuer-
sa hæc pœna damnatis debetur. Quocirca
verisimile est, illũ hiatum terræ, qui ad de
uorãdos reprobos fiet, duraturũ quousq;
mũdi purgatio absoluatur, posteavero quã
omnia excremẽta mũdi per illũ in infernũ
detrudentur, occludendum esse, & terrã in
suam integritatem esse restituendam

Quinto, finita mundi purgatione quies-
cet cælum, sole, & luna, & reliquis omni-
bus astris in eo situ ac dispositione manẽ
tibus, quæ ad maiorẽ pulcritudinẽ totius
vniuersi cõferre videbitur. Tota hæc con
clusio colligitur ex dictis in superioribus.
Nã quod cœli motus cessaturus sit, om-
nes theologi docẽt in 4. d. 48. vbi D. Th.
q. 2. ar. 2. & Sec. præcedẽti à nobis fuit suf-
ficiẽter probatũ: & addi põt, quod Isaias
ait ca. 60. *Nõ occidet vltra sol tuus, & luna tua
vltra non minuetur*, quod de tempore beati-
tudinis exponit Cyr. lib. 9. in Ioan. ca. 46.
si autem sol, & luna mouerentur esset in
eis occasus. Itẽ addi põt, quod Paul. ait ad
Ro. 8. nunc creaturã esse subiectã vanitati
ideſt, mutationi, vt supra explicuimus: hæc
autem in corporibus cælestibus nulla alia
esse põt nisi perpetua mutatio, & vicissi-
tudo. Vnde Salomõ cum Ecclesia. 1. dixis
set, omnia esse vanitati subiecta, hoc ad cæ
los applicans inquit, *oritur sol, & occidit, &
ad locum suum reuertitur, ibiq; renascens gyrat
per meridiem, & flectitur ad aquilonem, lustrãs
vniuersa in circuitu, pergit spiritus, & in circu
los suos reuertitur.* Ab hac ergo vanitate li-
berabitur cælum in die iudicij. Per illã e-
nim nihil aliud præstat, quã deseruire ge-
nerationi rerum, & corruptioni. Quandõ
ergo omnis creatura liberabitur à seruitu
te coruptionis, etiam cælum continuo suo
motui illi deseruire cessabit. Neque cõtra
hoc obstat obiectio superius indicata,
quod illa quies futura sit violenta cœlo,
cum motus sit illi naturalis, Nã iuxta ve-
riorem philosophiæ doctrinã, cœlum ex
peculiari, ac propria natura nõ magis pos-
tulat motum, quã quietem, sed in ordine
ad naturã vniuersalem, seu generalẽ mun-
di gubernationẽ, illud dicitur esse illi ma
gis naturale, quod iuxta totius Vniuersi
statum, magis cõsentaneum, magisque ac
cõmodatum fuerit. Doctrina hæc expres-
sa est S. Thomæ q. 5. de poten. ar. 5. in cor.
& ad 6. & ad. 12.

Quod autem hęc cessatio futura sit ordi
ne à nobis posito non est tam certũ. Mul
ti enim Theologi sæpe indicant, motum
cœli cessaturum ante iudicium, statim ac
omnes homines morientur, vel saltem in
puncto resurrectionis, quod est probabile
quia tunc iam cessabit necessitas genera-
tionum, & corruptionum, ad quã cœli mo
tus ordinantur. Nihilominus ordo posi-
tus in assertione magis nobis probatur.
Primo, quia eademest ratio de cessatione
huius motus, & de reliqua purgatione, &
innouatione mundi, nam hæc est quędam
pars illius nouitatis, & instaurationis, quã
omnes sancti dicunt futuram post iudi-
cium. Secũdo, quia vsque ad illud tempus
fient in elementis motiones violentæ, &
alterationes, & mixtorum corruptiones.
Tertio, quia nõ expedit vt ante mundi in-
staurationem cessẽt vicissitudo dierum,
ac noctium, quæ tunc solum cessabit, *quan
do Dominus fuerit nobis in lucem sempiternam
& complebuntur dies luctus*, vt dicitur Isa. 60

Vltimo, finito motu cœli statim fiet in-
nouatio, & illustratio totius mundi tam
in cœlis, quã in elementis. Probatur, quia
nõ est cur amplius illustratio hæc differa
tur, quia vsque ad illud instans differenda
est solum, vt mundi purgatio absoluatur.
Item illa actio, qua innouandus est mun-
dus, non requirit successionem ex parte a-
gentis, quia erit infinitæ virtutis, neque
ex parte actionis, & termini, cum sit quæ-
dam illuminatio, & perfectio sine resisten
tia contrarij: ergo tota illa illustratio in il
lo instanti perficietur.

Solum supereſt in hac quæstione expli
candum, in quo situ tunc manebunt ele-
menta. Et de igne quidem, & terra nulla
est dif

D. Thom. Oẽs mundi sordes in infernum detrudẽtur Basi.

Cælum post iudicium quiescet. D. Thom.

Isaias. 60. Cyril.

Roman. 8.

Responsio ad Obiectionem.

est difficultas, quin futuri sint in suis locis supremo, & infimo, quia hoc est illis naturale, & nulla est ratio, vt immutetur. Solū esse pōt difficultas an tota superficies terræ aquis cooperienda sit, an vero pars aliqua futura sit discooperta, & immediate aeri cōtigua. Sed hæc dubitatio pendet ex alia, quæ in materia de peccato originali proprium habet locum, an post resurrectionem infantes, qui in solo originali peccato decesserunt, habituri sint in loco aliquo subterraneo, vel in superficie terræ. Nam si primum dicatur, nō est necesse, vt pars terræ maneat discooperta aquis, cum hoc neq; ad vsum Beatorum, vel ad quēpiā alium necessarium sit, & alius ordo sit magis naturalis: si vero dicatur posterius ad vsum illorum hominum, videri potest hoc necessariū: huius ergo quæstionis decisio in illum locum differatur. B

SECTIO QVARTA.

Vtrum Christus post mundi instaurationem perpetuo sit in cœlis regnaturus.

Difficultas ex Psa. 109.

RAtio dubitandi sumi potest ex verbis illis Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo sede adextris meis, donec ponā inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, vbi per sessionem à dextris Dei significatur thronus, ac regia potestas Christi domini; hęc autem solum dicitur duratura vsque ad illud tempus, in quo ponentur inimici Christi sub pedibus eius, quod in die iudicij complēdum est, vt Paulus declarat 1. ad Corinthios. 15. Respondeti potest, illa particula, *Donec*, affirmari Christum fessurum, eiusque imperium duraturum vsque ad illud tempus, non tamen negari, post illud tempus per totam æternitatem regnaturum. Est enim hæc phrasis sæpe in sacris literis vsitata, vt hæc particula *Donec*, & similes, adiunctæ propositionibus affirmatiuis, affirment aliquid de certo tempore, de quo maxime poterat dubitari, non tamen quicquam negent de reliquo tempore, sed respectu illius indefinitæ sint: vel è contrario adiunctæ propositionibus negatiuis aliquid negent de tempore, in quo poterat esse dubitatio, non vero affirment quicquam de reliquo tempore, vt latius ex sanctis Patribus supra tradidimus Disputatio. 5. Sectione. 3. Quia ergo in presenti dubitari poterat, an Christus esset regnaturus eo tempore, in quo nondum omnes inimici eius ei subiiciuntur, ideo de hoc potissimum tempore id affirmatur à regio Propheta, non tamen negatur de posteriori tempore, seu æternitate, sed potius vt manifestum supponitur, tunc maxime regnaturum. Quā regulam huic loco accommodant Augustinus lib. 83. quæstionum, quæst. 69. Gregor. Nazianzen. oratione 36. & alij quos citato loco retuli. Veruntamen hanc responsionem videtur refellere Paulus 1. ad Corinthios. 15. vbi post verba similia scilicet, *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius*, de reliquo tempore subdit, *cum autem illi subiecta fuerint omnia, tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia*: ac si diceret, tunc desinet regnare, & omnino erit subiectus Deo: vnde subiungit, *Vt sit Deus omnia in omnibus*, id est, vt Deus in omnibus immediate regnet, & omnes illi subiiciantur. Aug. Nazian. A B C

Quæstio hæc non tam propter difficultatem suam est hoc loco à nobis proposita, quam vt debitum finem huic operi imponamus, breuiter attingendo, ac delibando fœlicem illum statum, quem Caput nostrum cum omnibus suis membris in perpetuum possidebit, & vt simul explicemus prædicta verba Pauli, in quibus adeo subobscure, illius status rationem describit, vt aliqui occasionē sumpserint dicendi, Christi humanitatē post diem iudicij, in Diuinitatem esse conuertendam, & illam subiectionem, de qua Paulus loquitur, nihil aliud esse quam cōmutationem substantiæ creatæ in substantiam creatoris, vt Augustinus refert 1. de Trinitat. capit. 8. Quę sententia & naturali rationi manifestè contraria est, quia repugnat Diuinę naturę vt aliquid in ipsam conuertatur, vt in priori tomo latius ostensum est. Et est aperte hæretica, quia Christus in æternum non solum erit Deus sed etiam homo, resurrexit enim ad vitam immortalem, & immutabilem, & fœlicitas humanitatis eius ęterna futura est maiori ratione, quā beatitudo Angelorū, vel hominum beatorum. Tandem repugnat ipsismet verbis Pauli, nā si filius subiiciendus est Patri, oportet vt naturam habeat, per quam illi subiici possit. Aug.

Dicendum est ergo, Christū post iudiciū perpetuo in cœlis regnaturū, nō solū secun-

Christi regnum perpetuum.

secundū diuinitatem, sed etiā secundū humanitatē. Quæ veritas est de fide certa, nā & in variis Scripturæ locis expresse traditur, & ex fidei principiis aperte colligitur. Primū patet Luc. 1. *Et regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis,* & est sermo de Christo homine, & Dani. 7. *Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient, potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrūpetur.* Quæ duo testimonia adeo perspicua sunt, vt necesse nō sit, plura cōgerere, in re præsertim manifesta. Secundū patet, quia in Symbolo profitemur vitā æternam, atq; beatā, in qua cū Christo regnaturi sumus, multo ergo magis regnabit ipse Christus in æternū. Quanta vero futura sit huius regni amplitudo, opulētia, maiestas, & gloria sæpe in Scripturis sanctis describitur, præsertim ab Isai. c. 65. & 66. & à Ioanne Apocalyp. 21. & 22. vbi inter alia dicit, *Ecce tabernaculū Dei cum hominibus.* Vbi per tabernaculum Dei, humanitatem Christi intelligo, de quo subditur, *Et habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus, & absterget omnem lacrimam ab oculis eorum, & mors vltra nō erit.* Et postea subditur, in illo regno perpetuo duraturā sedē Dei, & agni, *Et serui* (inquit) *eius seruient illi, & videbunt faciem eius, & nomen eius in frontibus eorum*, ac tandem, *& regnabunt in sæcula sæculorum.* Sed de hac re plura in materia de beatitudine, vbi omnia, quæ ad spiritualē fęlicitatē huius regni spectant, explicantur: quę vero pertinēt ad fœlicitatē corporū in superioribus disputationibus sunt à nobis tradita.

Luc. 1. Dan. 7.

Isa. 65. 66 Apoc. 21. 22.

Responsio ad difficultatē in principio positam.

Ad difficultatē ergo propositā respōsio, quā ibi tradidimus, optima est, quāuis dici etiā possit, verba illa intelligi de ascensione Christi in cœlū, per quā assequutus est, vt ad dexterā Patris sedeat, vt supra diximus: sessurus est autē donec ponātur inimici eius scabellū pedū eius, quia vsq; ad illud tēpus nō iterum descendet è cęlo. Et hoc sensu cōcedere possumus illam particulā, *donec*, includere negationē, nō quidē durationis regni, sed quietis, vt ita dicam, seu permansionis in cęlo, absque reditu in hunc mundū. Iuxta quā expositionē sensus erit, Christū sedisse in cęlo, nō redituru in hūc mundū, donec subiiciat sibi inimicos, tunc autem iterū venturū, scilicet, in die iudicij: vnde nō fit, eū tunc amissurū regnū, & potestatē, sed potius vniuersalius atq; manifestius tunc dominaturum. Aliam expositionem statim trademus.

A

Ad locū Pauli ex 1. Cor. 15. *Tunc & ipse Filius subiectus erit*, Omisso errore Arianorum, qui ex hoc loco colligebāt Filiū esse minorē Patre secundū propriā eius naturā: Duæ sunt expositiones catholicorū extreme oppositæ. Prima est, illa verba intelligi de Filio secundū Diuinitatem, subiectionē autem nō significare obedientiā, seu seruitutem, sed solū cōcordiā voluntatis cū origine à Patre. Ita Oecumen. & Theophyl. & Ambros. ibi, & indicat etiā Chry. homil. 39. Sed nō videtur probāda hęc expositio: tū quia videtur valde impropria locutio, nimisque coacta, si ad Diuinitatem accōmodetur. Tum etiā quia Paulus aperte loquitur de Filio ratione humanitatis, vt ex cōtextu patet, & ex iis quæ statim dicemus. Altera expositio est, vt intelligatur hic locus de Christo nō in propria persona, sed in corpore suo mystico, quod est Ecclesia. Quia nūc nōdū est tota Ecclesia Christi perfecte subiecta Patri: completo vero beatitudinis statu, perfecte subiicietur. Ita exponunt Origen. tract. 30. in Matth. Nazian. dicta orat. 36. Cyril. lib. 10. Thesauri c. 8. Greg. Nysse. orat. propria, in qua illa verba Apostoli exponit, & Chrys. homil. circa eadē verba, quæ habetur in 3. tomo, & Theodoret. in cōmentariis. Hæc vero expositio nō videtur cōmode aptari contextui Pauli: nā distincte loquitur de persona Filij, cui omnia subiecta sunt nō ratione corporis mystici, sed ratione sui ipsius, cui corpus mysticū subiectum est: ergo eodē modo loquitur de Christo, cum ait, eum fore Patri subiiciēdum. Dicēdum est ergo, Paulū quidē loqui de Christo secundū propriā personā, nō tñ secundū Diuinitatē, sed secundū humanā naturā: nā secundū humanā naturam Christus resurrexit, & mortē destruxit, & omnia habet sibi subiecta prēter eū, qui omnia sibi subiecit. In hanc expositionem magis inclinat Chrys. & eandē probant Ansel. D. Th. Primasius, & Sedulius ibi, Ambr. lib. 5. de fide c. 6. Aug. 1. de Trini. c. 8. & libr. contra sermonem Arianorū c. 37. & Epiph. hæresi 69. versus finē. Verū difficultas superest in hac expositione, quia hęc subiectio Christi hominis ad Deum nō fiet de nouo post resurrectionē, nunc enim & semper ab initio incarnationis Christus est sub-

B

C

Exponitur locus difficilis Pauli 1. ad Co. 15

Oecumeni. Theophy. Ambros. Chrysosto.

Origenes Nazian. Cyr, Nysse. Chrysost. Theodor.

Chrysost. Anselm. D. Thom. Prima. Augus. Sedul. Ambros.

subiectus Patri, at vero Paulus aliquã nouã subiectionem significare videtur, quæ post iudicij diẽ in Christo domino futura est respectu Patris. Ad hoc dupliciter respõdere possumus, primo, negãdo Paulũ sentire Christum tunc aliter subijciendũ esse, quã nunc. Sicut.n. supra dicebamus, cũ dicitur Christus regnaturus donec ad iudicandum veniat, nõ excludi, quin postea sit regnaturus, sed affirmari tãtũ, quod magis dubium videbatur: ita è contrario, cum dicitur tunc futurus subiectus, nõ negatur, quin antea fuerit subiectus, sed affirmatur, etiã tunc futurum, seu permansurũ subiectũ. Quod ideò fortasse fecit Paulus, ne infideles homines existimarent, ipsum docere, Christum vt hominem in eo statu nõ esse subijciendũ Patri, eo quod de ipso docuerat aboliturũ omnẽ principatũ, & potestatẽ, & omnia esse illi subicienda.

1. Respon.

2. Respon. Secundo dici põt, Paulũ specialiter tribuere illi statui subiectionẽ Christi ad Patrẽ, quia nunc videtur habere Christus specialẽ modum regendi, & gubernandi homines, & Angelos, horũ ministerio vtendo ad illorum salutẽ perficiendam, & in illis gratiã, & varia dona influẽdo: tũc vero ab hoc opere, & regimine cessabit, & in hoc solũ incumbet, vt se ipsum, totumq; suum regnũ in Patrẽ referat. Vt ergo Paul. indicaret differentiã inter illũ, & prẽsentẽ statum, dicit, tunc fore Christum subijciendum Patri, quia tunc huic subiectioni tãtũ vacabit, & cessabit, vt ita dicã, ab omnibus exterioribus functionibus: tunc.n. cessabunt omnia ministeria, nouæ illuminationes in Beatis, accidentalia gaudia de cõuersionibus peccatorum, & similia: sed erit quasi pura quædã cõtẽplatio diuina, eodẽ modo stabilis, ac perpetua, qua totus Christus, ideſt, caput cũ omnibus mẽbris feretur in Deũ, eique subijcietur. Et huic expositioni optime quadrat ratio subiuncta â Paulo, *Et tunc filius erit subiectus Patri vt sit Deus omnia in omnibus*, id est, vt vnus Deus in omnibus dominetur, & glorificetur, & omnes in Deo habeant, quidquid sanctẽ, & iuste amare possunt, ac desiderare. Sicut exposuit Greg. Nyssen. li. de anima, & resur. dicens, *Cũ vita, quã in præsenti transigimus varie a nobis exigatur, multę res sunt, quarum participes sumus, vt aeris, loci, cibi, ac potus, & aliarum rerum ad vsum vitæ necessariarum, quarum nulla est Deus. Beatitudo vero, quę expectatur, nullius quidem harum rerũ egena est, omnia autem nobis, locoque omnium erit diuina natura, ad omnem vsum, ac necessitatẽ illius vitę, se se cõueniẽter, & aptè impartiẽs.*

Greg. Nyssen.

A

Hoc ergo significare mihi visus est Paul. per illã subiectionẽ ad Deũ, scilicet, perfectã quietem in Deo, & cessationẽ ab omni externo ministerio nõ solum corporali, sed etiã spirituali, quia in eo statu nõ erit iã tẽpus (vt ita dicã) inquirẽdi Deum, aut sibi, aut alijs, sed tãtum fruendi, amandi, & subiiciendi se illi, quia tunc iã erit ipse omnia in omnib⁹. Quæ expositio potest hoc exẽplo declarari. Dicere .n. solemus, Deum antequã aliquid creasset in se ipso mansisse, se ipso fruentẽ, atq; se solo perfecte beatum, eodẽque modo, si Deus omnia nunc in nihilum redigeret, mundũque cõseruare, ac gubernare desineret, diceretur in se mansurus, se ipso contentus: quo loquendi genere non significamus, eũ nunc nõ habere à se hasce perfectiones, sed significamus præter illas habere veluti externã actionem, & administrationẽ, qua ante mundi creationem caruit, & postea careret, si mundũ in nihilũ redigeret. Ad hunc ergo modum ait Paulus, Christum post iudicium futurum subiectum Patri, non quia nunc non sit, sed quia nunc præter illam subiectionem, & cõiunctionem cum Deo, eiusq; fruitionẽ, habet quãdam externam administrationem, à qua in eo statu vacabit. Et hanc expositionem indicauit Epiphan. citato loco, atque etiã Theodoretus, neque multũ discrepat quod Nazian. dixit in prædicta oratione, nunc regnare Christum, nondum plene possidentem regnum, sed acquirentem, magisque, ac magis sub imperiũ suũ homines quotidie redigentem, quomodo regnabit donec ponantur inimici eius sub pedibus eius, nõ vero deinde, quia iam tunc nõ regnabit acquirendo, sed pacifice possidendo totum regnum. Et regnare in illo, nihil aliud erit, quam se ipsum, totumque suum regnum summa concordia, sumo gaudio, summaque vitæ tranquilitate Patri subijcere. Atque hic erit perpetuus, ac fœlicissimus status, quẽ post huius sęculi consũmationẽ Christus dominus habiturus est. Ibi ergo nostræ disputationis cursus finẽ habeat, vbi totius vitæ, ac mysteriorum Christi finis est. Cui nos quoque opus hoc nostrum qualecunque est subijciamus: vt quod illius ope, & auxilio perfectum tandem est, in eiusdem, & Augustissimę Virginis matris cedat honorem, & gloriam. Amen.

Epiphan. Theod. Nazian.

B

C

FINIS.

INDEX LOCO-
rum ſacræ Scripturæ, quæ in hoc Tomo obiter, vel exproſeſſo explicantur.

Prior numerus paginã indicat, poſterior columnã literæ vero ſub eis loca indicata contineri.

GENESIS. (B)

1 *Factum eſt veſpere, & mane dies vnus.* 847.1
1 *Creſcite, & multiplicamini.* 106.1.A. (2.C)
2 *Qua die comederis ex eo, morte morieris.* 1008
3 *Inimicitias ponam inter te, & mulierem.* &c. 22.A. & 38.2.C. & 99.1.C. (1008.2.B.
3 *Donec reuertaris in terram, de qua ſumptus eſt*
3 *In puluerem reuerteris.* 1008.1.C.
5 *Nõ apparuit, quia tulit eũ Dominꝰ.* 1122.2. B.
7 *Et Cataractæ cæli apertæ ſunt.* 440.1.C.
8 *Miſit coruũ, qui non reuertebatur, donec ſiccarentur aquæ* 106.1.C.
12 *Accipe eam, & vade.* 128.1.C.
37 *Deſcendam ad filium meum lugens in infernũ* 762.1.C. (762.2.B)
42 *Deducetis canos meos cum mœrore ad inferos*
49 *Catulus leonis Iuda &c. quis ſuſcitabit eũ &c* 834.2.C. (1.B.)
49 *Fiat Dã coluber in via, ceraſtes inſemita.* 1109.

EXODVS. (982.2.A.

3 *Ego ſum Deus Abraham. & Deus Iſaac, &c.*
12 *Menſis iſte vobis principium menſium primus erit in menſibus anni.* &c. vſque ad, *& dies ſeptima cadẽ feſtiuitate venerabilis.* 704.1.A
12 *Decima die menſis huius tollat vnuſquiſque agnum* &c. 712.2.C.
12 *Immolate Phaſe.* 711.2.B.
13 *Sãctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluã in filijs Iſrael.* 102.1.C. & 286.1.C. & 287.2.A.
19 *In die enim tertia deſcendet Dominus coram omni plebe.* 835.1.B.
23 *Nõ erit in te infœcunda, neque ſterilis.* 107.2.B
33 *Oſtende mihi gloriam tuam &c. Cum tranſibit gloria mea, videbis poſteriora mea* 558.2.B.

LEVITICVS.

12 *Mulier, ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculũ, immũdaerit ſeptẽ &c,* vſque ad, *Orabitq; pro ea ſacerdos, & ſic mundabitur* 286.1.C. & 288.1.C. & 292.1.C. & 290.2.B. & 95.2.B.
23 *Numerabitis ergo ab altero die ſabathi &c.* vſq; ad, *et ſic offeretis ſacrificiũ nouũ.* 849.1.A

NVMERI.

8 *Omne maſculinum ad aperiens vuluam, ſanctũ Domino vocabitur.* 102.1.C. (te. 558.2.B.
12 *Os ad os loquor ad eũ in ſpecie et nõ in enigmate*

DEVTERONOMIVM.

7 *Nõ erit inter ſterilis vtriuſq; ſexus* &c. 107.2.A
15 *Indigẽs, & mẽdicus nõ erit inter vos.* 459.2.C. & 460.1.B.
5 *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ & ideo ego præcipio tibi, &c.*
Sed *in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi.* 705.2.C.
16 *Prophetam de gente tua ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus* vſq; ad. *Ego vltor exiſtam.* 372.1.B. & 834.2.C. (eã. 128.1.C
18 *Quis eſt homo, qui deſpõdit vxorẽ, & nõ accepit*
20 *Maledictus omnis, qui pendet in ligno.* 615.2.B & 614.2.B.
21 *Erit vita tua pendens ante te.* 614.1.A.
28 *Aſcende in montem Nebo.* 557.2.C.
32 *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius & cornua rhinocerontis cornua illius in ipſis vẽtilabit gentes vſque ad terminos terræ.* 614.1.C.
33 *Aſcẽdit Moyſes ſuper mõtem Nebo.* 557.2.C

IOSVE. (rat. 504.2.A.

Iordanis ripas aluei ſui tempore meſsis impleue
Populus autem aſcendit de Iordane decima die menſis primi. Ibid.
Adã maximus ibi inter Enacim ſituseſt. 624.1.A

IVDICIVM.

Nazarẽus ex vtero matris. 29.1.C.

RVTH.

Benedicta es a Domino filia, quia priorem miſericordiã poſteriore ſuperaſti. 363.2.B.

1. REGVM. (2.B.

Vir ſenex aſcẽdit, & ipſe amictus eſt pallio. 762
Cras tu, & filij tui mecum eritis. 763.1.B

3. REGVM.

Intulerunt ſacerdotes arcam fœderis domini in locum ſuum. 349.2.B.

2. PARALIPO.

Immolauerunt autem Phaſe decima quarta die mẽſis ſecundi, ſacerdotes quoque, atque leuitæ tandem ſanctificati obtulerunt holocauſta in domo domini. 706.1.B.

1. ESDRAE.

Fecerunt filij Iſrael trãsmigrationis Paſcha decima quarta die menſis primi vſq; ad. *Qui reuerſi fuerant de transmigratione.* 705.2.A.

IOB.

Expectet lucem, & non videat, neque ortum ſurgentis auroræ. 38.2.B. (897.2.A.
Donec impleatur os tuũ riſu, & labia tua lubilo
14 *Homo, cum dormierit, non reſurget, donec atteratur cœlum.* 1189.2.A. & 1198.2.A.
14 *Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas me.* 62.2.B.
17 *Si ſuſtinuero, infernus domus mea eſt ibi.*
19 *Scio, quod Redemptor meus viuit.* 843.1.A 866.2.B. 984.2.A.

28 Non adęquabitur ei aurum, vel vitrũ. 909 2.B 50
36 Non saluat impios, & iudicium pauperibus tribuit. 1598.2.C. 56

PSALMI.

1 Ideo non resurgent impij in iudicio. 992.1.B. 56
994.2.B.1171.1.B.1172.2.A. & sequent. 67
2 Ego autẽ cõstitutus sum Rex a Deo super Syõ montem sanctum eius. 835.2.A.
2 Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genuite 835.1 C. & sequentibus. 67 68
2 Postula a me, & dabo tibi gentes hęreditatem tuam. ibid. & 837.2.A. 71
3 Ego dormiui, & sõnum cepi, & exurrexi, quoniam Dominus suscepit me. 835 2.C. (2.B. 71
9 Insidiatur in occulto, quasi Leo in spelũca. 1115. 71
15 A dextris est mihi, ne commouear. 1055.2.C.
15 Non derelinques animam meam in inferno 773 1.B & 2.C. & 789.1.A. 71
15 Nec dabis Sanctũ tuum videre corruptionem. 742.1.A. & 773 1 B & 784.1.A. 73 77
16 Igne me examinasti, & nõ est inuenta in me iniquitas. 1161.1.C. (& 787.2.C. 79
17 Dolores inferni circundederunt me. 783.2.B. 85
18 In omnem terrã exiuit sonus eorum. 1138 1.B. 87
21 Deus Deus meus, quare me dereliquisti. 455.1B
21 Tu es, qui extraxisti me de ventre. 101.1.A. 87
21 Et dispersa sunt omnia ossa mea. 616.1. A. 88
21 Foderunt manus meas, & pedes meos. 615.1. C.
21 Dinumerauerunt omnia ossa mea. 616 .1.A. 88
21 Diuiserunt sibi vestimenta mea 457.2B.
21 Vota mea reddam in conspectu timentium eum. 455.1 B. 88
23 Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales. 789 2.C. 95
28 Vox Domini intercidẽtis flãmam ignis. 1201.1.a
29 Ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. 851.2 C. 96
29 Quę vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem. 742.2.A. 101
31 Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata 1176.2.A.1177.2.B. 108
34 Congregata sunt super me flagella, & ignorani. 605 2.A. 109
40 Homo pacis meę, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me suplantationem. 587.1.C. 131
41 Abyssus abyssum inuocat. 363 2.C. 131
44 Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ. 437.2.C. 138
44 Astitit Regina a dextris tuis. 346.1.A. 143
44 Afferentur Regi virgines post eam. 114.1.C. 149
44 Sãctificauit tabernaculũ suũ Altissimus. 382.C
45 Auferens bella vsque ad finem terræ. 702. B. 4
45 Deꝰ manifeste veniet, Deꝰ noster, & nõ silebit: 8
49 ignis in conspectu eius exardescet. 1160.2.C 9
50 Dele iniquitatem meam. 1176.2.C.
Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. 1179.1.B.
Misit decęlo, & liberauit me, dedit in opprobriũ conculcantes me. 836.1.A.
Exurge gloria mea. 836.1.A.
Ascendisti in altum, cępisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus. 757.1 C. 794.2 A & 1042.1.A. & 1044.1.C. (& 263.1.A.
Æthiopia prœueniet manus eius Deo. 262.2.C.
Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. 639.1.A.
Descendet sicut pluuia in vellus. 96.2.C.
Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent. 262 2. C.
Reges Tharsis, & insulæ munera offerent, Reges Arabũ, & Sabba dona aducent. 259.1.B. & 2.B.
Dabitur illi de auro Arabię. ibid.
Operatus est salutem in medio terræ 622.2.C.
Eduxit eos in nube diei. 42.2. B.
Domine Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus. 369.2.A.
Gratiam, & gloriam dabit Dominus. 360.2.A
Factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber. 738.1.B.
Posuerunt me in lacu inferiori. 788.1.B.
Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt. 560.1C.
Inueni Dauid seruum meũ, &c. & ego primogenitum ponam illum. 836 2.A.
Thronus eius sicut Sol. 38 2.C.
Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit a ligno. 654.1.A.
Ante ipsum prœcedet, & inflãmabit in circuitu inimicos eius. 1161.1. & 1115.1.C. 1161.1.A
Opera manuũ tuarũ sunt cœli, ipsi peribunt: tu autẽ permanebis, &c. 1189.1.A. 1198.2.A
Quia astitit a dextris pauperis. 1055 2.C.
Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis. 1050.1.B. & 1202.1.B.
Dominus a dextris tuis, cõfregit in die iræ suæ Reges. 1055.2.C. & 1094.2.B.
Surge, Domine, in requiem tuã, tu, & arca sanctificationis tuæ. 346.2.B.
De fructu ventris tui ponã super sedẽ tuã. 16.2.c & 21.1.A. & 95.2.B.
Paraui lucernam Christo meo. 369.2.B.
Si sumpsero pennas meas diluculo. 904.2. B.
Redemisti seruũ tuũ de gladio maligno. 46.1.c
Exultabũt sãcti in gloria, lętabũtur in cubilibus suis, exultationes Dei in faucibꝰ eorũ. 897.1.c

PROVERBIA.

Vnigenitus matris suæ. 22.2.A.
Dñs possedit me in initio viarũ suarũ. 11.2.B,
Sapientia ædificauit sibi Domum, excidit columnas septem. 62.1.C. & 175.1.B.

Tria

30 Tria sunt difficilima mihi, & quartũ penitus ignoro, viam viri in adolescentia. 96. 2. A.

ECCLESIASTES.

1 Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. 319. 1 C. & 9. 1. B.

11 Si ceciderit lignum, siue ad austrum, siue ad aquilonem, vbi ceciderit, ibi erit. 758. 2. A.

12 Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus nec ratio, nec sapientia, nec scientia erũt apud inferos. ibid.

12 Mortui vero nihil nouerunt amplius, neque habẽt vltra mercedem. 759. 1. B.

CANTICA.

2 Surge amica mea, speciosa mea, &c. in foraminibus petræ, &c. 886. 1. C.

3 Quæ est ista, quę ascẽdit de deserto, &c. 9. 1. C

3 Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die, &c. 159. 2. B.

4 Veni coronaberis 3. 6. 1. C.

5 Ego dormio, & cormeum vigilat. 312. 1. C.

SAPIENTIA.

3 Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent. 904. 2. C.

3 Iudicabunt nationes, &c. 1166. 2. A.

4 Benenedictũ lignũ, perquod fit iustia. 614. 2. C

18 Dũ medium silentium tenerent omnia. 154. 2. A

ECCLESIASTICVS.

17 Quid lucidius Sole? & hic deficiet. 1189. 1. A. & 1198 2. A.

24 In plenitudine Sanctorũ detentio mea. 319. 2. A.

24 Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domine. 799. 1 B. & 800 1. A & 801. 1. C. & 802. 2. A.

44 Henoch trãslatus est in paradisum, vt det gentibus pœnitentiam. 1129. C.

48 Qui receptus est in turbine ignis, &c. lenire iracundiam Domini 1129. 1. C.

ISAIAS.

1 Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. 238. 2. B.

3 Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui. 1090. 2 A. & 1167. 2. C.

6 Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum. 1052. 1. B.

7 Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. 5. 2. A. & 99. 1. C. & sequentibus.

8 Accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium. 337. 2. B.

8 Antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci. 259. 1. B.

8 Et erit nobis in sanctificationem: in lapidem autẽ offensionis, & in petrã scandali duabus domibus Israel, in laqueum, & in ruinam habitantibus Ierusalem 326. 2. B.

8 Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus ibid.

9 Populus, qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam. 969. 2. A.

9 Factus est principat⁹ super humerũ ei⁹. 611. 1. c.

11 Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. 4. 1. C. & 16. 2. C.

11 Et erit in die illa, adiiciet Dominus secundo manum suam ad populum residuũ. 1140. 1. B.

13 Stellę cęli. & splendor earum non expandent lumen suum. 1149. 2. B.

19 Ascendet Dominus super nubem leuem, & ingredietur Ægyptũ, & cõmouebũtur simulacra Ægipti. 96. 1 A. & 297. 1. A. & 298. 1. A

24 Et erit in die illa visitabit Dominus super militiam cęli. 767. 2. A.

24 Congregabitur congregatione vnius fasciś in lacum, & claudentur ibi in carcere, & post multos dies visitabuntur. ibid.

25 Præcipitabit mortem in sempiternum. 837. 1. A

26 Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent, &c. 983. 2. B.

30 Et non faciet auolare a te vltra doctorem tuũ. 498. 2. B.

30 Et erũt oculi tui videntes præceptorẽ tuũ. ibid.

30 Erit lux Lunæ, sicut lux Solis, &c. 1192 2 A. & 1195. 1. B.

24 Tabescet omnis militia cœlorũ, & cõplicabuntur sicut liber cęli. 1152. 2. C. & 1189. 1. C. & 1198 2. A.

25 Lætabitur deserta, & sitiens, exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. 369. 2. A.

40 Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. 368. 1. B.

40 Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinẽ, &c. 904. 2 B.

43 Ego sum, qui deleo iniquitates tuas. 1176. 2. C. & 1177. 2. B.

43 Reduc me in memoriã, & iudicemur simul. 1179 1. B.

45 Mihi curuabitur omne genu. 1171 1. A.

49 Ecce isti de longe venient, & ecce illi ab Aquilone, & mari, & isti de terra australi. 262.

50 Induam cęlos tenebris. 694. 2 C.

51 Cęli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur. 1189. 2. A. & 1198. 2. A.

53 Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti. 95. 2. C.

53 Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum. 649. 2. C.

55 Feriã vobiscum pactum sempiternum, miseri-

cordias Dauid fideles. 836.1.B.

56 Hæc dicit Dominus Eunuchis, &c.1107.2.C.
60 Ambulabunt gentes in lumine tuo.259.2.B
60 Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian, & Epha, omnes de ſabba uenient, aurum & thus deferentes.261.2.A. & 259.2.B.
60 Non occidet vltra Sol tuus, & luna tua.1197.2 C. & 1021.1.C.
62 Propter Sion non tacebo &c. vſque ad, quod os Domini nominauit.274.2.C.
62 Habitabit iuuenis cum virgine.129.2.A.
63 Quis eſt iſte, qui venit de Edon tinctis veſtibus de Boſra?1042.2.B.
65 Obliuioni traditæ ſunt angustiæ priores &c. Ecce enim creo cœlos nouos &c.1176.2.C. & 1177.2.B. & 1187.2.A. & 1189.2.A. & 1198.2.A.
66 Antequam parturiret, peperit, antequã perueniret partus eius, peperit maſculum.232.2.C.
66 Et oſſa veſtra quaſi herba germinabũt. &c.983 2.C.
66 Quia ecce Dominus in igne veniet.1090.2.B. 1155.1.C.2.C.
66 Sicut cœli noui, & terra nova &c.1187.1.A.

IEREMIAS.

1 Antequam te formarem in vtero, noui te, & antequã exires de vulua, ſanctificaui te, & prophetam in gentibus dedi te.29.1.C. & 2.C. & 30.1.A. & 1132.1.A.
7 Nõ ſum loquutus cum patribus veſtris, & nõ præcepi eis de verbo holocauſto matũ, &c.706.2.B
8 Ex Dã audiuimus fremitũ equorum.1109.1.B.
11 Mittamus lignum in panem eius.614.1.B
15 Dixit Dominus ad me. Si ſteterit Moyſes, & Samuel coram me &c.759.2.B.
15 Occidit eis Sol, cum adhuc eſſet dies.694.2.C
22 Non ſedebit de ſemine eius vir ſuper ſolium Dauid. 20.1.B.
31 Nouum creauit Dominus ſuper terram, fœmina circundabit virum.96.1.B.
31 Ecce dies veniẽt, Dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouũ. 235.2.C
31 Dabo legem meam in uiſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam. Ibid.

EZECHIEL.

1 Aperti ſũt cœli, & vidi viſiones Dei.440.2.A
18 Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor 1177.1.A 2.B.
32 Operiã, cum extinctus fueris cœlos.1149.2.B.
34 Suſcitabo vobis paſtorem vnum ſeruum meum Dauid 836.2.A.
37 Vaticinare, ecce ego aperiam tumulos veſtros, &c. vſq; ad populo meus.983.1.B.
44 Porta hæc clauſa erit, & vir non intrabit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam 104.2.C.

DANIEL.

2 Tu rex videbas, & ecce quaſi ſtatua vna grandis 1107.1.A.
Lapis abſciſſus de monte ſine manibus.96.1.B. & .1092.1.A.
7 Et quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari diuerſæ inter ſe.1107.1.A.
7 Et ecce oculi quaſi oculi hominis erãt.1103.2.B.
7 Aſpiciebam, donec throni poſiti ſunt &c.1165 2.C.1167.1.C.
7 Thronus eius flammæ ignis, &c. fluuius igneus rapiduſque egredicbatur a facie eius.1155.1. A. & 1156.1.A.
7 Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt.1182.1.B.
7 Millia millium miniſtrabant ei. &c.1165.1. C.
7 Et tres Reges humiliabit.1116.2.C.
8 De vno autem ex eis egreſſum eſt cornu vnum modicum, & factũ eſt grande. 1117.1.B.
9 Et erit intẽplo abominatio deſolationis.1118.1.B
11 Deum autem Maozim in loco ſuo venerabitur &c.1113.1.B.
11 Et mittet manum ſuam in terras, & terra ægypti non effugiet 1117.1.A.
11 Dominabitur theſaurorum auri, & 1116.2.C.
12 Multi de his, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt. &c. Qui autẽ docti fuerint, fulgebunt &c.904.1.A. & 983.2.A. & 995.1.A.

OSEAS.

1 Cõgregabuntur filij Iuda, & filij Iſrael pariter, & ponẽt ſibimet caput vnum.235.2.C.
6 Viuificabit nos poſt duos dies: in die tertia ſuſcitabit nos.848.1.C.
11 Ex Ægypto vocaui filium meum,295.2.C
13 Ero mors tua, o mors, morſus tuus ero, inferne. 794.1.C. & 796.1.B & 837.2.B.

IOEL.

2 Et dabo prodigia in cœlo, & in terra. &c. antequam veniat dies &c.1148.2.A.
3 Ecce in diebus illis, & in tempore illo, cum cõuertero captiuitatem Iuda, & Ieruſalem, cõgregabo omnes gentes, & eãducam eas in vallem Ioſaphat, & diſceptato cũ eis.1096.1.A. & ſequentibus. & .1141.1.A.1172.1.C.
3 Quid mihi, & vobis Tyro, & Sydon.68.2.C.

AMOS.

6 Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus moleſtum eſt.500.2.C.
8 Et erit in die illa, dicit Dominus, occidet vobis Sol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis.694.2.B. & 722.1.B.

MICHÆAS.

2 Aſcendit pandens iter ante eos.1042.2.A.
5 Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael 235.2.B & 236.2.A.

Nelate-

7 Ne læteris inimica mea superme, quia cecidi, consurgam. 837. 2. B.
7 Et aspiciet inimica mea, & operietur confusione. Ibi.
7 Dies, vt ædificentur maceriæ tuę, in die illa longe fiet lex. ibid.

NAHVM.

1 Deus non iudicat bis in id ipsum. 1089. 2. B.

HABACVC.

3 Consideraui opera tua, & expaui: in medio duorum animalium cognoscēris. 238. 2. c.
3 Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius. 614. 2. A
3 Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo. 280. 1. C

SOPHONIAS.

1 Et erit in tempore illo, scrutabor Ierusalem lucernis. 1178. 1 C.
3 Expecta me in die resurrectionis meæ in futurū, quia iudicium meum, vt congregem gētes. 837 2. C. & 8 1. 2. C.

AGGÆVS.

2 Adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cœlum, & terram, & mare, & aridā, & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus 255. 2 & 1091 1. C.

ZACHARIAS.

3 Ostendit mihi Dominus IESVM sacerdotē magnum 281 1 A.
5 Et leuauerunt amphoram inter cœlum, & terram &c. vt ędificetur ei domus in terra Senaar &c. 1116. 1. C.
9 Tu autem in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu. 757. 2. A.
11 Appenderunt mercedem meam triginta argenteis. 590. 2. C.
12 Et aspicient ad me, quem confixerunt. 615. 1. C. & 883. 2. A. & 1182 1. A.
13 Quid sunt plagę istæ in mediomanuum tuarum; & dicet, His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. 615. 1. C. & 1091. 1. B.
14 Et erit in die illa: non erit lux, sed frigus, & gelu &c. 1116. 1 C.

MALACHIAS.

3 Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viā ante faciem meam. 368. 1 B.
3 Ecce venit, dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem aduētus eius? 1100. 1 C.
3 Et accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis &c. 1079 1 C.
4 Orietur sol iustitiæ vobis timentibus nomē meū, & sanitas in pennis eius &c. 904. 2. C.
4 Ecce ergo mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini &c. 1128. 2. A. & 1129. 1 A.

2. MACHABAEORVM.

7 Tibi enim resurrectio ad vitā non erit. 993. 2. C.

MATTHAEVS

1 Accipe puerum, & matrem eius. 4. 1 B.
1 Quod in ea natū est, de Spiritu sancto est. 95. 1. C. & 176. 2 A. & 197. 2. B.
1 Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem. Ecce virgo in vtero habebit 100. 2. C
1 Cum esset despōsata mater Iesu Maria Ioseph, antequam cōuenirent inuēta est, in vtero habens de Spiritu sancto. 95. 1 C. 106. 1. A. 123 1. B.
1 Non cognoscebat eam, donec peperit filium suū 106. 1. A.
1 Ioseph autem vir eius. 123. 1. B.
1 Voluit occulte dimittere eam. ibid. & 126. 2. C.
1 Ioseph fili David, noli timere accipere Mariā coniugem. 123. 1. C. & 126. & 99. 2. A. & 127. 1. B. & 2. C.
2 Nollet eam traducere. 127. 1 B.
2 Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. 28 1. B.
2 Ecce Magi ab Oriente venerunt. 260. 1. C. et sequent.
2 Apertis thesauris suis 259. 2 C.
2 Qui cum recessissent, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, &c. 294. 1. B. & sequent.
2 A bimatu, & infra, secundum tempus, quod exquisierat a Magis, 266. 1. A.
3 Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam 277 2. B.
3 Esca autem eius erat locustæ, & mel syluestre. 380. 2 C.
3 Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? 386 1. B. & 2. B.
3 Ego quidem baptizo vos in aqua, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni. 406. 2 C.
3 Et ecce aperti sunt ei cœli. 440. 1. A. & sequēt.
3 Et vidit Spiritum descendentem, sicut columbā, & venientem super ipsum. 442. 1. A. & sequentibus.
3 Et ecce vox de cœlis dicens, Hic est filius meus dilectus, &c. 444. 1. C. & sequentibus.
3 Cuius nō sum dignus calceamenta portare. 466 1. B.
4 Appropinquauit enim regnum cęlorum. 757. 2. C.
4 Si filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant. 471. 1. B.
4 Tunc IESVS ductus est in desertum ab spiritu. 478. 1. A. Et sequentibus. Totum mysterium exponitur.

6 Scit Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis. 106. 1. B

8 Non inuenj tantam fidem in Israel. 324. 1. C,

10 Neque duas tunicas &c. 462. 1. C.

11 Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? 375. 1. A

11 Etiam dico vobis, plusquam prophetam, Ibid. et 309. 1. A

11 Internatos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Ibi B et 374. C. D

11 Omnes enim prophetæ, et lex vsq; ad Ioannem, 363. 2. A

11 Qui minor est in regno cœlorum, maior est illo 375. 2. B

11 Venit Ioannes neque manducans, neque bibens, &c. 308. 2. B. et 461. 2. C.

11 Tu es, qui venturus es, aliũ expectamus 386. 1 C. & 388. 1. C.

11 Beatus, qui nõ fuerit scãdalizat⁹ in me, 389. 1. C

12 Quæ est mater mea. 4. 2. B. & 8. 2 B.

12 Generatio prava, & adultera signum quærit, &c. 508. 2 C.

12 Amen dico vobis, quoniam omne verbũ otiosum quod loquuti fuerint homines &c. 1177. 1. B

12 Erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. 789. 1. B. & 803. 1. B. & 858. 1. B. & 2 A

13 Vigilate, quia nescitis, qua hora filius hominis venit. 1084. 2. A. 536. 1 B. & 542. 1. A

14 Vespere autem facto &. 710. 1. B. C

17 Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo. 554. 1 C.

17 Elias quidem venturus est, & restituet omnia. Dico autem vobis, quod Elias iã venit. 1129. 2. A

19 Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, &c. sedebitis & vos &c. 1166. 1. C. & sequentibus.

20 Calicem quidem meum bibetis, &c. 1133. 1. B. & 1135. 2. A

21 Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se, hic est hæres. &c. 536. 1. B. & 542. 1. A

21 Baptismus Ioannis vnde erat? & c. 410. 2. A.

22 Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, & Deus Iacob, non est Deus mortuorum, sed viuentium. 982. 2. A

23 Nolite vocare vobis Patrem super terrã. 4. 2. C

24 Cum videritis abominationem desolationis &c. 1118. 1. C

24 Prædicabitur hoc Euangelium in vniuerso orbe, & tunc erit consummatio. 1137. 1. A, & sequentibus.

24 Statim autem post tribulationem illorum dierũ, Sol obscurabitur &c 1147. 1. c. & sequentibus.

24 Sicut fulgur exijt ab Oriente &c. 1155. 2. B. & 1181 1. C. & 1186. 2. C,

24 Tunc parebit signum filij hominis in cœlo &c. 1162. 1. B. & sequentibus.

24 Videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli in virtute multa, &c. 1164. 2. B

25 Media autem nocte clamor factus est. 1022. 1. B & sequentibus

25 Tũc sedebit super sedẽ maiestatis suæ. 1165. 2. C.

25 Esurijt, & nõ dedisti mihi manducare. 1137. 1. C

25 Quando te vidimus esurientem &c. 1184. 2. A

26 Tristis est anima mea vsq; ad mortem. 582. 1. C & 687. 2. A

26 Converte gladium tuum in locum suum. 596. 1. C

26 Calicem quem dedit mihi Pater, non vis, vt bibã illum. 649. 1 C

26 Prima autem die Azymorum accesserunt discipuli &c. 707. 2. B & 714. 1 B

26 Erat autem Pascha, & Azyma post biduũ. 711 2. C

26 Scitis quia post biduum Pascha fiet. 718. 2. C

26 Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. 718. 1. C & 725. 1. C

26 Hic est sanguis noui testamenti. 641. 2. A

27 Nihil tibi & iusto illi. 68. 2. c.

27 Acceptam spongiam implcuit aceto, & imposuit arundini. 637. 2. A & 638. 1 A. & 2. A

27 Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. 636. 1 B

27 Emisit spiritum. 689. 1. A

27 Vt quid dereliquisti me. 690. 2. C. & 691. 1. A

27 Per diem autem solennem consueuerat Præses. 722. 1. A

27 Altera autem die, quæ est post Parasceuẽ. 724. 2. B

27 A sexta hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam. 729. 1. B. et 736. 1 A

27 Multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt &c. 867. 2. C.

28 Vespere autem sabbathi, quæ lucescit in prima sabbathi. 107. 2. B. & 846. 1. B. & 851. 1. A & 854. 1. A. & 951. 1 A

28 Respondens autem angelus dixit mulieribus, nolite timere. 952. 1. A. B

28 Angelus Domini descendit de cœlo, & accedẽs, reuoluit lapidem. 959. 1. C

28 Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra 178. 2. A.

28 Euntes docete omnes gentes 1139 1. B.

28 Et ecce Iesus ocurrit illis, dicens. auete, illæ autẽ accesserunt, et tenuerunt pedes eius. 953. 2. C

MARCVS.

1 Fuit in deserto Ioannes baptizans, et prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum 399. 2. A

1 Ego baptizaui vos aqua: ille vero baptizabit vos spiritu sancto. 406. 2. C.
1 Cuius non sum dignus procumbens solucre corrigiam calceamentorum eius. 466. 1. B
1 Expulit eum spiritus in desertum. 478. 1. A et sequentibus.
1 Et tentabatur a Satana, 484. 2. C
1 Quid nobis, & tibi IESV Nazarene? venisti ante tempus, perdere nos. 1180. 2. A.
3 Quæ est mater mea. 69. 2. C.
6 Sed calciatur sandalijs 466. 2. C.
8 Erant, qui manducauerant quasi quatuor millia. 429 2. B.
14 Tristis est anima mea vsq; ad mortem. 582. 1. C & 687. 2. A.
14 Hic est sanguis meus noui testamenti. 641. 1. C
14 Primo die Azymorum quando Pascha immolabant. 707. 2. C. & 712. 1. C. & 718. 2. B.
14 Vbi vis parem9 tibi comedere Pascha? 711. 2. B.
15 Per diem autem festum solebat dimittere eis vnũ ex vinctis. 722. 1. A.
15 Et implens spongiam aceto, circumponensque calamo. 637. 2. A.
15 Dabant ei bibere myrrhatum vinum, & non accepit. 635. 2. C. & 636. 1. C.
15 Erat autem hora tercia, & crucifixerunt eum. 729. 1. C. & 730. 2. C.
15 Facta hora sexta tenebræ factæ sunt. 736. 1. A.
15 Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me? 690. 2. C.
15 Emissa uoce magna expirauit. 689. 1. A.
16 Valde mane vna sabbathorum veniunt ad monumentum orto iam Sole. 856. 1 A.
16 Viderunt iuuenem, &c. qui dicit illis, nolite expauescere. 952. 1. B. & 958. 1. B. C.
16 Ite dicite discipulis eius, & Petro. 962. 1. A.
16 Surgens autẽ IESVS mane prima sabbathi, apparuit primo Mariæ Magdalenæ. 852. 2. B.
16 De qua septem dęmonia eiecerat. 946. 2. A.
16 Ostensus est illis in alia effigie. 872. 2. B.
16 Post hæc autem duobus ex his ambulantibus. 962. 2. A.
16 Euntes in mundum vniuersum prędicate Euangelium omni creaturę. 1139. 1. B.
16 Et sedet adextris Dei. 1049. 2. C.

LVCAS.

1 Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me. 4. 1. B. & 5. 2. A.
1 Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei. 5. 1. C. & 180. 2. A. & 197. 2. A. & 198 1. C.
Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. 13. 2. A. & 95. 1. C. & 146. 1. B. & 174. 2. A. & 198, 1. C. & 306. 1. A.
1 Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui. 11. 1. A.
1 Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. 29. 2. A.
1 Quomodo fiet istud. 63 2. A. Quoniam virũ nõ cognosco. 110. 2. B. Et. 146. 2. A.
1 Exultauit infans in gaudio in vtero meo. 75. 1. B
1 Missus est Gabriel angelus, &c. 123. 1. B
1 Dominus tecum. 145. 2. C.
1 Ecce concipies, & paries filium. 146. 1. A, & 2. B. & 197. 1. C.
1 Et ecce Elizabeth cognata tua. 146. 1. C.
1 Ecce ancilla Domini. 146. 2. C.
1 Ne timeas Maria. 151. 1. B.
1 Et timor irruit super eum. ibid. C.
1 Tu puer propheta altissimi vocaberis, vsque ad dandam scientiam salutis plebi eius. 369. 2. B & 370. 2. A.
1 Erit magnus coram Domino. 374. 2. B.
1 Ipse prędecedet ante ipsum in spiritu, & virtute Eliæ ibid.
1 Fuit Sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abiæ. 378. 2. C.
1 Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suę. 382 1. C. & 384. 1. C.
2 Simeon dixit ad Mariam matrem eius. 4. 1. B.
2 Et tuã ipsius animã pertransibit gladius. 64. 2. B. 1. C,
2 Et non cognouerunt parentes eius. 64. 1. B.
2 Fili quid feciisti nobis sic? ibid. C.
2 Quid est quod me quærebatis? ibid.
2 Ascendit Ioseph in Bethlehem, vt profiteretur, &c. 123. 1. B. & 181. 2. C.
2 Peperit filiũ suum primogenitum, &c. 234. 1. C
2 Hæc descriptio prima facta est a Præside Syriæ Cyrino. 240. 1. A.
2 Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum est nomẽ eius Iesus. 276. 1. A. & 847. 2. C.
2 Postquã impleti sunt dies purgationis eius, &c. 286. 2. B. & 287. 2. B. & sequentibus explicatur totum mysterium.
2 Et ibant parentes eius per singulos annos in Ierusalem in die solenni Paschæ. 303. 1. B.
2 Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. 303 2. A.
2 Iesus proficiebat sapientia, & ętate, & gratia, apud deum, & homines. ibid. C. Existimantes illum esse in comitatu. 336. 1. A.
2 Maria autem conseruabat omnia verba hæc, cõferens in corde suo 326. 2. A.
2 Et ipsi non intellexerunt. 336 2. B.
2 Nesciebatis, quia in his, quę Patris mei sunt oportet me esse? ibid. C.
2 Vt putabatur filius Ioseph. 4. 1. B.

3 Et ipse IESVS erat incipiens quasi annorum triginta, &c. 19.1.A. & 428.1.A. & 2.A. & 431.2.B,

3 Ego quidem aqua baptizo vos, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto 406,2.C.

3 Anno quinto decimo imperij Tiberij Cæsaris. 427.1.A.

3 IESV baptizato, & orante apertum est cœlum 440.1.B. & sequentibus,

3 Et descendit spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum. 442.1.A. & sequẽtibus.

3 Et vox de cœlo facta est. Tu es filius meus dilectus &c. 444.1.C. & sequentibus.

3 Qui habet duas tunicas det non habẽti. 462.2.A

3 Cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius. 466.1.B.

3 Sub principibus sacerdotum Anno, & Caipha, 506.1.C. & sequentibus.

4 Agebatur in spiritu in desertũ. 478.1.B. & 479.1.C.

4 Et tentabatur a diabolo. 484.2.C.

4 IESVS transiens per medium illorum ibat. 522.1.A.

4 Non sinebat ea loqui, quia sciebant, ipsum esse Christum. 533.1.C.

7 Tu es, qui venturus es, an alium expectamus. 386.1.C.

7 Beatus qui nõ fuerit scãdalizatus in me. 389.1.C.

8 Quid mihi, & tibi IESV fili Dauid? 68.2.C.

9 Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta. 465.2.C. & 466.2.B. neminem salutaueritis in via. Ibid.

10 Beatus venter qui te portauit. 8.2.A. Quin imo beati, qui audiunt verbum Dei. Ibid.

13 Non capit prophetam perire extra Ierusalem. 623.1.B.

16 Lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem. 370.1.B. & 373.1.B.

16 Nunc vero consolatur, tu vero cruciaris. 760.2.B.

16 Factum est, vt morerctur mendicus, & portaretur ab angelis in Sinum Abrahę, mortuus autẽ est & dives, & sepultus est in inferno. 762.1.B. & 765.2.A.

17 Media autem nocte clamor factus est. 1022.1.B & sequentibus.

17 In illa die erunt duo in lecto vno, ibidem. C.

18 Nemo bonus, nisi solus Deus. 441.B.

21 Nam virtutes cœlorum mouebuntur. 1152.1.B.

22 Exierunt obuiam sponso, & sponsę. 347.1.B.

22 Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calcea mentis, nunquid aliquid defuit vobis? sed nũc qui habet sacculum, tollat similiter & peram. 466.1.A. & 2.C.

22 Qui habet tunicam, vendat, & emat gladium. 596.1.C.

22 Et conuersus Dominus respexit Petrũ. 603.2.B

22 Hic calix nouum testamentum in meo sanguine. 641.1.C.

22 Appropinquabat autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha. 707.2.C. & 711.2.B.

22 Venit dies azymorum, in quo necesse erat, occidi Pascha. 711.2.B. & 718.2.B.

22 Et sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel. 1166.2.A.

23 Necesse autẽ habebat dimittere eis per diem festum vnum 722.1.A.

23 Hodie mecũ eris in paradiso. 629.1.B. 803.2.B

23 Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt. 642.2.B.

23 Pater in manus tuas cõmẽdo spiritum meũ, 644.2.A. & 657.1.B.

23 Et hęc dicens, expirauit. 689.1.A.

23 Et reuertentes parauerunt aromata, & vnguenta. 726.2.A.

23 Et dies erat Parasceues, & Sabbathum illucescebat. 726.2.C.

23 Erat autem hora fere sexta, & tenebræ factę sunt super vniuersam terram. 735.2.C.

24 Vna autem Sabbathi valde diluculo. 847.1.B.

24 Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent. 873.1.C.

24 Et cum manducaßet coram eis. 894.2.B.

24 Ecce duo viri steterunt secus illas &c. dixerunt ad illas, &c. 942.1.A. & seqũ. & 958.1.A

24 Et inuenerunt congregatos vndecim. 964.2.C

24 Eduxit autem eos foras in Bethaniam, &c. & recessit ab eis, & ferebatur in cœlum. 1046.1.A.

IOANNES.

1 Qui post me venit, ante me factus est 752.B.

1 Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes &c. 370.2.A.

1 Propheta es tu? & respondit non. 372.1.C. & 390.2.C.

1 Cuius ego non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti. 466.1.B.

1 Et ego nescebam eum 386.1.B. & 387.1.C.

1 Sed qui misit me baptizare, ille mihi dixit, super quem videris spiritum descendentem, & manẽtem, ille est, qui baptizat in Spiritu sancto. 387.1.C.

2 Ego baptizo in aqua. 408.1.B.

2 Et erat mater IESV ibi. 4.1.B.

2 Quid mihi, & tibi est mulier? 68.1.C.

2 Hoc fecit initium signorum IESVS in Cana Galileæ, & manifestauit gloriam suam. 304.2.C.

3 Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descẽdit de cœlo &c. 1026.1.B.

3 Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto 371.2.A.
3 Nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem. 412.1.C.
3 Qui non credit, iam iudicatus est. 1171.1.B. & 2.A
3 Qui credit in eum non iudicatur. 1172.2.B. & 1175.2.A. & 1178.2.B.
5 Post hæc, erat dies festus Iudæorum, & ascendit IESVS Ieroſolymam. 503.1.C
5 Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, &c. 993.2.C. & 996.1.B.
5 Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat, sic et filius, quos vult, viuificat. 1001.1.B.
5 Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent. 1017.2.A.
5 Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, &c. 1019.2.C.
5 Pater non iudicat quenquam; sed omne iudicium dedit Filio. 1062.1.B. & 1080.2.A.
5 Amen dico vobis, non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientē &c. 1062.2.B. & 1063.2.C.
5 Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. ibidem. 2.B.
5 Pater enim diligit Filium, & omnia demōstrat ei, quę ipse facit. 1064.1 A.
5 Et maiora his demostrabit ei opera. ibidem. B.
5 Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. 1066.1.B.
5 Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio, habere vitam in semetipso. 1067.2.A.
5 Sicut audio, iudico, & iudicium meum iustum est, quia non quæro voluntatē meā &c. ibid. C.
5 Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me, si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. 1103.2.B. & 1113.1.B.
5 Qui credit in eum, qui misit me, &c. in iudiciū non venit. 1178.2.B.
7 Doctrina mea non est mea, sed eius, qui misit me 499.2.B.
7 Nondum erat Spiritus datus, quia IESVS nōdum erat glorificatus. 1027.1.A.
8 IESVS abscōdit se, & exiuit de tēplo. 522.1.A
10 Quia oānes quidē signum fecit nullum. 392.1.C
10 Ego pono animam meam, vt iterum sumam cā, nam potestatem habeo ponendi animam meam & iterum sumendi eam. 680.2.C.
10 Erit vnum ouile, & vnus pastor. 1142.1.A.
10 Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. 527.2.B.
11 Maria autē erat, quæ vnxit pedes Domni, &c. 947.2.A.
12 Non veni, vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum. 1085.1.C.
12 Si quis audierit verba mea, & non custodierit, ego non iudico eum. ibid. 2. A.
12 Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras. 1086.1.C.
13 Ante diem festum paschæ. 711.2.B. 711.2.A.
13 Et cœna facta. 712.2. A.
14 Vado parare vobis locum, & si abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniā, & accipiam vos ad me ipsum. 1025.2.C.
15 Si non venissem, & loquutus eis non fuissem, peccatum non non haberent, &c. 526.1.B.
15 Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. 527.1.C.
16 Cum venerit Paraclitus, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio, &c. 1025.2.A
16 Expedit vobis, vt ego vadam, si enim non abiero Paraclitus non veniet ad vos. 1026.2.B.
18 Ego palā loquutus sum mūdo, & in occulto loquutus sum nihil. 494.1.A.
18 Ego sum. 565.2.A.
18 Nobis non licet interficere quēquā 651.2.A.C
18 Et ipsi non introierunt prætorium, vt non contaminarentur, sed manducarent Pascha. 713.2.A. & 712.2.A.
19 Ecce filius tuus. 4.1.C. & 105.1.A. &. 643.2.A.
19 Ecce mater tua. ibid. & 643.2.A.
19 Si male loquutus sum, testimoniū perhibe de malo: si autem bene, cur me cædis? 598.1.C.
19 Propterea, qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. 610.1.A.
19 Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi data esset desuper. 610.1.A. & C.
19 Illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes obtulerunt ori eius. 637.2.A.
19 Consummatum est. 644.1.C.
19 Et inclinato capite tradidit spiritum. 689.1.A
19 Erat autem Parasceue paschę. 724.1.B. & 730.2.C.
19 Erat enim magnus dies ille Sabbathi. 725.2.A.
19 Hora quasi sexta. 729.1.B. & 730.2.C.
19 Venit autē Nicodemus ferens mistura Myrrhæ, & Aloes quasi libras centum. 740.2.B.
19 Sed vnus militum lancea latus eius aperuit. 744.1.B.
20 Vna autem Sabbathorum Maria Magdalenę venit mane, cum adhuc tenebrę essent, ad monumentum. 855.2.B. (965.2B.)
20 Currit ergo, & venit ad Simonē Pet. 951.2.C.
20 Maria autem stabat foris, ad monumentum plorans. 951.2.B. & 953.1.A.
20 Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. 954.1.C.

Thomas

20 Thomas autem &c. non erat cum eis, 964.2.C.
21 Cum ergo prandißent, dicit Simoni Petro IESVS 894.2.B.
21 Hoc iã tertio manifeſtatus eſt IESVS. 967.2.A.
21 Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te? 1133.1.A. & .1134.2.A.

ACTA APOSTOLORVM.

1 Quibus prębuit ſe ipſum viuum in multis argumentis. 838.1.B.
1 Et conuieſcẽs prącepit eis, ab Ieroſolymis ne diſcederent. 894.2.B. & .1047.1.A.
1 Sabbathi habens iter. 591.1.B.
1 Et nubes ſuſcepit eũ ab oculis eorum. 1048.1.B.
1 Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, Ecce duo viri, &c. vſque ad illud, ſic veniet. &c. 1048.2.C. & .1094.2.A.
1 Reuerſi ſunt Ieroſolymam a monte, qui vocatur Oliueti, qui ẽſt iuxta Ieruſalem, Sabbathi habens iter. 1046.1.B.
2 Cum ſit hora diei tertia. 735.2.B.
2 Quem Deus ſuſcitauit a mortuis, ſolutis doloribus inferni 773.1.A. & .2.B. & .787.2.A.
2 Cum complerentur dies Pentecoſtes. 848.2.A.
3 Scio, quod per ignorantiam feciſtis, ſicut & Principes veſtri. 541.2.B. & .657.1.C.
7 Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtãtem adextris Dei. 440.2.A. & .1051.1.C.
10 Ipſe eſt, qui conſtitutus eſt a Deo iudex viuorum, & mortuorum. 889.2.C. & .992.1.B. & .1074.1.C.
12 Volens poſt paſcha producere eum populo 711.2.B.
16 Non permiſit eos ſpiritus IESV .1030.2.B.
19 Sed nec ſi ſit Spiritus ſanctus nouimus. 406.1.B. & .2.A.
19 Dicens, vt crederent in eum, qui venturus eſſet poſt ipſum. 407.1.A.

AD ROMANOS.

1 Factus ex ſemine Dauid ſecundum carnem. 51.C & .16.2.C. & .180.2.A.
1 Qui prędeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis. 174.1.C. ex reſurrectione mortuorum. 832.2.A.
2 Qui ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt. 1171.1.C.
4 Mortuus eſt propter delicta noſtra, reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. 832.1.B.
5 Si vnius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donũ, in gratia vnius hominis IESV Chriſti, in plures abundabit. 779.2.B.
5 Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, &c. 984.2.C.
5 Sicut per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors. 990.1.B.
8 Nos autem primitias ſpiritus habentes. 133.2.A & .136.1.B. & .863.2.A.
8 Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. &c. 174.1.B.
8 Qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. 478.2.A.
8 Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. 646.2.B.
8 Si Spiritus eius, qui ſuſcitauit Chriſtum a mortuis, habitat in vobis &c. 984.2.C.
8 Scimus, quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc. 1192.2.B.
8 Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. 1187.2.C.
8 Vanitati enim ſubiecta eſt &c. 1201.1.C.
9 Verbum abbreuiatum fecit Dominus ſuper terram. 2.2.B.
10 Quis aſcendet in cęlum: id eſt Chriſtum deducere, aut quis deſcendẽt in abyſſum? hoc eſt, Chriſtũ a mortuis reuocare. 789.2.B. & .803.2.A.
10 In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. 1136.2.C. & .1138.2.B.
14 Chriſtus in hoc mortuus eſt, ac reſurrexit, vt viuorum, & mortuorum dominetur. 987.2.C. & .992.1.B.

PRIMA AD CORINTHIOS

1 Quod in firmum eſt Dei, fortius eſt hominibus 614.2.A.
2 Si cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. 536.1.A.
3 Vniuscuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. 1156.1.A.
5 Paſcha noſtrũ immolatus eſt Chriſtus. 711.2.B
5 Eos qui foris ſunt Deus iudicabit. 1171.2.A.
6 Neſcitis, quoniam Angelos iudicabimus, quanto magis ſæcularia? 1166.2.A. & .1180.2.A.
7 Prąterit figura huius mundi. 1190.1.C.
11 Similiter & calicem poſtquam cœnauit. &c, 712.2.A.
12 Poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos. 133.2.B.
14 Mulieres in Eccleſia taceant, 142.2.B.
15 Prius quod animale, deinde quod ſpirituale. 25.1.C.
15 Viſus eſt Cæphæ, & poſt hæc vndecim, & quæ ſequuntur. 102.2.B. & .970.2.A. & ſequentibus late. & .1057.2.B.
15 In momento, in ictu oculi. 816.1.C.
15 Si Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides noſtra 831.2.A.
15 Abſorpta eſt mors in victoria. 831.1.A.
15 Surrexit tertia die ſecundũ ſcripturas. 848.1.C
15 Chriſtus reſurrexit a mortuis primitiæ dormientium. 863.1.C. & .2.C. & .984.2.B.

15 Vnusquisq; autem in suo ordine, primitiæ Christus. 864. 1. B.
15 Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. 903 2. B. 904. 2. A. 905. 1. A.
15 Caro, & sanguis regnum Dei possidere non possunt. 904 1 B.
15 Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. 915. 2. B.
15 Si Christus prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt, quoniam resurrectio mortuorum non est? 984. 1. C.
15 Alioquin quid facient, qui baptizãtur pro mortuis, si mortui non resurgunt? 985. 1. A. late.
15 Ecce mysterium vobis dico, non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur. 990 2. B. & 1003 2. B late.
15 Mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. 989. 1. B.
15 Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur, &c. 1003. 1. A.
15 Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis. ibid.
15 In Christo omnes viuificabuntur, primitæ Christ⁹, deinde hi qui sũt Christi deinde finis. 101. 1 C
15 Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. 1053 2. B. & 1203. 2. A.
15 Cum autem illi subiecta fuerint omnia, tunc & ipse filius subiectus erit. &c. ibid.
15 Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo, & Patri. 1188. 1. A.

SECVNDA AD CORINTHIOS.

4 Scientes, quoniam qui suscitauit IESVM, & nos cum IESV suscitabit. &c. 984. 2. A.
5 Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. 31. 2. A.
5 Et si cognouimus Christum secundum carnem, sed iam non nouimus. 834. 1 C. & 839. 1. B.
5 Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; prout gessit. &c. 1174. 1. A.

AD GALATAS.

1 Qui me segregauit ex vtero matris. 29. 1. C.
1 Alium autem apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini. 102. 2. C.
3 Prius quam veniret fides, sub lege custodiebamur. 371. 2. C.
4 Misit Deus filium suum factum ex muliere. 5. 1. C. 98. 2. C. & 180 2. A.
4 Quoniam estis filij Dei, misit Deus spiritũ filij sui in corda vestra, clamantem, Abba Pater. 147 1. A.

AD EPHESIOS.

1 Secundum diuitias gratiæ eius, quę superabundauit in nobis &c. 133. 2. A. & 135. 2. B. & 136. 1 A.
2 Et consedere fecit in cœlestibus. 1051. 2. C.
4 Quod autem ascendit quid est, nisi quia descendit prius in inferiores partes terræ. 789. 2 A, & 794. 2. A.
4 Donec occurramus omnes in virum perfectum. &c. 814 2. B. & 891 2 C.

AD PHILIPPENSES.

2 Factus obediens &c. Propter quod & Deus exaltauit illum. 881 2. B. & 840. 1. A.
3 Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ 903. 2. B.

AD COLOSSENSES.

1 Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia 715. 2. C.
1 Primogenitus omnis creaturæ. 863. 2. B.
1 Qui est principium primogenitus ex mortuis. 864. 1. C.
1 Quod peruenit ad vos, sicut in vniuerso mundo est. 1136. 2. C & 1138. 2. B.

PRIMA AD THESSALONICENSES

4 Nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentu Domini &c. 989. 1. C. & 991. 2. B.
4 Ipse Dominus in iussu & in voce Archãgeli, & in tuba Dei &c. 989. 1. C, 991. 2. B. & 996. 1. B. 998. 2. B.
4 Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. 1020. 2. A.
5 Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet, cum dixerint pax, & securitas &c 1148. 1. B.

SECVNDA AD THESALONICENSES

1 In reuelatione Domini IESV cum Angelis virtutis eius, inflamma ignis dantis vindictã 1160. 2. C.
2 Nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati. 1103. 2, A. & 1113. 1. A & 1121. 1. B 1142 1. C. & 1143 1 B.
2 Non retinetis, quod cum adhuc essem apud vos hęc dicebã vobis? & nunc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tempore, nam mysterium iam operatur iniquitatis &c. 1106. 1. B. & 1109. 2. C. & 1144. 2. A.
2 Mittet illis Deus operationem erroris. 1109. 2. A. & 1111. 2 C.
2 Extolletur supra omne, quod dicitur Deus. 1113 1. C.
2 Ita vt in templo Dei sedeat, tanquam sit Deus. 1117. 2 A.
2 Quem Dominus IESVS interficiet spiritu oris sui. 1121. 2. B.

PRIMA AD TIMOTHEVM.

4 Exercitatio corporalis admodicum vtilis est, pietas autem ad omnia. 464. 1. B.

SECVNDA AD TIMOTHEVM.

Si

2 Si ſubſtinebimus & conregnabimus.1053.1.C.

AD HEBRÆOS.

1 Et cum iterum introducit primo genitum in orbem terr arum.212.1.C.353.2.C.1090.2.C.

1 Sedet ad dexteram mateſtatis in excelſis 1049.2.C.& ſequet.late. [181.1.A.

2 Qui ſanctificãt,& ſanctificatur,ex vno omnes.

2 Quia pueri cõmunicauerunt carni,& ſanguini, & filius Dei participauit eiſdem ibid.

4 Habentes Pontificẽ,qui penetrauit cęlos.1044 1.B. (præſto fuit.23.1.B.

7 Ex Iuda ortus eſt Dominus,ex qua nullus altario

7 Melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Ieſus. 640.1.C.

7 Excelſior cœlis factus.144.1.B.

8 Talem habemus Pontificem,qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in excelſis.1049.2.C

9 Hoc ſignificante Spiritu ſancto nondum propalatam eſſe Sanctorum viam.757.1.B.

9 Vt appareat nũc vultui Dei pro nobis.886.1.B

9 Statutum eſt, hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium.1081.1.C.

10 Habentes itaque fratres fiduciã in introitu ſanctorum in ſanguine Chriſti.& c. 757.1.B.

11 In ſempiternũ ſedet in dextera Dei 1049.2.C.

11 Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti,non acceptis repromiſſionibus,& c.757.1.C.

11 Adepti ſunt repromiſsiones,& c.771.2.B.

11 Et hi omnes teſtimonio fidei probati non accepe runt repromiſsiones,Deo pro nobis, melius aliquid prouidente,vt non ſine nobis conſummarentur.866.1.A.

12 Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem,& c.atque in dextera Dei ſedens,& c.1049.2.C.

PRIMA PETRI.

3 In quo veniẽs prędicauit his,qui in carcere erãt ſpiritibus.757.2.A.795.2.A.& 796.2.A.late

3 Increduli fuerãt aliquãdo indieb9 Noe.797.1.B

3 Chriſtus ſemel pro peccatis mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis, vt nos offerret Deo mortificatos quidẽ carne,viuificatos autẽ ſpiritu, ibid.A.

3 De reſurrectione Ieſu Chriſti,qui eſt in dextera Dei.1049.2.C.& ſequent.

4 propter hoc.n.& mortuis Euangelizatũ eſt, vt iudicẽtur quidẽ ſecundũ hominẽ in carne ibid. C.& 798.1.A. (2 C.& 1177.2.B.

4 Charitas operit multitudinem peccatorũ.1176

SECVNDA PETRI.

1 Dabo autẽ operã,frequẽter habere vos poſt obitũ meũ,vt horũ memoriam faciatis.362.2.B.

2 Si Deus Angelis peccãtibus,nõ pepercit,& c.tradidit cruciados in iudicium reſeruari, & c. 1180.1.A. (& 1193.2.A.

3 In quo cœli magno impetu tranſient.1152.1.C.

3 Cęli autem,qui nunc ſunt,& terra eodem verbo repoſiti ſunt igni,& c.1156.2.A.& 1193.1.B

3 Elementa calore ſoluẽtur, & c. Terra autẽ, & quæ in ea ſunt,opera exurẽtur,& c.elemẽta ignis ardore tabeſcent.1156.2.A.& 1193.2.B.

3 Latet enim eos hoc volentes, quod cæli erunt prius,& c.1192.2.C.

PRIMA IOANNIS.

4 Omnis ſpiritus,qui ſoluit Ieſum,ex Deo nõ eſt, & hic eſt Antichriſtus.1105.2.C.

5 Tres ſunt,qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus,aqua,& ſanguis.745.2.C.

5 Hic eſt,qui venit per aquam,& ſanguinem Ieſus Chriſtus,non in aqua ſolum, ſed in aqua &, ſanguine.746.1.A.

APOCALYPSIS.

1 Ecce venit cum nubibus,& videbit eum omnis oculus.1182.1.A.

5 Leo de tribu Iudaradix Dauid.16.2.C.

6 Sol factus eſt niger & c.1150.2.C.

6 Et cęlum receſsit,ſicut liber inuolut9.1152.2.C

6 Luna facta eſt ſicut ſanguis.1151.1.A.

10 Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis,& c.1131.1.C.& 1135.1.C.

10 Quia tempus non erit amplius.1195.2.A.

11 Apertũ eſt templũ Dei in cęlo, & viſa eſt arca teſtamenti eius in templo eius.346.2.B.

11 Et dabo duobus teſtibus in eis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis. 1128.2.B.& 1130.2.C.

13 Et vidi vnum de capitibus ſuis, quaſi occiſum in morte 1115.1.B. (lum.1117.1.A

13 Data eſt illi poteſtas in omnem tribum & popu-

13 Dicet habitantibus in terra,vt faciant imaginem beſtiæ,quæ habet plagã grãdinis.& c 1120.1.C.

13 Et faciet omnes puſillos,& c. habere characterem.& c.1120.2.A.

16 Et ſeptimus Angelus effudit phialã ſuã 1153.2.A

16 Et quartus Angelus effudit phialam ſuam in Solem, & datum eſt illi æſtu affligere homines, & igni.ibidem.

16 Et terræ motus factus eſt magnus, qualis nunquã fuit,& c.& facta eſt ciuitas magna in tres partes,& c.& Babylon magna, & c.1154.1.A.

17 Decem cornua,quæ vidiſti.& c.1117.1.A.

17 Et vidi mulierem ſedentem ſuper veſtem coccineam.1146.1.B.

17 Et vidi Angelum deſcendentem de cęlo,& c.& apprehendit draconem,& c.& ligauit eum per annos mille,& c. vſque ad donec conſummentur mille anni.1014.2.C.& 1016.2.C.

20 Gog & Magog.1119.1.C. (A.& 1182.1.B

20 Vidi mortuos magnos,& puſillos,& c. 1171.1.

20 Et libri aperti ſunt, & alius liber qui eſt vitæ. 1182.1.B.& 1179.1.A.

21 Ciuitas illa non eget Sole,neque Luna,vt luceãt in ea,nã claritas Dei illuminabit illam, & lucerna eius eſt Agnus 554.2.C.& 913.2.A.

21 Vidi cęlum nouum, & terram nouam.1187.1.A.& 1189.2.A.& 1198.2.A.

21 Et mare iam non eſt.1190.2.C.

22 Ecce tabernaculũ Dei cum hominibus.1203.1.B.

FINIS.

INDEX RERVM
quæ hoc secundo volumine continentur.

Prior numerus paginam indicat: Posterior columnam: literæ vero sub eis res indicatas contineri.

A.

ABRAHAM.

ABraham cur serui manum poni iussit sub fęmore. pagin. 18. colum. 2. liter. C.

In lumbis Abrahæ contentus Christus, non seminali ratione; sed corpulenta substantia. 171. 2. C.

In lumbis Abrahæ Christus non decimatus. 171. 2. A.

In lumbis Abrahæ qui decimati. 171. 2. A, & B.

De Abrahæ Sinu vide, Sinus Abrahæ.

ABSTINENTIA.

Quid sit, & quotuplex. 463. 1. B. C.

Quomodo pertineat ad rationem, vel perfectionē virtutis, ibi.

ACETVM.

Dabatur damnatis, apud Iudæos, in supplicio, 638. 2. A. B.

De aceto Christo ad bibendum in passione exhibito, vide, Christi passio.

ACTIO.

Actio agentis num variari possit, non variata passione patientis. 818. 1. C. & seq.

Actio, quæ desiit, reddere potest Diuina virtute, 824. 1. C.

ACTVS.

Omnis actus charitatis meritorius augmēti eiusdem charitatis, 317. 1. B. C. ex quo ibi colligitur pulcra ponderatio meritorum B. Virginis.

Augmentum gratiæ, quod per actus aliquis meretur, statim conferri. 317. 2. C.

Actus ex voto perfectior quam sine illo. 455. 1. A.

Actus Christi, vide Christi actus.

ADAM.

Quid requiritur, vt quis in Adam peccasse dicatur 30. 2. B. C.

Adamo non peccante, posteri in peccato concipi non possent 35. 1. B. C.

Fictitium particulam carnis a peccato immunem in Adamo fuisse. 166. 2. A.

Quomodo intelligenda lex, quod Adamo peccāte posteri essent originale contracturi. 34. 2. B.

Homo prius intelligitur filius Adæ, quam filius gratiæ. 35. 2. C.

Qui peccauerint in Adamo. 171. 2. A.

Adamus quo die creatus. 141. 1. C.

Armacanus omnem rerum proprietatem Adamo abstulit. 459. 1. B.

Adamus tentari non potuit, nisi per externū sermonem. 489. 1. B.

Adamus sepultus in monte, in quo Christus crucifixus. 623. 2. B. Et mons ille cur dictus Caluarię ibi. & 624. 2. C.

Collatio peccati Adæ cum peccato crucifigentiū Christum. 657. 1. A.

ADORATIO.

Alia extrinseca, alia intrinseca. 355. 1. C. & 1. A. B. C

De adoratione B. Virginis, vide Mariæ adoratio.

Adoratio hyperduliæ quid, & quotuplex. 358. 1. A

AER.

Qua ratione purgandus, & innouandus postdiem Iudicij, 1196. 2. A. & 197. 2. B.

AETAS.

De ætate Christi, vide Christi ætas.

AFFINITAS.

Quibus modis contracta inter homines & Deum, per mysterium Incarnationis. 5. 2. C.

AFFLICTIO CORPORIS.

De afflictionibus corporis, quibus Christus vsus, vide Christi viuendi ratio.

Qua ratione pertineat ad perfectionem virtutis. 463. 1. B.

Afflictionibus corporis, pietas præferenda. 464. 1. B. C.

ABAGARVS.

Epistola Christi ad Abagarum incerta. 497. 2. C.

AGILITAS.

De dote agilitatis vide Verb. Dotes.

AGNVS PASCHALIS.

Assabatur in figuram crucis, affixus duobus lignis, recto, & transuerso. 570. 1. B.

A quibus nam offerri consueuit, 740. 2. C.

Quo tempore immolabatur, ac edebatur, 708. 1. A. & 2. A.

Immolatus a Christo ante passionem ritu Iudaico. 712. 1. B. C.

Quid significatum illa cęremonia, vt agnus Paschalis adduceretur in domos die decima, & seruaretur ad decimam quartam. 712. 2. C.

Christus Dominus agnum cœnauit decima quarta luna ad vesperam, 714. 1. B.

Sacrificium agni sacrificij Christi cruenti, & incruenti figura. 716. 2. A.

Agnum Paschalem Iudæi eadem nocte, qua Christus, cœnarunt. 718. 2. A.

ANGELVS.

Cur B. Virgini mysterium Incarnationis ab Angelo nuntiatum, 142. 1. B.

Angelorum ordines officiis distingui. 147. 2. B.

Visio Angeli secundum substantiam, viatori communicari potest. 149. 1. C.

Angeli supremi perfectior gratia quā vllius creaturæ. Christo, ac Virgine exceptis. 316. 2. C. Vbi pulcra collatio inter gratiam supremi Angeli, & gratiam B. Virginis.

Angeli ab initio Christum, & eius matrem cognouerunt, & quo modo. 358. 1. C.

Cognoscere possunt virtute sua alicuius miraculi veritatem, 531. 2. B.

Cognouerunt a principio incarnationis mysteriū. 535. 2. A. Eisq; statim ac creati sūt propositus Christus tanquam Princeps, ac caput. ibidem. C.

Angeli sancti habent gloriā per Christū. 550. 2. B.

Angeli vero mali lapsi sunt, quia se Christo noluerunt subiicere. 536. 1. A.

INDEX. RERVM.

Angelus Christo oranti in horto apparet. 593. 2. A
Circa Angelos sanctos quid operata Christi anima. 753. 2. C.
Angeli quid operati circa Christi resurrectionē 842. 1. B.
Angelorum apparitiones iuxta sepulcrum. 958. 1. C. Vbi concilientur Euangelistæ.
Angeli quem locum teneant in cœlo. 1032. 2. B. & sequentibus.
Omnes Angeli Christum iudicem comitaturi. 1165. 1. C. & in assumptis corporibus lucidissimis, ibi.
Angeli num futuri iudices cum Christo. 1169. 2. C
In iudicio cōparebunt. 1179. 2. B.
Iudicandi sunt. 1180. 1. A.

ANGELVS GABRIEL.

Ex infima hierarchia caput secundi ordinis Archangelorum. 147. 2. B.
Inferior Michaele, ibidem. C.
Supremus vero inter nuntios. 148. 1. A.
Gabrielis nomen quid significet. 148. 1. C.
Idem Gabriel & Virgini apparuit, & Danieli, & Zachariæ 148. 1. A.
In specie humana apparuit B. Virgini. 149. 1. A.
In sua substantia visus est ab eadē Virgine ibi. C.

ANIMA.

De anima Christi, vide Christi anima.
Anima separata propria virtute potest sursum ascendere. 348. 1. C.
Animæ attentio, quantunuis intensa, non potest impedire omnino actiones vegetatiuæ partis. 482. A.
Anima, & spiritus num differant. 689. 1. A.
Nulla anima beatitudinem cōsequuta ante Christi mortem. 757. 1. A.
De iis, quæ pertinent ad animas sanctorum Patrum ante Christi aduentū, vide, Sinus Abrahæ.
Animarum separatarū, status quadruplex, & quadruplex locus illis deputatus. 764. 1. A.
Anima separata necessario alicubi præsens. 763. 2. C Etiam cum non operatur. 792. 2. A. B.
Anima discedens cum originali, & veniali quo in loco sit. 764. 2. A.
Anima separata quibus modis pati possit. 785. 2. C
Anima beata perfectum dominium habet suorum actuum, etiam eorum, quos corpore exercet. 908. 1. B. C.
Actiones animæ vegetantis quomodo impediantur superioris partis attentione. 481. 2. B. C.
Nunquam illas omnino impedit. 482. 1. A.
Si vero nimia sit fames sentire non sinit. 483. C.

ANNA.

Mater B. Virginis sterilis vsq; ad senectutē. 14. 1. A
Non habuit aliam filiam præter Virginem, semelque tantum nupsit. 100. 2. B.

ANNAS ET CAIPHAS.

De illorum Pontificatu. 506. 1. C.

ANTICHRISTVS.

Quid significetur hoc nomine. 2. 1032. C. & 1105. 2. B. C. Ver⁹ pur⁹ homo futur⁹ 1104. B Insignis Christi hostis. 1104. 2. C. Non venisse. 1106. 2. C. Quādiu regnaturus. 1107. 1. C. Vbi, & ex quibus partibus nascetur. 1109. 1. B. De eius moribus. 1110. 1. B. & sequ. Qua ratione possidendus a Dæmone. ibidem. Maleficis artibus vtetur. ibi. 2. C. Nū deserendus a custode Angelo. 1111. 1. C. Simulare incipiet, dum Iudæis suadet Messiam se esse. ibi. 2. B. Cur Deus permittet, huiusmodi hominem a Dæmone agi. 1112. 1. B. De eius doctrina, ibidem C. & seq. Suadebit, Christum dominum non esse verum Messiam. ibi. 2. A. Legem Mosaycam restituet, cum circuncisione. ibi. Cō finget se Messiam esse. 1113. 1. A. Deum se faciet, & alium Deū nō esse suadebit. ibidem. C. Quid de idolis sentiet. ibi. 2. B. & seq. Cuius religionis sectator. 1114. 1. B. Atheos tandem futurus. ibi. C. Quid docebit circa moralia. ibi. 2. A. Quibus artibus suasurus. ibidem. Insignis Monarcha. 1115. 2. C. Ad regnum fraudulenter ascendet 1116. 1. A. A Babylone regnare incipiet. ibi. C. Præcipuam sedem Ierosolymis collocabit, 1117. 2. A. Acerbius persequetur Ecclesiam, quā alius vnquam, temporali, & spirituali persecutione. 1119. 1. B. & seq. Multos coget á Christo recedere. 1121. 1. A. Ecclesiam non extinguet. ibi C. Ipse cū ministris extinguetur virtute Christi. 1121. 2. A.

APOSTOLVS SEV COLLEGIVM Apostolicum.

Apostoli munus supremum in Ecclesia in ordine gratiæ. 133. 2. C.
Apostoli non receperunt sacramentum confirmationis, quo ad signum visibile, sed tantum quo ad effectum in die Pentecostes. 314. 1. C.
Officio, & munere Ioanne superiores, licet forte non sanctitate. 376. 2. B.
Ab Apostolis fomes peccati ablatus non est. 382. 2. C. & 383. 1. A.
Post acceptum Spiritum sanctum, non nunquam venialiter peccasse 383. 2. B.
Baptizati baptismo Ioannis. 414. 1. A.
Collegium apostolicum, cui Christus præfuit, aliquarum rerum dominium habuit. 456. 2. B.
Quale fuit hoc dominium. ibi. & 458. 1. B. C.
Apostoli paupertatis votum emiserunt. 459. 1. A.
Non nunquam mendicato vixere. 460. 1. B.
Calceis vsi; vel sandaliis. 466. 2. B. C. & cur ita. 467. 1. A.
Euidenter cognouerunt Christum Messiam esse, euidentia fidem non excludente. 539. 2. B. C. & 540. 1. A. B.
Nū peccauerint deserētes Christū in horto. 595. 1. A

APPARITIO.

De apparitionibus Christi post resurrectionem, vide Christi apparitiones. Apparitiones Angelorum iuxta sepulcrum Christi. 958. 1. B. & conciliantur Euangelistæ ibidem.

AQVA.

Christus cū baptizatus fuit, quid aquis contulerit. 418. 1. B.
Aqua, & sanguis ex latere Christi. 745. 2. A. & quid significarunt, ibi. C. Num permixta fluxerint. 746. 2. C.
Qua ratione purganda aqua, & innouanda post diē Iudicij, 1196. 2. A.

ARABIA.

Triplex. 261. 1. C.
Arabia fœlix auri, & aromatū ferax. 262. 1. C.

ARBOR.

Sese inclinauit adorans Iesum AEgyptum ingredientem. 297. 2. A.

ARGENTEVS.

Quanti æstimetur communiter. 589. 1. B. & sequē tibus.

Argentei,

Argentei, quibus Christus venditus, quanti valoris. ibi.

ARMACANVS.

Sine fundamento imponit Christo, & Adamo, necessitate seruandi paupertatem. 459.1.B.

ASIA.

In eam profecta B. Virgo post filij mortem, ephesi habitauit. 311.2.B.

ATHENIENSES.

Decimo die post natiuitatem Pueris nomen imponebant. 278.2.B.

ATTENTIO.

Vide anima in fine.

AVARITIA.

Iudam mouit, vt venderet Christum. 587.2. & sequentibus.

AVDITVS.

Quomodo futurus in corpore glorioso. 899.1.C.

AVGVSTVS CAESAR.

Quando imperare cæpit, & quàdiu imperauit. 430.1.B. & sequentibus.

Quo tempore Monarcha fuit. 430.2.A.

Quot annis Christus vixit, Augusto imperante. 430.2.C.

AVSTERITAS.

De austeritate vitæ Christi vide Christi viuendi ratio.

Quid, & qua ratione conferat ad perfectionē virtutis. 463.1.B. & sequentibus.

Ex vitæ austeritate perfectio vitæ & religionis haud quaquam sumenda. 463.2.C.

Pietas, & opera misericordiæ vitæ austeritati præferenda. 494.1.B.

AZYMORVM FESTVM.

Cur introductum. 710.2.B.

Distinctum á festo Phasæ Paschatis. 704.1.B. & de eorum præcepto, & differentijs. ibi, & sequentibus late.

Azyma etiam extra Ierosolymam celebrabantur 707.1.A. & quo tempore. 707.1.C.

B.

BAPTISMI SACRAMENTVM.

An institutum in Christi baptismate. 418.1.B.

Baptismum B. Virgo á filio recepit. 313.2.C.

Præceptum de baptismo suscipiendo, a Christo latum non a Ioanne. 371.1.C.

Num saluetur moriens in instanti baptismi. 779.2.B.

BAPTISMVS IOANNIS.

Baptismus Ioannis ad legem gratiæ non pertinet, nec in præcepto fuit. 371.1.C.

A Deo institutus quantum ad ritum. 397.2.C. & 401.1.B. & 411.1.A. & cur. 409.1.B. Proxima causa eius, Ioannes. 411.1.A.

Cur dictus baptismus, pœnitentiæ. 399.2.A. & sequentibus. Cur etiam dictus Baptismus Ioannis 411.2.C.

Qua ratione dabatur in remissionem peccatorum 399.2.A. & 409.2.A.

Confessio accedentium ad Ioannis baptismum qualis. 400.1.B.

Baptismus Ioannis nec infantibus dabatur, neque gentilibus. 401.2.A.B.

Quo tempore durauit. 402.2.B.C.

Ioannes & Christus simul tempore baptizabāt. ibi.

Materia remota baptismi Ioannis aqua naturalis. 405.2.A.

Materia proxima, seu essentia illius baptismi in vsu consistebat. ibi.B.

Non dabatur sub forma nostri baptismi. 405.2.C. & sequentibus, & verisimilius sub nulla baptizasse 406.2.C.

Tota substantia illius baptismi in exteriori ablutione posita. 407.2.A.

Non contulit gratiam. 408.1.B.

Differentiæ inter baptismum Christi, & Ioannis. 408.1.B. & sequentibus late.

Solus Ioannes per se ipsum baptizauit, nec fieri aliter potuit. ibi B.

Baptismus Ioannis cum vita Ioannis extinctus. 412.2.B.

Sacramentum nouæ legis, non fuit. 413.1.C. nec veteris, nec proprie illius. 415.1.A.2.A. sed præludium ad sacramentum baptismi 416.1.C.

Baptizati a Ioanne tenebantur baptizari Christi baptismate postquam institutum, ac præceptum est. 413.2.B.

Baptismo Ioannis nonnulli ex Apostolis baptizati 414.1.A.

Necessarius non fuit neque vt medium, neque vt præceptum. 414.2.B.C.

Durauit per annum & paulo amplius. 427.1.C.

Quando Christus baptizatus baptismate Ioannis. 431.2.A. Christi baptizatio, & reliqua de baptizatione Christi. Vide.

BEATITVDO.

De beatitudine Mariæ Virginis, vide Mariæ beatitudo.

Christi corpus obiectū beatitudinis corporis. 898.2.B.

Beatitudo sanctorum qualis futura post diem iudicij. 1203.2.A.

De beatitudine corporis, vide, corpus gloriosum.

BEATVS.

Inferior beatus nonnulla in Verbo videre potest, quæ non videt alius perfectior. 349.1.A.

Quibus modis vnus beatus alium excedit. ibi.B.

Quid videant in Verbo beati. 349.2.A. & C.

Multitudo beatorum videt in verbo multitudinē rerum existentium in aliqua differentia temporis. 350.2.A.

Nullus hominum beatus fuit ante Christi mortē. 757.1.A.

Beatus habet perfectum dominium suorum actuū, etiam eorum, quos in corpore exercet. 908.1.B.C.

Beatorum corpora æqualia futura non sunt. 1003.2.B.

Quem locū beati teneant in Cœlo. 973.2.B. & seq.

BENEDICTIO.

In modum crucis a Christo introducta. 1048.1.A.

BETLEHEM.

Betlehem Iudæ idem quod Ephrata. 236.1.A.

Alia Betlehem in tribu Zabulon. ibi.B.

Domum panis significat. ibi.

Paruum oppidum fuit numero ciuium, sed magnum dignitate propter Christum in ea natum 236.2.C. Vbi conciliantur Michæas, & Matthæus.

BLASPHEMIA.

Num maius peccatum sit, quam peccatum crucifigentium Christum. 656.1.B.

BONVM.

Deus non permittit malum, nisi ob maius bonum 47.2.B.

Bonum commune præferendū particulari. 501.1.B.

C

CAENA.

Cænæ Christi apud Simeonẽ leprosum, & Marthã quo die acciderint, 586.1 C. Et an diuersæ fuerint. ibi.

De cæna Domini ante passionem, vide Verbo Passio.

Cæna pura apud Iudæos quæ. 714.1.C.

CAIANI.

Hæretici, Iudam benè egisse Christum vendendo affirmabant. 587.2.C.

CALCEVS.

Christus, & Apostoli calceis vsi. 465.2.B.

CANON.

Trullani quantæ autoritatis sint. 233.1.B.

CANTICVM MAGNIFICAT.

A Virgine prolatum spiritu prophetico. 37.2.B. & sequentibus.

Ijsdẽ verbis, quibus á Virgine prolatum, refertur á Luca. 338.1.B.

Canonica scriptura est, & vt relatus a Luca, & vt a Virgine prolatus. ibid.

CARITAS.

Omnis caritatis actus, meritorius augmenti eiusdem caritatis. 317.1.B.

Ex quo sumitur pulcra ponderatio meritorum B. Virginis, ibidem.

De caritate B. Virginis, vide Mariæ Caritas.

CARO.

De carne Christi, vide Christi caro.

Fictitium est, particulam carnis a peccato immunẽ in Adamo positam, vt trãsfunderetur ad Christum, 116.2.A.

CASTITAS.

De castitate Christi, vide Christi castitas.

De castitate B. Virginis, vide Mariæ castitas.

Pulcritudo B. Virginis castitatis incentiuũ 152.C

CAVSA.

Causa simpliciter, & moralis quid requirat. 646.2.C.

De causis passionis Christi. Vide Christi passio.

Character, In Christo non fuit. 419.2.C.

CHLAMYS.

Quid sit. 680.2.B.

Qualis fuerit illa, qua Christus per ludibrium indutus fuit. Ibi.

CHRISTVS.

Nunquam purus homo. 5.1.B.

Non est contentus in lumbis Abrahę, seminali ratione, sed corpulenta substantia. 171.1.C. Vnde nec decimatus fuit in lumbis Abrahę. 171.2.A.

Cur dictus Nazaræus, 302.1.A.

Mediator Dei, & hominum, proprie, ac perfecte, 361.1.B.

A Dæmonibus cognitus filius Dei. 534.1.A.

Propositus Angelis tanquam princeps illorum, ac caput 535.2.C.

Qua ratione occasio fuit Angelorum ruinæ. 536.1.A.

Qua ratione a Iudæis cognitus. 539.1.B & 540.1.B. & 2.C. & 541.1.C. & 542.1.B.

Christus Mariam plus diligit quam Ecclesiam. 320.2.A.

CHRISTI PRAEDESTINATIO.

Prædestinatus ante præuisionem peccati non solũ vt homo, sed etiam vt filius Virginis. 11.2.A.

CHRISTI CONCEPTIO.

Spiritus sancti virtute facta. 95.1.C.

Quo sensu Humana dici possit 98.1.C.

Tota trinitas illã operata; sed Spiritui sancto specialiter tribuitur. 173.2.C.

Qua ratione Christus de Spiritu sancto conceptus dicatur. 176.1.C. licet non sit Spiritus sancti filius dicendus. 178.1.A.

Christus ex B. Virginis substantia conceptus. 180.2.A. idest ex purissimis sanguinibus eius. 181.1.B in eius vtero. 181.2.C. sine carnis voluptate. 73.2.B.&.98.2.A.

In Christi conceptione omnia concurrerunt necessaria ad maternam generationem. 182.1.A. & 183.1.C.

Num Christi conceptio præcisè ex sanguine facta sit sine vllo semine. ibi, & 186.1.B.

Num facta ex sanguine menstruo. 183.1.B Materia fœtus in conceptione Christi immediate trã sit ex forma sanguinis ad animam rationalem 200.1.C.

In Christi conceptione Spiritus sanctus adhibuit totam vim actiuam, quam solet virile semen. 184.1.B.

Num B. Virgo ad Christi conceptionem effectiue. concurrerit. 187.1.C.

Christus per potentiam diuinam opera viri concipi posset 187.1.C.

Christi conceptio, quoad intrinseca, in instãti facta. 197.1.C. non verò quoad extrinseca, & antecedentia, qualia sunt congregatio sanguinis, & cætera. 196.2.C. quanuis hæc ipsa in instanti fieri non repugnaret. 195.2.A.

In primo instanti conceptionis potuit Christus sensibili phantasmate vti. 204.2.C.

Christi conceptio, quo sensu miraculosa, & quo sesu naturalis. 218.1.C.

Quando Christus conceptus. B. Virgo in eadem domo cum Ioseph habitabat. 126.2.C.

Quarto mense a desponsatione Mariæ Christus conceptus. 128.2.C.

In vtero Virginis nouem mensibus integris fuit, & quomodo. 139.1.C.

CHRISTI ADVENTVS.

Duplex, & in quo conueniant, & in quo differant. 1089.1.C. Vbi multa ex scriptura, & Patribus.

De signis secundi aduentus, vide Verb. Iudicium finale.

CHRISTI NATIVITAS.

Sicut flos ex arbore, ita Christus natus ex Virgine. 4.1.C.

Christus de vtero matris exiuit, sine vlla virginei corporis dilatatione, immutatione, iniuria. 13.1.A

Natiuitas Christi ex Virgine maius miraculum, quã resurrectio, ex Ambrosio. 103.1.C.

Christi natiuitate Virginis integritas aucta est. 103.2.A.

Quomodo Christi corpus de vtero Virginis exiit. 103.2.C.

Christi natiuitas longe alterius rationis a natiuitate cæterorum. 210.1.C.

Christi natiuitas Suppositum denominat, non afficit. 210.2.A.

Christus natus ex Virgine verissimè dicitur. 212.1.B.&.231.1.A.

Christus proprie dici potest bis natus. ibi.

Christi natiuitas siue vlla sorde perfecta. 233.2.A. &73.2.B.

Cur Christus in Bethlehem natus. 236. 1. C.
Cur in diuersorio, quodque illud fuerit. 237. 1. C.
Quale fuerit diuersorium. ibi.
Cur in præsepio. 238. 1. B. 2. A.
Inter bouem, & asinum. ibi. C.
Cuius materiæ fuit præsepium. 239. 1. A. hodie Romæ seruatur. ibi.
Angelorum manibus Christus susceptus, ex vtero egrediens. 238. 1. C.
Quo anno accidit Christi natiuitas. 239. 2. C. Quo mense 240. 2. B. Quo die 241. 1. A. Qua hora. 241. 2. A.
Consuetudinem celebrandi noctem natiuitatis Christi Thelesphorus primus induxit. 241. 2. A.
Christi natiuitas conuenienter non est manifestata omnibus. 243. 2. C. sed aliquibus, vt mundus disponeretur, 255. 2. B. & 256. 2. A. & quibus, 356. 2. B.
Prodigia in Christi natiuitate. 255. 2 C.
Stella à Magis visa, non fuit fatũ natiuitatis Christi, 269. 2. C.

CHRISTI GENEALOGIA.

Christus ex familia Dauid, non quia filius adoptiuus Ioseph, sed quia verus filius filiæ Dauid. 16. 2. A.
Genealogiam Christi cur recte Matthæus deduxerit per lineam Ioseph. 17. 1. A.
Genealogia, quam Lucas capit. 3. narrat potius ad Christum, & Virginẽ pertinet, quam ad Ioseph. Et late exponit. 18. 2. C. & 19. 1. A.
Genealogia Matthæi, cap. 1. naturalis respectu Ioseph, legalis respectu Christi, e contrario verò genealogia Lucæ. 19. 2. B.

CHRISTI FILIATIO.

Christus naturalis filius Virginis. 194. 2. B. Adoptiuus Ioseph, 162. A. B. Bis filius. 212. 2. B.
Filius B. Virginis denominatur per relationem creatam veram, ac realem eiusdem rationis cũ filiationibus aliorum hominum. 220. 2. B.
Non vero per relationem increatam. 219. 2. C.
Christus non duo filij, sed vnus filius, quanuis duplici relatione referatur ad patrem, & matrem 212. 2. C.
Num alij filij plus habeant a matribus, quã Christus a Virgine. 223. 1. B.
Relatio filiationis ad B. Virginem num ita completa sit in Christo, sicut in aliis filiis. ibi. B.
Discrimẽ ex parte subiecti inter relationem æternam, & temporalem Christi. ibi. C.
In Christo non est relatio filiationis adoptiuæ ad Deum. 224. 1. A. & 445. 2. B.
Relatio filiationis ad Virginem, ad huc perseuerat in Christo. 226. 1. A.
Christus non dicendus filius totius Trinitatis. ibi C.
Neque Spiritus sancti, adhuc ratione humanæ cõceptionis. 178. 1. A.

CHRISTI CORPVS, SEV CARO.

Substantia carnis, quam Christus sumpsit ex Virgine, a Verbo nunquam dimissa. 8. 1. A.
Caro Christi in similitudinem carnis peccati. 312. C.
Christi caro neque in se, neque in parentibus peccato obnoxia. 169. 1. C.
Christi caro nubes leuis, De qua Isaiæ. 19. 297. 1. C.
Christi corpus ante mortem gloriosum non fuit, 553. 1. A. vbi verba Damasceni sub obscura exponuntur.
Nec dotem claritatis habuit. ibi. C.
Perfectum augmentum habuit in hac vita. 892. 1. B.
Pulcherrimum fuit. ibi. 2. B.
Obiectum beatitudinis corporis. 898. 2. B.

CHRISTI HVMANITAS.

Quo tempore Verbo vnita. 5. 1. B.
Quo sensu a Verbo dimissa, in Christi morte. 689. 1. C.
Esse desiit in morte Christi. ibi. B.

CHRISTI GRATIA.

Physice infinita non fuit. 321. 1. A.
Quantæ fuerit perfectionis. ibi.
Christus in Ecclesia, gratiæ fons est, beata Virgo aquæ ductus gratię, sanctè verò riuuli ex Bernardo. ibi. C.

CHRISTI SANCTITAS VEL sanctificatio.

Quo sensu Christus ex non sancto sanctus effectus. 203. 1. B. C.
Nec prius tempore, nec prius natura fuit homo, quam sanctus. ibi. Eius humanitas prius natura, non tempore. ibi. C.

CHRISTI IMPECCABILITAS.

Christus, vt significat Deum hominem, quacunque ratione concipiatur, originale peccatum cõtrahere non potest. 97. 2. A.
In Adamo non peccauit. 168. 2. C.

CHRISTI DIGNITAS.

Christus Angelis præpositus tanquam Princeps, ac caput. 535. 2. C.
Multa, quæ ad Christi dignitatem spectant, vide infra verbo ascensio, & sequentibus.

CHRISTI MANIFESTATIO.

Tres fuerũt pastores, quibus Christi natiuitas per Angelos manifestata est. 256. 2. B. Quo in loco ibi.
Simeoni, & Annæ in templo manifestatus. ibi. C.
Magis manifestatus. 257. 1. A.
Quidam Magos, quibus Christus manifestatus, quam plures fuisse existimant. 257. 2. A.
Et maleficos fuisse, non Reges. ibi. C.
Sed fuernnt tantum tres. 258. 1. C.
Et sapientes Astrologi, non malefici. 258. 2. B.
Illorum nomina, & munera. ibi. A. B.
Verisimile, Reges fuisse. 259. 1. B.
Cur Magi potius, quam Reges ab Euangelista dicuntur. ibi. 2. C.
Ex Arabia felice venerunt. 260. 2. C. & sequentibus.
Cur obtulerunt illa munera. 262. 2. A.
Inuenerunt Christum in Bethlehem. 263. 2. A.
Adoraruntin eodem loco, in quo natus. ibi. C.
Quot diebus Bethlehem peruenerunt. 264. 2. A.
Qua die contigit, adoratio Magorum. 266. 1. C.
Quando illis apparuit stella. 264. 1. C.
De stella, quæ Magis apparuit, vide Verbo stella.
Cur Reges ab stella ducti, nihilominus rogarunt de puero. 268. 2. C.
Stella a Magis visa IESV, nati fatum non fuit 269. 2. C.

Vaticinio Balaam permoti ad sequendam stellam 270.1.A.
Fidem habebant de aduentu Messiæ ex maiorum traditione, iuxta Chrysologum ibi.C.
Præter externum signum stellæ interne illustrati.270.2.A.
Magistri Iudæorum á Christo facti 271.1 C.
Insignis Magorum fides, & religio.270.2.A.& sequentibus.
Cur eo ordine Christus manifestatus, vt prius Iudæis, deinde gentibus, iterum Iudæis.257.1.A.

CHRISTI CIRCVNCISIO.

In circuncisione exemplum obedientiæ a Christo exhibitum.271.2.C.
Non fuit Christus subiectus præcepto circuncisionis per se & ex vi præcepti.275.2.A.
Sanctum, & honestũ, Christũ circuncidi.275.2.C.
Christi circuncisio non est facta sine speciali reuelatione B. Virgini & Iosepho facta.276.1.C.
Maxime decuit, Christum circuncidi, & quibus de causis.277.1.A.
Lapsus Nicephorus asserens Christum in domo Ioseph circuncisum.8.1.A.
In eodẽ diuersorio circuncisus, in quo natus, ibi.B
Præputium Christi á Virgine seruatum.Ibi.

NOMEN IESVS.

Propriſsime, & aptisſime conuenit Christo, nõ ita aliis, quibus in Scriptura sacra impositum est. 274.2.A.B.& 280.1.A.2.A, & in quo consistat hæc proprietas. Et num hoc nomen ad huc materialiter aliter alteri fuerit impositum. Ibi.C.
Hoc nomen ipso die circuncisionis impositum Diuina autoritate.279.1.A.
Ad beatam Virginem præcipuè pertinuit Christo nomen imponere: Ioseph tamen exclusus non est.Ibi.2.B.
Christus in sacra Scriptura, plusquam triginta nominibus appellatur.Ibi.2.A.
Hoc tamen cætera omnia in se continet. Ibi. & 281.1.A.
Cur Christus Iesus appellatus.281.2.B.
Et non Emanuel, vt prædixerat Isaias.282.1.B.

NOMEN CHRISTVS.

Nomen Christus commune Regibus, & Sacerdotibus: sed Christo per Antonomasiam conuenit.280.2.B.
Nomen dignitatis.Ibi.
Iusti, & sancti Christi etiam dicuntur, ideſt, gratia vncti.Ibi.
Significatum hoc nomine in sacra Scriptura Messiam promissum, & Regem, & Sacerdotem futurum.Ibi.

CHRISTI PRAESENTATIO.

Conuenientissimum fuit, Christum in templo præsentari, ac offerri.287.1.A.
Quibus de causis. Ibi.
Christus non tenebatur hoc præcepto. Ibi. C. Et qua ratione illi applicanda verba legis de masculo aperiente vuluam.Ibi.2.A.
Parentes Christi sacrificium pauperum obtulere in præsentatione.299.1.B.Et cur ita, ibi.2.A.
Singularis Origenis sententia circa B. Virginis oblationem.291.1.A.
Alia vide Verb.Mariæ purificatio.

CHRISTI FVGA IN AEGYPTVM, & reditus.

Quo tempore fugit.294 1.B.
Cur Christus fugere voluit. 295.1.A. & sequentibus late.
Ad Christi ingressum in Aegyptum idola corruisse incertum.297 2.A.
Arbor se se flexit, vt ingredientem adoraret.Ibi.
Latuit Christus in Heliopoli ciuitate secundum Anselmum.299.2.A.
Quantum commoratus apud Aegyptios.300.1.C.
Quo anno ætatis rediit Christus.300.1.C.
Cur rediit ad Nazareth.300.2.B.
Cum Christus rediit, Archelaus Rex erat in Iudæa, Herodes Tetrarcha in Galilea.Ibi.C.

CHRISTI VITA ANTE BAPTISMVM.

Habitauit in Nazareth cum parentibus. 301.2.C.
Pauperem vitam duxit, non tamen mendicauit, saltem ante prædicationem.302.1.C.
Communem vitam in exterioribus egit.302.1.A.
Duodecimo ætatis anno mansit Ierosolymis, cum Doctoribus disputans.303.1.A.Et cur ita ibi, & sequentibus.
Parẽtib⁹ obediẽs fuit, iuuãsq; indomesticis.303.1.A
Fabrilem artem exercuit, etiam solus post mortẽ Ioseph.303.2.C. Aetate, sapientia, & gratia profecit, Ibi.& sequentibus.
Miracula non fecit ante illud in Cana Galileæ, quod primum fuit.304.2.C.

CHRISTI BABTIZATIO.

Christi baptizatio conueniens.418.1.B.& cur. Ibi.
Christus suo baptismate nobis profecit.418.2.A.
Non oportuit suo baptismate baptizari.419.2.B.
Neque alio legali, aut veteris legis.420.1.B.
Christi baptizatio num acciderit eodem die, quo nuptiæ in Cana Galilææ, & Magorum adoratio. 424.2.C. Quo mense, & die Ibi.
Inter Christi baptizationem, & nuptias in Cana annus interceſsit 426.1.A
Et quid hoc tempore Christus egit.426.1.A.B.
Christus anno decimo quinto Imperij Tiberij Cæsaris baptizatus.427.1.A.
Anno trigesimo ætatis suæ inchoato. 428.1, A. & 429.2.B Et cur ea ætate 428.1.A. & sequẽtibus.
Post tres, vel quatuor menses, ex quo Ioannes baptizare cœpit 431.2.A.
Cur cœli aperti, cum Christus baptizatur.433.2.B. vide, Verbo cœlum.
Cur Spiritus sanctus super Christum baptizatum descendit.437,1 C.
Aliter tunc descendit in Christum, quam in Apostolos, ac alios. ibi.B.
Qua ratione Christus dicatur Spiritu sancto vnctus in baptismate ibi.C.
Cur in Christi baptismate Spiritus sanctus in specie colũbę apparuit.438.1.A.vide Ver.columba.
Cur vox Patris audita, 439.2.B.vide, verb.vox.
Tria hæc signa ab omnibus, qui aderant, percepta.445.1.C.
In Christi baptismate, expressa Trinitatis repræsentatio.446.1.A.
Baptismus, quo Christus baptizatus, non fuit baptismus gratiæ. ibi.B.

CHRISTI CONVERSATIO, SEV viuendi ratio.

Christum inter reliquos homines communem vitam agere conueniens fuit.452.2.B.
Et ante baptismum, & cum docere cœpit, & prædicare.ibi.C.

Contemplationi nonnunquam vacabat, ab externis cessans. 453.2.A.
Actiuam, & contemplatiuam coniunxit. ibi. B. Nō semper exercuit actus ex obiecto perfectissimos ibi.
Austerum vitæ genus sequutus non est. 461. 2. C. Nec illi necessarium fuit. 463. 1. A.
Comparatio modi viuendi Christi cum modo viuendi Ioannis Baptistæ. Ibi, & 465. 1. C.
Christi viuendi ratio moderatissima, magis tamē austera quàm blanda 463. 1. A.
Christi victus. 462. 1. A.
Vestitus, ibi B. Et sequentibus.
Tunica Christi in consutilis. Ibi, à Virgine contexta. 632. 2. C.
Nonnunquam eximiæ austeritatis exempla Christus exhibuit 463 2. C.
Quibus corporis afflictionibus vsus. 465. 1. A.
Calceis vsus. 465. 2 B.
Nonnunquam etiam sandalijs. 467. 1 B.

CHRISTI RELIGIO.

Religiosum vitæ statum, qui per tria vota constituitur, Christus professus non est. 461. 1 A.
Vitā instituit habentē excellentius quidquid perfectionis est in vita religiosa. ibi. B.
Capax voti fuit. 454. 2. B. Neque indecens fuisset, eum aliquid vouere. ibidem. Incertum autē est an quidpiam vouerit 455. 1 B.

CHRISTI PAVPERTAS.

Christus paupertatem seruauit, & coluit. 455. 2 B.
Quem modum paupertatis seruauit ante baptismum circa vsum rerum mobilium, & immobilium. 456 1. A.
Quem post baptismum. ibi. B & sequentibus.
Explicantur loca duorum Pontificum, quæ videntur contraria circa Christi paupertatem. ibi.
Num Christus votū paupertatis emiserit. 459. 1. A.
Libere Christus paupertatem exercuit, contra Armacanum. ibi. B
Num Christus aliquando mendicauerit. 459. 2. A. & sequentibus.

CHRISTI DOMINIVM.

Christus ratione naturæ, & voluntatis humanæ, proprij dominij capax. 454. 2. B.
Christi paupertas non excluſit excellens, & diuinū dominium in omnes creaturas 455 2. C.
Quarum rerum dominium habuerit ante baptismum 456. 1. A. & post baptismum. 2. A.
Aliquarum rerum dominium habuit in communi, & simul cum discipulis, aliquando in particulari, interdum nihil proprium habuit sed omni dominio caruit saltem quoad actum, licet non quoad professionem. 456. 2. A 457. 1. &. 2 A. & sequentibus.

CRISTI CASTITAS.

Christus perpetuam virginitatem seruauit 454. 1. B.
Non constat virginitatem Deo vouisse. 455. 1. C.

CHRISTI OBEDIENTIA.

Christus qua ratione, obedientiæ præbuit exemplum. 272. 2. C.
Obedientiæ votum non emisit 454. 1. B.
Parentibus, principibus. & Reipublicam gubernātibus iuxta communem legem obedijt. ibi.
Christus prima ac præciosa exempla vitæ suæ in virtute obedientiæ constituit. 463. 1. A.

CHRISTI ORATIO.

Christus orauit in deserto, 479. 2. B.
Et in horto. 591. 2. B.
Et ea oratio quantæ efficaciæ. 642. 1. C.

CRISTI SECESSVS IN DESERTVM

Christus ab Spiritu sancto in desertū ducitur. 478. 1. B.
Non motu corporali externo, & violento, sed interno instinctu & spirituali motione. ibi. C.
Cur secesserit in desertum. 479. 1. B. Vbi multa ex Patribus. Et 480 1. C.

CHRISTI IEIVNIVM.

Christus quadraginta diebus ieiunauit in deserto. 481. 1. B. Et cur. ibi.
Nullū omnino cibum, potū ve sumpsit. 481. 2. A.
Ieiunium Christi naturali virtute fieri non potuit. 482 1. A.
Supernaturali virtute, miraculorum effectrice ieiunus permansit. ibi B.
Non esurijt Christus, donec ieiunij dies expleti. ibi. C.
Quare esurire voluit. 482. 2. B. & sequentibus.
Mysterio non caruit, quod tot diebus, famem non senserit, postea esurierit. 483 1. B.

CHRISTI TENTATIO.

Christus, cur tentari sepermisit. 470. 2. A. & sequē tibus.
Cur Dæmon tentare ausus Christum dominum. 471. 1. A. & 472.
Cùm Dæmon Christum aggressus, verum Deum non nouerat. ibi C. 1. A.
Dæmonio um princeps, Christū tentauit. ibi. B.
Per delectationem, seu concupiscentiam tentari Christus non potuit. 472 2. A.
Christi tentatio expleto ieiunio accidit. 483 2. B.
Num quadragesimo die, vel post quadragesimum acciderit. 484 1. A. & sequentibus.
Tentationes continue acciderunt sine dierum interpolatione. 484. 2. A.
Nū alijs tentationibus tentatus sit Christus, præter eas, quas Euangelistæ narrant, ibi, C. & sequentibus.
Christus in deserto tentatus. 486. 1. A. & cur, ibi.
Non omnes tentationes in deserto acciderunt. 486. 2. A.
Secunda tentatio, in pinnaculo templi accidit. ibi.
Tertia, in monte excelso. ibi. C.
Quo modo Christus, ductus in pinnaculum, & in montem. 487. 1 A.
Post vltimam tentationem, Christus in desertum reducitur. 487. 2. A.
Quæ fuerit materia tentationū Christi. 487. 2 C.
Quæ malitia in illis latuerit, ibi.
Sapientia Christi & virtus in resistendo. 488. 2. A.
Exemplum præbet Christus, quomodo tentationes vincendę. ibi. B.
Quo ordine Christus tentatus. ibi. C.
Qua specie, seu figura Dæmon accesit. 489. 1. A.
Per externum sermonem tantum tentare potuit. ibi. B.

CHRISTI DOCTRINA, ET PRAEDICATIO.

Christus discipulos congregare cepit. 426. 2. A.
Cur Christus Iudæis potius, quàm Gentibus prædicauit 491. 1. A.
Christus non solum Iudæorum doctor, sed etiam Gentium. ibi.
Cur fidei doctrinam ante mortem gentibus prædicari noluit. ibi. C.

Quo modo Christus dicatur, semper publice docuisse 494.1 A.
Cur Christus doctrinam suam scriptis non tradidit.496 2.B.& sequentibus.
Fuerit ne Christi epistola ad Abgarum.497.2. C.
Christus omniū doctor, à Patre missus.498. 2.B.
Potestas docendi per se Christo conuenit ratione vnionis hypostaticę.499.1.C.
Angelos etiam illuminare potest.ibi.
Facultas docendi maior in Christo, quàm in vlla creatura.499.2.A.
Singulare in Christo, quòd ita doceat, vt nunquam didicerit.ibi.B.
Excellentia doctrinæ Christi, vnde.ibi. C. & sequentibus.
Prudentissimé egit Christus constanter docendo, & corripiendo Iudæos etiam cum illorum offensione.502.1.A.
Tempus prædicationis Christi quantum.505.2. C.
Christi prędiatio, seclusis etiam miraculis, ad fidē obligaret 525.2.A.

CHRISTI MIRACVLA.

Christus cōueniētissime miracula fecit.508.2.B.
Miraculosæ cōuersiones á Christo factę. 521.2 B.
Miraculosa Christi præsentis occultatio.522.1.A.
Miracula, quæ circa se ipsum operatus est Christus, excellentissima 524.1.A.
Primum Christi miraculum, in Cana Galilææ. 304.2.C.
Christi miracula altissima media, ad eius doctrinam suadendam.525.1.B.
Simpliciter necessaria non fuerunt, vt eius doctrina prudenter credi possit.525.2.A.
Sed quodam modo ad illam confirmandam, & sufficienter proponendam.226.1. C.
Tenerentur ne Iudęi in Christum credere, si miracula non fecisset.527.1.C.
Miracula Christi per se sola sufficientia non erāt, ad cognoscendum ipsum esse Messiā.328. 2. A.
Coniuncta prophetijs euidenter id ostendebant. ibi.B.
Similiter coniuncta testimonio ipsius Christi conuincere poterant morali euidentia in testificante.529.2.A.
Christi miraculis conuicti sunt Dæmones ad credendum, illum esse Messiam.532.1. B. Impediti enim non sunt 533.1.A.
Veritas miraculorum Christi euidenter á Dæmone cognita.533.1 C.
De cognitione Christi, quam Dęmones habuerūt. Vide Verbo Dęmon.
De cognitione Christi, quam habuerunt Iudęi, ratione miraculorum, vide verbo Iudęus.
Miraculum fuit, Christum morti proximum voce magna clamasse 688.1.A.
De miraculis, quæ in Christi morte acciderunt. Vide Verbo Prodigium.

CHRISTI TRANSFIGVRATIO.

Christi transfiguratio quid sit.543.2.B.& 545.1.A.
Claritas Christi in Transfiguratione qualis.547. 1.A.& 554.2.A.
Miraculosa fuit.547.1.C.
Non timendos corporis glorioſi.547.2.B.
Vnde manauerit 548.1.A.
Claritas vestium vnde.548.2.B.
Cur transfiguratus coram alijs.550.1.C.
Cur ex eis alij Christum præcesserunt, alij sequebantur. ibi.
Cur fuerint Moyses, & Elias potius, quàm alij.ibi.
Cur coram Petro, Ioanne & Iacobo.551 1.A.
Christi facies veré sensibiliter splenduit.553.1.A.
Sententia Damasceni de fulgore faciei Christi explicatur ibi.B.
Sententia Nazianzeni de claritate corporis Christi explicatur.553.2C.
Christum transfigurari non aliud fuit, quàm corpus eius eximiæ gloriæ claritate sibi ipsi inhærente de nouo affici.554.2.A.
Illa claritas altioris ordinis, quàm claritas Solis. ibi.B.
Corporeis oculis visa ab Apostolis, quanuis confortatis.555.1.B
Tantum fuit in extima superficie corporis Christi.555.2.B.
Totum corpus ea claritate perfusum 556.1.A.
Vestes Christi quomodo splenduerint. 555.2.C. &.556.1.C.
Elias veré in propria persona apparuit.556.2.C.
Vnde adductus.557.1.B.
Moysis anima proprio corpori coniuncta affuit. 557.1.B.& 552.1.C.
Corpora Moysis, & Elię splendida etiam apparuerunt.559.1.B.
Quomodo fuerint á Petro cogniti.559.2.A.
Quo tempore transfiguratio accidit.559.2.B.
Quo loco 560.1.A. B.
Cur in monte Thabor. ibi.
Quo ordine. ibi.C.
Cur Christus iussit discipulos tacere.560.2.B.

COENA DOMINI.

Cœna Domini ante passionem, qua die accidit. 714.1.B.
De alijs cœnis apud Simonē, &c. Vide supra Verbo cœna.
Quid egit statim post cœnam.561.1.B.

CHRISTI TESTAMENTVM.

Christi testamentum, quid sit.639.2.C.
Christus testamentum condidit ante mortem, nō vetus, & temporale, sed nouum, & æternum. 640.1.C.
Sententia asserens Christum in cruce testamentū condidisse.640.2.B.
Vt caput, & Pontifex Ecclesię, nullum testamentū condidit pendens in cruce.642.2.A.
Sed in cœna quoad id, quod in eo præcipuum est, quanuis aliqua, quæ pertinent ad eius integritatem, alijs temporibus instituerit.445 1.A.
Vt priuatus homo proprie testamentum non condidit.ibi.C.

CHRISTI PASSIO IN COMMVNI

Christi anima quomodo dicatur passa secundum omnes suas potentias tam in feriores, quam superiores.576.2.A.B.
hristus dominus veras passiones sustinuit, & nō tantum secundum speciem.577.2.C.
Christus suscepit eas passiones corporis quas naturali modo ab hominibus pati poterant.579.1.A. 2.B.
Circa Christi passionem nihil leuiter fingendum ibi.C.
A Deo immediate nihil passus est Christus, neque á Dæmone.579.1.B.C.
Christi passio quo sensu dicatur á Deo prę ordina

ta.

ta.621.1.A.& sequent.
Christi passio num fuerit propie, & in rigore sacrificium.661.2.B.

CHRISTI DOLORES.

Christus Cur tot dolorum genera perferre voluit. 580.1.A.
Christi dolores quo sensu dicantur perse sufficientes ad condignam satisfactionem pro peccatis. 574.2.A.
In signis Hæreticorum blasphemia, circa Christi dolores, & pœnam damni. 578.1.B.
Dolores Christi maximi, ac vehementes. 580.1.B.
Vehementiores, ac intensiores, quam secundum potentiam ordinariam in homine esse possint. 580.2.B. & 583.1.C. vbi pulcrè comparantur dolores Christi cum doloribus Martyrum.
Dolor Christi minor, quam dolor inferni, aut purgatorij. 585.1.C &.2.A.

CHRISTI TRISTITIA.

Non fuit tam vehemens in Christo de malis, quæ passus est, quam in damnatis 581.1.C. nec obiectiue, nec intensiue. ibi.2.A.
Quod non tollit, quo minus Christus condigne satisfecerit pro pœnis, quas homines erant subituri. ibi.C.
Christi tristitia omnem aliam quæ de rebus humanis esse potest, superauit. 582.1.A. Vbi causæ tãtę tristitiæ, recte ponderantur.
Ab ijs, quæ consolari poterant, mentem auocabat 582.2.B.
Num Christi tristitia secundum se sufficeret ad illum extinguendum. 687.1.A B.

CHRISTI VENDITIO.

Christus a Iuda venditus. 586.1.A.
Quo die. ibi.B.
Cur vendi permissus. 587.1.B.
Cur Iudæi pecunijs emerint. 587.2.A.
Cur Iudas vendiderit. ibi.C.
Quo pretio venditus. 589.1.B.
Quanti valoris argentei, quibus venditus. ibi & sequentibus.

CHRISTI SVDOR SANGVINEVS.

Christus Verum sanguinem emisit sudans in horto. 591.2.C.
Verba Lucæ Christi sudorem narrantis Canonica Ibi.A.
Quid eo sudore significatum. 592.2.A.
Absque miraculo accidit exui afflictionis internæ. Ibid. & explicatur Hilarius 593.1.C.
Illa sanguinis emissio, ex fortitudine, & audacia magis, quam ex timore aut tristitia prouenit. 593.1.A.

CHRITI CONFORTATIO.

Christus ab Angelo confortatus. 593.2.A.
In forma sensibili, & humana Angelus Christo apparuit. ibi.B.
Non est Christus, ab Angelo doctus, aut illuminatus. ibi.
In certum, quis fuerit ille Angelus. ibi.

CHRISTVS OSCVLO TRADITVS.

Iudas osculo Christum tradidit. 593.2.C.
Cur Christum osculatus. 594.1.C.
Osculum Iudæ prima iniuria Christo illata in passione ibi.
In eo actu, & Christi patientia, & Iudæ ingratitudo satis ostensa. 594.2.A.
De alijs, quæ ad Iudam pertinẽt. vide Verbo Iudas.

CHRISTI COMPREHENSIO.

Milites retro cadunt ad Christi verbum. 595.2.A.
Cur potius retro quam in faciem. ibi.C.
Christus a discipulis deseritur 594.2.A. An peccauerint 595.1.A.
Quis fuerit ille adolescens, qui fugit relicto syndone. ibi.C.
Christus comprehenditur. 595.1.C.
Qua hora noctis 728.2.B.
Petrus serui auriculam abscindit. 595.2.C.
Et Christus, abscisam restituit. ibi
Num Petrus, eo facto peccauerit. 596.1.A.

CHRISTI ACCVSATIONES ANte præsides.

Christus ad Annam Primo ducitur. 597.2.B. &. cur 598.1.A
Ad Caiphan ducitur. ibi.
De alapa, & alijs iniurijs. ibi.
Cur Christus in faciem percussus pro se respondit. ibi.C.
Ad Pilatum ducitur. 598.2.C.
Et ad Herodem. ibi.

CHRISTVS NEGATVS A PETRO.

Christus vbi, & quoties á Petro negatus. 599.1.A. & sequentibus.
Conciliantur Ioannes, & Matthæus circa locum negationis. 599.2.C. & sequentib.
Conciliantur Euangelistę circa historiam negationum. 600.1.C & sequentibus.
Petri negationes quomodo ante galli cantũ fuisse dicantur. 601.2.B.
Petrus in Christi negatione grauiter peccauit. 602.1.B.
Quanquam fustra á nonnullis excusetur. ibi A.
Fidem non amisit, sed solum caritatem. 603.1.A.
Cur labi permissus ibi C.
Petrum facti sui, vehementer pœnituit, veniamq; consequtus. 603.2 B.
Aspectus Christi intuentis Petrum qualis. ibi.

CHRISTI FLAGELLATIO.

Christus flagellatus, ante mortis sententiam. 605.1.A.
A Pilato quidem, vt Iudęis satisfaceret, ipse vere flagellari voluit, vt satisfaceret Patri. ibi.C
Cæsus grauissime. 606.2.C.
Alligatus Columnæ. 606.1.A. quæ hodie Romæ seruari dicitur. ibi.
A Romanis militibus. ibi.C.
Flagellum quale fuerit. 606.2.A.
Numerus plagarum, ibi B.

CHRISTI CORONA SPINEA.

Christus spinis coronatus. non tamen iussu Pilati, 607.1.A.
Corona qualis fuerit. ibi.B.
Numerus spinarum. ibi.
Quo modo capiti imposita. ibi.C.

CHRISTI FLAGELLATI CONTVmelia.

Christus post flagella, grauissimis contumelijs affectus. 607.2.A.
In locum publicum adductus in maiorem contumeliam. ibi.
Quoties nudatus ibi.B & sequentibus.
Nudus omnino permansit. 608.1.B.
Clamyde induitur, & arundo manibus imponitur, 608.2.A. & qualis fuerit illa vestis, ibi.
Quid ea veste, corona, arundine significatũ. ibi.C.

INDEX RERVM.

CHRISTVS INIVSTE DAMNATVS.

Christus Pilati sententia damnatus ad crucis supplicium. 609.1.C.

Quid Iudæos mouerit, vt id peterent. 609.2.A.

Pilati peccatum in Christi damnatione leuius peccato Iudæorum. 610.1.A.

Quam potestatem Pilatus habuerit circa Christi personam. ibi.C.

Pilati sententia quibus capitibus iniqua. 610.2.C.

De alijs, quæ ad Pilatum pertinent, vide verbo Pilatus.

CRVCIS BAIVLATIO.

Christus baiulat crucem. 611 1.B Vbi conciliantur Euangelistæ, & multa adducuntur ex Patribus in commendationem crucis, & crucifeti.

Cur Christo imposita crux. 611.2.B.

Quomodo Christus á Simone Cyrenæo in baiulatione crucis adiutus. 612.1.A.

Crucis magnitudo, & partes, ac figura. 612.2.A. & sequentibus.

Beata Virgo Christo occurrit crucē gestanti. 613. 1.A. quanuis ex mulieribus illis non fuerit, quę Christum flebant. ibi.B.

Nec facta est semimortua, &c. 613.1.A.

CRISTI CRVCIFIXIO.

Christus in cruce positus, & supplicio affectus. 613. 2. C.

Clauis affixus 615.1.B. & cur ita. 615.2.B.

Cur voluit in crucepati. 567.B.A. & sequentibus. Vbi multa ex Patribus de acerbitate, & ignominia mortis in cruce.

Qua hora crucifixus 730.1.A.

Num in terrá, vel in aere crucifixus. 615.2.C.

Quot clauis affixus. 616.1.B.

Christus omnino nudus in cruce fuit. 617.A.

Cum spinea corona. 617.2.A.

De peccato crucifigentium Christum, vide Ver. Peccatum mortale.

CIRCVNSTANTIAE CRVCIFIXIOnis Christi.

Christus conuenienti loco passus, seu crucifixus. 622.1.A. scilicet Ierosolymis. 622.2.C.

Extra portam ciuitatis. 623.1.C.

In monte Caluariæ. 923.2.B. In quo Adam sepultus dicitur. ibi.

Mons Caluariæ, in quo Christus crucifixus, idem fuit cum illo, in quo Abraham filium sacrificare voluit. 624.2.C.

Cur ille mons Caluarię appellatus. 623.2.B. & sequentibus.

Christus cū latronibus crucifixus. & cur. 626.1.C.

Conciliantur Euangelistæ circa latronum improperia. 626.2 B.

De alijs, quę ad latrones pertinent, vide Verbo latro.

Milites Christi vestimenta diuidunt, & sortiuntur. 631.1 C.

Quid eos mouerit. ibi. Quo modo facta est diuisio. 632 1.A.

Quę, & quales fuerint illæ vestes ibi.

Quo modo facta sortitio. ibi.C.

Quid mysterij in hac diuisione, & sortitione. 632. 2.B.

TITVLVS CRVCIS CHRISTI.

Quando affixus. 633.1.A.

Cur cruci Christi affixus, & non latronum. ibi. B.

Quid continebat. 633.2.C.

Cur Pilatus huiusmodi titulū scribi iusserit. 634. 1.A. & sequentibus.

Quo sensu iusserit scribi Regem Iudæorum, ibi. & an Christus Rex fuerit habitus à Pilato, ibi.

Titulus crucis ter scriptus, tribus, scilicet, linguis. 635.1.C. & cur. 635.2.A.

CRISTI POTVS EX ACETO.

Christo in loco Caluariæ bis potus exhibitus. 636. 1.A.

Semel ante crucifixionem. ibi.

Num bis ante crucifixionem. ibi.B. & sequentibus. Vbi conciliantur Euangelistæ de vino, & aceto.

Quale fuerit vinum myrrhatū, quod Christo exhibitum est. ibi.C.

Cur Christus bibere noluit. 637.1.B.

Christo iam crucifixo spongia aceto plena offertur. 637.2.A.

Et quomodo spongia hyssopo imposita. ibi. vbi cōciliantur Euangelistæ de hyssopo, & calamo.

Quoties acetum Christo datum in cruce pendenti. 738.1.B. & post quæ verba ibid. vbi conciliantur Euangelistę.

Sitis Christi de cruce pendentis vnde orta. ibi.C.

Acetum Christo in cruce cur datum. 638.2.B.

Quando datum Christo in escam fel. 639.1.A.

CHRISTI VERBA SEPTEM IN CRVCE.

PRIMVM. Pater dimitte illis, &c. 642.2.B.

Quæ Christi virtutes hoc verbo ostendantur. ibi.

Christus in eo Pontificem se, ac mediatorem ostendit. ibi.

Quo modo hæc Christi oratio exaudita. ibi. C.

SECVNDVM. Hodie mecum eris, &c. 643.1.C.

Hoc verbo Pontificia dignitas, & excellentiæ potestas significata. 643.1.C.

TERTIVM. Mulier ecce, &c. 643.2.A.

Pietas in matrem hoc verbo ostensa. ibi.

Christus hoc verbo ad Virginem vt ad parentem loquutus. ibi.B.

Ex quo affectu hoc verbum ortum. ibi.C.

Cur matrem Ioanni potius, quàm alteri commendat. ibi.

Relatio matris, & filij in Virgine, & Ioāne ex hoc verbo sequuta non est. 644.1.A.

Sed singularis mutui amoris affectus illis impressus. ibi.

QVARTVM. Deus Deus meus, &c. 644.1.B.

Hæc verba diuinitatis ab humanitate separationē non significant, sed totius consolationis carentiam. 691.1.A. Vbi quorundam Patrum suboscura verba explicantur.

QVINTVM. Sitio. 644.1.B.

Hæc sitis vnde orta, 638.1.C.

SEXTVM. Consummatum est. ibi.C.

Indicat completas de passione prophetias. ibi.

SEPTIMVM. Pater in manus, &c. 644.2.A.

Affectum erga Patrem ostendit. ibi.

Et certitudinem, ac securitatem, quod eius spiritus esset sub tutela, & protectione Dei. ibi.

His septem verbis testamentum nouum nullatenus conditum. ibi.C.

CHRISTI MORS.

Christus veré mortuus. 685.2.C.

Christi mors in se miraculosa non fuit, sed naturalis, quanuis miraculum supponens. 686.1.A. Nihilominus fuit violenta. 688.2.A.

Christus voluntate sua naturalis mortis tempus

non

nō anteuertit ibi.C. sed tunc sequuta est mors, cum naturales dispositiones defuere.687.1.C.
Cur Christus prius inclinauit caput, quàm emisisset spiritum 686 2.C.
Miraculum fuit, quod Christus morti proximus voce magna clamauerit.688.1.A.
Mors Christi voluntaria.688.B.& quomodo illam Christus vitare posset.646 2.C.
In Christi morte anima,& corporis separatio facta 689.1.A.
Humanitas esse desijt.ibi.B.
Vnio humanitatis ad Verbum destructa.ibi.
Non tamen vnio Verbi ad corpus, & ad animam. 689.2.B.& explicantur subobscura verba quorūdam Patrum.
In morte Christi noua forma cadaueris inducta in eius materiam 692.1.C.
Hæc forma num hypostaticè Verbo vnita.692.2. B.& sequentibus.
Corpus Christi mortuum idem cum viuo quomodo fuerit.692.2.A.
De Prodigijs in Christi morte, vide Verbo prodigium.
Christi mors quo anno ætatis eius accidit. 701. 2.C.
Quo mense.727.1.C.
Quo die.713.1.C.&.726.2.B.
Qua hora.736.2.B.
Christi mors quomodo operata nostram salutem. 685.1.C.

CHRISTI SANGVIS.

Christi sanguis effusus in passione mansit vnitus Verbo.888.2.C.
Christi sanguis cum alijs humoribus reassumptus in resurrectione.887.2.C.
Num fuerit corruptus cum effusus est.889.2.A?
Maneat ne adhuc aliqua gutta sanguinis Christi in terris 890.1.C.

VVLNVS LATERIS CHRISTI.

Christi latus lancea perforatum post mortem. 744.1.A.& cur.744.2.A.
Eua de costa Adæ dormientis educta figura Ecclesiæ de latere Christi dormientis in cruce formatæ.ibi.C.
Quod nam Christi latus vulneratum.ibi.
Ex Christi latere verus sanguis aquaq; manauit. 745.2.A.& quid in hoc significatum.ibi.C.& sequentibus.
Aqua,& sanguis per mixta ne fluxerint,an separata.746.2.C.

CAVSAE PASSIONIS CHRISTI.

Christus quo sensu dici possit causa suæ passionis. 646.2.C.
Causa efficiens passionis quę.657.2.C.
Pater æternus quo sensu dicatur,filium tradidisse: 649.2.B.

EFFECTVS PASSIONIS CHRISTI.

Christus passione sua homines à peccato liberauit.659.1.A.
Et á potestate Diaboli.670.& á pœna peccati.671. 2.A.
Quo modo passione sua Christus ianuam Regni aperuerit.674.1.A.

CHRISTI ANIMA SEPARATA.

Vnio Verbi ad Christi animam non est destructa per mortem.689.2.B.
Neque in corpore,neque extra corpus inferni cruciatus passa.784.1.A. neque purgatorij.ibi.C.
Insignis Caluini.& Brentij hæresis refellitur.783. 1.A.
Impassibilis fuit ab instanti separationis à corpore.785.2.B.
In triduo aliquibus perfectionibus accidētalis gloriæ caruit,sed propriæ nullam pœnam sustinuit. 787.1.B.
Quo sensu dicatur Christus fuisse in triduo. 682. 2.A.

CHRISTI DESCENSVS IN INFERNVM.

Christi anima in infernum descēdit.788.2.C.Estque articulus fidei 793.1.A.2.A. cōueniens hoc fuisse.766.2.C.
Secundum substantiam,ac realem ipsius præsentiam 790.2.A.
Cur ita descendit.792.1.C. Quo sensu dicatur totus Christus descendisse.771 2.C.
Christi anima quid operata circa Angelos sanctos.794.1.A.
Circa Sanctos Patres.ibi.
Circa animas damnatorum.795.1.B.
Circa illas,quę in solo originali discesserunt. ibi. & 770.2.A.& 779.1.B.
Circa animas in purgatorio existentes.798.2.C. & 781.1.B.
Ad quæ inferorum loca descenderit Christi anima.801.1.C.
Ad Sinum Abrahæ.ibi.
Non vero ad locum damnatorum.802.1.A.& quo sensu dicatur in hunc locū descendisse.769.2.C.
Neque ad locum puerorum.802.1.C.& 770.1.B.
Neque ad purgatorium.802.2.A.
Christi anima quo genere motus localis descendit.794.2.C.
Quantum in inferis commorata.803.1.B.&quid causauerit circa eiusdem Christi resurrectionem. 841.1.B.C.
Num simul educta fuerit de inferno Christi anima,& corpus de sepulcro.774.1.A.

CHRISTI CORPVS EMORTVVM.

Vnio Verbi ad Christi corpus per mortem destructa non est.689.2.B.
Quo modo fuit idem numero corpus Christi viuētis,& mortui.684.1.B.&.692.2.A.
Corpus Christi de cruce deponitur.& quo modo 747.2.C.Iosephi,& Nicodemi manibus.748.2.A.
Qua hora.ibi.C.
Vnguentis conditur,& ad sepulturam præparatur. 749.1.B.
Cur aromatibus corpus conditum.749.2.A.
Num aliquid in Christi resurrectione causauerit, 841.1.B.C.

CHRISTI SEPVLCRVM.

Valde conueniens,Christi corpus sepulturæ tradi. 752.1.B.
Modus sepeliendi Christum conueniens.753.2.B.
Qua hora corpus Christi sepultum.755.1.B.
Corpus Christi non est in sepulcro resolutum in cineres.742.1.A.
Quod diuina virtute accidit.742.2.B.
Quot horis in sepulcro fuit.857.1.B.
Num simul corpus de sepulcro,& anima de inferno educta fuerint.774.1.A.
Nū vere dicatur Deus iacuisse in sepulcro.738.2.B.
Christi sepulcrum quo sensu nostram salutem operatur.ibi,A.

Sepulcri descriptio. 959.1.B. Vbi Euangelistæ conciliantur circa aagelorum apparitiones.

CHRISTI AETAS.

De ætate Christi variæ sententiæ Sanctorum Patrum.699 2.C.

Vixit annis triginta tribus,& tribus mẽsibus.702. 1.A.

Quo anno ætatis Christi accidit miraculum nuptiarum.ibi.B.

Christus dominus Augusto adhuc imperante integros quatuordecim annos vixit,& octo menses. 430 2.C.

Tiberio vero imperante antebaptismum annos totidem,& menses quinque.ibi.

CHRISTI REDEMPTIO.

Christus vniuersalis omnium Redemptor.30 2.A.

Qui propriè redimentur.32. 1. B. & quid redimere.715.2.A.

Duplex modus redemptionis,erigendo,& præueniendo.46.1.C.

Quo modo proprium sit Christi Redemptoris nomen.715.2.A.

De redemptione B.Virginis,vide verbo Maria.

CHRISTI IVSTITIA.

Vera ratio iustitiæ intercedere potuit inter Christum,& Deum.454.2.B.

CHRISTI SATISFACTIO.

Vera ratio satisfactionis inter Christum, & Deũ esse potuit ibi:

CHRISTI MERITVM.

Quid Christus nobis meruerit passione suæ: 667. 1.A.B.& sequent.

Quo modo hominibus meruerit diuinam amicitiam.672.2.A.

CHRISTI INTERCESSIO

Quidquid impetratur á Deo, per Christum impetratur,364.2. A.

CHRISTI RESVRRECTIO.

Necessaria fuit.831.2.A.

Christus veré,ac propriè á mortuis resurrexit.834 1.C.Vbi multa ex sacra Scriptura: Surrexit in vero corpore humano.843.1.C.

Eodẽ numero,quod reliquit in cruce.ibidẽ.2.A.

Resurrectionis Christi causæ.839.1.C.& seq.

Finalis ibidem. Meritoria.840.2.A.

Efficiens.841.1.A.Instrumentalis. ibi.C.

Ministerialis.842.1.B.

Quid angeli operati circa Christi resurrectionẽ. ibidem.

Christi resurrectio die Dominica accidit.846.2.B.

Quo modo intelligendum, Christum die tertia,& post tres dies resurrexisse.847.2.C.

Quo modo interceserint quinquaginta dies inter diem resurrectionis Christi, & festum Pentecostes.848.1.C.

Resurrectio Christi qua hora accidit.851.1.A. Vbi explicantur varia loca Euangelistarum.

Quot horæ fluxerint á morte Christi ad eius resurrectionem.857.1.B.

Christus qua ratione fuerit primus omnium resurgentium.863.1.A.& seq.

Probabilius,nonnullos surrexisse cum Christo ad vitam immortalem.864.2.A.& seq.

Christi corpus integrum, ac perfectum surrexit. 880.2.B.

Etiam cum præputio 881.2.A.

Cum veris cicatricibus.882.2.C.& seq.

Cur huiusmodi manserint cicatrices.885.1.B.

Cum quatuor humoribus.886.2. C.& seq.

Cum toto sanguine in passione fuso. 887.2.C.

Cum magnitudine,& pulcritudine sibi connaturali.891.1.B.& seq.

Cum omnibus organis partis vegetatiuæ,ipsiusq; facultatibus.893.2.A.& seq.

Quanuis actiones non exercuerit. 894. 2. A. Nisi cum comedit.ibi.B.

Cum organis,& potẽtijs sensitiuis.895.2.C.& seq.

Cum motu locali.896.2 B.

Cum facultate loquendi.897.1.A.

Cum actibus omnium sensuum.898.1.B.& seq.

Cũ varijs perfectionibus supernaturalib⁹.903.2 A

Cum quatuor dotibus.ibidem.Et quomodo ad has aliæ perfectiones reducantur.906.1.C.2.B.

De his quatuor dotibus corporis Christi glorioſi post resurrectionem,vide verbo Dotes.

Christi resurrectio manifesta omnibus esse nõ debuit.935.2.C.

Custodes resurgentem Christum nusquam viderunt.936 1.A.

Cur resurrectio facta absentibus discipulis,secus ascensio.937.1.C.

Christus vbi commoratus post resurrectionem,cũ nullibi apparebat.940.1.C.

Quam vim habuerint argumenta, quibus Christus ostendit resurrectionẽ suam.973.1.B.& 976 2.C.

Angelorum apparitiones iuxta sepulcrum post resurrectionem quo ordine acciderunt.958.1. A. Vbi conciliantur Euangelistę circa huiusmodi apparitiones.

Christi resurrectio exemplar resurrectionis iustorum.1003.1.A

In quo cõsistat huiusmodi exemplaris causalitas. ibi.2.A.

Est etiam exemplar resurrectionis discedentium in originali.1004.2.A.

Non vero damnatorum.1005.1 C.& seq.

Christi resurrectio exemplar nostræ resurrectionis etiam quoad terminum à quo.1007 2.C.

CHRISTI APPARITIONES.

Christus Beatæ Virgini primo apparuit.942.2 C.

Mariæ Magdalenę apparuit antequam alijs mulieribus,ac discipulis,& quo ordine gesta res. 951. 2.A.& seq.

Quæ,& quot fuerint mulieres, quibus Christus apparuit.944.1.A Vbi multa de Maria Magdalena,& conciliantur Euangelistæ circa historiã harum mulierum.

Alijs mulieribus simul cum ipsa Magdalena eadẽ die iterum Christus apparuit.933.2.B.Et quo ordine res acta.ibidem.

Christus in die resurrectionis quinquies apparuit. 960.2.C.

Tertia apparitio Petro facta.961.1.B.

Cur mulieribus prius apparuit,quam Apostolis. 961.2.B.

Quarta apparitio duobus discipulis euntibus in Emauntem.962.1 B.

Qui fuerint illi.693.1.B.

Quinta discipulis congregatis,ibi.2 B.& de hac eadem intelligendos Ioannem,& Lucam.ibi.late.

In hac quinta apparitione Spiritũsanctum discipulis datum cũpotestate emittẽdi peccata.964.1.B

Conciliantur Lucas, & Ioannes circa numerum ibi

ibi congregatorum.ibi.2.C.
Historia resurrectionis,& apparitionum recto ordine texitur.965.2.B.
Sexta apparitio post octo dies, vbi Thomas, &c. 969.1.C.
Septima ad mare Tyberiadis.967.1.C. In qua visibilis Ecclesiæ monarchia constituta.968.1.C.
Octaua in monte Galilææ. ibidem. Cur facta in Galilæa.ibi. 2.B.
Nona recumbentibus vndecim discipulis.969.2.B.
Decima in die Ascensionis.ibidem.
Aliæ apparitiones præter eas,quæ abEuangelistis narrantur.970.2.A.
De apparitionibus Christi post Ascensionem.1057. 1.B,& sequent. Num ita apparuerit in terris, vt interdum non manserit in cœlo.1060.1.A.

CHRISTI ASCENSIO.

Cur facta coram discipulis,non vero resurrectio. 937.1.C.
Conueniens fuit.1025.1.B.& sequent.
Quo modo Christus intelligatur ascendisse, vel descendisse vt homo est, & vt Deus est. 1028.1. C. & sequent.
Christus dominus vere ascendit in cœlum,post resurrectionem.1041.2.A.
Motu successiuo.1043.1.C.
Ascendit supra superficiem conuexam supremi cœli.1044.1.B.
Causæ,& effectus ascensionis.1045 2.C.
Ex quo loco Christus ascendit.1046.1.A.
Quo die,& hora.ibi.2.A.& 1047.1.A.
Christus discipulis benedixit ante ascensum, & qualis fuerit illa benedictio.ibi.2.A.& seq.
De nube, quæ Christum ascendentem suscepit. 1048.1.B.
Comitatus Christi ascendentis.1049.1.A.
Num aliqui ascenderint cumChristo in corpore, & anima.ibi.B.

CHRISTI LOCVS IN COELO, ET sessio ad dexteram.

Quem locum Christus teneat in cœlo. 1032. 2. B. & sequent.
Quo modo dicatur ad dexteram Dei sedere.1036. 2.B.& 1049.2.B.
Sedere ad dexteram Dei,proprie est Christi.1054. 2. A.
Sanctis proportione tantum conuenit.ibi.C.
Cur honor dexteræ Christo tribuitur.1055.1.C.

CHRISTI REGNVM.

Christus in æternum regnaturus.1202.2.C.
Regni Christi amplitudo 1203.1.A.

CHRISTI POTESTAS IVDICIARIA.

Christo per appropriationē cōuenit 1062 1.A. seq.
Num filio conueniat secundum Diuinitatem, an secundum humanitatem.ibi.& 1566.1.B.
Cur Christo data iudiciaria potestas 1068.2.B.
Christi potestas iudiciaria ad res omnes se extendit.1070.1.A.
Christo domino,quatenus homini spetialis potestas data ad iudicium ferendū in iis,quæ ad præmium vel pœnam spectant.1074.1.B.
Hæc potestas,licet secundaria,vera tamen,acpropria.ibi.2.B.
Quo titulo conuenit Christo.1077.1.C.
Quando illi data.1078.1.A.
Num ex meritis.ibi.C.
Obiectum huius potestatis.ibi.2.B.
Actus eius.1079.1.A.& sequent.
Ad hanc potestatem pertinet, non solum iudicium vltimum,sed iudicia diuina meritorum viuentium.ibi.2.B.
Iudicia etiam particularia morientium.1084.1.A.
Ex quo tempore cæpit Christus exercere hanc potestatem. 1085.1.C.
De iis,quæ ad Christi iudicium finale pertinent, vide,Verbo Iudicium finale.

CHRISTI SECVNDVS ADVENtus adiudicandum.

Vide Verbo iudicium finale.

CIBVS.

De cibo,& potu,quo Christus vrebatur,vide Christi viuendi ratio.
Cibos parare Iudæi prohibiti certis temporibus. 717.2.A.

CIRCVNCISIO.

De circunciſione Christi,vide Christi circuncisio?
Non licet vti circunciſione, neque in exemplum Christi.282.2.C.
Iudei imponebant pueris suis nomina in circuncisione.275.1.B.& 278.1.C.
Christus non fuit subiectus,præcepto circuncisionis.275.2.A.
Cur circuncisio Abrahæ præcepta,ibi.C.
Quid significabat.ibi.& 276.2.B.
Circuncisio post Christum mortuum,multo tempore licita.ibi.C.
Circuncisio ex vi institutionis suæ non conferebat gratiam:sed tantum erat signum,ad cuius præsentiam dabatur a Deo.400.2.A.
Num fuerit sacramentum veteris legis.415.1.B.

COELVM.

Cur cœli aperti,cum Christus baptizatus.433.2.B
Cœlum non est diuisum descendente Spiritusancto super Christum baptizatum.440.1.B.
Quo sensu aperti dicantur cœli.ibi.C.
Aperti visi sunt,non solum a Christo, sed ab aliis præsentibus.440.2.C.
Cœlum ex sua particulari natura non magis postulat motum,quam quietem. 1201.2.A.
Non est corrumpendum per innouationem in die Iudicij,1190.1.B.& 1191.2.B.
Cœlum Empyreum idem numero mansurū post diem Iudicij,.1190.2.C.
Neque accidentaliter immutandum est.1191.1.C.
Alia cœlestia corpora accidentaliter innouanda: ibi.2.B.& 1195.1.A.& quo modo, ibi. 2.B. Sed igne alteranda non sunt.1194.1.C.
Cœli velocius concitandi ad mundi purgationem 1198.2.C.
Quieturi post diem Iudicij.1201,1.B.

COLOR.

Color & lux nullam repugnantiam inter se dicunt.910.2.A.

COLVMBA.

Cur in specie columbæ Spiritus sanctus apparuit in Christi baptismate.438.1.A.
Columba pacis præco ex Tertulliano.ibi.B.
Columba,quæ super Christum descendit,exterioribus oculis visa.442.1.B.
Non tamē vnita hypostatice Spiritui sancto,ibi.C.
Non fuit verum animal,sed apparens.443.1.A.
Post Christum baptizatum apparuit.444 1.B.
Christi capiti in sedite exoptatoMileuitano.448 2.A

COLVMNA.

De columna,ad quamChristus ligatus flagelis cæsus.906.1.B.

Romæ seruatur. ibi.

CONCEPTIO.

De conceptione Christi, vide Christi conceptio.
De conceptione B. Virginis vide. Mariæ conceptio.
Num maius miraculum sit, Virginem sine viro cõcipere, quam sterilem ex sterili. 14.1.B.
Non repugnat, sanctificari aliquem in instanti cõceptionis. 34.1.A.
Num Deus facere posset, vt, Adamo non peccante, aliquis eius filius in peccato conciperetur, 35. 1.C.
Semen quo modo concurrat ad conceptionem fœtus. 182.2.A. & 185.1.C.
Menstrua quo modo concurrant. 183.1B.
Quæ actiones in conceptione fœtus interueniant. ibi.C.
Conceptio & natiuitas in quo differant. 208.1.B.

CONCILIVM.

Quatuor prima concilia generalia cur congregata. 3.1 B.
Quæ concilia de Virgine agant. ibi. & 4.1.A.
Decreta concilij Trullani, quam autoritatem habeant. 233.1.B.
Concilium Iudæorum contra Christum quo die coactum. 586.1.A.

CONCIO, VEL CONCIONATOR.

Quædam cõcionatoribus seruãda. 500.2.B & seq.

CONCVPISCENTIA.

Concupiscencia carnis sine peccato esse potest, & quo modo. 472.2.A.B.

CONCVPISCENTIAE.

Beatæ Virginis aspectu sedabantur. 15.2.C.

CONFESSIO.

Accedentium ad Ioannis baptismũ qualis. 400.1.B

CONFIRMATIO.

Confirmationis sacramentum beata Virgo suscepit quantum ad effectũ in die Pẽtecostes. 314 1.C
Idem de Apostolis. ibidem.

CONSANGVINITAS.

Ioseph, & Maria quo gradu fuerint consanguinei. 19.1.A & 22.1.B.

CONTINENTIA.

Quo modo fuerit in beata Virgine. 62.2.A.

CORPVS.

De iis, quæ pertinent ad corpus Christi vide, Verbo, Christus, & sequent.
De iis quæ pertinẽt ad corpus beatę Virginis, vide Verbo Maria, & sequent.
Duo corpora in eodem loco penetrare se possunt Diuina virtute. 928.2.A. & 931.1.C.
Num secluso priuilegio, omnia corpora ante resurrectionem in cineres resoluenda. 1008.1. C.

CORPVS GLORIOSVM.

De dotibus corporis glorioſi, vide, Verbo, Dotes.
Corpora gloriosa non sunt omnia æqualia futura corpori Christi. 1003 2.B.
Corpus glorioſum quo modo se occultet, & manifestet. 872.1.B.
Vnde sit palpabile. 877.1.C. & 878.1.C.
Non agit ex necessitate naturæ. ibi 2.A.
In corpore glorioso, quomodo locutio futura. 897 1.A.B. Et visio. 898 1.B. Et auditio. 899.1. C. Et odoratus. 900.1.C. Et gustus. ibi.2.C. Et tactus ibidem.
In corpore glorioso quem effectum habeant naturales qualitates. 916 2.C.
Quo modo huiusmodi qualitates naturales corporis glorioſi percipiantur per tactum. 917.2, A.B.
Corpus glorioſum diuidi non potest, & cur. 921. 1.C.

CORPVS DAMNATI.

Quale futurum 1005.1.C.
In aliquibus perfectionibus naturalibus simile erit corpori Christi. ibi. 2.A. & sequent.
Quo modo simul futurum sit, & passibile, & incorruptum. 1006.2.B.

CORRECTIO.

Correctio fraterna quando adhibenda, vel non adhibenda. 501.1.A. vbi aliqua ex Patribus.

CREATVRA.

A Deo etiam violentiam pati potest. 518.2. A. vbi explicatur Augustinus.

CRVX.

Abiectissimum, & acerbissimum supplicij genus. 567.2.A. & sequent.
Longitudo, latitudo, & profunditas Crucis Christi 569.1.C.
Figurę crucis in veteri testamento. 570.1.A. & sequentibus.
Agnus Paschalis in figuram crucis assabatur duobus lignis affixus recto, & transuerso. 570 1.B.
Crux insigne, & quasi sceptrum regale imperij Christi. 611.1.C. vbi multa præclare ex Patribus in commendationem crucis, & cruciferi.
Crucis magnitudo, & partes. 612.2.A.
Crux apparitura in cœlo in secundo Christi aduentu. 1162.1 B. Qualis futura. ibi. 2.B. Quando apparitura. 1163.1.C. Quam diu duratura. ibi. 2.C. Quomodo apparitura. 1164.1.A.

CVLPA.

Non importat culpam obnoxium esse peccato originali. 36.1.C.

D.

DAEMON, VEL DAEMONIVM.

Incarnationis Sacramentum omnino ignorauit. 118.2.C.
Imo, vt illi celaretur, nupsit beata Virgo. ibi.
In ea ignorantia perseuerabat, cum Christum in deserto tentauit. 471.1.C.
Antequam caderet, sciebat, Christum esse venturũ 471.2.A. & 535.1.C.
Scriptura sacra Dæmoni non satis nota. ibi.
Princeps Dæmoniorum Christum tentauit. 472.1. & cur. 471.1.A.
Aliquando de Diuinitate Christi dubius fuit Sed ante eius mortem naturalem Dei filium agnouit. 534.1 A.
Multo tamen euidentius post resurrectionem. 535. 2.B.
Lapsus est, quia Christum vt caput, ac principem venerari noluit. 536 1.A.
Cur Christum agnoscens eius mortem procurauerit. ibi. C. & sequent.
Per se ipsum torquere Christum permissus non est 579.1.C.

DECRETVM.

Decretum, quo statuit Deus, omnes peccaturos in Adam, si ipse peccaret, quo modo intelligendũ. 34.2.B.
Decretum Pij quinti, de non disputando de beatæ Virginis conceptione, quo modo intelligendum 51.2.A.
Decreta concilij Trullani quam autoritatem habent. 233.1.B.

DENSITAS.

Eiusdem speciei, in omnibus corporibus. 877. 2.C.

DESCRIPTIO.

Descriptio Cyrini, de qua Luc. cap. 2. quo anno accidit. 2.401.A In quo lapsus est Iosephus Historiographus. ibi.

DESERTVM.

De secessu Christi in desertum, vide, Verbo Christi secessus in desertum.

DESPERATIO.

Ex suo genere maius peccatum, quam peccatum crucifigentium Christum. 656.1.A.

DEVS.

Per incarnationis mysterium cum hominibus affinitatem contraxit. 5.2.C.

Non permittit malum, nisi ob bonum. 47.2.B.

Creaturæ etiam à Deo possunt violentiã pati. 518. 2.B. vbi explicatur Augustinus.

Num Deus possit concurrere ad miraculum in cõfirmationem falsitatis. 520.2.C.

DEXTERA.

Quo sensu Christus dicatur ad dexteram Dei sedere, vide, Verbo Christi locus in cœlo.

DIABOLVS.

Vide verbo Dæmon.

DIES.

Quo modo quinquaginta dies intercesserint inter Dominicam resurrectionis Christi, & festum Pentecostes 848.1.C.

Qua ratione intelligendum, quòd Christus extiterit in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. 858.1.A.B.

Dies dominicus cur solemnis in Ecclesia. 847. 1.B.C.

Dies Lustrici apud Romanos, cum nomina pueris imponebantur. 278 2.B.

DISCRETIO SPIRITVVM.

Quid sit, & quo modo fuerit in Beata Virgine. 338. 2.B.

Discretio spirituum humilitati debita. 339.1.C.

Quo modo fuit in Ioanne Baptista. 391.2.C.

DIVERSORIVM.

Diuersorium in quo natus Christus, quale. 237. 1.C.

DIVINITAS.

Nata dicenda non est. 210.2.C.

Non est separata à Christi corpore, & anima in eius morte. 678.2.C.& 689.2.B.

DOLOR.

De doloribus Christi in passione, vide, Verb. Christi dolor.

Vnde causetur. 233.1.A.

In potentia animæ recipitur, cuius actus vitalis est 576.1.A.

Magnitudo doloris vnde causetur. 584.1.A.

Vnde sumat diuersitatem specificam. 584.2.A.

DOMINIVM.

De dominio Christi, vide, Christi dominium.

An Christus dominus sub dominio Ioseph aliquo modo fuerit. 132.1.A.

Dominium quid 456.2.C.

Quale dominium rerum habuerint Apostoli. ibi. 458.2.A.B.

In rebus vsu cõsumptibilibus quomodo distingua tur vsus a dominio. 458.1.A.

Beatus habet perfectum dominium suorum actuũ, etiam eorum, quos per corpus exercet. 872.1.B. & 878.1.C.& 902.1.B.

DOMINICVS DIES.

Vide Verbo Dies.

DOMVS.

De domo beatæ Virginis, vide Mariæ domus.

Domus Lauretana est ea, in qua Virgo nuntium accepit. 55 1.A.

DONVM.

Dona Dei proportionata muneribus, ad quæ homines assumuntur. 10.2.A.

DONVM LINGVARVM.

Quid sit, & quo modo fuit in beata Virgine. 340. 1.B.

In Ioanne Baptista non fuit. 392.1.B.

DOTES.

Dos corporis glorioſi quid sit. 547.2.B.

Num sit inhærens qualitas 545.1.A.

Quot sint dotes glorioſi corporis, & quid præstent. 903 2.A. & sequent.

Dos impassibilitatis in quo consistat. 915.1.C. & sequent. & 920.1.B.

Num sit æqualis in omnibus Beatis. 921.2.B.

Dos claritatis in quo consistat. 545.1.B.& 909.1.C. & sequent.

Diuersa speciei est a claritate Solis, & ignis. 554.2. B.& 913.1.A.

Ordinis supernaturalis est 554.2.B.& 913.1.C.

Claritas omnium Beatorum corporum eiusdem speciei, ibi 2.B.

Quo modo dicatur deriuari ex claritate animæ. 548.1.A.

In omnibus partibus corporis beati futura, 910. 1.A.

Nihilominus corpus ipsum transparens futurum. 911.1.B.

Claritas glorioſi corporis ad obiectum potentiæ visiuæ ad huc corruptibilis pertinet. 913.2.C.

A quo fit. 914.2.B.

Dos agilitatis in quo consistat. 921.2.C.& 923.1.A & 2.A.& sequent.

Ad quos motus deseruiat, ibidem late.

Vnde proueniat. 923.1.A.

A quo producatur. 924. 1.A.

Causat etiam in stantaneam mutationem loca lem, ab vno extremo ad alterum sine medio. 927.1.C.

Dos subtilitatis in quo consistat. 928.1.A. & seq. & 932.1.C.

Possibilem esse, late probatur eisdem locis. Beato conuenit ratione beatitudinis. 932.1.C.

Num Beati se inuicem penetrent per dotem subtilitatis. 934 1.A.

Num partem sui corporis cum parte penetrate possint. ibi.

DROMEDARIVS.

In Arabia nascitur. 264.2.C.

Velocissimus est ibi.

Magi dromedarijs vsi, cum ad Christum adorandũ venerunt, ibi.

E.

ELEMENTA.

Qua ratione purganda post finale iudicium. 1196. 1.A.& sequent.

De situ elementorum, post diem Iudicij. 1201. 2.C.

De elemẽtis in particulari, vide sub propriis verb.

ELIAS.

De Eliæ apparitione in Transfiguratione, vide Verbo Christi Transfiguratio.
Corpore, & animo viuus perseuerat. 556. 2. C.
Elias, & Henoc ad huc viuunt. 1122. 2. B.
Gloriam corporis, vel animæ adepti non sunt. 1123. 2. C.
In statu merendi non sunt. 1124. 2. B.
Confirmati sunt in gratia. 1125. 1. B.
Inordinatos motus non habent. ibidem.
Cõsolationibus, ac illustrationibus maximis gaudent. ibi. C.
Christum cognoscunt. ibi. 2. A.
Corporalibus cibis non indigent, ibi. C.
Quo in loco sint. 1126. 1. C.
Simul degunt inter se conuersantes. 1028. 1. B.
Secundi Christi aduentus præcursores futuri. ibi. 2. B.
Cur duo futuri præcursores. 1129. 2. C.
Per breue tempus hoc officio fungentur. 1030. 2. C
Martyrium subituri. ibidem.

EPHESINVM CONCILIVM.

Protuenda beatę Virginis dignitate congregatum 3, 1. B.

EPHESVM.

Ibi B. Virgo, post filij mortem simul cum Ioanne Euangelista aliquando habitauit. 311. 2. B.

EPHRATA.

Ephrata idem, quod Betlehem. 236. 1. A. fructiferam significat. ibi. B.

EPISTOLA.

Epistola beatæ Virginis ad Ignatium incertæ auctoritatis. 338. 1. C.
Epistola Christi ad Abgarum incerta. 497. 2. C.

ESSENI.

Inter Iudæos castitatem seruabant. 115. 2. B.

ESSENTIA DIVINA.

Probabile est, clare visam a Moyse, & Paulo in hac vita. 332. 1. C. quãuis probabilius sit, nõ visã. 332. 2. C. sed a B. Virgine clare visam in hac vita. 150. 2. C. & 331. 2. C.

EVA.

De costa Adæ dormientis educta Ecclesiam figurat de latere Christi formatam. 744. 2. C.

EVANGELIVM.

Qualis futura Euangelij promulgatio ante diem Iudicij, vide, Verbo, Iudicium.

EXTREMA VNCTIO.

Num iis tantum conferenda, qui aliquando peccauerunt. 314. 2. A. & sequentibus.
Num a B. Virgine accepta. 314. 1. C.

F.

FALSITAS.

Num Deus possit specialiter concurrere ad miraculum in confirmationem falsitatis. 529. 2. C. & sequentibus.

FAMES.

Aliquando non sentitur ex nimia attentione animæ. 483. 1. C.

FATVM.

Hæreticum, generationes hominum fatali necessitate prouenire. 296. 2. B.
Stella a Magis visa non fuit fatum pueri Iesu, sed potius ille fatum stellæ. ibi.

FEL.

Quando Christo datum in escam iuxta vaticinium Dauid. 933. 1. A.

FOEMVR.

Sub fęmore cur posita manus serui Abrthã. 18. 2. C

FESTVM.

Quę festa ecclesia celebrat in honorem beatæ Virginis. 354. 1 C.
Quæ in honorem Dei optimi maximi. 354. 2. C.
De quo festo loquitur Ioannes cap. 5. cum inquit. *Erat dies festus Iudæorum, &c.* 503. 1. C.
Festum Phase, seu Paschæ distinctum a festo Azymorum 704. 1. B, & de horum festorum præcepto, & differentiis. ibi. & sequentibus.
De aliis quæ ad hęc festa pertinẽt, vide verb. azyma
Duos dies festos continẽter celebrare nõ erat incommodum apud Iudæos. 720 1. C.

FIDES.

Potest Papa aliquid de fide definire sine explicita Dei reuelatione, etiam si in Scriptura sacra expressum non sit. 50. 2. A. & B.
Circa B. Virginis conceptionẽ nihil adhuc de fide definitum. 51. 1. A.

FIDES MIRACVLORVM.

Quid sit, & quo modo fuerit in B. Virgine. 340. 2. B. & sequent. In Ioanne Baptista non fuit. 392. 1. C.

FILIATIO

De filiatione Christi, vide Verbo, Christi filiatio.
Num eadem filiatio maneat in eadem natura cũ diuersa ratione subsistendi 6. 2. B.

FILIVS.

Quid requiratur ad denominationẽ filij. 6. 1. A.
Homo prius est filius Adę quã filius gratiæ. 35. 2. C

FOEMINA.

Num actiue concurrat ad generationem prolis. 181. 1. B. & sequentibns. & 185 1. B.

FOETVS.

Quæ actiones interueniant in generatione fœtus. 183. 1. C.
Fœtum in instanti organizari nõ repugnat. 196. 1. B

FOMES.

Fomes peccati quid. 53. 2. C, & sequent. & 70. 1. C.
Quid sit ligari, Quid extingui. 71. 2. C.
Intrinsece sequitur ex originali culpa, carentiaq; originalis iustitiæ. 382. 2. B.
Apostolis ablatus non est. 383. 1. A. Nec Ioanni Baptistæ. 382. 2. B. In B. Virgine nõ fuit. 70. 2. A. 72. 2. B.

FONS.

Fons Olei dicitur Romæ fluxisse Natiuitatis tempore. 256. 1. B.

FORMA CADAVERIS.

Introducta in materiam corporis Christi mortui. 692. 1. C.
Verbo Diuino vnita hypostatice. 692. 2 B. & sequẽtibus.

FRATER.

Fratres Christi in Euangelio qui. 97. 1. C.
Mariæ Virginis filij non fuerunt, ibi.
Neque Ioseph. 98. 2. C.
Fratres Christi dicuntur propter consanguinitatẽ veram, vel existimatam. 100. 1. A.
Quatuor modis aliqui dicũtur fratres in sacra Scriptura. ibi. B.
Fratres Christi dicti quo gradu fuerint eius consanguinei. ibi C.

G.

GABRIEL ANGELVS.

Vide verbo Angelus Gabriel.

GENEALOGIA.

De

De genealogia Christi, vide Christi genealogia.
De genealogia B. Virginis, vide Mariæ genealogia

GENERATIO.

Hæreticum, hominum generationes fatali necessitate prouenire, ex astrorum constellatione. 269.2.B.
Generatio substantialis in materia prima subiectatur. 209.2.C.
Generatio substantialis hominis successiue fieri potest Diuina virtute. 815.2.C.
Alia vide supra, Verb. conceptio.

GRATIA.

De gratia Christi, vide Verbo, Christi gratia.
De gratia B. Virginis, vide, Verbo Mariæ, gratia.
Gratiæ dignitas num maior sit, quam dignitas matris Dei. 8.1.C.
Homo prius intelligitur filius Adæ, quã filius gratiæ. 35.2.C.
Gratia viatoris intensior esse potest, quam cõprehensoris. 61.2.C.
Gratia habitualis viæ intrinsece non mutatur in patria. ibi.
Confirmatio in gratia in omnibus confirmatis eiusdem rationis. 67.1.B.
Aliquibus concessum, vt operarentur quantum possent per dona gratiæ. 309.2.B.
Augmentum gratiæ, quod actibus respõdet, statim conferri. 317.2.C.
Pulcra collatio inter gratiam primi Angeli, & B. Virginis. 316.2.C.
Gratiæ dona statui, ac muneri vniuscuiusque accomodantur. 319.2.B.
Fons gratiæ Christus, a quæ ductus B. Virgo, riuuli cæteris sancti. 321.1.C.
Gratia necessaria adobeundum munus nulli vnquam negata, sæpe maior, quam munus postulet concessa 377.1.C.
Sine gratia in hac vita nemo saluatur. 779.2.A.
Infans, qui per martyrium saluatur, quando recipiat gratiam. ibi.

GRATIA FIDEI, ET MIRACULORUM.

Vide, Verbo, Sermo fidei, & Verb. Fides miraculorum.

GRATIAE GRATIS DATAE.

De gratiis gratis datis, vide sub. propriis verbis.
Non dantur propter propriam perfectionem, sed ad vtilitatem aliorum. 391.2.C.

H.

HAERESIS, VEL HAERETICI.

Hæretici negãtes B. Virginẽ vere matrẽ Dei. 3.2.C
Errantes circa stirpem B. Virginis. 16.1.B.C.
Asserentes, errorem esse, festum conceptionis beatæ Virginis celebrare. 50.1.B.
Imponentes B. Virgini grauissima crimina. 63.1.B. & sequentibus.
Asserẽtes Christum ex Ioseph o conceptũ. 95.1.A.
Errantes circa Deiparæ virginitatem. ibi. & 99.2.A. & 104.2.A.
Errantes circa Christi fratres. 106.2.C.
Errantes circa propositum virginitatis B. Mariæ. 105.2.C. Et similiter circa votum. 109.2.A.
Errantes circa veram Christi natiuitatẽ. 231.1.A.
Errantes circa adorationem B. Virginis. 353.1.A.
Asserentes B. Virginem præcipuam causam nostræ salutis. 360.1.C.
Negantes intercessionem B. Virginis, aliorumq; Sanctorum pro hominibus. 362.1.B.
Negantes B. Virginem orandam. 365.1.C.
Errantes circa baptismũ Ioannis. 408.1.A. & 412.2.C. Errantes circa munus Ioannis. 370.1.A.
Errantes circa Christi dolores. 578.1.B.
Errantes circa Iudæ facinus. 587.2.C.
Negantes, Christum vere crucifixum. 613.2.A. Ac vere mortuum. 685.2.C.
Errantes circa animam separatã Christi. 783.1.A.
Errantes circa locum inferni, 788.1.B.
Errantes circa resurrectionem Christi 834.1.A.
Errantes circa corpora resurgentium. 902.2.C & sequentibus.
Errantes circa generalem resurrectionem. 981.1.C. & sequent.
Errates circa mille annos regni Christi, dicti Millenarij, 1013.2.B.
Errantes circa Christi Ascensionem in Cœlum. 1040.2.C.
Errantes circa iudiciariam potestatem Christi. 1073.2.C.
Errantes circa vniuersale iudicium, 1086.1.B.
Errantes circa Antichristum. 1106.1.A.
Errantes circa aduentum Eliæ, & Henoc. 1128.
Errantes circa æternum Christi regnũ. 1202.2.B.
Beata Virgo quo modo cunctas hæreses interemisse dicitur, 325.2.A.B.

HELENA.

Crucem Domini, & clauos inuenit. 615.2.A.

HELIOPOLIS.

In ea latuit Christus, cum fugit in AEgyptum. 299.2.A.

HENOCH.

Vide verbo Elias.

HERMOPOLIS.

In ea accidit miraculum arboris flectentis se ad ingressum Iesu. 297.2.A.
Habuit templum, in quo Christo ingtesso idola cõfracta. ibi.

HERODES.

Cur turbatus cum omni Ierosolyma ad Magorũ aduentum. 268.2.C.
Quando cepit machinari in teriũ Christi. 294.2.B.
Quando regnare cepit. 299.1.C. & 2.C.
Quandiu regnauit. ibi.

HOMO.

Aliquem purum hominem esse innocentem, ad humanæ naturæ dignitatem pertinuit. 48.2.B.

HORA.

Horæ quo modo computabantur apud Iudæos. 733.1.A.
Quot horæ fluxerunt a Christi morte ad eius vsq; resurrectionem. 857.1.B.C.
Quot horis iacuit in sepulcro Christi corpus. ibi.

HVMILITAS.

Illi debetur discretio spirituum. 339.1.C.

HYSSOPVS.

Quid sit. 637.2.B.
Quo modo spongia hyssopo circumposita, vt Christo crucifixo propinaretur acetum, ibi. late.

I.

IACOBVS.

Fuerint ne tantum duo Iacobi, de quibus mentio in Euangelio. 102.1.A. & sequentibus.

IDOLVM.

Incertum, idola AEgypti corruisse ingrediente Iesu. 297.2.B.

INDEX RERVM.

IEIVNIVM.

De ieiunio Christi, vide Christi Ieiunium.
Ieiuniũ instar alarum ad contemplationẽ. 481.2.A.
Consuetudo ieiunandi feria quarta, quia eo die vẽditus Christus. 586.1.C.
Iudæi aliquot diebus ieiunabãt, vt se præpararẽt ad esum agni. 709.2.A.

IEPHTE.

Quidam eius sacrificium sic intelligunt, quod vouerit filiæ virginitatem Deo. 114.2.C.
Verius, quod occiderit. 115.2.A.

IEREMIAS.

Vere mortuus in Aegypto, neque in secundo Christi aduentu præcursor futurus. 1132.1.A.

IERVSALEM.

Quo modo dicatur in medio mundi sita. 623.1.A.
Cur Christus in ea passus. 622.2.C.

IESVS.

Vide Christi nomen.

IGNIS.

Verus, & sensibilis futurus in die iudicij. 1516.1.C.
Ad quem finem. ibi 2.B. & seq.
Num ante, vel post iudicium futurus. 1157.2.B. & 1160.2.A. & 1161.2.A. 1192.B.
Eiusdem naturæ erit cum elementari. 1162.1.A.
Ignis elementaris non est purgandus in die iudicij. 1196.1.C.
Ignis conflagrationis post diem iudicij, qualis futurus. 1199.1.A.
Ex qua materia fiet. 1199.1.B. Causę illius. ibi. C.
Magnitudo illius. ibi. 2.B.
Num mixta igne consumenda sint in die iudicij, vt amplius non sint. 1200.1.A. & seq.
Ignis superuacuus cũ excrementis terræ post diẽ iudicij in infernum detrudendus. 1201.1.A.

IGNORANTIA.

Prauæ dispositionis, & priuatiua. 335.1.B.

INCARNATIO.

Per incarnationis mysterium omnes modi affinitatis cõtracti sunt inter Deum, & homines. 5.2.C.
Dæmon incarnationis mysterium omnino ignorauit. 118.2.C. & seq.
Incarnatio Verbi quarto mense post Virginis desponsationem accidit. 128.2.C.
Cur incarnatio. B. Virgini nuntiata. 138.2.C.
Incarnatio Verbi quo Annuntiationis instanti accidit. 13.1.B.

INFERNVM.

In infernũ Christũ descendere cõueniens. 766.2.C
Quo modo dicatur totus Christus descendisse in infernum. 772.1.A.
Num simul fuerit Christi anima educta de inferno, & corpus de sepulcro. 773.2.C.
Christus secundum animam in infernum descendit. 788.2.C.
De ijs, quæ pertinent ad descensum Christi in infernum, vide Christi descensus in infernum.
Num alicui in inferno existenti inde liberari contigerit. 795.2.C. & 798.1.C.

INFIDELITAS.

Maius peccatum ex suo genere, quàm peccatum crucifigentium Christum. 655.2.C.

INTERPRETATIO SERMONVM

Quid sit, & quomodo fuerit in B. Virgine. 338.1.C.
Quo modo in B. Ioanne Baptista. 341.2.A.

IOACHIN.

Pater B. Virginis sacerdos non fuit. 13.2.C.

IOANNES ABBAS.

Delicijs rerum diuinarum intentus non recordabatur, an pridem comedisset. 483.1.C.

IOANNES BAPTISTA.

Habuit vsum rationis in vtero matris. 75.1.B.
In cœlo non est minor Ioannes, quàm Apostoli secundum Anselmum. 136.2.A.
Præcipuę de Ioanne prophetiæ. 368.1.B.
Præcursoris voces, signa Iudęis aduentus Messiæ. ibi. C.
Cur vox appellatur. 368.2.A. Cur Angelus. ibi. B.
Figmenta hæreticorũ circa Ioãnis munus 370 1.A.
Præcipuum Ioannis munus, testimonium de Christo perhibere. 370.2.A.
Nullo modo ad Ioannem pertinuit legem gratię ferre, aut nouum testamentum condere. ibid. C.
Præceptum de susciendo baptismo in lege gratiæ á Ioanne latum non est. 371.1.C
Ioannes neque immutauit, neque abrogauit legẽ veterem. 371.2.B.
Sed ad Euangeliũ transmisit ex Augus. 372.2.A.
Ioãnes initiũ legis nouæ, & finis antiquæ. 374.1.A.
Eximiã gratiæ perfectionem consecutus. 374.2.A
Ioannis laudes á Christo prædicatæ. ibi. C.
Vita Ioannis in Euangelio descripta. 378.2.A.
Collatio sanctitatis Ioannis cum aliorum sanctitate. 374.2.C. vbi multa ex Patribus in commendationem Ioannis.
B. Virgine sanctitate inferior fuit 376.1.C.
Ex Christi verbis non colligitur Ioannem sanctiorẽ esse omnibus Sanctis noui testaméti. 376.2.B
Apostolis inferior fuit munere, & officio, ex quo non fit esse inferiorem sanctitate. 376.2.C.
Vitæ genus sine miraculis fecit admirabilem Ioãnem. 377.1.B.
Præstantior in sanctitate antiquis Patriarchis, & Prophetis. 378.2.A.
Ioannis conceptio ab angelo nuntiata. ibi. Et ab eodem angelo á quo Christi conceptio. ibid. B. In secretiori parte templi facta. ibid. Grauissimis verbis & prędictionibus. 379.1.A. Nomine diuinitus impositio, quod gratiam significat. ibid.
Ioannes in vtero sanctificatus vbi donum Prophetiæ, vsum liberi arbitrij, perfectam Christi cognitionem accepit. 379.1.B 387.1.A.
A conceptione vsque ad natiuitatem plurimũ ingratia, & virtutibus creuit. ibi. C.
In eremum secessit ab ipsa infantia. 379.2.A. In deserto angelica vita Ioannis. ibid. Vbi multa ex Patribus. In spelunca cum matre delituit, Herodianæ persequutionis tempore. 380.1.C.
Mortua Elizabeth angelus Ioannis curam suscepit ibid.
Perfectissimum statum vitæ actiuæ, & contemplatiuæ Ioãnes assequutus. 380.2.B. vbi multa ex Patribus.
Victus eius, & vestitus. ibid.
Regnum cęlorum primus clare, & distincte nuntiauit. 381.2.C.
In peccato originali conceptus. 382.1.C. Fomiti subiectus, & motibus sentiẽtis appetitus. 382.2.B
Zona Ioannis quid significabat. 383.1.B.
Non caruit omni culpa veniali. ibi. Quanuis probabile sit, ex plena deliberatione nunquã peccasse. 384.1.B.
Mortaliter nunquam peccauit. ibi. C. In gratia cõfirmatus in prima sanctificatione. ibid.

Nihil

Nihil ignorauit ad perfectionem sanctitatis necessarium.385.2.B.
De facie tamen non nouit Christum ante baptismum,387.1.C.
Quo tempore Christum aperte cognouit.ibi.
In illo fuerunt omnes virtutes per se infusæ,& Spiritus sancti dona,389.2.B.
Vere,ac proprie Propheta fuit.ibi. Cur a Christo plusquam Propheta dictus,390.1.A.
Apostolus etiam fuit.ibi.B.
Gratiæ gratis datæ Ioanni.391.2.A.& sequentib.
Gratiam miraculorum non habuit.392.1.C.
Priuilegia Ioannis.392.2.C.
Excellentem gradum essentialis gloriæ consequutus.393.1.B.
Eius anima,cum primum discessit de corpore, in Sinum Abrahæ recepta. ibi.
Probabile,Ioannē a Christo baptizatum.393.2.B.
Num ad nouum Testamentum pertineat, an ad vetus.393.1.C.
Triplex Ioannis aureola 394.1.B.
Num Virginitatem vouerit.394.2.A.
Trigesimo secundo ætatis anno occisus. 395.1.B.
Sebaste sepultus.ibi.
Quo tempore prædicare cæpit.431.2.A.
Collatio interviuendi rationem Ioannis, & Christi,461.2.C.& 465.1.C.
Testimonium Ioannis de Christo tale, vt non assentiens peccaret.525.2.B.

IOANNES EVANGELISTA.

Vere mortuus,1133.2.C.& sequentibus.
Cum Christo regnat beatus.ibi.
Nondum resurrexit.1135.1.A. Licet contrarium sit probabile ibidem,& 347.1.B.
Nō futurus secundi aduentus præcursor.1135.1.B
Martyr habendus.ibi.2.A.

IORDANIS.

Quo tempore filij Israel Iordanem transierunt. 504.2.A.

IOSEPHVS PATRIARCHA.

Quantivēditus a fratribus.589.1.B.& 590.2.A.

IOSEPHVS SPONSVS VIRGINIS.

Num sit sufficiens ratio,vt dicatur Christus filius Dauid,quod fuerit filius adoptiuus Ioseph. 16.2.A.
Ioseph filius adoptiu⁹ Heli Patris Virgin.19.2.BC.
Ioseph,& Maria quo gradu fuerint consanguinei, non constat.19.1.A.22.1.B.
Non fuerunt filij Ioseph,qui in Euangelio fratres Domini dicuntur.98.2.C.
Defunctus ante Christi passionem. 525.1.B.& 130.1.A.
Quo animo fuerit Ioseph, vxorem concepisse ratus.127.1.C.
Qua ætate beatæ Virginis nupsit.129.1.A.
Incertum fuerit ne faber lignarius,an faber ferrarius 130.1.C.
Dignitas Ioseph quanta.130.2.B.& confertur cum dignitate Præcursoris,& Apostoli 136.1.A.
Sponsus Deiparæ fuit 130.2.C. Per verum matrimonium.123.1.B.& sequentibus.
Pater Christi putatus,& appellatus,ibi & 123.1.C.
Quæ patris officia erga Christū exercuit.131.1.C
Eius pupillus Christus fuit, & adoptiuus filius, 131 2.B.& sequentibus.
Beatæ Virginis caput fuit, & ipsius Christi quodāmodo.132.1.B.
Sanctitas Ioseph quanta. 134.1.B. Num maior fuerit,quam Apostolorum.135.1.C.
Quædam Iosephi priuilegia incerta.137.1.C.
Dona scientiæ,& sapientiæ Ioseph 137.2,A.
Sepulcrum sancti Ioseph.345.1.A.
Probabile anima, & corpore cum Christo regnare,ibi.

IOSVE.

Nomen mutauit, cum missus est a Moyse in terrā promissionis, Iesusque appellatus.281.1.B.

IVDAEI.

Qui in Christum crediderunt,cognouerunt illum esse Messiam,& verum Deum.539.1.B. Qua cognitione.ibi.
Quæ fuerit Iudæorum cognitio in Christum non credentium .540.1.B.,540.2.C.541.1,C.542.1.B.
Concilium Iudæorum contra Christum quando contigit.586.1.A.
Cur Christum pecunijs emerint.587.2.A.
Cur a Pilato petierunt, vt Christum crucifigeret 609.2.A.
Apud Iudæos acetum,aut vinum dabatur damnatis in supplicio.636.2.B.&.638.2.A.
Quibus temporibus Iudæi prohibiti parare cibos. 717.2.A.
Iudæi aliquot diebus ieiunabant, vt se præpararēt ad Pascha.709.2.A.
Iudæorū conuersio quādo consummanda.1141.1.B.
Zonis laneis vsi.381.1.B.

IVDAS ISCARIOTES.

De aliquibus,quę pertinent ad venditionem Christi;vide Verbo, Christi venditio.
Osculo Christum tradidit,& Cur.593.2.C.
Quæ peccata in eo actu commiserit.594.2.C.
Peccatum Iudæ num maius fuerit,quam crucifigētium Christum.657.2.A.
Christi signa vera esse non credidit secundum Hieronymum.594.2.A.

IVDICIVM.

Ad actum iudicandi quæ requirantur.1075.2.C.
Iudicium discussionis,& condemnationis quid.1171.C.2.B.
De Christo iudice, Verb. Christi potestas iudiciaria.

IVDICIVM FINALE priuatum.

Iudicium particulare vniuscuiusque fit statim post mortem 1081.1.B.& quo tempore. 1082.2.C. quo in loco.1064.1.A.
Qua ratione ad Christum pertineat,ibidem.
Num animæ, quæ particulari iudicio iudicantur, iudicem videant.1085.1.A.

IVDICIVM VNIVERSALE.

Aliquando futurum vniuersale Iudicium viuorum, & mortuorum.1086.2.B.
Quibus de causis.ibid.
Quo in loco.1095.2.C.& sequent.
Quo tempore.1097.2.C. & sequentibus.
Constare non potest de die iudicij.1099.2.A.& seq.
Num ex speciali priuilegio alicui sit notus dies iudicij.1100.2.B.
Predicatio Euangelij,in toto orbe, signum instantis iudicij.1137.1.C.&.1140.2.A.
Non omnes hac prædicatione conuertendi. ibidē.
Nec Iudęorum conuersio consummanda,sed postea per prædicationem Eliæ,& Henoch. 1141.1.B.

Nec simul in omnibus prouintiis Euangeliũ prædicandum. ibi. 2. C.
Quo tempore, & ordine vniuersalis Euangelij promulgatio futura. 1142. 2. A.
Euersio Imperij Romani signum instantis iudicij. 1143. 2. C.
Qua ratione illa euersio futura. 1144. 1. B.
Euersio Romanæ Vrbis num signum sit instantis iudicij. 1145. 2. A.
Signa iudicij in cælo num ante vniuersalem hominũ mortẽ, & resurrectione apparitura. 1147. 2. C
Huiusmodi signa qualia futura. 1149. 1. C.
De signis in elementis, & hominibus. 1153. 1. C.
Ignis verus, in die iudicij futurus. 1157. 2. B.
Multa de hoc igne vide Verbo, Ignis.
In extremo iudicio Christus dominus, non solum per diuinitatem, sed etiam per humanitatẽ iudex futurus. 1089. 1. B.
De cœlo ad terram veniet ad iudicandum. 1090. 1. B. Qua gloria. 1164. 1. C. In nubibus veniet. ibidem. 2 B. & in virtute multa, ibidem. Cum Angelis omnibus in assumptis corporibus lucidissimis. 1165. 1. C. Sedens in throno. ibidem. 2. C.
Sancti aliqui cum Christo iudicabunt. 1166. 1. C.
Quinam futuri ibidem. 2. C. Quomodo cũ Christo sessuri. 1170. 2. A. Quem actum iudicandi exercebunt. 1166. 2. B.
Num Angeli etiam iudices futuri. 1169. 2. C.
Qui sunt ad Iudicium vocandi. 1170. 2. C.
Iudicium discussionis, & condemnationis quid. 1171. 1. C. & sequent.
Quo modo omnes homines iudicandi 1172. 2 C.
Quo modo paruuli, qui in originali discesserunt, iudicandi. 1173. 2. C.
Omnium Iustorum merita in generali iudicio promulganda. 1176. 1 C.
Peccata similiter tam mortalia, quam venialia. 1177. 1. A.
Qua ratione Sancti iudicandi. 1178. 1. B.
Num Christus iudicandus. 1179 1. A.
Angeli in iudicium comparituri. ibi. 2. B. & iudicandi. 1180. 1. A.
Iudicium finale sensibile futurum quo ad mutuam præsentiam iudicandorum, & iudicis. 1181. 1. C.
Reprobi non videbunt dignitatem iudicis, sed gloriam, & maiestatem humanitatis. ibi 2. A.
Non apparebit Christus crucifixus, sed cum insignibus crucifixionis. ibi. C.
Opera iudicandorum tam bona, quam mala, omnia omnibus manifestãda. 1182. 1. B. & seq.
Partim mentali, partim vocali manifestatione. 1183. 2. B.
Vnusquisque particulari sententia iudicandus. 1184. 2. C.
Quę sententiæ partim mentales erunt, partim sensibiles. 1185. 2. C.
Deinde generalis ferenda. ibidem.
Quandiu duraturum iudicium, & quo modo absoluendum. 1186. 1. A.
Finito iudicio in cœlum Christus cum electis ascendet. ibi. 2. B.
Venturus ex Oriente, versus Occidentem in cœlum rediturus ibi. C.
Reprobi descendent in infernum 1187. 1. A.
Quos hiatu suo terra deglutiet. ibi. B.
Secus de paruulis qui in originali discesserũt ibi, C
Mundus statim post iudicium renouandus. ibi. 2. A.
De renouatione mundi, vide Verbo Mundus, Cœlum, Elementa, Ignis. Aer, Aqua, Terra, Mixta.

IVSTIFICATIO.

Potius terminus miraculorum, quam miraculum dicenda, nonnunquam tamen etiam miraculose accidit. 221. 2. B.

IVSTITIA.

De iustitia Christi, vide Christi iustitia.
Iustitia originalis quid. 74. 1. B.
Quo modo fuerit in B. Virgine, vide Verbo, Mariæ immunitas a peccato.

L.

LANCEA.

Lancea vulneratur Christi corpus post mortem. 744 1. B. Quo in latere. 744. 2. B.

LATRO.

Latrones cum Christo crucifixi. Et cur. 626. 1. C.
Conciliantur Euangelistæ circa latronum improperia. 626. 2. B.
An ambo blasphemauerint. 626. 2. B.
Fuerint ne clauis affixi. 627. 1. A.
Quid mouit latronem, vt se ad Christum conuerteret 627. 2. A. & 628 2. A.
Martyr non fuit, nec baptizatus. 628. 2. B.
Quid Christus latroni pomiserit dicens, *Hodie mecum eris in paradiso*. 629 1. B.
Nõ vidit Deũ primus post Christi mortẽ. 629 2. A
Num statim, ac obiit, gloriam adeptus sit. ibi. C.

LEX.

Lex Iudęorum, vt intra eandem tribum matrimonia contraherent, vniuersalis non fuit, & quo modo intelligenda. 17. 1. C. & sequentibus.
A lege communi nascendi in peccato B. Virgo excipienda. 25. 1, B.
Quo modo intelligenda lex in Adamo peccãte omnes peccaturos 34. 1. B.
In lege veteri præceptum non fuit, castitatem prohibens. 107. 1. C.
Num in illa lege melius, & consultius virginitatẽ seruare. 108. 1, B.
In veteri lege multi viri sancti virginitatem seruarunt 108. 2. B.
Beata Virgo non fuit in vniuersum libera ab omni veteris legis obseruatione. 285. 2. B.
Lex de solennitate azimorum. & Phase, lata Exod. 12 explicatur. 704 1. A.
Lex Exod. 13 de sanctificandis primogenitis explicatur. 286, 1. B.
Lex Leuit. 12. de purificatione fœminarum. ibi. C
Lex de purificatione fœminarum abrogata, sicut aliæ cęremoniæ veteres. Et quo modo nunc liceat fœminis, pueros suos offerre in Templo. 293. 2. A.
Ioannes Baptista neque immutauit, neque abrogauit veterem legem, nec fuit autor nouæ. 371. 1. A. & 2. B.
Lex vetus ante Christum grauida, à tempore Ioannis cępit parturire. 373. 2. A.
Quomodo lex vsque ad Ioannem dicitur durasse. ibi.

LIBIDO.

Per libidinem traducitur originale peccatum. 54. 2. A,
An sit peccatum, verb. concupiscentia.

LIMBVS.

De limbo sanctorum Patrum, vide Sinus Abrahę.
Num Christus ad limbum pnerorum descenderit.

tir.770.1.B.& 802.1.C.

LOCVS.

Locus in templo Salomonis virginibus dicatus. 95.1.A.

In eo virgines separatæ a nuptis orabant.101.2.B.

Quo loco annuntiatio Angelica B. Virgini facta.154.2.C.

Necesse est,res omnes etiam spirituales alicubi esse præsentes,& quo modo.763.2.C.Etiam cum nihil operantur.792.2.A.B.

Loca diuersa animabus separatis designata pro diuerso statu earundem.764.1.A.

Animæ discedentes cum originali, & veniali quo in loco recipiantur.764.2.A.

Non repugnat,duo corpora esse simul quantitatiue in eodem loco.731.1 B.

LOCVTIO.

Quo modo futura incorporibus gloriosis.897.1.B.

LVMEN.

Quo modo est actus perspicui in corpore terminato,&c.910.1.A.

LVX.

Lux, & color nullam repugnantiam inter se dicunt.910.2.A.

M.

MADIAN ET EPHA.

Quæ regiones sint,261.2.B.

MAGI.

Vide,Verbo,Christi manifestatio.

MALVM.

Non permittitur,nisi propter bonum.472.B.

Malum culpæ non potest dici in Christo deificatũ. 571.2.B.secus de malo pœnæ,ibi.

MARIA.

Maria Cleophe eadẽ fuit,quę Maria Iacobi.98.2.A

Historia de tribus Mariis filiabus Annæ fundamentum non habet.100.2.B.

Maria soror Moysis num virgo fuerit.115.1.B.

Maria Magdalena vna tantum fuit.945.2. C. Soror scilicet Lazari.946.2.A Peccatrix illa.947. 2.A. A qua Christus septem dæmonia eiecit. 948.2.A. Quæ Domini pedes vnxit. Cuique Christus primo apparuit.ibi.

MARIA DEIPARA.

Scientia de Deipara Maria ad Theologum pertinet.1.2. C. Loca sacræ Scripturæ, quæ ad hanc scientiam conferunt.2.1.B.

Maria in veteri testamento & promissa,& præfigurata.ibi.& sequent.

Cur Christus nunquã Mariam cõmendauit.ibi.C.

Maria Deipara non iuit ad vngendum corpus Domini.98.1.C.

Collatio inter Mariam,& Euam.321.2.A.

Maria quomodo dicatur, cunctas hæreses interimere.325 2.B.

MARIAE ELECTIO,ET PRAEdestinatio.

Maria ab æterno electa ante præuisa merita ad gratiam, gloriam, & dignitatem matris.11.1.A.

Imo prius ad dignitatem matris, quam ad tantam gratiam,& gloriam,11.1.A.

Electa in matrem, ante præuisum originale peccatum.ibi.B.

Eius electio potius præcesit, quam subsequuta sit alicuius puri hominis prædestinationem.ibi.C.

Num fuerit prædestinata mater independenter a peccato.12.2.B.

MARIAE CONCEPTIO,QVA IPSA concepta.

Mariæ conceptio orationibus impetrata. 14.1.A.

Parentibus Diuinitus prænuntiata.14.2.A.

Maria naturali modo concepta.13.1.C. Non sine aliquo miraculo.14.1.A. Quo tempore.15 1.A.

Maria ex vi suę conceptionis fuit obnoxia originali peccato.3. 1.A.& in Adamo peccauit.31.1.C.

Non est sanctificata ante animationem,neque formaliter in sua anima,neque radicaliter in semine parentum.33.1.B.

In primo instanti conceptionis potuit ab originali peccato præseruari.34.2. A. B. Et præseruata est ac sanctificata in illo instanti. 37.2. C. Neq; id derogat redemptioni Christi. 46. 1. B. Quo gradu hoc certum 51.1 B. & sequent.

Alia inferius, verb.Mariæ immunitas a peccato.

Pius quintus proprium officium conceptionis Mariæ abstulit.36.2.C.& cur ita.ibid.

Laudabilis consuetudo Parisiensis Academiæ, & Valentinæ in commendationem conceptionis Mariæ.39.1,C.

Mos celebrandi conceptionem Mariæ in Ecclesia Græca ante mille annos.39.2.A. In Ecclesia Latina quando celebrari cepit.ibid.

Reuelationes factæ circa conceptionem beatę Mariæ.40.1.C.

Religio instituta in honorem conceptionis beatę Mariæ.40.2.A.

Testimonia Patrum pro immaculata Mariæ conceptione 40.2.C. Oppositа explicantur.44.1. B.

Circa conceptionem Mariæ, nihil adhuc de fide definitum.51.1.A. Definiri tamen potest ab Ecclesia.50 1.C.

MARIAE PARENTES.

Historia de parentibus Mariæ fidedigna.13.2.C.

Quid velit Augustinus, cum apocryphã vocat,ibi.

Parentes Mariæ nobiles.ibi.

Eorum nomina mysterium continent.14.1.A.

Mortui sunt post annos vndecim,quibus Maria vixit in templo.122.2.A

Mariæ parentibus nulla specialis gratia facta, ex qua prolis sanctificatio sequeretur.33.1.B.

MARIAE GENEALOGIA.

Maria ex tribu Iuda per familiam Dauid.16.1.B.

Non solum per lineam maternam, sed etiam per paternam.18.1.B.

Descendit a Dauid per Nathan.18.2.C. Et aliunde per Salomonem,ibi.

Aliqua ex parte duxit originem ex Tribu Leui. 22.1.B.

Maria,& Ioseph quo gradu fuerint consanguines 19.1.A.& 22.1.B.

MARIAE NOMINA.

Marię nomen Diuinitus acceptum. 14.2. B. Quid significat.ibi.C.

Thronus, Thalamus, Tabernaculum, Templum Dei appellata.5.2.B.

Nonnunquam Maria Iesu dicta.98.1.B.

Nubes leuis apud Isaiam vocata.297.1.A.

Cœlum Dei a Ruperto dicta 312.2.A.

Apostolorum magistra. 325.1.C.

Mater viuentium cur dicta.350.1.A.

MARIAE PRAESENTATIO.

Maria tertio ætatis suæ anno in templo præsentata.121.2.B.

Ibi mansit vsque ad nubiles annos.122.1.B.Ministerio Angelorum sustentabatur in templo.122.1.B

MARIAE MATRIMONIVM.

Maria verum matrimonium ratum contraxit cum Ioseph.123.1.B ante incarnationem Verbi.126 1.A.Etiam quo ad solennitates accidẽtales.128 1 B.Et quam obcausam. 118.2.C. 124. 1. C.125. 2 C.

Nupsit Maria paulo post inchoatum decimũ quartum ætatis suæ annum.128.2.C.

Tradita in matrimonium a sacerdotibus tẽpli ex diuina inspiratione,vt Ioseph Custodiret potius quam læderet eius Virginitatem.129.2 . C.&, 122.2.A.

MARIAE ANNVNTIATIO.

Cur Marię facta.139.1.A.

Reuelatio illa intellectualis fuit,& perfectissima 150.2.A.& seq.

Probabile est Mariã postquam consensit, & mysterium Incarnationis,& Deum ipsum in se vidisse,ibid.C.

Nuntiantem Angelum non solum in externa specie,sed in sua etiam substãtia cognouit.149.1.C.

Qualis fuerit Mariæ turbatio in Annuntiatione. 151.1.A.& vnde orta.151.2.B.

Quo instanti annuntiationis Verbum caro factũ. 153.1.B.

Quo anno,mense,die,& hora, Annuntiatio facta. 154 1.B.

Quo loco.154.2.C.

In eadem domo cum Iosepho cohabitabat Maria A nnuntiationis tempore.126.2 . C.

De Angelonũtiante vide Verbo AngelusGabriel.

MARIAE CONCEPTIO,QVA CHRIstum concepit.

Vide Verbo Christi conceptio.

MARIAE PARTVS.

Vide Christi Natiuitas.Et de integritate in partu seruata.Ver.Mariæ Virginitas.

Maria non sensit tædia grauidarum.98.2.B.Quid egerit illis nouem mensibus.230.2.A.

Vere ac proprie peperit Christum.231.1.A.& absque dolore.232.2.B.

Non mere passiue se habuit in partu , sed aliquomodo actiue 231.1.A.

In Maria secundinæ fuerunt,sicut in alijs fœminis.232 2.A.Illas in partu non emisit.233. 1. B. Quia fine vllis sordibus perfecta res est.233.2.A Quo modo disparuerint.234.1.C.

Partus Mariæ accidit sine ministerio alterius creaturæ.233.2.B.

MARIAE PVRIFICATIO.

Maria post Christum natum vsque ad purificationem in Bethlehem mãsit.286.1.A.

Lex imposita fœminis de purificatione quo modo intelligenda.288.1.C.A Maria seruata.290.1.A. Quanuis maculam non habuit, propter quam purificatione indigeret.291.2.B.Neque lege ipsa comprehenderẽtur.291.1.B.

Maria in sua purificatione agnum non obtulit: sed par turturum,aut duos pullos columbarũ.290.1 B.& seq.Et curita.ibid.

Lex de redimendis primogenitis in die purificationis explicatur.286 1.B.& seq.

Maria quinque sicli filium redemit.290.2.B.

Festum purificationis,& consuetudo benedicendi & accendendi cereos.293 1.C.

Origenis lapsus circa sacrificium,quod Maria obtulit in sua purificatione.291.1.A.

MARIAE COMPASSIO IN CHRIsti morte.

Maria quid passa filio patiente.750.1.C.

Non est passa eam affectionem,quæ spasmus dicitur,neque aliquam animi defectionem . 750. 2.C.

Nihil inde eorum egit,aut quod summam modestiam non præ se ferret.751.1.B.

Constantia Mariæ in Christi passione.ibi.C.

Maria Christo occurrit crucem portanti.613.1. A.

Sed non fuit inter eas mulieres,quæ Christum flebant ad quas dixit.Nolite flere &c.ibi.C.

Exterius nullum signum perturbationis edidit: sed modeste , constanter pertulit omnia. 613. 2.A.

SIGNA AMORIS DEI ERGA MARIAM.

Vide Verbo Mariæ priuilegia, Mariæ gratia,Mariæ cognitio , seu scientia , Mariæ dignitas, Deniq; fere omnia,quæ de Maria deipara dicũtur,huc pertinent.

Deus Mariam plusamat,quãreliquos omnes Sanctos. 320.1.B.

Maria magis Christo dilecta,quam reliqua Ecclesiæ pars.320.2.A.

Mariam Christus in cruce pendens Ioanni commẽdat,& cur.643.2.A.

Etiam propter specialem coniunctionem , quam secundum naturam humanam.Christus habebat cum Maria, maximam eius curam gessit. ibi.B.

Prima apparitio post resurrectionem Mariæ facta. 942.2.C.

MARIAE MORS.

Libellus de transitu Mariæ inscriptus apocryphus. 342.1.B.

Libellus de transitu Mariæ,qui falso Hieronymo, vel Sophronio ad scribitur,apocryphus.ibid.

Maria mortem obijt.ibi.C.Non vi corporalis morbi,sed vi amoris ardentissimi desiderij,intensissimæ contemplationis.343.1.A.

Mariæ morte charitatis actus interruptus non est, quo invita diligebat Deum.345.1.C.

Quo anno ætatis mors Mariæ accidit.343.1.C.

Si Maria moreretur ante filij mortem in Sinũ Abrahę descenderet 49.2.B.

MARIAE SEPVLCRVM.

Mariæ corpus statim post mortem in sepulcro repositum.344.2.C.

Mariæ sepulcrum magnis miraculis illustratum. ibidem.

Situm est inter montes Sion,& Olineti in valle Iosaphat prope sepulcrum sancti Ioseph.ibiq; est templum extructum.345.1.A.

MARIAE RESVRRECTIO.

Maria ad gloriosam,& immortalem vitam resurrexit 345.2.B,Post triduum.347.2.C.

Qua certitudine hoc tenendum.347.1.C.

MARIAE ASSVMPTIO.

Maria post resurrectionẽ corpore,& animæ in cœlum assumpta.345.2.B.

Eodem die,quo resurrexit.348.1.A.

In signi angelorum comitatu.ibid.

Occurrente Christo,atque in thronum deducente,ibi,B.

Cur assumpta dicatur ab angelis.Ibid.
Festū assūptionis Mariæquando institutū.346.1.B
MARIAE BEATITVDO.
Mariæ anima in corpore mortali beata non fuit. 323.2. C.
Immediate post mortem vidit Deum: 345.1.A.
In perfectione beatitudinis & homines, & Angelos superat 348.1.C.Nō solum singulos,sed etiā omnes collectiue,351.1.A.
Videt in Verbo,quidquid omnes illi.349,1.A.
Et quidquid Deus videt scientia visionis,exceptis, quæ ad Christum pertinent.350 1.B.
In illa fuerunt omnes perfectiones gloriæ accidentalis,excellentius quam in alijs beatis.351.1.C.
Prędita est aureola Virginum.351 2. A. Doctorū. Ibid.Martyrum.Ibid.& B.Excellentius, quam alij martyres.352 1.C.& 2.A.
Habuit perfectissimas corporis dotes.352.2.A.
Singularem etiam splendorem velut insigne regiæ dignitatis.ibid.
Constituit sub Christo specialē beatitudinis Chorum.ibid.B.
MARIAE AETAS.
Maria,quo anno ætatis in tēplo prędestata.221.2.B
Quo anno nupta. 128.2.C.
Quo anno Christum concepit. ibid.
Quo anno peperit.343.1.C.
Quo anno vidit morientem filium. ibid.
Quo anno ipsa mortua.344.1.B.
MARIAE CORPVS.
Mariæ corpus in sua specie maxime perfectum.51.B.Optimæ complexionis.ibid.C.Vt nunquam in proprium morbum inciderit ibid Honestissimæ pulcritudinis.15.2 A.Vt ad castitatem excitaret.ibid.C.
Maria corporis afflictionibus vsa.180.1.C.
Mariæ corpus quodammodo initium humanæ salutis.347.1.B.
MARIAE ANIMA.
Matia perfectissimam anima sortita.16.1.A.
Definiri non potest;perfectior ne fuerit,quam anima Adæ,aut Euæ.ibid.
De perfectione supernaturalis animæ Marię, vide Verbo,Mariæ gratia,Sanctitas &c.
MARIAE IMMVNITAS A PECCATO.
Mariaexcipienda a communi lege nascendi in peccato.25.1.B.
Maria,á peccato originali immunis fuit,supra Verbo.Mariæ conceptio.Habuit tamen effectus pœnales peccati originalis.48.1.A.
Spiritualiter nunquam mortua.49.1.C.
Cum filium perdidit,negligentiæ peccatum non commisit,64.1.B.
Nec venialiter vnquam peccauit.66.1.B.
Mariæ impeccabilitas quomodo intelligenda.66. 2.A.& sequentibus.
Quo sensu proferebat verba orationis dominicæ, Dimitte nobis debita nostra.68.1.A.
Actum fomitis nusquam habuit.70.2.A.
A prima sanctificatione in illa fomes extinctus est.72.2.B.
Maria quomodo tentari potuit 339.1.A.
MARIAE REDEMPTIO. (46.1.C
Maria a Christo redempta.30.1.C.Speciali modo,
Maria primogenita redemptoris 46.2.B
Eius immunitas á peccato Christi redēptioni non derogat.46.1.B.
46.1 C.
Potius venit Christus ad redimendam Mariā,quam alios omnes.310.2.A.
MARIAE IVSTITIA ORIGINALIS.
In Maria fuerunt potissimi effectus originalis iustitiæ,non tamen omnes,qui ad statum innocētiæ pertinebant.74.1.C.
Quo sensu habuerit donum iustitiæ originalis.342.A.
MARIAE SANCTITAS, ET GRATIA.
Maria tripliciter sanctificata.28.2.B.
In vtero sanctificata.29.1.A.
Per propriam dispositionem.77.2.C.& qualis illa fuerit.78.1.B.& quid per illam meruerit de cō digno.78.1.C.
Maria gratiæ plenitudinem habuit.58.1.B.tamen in prima sanctificatione consummata non est.60. 1.B.nec summe intensa.60.2.A.Quauis fuerit intensior,quam vlla alia hominis,vel Angeli 60,2.B 61.1.B.Maria simul cū gratia omnes virtutes per se infusas accepit,omniaque dona Spiritus sancti. 62.1 B.&omnes virtutes morales per accidēs infusas.62.2 C.Et confirmationem in ipsa gratia,atq; infalibile perseuerantiæ donum 63.1.B. Et confirmationem in bono,atque ab omni culpa immunitatem.66.1.B.
Maria in gratia creuit ante filij conceptionem.305 2.C.Et post conceptionem.306.1.C.
Quo sensu dicatur gratiam consummatam in cōceptione filij suscepisse.309.1.B.
Perdona gratiæ,quantum possibile erat,operabatur.309.2.B.
Mariæ gratia ex opere operato interdum collata.313.1.C Et quibus modis,ac tēporibus.313.1.C
In filij conceptione excellens gratiæ augmentum accepit.315.2 A.
Triplex gratię plenitudo in Maria,sufficientiæ, abundantiæ,singularis excellentię,ibi.C.
Gratia Mariæ in mortis instanti perfectior fuit, quam vlla alia puræ creaturæ,& pene immensa 316.1.B.2.A.Quod ex ratione meriti deducitur 317.1.B.
Pulcra collatio inter gratiam Marię,& gratiam supremi angeli.ibi C.
Probabile est Mariæ gratiam perfectiorem esse, quā omnium.sanctorum etiā collectiue.318.1.C.
Omnis gratia aliarum creaturarum in Maria perfectissime existit.319.1.B.& 324.B.& 338.1 A.
Maria aquæ ductus gratiæ.321.1.C.
MARIAE GRATIAE GRATIS DATAE.
Maria habuit donum prophetię præsertim in cantico,Magnificat.337.2.A.
Et gratiam interpretationis sermonum.338.1.C.
Discretionem spirituum.338.2.B.
Et gratiam sermonis,seu fidei.339.2.B.
Et sermonem scientiæ,& sapientiæ. ibi.
Et Donum linguarum.340.1.B.
Et gratiam,seu fidem miraculorum. 340.2.C.
Et Quibus tēporibus miracula parauit.ibi. & seq.
MARIAE CHARITAS ERGA DEVM & proximos.
Mariæ Charitas morte fortior fuit.64.2.C.
Mariæ charitas erga homines,cum filium voluntarie pro illis obtulit.65.2.A.
Non ex ambitione,sed ex charitate postulauit miraculum in Cana Galilææ.68.1.C.
Somnus Mariæ frequentibus charitatis actibus interrup

interruptus 313.1.A.
Sola Maria plus diligebat Deum quam cæteri sãcti simul.320. .C.
Actus Charitatis,quo Maria diligebat Deum, nõ interruptus per mortem.345.1.B.

MARIAE FIDES.

Mariæ fides perfectior,quam filiorum Adæ.324.2. C.
Et quàm fides Abrahæ, quando, non dubitans, sed modũ quærens,interrogauit, Quomodo fiet istud.65.2.A.
Non dubitabit in fide,cùm dixit, Quomodo fiet istud?sed de modo quæsiuit: eo verò actu fidei Abrahæ superauit.65 2.A.
Mariæ fides in morte filij.64.2.B.
Maria propter fidei excellentiam,Mater credentium dicitur.324.1.B.
A principio suæ sanctificationis habuit explicitã fidem Trinitatis & mysterij incarnationis,quo ad substantiam,non quo ad omnes circunstantias.324.2 A.
In perfectione fidei superauit omnes doctores, & Sanctos.325.1.B.& quare dicatur cunctas hæreses interimere.325.2.B.
Quomodo plus meruit illo actu fidei, quo Angelo nuntianti consensit,quàm omnes Sancti omnibus actibus suis.220.1.A.

MARIAE SPES.

Virtutẽ spei habuit in gradu perfectissimo.62.1.C

MARIAE VIRGINITAS.

Mariæ virginitas in sacra scriptura significata. 95. 2.B.Et præfigurata.96.2 B.
A principio vsus rationis habuit absolutum propositum seruandi perpetuam virginitatem 106 1. C Quod etiam in lege veteri melius esse poterat.108.1 B.
Maria Virginitatem suam voto Deo sacrauit.109. 2.A. Ante filij conceptionem.110.2.A. Ante matrimonium etiam contractum.112.2.B.non tamen voto solenni.116.1.B.
Prima fuit,quæ votum virginitatis,emisit.114. 1. C Ideoque primatum tenuit in perfectione, & dignitate virginitatis.115.2.C.
Virginitas, & fœcũditas in Maria cõiũctę.124.1.A
Maria in filij conceptione virginitatem non amisit 98 2.A.Neque in partu.99.2.A. Sed potius Christi natiuitate Mariæ integritas aucta.103. 2.A.Quo sensu Christus Mariæ vuluam aperuit 10 .2.A.
Post partum etiam nulla via corporalem virginitatem amisit.104.1 C.& 2.B

MARIAE OBEDIENTIA.

Maria legis obseruationi subiecta.285.2.B.
Quantum obediendo meruerit.320.1.A.
Mariæ obedientia erga Deum.65.1.C.
Filij mortem maxima constantia pertulit.65. 1. B.750.2 C.

MARIAE CONTINENTIA ET POENITENTIA.

Quomodo fuerint in Maria hæ virtutes.62.2.A.

MARIAE VITA ACTIVA,ET CONTEMPLATIVA.

Maria semper habuit in Deo fixã mentẽ.309.1.B.
Habuit perfectissimos actus vitæ actiuæ, & contemplatiuæ.30.1.C. & quomodo hos actus per totam vitam exercuerit ibid.
Optimã partẽ vitæ contemplatiue elegit.327.2.A

MARIAE VSVS SACRAMENTORVM.

Mariæ applicatum illud sacramentum institutum in remedium originalis 313.2.A.
Sacramentum baptismi a filio recepit.313 2.C.
Sacramentum Eucharistiæ frequenter recepit. 314.1.B.
Et sacramentum confirmationis quantum ad effectum eius in die Pentecostes.ibid.C.
Num sacramentum Extremæ vnctionis acceperit ibid.

MARIAE COGNITIO,SAPIENTIA & scientia.

Maria in primo instanti conceptionis actualẽ vsum rationis habuit.75.1.A.Per actum fidei perfectum circa Deum,& Christum.76.1.B.
Ea facultas vtendi ratione permanens fuit.76.2.A
Sapientia Mariæ ab Spiritu sancto, vt a primo, & principali doctore manauit.326.1.A. Ab angelis etiam nonnunquam, præsertim vero a filio institutã.ibid.Num ab hominibus aliquid diuinorum mysteriorum didicerit.ibid.C.
In sapientia profecit assidua lectione diuinarum scripturarum,diuinorumque mysteriorum contemplatione.327 1.B.
Experimento etiam ipsorum effectuum aliqua diuina mysteria euidentia naturali,seu morali agnouit.327.2 B.
Qualis fuerit huiusmodi cognitio.328.1.B.
Fidei cognitionem non excludebat.328.2.A.
Habuit scientiam supernaturalem per se infusam & qualis illa fuerit.329.2 A.
Habuit Theologicam scientiam infusam,qua distinctius cognoscuntur mysteria fidei,& veritates in eis contentæ.330.1.B. Quo tempore hæc scientia illi infusa.2.B.Quibus incremẽtis.ibi.C
Non habuit scientiam per se infusam euidentem supernaturalium mysteriorum.331.2.A.
Nec scientiam naturalium rerum naturalem capacitatẽ intellectus humani superantem 334.1.B
Habuit per accidens infusam eam cognitionẽ rerum naturalium,vel moralium,quæ ad perfectam intelligentiã scripturarũ,doctrinæ Theologicæ,mysteriorũ fidei,& rerum agendarum necessaria est.334 2.B.
Quando illi infusa huiusmodi scientia. 335.1.A.
Nunquam habuit errorem,aut ignorantiam prauæ dispositionis.335.2.A.
Non omnia semper sciuit.336.1.C.
Admiratio,quomodo fuit in Maria,337.1.B.

MARIAE REVELATIONES.

Probabile,Mariã in hac vita interdum eleuatã ad videndam clarè diuinam essentiam.331.2. C.
Extra Verbum habuit in hac vita varias reuelationes.333.1.B.
Ea hora,qua filiũ cõcepit,sueprædestinationis ac exaltationis indubitatã reuelationẽ habuit.ibid.C.
Post Ascensionem filij frequenter ab illo visitata. 333 2.A.
Qualis cognitio Mariæ in reuelationibus communicata.ibi B.
Falso Cerinthus scribit, duodecimo ætatis anno Mariæ reuelatum,se matrẽ Dei futurã.124.1.B.

MARIAE DIGNITAS.

Concilium Ephesinum protenda Mariæ dignitate congregatum.31.B.
Maria singulari modo domina,& regina omnium 46.1.B.
Habet speciale ius,& dominium in omnes creaturas.356.

ras.356.1.B.Plura in sequenti paragrapho.

MARIA MATER DEI.

Contra Nestorium late probatur.4.1.A.

Verè,ac propriè naturalis mater.218.1.C.

Quauis in aliquo sensu dicatur etiam mater miraculosa.ibid.

Cur Christus Mariam nonunquam mulierem vocat,nunquam matrem.4.2.B.

Maria dici non posset mater Dei,nisi Verbum diuinum in ipso instanti conceptionis,humanitatem terminasset.6.1.B.& 2.A.

Vt sit vera Dei mater,non est necesse, quod efficeret vnionem ad Verbum.7.1.A.

Non tamen est dicenda causa Dei.7.2.A.

Substantia carnis, quam Christus accepit ex Maria semper mansit vnita Verbo.8.1.A.

In Maria vera relatio realis maternitatis ad Christum filium eiusdem speciei cum relationibus aliarum matrum 217.2.A.C.

Num Pater æternus posset dici filius Mariæ,si terminasset humanitatem Christi a Verbo dimissam.224.2.C.

In Maria perseuerat, adhuc relatio matris ad Christum.226.1.A.

Num Maria futura esset mater Christi peccato existente.12.2.B.

Num Verbum in eo casu corpus glorioſum assumeret ex Maria.ibi.C.

Dignitas matris in Maria quanta.7.2.C. in suo genere infinita.319.2.B.

In dignitate matris tanquam in radice continebantur omnia dona Mariæ concessa.309.2.A.& 331.2.B.

MARIAE PRIVILEGIA.

Mensura priuilegiorũ Mariæ potẽtia Dei.38.2.B.

Singularia Marię priuilegia quæ.47.1.A B.

Vide,Mariæ Conceptio, Partus, Resurrectio, Assumptio, Beatitudo, Immunitas, Iustitia originalis,Gratia,Dignitas,mater,&c.

MARIAE ADORATIO.

Maria adoranda.353.1.B.

Ab initio sæculi tam in Ecclesia militante, quam triumphante adorata.ibi.C. Imo ab initio creationis ab Angelis cognita & adorata.ibi.&seq.

Ob quas rationes adorari debet.355.1.C.

Propter contactum ad Christum, quo modo. 355.2.A.

Propter intrinsecam sanctitatẽ,quomodo.355.2.C

Propter dignitatem matris,quo modo.

Propter cooperationem singularem ad nostram redemptionem,quo modo.356.2.A.

Maria perfecta latria adorari non potest. 357.1.C.

Posset tamen latria secundaria, sed regulariter nõ expedit.357.2.C.

Maria hyperdulia adoranda. 358.1.A. & quid illa sit,& quotuplex,ibi.

Altior Mariæ debita quam cæteris.ibid.B.C.

In quo consistat hic excessus.ibi.C.

Hyperdulia,quæ Mariæ debetur ob matris dignitatem, diuersæ speciei ab ea qua alij coluntur. 358.2.B.

A quo habitu proficiscatur.359.1.C.

Mariæ festa,quibus per annum colitur in Ecclesia. 354.1.C.

MARIAE MERITA.

Maria post primam sanctificationem meruit augmentum gratiæ & ante filij conceptionem.305.2 B C.& post illam.206.1.C.

Meruit autem non gratiam obtentam,sed obtinẽdam.307.2 A.

Meruit per omnes, ac singulos actus humanos, quos exercuit in vita mortali.308.2.B.

Ita meruit vt aliquod prœmium statim obtinuerit 309.1.C.

Meruit per actus perfectissimos vitæ actiuę,& cõtemplatiuæ.310.1.C.

Meruit continuẽ toto vitæ tempore.311.2.C.

Non solum vigilans , sed etiam dormiens.312. 1.C.

Quantam gratię perfectionem meruerit.316.1.B. & sequentibus late.

Quid meruit de condigno per actus,quibus se disposuit ad primam sanctificationem.78.1.C.

Maria de condigno nihil nobis meruit, multa tamen de congruo.323.1.C.

MARIAE INTERCESSIO.

Maria non fuit propria,& principalis causa nostræ salutis per modum causæ efficientis.360.2.A.

Num aliquando vt instrumentum salutem animę vel corporis causet.ibi,C.

Intercedendo aliquo modo cooperatur ad nostram salutem.361.1.A.

Pro nobis in cælo orat.& intercedit.362 2 B. Non solum in communi sed in particulari.364.2.C.

Intercessio Mariæ omnium efficacissima .365. 1.A.

Cur dicatur non solum rogans,sed imperans.364.

Maria & sancti, quidquid a Deo impetrant , per Christum impetrant.364.2.B.

Maria inuocanda,& oranda ab hominibus,365.2. A. Præcæteris sanctis.367.1 A.

Consuetudo deprecandi Mariam facto signo quotidie bis,aut ter.ibi.C.

Consuetudo fundendi preces ad Mariam initio publicarum concionum.367.2.A.

MARTYR VEL MARTYRIVM.

Quid ad rationem martyrij requiratur.394.2.C.

Num B Virgo martirij aureola coronetur.351.2 B.

Infantes,qui per martyrium saluantur,quando recipiant gratiam.779.2.A.

MATER.

Quomodo mater concurrat ad generationem filij 181.1.B.& sequentibus.185.1.B.

MATERIA.

In morte Christi non mansit materia sine forma. 692.1.C.

Mansit tamẽ Verbo diuino hypostatice vnita.692. 2.B.

MATRIMONIVM.

De matrimonio B.Virginis,vide Verbo,Mariç matrimonium.

Ad verum matrimonium quæ requirantur.124. 2.A.

Propositum consummandi matrimonium non est de substantia matrimonij.109.1.C.

Lex Iudæorum vt intra eandem tribum matrimonia contraherent,non fuit vniuersalis, & quomodo intelligenda.17.1.C.

MELCHISEDECH.

Sacerdotium Leui minus perfectum quam sacerdotium Melchisedech.171.1.B.

MERITVM.

De merito Christi,vide Christi meritum.

INDEX RERVM.

De merito B. Virginis, vide Verb. Mariæ merita.
Omnis actus charitatis meritorius augmẽti eiusdem charitatis.317.1.B.C.
Augmentum gratiæ, quod quis per actus meretur, statim confertur.317.2.C.
Tempus messis in Iudæa quando.504.1.C.

MESSIAS.

Præcursoris voces erant Iudæis, signa aduentus Messiæ.368.1.C.
Quid de Messia sentiebant Iudæi Christi tempore.541.1.A.

MICHAEL.

Michael, angelus superior Gabriele.147.2.C.

MILES.

Milites Christi vestimenta diuidunt, & sortiũtur in eius passione.631.1.C.
Quid eos mouerit.ibid.
Diuisio quo modo facta.632.1.A.

MIRACVLVM.

Num maius miraculum sterilem concipere, quam virginem.14.1.B.
Miraculum natiuitatis Christi ex Virgine maius, quam miraculum resurrectionis.103.1.C.
Quæ miracula acciderint ingrediente Iesu Aegyptum.297.1.C.& sequentibus. (tatem.531.2.B.
Angelus virtute naturali cognoscit miraculi veri
Num iustificatio impij sit miraculum.521.2.B.
Possit ne Deus ad miraculum concurrere quod fit in confirmationem falsitatis 529.2.C. (cula.
Plura de miraculis Christi, vide Ver. Christi mira-

MISERICORDIA.

Misericordia præferenda exercitationi corporis, & vitę austeritati.464.1.B.& sequent.

MISSA.

Consuetudo celebrandi Missam in sacra nocte natiuitatis a Telesphoro Papa inducta.241.2.B.

MIXTVM.

Omnia mixta igne comburẽda post diem Iuditij. 1200.1.A.
Futura ne sint mixta post diem Iuditij.ibi.2.A.

MORS.

De morte Christi vide Verb. Christi mors.
De morte B. Virginis, vide Ver. Mariæ mors.
Ignominia, & acerbitas mortis in cruce.567.2.A. & sequent.
Mors violenta quid.688.2.A.

MOTVS, VEL MVTATIO LOCALIS.

Non repugnat corpus in instanti localiter mutari.195.2.A.
Quo genere motus localis descẽderit Christus ad infernum.794.2.B.
Motus localis triplex.922.1.A.
Possibile est, corpus per mutationem instantaneã transire de extremo ad extremum sine medio. 195.2.A.926.1.B.& seq.
Motus cœli quando cessaturus.1201.2.A.

MOYSES.

Probabile, Diuinam essentiam a Moyse visam in corpore existente.332.1.C.
Sed probabilius non visam.332.2.C.
Vere mortuus est, nec reseruatur cũ Elia.557.2.A.
Ab Angelo sepultus secundũ Epiphaniũ.558.1.A.
De apparitione Moysis in Transfiguratione, vide Verb. Christi transfiguratio.
Non est futurus, secundi aduentus præcursor, 1132.1.C.

MVNDVS.

Mundi purgatio, & renouatio post iudicium finale.1187.1.A.
De renouatione mundi, vide Verb. Cœlum Elemẽta, Ignis, Aer, &c.
Excrementa mundi deferenda in infernũ post diẽ iudicij cum igne super vacuo.1201.1.A.
Totius mundi illustratio, quãdo futura post diem iudicij.1201.2.C.

MVNVS.

Vide Verb. officium.

MYSTERIVM.

Supernaturalia mysteria quando possint ratione naturali possibilia ostendi.829.1.C.

N.

NATIVITAS.

De natiuitate Christi. vide Verb. Christi natiuitas
Natiuitas duplex in vtero, & extra vterũ.208.1.B.
Natiuitas, & conceptio in quo differant.208.2.A.
Natiuitas quomodo naturæ tribuenda, quo modo supposito.209.2.A.
Diuinitas nata dicenda non est.210.2.C.
Tres hominis natiuitates a Christo nobilitatæ. 419.1.A.

NATVRA.

Eadem natura cum diuersis suppositis siue simul, siue successiue vnũ numero constituit.224.2.B.
Natuta irrationalis vnionis hypostaticæ capax. 442.1.C.

NAZARETH.

Christus maiorem vitæ partem duxit in Nazareth & ideo Nazaræus dictus.302.1.A.

NOMEN.

De nomine Christi, vide Verb. Christi nomen.
De nomine beatæ Mariæ, vide Verb. Mariæ nomen.
Nomina parentum beatæ Virginis mysterium cõtinent.14.1.A.
Pueris Iudæis imponebatur nomen circuncisionis die.278.1.C.
Athenienses decimo die pueris nomen imponebant.278.2.A.
Romani pueris nono die, puellis octauo.ibid.B.
Nomen ab ipso Deo alicui imponi speciale priuilegium.279.1.C.
Nomina in sacra Scriptura aliquibus imposita sunt a Deo á principio suæ conceptionis, aliquibus post ætatis progressum, & quid hoc significet.279.2.A.
Nomen imponere filio, patris præsertim munus, aliquando etiam matris.ibid.B.

NVBES.

Qualis fuit, quæ Christum suscepit ascendentem in cœlum.1048.1.B.
Quales futuræ, in quibus Christus ad iudicandũ veniet.1164.2.B.

O.

OBEDIENTIA.

De obedientia Christi, vide Verbo Christi obedientia.
De obedientia B. Virginis, vide Verb. Marię obedientia.
Obedientia maius bonum, quam paupertas, & castitas.464.2.C.

OBEDIENTIALIS POTENTIA.

Obedientialis potentia, vide potentia obedientialis.

OBLATIO.

De

De oblatione B. Virginis in sua purificatione, vide Verb. Mariæ purificatio.
De oblatione Magorum, cum Iesum natum adorarunt, vide Ver. Christi manifestatio.
Quomodo nunc liceat fœminis, pueros natos offerre in templo. 293. 2. A.

ODIVM.

Odium Dei maius peccatum, quam peccatum crucifigentium Christum. 655. 2. B.

OFFICIVM, SEV MVNVS.

Apostolicum munus supremum in Ecclesia in ordine gratiæ. 133. 2. C.
Deus nunquam denegat necessariam gratiam ad munus impositum: sæpe vero maiorem concedit, quam munus postulet. 377. 1. C.

OLEVM.

Fons olei dicitur Romæ fluxisse toto die natiuitatis Domini. 256. 1. B.

OPERATIO.

Aliquibus concessum, vt operarentur, quantū possent per dona gratiæ. 309. 2 B.

ORATIO.

De oratione Christi, vide Verb. Christi oratio.
Animæ separatæ Sanctorum ante Christi mortē orare poterant, & orabant. 759. 2. A.
Orationes ad huiusmodi animas directe non fundebantur tunc temporis. 760. 1 B.
Sanctos directe orare proprium legis gratiæ. ibid.
Deus immediate nonunquam orandus. 366 2. B.

OSCVLVM.

Osculum Iudæ. 593. 2. C.
Cur Iesum Iudas osculo tradidit. 594. 1. C.

P.

PAPA.

Potest definire aliquid de fide, sine explicita Dei reuelatione etiam in Scriptura non expressum. 50. 2 A.

PARASCEVE.

Quid significet. 724 1. C.

PARTVS.

De partu B. Virginis, vide Verb. Mariæ partus.
Dolor in partu respondet voluptati in conceptione. 233. 1. A,
Partus sine secūdis naturaliter esse nō pōt. 234 1. A

PASCHA, SEV PHASE.

Pascha, seu Phase distinctum festum a festo Azymorum. 704. 1. B.
Et de horum festorum præcepto, & differentiis. ibid. & sequentibus.
Pascha Iudæorum solum Ierosolymis celebrari poterat. 707 1. A.
Quo tempore celebrabatur. ibi C.
Cur introductum. 711. 1. A.
Cur sic appellatum. ibi. B.

PASSIO.

De passione Christi vide. Verb. Christi passio.
Anima separata quibus modis pati possit. 785. 2. C
Actio agentis num variari possit secundum speciē non variata passione patientis, 818. 2. A.

PASTOR.

De pastoribus adorantibus Iesum natū, vide Ver. Christi manifestatio.

PAVLVS.

Probabile, essentiam Diuinam a Paulo visam in corpore viuente. 332. 1. C.
Probabilius, non visam. 332. 2. C.

PAVPERTAS.

De paupertate Christi, vide Ver. Christi paupertas.
Loca duorum pontificum explicantur, quæ videntur contraria circa assignandam perfectionem paupertatis. 456. 1. B. & sequentibus.
Paupertas ad statum perfectionis pertinens qualis. 458. 1. B.
Probabile Apostolos votum paupertatis emisisse. 459. 1. A.

PECCATVM.

De iis, quæ pertinent ad peccatum Adæ, vide Ver. Adam.
Homo in primo instanti creationis peccare non potest. 106. 1. C.
Quod erat illud peccatum, pro quo fœminæ offerebant sacrificium in veteri lege post quadraginta dies purgationis. 288. 1. C.
Carentia actualis peccati infert carentiam originalis secundum Augustinum. 383. 1. C.

PECCATVM MORTALE.

Peccatum crucifigentium Christum quam graue secundum se. 655. 2. B.
Quot malitias inuoluat. 655. 1. C.
Peccatum contra Theologicas virtutes maius, quā peccatum crucifigentium Christum. 655. 2. B.
Post peccatum contra Theologicas virtutes, illud crucifigentium Christum maximum ex suo genere. 656. 1. B.
Comparatur cum blasphemia. ibid.
Ex parte peccantium quā graue fuerit huiusmodi peccatum. ibid. C.
Num aliquis crucifigentium Christum possit excusari a peccato. 656. 2. A.
Collatio peccati crucifigentium Christum cum peccato Iudæ tradentis. 657. 2. A.
Animæ separatæ Sanctorum ante Christi mortem peccare non potuerunt. 736. 2. A. & vnde hæc firmitas orta. ibi. C.
Potestas remittendi peccata quando data discipulis. 964. 1 B.

PECCATVM ORIGINALE.

Multa, quæ pertinent ad peccatum originale, vide Verb. Mariæ prædestinatio, Marię conceptio, Marię immunitas, & Verbo Adam.
Peccatum originale quid ex Dionysio. 46. 1. A.
Discrimen inter originale, & actuale quantum ad remissionem. 52 C. (nem. 33. 1. C.
Peccatū originale nō inducitur per physica actio-
Peccatū originale per libidinē traducitur 54. 2. A
Quomodo intelligenda lex, quod Adamo peccante posteri essent originale contracturi. 34. 2. B.
Quid sit obnoxium esse peccato originali. 35. 2. B.
Vt sic non importat culpam. 36. 1. C,
Carentia actualis infert carentiam originalis secundum Augustinum. 383. 1. C.
Qui in originali decesserunt, num fuerint a Christo liberati ab inferis. 779. 1. B. & sequentibus.
In originali, & veniali discedentes, quo in loco sint. 764. 2. A.
Quem statum habituri post vniuersalem resurrectionem, qui in solo originali decedunt 1004. 2. A. Resurrectionis eorum Christus exemplar futurus, ibidem.
Aliquam Christi cognitionem habituri. ibi. & 1174. 2. A.
Quam cognitionem suæ culpæ habituri. ibi. C.

ECCATVM VENIALE.

Necessario nonnunquam committendum in mortali

tali corpore,383.1.C.& sequentibus.
In originali, & veniali discedentes quo in loco sint.764.2.A.
A beata Virgine nunquam commissum.66.1.B.
A Ioanne Baptista nonnunquam commissum. 383 1.B.
Et ab Apostolis,etiam post acceptum Spiritum sanctum.383.2.B.

PENETRATIO.

Penetratio dimensionum possibilis late probatur 928.1.B.& seq.

PENTECOSTES.

Quo modo quinquaginta dies intercesserint inter Dominicam resurrectionis,& festum Pentecostes.848.1.C.

PERFECTIO.

Perfectio vitæ amplectitur vitam actiuam,& contemplatiuam.310.2.A.
Status perfectionis qualem paupertatem requirat 458.1.B.
Perfectio vitæ non est ex austeritate mensuranda. 463.2.C.
Vnde mensuranda,ibi,& sequentibus.

PERMISSIO.

Deus nō permittit mala,nisi propter bona.47.2.B
Tentationes sapientissime à Deo permittuntur. 480.2.A.
Quo sensu dicatur Deus facere,quę permittit.ibi.B

PERSIA.

Reges apud Persas non eligebantur, nisi qui Magiam didicissent,259 2.A.
Orientalis est respectu Bethlehem.261.1.A.

PETRA.

Petræ scissæ in passione Domini.698.2.B.

PETRVS.

De iis,quæ ad Petrum pertinent,vide Verb. Christi comprehensio & Christi negatio.

PHANTASMA.

In primo instanti conceptionis potest esse operatio sensibilis phantasmatis media operatione tactus 205.1.A.

PHASE.

Vide Verb.Pascha.

PIETAS.

Præferenda exercitationi corporali, & austeritati vitæ.464.1.B.

PILATVS.

Christū morte damnauit iniqua sentētia.609.1.B.
Num posset excusari a peccato.609.2.C.
Illius peccatum leuius peccato Iudæorum.610.1. A. & quale illud fuerit.ibid.
Nō habuit potestatē iurisdictionis in Christū.ib,C
Quam habuerit potestatem.610 2.A.
Quid mouit Pilatum,vt crucis titulum poni iusserit.634.1 A.
Cognouerit ne Christum regem esse ibid.
Quo sensu in titulo regem iussit scribi 634.2.A.
Cur miratus, Christum tam citò obiisse. 688.1.C.

POENITENTIA. (62.2.A.

Pœnitentiæ virtus quomodo fuerit in B. Virgine.

POTENTIA OBEDIENTIALIS.

Verba Augustini subobscura de potentia obediētiali creaturæ explicantur.518.1.A.

POTESTAS.

Remittēdi peccata,quomodo data discipulis.964.1.B

PRAECEPTVM.

Vide Verbo,Lex.

PRAECVRSOR.

De præcursore primi aduentus Christi,vide Verb. Ioannes Baptista.
Præcursores secundi aduentus Henoc, & Elias. 1128.2.B.
Cur duo præcursores in secundo Christi aduentu.1129.2.B.
Non alius futurus præcursor præter Henoc, & Eliam.1135.1.B.

PRAEDESTINATIO.

De prædestinatione Christi,vide Ver. Christi prædestinatio.
De prædestinatione B.Virginis,vide Verb.Marię prædestinatio.
Prædestinatio omnium electorum ante præuisum originale peccatum.11.1.C.
Prædestinatorum numerus num Angelis notus. 1100.2.B.

PRAEDICATOR.

Vide verb.Concio,vel concionator.

PRAEPVTIVM.

Præputium Christi á B.Virgine seruatū.278. 1.B.
Romæ nunc habetur.881.2.C.
Christi corpus cum præputio resurrexit ibidē. A.

PRAESEPIVM.

De præsepio, in quo Christus reclinatus est, vide Verb.Christi natiuitas.

PRAESENTATIO.

De præsentatione Christi in templo, vide Verb. Christi præsentatio.
De præsentatione Marię in templo,vide Verb.Marię præsentatio.

PRAESBITER.

Vide verb. sacerdos.

PRETIVM.

De pretio,quo Christus venditus.vide Verb.Christi venditio.
Ioseph quanto pretio á fratribus venditus. 389.1. B.& 590.2.A.

PRIMOGENITVS.

Primogenitus,& vnigenitus idem aliquando in sacra Scriptura.105.2.B.

PRODIGIVM.

De prodigiis in Christi natiuitate,vide Ver. Christi natiuitas.
De prodigiis in Christi morte.694.1.B.
Tenebræ factæ super vniuersam terram ibid.
Illa solis defectio in toto orbe accidit.964.2.A.
Causæ defectionis solis.695.1.C.& sequentibus.
Quę miracula interuenerint in ea defectione. 695.2.A.& sequent.
Velum templi scissum in morte Christi 696.2.B.
Et quid in eo significatum sit.ibid.
Quod velum scissum.697.1.B.& sequent.
Terræ motus in morte Christi. 698.1.B. Quid significauerit.ibi. Quibus in locis accidit.ibi C.
Petræ scissæ in passione Domini.698.2.B.Nō solū Ierosolymis,sed in aliis etiam regionibus.ibi.C
sepulcra patefacta in morte Christi.ibid.
Sed corpora,quæ in ipsis iacebant,probabile est,nō surrexisse vsq; ad Christi resurrectionē.699.1.C
Alia prodigia,quæ ab Euāgelistis nō narrātur.ibi.

PROLES.

Vide,Verb fœtus.

PROPHETA, VEL PROPHETIA.

Prophetia triplex præscientiæ,prędestinationis,& comminationis.139.2.C.

Prophetias de B. Virgine, vide sub Verb. Maria.
De beato Ioanne Baptista, vide Verb. Ioannes Baptista.
Beata Virgo prophetiæ dono prædita. 337.2.A.
Et Ioannes Baptista. 389.2.B.
Prophetæ apud Iudæos sancti dicebãtur. 377.2.A.
Celebriores homines veteris testamenti fere omnes prophetæ fuere ibi. B.
Prophetæ calceis vtebantur. 466.2.A.

PVLCRITVDO.

De pulchritudine corporis Christi, vide. Ver. Christi corpus.
De pulchritudine beatę Virginis, vide Verb. Marię corpus.

PVRGATIO.

De purgatione mundi post iudicium finale, vide Verb. mundus.

PVRGATORIVM.

Quid Christi anima effecerit circa animas Purgatorij, vide Verb. Christi descensus in infernum.
Animæ purgatorij nũ iudicentur statim post mortem. 1072.1.C.

PVRIFICATIO.

De iis, quæ pertinent ad Purificationem, vide Ver. Mariæ Purificatio.

Q.

QVALITAS.

Qualitates primæ quo modo percipiantur per tactum in corpore glorioso. 901.1.C.

QVANTITAS.

Eiusdem speciei in omnibus corporibus. 887.2.B.

R.

RACHEL

Pulchritudo Rachelis figura pulchritudinis beatæ Virginis. 15.2.B.

REDEMPTIO.

De redemptione, qua Christus homines redemit, vide Verb. Christi redemptio.
De redemptione, qua beata Virgo a Christo redempta, vide verb. Marię redemptio.

RELATIO.

De relatione matris, quæ est in beata Virgine respectu Christi, vide Verb. Maria mater Dei.
De relatione filij, quæ est in Christo respectu beatæ Virginis, vide Verb. Christi filiatio.
Relatio illud subiectum denominat, quod denominat fundamentum. 221.1.B. vbi multa de natura relationis.
Relationes filiorum ad parentes, & parentum ad filios manent, etiam si illi esse desinant, si iterũ redeant. 226.1.A.

RELIGIO.

De religione Christi, vide verb. Christi religio.
Religio late dicta quid. 454.1.A.
Religiosæ vitæ perfectio ex austeritate mensurãda non est, quanquam hæc ad talem perfectionem vtilis sit. 463.2.C.
Religiosæ vitę perfectio vnde mensuranda. ibid. & sequentibus.

RESISTENTIA.

Quid & quotuplex. 919.2.B.

RESVRRECTIO.

De resurrectione Christi, vide Verb. Christi resurrectio.
De resurrectione B. Virginis, vide Verb. Mariæ resurrectio.
Nasci ex Virgine maius miraculum, quam resurrectio ex Ambrosio. 1031.C.
Probabile Ioannem Euangelistam resurrexisse in corpore glorioso. 347.1.B.
Probabile eos, qui cum Christo resurrexerunt, anima, & corpore glorioſos cum Christo regnare ibid 864.2.A. & C. late.
Num aliqui sancti ex iis, qui in sancta ciuitate apparuerunt Christo mortuo, surrexerint ante Christi resurrectionem 699.1.B.
Resurrectio quid 804.2.C & seq.
In quo differat a recreatione, 805.1.A.
Quibus in rebus locum habeat. ibi. C.
Resurrectio, vt sit vera, eadem numero anima necesse est, vt redeat. 806.2.A.
Num debeat redire eadẽ numero materia. ibi. C.
Resurgant ne in propriis corporibus ij, qui communem habuere materiam 809.1.A.
Resurgant ne pueri in maiori quantitate. ibi. 2. C.
Num requiratur eadem materia singulorum mẽbrorum, 810.2. C. Num eadem numero vnio materiæ cum forma. 811.2.A. Num eadem accidentia specie. 812.2.C. Num eadem numero 813.2.B. Num idem sexus. 814.1.C.
Resurrectio num in instanti futura. 815.2.C.
Nũ spetie differat a prima generatione rei. 820.1.A
Num fit supernaturalis mutatio quo ad substantiã vel quo admodum. ibidem.
Possibilis diuina virtute, 822.1.A.
Imo sola Diuina virtute. ibi. B.
Diuina virtute fieri potest reparatio cuiuscunque indiuidui, 824.1.A.
Resurrectio naturæ debita non est. 826.2.A.
Naturali tamen ratione possibilis ostendi potest. 828.2 C. Quomodo ad fidei articulos pertinet 829.2.B.
Resurrectio generalis futura. 982.1 C.
Omnes Iusti proprie surrecturi. 990.1.A.
Et omnes dãnati propter propria peccata. 993 1.A.
Et infantes, qui in originali discesserunt 994.2.B.
Causæ generalis resurrectionis. 995.2.A.
Tuba, seu vox audienda in die resurrectionis qualis. 996.1.B. & sequent.
Prius resurrectio mortuorum futura, quam Christus adiudicandum veniat 997.2 C.
Christi imperium, & Angelicum ministerium resurrectionem operabitur. ibidem. & 999 1.C.
Quid operaturi Angeli in resurrectione. ibidem.
Organizationem corporum suscitandorum Christus efficiet. 1000.2.B. Et vnionem substantialẽ animę cũ corpore. 1001.1.A. Quo instrumẽto. 2.A
Malorum etiam resurrectionem Christus causabit. 1002.2.A.
Resurrectionis Iustorum Christus perfectissimũ exemplar. 1003.1.A.
In quo cõsistat similitudo ad ipsũ Christũ. ibi. 2.A.
Corpora Iustorum resurgentium non sunt ęqualia futura corpori Christi in magnitudine, & pulcritudine, & c. ibi. C.
In qua ætate Iusti surrecturi. 1004.1.A.
Resurrectionis infantium discedentium in originali Christus exemplar. ibi. C.
Nõ vero proprie resurrectionis dãnatorũ. 1005.1.C
Christus etiam quo ad terminum a quo exemplar nostræ resurrectionis. 1008.1.A.
Num secluso priuilegio omnia corpora ante resurrectionem in cineres resoluenda. ibi. 2.A.
Quo in loco futura resurrectio. 1011.1.A. & seq.

Resurrectio iustorum vsque ad diem Iudicij futura non est.1015.1.A.
Resurrectio omnium eodem momento futura. 1019.2.B.C.
Resurrectio generalis hora matutina futura.1021. 2.A.
De iis quæ corpori accidunt post resurrectionem, vide Verb. Corpus, & Verb. Anima.

REVELATIO.

Reuelatio purè intellectualis, imaginaria, & externa quo modo se habeant.149.2.C.
De reuelationibus B. Virgini factis, vide Ver. Mariæ reuelationes.

REX.

De regibus, qui Magi dicuntur, vide Verb. Christi manifestatio.
Reges apud Persas non eligebantur, nisi qui magiam dediciſſent.259.1.A.

ROMA, VEL ROMANI, VEL ROmanum Imperium.

Octauo die post natiuitatem imponebant nomina puellis suis; pueris vero nono.278.2.B.
Reos affigebant cruci.615.2.B.
Romanorum imperium fere vsque ad diem iudicij duraturum.1143.2.C.
Quomodo tunc extinguendum.1144.1.B.
Vrbs Romana num delenda ante aduentum Antichristi.1145.2.A.

SABA.

Regina Saba vnde venerit, audire sapientiam Salomonis.261.2.B. Saba Prouincia vbi sita. ibi.

SACERDOS.

Apud Græcos in synodo cautum est, ne quis ante trigesimum ætatis annum sacerdos fieret.429.2.A

SACERDOTIVM.

Sacerdotium Leuiticum imperfectius, quam sacerdotium Melchisedec.171.1.B.

SACRAMENTVM.

De vsu sacramentorum B. Virginis, vide Verb. Mariæ vsus sacramentorum.
In sacramentis nouæ legis verba instituta ad significandos spirituales ipsorum effectus. 407.2.A.
In sacramentis veteris legis non erat verba, quæ haberent rationem formæ. ibi.
Ratio formalis sacramenti quæ.415.2.C.

SACRIFICIVM.

Sacrificium Iephte filiam occidentis, quale. 114.2. C. & 115.2.A.
Num Christi passio, fuerit proprie sacrificium. 662.1.A.
Sacrificium agni Paschalis a quo offerebatur.704. 2.C.
Figura fuit sacrificij cruenti Christi, & incruenti. 716.2.A.

SANCTIFICATIO, VEL SANCTITAS.

De sanctitate Christi, vide Verb. Christi sanctitas.
De sanctitate B. Virginis, vide ver. Mariæ sanctitas
In vtero matris qui sanctificati.29.1.C.
Proles quomodo possit intelligi in parentibus sanctificari.33.2.A.
Non repugnat in primo instanti conceptionis hominem sanctificari 34.1.A.

SANDALIVM.

Christus, & Apostoli sandaliis vsi.466.2.C. & seq. & cur ita. ibid.
Sandalium Petri Romæ seruatur.467.1.C.
Sandalium Andreæ in Obetensi ciuitate, ibi.

SATISFACTIO.

De satisfactione Christi, vide Verb. Christi satisfactio.
Homo pro homine satisfaciens non dicitur illum redimere.666.1.B.

SCANDALVM.

Quando vitandum, vel non vitandum.501.1.B.
Christus prudentissime fecit docendo veritatem, etiam cum Iudæorum scandalo.502.1.A.

SCIENTIA.

De scientia B. Virginis vide Verb. Mariæ scientia.
Scientia de Christo haberi non potest perfecte sine scientia de beata Virgine.1.1.C.
Scientia de beata Virgine ad Theologum pertinet. 1.2.C.
Loca sacræ Scripturæ, quæ ad scientiam de beata Virgine conferunt.2.1.B.
Scientia per se infusa quid.329.1.C. & sequent.
Scientia euidens per se infusa mysteriorum supernaturalium non est statui viatoris accommodata.331.2.B.
Scientia per se infusa potest esse de obiectis naturalibus.333.2.C.
Quis sit literalis scripturæ sensus.297.1.A.

SCRIPTVRA.

Scripturæ sacræ demoni non satis notæ.471.2.C.
Loca sacræ Scripturę, quę ad scientiam de B. Virgine conferunt.2.1.B.

SECVNDINAE.

Ad quid deseruiant.232.2.A.
Partus naturaliter sine illis esse non potest.234. 1.A.

SEMEN.

Semen fœmineum num necessarium sit ad generationem prolis.181.1.B. & sequentibus.& 182. 1.C. & sequentibus, & 186.1.C. & sequentibus.
Num effectiue concurrat, vel tantum passiue ad generationem.185.1.B. & sequent. Et 186.1.C.
Christi conceptionem ex semine facta.182.1.A. & sequent. & 185.A. & sequent.

SENTENTIA.

De sententia, qua Christus condemnatus, vide Verb. Christi sententia.

SEPVLCRVM.

De sepulcro Christi vide Christi sepulcrum.
De sepulcro B. Virginis, vide Mariæ sepulcrum.
Sepulcra patefacta in Christi morte.698.2.C. quo tempore.699.1.B.
Quibus temporibus prohibiti erant Iudæi mortuos suos sepelire.720.2.B.

SERMO FIDEI.

Quid sit, & quomodo fuerit in B. Virgine.339.2.B
Quomodo fuerit in B. Ioanne Baptista.392.1.B.

SERMO SAPIENTIAE.

Quid sit, & quo modo fuerit in B. Virgine.339.2.C
Et quo modo in Ioanne Baptista.392.1.C.

SERMO SCIENTIAE.

Quid sit, & quo modo fuerit in B. Virgine.339.2.C
Quomodo fuerit in Ioanne Baptista.392.

SIGNVM.

De signis in morte Christi, vide Ver. prodigium.
De signis ante diē iudicij, vide Verb. Iudiciū finale

SIMON CYRENAEVS.

Christi Crucem baiulat.612.1.A.

SIMON LEPROSVS.

Cœna Christi apud Simonem leprosum, de qua Ma-

Matthæus, quo die accidit. 586. 1. C.
Num eadem fuerit cum ea, in qua Martha ministrabat, de qua Ioannes scribit ibid.
Simonem leprosum quidam existimant, fuisse patrem Marthæ, & Lazari. 586. 2. C.

SINVS ABRAHAE.

B. Virgo, si moreretur ante filij mortem, in Sinu Abrahæ reciperetur. 49. 2. B.
Animæ separatæ sanctorum in sinu Abrahæ fidē & spem vsque ad mortem Christi retinuerunt. 758. 1, B.
Peccare non poterant. 758. 2. A.
Vnde orta firmitas in bono. ibid. C.
Mereri non poterant. 759. 1. A.
Orare poterant, frequenterque orabant; tam pro se, quam pro alijs. 759. 2. A.
Orationes tunc non fundebantur directe ad huius modi animas. 760. 1. B.
Carebant omni pœna sensus, imo gaudio afficiebātur. ibid. C.
Habebant pœnam temporalem damni. 760. 2. A.
Cur dictus Abrahæ sinus. 761. 2. C.
Vbi fuerit sinus Abrahę. 762. 1. A.
Conueniēs, Christum ad sinum Abrahę descendere. 766. 2. C.
Quid Christi anima operata circa animas sanctorum Patrum ibi existentis. 794. 1. A.
Quo tempore animæ sanctorum Patrum beatę effectæ. 794. 2. B.

SOL.

Tres Soles in Hispania visi Natiuitatis tempore. 256. 1. C. 2. A.
Defectio Solis in toto orbe in Christi morte. 694
Causæ huiusmodi defectionis. 695. 2. A. & sequen.

SORS.

De sorte missa super Christi vestimenta, vide Ver. circunstantiæ crucifixionis Christi.

SPIRITVS.

Spiritus, & anima quid differant. 682. 1. A.
Spiritus etiam, cum non operatur, etiā alicubi præsens est 792. 2. A.

SPIRITVS SANCTVS.

Quando datus discipulis cum potestate remittendi peccata. 964. 2. B.
Filios Dei constituit, & clamare facit, Abba pater. 174. 1. A.
De alijs, quæ ad Spiritum sanctum pertinent, vide Ver. Christi conceptio, & Christi baptizatio.

SPONGIA.

De spongia oblata Christo in cruce pendenti vide Ver. Christi potus ex aceto.

STATVS INNOCENTIAE.

In statu innocentiæ quæ erat immortalitatis causa. 920. 2. C. & seq.
Quæ perfectiones fuerint in B. Virgine ex ijs, quæ ad statum innocentiæ pertinebant. 74. 1. C.

STELLA.

Quando Magis apparuit. 264. 2. C.
Illa, quę Magis apparuit, non fuit aliqua ex cœlestibus. 266. 1. C.
Fuit vero illis illustrior & clarior. 266. 2. B.
Fuit corporeæ naturæ ibi. C.
Ex materia aerea elementali. 267. 1. B. Fuit mixtū corpus. ibid. C. Cui erat totus splendor naturalis. ibid.
Lux eius clarissima, non tamen perfectior luce Solis. 267. 2. B.
Num alijs, præter Magos, visa sit ibi. B.
Magos semper comitata. 268. 1 A.
Eius motus naturalis non erat, sed angelica virtute causatus. ibi. C.
Quid patres volunt, cum asserunt veram stellā non fuisse, sed inuisibilem virtutem. 268. 2. B.
Cur Ierosolymis sese occultauit. ibi. C.
Non fuit fatum IESV nati 269. 2. B.
Hæreticum, hominum generationes fatali necessitate prouenire ex constellatione siderū. ibi.

SVBSISTENTIA.

Eadē natura cum pluribus subsistentijs simul, vel successiue vnum, & idē numero cōstituit. 224. 2. B

SVBSTANTIA.

Spiritualis etiam cum non operatur, alicubi est præsens. 792. 2. A.

SVBTILITAS.

De dote subtilitatis vide Ver. Dotes.

SVDOR.

De sudore Christi in horto, vide Ver. Christi sudor sanguineus.

SVPPOSITVM.

Vide Ver. Persona.

T

TACTVS.

Num possit in instanti sentire 205. 1. A.
Qua ratione futurus in corpore glorioso. 900. 2. C
Qualitates primæ quo modo percipiantur per tactum in corpore glorioso 901. 1. C.

TELESPHORVS.

Induxit primus consuetudinem celebrandi sacram natiuitatis noctem. 247. 2. B.

TEMPLVM.

In templo Iudæorum locus deputatus, in quo virgines Deo dicatę tutæ morarentur. 121. 2. C.
Ibi vsque ad annos nubiles manebant. 122. 1. C.
Historia de templo pacis, quod dicitur corruisse in nocte Natiuitatis Domini, falsa. 256. 1. A.
Velum templi Salomonis quotuplex, & quodnam fuerit scissum in morte Christi. 697. 2. B.

TEMPVS.

De tēpore, quo Christus prędicauit, vide Ver. Christi doctrina.
Quo tempore filij Israel transierunt Iordanem, 504. 2. A.
Quo tempore messes colliguntur in Iudæa. 504. 1. C. & sequentibus.
Quātū tēporis fluxerit a Christi morte ad eius resurrectionem. 857. 1. B.

TENEBRAE.

Vniuersaliter in toto orbe fuere Christo moriente, & quæ fuerit causa. 594. 1. B. & seq.
Quæ miracula interuenerint, 695. 2. A.

TENTATIO.

De tentatione Christi in deserto, vide Ver. Christi tentatio.
Tentatio quo modo sit opus Diaboli. 472. 1. C.
Quo sensu dicatur Christus venisse ad dissoluēdas tentationes. ibid.
Tentatio per delectationem, seu concupiscentiam sine peccato esse potest. 472. 2. A.
Tentationes Deus sapiētissime permittit. 480. 2. A
Quomodo tentationes vincendæ Christi exemplo 488. 2. B.

TERRA.

Qua ratione purganda post diem iudicij. 1196. 2. B & 1197. 2. B.

Num diaphana futura.1198 1.A.
De terræ motu in Christi morte, vide Ver. Prodigium.

TESTAMENTVM.

Quid sit.639.2.B.
Testamentum Dei quid, ibi.C.
Testamentum nouum, & vetus.640.1.A.
In quo differant. ibid.
Testamentum nouum quid contineat.441 1. C.
Qui sancti ad vetus, vel nouum testamentum pertineant 393.1.C.
De testamento a Christo condito, vide Ver. Christi testamentum.

THEOLOGIA.

Habitus Theologiæ supernaturalis.330.2.A.

TIBERIVS CAESAR.

Quando imperare cæpit.430.2.C.
Quot annis vixit Christus ipso imperante 431.1.B

TITVLVS.

De titulo super crucē Christi posito, vide sub Ver. Christus. Ver. Titulus crucis.

TRAIANVS.

Non est ab inferis reuocatus precibus. D. Gregorij 798.1.C.

TRANSFIGVRATIO.

De Transfiguratione Christi vide, Ver. Christi trās figuratio.

TRINITAS.

Expressa fides Trinitatis non est omnibus publice prædicata, nisi per Christum, & Apostolos. 406. 2.B.
Christus non est dicendus filius Trinitatis.226.1.C
Totius Trinitatis expressa repræsentatio facta, cū Christus baptizatus est.446.1.A.

TVBA.

Qualis futura in die resurrectionis.996.1.B. & sequentibus.

TVNICA.

Tunica inconsutilis Christi a Virgine contexta. 632.2.C.

V

VELVM.

De velo templi Salomonis vide Ver. Templum.

VERBVM DIVINVM.

Num Verbum diuinum assumeret corpus gloriosum, non existente peccato.12.2.C.
Verbum diuinum nō posset proprie dici filius Virginis, nisi in ipso instanti conceptionis humanitatem terminasset.6.1.B.
Verbum diuinum in triduo ab instāti mortis Christi homo non fuit.689.2.A.

VESPERA.

Quæ tempora vesperæ dicantur.709.2 A.

VESTALES.

Vestales virgines post aliquod tempus nuptui dabantur.115.2.B.

VESTIS, SEV VESTITVS.

De vestitu communi Christi, vide Ver. Christi viuēdi ratio.
De Vestibus Christi in Trāsfiguratione, vide Ver. Christi transfiguratio.
De vestibus, quibus Christus indutus in nocte passionis per ludibrium, vide Ver. Christi cōtumeliæ.
De sorte missa super vestes Christi vide sub Ver. Christus, Ver. circunstantiæ crucifixionis.

VIATOR.

Gratia viatoris intensior esse potest, quam comprehensoris.61.2.C.
Non repugnat viatorem videre angelum in sua substantia.149.1.C.

VICTVS.

De victu communi Christi vide Ver. Christi conuersatio, seu viuendi ratio.

VINVM.

De vino Christo in cruce exhibito, vide Ver. Christi potus ex aceto.

VIOLENTIA.

Potest a Deo in ferri creaturis, & explicatur Augustinus.518.1.B.

VIRGINITAS.

De virginitate Christi, vide Ver. Christi castitas.
De virginitate B. Virginis, vide Ver. Mariæ virginitas.
Quando amittatur.1041.1.C.
Materiale virginitatis ad corpus pertinet, formale ad animam.115.2.B.
In quo consistat perfectio virginitatis. ibid.
In veteri lege non fuit præceptum, virginitatē prohibens.117.1.C.
Imo in illa lege posset esse cōsultius, & melius seruare virginitatem.118.1.B.

VISIO.

Quomodo exerceatur in corpore glorioso.898.1.C

VISIO DEI.

Probabile, Moysem, & Paulum vidisse aliquando diuinam essentiam in hac vita existentes.332.1.C.
Probabilius, non vidisse.332.2.C.
Quas rerum species, aut genera videant Beati in Deo.349.2.A.
Vnusquisque Beatus videt in Verbo omnes effectus singulares ad suum statum pertinentes. ibi. C
Verisimile, multitudinem Beatorum videre in Verbo multitudinem rerum existentium in aliqua differentia temporis, exceptis ijs, quæ ad Christum, & B. Virginem spectant 350.2.A.

VITA.

De vita actiua, & contemplatiua B. Virginis vide Ver. Mariæ vita actiua, & contemplatiua.
Perfectus vitæ status actiuam, & contemplatiuam amplectitur.311.2 A.
Exercitia vitæ contemplatiuæ.327.2.A.
Ad vitam contemplatiuam quæ requirantur, 380. 2.B.
Vita mixta perfectissima inter omnes vitæ status. 453.1.C.
Quando licet vitam solitariam instituere.481.1.A

VIRGO.

Num maius miraculum sit, manentem Virginem sine viro concipere quam sterilem ex viro sterili.14.1.B.
Num virgo manens naturaliter concipere possit. 92.2.B.
Natiuitas ex Virgine maius miraculum, quam resurrectio, ex Ambrosio.103.1.C.
Virgines Vestales post aliquod tempus nuptui dabantur.115.2.B.
Virgines aliquot apud Iudæos Deo dicabantur, vt simul in templo morarentur vsque ad annos nubiles.121.2.C.& 122.1.C.

VNCTIO.

Vnctiones, quibus Christus vnctus dicitur ante passionem, non plures fuere, sed vnica tantum. 950.1.C.

INDEX RERVM.

VNIGENITVS.

Vnigenitus in sacra scriptura idem aliquando, quod primogenitus, 105.2.B.

VNIO.

Vnio animæ rationalis cũ corpore successiue fieri potest diuina virtute. 815.2.C.

VNIO HYPOSTATICA.

Quando facta inter humanitatem, & Verbum. 5. 1.B.

Vnio hypostatica ad partes prius natura facta, quã vnio ipsarum partium interse. 7 1.B.

Non repugnat, creaturam effectiue attingere vnionem hypostaticã, vt instrumentum Dei. 188.1.B.

Sanctificatio per gratiam vnionis hypostaticę quo sensu dici possit ab eadem hypostatica vnione deriuari. 203.1.A.& seq.

Natura irrationalis non est incapax vnionis hypostaticæ. 442.1.C.

Ratione vnionis hypostaticæ conuenit Christo potestas docendi, & alia excellentiæ munera. 499. 1.C.

Vnio Verbi ad humanitatem destructa per Christi mortem, & quomodo. 689.1.B.

VOTVM.

Num Christus aliquod votum emiserit. 454.2.A.

Non esset indecens, Christum aliquod votum emisisse. 454.2.C.

Num Christus votum paupertatis emiserit. 459.1 A. Num virginitatem. 455.2.C. Obedientiæ votum non emisit. 454.1.B.

B. Virgo virginitatem vouit. 110.2.A. Imo prima vouit. 114.1.C.

Quanuis non solenniter. 116.1.C.

Votum sub conditione, si Deo placet, dupliciter intelligi potest. 110.1.A.

Voti solennitas Ecclesiæ autoritate introducta. 116 1.B.

Votum cur Deo offeratur. 455.2.A.

Actus ex voto perfectior, quam sine voto. ibid.

VOX.

Vox de cœlo audita in Christi baptismate qualis. 444.1.C.

Ab omnibus, qui aderant, audita. 444.2.B.

Quo modo vera fuerit. 445.2.B.

Vox qua ratione formetur in corpore glorioso. 697.2.B.

Qua ratione audiatur 899.1.C.

Vox audienda in die generali resurrectionis qualis. 996.1.B.

VVLVA.

Quo modo Christus matris vuluam aperuisse dicatur. 287.2.A.& seq.

Z

ZACHARIAS.

Zacharias Ioannis Baptistæ pater summus Sacerdos non fuit. 378.2.B.

ZONA.

Iudæi vtebantur Zonis laneis. 381.1.B

Zona pellicea Ioannis Baptistæ quid significabat 383.1.B.

FINIS INDICIS.

ERATA SIC CORRIGENDA SVNT.

P. Paginam, C. columnam, L. lineam designant.

Pagina.6.c.1.l.40.ei hoc.lege.est hoc
p 10.c.1 l 1.Egregiæ.leg.egregie
p.10.c 2.l.14.Iusta.leg.Iuxta.
p 17.c.2.l.38.Emisius leg.Emissenus
p.22.c.1 l.45.supra.leg.infra.
p.32 c.1.l.46.clarius infra q.31.leg clarius.q.31.
p.34.c.2.l.13.conceptis leg.conceptionis
Pag.36 c.2.l.49.ih.leg.ab
Pag.40.c.1 l.30 pane leg.plane
P.41.c.2.l.32.dicit dicit vocari,leg.dicit dici vocari
Pag.45.c.1.l.21.falsus leg.fassus.
P.49 c.2.l.31.aperiter iuxta lagē.le aperire iuxta legē
Pag.50.c.1.l.32.Clicthoui.leg.Clictouæ
Pag.51,c.2.l.21.prohirbium leg.prohibitum
Pag,65.c.1.26.fit.leg.sit.
Pag 65.c.2.l.26 committandi.leg comitandi.
Pag.95.c.2.l.14 fabricaste leg.fabricasse
Pa.100.c.1.l.45.aspriatione leg.aspiratione.
Pag.106.c.2.l.30.est.leg.esset
Pag.106.c 2.l.47.cognoscere.leg.cognoscetet.
Pag.113.c 1 l.14.nutura.leg.natura.
Pag.135.c 1 l.34.sortitur leg.sortitum
Pag.146.c.1.l.13.instruxi leg.instruxi.
Pag. 149 c.2 l.1.sanctis,seu.leg.seu.
Pag 153,c.2.l.1.posta.leg.postea
Pag.186.c.1.l.18.obctiectionibus,leg obiectionibus.
Pag.219,c.1.l.8 en.leg.est.
Pag.232.c.3.l.7.gini.leg.ginem.
Pag.233.c.2.l.8.inte dunt.leg.intendunt.
Pag.236.c.2.l.2.qua.leg.quia.
Pag.257.c.2 l.vlt.meleficcs leg.maleficos,
Pag.273,c.1.l.22.infingere,leg.infigere.
Pag.285.c.2.l.19 late,leg.litate.
Pag.295.c.2.l.41.disputation.lege disputationem
Pag.299. c.2.l.36.coniectautt.leg,coniectatus.
Pag 300.c.1.l.16 coniectatę,leg.coniectatur.
Pag.309 .c.2 l.41.deordi,lege deordi.
Pag.317.c.2 l.21 mereti.leg.meriti.
Pag 332.c.2.l.penult.probaliter,leg.probabiliter,
Pag 345.c.1 l.329 Exquo leg ex quibus.
Pag.349.c 2.l.17.nis est in,leg.nis in.
Pag.353.c.2.l.2.sunt.leg suum. (gi
P.354.c.2.l.15.exta sextat.l.extat sexta,& colli.l.colle
Pag.360.c.1.l.36.miseatur,leg.misereatur.
Pag.366.c.2.l.29.hypuduliæ leg.hyperduliæ.
Pag.368.c.2,l.15 sanctæ leg.sancti.
Pag.380.c.2.l 19.ademptum,leg.adeptum.
Pag.407.c.1.l.1.tio,talis forme neq; leg.tio, neque.
Pag.441.c.1.l 45.Verborum illud,leg. Verbum illud.
Pag 446.c.1.l.36 quantum,leg quintum.
Pag 453 c.1.l.12.dedescisse.leg. didicisse.
Pag.453 c.1.l.21.valgaris,leg.vulgaris.
Pag.479.c.1 l.25.tn tum,leg.tantum.
Pag.503.c 2.l.38.Apollin.ait leg.Apollinaris.
Pag.527.c 2 l.8.vreum,leg.verum.
Pag.530.c.1.l.37,hanc cau,leg.hanc.
Pag.539.c 1.l.47.acilius,leg facilius.
Pag 544.c.2.l.49,homini leg.homi
Pag 554.c.2.l.42.am illam,leg.dam illam,
Pag 560.c.1 l.1.ter.leg.propter.
Pag.567,c.2 l.24,morent leg.mortem.
Pag.569 c.2.l.49.hæreres,leg.hæreses.
Pag.574.c.1.l.31.curato,leg.Quarto.
Pag 591.c.1.l.46.rem,leg.trem.
Pag 591.c.1.l.13 moritur leg.morituri.
Pag.597.c.2.l.31.cap.13 leg.cap.16.
Pag 598 c.1.l.51.corricem,leg.corticem.
Pag.599.c.1 l.31 qu is leg.qui.
Pag.604.c.1.l.50.cat.leg.sicat.
Pag 605.c.1.l.25 Barhabeam,leg.Barabbam.
Pag.607.c.1.l.50.fuisse a petre,leg.fuisse a Patre.
Pag 623.c.1.l.20.sit.leg. fit.
Pag.624.c.1.l.37.communes,idem significant,leg.cō mune idem significans.
Pag.632.c.2.lin.antep.elegantur,leg.eleganter.
Pag.633.c.1.l.3 .qua,leg.quia. [Christi
Pag.633.c.1.l.34.inuērione Christi.l.inuētione crucis
Pag.634 c.2 l.1.passe,leg.passa.
Pag 645.c.1.l.13.sit,leg.sic.
Pag.645 c.1.l.14.diuctiæ, eg.diuitiæ,
Pag 665.c.1 l.46 libarat,leg. liberat.
Pag.674 c.1.l.33.præuilam leg.præuisam.
Pag.687.c.1.l.25.tassa,leg.tasse.
Pag.693 c 2.l,39.id misserit,leg.dimisserit.
Pag.700.c.1.l.21.annos.leg anno.
Pag.702.c.1.l.17 edidisisse,leg.edidisse.
Pag.708.c 2 l.17.fingularis,leg.singularis.
Pag 710.c.1.l.12 .otix leg otia.
Pag.753.c.2.l.4 .ad,leg.ac.
Pag.785,c.2.l.1 prorijs.leg.proprijs,
Pag 793.c.2.l.48.Nade,leg Nam de.
Pag 799.c.2.l 11.illi leg.illa.
Pag.800.c.1.l 37.quomo.leg.quomodo.
Pag.806.c.2.l.3 purga.leg.purgato.
Pag.805 c 2.l.12.betur,leg.bet.
Pag.807.c.1.l.8 ichetis,leg.tichetis.
pag. 807 c.2.l 6 constauit,leg,constitit.
pag. 812 c.2.l.6.penult.subtiliore,leg subtiliora.
pag 818 c.2.l.16,sit,leg.sit.
pag 8 9 c.1.l.10.vteris,leg vteri. [mul
pag.820.c.1.l.42.nūquā fuit,simul.leg.nūquā fuit,& si
pag.823.c.1.l.1.est,leg.test & l.28 eādē.l.eadem.
pag. 826 c.2.l 49 moitali,leg.morali.
pag. 833.c.2 l.46.alias,leg.alia.
pag 847.co.2.l.16 cōge,leg con.& lin.34.illi,leg.illo
p 848.c.1.l 11.tis per,leg ti per,& li.vlt.interce,l.inter
pag.850.c.1 l 24.vsque in leg.vsque. cede
pag.873.c 2.l 30.eis leg.eius.
pag,882.c,1.l.22.simplicitene,leg.simpliciter ne
pag 896.c.2.l.6.Nipecus.leg.Nicenus.
pag 902.c 1.l.35.vltimimo leg.vltimo.
pag.905.c.1.l.27 surgentia,leg.surgentium.
pag.907.c.2.l.46.vl leg.vlla.
pag.911.co 2.l.18.sit,leg.sit.
pag 915.col.1.l.45.aut leg,autem.
pag.915.c.2.lin.39.qualitatum,leg qualitatem.
pag.917.c.1.lin.51.dispo leg.dis.
Pag.922.c.2 l.9.hac,leg.hæc.
pag.948.c.1 l 41.Ioanne.20 leg.Ioannis.20,
pag 950.c.1.l.39.maio.leg.ma.
pag.954.c.2.l.1.communi,leg communis
pag.959.co.1.l 34.discrep.leg.descrip.
Pag 969.c 1.l.10 in cœlo.leg.incolæ.
Pag.969.c.1.l.38.stauerit.leg.statuerit.
pag.971.c.2.l.24.ad sy leg.ad.
Pag.1015 c.2.l.27.terę,leg.turæ
pag.1016 c.2.l.10.tis,leg.tia
pag.1019.c.1.l.1.numero,leg.mero.
pag.1050.c.1.l 6.sed leg.sede.
pag.1050.c.1.l.7.ratione ratio,
Pag 1089.c.1.l.39.ducturi leg.dicturi.
Pag.1092.c.2.l.17,adaenum,leg.aduentum.
Pag.1096.c.2 l.32.cur ego,leg cur ergo.
Pag.1162.c.2 l.22.tertio,leg.tertium.
Pag.1164.c.1.l.4.doce &,leg.docent.
P.1189.c.2.l.35.creatura,l.creata &len.49.li 8 leg.li.18

Iuan Vazquez del Marmol.

REGESTVM.
OPERIS.

†††AB CDEFGHIKLMNOPQRSTV XYZ AaBb CcDdEe Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm NnOo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz. Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz. Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii kkkk.

Omnes ſunt quaternionespræter. Ffff. qui eſt qui in terno, &. †. †. †. qui ſunt duerniones, cæteri vero Gggg. Hhhh. Iiii. kkkk. ſunt terniones,

---

COMPLVTI.

Ex Officina Ioannis Gratiani.

Anno: M.D.X.C.II.

REGESTVM.

OPERIS.

†††ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ
AaBbCcDdEeFfGgHhIiKkLlMmNnOoPp
QqRrSſTtVuXxYyZz.Aaa Bbb Ccc Ddd
Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo
Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz. Aaaa
Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii
kkkk.

Omnes sunt quaternionesprater. Fff. qui est qui in
terno, & .†.†.†. qui sunt duerniones, caeterivero
Gggg. Hhhh. Iiii. kkkk. sunt terniones,

COMPLVTI.

Ex Officina Ioannis Gratiani.

Anno. M.D.X.C.II.

Suarez

6
141

7.769